16
3
48

E. Lelis librariū


R. P. M. IO. BAPTISTÆ DE LEZANA,

OPERA REGVLARIA ET MORALIA,

Quatuor Tomis distributa:

Quorum { I. & II. Summam Quæstionum Regularium, III. Mare Magnum Religionum omnium, IV. & vltimus, Consulta Varia Moralia & Regul. } *continent.*

EDITIO NOVISSIMA MVLTIS IN LOCIS AVCTA ET EMENDATA.



R. P. M. IO. BAPTISTÆ
DE LEZANA,
HISP. MATRITENSIS,
SOCII GENERALIS CARMELITARVM,
S. Congr. Indicis Consultoris, ac in Sapientia Romana Publici Lectoris,

SVMMA QVÆSTIONVM
Regularium, quatuor partibus distincta,

IN QVA AGITVR DE CASIBVS CONSCIENTIÆ ad personas Religiosas vtriusque sexus valde spectantibus, iuxta noua Decreta, Constitutiones & Declarationes Sum. Pontificum & Sacr. Congreg. ipsorumque Regularium Priuilegia.

Opus, Prælatis Regularibus illorumque subditis, nec-non & omnibus Theologiæ Moralis Professoribus apprime vtile, ac necessarium.

VOLVMEN PRIMVM CONTINENS I. & II. PARTEM.

Editio nouissima ingenti rerum valde notabilium augmento ab ipsomet Auctore locupletata, In qua etiam Tractatus DE REGVLARIVM REFORMATIONE ad calcem Primæ partis adiectus est.



LVGDVNI,
Sumpt. PHILIPPI BORDE, LAVR. ARNAVD, & CLAVD. RIGAVD.

M. DC. LV.

CVM SVPERIORVM PERMISSV.



DEIPARÆ VIRGINI MARIÆ,

DE MONTE CARMELO NVNCVPATÆ,

SEMPER IMMACVLATÆ, SEMPER ILLIBATÆ,

AB IPSO PRIMO CONCEPTIONIS MOMENTO

COELESTIBVS DONIS,

VIRTVTIBVS CVNCTIS DIVINITVS

DECORATÆ,

SANCTITATIS EXEMPLO,

MIRACVLORVM MIRACVLO,

IMMO MIRACVLORVM OFFICINÆ,

SINGVLARI DEI SIMVLACRO,

A NEMINE SATIS, A SOLO DEO DIGNE LAVDANDÆ,

OMNIVM PIISSIMÆ MATRI,

OMNIVM AD OMNIA PARATISSIMO

PROFVGIO,

OPTIMÆ VIVENTIVM PARENTI,

MAXIMÆ TOTIVS ORBIS DOMINÆ.

REGINÆ,

SEMPER AVGVSTISSIMÆ,

THESAVRIS SAPIENTIÆ, ET SCIENTIÆ DEI

DITISSIMÆ,

VIRGINEO CANDORE,

VIRTVTVM OMNIVM DECORE,

DONIS EXIMIIS

PRÆROGATIVIS SINGVLARIBVS,

SEMPER MAGIS ADMIRANDÆ,

PLVRIMVM ADAMANDÆ,

INCLYTÆ

OMNIPOTENTIS DEI MATRI,

SPONSÆ FILIÆ GRATISSIMÆ,

ANTE PARTVM, IN PARTV,

POST PARTVM PVRISSIMÆ,

ã 3 DE

DE MORTE TRIVMPHATRICI
REDIVIVÆ,
GLORIOSIS AVREOLIS
REDIMITÆ,
BEATITATE OMNIBVS SANCTIS
MAIORI,
SOLO, QVEM PEPERIT, DEO
MINORI,
CVIVS IN EMPYREO POTENS IMPERIVM
AGNOSCVNT COELITES,
BENEFICIVM EXPERIVNTVR HOMINES,
TERRIFICVM SENTIVNT DÆMONES.

OB

INNVMERA SIBI COLLATA BENEFICIA
PLVRA, QVÆ EXPECTAT
IN VITA, ET MORTE,
FILII TITVLVM, QVEM INDIGNE PRÆFERT
IN PVERITIA, IVVENTVTE, ET SENECTA,
SVMMAM HANC QVÆSTIONVM REGVL.
QVANTA POTEST ANIMI DEMISSIONE
DICAT, OFFERT, CONSECRAT,
RATVS
TALI PRÆSIDIO
HOC QVALECVNQVE MVNVSCVLVM
DEO GRATIVS,
HOMINIBVS VTILIVS
IPSI IVCVNDIVS
FVTVRVM.

FR. IOANNES BAPTISTA DE LEZANA
CARMELITA.

Soy del Collegio de S.to Alberto de Sevilla

EMINEN



EMINENTISS. PRINCIPI, ET REVERENDISS. DOM. D. CAROLO MEDICES S. R. E. CARDINALI

Amplissimo, Sacri Senatus Decano, & Hispaniarum Protectori.



E Vnum, potius vnicum, (Princeps Eminentissime) *optimum veluti suæ fælicitatis auspicium hoc mearum lucubrationum monumentum, Patronum ambiens, ad tuos sacros pedes procumbens accedit; non paruum sibi gloriæ exitum promittens, dum sub tanti Herois vmbra venire permittitur. Lucem dicerem; qui solis, ac syderum instar, cum adhuc in terris verseris sic splendoribus virtutum micas, vt sit vix vllus, cui tuo candidissimo fulgore non oriaris. Pietatis maxime, & beneficentiæ radijs, quibus indigis assistens, pauperum, & egenorum pater communis, vt Sol alter iure cognominari possis; quin, & in tua florentissima Patria, re ipsa oculis perspecta, qualiter Ecclesiarum erector, Virginum Custos, & egestatis tempore cunctorum adiutor, sis, vt audio, cognomineris. Et quid ni te Soli contulerim, cum è Medicea Gente, cuius prolixas stemmatum series ostentant atria; cuius longo sanguine Ethruria superbit; res præclare gestæ implent Historicorum volumina; cuius Heroes vix numerus æquat, splendidissimus prodeas, dignitatum luce circumfusus? Hæ Te tunc primò tenere potuerunt, quando, Paulo V. Summo Pontifice afflante, in Purpuratorum Patrum fastigium euehi meruisti. Quo in munere quæ gesseris, qualem Te habueris nullus enarret, quia auaræ laudis non indiges, vt cumulatius deprædiceris; sine æmulo namque & sine exemplo tecum ipse certas, tecum ipse contendis. Loquantur tamen Sacri Senatus, & Eminentissi-*

nentissimorum Quiritum Cœtus, quibus Decanus meritissimus astans, principes tui animi dotes, sapientiam, prudentiam, & in Ecclesiæ negotijs pertractandis præstantissimam dexteritatem quotidie pandis. Loquar & ego, qui etsi pusillus, tuæ placidissimæ frontis, & eximiæ comitatis, & benignitatis non semel testimonia experiri potui: hæc enim tua magnanimitatis tessera est, vt nullus à tuo conspectu vacuus, aut solatio destitutus abscedat. Annecterem hîc reliquum regiumque virtutum tuarum apparatum, ni crederem tanti Principis modestiæ inuriam irrogare: & quod, vt Philo dixit, vera bona ex se ipsis vocem mittunt. *Sed non silebo tuam celsissimam Mediceam Domum, pro medendis veluti Orbis morbis, vt à nomine omen capiam, amplissime propagatam, totiusque Christianæ nobilitatis emporium effectam; pulcherrimum veluti florem, suauissimos efflasse odores, nunc Leones, nunc Clementes germinando: nec his contentam alios, alio pro tempore, Ecclesiæ aurigas, præsagire, suis illis, quos pro stemmatibus* Orbes *habet sextuplicis Dominij indices: vel quia illi forsan, vt olim Alexandro,* vnus non sufficit Orbis. *Meritò proinde duorum Monarcha Catholicus Philippus tuæ soli fidei ipsorum moderationem commisit, vt tua protectione, Hercules alter, seu Briareus Ioui, solidius firmares, firmius stabilires. Tu igitur, qui tantus es, tantillum hoc opus ne respuas; affectum potius quam effectum suscipiens, non despiciens; dum tibi spiritualium donorum (quod maximè cupis) & perennis fælicitatis incrementum, profusis ad Deum votis adprecor, & munusculum dedico, ac consecro. Vale multos per annos.*

Cliens humillimus,

Fr. IOANNES BAPTISTA
DE LEZANA Carmelita.

APPROBATIO.

APPROBATIO.

QVAMVIS R. Adm. P. N. M. IOANNIS BAPTISTÆ DE LEZANA opera omnia, hæc præsertim moralia quæstionum Regularium, solidissimæ doctrinæ luculenter non minùs quàm breuiter digestę, & explanatæ, promptuaria ita sint plena, vt ex iis quæ continent in aliorum Auctorum volumina plura sint eructantia; quia nihilominus *Dies diei eructat verbum*, & quotidie noua emanant à Sacris Congregationibus, & à Sancta Sede decreta & Constitutiones; quibus eius potissimum innititur doctrina, ab ipso quoque requisito, multa in dies prodeunt responsa Moralia, hinc est, vt cum iam *Tertiò* prælo danda sint ipsa opera, nonnulla iis adiicienda esse censuerit: quæ additamenta Ego infrà scriptus de mandato R^{mi}. P. N. Generalis accuratè peruolui & recognoui, quæque cum nedum Christianis moribus, ac fidei Regulæ consona, verùm etiam Dei Ecclesiæ, Regularibus præcipuè, apprimè vtilia (ne dicam necessaria) repererim, digna, quæ typis dentur vnà cum iisdem operibus quæstionum Regularium suis locis inserenda Censeo: Romæ in Conuentu nostro S. M. Transpontinæ hac die 5. Decemb. 1653.

Fr. VINCENTIVS IVSTVS S. T. Mag.

Facultas R. P. M. Generalis.

Nos Fr. IO. ANTONIVS PHILIPPVS Magister Generalis Ordinis Carmelitarum Antiquæ Obseruantiæ Regularis.

AVctoritate nostra tenore præsentium, Tibi dilecto Nobis in Christo Reu. Adm. P. M. Io. BAPTISTÆ DE LEZANA nostræ Prouinciæ Castellæ Sacerdoti Professo licentiam impartimur, quantum ad Nos spectat, typis mandandi, Primum, & Secundum Tomum Summæ Quæstionum Regular. cum nouis additionibus à te elaboratis, & à Magistris Theologis nostri Ord. quibus id commisimus, perlectis, & approbatis. Horum fide &c. dat. Romæ die 5. Decembr. 1653.

Fr. Io. ANTONIVS PHILIPPVS Magister Generalis Carmelitarum.

Fr. GAVINVS CATTOIYNA Prior Transp. & Secretarius.

Imprimatur, si videbitur Reuerendissimo P. Mag. Sac. Pal. Apost.

ASCONIVS RIVALDVS *Vicesg.*

Imprimatur.

Fr. VINCENTIVS CANDIDVS Sacri Pal. Apost. Mag. Ord. Præd.

APPROBA

APPROBATIONES.

Reuerendi admodum Patris Magistri Io. BAPT. DE LEZANA, Carmelitarum splendoris, Quæstionum Regularium Summa ita Regulis Sacrorum Canonum conformis est, profunda discussu, vtilis & necessaria publico, vt in omnes Christianas Regiones debeat vulgari. Quare quæ in aliis nationibus pluries iam fuit excusa, denuò excudendam apud Nostrates iudicamus, vt Tanti viri Doctrina & Pietas ab omnibus videatur, qui pro sua summa humilitate, in sui Ordinis Generalatu, imò nec in sibi oblatis ditioribus Hispaniæ Archiepiscopatibus videri recusauit. Ita testamur nos infrascripti S. Facult. Parisiensis Doctores Theologi, Lugduni sexto Idus Oct. 1655.

F. PAVLVS LOMBARD, Prouincialis Carmelitarum Prouinciæ Narbonæ.

F. CYRILLVS MOREL eiusdem ordinis Prior Lugduni.

LICENTIA ORDINARII.

VIsa Doctorum Religiosorum approbatione, Summæ Quæstionum Regularium à Reuerendo Patre Magistro Io. BAPT. DE LEZANA conscriptæ editioni lubenter annuimus. Datum Lugduni die 18. Octobris 1655.

DE NEVFVILLE Abbas Sancti Iusti, Vic. Generalis.

CONSENSVS.

HVnc librum, qui inscribitur, R. P. M. Io. BAPT. DE LEZANA, *Summa Quæstionum Regularium*, typis mandari, & in lucem edi in vrbe, sumptibus PHILIPPI BORDE, LAVRENTII ARNAVD, & CLAVDIJ RIGAVD, Bibliopolarum Lugdunensium, Ego Regis in Præfectura Lugdunensi Procurator non impedio, die 23. Octobr. 1655.

VIDAVD.

PERMISSIO.

VIso Procuratoris Regis consensu hunc librum typis mandari supradictis Lugdunensibus Bibliopolis concedimus, & ne quis citra facultatem denuò excudat, prohibemus. Lugduni die 23. Octobr. 1655.

DVSAVZEY.

INDEX



INDEX CAPITVLORVM,
Quæ in primo Tomo huius Summæ continentur.

INDEX CAPITVM LIBRI de Reformatione Regularium.

XI. Litte



INDEX CAPITVLORVM,

Quæ in Secundo Tomo huius Summæ continentur.




SVMMA QVÆSTIONVM REGVLARIVM, SEV DE CASIBVS CONSCIENTIÆ

ad personas Religiosas vtriusque sexus valde spectantibus.

TOMVS PRIMVS.


SVMMARIVM.

Triplex in Ecclesia status. num.1.
Religiosi sunt in secundo statu, tendentium scilicet ad perfectionem. ibid.
Status religiosus adumbratus in lege Moysi, & naturæ, perfectus tempore Christi, & amplexatus ab Elia, & Eliseo filiisque Prophetarum. num.2.
Quæcunque persona religiosa tenetur tendere ad perfectionem. num.3.
Non tenetur esse perfecta in facto esse. num.4.
Nec tenetur tendere ad perfectionem nisi per ea opera quæ sunt secundum Regulam, & obseruantias sui ordinis. num.5.
Nec tenetur sibi persuadere se facere profectum. n.6.
Perfectio Christiana in quibus consistat. num.7.
Finis religiosi status quis sit. ibid.
Obligatio procurandi perfectionem Religiosis est sub mortali peccato. num.8.
An sit distincta ab obligatione seruandi vota, & obseruantias regulares. num.9.
Quando peccet contra præceptum procurandi perfectionem. num.10. & 11.
Quando censeatur contemnere perfectionem sui status. num.12.
An transgredi regulam, & ordinationes Ordinis ex prauo vsu aut consuetudine in rebus parua materia sit mortale. num.13.
An teneatur ex vi huius præcepti habere domitas, seu superatas omnes suas passiones. num.14.
An peccata Religiosi grauiora sint peccatis secularium. num.15.
An teneantur ex iustitia erga religionem efficere actus ad quos destinantur. num.16.
Mendicantes præsertim tenentur ex præcepto charitatis saluti proximorum subuenire. num.17.
Dionysij Richelij doctrina. num.18.
Monachi quinque definitiones à Ioanne Climaco traditæ. num.19.
Prima definitio. num.20.
Vnio cum Deo quomodo homini possibilis. num.21.
Monachi exercitia. num.22.
Secunda descriptio Monachi. num.23.
Monachus quid importet. num.24.
Tertia descriptio Monachi. num.25.
Quarta descriptio. num.26.
Verissimè Monachus quis. num.27.
Quinta descriptio Monachi. 28.
Monachus est ordo & consistentia. num.29
Corollarium ex dictis. num.30.
Scopus huius operis. num.31.



CAPVT I.

De obligationibus Regularium ratione status perfectionis, quem profitentur.



EX triplici statu in Ecclesia reperto; 1
quorum primus est coniugatorum, qui vitam communem, & adimpletionem solùm præceptorum communium exigit: & secundus Religiosorum, qui ad perfectionem tendere, consiliaque Euangelica sectari profitentur; & tertius Episcoporum, seu Prælatorum, qui perfectionem consummatam, & in facto esse debent habere; certum est omnes personas Regulares cuiuscumque sexus sint, in secundo statu esse, sub eoque militare. S. Thom. 2.2. *quæst.*183. & 186. Gregor. de Valentia *tom.*3. *disp.*10. *quæst.*1. *punct.*3. Hic autem status bene sic definitur, *status hominum ad perfectionem Christianam per paupertatis, castitatis, & obedientiæ vota tendentium.* Bellar. *tom.*2. *l.*2. *de Monach. c.*2.

Adumbratus est in lege Moysi, & in lege naturæ. Plat. *de bono stat. Relig. lib.*2. *cap.*19. Perfectus, & consummatus à tempore Christi, & Apostolorum, qui fuerunt veri, & perfecti Religiosi. Vasquez 1. 2. *disp.*165. *cap.*5. Et amplexatus à 2

Sanctissimis nostris Patribus Elia, & Eliseo, filiisque Prophetarum successoribus eorum D. Hieron. *in epist. ad Paul.* D. Isid. *l. 2 de offic. cap.* 16. Sixt. IV. Gregor. XIII. & alij Pontifices.

3 Hinc omnis persona Religiosa quæcumque illa sit, tenetur ex vi suæ professionis, tendere, progredi, & niti ad perfectionem. Ratio est, quia hæc est obligatio sui status, & in quo differt à laicis: vnde statui laicorum solum dicitur à Christo *Serua mandata*; statui verò Religiosorum, qui insinuatur in illis verbis, *Si vis perfectus esse*; vlterius dicitur; *Vade, & vende omnia, &c. & sequere me*, per quod denotantur Consilia, ac per consequens perfectionis sequela. Suarez *lib. 1. de oblig. Relig. cap.* 4. Et nouissimè Ioannes Euseb. *in doctrina Ascetica lib. 1. doctr. 4. cap.* 25. specialiter *cap.* 27. vbi religiosos non tendentes ad perfectionem vocat simulatores, mendaces, & hypocritas, iuxta doctrinam S. Thom. 2. 2. *quæst.* 184. *art.* 4. *ad* 2. & Tab. *in sum. v. Relig.* Tenentur etiam Religiosi tendere ad perfectionem propter periculum labendi in peccatum graue, in quod regulariter cadunt Religiosi perfectionem non procurantes. Euseb. *supr. c.* 30. ex Azorio, & aliis. Item secundum aliquos, ne obfirment animum contra Spiritus sancti inspirationes. Idem Auctor ex Caiet. Azorio, & Valent.

4 Non tamen tenetur Religiosus ex vi suæ professionis esse perfectus in facto esse. Ratio est, quia status Religionis non est status perfectionis iam acquisitæ, qualis est status Episcoporum, sed est status perfectionis acquirendæ. Ideò enim vocatur Religio schola perfectionis. Quemadmodum ergo studentes in schola non tenentur esse docti, & sapientes, sed tendere, & conari ad doctrinam, & sapientiam acquirendam, ita etiam Religiosus non tenetur esse perfectus, sed tendere ad perfectionem, S. Thom. 2. 2. q. 184. *art.* 5. *&* 186. *artic.* 2. Abul. *in c. 19. Matth.*

5 Nec etiam tenetur Religiosus niti, aut tendere ad perfectionem per omnia opera consiliorum, aut supererogationis, sed per illa tantum, quæ sunt secundum Regulam, & Obseruantias sui Ordinis. Ratio est, quia non se obligauit ad aliam perfectionem nisi eam, quæ mediis institutis suæ Religionis comparari potest: neque Ecclesia obligat illum ad aliam. Solùm ergo obligatur ad eam perfectionem, quæ media obseruantia suæ Regulæ, & Constitutionum acquiri potest. S. Thom. 2. 2. *q.* 186. *art.* 2. Sanchez *lib. 6. in Decalog. c. 5. num.* 2.

6 Nec præterea tenetur Religiosus sibi persuadere se facere profectum quotidie in perfectione. Quia hoc pugnat cum humilitatis exercitio, per quod iudicare debet oppositum. Hieron. Gratian. *de discipl. Regul. c. 9.* §. 1.

7 Perfectio Christiana, quam profitentur Religiosi, & ad quam procurandam tenentur, consistit principaliter in actibus charitatis erga Deum, & proximos; minus principaliter in actibus aliarum virtutum. Ratio est, quia perfectio hominis in hac vita est illud bonum, quod est ipsi optimum; exercitium autem charitatis principaliter, & exercitium aliarum virtutum minus principaliter est optimum homini, cum nihil illi melius. S. Th. 2. 2. *q.* 184. *art.* 1. Suarez *tom. 3. de Relig. l. 1. c. 3.* Hinc finis Religiosi status est vnio per charitatem cum Deo, & proximis. Indicatur hoc Act. 5. vbi de Apostolis, qui erant veri Religiosi, & eorum discipulis dicitur: *Multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna.* S. Thom. 2. 2. *q* 186 *art.* 1 Suarez *tom.* 3. *de Relig. l. 2. c.* 1. Hieron. Gratian. *in discipl. Reg. c.* 4.

Hæc obligatio procurandi perfectionem, seu 8
tendendi ad illam in Religiosis est sub mortali peccato. Ratio est, quia est de re grauissima, quam vouerunt, & in qua consistit substantia status Religiosi. Cordub. in Reg. D. Francisc. *c.* 1. Rodriguez 3. *tom. Quæst. Regul. q.* 48. *art.* 1. Ista veritas (secundum Nau. *in c. quia portio* 12. *q. 1. n.* 10.) est terribilis multis Religiosis, qui neque actu, seu actualiter; nec virtute, seu virtualiter habent animũ se in dies magis perficiendi in charitate, neque curant plusquam boni clerici sæculares, vel laici, ad eam tendere. Sanchez *lib. 6. de Decalog. cap. 5. num.* 10.

Num verò huiusmodi obligatio tendendi ad 9
perfectionem in Religiosis sit distincta ab obligatione seruandi vota, & obseruantias Regulares, vel sit eadem cum illa? Probabilius est esse eandem, & imbibitam in illa, sicut obligatio obediendi Deo, placendi Deo, & constituendi in ipso nostrum vltimum finem, non est obligatio distincta ab obligatione seruandi mandata Dei, sed in illa includitur. Ratio est, tum quia vt diximus *n.* 5. non tenetur Religiosus ad aliam perfectionem comparandam, nisi ad eam, quæ mediis institutis suæ Religionis haberi potest. Tum etiam, quia aliàs quoties Religiosus transgrederetur votum aliquod peccaret duplici peccato, altero contra votum, altero contra perfectionem, quam tenetur procurare. Sanchez *lib. 6. in Decalog. c. 5. n.* 5.

Peccat tamen Religiosus mortaliter contra hoc 10
præceptum procurãdi perfectionem. Primò, quando contemnit ea, quibus venitur ad perfectionem. Quia hoc est contra votum professionis, quo Religiosus promisit vitam Regularem. S. Thom. 2. 2. *q.* 186. *art.* 2. *&* 9. Caietan. *ibid.* Secundò, quando transgreditur Regulam (etiamsi ad venialem solam, vel ad nullam culpam obligaret) eo fine, vt impediat perfectionem. Quia hoc etiam est directè contra id, quod promisit. Valentia 1. 2. *disp. 7. p. 5. punct. 6. vers. primus casus est.* Vasquez 1. 2. *disp.* 158. *c. 6. n.* 57. Tertiò, quando firmiter statuit apud se, nullo modo curare de perfectione sui status. Propter eandem rationem. Quartò ad idem, quando in animum inducit non progredi ad vitæ perfectionem, ita vt apud se statuat, & dicat: Nolo ad perfectionem tendere. Quia in hoc deficit à fine suæ professionis. Batholomæus à S. Fausto *de Vit. propriet. c. 1. n.* 10. Tandem quintò, quando eius prauo exemplo alios induceret ad deprauatam vitam, vel relaxationem Regulæ. Quia tunc graue nocumentum Religioni, quam professus est, inferret. Sanchez *lib. 6. in Decalog. c. 4. n.* 18.

Addunt etiam alij peccare Religiosos, si intendant nunquam proficere in perfectione, seu non 11
facere alia bona, neque alio modo meliora, quam Regula, vel Constitutiones præcipiunt. Quia hoc est ponere obicem gratiæ Spiritus sancti. Cordub. *in Regul. B. Franc. c. 1. q.* 3. Thom. de Iesu *in Epilog. Regul. Carmelit. §. ex his ergò.* Ad minus tamen Religiosus, qui habet propositum operandi contra omnia statuta suæ Religionis, vel præcipua, vt sunt orationis, silentij, ieiunij, &c. quamuis non obligent ad mortale, peccat mortaliter. Quia est perniciosus Religioni suo prauo exemplo, & quantum est ex parte sua veluti procurat destructionem ipsius. Tambur. *de Iure Abbat. tom.* 3. *disp. 3. q. 6. num.* 7. idem dicit *n.* 12. conformiter ad doctrinam Caietani, Valentiæ, & Vasquez de Religioso transgrediente statuta suæ Religionis ad solam pœnam obligantia eo animo vt impediat finem ipsorum.

Tunc

12 Tunc censebitur Religiosus contemnere perfectionem sui status, ac per consequens peccare mortaliter contra hoc præceptum, quando transgreditur leges suæ Religionis ex animo, aut voluntate non se subiiciendi illis, aut Superioribus præcipientibus. Ratio est, quia contemptus est actus formalis obedientiæ, includens duo, scilicet transgressionem præcepti, & intentionem nolendi se subiicere præcepto, aut præcipienti, Lessius *de iust. & iur. cap.* 41. *dub.* 9. *n.* 76. Vasquez 1.2. *disp.* 158. *cap.* 4. Vide dicenda *cap.* 8. *num.* 17.

13 Transgredi verò Regulam, & Ordinationes Religionis ex prauo vsu aut consuetudine in rebus paruæ, aut leuis materiæ non est peccatum mortale contra hoc præceptum. Ratio est, quia actus isti quantumuis replicati ob paruitatem materiæ solùm possunt esse peccata venialia. Azor. *lib.* 4. *Instit. moral. cap.* 9. *q.* 11. Quando autem per accidens possit hæc consuetudo esse peccatum mortale dicimus *cap.* 8. *n.* 18.

14 Non tenetur Religiosus ex vi huius obligationis, seu præcepti, domitas, seu superatas habere omnes suas inordinatas passiones; sed sufficit, vt ad eas vincendas, quantum potuerit conetur. Hoc declaratur exemplo à S. Thoma adducto de duobus militibus, quibus Dux præcipit, vt fortiter pugnent, ac dimicent; quorum vnus ita hoc adimplet, vt inimicum vincat, & occidat: alter verò, etsi fortiter dimicet, & pugnet, inimicum tamen non occidit, aut vincit. Vterque enim suæ obligationi satisfacit. Sic ergo in nostro proposito Ludouic Mirand. *in Manual. Prælator. tom.* 1. *q.* 5. *art.* 5.

15 Peccata Religiosi absolutè loquendo debent censeri grauiora, cæteris paribus, peccatis secularium. Primò, quia Religiosus cum sit specialiter dicatus Deo tenetur habere maiorem aduertentiam ad non peccandum, & placendum Deo. Secundò ratione aliqualis ingratitudinis ob maiora beneficia recepta. Caietan. 2.2. *q.* 187. *artic.* 4. Suarez 4. *tom. de Relig. cap.* 11. Per accidens tamen erunt aliquando leuiora. Quia si talia peccata sunt venialia, multitudine bonorum operum, in quibus Religiosus versatur veluti obruuntur. Si verò fuerint mortalia, facilius ob pristinam consuetudinem bonorum operum; & bonum exemplum aliorum retractari solent. S. Thom. 2.2. *q.* 186. *artic.* 10. Valentia 2.2. *disp.* 10. *q.* 4. *punct.* 6.

16 Aliqui dicunt, eo ipso quòd Religiosi ex vi sui status, & professionis deputantur ad aliquos actus, v.g. chorum, vel spiritualia ministeria; vel opera corporalia, si sint conuersi; teneri ex iustitia illa non omittere, ita vt si omittât peccent mortaliter. Eo quòd inter Religionem, & Religiosum interuenit pactum quoddam, vt scilicet Religio ministret omnia ad vitam necessaria, Religiosus verò munus suum exerceat. Quemadmodum ergo Prælatus, si non tribuat vitæ necessaria Religioso, peccabit contra iustitiam, sic & Religiosus si non efficiat ea, quæ sui muneris sunt. Hoc verò ad minus erit verum, quando Prælatus præcipiat Religioso aliquid rigorosè & exigendo ius suum. Suar. 4. *tom. de Relig. tract.* 8. *lib.* 1. *cap. vlt. num. vlt.*

17 Præter obligationem communem omnium Religiosorum tendendi ad perfectionem, Mendicantes specialiter tenentur ex præcepto charitatis saluti proximorum subuenire, scilicet confessionibus, prædicationibus, lectionibus, &c. Ratio est, tum quia finis prædictorum est salus animorum. Tum quia sunt coadiutores Episcoporum, quorum proprium est hoc munus. Vt habetur in Conc. Meld. *cap.* 3. Rotomag *apud Burchard lib.* 1. *c.* 88. & in Clement. dudum §. *cæterum de sepulturis.* & in Extrauag supr. Cathedra § *finale eodem tit. iuncto c. inter cætera de off. ordin.* Bannez 2.2. *q.* 33. *art.* 3. Thomas de Iesu *supr. cap. non dicatis p.* 5. *c.* 1. Vide dicenda *tom.* 2. *c.* 1. *n.* 9. 10. & 11.

De specialibus autem obligationibus Religiosorum ad perfectionem quærendam in specialibus materiis, seu mediis ad illam acquirendam, agimus sigillatim in sequentibus capitibus. 18

Pro huius tamen capitis coronide, & quia ea consonant cum dictis, & pro instructione Regularium quam præcipuè in hoc opere intendimus valdè conducunt, afferre libet quæ piissimus Auctor Dionysius Richel. *in lib. de Reform. Claustral. art.* 3. scripsit: *Ioannes Climacus Abbas Montis Sinai cui alius Abbas scripsit: supermirabili æquali Angelo, Patri Patrum, & Doctori superexcellenti;* 19 *hic inquam, Climacus in libro suo quinque diffinitiones, seu potius notificationes Monachi ponit, quarum prima est hæc: Monachus est qui solum quæ Dei sunt agit, cogitat, loquitur, Christo vnitus omni tempore, loco & negotio. Hæc descriptio datur de Monacho se-* 20 *cundum completam monasticæ vitæ perfectionem; quia ad hoc ordinatur, & tendit institutio regularis, atque professio Monachalis, vt Monachus quantum possibile est in hac vita, transcendat & deserat vniuersa carnalia, transitoria & mundana, omnes suas actiones, cogitationes, affectiones & locutiones secundum legem diuinam & regulæ suæ aut statutorum tenorem dirigens & disponens, sicque solum quæ Dei sunt, id est quæ Deo sunt placita ac diuina agit, cogitat, loquitur, Christo vnitus actualiter, aut saltem habitualiter in omni loco, tempore atque negotio: quoniam taliter se habendo non peccat; & quamuis venialia, non tamen mortalia conuersationi suæ miscentur. Denique quam-* 21 *uis non sit possibile fragilitati humanæ in vita præsenti actualiter Deo vniri in omni loco, tempore & negotio propter instabilitatem cordis humani, ad hoc tamen quotidie conari & tendere debet Monachus, vt auxiliante gratia Dei in omni loco, tempore & negotio actualiter intentus & vnitus sit Deo quantum possibile est per meditationem, contemplationem, & dilectionem Dei & rerum diuinarum, spiritualium atque cœlestium, distractionibus, & euagationibus suæ mentis viriliter ac solicitè resistendo, præsertim tempore orationis ac diuini Officij. Mentem quoque suam* 22 *vbique & in omni actu frequenter ad Deum leuando per meditationem aspirationem, compunctionem, & orationem internam tam in mensa quàm in via ac lecto & labore, studio atque colloquio: & ad hoc debet sibi consuetudinem optimam facere, qua adepta erit sibi hoc ipsum valdè facilè & iucundum, imo dulcissimum, hoc quippe agendo sentiet sæpè intrinsecus suauissimam consolationem à Deo, saluberrimamque compunctionem, & feruidã inflammationẽ in eo. Vt autem ad hanc consuetudinem sanctam perueniat pro cõtinuo adiutorio gratiæ Dei Creatorem suum instãter exoret: Preterea secunda descriptio Monachi à Climaco posita, hæc est: Monachus est violentia naturæ indesinẽs, & custodia sensuum indeficiens;* 23 *in qua descriptione abstractum ponitur pro concreto, vt sit sensus: Monachus est violentator indesinens sui ipsius. Cum enim dicat saluator: Regnum cœlorũ vim patitur & violẽti rapiunt illud, id est qui sibi ipsis salubrem violentiam inferunt, superando inordinatos affectus & vincendo seipsos regnum cœleste merentur: arcta namque est via, angustaque porta quæ ducit ad vitam beatam. Hinc constat quod quanto Monachus præ cæteris magis abnegauit seipsum, ac propriæ voluntati*

renuntiauit, tanto plus tenetur superare naturam suam in omnibus, proprias libertates, & concupiscentias abiiciendo, omnemque iram, impatientiam, pigritiam, vanam lætitiam, animositatem, & carnalitatem penitus euellendo, quod est in principio non parum difficile, sed tempore procedente, & auxiliante Deo sit facilè. Insuper dicitur Monachus custodiæ sensuum indeficiens, id est indeficiens custos sensuum suorum interiorum & exteriorum, oculos, aures, gustum, tactum, olfactum iugiter refrenando & gubernando, ne per eos hauriat anima mortem, inutiles quoque imaginationes ac phantasticas apprehen-
24
siones & occupationes vitando. Amplius tertia descriptio est: Monachus est sanctificatum corpus, expurgatum os, & illuminata mens: in qua descriptione ponitur pars pro toto, vt sit sensus: Monachus est homo habens corpus diuino cultui consecratum, & à carnalibus inquinamentis mundatum, habens etiam os à verbis illicitis purum ac sancto silentio decoratum, mentem quoque illuminatam à
25
26 *Deo ad contemplandum cœlestia & æterna. Quarta descriptio est: Monachus est mœrens & dolens anima indesinenti mortis memoria; in qua rursus descriptione ponitur principalis pars hominis pro homine ipso. Ad Monachum equidem pertinet esse in quotidiano mœrore & dolore. Primò, propter sui ipsius & aliorum peccata, vt non solum sua, sed totius mundi mala deplangat, & pro omnium saluatione sæpissimè ac fidelissimè deprecetur. Secundò, præ desiderio regni cœlestis & cum Psalmista decantet: Quando veniam & apparebo ante faciem Dei? Itemque: Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est: atque cum Paulo Apostolo: Infelix ego homo quis me liberabit de corpore mortis huius? Tertiò, ex compassione Christi, omnia quæ Christus pro nostra salute fecit & pertulit cordialiter reuoluendo. Interdum verò qui verissimè*
27 *Monachus est lacrymatur ex abundantia spitalis lætitiæ & ex incomparabili atque dulcissima complacentia Dei, quia supergratissimus, & superamœnissimus Deus complacet sibi in contemplatione theorica qua rapitur ad superna. Debet autem Monachus vitæ huius breuitatem & mortem incessabiliter propinquantem, indesinenter perpendere. Postremò quinta descriptio est:*
28 *Monachus est ordo & consistentia incorporalium in corpore materiali & sordido consummatus: vbi rursus abstractum vt substantiuum concretiuè & adiectiuè sumendum est, vt puta ordo pro ordinatus vel ordinato vel ordinatè, & consistentia pro consistens; vt sit sensus: Monachus est*
29 *ordo & consistentia incorporalium, id est, homo ordinatus & consistens instar Angelorum in corpore materiali; ac sordido: quia in carne non carnaliter, sed spiritaliter viuere debet, atque Angelicam ducere vitam in terris, laudibus, orationibus, & contemplationibus Dei iugiter insistendo, vt illud Apostoli dicere queat. Nostra conuersatio in cœlis est. Hæc de præinductis descriptionibus Monachi tetigi non secundum scholasticam subtilitatem, sed secundum monasticam simplicitatem, vt ad præmemoratas Monachalis vitæ perfectiones quilibet Monachus fideliter properet. Qui autem de his descriptionibus scholasticè vellet inquirere, haberet in eis aliqua supplendo adiicere, & quomodo multiplex sit descriptio declarare quod non est speculationis*
30 *præsentis.* Ex dictis porrò corollariè elicitur ad quantam animi perfectionem Monachus teneatur attendere si verus Monachus esse desiderat, & quod Monachi descriptiones ipsi accommodari possint, ac perinde quomodo mores ipsius omnino ad amussim ad legem Dei, præceptaque Ecclesiæ & superiorum aptari debeant. Qui scopus totius huius nostræ summæ ad Dei conditoris maiorem gloriam.

SVMMARIVM.

Primum



CAPVT II.

De obligationibus Regularium ratione professionis trium votorum Religionis in communi.

AD substantiam, & essentiam veri, & proprij Religiosi, quatuor conditiones requiruntur. Prima est, profiteri obedientiam, paupertatem, & castitatem, Innoc. III. *in cap. cum ad Monast.* Secunda, vt hæc tria voto aliquo firmentur. S.Thom. 2.2. *quæst. vlt.* Tertia, vt tale votum emittatur in Religione aliqua per Sedem Apostolicam (saltem his temporibus) approbata. Nauarrus *comment. 1. de Regularibus num.18.* Vnde Professio facta in Religione reprobata solum habebit vim voti simplicis. Quia ad hoc solum potest obligare. Sanchez *lib.5. in Decal. c.4 n.86.* Vide dicenda *infrà num.28.* Quarta, vt promittens hæc vota constituatur sub iurisdictione, & potestate alterius. Vasquez 1.2. *disp.165. c.4.* Non tamen videtur necessarium hoc loquendo de vera, & propria Iurisdictione, quæ est potestas spiritualis pertinens ad claues Ecclesiæ. Cùm constet Moniales sub Abbatissis viuentes Religiosam vitam gerere, cum tamen Abbatissæ capaces non sint iurisdictionis Ecclesiasticæ. Idemque argumentum sumi potest ex antiquis Monachorum Monasteriis. Sufficit ergo constitui sub potestate dominatiua, vel domestica alterius. Suarez *3. tom. de Relig. l.2. cap. vlt.* Vnde Religiosus ex vi trium votorum, quæ in professione emittit, non est tam suus, & sui iuris, quam Religionis, sub cuius potestate, & iurisdictione se constituit. Rursus, nuntium prorsus sæculo remittit, ei moritur, & ad vitam Spiritualem se omninò transferens, Dei obsequio se mancipat. Sanchez *lib.5. de præcept. Decal. cap.1 n.16.* 1

Etiam vota, quæ emittunt milites S.Iacobi, & S.Ioannis, &c. constituunt illos veros Religiosos. Ratio est, quia promittunt obedientiam, & paupertatem accommodata instituto ipsorum: & castitatem, vel simpliciter, vt milites S.Ioannis; vel secundum quid, scilicet coniugalem, vt milites S.Iacobi, &c. Sunt ergo veri Religiosi, siquidem profitentur statum non vitæ ordinariæ, & communis, sed altioris Nau. *consil.11. de Regul.* Suarez *tom.4. de Relig. tract.9. lib.1. cap.4.* Dicuntur tamen habere, saltem aliqui illorum, priuilegium Pontificium, vt non comprehendantur sub iure 2

aliquo Religiosorum, quantum ad odia, & rigores. Quaranta *in Summ. Bullar. ver. Mon.* Vide dicenda de illis *tom. 2. cap. 5.*

3 Non solùm vota solemnia, qualia fiunt in omnibus Religionibus transacto anno nouitiatus; sed etiam vota simplicia, quæ emittunt Patres Societatis Iesu post biennium approbationis constituunt verè Religiosum vouentem. Ita definitum est à Greg. XIII. *Extrauaganti Ascendente Domino.* Vnde de hoc non licet dubitare. Ratio etiam est, nam illis conueniunt quatuor conditiones assignatæ suprà *num.* 1. Neque obstat, quòd talia vota non sint perpetua ex parte acceptantis, cum sic vouentes à societate expelli possint. Sufficit enim quòd ex parte vouentium sint perpetua. Vasquez 1. 2. *disp.* 165. *n.* 19. *& alibi.* Sanchez *de præcept. Decalog. lib.* 5. *c.* 1. *n.* 6. *& sequent.*

4 Etiam conuersi, oblati, seu donati Religionum, qui veram professionem trium votorum sub Regula approbata emittunt, sunt verè Religiosi. Quia id sufficit ad statum Religiosum. Graffis 1. *p. decis. lib.* 3. *c.* 5. *à n.* 85. Hinc tales sunt etiam personæ Ecclesiasticæ, & gaudent priuilegio canonis, & fori. Syluest. *verb. Ecclesia* 1. *quæst.* 5. Miranda *in man. tom.* 1. *quæst.* 29. *artic.* 3. Vide dicenda *cap.* 3. *num.* 18.

5 Non solùm professio expressa (illa scilicet, quæ fit verbo, vel scripto vouentis tria vota) sed etiam tacita (illa scilicet, quæ fit portando habitum proprium, vel exercendo propria professorum) constituit verum Religiosum, seruatis conditionibus à Concil. Trid. *sess.* 25. *c.* 5. designatis. Ratio est, quia antiquitus vtraque erat valida, & per Concilium non est sublata professio tacita. Nauarr. *comm.* 4. *de Regul.* Miranda *in Man. tom.* 1 *q.* 24. *art.* 12.

6 Quamuis obligatio orta ex votis solemnibus emissis in professione Religiosorum sit perpetua, potest nihilominus Sum. Pont. ex suprema potestate, quam habet, in illis dispensare. Tum quia id sæpius fecisse testantur historiæ; tum à simili de matrimonio rato, in quo etiam potest idem Pontifex dispensare: tum etiam, quia in tali dispensatione nihil fieret contraius naturale, aut diuinum Caiet. 2. 2. *q.* 88. *art.* 11. *in quodl.* Michaël Medin. *de Sacror. Homin. contin. lib.* 4. *contr.* 7. *c.* 9. Vt hoc licitè fiat, desideratur publicæ vtilitatis causa, & vrgentissima. Sanch. *lib.* 5. *de præcept. decalog. c.* 1. *n.* 5. Vbi etiam in sequentibus, an sit integrum Pontifici dispensare cum Professo, vt matrimonium ineat ad tempus, ad habendum prolem.

7 Post Concilium Trident. quinquennij tempus determinatum est Religiosis ad reclamandum, seu allegandum non esse professos: quo tempore elapso, nullatenus id possunt facere, Concil. Trident. *sess.* 25. *c.* 19. Bonacina *in tract. de claus. quæst.* 2. *p.* 10. *præsertim diffic.* 4. Hoc tamen intellige, nisi allegauerint legitimas causas, ob quas non potuerint intra prædictum tempus reclamare. Quia ita piè interpretanda est mens Concilij. Ita probabiliter Nau. *comm.* 4. *de Reg. à num.* 71. Intelligitur etiam quoad forum exterius; nam quoad interius forum, si professio fuit nulla propter metum, vel consensum coactum, nulla erit per se obligatio. Cum nec Summus Pontifex possit efficere, vt consensus coactus, durante coactione, sit liber, & spontaneus, qualis requiritur ad professionem. Nauarrus *vt sup. n.* 71. *&* 72. Miranda *in Man. tom.* 1. *quæst.* 30. *art.* 1. Hoc tamen decreto non obstante, poterunt Prælati Religionum, etiam transacto quinquennio eiicere Religiosum, quem nouerint habuisse in professione defectum alicuius conditionis irritantis illam. Quia Concilium solùm videtur determinare illud quinquennium pro reclamatione Professorum. Laur. de Peirinis *tom.* 1. *de Subdito q.* 1. *de obed. c.* 25. §. 4. Ipse autem Religiosus inualidè professus, dum ei tempus non vacat ad reclamandum, quia est transactum quinquennium, tenetur ad ratificandum professionem, saltem, quando sua culpa inualidè professus est. Ratio est, quia cum à Religione habeatur vt professus verus, ipse vt talis se gerere debet erga ipsam, ne illam decipiat. Rodriguez 2. *p. summ. cap.* 92. *num.* 5. Bonacina *vt sup. diff.* 1. *à n.* 2. Ad quam ratificationem licet requiratur nouus consensus ex parte professi, cum prior fuerit inualidus, probabile tamen est, non requiri nouum consensum Religionis, cum iam illa ex parte sua verum consensum præstiterit. Sanch. *lib.* 7. *de matrim. disp.* 37. *num.* 6. Bonacina *vt suprà à num.* 3.

Vt reclamatio professi audiatur, oportet, quod fiat cum habitu. Ita statuit Conc. Trid. *sess.* 25. *c.* 19. 8
Hoc tamen intellige, in foro exteriori, non in interiori, si causa subsit aliter faciendi. Quia ita piè interpretanda est mens Concilij. Nauar *in cap. statuim. com.* 4. *de Reg. n.* 77. Bonac. *de claus. q.* 2. *p.* 10. *diff.* 3. Vnde si quis temerè habitum dimittit, & postea reassumit, audiendus est. Portellus *in dubiis Reg. verb. Professionis nullitas n.* 45. Diana *tract.* 2. *de dub. Regul. Resol.* 53.

Cum aliquis fecit professionem inualidam ob 9
defectum ætatis, anni approbationis, vel aliam causam similem, vt puta propter defectum consensus, &c. postea adimpleta ætate seu anno approbationis, vel suppletis iis quæ primo defecerunt non requiritur reiteratio nouitiatus, quia per eum qui habitus est, sufficienter satisfactum est menti Ecclesiæ. Sanchez *lib.* 7. *de matrim. disp.* 37. *n.* 45. Requiritur tamen ratificatio illius professionis inualidæ, saltem internè facta. Quia cum prior professio inualida fuerit, & nulla, non reuiuiscet nisi reiteretur. Religiosus autem sic inualidè professionem emittens non censetur ratificare illam, etiam si portet habitum proprium professorum, aut faciat actus solùm ad professos pertinentes, nisi hoc faciat sciens, volens, & prudens, & cum animo ratificandi dictam professionem. Ratio est, quia ista omnia non inducunt professionem etiam tacitam nisi fiant isto modo. Nauar. *in c. statuimus, n.* 71. *& lib.* 1. *Consil. de his quæ vi conf.* 6. Mir. *in Manualis tom.* 1. *q.* 30. *art.* 3.

In quacunque Religione tam virorum, quàm 10
Mulierum professio non fiat ante decimum sextum annum expletum: nec qui minori tempore, quam per annum post susceptum habitum in probatione steterit ad professionem admittatur. Professio autem antea facta, sit nulla, nullamque inducat obligationem ad alicuius Regulæ vel Religionis, vel Ordinis obseruationem, vel alios quoscumque effectus. Ita Concil. Trident. *sess.* 25. *c.* 15. Hoc decretum non comprehendit Ordines Militares. Quia ita dicitur declarasse Sacram Congregationem Cardinalium. Azor. *lib.* 13. *Instit. mor. cap.* 4. *quæst.* 2. Vide dicenda *tom.* 2. *cap.* 5. *n.* 17. Tantùm ergo comprehendit alios Religiosos, etiam illos, qui in Societate Iesu post biennium profitentur. Sanchez *lib.* 5. *de præcept. Decalog. cap.* 4. *num.* 7. Ætas pro nouitiatu requisita etiam includit diem illum superadditum in anno bissextili. Quia anni commutandi sunt secundum ritum Ecclesiæ. Bonacina *de clausura quæst.* 2. *punct.* 10. *difficultat.*

difficultat. 2. §. 3. Computanda etiam est ætas professionis à die natiuitatis extra vterum. Quia communis vsus ita habet. Sanchez *lib.* 4. *in Decalog. cap.* 35. *num.* 4. Bonacina *vt supr.* Annus Nouitiatus sumendus est à momento in momentum, quod est dicere, si quis suscepit habitum die prima Ianuarij post meridiem non potest anno sequenti facere professionem eadem die prima Ianuarij ante meridiem. Quia ille reuera non stetit in nouitiatu per annum prout requiritur à Concilio. Portellus *in dub. Reg. verb. nouitij annus.* 48. non tamen requiritur annus, & dies ad nouitiatum, vt quidam vulgariter dicunt, quia Concilium solum petit vnum integrum annum. Diana *tract.* 2. *de dubiis Regul. Resolut.* 57. Professio facta ante legitimam ætatem, vel non completo nouitiatu, neque per modum voti simplicis valet, vt colligitur ex verbis Tridentini adductis, & constabit ex dicendis. *n.* 28.

11 Nouitiatus non continuatus per annum integrum non est sufficiens ad professionem, si sit interpollatus per notabile tempus. Propter doctrinam Concilij. Graffis *Decis. p.* 1. *lib.* 3. *c.* 5. *n.* 14. Quidam tamen dicunt propter priuilegium Iulij II. Minoribus concessum sufficere annum interpollatum. Quod non audeo affirmare. Rodriguez *tom.* 3. *quæst.* 15. *art.* 8. Miranda *tom.* 1. *quæst.* 22. *art.* 4. In casu tamen, quod Nouitius cum licentia Prælati, & cum habitu, aliqua de causa rationabili, extra Monasterium per aliquod tempus commoretur, non propter hoc discontinuabitur annus probationis. Ratio est, quia eo ipso, quòd manet cum licentia, & habitu Religionis, est sub obedientia illius; ac per consequens tale tempus reputatur pro Nouitiatu. Nauarr. *lib.* 3. *consil. de Regular. consil.* 42. dicens. Congregationem Cardinalium idem censuisse. Vide dicenda. *cap.* 24. *num.* 22. Semper tamen requiritur, quod Nouitius portet habitum Religionis, tum propter authoritatem Concilij adductam, tum quia alias non rectè experiretur austeritatem Monachalem, quæ præcipuè consistit in habitu Religioso. Syluest. *verb. Relig.* 5. *quæst. quinta* Suarez *tom.* 3. *de relig. lib.* 5. *capit.* 13. *num.* 3. Bonacina *de clausu. quæst.* 2. *punct.* 10. *difficul.* 2. §. 2. Non sic de habitu proprio Nouitiorum. Suarez *ibid. cap.* 14. *à num.* 10.

12 Professio facta in Religione reddit omnino incapacem Religiosum ad contrahendum postea matrimonium. Ita habetur in Concil. Trident. *sess.* 24. *can.* 9. & aliis Conciliis, Sanchez *lib.* 7. *de Matrimon. disp.* 26. *num.* 1. Idem dicendum est de professione, quàm emittunt Patres Societatis peracto biennio. Quia ita habetur in proprio motu Gregor. XIII. qui incipit: *Ascendente Domino.* Valentia *tom.* 4. *disp.* 10. *quæst.* 5. *puncto* 3. Quin etiam professus, qui contrahit Matrimonium excommunicatur 27. *quæst.* 1. specialiter *cap. impudicas. cap. si quis sacrum cap. monacho,* Et punitur à Sacræ Inquisitionis tribunali. Simanc. *de Catholic. inst. tit.* 40. *de matrim.* Toletus *in sum. lib.* 7. *cap.* 4. Et est irregularis iuxta dicenda infrà *cap.* 5. *num.* 2.

13 Qui facit professionem in aliqua Religione, parentibus in extrema necessitate constitutis, eiusque auxilio, & ope indigentibus, peccat mortaliter: imo etiam si necessitas non extrema, sed tantum grauis sit, dummodo possit filius illis subuenire in sæculo. Nec sit alius qui hoc faciat. Ratio est, quia præcepta præponi debent consiliis; subuenire autem parentibus in prædictis casibus est præceptum naturale: esse verò Religiosum solùm est consilium. Graffis *p.* 1. *decis. lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 37. Suarez 3. *tom. de Relig. lib.* 5. *c.* 5. Si vero ex huiusmodi seruitio, & obsequio parentibus exhibendo, sequatur filio notabile dispendium salutis spiritualis, potest prouidendo animæ suæ intrare Religionem & in ipsa profiteri. Quia bonum spirituale filij debet præferri bono corporali, aut temporali parentum. S. Thom. 2. 2. *quæst.* 101. *artic.* 4. Caietan. *ibidem.* Idem dicendum est de Patre habente filios in necessitate constitutos. Propter eandem imò maiorem rationem. S. Thom. 2. 2. *quæst.* 189. *artic.* 6. In casibus autem, in quibus Pater, aut Filius non possunt intrare Religionem, aut profiteri in illa, sed peccant ita facientes, possunt ad minus, facta professione, egredi è Religione (seruatis tamen seruandis) vt succurrant prædictis necessitatibus: imò forsan tenentur. Hoc enim petit ius naturæ, & vinculum obligationis, quod est inter Patrem, & Filios. Toletus *in Summ. libro* 5. *cap.* 1. *numero* 6. Vide dicenda *cap.* 24. *de Nouitiis numero* 40.

Non tamen possunt reclamare professi, eo quòd habeant, vel etiam habuerint tempore professionis parentes, aut filios in extrema necessitate constitutos. Ratio est, quia licet talis professio fuerit illicita, vt vidimus supra *num.* 13. tamen fuit valida. Nauar. *lib.* 3. *de cons. de Reg. consil.* 3. Tenentur tamen illis succurrere modo congruo, & non contrario suæ Regulæ. Quia hoc est præceptum naturale. Cordub. sup. *cap.* 2. *Regul. D. Francisci quæst.* 6. *artic.* 2. Vide dicta sup. *numero* 13. 14

Professio facta ob malum finem, qui non sit contra substantiam Religionis valida est. Ratio est, quia nullus malus finis, qui non sit contrarius substantiæ Religionis potest illi derogare. Syluester *verbo Religio* 3. *quæst.* 6. Professio etiam facta ab excommunicato valida est. Ratio est, quia per excommunicationem non tollitur facultas faciendi contractus cùm Deo, qualis professio. Vincent. Fillucius *part.* 3. *tract.* 12. *cap.* 8. Professio etiam Religionis per Simoniam facta est valida. Ratio est, quia licet potuerit ab Ecclesia irritari, non tamen irritata est. Suarez 1. *tom. de Relig. lib. de Simon. cap.* 57. Professionem tamen emittens Simoniacè expellendus est ab eo Conuentu, in quo illam emisit. Suarez vt supra. Vide dicenda *cap.* 24. *num.* 29. 30. & 31. 15

Religiosus professus licet quoad possessionem propriæ voluntatis, & bonorum temporalium dicatur mortuus seculo, vt diximus num. 1. non tamen quoad nobilitatem. Ratio est, quia cum nobilitas sit quoddam ius sanguinis, & sequatur naturam non potest deperdi per professionem. Guilelm. Bened. *cap. Raynutius.* Rebuf. *de Nominationibus q.* 12. *n.* 31. 16

Per professionem in Religione approbata vacant quæcumque beneficia ante habita. *Ex cap. Beneficium, de Regularibus in* 6. Sanchez *lib.* 7. *in Decalogum cap.* 29. *num.* 2. Non tamen redduntur Religiosi incapaces ad obtinenda beneficia secularia etiam curata ex vi professionis. Cum ex natura rei non sint incompossibilia obligatio votorum, & obtentio beneficiorum. Lessius *lib.* 2. *de iustit. cap.* 41. *dub.* 12. De facto tamen nullus Regularis potest suscipere beneficium curatum sine licentia Papæ. Tum quia ita consuetudine obtentum 17

obtentum est, tum quia ita videtur declarasse Sacram Congregationem Cardinalium, Sanchez *lib.7. in Decalog.cap.29. num.71*. Idem etiam dico de beneficiis simplicibus. Graffis *2.part.decis.lib.3. cap.20. num.12*. Idem quoque dico de Pensionibus. Istæ solum à Papa conceduntur. Sot.*lib.9.de iust.& Iure quæst.7.artic.2*. Casu etiam dato quòd Regularis præsentatus esset Episcopo ad Ecclesiam aliquam parochialem à suo Superiori, posset ab eodem, etiam sine consensu Episcopi remoueri. Quia etiam sic præsentatus non liberatur à iugo obedientiæ. Nauar. *commen.2. de Regul. n.95*. Vide dicenda *c.24.num.37.& tom.2.cap.2. à n.21. & c.18.per totum.*

18 Debita contracta à Professo ex licentia superiorum debent solui à Monasterio. Illa enim sunt quasi debita ipsius Monasterij. Idem dico si talia debita sunt, vel fuerunt vtilia Monasterio saltem quoad illam partem. Propter eandem rationem. Sanchez *lib.7.in Decalog.cap.31.num.9*. Debita verò orta ex delicto Religiosi professi, etiam si Prælatus sit, non debent solui à Monasterio, nisi quatenus ex illo delicto aliquid vtilitatis ipsi obuenerit, vel in illud consenserit. Quia aliàs nullo pacto spectat illud delictum, aut damnum ex illo secutum ad Monasterium. Nauarr. *comment.62. de Regul.* Molin.*tomo primo,de iustit.disput.140*. Hinc tenetur Monasterium soluere expensas necessarias factas à Monacho Professo, qui de licentia Superiorum est extra Monasterium in aliquo negotio, vel itinere, verbi gratia, medicinas, quas expendit pro infirmitate, &c. Ratio est, quia eo ipso, quod Religio dat illi Monacho licentiam existendi extra Monasterium, videtur ea omnia concedere, sine quibus viuere non potest. Nauarr.*comm.2. num.65*. Molin. vt supra. Pro debitis contractis à Religiosis Apostatis, seu fugitiuis, vide *cap.16. numer.19*. Ex dictis autem collige obligari Monasterium ad debita Prælati, seu Procuratoris quæ contraxerunt contractibus consentaneis suæ administrationi. Quia illa etiam sunt quasi debita Monasterij. Cardin.Lug. *de Iust.& Iur.tom.1. disputat.3. sect.10. num.218*. Secus autem si illi excedant limites suæ administrationis, aut si contractus tales fuerint ad vsus turpes aut vanos. Propter oppositam rationem. Lugo *ibid.* Idem dico cum eodem Authore de deposito secularis quod erat apud aliquem Religiosum consentiente Monasterio, & tale depositum perditum est, vel à furibus sublatum; tunc enim tenetur Monasterium damnum illud resarcire, non autem si illud depositum esset in manu alicuius Religiosi non consentiente Monasterio, propter rationem adductam. Idem dicendum si talis Religiosus esset Prælatus, quia Monasterium non obligatur ex delicto Prælati in quod non consensit Monasterium.

19 Bona Religiosi, qui propter fraudem, dolum, & cupiditatem Prælati Religionis ad ipsa inhiantis, emisit professionem, non pertinent ad Religionem, sed ad hęredes. Ratio est, quia ita deciditur *in c.fin.20.q.3*. qui textus est vniuersaliter ab Ecclesia admissus, vt constat ex communi sententia Doctorum, illum explicantium. Nauarr. *comment.2. num.31.de Regular.* Azor.*tom.1.Instit.moral.lib.12. cap.vigesimo*. Imò nulla exigitur iudicis sententia, ne Monasterium succedat in talia bona. Couarr.*4. decret.2 part.cap.28.§.primo,num.9*. Sanchez *lib.7. in Decalog.capite trigesimoquarto, num.vltim.* Desideratur tamen ad hoc quod decisio prędicti textus locum habeat, primò vt dolus, seu fraus sit causa professionis, ita vt ea non esset, fraude, & dolo cessante; secundo vt decipiens ductus fuerit cupiditate obtinendi bona professi. Sanchez *vt supra numer.3.& 4.*

Professio illius, qui ementito sexu in aliquo Monasterio profitetur, vt si vir in Monasterio Monialium, aut fœmina in Monasterio virorum profiterentur, est omnino inualida. Ratio est, quia ad valorem professionis requiritur non solùm consensus profitentis, sed etiam admittentis professionem: at verò in hoc casu, etiam si detur fuisse consensum profitentis (cum tamen semper fictum illum habuisse credendum sit) ad minus tamen deficit consensus ex parte admittentis, cum nullus Prælatus talem professionem admittere possit, nec Ecclesia ad id concedat authoritatem. Nauarr. *lib.1. consil. in 1. editione tit. de ætat. & qualit. cons.8. num.1. in 2.lib.3. de Regul. cons.47. num.1.* Henriq. *lib.14. de Regul. cap.8. numer.6.* Hermaphroditi autem professio, si in eo præualeat sexus virilis, valida erit in Monasterio virorum, si præualeat sexus fœmineus in Monasterio Monialium. Ratio est, quia hic iudicatur vir, aut fœmina iuxta sexum prædominantem. Si verò vterque sexus sit æqualis, & aptus ad coitum in neutro Monasterio potest etiam validè profiteri. Quia tunc respectu fœminarum erit vir, & respectu virorum fœmina. Henriquez vt supra. Sanch. *lib.5. de precept. Decalog.cap.4. num.41*. Qui bene animaduertit, etiam in casu quod hermaphroditus haberet sexum præualentem, v.g. viri, non esse admittendum inter illos, quia afferret maximum periculum incontinentiæ Religiosis, sed expellendum esse. Rodrig. *2.tom.Sum.c.6.* 20

Professio serui sine licentia Domini sui est inualida. Quia non est sui iuris. Cum ea tamen valida est. Quia nullo iure interdicitur, imò id supponitur *c. si quis incognitus 17. quæst.2.* Sanchez *lib.5. in Decalog.cap.4.num.42*. Si seruus ingrediatur Religionem, & à Domino, id sciente, intra triennium non repetatur, non potest transacto triennio ab ipso repeti. *Dict.c.si quis incognitus.* Et ratio legis est, quia censetur Dominus tacitè consensisse. D.Antonin.*3.p.tit.16. c.3. §.4*. Vnde professio ipsius valida erit transacto illo triennio, licet non antea. Eo quòd transacto triennio, & non antea cessauit ius, quod habebat Dominus ad reclamandum, & repetendum seruum. Sanchez vt supra *num.44. & 49*. Vide dicenda *c.24. numer.20.* 21

Professio illius, qui præ morbo, aut senectute impotens est ad seruanda Regulæ præcepta, valida est. Tum quia potest seruare tria Vota, quæ sunt essentialia Religioni; tum quia erunt multa in Regula, quæ ab isto absque dubio seruari poterunt. Rodig.*2.tom.Summ.c 6.n.13.* 22

Defectus, seu morbus corporalis non repugnans substantiæ Religionis, vt si quis lepram, vel aliam infirmitatem, etiam interrogatus, occultaret, non facit professionem irritam. Ratio est, quia talis defectus, & occultatio illius non tollunt aliquid de essentialibus Religionis. Nauarr. *lib.3. cons.tit.de Regul consil.25. vel 48*. Nec ob id delictum potest expelli. Cum enim expulsio sit res grauissima, maiorem exigit causam. Rodrig.*3.tom. q.regul.quæst.17.art.9*. Secus verò quando illi protestatum fuit tempore professionis, quod si talem defectum haberet, professio nulla esset Quia tunc deficit consensus Religionis ad professionem requisitus, ac per consequens illa est nulla. Iuxta dicenda *c.24. n.26.* 23

Dementia perpetua, quæ non in vna, vel altera 24

tera

tera materia, ſed omnino mente priuat, Profeſſionem, & nouitiatum irrita reddit. Quia impedit liberam voluntatem ad illa neceſſariam. Syluest. *verb. Religio* 5. *quæſt.* 2. Bonacina *in tract. de clauſ. quæſt.* 2. *punct.* 10. *diſ.* 2. §. 1. Si autem poſt factam profeſſionem, vel per naturam, artem, aut miraculum ad ſanam mentem redeat, conſciuſque profeſſionis à ſe emiſſæ non contradicat, non ſtatim, reuiuiſcit eius profeſſio, ſed tenebitur portare habitum, & habere nouitiatum, & poſtea profiteri. Quia cum talis profeſſio, & nouitiatus fuerint irrita, neceſſarium erit facere de nouo ea, quæ ad ipſorum valorem ſunt requiſita. Azor. *lib.* 12. *Inſtit. mor. cap.* 2. *quæſt.* 5. Vide dicenda *cap.* 24. *num.* 18. Nota etiam quod prædictis non obſtantibus, Nouitium qui toto tempore Nouitiatus infirmus fuit poſſe ad profeſſionem recipi: quia quantum ex ſe erat annum probationis legitimè expleuit, maximè cum non teneatur Nouitius experiri auſteritates omnes Religionis, ſed ſatis eſt ſi probetur in genere per annum ſub obedientia perſeuerando, tenent ſatis probabiliter Rodrig. *tom.* 3. *quæſt. Regul. quæſt.* 15. *art.* 10. Bartholomæus à S. Fauſto *lib.* 5. *Theſ. religi. quæſt.* 249. & Tambur. *tom.* 3. *de Iure Abb. diſputatione* 6. *quæſtione* 3. *numero* 25. poſt Nau. & Sanchez.

25 Redditur profeſſio nulla ſi non ſit facta in manus Prælati, vel alterius habentis poteſtatem admittendi Religioſos ad Ordinem. Sicut enim Profeſſio includit traditionem potentis ſe tradere Religioni, ita etiam debet eſſe aliquis, qui habeat poteſtatem acceptandi. Sanchez *lib.* 1. *de præcept. Decalog. cap.* 4. *num.* 62. Quamuis autem, quoad illos, ad quos ſpectat hæc authoritas, attendendum ſit ad iura propria Religionis (idem num. 64.) de iure tamen communi non ſufficit conſenſus Prælati, ſed etiam maioris partis Conuentus. Tum quia ſic habet conſuetudo plurium Religionum; tum quia res eſt ex grauioribus Monaſterij, & ita ad totum illud ſpectare videtur. Sà *in Summ. verb. Religio num.* 65. Rodriguez *tom.* 3. *quæſt.* 17. *art.* 7. Vide dicenda *cap.* 18. *num.* 66. & Portellum *in reſponſion. moral. tom.* 2. *caſu* 94. vbi agit de iis qui poſſunt ferre ſuffragia in tali electione. Maximè Tambur. *tom.* 3. *de Iure Abbatum diſp.* 6. *quæſt.* 1. vbi latè de hoc puncto, & reſoluit quod etiamſi militantes ſub Regula S. Benedicti non poſſint aliter recipere Nouitios niſi accedente conſilio Monachorum, & quod in vnaquaque Religione tenenda ſit conſuetudo, nihilominus quod ex vi Conſtitutionum Sixti V. & Clementis VIII. (addo etiam, & Gregorij XIV.) quas refero infra *cap.* 24. *num.* 12. 13. & 14. requiratur conſenſus Monaſterij. Non tamen requiritur conſenſus Monachorum de Iure communi, ſed ſufficit, vt dixi, maioris partis. Peirinis *tom.* 2. *de Prælato quæſt.* 3. *cap.* 1. *num.* 19. Bartholomæus de Vecchiis *in praxi Nouit. diſp.* 7. *dub.* 2. *num.* 9. Tambur. *ſup. num.* 10. Profeſſio etiam facta in manus Epiſcopi inualida eſt. Cum ille non ſit Prælatus Regularium exemptorum. Roſella *verb. nouit. num.* 21. Azor. *lib.* 12. *Inſtit. mor. cap.* 5. *quæſt.* 4. Profeſſio verò acceptata à Laico habente commiſſionem à legitimo Prælato valida erit. Sicut poteſt beneficium nomine alieno acceptare, & eſſe Procurator in cauſa Spirituali. Rodriguez *tom.* 3. *art.* 17. *num.* 12. Vnde multò magis valida erit profeſſio acceptata à ſimplici Religioſo de licentia ſui Superioris. Propter eandem, & maiorem rationem. Diana *tract.* 2. *de dubiis Regular. Reſol.* 70. Quando Profeſſio eſt inualida ſolum ex defectu poteſtatis in admittente, ſatis eſt, vt habens talem poteſtatem eam ratam habeat, non mutata Profeſſi voluntate. Ratio eſt, quia ratihabitio retrotrahitur, & comparatur mandato. *Regul. ratihabit. de regul. in* 6. Nauarr. *lib.* 3. *conſil. de Regul. conſil.* 6. *vel* 40. Azor. *lib.* 12. *Inſtitut. mor. cap.* 5. *quæſt.* 7. Incipiet autem valere illa profeſſio à die ratihabitionis. Quia ſine illa non erat valida. Sanchez *lib.* 5. *in Decal. cap.* 4. *num.* 80. Quoad antiquitatem porrò, & alia iura Religionis computanda credo à die profeſſionis emiſſæ ſi illa bona fide fuit facta vt colligitur ex Nauarro *lib.* 3. *conſ. de Regul. conſil.* 46. *in* 1. *editione.*

Profeſſio facta ſub conditione de futuro (quæ validè apponitur) licet obligationem ſuſpendat; 26
adueniente conditione ſtatim abſque nouo alio conſenſu eſt valida. Ratio eſt, quia iam ille conſenſus conditionatus tranſit in abſolutum, ergo dummodo non ſit retractatus ſufficiet ad profeſſionem. Sanchez *lib.* 5. *in Decal. cap.* 4. *num.* 88. Profeſſio autem facta ſub conditione contraria eius ſubſtantiæ, vt ſi quis profiteatur ſub conditione habendi proprium, vel non ſeruandi caſtitatem, ſine dubio eſt irrita. Ratio eſt à ſimili de Matrimonio, & Voto ſimplici, ſi fiant cum conditione contraria ſubſtantiæ illorum. Azor. *lib.* 12. *Inſtit. moral. cap.* 5. *quæſt.* 2. & *lib.* 11. *cap.* 15. *quæſt.* 9. Rodriguez 3. *tom. quæſt.* 17. *art.* 6. Vnde ſi quis dum emittit profeſſionem intendat ſibi retinere dominium alicuius rei, ita vt non ſit paratus reddere illam, quando Superior voluerit, inualide profitetur. Quia de ratione profeſſionis eſt abdicatio dominij, aut vſus independentis à Superiore. Leſſius 2. *de Iuſt. cap.* 41. *dub.* 8. Si profiteretur quis ſub hac cōditione reſeruandi ſibi aliqua quoad vſum, & dependenter à voluntate Superioris, valeret talis profeſſio, ſaltem quantum eſt ex natura profeſſionis; cum illa conditio non deroget eius ſubſtantiæ. Ita tenent iidem authores, & Nauarr. *Comm.* 2. *de Regul. numer.* 16. Idem dico de eo, qui profiteretur ſub conditione manendi in propria domo. Propter eandem rationem. Nauarr. *vt ſup.* Sà *in Sum. verb. Religio. n.* 6. Vide dicenda *c.* 6. *n.* 29.

Profeſſio facta fictè, id eſt, ſine intentione profitendi, quoad Deum non eſt valida, quia non 27
eſt vera, ſed ficta promiſſio, ſicut homo pictus non eſt verus homo. Quoad Eccleſiam verò, & forum exterius valida eſt, quia Eccleſia non iudicat niſi de externis, ſigna autem externa huius profeſſionis, vt ſupponimus, eam eſſe veram iudicabunt. Profeſſio autem facta animo promittendi, ſed non ſe obligandi, quoad Deum, & homines valida eſt. Quia ex natura promiſſionis ſequitur naturaliter obligatio, ſicut illuminatio ex Sole Secus verò ſi talis profeſſio non fuit cum animo promittendi, quia eo ipſo deſtruxit ſe ipſam, cum enim de ratione eſſentiali profeſſionis ſit promiſſio, ſi promiſſio non eſt, nec profeſſio erit, ac per conſequens valida non erit, ſaltem quoad Deum, Profeſſio vero facta animo non adimplendi, quoad vtrumque forum obligat. Ratio eſt, quia cum profeſſio ſit eſſentialiter promiſſio, quæ intrinſecè includit rationem obligationis, non poteſt impediri per extrinſecam voluntatem non adimplendi promiſſum. Azor *tom.* 1. *Inſtitut. moral. lib.* 12. *cap.* 5 *dub.* 7. & in ſimili de contractu

Sponſa

Sponsalitio. Cornexo *tom.2.in 3. part. tract.6. de Matrimon.disp.2.dub.5.*

28 Quando professio est inualida ob defectum ætatis legitimæ, aut anni nouitiatus nondum expleti, non obligat, neque vt Votum simplex ad Vota promissa. Ratio, quia Concil. Trident. loquens de illa *sess.25.cap.15.* inquit, *nullam indicat obligationem ad alicuius Regulæ, vel Religionis, vel Ordinis obseruationem, vel alios quoscumque effectus*, Caietan.2.2.*quæst.* 88.*artic.* 9. Sotus 7. *de iust.q.3.art.2.* Idem dico de eo, qui sic profitens inualidè, expresse voluerit solùm obligari ad illa Vota in Religione. Quia eo ipso declarauit se nolle obligari ad illa vt Vota simplicia. Sanchez *lib.5. in Decalog.c.4.n.105.* In casibus autem, quod professio fit nulla ex defectu acceptantis illam; propter seruitutem eius, qui profitetur; propter sexum ementitum, vel similes causas; talis professio habet vim Voti simplicis, & vt talis obligat. Ratio sumitur ex regula tradita *c.vnico de desponsat. impuber in 6.* nempe, quando actus non valet eo modo, quo fit, valet eo modo, quo valere potest, ac proinde cum talis professio non valeat vt Professio, ad minus tamen valebit, vt simplex promissio, & Votum. Nauarr. *lib. 3. consil.tit de Regular. consil.18.vel.19.* Azor.*lib.12.instit.mor.c.1.q.3.*

29 Professio facta per Procuratorem valida est. Nullibi enim excipitur ex his actibus, qui per procuratorem fieri possunt. Idem dico de professione facta ab absente. Propter eandem rationem. Syluest. *verb. Relig. 3.quæst.* 15. Miranda *tom. 1. Man. Prælat quæst.24.art.1.* Idem etiam dico de Professione facta nutibus, aut scripto sine verbis. Propter similem rationem. Vnde infertur mutum posse validè profiteri. Sãchez *l.5.in Decal.c.3.n.2.*

30 Professio etiam illius, qui fecit Votum ingrediendi Religionem strictiorem, & ingressus in laxiorem professus est in illa, valida est. Ratio est, quia votum illud simplex Religionis strictioris commutatum fuit per solemnem professionem iuxta dicenda *cap. 2.num.7.* Graffis 1.*part. decis. libr. 3.cap.5.num.* 31. Suarez 2. *tom. de Relig. lib. 4. de Voto cap.16.* An vero etiam ante professionem factam possint aliqui Prælati Regulares dispensare cum eo qui fecit votum strictioris Religionis, vt admittatur in laxiori, tractat idem Suarez 3. *tom. de Relig.l.4.c.8.n.9.*

31 Professio etiam facta à coniugatis etiam post consummatum Matrimonium, si fiat cum consensu vtriusque coniugis, valida est. *Ex cap.qui vxorem 33. quæst. 5.* Et ratio est, quia cum vterque possit cedere iuri suo, si cedat vnus, alter manet liber, Henriq. *lib. 11.cap.* 8. Bonacina *quæst. 3.de matrim. punct. 4.propos.3.* Imò quando vnus coniux potest facere perpetuum diuortium propria authoritate, potest etiam ingredi Religionem, & valide profiteri, inuito altero coniuge. Quia sicut in tali casu potest perpetuo abstinere à consortio illius, ita liber manet ad dicãdum se Deo per professioné. Rebell.*lib.3.q.4.* Bonacin.vt sup.*n.* 10. Altero autem coniuge nesciente, vel consentiente per dolum, aut per metum, non potest alter profiteri validè. Deficit enim in his casibus consensus necessarius alterius compartis. Bonacin.*vt sup. n.9.* Cornexo *tom.2.in 3.part.tract.6.de matrim. disput. 6. dub.2.* Imo etiam postquam alter coniux dedit facultatem ingrediendi religionem potest illam reuocare ante professionem, sicut, & qui ingressus est Religionem; potest etiam ante professionem redire ad matrimonium. Quia annus probationis deseruit vtrique vt videat an sibi expediat illa separatio. Suarez 3.*tom.de Relig.l.5.c.4.à n.6.* Vide dicenda *c.3.n.3.*

Religiosi facti Cardinales, Episcopi, aut Abbates manent etiam post assumptionem cum eadem obligatione trium Votorum professionis, iuxta dicenda *c.17.n.2.* Eiecti etiam, & expulsi à Religionibus manent etiam cum eadem obligatione Votorum Religionis sicut antea, iuxta dicenda *c. 23. n.11.* Qualiter ad eadem vota obligentur, vel non Nouitij, dicetur *c.24.* Qualiter etiam Moniales. *c. 25.n.1.& seqq.* 32

Quia sæpius soleo interrogari circa varia dubia spectantia ad professiones Regularium, ideo operæ pretium duxi aliquas resolutiones quorumdam ipsorum huic capiti adiungere, quæ vtiles erunt pro intelligentia eorum quæ dicta sunt, & quæ dicentur in seq. 33

Primum Dubium.

In casus contingentia cuiusdam Conuersi Congregationis nostrorum Patrum Discalceatorum Italiæ; cum videlicet contigisset quod esset illegitimus, & iuxta statuta eius Congregationis non posset admitti ad Religionem ac illi fuisset protestatum ab initio, quod si pateretur talem vel alios similes defectus, illumque vel illos celauerit, statim expellendum fore à Religione, etiamsi professionem emisisset; cum Religio illum expellere vellet, & aliqui dubitarent an licite fieri posset: ego de hoc casu interrogatus tale consultum dedi. 34

Resolutio.

Censeo fratrem Conuersum Congregationis PP. nostrorum Carmelitarum Discalceatorum 35 qui est illegitimus, & ante professionem illi protestatum est, quod si istum vel alium similem vel similes defectus pateretur, statim eiiciendum esse, etiamsi professionem emisisset, posse eiici à Religione. Ita enim habet Sanchez *lib.7. de matrim.* 36 *disp.37.n.32.* Zacharias Giraldus *in cons. pro hac re apud Peyrinum tom.1.de subd.q.1.cap.25.§.4.per tot.* ipse Peyrinis *ibid.* Nauarrus *lib. 3.cons.tit. de Regular. in 1. edit. cons.5.num.12.& cons. 25.n. 2. & vlt.in 2.cons.26.numer.12. & cons.48.numero 2. & fin.* quem Sanchez & Peyrinis ad hunc finem referunt, Rodriguez *tom. 3. qq. regul. quæst.* 11. 37 *arrticulo 2.* Miranda *tom. 1. Man.quæstione 52. articulo 2. conclus. 5.* quos sequor *supra numero 23. & capite 24. numero 26.* ac colligi potest ex his quæ dico *tom. 4. verb. Professio regularis numero 23.* Refert etiam hanc sententiam, nec illam reiicit Barbosa *in Collect. Doct. in Concil. Tridentinum sess. 25. de Regular. numero 6.§. Vtrum autem* eamque sequitur Pellizarius *in Manual. Regular. tractatu 2.capite 3. quæstione 15. §. 28. & 29.* Colligitur primo ex clarissimis verbis statutorum huius Congregationis, quæ approbata sunt ab Vrbano VIII. pro die 22. Martij anno 1631.& quæ ipse Pontifex præcipit inuiolabiliter obseruari, *non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus, Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.* Etenim *p.2.* horum *statut. capite 5.§.2.* 38

sic

sic in eis habetur: *Prohibemus insuper habitu nostro indui, vel profiteri in nostra Congregatione quemcũque qui aliquando hæreticus, schismaticus, Iudæus, seu infidelis fuerit, & ab illis vsque ad tertium gradum inclusiue descendentem, hæresis, schismatis, aut cuiusuis infidelitatis suspicione laborantem, illegitimum, irregularitate in qua difficilè dispensatur irretitum, alterius Religionis professum, coniugatum, aliqua infirmitate incurabili, & habituali laborantem, criminosum, vel de aliquo delicto inquisitum, seu suspectum, rationibus reddendis obnoxium, æreque alieno cui soluendo non sit, grauatum.* Additur autem §. seq. *Sed si quis aliquem defectum ex proximè enumeratis in §.2. celauerit, statim ac scietur, expellatur*, etiamsi professionem emiserit: *Congregationis quippè animus est eos qui prædictos defectus patiuntur & celant ad professionem non recipere.*

39 Colligitur secundo ex ratione assignata in ipso statuto illis verbis: *Congregationis quippe animus est eos qui prædictos defectus patiuntur, & ce-
40 lant ad professionem non recipere.* Cum ergo de facto repertus fuerit talem defectum habuisse, corruit omnino consensus Religionis, qui est de ipsius substantia, *l. in omnibus ff. de act. & oblig. l. sicut, C eod.* Eo etiam quod solum fuit conditionatus, scilicet supposito quod non haberet talem defectum. Cap. *Pro te de rescript. in 6.* Cap. *Præterea il. 2. de appel. l. Iubemus & ibi:* Doctores *C. ad Velleian.* Paris. *consil. 19. num. 49. lib. 3.* Ber-
41 nald. *decis. 215. num. 5. p. 1.* & Rota *decis. 603. n. 5. p. 1. recent.* Professio igitur nulla fuit & irrita. Quod etiam roboratur ex eo quod professio est quidam contractus onerosus vltro citroque obligatorius; ac proinde requirit vtriusque partis consensum, iuxta *L. in omnibus* relatam: deficiente ergo consensu Religionis ad professionem, professio nullo modo subsistit, sicut nec subsisteret si defuisset consensus ex parte profitentis.
42 Vechius *In prax. Nouit. disp. 13. dub. 15. n. 4. & seq.* post Gersonem, Cordubam, Lessium, Politium, Suarez, & alios ex iam relatis.

43 Censeo secundò, Religionem, quando illi certo constitit de defectu natalium talis Conuersi eum expellere potuisse, nulla alia discussione præmissa. Ita colligitur ex Nauarro, Rodriguez, Miranda, Giraldo, Peyrinis, & Pellizario relatis, non recusante Barbosa etiam relato. Fundamentum sumitur ex illis verbis Constitutionum *sta-
44 tim ac scietur expellatur.* Cum enim loquantur cum ipsa Religione, & sint approbatæ à Sede Apostolica ex vi huius authoritatis & approbationis sine vllo alio requisito poterit Religio illum expellere. Fauet secundo priuilegium Leonis X. quod præfati Authores referunt, per quod conceditur Regularibus facultas eiiciendi similes fraudulentos, & dolosos receptos ad Religionem. Fauent tertio generalia iura, quale est illud, quod actus à principio nullus nullum producit effectum *l. 4 §. Condemnatum ff. de re iud. Cap. præsentiam de appel.* & communis Doctorum doctrina. Cum enim istius professio omnino nulla fue-
45 rit non potest ex ipsa oriri obligatio illum retinendi in Religione, præsertim cum nullum esse, & esse sine effectu paria sint. Surdus *decis. 51. num. 21. & 22. & cons. 3. à num. 8. & consil. 157. à num. 13. & consil. 179. à num. 49. & cons. 381. à
46 num. 13.* Quartò, quia istum nulliter professum posse eiici à Prælato saltem occulte etiam post quinquennium transactum tenet Sanctarellus *in resol. var. quæst. 48. num. 21.* quem refert & non reiicit Barbosa *loco relato ex Collect. in Concil. numer. 15.* Eo quod cum illi constet Religionem non habere ius in illum, nullam ipsi facit iniu- 47
riam. Quæ ratio etiam videtur procedere in ex-
pulsione publica, saltem cessante scandalo. Quin- 48
tò, quia receptissima sententia est, istum inualidè professum potuisse exire à Religione propria authoritate. Prout tenet Emanuel Sà *in Sum. verb. Religio num. 71.* cum ait: *Apostata non est à Religione qui merito credens se non esse professum exit à Religione; hic enim potest etiam dimisso habitu fugere, neque huic obstat Concilium Tridentinum.* Sanchez *d. disp. 37. num. 9. & 11.* referens etiam Nauarrum, & Enriquez, Sanctarellus *sup. nu. 18.* Illuminatus Moron *resp. 82. num. 116.* Multo ergo magis Religio poterit illum expellere authoritate sibi concessa in Constitutionibus à Sede Apostolica approbatis. Præsertim sexto ex quo omninò cessat dubium quod in hac parte esse poterat. Nam si oppositum dici deberet, ma-
ximè propter decretum Concilij Trident. *sess. 25.* 49
de Regular. cap. 19. vbi dicitur: *Quicunque Regularis prætendat se per vim & metum ingressum esse Religionem, aut etiam dicat ante ætatem debitam professum fuisse, aut quid simile, velitque habitum dimittere quacunque de causa, aut etiam cum habitu discedere sine licentia Superiorum non audiatur, nisi intra quinquennium tantum à die professionis, & tunc non aliter, nisi causas quas prætenderit deduxerit coram Superiore suo & Ordinario:* atqui
hoc decretum non procedere in hoc casu mani- 50
festum est. Primo quia solum loquitur, vt ex verbis relatis patet, quando ipsi professi reclamant contra suam professionem. Quartum ergo extendi debet ad casum in quo non est talis reclamatio, sed Religio comperta certò nullitate eius professionis ipsum vult dimittere? Secundò, quia verissima sententia est, Concilium non loqui de professis inhabilibus ad profitendum pro-
pter impedimentum perpetuum, prout expressè 51
Sanchez *suprà num. 32.* Pereynis *loco relato*, Bonacina *de Clausur. quæst. 2. punct. 10. diffic. 4.* Moronus *supra num. 115.* Hoc autem impedimentum illegitimitatis est perpetuum. Non loqui autem Concilium de habentibus impedimenta per-
petua rectè probant relati Authores post Sanch. 52
Quia euidens absurdum sequeretur ex opposito, nimirum mulierem in virorum Monasterio professam sexu mentito non posse post quinquennium eiici. Et quia oppositum cederet in graue Religionis detrimentum; cogeretur enim effectos inhabiles per sua statuta à Pontifice confirmata retinere; eo quod quinquennium transactum sit à professione irrita, doloque facta: atque ita decretum fauore Religionis editum in ipsius detrimentum redundaret, contra *l. Quod fauore 6. C. de legib. & reg. Quod in gratiam de reg. Iur. in 6.* Et inhabilis ille ex suo delicto commodum reportaret, contra *Cap. sua de Cler. non resid.* cum multis similibus quæ affert Tiraquellus *de retract. Lignag. §. 1. gloss. 9. num. 68.* Addit tertio Pellizarius in Superioribus relatus, referens Nauarrum, Rodiguez, Mirandum, Sanchez, & Giraldum, decretum Concilij solum esse pro casu in quo professio sit irrita, non quidem ex statutis Religionis à Papa confirmatis (vt in præsenti accidit) sed ex causis irritantibus professionem de iure (intellige communi) sicut colligitur ex exemplis, quæ ibi afferuntur, vt quod profes-

ſio fiat ante debitam ætatem, vel metu graui aut dolo.

53 Nec obſtat clauſula illa *ex quacumque cauſa*, quam ponit Concilium. Ea enim reſtringenda eſt ad perſonas habiles, *l. vt gradatim* 11. *verſ. Et ſi leg. ff. de muner. & honor.* Ad quod comprobandum multa congerit Iaſon. *l.* 2. §. *Prætor num.* 3. *ff. qui ſatiſdare*, & *num.* 4. Reddit rationem, nec iuris correctio inducatur, vel abſonus intellectus. Sic ferme Sanchez, Bonacina, & alij.

Nota tamen, mi Lector, quod quamuis hæc ſcripſerim in terminis opinionis valdè probabilis, quam Authores ſuperius relati verbis conceptis tradiderunt; nihilominus poſt ea ſcripta accepi ab Illuſtriſſimo, & Reuerendiſſimo D. Franciſco Pauluccio S. Congregationis Concilij digniſſimo Secretario, eandem S. Congregationem iam olim oppoſitum declaraſſe; quinimo in cauſa, & caſu præſenti idem decidiſſe; idcirco colla ſubmittenda, & obediendum Sacro Senatui purpuratorum Patrum, ac dicendum eam ſententiam à prædictis Authoribus, & à me propugnatam in praxi non ſequendam, ſed iuxta mentem Congregationis cenſendum & ſcribendum.

Decreta porrò eiuſdem S. Congregationis per eundem Illuſtriſſimum D. ad me tranſmiſſa ſunt ſequentia: *In Neapolitana die* 16. *Decembris* 1617. *Eminentiſſimi Patres S. Concilij Tridentini Interpretes ex communi omnium ſententia cenſuerunt, decretum eiuſdem S. Concilij capit.* 19. *ſeſſion.* 25. *de Regularibus vindicare ſibi locum non modo cum profeſſus nullitatem ſuæ profeſſionis allegat cauſaſque deducit, verum etiam cum Superiores ipſi ex ſe illum eiecere tanquam inualidum profeſſum. Referendum tamen S. D. N. qui die* 28. *eiuſdem in Conſiſtorio approbauit ſententiam S. Congregationis.*

Petrus Aloyſius Carafa Cardinalis Præfectus.

Franciſcus Paulucius S. C. C. Secretarius.

Die 15. *Nouembris* 1653. *S. Congregatio Eminentiſſimorum Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum, audito Procuratore Religionis Carmelitarum Diſcalceatorum S. Thereſiæ, ore & ſcriptis, nec non Conſtitutionibus dictæ Religionis, ac aliis deductis mature perpenſis, cenſuit, dimiſſiones, & eiectiones profeſſorum à Religione, quæ ab eadem Religione fiunt ex capite illegitimitatis, vel ex alio defectu fieri debere coniunctim coram Ordinario, & Superiore regulari loci ad præſcriptum S. Concilij capite* 19. *ſeſſione* 25. *de Regularib. ideoque ſententiam cum proceſſu ſuper dimiſſione, & eiectione fratris Caroli Mariæ à Ieſu ab ipſis Regularibus latam minimè ſuſtineri.*

54 SECVNDVM DVBIVM.

An qui poſt expletum Nouitiatum modo Choriſtarum in habitu & tonſura Clericali quam etiam geſtabat in ipſomet actu quo profeſſionem emiſit ſi Prælatus poſt emiſſam profeſſionem ei dicat admiſſum fuiſſe non vt Clericum, ſed vt Laicum, cenſeri debeat inter Clericos an verò inter conuerſos.

RESOLVTIO.

Dicendum videtur ſic profeſſum numerari debere inter Clericos non inter Conuerſos. Ratio eſt primo, quia nouitiatus & profeſſio ſe habent correlatiuè, itavt nouitiatus ſit propter profeſſionem emittendam, & profeſſio ſit propter Nouitiatum. Qualis ergo fuit nouitiatus talis cenſenda profeſſio. Regula enim correlatiuorum eſt regula parium, *leg. Iulia* §. *ſi procurator ff. de actionibus empti*, Bertazolus *in repet. leg. ſi quis maior*, *numero* 801. Et à correlatiuis validum eſt argumentum, *leg.* 1. *Cod. ne liceat potent. lege fin. Codic. de indicta ordin. tollen.* Baldus *conſil.* 14. *numero* 2. *lib.* 4. Euerardus *in Topic. legal. loc.* 76. Cum ergo Nouitiatus iſtius fuerit more Clericorum, ita etiam de profeſſione cenſendum. 55 56 57

Secundò, quia iſte acceptus eſt ad Religionem pro Clerico, & talis fuit ipſius vocatio. Talis ergo cenſenda profeſſio. Actus enim præſumitur factus in executionem præcedentis tractatus, *leg.* 3. §. *Verum ff. de manumiſſ. leg. qui in aliena* §. *ſi is qui præſtabat ff. de acquirend. hæred. leg. pignor.* §. *fin. ff. de vſucap.* Alciatus *de præſumpt. reg.* 2. *præſumpt.* 24. Alexand. *conſil.* 25. *numero* 9. *lib.* 2. Et actus ſecundus recipit declarationem à primo. Stephanus Gratianus *diſcept. forenſ. capit.* 58. *numero* 25. Barboſa *axiom.* 12. *numero* 3. Eo etiam quod variatio in Nouitiatu eſt odioſa, ac per conſequens non præſumitur, iuxta generalem Regulam *Odia ſunt reſtringenda*, de regul. Iur. in 6. & *leg. Cum quidam ff. de liber & poſthum.* Vnde in decretis Clementis VIII. pro reformatione Regularium ſic habetur: *Qui ad Conuerſorum habitum recepti fuerint, ad Clericorum ſtatum tranſire etiam durante tempore probationis non poſſint.* 58 59 60

Tertiò, quia etiam ſine dubio iſte admiſſus eſt ad profeſſionem cum conſenſu Capituli Conuentus. Quicquid enim ſit, an talis conſenſus de iure communi requiratur, certum eſt in Religione Minorum de Obſeruantia de qua eſt caſus, id obſeruari, vt habet nouiſſimè poſt alios Sanctorus de Melfi *in Comment. moral. in ſtatut. & Conſtit. Minor. capite* 2. *ſtatut.* 18. §. *Sed quicquid*, vbi inquit: *Statutum enim totam receptionem ad profeſſionem remittit ſcrutinio ſecreto, & votis Capituli Conuentualis, cuius maiori, vel minori ſuffragio Nouitiorum profeſſio vel eiectio committitur.* Cum ergo Conuentus ſemper iſtum habuerit pro nouitio Clerico in choro, Refectorio, & aliis actibus communitatis, vtique conſenſu in profeſſionem ipſius Clericorum more, & talis cenſenda ipſius profeſſio. 61

Ex quo quarto firmatur intentum contra Guardianum. Si enim ipſe fatetur ſe admiſiſſe hunc fratrem ad profeſſionem, neceſſario dicere debet ad profeſſionem Clerici illum admiſiſſe. Etenim ad profeſſionem laici nullatenus illum admittere poterat. Eo quod conſenſus Conuentus non erat pro profeſſione laicali, ſed pro Clericali. Profeſſio autem ſine conſenſu maioris partis Conuentus eſt nulla. *Cap. cum conſuetudinis de conſuet. Cap.* 1. *Cap. Cum nos, Cap. Nouit de his quæ fiunt*

à

à Prælat. Imò licèt solum requireretur consilium, adhuc irrita esset, vt colligitur ex iuribus citatis, vbi gesta sine requisito consilio nunciantur irrita. Cuius ratio est, quia Conuentus vel Capitulum cuius consilium est requirendum dicitur potius collega in officio, quam merus subditus, seu priuatus consiliarius, consilium autem Collegæ non solum petendum est, sed etiam sequendum
64 docent Bartolus *in leg.* 1 §. *si plures ff. de exerc. act. numero* 7. Innoc. *in Cap. Venerabili de offic. Deleg.* Franch. *in Cap. vnic.* §. *vbi verò ne Sede vac. numero* 5. Bordonus *resolut.* 57. *numero* 17. post illos, & plures alios dicentes id requisitum esse ex iure communi; sed saltem ex iure particulari huius Religionis id requiri, iam dixi.

65 Et sane quintò, cum actus omnis iustificetur propter scientiam & patientiam Superiorum, *l. quis sit fugitiuus* §. *Ego puto*, *l. Quod si nolit* 31. *Qui assiduè ff. de ædil. edic. cap. Nisi essent de præbend.*
66 Gonzal. *ad reg* 8. *Cancel gloss.* 9. §. 2. *num.* 88. Cum iste religiosus professionem emiserit cum tonsura Clericali quæ est veluti tessera & signum manifestum Clericatus in Religionibus, idque permiserit Guardianus professionem admittens, proculdubio censeri debet illum velle admittere ad professionem Clerici: nam actum frustratorium nemo præ-
67 sumitur facere *l.* 1. *in fin. ff. ad municip. l. vnic. C. de thesaur. lib.* 10. Surd. *cons.* 307. Quoniam actus frustratorios lex abhorret. *l. hæc stipulatio ff. vt legator. seu fideicom. nom. caus.* Surd. *decis.* 260. *num.* 5. *cum seqq. & cons.* 345. *n.* 18. Et actum celebrare, & ei consentire paria sunt, *l. vtrum & l. seq. ff. ad leg. Pomp. de Parricid.* Tiraquell. *de retract. lignag.* §. 1. *gloss.* 9. *vers. præterea, & de iure primog. q.* 26. *vers. Tertiò limita,* Cardin. Mantic. *de tacit. & ambig. conuent. lib.* 4. *tit.* 2. *à num.* 12.

68 Ex quibus omnibus corruit authoritas Guardiani dicentis se non admisisse d. Religiosum ad professionem Clericalem, sed solum laicalem, præsumitur enim ex dictis contrarium, & euincitur ipsi non esse credendum. Ad quod accedit primò, quia præsumitur quis illud facere quod consuetum est fieri, Bald. *in rubr.* (*de fideic. Instrum.* & alij apud Mascard. *de probat. concl.* 732. *n.* 5. consuetum autem est fieri, vt qui nouitiatum pro Clericis egerunt, & tonsuram Clericalem gestarunt, quod pro Clericis admit-
69 tantur ad professionem. Secundò quia præsumptio, illa capienda est quæ sit exclusiua delicti, vt inquiunt Iuristæ. Delictum autem commisisset Guardianus si nouitium qui per totum annum nouitiatum gessit, vt Clericus, & vt talis voluit profiteri ipsum solum vt laicum ad professionem admitteret.

70 Cum autem præsumptiones istæ Iuris præsumptiones videantur, erunt liquidissima probatio & aperta veritas *l. licèt Imper. & ibi* Alex. & Ias. *ff. de legib.* & plures apud Mascard. *de probat. vol.* 3. *concl.* 1221. *n.* 11. & facient plenam & indubitatam probationem, *l. antiq. C. ad Vellei. & l. à D. Pio* §. *si pignora, ff. de re iudic.* & ibi Doctor. Et onus probandi transferent in aduersarium, vt respondit Dec. *cons.* 32. *col penult. in fin.* Ruin. *cons.* 45. *col. vlt.* Paris. *cons.* 20. *in princ.* & innumeri alij.

71 Casu autem quo nimis liberaliter & spontaneè credatur Guardiano dicenti se solum admisisse illum ad professionem laici adhuc sustineri deberet professio ipsius, vt Clerici. Cum Religio cuius vices gerit ille qui professionem admittit censeatur consentire in professionem ipsius vt Clerici, provt probant adducta, ac maximè consensus Conuentus, qui

vt Pasqual. *in decis. moral decis.* 416. *n.* 4. dixit *est quædam inchoatio acceptationis*: ac etiam quod procura- 72
tor excedens mandatum non obligat dominum. 73
Mascard. *sup. vol.* 3. *concl.* 1160. *n.* 14. ex aliis.

Omitto plura quæ dici possent de professione 74
tacita propter delationem habitus per annum integrum iuxta Clem. *Eos de regul.* Præsertim cum professio tacita his temporibus sublata non sit, sed potius modificata, aut limitata ad illas cōditiones; scilicet quod fiat post vnum annum probationis, & post decimum sextum annum ætatis. Hæc, inquam, omitto, quia etiam pro professione expressa censeri potest ista professio cum fuerit verbis, vel scripto facta in manu Prælati.

Addendum tamen non suffragari posse prædicto 75
Guardiano si dicat eum non habuisse intentionem admittendi sic professum vt Clericum, sed solum vt laicum, eo quod tempore Nouitiatus non fuerit exercitatus in operibus Clericalibus sed laicalibus.
Contra hæc enim obstant quæ dicam *tom.* 4. *verb.* 76
Profess. Regul. n. 10. in impressione Veneta anni 1646. videlicet: Pro casu tamen qui sæpius inter Regulares contingere solet, scilicet quod cum aliquis Nouitius nouitiatum in totum vel in partem iuxta morem Conuersorum peregerit, posteà verò in professione ad Clericatum admittatur, vel aliquando etiam è contra, notandum est valdè probabile esse talem professionem esse validam, & illum nouitiatum sufficientem fuisse pro tali professione facienda. Quia ad probationis annum legitimè implendum satis est quod Nouitius vno integro anno sub obedientia Prælati existat. Ita Tamburin de *Iur. Abbat. tom.* 3. *disp.* 6. *q.* 17. *n.* 8. Cui fauent plures Authores asserentes non teneri nouitium omnes asperitates Regulæ experiri in specie, sed satis est si probet in genere perseuerando sub dicta obedientia Prælati per annum. Ita Suar. *to.* 3. *de relig. lib.* 5. *c.* 14. *n.* 5. Rodrig. *tom.* 2. *qq. regul. q.* 5. *art.* 10. Sanch. *in præcept. Decal. c.* 4. *lib.* 51. *n.* 52. & Barthol. à S. Faust. *in Thesaur. Relig. lib.* 5. *quæst.* 249. *num.* 3. Laurentius de Peyrinis *tom.* 2. *de Prælat. q.* 3. *c.* 1. *n.* 66.

Tertium Dubium.

An qui habuit Nouitiatum in diuersis Con- 77
uentibus, per nouem menses in vno & per tres in alio, necesse sit ad validitatem ipsius professionis, vt acceptetur ab vtroque Conuentu, vel sufficiat acceptari ab illo posteriori in quo per tres menses stetit, & vbi suum Nouitiatum perfecit, & professionem emisit.

Responsio.

Respondeo quod P. Franciscus Bordon. *in tract.* 78
de Profes. regul. c. 3. *q.* 55. quærens: *An Nouitius qui ex legitima causa diuisit de consensu superiorū locum Nouitiatus egeat ad profitendum vtriusque loci Patrum consensu, an sufficiat assensus posterioris?* Respondet. *Puto consensum à secundò tantum Conuentu præstitum sufficere ad validè profitendum, quia is sufficienter expertus est mores Nouitÿ.* Addit tamen: *Intellige prædicta si saltem æqualiter diuisit; nam si in posteriori mansit solum per tres aut quatuor menses, meo iudicio exigitur prioris Conuentus assensus, cum in secundo non videatur sufficienter probatus.* Idem sequitur *resol.* 54. *n.* 8. *& n.* 236. Cui adhæret Pelizarius *in Manual.*

Manual.Regul.tom.1.tract.3.cap.3.n.22. Cæterum Pasqualigus *in moral.decis.* 416. quærens: *A quonam Capitulo, seu Prælato debeat Nouitius admitti quando mittitur de vno in alium Conuentum propè finem anni probationis*, respondet: *Id pertinere ad Capitulum seu Prælatum domus in qua de præsenti degit.* Refert pro hac sententia Rodriguez & Bejam in quibus nihil de hoc reperio. Addit tamen requiri ante professionem informationem Prælati, aut Capituli prioris Nouitiatus, & hanc informationem debere sequi Prælatum, & Vocales posterioris Conuentus, nisi obstet aliqua grauis causa, ac irritam futuram talem professionem, nisi talis informatio præcedat.

Ego tamen existimo, professionem de qua in præsenti casu validam fuisse in Iuris communis terminis stando, nisi statuta huius Religionis oppositum præcipiant pro forma professionis emittendæ.
80 Ad id moueor primo ex eo quod professio est veluti quoddam matrimonium spirituale de sua natura indissolubile sicut & carnale, itaut semper pro eius valore iudicandum sit, nisi expresse irritetur in iure Canonico, vel in Constitutionibus Religionis à Sede Apostolica approbatis. Glossa *in Cap. sicut tenor verb. extra mortem de Regul. & in c. sicut nobis*, ibi Butrius & Abbas *eod.tit.* Abbas *in cap. ex transmissa n.2.* Card. *ibi* & Imola *n.3. de renunc.* & communem testatur Rota *decis.346.n.2.in collect. Farinac. contract. & crimin.* Thesaurus *in prax. p.2.*
81 *verb. Professio c.3. n.1. in fin.* Secundò quia propter firmitatem professionis defendendam vera sententia Doctorum est quod quamuis Religionis Regula certam profitendi formam præscribat, nihilominùs professio valida erit quibuscunque aliis verbis facta, nisi casus esset quod Regula expresse declararet professionem aliter factam irritam, aut inualidam esse. Glossa *Cap. Porrectum verb. Professio de Regular.* & ibi Abbas *n.13.* Syluest. *verb. Relig.3.q.1. & 18. in fin.* Rosella *verb. Nouitius n.22.* & ibi Armilla *n.14.* Tabiena *q.11.n.12.* Angelus *verb Professio n.1.* Azor. *lib.12.Instit.moral.c.5.q.7.in fin.* Sanch. *lib.5.in Decalog.c.3.n.4.* Cum ergo, vt suppono, Regula huius Religionis non statuat pro forma necessaria professionis quod habeatur consensus omnium Conuentuum in quibus Nouitiatus fuit habitus, sufficiet consensus illius in quo professio est emissa.

82 Tertiò specialiter hoc esse dicendum, probatur ratione quam affert Pasqualigus, videlicet, quod cum iste Nouitius solum acceptatus fuerit ad professionem à Conuentu illo posteriori, in quo suum nouitiatum perfecit, vtique videtur dicendum solum ab ipso debuisse habere consensum acceptationis. Iste namque consensus est quadam inchoatio acceptationis, ac perinde solum ab illo dandus qui acceptat. Roboratur, quia in professione interuenit quidam contractus in quo profitens se tradit Religioni, & Religio illum acceptat. Contractus enim non est aliud, nisi mutua obligatio *l. labeo ff. de verb. signif. & l. sicut, C.de act. & oblig. & l. In omnibus ff. de act. & oblig.* vt docent Glossa *in Cap. Porrectum verb. non faciat de Regul.* vbi etiam Abbas *n.10.* Nauarrus *cons.26. de regular.n.1.* Rodrig. *tom.3. qq. regular.q.15. art.2.* Talis ergo debet esse acceptatio qualis fuerit traditio: atqui iste solum se tradidit immediatè, & proximè illi monasterio in quo professionem emisit, ab illo ergo solum debebat acceptari.

83 Nec ista eneruantur ex eo quod vt dicitur, Prælatus Monasterii in quo iste professionem emisit petiuit consilium ab alio Monasterio, in quo priorem partem Nouitiatus peregerat pro illo admittendo ad professionem, quem tamen consensum non præbuit, sed dissensum potius. Quod enim consilium petierit prudenter gessit, quia illud est perfectum & integrum iudicium quod plurium sententiis confirmatur. *cap.extra dist.64. Clem.1. de sentent.excomm.§.Quod etiam.* Et quia per plures homines perfecta veritas reuelatur. *l.fin.C.de fidei c.* ac maximè quia consilia multorum sunt tutiora. *Cap. Prudentiam de offic. deleg.* Anchar. *cons.157. num.3.* Tuschus *pract.concl.tom.2.litt.C.concl.764.* Sed non propterea tenebatur consilium sequi. Consilij enim natura hæc est vt quamuis excitet ad deliberandum, non tamen obligat ad sequendum, *l.cum pater 77. §. Mando*, & ibi Bartol. *ff. de legat.2. l.1. §. Idem Pomponius*, vbi Glossa *verb. quia rem ff. depositi, l.1. §. si verò suaseris ff. de pœnis l. si ei, ff. mandati, Cap. Cum olim de arbitr.* Gonzal. *ad reg.8. Cancell. gloss.46.n.36. cum seq.* Sanchez *de matr. lib.1. disput.34.n.24.& lib.5.in Decal.cap.4.num.64.* ex multis aliis. 84

Quod autem Prælatus posterioris Conuentus qui Nouitium hunc ad professionem admisit non esset obligatus petere consensum alterius Monasterij ad dandum ipsi professionem conuincitur, primo quia communis Doctorum sententia supponit ad acceptandum aliquem ad professionem solum requiri consensum Capituli vbi Nouitius nouitiatum perficit, & professionem est emissurus, prout specialiter Rodrig. *tom.3.q.17.art.7.* & Miranda *in Man.p.1.q.15.art.2.* afferens rationem assignatam de mutua obligatione inter Nouitium profitentem, & Conuentum ipsum admittentem. Quia tamen dici potest, hos & alios Doctores loqui extra casum nostrum, quando scilicet Nouitius in vno solo Monasterio educatur, ideò strictius probatur non fuisse requisitum consensum prioris monasterij, ac perinde quod non obstante eius dissensu ritè, & legitimè potuerit ad professionem admitti. Ex eo inquam quod acceptare seu admittere ad professionem est actus iurisdictionis acceptantis respectu acceptati: sed prior ille Conuentus in quo Nouitius iste partem Nouitiatus peregit post translationem ab ipso ad alium nullam habebat iurisdictionem in ipsum nec ipse subditus illi erat: non ergo requirebatur illius consensus vt ad professionem admitteretur, & è contra cum solum sub iurisdictione istius posterioris Conuentus esset, solum ab isto acceptari postulabat. Notet autem lector quod huic vnicæ 85 rationi subnixus P. Bordonus à me consultus respondit, non obstantibus iis, quæ vt supra retuli, dixerat: *Consensus prioris Conuentus non est necessarius ad validè profitendum, sed tantum posterioris: neque enim prior Conuentus habet amplius ius super nouitium à se licentiatum, cum sit modo sub disciplina secundi Conuentus, ad quem spectat iudicium de idoneitate, & consensum præstare.* Ita ille. Quæ etiam roborantur, quia quemadmodum per translationem alicuius religiosi ex vna Religione ad aliam deperditur omne ius quod prior Religio in ipsum habebat, & est omninò subditus effectus respectu posterioris, ita etiam per translationem ex vno Nouitiatu ad alium deperditur omne ius omnisque potestas in personam Nouitij translati. Ad quid ergo necessarius erat consensus prioris Conuentus pro nouitio admittendo ad professionem?

Accedit etiam quod cum per experientiam trium mensium Prælato posterioris Monasterij & Capitulo eiusdem constiterit de idoneitate Nouitij ad professionem 86

professionem admittendam, proculdubio necessarium non fuit requirere consensum alterius Monasterij. Ex regula enim illa iuris quæ inter illas est 31. habetur eum qui certus est, certiorari vlterius non oportet, quæ etiam desumitur ex *l.* 1. *ff. de act. empt.* & tradunt Gloss. *verb. cognouerunt in princ. in cap. Cum inter* 18. *de elect.* Tiraquellus *de retract. lign. gloss.* 2. §. 36. *n.* 24. Geminian. *cons.* 33. *n.* 5. Præsertim quoque, quia vt notat Bordonus relatus, & ex ipso Pelizarius, eo ipso quod ille Prior Conuentus non expulit nouitium istum à Religione per nouem menses, quibus eius mores expertus est, præsumitur illum iudicasse pro idoneo ad profitendum, ac proinde etsi ad melius esse posterior Conuentus de nouo ipsius consensum requisiuerit, non tamen de necessitate.

87 Porrò sufficiens fuisse spatium trium mensium ad experiendum mores nouitij in posteriori Conuentu suadetur exemplo quod affert Bordonus *relatus resol.* 57. *n.* 27. Dicit enim quod si Nouitius aliquis reiectus fuisset ab aliquo Nouitiatu potest in aliquo recipi ad Religionem, si per spatium duorum aut trium mensium eius mores experiantur: *Hoc enim temporis spatio* (inquit) *sufficienter cognosci possunt vita & mores Nouitij an sit effectus melior.* Quæ doctrina aptissimè congruit casui nostro. Si enim duorum aut trium mensium spatium sufficiens est ad cognoscendum mores Nouitij si melior est effectus: ergo casu dato quod Nouitius de quo in præsenti tempore quo fuit in priori nouitiatu male se gesserit, si tamen per tres istos posteriores menses bonos mores, & indolem demonstrauit potuerunt Patres ex ista notitia ad professionem admittere.
88 Eo etiam quod intermissione temporis diuersificantur mores & opera hominum, *l. si non sortem §. libertus ff. de cond. indeb.* propter mobilitatem ingenij humani, *l. si hominem ff. mandat.* Et aliquando etiam in paruo tempore magna fieri potest rerum mutatio vt in simili casu de anno probationis ait Bartholomæus de *Vecchis in Prax. nouit. disput.* 11. *dub.* 3. *n.* 4. Ad quod veluti pro coronide accedit testimonium illud Christi ore prolatum, prout ex traditione habetur: *Talem te indico qualem te inuenio.*

Dubium quartum.

89 *N. Sumpsit habitum & fecit professionem in quodam Conuentu Insulæ, & Regni Sardiniæ Ordinis Sanctissimæ Trinitatis de anno* 1632. *Cum autem cognouisset posteà Clementem VIII. irritasse professiones factas à Religiosis in Italia & Insulis adiacentibus, nisi facta fuissent in Conuentibus à Sede Apostolica pro Nouitiatu habendo designatis, ipsique constaret prædictum Conuentum pro nouitiatu designatum non fuisse, idcirco de anno* 1634. *postulauit ab Illustrissimo D. Archiepiscopo Turritano, in cuius diæcesibus erat talis Conuentus, & à Prælato ipsius, vt eum emitterent, & ad seculum redire permitterent. Quia ergo Prælatus illius Conuentus ipsius petitioni consensit, & prædictus Illustrissimus ipsi respondit se super hoc negotio consultasse Sedem Apostolicam, ac proptereà illum moneret vt paulisper expectaret, subiungens nihilominus quod faceret quod ipsi placuisset, ipse idcirco habitum dimisit, & ad seculum rediit. Quæritur ergo an tuta conscientia in seculo habitu expoliatus viuat, & an possit cogi à prædicto Illustrissimo vt ad Religionem & habitum redeat.*

Ad quod dicendum primo, quod si vera est sententia quorundam asserentium per Insulas Italiæ adiacentes non intelligi Siciliam, neque Sardiniam, vt habet Horatius Gambarupta *de casu reser. cap.* 3. *num.* 8. & fauet Diana *p.* 2. *tract.* 17. *resol.* 30. cum decretum illud Clementis VIII. solum sit pro Italia & Insulis adiacentibus, vt patet ex verbis ipsius, quæ refero *infra cap.* 24. *num.* 23. proculdubio non potuit prædictus N. habitum dimittere, aut ad seculum redire ob defectum nouitiatus habiti in Conuentu per Sedem Apostolicam non designato; stando tamen in opposita sententia quam tenet Megala *in* 1. *part. lib.* 1. *cap.* 13. *numer.* 20. & colligitur ex aliis Authoribus, quos refert Diana ibidem, quæ etiam vt credo apud plures practicatur in Sardinia. 90

Dicendum secundo talem N. in foro conscientiæ non obligari ad manendum in Religione, sed posse cessante scandalo in seculo manere. Ratio est, quia quoties professio inualida est, licet sic professo in foro conscientiæ, & scandalo cessante fugam arripere & in seculo manere; cum nullo vinculo astrictus sit Religioni (Nauarrus *Comment.* 4. *de Regul. num penul. & lib.* 3. *cons. tit. de Regul. in* 2. *edit. cons.* 89. *n.* 6. *&* 7. Sà *in Summ. verb. Religio num.* 71. Sanchez *lib.* 2. *de matr. disp.* 39. *n.* 11. *& lib.* 4. *disp.* 15. *n.* 5. *& lib* 7. *disp.* 37. *n.* 11.) Sed Summus Pontifex Clemens VIII. decreto edito anno 1596. & alio etiam decreto edito anno 1599. quæ retuli dicto loco, declarat receptiones & professiones factas in Conuentibus à Sede Apostolica non designatis, irritas & nullas esse, quod etiam supponit Vrbanus VIII. litteris in forma Breuis datis anno 1631. quæ habetur in append. Bullar. n. 5. vbi in proœm. professionem in Conuentibus non approbatis factam inualidam vocat, & propterea professionem denuo facere illis qui eam emiserunt, concedit: Ergo talis N. licitè potest in foro conscientiæ extra Religionem manere. Confirmatur, quia ad hoc vt professio alicuius sit valida requiritur quod sit approbata ab Ecclesia: ipsa enim est quæ recipit & approbat professionem voti solemnis, vt docent communiter Doctores. Sed professio talis N. non fuit approbata ab Ecclesia, sed potius reprobata, & pro nulla declarata, vt constat ex Clemente & Vrbano adductis. Ergo nullo modo fuit valida, ac per consequens nec obligationem in foro conscientiæ inducens. Ita in terminis huius casus habet Remig. Scroff. *in solut. q. moral. q.* 8. Dicendum etiam tertio, non debere neque in rigore posse prædictum Illustrissimum cogere talem N. ad resumendum habitum Religionis. Ratio est, quia vt dixi ipsius professio fuit nulla, nullamque induxit obligationem in foro conscientiæ, & talis N. habitum dimisit cum beneplacito non solum Religionis, sed etiam ipsius Illustrissimi: non ergo iterum potest cogi inuitus ad Religionem. 91

Nec obstant litteræ à S. Congregatione missæ ad eundem Illustrissimum quas refero *dict. cap.* 24. *numero* 24. in quibus illi scribitur quod eos quibus licentiam concessisset exeundi à Religione, ad eam reuocare 92

reuocare quamprimum curaret. Hoc enim videtur intelligendum de illis qui contra dispositionem Sacrorum Canonum, Concilij Tridentini, & aliorum decretorum Sedis Apostolicæ habitum dimiserunt, prædictus autem N. non dimisit habitum, nisi iuxta dispositionem Concil. Trid. siquidem eius reclamatio facta est intra quinquennium, non dimisso habitu, & coram Superiore suo & Ordinario iuxta normam eiusdem Concilij *sess.25. de Regularibus cap.19.*

94 Nec etiam obstat decretum illud S. Congregationis Concilij approbatum ab Vrbano VIII. quod refero *tom.2. c.8. n.25.* vbi statuitur eos qui infra quinquennium à Religione exire voluerint propter defectum nouitiatus habiti in Conuentibus à Sede Apostolica designatis solum audiri posse coram eadem S. Congregatione, & non coram aliis Prælatis sub variis pœnis tam ipsis, quam Prælatis assensum præbentibus infligendis. Hoc enim decretum quod de anno 1636. die 5. Ianuarij editum
95 fuit non potest derogare dimissioni habitus legitimæ factæ à præfato N. de anno 1634. non solùm quia lex vniuersaliter loquendo solum respicit futura non præterita, iuxta *l. leges & Constit. C. de legib.* Suarez *de legib.6. c.4. n.13.* Sed etiam quia in ipsomet decreto expressè denotatur sermonem esse de futuro illis verbis: *Quod si aliqui contra formam præfatorum decretorum recepti & professi è Religione infra quinquennium exire, vel Superiores extra eam respectiuè illos eiicere voluerint:* &c. Et infra: *Si verò iidem vt supra recepti & professi iuribus suis minimè deductis coram S. Congregatione Concilij & sine illius expressa licentia è Religione exire vel Superiores Religionis eos eiicere ausi fuerint*, &c. verba enim illa *eiicere voluerint*, & *eiicere ausi fuerint* solum sunt temporis futuri, non præteriti.

QVINTVM DVBIVM.

96 *De quodam Religioso nostri Ordinis professo in Conuentu non approbato à Sede Apostolicæ in Sicilia, qui tamen Sacros Ordines in Religione suscepit, de quo quæritur primò, an talis professio fuerit valida. Secundo an saltem propter Sacros Ordines susceptos, & exercitium actuum qui proprij sunt professorum sit censendus tacitè professus. Tertiò an* talium *Ordinum receptio fuerit legitima. Quartò, esto legitima non fuerit, quas pœnas incurrerit, & quis possit cum illo dispensare. Tandem quinto quomodo consulendum sit conscientiæ talis Religiosi.*

97 AD primum dico, certum esse talem professionem factam in Conuentu non designato à Sede Apostolica omninò inualidam esse. Ratio sumitur ex decreto Clementis VIII. dato Romæ die 12. Martij 1596. quod postea etiam confirmauit S. Congregatio Concilij in decreto de Regular. Apostatis & eiectis iussu Vrbani VIII. quod habetur 4. *tom. Bullar.* inter Constit. Vrbani n.26. quod referam *infr. c.24. n.23.* vbi receptionibus & professionibus in Conuentibus prædictis non designatis à Sede Apostolica dicitur: *Receptiones verò & professiones quaslibet eorum qui contra huiusmodi decretum nostrum admissi fuerint nullas & irritas esse ex nunc decernimus & declaramus, priuilegiis, statutis, & consuetudinibus quibuscumque in contrarium minimè obstantibus:* idque supponitur in aliis decretis eiusdem Vrbani VIII. & S. Congregationis, quæ refero eo loco *& n.24.* & etiam *tom.2. c.8. n.25.* ac *tom.4. verb. Nouitij & Nouitiæ Religionum n....*

Ad secundum dico, talem Religiosum nullatenus censendum esse tacitè professum, aut fecisse professionem tacitam. Ratio sumitur non solum ex verbis illis. *Professiones quaslibet*, &c. *nullas & irritas* &c. quæ cum sint vniuersalia comprehendunt etiam tam expressas quam tacitas professiones, sed etiam quia eadem & par ratio est taciti & expressi, nec tacitum plus operari potest quam expressum, vt tradunt omnes scribentes *l. Cum quid ff. si cert. pet.* Præsertim quia cum professio tacita eatenus vim habeat, quatenus inde vera professio præsumitur quoties ex aliquo defectu professio expressa quæ vera est nequit valere, à fortiori nec tacita quæ est præsumpta valere poterit. Sanchez *lib.5. in Decalog. c.3. n.14.* ex Nauarro, quos sequor *eod. 4. tom. verbo Professio Regularis n.7.* Ex quo fundamento colligitur quod iuxta dicenda eo loco neque per receptionem Ordinum, nec per quemcumque actum proprium professorum potest dici tacitè professus. 98

Ad tertium dico, quod etsi talis nulliter professus validè Ordines susceperit, quia validitas Ordinationis solũ pendet à validitate materię & formæ ac intentione ministri, illegitime tamen eos suscepit. Tum quia ordinatus ad titulum paupertatis professæ, quam tamen nunquam professus est. Tum quia ordinatus per dimissorias à Superiore qui illas concedere non potuit. Nam Prælatus regularis non potest illas concedere nisi verè professis. Esto autem illas concedere possit Nouitiis, ille tamen non est Nouitius, cum talis non habeatur à Religione, nec verè professus, vt supponitur, sed tantummodo falsus, intrusus, & supposititius professus. Bordonus *resol.8. n.32.* 99

Ad quartum dico, propter susceptionem dictam illegitimam Sacrorum Ordinum incurrisse ex Constitutione Pij II. suspensionem ab exequutione illorum, & celebrando cum dicta suspensione incurrisse irregularitatem, iuxta dicenda *cap.14.* Incurrit etiam suspensionem, & si celebrat cum ipsa, irregularitatem solum à Papa dispensabilem, quam statuit Pius V. in Bulla *Romanus Pontifex*, quæ habetur *in 2. tom.* Bullarij inter Constit. ipsius num.75. quam etiam refero *eo cap.14. num.20.* Ratio est, quia hæc Constitutio Pij V. non solum procedit contra illos qui nullo modo professionem emiserint, sed & contra illos etiam qui irritam aut inualidam. Ita enim habetur non solum ex declaratione S. Congregationis quam refert Garzia *de benefic. par.2. cap.5. num.11.* Sed etiam & maximè ex Rota in vna Vrgellensi Canonicatus 3. Martij 1595. coram Blanchetto, quam refert idem Garzia *ibid.* Et post ipsum Sanctarellus *var. resolut. quæst.49. numero 10.* Barbosa *de offic. & potest. Episcop. alleg.19. numero 5.* & Thesaurus *in prax. parte 2. verb. Ordo capite 11.* de quo dico *tomo 4. verbo Ordines Sacri*, vbi etiam cum Nauarro, Sanchez & aliis dico istam Constitutionem non procedere contra eum qui putabat bona fide suam professionem validam esse, aut sciens nullam esse propter istam causam Superioribus volentibus eum promoueri non est ausus detegere nullitatem ratione scandali, aut damni grauis imminentis, & non poterat effugere sine scandalo. 100

Ad quintum dico, talem Religiosum nulliter professum si non ratificet suam professionem esse 101

in

in peccato mortali, & maximo detrimento suæ conscientiæ, fruendo, seu vsurpando bona Religionis, quæ sunt propria professorum, qualia sunt primo ali bonis, redditibus, seu elemosynis Religionis. Secundò habere locum, & præcedentiam inter professos. Tertiò posse confiteri sua peccata Sacerdoti approbato solum à Superiore Regulari, & non ab Episcopo seu Ordinario. Quartò frui priuilegiis Religionis, quæ solùm veris professis concessa sunt. Quinto habere vocem actiuam, seu passiuam in electionibus. Sextò admitti ad gradus, honores, officia, & dignitates Religionis, de quibus latè dicam *tom.4. verb. Professio regularis n.25.*

102 Solum ergo illi restat vnum de duobus, vel reclamare ad S. Congregationem pro nullitate suæ professionis, quod erit valdè difficile, cum iam sit transactum quinquennium, & solum audiri possit per viam restitutionis in integrum, quæ difficilè ei concedetur; vel ratificare professionem ex vi Breuis Summi Pontificis, quod *dict. cap.24. numero* 24. refero, de quo etiam & similli Rodriguez *tomo 2. capite 92. Concil.5.* Quia tamen ea vt dicitur in prædicto Breui emitti debet seruatis aliàs seruandis, ideò videtur requiri ad illam acceptatio Monasterij & fieri debet publicè saltem coram aliquibus testibus iuxta modum præscriptum in nostris Constitutionibus. Bordonus *supra numero 29.* Credo tamen posse Reuerendissimum Vicarium Generalem concedere alicui Religioso facultatem accipiendi talem professionem, seruatis, vt dixi, seruandis. Quia etsi in dicto Breui Sanctissimi id solum committatur Generalibus, nihilominus ipsi hanc facultatem aliis committere possunt; quia delegatus Principis subdelegare potest. *Cap. fin. de offic. delegat. Cap. Cùm causa 62. prope fin. de appell.* Bordonus *supra numero 29.* Cohærent dicenda *Cap.18. n.4.*

103 Absoluunt autem ab huiusmodi suspensionibus, & dispensant in istis irregularitatibus cum isto Religioso, postea quam professionem emiserit, Prælati nostræ Religionis, propter priuilegia adducenda *Cap.12. à num.36.* præsertim si casus sit occultus & in foro conscientiæ propter priuilegium Pij V. quod refero eo loco *num.31.* & habetur in Bulla ipsius in Bullario *in 2. tom. in eod. Pio V. numer.132.* & apud Peyrinum *in 2. tom. priuil. Minim. in Constit.10. Pij V.*

SVMMARIVM.

Per professionem religiosam consequitur Professus condonationem totius pœnæ temporalis pro suis peccatis debitæ n.1.
Tollitur etiam irregularitas ex defectu natalium ad ordines suscipiendos n.2.
Dissoluuntur per eam non solum sponsalia de futuro, sed etiam Matrimonium ratum præcedens. numero 3.
Item expiatur macula quo ad actus temporales. numero 4.
Tollitur etiam crimen ingratitudinis erga patrem. numero 5.
Liberatur filius familias à patria potestate n.6.
Omnia vota in sæculo facta commutantur in professionem n.7.
Gaudent Religiosi priuilegio fori n.8.
Coram quo debeant conueniri ibid.
Accusari non possunt Religiosi à laicis nisi in aliquibus casibus n.9.
Qui inferunt iniuriam ordinibus mendicantibus in aliquibus casibus sunt excommunicati n.10.
Habent facultatem plures Religiosi eligendi sibi indices conseruatores n.11.
Quomodo illi eligendi ibid.
Canonica portio parochialis an debeatur solui à Regularibus n.12.
An quarta funeralis n.13.
An à solutione gabellarum, & contributionum sint exempti n.14.
An à solutione decimarum n.15.
Percutiens quemcumque Religiosum est excommunicatus excommunicatione Papæ reseruata n.16.
Gaudent plures religiones priuilegio communicationis priuilegiorum aliarum n.17.
De conuersis, & Donatis Religionum n.18.
De indulgentiis Regularium n.19.
Quæ censeantur vel non reuocata ibid.
Oleum pro ministranda extrema vnctione Carmelitis ministratur n.20.
Priuilegia per viuæ vocis oracula quomodo reuocata. n.21.
De Tertiariis Regularium n.22.



CAPVT III.

De Regularium immunitatibus, & priuilegiis in communi.

1. INter multas Religiosæ professionis prærogatiuas illa videtur primum locum tenere, quod per illam, professus, omnium peccatorum suorum antea commissorum condonationem, quoad omnem pœnam temporalem pro illis in Purgatorio debitam, obtineat. Ita enim habet fere communis Sanctorum Patrum, antiquorum Monachorum, & Scholasticorum, quasi per traditionem, consensus. S.Thom. *2.2.q.vlt.art.3.* Thom. Vuald. *de Sacr.tit.9.cap.80.n.8.& 9.* Non tamen per eam remittuntur peccata quoad culpam. Cum nec sit Sacramentum, ne actus contritionis, aut charitatis. Sanchez *lib.5. in Decalog. cap.5. n.3.* Nec reuiuiscit, si fuit facta in mortali peccato, per subsequentem iustificationem. Quia hoc solùm competit Sacramentis. Caietan. *2.2.q.vlt. art.3.* Huiusmodi autem condonatio non est per modum indulgentiæ plenariæ. Quia etsi in effectu illi assimiletur, non est ex applicatione meritorum Christi ab eius dispensatore Summo Pontifice facta, sed ex vi, & merito ipsius professionis; eo quod per illam profitens renunciet mundo, & se cum suis omnibus perpetuò dedicet Deo. Nauarr. *de Indulgent notab.20. n.17.* Platus *de bono stat. Relig. lib.1. c.13.* Similiter hæc condonatio, non quoties professio renouatur, sed sola prima vice obtinetur. Tabien. *verb. Nouitiatus in fine*, Sanchez *vt supra num.5.* Addens *n.7.* hanc prærogatiuam etiam competere professioni factæ in Societate Iesu biennio Nouitiatus transacto. 1

Deinde per professionem in Religione approbata tollitur irregularitas, quæ est ex defectu natalium; ita vt, qui in sæculo erat irregularis, quia illegitimus, factus professus habilis sit ad Ordines suscipiendos. Suarez *5. tom. in 3.p. decis.41. sect.1.* Nauarr. *Comment.2. de Regul. n.60.* Cornexo *tom.2. in 3. par. disp.15. de Irregul. dub.2.* Extendit hoc in ordine ad vsum Ordinum susceptorum ante professionem Sanchez *lib.5. de Præcept. Decal. cap.5 num.10.* Non 2

tamen hæc irregularitas tollitur quantum ad dignitates Ecclesiasticas & Præfecturas, seu prælatias. Ita habetur *in cap.*1. *de Fil. Presb.* Sot. *in* 4. *dist.*25. *quæst.*1.*art.*3. Nauarr. *in cap. Non dicatis n.*60. Quicquid immeritò dicat Rodriguez *tom.*1.*q. Regul.q.*13. *art.*5. Nec etiam competit hoc priuilegium ingressui Religionis per Nouitiatum. Quia textus *c.*1. *de Fil. Presb.* petit ad hoc illegitimos fieri Monachos, per ingressum autem in Religionem, qui est per Nouitiatum non fit homo verus Monachus, aut Religiosus. *cap. Religio* §. *quamuis de sentent. excommunicat. in* 6. Suarez *tom.*5. *in* 3 *part. disput.*50. *sect.*5. *à num.*12. Grassis 1. *part. Decis. lib.*4. *cap.*27. *numer.*54. Extenditur tamen hoc priuilegium etiam ad professionem quæ fit in Societate IESV per Vota simplicia. Quia per illa profitens fit verus Religiosus. Sanchez *lib.* 5. *in Decalog. cap.*5. *numero* 13.

3 Similiter per professionem Votorum solemnium non solùm dissoluuntur Sponsalia de futuro, eò quod fortius vinculum sit professio quam contractus Sponsalitius. Sot.7. *de Iust. & iur. quæst.*5. *articul.*3. Sed etiam dissoluitur Matrimonium ratum præcedens. Syluest. *Verb. Religio* 2. *quæst.*9. *& verb. Matrimonium* 8. *quæst.*12. Per professionem autem Votorum simplicium Societatis non dissoluitur. Vasquez 1. 2. *disput.*165. *cap.*10. Nec etiam dissoluitur Matrimonium quomodocunque consummatum per quamcunque professionem. Quia nullo iure hoc constat, imò oppositum habetur 27. *quæst.* 2. *cap. si quis coniugatus.* Rebellus *lib.*1. *sect.*2. *num.*17. Reginaldus *lib.*31. *num.*39. Probabiliter tamen quidam putant, quod sponsa cognita per vim, aut metum intra bimestre possit ingredi Religionem, & validè profiteri. Par enim est, vt non patiatur damnum ob alterius culpam, & iniuriam sibi illatam. Reginald. *lib.*31. *numero* 39. Bonacin. *de Matrimonio quæst.*3. *punct.*4. *propos.*3. Vir tamen per vim cognoscens vxorem non potest, illa renitente, Religionem ingredi. Quia per voluntariam consummationem Matrimonij amisit ius ingrediendi Religionem. Cornexo 2. *tom. in* 3. *p. tract. de Matrimon. disputat.*6. *dub.*2. Probabile etiam est Matrimonium quantumuis consummatum infidelium dissolui per votum solemne Religionis. Cum strictius vinculum sit Matrimonium ratum fidelium quam consummatum infidelium, si ergo illud dissoluitur per Vota solemnia, etiam istud dissoluetur. Sotus *in* 4. *dicta* 39. *quæst. vnica articul.*4. Cornexo *vt supr. dub.*3. Vide dicta *cap.*2. *num.*31.

4 Præterea per professionem in Religione approbata expiatur macula quoad actus temporales, ita vt ineptus ad testificandum ob periurium, vel furtum commissum, fiat per professionem aptus ad testimonium ferendum. Quia ita intelligi potest *auth. de Monac. in princ.* Sanchez *lib.*5 *in Decalog. cap* 5. *num.*27. Hoc etiam extendens ad simplicia Vota in Societate Iesu, post biennium Nouitiatus.

5 Tollitur etiam per professionem crimen ingratitudinis Filij profitentis erga Patrem, ob quam exhæredari poterat. Quare ob illam exhæredari nequibit, etsi in testamento Patris ante professionem facto exhæredatus sit. Quia ita deciditur *in capit. fin.* 19. *quæst.*3. Molin. *tom.*1. *de Iust. disput.*176. *dub. vlt.* Rodriguez *tom.*1. *quæst.*13. *articul.*3. Idemque probabiliter tribuit Votis simplicibus Societatis post biennium Sanchez *lib.*5. *in Decalog. c.*5. *num.*34.

Per professionem etiam Filius Familias à Patria potestate liberatur. Eo quod omnino transit in Abbatis potestatem, ac proinde Patria potestas in ipsum cessat, Syluest. *verbo Patria potestas numer.*1. Nauarr. *Commen.*3. *de Regul. num.*41. Hoc etiam priuilegium extendit ad professos Societatis post biennium Sanchez *lib.*5. *in Decalog. cap.*5. *numero* 31. 6

Per professionem etiam Votorum Religionis omnia Vota in Seculo facta commutantur in illam. Ita habetur *c. Script. de Voto* D.Thom.2.2.*quæst.*88. *artic.*12. *ad primum.* Ad hoc autem non requiritur aliqua intentio in profitente commutādi talia Vota. Eo quod ex natura professionis id oriatur: quia est mors vitæ præteritæ. Caietan. & Aragon. 2.2. *quæst.* 88. *articul.* 12. Similiter extinguuntur tam vota realia, quam personalia. Propter eandem rationem. Petrus de Ledesma 2. *tom. tract.*10. *cap. vlt.* Extinguuntur etiam Iuramenta de rebus piis ad Deum solum facta. Quia hæc se habent quasi Vota quædam. Suar. 2. *tom. de Relig. lib.*6. *de Voto cap.*14. *numer.*12. Si autem iuramentum esset homini præstitum, & ab eo acceptatum non posset in Religionis professionem commutari. Quia est ius adquisitum tertio. Sanchez *lib* 5. *in Decalog. cap.*5. *num.*45. vbi multa de hoc priuilegio. Vide dicta supra *c. præced. n.*30. 7

Gaudent etiam Religiosi, præsertim professi, priuilegio fori, ita vt, etiam in debitis ciuilibus conueniri nequeant coram iudice sæculari, sed coram suo Prælato. Quia ipse solus est verus ipsorum iudex. Nauarr. *comment.*2. *de Regul. supra cap. non dicatis.* Rodriguez *tom.*1. *quæst.*65. *articul.*13. Coram Iudicibus Conseruatoribus bene possunt conueniri. Ita colligitur ex Bulla Gregor. XV. adducenda infra *num.*11. vbi ait: *Coram ipsis Conseruatoribus Regulares, ac personæ suprascriptæ conueniri quidem, aut trahi debent.* Imò, & Religiosi extra Monasterium degentes possunt conueniri in causis ciuilibus mercedum, & miserabilium personarum coram locorum Ordinariis, tanquam in hoc ab ipsa Sede Apostolica delegatis. Concil. Tridentin. *sessione* 7. *capite* 14. Nauarr. *comment.*2. *de Regul. numer.*63. At verò Religiosi intra claustra degentes nullatenus possunt, aut debent conueniri coram Ordinariis, etiam in causis ciuilibus, aut in prima instantia, aut propter *cap. Volentes de priuileg. in* 6. aut etiam propter Concil. Tridentin. *sessione* 24. *capite* 20. Ita declarauit S. Congregatio Cardinalium interpretum Concilij, & Paulus V. in Bulla *Religiosorum* ann. 1607. edita ad instantiam Procuratoris Generalis Carmelitarum 3. tom. Bullarij inter Bullas Pauli V. *numero* 34. *& aliàs* 23. In illa autem præcipitur Ordinariis in virtute S. Obedientiæ, ne Fratres nostros contra prædictam declarationem perturbare, vel inquietare audeant. Vnde à S. Congregatione Anno 1586. sic declaratur. *Ordinarij in cognitionibus causarum Fratrum Mendicantium, tam ciuilium, quam criminalium minimè sese ingerant, pariter nec in visitatione eorundem Fratrum, vel Ecclesiarum suarum, nisi quatenus eis per Concilium Tridentinum decreta contra conceditur.* Vide Dianam *tractat. de Immunitat. Ecclesiast. Resolut.*129. Quaranta in *Summ. Bullar. verb. confessor.* Vide dicenda *capite* 11. *à numero* 2. & pro Nouitiis *cap.*24. 8

In fauorem etiam status Religiosi, seu Clericalis habetur in Iure, quòd Laici Clericum (etiam intellige Religiosum) accusare non possunt, nisi suam 9

suam suorumve iniuriam prosequantur. *cap. 2. & 3. cap. Laicus 2. quæst. 7.* Secus in criminibus publicis læsæ maiestatis diuinæ, vel humanæ, in Simonia, in Sacrilegio, in dilapidatione bonorum Ecclesiasticorum. Alderete *lib. 1. de Relig. discipl. cap. 4. à numero 7.* Nec Laicus aduersus Religiosum testis idoneus est in criminalibus, licet non omnino reiiciendus maximè in ciuilibus, *cap. veniens. c. de cætero de testibus cap. Laicos 2. quæst. 7.* Rodriguez *tom. 2. q. 10. art. 5.* Alderete *lib. 2. de Relig. discip. cap. 3. n. 14.*

Qui inferunt iniuriam Ordinibus Prædicatorum, & Minorum (idem dicito de aliis Ordinibus
10 propter communicationem priuilegiorum) in quinque casibus assignandis, sunt excomunicati. Primus, libellos famosos, cantilenas, vel rithmos edendo, vel retinendo, vel publicando in infamiam Ordinis. Secundus, dicendo, & defendendo, quòd Ordo illorum non sit in statu perfectionis, & quod non liceat eis de eleemosynis viuere, prædicare, confessiones audire de licentia Papæ, aliorum Ordinum consensu minime requisito (id tamen non excludit approbationem à Concil. Trident. requisitam) Tertius, exercendo violentiam in locis illorum, impediendo ne possint in suis Ecclesiis celebrare, recipere eleemosynas, vel prædicare. Quartus est, eos eiiciendo ab Vniuersitate Parisiensi. Quintus, retinendo apostatas Ordinis Prædicatorum D. Anton. 3. *parte titulo 24. capite 70.* Vicentius Filliucius *tom. 1. tractatu 15. capite 5.*

Habent facultatem Religiosi, præsertim Men-
11 dicantes, eligendi sibi Iudices Conseruatores pro suis causis. Quod constat ex multis priuilegiis, de quibus Casarubius *verb. Conseruat. Ordin.* Sed illa sunt his temporibus valde restricta, & limitata. Primò enim S. Congregatio Concilij iussu Gregorij XIII. declarauit, quòd *Regulares omnes in ciuitatibus Italiæ existentes sibi Conseruatores eligerent, coram quibus conuenirentur, ac semel electos, non nisi in capitulis Prouincialibus mutarent. Eorumque nomina intra mensem à die electionis Episcopis Locorum Ordinariis indicarent. Alioquin coram ipsis Ordinariis conueniri possent.* Quaranta *in Summa Bullarij verbo priuilegium Regularium.* Postea Clemen. VIII. in Bulla edita Anno 1592. (habetur 3. tomo Bullarij Laertij fol. 3.) reuocauit omnes, & quascumque Iudicum Conseruatorum deputationes, quæ non habuerint qualitates requisitas à Bonif. VIII. in Const. quæ incipit: *Statutum,* & qui non fuissent electi in Conciliis Prouincialibus, aut Diœcesanis. Maximè tamen modo seruanda est Gregorij XV. Constitutio de Conseruatoribus edita Anno 1621. quæ incipit: *Sanctissimus in Christo Pater* 3. tom. Bullarij inter Bullas huius Pontificis *numero 9.* In ea vero in primis reuocat, ac nullas, & inualidas decreuit omnes, & quascumque Iudicum Conseruatorum electiones quomodocumque hactenus factas. Deinde statuit, & decreuit vt in posterum *Iudices Conseruatores huiusmodi, siue principales, siue subrogati, eligi, nominari aut deputari non possint; nisi non solum habeant qualitates requisitas, & descriptas in Constitutione similis recordationis Bonifacij Papæ Octaui, etiam Prædecessoris sui, quæ incipit:* Statutum, *ita vt vel Dignitate Ecclesiastica præditi, vel personatum obtinentes, vel Ecclesiarum Cathedralium Canonici existant, sed etiam in Conciliis Prouincialibus, aut Diœcesanis iuxta decretum Concilij, prædicti Iudices electi, seu designati sint. Quodque deinceps litteræ Conseruatoriæ per Sedem Apostolicam concedendæ, suprascriptis tantum dirigantur, & si quæ litteræ aliter expediantur, illæ ac deputationes huiusmodi, omniaque exinde sequenda nullius sint roboris, vel momenti.* Deinde; designatis pœnis pro illis, qui contra præscriptam formam Conseruatores elegerint, aut illis vti ausi fuerint præcipit, *Vt Regulares, ac personæ huiusmodi in Italia infra duos, extra Italiam, vero infra sex menses à die publicationis in Vrbe præsentis constitutionis inchoandos, debeant sibi elegere, seu assumere Conseruatores iuxta formam superius propositam, eiusque electionis, seu assumptionis documentum infra tempus huiusmodi penes acta Curiæ Ordinariorum exhibere, & dimittere teneantur, alioquin eo termino elapso, quandiu Conseruatores secundum formam præsentis Constitutionis non elegerint, coram eisdem Ordinariis conueniantur, quodque Conseruatores huiusmodi semel legitime deputati, nisi ex legitima causa à Sede Apostolica, aut locorum Ordinariis, prout iisdem Regularibus, & aliis supradictis libuerit, approbanda durante quinquennio à die deputationis, amoueri, aut mutari nullatenus possint, aut valeant.* Præterea sic statuit Sanctitas sua; *vt coram ipsis Conseruatoribus Regulares, ac personæ suprascriptæ conueniri quidem, aut trahi debeant, sed alios conuenire, aut trahere non possint: itaut memorati Conseruatores in causis, in quibus Regulares, & alij Actores fuerint, nullam prorsus Iurisdictionem habeant, sed in iis tantum, in quibus Res extiterint, neque extra Ciuitates, seu Diœceses, in quibus fuerint deputati, contra quoscumque procedere præsumant. Si qua verò inter Iudices Conseruatores huiusmodi, & locorum Ordinarios controuersia super competentia Iurisdictionis orta fuerit, nequaquam in causa procedatur, donec per Arbitros in forma Iuris electos super Iurisdictionis competentia fuerit iudicatum Quod si qui Conseruatores siue in hac parte, siue alias quomodolibet suos limites excesserint per annum ab officio Conseruatoris huiusmodi suspensi sint, & pars quæ hoc fieri procurauerit sententiam excommunicationis incurrat, iuxta formam alterius Constitutionis eiusdem Bonifacij Prædecessoris, quæ incipit.* Hac Constitutione, *quam Sanctitas sua in his omnibus, quæ præsenti Constitutioni non aduersantur, innouauit. Per hoc tamen non intendit Sanctitas sua prohibere, quominus Regulares, & alij supradicti in casibus à Iure permissis petant Iudicem non suspectum à Principibus, seu Magistratibus Sæcularibus, dum tamen hæc tria copulatiuè concurrant, videlicet, vt Regulares, & alij prædicti sint Actores non autem Rei, vtque agant contra Laicum non autem contra Ecclesiasticum, vel alias à Iurisdictione Sæculari exemptum, atque vt causa, in qua Index deputatur, fuerit prophana, non autem Ecclesiastica, & in ea iuxta Sacrorum Canonum dispositionem Laicus, vt præfertur eligendus Iudex competens existat.* Vide Bullam cum multis ipsam concernentibus apud Peyrinis *tom 2. priuileg. Minim. in Const. 5. Greg. XV.* & dicenda à nobis *tom. 2. cap. 10. per totum* aduertendo vlterius à Sanctiss. D. N. Vrbano VIII. vt patet ex Bulla inter Constitutiones ipsius 4. *tom. Bull. num. 78.* declaratum fuisse, hanc Gregorij Constitutionem non afficere Religionem Hierosolymitanam, nisi quoad Iudices Conseruatores. Pro Iudicibus etiam Conseruatoribus vide Erasmum ChoKier in speciali tractatu de hac re. Quia verò in prædicta Constitutione statuitur *Vt coram Conseruatoribus Regulares conueniri quidem, & trahi debeant, sed alios conuenire, aut trahere*

non possint, itaut memorati Conseruatores in caussis, in quibus Regulares, & alij Actores fuerint nullam prorsus Iurisdictionem habeant, sed in iis tantum, in quibus Rei extiterint. Ideo dubitatum fuit, an per hæc verba sublata sit facultas, quam habent Conseruatores defendendi Regulares, & alios à manifestis iniuriis, & violentiis, quæ illis de facto inferuntur, dum à suis possessionibus deiiciuntur, & propriis bonis vti, ac frui impediuntur, *Sacra Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini interpretum censuit, eiusmodi verbis minime sublatam fuisset facultatem, quam habent Conseruatores defendendi Regulares à manifestis iniuriis, ac violentiis, dummodo obseruent formam præscriptam Constitutionibus Innocentij IV. & Bonifacij VIII. relatis in cap. 1. & fin. de offic. deleg in sexto.*

12 Canonica portio Parochialis (quæ debetur de omnibus, quæ obueniunt ratione funeris seu in die funeris & de omnibus Legatis factis Ecclesiæ, ad quam quis eligit sepulturam. (Siluest. *verb. Can. Port. num. 7. q. 9.*) Non debetur solui à Regularibus propter multa priuilegia de quibus Casar. *in Comp. v. Can. Portio* Maximè ex priuilegio Nicolai V. & Sixti IV. Carmelitanis concesso. Casarub *vt sup.* Miranda *in Man. 2. tom. quæst. 48. artic. 6.* Referens etiam decisionem Rotæ circa hanc causam. Nec huiusmodi Priuilegia abrogata sunt per Concil. Trident. nisi solum quoad ea Monasteria, quæ ante annos quadraginta portionem Canonicam solita erant persoluere. Conc. Trid. *sess. 25. cap. 13.* Miranda *vt sup. art. 7.* Imo Conuentus, qui tenentur soluere Canonicam portionem solùm debent illam soluere de illis, quæ allata sunt cum corpore Defuncti. Ita habetur expressè in motu proprio Pij Quinti Anno 1567. edito, qui incipit, *Et si Mendicantium.* Qui non est reuocatus per Greg. XIII. in Bulla quæ incipit, *In tanta negotiorum mole.* Quamuis enim in ea reuocauerit Pontifex iste, & ad terminos Iuris communis reduxerit omnia quæcunque concesserat suus prædecessor prædictus Pius Quintus contra formam Concil. Trid. non tamen reuocauit explicationes, & declarationes ab eodem factas circa dictum Conc. qualis est ista. Miranda *vt sup art. 8.* Peirinis *tom. 2. priuil. Minim. in Const. 7. Pij V. num. 3.* Addunt alij prædictam Constitutionem Gregorij XIII. non fuisse sufficienter promulgatam, nec in praxi receptam. Henriquez *lib. 7. de Indulg. cap. 24. num. 8.* cui fauet. Thomas à Iesu *de procur. omnium gent. salute lib. 12. cap. 8.* Sed vide dicenda *tom. 2. cap. 1. numero 16.*

13 Specialiter à solutione quartæ funeralium excepit Carmelitarum Conuentus à quadraginta annis ædificatos Paulus Quintus in Bulla quæ incipit, *Decet Romanum* Anno 1605. edita per hæc verba. *Volumus, mandamus, decernimus, & declaramus, omnia, & singula huius Ordinis B. Mariæ de Monte Carmelo Monasteria, seu Domos in quibuscumque Mundi partibus à quadraginta Annis ædificata, illorumque Conuentus, & Fratres, nullo modo, nullave ratione teneri ad solutionem dictæ Quartæ Funeralium & ob non solutionem huiusmodi aliquas sententias, Censuras, & pœnas incurrere posse.* Extat etiam alia declaratio S. Congregationis Concilij Tridentini videlicet *Congregatio Concilij censuit non comprehendi Monasteria ædificata à quadraginta Annis, citra, aut quæ in dies ædificantur, vel in futurum ædificabuntur, præsupposito quod huiusmodi Monasteria sint eius Religionis; cui à Sede Apostolica indultum sit, vt Quartam Funeralem non debeant soluere Episcopo* Rodriguez *tom. 1. quæst. Regul. quæst. 39. art. 2.* Aliam etiam declarationem Sacræ Congregationis ad instantiam, & fauorem Conuentus Sancti Ludouici de Neapoli Ordinis Minimorum refert Quaranta *in Summ. Bull. verb. Priuilegia Regularium.* Vide Augustinum Barbosam de Officio Parochi *c. 25. à n. 4.* Et dicenda *tom. 2. c. 1. n. 29. & 30.*

14 A solutione etiam gabellarum, & quarumcumque contributionum, onereque hospitandi milites, exempti sunt ordines Mendicantium à Pio V. in Bulla Anno 1566. edita, quę incipit *Dum ad vberes.* Nec hoc Priuilegium derogatum est à Greg. XIII. in Bulla edita Anno 1573. de qua supra n. 12. Vbi derogat priuilegia à Pio V. Regularibus concessa; quia non numeratur istud. Sicut nec ista Bulla. Quaranta *in Summ. Bull. verb. priuil. Regul.* Flau. Cherub. *in 2. tom. Comp. Bull. sup. prædict. Bull. Pij V.* Vide dicenda *tom. 2. c. 1. n. 32.*

15 A solutione quoque Decimarum sunt exempti Religiosi. Tum ex iure communi in *c. p. q. & in cap. decimas 16. q. 1.* Tum ex multis priuilegiis, de quibus Casarubius *in Compend. verb. decimæ,* & Miranda *in Manual. 2. tom. q. 49. art. 12. & 13.* Quoad hoc tamen attendenda est consuetudo patriæ, & Religionum. Vide Bullam Sixti IV. *Dum attenta* pro Carmelit. Specul. Ordin. fol. 85. & dicenda *tom. 2. c. 1. num. 32.*

16 Percutiens quemcumque Religiosum est excommunicatus excommunicatione Papæ reseruata *c. si quis 27. quæst. 4.* Per Religiosum autem, seu Monachum intelligitur quicumque Regularis, etiam Conuersus. *cap. non dub. de sentent. excommunic.* Imò Nouitius, quia in fauorabilibus Monachus reputatur. Tolet. *in Sum lib. 1. cap. 32.* extenditurque hoc priuilegium secundum aliquos ad illos, qui ante legitimam ætatem recipiuntur ad educationem sub habitu Religioso. Angelus *verb. Nouitius num. 21.* & Suarez *3. tom. de Relig. lib. 5. cap. 11. num. 12.* Nec solum iniicientes manus in Religiosos sunt excommunicati, sed etiam mandantes, ratificantes, consentientes, & potentes obuiare. Tolet. vt sup. Bonacina *de Censur. disp. 2. q. 4.*

17 Gaudent Religiones priuilegio Communicationis, quo communicant, & participant aliarum Religionum, priuilegia, ac si illis fuissent concessa, vt videre licet in particularibus ipsarum Religionum Compendiis. Miranda *in Man. 2. tom. quæst. 46.* Nos specialiter Carmelitæ habemus priuilegiũ hoc Communicationis à Leone X. in Bulla, quæ incipit. *Dudum per Nos,* vbi omnia priuilegia concessa, & concedenda Mendicantibus nobis concedit. Laert. Cherub. *in Bullar. tom. 1. fol. 524.* Deinde ex Clement. VII. in Bulla, quæ incipit: *Ex clementi,* Anno 1530. Vbi etiam omnia priuilegia concessa & concedenda quibuscumque Ordinibus, concedit Carmelitis, & inter ea maximum illud, quod scilicet: *Gloriosissima Dei Genitrix, semperque Virgo Maria, Confratrum, seu Religiosorum, ac Sororum animas post earum transitum suis intercessionibus continuis, piis suffragiis, & speciali protectione adiuuabit.* Laertius Cherub. *tom. 1 Bull. fol. 599.* De aliis autem Religionibus Mendicantibus hoc ipsum probat Miranda *in Man. tom. 2. quæst. 46. art. 5.* affirmans idem etiam intelligi debere de priuilegiis concedendis aliis Religionibus pro tempore futuris. Ita quòd ex vi priuilegij Communicationis, quod habemus ex Clemente VIII. possimus etiam vti priuilegiis concessis Societati Iesu,

&

& Clericis ministrantibus infirmis, etiam si illæ Religiones aliquo tempore post istum Pontificem fuerint institutæ. In communicatione rursum priuilegiorum non tam vsus, quam, ius vtendi debet attendi; ita vt Religiones habentes priuilegium Communicationis possint vti priuilegio concesso alteri Religioni, quo ipsa, propter aliquam causam non vtitur. Syluester *verb. priuilegium quæst.* 21. Deinde priuilegia Religionum non tolluntur per non vsum, aut per vsum contrarium, nisi per spatium quadraginta annorum, vt patet ex Innocent. III. *in cap. accedentibus de priuilegiis*, vel per sexaginta, ex priuilegio Eug. IV. concesso Monachis Benedictinis Vallisoleti, (si illud non fuit viuæ vocis oraculum, alias nihil valebit, iuxta dicenda num. 21.) vbi habetur quòd *Contraria priuilegia dictæ Congregationis non incurrat præscriptio, nisi post lapsum sexaginta annorum.* Miranda *in Man.* 2. *tom. quæst.* 42. *art.* 4. qui etiam ibidem *quæst.* 46. *art.* 8. adiungit, neque etiam in prædicto tempore amitti, si non casus euenerit vtendi huiusmodi priuilegio: neque quando quispiam ex aliquo legitimo impedimento, sua culpa non causato, eodem vti non potuit, aut interuenit ignorantia eiusdem. Laurentius Peirinis *tom.* 1. *priuileg. Minim. in Const.* 15. *Iulij II. num.* 1. Amitti autem prædicta priuilegia, saltem in foro conscientiæ, ex eo quòd Religiosi non viuant regulariter, aliqui volunt. Miranda 2. *tom. quæst.* 43. *art.* 3. Vide dicenda *tom.* 2. *cap.* 1. *num.* 52. *& seq.*

18 Conuersi etiam, Donati, seu Oblati Religionum, qui veram professionem trium votorum emittunt, gaudent omnibus priuilegiis aliorum Regularium respectiuè; Ratio est, tum quia sunt verè Religiosi, tum ex concessione Sixti IV. Carmelitis facta, vt habetur *in Compend. priuileg. verb. Oblati fratrum.* Quod idem concessit idem Sixt. IV. Augustinianis. Miranda *in Man. tom.* 1. *quæst.* 29. *art.* 6. Vide dicenda *tom.* 2. *cap.* 8.

19 Quamuis multæ, variæque Indulgentiæ concessæ sint à Summis Pontificibus vtriusque Regularibus, eas tamẽ reuocauit, & cassauit Paul. V. in Bulla edita Anno 1606. quæ incipit: *Romanus Pontifex*, & est 3. *tom* Bullar. 21. inter Bullas huius Pontificis, alias 16. vbi tantum quasdam ibi scriptas ipsis concedit. Addit insuper idem Pontifex. *Volumus autem, vt omnes supradictæ Indulgentiæ, & gratiæ Religiosis Regularibus cuiusuis Ordinis tam Monastici, quàm Mendicantis dumtaxat, vt præfertur concessa, etiam omnibus Monialibus cuiusuis Regulæ approbatæ, & intra claustra cum tribus votis solemnibus viuentibus, & perpetuam clausuram seruantibus, tam Ordinariis locorum, quam etiam Regularibus, cuiuscumque Ordinis, Regulæ, & Instituti subiectis suffragentur.* Est verò aduertendum, quòd quamuis per hanc Constitutionem reuocentur omnes aliæ Indulgentiæ Regularibus concessæ præter assignatas, non tamen reuocantur Indulgentiæ concessæ Ecclesiis Regularium pro Sæcularibus. Ita enim declaratum fuit à S. Congreg. vt refert Laurentius de Peirinis *tom.* 1. *de subdito quæst.* 4. §. *vlt.* Pium etiam, & probabile est, nec esse reuocatas Indulgentias concessas Regularibus defunctis, aut etiam in articulo mortis constitutis. Nam ea, quæ speciali digna sunt nota, non censentur esse sublata, nisi expressè nominentur vt colligitur ex *l. item apud Labeon.* §. *ait Prætor ff. de iniur.* In hac verò Constitutione non fit mentio harum Indulgentiarum. Sicque decet credere de Summorum Pontificum pietate, Peirinis *tom.* 2. *priuileg. Minim. in Const.* 8. *Paul. V. num.* 10. Nec etiam videntur derogatæ Indulgentiæ concessæ Regularibus ipsis pro defunctis. Propter eamdem rationem, & quia sic dicitur declarasse eumdem Paulum V. Peregrinus 1. *part. sui Compend. verb. Indulgentia num.* 9. Peirinis *vt sup. num.* 5. *& in Constitut* 4. *Clem. VIII. num.* 2. Lege ipsum Peirinis *super prædictam Const.* 8. *Paul. V. n.* 1.

In fauorem etiam Religiosorum Carmelitarum Clem. VIII. in Bulla edita anno 1599. quæ incipit, *Exponi nobis*, præcepit Dominis Archiepiscopis, & Episcopis, vt prædictis fratribus oleum pro ministranda extrema vnctione petentibus, promptè ac liberaliter exhiberi faciant, ac quoscumque suffraganeos, vt id faciant moneant. 3. *tom. Bullar* 57. *Clem. VIII.* 20

Quamuis multa, variaque priuilegia Regularibus concessa sint per viuæ vocis Oracula, illaque eamdem vim habeant, ac aliæ Constitutiones Papales (Laurentius Peirinis *tom.* 1. *priuileg. Minim. in Const.* 17. *Iul. II.* §. 1.) imo reuocatis aliis priuilegiis non reuocentur hæc viuæ vocis Oracula, nisi aliud expresè specificetur (Henriquez *lib.* 7. *de Indulgent. cap.* 24. *num.* 8.) nihilominus Greg. XV. per suam Constitutionem, quæ incipit *Romanus Pontifex*, *tom.* 4. *Bullarij. inter Bullas huius Pontificis, num.* 27. reuocauit omnia, exceptis illis, quæ propria manu. S. R. E. Cardinalium firmata essent, *& de quibus ijdem. S. R. E. Cardinales testimonium in scriptis præbuerunt.* Postea vero SS. D. N. Vrban. motu proprio Anno 1631. die 20. Decembr. edito, omnia prædicta viuæ vocis Oracula per ipsum, aut alios Summos Pontifices data, etiamsi à Cardinalibus firmata sint, quibuscumque Religiosis tam in particulari, quàm in vniuersali, cassauit, abrogauit, & annullauit, præcipiens sub excommunicatione, & aliis pœnis ipso facto incurrendis, Superioribus Generalibus, vt infra tres menses omnes, & singulos Prouinciales de prædicto motu proprio certiores facerent, & ipsis Prouincialibus, vt illum in Conuentibus suarum Prouinciarum publicare facerent sub eisdem pœnis. Circa quam S S. D. N. Constitutionem animaduertendũ est, per illam non videri cassari, & aboleri viuæ, vocis Oracula, quibus sanctitas sua, aut alij Summi Pontifices, priuilegia Religionibus concessa, aut decreta Summorum Pontificum, aut etiam Sacrorum Canonum, & Conc. Trid. aut aliorum Conciliorum, explicant, aut declarant in concernentibus ad Religiosos ipsos, dummodo prædicta viuæ vocis Oracula non contineant aliquam gratiam, priuilegium, aut indultum. Solùm reuocantur, & cassantur, *Omnia, & singula priuilegia, facultates, licentiæ: & gratiæ quocumque viuæ vocis Oraculo concessa*, vt in eisdem litteris habetur. Alia ergo viuæ vocis Oracula, quæ priuilegia, facultates, licentiæ, & gratiæ non sunt, sed meræ declarationes, aut explicationes non sunt abrogata à sanctissimo. (Peirinis, *tom.* 2. *priuileg. Minim. in Const.* 8. *Paul. V. num.* 1.) Deinde aduertendum; quod quamuis per Constitutionem Greg. XV. adductam non reuocentur concessiones factæ per viuæ vocis Oracula, quæ sunt sortita suum effectum, ante prædictam Constitutionem, vt in illa habetur, & declarauit S. Congregatio Regularium die 2. Aprilis 1625. (Peirinis *tom.* 2. *priuileg. Minim. in const.* 3. *Greg. XV.*) per Constitutionem tamen SS. D. N. Vrbani, cum nihil tale dicatur, videntur reuocari, saltem quatenus respiciunt effectum pro futuro tempore. Vnde si aliquis Religiosus habuit gratiam, v. gr. à Pontifice, 21

solo

solo viuæ vocis Oraculo quod esset Magister, Præsentatus, aut quid simile, à tempore huius constitutionis SS. D. N. neutiquam potest vti tali concessione. Licet contrarium etiam probabiliter dici possit, cum id non exprimatur in constitutione SS. D. N. Vrbani; si enim Sanctitas sua vellet in hoc coarctare constitutionem Gregorij debebat illud declarare. Sicque video aliquos sentire. Nota etiam per hanc Bullam SS. D. N. Vrbani reuocari quoque Confirmationem priuilegiorum viuæ vocis Oracula concessorum, quam pro Societate Iesu dedisse dicitur idem Vrbanus vt refert Portellus *in dub. Regular. part. 3. casu 52.* Quia hæc posterior reuocatio anno 1631. fuit facta, illa autem confirmatio anno 1624. Nota demum quod quamuis ipse Portellus *in Responsionibus Moralibus tom. 1.* casu vltimo dixerit priuilegia viuæ vocis oraculo ab Vrbano, VIII. reuocata iterum ab eodem reualidata fuisse, meritò tamen id postea retractauit *in 2. tom. Respons. moral. casu vlt.* Non enim extat talis reualidatio, saltem generalis & communis.

22 Possunt Religiosi, Mendicantes, præsertim, dare habitum seu Religionis personis Secularibus vtriusque sexus, vocatis Tertiariis, seu Tertij Ordinis. Primo enim quoad fratres Minores, id constat ex pluribus priuilegiis relatis à Casarubio in *Compend. priuileg. Mendican. verb. Tertiarij.* Et quoad fratres S. Dominici id constat ex priuilegio Sixti Quarti inferius adducendo pro fratribus Carmelitanis. Imò referente S. Antonino 3. *part. Histor. tit. 23. cap. 14. §. 2.* B. Dominicus etiam instituit tertium Ordinem, seu Tertiarios fratres, seu Sorores de pœnitentia. Lege Baptistam Confettium *in collect. lit. apos. & Relig. mendican. num. 8. in Sixto IV.* De Augustinianis etiam, id quoque patet ex priuilegio Pauli II. relatio ab eodem Baptista Confettio *in prædicto Paulo II. num. 1. & Sixto IV. n. 2.* Quoad Carmelitas autem constat primo ex Nicolao V. in Bulla relata ab eodem Baptista Confettio num. 1. Secundo, & maximè ex Sixto Quarto in Bulla *Dum attenta*, quæ est mare magnum Religionis, Romæ apud Sanctum Petrum Anno 1576. 4. Cal. Decembris, per hæc verba. [Statuentes præterea Apostolica auctoritate, & præsentium tenore concedentes volumus, & ordinamus, quod de cætero perpetuis futuris temporibus tam Magistro Generali, quàm cuilibet dicti ordinis Officiali, ac Prioribus dicti Ordinis secundum morem, & instituta eiusdem Ordinis, in quibuscumque Prouinciis constitutis tam præsentibus, quam futuris sit licitum, ac permissum quascumque mulieres, & vtriusque sexus personas, si alias sint idoneæ, & aliud Canonicum, non obsistat, quæ habitum regularem prædicti Ordinis ad instar mantellatarum, seu Pinzocherarum, aut fratrum de pœnitentia tertij Ordinis ordinum fratrum Minorum, & Prædicatorum, necnon Heremitarum S. Augustini habere voluerint, & gestare, tam Virgines, ac matronas, quàm viduas, ac mantellatas, seu Pinzocheras, & vtriusque sexus personas dicti Ordinis Carmelitarum recipere, & admittere; ac earum singulis habitum regularem, ac regulam eiusdem Ordinis Carmelitarum ad instar huiusmodi mantellatarum, seu Pinzocherarum vtriusque sexus Ordinum, & vtriusque sexus personarum Ordinum fratrum Minorum, & Prædicatorum, necnon Heremitarum S. Augustin. præfatarum prout secundum Deum saluti animarum earumdem personarum salubrius visum fuerit expedire, etiam exhibere quæ sic receptæ, & imposterum recipiendæ auctoritate præfata gaudeant, & gaudere possint, & debeant tam exemptionis priuilegiis, quam omnibus immunitatibus; libertatibus, Indulgentiis, & aliis priuilegiis quibuscumque præfato Ordini Beatæ Dei Genitricis Mariæ de Monte Cameli, eiusque fratribus, ac personis per Sedem Apostolicam iam concessis, & quæ imposterum concedentur, quatenus huiusmodi exemptionis priuilegium, immunitates, libertates, indulgentiæ, ac quæcumque alia priuilegia ipsis Prioribus, & fratribus Ordinis de Monte Carmeli competunt, vel competere possunt, seu poterunt, & Priores & fratres, ac loca ipsa esse capacia. Eorumdem, Constitutionibus Apostolicis, ac statutis, & consuetudinibus, tam vestri, quam aliorum ordinum quorumcumque, & aliis contrariis non obstantibus quibuscumque.] Vide Bullam in speculo Ordinis fol. 88. Religiosi quoque Minimi S. Francisci de Paula habent etiam suos tertiarios ex multis priuilegiis Summorum Pontificum, quæ refert Laurentius de Peirinis *tom. 1. priuileg. Minim.* Huiusmodi autem Tertiarios Religionum, quantumuis priuilegia Religionum illis concessa sint, vt patet ex authoribus relatis, obseruentque regulam sui ordinis iuxta eorum statum, nihilominus regulariter personas religiosas, non esse dicendos, constat ex eo, quia regulariter non promittunt tria vota essentialia Religionis, neque solemnia, neque simplicia, sed duo tantum, scilicet Castitatis, & Obedientiæ. Rodrig. 3. *tom. quæst. regul. quæst. 72. art. 3.* Licet illi, qui prædicta tria vota sub regimine Prælatorum promiserint veri Religiosi appellari possint. Rodrig. *ibid. art. 1. 2.* Casarub. *in compend. verb. Tertiarij fratres num. 7. & 24.* Possunt tamen huiusmodi Tertiarij Religionum Fratres aut Sorores tertij ordinis nuncupasi. Primo quia sic vocantur aliqui ipsorum à Summis Pontificibus in Priuilegiis relatis. Secundo specialiter de Carmelitis ex priuilegio Sixti IV. adducto, vbi dicitur posse Prælatos Carmelitarum concedere habitum, & Regulam sui Ordinis *ad instar Mantellatarum, seu Pinzocherarum, aut Fratrum de Pœnitentia tertij Ordinis Fratrum Minorum, & Prædicatorū, &c.* Cum ergo prædictarum Religionum Tertiarij, Fratres, & Sorores tertij Ordinis nuucupātur, idem dici debet de Tertiariis Carmelitarum, Heremitarum S. August. & Minimorum, particula enim illa, *ad instar*, habet hanc vim, vt constat ex Suarez *lib. 8. de legibus cap. 15. num. 2.* Vbi inquit, quod priuilegium ad instar significat proprlam, adæquatam similitudinem, vt mensura ad mensuratum, & concedit omnem fauorem, & gratiam formaliter contentam in suo exemplari, & in eodem sensu, in quo in suo exemplari continetur, & cum eadem extensione. Tertio etiam id apparet ex etymologia nominis, tales enim personæ, ideo Tertiariæ, vel Tertiarij dicuntur, vel quia est triplex genus personarum, quæ regulam illius Religionis profitentur, scilicet Fratrum Religiosorum, Sororum Monialium, & Laicorum Secularium, vt inquit glos. *in Clem. III. de sent. excomm.* Vel quia Tertiarij isti sunt quasi quoddam tertium genus hominum quasi tertium, & medium inter Religiosos, & Laicos Seculares, quia etsi simpliciter eculares sint, nihilominus aliqua, quæ pertinent ad Religiosos obseruant, videlicet Regulam cum obseruantia aliquorum votorum. Et sane cum omnes prædicti Tertiarij ab omnibus nuncupentur, & sint Tertiarij Ordinis, non est cur illis negetur posse vocari tertij Ordinis; hæc enim correlatiua videntur. Vide decretum S. Congregationis super huiusmodi Tertiariis

tiatiis Anno 1616. editum apud Erasmum à Chokier. *de iurisdict. Ordin. in exempt. part. 1. quæst.* 17. Dianam. *tract. de immunit ecclesiast. Resol.* 89. & dicenda *tom.* 2. *c.* 14.

23 De Priuilegiis specialibus Regularium, quoad Officium Diuinum persoluendum agimus *c.* 12. De priuil. etiam Prælatorum Regularium *c.* 18. Confessariorum *c.* 19. Concionatorum *c.* 20. Sacerdotum *c.* 21. Nouitiorum *c.* 24. & Monialium *c.* 25. Si autem quæras quas causas, quæue motiua habuit Ecclesia, aut Sedes Apost. vt tot tantaque priuilegia Regularibus concesserit. Respondeo ad id motam fuisse tum ex magnis meritis Regularium personarum, tum etiam ex multis variisque grauaminibus, quibus ab Ordinariis vexabantur, quorum plura refert Pius V. in Bulla Etsi Mendicantium *in* 2. *tom. Bull. n.* 41. quam refero, *tom.* 2. *c.* 1. *n.* 12. vbi viginti sex ex prædictis grauaminibus refert hic Pontifex. Alia habentur in *c. Nimis praua de excessibus Prælatorum, & in c. Nimis iniqua, eod. tit. & in Clem. de Frequens eod. tit.* quæ in vnum collegit. Laurent. de Franchis *in suis controuersiis, pag.* 304. *q.* 4. & ex ipso Tambur. de Iure Abbatum *tom.* 3. *disp.* 5. *q.* 11. *n.* 110. quæ hic recensere mihi visum est. [Plerique tam Ecclesiarum Prælati, quam alij, viros Religiosos ad Synodos suas accedere ac suis constitutionibus subiacere compellebant, Capitula & scrutinia in locis Fratrum pro his corrigendis facturos se comminantes fidelitatem iuramento firmatam ab eorum Ministris & custodibus exigebant. Ipsis vt tam extra ciuitates, quam intra, cum eis processionaliter venirent, ex leui causa mandabant. Excommunicationis sententiam pronunciabant in ipsorum benefactores, id ipsum Fratribus comminantes. Ne Fratres, ad honorabiliores ciuitates, & villas vbi Religiosè ac honestè possent commorari à populis deuotè vocati accederent, inhibentes; tam in accedentes Fratres, quam in receptatores ipsorum excommunicationis sententiam fulminabant. Ab ipsis de hortorum fructibus decimas, necnon de habitaculis Fratrum, sicut de Iudæorum domibus extorquebant. Eos de locis, in quibus Deo seruiebant, amouere conabantur. Nonnulli statuta faciebant, per quæ derogabant priuilegiis exemptorum, vt ipsos suæ subderent totaliter ditioni; eisdem Ministros, & Custodes volebant præficere pro suæ arbitrio voluntatis. Et generaliter quam plures Prælati, Religiosis præsertim exemptis, & priuilegiatis in rebus & personis suis, ac iuribus spiritualibus, & temporalibus, contra iustitiam & eorum priuilegia graues inferebant iniurias, & iacturas. Volebant contra ipsorum Regulam à Sede Apostolica probatam, & Ordinis Instituta, ipsorum Confessiones audire, ac eis iniungere pœnitentias, & Eucharistiam exhibere. Nolebant, vt Corpus Christi in eorum Oratoriis reseruaretur, Fratres ipsorum defunctos apud Ecclesias suas sepeliri, & eorum exequias celebrari compellebant. Si quis decedentium Fratrum alibi, quam in suis Ecclesiis elegisset sepulturam, funus prius ad Ecclesias suas deferri cogebant, vt oblatio suis vsibus cederet. Nec sustinentes eos habere campanam, & cœmeterium benedictum certis horarum temporibus permittebant ipsos celebrare diuina. Volebant in eorum domibus certum numerum Fratrum Sacerdotum, Clericorum, & Laicorum, necnon cereorum, lampadarum, ornamentorum pro sua voluntate taxare; residuum cereorum quando nouiter approbantur ab ipsis exigentes. Nec permittebant, quod noui Sacerdotes eorum alibi, quam in suis Ecclesiis primas Missas celebrarent; eos nihilominus cogentes, vt in quotidianis Missis, quas in suis locis, & Altaribus celebrabant, oblationes ad opus eorum reciperent & reseruarent. Quidquid eis inter Missarum solemnia intra domorum suarum ambitum pia fidelium deuotione donabatur ab ipsis extorquere oblationis nomine contendebant. Viros religosos, etiam exemptos, capiebant, & carcerabant, etiam in casibus non concessis à Iure Per grauium interminationem pœnarum, impediebant, ne debentes exemptis decimas seu redditus, illos soluerent eisdem, neue aliqui Missas eorum audirent. Contra molentes in molendinis Monachorum, & coquentes in furnis eorum seruitutes quoque & vassallos, & domesticos eorumdem, vel alios qualitercumque contrahentes & participantes cum ipsis suspendebant, interdicebant, & excommunicabant absque causa rationabili pro libito voluntatis. Appellationibus, quas prædicti exempti ob præfata vel alia grauamina rationabiliter interponebant, quandoque minimè deferentes, appellantes, occasione appellationum huiusmodi, interdum capi, & carceri mancipari præcipiebant. Capellanos in Ecclesiis pleno iure spectantibus ad eosdem (licet nulla causa subesset legitima celebrare non sinebant, nec ministrare Parochianis Ecclesiastica Sacramenta. Contra Abbates. & Monachos, & Conuersos exemptos, nec non & Clericos ipsis pleno iure subiectos, eis non parentes, in quibus non tenebantur, inconsulta facilitate in carceribus detentos, suspensionis, & excommunicationis sententiam proferebant; loca & Ecclesias ipsorum interdicentes. In exigendo ab ipsis exemptis, eorumque subditis subsidia charitatis, nimium contra eos excedebant, insolitas, ac indebitas ipsis contra iura exactiones imponentes. Ecclesiis vacantibus, in quibus Monasteria Iuspatronatus obtinebant (repulsis personis idoneis ad eas præsentatis) personas inhabiles instituebant, & indignos. Processus iustè factos, seu sententias iustè latas à delegatis à Sedis Apostolicæ, vel à Conseruatoribus pro exemptis publicari seu exequutioni demandari à suis subditis non permittebant. Tabellionibus publicis, ne instrumenta conficerent, inhibebant? & Iudicibus, ne institiam redderent; & Iurisperitis ne consilium vel auxilium præberent in causis seu negotiis ipsorum. Nouos census & indebita onera Parochialibus imponebant Ecclesiis in quibus exempti Ius obtinebant patronatus. Ecclesias curam animarum habentes ad mensam Abbatum spectantes, quarum fructus Clericis secularibus quandoque ad firmam, concedebant ipsis decedentibus, suis Clericis conferebant; quamuis Ecclesiæ in rei veritate non vacarent. In Ecclesiis Monachorum iura ipsorum sibi iniuste appropriantes equos, boues, thesaurum, & alia bona Monasteriorum mobilia & immobilia illicitè occupantes; de ipsorum redditibus pro libito voluntatis ordinabant, ita vt Rectoribus ipsarum non remaneret, vnde possent sustentari. Quandoque cum armis, & vexillo erecto molendina, & alia exemptorum bona contra iustitiam destruebant, quæ etiam tanto tempore possederant, quod de contrario memoria non existeret. Frequenter mittebant ad Monasteria suarum ciuitatum, & diœcesum suos consanguineos, nepotes, & interdum animalia sua custodibus, vt eis de bonis Monasteriorum prouideretur. Abbates & Priores Monasteriorum sæpissimè compellebant vt suis consanguineis & nepotibus Monasteriorum suorum & Prioratuum possessiones concederent in perpetuum, vel ad tempus. Permittebant etiam

etiam, & tacite consentiebant, quod in suo dominio temporali per milites, vassallos, & ipsorum temporales Officiales Monasteriorum bona mobilia & immobilia per violentiam occuparentur in casibus non permissis à Iure, varias iniurias personis Ecclesiasticis inferentes. Interdum Abbates, Priores & alios beneficiatos suis beneficiis iniustè priuabant, vt sic fructus beneficiorum vacantium primi anni possent percipere. Cogebant sæuissimè Abbates, & Priores Monasteriorum ad sibi præsentandum suos familiares consanguineos, vel nepotes ad Ecclesias vacantes, in quibus Ius obtinebant patronatus. Sine iusta causa impediebant ne exempti loca sua possent reparare.] Hæc habent Franchus, & Tamburinus relati, & ex illis facilè dignoscitur quam rationabiliter ad obuianda talia grauamina Sedes Apostolica veluti pia Religiosorum mater plura priuilegia, quæ in tota hac Summa Quæstionum Regulariu m passim referimus, eisdem concessit.

SVMMARIVM.

Obedientiæ votum essentiale est, & præcipuum in Religione. num.1.
Eius obligatio solum extenditur ad licita & honesta num.2.
Quid si Prælatus præcipiat res solum concernentes vtilitati temporali n.3.
Non tenetur Religiosus obedire Prælato præcipienti vana, & impertinentia, vel quæ non pertinent ad Regulam.n.4.
Nec præcipienti actus mere internos per se sumptos. num.5.
Non obligatur Religiosus ex voto obedientiæ ad obedientiam formalem.n.6.
Nec ad id quod scit suum superiorem velle si non manifestatur.n.7.
Nec ad ea quæ Prælatus proponit solum sub consilium. num.8.
Bene tamen præceptis quomodocumque intimatis. numero 9.
De iis quæ aliquo modo continentur in Regula. numero 10.
Quid si Prælatus præcipiat ieiunium quod non est in regula.n.11.
Tenetur obedire Prælato præcipienti præcepta communia.n.12.
An teneatur ad austeritates quæ omnino sunt supra Regulam.n.13.
An ad pœnam sibi impositam n.14.
An ire ad partes remotissimas.n.15.
An ire ad commorandum in aliquo loco aeris intemperie laboranti.n.16.
Tenetur obedire Prælato præcipienti, vt accipiat aliquod officium intra Religionem.n.17.
Quid de officio extra ordinem.n.18.
Quid de ministrando infirmis tempore pestis numero 19.
Quid de Assistentia in aliquo loco tempore hæresis, numero 20.
Quid quando duo Prælati contraria præcipiunt. numero 21.
Religiosi hospites seu Peregrini num obligentur præceptis Prouinciæ vel Conuentus.n.22.
Quando Religiosi interrogati de delicto se prodere debeant.n.23.
In dubiis tenetur Religiosus obedire.n.24.& 25.
Item quando indicat probabiliter solum, vt malum id quod superior præcipit.n.26.
Item quando Prælatus præcipit rem illam in qua poterit dispensare.n.27.& 28.
Concessio Leonis Decimi pro dubiis, & scrupulis Religiosorum.n.29.
Quid quando est dubium circa factum in irregularitate.n.30.
Ex vi voti obedientiæ tenentur obedire Religiosi Summo Pontifici.n.31.
Si Pontifex, & Prælati contraria præcepere, Pontifici obediendum est.n.32.
Quando Religiosus fit Generalis Ordinis manet votum obedientiæ quoad Papam.n.33.
Religiosus grauatus à Prælato recurrere potest ad superiorem.n.34.
Si Prælatus præcipit Religioso vt celebret pro Petro, & ipse celebret pro Francisco, & si peccet, missa tamen prodest Francisco.n.35.
Corrigunt aliquando subditi suos Prælatos.n.36.
Præcepta superiorum obligant inferiores etiam absentes num.37.
An teneatur subditus obedire suo superiori excommunicato.n.38.



CAPVT IV.

De obligationibus Religiosorum ratione Voti Obedientiæ emissi in Professione.

OBEDIENTIÆ Votum non solum est essentiale Religioni iuxta dicta *capite 2. numero* 1. sed est præcipuum inter tria substantialia Vota Religionis. Eo quod per illud offertur Deo propria voluntas, quæ potior est, quàm corpus, quod offertur per Castitatem, & exteriora bona, quæ per Votum Paupertatis Deo offeruntur. Præsertim, quia votum obedientiæ continet sub se Vota Castitatis, & paupertatis. D. Thom. 2.2.*q.*186.*art.*8.& *q.* 104.*art.*3. 1

Obligatio Voti Obedientiæ solum extenditur ad res licitas, & honestas; ita vt cum certò constat, rem, quæ præcipitur esse illicitam, & malam, aut contra Regulam, aut præceptum Superioris altioris, nullo pacto teneatur Religiosus obedire quantumuis ad obediendum astringatur pœnis, & Censuris. Ratio est, non solum quia nulla lex humana obligare potest ad peccatum: sed etiam quia Religiosus solum tenetur obedire in his, quæ sunt materia Voti, materia autem Voti non est, nec potest esse res illicita, & inhonesta. D. Thom. *quodlib.* 10. *art.* 10. & 2. 2. *quæst.* 104. *art.* 5. Lessius 2. *de Iust. cap.* 41. *dub.* 9. *num.*76. 2

Hinc si Prælatus præcipiat res solum concernentes vtilitati temporali sui, aut suorum, & nō vtilitati Spirituali, vt si præciperet subdito, vt ageret aliqua negotia alicuius sui consanguinei, amici, non tenetur subditus obedire, cum hæc non sint secundum Regulam. Hieronym. Grat. *in Discipl. Regul. p.* 2 *c.*1.§.4. 3

Nec etiam tenetur Religiosus obedire Prælato præcipienti vana, impertinentia, vel quæ explicitè, siue implicitè non pertinent ad Regulam. Ratio est, quia obligatio obedientiæ in Religiosis solùm consurgit ex Voto obedientiæ, quod emiserunt, hoc autem Votum solum est secundum 4

dum Regulam illius Ordinis; & ita quicquid est vanum, & impertinens nulloque pacto ad regulam spectans non cadit sub obligatione. D. Thom. *quodl.* 10. *artic.* 10. Sanchez *lib.6. in Decalog. cap.* 2. *num.* 15.

5 Nec etiam est obligatus Religiosus obedire Superiori præcipienti actus merè internos, verbi gratia Fidei, Spei, Charitatis, &c. Ratio est, quia non potest Superior creatus, aut potestas humana præcipere, aut prohibere actus merè internos, cum Ecclesia non iudicet de illis, aut cogat ad illos. Quando tamen actus internus est modus necessarius externi, qui præcipitur, tunc actus internus cadit sub eodem præcepto, quo externus, & obligatur Religiosus ad illum. Vt si Superior præcipiat Religioso, quòd recitet Officium Diuinum, aut dicat Missam pro aliquo, tunc enim tenetur habere actus interiores attentionis, & intentionis, quia sunt modi necessarij actuum externorum, qui præcipiuntur. D. Thom 2.2. *q.* 104. *art.* 5. Angelus *in Summ. verb. Obedientia num.* 1.

6 Nec obligatur Religiosus ex Voto Obedientiæ ad Obedientiam Formalem, illam scilicet, per quam subditus exequitur præcepta Superiorum, quatenus præcepta sunt. Ratio est, quia non vouit Religiosus Obedientiam sub motiuo obedientiæ, sed solùm Obedientiam materialem, id est executionem rei, quæ præcipitur. Ergo per illam sufficienter satisfacit suo Voto, sicut generaliter Fideles, hoc etiam modo satisfaciunt aliis præceptis humanis. Suarez 4. *tom. de Relig. lib.* 4. *cap.* 14. Lessius *de Instit. & iur. lib.* 2. *cap.* 46. *dub.* 6. *num.* 12.

7 Nec tenetur ex vi Voti Obedientiæ Religiosus exequi id, quòd scit suum Superiorem velle, vt faciat, nisi hæc voluntas aliquo præcepto manifestetur. Ratio est, quia non obligatur, nisi ad Obediendum præceptis sui Superioris, voluntas autem Superioris, nisi sit intimata, non habet rationem præcepti. Vasquez 1. 2. *disp.* 155. *in fin.* Tolet. *in Summ. tract. de Sept. pec. mort. c.* 15. *num.* 10. Obedire autem voluntati Superiorum, etiam non intimatæ, est perfectissima Obedientia. Eò quòd sic faciens, non solùm facit id, ad quod tenetur, sed, & id, ad quod non tenetur; & quod tantum cadit sub Consilio. D. Gregor. *lib.* 35. *mor. cap.* 13. D. Thom. *in* 2. *dist.* 44 *q.* 2. *art.* 3.

8 Hinc etiam non tenetur Religiosus ad ea, quæ Prælatus proponit solùm sub consilio. Ratio est, quia ea quæ sunt sub consilio, vt ex ipso nomine patet, ad nihil obligant; sicut Vota Obedientiæ, Paupertatis, & Castitatis, quia Secularibus sunt solùm proposita vt consilia, ad nihil obligant illos. Valentia 2.2. *disput.* 7. *quæst.* 2. *punct*... Less. *de iustit. lib.* 2. *cap.* 46. *dub.* 4. *num.* 23. Obseruare tamen ea, quæ sub consilio solùm à Prælatis proponuntur, erit magna perfectio Obedientiæ, quam aliqui superobedientiam appellant. Sanchez *lib.6. in Decal. cap.* 1. *num.* 2.

9 Obligatur ergo solùm Religiosus ex vi Voti Obedientiæ, ad Obediendum præceptis suorum Superiorum, quomodocumque intimatis, siue ore tenus, siue scripto, siue alio modo. Ratio est, quia Obiectum Obedientiæ solùm est præceptum superioris. D. Thom. 2.2. *quæst.* 186. *artic.* 9. Azor. *tom.* 1. *Institut. Mor. lib.* 12. *c.* 13. *quæst.* 1. Non tamen tenetur Religiosus ad Obediendum superiori, nisi in iis, quæ concernunt Regulam Religionis. Ratio est, quia Votum Obedientiæ Religiosorum, solùm est secundum regulam Ordinis. Syluest. *verb. Relig.* 6. *num.* 6. Sanchez *lib.6. in Decal. cap.* 2. *num.* 15.

Non tamen tenetur solùm Religiosus obedire Prælato in illis, quæ expressè continentur in regula, 10
sed in illis etiam quæ continentur implicitè, qualia sunt illa, quæ necessaria sunt ad regulæ Obseruantiam. Ratio est, quia ad hæc omnia se obligauit Religiosus eo ipso, quo fecit professionem secundum regulam. Vasquez 1.2. *disp.* 154. *cap.* 4. Less. *lib.* 2. *de Iust. & Iur. cap.* 41. *dub.* 9.

Hinc si Prælatus præcipiat subdito ieiunare ali- 11
qua die, qua non tenetur ex Regula, vel aliam Corporis afflictionem subire, vel in pœnam delicti commissi, vel in cautelam ne in aliud incidat, tunc tenetur Religiosus obedire. Ratio est, quia hoc totum pertinet, & est necessarium ad Regulæ obseruantiam. Vasquez 1.2. *disp.* 154. *cap.* 4. Angl. *in Flor.* 2. *p. q.* 1. *de Voto art.* 2.

Tenetur etiam Subditus obedire Prælato præci- 12
pienti præcepta communia omnibus Christianis, vel etiam omnibus Ecclesiasticis, aut Religiosis, vt audire Sacrum diebus Festis, dicere Officium Diuinum, &c. Ratio est, quia quamuis ista non contineantur in Regula, sunt tamen quasi præambula quædam ad illam necessaria. Caiet. 2.2. *q.* 186. *art.* 5. id colligens ex D. Thom. *ibid.*

Ea, quæ sunt omninò supra Regulam, vt sunt 13
verbi gratia, nimis macerare Corpus, magnæ austeritates, subire Martyrium, imò, & facere mortificationes aliquas extraordinarias, vel solùm pro libito Superiorum, non possunt præcipi à Prælato Regularium, nec ad ea tenetur Religiosus. Ratio est, quia vt dixi Votum Obedientiæ solùm obligat ad ea, quæ Regulam concernunt, siue explicitè, siue implicitè. S. Thom. 2. 2. *quæstione* 104. *artic.* 5. *ad* 3. Gers. *lect.* 4. *de Vit. Spir. alf.* 62. *litt. R.* Imò nec Generalis cum toto Capitulo Generali possunt noua aliqua statuta Regulam non concernentia præcipere. Vasquez 1. 2. *disputatione* 154. *cap.* 4. *num.* 25. Miranda *in Manual. tom.* 1. *quæst.* 26. *artic.* 10. Si tamen in Regula dicatur obediendum esse Superioribus, etiam si supra Regulam aliquid præcipiant (prout in Regula Minorum *cap.* 10. & in Constit. Societ. Iesu *part.* 3. *cap.* 1. §. 23. & *part.* 6. *c.* 1. §. 1. videtur haberi) tunc Subditus tenetur obedire. Eò quòd in tali casu id, quod præcipitur, est conforme Regulæ. Less. 2. *de Iust. c.* 41. *dub.* 9. *n.* 77.

Si Prælatus imponat aliquam pœnitentiam sub- 14
dito propter suspicionem delicti, quod reuera non commisit, non tenetur subire talem pœnam. Eò quòd innocens, non debet puniri. In publico autem ratione scandali aliorum tenetur obedire. Nauarr. *in Summ. cap.* 23. Vasquez 1. 2. *disp.* 174. *cap. vltim.*

Similiter quando Regula non præcipit obedi- 15
re Superioribus, etiam supra ipsam, Religiosi illam profitentes non tenentur ex vi Voti Obedientiæ obedire Superioribus præcipientibus ire ad remotissimas partes, videlicet Indiarum, ad conuertendos infideles ad fidem. Non solùm quia id est expositum multis periculis corporis, & animæ, sed etiam, quia hoc nullo modo concernit Regulam, quam sunt professi. Ludouic. Lopez 1. *part. Instruct. c.* 56. *colum.* 1. Rodriguez 2. *tom. Summ. cap.* 9. *num.* 5. & *tom.* 3. *quæst. Regul. quæst.* 19. *art.* 7. Excipiuntur ab hoc Religiosi Societatis, quia speciali voto ad hoc se alligant. Iidem Auctores.

Tenetur Religiosus obedire Prælato iubenti, vt 16
eat ad commorandum in aliquo loco aëris intemperie laboranti. Quia hoc est conforme Regulæ, &

necessarium pro conseruatione locorum Regularium. Excipe casum, quando subditus certò sciret Prælatum hoc illi præcipere solùm ex odio, & mala voluntate erga ipsum. Quia tunc Prælatus abutitur sua potestate, Laurentius de Peirinis *tom.*1. *quæst.* 1. *de obedientia cap.*11.

17 Tenetur etiam Religiosus obedire Prælato præcipienti, vt accipiat munus Prælati, seu aliquod officium intra Religionem. Ratio est, quia hoc est conforme Regulæ, & potest esse conueniens Religioni. Imò etiam si dubitet de sua sufficientia. D.Anton.3. *p.tit.*16.*cap.*1.§.7.*cap.*16. Paludan. *in* 4.*distinct.*19. *q.*2. *artic.*1. Si verò Religiosus habeat impedimentum aliquod, quod nec ipse, nec Prælatus præcipiens accipere officium possit amouere, vt si habeat aliquam incapacitatem, vel irregularitatem soli Papæ reseruatam, non tenetur obedire. Eò quòd nemo obligari potest ad illicitum. S.Thom.2.2.*q.*185.*art.*2.*ad* 2. Sot.*de iustit. quæst.*2. *art.*2. Secus est quando dubitat an sit dignus. Quia in dubiis obediendum est. Sanchez *lib.*6. *in Decal. cap.*3.*num.*11.

18 Non tamen potest Prælatus Religionis Papa inferior præcipere suo Subdito, vt accipiat Episcopatum, (idem dico de quocumque alio officio extra Ordinem) neque iste tenetur obedire, licet laudabiliter satis Sancti aliqui viri suis Superioribus in hoc etiam obedientes fuerint, provt de B.Thoma de Villanoua, & Illustriss. Bartholomæo de Martyribus, vtroque ex grauissima Augustiniensi familia, dicitur, ille etenim Archiepiscopatum Valentinum, & iste Bracharensem, iubentibus Superioribus, acceperunt. Ratio est, quia fieri Episcopum non pertinet directè, aut indirectè ad obseruantiam Regulæ, quam professus est Religiosus, cum potius eximat ab illa; neque ordinatur per se ad bonum Religionis, sed tantùm ad bonum Ecclesiæ. Solùm ergo à Papa, ad quem pertinet cura Ecclesiæ, potest cogi Religiosus ad hoc munus subeundum. Valentia 2.2.*disp.*10.*q.*3.*punct.*3. Sanch.*lib.*6.*in Decal. cap.*2.*num.*49.

19 Tempore pestis, vel alterius mali Contagiosi, ex quo imminet periculum mortis tenetur Religiosus obedire Prælato suo, præcipienti, vt ministret infirmis Religiosis illius Religionis. Non tamen tenetur obedire illi si præcipiat ministrare extraneis, nisi in casu, quo deessent Parochi, qui illis ministrarent Sacramenta, vel Parochi, qui essent, non sufficerent ad id præstandum. Ratio primæ partis est, quia præstare Religiosos sibi inuicem mutua hæc ministeria ad conseruationem Religionis spectantia concernit Regulam, quàm professi sunt, & ita tenentur ad eam, etiam cum periculo vitæ, sicut tenentur milites præliari, vel esse in tali loco, cum eodem periculo. Ratio secundæ partis est, quia Religiosum seruire extraneis peste infectis, cum periculo vitæ, non est secundum Regulam, sed supra illam. Ratio etiam tertiæ partis est, quia Religiosi, præsertim Mendicantes, & alij, quorum institutum est saluti proximorum incumbere, sunt coadiutores Episcoporum, & parochorum in salute proximorum procuranda; & ob id Fidelium Eleemosynis sustentantur. Rodrig. 3.*tom.quæst.*31.*art.*3. & 4. Sanchez *lib.*6.*in Decal.c.*2.*ad n.*54. Vide dicta *cap.*1.*num.*17.

20 Idem dico de tempore hæresis, scilicet posse Prælatum præcipere Religiosis, vt assistant alicui loco ad prædicandum, disputandum, & defendendum Ecclesiam contra Hæreticos, etiam cum periculo vitæ. Ratio est eadem, quia hoc non excedit Regulam, quam professi sunt, sed potius concernit illam, cum ex illa sint coadiutores Episcoporum, & Parochorum. S.Thom.*opusc.* 18.*cap.*14. Rodrig. *vt supra.*

Duobus Prælatis contraria præcipientibus non licet obedire minori neglecto maiori. Quia potestas minoris subordinata est maiori, & ita illi subiecta, & minus obligans. Lancellot. *in Gnome Vit. Relig. lib.*2. *sect.*1.*art.*3. *resol.*6. Si tamen contingeret (quod rarò eueniet) quòd duo Prælati, æqualis omninò auctoritatis aliquid Religioso præciperent, tunc parendum vel ei, qui præcipit in ordine ad nobiliorem finem, vel ei qui primò præcipit, vel si cætera sint paria, cui magis placuerit. Laurentius de Peirinis *tom.*1.*quæstione* 1.*de obedientia cap.*7. 21

Religiosi hospites, seu peregrini in aliqua Prouincia, vel Conuentu non obligantur specialibus præceptis eius prouinciæ, vel Conuentus. Ratio est, quia illa præcepta tantùm sunt posita pro subditis. Attendendum tamen est in hoc, tum ad Constitutiones Religionis; tum ad consuetudinem, & ne inde oriatur scandalum. Suarez *tom.*4. *de Relig. tract.*8.*lib.*2.*cap.*8.*num.*21. Oppositum affirmans de legibus: ita vt ad illas etiam obligentur Religiosi Hospites, & Peregrini. Idem *num.*23. Hoc tamen præcipuè intelligo in foro exteriori. Eò quòd si hospites, & forenses non se conformant habitatoribus, oritur turbatio, & scandalum. Rodrig. *tom.*1.*quæst. q.*68.*art.*4. Miranda 2.*tom. Manual q.*29.*art.*6. Qui etiam benè addunt, etiam in foro interiori obligari, quando est scandalum, & non subest rationabilis causa illos excusandi. 22

Non tenentur Religiosi interrogati, etiam sub iuramento ad manifestandum eum; quem deliquisse norunt, neque ipsi delinquentes tenentur se prodere, etiam ad quodcunque præceptum suorum Superiorum, quando adeò est occulta persona, vt nulla infamia laboret, iuxta dicenda *cap.*27. *num.*11. & 12. Ratio est, quia iudex, seu Prælatus non potest de tali persona delinquente, quando est occulta iuridicè interrogare. Ergo neque subditi manifestare. Caietan. 2. 2. *quæst.*33. *art.*7. Suarez 4. *tom. de Relig. lib.*10. *cap.*11. *numero* 7. & *cap.*12. *à num.*1. Secus vero, quando præcedit aliqua infamia. Quia tunc iuridicè interrogantur. Sotus 5.*de iustit.quæst.*6.*artic.*1.*conclus.* Azor.*tom.*3. *lib.*13. *cap.*25. *dub.*3. Vide dicenda *cap.*27. *num. vt suprà.* 23

Non solùm tenetur Religiosus Prælato suo obedire in rebus, quas certò cognoscit esse licitas, & honestas, sed etiam quando dubitat, an res, quæ illi præcipitur, sit licita, necne; dummodò non sciat euidenter esse malam, & illicitam. Ratio sumitur, tum ex doctrina D. Augustini *lib.*22. *contra Faustum cap.*74. & 75. scilicet, quòd etiam Regi iniquo indicenti bellum obediendum est à subditis, dum non constat bellum esse iniustum ex quo sequitur, idem dicendum esse de obedientia Religiosi erga suum Prælatum. Tum etiam, quia quoties Subditus potest habere iudicium prudentiale, quòd res, quæ illi præcipitur sit licita, & honesta, tenetur obedire: in casu autem præsenti potest habere hoc iudicium, etiam si habeat dubium speculatiuum, an res, quæ illi præcipitur, sit licita, vel non; eò quòd, cum Prælatus habeat possessionem suæ iurisdictionis, & in dubiis melior sit conditio possidentis, poterit iudicare Subditus Prælatum licitè præcipere; ac per consequens ipsi teneri obedire. Nauarr. 24

cap.

cap. si quis autem num. 114. *de Pœnit. distinct.* 7. *& in Summ. cap.* 23. Bannez 2. 2. *quæst.* 40. *artic.* 1. *dub.* 6. Malè ergo Scioli quidam Religiosi, qui, vix Theologia, vel Casibus Conscientiæ à limine salutatis, arundine mathematica, quid Superiores iis, vel illis præscribendis auctoritatis habeant cum scandalo pusillorum factiosè metiuntur. Cum, teste Diuo Gregorio *in primo Reg. lib.* 2. *cap.* 4. *Vera Obedientia, nec Præpositorum intentionem discutit, nec præcepta discernit, quia omne vitæ suæ indicium maiori subdidit. Nescit enim iudicare quisquis perfectè didicerit obedire.*

25 Idem dico in casu, quo Subditus dubitat rem præceptam excedere Regulam, & limites potestatis Superioris, aut Prælatum non esse legitimè electum, aut confirmatum, esto sit in pacifica possessione. Propter eandem rationem. Sanchez *lib.* 6. *in Decal. cap.* 3. *num.* 4. 29. & 30.

26 Item quando Religiosus iudicat probabiliter, vt malum id, quod Superior præcipit, dum enim hoc non constet ei euidenter tenetur obedire. Tum propter eandem rationem. Tum quia esset confusio, & destructio Communitatis, si prætextu Opinionis probabilis nollet, quis Superiori obedire. Tum etiam, quia alias cogendi essent Superiores ad non præcipiendum nisi ex certa, & euidenti notitia honestatis rei, quæ præcipitur, quod est super humanam facultatem. Cordub. *lib.* 3. *qq. quæst.* 9. Valentia 2. 2. *disp.* 7. *q.* 3. *punct.* 2.

27 Similiter quando Prælatus præcipit aliquid contra, aut supra Regulam, si tamen constet euidenter, aut etiam probabiliter, imò etiam si res sit speculatiuè dubia, quòd possit in illo dispensare, tenetur Religiosus obedire. Ratio est, quia in his casibus tenetur credere, quòd præcipiendo illam rem dispensat in Regula, ac per consequens, quòd potest dispensare, quòd debeat ipsi se conformare. Angel. *verb. Relig. num.* 29. Syluest. *verb. Relig.* 6. *quæst.* 6. Idem dicendum est quando dubitat Religiosus, an Prælatus ex iusta causa dispenset. Propter eandem rationem. Nauarr. *in Summ. disput. cap.* 23. Lessius 2. *de iustit. capit.* 41. *disputatione* 9. *num.* 76. Quando autem Prælatus præcipit contra Regulam, in qua non potest dispensare, nullo modo tenetur subditus illi obedire. Quia Prælatus nullatenus habet dominium supra Regulam, & subditus non promisit ipsi obedire, nisi secundum ipsam. Tamburinus *de Iure Abbat. tom.* 3. *disput.* 4. *quæst.* 3. *num.* 10. Idem dico si Prælatus præcipiat aliquid infra Regulam casu quo non possit in illa dispensare, aut non sit causa sufficiens ad dispensandum, vt si Regula iubente quo habeatur vna hora orationis mentalis, & Prælatus præciperet vt solùm esset pro media hora. Peyrinis *tom.* 1. *de subdito q.* 1. *ante* 1. *conclus.* Tamburinus *supr. num.* 12. Possunt autem Prælati compellere suos subditos ad recipiendum dispensationem ab ipsis factam in Regula, Constitutionibus, &c. casu quo in illis possint dispensare, & subsit causa ad id faciendum, tunc enim dispensatio est iusta, & res dispensata licita, & honesta, ac per consequens materia obedientiæ. Angelus *in Summ. verb. Religiosus num.* 29. Syluest. *verb. Religio* 6. *q.* 6. Sanchez 6. *in Decalog. c.* 3. *num.* 8. Tamburinus *supra quæsito* 13.

28 Etiam cum Religiosus valetudine, aut aliquo impedimento probabili, dubius est, an teneatur, verbi gratia ieiunare, abstinere à carnibus, dicere Officium Diuinum, &c. tenetur obedire Prælato præcipienti ne ieiunet, aut quòd carnibus vescatur, aut quòd officium non persoluat. Propter eandem rationem. Sotus *de Sacram. membr.* 3. *quæst.* 2. *conclus.* 1. Salas 1. 2. *quæst.* 21. *tract.* 8. *disp. vnica sect.* 17. *num.* 155.

Imò generaliter loquendo, quòd subditi debeant, & possint stare determinationibus suorum Superiorum in dubiis, & scrupulis ipsorum subditorum conscientiam tangentibus, cum consilio aliquorum Patrum si res magni ponderis fuerit, concessit Leo X. Franciscanis, & per consequens omnibus aliis, qui per communicationem ipsorum priuilegiis vtuntur. Cordub. *in Regula D. Franc. cap.* 10. *quæst.* 2. *punct.* 3. Miranda *in Manual. tom.* 1. *quæst.* 26. *artic.* 5. Quæ concessio, licet quia viuæ vocis Oraculo facta fuit, his temporibus nihil valeat quatenus nouam gratiam concedit; quatenus tamen explicatiua est iuris, quod habent Prælati supra subditos, vt veri ipsorum Pastores, & Doctores, deseruit ad intentum. Vide dicenda *c.* 18. *num.* 56. 29

Cum verò est dubium Religiosi circa factum in irregularitate, vt si dubitet an commiserit homicidium, tunc iussus à Superiore non potente in illa irregularitate dispensare, vt celebret, non tenetur obedire. Quia dubius de homicidio iudicandus est irregularis *ex cap. significasti, & ex cap. ad audientiam de homicid.* Vasquez 1. 2. *disp.* 66. *cap. vltim. numero* 50. Sayrus *in clau. Regia lib.* 1. *cap.* 13. *num.* 38. Cum verò dubium non est multum vrgens, si communicato cum prudenti Superiore, dixerit, illud non esse sufficiens fundamentum ad dubitandum, deponendum est, & standum iudicio Superioris. Vasquez *vt supr.* Sanchez *lib.* 6. *in Decal. cap.* 3. *num.* 22. 30

Ex vi Voti Obedientiæ, quod Religiosi emittunt, tenentur obedire in his, quæ concernunt Regulam non solum Prælatis Religionis, sed etiam specialiter Summo Pontifici, non solùm quatenus est Caput Ecclesiæ, quo titulo omnes etiam sæculares illi obedire debent, sed specialiter, etiam ratione Voti obedientiæ emissi in professione. Ratio est, quia Summus Pontifex est supremus omnium Religionum Generalis, cum omnis potestas iurisdictionis Generalis, & aliorum Prælatorum Religionis ab illo deriuetur; atque ita per obedientiæ Votum illi subduntur Religiosi, & tenetur obedire. S. Thom. 2. 2. *q.* 186. *art.* 5. *ad* 3. Bannez 2. 2. *q.* 11. *art.* 10. *dub.* 6. *ad finem.* Idem dico de S. Congreg. Cardinalium super Regulares, quia illa specialiter instituta fuit à Sixt. V. & aliis Pontificibus pro regimine Regularium. Thom. de Iesu *tr.* 3. *de visitat. Reg. c.* 17. *num.* 7. 31

Hinc si Pontifex, & Prælati Religionum contraria præciperent, obediendum est, etiam ex vi Voti Obedientiæ, Pontifici. Cum omnis iurisdictio Prælatorum Religionis sit in illo principaliùs, & ab illo deriuetur. S. Thom. *in* 2. *distinct.* 44. *in expos. liter.* Sanchez *lib.* 6. *in Decalog. cap.* 1. *num.* 10. 32

Hinc etiam quando Religiosus fit Generalis suæ Religionis, quamuis eximatur ab obedientia inferiorum Prælatorum manet Votum obedientiæ illius quoad Papam. Cùm non eximatur ab ipsius obedientia, nec dispensetur cum illo in Voto emisso. Aragon. 2. 2. *quæstione* 88. *artic.* 11. Valentia 2. 2. *disput.* 10. *quæstione* 3. *punct.* 8. Hinc quoque si Pontifex præcipiat aliquid, quod sit simpliciter supra Regulam, ita vt illam nullo modo concernat, non tenetur Religiosus obedire ex vi voti obedientiæ. Quia debitum speciale quod habent Religiosi obediēdi Pontifici vltra alios Christianos est 33

est solùm ratione Voti Regulæ, quod emiserunt, ac proinde non poterunt obligari supra illam. Lessius 2. *de iustit. cap.* 41. *dub.* 9. *num.* 77. Sanchez *lib.* 6. *in Decalog. cap.* 2. *num.* 22. Hinc præterea potest Pontifex eximere quemcumque Religiosum ab Obedientia inferiorũ Prælatorum & sibi reseruare. Quia hoc est vti iure supremi Prælati Religionum quod habet. Quamuis non possit licitè hoc facere sine causa. Quia hoc esset potius in destructionem, quam in ædificationem. Suarez 4. *tom. de Relig. tract.* 8. *lib.* 3. *c.* 11. *n.* 7. & 8.

34 Non est contra Votum Obedientiæ, quod Religiosus grauatus à Prælato, causa querelæ recurrat ad Superiorem Prælatum, vt si est grauatus à Priore, quòd recurrat ad Prouincialem, & à Prouinciali ad Generalem. Ratio est, quia potestas minoris Prælati est subordinata maiori, & illi subiecta, ac per consequens ab illo discutienda. Nauarrus *lib.* 2. *consil. in* 1. *edit. tit. de sent. & re iudicat. cons.* 2. *num.* 8. *in* 2. *tit. de appell. cons.* 5. *num.* 8. Sayrus *lib.* 12. *clau. reg. cap.* 17. *num.* 38. An autem liceat appellatio à Iudice Regulari, vel illum recusare, dicimus *c.* 9. *à num.* 4.

35 Si Prælatus præcipiat Religioso, vt celebret Missam pro Petro, verbi gratia, & ipse celebret pro Francisco, licet sine dubio peccet sic faciendo, cùm in re licita, & honesta, & conformi Regulæ transgrediatur præceptum Superioris, nihilominus Missa illa proderit Francisco, non Petro. Ratio est, quia Sacerdos in administratione Sacramentorum, & applicatione sacrificiorum operatur, vt minister Christi, & vt habens solùm ab ipso potestatem, ergo solùm illi subiicitur non alij Superiori, quoad has actiones. Suarez *tom.* 3. *in* 3. *pag. disp.* 79. *sect.* 9. Ledesma 1. *p. Summ. de Euchar. cap.* 18. *conclus.* 18.

36 Non est contra Votum Obedientiæ, quod aliquando subditi suos Prælatos corrigant, possunt enim id, & quandoque debent facere. Nam illud Matth. 18. & Lucæ 17. *Sic peccauerit in te Frater tuus corripe illum*, omnes comprehendit, tam subditos quàm Prælatos. Valentia *tom.* 3. *disputatione* 3. *quæst.* 10. *punct.* 4. Rodriguez *tom.* 2. *quæst. Regul. quæst.* 8. *art.* 2. Quando tamen Prælatus est corrigendus propter aliquos defectus, corrigi debet à personis grauibus, & auctoritatis, & leniter, humiliter, & reuerenter. Probat id D. Thom. 2. 2. *q.* 33. *art.* 4. ex illo Pauli 1. *ad Timoth.* 5. *Seniorem ne increpaueris, sed obsecra vt patrem.* Valentia, & Rodrig. citati.

37 Præcepta Superiorum Regularium, etiam si adiunctas habeant censuras, ligant inferiores, quamuis existant extra eorum Monasteria, & prouincias. Ratio est, quia Prælati Religiosorum non habent territoria diuisa sicut Episcopi, sed eorum iurisdictio est in ordine ad personas subditas secundum se, & vbicumque sint, cum ratione Voti Obedientiæ se illis absolutè subiecerint, ergo vbicunque fuerint possunt illis præcepta imponere. Sylu. *verb. excommunicatio* 2. *num.* 15. vbi refert quosdam dicentes, totum mundum esse territorium Prælatorum Regularium. Cornexo *tom.* 2. *in* 3. *p.* S. Thom. *tract.* 5. *de censur. disp.* 6. *dub.* 2.

38 Non tenetur subditus obedire suo Superiori excommunicato publico, seu non tolerato, quia tunc caret iurisdictione circa subditos. Imò neque potest licitè Superiori sic excommunicato obedire, quia hoc esset recognoscere in illo potestatem iurisdictionis, quem non habet, & communicare cum il lo, quod non licet. Cornexo 2. *tom. in* 3. *p. disp.* 10. *de excommunic.* §. 5. *dub.* 1. Vide Suarez *tom.* 5. *de cens. dis.* 15. *sect.* 7.

De Obedientia debita à Religiosis Regulæ suorum Ordinum dicimus *cap.* 7. & de obedientia ad Constitutiones, seu Statuta *cap.* 8 & de obedientia ad decreta Conciliorum, Summorum Pontificum, & Sacrarum Congregationum *cap.* 9. & 10. Insuper, in quibus teneantur obedire Dominis Episcopis, & Prælatis Ecclesiarum, aut etiam principibus secularibus *cap.* 11. Deinde de Obedientia Regularium ad Episcopatum, vel alias dignitates assumptorum *cap.* 17. Et de obedientia, quam Religiosi eiecti à suis Ordinibus obseruare debent, *cap.* 23. De Nouitiis *cap.* 24. Et de Monialibus *cap.* 25. 39

SVMMARIVM.

Matrimonium Religiosorum illicitum est & inualidum. num. 1.
Siue Virginem siue viduam in matrimonium ducant sunt irregulares bigami. num. 2.
Tenentur ex voto abstinere ab omni actu venereo siue interno, siue externo. num. 3
Omnis talis actus est sacrilegium. num. 4.
Quam grauitatem habeat. num. 4. & 5.
Per castitatem religiosam quid prohibeatur. num. 6.
Quid dicendum de castitate Religiosi militaris. n. 7.
Quomodo confitendæ sint circunstantiæ voti castitatis religiosæ & annexæ Ordini sacro. n. 8.
Illius qui vltra votum solemne emisit etiam simplex. num. 9.
Peccatum Religiosi contra castitatem quod reseruari possit. num. 10.
Peccati Sodomiæ malitiæ, & pœnæ. num. 11.
Quando incurratur. num. 11. & 12.
An per solam attentationem talis sceleris. num. 13.
Non possunt Religiosi admittere intra sua Monasteria fœminas nec Religiosæ viros. num. 14.
Quid pro honestate, & religioso decore conseruandis decreuerint Summi Pontifices. num. 15.
Religiosi in peccatum carnis lapsi quas pœnas incurrant. num. 16.



CAPVT V.

De obligationibus Religiosorum propter Votum Castitatis.

QVI Castitatem in Religionibus vouerunt, non solùm peccant contrahendo Matrimonium, sed & Matrimonium ipsum est irritum, & inualidum, etiam si consummatum sit. Ita habetur in Concil. Viennens. *Clem. vnica de Consang.* Trident. *sessione* 24. *Canon.* 9. & aliis Conciliis. Sanchez *lib.* 7. *de Matrimon. disputatione* 26. Cornexo *tom.* 2. *in* 3. *part. disput.* 7. *de Matrimon. dub.* 9. Num autem Matrimonium celebratum post professionem sit irritum iure naturali, an solum iure Ecclesiastico aliis relinquimus. Less. *de iust. & iur. lib.* 4. *cap.* 41. *num.* 68. Vide dicta supra *cap.* 2. *num.* 12. & Cornexo *vt suprà*, vbi etiam de excommunicatione ipso facto, quam incurrunt Religiosi, si scienter contrahant matrimonium, *ex Clem. vnica de Consang. & affinit.* 1

Religiosi professi aliquam, siue Virginem, siue Viduam in Matrimonium ducentes sunt irregulares irregularitate bigamiæ similitudinaria. *Ex cap.* 2

Monacho

*Monacho 27. quæst.*1. Ius enim interpretatur istos contraxisse duo Matrimonia, alterum spirituale cum Christo, & alterum carnale, licet inualidum, cum fœmina. Sanchez *lib.7. de Matrim. disp.*85. *num.*5. *&* 6. Cornexo *tom.*2. *in* 3.*part. disput.*10.*de irregularitate dub.*2. adde: Imò Religiosi qui post votum Religionis contraherent cum vidua, aut duo matrimonia, essent irregulares irregularitate bigamiæ interpretatiuæ iuxta ea quæ dico *tom.*2. *verbo Bigamus & Bigamia num.*6. vbi etiam *est n.*5. An Prælati Regulares possint in hac irregularitate dispensare, esto quod possint id facere irregularitate orta ex bigamia purè similitudinaria, de qua eo loco dico.

3 Per castitatem promissam tenetur Religiosus abstinere ab omni actu venereo, siue interno, siue externo, qualiscunque ille sit, vt à turpibus cogitationibus, delectationibus morosis, consensu, actibus externis, &c. Ratio est, quia Votum Castitatis est noua obligatio, quam sibi Religiosus imponit supra obligationem Iuris naturalis, & diuini. Ius autem naturale, & diuinum prohibet hæc omnia extra coniugium. Suarez *tom.*1.*de Relig. lib.*3.*cap.*3.

4 Hinc fit, quod omnis actus venereus, qui in secularibus extra coniugium est peccatum contra Castitatem sit, in Religioso sacrilegium. Eò quòd ratione voti emissi talis actus opponitur virtuti Religionis. Lessius 2. *de iustit. capite* 41. *dubit.*9. *numero* 78. Hæc autem malitia sacrilegij est mortalis in illis actibus, in quibus malitia libidinis est in secularibus mortalis; venialis verò, in quibus illa est venialis. Ratio est, quia circumstantia voti Castitatis non immutat obligationem iuris naturalis, sed solùm addit circumstantiam sacrilegij, quæ circumstantia sequitur naturam actus, cui adiungitur. Lessius *vt supr.* Sanchez *lib.*5. *in Decalog.c.*6.*n.*9.

5 Contingere tamen poterit, quòd actus venereus, qui in sæcularibus solùm est venialis, verbi gratia, verbum inhonestum, gestus impudicus, vsus vestis lasciuæ, &c. sit mortalis in Religioso ratione scandali. Ratio est, quia cum talia vident in Religioso sæculares graue scandalum concipiunt. Eò præsertim, quòd Religiosus debet esse, & apparere omnimodè ab huiusmodi alienus. Imò credo tale peccatum mortale scandali esse contra votum Castitatis promissæ à Religioso (cum peccatum scandali reducatur ad eandem speciem, ad quam pertinet peccatum illud ad quod inducit) ac perinde in casu, quo violatio Castitatis sit casus reseruatus Religioso, maneat quoque reseruata hæc culpa. Quidquid dicat Sanchez *lib.*5. *in Decalog. cap.*6.*num.*11.

6 Castitas Religiosa non solùm excludit commixtionem veneream, aut aliam actionem exterius consummatam; sed etiam aspectum, locutionem, tactus, litterarum, vel munusculorum missionem, frequentem accessum, aut locutionem cum fœminis, &c. Ratio est, quia sicut ista in sæcularibus sunt contra Castitatem, vel continentiam, ita in Religiosis sunt contra votum. Lancellotus *ignom.vltim.Relig. lib.*2.*sect.*2. *artic.*1. *resolut.*2.

7 Probabile est Religiosum militarem, verbi gratia, sancti Iacobi, &c. peccare contra Castitatem. quando debitam militiam omittit ex affectu ad rem vxoriam. Ratio est, quia licet votum Castitatis istorum militum non obliget illos, nisi ad Castitatem coniugalem, ac per consequens possint habere vxores; obligat tamen illos etiam ad dimittendam vxorem, quando id necessarium est, vt bello intersint; si ergo id non faciunt, peccant contra votum Castitatis promissum. Suarez 4.*tom.de Relig. tract.*9. *lib.*1. *c.*4.*num.*19. Vide dicenda *tom.*2.*cap.*5. *num.*10.

Religiosus Sacerdos, seu in sacris constitutus peccans contra Castitatem tenetur secundum aliquos manifestare in confessione circumstantiam voti Castitatis Religiosæ, & voti Castitatis annexi Sacerdotio, aut Ordini sacro. Videntur enim ibi esse duæ militiæ specie diuersæ, altera contra Castitatem Religiosam, & altera contra Castitatem debitam Sacerdotio, aut Ordini Sacro. Petrus de Ledesma *cap.*19. *de pœnitent.* Alij verò probabilissimè docent oppositum, & dicunt sufficere, quòd dicat, se contra Castitatis votum deliquisse. Eò quòd duplex illa malitia non est specie diuersa, sed contra eandem virtutem; nec diuersitas præceptorum facit malitias diuersæ speciei. Sanchez *lib.*7.*de Matrimonio disput.*27. *à num.*22. Bonacina *quæst.*4. *de Matrimon. punct. vltim. num.*28. In casu autem, quod Confessarius cognoscat pœnitentem esse Religiosum, Sacerdotem, aut Diaconum, nec tenetur dicere circumstantiam aliquam voti Religiosi, aut Ordinis sacri. Eò quòd Confessarius sciens pœnitentem esse Religiosum, Sacerdotem, vel Diaconum, &c. sufficienter, etiam scit peccata ipsius carnalia habere oppositionem cum Voto solemni Castitatis, & esse sacrilegia. Bonacina *vt supr. num.*31. 8

Religiosus, qui vltra votum solemne Castitatis, fecit etiam votum simplex Castitatis, & peccat contra illam, licèt secundùm aliquos teneatur confiteri vtramque circumstantiam; eò quod obligatio seruandi Castitatem ex Voto solemni sit maior, & diuersa, quàm illa, quæ nascitur ex Voto simplici (Aragon.2.2.*quæst.*88. *artic.*7.) Alij tamen docent oppositum, Eò quòd vtrumque Votum est eiusdem speciei, solùm accidentaliter diuersum, ac per consequens in tali peccato solùm est vana malitia sacrilegij, quæ sufficienter explicatur, dicendo se violasse votum Castitatis. Sanchez *lib.*7. *de Matrim.disp.*27. 9

Peccatum Religiosi contra Castitatem, seu *lapsus carnis voluntarius opere consummatus* reseruari potest à Superioribus Regularium. Ita Clem. VIII. Anno 1593. in decreto de reseruatione casuum, vbi inter eos, quos permittit posse reseruari, ponitur iste nono loco. Quarant. *in Summ. Bullar. verb. casus reseruat.* Per lapsum autem carnis voluntarium opere consummatum, intelligitur non solùm, fornicatio, adulterium, incestus, &c. sed etiam quæcumque voluntaria pollutio, aut mollities. Eò quòd etiam est lapsus carnis in sua specie opere consummatus, licet alias in ordine ad alium actum, videlicet copulam, consummatus non sit. Suarez 4. *tom. de Relig. tract.*8. *lib.*2. *cap.*18. *num.*12. An autem comprehendantur etiam tactus impudici, oscula, litterulæ, munuscula? Credo quod non, quia ista etiam si sint contra Castitatem, non tamen sunt *lapsus carnis opere consummati*, quia hoc denotat actus consummatus in sua specie. Diana *tract.*2. *de dubiis Regul. Resolut.*118. 10

Religiosus (quod absit) peccatum Sodomiæ committens, non solùm peccat contra Castitatem, vt constat; sed etiam vltra pœnas dispositas in Conc. Lateran. sub Alexand. III. relato *in cap. Clerici de excess. prælat.* incurrit in pœnas taxatas à Pio V. in Constitutione, quæ incipit; *Horrendum* 11

illud Ann.1568.edita *in 2.tom. Bullar. num.72.* vbi hæc habentur. *Omnes,& quoscumque Presbyteros, & alios Clericos Seculares, & Regulares, cuiuscumque gradus,& dignitatis, tam dirum nefas exercentes, omni priuilegio clericali,omnique officio,dignitate, & beneficio Ecclesiastico præsentis canonis auctoritate priuamus. Ita quod per iudicem Ecclesiasticum degradati, potestati statim seculari tradantur, qui de eis illud idem capiat supplicum, quod in laicos hoc in exitio deuolutos,legitimis reperitur sanctionibus constitutum.* Extenditur præsentis Constitutionis dispositio, ad eum, qui fœminam præpostera libidine cognouerit. Quia hic etiam est verè Sodomita. Prop. Aug. *in addit. ad* Quarant. *in Summ. Bullar. verb. Sodomia.* Et ad illum,qui crimen bestialitatis perpetrauerit. Propterea quòd videtur esse eadem ratio. Rodrig. *in Summ. part.1. cap.209.* Limitatur tamen ab aliquibus vt procedat huius Constitutionis dispositio in eo qui copulam Sodomiticam non consummauit intra vas contra naturam semen effundendo.Quia per hoc solum consummatur actus Sodomiticus. Nauarr. *in Manual. cap.27.num.250.* Prosper. Aug. *in addit. ad* Quaranta *vbi suprà.* In odium tamen tanti criminis existimo sufficere copulam, seu coniunctionem contra naturam cum alio habere, etiam sine effusione seminis. Quia tunc sufficientissimè intelligitur consummatus actus iste abominabilis. Rodrig.*tom.1. quæst. Regul. quæst.30. artic.19.* Consentio tamen prædictis auctoribus, quatenus dicunt non sufficere ad incurrendas pœnas prædictæ Constitutionis habere cum alio pollutionem. Vide dicenda *c.10.n.8.*

12 Difficilius est decidere,an ad incurrẽdas illas sufficiat, quod quis, vel per vnam vicem tãntùm hoc crimen perpetrauerit. Multi, & probabiliter, dicunt, quòd non. Eò quòd non sine causa Pontifex posuit illam particulam *exercentes*, quæ denotat actum per aliquas vices continuatum. Nauarrus *vt supr.* Prosper. Aug. *etiam vt supr.* Quamuis autem per vnam vicem solùm non incurrantur pœnæ huius Constitutionis,incurruntur tamen aliæ taxatæ ab eodem Pontifice in alia Constitutione Anno 1566.edita,quæ incipit; *Cum primum*, vbi dicit. *Si quis crimen nefandum contra naturam, propter quod ira Dei in filios diffidentiæ venit, perpetrauerit, curiæ seculari puniendus tradatur, & si clericus fuerit, omnibus Ordinibus degradatus simili pœnæ subiiciatur.* Rodriquez *tom.1. quæst.30. artic.19.*

13 De Religioso autem solùm attentante hoc scelus perpetrare, & de facto non perpetrante ob resistentiam, vel impedimentum, quidam volunt incurrere pœnas supradictas; alij verò negant. Ego verò existimo, quoad forum conscientiæ non incurrere illas, quia leges pœnales, maximè cum graues pœnas infligunt, non debent ampliari vltra id quod sonant; in his autem legibus solùm est sermo de iis, qui actum Sodomiticum committunt, non de iis,qui solùm committere attentant. Quoad forum verò exterius secus dicendum videtur,maximè si vsus patriæ ita ferat. Quia in delictis atrocissimis punitur affectus, & conatus, etiam si effectus non sequatur.Rodriguez, & Prosper. Aug. *vt supra citati.* Et fauet maximè *l.si quis non dicam C.de Episc. & Cleric.*

14 Propter Castitatem à Religiosis viris conseruandam, prohibitum est illis ab Ecclesia, præsertim Pio V. & Gregorio XIII. admittere intra sua monasteria fœminas cuiuscunque qualitatis,& conditionis sint. De quo latè *cap.10. à num.9.* Similiter propter eandem Castitatem à Religiosis fœminis, seu Monialibus obseruandam præcipitur etiam illis non admittere intra sua Monasteria quascunque personas,siue viros, siue fœminas, aut egredi è suis Monasteriis, paucissimis casibus exceptis. De quo *cap.25. à num.19.*

Ob maiorem etiam honestatem, & Religiosum decorem conseruandum à viris Religiosis præcipiuntur hæc illis à Clem. VIII. *in decret. pro reformat. Regular.* Innouatus à S. Congregatione iussu SS. D. N. Vrbani VIII. *Habeat Superior Clauem ita fabrefactam, vt cum sibi videbitur cellas omnes reserare possit, & propterea nullus cellam,etiam noctu ita claudat, quin semper à Superiore aperiri possit.* Item *In medio dormitorij totam noctem lampas colluceat.* Itemque *Sigillatim suo quisque lecto cubet, neque vllibi duo eodem lecto dormire possint, qui omnes ad certam formam redigendi erunt.* Quæ quidem decreta vtpotè concernentia Regulam, & votum Castitatis Religiosorum, absque dubio obligant illos ad mortale, vel veniale iuxta materiæ grauitatem, & alias circunstantias temporis,loci,&c. 15

Religiosi, qui in peccatum carnis lapsi sunt, varias pœnas incurrunt,iuxta diuersa statuta Religionum, & pro nostra vide *3. part.3. Constit. cap.7.* De iure autem communi loquendo Religiosi fornicarij pœnam quidam volunt esse depositionem, quod multò magis est verum si fornicatio fuit sacrilega, quæ vocatur adulterium spirituale, scilicet cum Moniali. Nauarrus *de pœnit. distinct.5. num.121.* Alderete *lib.2.de Religios.disciplin.cap.15. §.1.* Imò qui Virginem Deo sacram cognouit, iure ciuili vltimo supplicio traditur, iure autem Pontificio deponitur, atque incarceratur. Alderete *vt suprà §.4.* Similiter, qui stuprum commiserunt, iure ciuili capite plectuntur, si per vim stuprarunt: iure autem Canonico perpetuo deponuntur. Alderete *vt suprà §.2.* Adulteri etiam perpetuò sunt deponendi,& in Monasterium detrudendi.Rodriguez *tom.2. quæst.28. artic.3.* Incestuosi etiam iure ciuili vltimo supplicio puniebantur olim, hodie verò variè puniuntur, sed iure Canonico perpetuò deponuntur. Rodriguez *tom.2. quæst.26. art.1.* Alderete *vt suprà §.4.* illi verò, qui Sacramento pœnitentiæ abutentes aliqua in confessione, vel circa illam,aut in loco ad confessiones deputato contra Castitatem perpetrare audent, à S. Inquisitione puniuntur, iuxta dicenda *cap.19.num.33.* 16


SVMMARIVM.

Sancta & Religiosa paupertatis excellentia. num.1.
Quomodo definienda, & qui effectus illius. num.2.
Religiosus nullius rei temporalis habet dominium, nec etiam fructum, vsum, possessionem aut administrationem pro vt quid iuris important. num.3.
Solum habent vsum facti. ibid.
Bonorum etiam spiritualium seu internorum animæ habere possunt dominium. num.4.
Habere etiam possunt in communi bonorum temporalium dominium exceptis Minoribus de obseruantia, & Capucinis. num.5.
Tenentur Religiosi non habere proprium ex vi quoque præcepti Ecclesiastici. num.6.
Viuere debent vita communi. num.7.8.& 9.
Quis numerus Religiosorum in conuentibus constituendus. num.10.
Quomodo peccet Religiosus dicens aliquid esse suum. num.11.

Peccat

Peccat peccato proprietatis retinens aut possidens quamcumque rem sine licentia sui superioris. n.12.
Superfluum autem tenere, nec de licentia sui superioris potest. num.13.
Quid declaratum circa hoc à S. Congregatione Cardinalium. num.14.
Nec potest etiam Prælato permittente res pretiosas habere. num.15.
In taxatione rerum necessariarum quæ attendenda sint. num.16.
Religiosus occultans aliquid Prælato, vel non manifestans proprietarius est. num.17.
Habere peculium siue redditus annuos quomodo prohibitum sit Religiosis. num.18.19.& 20.
Quid, de Conuentibus in quibus vita communis obseruari nequit. num.21.
Quid de illis in quibus non prouidetur de necessariis simpliciter. num.22.
Quid de depositis pecuniarum. num.23.
Quomodo possint Religiosis ad vsus necessarios & honestos quæ acquisiuerunt concedi. num.24.
Quomodo ea à publicis officialibus monasterij possideri, colligi, & expendi debeant. num.25.
Non potest concedi Monacho aliqua res ad vsum irreuocabilem. num.26.
Peccat Religiosus contra paupertatem si superiori volenti auferre quæ concesserat resistat. num.27.
Vel quæ ipse alio modo acquisiuit. num.28.
An possit fieri professio sub conditione habendi aliquod peculium. num.29.
Ex vi voti paupertatis obligantur Religiosi ad non recipiendum aliquid sine licentia superiorum. n.30.
Quid quando Monasteria non dant illis necessaria simplicibus. num.31.
Quid si sæculari volenti dare pecunias dicat Religiosus quod eas ponet in depositum apud alium. num.32.
Quid si Religiosus furetur aliquid & tradat monasterio. num.33.
De legatis relictis Monacho ea conditione vt ad ipsum, & non ad Conuentum spectent. num.34.
Religiosus accipiens aliquid clanculum ab aliquo cui applicatum est, est proprietarius. num.35.
Item recipiens aliquid contra voluntatem superioris. num.36.
Acceptans donationem aut legatum absque licentia superioris peccat. num.37.
Recipiens aliquid ob inhonestum finem, peccat contra castitatem & paupertatem. num.38.
An accipiens aliquid à sæculari, vt det pauperi peccet. num.39.
Quidquid Monachus acquirit, monasterio acquirit. num.40.
Quid de fratribus minoribus. ibid.
Quid de iniustè acquisitis. ibid.
Etiam quando Religiosus viuit extra monasterium acquirit ipsi. num.41.
Etiam habens pensionem Ecclesiasticam. num.42.
Licitum est Religiosis mendicare. num.43.
Quid declaratum à Sacra Congregatione. num.44.
Qui Religiosi possint succedere, vt hæredes. num.45.
Expendere non possunt aliquid sine licentia superiorum. num.46.
Quid si Religiosus sæculari volenti sibi dare aliquid dicat, vt det consanguineo. num.47.
Vel si petat ab amico vt ponat in depositum apud aliquem aliquas pecunias, vt ex illis subuenire possit suis necessitatibus. num.48.
An dantes, vel recipientes litteras sine licentia peccent contra paupertatem. num.49.
Ludentes pro pecunia, vel re pretio æstimabili peccant contra paupertatem. num.50.
Quid quando ludus est honestæ recreationis gratia. ibidem.
An ludentes cum Religiosis, vel ipsi Religiosi cum sæcularibus teneantur ad restitutionem. num.51.
Non possunt Religiosi donare aliquid sine licentia. num.52.
An per modum eleemosynæ. ibid.
Recipientes à Religioso aliquid quod donare non poterat tenentur ad restitutionem. num.53.
Inter ipsos quoque Religiosos donationes sunt illicitæ. num.54.
Quæ licentia superioris requiratur, vt Religiosus possit tenere, accipere, dare vel expendere aliquid. num.55.
An consuetudo aliquid retinendi, accipiendi, dandi, vel expendendi sine licentia excuset Religiosum. num.56.
Licentia ista debet esse voluntaria, & non coacta. ibidem.
In materia proprietatis dari potest materia leuis. num.57.
An Religiosi successiuè minima retinentes, accipientes, seu expendentes peccent mortaliter. num.58.
Pœnæ proprietariorum quales sint. num.59.
An non obseruantes vitam communem sint proprietarij, & pœnas proprietariorum incurrant. n.60.
Quantum obliget vita communis Religiosos. ibid.
Primum dubium. num.61.
Responsio. num.62.
An possit concedi Religioso à superioribus Religionis facultas testandi. num.63.
Solus Papa potest talem facultatem concedere. n.64.
Quid solum Religioso permittatur. num.65.
Testamenti definitio. num.66.
Facultas disponendi de rebus quas Religiosus habet ad vsum etiam post mortem an sit contraria dispositioni Concilij Tridentini. num.67.
Decretum factum contra ius acquisitum tertij an valeat. num.68.
Gratia siue priuilegium contra ius commune vel ius tertij quomodo interpretandum. num.69.& 78.
Secundum dubium. num.70.
Responsio. num.71.
Priuilegij definitio. num.72.
Priuilegij intelligentia à quo sumenda. num.73.
Dictio Dummodo *quid importet. num.74.*
Intentio Capituli generalis concedentis facultatem, de qua in casu, declaratur. num.75.
Princeps quando præsumatur tollere ius tertij, vel illi damnum inferre. num.76.
Clausula Salua iustitia *intelligitur in quocunque priuilegio. num.77.*
Tertium dubium. num.79.
Responsio. num.80.
Pœnæ in Religiosum proprietarium num.81.
An sit illi imposita de iure communi excommunicatio. num.82.
An eiectio à monasterio. num.83.
Decretum S. Congregationis Concilij de Apostatis & eiectis. num.84.
Pœna vera Religioso proprietario imposita. n.85.
Qui proprietarij dicantur. num.86.
Ad incurrendam talem pœnam quale peculium requiratur. num.87.
An incurratur pœna ante sententiam Iudicis. numero.88.
Cuius Iudicis sit facere sententiam declaratoriam proprietatis Religiosæ. num.89.90.& 97.

Episcopi auctoritas in sua diœcesi. num.91.& 92.
Praxis Prælatorum in puniendis subditis. num.93.
Decretum Concilij Tridentini committens obseruantiam eorum quæ ipsum decreuit, superioribus Regularium & aliorum. num.94.
Item Bulla Pij IV. num.95.
Auctores sententiæ adductæ. num 97.
Interpretatio Concilij Tridentini ad quem pertineat. num.98.
Declaratio doctrinalis Pontificis quando requiratur pro suis aut Conciliorum decretis. num 99.



CAPVT VI.

De obligationibus Religiosorum ratione Voti Paupertatis.

1 SANCTÆ, & Religiosæ Paupertatis excellentia ex eo conspicitur, quòd eam Saluator noster inter Beatitudines potiùs, quàm inter virtutes numerauerit, Matthæi 5.dicens; *Beati Pauperes spiritu, quoniam ipsorum est Regnum cœlorum.* Quasi ostendere volens, per ipsam quendam fœlicitatis gradum homines in hac vita consequi posse. Et Matth.19. ostendere volens adolescenti viam perfectionis dixit: *Si vis perfectus esse vade, & vende omnia quæ habes, &c.* Sanè ostendens primum perfectionis Religiosæ fundamentum paupertatem esse. Cuius exacta cognitio maximè necessaria est Religiosorum conscientiis, aliis laxius, aliis strictius de ipsa sentientibus, ex quo non mediocres scrupuli oriri solent, multaque peccata. Ideò ergo in hoc puncto accuratiùs plura nobis dicenda erunt.

2 Paupertas Religiosa est vltronea, & voluntaria rerum temporalium abdicatio, per quam Religiosus ipsorum proprietate priuatur. Ratio est, quia opponitur proprietati, quæ est facultas possidendi, & vtendi aliqua re ad libitum. Sanctus Thom.2.2. *quæst.*186.*art.*3. Azor. *tom.*1.*Institut.mor.lib.*12.Vnde Paupertas Religiosa priuat primò dominio cuiuscunque rei temporalis. Est enim dominium ius perfectè disponendi de re corporali; per paupertatem autem tollitur hoc ius perfectè disponendi. Priuat secundò vsufructu, quod est ius vtendi, & fruendi aliena re, salua illius substantia. Nam per paupertatem etiam priuatur Religiosus hoc iure, nisi dependenter à voluntate Superioris. Priuat tertiò vsu iuris, qui est ius vtendi aliena re. Propter eamdem rationem. Non tamen priuat vsu facti. Quia iste non opponitur paupertati, cum constet etiam seruos, qui nihil omninò habent proprij, habere hunc vsum respectu, verbi gratia, vestium,& ciborum,quæ illis à Dominis suis conceduntur. Azor. *vt supr.* Lessius 2. *de iust. & iure cap.*4.& 41.

3 Ex quo infertur Religiosum non solùm non posse habere dominium, vsumfructum, aut vsum alicuius rei, provt important quid iuris, sed etiam neque possessionem, administrationem, aut peculium, provt etiam quid iuris important. Ratio est quia ista omnia hoc modo sumpta denotant facultatem vtendi aliqua re ex propria voluntate, & independenter à voluntate alterius.Quod repugnat Voto Paupertatis. Quemadmodum enim per Votum Obedientiæ Religiosus omnes suas actiones voluntati superioris subiecit,ita per Votum paupertatis omnem temporalium vsum voluntati superioris submisit. Nauarr. *comm.*2. *de Regular.* Sanchez *lib.*7. *in Decalog. cap.*18. *num.*25. Solùm possunt dici Religiosi habere vsum facti, id est, vsum rerum necessariarum dependenter à voluntate superiorum. Quia hic vsus non pugnat cum paupertate. Nauarr. *vt supr.* Rodriquez *tom.*3.*quæst. Regul. q.*29. *art.*4.

Possunt tamen Religiosi dici habere dominium, 4
seu proprietatem iurium, aut bonorum spiritualium, seu internorum animi. Eò quòd per Votum Paupertatis non renunciant prædictis bonis, aut iuribus spirituabus, sed solùm bonis temporalibus. S.Thom.2.2.*quæst.*186 *art.*7. *ad* 4. Lessius *de Iustit. lib.*2.*cap.*4. Imò etiam quarumdam rerum,quæ non sunt pretio æstimabiles, verbi gratia, paucarum reliquiarum, Agnus Dei, &c. Quia per Votum paupertatis solùm abdicarunt à se dominium rerum pecunia, aut pretio æstimabilium. Ita colligo ex S.Thom. *vt supr.* Hinc si habeant, vel accipiant iura aliqua Ecclesiastica, verbi gratia, facultatem excommunicandi, absoluendi, dispensandi, &c. sine licentia non erunt proprietarij. Propter eandem rationem. Nauarr. *comm.*2. *num.*2. *de Regul.* Sanchez *lib.*7. *in Decalog. cap.*19.*num.*58. Secus dico de iure moderandi cathedras in vniuersitatibus. Quia hoc est pecunia æstimabile,& habet annexam pecuniam. Sanchez *ibid.* Qui hoc etiam extendit ad gradus Doctoratus,& Magisterij.

Possunt etiam dici Religiosi habere dominium 5
bonorum temporalium in communi.Ratio est,quia hoc non repugnat Voto Paupertatis, quod solùm dicit abdicationem dominij priuati bonorum temporalium. Et ita Concil.Trident. *sess.*25.*de Regularib. cap.*3. sic habet. *Concedit S. Synodus omnibus Monasteriis, & Domibus tam virorum, quàm mulierum, & Mendicantium, exceptis Domibus Fratrum S.Francisci Capucinorum, & eorum, qui Minorum de Obseruantia vocantur, etiam quibus, aut ex Constitutionibus suis erat prohibitum, aut ex priuilegio Apostolico non erat concessum, vt deinceps bona immobilia eis possidere liceat, &c.* Prædicti autem Minores de Obseruantia,nec in particulari,nec in communi dici possunt habere dominium bonorum, quæ possident. Quia ita determinarunt Nicolaus III. *cap. exiit de verb. signific. in* 6. Clem.V. *clem.*1.§.*proinde cum vir Sanctus.* Quare dominium earum rerum, quas isti Patres possident, pertinent ad Summum Pontificem, vel Sedem Apostolicam, maximè post Bullam quandam Martini V. & Pauli III. Rodriguez 2.*tom. quæst. Regul. quæst.*125. *art.*6. Vel saltem dominium pecuniarum, quæ illis dantur pertinet ad dantem illas, dominium verò aliarum rerum,quas possident,ad Summum Pontificem Quia hoc videtur determinatum à Pontifice prædicto *cap. exiit* §. *cæterum, cum in eandem.* Sotus 4. *de Iustit. quæst.*1. *artic.*. Rebellus *de Iust. part.*1. *lib.*1. *quæst.*7. *sect.*4. Domus etiam professæ Societatis Iesu nequeunt habere, nec in particulari, nec in communi redditus aliquos, aut bona stabilia, vel possessionem, præter eam, quæ illis ad habitationem, vel vsum fuerit necessaria. Ita habetur in Bulla Iulij III. & *in Constitut.Societ. part.*6. *cap.*2. §.5. Non obstante etiam, quòd Religiosi Mendicantes in communi bona quamuis immobilia possident, possunt tamen dici Mendicantes. Ita declarauit Pius V. in Bulla, quæ incipit, *Romanus Pontifex* Anno 1567. edita, & est in secundo tomo Bullarij Laertij *num.*44. Vide dicenda *tom.*2. *cap.*1. *num.*2.

Non

6 Non solùm tenentur Religiosi ad non habendum proprium ex vi Voti paupertatis, quod emiserunt; sed etiam ex vi præcepti Ecclesiastici, illis, hoc prohibentis. Patet hoc *ex cap. Non dicatis 12. quæst. 1. & ex cap. Cum ad Monasterium de statu Monach.* vbi sic habetur. *Prohibemus in virtute Sanctæ Obedientiæ, ne quis Regularis proprium aliquo modo possideat, sed si quis aliquid habeat proprij totum in continenti resignet.* Idem habetur *in cap. Monach. de statu Monach. & in cap. Super quodam.* Insuper in Concil. Trident. *sess. 25. cap. 2.* sic habetur. *Nemini Regularium tam Virorum, quàm Mulierum liceat bona immobilia, vel mobilia cuiuscumque qualitatis fuerint, etiam quouis modo ab eis acquisita tanquam propria, aut etiam nomine Conuentus possidere, vel tenere, sed statim ea Superiori tradantur, Conuentuique incorporentur.* Sunt etiam alia Decreta Pontificum circa hoc, de quibus infrà.

7 Nec solùm tenentur Religiosi quomodolibet non habere proprium, aut seruare paupertatem, sed etiam specialiter viuendo vita communi in victu, vestitu, lectisterniis, & aliis, dispensatis, & distributis à Superiore, inspectis ætatibus, & necessitatibus singulorum. Ratio est, quia licet sine tali vita communi possit obseruari simpliciter Votum paupertatis, cum substantialiter in eo consistat, vt non habeatur dominium alicuius rei temporalis, aut vsus ipsius sine licentia Superioris. Nauarrus *comment. 3. de Regularibus num. 25.* Thomas de Iesu *super cap. Non dicatis 4. part. cap. 3.* nihilominus tamen Ecclesia à Spiritu sancto edocta videns, quòd sine prædicta vita communi difficilè obseruari possit Paupertas religiosa, ideo omnibus Religiosis istum specialem modum paupertatis, qui in vita communi consistit obseruandum præscripsit. Primò in Concil. Trident. in loco supra adducto, vbi postquam dixit. [Nemini Regularium, tam virorum, quàm mulierum liceat bona immobilia, vel mobilia cuiuscumque qualitatis fuerint, etiam quouis modo ab eis acquisita, tanquam propria, aut etiam nomine Conuentus possidere, vel tenere; sed statim ea Superiori tradantur, Conuentuique incorporentur, Subiungit immediatè. Nec deinceps liceat Superioribus bona stabilia alicui Regularium concedere, etiam ad vsumfructum, vel vsum, administrationem, vel commendam. Administratio autem bonorum Monasteriorum, seu Conuentuum, ad solos officiales eorumdem, ad nutum Superiorum amouibiles, pertineat. Mobilium verò vsum ita Superiores permittant, vt eorum suppellex statui Paupertatis, quam professi sunt, conueniat. Nihilque superflui in ea sit: nihil etiam, quod sit necessarium, eis denegetur.] *Quod decretum iuxta hoc intentum intellexit Concil. Mediol. parte 3. tom. de Comm. Vit. vsus.* Loquens de Monialibus sic inquiens. In omnibus Monasteriis, quoad cibum, potum, somnum, vestitum, cæterasque res attinet, omnes communiter viuant, vt à Sancto Concil. Trident. decretum est. *Et Concil. Camerac.* tom. de Monach. cap. 9. & 10. dicens; *Cum Sacrosancta Synodus Tridentina præceperit ea, quæ ad communem vitam, victum, & vestitum pertinent fideliter obseruari: mandat hæc Synodus omnibus Religiosis, vt diligentissimè Paupertatis Votum, tanquam ineffabilis cuiusdam, & dulcissimæ quietis causam custodiant; neque proprietatis vitio violent. Caueant igitur ne quid sibi ita retineant, vel retinere desiderent, vt communitati nolint esse commune, neve ad peculiares vsus eo vtantur sine Superioris consensu.* Thom. de Iesu *vt supr. cap. 2.*

Secundò ex Clem. VIII. in decretis pro Reformat. Regul. quæ habentur inter Bullas huius Pontificis *in 3. tom. Bullar. num. 60.* & nuper approbata, & innouata sunt à Sacra Congregatione Concil. auctoritate S. D. N. Papæ Vrbani VIII. *in Decret. de Apostat. & Eiectis* per hæc verba [Quò Trident. Concil. Decreta de Paupertatis Voto custodiendo fideliùs obseruentur, præcipitur, vt nullus ex Fratribus, etiam si Superior sit, bona immobilia, vel mobilia, aut pecuniam, prouentus, census, eleemosynas siue ex concionibus, siue ex lectionibus, aut pro Missis, tam in propria Ecclesia, quàm vbicumque celebrandis, aliove ipsorum iusto labore, & causa, & quocumque nomine acquisita, etiamsi subsidia consanguineorum, aut piorum largitiones, legata, aut donationes fuerint, tanquam propria, aut etiam nomine Conuentus possidere possit; sed ea omnia statim Superiori tradantur, & Conuentui incorporentur, atque cum cæteris illius bonis, redditibus, pecuniis, ac prouentibus confundantur, quò communis inde victus, & vestitus omnibus suppeditari possit. Neque Superioribus quicumque illi sint, vllo pacto liceat, eisdem Fratribus, aut eorum alicui bona stabilia, etiam ad vsumfructum, vel vsum, administrationem, aut commendam, etiam depositi, aut custodiæ nomine concedere. Eorum verò quæ ad necessitatem concessa erunt, nullus quicquam possideat, vt proprium, neque vt proprio vtatur. Qui in præmissorum aliquo deliquerit, pœnas nedum à Concilio Tridentino præscriptas, sed alias quoque multò grauiores, Superiorum arbitrio imponendas, incurrat. Nulla quæcumque Superiorum dispensatio, nulla licentia, quatum ad bona immobilia vel mobilia, fratres excusare possit quominus culpæ, & pœnæ ab eiusdem Concilij Decretis impositæ, & ipso facto incurrendæ, obnoxij sint etiamsi Superiores asseuerent huiusmodi dispensationes, aut licentias concedere posse, quibus in ea re fidem minimè adhiberi volumus. Fratrum vestitus, & suppellex cellarum, ex communi pecunia comparetur, & omninò vniformis sit Fratrum, & quorumcumque Superiorum, statuique Paupertatis, quam professi sunt, conueniant: ita vt nihil superflui admittatur, nihil etiam, quod sit necessarium, alicui denegetur. Quæcunque Fratrum vestes, siue laneæ, siue lineæ, omnisque alia suppellex in aliquem commodum Conuentus locum deferantur, ibique ab vno, vel duobus Fratribus huic muneri deputatis diligenter custodiantur, vt inde Superioris arbitrio, provt vnicuique opus fuerit, subministrari opportunè possint.] 8

Neque audiendi sunt aliqui dicentes mentem Concilij, Summorum Pontificum, & SS. Congregationum, eam solummodò esse, quòd Religiosi nihil habeant inamouibile, & independens à voluntate Superiorum, non verò quòd non possint habere quæcumque bona siue mobilia, siue immobilia, amouibiliter tamen, & dependenter à voluntate Superiorum. Hæc enim doctrina non solùm est contra praxim Monasteriorum, & Regularium reformatè viuentium, sed nec stat vllo modo cum verbis Concilij, Pontificum, & S. Congregationum, quin potius inuenta videtur ad illudendum ipsa, & illaqueandas animas Regularium. Intentum enim Ecclesiæ, nisi cæci esse velimus, in his, & aliis testimoniis, non solùm est quod Religiosi nihil habeant independenter à voluntate Prælatorum (hoc enim intrinsecum est, & essentiale naturæ Voti Paupertatis, neque erat necessarium illud præcipere,) sed, vt dicitur in prædictis Decretis, quod omnia 9

omnia quæ Religiosi quomodocunque acquisierint *statim ea Superiori tradantur*, *Conuentuique incorporentur*, ac cum aliis ipsius bonis *confundantur*, ita vt administratio illorum tam in recipiendo, quam in retinendo, seu expendendo *ad solos Officiales* Monasteriorum, non ad ipsos Religiosos priuatim, pertineat, vt inde *communis, victus, & vestitus omnibus suppeditari possit*, non obstante quacunque licentia, seu dispensatione Superiorum. Vide dicenda inferius *à num.* 21. Vbi etiam dicetur, an in aliquo casu, quando scilicet Monasteria de necessariis non prouident Religiosis, liceat oppositum, non obstantibus Decretis adductis.

10 Vt verò vita hæc communis exactius obseruetur, *in Monasteriis, & Domibus tam virorum, quàm mulierum, bona immobilia possidentibus, vel non possidentibus, is tantum numerus constituatur, ac in posterum conseruetur, qui, vel ex redditibus propriis monasteriorum, vel ex consuetis eleemosynis commodè possit sustentari*. Ita ad Verbum in Concil. Trid. *sess.* 25. *de Regular. cap.* 3. Quod idem de Monialibus statutum fuerat *in cap. vnico* §. *sanè de statu Regul. in* 6. Et in Constitutione Pij V. Anno 1566. quæ incipit: *Circa pastoralis Officij*. Idem quoque tam de Monasteriis virorum, quàm mulierum determinatum fuit in Conc. Arelatensi 4. *cap.* 8. & in Mogunt. *cap.* 19. Et à Clem. VIII. in decretis adductis supra numero præcedenti, approbatis, & innouatis à S. Congregat. Concilij iussu SS. D. N. Vrbani VIII. per hæc verba. *In vnoquoque Conuentu Fratrum is tantum deinceps constituatur, & in posterum retineatur numerus, qui ex redditibus illius propriis, vel ex communibus consuetis, vel etiam singulorum eleemosynis, aliisve quibuscunque obuentionibus, in commune, vt præfertur, conferendis, commodè possit sustentari*. Idem etiam præcipitur à Paul. V. in Bulla *Sanctissimus in Christo* Anno 1605. Vbi etiam præcipit Superioribus Religionum sub pœnis grauissimis, vt habita ratione introituum, & expensarum per decem Annos cuicunque Conuentui prædictus certus numerus Fratrum, qui commodè possit sustentari tantummodo præfigatur; & infra Annum omnia hæc in authenticam formam redacta ad Sac. Congregationem Reformationis mitterent. Tandem Sacra Congreg. Concilij *in decretis de celebrat. Missarum num.* 7. idem præcipit obseruandum auctoritate SS. D. N. Papæ Vrbani VIII. Ratio verò huius tam Sanctæ legis ea est, ne ob multitudinem Religiosorum, qui commodè in vno Monasterio, sustentari non possint, cogantur, vel vitam communem relinquere, vel à Monasteriis abesse, vel plura stipendia Missarum, quàm illa, quibus satisfacere possunt, recipere, vel tandem cum sæcularibus implicari, nimium rebus temporalibus acquirendis addicti. Vnde hoc præceptum sine dubio obligat ad mortale, vtpote de re grauissima, valdeque necessaria statui Religioso. Sanchez *lib.* 7. *in Decalog. cap.* 23. *per totum*. Thom. de Iesu *in cap. Non dicatis, part.* 4. *c.* 6. Addit verò Sanchez *num.* 6. posse excusari Prælatos plures admittentes, si iusta causa subsit. Quod non concederem, nisi valdè rationabilis talis causa esset.

11 Religiosus dicens aliquid esse suum, verbi gratia, mea vestis, meus liber, secundum aliquos peccat mortaliter, secundùm alios non. Veritas est, quod si id dicat intendens se habere dominium illius rei, vel vsum independenter à Superiore, & mentitur, quia dicit falsum, & peccat peccato proprietatis, quod opponitur Paupertati. Graffis 2. *part. decis. l.* 3. *cap.* 19. *num.* 8. Si autem solùm velit dicere illam rem esse suam quoad vsum dependentem à voluntate Prælati, nullo modo peccat, neque contra veritatem, neque contra paupertatem. Nauarr. *comm.* 2. *num.* 1. *de Regul.*

Peccat etiam Religiosus peccato proprietatis, 12
tenens, retinens, aut possidens quamcunque rem sine licentia sui Superioris, etiamsi talis res, sit ex illis, quæ vsu consumuntur. Ratio est, quia per Votum paupertatis astringitur ad non exercendum actum aliquem proprietatis. Est autem præcipuus actus proprietatis tenere, possidere, aut retinere aliquid sine licentia Superioris. Maior. *in* 4. *distinct.* 38. *quæst.* 9. Azor. *tom.* 1. *Institut. lib.* 12. *cap.* 12.

Similiter nec possunt habere, etiam de licentia 13
suorum Superiorum, Religiosi, aliquid superfluum, aut non necessarium naturæ, aut personæ, aut statui. Ratio est, tum quia secundùm tutiorem sententiam Theologorum, non possunt sæculares habere superflua, quanto minus Religiosi paupertatem professi. Tum etiam, quia Votum Paupertatis solùm permittit ea, sine quibus vita transigi non potest. Syluest. *verb. Religio* 6. *quæst.* 7. Valentia *tom.* 3. *disp.* 10. *quæst.* 4. Tum præcipuè, quia Prælati non possunt talem licentiam concedere, & lethaliter peccant concedendo. Cum enim non sint Domini, sed dispensatores debent prudenter suam potestatem exercere. Vsus autem superfluus non potest esse secundum prudentiam. Nauarr. *comment.* 2. *de Regul. num.* 21. Thomas de Iesu *super cap. Non dicatis part.* 4. *cap.* 7. Imò credo peccare peccato proprietatis tam Religiosos habentes superflua, etiam cum licentia Superiorum, quàm Superiores talem licentiam concedentes. Quia ex vi Voti paupertatis sicut astringuntur Religiosi ad non habendum nisi necessaria secundùm decentiam status, sic etiam Prælati ad non dispensandum nisi eodem modo. Nauarr. & Thomas de Iesu *vt supr.* Bartholomæus à S Fausto *in opusc. de vitio proprietat.* Prælato autem dicenti se posse concedere licentiam Religioso ad habendum superflua, non est credendum. Ita declarauit Sacra Congregatio Eminentiss. Cardin. Quaranta *in Summ. Bullar. verb. cas. reseruat. fol.* 157. Bartholomæus à S. Fausto, vt supra. Si autem non constat de excessu, & superfluitate standum est iudicio Prælatorum. Quia in dubiis stare debent subditi sententiæ suorum Prælatorum. Iidem Auctores *vt supra*. Habere tamen Religiosum picturas sumptuosas, tapetes mundanos, specula inaurata, raritates Indicas, horologia, statuas, & alia mobilia huiusmodi sine dubio est graue peccatum. Cum moraliter loquendo non possint non esse superflua ista. Lancellotus *in gnom. Vitæ Relig. lib.* 2. *sect.* 3. *art.* 5. Idem dici debet si Religiosus haberet res non conuenientes statui Religioso, vt puta arma, vestes pretiosas aut curiosas, & alia huiusmodi. Propter similem rationem Hieronymus Gratianus *Disciplin. Regularium, part.* 2. *cap.* 8. §. 3.

Vt verò hæc, & alia inferiùs dicenda magis elucescant placuit declarationes Eminentiss. Cardinalium Sacr. Congreg. afferre, quæ sunt sequentes. 14
Quæritur primò, An ex dispensatione inferiorum à Summo Pontifice liceat Regularibus possidere, vel tenere agros, annuos redditus, aliaque bona, immobilia videlicet, & mobilia superflua, non obstante decreto Concilij sess. 25. *de Regular. cap.* 2. *Secundo, An propter talem dispensationem, seu scientiam Superiorum, possidentes, vel tenentes immobilia, vel mobilia superflua à culpa, vel à pœna excusentur? Tertiò, An Superioribus asseuerantibus huiusmodi se licentias posse concedere*

concedere fides adhibenda sit. Quartò, An Superiorum arbitrio, & præfinitioni stare debeant Regulares quoad mobilium superfluitatem, & conuenientiam? Quintò, An Superiore quantumuis requisito necessaria suis Regularibus negante, vel subtrahente, liceat ipsis clam, vel inuito eo, illa sibi comparare, seu retinere? Sextò, Et quatenus liceat, an ibidem liceat cum necessaria ideò negantur, vel subtrahuntur, quia Monasterij facultates non suppetunt? Septimò, An dicti Superiores regulares dictum cap 2. declarare, & interpretari possint. Ad primum Congregatio Concilij respondit *non licere. Ad secundum non excusari neque à culpa, neque à pœna ipso facto incurrenda. Ad tertium minimè adhibendam. Ad quartum nisi de excessu arbitrij constiterit, vtique stare debere, habita videlicet ratione Personæ, officij, regulæ, statusque paupertatis, quam professi sunt, &c. qualitatum. Ad quintum non licere.* Hoc verò solùm intelligo de rebus non simpliciter necessariis, pro quibus Vide dicenda *num.* 31. *Ad sextum licere si præcisa necessitas sit ad indiuidui sustentationem, cæterum communem penuriam ab omnibus percipiendam, vsque adeò, vt si quid priuatim alicui delatum, vel ab ipso partum fuerit, id omne ad Superiorem rectè deferri oporteat, qui ex eo primum succurrat eius necessitati cuius intuitu illud obuenerit, si peculiari aliqua necessitate vltra communem prematur, reliquum Conuentui incorporetur, & in communem cedat vtilitatem. Ad septimum non posse.* Vide Quarantam *verb. Casus reseruati pagina* 156. & Bartholomæum à S. Fausto *de Voto Paupert. quæst.* 198.

15 Nec potest Religiosus habere, aut Prælatus ipsi permittere res pretiosas, verbi gratia, vasa aurea, aut argentea, gemmas, annulos, vestes sericas, pretiosas picturas, scriptoriola curiosa, & alia huiusmodi. Primò *ex Clement.* 5. *de statu Monachor.* vbi illis interdicitur omnis cultus, & ornatus pretiosus. Secundò ex Concilio Trident. *sess.* 25. *cap.* 2. illis verbis *Mobilium verò vsus ita Superiores permittant, vt eorum suppellex statui Paupertatis, quam professi sunt conueniat.* Tertiò ex decretis Clem. VIII. & Sanctissimi Domini nostri Vrbani Octaui adductis illis verbis. Fratrum vestitus, & suppellex cellarum ex communi pecunia comparetur, & omnino vniformis sit Fratrum, & quorumcunque Superiorum statuique Paupertatis, quam professi sunt conueniat, ita vt nihil superflui admittatur, nihil etiam quod sit necessarium alicui denegetur. Quartò ratione ex Voto Paupertatis petita, cum illud solùm petat necessaria secundum naturam, personam, & decentiam status ac perinde excludat omnia ista pretiosa, omnino superflua. Nauarrus *Commentar.* 4. *de Regular. num.* 27. Rodriquez *tom.* 3. *quæst.* 29. *artic.* 11. Nec audiri possunt qui dicunt se illa possidere cum licentia Prælatorum. Cum enim hoc non solùm sit prohibitum iure positiuo, vt constat, sed etiam iure naturali, scilicet natura Voti Paupertatis, nullus Prælatus potest concedere talem licentiam, nec talis concessio esset dispensatio, sed dissipatio. Turrecrem. *cap. Non dicatis num.* 4. Aluarus Peligius *lib.* 2. *de planct. Eccles. cap.* 64.

16 In taxatione autem, seu dispensatione rerum necessariarum Religiosis attendenda est in primis necessitas naturæ, quæ est communis omnibus; deinde necessitas personæ, quæ est particularis in singulis, vt si est senex, vel iuuenis, sanus, vel infirmus, delicatæ, vel debilis complexionis, &c. Similiter vsus approbatus inter prudentes, & timoratos Religionis: ac tandem omnes circumstantiæ temporis, loci, officij, &c. Ratio est, quia si ad hæc omnia non attendatur non potest esse prudens dispensatio. Corduba *in Regular. B. Francisc. cap.* 6. *quæstione* 1. Thom. de Iesu *in cap. Non dicatis p.* 4. *cap.* 7.

Religiosus etiam habens de licentia Superioris, 17
qui fuit sui Conuentus, aliquid, & illud celans, & occultans præsenti Prælato ne videat, & auferat illud, est proprietarius. Ratio est, quia retinet aliquid contra voluntatem Superioris præsentis sui Monasterij, qui hic, & nunc est Superior verus ipsius. Diuus Antoninus 3. *part. titulo* 16. *cap.* 11. Graffis *part.* 1. *decis. lib.* 3. *cap.* 5. *numero* 48. Imò generaliter loquendo Religiosus occultans à suo Superiori aliquid, quod possidet, vel non manifestans, quando Prælatus id interrogat, vel visitat cameram, vel præcipit vt fiat inuentarium rerum, quas possidet; peccat peccato proprietatis contra paupertatem. Ratio est, quia sic faciens vult retinere aliquid contra voluntatem sui Superioris, quod est esse proprietarium. Corduba *in Regular. B. Francisc. cap.* 7. *quæstione* 4. Mendoza *in quodlib. quæstione octaua, consil.* 4. Imò etiam, propter eandem rationem, tenetur esse paratus ad dimittendum quidquid possidet, si id Superior præcipiat. Lessius 2. *de instit. cap.* 4. *dub.* 5. *num.* 25. *& cap.* 41. *dub.* 9. Nauarra 3. *de restitut. cap.* 1. *punct.* 3. *dub.* 1.

Habere peculium, siue redditus aliquos annuos, 18
seu rem aliquam immobilem, dummodo hæc sint amouibilia, & à voluntate Superioris dependentia; non est prohibitum Religiosis, neque ex natura Voti Paupertatis, nec ex vi iuris communis. Ratio primæ partis est, quia Votum paupertatis solùm excludit possidere, aut vti aliqua re independenter à voluntate Superioris. Ratio secundæ est, quia licet *cap. Ioannes de Regular. & cap. Monachi de statu Monachor. cap. cum ad Monaster.* prohibeatur Religiosis habere aliquod peculium, hoc tamen intelligitur, tum de peculio concesso sine rationabili causa, tum de peculio irreuocabili, independenti à voluntate Superioris. Cuius signum est quòd dicto *cap. Monach.* permittitur Monachis peculium habere pro administratione iniuncta, & *cap. fin. Qui Clerici, vel vouentes* approbatur professio Religionis sub conditione permanendi in propria domo cum omni sua substantia, quoad vsum illius. Nauarr. *Comment.* 2. *num.* 14. *& Comment.* 3. *num.* 27. *de Regul.* Azor. *tom.* 1. *Instit. Moral. lib.* 12. *cap.* 9. *quæst.* 2. Cordub. *in Summ. q.* 54. *Opusc.* 2.

Nihilominus attento nouo Iure Concil. Tri- 19
dent. & Summorum Pontificum, non licet Religiosis habere annuos redditus, peculium, seu aliquam rem immobilem, etiam à voluntate Superioris dependentem, aut reuocabilem. Ratio est primò, quia sine dubio hæc fuit mens Concil. Trident. *sessione* 25. *cap.* 2. illis verbis. *Nemini Regularium liceat bona immobilia, vel mobilia cuiuscumque qualitatis fuerint, etiam quouis modo acquisita, tanquam propria, aut etiam nomine Conuentus possidere, vel tenere, sed statim ea Superiori tradantur, & Conuentui incorporentur.* Vbi pondero primò illud *etiam nomine Conuentus*, quod denotatur, nec Conuentum ipsum, aut Superiorem posse talem licentiam concedere. Secundò illud *statim ea Superiori tradantur, & Conuentui incorporentur.* Quid enim est incorporari, nisi confundi, aut misceri cum aliis bonis communitatis Conuentus, sine vllo

discrimine peculij? Tertiò, quia intentum Concilij sine dubio fuit extirpare abusus, qui erant in aliquibus Religiosis ante ipsum Concilium, sed hic abusus non tantum consistebat, in hoc quòd Religiosi haberent peculium, aut annuos redditus independenter à voluntate Prælati (quia hoc semper est,& fuit euidenter peccatum proprietatis) ergo præcipuè in hoc, quod haberent peculium, vel annuos redditus, etiam dependenter à voluntate Prælati. Vnde quartò id colligitur ex his, quæ subdit Concilium. *Nec deinceps liceat Superioribus bona stabilia alicui Regulari concedere, etiam ad vsumfructum, vsum, administrationem, vel commendam.* Quasi diceret, si ante Concilium hoc licebat, modò non liceat. Ac tandem quintò ita intelligunt Concilium, & obseruari ab omnibus Regularibus præcipiunt Summi Pontifices Clem. VIII. & Sanctissimus D. N. Vrbanus VIII. in decretis adductis supra *num.*8. Vnde clarè constat mentem Ecclesiæ esse tollere à Religiosis omne peculium, annuos redditus, & omnia bona immobilia. Molina 2. *tomo de iustit. disp.*276. Lessius 2. *de Iustit. cap.*4. *dub.*5.

20 Hanc verò esse mentem Concilij Tridentini constat clarè ex declarationibus Sacræ Congregationis supra *numero* 14. adductis. Quibus adiungo alias ad idem intentum. Primò enim, cum Domina Aldonza de Toledo, viro mortuo, facta fuisset Monialis sibique reseruasset ducentos aureos annuos, interrogata à Sacra Congregatione Cardinalium, an securè id posset facere? Respondit, esse contra Concilium illam Dominam annuos redditus apud se retinere, sed potius dandos esse Abbatissæ, quæ illius necessitatibus prouideret. Thom. de Iesu *in cap. Non dicatis part.*4. *cap.*5. Deinde adiungo alias ex Quaranta *in Summ. Bullar. verb. casus reseruat. pag.*157. per hæc verba. In aliquibus Monasteriis Monialium reperiuntur nonnullæ Moniales, quæ census, & annuos quosdam redditus, & prouentus, seu fructus percipiunt sub diuersis contractuum speciebus. Nam aliquæ in ipsarum persona emerunt certos redditus à personis laicis. Aliquæ ab aliis Monialibus. Aliquæ ab ipsis Monasteriis. Aliæ verò dederunt pecuniam Monasterio, vt ex earum pecuniis fieret emptio nomine Monasterij ad rationem septem, vel octo pro centenario, & Abbatissæ dabant dictis Monialibus illos redditus, quos ex dictis emptionibus exigebant singulis annis. Aliquæ Monasteriis, seu eorum superioribus certas pecuniarum summas manualiter pro Monasterij indigentiis dederunt, pacto adiecto, vel etiam tacita conuentione adhibita, vt Monasterium, seu Abbatissa certos redditus ad rationem tot pro centenario, eorum vita durante, concedat. Quæritur, an huiusmodi casibus liceat Monialibus dictos redditus, fructus, & prouentus percipere absque incursu proprietatis, vel potius tanquam proprietariæ incurrant in pœnas per *Concil. Trident.* sess. 25. cap. 2 de Regularibus in proprietarios inflictas, etiam si de licentia Abbatissæ, & Abbatissæ nutu, vel Conuentu, seu Monasterij nomine percipiant. *Congregatio Concilij censuit:* In nullo supradictorum casuum licere Monialibus dictos fructus, seu redditus percipere; & si perceperint incidere in pœnas propositas decreto dict. cap. 2. sessione 25. de Regular. neque ab huiusmodi pœnis excusari ob licentiam Abbatissæ, quæ eam, dicti Concilij decreto, in supradictis casibus concedere quidem prohibetur, sed debet pro suo munere ex Monasterij redditibus, vel eleemosynis, Monialium necessitatibus in dies subuenire.] *Quaranta vt supra.*

His tamen non obstantibus. In illis Monasteriis, in quibus, vel ob nimiam paupertatem, qua premuntur, vel ob malitiam, incuriam, aut negligentiam Superiorum, non potest obseruari vita communis, dando singulis, & omnibus Religiosis ea, quæ sunt simpliciter ipsis necessaria secundum decentiam status; vel de facto non dantur, potest permitti Religiosis aliquod peculium, etiam rei stabilis, annuus redditus, vel census, &c. in ordine tantùm ad vsus simpliciter necessarios, & amouibiliter à voluntate Superiorum, si aliter commodè viuere non possint. Ducor ad id primò, quia cum habere ista modo prædicto non sit contra naturam Voti paupertatis, aut iuris communis, vt vidimus *num.*18. sed solùm contra præcepta Ecclesiastica Concilij Trident. & Summorum Pontificum, vt vidimus *num.*19. præcepta autem Ecclesiastica non obligent cum morali impossibilitate, qualis censetur esse in casibus propositis, videntur tunc non obligare prædicta præcepta. Ducor secundò, & est confirmatio præcedentis. Nam eatenus Concilium Tridentinum, & Summi Pontifices post ipsum prohibuere Religiosis prædicta omnia, quatenus, vel supponebant Monasteria, vel Superiores ipsorum, concedere singulis Religiosis omnia necessaria, vel præcipiebant illis vt ita facerent, vt constat ex mente, & verbis ipsorum decretorum. Ergo in casibus à nobis propositis, in quibus, vel Monasteria non possunt ita de necessariis prouidere, vel de facto non prouident, cessat hæc lex Ecclesiastica. Ducor etiam ad id tertiò, quo etiam declarantur præcedentia. Nam in prædictis Monasteriis, tam ipsa, quam eorum Superiores, tenentur concedere Religiosis ea, quæ necessaria sunt ad vitam, & decentiam status. Pono ergo aliquem Religiosum ad hoc indigere viginti scutis. Tenetur ergo Monasterium, aut Superior ipsius totidem illi concedere. Si ergo hoc; vel ob Paupertatem Monasterij fieri non potest, vel ob malitiam, aut negligentiam Superiorum de facto non fit, si alias Religiosus non possit alio modo prædictæ suæ necessitati succurrere, nisi mediante aliquo peculio, aut re stabili, censu scilicet, aut annuo reddítu, &c. poterit illi permitti peculium, aut res stabilis prædictorum viginti scutorum. Cum non sit quid maius hoc peculium viginti scutorum, quam ipsa viginta scuta, & totum hoc pendeat à voluntate Superioris, & propter subleuandam necessitatem Religiosi, cui alio modo subueniri non potest in prædictis Monasteriis, vt suppono. Hæc verò dixerim vt non abusibus ansam præbeam, sed vt timoratis conscientiis Religiosorum, qui in prædictis Monasteriis aliter viuere non possunt, satisfaciam. Valentia 2.2. *disput.*1. *quæst.*4. *puncto* 3. Vega 2. *tom. Summ. cap.*32. *cas.*19. Rodriquez 1. *tom. Summ. in* 2. *edit. cap.*90. *num.*9. *concl.*4. 21

Similiter in prædictis Conuentibus, in quibus non prouidetur Religiosis de necessariis simpliciter ad vitam, & decentiam status, licita est aliquarum Religionum consuetudo, in quibus de bonis Monasteriorum certi annui redditus, aut certa portio pecuniarum, taxantur Religiosis, dummodò aliter sustentari non possint, & hoc sit ad vsus solùm necessarios, & dependenter à voluntate Superiorum. Propter rationes adductas sup. *num.*21. Præsertim, quia hoc non est aliud, quam superiorem applicare de bonis Monasterij necessaria 22

Religiosis,

Religiosis, quod sine dubio est licitum. Nauarr. *comm.* 3. *numero* 26. & 27. & 32. *de Regular.* Sanchez *lib.* 7. *in Decalog. capite* 22. *numero* 14. Idem dico de administratione alicuius boni stabilis, vel possessionis Monasterij, in prædictis casibus, & cum prædictis conditionibus. Propter easdem rationes. Graffis 1. *part. decis. lib.* 3. *capite* 5. *à num.* 53.

23 Idem etiam dico loquendo de prædictis Conuentibus, & casibus, & cum eisdem conditionibus, de depositis pecuniarum, quæ solent esse in aliquibus Monasteriis, ex his quæ Religiosi adquirunt, aut Monasteria ipsis concedunt, ex quibus extrahuntur expendenda pro singulorum necessitatibus. Propter similem rationem. Ita respondit Azor. à quadam Religione de hoc interrogatus *anno* 1593. *die* 10. *Maij.* In talibus autem Monasteriis, vbi à Superioribus assignantur depositarij, ad hoc quod apud illos reponant Religiosi suas pecunias, si id non faciant, sed apud se retineant, peccant peccato proprietatis. Quia possident illas contra voluntatem sui Superioris, & contra decreta Summorum Pontificum afferenda infra *numero* 25. Quæ omnia constant ex decreto Sacræ Congregationis Apostolicæ visitationis iussu Sanctissimi Domini nostri Vrbani Octaui *die* 13. *Iulij Anno* 1627. pro Franciscanis Conuentualibus Monasterij SS. Apostolorum Romæ per hæc verba. *Pecunia vero, aliaque res quæcumque Fratrum intra viginti quatuor horas tradantur Superiori in commune Conuentus Ærarium, reponendæ triplicique claue custodiendæ, quarum vna penes Guardianum pro tempore existentem, duæ vero aliæ penes duos alios Fratres singulo quoque anno per Conuentum eligendos conseruentur, ex quibus subministrato exhibitori, quantum Religiosæ eius necessitates (status, valetudinis, laborumque ratione habita) expostulare videbuntur: reliquum penes Ærarium remaneat, & arbitrio duarum ex tribus partibus Capituli, seu Congregationis Prouincialis singulis annis faciendæ erogetur.* Quo decreto videntur approbari prædicta deposita, positis tamen conditionibus, à nobis adductis.

24 Similiter dico loquendo de prædictis Conuentibus, & casibus, & cum eisdem conditionibus assignatis, non esse contra paupertatem, sed licitum, quod ea, quæ Religiosi proprio labore, industria, aut donatione adquirunt, concedantur ipsis ad vsus necessarios, & honestos. Propter easdem rationes assignatas. Valentia *tom.* 3. *disp.* 10. *quæst.* 4. *punct.* 3. Graffis *parte prima, lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 55.

25 Semper tamen, etiam in prædictis Monasteriis, & casibus assignatis, seruari debet, quoad fieri possit, quod pecuniæ, ex prædicto peculio, bono stabili vel censu, prouenientes, quas vel Monasterium ipsis Religiosis concessit, vel quas ipsi suo labore, aut industria adquisiuerunt, vel ab aliis acceperunt, non possideantur, colligantur, aut expendantur ab ipsis Religiosis sed à publicis Officialibus Monasterij ab ipso ad id munus designatis. Primò, quia id maximè videtur intendere Concil. Trident. *sess.* 25. *capit.* 2. dicens: *Administratio autem bonorum Monasteriorum, seu Conuentuum ad solos Officiales eorumdem ad nutum Superiorum amouibiles pertineat.* Secundo quia id expresè prohibent Clement. VIII. & Sanctissimi Domini Nostri Vrbani VIII. in decretis adductis supra *numero* 8. illis verbis. [Nullus ex Superioribus locorum, administrationem bonorum, aut aliarum rerum, dispensationemque pecuniarum, & reddituum sui Conuentus, etiam nomine Conuentus per se ipsum habere, siue exercere possit; sed vniuersum id onus tribus Fratribus eiusdem Conuentus, à generali ita demandetur, vt vnus rerum, & bonorum, reddituumque colligendorum, ac exigendorum, curam habeat: alter tanquam depositarius, pecunias ac cætera ab illo collecta & exacta fideliter asseruet, alius de pecuniis, & rebus à Depositario acceptis Priori, & Fratribus, ac Conuentui vniuerso de necessariis, mandante tamen ipso Priore, non secundum proprium affectum, sed iuxta charitatis regulam veluti bonus dispensator prouideat, officiorum huiusmodi confusione penitus interdicta Cæterum hi tres tàm impensi, quam accepti singulis mensibus Superiori locali, adhibitis etiam duobus, vel tribus fratribus eiusdem Conuentus probatioribus, rerũque vsu peritis, rationem reddant. Deinde ipsimet rursus præsentibus Priore, & peritis prædictis, Generali cũ aduenerit: denique ipse Generalis, in quolibet proximo Capitulo Generali saltem coram tribus Iudicibus, ab ipso Capitulo ad hoc constitutis, illorum omnium, vniuersamque suæ administrationis tam publicæ, quam priuatæ rationem reddere teneatur, cuius etiam exemplum autenticum ex actis Capituli describatur, ad hoc vt ad omne mandatum nostrum, vel Sedis Apost. Romam transmitti possit.] quod etiam antea ordinatum fuerat à Pio V in motu proprio *Ad extitpandos* Anno 1568. edito pro Minoribus Conuentualibus S. Francisci. Tertio, quia aliàs non seruaretur illa confusio, & incorporatio bonorum Religiosorum cum bonis Monasteriorum quam Concilium, & prædicti Summi Pontifices intendunt. Præsertim, quia si huiusmodi bona pendeant hoc modo quoad administrationem solum ab Officialibus Monasterij, non solum tollitur occasio proprietatis Religiosis; sed etiam censentur esse in potestate Superioris, & ex eius voluntate administrari, quod maximè etiam Concilium, & Pontifices intendunt, Sorbus *in compend. priuileg. mendicant. ver. paupertas ad finem.* Nauarr. *libro* 3. *de restitut. capite* 1. *parte prima in noua edit. dub.* 1. *numero* 161. Lessius 2. *de iustit. capite* 4. *dub.* 5. *num.* 31.

Numquam tamen potest Superior concedere Monacho aliquam rem, quæcumque illa sit, ad vsum irreuocabilem. Ratio est, quia hoc est esse directe proprietarium, cum de essentia paupertatis sit nihil habere nisi dependenter à voluntate Superioris. Ludouicus Lopez. *prima parte instruct. capite* 154. Corduba *in Sum. quæstione* 54. *notab.* 2. Qui etiam bene addunt nec Summum Pontificem posse hanc licentiam Religioso concedere nisi cum ipso dispenset in Voto Paupertatis propter eamdem rationem. Sanchez *libro* 7. *in Decalog. capite* 17. *numero* 29. Vel etiam nisi forte Pontifex auferat Superioritatem omnium aliorum Prælatorum Religionis, & velit peculium illud Religioso concessum solum esse reuocabile ab ipso. Cordub. *in Summ. qq.* 54. Nauarrus *conf.* 47. *de Regul. num.* 1. & 3. Vnde Religiosus, qui accepit aliqua à Pontifice, tenetur manifestare suo Superiori. Quia semper est credendum Pontificem velle seruari iura Ordinis. Nisi constet ipsum concedere illa solum dependenter à se, tanquam à Superiore Religionis; quia tunc non potest dici Religiosum 26

possidere aliquid contra voluntatem sui Superioris, cum illud possideat voluntate Papæ; qui est supremus Superior Religionum. Vide dicenda *num.* 41. & 42. Augustinum Barbosam *de Canonic. & dignit. cap.* 1. *num.* 24. Si autem superior concessit aliquid Religioso promittens se non reuocaturum, si reuocat, tenet reuocatio, eo quod vtitur iure suo, peccabit tamen contra promissionem, quia non stat promissis. Syluest. *ver. Abbas quæst.* 4. *numero* 7. Nauarr. *libro* 3. *consil. in* 1. *edit. tit. de Regul. consil.* 20. *& in* 2. *titulo de Stat. Monach. cons.* 14.

27 Peccat etiam semper Religiosus contra Votum Paupertatis, si Superiori volenti ea quæ illi concessa sunt, auferre, resistat aut si non sit paratus ad eius nutum se illis abdicare. Ratio est quia tunc est manifesta proprietas, cum velit aliquid tenere, aut possidere contra voluntatem sui Superioris. Nauarra *lib.* 3. *de restit. c.* 1. *p.* 3. *in noua edit. dub.* 1. *n.* 160. & 161. Lessius 2. *de iust. cap.* 4. *dub.* 5. *num.* 31. & 32.

28 Similiter est proprietarius ille Religiosus, qui cellam quam propriis expensis, vel parentum, aut consanguineorum construxit, non vult dare alij, cui illam concedit Superior, vel non est paratus illam relinquere ad nutum Superioris, Propter eamdem rationem. Graffis *lib.* 2. *decis. lib.* 3. *capite* 19. *numero* 27.

29 Potest Religiosus, saltem ex licentia Pontificis, facere professionem sub hac conditione, quod possit habere aliquod peculium, solum quoad vsum facti. Ratio est, quia hoc non repugnat essentiæ paupertatis, vt vidimus supra *numero* 18. cuius signum est, quod *in capite fin. qui clerici, vel vouentes*, approbatur similis professio. Sanchez *lib.* 7. *in Decalog. cap.* 22. *num.* 24. Nauarr *comm.* 2. *num.* 16. *de Regularib.* referens se ita consuluisse, & permisisse Pium V. cuidam nobili fœminæ. Similiter Nouitius professionem facturus, qui erat vsufructuarius per vitam aliquorum redituum vel multa bona reliquit Monasterio, potest illud obligare, vt sibi soluat quotannis aliquam pecuniam, vel illum vsufructum pro suis necessitatibus; cum conditionibus tamen assignatis supra *à n.* 21. & pro Conuentibus, de quibus ibidem loquimur. Propter eamdem rationem, Laurentius de Peirinis *tom.* 1. *de subdito quæst.* 2. *de paupertate cap.* 2. §. 1. Vide dicta *ctp.* 2. *num.* 26. Et nota Sacram Congregationem declarasse valere professionem illius, qui sibi reseruauit facultatem testandi de suo patrimonio. Ita referunt Barbosa *de Iure Ecclesiastico lib.* 1. *cap.* 42. *n.* 153. & Tamburinus *de Iure Abbatum tom.* 3. *disput.* 6. *quæst.* 16. *num.* 15.

30 Ex vi Voti Paupertatis obligantur Religiosi ad non recipiendum aliquid à quocumque sine licentia Superiorum, ita vt sine tali licentia aliquid accipientes peccent peccato proprietatis. Ratio est, quia accipere aliquid independenter à voluntate Superioris est actus proprietatis. Vnde ita est illis prohibitum ab Ecclesia *in cap. Cum ad Monasterium de stat. Monac.* Illis verbis; *Si cuiquam aliquid fuerit specialiter designatum, non præsumat illud accipere, sed Abbati, vel Priori assignetur.* Mendoza *in quodlibet quæst.* 8. *concl.* 5. Rodriguez *tom.* 3. *quæstion.* 29. *articulo* 10. Extenditur hoc etiam respectu domesticorum, aut aliorum Religiosorum eiusdem Ordinis. Propter eundem rationem Lessius 2. *de iustit. & iur. capite* 41. *dub.* 9. *numero* 79. Azor. *tom.* 1. *Instit moral. lib.* 12. *cap.* 12. *quæstione* 7. Extenditur etiam ad Religiosum recipientem aliquid ab aliquo, quod apud se non retinet, sed deponit apud alium & vtitur eo ad suum libitum. Quia totum hoc est actus proprietatis, si non fiat de licentia Superioris. Sanchez *lib.* 7. *in Decalogum capite* 19. *numero* 48. Extenditur ad res quoque comestibiles. Quia cum illæ sint quoque pretio æstimabiles accipere illas, sicut & retinere, sine licentia Superiorum, est actus proprietatis. Idem Sanchez *vt sup. num.* 53.

Quando tamen Superiores, vel Monasteria non dant Religiosis ea, quæ sunt necessaria simpliciter ad vitam, quia vel non possunt, vel nolunt; possunt ipsi Religiosi accipere taliter sibi necessaria, si sibi concedantur, tam ab aliis Religiosis sui Ordinis, quam etiam ab extraneis, etiam sine licentia suorum Superiorum, & ipsis inuitis. Ratio est, quia in tali casu Superiores iniustè negarent talem facultatem, cum non possint cogere subditos, vt careant necessariis simpliciter ad vitam, nec ipsi ad hoc se obligauerint per professionem. Possunt ergo vti iure suo, sibi taliter concessa, accipiendo, imo & postulando. Rodrig. 2. *tom. Sum. cap.* 311. *num.* 6. Valent. 2. 2. *disput.* 10. *quæst.* 4. Imo etiam quando Conuentus commodè prouidere potest de simpliciter necessariis; & Prælati malitiosè nolunt ea concedere, non solum peccant grauiter tales Prælati, quia præbent causam peculiis (Syluest. *verb. Religio* 6. *quæst.* 7.) sed etiam tunc licitum est Religiosis vsurpare sibi simpliciter necessaria ad vitam, etiam inuitis superioribus. Propter eamdem rationem, qua supra. Nauarra *lib.* 3. *de Restit. cap.* 1. *part.* 3. *dub.* 3. Sayr. *in Claui reg. lib.* 9. *cap.* 16. Animaduertant tamen Religiosi, ne sub prætextu necessariorum simpliciter ad vitam, minus necessaria etiam exquirant, ex Voto enim paupertatis carere debent rebus aliquo modo necessariis. Vnde vsurpans sibi à Monasterio res non simpliciter necessarias, peccat contra Paupertatem, quia vtitur re sine vlla licentia, etiam præsumpta, sui Superioris, & etiam peccato furti, quia vsurpat vsum rei, rationabiliter inuito vero domino ipsius. Petrus Nauarra *lib.* 3. *de restitut. capite* 1. *numero* 197. Molina *disputat.* 176. & 140. Vide dicta de declaratione Sacræ Congregationis circa hoc supra *numero* 14. *ad quintam dubitationem.* 31

Si religiosus seculari volenti illi dare aliquas pecunias dicat, quod eas ponat in depositum apud alium, vt illis vtatur de licentia sui Superioris, & dominium illarum maneat apud secularem, non erit proprietarius. Ratio est, quia in tali casu non acquirit dominium, aut proprietatem talium pecuniarum, nec etiam vsum Iuris, sed solum vsum facti ex licentia Superioris, quod non repugnat Voto Paupertatis. Diu. Bonauent. *in Exposit Regul. Min. capite* 4. *& in quæstionibus quæst.* 26. Sanchez *in Decal. cap.* 19. *num.* 50. Vide infra *num.* 48. 32

Similiter Religiosus, qui furatur aliquid, & illud tradit Monasterio, vt vtatur illo cum licentia Superioris, licet committat peccatum furti, sed non proprietatis. Cum talis rei non acquirat sibi dominium aut vsum sine licentia Prælati. Nauarrus. *lib.* 3. *Concil. in prima edit. tit. de Regul. consil.* 75. *numero* 40. *& in* 2. *titulo de statu Monac. consil.* 3. *numero* 40. Sanchez *lib.* 7. *in Decalog. capite* 19. *num.* 55. 33

Si Religioso relinquatur aliquod legatum ea conditione, 34

conditione, vt ad ipsum tantum, non autem ad Conuentum pertineat, credendum est testatorem solum velle vsum illius rei pertinere solum ad Religiosum, & non ad Monasterium. Ratio est, quia voluntas testatoris semper est seruanda omni meliori modo quo fieri possit, cum autem voluntas relinquentis hoc legatum non possit seruari quantum ad hoc, quod Monachus acquirat dominium, aut proprietatem illius, quia hoc est contra Votum Paupertatis, solum erit seruanda modo dicto. Molina *tom. 1. de Inst. disp.* 140. *colum.* 9. Azor. *tom.* 1. *lib.* 12. *cap.* 10. *q.* 3. Si autem testator expresse ponat hanc conditionem, vt scilicet dominium, & proprietas talis legati solum pertineat ad Monachum, valebit legatum, & talis conditio habetur pro non adiecta. Ratio est, quia conditiones turpes adiectæ legatis non vitiant, sed vitiantur, ac proinde habentur pro non adiectis, hæc autem conditio est turpis, & sacrilega vtpote contra Votum Paupertatis. Sanchez *lib.* 7. *in Decalog. cap.* 17. *num.* 12. *cum aliis.* Si vero Testator vltra procedat, & dicat se velle, quod illud legatum pertineat solum, & quoad dominium, & proprietatem ad Monachum, & non ad Monasterium, & quòd si secus fiat, pertineat ad alium extraneum, tunc tale legatum est validum pro Conuentu, & illa conditio habetur pro non adiecta. Ratio est, quia adiectio pœnæ actui interdicto est ipso iure nulla *leg. vnica in fin. C. de his quæ pœnæ nomine relinquuntur*, hic autem apponitur pœna actui malo, & per consequens interdicto, quale est quod Religiosus habeat proprium. Ergo est nulla talis adiectio pœnæ, & habenda pro non adiecta. Syluest. *v. Relig.* 6. *quæst.* 7. *dic.* 3. Cordub. *in Sum. quæst.* 154. Sanchez *vt supra num.* 17. Vide dicenda *tom.* 2. *cap.* 19. *à num.* 45.

35 Religiosus, qui ex eo quod alteri ad vsum concessum est, clam sibi aliquid assumit, v. g. librum, vestem, imaginem, &c. peccat peccato proprietatis. Ratio est, quia sine consensu Superioris assumit sibi aliquid alteri destinatum. Azor. *tom.* 2. *Instit. l.* 12. *c.* 12. Llamas 3. *part. Sum. c.* 9. Si tamen constaret aliquem Religiosum habere aliquid superfluum, & contra voluntatem sui Superioris, & alius indigeret tali re, nec aliter subuenire posset suæ necessitati: si illam ab illo acciperet, non peccaret contra paupertatem. Ratio est, quia in tali casu debet præsumi voluntas Superioris, quod talis res superflua vni, applicetur alteri indigenti. Attendendum tamen est, ne inde sequantur scandala, notæ, suspiciones, querelæ, & alia huiusmodi, quæ euenire solent.

36 Similiter Religiosus recipiens aliquid, quod Superior præcepit, aut non vult recipi nisi ab alio Religioso, vt qui recipit Missarum stipendia, quæ Prælatus non vult recipi nisi à Sacrista, vel Procuratore, peccat peccato proprietatis, etiamsi dicat tales Missas. Eo quod recipit aliquid contra sui Superioris beneplacitum. Hieronym. Gratian. *in Discipl. Regular.* 2. *part. cap.* 8. §. 3. Vide dicenda *cap.* 21. *num.* 4.

37 Religiosus acceptans donationem, aut legatum absque licentia sui Superioris peccat. Ratio est, quia vel acceptat sibi, vel Monasterio; si sibi est proprietarius; si Monasterio, si ad hoc non habet consensum saltem implicitum, vsurpat authoritatem illius. Sanchez *lib.* 7. *in Decal. c.* 31. *num.* 34. Talis tamen acceptatio, si est in fauorem Monasterij tenet, quia semper præsumitur voluntas Monasterij, & Ecclesiæ, in illis, quæ cedunt in ipsius vtilitatem. Nauarr. *Comm.* 2. *num.* 32. *de Regular.* Azor. *tom.* 1. *Instit. mor. libro* 12. *cap.* 12. *quæstione* 2.

Religiosa recipiens aliquid ab aliquo ob inhonestum finem, (& idem dico de Religioso aliquid eodem modo à fæmina recipiente) non solum peccat contra Castitatem ob periculum transgrediendi hoc Votum, sed etiam contra Paupertatem. Eo quod recipit aliquid contra voluntatem, & licentiam legitimam sui Superioris, quæ non potest esse in prædicto casu. Hieronymus Gratian. *de Discipl. Regul.* 2. *p. c.* 8. §. 3. 38

Religiosus accipiens sine licentia sui Superioris aliquid à seculari, vt illud det pauperi alicui à seculari determinato, illique dans non peccat contra Paupertatem, Ratio est, quia in hoc casu se habet instar ministri, seu famuli non habentis dominium, aut administrationem, aut vsum iuris talis rei. Sanchez *lib.* 7. *in Decalog. cap.* 30. *numer.* 2. Addit ipse *à numer.* 3. nec etiam peccare contra Paupertatem, quando secularis dans talem eleemosynam non designat pauperem, cui dari debet, sed hoc remittit arbitrio Religiosi. Sed probabilius est, hoc casu peccare Religiosum contra Paupertatem. Quia in eo habet se sicut administrator talis eleemosynæ, siquidem potest illam dare cui voluerit, quando & quantum voluerit, quod est habere administrationem talis rei. Hoc autem est prohibitum Religiosis ex vi Voti Paupertatis, maximè sine licentia Superioris. Lessius 2. *de Instit. cap.* 41. *dub.* 9. *num.* 78. Si autem in hoc casu eleemosynam, quam accepit applicandam pauperibus, sibi, aut suo Monasterio, verè indigentibus applicaret, non peccaret sic faciendo. Cum intentio dantis eleemosynam solum fuerit, vt supponimus, vt veris pauperibus applicaretur. Nauar. *lib.* 3. *Consi. titulo de mend. vnico.* Rodrig. *t.* 1. *Sum. c.* 202. *in edit.* 39

Regula generalis est, quod *Quidquid Monachus adquirit Monasterio adquirit*, vt habetur argumento *l. placet de adquir. hæred. & cap. in præsentia de probation.* Cum enim non sit capax dominij, nec etiam vsus, nisi dependenter à Monasterij voluntate, illi adquirit totum. Nauarr. *Com.* 1. *de Regul. nnmer.* 23. Si vero Monasterium non est capax dominij, vt si est Minorum de obseruantia, tunc dominium adquirit Papæ; detentio vero, & vsus facti ad Monasterium. Thom. de Iesu *supra cap. non dicatis part.* 2. *cap.* 5. Extenditur ad ea quæ Religiosus proprio labore, & industria adquirit. Propter eamdem rationem. Nauarrus. *cap. non dicatis num.* 40. De iniustè vero adquisitis distinguendum est, aut enim iniustè aliqua adquisiuit, quæ non solum adquirere non potuit, sed nec possidere, vt si per furtum, aut vsuram aliquid comparauit, & hæc, nec sibi, nec Conuentui adquirit. Eo quod illa tenetur restituere veris dominis. Aut verò iniustè adquisiuit aliqua, quæ iustè retinere posset, vt si (quod absit) Religiosa per fornicationem aliquid comparauerit & hæc adquirit Monasterio. Eo quod quamuis iniustè comparata, non tamen tenetur ad restitutionem. Sotus 4. *de iustit. quæst.* 7. *artic.* 1. Thomas de Iesu *vt supra* §. *mihi vero.* Nomine autem Monasterij cui Religiosus adquirit, intelligitur, in Religiosis Mendicantibus, seu aliis qui non habent perpetuam affiliationem in vno Conuentu, sed superioris nutu ex vno in alium transferuntur, totus Ordo, vel Prouincia, in quibus Religiosus professionem emisit. Qua cum totus Ordo, seu Prouincia sentiant onus alendi & sustentandi tales Religiosos, etiam debent 40

debent sentire commodum, iuxta Regulam Iuris in 6. *Qui sentit*, &c. Azor. *tom.* 1. *institut. moral. lib.* 12. *c.* 10. *q.* 4. Sanchez *lib.* 7. *in decal. c.* 32. *n.* 53. post alios. In Religiosis autem aliis habentibus perpetuam affiliationem in vno Monasterio vbi professi sunt, acquirit tali Conuentui, propter eamdem rationem. Sanchez *sup. num.* 55. Obseruandæ etiam sunt circa hoc Constitutiones, & Statuta Religionum. Lugo *de Iust. & Iur. tom.* 1. *disp.* 3. *sect.* 11. *n.* 226. Tamburinus *de Iure Abbatum tom.* 3. *disp.* 11. *q.* 4. *n.* 6.

41 Etiam quando Religiosus ex legitima sui Superioris, aut etiam Papæ, licentia, viuit extra Monasterium adquirit ipsi, & Religioni, Cum adhuc maneat verus Religiosus, & per consequens sit eadem ratio de illo, ac de aliis, Molina *tom.* 1. *de iust. disput.* 140. Sanchez *lib.* 7. *in Decalog. cap.* 32. *num.* 60. Qui etiam bene addunt bona talis Religiosi è vita decedentis pertinere etiam ad Religionem. Propter eamdem rationem. Hodie tamen, si talis Religiosus extra Monasterium decedat, bona illius post mortem pertinent ad Cameram Apostolicam, nisi habuerit facultatem testandi, & testatus fuerit. Propter motum proprium Greg. XIII. *Officij nostri.* Azor. *tom.* 2. *Institut. mor. lib.* 8. *cap.* 3. *quæstio.* 15. Sanchez *lib.* 7. *in Decalog. cap.* 32. *numer.* 61. Vide *disp. num.* 26. & dicenda *cap.* 16. *num.* 20. 21. 22. & 33.

42 Similiter Religiosus habens pensionem non Ecclesiasticam ex Pōtificis indulto adquirit Monasterio, cum per talem pensionem non extrahatur à iurisdictione Religionis. Emanu. Sa *in Summ. verb. Religio n.* 27. Cui autem adquirant Religiosi facti Episcopi, Cardinales, Abbates vel Prælati aliarum Religionum dicimus *c.* 17. *n.* 12. Cui etiam adquirant Apostatæ, & fugitiui dicimus *c.* 16. *n.* 20. Cui vero Electi dicimus *c.* 23. *n.* 13.

43 Licitum est Religiosis sine præiudicio Voti Paupertatis mendicare, seu ex eleemosynis mendicatis viuere: Ita definitur in Conc. Constant. *sess.* 8. & in Bulla Mart. V. & à Leo. X. contra errores Lutheri, & ratio est, tum exemplo Apostolorum, tum quia ipsa mendicatio est actus humilitatis, & Paupertatis Religiosæ conformis. Thom Vuald. *lib.* 4. *Doctr. fidei cap.* 3. & 4 Castro *contra hæres. verb. mendicitas.* Vnde Innoc. IV. dantibus eleemosynas Carmelitis decem dies Indulgentiæ concessit, alij etiam Pontifices similia fecerunt. *Speculum Ord. Carm. fol.* 64. Vide etiam magnum priuilegium Sixti IV. pro Carmelitis, de quo Rodrig. *tom.* 2. *quæst. Regul. quæst.* 57. *artic.* 7. Per accidens tamen potest esse malum, & prohibitum Religiosis mendicare. Primò si id faciant, vt otiosam & inutilem transigant vitam, actibus Religiosis non insistendo. Eo enim fine dantur eleemosynæ Religiosis à secularibus, vt religiosam vitam gerant, & bonorum operum ipsorum participes fiant. Quo fine defraudantur si prædicto modo viuant. D. Thom. 2. 2. *q.* 187. *art.* 4. Caiet. *ibid.* Ledesma 2. *part.* 4. *quæst.* 15. *art.* 8. Vnde in tali casu peccant Religiosi eleemosynas accipiendo. Quia debent illas accipere animo gratificandi per sua bona opera; quod non faciunt. Valentia 2. 2. *disp.* 10. *q.* 5. *punct.* 3. Sanchez *lib.* 7. *in Decal. cap.* 24. *num.* 8. Non tamen tenentur ad restitutionem. Eo quod non peccant contra institiam, cum nullum pactum ineant cum dantibus illas elemosynas. Valent. *vt sup.* Angles *in florib.* 1. *part. tract. de eleemos. quæst.* 9. *de mendicit. diff.* 5. Secundo etiam peccabunt per accidens Religiosi viuendo ex mendicitate, si id faciant animo agregandi opes, vel vt laute viuant, vel talibus eleemosynis non indigeant. Pro quo vide dicta à nobis *in lib. reformat. Reg. c.* 16. & 17. & dicenda *tom.* 2. *c.* 1. *à num.* 3.

Pro hac etiam doctrina extat declaratio S. Congreg. Concilij, qua decernitur, *Fratres Ord. Mendicantium nequaquam posse ab Episcopis prohibere, quo minus per se ipsos in Diœcesibus vbi habent Conuentus, eleemosynas quærant, sed tantum si extra loca, vbi Monasteria existant, quæritare voluerint, teneri suorum Superiorum licentiam Ordinario ostendere.* Vide Laurentium de Peirinis *tom.* 1. *de priuileg. Minim. in const.* 4. *Sixti IV.* §. 8. *n.* 40. 44

Possunt Religiosi succedere vt hæredes in bonis temporalibus, quæ ad illos iure spectant, vel ipsis legantur. Tum quia hoc non repugnat voto paupertatis, cum non sibi, sed Monasterio adquirant; tum quia ita concessit Prædicatoribus, & Minoribus Clem. IV. in Bulla quæ incipit *Obtentu diuini numinis.* Tum quia ita colligitur ex *lib. fin.* §. *hoc etiam C. de episc. & Cler. & ex l. regia* 2. *tit.* 3. *part.* 6. Molina *tom.* 1. *de iust. disp.* 140. Sanchez *lib.* 7. *in Dec. c.* 26. Excipiuntur tamen ab hac regula fratres Minores de Obseruantia, & Capuccini. Quia nulla ratione sunt capaces successionis hæreditariæ, sicut, neque in particulari, neque in communi possunt habere aliquod dominium, vt habetur *in Clem. exiuit* §. *cum numer. de v. sign.* Corduba *in Reg. D. Francisci cap.* 6. *quæst.* 11. *punct.* 1. Rodrig. *tom.* 2. *q.* 78. *art.* 2. Nec possunt capere hæreditatem vt eam vendant. Quia in dicta Clem. *exiuit* dicitur nullatenus esse capaces hæreditatis. Rodr. *vt sup.* Potest tamen ipsis aliquid legari. Quia hoc exprese definitum *in c. exiit* §. *ad hæc quia fratribus de verb. signific. in* 6. Rodrig. *tom.* 2. *quæst.* 125. *art.* 6. Sanchez *lib.* 7. *in Decal. cap.* 26. *à num.* 9. vbi multa in sequentibus. Aliæ quoque Religiones habent peculiaria iura circa hæreditates, de quibus Thom. de Iesu *sup. c. non dicatis p. à cap.* 2. Vide dicenda *tom.* 2. *cap.* 19. *à num.* 44. 46. Peccant. Religiosi contra paupertatem peccato proprietatis expendentes aliquid etiam ex his quæ habent ad vsum, sine licentia suorum Superiorum. Hoc enim modo disponere de rebus temporalibus est actus proprietatis. Valen. 2. 2. *disp.* 10. *q.* 4. *punct.* 3. Mendoza *quodlibet.* 8. *con.* 3. Idem dico si permutent, mutuent, aut accomodent, aut alio modo contrahant de illis sine prædicta licentia. Propter eamdem rationem. Less. 2. *de Iust. c.* 41. *dub* 9. *n.* 79. Sanchez *lib.* 7. *in Deca. c.* 19. *n.* 65. Idem etiam dico, si bona sibi à Superiore deputata ad certos vsus, in alios expendant sine prædicta licentia. Propter eamdem etiam rationem. Nauarr. *lib.* 3. *de Restit. cap.* 1. *n.* 183. Rodr. 3. *tom. q.* 29. *art.* 6. Peccant similiter contra paupertatem non adhibentes diligentiam, quam homines solent communiter adhibere in conseruandis rebus sibi ad vsum permissis. Quia non conseruare illa modo dicto est quasi expendere, & consumere contra voluntatem sui Superioris. Less. 2. *de iust. cap.* 41. *dub.* 9. *n.* 79. Sanchez *lib.* 7. *Decal. cap.* 19. *num.* 115. 45

Si tamen Religiosus alicui seculari volenti sibi dare aliquam rem, v.g. pecuniam, dicat, obsecro vt des tali consanguineo meo, etiam si id faciat sine licentia Prælati non peccat contra Paupertatem. Ratio est, quia in isto casu nihil donat, aut expendit, sed solum rogat secularem, vt donet id quod sibi dare volebat. Sanchez *lib.* 6 *de Matr. disp.* 4. *num.* 7. & *lib.* 7. *in Decal. cap.* 19. *numer.* 74. & 75. Qui bene etiam addit, posse tunc peccare contra charitatem illum Religiosum, si absque iusta causa non acceptauit, 46

acceptauit, quod sibi dabat secularis, si quidem priuauit Monasterium illa re aut pecunia, quæ ad ipsum pertinebat si acceptasset.

48 Similiter si Religiosus petat ab amico, vt ponat in deposito apud aliquem aliquas pecunias, vt ex illis subuenire possit suis necessitatibus, si id intendat facere de licentia sui Prælati non est proprietarius. Cum non adquirat dominium, aut vsum talium pecuniarum sine licentia Superiorum. D. Bonauent. *in Regul. cap. 4. prope finem.* Cordub. *in Reg. D. Franc. quæst. 8. & 9.* Addit etiam idem D. Bonauent. id verum esse, etiam si ille, qui pecuniam deponit, intendat se statim priuare dominio illius, & transferre in Religiosum. Quia quandiu ille non acceptat dominium, manet semper penes dantem Pecuniam. Thom. de Iesu *sup. c. non dicatis p. 3. c. 5.* Vide dicta *n. 32.*

49 Solet tamen S. Congregatio Episcoporum & Regularium concedere Religiosis aliquibus facultatem disponendi de iis quæ habent ad vsum, ad causas videlicet pias; prout fecit de anno 1631. pro 17. Ianuarij cum quodam Monacho causa subueniendi parentibus ipsius egenis. Et 27. Augusti de anno 1627. causa subueniendi sororibus. Et 27. Septembris 1647. pro succurrendis parentibus infirmis & egenis.

50 Multi volunt Religiosos dantes, aut recipientes litteras sine licentia Superiorum peccare contra paupertatem. Hoc vero intelligo, quando litteræ, quæ dantur, vel accipiuntur, sunt pretio æstimabiles, vt si essent auratæ, vel miniatæ, &c. vel quando sunt contra vtilitatem Monasterij, vel alicuius Religiosi, aut expenditur aliquid in illis dandis, vel recipiendis, tunc enim sunt materia proprietatis. In aliis vero casibus solum erit peccatum contra obedientiam, si id fiat contra præceptum Superiorum. Nauarr. *lib. 3. consil. de stat mona. consil. 3. & comm. 2. de Regul.* Peirinis *tom. 1. de subdito q. 2. de paupertate c. 2. §. 10.*

51 Religiosi etiam ludentes pro pecunia, vel re pretio æstimabili peccant contra Votum Paupertatis. Quia expendunt res, quas habent ad vsum, & exponunt iacturæ illicitæ, quod est actus proprietatis Sanchez *lib. 7. in Decal. capite 19. numero 76.* Ludentes autem gratia honestæ recreationis moderatam aliquam quantitatem de licentia sui Prælati non peccant contra paupertatem. Quia tunc ludus est actus honestus, & ille vsus pecuniæ licitus, Maior *in 4. disp. 18. quæst. 13. in sol. ad 2.* Ledesma *2. part. 4. quæst. 15. art. 5.* Secus esset si talis ludus esset prohibitus, vel à iure, vel à Regula, constitutionibus, aut Superioribus Religionum, aut esset scandalosus, &c. Quia tunc nec paruam, nec magnam quantitatem liceret ludere, etiam de licentia Prælati. Cum non posset illam concedere. Salon. *2. 2. tract. de Dom. 4. 5. art. 6. du. penult.* Molina. *tom. 2. de iust. disp. 520.*

52 Hinc ludens cum Religioso, & lucrans vltra eam quantitatem, quam Religiosus potuit ludere, & Prælatus concedere licentiam, tenetur ad restitutionem illius excessus. Ratio est, quia cum Religiosus non possit perdere illam quantitatem, nec etiam ludens coram illo poterit illam lucrari; ac perinde si accipiat tenebitur ad restitutionem, Per Led. *2. p. Sum. tr. 31. c. 1. post 10. concl.* Alcozer *lib. de ludo c. 39.* Similiter è contra, si Religiosus ludens vltra eam quantitatem, quam potest ludere, & perdere ex licentia sui Prælati, vel quia non habet talem licentiam, vel quia ludus est illi prohibitus, & contingat tunc lucrari, non potest id accipere, & si accipit tenetur ad restitutionem. Ratio est (quidquid alij dicant) quia ludus est quidam quasi contractus conditionalis, in quo vnusquisque exponit suam pecuniam periculo perdendi, & lucrandi. Qui ergo non potest perdere, non potest lucrari sicut qui non potest lucrari non potest perdere. Ac per consequens cum Religiosus non possit vltra illam quantitatem perdere nec poterit vltra illam lucrari. Salon. *2. 2. post quæst. 61. quæst. 5. de dominio articulo 6. dub. penult.* Valent. *2. 2. disp. 5. punct. 5.* Limitatur tamen probabiliter hæc sententia quod in casu, quo Religiosus ludit cum illo, qui scit eum non posse ludere aut non posse perdere vltra illam quantitatem, si iste perdat vltra illam posse Religiosum lucrari illam, nec teneri ad restitutionem. Nam eo ipso, quod habens talem scientiam ludit cum Religioso, censetur cedere iuri suo, ita, vt possit perdere, & non lucrari cum scienti, & volenti nulla fiat iniuria, Angles *in flor. 2. part. de ludi restit. art. vn. dub. 1.* Sayrus *in clau. reg. lib. 11. c. 13. n. 9.*

Nec etiam possunt Religiosi aliquid dare, seu donare alicui, siue de bonis Monasterij siue de his, quæ habent ad vsum, aut quomodolibet adquisierunt, sine licentia Superioris. Quia dare aliquid hoc modo est actus proprietatis, & dominij. Cordub. *in Regul. D. Francisc. cap. 6.* Mend. *in quodlib. quæstio. 8. con. 3.* Pro quo etiam extat Const. Clem. VIII. anno 1594. edita, in qua sub grauissimis pœnis huiusmodi largitionem, seu missionem munerum Religiosis interdicit (*in 3. tom. bull. Laertij inter Const. Clement. VIII. num. 28.*) Bonacin. *de larg. mun. disp. 3.* Diana *tract. 6. de Pauper. Religiosa super hanc Bullam.* Neque etiam per modum eleemosynæ possunt aliquid dare sine prædicta licentia. Propter eandem rationem S. Thom. *2. 2. q. 32. art. 8.* D. Antonin. *3. p. tit. 16. c. 1. §. 11. not. 4.* Quando tamen pauper est in extrema necessitate potest Religiosus, etiam sine licentia Superioris, illi subuenire; Quia in tali necessitate omnia sunt communia. Angles *in flor. 1. p. tract. de Eleemos. quæst. 4.* Rodrig. *tom. 2. quæst. 57. art. 2.* Similiter quando Religiosus est cum licentia sui Superioris absens à Monasterio potest ex his, quæ sibi sunt donata, facere aliquas moderatas eleemosynas. Quia ad hoc præsumitur licentia tacita sui Superioris, Med. *C. de Pœnit. tract. de eleemos. quæst. de quib. bon. fit eleemos.* Ledesm. *2. tom. sum. tract. 5. cap. 3. concl. 31.* Idem etiam dico probabiliter quando Religiosus etiam in Monasterio existens aliquid sibi subtrahit de his, quæ sibi à Monasterio ad sustentationem tribuuntur, posse scilicet de illis eleemosynam facere. Propter eandem rationem. Valeutia *2. 2. disp. 10. quæst. 4. punct. 3.* Sanchez *lib. 7. in Decalog. cap. 19. num. 100. & 101.* Monasteria autem, & Superiores nomine ipsorum possunt, & tenentur facere eleemosynas de superfluis. Ratio est, quia obligantur præcepto communi dandi eleemosynam sicut alij, Molin. *tom. 2. de iustit. disput. 276.* Res autem magni momenti, aut pretij nequeunt donare Religiosi, aut Monasteria, *nisi in Generali Capitulo, aut alia Generali Congregatione re mature discussa vnanimi consensu omnium, Superiorumque permissu approbata fuerit.* Ita enim habetur in dicta Constitutione Clementis. VIII. & quamuis nouissimè sub Vrbano VIII. anno 1640. moderata sit talis Constitutio, ita vt Religiosi possint aliquid dare, quibusdam conditionibus seruatis sine tali consensu Capituli Generalis, &c. de 53

sola Superiorum licentia, id tamen intelligitur de rebus minoris momenti, & pretij, vt patet ex verbis dictæ moderationis, scilicet, *modeste tamen ac discrete.* Consule quæ dico *tom 3. verbo. Dare seu donare quoad Regulares*, præsertim *à num.* 10. vbi de conditionibus requisitis pro talibus donationibus. Et Portellum *in Responsionibus moral. tom. 2. cas.* 67. vbi propterea reprobat donationem factam à quodam Religioso pro maritanda nepte.

53 Hinc fit, quod recipientes à Religioso aliquid, ad quod non habebat facultatem, tenentur ad restitutionem. Eo quod accipiunt aliquid ab eo, qui donare non potest. Nauarrus *lib. 3. cons. in 1. edit. tom. de Regul. consil.* 75. *numer.* 33. Less. 2. *de iustit. cap.* 41. *num.* 73. *dub.* 8. Vnde in prædicta Constit. Clem. VIII. contra recipientes aliquid à Religiosis dicitur. *Ipso facto absque aliqua monitionis, Iudicis decreto, sententia, aut declaratione ad illius restitutionem omnino in vtroque foro teneantur, adeo vt restitutione ipsa realiter non facta, neque etiam in foro conscientiæ absolui possint.* Bonacina *de largit. muner. disput.* 3. *puncto quarto.* Si tamen daretur casus, quod Religiosus expenderet aliqua, quæ nullo modo pertinerent ad Monasterium, vt si de licentia Papæ haberet administrationem aliquorum bonorum independenter ab alio; tunc accipiens non teneretur ad restitutionem rei acceptæ faciendā Monasterio: Quia res illa non pertinebat ad Monasterium. Molina *tom.* 2. *de Iustit. disput.* 520. Similiter si aliquis sæcularis Religioso alicui daret aliquam pecuniam solum sub conditione, vt ex illa luderet, aut fornicaretur, accipiens, nulli tenetur restituere. Cum illa pecunia solum pertineat ad sæcularem, & ille illam concesserit voluntariè. Abul. *in capit.* 6. *Matth. quæst.* 27. Sanchez *lib.* 7. *in Decalog.* 19. *num.* 35. Quando autem aliquis Religiosus daret aliquid propter vsum vanum aut superfluum, verbi gratia, si daret aliquid meretrici, vel parasito, aut mimo ob vanam delectationem; cum ad tales donationes non possit habere licentiam à prælato, qui solum illam dare possunt pro rebus licitis aut honestis, accipientes ab illo ea dona, tenentur ad restitutionem, vt pote accepta à non potente transferre dominium eorum ob defectum licentiæ, est quia ita habetur in Constitutione relata Clementis VIII. nouissime confirmata quoad hoc sub Vrbano VIII. Lugo *de Iust. & Iur. tom.* 1. *disp.* 3. *sect.* 7. *num.* 141. Ex Sanchez, & aliis.

54 *Inter ipsos quoque Religiosos, ne praua ambitione impulsi, pro consequendis in sua Religione gradibus, & dignitatibus alter alterius gratiam aut beneuolentiam aucupetur, quæcumque largitio, aut donatio munerum nisi rerum minimarum de licentia expressa, & in scriptis Superiorum, est penitus interdicta.* Ita Clemen. VIII. in Constitutione *Religiosæ Congregationes* Anno 1594. edita de qua supra *numero* 52. D. Bonau. *in speculo Discipl. tom.* 2. *capite* 4. Imò hæc largitio munerum inter ipsos Religiosos est peccatum proprietatis, si fiat sine licentia Superiorum. Quia sine illa est vsus rei temporalis contra voluntatem Superiorum, Papæ præsertim, qui est supremus Prælatus Religionum Hieronym. Gratian. *Discipl. Regul.* 2. *p. c.* 8. §. 3.

55 Licentia autem Superioris, quæ requiritur, & regulariter sufficit ad hoc, quod Religiosus possit tenere, vel possidere, accipere, dare, vel expendere, sufficit, quod sit tacita, vel prudenter præsumpta, quando scil. prudēter creditur Superiorem ita velle. Ratio est, tum quia taciti, & expressi eadem est virtus, *leg. cum quid ff. de rebus cred. & cap.* 2. *de rescriptis*. Tum, quia id, quod fit cum licentia implicita, & prudenter præsumpta Superioris dicitur fieri cum eius consensu. D. Thom. 2. 2. *quæst.* 32. *artic.* 8. *ad primum.* Corduba *in Summ. quæst.* 109. Quando tamen fuerit præceptum Superioris de non accipiendo, retinendo, vel dando sine licentia expressa, tunc non sufficit implicita, aut præsumpta. Quia Superior declarauit non aliter consentire. Ludouicus. Lopez 1. *part. Instruct. consc. versu penult. cap.* 156. Rodrigu. *in Summ.* 2. *tom. cap.* 31. *numero* 7. Vnde quia prædicta Constitut. Clem. VIII. prohibetur largitio munerum, aut quæcumque donatio Religiosis, ex quocumque prætextu, aut causa, *nisi in Generali Capitulo, aut alia Generali Congregatione, re mature discussa, vnanimi consensu omnium, Superiorumque permissu causa approbata fuerit*, ita obseruari debet, quoad fieri possit. Præsertim cum prædicta Constitutio Clement. VIII. videatur innouata à S. Congegatione Concilij. quæ in decretis *de Apostatis, & eiectis* iussu SS. D. N. Vrbani VIII. editis sic habet. *Curent Superiores, vt Constitutio interdicens largitiones munerum, & præscribens hospitalitatis formam ab omnibus in quolibet Conuentu inuiolabiliter obseruetur.* Et ita nihil videtur obstare, quod illa Constitutio in partibus Hispaniarum recepta non sit, vt testatur Sanchez *lib.* 7. *Decalog. cap.* 19. *num.* 42. 100. & 105. Et in Italia abierit in desuetudinem, vt testatur etiam Laurentius de Peirinis *tom.* 1. *de subdito, q.* 2. *de paupertat. c.* 2. §. 6.

Consuetudo etiam aliquid retinendi, accipiendi, dandi, vel expendendi sine licentia Superiorum, 56
quando est recepta, & viget consentientibus ipsis, excusat Religiosum, saltem regulariter. Quia talis consuetudo habet vim licentiæ, Sanchez *lib.* 7. *in Decalog. cap.* 19. *num.* 7. Secus si talis consuetudo inrroducta est, aut viget, contra voluntatem Superiorum. Propter oppositam rationem. Graffis 2. *part. decis. lib.* 3. *cap.* 9. *à numer.* 4. Dixi etiam, saltem regulariter, quia quoad largitiones munerum, seu donationes attendenda est Constitutio Clem. VIII. adducta Taciturnitas verò Superioris videntis Religiosum aliquid possidere, accipere, expendere, &c. sine licentia, & non contradicentis non excusat Religiosum, nisi quando ex aliis signis constat illam esse virtualem approbationem. Ratio est quia huiusmodi taciturnitas sæpe nascitur ex pusillanimitate Superioris, vel ex proteruia subditi, ergo non semper arguit licentiam implicitam, nisi quando ex aliis signis id constat. Graffis vt supra *cap.* 19. *num.* 31. Sanchez *num.* 12. Similiter non excusat Religiosum credere quòd Prælatus concedet licentiam si ab ipso petatur, quando scit ipsum velle vt petatur. Quia tunc non censetur habere licentiam, aut consensum Prælati. Nauarr. *Comm.* 2. *de Regular. num.* 20. Mendoza *quæstio.* 8. *post. septimam conclus.* Quando tamen Religiosus procedit sub spe ratihabitionis, seu approbationis à Prælato excusatur. Quia tunc operatur ex licentia saltem virtuali. S. Thom. *in* 4. *dist.* 15. *quæst.* 2. *articulo* 5. *quæstion.* 4. Toletus *in Sum. de pecc. mort. cap.* 28.

Licentia ista requisita ad hoc, quod Religiosus 57
possideat, accipiat, det, aut expendat, &c. aliquid, debet esse voluntaria, & non coacta, vel precibus, importunis, vel fauoribus, metu, aut dolo. Ratio est, quia aliàs talis licentia, potius esset violenta, nec Religiosus per eam operaretur secundum voluntatem

luntatem sui Superioris, sed suam. Nauarr. *Comm.* 2. *n.*21.*corol.*7. Sanchez *lib.*7. *in Decalog.c.*19. *à n.*16. Idem dico, quando Prælatus dat istam licentiam subdito, eo quòd timeat ipsum, quia est susurro, rixosus, contentiosus, & excitabit rumores in Conuentu si non illi conceditur. Propter eandem rationem. Cordub. *in Summ.quæst.*54. Lessius 2. *de iustit.cap.*4.*dub.*5. Similiter debet esse legitima ista licentia, vnde, si sit ad prauos, inhonestos, aut inutiles vsus non est valida. Cum Superior nequeat illam concedere. Nauarr. *lib.*3. *consil. in* 1. *edit. tit. de Regular.consil.*73.*num.*33. Molin. *tom.*2. *de Iust. disputat.*276. Vnde neque etiam Monasterium potest concedere talem licentiam ad prædictos prauos vsus. Eò quòd quamuis Monasterium sit dominus suorum bonorum, hoc tamen est in ordine ad bonum status Religiosi. Mendoz. *quodlib.*8.*art.*6. Less. 2. *de iust.c.*18.*dub.* 1.

57 Quamuis aliqui putent in materia proprietatis non posse dari materiam leuem, propter quam solum peccetur venialiter (Viuald. *in Candelab.sacrament.*3.*p.cap.*14. *num.*68. Passarel. *supr.priuileg. Minim. tit. de propriet. abdic.*) tamen probabilissima sententia est, posse crimen proprietatis, quantumuis ex suo genere mortale, reddi veniale ex materiæ paruitate, ita vt si Religiosus aliquid leue possideat, accipiat, expendat, &c. sine licentia sui Superioris solum venialiter peccet. Ratio est, quia peccatum proprietatis solùm habet malitiam quasi furti contra iustitiam, quatenus importat vsum rei alienæ inuito domino, & malitiam sacrilegij, seu contra Religionem, quatenus est contra Votum. Vtroque autem modo est capax materiæ leuis, vt patet in furto vnius quatrini, & in transgressione Voti dicendi semel *Aue Maria.* Ergo etiam in peccato proprietatis, potest esse materia leuis ratione cuius solùm sit peccatum veniale. Cordub. *in Summa quæst.*109. Mendoza *quodlib.*8. *conclus.vltim.* Vnde illa materia, quæ in furto est leuis, etiam in peccato proprietatis erit leuis. Propter similem rationem Corduba vt supra Rebellus *tractat.de iustit. part.*1.*lib.*3.*q.*15. *sect.*3. *num.*22. In furto autem communiter, & regulariter loquendo, & seclusis circumstantiis personarum, temporis, loci, &c. duo Iulij, aut Reales Hispani, putantur grauis materia, & minùs prædictis duobus Iuliis, seu Realibus, materia leuis. Mendoza, & Rebellus *suprà citati.* Addunt aliqui, eam materiam, quæ in furto est dubium, an sit materia sufficiens ad peccatum mortale, esse sufficientem ad peccatum mortale proprietatis. Tho. de Iesu *sup.c.non dicatis p.*3.*c.*6.

58 Hinc Religiosi successiuè minima retinentes, accipientes, seu expendentes, &c. sine licentia Superiorum, peccant mortaliter contra Votum paupertatis, quando peruenitur ad grauem, seu notabilem quantitatem. Ratio est ex similitudine furti. Sanchez *lib.*7. *in Decalog. cap.*21. *num.*30. Limitatur hoc, vt non intelligatur de rebus minimis comestibilibus, aut potabilibus. Quia in his non est credendum Prelatos prudentes fore inuitos. Rebell. *de iust.p.*1.*lib.*1.*quæst.*15.*sect.*3. *num.*22. Graffis 1. *p. decis. lib.*3. *cap.*5. *num.*51. Limitatur etiam, vt hoc solum sit verum, quando isti actus expendendi, retinendi, &c. sunt aliquo modo vniti, vel ratione temporis, vel loci, si enim sunt omninò disparati, credo non committi peccatum mortale, etiam quando peruenitur ad magnam, seu grauem quantitatem, ad modum, quo multi Theologi loquuntur de furtis paruis. Nauarrus *in Summ. cap.*17.*num.*139. *vel* 140. *& lib.*3. *consil. in* 1. *edit. tit. de Regular. consil.*75. *num. vigesimoseptimo*, *in* 2. *titul. de stat. Monach. consil.*3. *num.*27. Lessius 2. *de iustit. capite* 2. *dub.*8.

Pœnæ communes proprietariorum, vltra illas, quæ habentur in propria Regula, aut Constitutionibus, sunt. Prima quod Religiosus tempore mortis habens proprium non potest sepeliri in loco Sacro *cap. Monachi de stat. Monach.* sed debet in sterquilinio sepeliri cum pecunia (saltem parte ipsius) per eum possessa *cap. cum ad Monasterium eodem tit.* Insuper, si in loco sacro sepultus est, est extrahendus, si sine magno scandalo fieri possit *cap. super quodam eod. tit.* In his tamen aduerti debet, quòd debet esse certitudo, & non solùm dubium, quòd Religiosus mortuus sit proprietarius, certitudo inquam moralis, quæ ex eius acta vita desumi potest. Laurentius de Peyrinis *tom.*1. *de subdito quæst.*2. *de paupertate cap.*2.§. 9. Barbosa *de offic. Parochi cap.*26. *num.*47. Secunda est, ex Concil. Tridentin. *sess.*25.*cap.*2. quod si quis deprehensus, vel conuictus fuerit de hoc peccato *is biennio actiua, & passiua voce priuatus sit.* Aliqui tertiò dicunt Religiosum proprietarium esse ipso facto à iure excommunicatum. Sed talis excommunicatio non reperitur expressa, nisi solùm in quibusdam Conciliis Prouincialibus Coloniensibus. Thomas de Iesu *supra cap. non dicatis part.*2. *cap.*2. Ex *cap.* etiam. *Monachi de statu Monachor.* Monachus habens peculium à communione altaris iubetur remoueri. Bartholomæus à Sancto Fausto *de Voto Paupert. quæst.*198. Ac tandem *ex capite cum ad Monasterium* de Monasterio est expellendus, licet *capite fin. de Regular.* talis expulsio correcta sit, & iubeatur talem monachum deputandum Monasterij ergastulo, quo pœnitentiam agat. Sanchez *lib.*7. *in Decalog. cap.*20. *num.*12. Sed notandum huiusmodi assignatas pœnas non incurri nisi solùm ab illis, qui retinent, vel possident aliqua contra voluntatem Superiorum. Et si enim etiam dantes aliquid sine licentia peccent contra Paupertatem, imò incurrant pœnas Constitutionis Clementis VIII. adductæ supra *num.* 52. *&* 55. pœnæ autem modo assignatæ præcipuè sunt impositæ pro prædictis retinentibus, Sanchez 7. *in Decal. cap.*20. *num.*11. *&* 13. Peyrinis *tom.*1. *de subdito quæst.*2. *de paupert. cap.*2. §.9. Potest præterea peccatum proprietatis, si sit mortale, reseruari à Superioribus. Ex decreto Clem. VIII. *de reseruat. casuum.* Graffius 2. *par. decis. lib.*3. *cap.*19. *num.*5. Sanchez *lib.* 7. *in Decalog. cap.* 20. *à numero* 11. Pro quo etiam vide Quarantam *Summa verbo casu reseruat.* Coriolanum *de casibus reseruatis* 2. *parte.* 59

Si quæras tandem an Religiosi non obseruantes Vitam communem, de qua egimus *à num.*7. sint proprietarij, & incurrant prædictas pœnas? Dico primò. In illis Conuentibus, in quibus talis Vitæ communis obseruantia viget, si aliqui Religiosi eam non obseruent, sunt proprietarij, & proprietariorum pœnis plectendi. Ratio est, tum ex dictis in Superioribus ex Decretis Summorum Pontificum, & Conciliorum, tum quia, cum prædicti Religiosi teneant & possideant aliqua peculia, seu portiones, singularitatemque sequantur contra intentionem Regulæ, quam professi sunt, & voluntatem suorum Superiorum, præsertim Summorum Pontificum, qui supremi Superiores Religionum sunt, absque dubio erunt proprietarij, & talium pœnis plectendi. Quod confirmatur ex Concil. Trident. *sess.*25. *de Regular. cap.*1. vbi præ- 60

cipit omnibus Regularibus tam viris, quàm mulieribus, vt *Communem Vitam, victum & vestitum fideliter obseruent*, Qui ergo hæc non obseruant, contra voluntatem Ecclesiæ, & Superiorum agunt, & si aliqua possident, vel retinent, contra Superiorum voluntatem id faciunt, ac perinde proprietarij, & proprietariorum pœnis puniendi sunt. Bartholomæus à S. Fausto *de Voto Paupertat. quæst.* 195. Dico tamen secundo. In aliis Conuentibus, in quibus prædicta Communis Vita non viget, vel propter impotentiam, aut nequitiam Superiorum, qui nequeunt, aut nolunt dare singulis Religiosis necessaria ad vitam licèt prædicti Vitam Communem non obseruantes in periculo magno suæ salutis, & transgressionis ferè quotidianæ Voti paupertatis versentur, excusari tamen possunt à peccato proprietatis, si alio modo commodè viuere non possint, positis tamen conditionibus, & propter rationes assignatas suprà à *num.* 21. *& seqq.* Vide Bartholomæum à S. Fausto *de Voto Paupert. quæst.* 196. *&* 197. Addendum tamen est, & valdè notandum, religiosos sic viuentes, quia commodè aliter viuere non possunt, aut vitam communem obseruare in prædictis Conuentibus, paratos esse debere ad recipiendum reformationem, & introductionem Vitæ Communis, si à Prælatis de nouo instituatur, seu restauretur, nec posse vllo modo tali reformationi, & institutioni Vitæ Communis resistere sub grauissimo peccato mortali. Ratio est, quia cum prædicta Vita Communis obliget omnes Religiosos sub peccato mortali. nec ab illius obseruantia excusari possint, nisi quia Prælati Monasteriorum non prouident illis de necessariis ad vitam, absque dubio cum constaret prædictis necessitatibus sufficienter prouidendum fore, nulla supererit ratio excusationis. Et hæc est communis sententia Theologorum, specialiter Syluest. *verb. Religio* 6. *quæst.* 7. Valentiæ 2. 2. *disp.* 10. *quæst.* 4. *part.* 2. Lessij *lib.* 2. *cap.* 4. *dub.* 5. Nauarri *Comment.* 3. *de Regularib. numer.* 36. Rodriguez 2. *p. Summ. cap.* 31. Bartholomæi à S. Fausto *de Voto Paupert. quæst.* 195. *&* 196. Quorum plures præsertim loquuntur de obligatione Prælatorum ad prædictam Vitam Communem in omnibus Conuentibus introducendam, prout & nos dicimus *c.* 18. *n.* 14. Vide etiam dicenda *cap.* 7. *n.* 19. Placuit tamen pro complemento huius materiæ adiungere hoc loco resolutiones aliquorum dubiorum quæ mihi à diuersis proposita sunt.

PRIMVM DVBIVM.

61 *De quodam decreto cuiusdam Diffinitorij generalis cuiusdam Congregationis vnius Ordinis Mendicantium quo tradebatur facultas cuidam Religioso disponendi & applicandi tempore suæ mortis Conuentibus suæ diœcesis res omnes sibi ad vsum concessas contra Constitutiones generales eiusdem Congregationis per quas talis applicatio bonorum defunctorum spectat ad Vicarium generalem illius.*

RESOLVTIO.

62 Videtur tale decretum inualidum esse, nec posse subsistere. Primo quia est contra ius commune prohibens Religiosis professis testamentum condere, seu testare ex *auth. Ingressi C. de Sacros. Eccles. Et Cap. Quia ingredientib.* 19. *quæst.* 3. *& cap.* 2. *de testam.* & communem sententiam Doctorum, specialiter Bartol. *l.* 1. *quæst.* 3. *Cod. de Sacros. Eccles.* & ibi Bald. *num.* 15. Abbas *rubr. de testam. fin.* Franch. *ead. rubr. in* 6. *num.* 74. Rosell. *verb. testamentum* 1. *num.* 5. Syluest. *verb. testamentum* 1. *quæst.* 4. *ad fin.* Armill. *verb. testamentum num.* 2. *fin.* & ibi Tabien. *quæst.* 2. *num.* 3 Nauarr. *comment.* 2. *de Regular. num.* 22. *corol.* 10. Quod adeo verum est, vt nullus Prælatus nec etiam Capitulum generale possit concedere Religioso facultatem testandi. 63
Quia cum hæc prohibitio sit ex iure Canonico quod est superius quibuscumque Prælatis, aut etiam Capitulis generalibus non possunt contra illam ire. Fuluius Pacianus *cons.* 36. *num.* 103. Sanchez *lib.* 7. *in Decalog. cap.* 3. *num.* 5. 64
Vt perinde solum ad Papam spectet concedere talem indulgentiam Religioso, cum solus ille sit supra ius Canonicum solumque permittatur Religioso facere aliquam schedulam qua roget Prælatum, vt det alicui ea quæ habet ad vsum, iuxta ea quæ dicam *inferius cap.* 9. *num.* 19. cum hoc non sit facere testamentum aut codicillum, nec sit alicubi prohibitum, aut deroget voto paupertatis. Nauarrus *in Summ. c.* 27. *& comment.* 2. *de Regularib. num.* 22. Graffius *p.* 1. *decis. lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 58. 65
Talem autem dispositionem seu applicationem in re ipsa esse testamentum colligi potest ex definitione testamenti quam affert Vlpian. *in leg.* 1. *ff. de testam.* quæ talis est: *Testamentum est voluntatis nostræ iusta sententia de eo quod quis post mortem suam fieri velit.* Quæ omnia conueniunt prædictæ dispositioni bonorum factæ à dicto Religioso; secus esset si non data esset illi facultas disponendi seu applicandi illa, sed tantum designandi personas, vel monasteria quibus à Superioribus applicari deberent. Fuluian. Pacian. *suprà numer.* 103. *vsque ad* 108. Sanchez *suprà numero* 8. 66

67 Secundò, quia talis facultas disponendi de rebus quas Religiosus habet ad vsum etiam post mortem videtur contraria Concilio Tridentino *sess.* 25. *cap.* 2. *de Regular.* vbi inquit: *Administratio autem bonorum Monasteriorum seu Conuentuum ad solos officiales eorundem ad nutum Superiorum amouibiles pertineat.* Hæc enim dispositio genus quoddam administrationis est, cum sit gubernatio & distributio talium rerum iuxta conditiones certas & limitatas. Ludouicus Lopez 2. *p. Instruc. c.* 4. *in princip.* Peyrin. *tom.* 1. *de subd. quæst.* 2. *cap.* 2. §. *Noto secundo.*

68 Tertiò, dato quod tale decretum validum esset & subsistere posset, quia tamen fuit contra ius acquisitum quod habet P. Vicarius generalis illius Congregationis ad disponendum de bonis fratrum defunctorum, similiter quia est contra constitutiones generales illius Congregationis, & decretum Cardinalis Pinelli eiusdem Congregationis Viceprotectoris, ideò strictè explicanda erat gratia per illud dicto Religioso concessa; ita scilicet vt posset disponere de prædictis bonis, quæ tempore mortis habebat, consulto tamen saltem quoad exequutionem illius gratiæ P. Vicario generali moderno, & tempore mortis illius Religiosi existenti, & non aliter: Gratia enim seu priuilegium contra ius commune vel ius tertiæ personæ acquisitum, strictè interpretari debet, prout colligitur *ex Cap. sane, cap. Porro, Cap. In his priuil. & cap.* 1. *de rescript. Cap. licet de offic. Ordin. Cap. suarum de aut. & vs. Pal.* Panormitanus *in Cap. Certificari de sepult. num.*

num.9. Syluest. *in Summ. verb. Priuileg. quæst.3.* Nauarrus *in Manual. Cap.12. num.79. vers. Illud autem* Suarez *lib.8. de legib. cap.27.* Sanchez *lib.8. de matrim. disput.1.* Bonacina *de legib. disput.1. quæst.3. punct.7. §.1. num.5. & 13.* Et ratio vlterius esse potest, quia PP. Definitores condentes tale decretum in fauorem dicti Religiosi non debent præsumi alio modo illud condidisse, nec voluisse præiudicium afferre Vicario generali moderno, seu existenti tempore mortis dicti Religiosi, *l. nec auus C. de mancip. liber.*

Secundum Dubium.

70 *De quodam Religioso, cui à Capitulo generali suæ Congregationis concessa est facultas disponendi bona quæ habebat cum hac conditione:* Dummodo tamen à Superioribus pro tempore requisitus rationem reddere paratus sis, eorumque voluntati & dispositioni penitus subiaceas. *De quo quæritur, an dispositio talium bonorum facta, inscio & penitus nesciente Vicario Generali eiusdem Congregationis valida & licita fuerat.*

Responsio.

71 HAc in re prætermisso an talis facultas concedi potuit tali Religioso, de quo supra dixi, & supposito quod potuisset concedi, credo nihilominus talem dispositionem bonorum factam nesciente Reuerendiss. Vicario generali eiusdem Congregationis irritam, inualidam, & illicitam fuisse.

72 Pro quo suppono primo, huiusmodi facultatem tali Religioso concessam fuisse veluti quoddam priuilegium: nam fuit priuata lex aliquid speciale concedens, quæ est definitio priuilegij sumpta ex Doctoribus *in rubr. de priuil.* & Summistis *verb. Priuileg.* ac D. Anton. *1. p. tit.19. Cap.1.* Suppono secun-
73 do, intelligentiam huius priuilegij desumendam esse ex propria significatione verborum quæ relata sunt, quia intelligentia priuilegij ex tenore verborum eius maximè pendet, ideò maximè spectandus est, iuxta *Cap. Porro, Cap. Recepimus* cum similibus *de priuil.* Suppono tertio, tale priuilegium non absolutum, sed conditionatum vel quasi conditio-
74 natum esse, vt patet ex illa dictione *Dummodo*, quæ conditionem vel quasi conditionem includit. Ex hoc autem sequitur illud non operari suum effectum, nisi posita illa conditione. Tum quia conditio videtur importare formam substantialem, sine forma autem substantiali res esse non potest, *l. Qui hæredem §. vlt. de condit. & demonst.* Tum quia priuilegium non operatur vltra intentionem concedentis; priuilegium autem datum sub conditione indicat voluntatem concedentis esse conditionalem, ipsumque nolle priuilegium concedere non adimpleta conditione.

75 Hoc supposito probatur resolutio primo, quia intentum Capituli generalis concedentis hanc facultatem prædicto Religioso proculdubio fuit, vt ipsa vteretur sciente & approbante Vicario generali pro tempore existenti eiusdem Congregationis, vt patet ex illis verbis *A Superioribus pro tempore requisitus rationem reddere paratus sis, eorumque voluntati & dispositioni penitus subiaceas.* Hæc enim necessario supponunt scientiam Superiorum: non enim potuit prædictus Religiosus à præfatis Superioribus requiri, nec eorum voluntati aut dispositioni subiacere si ignorarent talem facultatem ipsi concessam fuisse: necesse ergo est dicere intentionem concedentis talem facultatem fuisse vt vsus ipsius innotesceret Superioribus Congregationis, & cum inter illos supremus Superior sit dictus Vicarius generalis, proculdubio eius scientia & notitia desiderabatur. Quod etiam roboratur secundo, quia cum prædictus Reuerendiss. Vicarius generalis sit in possessione disponendi de bonis iure acquisito ex vi sui officij, non est credendum Capitulum illud generale concedens talem facultatem dicto Religioso illam concessisse independenter à scientia & assensu Vicarij generalis pro tempore existentis, quia nunquam Princeps præsumitur velle alteri tollere ius quæsitum, aut inferre damnum tertio in iure iam quæsito nisi illud exprimat, *l.2. §. si quis à Principe ff. ne quid in loco pub.* Bar- 76
tol. *in leg. Impuberi ff. de admin. tut. num. 2. & in leg. Gallus §. & quid si tantum ff. de lib. & posthum. in fin.* Panormitan. *in cap. 1. de Iudic.* Ioann. Andreas *in cap. si motu proprio de præbend. in 6.* Syluest. *verb. Priuilegium quæst.3. & quæst.9. in fin.* Rodriguez *tom.1. quæst.11. art.9.* Sanchez *lib.8. de matrimon. disputat.7. numer.6. in fin.* Suarez *lib. 8. de legib. cap.28. numer.10.* Tamburinus *de Iure Abbat. tom. 1. disputat. 16. quæst. 5. num.5.* Tertio quia in quocumque priuilegio semper subintelligitur clausula *salua iustitia*, vt docent Ioan. 77
Andræas quem citat Panormitan. *in Cap. Certificari numer. 9. de sepult.* Salas *de legib. disputat.17. sect. 8. num.47.* Tamburinus *supra num. 6.* Cum autem sit contra iustitiam Vicarij generalis pro tempore existentis quod aliquis Religiosus prædictæ Congregationis disponere possit de bonis, quæ habet ad vsum independenter à scientia & assensu ipsius, proculdubio credendum est facultatem concessam dicto Religioso includere hanc conditionem scientiæ & assensus ipsius. Quar- 78
to quia priuilegium contra ius commune, statutum, seu consuetudinem strictè explicandum est, ita vt minus quod fieri possit contrarietur eidem iuri communi, statuto seu consuetudini, vt colligitur non solum ex eo quod tale priuilegium est odiosum, ac per consequens restringendum iuxta Regulam iuris *Odia restringi, fauores conuenit ampliari & cap. sane de priuileg.* Sed etiam ex Sanchez *suprà disput. 1. num. 3.* Bonacina etiam *suprà disput.1. quæst.3. punct.7. §. 1. num.8.* Cum autem sit contra ius commune, statutum & consuetudinem dictæ Congregationis talis dispensatio bonorum Religiosi facta sine scientia & assensu Superioris Prælati illius, non est censendum concessam fuisse facultatem hoc modo, sed dependenter ab illa. Ex quo sequitur dictam distributionem bonorum factam sine scientia, & assensu dicti Reuerendissimi Vicarij generalis fuisse, vt dixi, irritam, inualidam, & illicitam.

Tertium Dubium.

Contigit in quadam Religione grauissima quod 79
quidam Religiosus inuentus sit proprietarius, & cum proprius Prælatus eum punire vellet seu declarare incursum in pœnam designatam à Concilio Tridentino sess.25. cap.2. ab aliquibus dubitatum fuit, an id

facere

facere posset. Idcircò de ea re consultus sic sentio, præmittendo primò Religiosi proprietarij pœnas.

RESPONSIO.

80 INter Religiosi proprietarij pœnas Spinus *in spec. testament. gloss.* 12. *num.* 15. & Turrecremat.
81 *Cap. Non dicatis art.* 3. *num.* 6. *vers.* 12. *quæst.* 1. tenent numerari debere de iure communi excommunicationem; pro qua sententia refert Spinus Felynum & Ludouicum Gomez. Veruntamen nec isti
82 Authores id tenent, vt notat Sanchez *lib.* 7. *in Decalog. cap.* 20. *num.* 14. neque est verum talem excommunicationem iure communi proprietariis impositam esse, cum nullus textus pro ea afferatur. Sanchez *suprà*, Fagundez *de præcept. Decal. tom.* 2. *lib.* 7. *cap.* 5. *num.* 13. Tamburinus *de Iure Abbatis. disput.* 8. *quæst.* 12. *num.* 7. Occasionem tamen habuerunt id dicendi, quia in aliquibus Conciliis hæc pœna statuta inueniatur, vt patet ex Concilio Coloniensi sub Conrado Archiepiscopo anno 1260. celebrato, vbi *tit. de Monachis & eorum conuersatione & vita cap.* 11. statuitur quod Abbates excommunicationis sententiam semel in anno scilicet sabbato proximo ante Dominicam *Lætare* contra proprietarios solemniter in Capitulo publicent. Idem præcipitur in Concilio Colonien. sub Henrico Archiepiscopo anno 1310. celebrato *cap.* 28. *tit. de Monachis & monialibus*, & Syphridus Archiepiscopus Coloniensis in quibusdam statutis postea authoritate Apostolica confirmatis à Nicolao Cussano Cardinali in Concilio Prouinciali Coloniensi celebrato anno 1452. sub pœna excommunicationis latæ sententiæ præcepit, vt Monachi proprium non habeant. Horum Concilij decretorum meminit Trullus *lib.* 1. *de Ordin. Canon. regul. cap.* 23. quem refert & sequitur noster Thomas de Iesu *in tractat. de proprietate p.* 2. *cap.* 2. ac Tamburinus *suprà*. Si obiiciantur verba illa *Cap. Monachi de stat. Monach.* videlicet: *Qui verò peculium habuerit à communione remoueatur altaris.* Respondeo vel illa non intelligenda de excommunicatione, sed de interdicto, aut alia pœna spirituali, vel si intelligantur de excommunicatione non sonant excommunicationem latæ sententiæ sed ad summum *ferendæ*.

83 Creditur etiam inter pœnas proprietariorum censeri debere eiectionem à Monasterio. Eò quòd Innocent. III. *in Cap. Cum ad Monasterium de stat. Monach.* dicat: *Si verò post hoc proprietatem aliquam fuerit deprehensus habere* (intellige Monachus) *regulari monitione præmissa de Monasterio expellatur.* Sed neque istam pœnam subsistere notant Abbas *ibid. num.* 13. Sanchez *suprà num.* 12. Tamburinus *suprà num.* 5. & 6. Eò quòd à Greg. IX. *in cap. vltimo de regular.* correcta videatur, quatenus ibi statuitur, vt Religiosi fugitiui & eiecti de Monasterio *annuatim* requirantur, & ad Monasterium reuerti cogantur, quod vix stare potest cum expulsione ab Innocentio III. statuta. En verba illius Capitis: *Ne Religiosi vagandi occasionem habentes salutis propriæ detrimentum incurrant, & sanguis eorum de Prælatorum manibus requiratur: statuimus vt Præsidentes Capitulis celebrandis secundum statutum Concilij generalis, seu patres Abbates, seu Priores fugitiuos suos & eiectos de ordine suo requirant solicitè annuatim. Qui si in Monasteriis suis recipi possunt secundum ordinem regularem, Abbates seu Priores eorum monitione præuia per censuram Ecclesiasticam compellantur ad receptionem ipsorum salua Ordinis disciplina. Quod si hoc regularis Ordo non patitur, authoritate nostra prouideant vt apud eadem Monasteria in locis competentibus si absque graui scandalo fieri poterit, alioquin in aliis religiosis domibus eiusdem Ordinis ad agendam ibi pœnitentiam, talibus vitæ necessaria ministrentur. Si* 84 *verò huiusmodi fugitiuos vel eiectos inobedientes inueniunt, eos excommunicent, & tandiu faciant ab Ecclesiarum Prælatis excommunicatos publicè nunciari, donec ad mandatum ipsorum humiliter reuertantur.* Dicere etiam possumus dispositionem illam *Cap. Cum ad Monasterium* correctam, imò sublatam fuisse per decretum de Apostatis & eiectis S. Congregationis Concilij sub Vrbano VIII. & eius facultate editum anno 1624. vbi sic ad intentum: *Ad hæc vt in posterum è Religionibus nullus legitimè professus eiici possit, nisi sit verè incorrigibilis, verè autem incorrigibilis minimè censeatur, nisi non solùm concurrant ea omnia quæ ad hoc ex iuris communis dispositione requiruntur, sublatis hac in parte statutis & constitutionibus cuiusque Religionis & Ordinis etiam à Sede Apostolica approbatis, & confirmatis; verum etiam vnius anni spatio in ieiunio & pœnitentia probetur in carceribus, proinde vnaquæque Religio priuatos habeat carceres in qualibet saltem Prouincia; elapso autem anno si nihilominus non resipuerit, sed animo indurato in sua pertinacia perseuerauerit ne contagione pestifera plurimos perdat, tanquam pecus morbida, ac membrum putre eiici tandem possit, sed ab ipsomet Generali tantum de consilio & assensu sex Patrum ex grauioribus Religionis eligendis in singulis Capitulis vel Congregationibus generalibus, tumque nonnisi instructo secundum eorum stylum & constitutiones processu & plenè probatis causis expulsionis ad Sacrorum Canonum præscriptum. Interea tamen vsque ad primum generale Capitulum seu Congregationem proximè celebrandam si quempiam ex iustis & necessariis causis expellere oportebit, eiectio fieri possit à Generali cum consilio & assensu sex Patrum, vt suprà, quos idemmet Generalis eligere debeat infra quatuor menses à præsentis decreti publicatione; seruata tamen in reliquis forma superius præscripta.* Talis ergo pœna expulsionis à Monasterio propter proprietatem Religiosi, saltem hoc tempore, nullo modo subsistit, quo iuxta hoc decretum nullus eiici potest nisi sit verè incorrigibilis, & cum conditionibus assignatis.

Pœna autem quæ in omnium sententia his temporibus extat, quæ cum sit à Concilio Tridentino 85 imposita, iuris communis appellari debet, est quam idem Concilium *session.* 25. *de Regular. cap.* 2. *in fin.* iis verbis contra proprietarios imposuit: *Si quis* (scilicet Regularis) *aliter quicquam tenere deprehensus, aut conuictus fuerit, is biennio actiua & passiua voce priuatus sit, atque etiam iuxta suæ Regulæ & Ordinis Constitutiones puniatur.* Pro quo videndi Nauarrus *in cap. Non dicatis* 12. *quæst.* 1. *not.* 1. *num.* 33. *& seqq.* Ludouicus Beja *responsf. cas. consc. p.* 3. *cas.* 36. *& p.* 4. *cas.* 17. *& cas.* 32. Bartholomæus à S. Fausto *in Thesaur. Relig. lib.* 8. *quæst.* 198. Sanchez, Fagundez, Thomas de Iesu & 86 Tamburinus relati, ac Barbosa *in Collect. Doctor.* ad hunc locum Concilij *num.* 31. & 32. Notandum autem hanc pœnam non incurri ab iis qui proprietarij fuerint propterea quod dederint vel receperit aliquid contra voluntatem Superiorum, sed tantum quia tenuerint, aut possederint: dicitur enim in textu *tenere deprehensus.* Palacios *in* 4. *dist.* 38.

*dist.*38. *disp.*1. *ad fin.* Sanch. *supr. num.*13. Fagund. *supr. num.*14. & Barbosa *supra.* Notare etiam videtur Fagundez *num.*15. ad incurrendam hanc pœnam non sufficere qualecunque peculium proprium, aut proprietatem, sed requiri *magnum peculium.* Veruntamen sine fundamento sufficienti hoc
87 dicitur cum Concilium nihil tale dicat, sed generaliter loquatur in eo capite vel de eo qui habuerit *bona immobilia, vel mobilia cuiuscunque qualitatis fuerint tanquam propria,* vt in prioribus verbis eiusdem capitis exprimitur: vel de eo qui habuerit bona stabilia, *etiam ad vsumfructum, vel vsum, administrationem, aut commendam,* vt in sequentibus; vel
88 mobilia aut supellectilem superfluam aut non conuenientem *statui paupertatis,* vt in posterioribus. Rectius tamen dicitur cum Sanchez, Bartholomæo à S. Fausto & Barbosa hanc pœnam non incurri ante sententiam Iudicis. Attento quod ad incurrendas pœnas, etiam ipso iure incursas (maximè in ipsis non punitur hæc clausula *absque vlla declaratione,* vel simili) requiritur legitima declaratio, iuxta Glossam singul. & recept. *Clem.*1. *de censib.* Felynum *in cap. Rodulphus n.*41. *de rescript.* ad Nauarr. *lib.*5. *cons. de sent. excom. cons.*23. *n.*2. in impressione Romana 1590. & plures alios infra referendos. Idcirco huius Consulti dubitationi locus datur, quis scilicèt sit Iudex ille ad quem spectat declarare Religiosum incurrisse pœnam istam priuationis ad biennium vocis actiuæ & passiuæ, & quomodo id facere debeat.

89 Et quoad primum Franciscus Pelizar. *in man. Regul. tom.*2 *tract.*7. *c.*6. *sect.*1. *n.*11. dum quæsiuisset cuius Iudicis sit facere sententiam declaratoriam criminis, in casu quo Regulares commiserint delictum sub pœnis priuationis, &c. prohibitum, respondet: *Id spectare ad illum ipsum qui tulit pœnam, adeoque si ea lata est in aliqua Constitutione Pontificia spectare ad Papam; si in aliquo decreto S. Congregationis ad ipsam S. Congregationem, si in Constitutionibus Ordinis ad prælatos Regulares, & quidem etiam locales saltem de iure communi. Ratio responsionis est quod illius est declarasse pœnam fuisse incursam, cuius est eam imponere alioquin facultas imponendi pœnam esset frustratoria, ac inutilis.* Fauet ipsi quod cuius est legem condere, eiusdem est eandem interpretari, vt habetur *in cap. Inter alia de sent. excom. & in c. sicut* §. *Ex his* 11. *q.*1. *& in l. vlt. C. de legib. & in l. in prætoriis ff. prætor. stipul.* Syluest. *vers. casus q.*1. *cas.*7. vbi dicit secundum Hostiensem idem esse dicendum si dubitetur de Apostolico rescripto, ita quod ab alio per viam determinationis solui non potest quàm à Summo Pontifice, ad quod allegat *c.*2. *de offic. deleg.* Idem etiam dicit esse intelligendum secundum eundem de interpretatione statuti facti per legatum cuius iurisdictio finita est, nec alius ei successit. Idem & de dispensatione in casibus quæ per eadem statuta Papæ reseruantur. De quo etian Miranda *in man. Prælat. to.*2. *q.*7. *a.*8. *concl.*1. Fauet etiam illi Rodrig. *to.*1. *qq. regul. q.*11. *a* 1. dum ex aliis affert quod in casibus dubiis ad Principem est recurrendum si eius præsentia de facili haberi potest, sin autem iudicandum esse per rationem naturalem & verisimilem.

90 Teneo tamen Iudicem ad quem spectat declarare Religiosum incurrisse in dictam priuationem esse suum Prælatum siue Superiorem regularem. Quod ex duplici capite præsertim ostendendum. Primum est, quia pro comperto omnibus est Regularium Superiores habere in ipsos iurisdictionem quasi Episcopalem vt docent Nauarr. *lib.*1. *cons. de temp. ordin. cons.*36. *n. vn. & in sum. c.*12. *n.*75. Sanch. *lib* 8. *de matr. disp.*3. *n.*9. Gloss. *in Clem.*1. *de reb. Eccles. non alien. verb. proprij,* & habetur expresè *in Cap. Abbates de priuil. in* 6. *Illud quasi Episcopalem* excludit tantummodo ea quæ Ordinis sunt Episcopalis, vt conficere chrisma, conferre Ordines &c. Gloss. *in d. c. Abbates verb. quasi Episcopalem,* Peyrin. *tom.*1. *priuil. minim. in Constit. vnic. Pirri* §. 8. *n.*46. Marc. Vidal. *in Arca Vitali de casib. reseru. Inquis.* 1. *n.*87. & alij quamplures. Secundum est quod Episcopi iure ordinario sunt Iudices in omnibus causis ad forum Ecclesiasticum spectantibus. Concilium Tridentinum *sess.*2. *de reform. c.*20. Mar. Anton. *var. lib.*1. *resol.*15. *n.*3. Francisc. Leo *in Thes. For. Eccles. p.*2. *c.*1. *n.*70. Praxis noua Episc. *p.*2. *c.*4. *n.*3. Viuian. *in prax. Iurisp. p.*2. *lib.*7. *c.*3. *n.*5. Zerola *in prax. Episcop. p.*1. *verb. Instantia* §. 4. Tusch. *de visit. lib.*1. *c.*33. *post n.*3. Monald. *cons. decis.*94. Aloys. Riccius *in collect. decis. p.*4. *collect.*1353. *in fin.* Eò præsertim quod iuxta vulgare axioma Theologorum Episcopi in suis diœcesibus omnia possunt quæ Summus Pontifex 91
in Vniuerso Orbe, exceptis specialiter reseruatis. *Arg. tex. in c. ad honorem de author. & vs. pal. in cap. Nouit ad fin. de Indic.* & post Sot. de *Iust. lib.*10. *q.*1. *a.*3. *conc.*1. & aliis locis quæ commemorat Henriq. *in sum. lib.*10. *c.*35. §. 2. *in com. lit. D.* Gom. *in rep. c.*1. *n.*33. *de const. lib.*6. Steph. de Gaeta *in rep. c. Ad limina* 30. *q.*1. *in princ. n.*6. Ex quibus tale argumentum formatur. Episcopi possunt declarare incursum in hanc & alias pœnas Canonicas quemcunque sibi subditum transgressorem quaruncunque sanctionum Apostolicarum: sed Prælati Regulares habent in suos subditos æquam cum Episcopis authoritatem: possunt ergo ipsi similem declarationem facere cum contigerit Regulares sibi subiectos similiũ Apostolicarum sanctionum transgressores extiterint, ac perinde poterunt quoque proprietarium Religiosum qui dictam Conciliarem & Apostolicam determinationem transgressus fuerit in pœnam ibi positam incurrisse declarare.

Accedit quod ad Episcopum pertinet Sacrorum Canonum trangressorem per debita remedia cohi- 92
bere, Franciscus Cesped. *in tr. de exempt. Regul. c.*16. *dub.*247. *n.*1. ex Cartario & Mar. Anton. Genuensi. Maximè circa obseruantiam Concil. Trid. vt ex dicendis constabit. Quo ergo iure hæc authoritas Regulari Prælato respectu sui subditi denegari potest, cum vt præmissum est, habeat super illum & alios sibi subiectos eandem quam Episcopus iurisdictionem?

Idem fulcitur intentum ex communi praxi & 93
stylo Episcoporum, aliorum Prælatorum & Superiorum Regularium, quo semper & ex vi sui muneris & officij puniunt & puniri adnituntur suos subditos transgressores decretorum ipsius Concilij Trid. Bullarum Summorum Pontificum & Sacrorum Canonum, eos declarando incurrisse in pœnas illorum & eas ipsis infligendo: videlicet quia bona Ecclesiastica in casibus non permissis alienarunt, clausuram non obseruarunt, in diuersi sexus Monasteria intrarunt, abortum procurarunt, bannitos receperunt, in excommunicationem, censuramue aliquam aut irregularitatem inciderunt; periuri, Clericorum percussores, Simoniaci, fures, homicidæve fuerunt, aut similia crimina perpetrarunt. Imò generaliter loquendo de omnibus delictis suorum inferiorum, exceptis maximè quoad Regulares iis quę ad S. Officium spectant, cognoscendo. Nec vnquam pro illis inquirendis, declarandis, aut puniendis ad Sedem Apostolicam recursum habent: quin

potius

potius solent ad eandem Sedem referri si negligentes in huiusmodi causis gerendis fuerint reperti. Quorsum ergo in vna & singularissima causa, quæ propriissima Religiosorum est, trangressione videlicet voti paupertatis non poterunt ea omnia facere, quæ ipsi & alij Iudices in similibus agere possunt & solent? Ecce autem hoc praxi etiam S. Congregationis patet ex eo quod ab ipsa sæpissimè delicta Regularium remittuntur punienda ab ipsorum Prælatis, vt speciatim video fecisse S. Congregationem Regularium die 24. Ianuar. 1631.

94 Maximè etiam corroboratur intentũ Conc. Trid. Postquam enim *cap. 2.* prædictum decretum statuit, posteà in eadem *sess 25. de Regul. c. 22* hæc decernit de illo & aliis decretis in ea sessione positis. *Hæc omnia & singula in Superioribus decretis contenta, obseruari S. Synodus præcepit in omnibus Cœnobiis, ac Monasteriis, Collegiis, ac domibus quoruncumque Monachorum ac Regularium, nec non quaruncunque Sanctimonialium Virginum ac Viduarum, etiamsi illæ sub gubernio militiarum, etiam Hierosolymitanæ viuant, & quocunque nomine appellentur sub quacunque Regula vel Constitutionibus, & sub custodia, vel gubernatione, vel quauis subiectione, aut annexione vel dependentia cuiuscunque Ordinis Mendicantium, vel non mendicantium, vel aliorum Regularium Monachorum, aut Canonicorum quoruncunque, non obstantibus eorunque omnium & singulorum priuilegiis sub quibuscumque formulis verborum conceptis, ac mare magnum appellatis etiam in fundatione obtentis, necnon Constitutionibus & Regulis etiam iuratis, atque etiam consuetudinibus, vel præscriptionibus etiam immemorabilibus. Si qui verò Regulares tam viri quàm mulieres sunt qui sub arctiori Regula, vel statutis viuunt, excepta facultate habendi bona stabilia in communi eos ab eorum Instituto, & obseruantia Synodus amouere non intendit. Et quia S. Synodus desiderat vt omnia & singula supradicta quamprimum exequutioni demandentur, præcepit omnibus Episcopis in Monasteriis sibi subiectis, & omnibus aliis ipsis in Superioribus decretis specialiter commissis, atque omnibus Abbatibus & Generalibus & aliis Superioribus Ordinum supradictorum, vt statim prædicta exequantur. Et si quid exequutioni mandatum non sit, Episcoporum negligentiam Concilia Prouincialia suppleant & coërceant, Regularium verò Capitula Prouincialia & Generalia, & in defectum Capitulorum Generalium Concilia Prouincialia per deputationem aliquorum eiusdem Ordinis prouideant.* In quibus Concilij verbis si expendantur illa *obseruari S. Synodus præcipit in omnibus Cœnobiis ac Monasteriis,* &c. ac illa *Abbatibus & Generalibus & aliis Superioribus Ordinum supradictorum, vt statim prædicta exequantur,* manifestè elicitur mentem Concilij esse quod priuatio illa vocis actiuæ, & passiuæ ad biennium imposita c. 2. eiusd. sess. contra Monachos proprietarios exequutioni mandetur à dictis Superioribus, ac per consequens quod possint & debeant declarare subditos suos proprietarios repertos incidisse in dictam pœnam: siquidem nullo alio modo possunt illam exequutioni demandare nisi isto. Vnde pro exequutione huius & aliorum decretorum Concilij subiicitur eo c. 22. *Hortatur etiam S. Synodus omnes Reges, Principes, Respublicas & Magistratus, & in virtute Sanctæ Obedientiæ præcipit vt velint prædictis Episcopis, Abbatibus, ac Generalibus & cæteris Præfectis in superius contentæ reformationis, exequutione suum auxilium, & authoritatem interponere quoties fuerint requisiti, vt sine vllo impedimento præmissa rectè exequantur ad laudem Dei omnipotentis.*

Nec incongruè etiam afferri potest pro asserti maiori robore id quod Pius IV. in Bulla *Benedictus Deus* de anno Iucarnationis Dominicæ 1563. & quæ est confirmatoria Concilij sic dixit: *Mandamus autem in virtute Sanctæ Obedientiæ, & sub pœnis à Sacris Canonibus constitutis aliisque grauioribus etiam priuationis arbitrio nostro infligendis vniuersis & singulis venerabilibus fratribus nostris Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis quibusuis Ecclesiarum Prælatis cuiuscunque status, gradus, Ordinis & dignitatis sint, etiamsi Cardinalatus honore præfulgeant, vt eadem decreta & statuta in Ecclesiis suis, Ciuitatibus & diœcesibus, & in iudicio & extra iudicium diligenter obseruent, & à subditis quisque suis ad quos quomodolibet pertinent inuiolabiliter faciant obseruari; contrafactores quoslibet & contumaces per sententias, censuras & pœnas Ecclesiasticas etiam in ipsius decretis contentas, appellatione proposita compescendo, inuocato etiam si opus fuerit brachij sæcularis auxilio.* Etenim illud *quibusuis Ecclesiarum Prælatis* cum ad Regularium Superiores extendatur indigitat vtique ad illos etiam suo modo pertinere Concilij exequutionem, & punitionem suorum subditorum si contra ipsum trangressores inueniantur. 95

Vrgeri etiam & apte confirmari potest thema propositum, quia cũ sæpius inter Regulares (proh dolor) contingat quod aliqui reperiantur proprietarij, & decreti Concilij trangressores, nunquam tamen lectum, visum vel auditum est, quod pro ipsorum punitione, seu declaratione quod incurrerint dictam pœnam, ad Papam, S. Congregationem, aut aliud Tribunal extra Ordinem recurrerint Superiores, sed ipsi authoritate Ordinaria qua fulgent id exequuntur. Quod signum eiusdem est eam potestatem apud ipsorum Regularium Superiores residere. Ad quod faciunt per similitudinem Baldus *in Cap. Nihil sub num. 15. vers. Item quod lege de elect.* Gomez *in regul.* de *Annal. quæst. 2. numero 2. vers. Nam vt inquit Baldus*, Gonzalez *super regular. 8. Cancellar. gloss. 56. num. 120.* Et quod molestissimum esset ad Papam, vel S. Congregationem recurrere pro tali declaratione, aut ipsi Papæ aut S. Congregationi imponere onus id declarandi. Gonzalez *supr. num. 121.* Præsertim quia cum habeamus eiusdem Concilij declarationem *in d. cap. 22. sess. 25.* & in Bulla Pij IV. relatis frustra est ab illis alia declaratio expectanda. 96

Huius porro asserti Authores etsi non in terminis terminantibus, quia forsan nullus de hoc casu dubitauit, in similibus tamen & æquipollentibus sunt Lessius, Sanchez, Molina, Suarez & Azor quos refert & sequitur Thesaur. *in Prax. p. 1. cap. 5. Amplia secundo,* quatenus dicunt quod pœna priuans re aliqua non obligat nisi post sententiam declaratoriam factam à *Iudice.* Quis enim est iste Iudex respectu Regularium nisi ipsorum Prælatus, vel Superior? Ad illud ergo spectabit declarare suum subditum incidisse in talem priuationem. Et magis in terminis de pœnis pure priuationis qualis est ista à Concilio designata, quod etiam requirant talem declarationem tenent Nauarrus, Molina, Sanchez, Filiuccius, Tannerus, Barbosa, Castellinus, Granadus, Diana, & Malderus, quos refert idem Thesaurus *suprà §. limita primo, & capite 29. §. Alij tamen.* 97

Quæ autem ex Pelizario contra doctrinam traditam

ditam obiecimus, nihil ipsi obsunt: solum enim euincunt iudicialem definitionem, seu interpretationem prædicti Canonis Concilij, aliarumve Constitutionum Pontificiarum solum ad Summum Pontificem pertinere propter iura & auctores superius relatos: non verò quod doctrinalis interpretatio seu declaratio illis adhiberi non possit ab alio qui inferior Papa sit. Communis namque Doctorum sententia oppositum tenet; pro quo Glossa *in cap. Cum venissent. de Iud.* & Rodriguez *tom.* 1. *quæstione* 11. *articulo* 5. vbi sic: *Respondeo dicendo, quod iudicialis definitio, seu interpretatio priuilegiorum Sedis Apostolicæ reseruatur Summo Pontifici, vt iura decernunt, non tamen prohibetur doctrinalis, seu Magistralis declaratio, quam non solum Prælati Religionum, sed etiam quicunque literati secundum naturalem rationem & iuris fundamenta præstare possunt priuilegiis & legibus quibuscunque, non solum respondendo particularibus quæsitis, sed etiam publica commentaria edendo.* Eadem fermè Miranda *tom.* 2. *Manual. Prælat. quæstione* 7. *articulo* 8. Casu etiam quod Summi Pontificis declaratio etiam doctrinalis requisita esset pro suis aut Conciliorum decretis siue Constitutionibus, id solum esset verum in ambiguis, obscuris & incertis, non verò in claris & manifestis, prout in præsenti casu contingit. Azor. *Instit. moral. tom.* 1. *lib.* 5. *cap.* 16. *quæst.* 16.

SVMMARIVM.

Regula Religionum quid sit. num. 1.
Quicumque Religiosus astrictus est ad Regulam obseruandam. num. 2.
Quot sint regulæ in Ecclesia approbatæ. num. 3.
Tenentur Religiosi ad Regulam non solùm ratione professionis, sed etiam præcepti Pontificij. num. 4.
Qualiter teneantur Carmelitæ obseruantes ad regulam Alberti. num. 5.
Aliqua quæ continentur in Regula obligant ad mortale, alia ad veniale, alia ad neutrum. num. 6.
Quæ spectant ad obseruantiam votorum obligant ad mortale. num. 7.
Quæ ponuntur vt opera supererogationis, & de consilio ad nullam culpam. num. 8.
Quid quando Regula præscribit aliqua quæ aliàs erant ex præcepto. num. 9.
Si Regulæ institutor explicuerit quod nolit Religiosos obligare ad culpam, non obligat ad illam quoad obseruantiam Regulares. num. 10.
Quando tamen non explicuit suam mentem, acceptio, & existimatio Religionis attendi debet. num. 11.
Quid quando nec de hoc constat. num. 12.
Attendendum est ad grauitatem vel leuitatem materiæ. ibid.
Item ad verba quibus Regulæ institutor vtitur. n. 13.
Quanta sit obligatio regulæ Carmelitarum. num. 14.
Transgressio præceptorum Regulæ quamuis ad lethale crimen non pertingat, inter limites tamen venialis offensæ graue peccatum est. num. 15.
Quando Regula Religionis alicuius fuerit relaxata quomodo ad illam teneantur Religiosi. num. 16. 17. & 18.
Si tamen Summus Pontifex, vel alij superiores Regulam sic relaxatam reformare vellent tenentur Religiosi non resistere. num. 19.
Quid in casu talis reformationis dicendum de Religiosis qui sunt delicati viribus. num. 20.
An possint Religiosi ex vi Regulæ obligari ad confessionem venialium. num. 21.
Quid sentiendum de operibus supererogationis quæ sunt supra Regulam. num. 22.
Quid de præcepto Regulæ ad laborandum. num. 23.
Quid de oratione mentali. num. 24.
Silentium regulare quomodo obliget. num. 25.
Ieiunia Regulæ quomodo obligent Iuuenes. num. 26.
Quid in casu quo Natiuitas Domini inciderit in Feria sexta vel Sabbatum. num. 27.
Quid præcipiatur circa obseruationem Regulæ à Concilio Trident. num. 28.
An dispensari possit à Prælatis in obseruantiis Regulæ. num. 29.
Quid quando Prælatus præcipit aliquid contra Regulam. num. 30.
De obligatione ad Regulam, quam habent Religiosi ad Episcopatum, Cardinalatum, vel Abbatiam aliquam extra Ordinem assumpti, remissiuè. num. 31.
Dubium circa Regulam sororum Ordinis Prædicatorum. num. 32.
Confessarij alij Prælati, alij non Prælati. num. 33.
Quid de Confessariis primi generis. num. 34.
Quid de Confessariis secundi generis. num. 35.
Qui habeant superintendentiam in regimine externo Monialium. num. 36.



CAPVT VII.

De obligationibus Religiosorum ratione Regulæ sui Ordinis.

REGVLA Religionum est quasi exemplar, & mensura eorum, quæ ex vi votorum tenentur exequi Religiosi, ita, vt, sicut non tenentur obedire nisi in his, quæ aliquo modo Regulam professam concernunt, vt diximus *cap.* 4. *num.* 9. sic è contra, omnia, quæ ex vi votorum facere tenentur debent esse in Regula contenta. Dicitur enim regula, vt inquit Isidorus 6. *Etymol. cap.* 16. eò quòd ducit, nec aliquando aliorsum trahit, vel quòd regat, vel quòd normam rectè viuendi præbeat, vel quòd distortum, prauumque corrigat. Suarez 4. *tom. de Relig. lib.* 1. *c.* 1. *§.* 1. 1

Quicunque Religiosus astrictus est suam regulam obseruare. Eò quòd omnes profitentur Regulam, & promittunt obedientiam secundùm regulam: quemadmodum Carmelitæ, qui expresè dicunt in professione sua, promittere *Obedientiam, & Castitatem, & Paupertatem secundùm Regulam prædicti Ordinis.* Vnde regula imponit aliquam necessitatem operandi, siue ad culpam, siue ad pœnam, quia hoc est de ratione legis, & per quod differt à consilio. Suarez 4. *tom. de Relig. lib.* 1. *c.* 2. *n.* 2. 2

Præter quatuor in Ecclesia approbatas regulas, scilicet Sanctorum Basilij, Augustini, Benedicti, & Francisci, est etiam quinta alia Regula à Diuo Alberto Ierosolymitano Patriarcha Carmelitis tradita, approbataque, & confirmata ab Honorio III. Greg. IX. Innoc. IV. Alex. IV. Vrban. IV. Nicolao IV. & Bonifac. VIII. Correcta, & mitigata ab Eugen. IV. Insuper ante illos approbata etiam, & confirmata ab Innoc. III. & implicitè à Concilio Lateranensi c. 13. & Lugdunensi, vt refertur *in cap. vnico de Religiosis domibus in* 6. Thom. de Iesu *in exposit. supr. Regul. part.* 2. *dub.* 3. Ioannes Pintus de Victoria *in Hierar. Carmelit. tract.* 2. *c.* 13. Eius autem scopus est, tum vita contemplatiua, tum actiua, quæ ad 3

proximorum salutem,& ipsorum conuersionem attendit. Thom. Vualdens. *de Sacrament. tit.9. cap.74. n.7.* Thom. de Iesu *vt supr. à dub.4.*

4 Tenentur etiam Religiosi ad obseruantiam Regulæ non solùm, quia professi sunt secundùm ipsam viuere, sed etiam, quia Pontifices approbantes illam, præcipiunt etiam, vel explicitè, vel saltem implicitè illius obseruantiam. Hoc patet in Regula Carmelitarum ab Alberto tradita, quam declarantes,& mitigantes nomine Innocentij IV. Hugo Cardinalis S.Sabinæ, & Guillel. Anteradensis Episcopus, sic dicunt. *Qua fungimur auctoritate mandamus, quatenus Regulam à nobis correctam, declaratam, & mitigatam, prout expedire vidimus, deuotè recipientes, eam firmiter obseruetis.*

5 Non verò tenentur Carmelitæ ad obseruantiam Regulæ Alberti, prout ab ipso tradita est, sed prout mitigata fuit ab Eug. IV. *vt supr. n.3.* visum est. Ratio est, quia ipse Eugenius hoc exposuit dicens: *Decernentes eos, & eorum singulos circa præmissa ad arctiorem obseruantiam, quæ supra præmittitur, occasione professionis in dicto Ordine emissæ, vel in posterum emittendæ, minimè teneantur.* Conditiones autem illæ à Pontifice assignatæ, (scilicet quòd concessio non valeat iis, qui ex confidentia ipsius illicita perpetrauerint, & quod teneantur Religiosi per vnum annum, vna die septimanæ cuiuslibet ieiunare, vel simile pium opus efficere) non sunt positæ pro gratia mitigationis Regulæ potienda, sed pro obtinenda Indulgentia Plenaria remissionis in articulo mortis, quam iisdem Religiosis ibidem concessit. Ita enim infertur ex contextu Bullæ,& ex alia simili ab eodem Pontifice Fratribus Benedictinis Vallisoletani Monasterij concessa. Ioannes Pintus de Victoria *in Hierarch. Carmelit. tract.2.c.16.*

6 Non tenentur Religiosi obseruare omnia, quæ continentur in Regula sub culpa mortali, sed aliqua sub mortali, alia sub veniali, alia etiam neque sub veniali. Ratio est, quia eo modo obligantur Religiosi obseruare ea, quæ continentur in Regula, secundùm quòd ipsa Regula præscribit: Regula autem quædam præscribit vt obligatoria ad mortale, alia solùm ad veniale; alia ad nullam culpam. D.Thom. 2. 2. *quæstione* 186. *artic.9.* Vasquez 1.2. *disput.*162. *cap.* 4. *num.* 16. De iis autem modo dicemus.

7 Et in primis, ea quæ sunt in Regula,& spectant ad obseruantiam Votorum essentialium Religionis, videlicet, castè,& sine proprio viuere,&c. sine dubio obligant ad mortale, quantùm est ex genere suo, nisi fortè ratione paruitatis materiæ solùm obligent ad veniale. Ratio est, quia hoc modo obligant ipsa Vota. S.Thom. & Caiet. 2.2. *q.186. art.9.* Sanchez *lib.6. in Decalog. cap.9. num.8.*

8 Ea autem, quæ sunt in Regula, & solùm ab illa præscribuntur, vt opera supererogationis,& de consilio qualia sunt abnegare se in omnibus, habere Deum præsentem, exercitia humilitatis, mortificationis, &c. non obligant ad culpam neque mortalem, neque venialem. Ratio est, quia ista opera non proponuntur vt præcepta, sed solùm pertinent ad maiorem charitatem Religiosorum exercenda, non ergo obligant ad culpam; cum illa tantùm sit in transgressionibus præceptorum. S. Thom. & Caiet. *vt supr.* Sanchez *vt supr. num.*10.

9 Quando Regula præscribit aliqua, quæ aliàs sunt sub præcepto, v. g. diligere Deum, aut proximum, dicere horas Canonicas, &c. illa obligant ad mortale, vel veniale secundùm quòd aliàs obligarent. Ratio est, quia Regulariter loquendo non proponuntur hæc in Regula tanquam noua præcepta, sed solùm cum intentione reducendi in memoriam ea, quæ alias præcepta sunt à Deo, vel Ecclesia,& illa commendandi. Caiet. *vt suprà.* Valentia 2.2. *disp.*10. *q.4. punct.5.* Dato autem, quòd in Regula ponerentur cum intentione inducendi nouam obligationem seu præceptum, (quod ex circunstantiis attendendum est) transgressio talium includit duas malitias, alteram ex proprio obiecto, alteram ex circunstantia Voti, quod frangitur transgrediendo Regulam ex Voto promissam. Ratio est, quia licet diuersitas præceptorum non faciat diuersitatem specificam in peccatis, (cum constet non committere duplex peccatum eum, qui frangit ieiunium die, quo est duplex præceptum ieiunandi, alterum ratione Quadragesimæ, alterum ratione temporum, vel Vigiliæ) tamen quando peccatum habet oppositionem ad diuersas virtutes est in illo duplex malitia. In proposito autem transgressio Regulæ habet oppositionem ad virtutem Religionis vltra eam, quam habet ad illam, cui opponitur obiectum talis peccati. Valentia 2.2. *disp.*10. *quæst.4. punct.5.* Sanchez *lib.6. in Decalog. c.4. n.6.* Hæc autem malitia ex circunstantia contra Religionem sequitur naturam malitiæ ex obiecto, ita vt sit mortalis, vel venialis sicut illa fuerit. *Auctores vt supr.*

Loquendo de obseruantiis Religionis à Regula præscriptis, quæ non proponuntur vt mera consilia, neque sunt directè de Votis promissis, aut de rebus aliàs præceptis, sed sunt obseruantiæ quædam externæ ordinatæ ad obseruantiam Votorum essentialium, v.g. ieiunia, silentia, abstinentia à carnibus, vti talibus vestibus, sequela chori, & alia huiusmodi; si Regulæ Institutor mentem suam explicuerit, quòd noluerit quoad illa Religiosos ad culpam obligare (prout dicitur in Regula Patrum Prædicatorum, *Nolumus obligare ad culpam*, & in Regula Minimorum, vt refert Passarellus *in priuileg. Minim. capite* 25. & in Regula Patrum Societatis Iesu, *vt habetur 6. p. Constitut. capite* 25.) tunc talis Regula non obligat ad culpam quoad ista. Quia cum in potestate instituentis Regulam fuerit obligare, vel non obligare ad culpam, si ipse declarauit non habuisse intentionem obligandi, absque dubio non obligabit. Sanchez *lib.6. in Decalog. c.4. n.*11. *& sequentibus.* 10

Quando tamen Institutor Regulæ non explicuit suam mentem circa obligationem, vel non obligationem ad culpam, attendenda est communis acceptio, existimatio, & sensus Religionis, cui Regula fuit tradita. Si enim communis sensus,& existimatio Religiosorum fuit illam Regulam obligare ad mortale, ad mortale obligabit, & si ad veniale, ad veniale;& si ad solam pœnam, & non ad culpam, ad nullam culpam obligabit. Eò quòd communis acceptatio, & consuetudo est optima legum interpres, vt habetur *cap. cum dilectus de consuetud. l. si de interpretat. ff. de legibus.* Nec lex aliter obliget, quam, prout communiter ab omnibus accipitur. Nauarr. *in Summ. cap.*23. Valentia 2.2. *disp.*10. *q.4. punct.5.* Addens vix posse tradi aliam vniuersalem regulam quoad hoc, nisi istam. 11

Si autem nec Regulæ Institutor, nec communis consensus, acceptatio, seu consuetudo Religionis declarauit modum obligationis regulæ, prout contingere poterit in nouis Religionibus, institutis, aut instituendis, tunc si materia, aut res quæ præcipitur, vel prohibetur, non est grauis, sed exigua, aut leuis, non poterit obligare ad culpam mortalem. Cum enim peccatum mortale sit grauis offensa Dei, 12

Dei, cadere non poteſt, niſi ſupra materiam grauem, & ſola illa eſt capax talis malitiæ, etiam ſi legiſlator intenderet oppoſitum, Caſtro *lib.1. de lege pœnal. cap.5. docum.2.* Medina 1.2. *quæſt.96.artic.4. in prima regula.* Quæ vero materia ſit grauis, licet difficilè aſſignetur, & prudentis arbitrio ſæpius relinquatur, dicendum eſt illam eſſe grauem, quæ, vel ratione ſui, vel ratione circunſtantiarum boni communis multum conducit ad finem à legiſlatore intentum, è contra verò eam eſſe leuem quæ nec ratione ſui, nec ratione talium circunſtantiarum ad prædictum finem multùm conducit. Suarez 5.*tom. in 3.p.diſp.4.ſect.6. num.*11.*&* 12.*& diſp.*18.*ſect.*3. *à num.*16. Vaſquez 1. 2. *diſp.*158. *cap.*6. *num.*59. Addendum verò eſt, quòd etiam dato, quòd res quæ præcipitur ſit materia grauis, & capax peccati mortalis, ſi tamen legiſlator declaret ſolùm velle obligare ad veniale, tunc tranſgreſſio ſolùm venialis erit. Ratio eſt, quia probabiliſſimum eſt, etiam poſita grauitate materiæ, poſſe in lege poſitiua eſſe tantùm tranſgreſſionem venialem; eò quòd tota obligatio legis poſitiuæ pendet ex voluntate legiſlatoris; ſi ergo de illa conſtet, tranſgreſſio talis legis ſolùm erit venialis. Suarez *de legibus lib.3.c.27.& 4.tom. de Religion. lib.1. cap.2.* Sanchez *lib.1. de Matrim. diſp.9.num.6.*

13 Similiter in eiſdem caſibus, quando nec regula ipſa, nec conſuetudo aut conſenſus Religionis declarauit modum obligationis ipſius regulæ, ſi res quæ in illa continentur, non exprimuntur per verba præcepti, vt ſunt, *mandamus, præcipimus, prohibemus, inhibemus*, nec præcepto æquipollentia vt ſunt *ſtatuimus, ordinamus, decernimus*, ſed per alia communia, v.g. *volumus, monemus, hortamur*, tunc eſt probabiliſſimum ad nullam culpam obligare. Ratio eſt, quia cum illa verba communia ſint præceptis, & conſiliis, dubia ſunt, & obſcura, an ſcilicet obligent, vel non, ad culpam, in obſcuris autem, & dubiis amplectendum eſt id, quod eſt minimum, vt habetur *regul.in obſcuris de reg.iuris in 6.* quod maximè debet procedere in Inſtitutoribus regularum, qui cum ſummopere curent vtilitati ſpirituali religioſorum proſpicere, illis autem ſæpius ſit nociua multiplicatio præceptorum ad culpam obligantium, credendum eſt, ſimilibus verbis nolle obligare ad culpam. Vaſquez 1.2.*diſp.*158.*cap.*3. Sanchez *lib.6. in Decal. cap.4.num.42.*

14 Ex his autem patet, quanta ſit obligatio ſpecialiter regulæ Carmelitarum, quoad illas obſeruantias, quæ conducunt ad ſeruanda Vota Religionis, dicendum enim eſt, quòd quamuis ſecundum ſe obligare videretur ad peccatum mortale, eò quòd ſæpius vtitur verbis imperatiui modi, qualia ſunt illa in confirmatione Innoc.IV. *Qua fungimur auctoritate mandamus, quatenus Regulam à nobis correctam, declaratam, & mitigatam, prout expedire vidimus deuotè recipientes, eam firmiter obſeruetis*, & in fine regulæ. *Hæc breuiter ſcripſimus vobis Religionis veſtræ formulam ſtatuentes, ſecundum quam in poſterum viuere debeatis.* Verba autem imperatiui ſuppoſita grauitate materiæ arguant obligationem ſub mortali, iuxta dicta *ſuprà num.*13. Nihilominus, quia in Religione noſtra nunquam fuit regula cum tanta obligatione recepta, aut acceptata, vt inter pios, & doctos communiter circumfertur, dicendum eſt non obligare ad culpam mortalem, etiam quoad iſtas obſeruantias, quæ deſeruiunt ad Vota eſſentialia commodius ſeruanda, ieiunia, videlicet, abſtinentiam à carnibus, ſilentia, &c. obligare tamen ad minus ad culpam venialem. Tum propter dicta, tum quia eſt conforme doctrinæ S. Thom. 2. 2. *quæſt.*186. *art.*9. *& quodlib.*1. *art.*20. Tum etiam, quia iſte videtur eſſe communis conſenſus Religionis. Thom. de Ieſu *ſupr. Reg. p.2. tit. de obligat. noſtræ Regulæ.* Ioannes Pintus de Victoria *de Hierarch.Carmelit.tract.2.cap.23.* Vnde bene Suarez 4. *tom. de Relig. tract.8. lib.1. cap.3. num.8.* de regula Carmelitarum loquens, dicit; *Conſilia, & exhortationes per ſe nullam aliam obligationem inducunt, præter eam, quam ex natura rei, vel ex Euangelio habent res, de quibus fiunt. Statuta verò videntur inducere obligationem ſaltem ſub veniali culpa, vbi aliud non explicatur. Quamuis multum in hoc valeat conſuetudo, & cõmunis ſenſus Religionis.* Cui doctrinæ congruit ea, quam adduximus *ſup.n.*11. & in præſenti.

Tranſgreſſio verò præceptorum regulæ, quamuis ad lethale crimen non pertingat, intra limites tamen venialis offenſæ, graue peccatum eſt. Ratio eſt, quia talis offenſa eſt circa illa, quæ maximè pertinent ad Religioſum, & quæ illi ſunt maximè propria. Thomas de Ieſu, & Ioan. Pintus de Vict. *vt ſuprà.* 15

Quando regula religionis alicuius fuerit deformata, ſeu relaxata quoad ſubſtantialia Religionis, ſcilicet tria Vota Obedientiæ, Paupertatis, & Caſtitatis, tenentur Religioſi profeſſores ipſius illam ſeruare non ſic relaxatam, aut deformatam, ſed in ſuo priſtino rigore, quoad obſeruantiam dictorum Votorum. Ratio eſt, quia quamuis Religioſi illam regulam profitentes non habuerint intentionem expreſſam ſe obligandi niſi ad illam provt ſic relaxatam, & deformatam, quia tamen habuerunt intentionem expreſſam profitendi ſtatum religioſum, & ſtatus Religioſus eſſentialiter includat obſeruantiam trium Votorum, ideò virtualiter, & implicitè habuerunt intentionem ſe obligandi ad illam regulam integram, & perfectam quoad tria Vota, ſicut ſuſcipiens Ordinem Sacrum quantumuis non intendat ad Caſtitatem ſe obligare, manet tamen ad illam obligatus ex vi talis ſtatus, eò quòd illi eſt Votum Caſtitatis annexum. Maior. *in 4.diſtinct.38. quæſt.20.* Nauarr. *in Summ.cap.12.num.50.* qui benè propterea addit peccare eum, qui filios, vel filias offert Monaſteriis vbi nimia cum libertate, aut licentia viuitur, & promiſſa ſecundùm regulam non obſeruantur, intellige quoad ſubſtantialia Votorum. Nauarr. *vt ſupr. num.*51. 16

Quando verò regula Religionis eſt deformata, ſeu relaxata, non quoad Vota ſubſtantialia Religionis, ſed quoad aliàs obſeruantias regulares, præſertim ſi talis relaxatio legitima conſuetudine introducta ſit, Religioſi, qui illam ſunt profeſſi non peccant obſeruando illam ſic relaxatam. Ratio eſt, quia nullo modo ſe obligarunt ex vi profeſſionis niſi ad regulam, provt erat in vſu, & provt de facto obſeruabatur, neque ex vi ſtatus Religioſi, quem ſunt profeſſi aliud exigitur, cum ſolùm obſeruãtia trium Votorum ad illud ſufficiat. Cordub. *in Reg.D.Franc. cap.2.q.16.p.3.* Azor. *lib.13.Inſt.cap.11.q.16.* 17

Similiter, qui profeſſi ſunt in Religione cuius regula relaxata eſt (ſaltem per legitimã cõſuetudinem) quoad modos, vel circunſtantias trium votorum eſſentialium, non tenentur ad illam obſeruandam in primo ſui rigore, ſed ſufficit, ſi illam ſic relaxatam obſeruent. Propter rationem adductam. Præſertim, quia voti obligatio non excedit vouentis intentionem. Religioſi autem iſti, vt ſupponitur, non habuerunt intentionem vouendi niſi regulam provt communiter in illa Religione obſeruabatur. Sanchez *lib.6.in Decalog. cap.2. num.26. in fine.* 18

19 Si tamen Summus Pontifex, vel alij Superiores Religionum regulam ſic collapſam, & relaxatam reformare vellent, & ad ſuum priſtinum rigorem reducere, Religioſi illam profeſſi tenentur non reſiſtere tali reformationi. Quia eo ipſo quòd ſunt membra illius Religionis, & profeſſi ſunt illam regulam, tenentur, etiam cum proprio diſpendio, bonum, & conſeruationem ipſius procurare. Euidens autem eſt, bonum, & conſeruationem regulæ, & Religionis ex reformatione pendere, cum propter relaxationem quotidie Religiones extinguantur. Præſertim ſecundò, quia, qui vouit regulam, vouit etiam conſequenter, & implicitè ea, quæ concernunt regulam, reformatio autem regulæ maximè illam concernit, cum experientia compertum ſit; quòd regula, & religio quæ non reformatur, quotidie ad ruinam; & maiorem relaxationem tendat. Vnde meritò Summi Pontifices conſeruationi Religionum attendentes, eas ſæpiſſimè ad priſtinum decorem Decretis Pontificiis, & præceptis reducere conantur, quod non facerent, ſi Religioſi prædictæ reformationi reſiſtere poſſent. Imò ſecundùm aliquos ob prædictum finem poſſunt obligare Religioſos ad profitendum, & obſeruandum clauſuram, ſicut Bonifacius VIII. Fœminas Religioſas ad illam obligauit. Hinc etiam Pius V. Anno 1567. Fratres Minores Conuentuales in Hiſpania commorantes, vt tranſirent ad aliquem Ord. Mendicantium coegit. Multò ergo magis poterunt Religioſi ad recipiendam reformationem propriæ Regulæ, & Religionis obligari. Vaſquez 1. 2. *diſp.*154. *cap.*4. Sanchez *lib.*6. *in Decalog. cap.*2. *num.*35. Vide dicta *cap.*6. *num.*60.

20 In tali tamen caſu, Religioſi, qui ita ſunt delicati viribus, vt non poſſint regulam reformatam, & reſtitutam ſuſtinere, non tenentur obſeruare reformationem Regulæ. Ratio eſt, quia cenſendi non ſunt ſe obligaſſe explicitè, aut implicitè ad regulam reformatam, propter impotentiam. Nauarr. *lib.*3. *conſil. tit. de Regular. in* 1. *edit. conſil.*9. *in* 2. 43. & Sanchez *lib.*6. *in Decalog. cap.*2. *num.*38. *&* 39. Pro quo notandum quod cum Regula vel Religio eſt deformata, Generales cum Capitulo Generali poſſunt, & debent eam ad ſtatum prioris obſeruantiæ reducere, adeo vt Religioſi iam profeſſi ad ipſius obſeruantiam teneantur, propter rationes adductas; & eam præſertim quia ſubiiciens ſe in ordine ad aliquem finem, conſequenter etiam ſubiicitur in ordine ad medium, quod eſt neceſſarium ad conſeruationem talis finis: Reformatio autem Regulæ, & Religionis neceſſaria eſt ad conſeruationem illarum. Pro quo non ſolùm Vaſquez, & Sanchez relati, ſed etiam Syluester, Tabiena, Azor. Reginaldus, & alij afferri poſſunt, quos citat Tamburinus *de Iure Abbatum tom.*3. *diſput.*4. *quæſt.*6. *num.*3. Adhibet tamen tres limitationes. Primam, quam nos adduximus ex Nauarro, & Sanchez, vt ſcilicet, non teneantur ad talem nouam Reformationem Religioſi delicati viribus, qui eam ſuſtinere non poſſunt, vel ſaltem hæc eſt iuſta cauſa vt cum præfatis Religioſis diſpenſari poſſit, vt ait Nauarrus relatus. Secundum ex eodem Nauarro, Tabiena, & Sanchez quod talis mutatio Regulæ, vel Religionis non obliget illos qui tempore profeſſionis ſolùm nouerunt Regulam, prout tunc obſeruabatur, aut non habuerunt animum adſtringendi ſe niſi ad illam pro eo modo quo obſeruabatur: quia votum non obligat vltra intentionem vouentis. Tertiam, quando Regula illa auctoritate Summi Pontificis, vel conſuetudine legitimè præſcripta abrogata erat tempore quo Religioſi profeſſionem emiſerunt. Ex Nauarro, Sanchez, Salas, & Bannez. Specialiter id tenet Bonacina *de legibus diſp.*1. *quæſt.*1. *punct.*3. *num.*18. Secus autem dicendum quando Regula, aliquorum culpa, non auctoritate Pontificis, aut conſuetudine legitima abrogata erat. Bonacina *ſupra*, Tamburinus *ſupra num.*6. Nota autem quod licet ad inducendam ſtrictiorem vitam in Religionibus requiratur conſenſus ſingulorum in Capitulo, ad reducendam tamen ad priſtinum ſtatum ſufficit conſenſus maioris partis. Innocentius *in cap. Super eo, de Regular.* Panormit. *ibid. num.*6. Felinus *in cap. Cum omnes. verſ. Pro qua fallentia*, & alij cum Tamburino *ſupr. num.*3. Qui etiam addit *num.*7 *&* 8. ex Panormitano, Sanchez, & Peyrinis poſſe Prælatos etiam ſine Capitulis facere quod cum illis quantum ad Reformationem Regulæ, & Religionis.

Poſſunt Religioſi ex vi regulæ ſuæ Religionis obligari ad Confeſſionem Venialium. Ratio eſt, 21
quia ſæculares poſſunt hoc vouere, & alias poteſt hoc concernere regulam. Emanuel Sà *in Summ. verb. Confeſſio num.*12. Nulla tamen regula eſt ad id obligans ſaltem quoad omnia venialia. Viualdus *de Confeſſ. num.*51.

Religioſum facere aliqua opera ſupererogationis ſupra regulam ſui Ordinis non eſt contra ipſam 22
regulam, nec peccatum, etiamſi fiat ſine licentia Prælati. Ratio eſt, quia eo ipſo, quòd regula, aut Prælatus non prohibent talia opera, cum aliàs ſint bona, cenſeri debent conformia ſtatui Religioſo. Maximè quando regula conſulit fieri talia opera, aut ea permittit; ſicut in regula Carmelitarum in cuius Epilogo ſic dicitur: *Si quis autem ſupererogauerit, ipſe Dominus cum redierit reddet ei.* Thom. de Ieſu *ſup. Regul. in Epilog. dub.*2. Addens bene, conſultius; & magis meritorium eſſe facere hæc opera de conſenſu Prælati. D. Benedictus *in ſua Regul. c.*49. D. Baſil. *Serm.* 5. *exercitat.*

Regula præcipiens Religioſis laborare, qualis eſt 23
regula Alberti Carmelitanis tradita, quæ *cap.*15. ſic habet. *Faciendum eſt vobis aliquid operis, vt ſemper vos Diabolus occupatos inueniat, ne ex otioſitate veſtra aliquem intrandi aditum ad animas veſtras valeat inuenire*, ſufficienter impletur laboribus, & exercitiis ſpiritualibus vt ſunt audire Confeſſiones, Prædicare, Legere, Scribere, Docere, &c. Ratio eſt, tum quia hæc agere eſt verè laborare, tum quia vt docet S. Auguſt. ſupr. Pſalm. 118. *Non eſt otioſus, qui verbo Dei ſtudet, ne pluris eſt æſtimandus, qui extra operatur, quàm qui in ſtudio cognoſcendæ veritatis exercetur.* Thomas Vualdenſis *lib.*4. *Doctrin. Fidei cap.*22. Miranda *in Man. Prælat. tom.*1. *quæſtione* 11. *art.*5. Laborare autem manibus non eſt vllo modo iure communi, aut etiam naturali, & diuino præceptum Religioſis, cum nullus textus, nullaque ratio id conuincat. S. Thom. 2. 2. *quæſt.*187. *art.*3. *&* 4. Laborare autem aliquo genere exercitij, ſiue Spiritualis, ſiue Corporalis, ita vt choro deſignati Spiritualibus exercitiis incũbant, Laici verò, & Conuerſi Corporalibus, adeò eſt neceſſarium religioſis, vt aliqui putent peccare mortaliter Religioſos id omittentes. Quod ad minus eſt veriſſimum reſpectu illius Religioſi, qui nullo exercitio occupari vellet, ſed vitam otioſam duceret. Nam iſte peccaret primò contra iuſtitiam religionis, per profeſſionem enim fecit quaſi quẽdam contractum cum Religione, vt ipſa eius neceſſitatibus ſuccurreret, ipſe verò in aliquo exercitio illi deſeruiret. Secundò contra gratitudinem, cum regulariter Religioſi viuant ex

eleemoſynis

eleemosynis secularium, quæ eo fine illis conceduntur, vt bonis operibus vacantes, ipsos illorum participes efficiant, quo fine defraudantur, si viuant otiosè. Vide dicta suprà *c.1.n.16.& cap.6. num.43.* S.Thom.2.2.*q.*187.*art.*4. Thom. de Iesu *supr.Regul. Carmel. p.4. de labor. manuum dub.5.* Vide dicenda *tom.2.cap.1.num.9.*

24 Quamuis de Oratione mentali habenda à Religiosis, iuxta præscriptum suæ regulæ, & Constitutionum, non sit aliquod diuinum præceptum illos obligans, cum nullibi reperiatur expressum. Nauarrus *in Enchirid.c.20.n.67.* Est tamen hoc exercitium Orationis mentalis moraliter loquendo, simpliciter necessarium Religiosis, ad consequendum finem intentum per Religiosum statum. Hoc latè probauimus in nostro libro *de reform. Regularium cap.3. & 4.* Vnde Caietan.2.2.*q.*82. *art.*3. dixit. *Non posse vocari Religiosum, qui saltem semel in die ad huiusmodi exercitium se non transfert.*

25 Silentium regulare, quod per regulas Religiosorum obseruari præcipitur, vltra obligationem regulæ, videtur etiam maiorem aliam inducere. Eò quòd *in c.cum ad Monaster.de Stat. Monach.* Videatur præcipi Religiosis, illis verbis. *In Oratorio, Refectorio, & Dormitorio continuum semper silentium obseruetur.* Hieronym. Gratian 3.*p. disciplin. Regul. cap.*10.§.3.

26 Quamuis præceptum Ecclesiasticum ieiunij non obliget ante vigesimum primum annum, secundum communem sententiam, quia vsque ad illud tempus indigent adolescentes cibo ad nutritionem, & augmentum. (Toletus *in Summ.lib.6.cap.4.*) Ieiunia tamen regulæ, & Constitutionum obligant professos iuuenes, etiam ante illam ætatem. Ratio est, quia ipsi se ad hoc voluntariè obligarunt per professionem Voti Obedientiæ, & regulæ. Azor. *lib.7. Instit.Mor.c.27.q.3.* Sanchez *lib.4.de præcept.Decal. c.11.n.56.* Vnde meritò reprehenditur Medina *lib.1. Summ. cap.14.* oppositum affirmans. Vide Petrum de Ledesma 2. *tom. Summ. tract.27.c.2.post 5.conc. dub.2.* Vnde ieiunare diebus præceptis ab Ecclesia tenebuntur prædicti professi, non ratione Ecclesiastici præcepti, sed ratione regulæ, vel Constitutionis, & iuxta modum obligationis, quem regula, & Constitutiones præscribunt.

27 Similiter quamuis iure communi in casu, quo Natiuitas Domini inciderit in feriam sextam, (& idem est, si inciderit in Sabbathum, propter consuetudinem Ecclesiæ) licitum sit comedere carnes: qui tamen ex regula, vel Constitutionibus sunt adstricti, quales sunt Religiosi, non possunt in prædicta feria 6. aut etiam Sabbatho carnes comedere. Ratio est, quia in *c.fin.de Obseru. ieiun.* dicitur: *Quòd illi, qui nec Voto, nec Regulari obseruantia sunt astricti, in sexta feria si festum Natiuitatis Dominicæ, die ipso venire contigerit, carnibus, propter festi excellentiam vesci possunt.* Vbi in communi præcepto non comedendi carnes feria sexta dispensantur omnes pro illa die, exceptis illis, qui Voto, vel Regulari obseruantia sunt adstricti. Sanchez *lib.4.in Decal.cap.11. num.59.* An autem Religiosi prædictis diebus carnes comedentes peccent contra ius commune; an verò solùm contra regulam, aut Constitutiones? Aliqui tenent priorem partem. (Medina *lib.1. Summ. c.14.* §.10.) Eò quod intentum Ecclesiæ videatur esse dispensare in præcepto communi de non edendo carnibus feria sexta, pro die in quam inciderit Natale Domini, solùm cùm illis, qui non sunt obligati ex Voto, aut regulari obseruantia, ac proinde istos ex vi iuris communis teneri, ad non comedendum carnes, etiam illa die. Alij verò tenent posteriorem partem, dicentes cum omnibus fidelibus, etiam Voto, & Regulari obseruantia astrictis dispensari in illo capite, relicta solùm pro istis, Voti, vel obseruantiæ Regularis obligatione. Quia id videtur indicare verbum illud, *propter Festi excellentiam.* Sanchez *vt suprà n.64.* sequens alios. Prior sententia conformior videtur textui, posterior verò intentioni Pontificis, & vtraque probabilis. Quod diximus de feria 6. & Sabbatho, dic suo modo de feria 4. pro Carmelitis. Pro quibus aduertendum, quòd quamuis, qui prædictis diebus carnes comederint, regulam, & Constitutiones nostras transgrediantur, non ex eo tamen perdent priuilegium Bullæ vulgò Sabbathinæ, vt enim patet ex Bullis Summorum Pontificum, & decreto S. Congregationis Inquisitionis, ad lucrandum prædictum priuilegium non est necessarium à carnibus abstinere feria quarta, & Sabbatho, in quibus festum Natalis Domini occurrerit.

Circa obseruationem regulæ, aliorumque Votorum Religionis hæc præcipit S.Conc. Trid. *sess.25. de reform.c.1. Vt omnes Regulares, tam viri, quàm mulieres ad Regulæ, quàm professi sunt præscriptum vitam instituant, & componant, atque in primis, quæ ad suæ professionis perfectionem, vt Obedientiæ, Paupertatis, Castitatis, ac si quæ alia sunt alicuius Regulæ, & Ordinis peculiaria Vota, & præcepta ad eorum respectiuè essentiam, nec non ad Communem Vitam, Victum, & Vestitum obseruanda pertinentia, fideliter obseruent. Omnisque cura, & diligentia à Superioribus adhibeatur, tam in Capitulis Generalibus, & Prouincialibus, quam in eorum visitationibus, quæ suis temporibus facere non prætermittant, vt ab illis non recedatur, cum compertum sit ab eis non posse ea, quæ ad substantiam Regularis vitæ pertinent relaxari. Si enim illa, quæ bases sunt, & fundamenta totius Regularis disciplinæ exactè non fuerint conseruata, totum corruat ædificium necesse est.* Ex quibus primò habetur obligari Religiosos ad obseruantiam suæ Regulæ, etiam ex vi præcepti huius. Non credo tamen propter illud intendisse Concilium dare maiorem vim obligandi regulæ, quam ipsa habet, ita vt si illa non obligabat nisi ad pœnam, obliget ad culpam ratione huius præcepti, aut si obligabat ad veniale, obliget ad mortale. Habetur secundò Vitam Communem Religiosorum in victu, vestitu, &c. maximè esse intentam à Concilio iuxta dicta *supra capite præcedenti numero 60.* Qualiter autem, & quomodo Regularis obseruantia à Patribus commendetur, habetur ex nostro opere de reformatione Regularium, *cap.5.& 6.* 28

Dispensare possunt in regulæ obseruantiis Prælati Religionum, iuxta dicenda *cap.18. num.54.* Ad hoc tamen requiritur iusta causa. Cum potestas Prælatorum sit illis data *in ædificationem, non in destructionem 2.Corinth.10.* D. Thomas 2. 2. *q.88. artic.12.ad 2.* Causæ autem istæ, licèt variè assignentur, communiùs tamen occurrere solent. Prima ex parte temporis, quando nimirum propter tempus videtur conueniens regulæ rigorem mitigare. Hac etiam ratione in ieiunio feriæ quintæ, post Pascha dispensatur in nostris Constitutionibus *p.1. cap.4.* §.1. Secunda ex parte personæ, vt si Religiosus sit infirmus, debilis, senex, &c. Tertia ad euitandum scandalum, murmurationem, vel iram grauis personæ, vt si Princeps, vel Prelatus inuitarent ad prandium Religiosũ aliquem, & ipsi solùm apponeret carnes die, quo secundum regulam nec potest illas comedere. 29

De his tamen, & aliis, Syluest. *verb. dispensatio q.1. num.3.* Angelus *num.2.* Imò quando adest causa rationabilis dispensandi tenetur Prælatus dispensare, maximè si Religiosus petat. Quia potestas Prælatorum præcipuè attendere debet ad bonum subditorum, & finem charitatis. Sà *verb. dispensatio 2.* Miranda *tom.2. Manual.quæst.30. artic.6.* Si autem Religiosus habeat sufficientem, & certam causam, vt dispensetur, & non adest Prælatus, qui id faciat, multi dicunt posse tunc secum per Epicheiam dispensare. Rodriguez *tom.1. quæst.26. art.5.* Laurentius de Peirinis *tom.1. quæst.1. de Obedient. cap.8.* Addens, si manifesta necessitas, vel vtilitas adsit, & Prælatus ex odio, aut malitia nolit dispensare, ipso iure dispensatum esse. Henriquez *lib.6. de Pœnit. cap.13. num.4.*

30 Quando Prælatus præcipit aliquid contra regulam, seu contra aliquod statutum Religionis, causa rationabili subsistente, censetur dispensare in regula, si potest, & subditus tenetur obedire. Ratio est, quia præcepta Superiorum obligant in quantum possunt, cum autem Prælatus non possit præcipere quidquam contra Regulam, nisi in ea dispensando ex causa rationabili, ideo credendus est sic facere, & obediendus à subdito. Caietan. 2.2.*q.*104. *art.5. ad 3.* Prælatum autem posse in obseruantiis regulæ dispensare dicimus *cap.& num. relatis.*

31 De obligatione ad Regulam, quam habent Religiosi ad Episcopatum, Cardinalatum, vel Abbatiam aliquam extra Ordinem assumpti, dicimus *cap.17. num.8.* De Eiectis dicimus *cap.23. num.17.* De Nouitiis, *cap.24. num.2.* De Monialibus autem *cap.25. num.1.*

DVBIVM.

32 Circa illa verba Regulæ sororum S. Ordinis Prædicatorum: *Debetis obedire Priorissæ sicut matri, & multo magis Patri Confessario, qui diligentem curam habet de vobis.* Et infra: *Vbi videbit ipsa non posse remedium adhibere, quia excedit vires suas, debet id referre Confessario aut alij*: An scilicet dictæ sorores teneantur magis obedire Confessario, quàm Priorissæ, an è contra.

RESOLVTIO.

33 Quia, vt audio, inter Confessarios prædictarum sororum alij sunt veri Prælati ipsarum, Vicarij videlicet Prouincialis vel Generalis cum vera iurisdictione spirituali super illas, alij vero non nisi meri Confessarij ipsarum, vt etiam notauit. Miranda *in Manual. tom.2. quæst.21. art.2.* loquens de Confessariis Ordinis Minorum, ideo sub distinctione respondendum est. Vel enim tales Confessarij sunt prioris generis, vel solum posterioris. Si prioris proculdubio illis magis obediendum est quam

34 Priorissis. Tales enim Confessarij sunt veri Prælati ipsarum habentes super illas iurisdictionem spiritualem; Priorissæ autem non sunt propriè Prælatæ, sed impropriè solum ob defectum iurisdictionis spiritualis, cuius fœminæ non sunt capaces. S.Th. *in 4.distinct.25.quæst.2.art.2.quæst.1.ad 2.* Syluester *in Summ. verb. Abbatissa*, Sotus *in 4. distinct.20. quæst.1.art.4.colum.7. §. Hinc fit quod Abbatissæ.* Et communiter Doctores. De talibus ergo Confessariis rectè intelliguntur verba adducta ex Regula, quod scilicet sorores teneantur illis magis obedire quàm Priorissis, & quod illis referenda sint ea ad quæ Priorissæ auctoritatem non habent.

Loquendo autem de Confessariis posterioris generis, licet quoad ea quæ spectant ad forum conscientiæ, bonum spirituale, & internum animæ magis obediendum ipsis sit, quàm Priorissis, eo quod Confessarij vt tales de iure communi habent istam auctoritatem, non autem Priorissæ; nihilominus quoad ea quæ spectant ad potestatem domesticam, œconomicam & quasi ciuilem pro gubernatione Monasterij, custodia domus, pace communi, & bono exemplo (qualem habent matresfamilias in filios & filias, & Magistratus in Ciues) magis tenentur sorores obedire Priorissis, quàm Confessariis, quia talis potestas non competit Confessariis, sed Priorissis, maximè ratione obedientiæ, quam eidem præstant. Sanchez *lib.6. in Decal. cap.1.* præsertim *à num.21.* Tamburinus *de iure Abbatiss. disputatione 12. quæst.5.* & alij communiter. Priora ergo verba Regulæ intelliguntur solum pro foro interno conscientiæ, non quoad gubernationem externam. 35

Quia tamen prædicti Confessarij, etiamsi meri Confessarij sint, solent habere quandam superintendentiam supra regimen etiam externum Monasterij, vt dicam *cap.25. num.2.* & me relato tenet. Tamburinus *supr. quæst.2. num.4.* ideo apposita sunt in prædicta Regula posteriora illa verba de recursu ad Confessarios in iis ad quæ auctoritas Priorissarum non se extendit. Præsertim quia cum tales doctrina & prudentia fulgeant, adiuuare possunt Priorissas suo consilio & exhortatione etiam quoad regimen & gubernium externum Monasterij. 36

SVMMARIVM.

Quid important Constitutiones, seu ordinationes in Religione num.1.
Quomodo differunt à Regula. num.2.
A quibus possint condi, seu institui. num.3.
Obligare possunt in conscientia. ibid.
Debent esse de rebus concernentibus explicitè vel implicitè Regulam. num.4.
An per illas imponi peculiares asperitates, magnæ corporis afflictiones, &c. num.5.
Quid possit Summus Pontifex circa hoc. num.6.
Quid Capitula Religionum. num.3. & 6.
Ob publicam necessitatem obligari possunt Religiosi ad peculiaria opera mortificationis. num.7.
Obligatio obseruandi Constitutiones aliquando sub mortali aliquando sub veniali aliquando sub mera pœna. num.8.
Quando id contingat. ibidem, & num.9.
Etiam quando obligant ad pœnam possunt dici obligare indirectè ad culpam. num.10.
Quotiescunque aliquid præcipiunt in virtute sanctæ obedientiæ sub interminatione gehennæ, sub pœna maledictionis æternæ, vel simili alio modo obligant ad mortale. num.11.
Si tamen materia sit grauis, nec solum leuis. n.12.
Similiter quoties præcipitur aliquid sub pœna excommunicationis maioris. num.13.
Secus de excommunicatione minori. num.14.
Item quoties ponitur sub pœna suspensionis, Interdicti, vel irregularitatis regulariter transgressio est mortalis. num.15.
Item quoties pro aliqua culpa ponitur pœna mortis, alicuius membri, carceris perpetui, vel grauis infamiæ. num.16.

Similiter



CAPVT VIII.

De obligationibus Religiosorum ratione Constitutionum, seu statutorum Religionis.

1 CONSTITVTIONES, seu Ordinationes in Religione comparantur cum regula, sicut in naturalibus, perfectiones, seu formæ accidentales, cum forma substantiali, seu anima, quæ est perfectio substantialis compositi. Vnde licèt non possit dari vera Religio sine regula, quia est quasi anima Religionis, & ab ipsa Religiosi Regulares dicuntur, sicut Canonici à Canone, vt constat *ex Rubric. de Regularib.* tamen potest dari vera religio sine Constitutionibus, aut ordinationibus à regula distinctis, qualis est religio Carthusiensium, Minimorum, & Societatis Iesu. Suarez 4. *tom. de Relig. lib.*1.*cap.*1.*num.*6.

2 Differunt præcipuè Constitutiones, & regula, quia regula, vt in plurimum est ab aliquo antiquo Patriarcha constituta, à Summis Pontificibus approbata, & in Religione perpetua. Constitutiones verò non ita, sed à Prælatis, aut Capitulis Religionum ordinatæ sunt, & multæ sine Pontificia auctoritate, aut approbatione, & pro temporum varietate mutari possunt, & de facto sæpiùs mutantur. Suarez *vbi supr. num.*5.

3 Possunt in Religionibus condi, seu institui Leges, aut Constitutiones obligantes Religiosos in conscientia ad earum obseruantiam. Sumitur hæc veritas ex illo ad *Rom.*13. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* Ad Hebr. 13. *Obedite præpositis vestris, & subiacete illis.* Et ratio est, quia in religionibus est potestas regendi, & gubernandi Religiosos, ad illam verò spectat facultas hæc condendi Leges, seu Constitutiones. Vasquez 1. 2. *disp.*153. *cap.*1. Hæc verò potestas condendi Leges, aut Constitutiones regulariter solùm spectat ad Generalem cum Capitulo Generali pro tota Religione, vel ad Prouincialem cum Capitulo Prouinciali pro tota Prouincia. Ratio est, quia licet quilibet Superior, siue Generalis, siue Prouincialis, siue etiam localis possit imponere præcepta, aut mandata, quæ solùm pro tempore determinato sui Officij durent (nisi aliud in specialibus Ordinationibus Religionum habeatur) Statuta tamen, seu Constitutiones non possunt edi in Religionibus nisi ab eo, quod repræsentat totam communitatem, qualis est Generalis cum Capitulo Generali, vel Prouincialis cum Capitulo Prouinciali, tum quia condere Leges spectat ad Communitatem, vt docet S.Thom. 1. 2. *quæst.*90. *artic.*1. tum quia ita regulariter est illis concessum à Summis Pontificibus, & in praxi apud ipsas Religiones versatur. Vasquez 1.2.*disp.*153. *cap.*1. Sanchez *lib.*6. *in Decalog. cap.*2. *num.*17. Dixi autem *regulariter*, quia existente consuetudine, vel praxi Religionis, vel aliquo priuilegio, tunc poterit Generalis, aut alius Superior condere aliquas Leges, vel Statuta; præsertim cum habeant auctoritatem quasi Episcopalem. Et in hoc sensu intelligendi sunt aliqui auctores, qui hoc videntur concedere. Suarez *lib.*4. *de legibus cap.*5. Bonacina *tract. de legibus, disp.*1. *quæst.*1. *punct.*3. Similiter quantum est ex natura rei, & iure communi, possunt Leges pro tota Religione condere Diffinitores in Capitulo Generali, etiam ante electionem Generalis. Tum quia Religionem totam repræsentant, tum quia semper est cum illis aliquis, siue præses, siue Vicarius Generalis, qui simul cum Diffinitoribus repræsentent etiam totam Religionem. Suarez *tom.*4. *de Relig. tract.*8. *lib.*2.*cap.*8. *num.*9. Vide dicenda *cap.*18. *num.*90. & *tom.*2. *c.*12. *n.*6.

Huiusmodi autem Constitutiones, seu statuta Religionum, ad hoc quòd obligent in conscientia, debent esse de rebus concernentibus explicitè, vel implicitè regulam; explicitè quidem, si illa etiam habeantur in regula, implicitè verò, si sint necessariæ ad regulam obseruandam. Ratio est, quia vt diximus *cap.*4. *num.*9. Religiosi non tenentur ex vi Voti Obedientiæ nisi ad ea, quæ aliquo modo ex prædictis concernunt regulam, sub qua viuere professi sunt. D.Thom. *quodlib.*10. *art.*10. Cordub. *in exposit. Regul. D.Francisc. c.*10. *quæst.*2. 4

Hinc etiam ad hoc quòd obligent in conscientia istæ Leges, aut Constitutiones Religiosæ, non debent continere peculiares asperitates, magnas corporis afflictiones, vigilias, aut diuturnas orationes, quæ non concernunt regulam explicitè, aut implicitè, sed omninò sunt supra illam, iuxta dicta *cap.*4. *num.*13. Propter eandem rationem, scilicet, quia cum Religiosi solùm vouerint obedientiam secundùm Regulam, non possunt ad maiora obligari, etiam à Capitulo Generali Ordinis. Vasq. 1. 2. *disp.*154. *c.*4. *n.*25. Sanchez *lib.*6. *in Decalog. cap.*2. *n.*18. Nec etiam Summum Pontificem ex vi Voti Obedientiæ, quod ipsi Regulares emittunt posse tales Leges condere tradunt Cordub. *in exposit. Regulæ D.Francisc. cap.*15. *quæst.*2. *d.*6. Lessius *lib.*2. *de Iust. c.*41. *dub.*9. *n.*77. 5

Poterunt tamen non solùm Summus Pontifex, sed etiam Prælati Religionum cum Capitulis 6

condere Leges continentes austeriorem vitam omninò supra Regulam, obligantes in posterum professuros. Cum enim isti nondum emiserint professionem non possunt conqueri, quod obligentur ad ea, quæ non promiserunt, sicut conqueri possent ante istas nouas Leges professi. Sanchez *vt suprà num.20. & 23.* Non tamen possunt præcipere, aut ordinare aliquid contra Ius commune. Quia Ius est à Papa cui subduntur Prælati, & Capitula Religiosorum. Peirin. *tom.1. Priuileg. minim. in constitut. Pyrrhi* §.4. Portellus *in Dubiis Regularib. verb. statutum num.9.* Possunt tamen constitutiones iuris communis declarare, innouare, & vbi pœna deficit apponere, vel augere. Quia hoc non est ius commune subuertere, sed adiuuare, quod licitum esse dicitur in *cap.1. de nou. oper. nunciat.* Peirinis *vt suprà.*

7 Similiter possunt fieri Leges, aut Constitutiones obligantes Religiosos ad opera mortificationis, seu austeritates ob publicam necessitatem, v. g. bellum, pestem, famem, hæresim, &c. Ratio est, quia hæc non sunt censenda omninò supra Regulam, sed aliquo modo concernentia ipsam, vtpotè conducentia ad vtilitatem publicam. Cordub. *in Regularib. D. Francisc. cap.10. quæst.2.* Lessius *2. de Iustit. cap.41. dub.9. num.77.*

8 Obligatio obseruandi Constitutiones Religionum, aliquando est ad mortalem culpam, aliquando ad venialem, aliquando ad nullum peccatum, sed ad meram pœnam ab ipsius Constitutionibus taxatam, iuxta dicta *cap. præcedenti à num.6.* Quando enim Auctor Constitutionum declarauit se nolle ad culpam obligare, sed ad pœnas, qualiter in Constitutionibus Carmelitarum exprimitur *5. part. cap.1.* dum dicitur: *Constitutiones nostri Ordinis neminem ex se intendunt obligare ad culpam, sed ad pœnas*, tunc certum est solùm ad pœnas obligare. Quando verò nihil tale declaratum est, attendi debet ad communem sensum, & acceptationem Religionis, ex hoc enim capite præsertim desumitur quantitas obligationis. Si verò de hoc non constet; si materia, quæ præcipitur non est grauis, sed leuis, certum est obligationem non posse esse sub mortali, culpa enim mortalis, necessariò petit grauem materiam. Similiter si verba, quibus ponitur lex non sint præceptiua, qualia sunt *Præcipimus, mandamus, statuimus, &c.* Sed alia communia præceptis, & consiliis, vt *Volumus, Monemus, &c.* tunc est probabilissimum non obligare ad culpam, præsertim mortalem. Solùm ergo possunt esse obligatoria ad culpam mortalem ea quæ per verba præceptiua statuuntur, & circa grauem materiam. Leuis enim materia solùm poterit inducere leuem culpam, videlicet venialem. Vide dicta *cap. præcedenti à num.6.* Thomas de Iesu *de Regul. Carmelit. p.2. dub.8. part.1.*

9 Quando ea quæ habentur in Constitutionibus, vel Statutis Religionum, sunt de rebus aliàs præceptis iure naturali, diuino, aut positiuo, transgressio illorum est qualis fuerit transgressio talium præceptorum. Similiter quando fuerint res directè spectantes ad tria Vota, transgressio illarum est mortalis, nisi per accidens ratione paruitatis materiæ, vel inaduertentiæ, solum sit venialis. Quando fuerint res, quæ solum sub consilio proponuntur, ad nullam culpam obligabunt. Quorum ratio sumitur ex dictis *cap. præcedenti à num.7.*

10 Etiam quando Constitutiones Religionum obligant solùm ad pœnam, possunt dici obligare saltem indirectè ad aliquam culpam. Ratio est, quia adhuc tales Constitutiones obligant in conscientia ad patiendum pœnam impositam, & dant ius Superiori ad puniendum transgressionem illarum tali pœna, ergo si Religiosus resistat passionis talis pœnæ, peccabit iuxta grauitatem materiæ, & circunstantiarum, ac per consequens tales Constitutiones ad aliquam culpam obligant, saltem indirectè. Confirmatur, quia aliàs prædictæ Constitutiones non differrent à mero Consilio, nec essent vera præcepta. Suarez *4. tom. de Relig. tract.8. lib.1. cap.2. n.6.*

Quotiescumque tamen, siue in Regula, siue in Constitutionibus, siue in aliis Ordinationibus, aut præceptis Superiorum, præcipitur, aut prohibetur aliquid *in virtute S. Obedientiæ*, vel *in virtute Spiritus sancti*, vel *in virtute Voti*, aut *iuramenti facti*, transgressio erit peccatum mortale. Vsus enim obtinuit, vt talia, vel similia verba obligationem sub mortali indicent. Azor. *tom.1. Instit. mor. lib.5. c.6. quæst.5.* Aragon. *2. 2. quæst.62. art.3.* Idem dico, si dicatur sub interminatione gehennæ. Quia ea comminatio solùm debet correspondere culpæ mortali. Castro *lib.1. de lege pœna. cap.5. docum.4.* Sanchez *lib.6. in Decalog. cap.4. num.43.* Idem, si dicatur sub pœna maledictionis æternæ, aut indignationis Dei. Propter eandem rationem. Vasquez *1.2. disp.158. cap.5.* & Sanchez *vt suprà.* Idem; ob eandem rationem, si dicatur sub pœna maledictionis Dei. Tolet. *in fin. Summ. cap.19. num.6.* Idem sub obtestatione diuini Iudicij. Propter similem rationem. Nauarr. *in Summ. cap.23. num.51. vel 53.* Valentia *1.2. disp.7. quæst.5. part.6. & 2.2. disp.10. quæst.4. part.5.* Non sic credo de verbo strictè, aut arctè mandamus, neque de verbo sub præcepto. Quia hæc omnia indifferentia sunt ad peccatum mortale, vel veniale. Est autem prudenter sanè inter Patres Discalceatos nostri Ordinis statutum, Constitutiones, ac Superiorum præcepta, & mandata ad peccatum mortale non obligare, nisi per contemptum, aut nisi per Prælatum quidpiam præcipiatur in scriptis, in virtute Spiritus sancti, & S. Obedientiæ. 11

Si tamen Prælatus, vel aliqua Constitutio, seu Statutum Religionis præciperet rem parui momenti, & circa materiam leuem, seu exiguam, prædictis modis, scilicet *in virtute S. Obedientiæ*, *in virtute Spiritus sancti*, transgressio non erit mortalis, sed tantùm venialis. Ratio est, quia materia leuis, seu exigua inobedientiæ, aut transgressionis Voti, non est capax obligationis sub mortali, etiam si Prælatus hoc intenderet. Castro *lib.1. de leg pœn. cap.5. docum.2.* Sanchez *lib.1. in Decalog. cap.4. num.4.* Debet tamen certò, & indubitanter constare esse leuem materiam eam, quæ hoc modo præcipitur, vel prohibetur, vt iudicemus Constitutionem, vel præceptum, quod aliàs ex tenore verborum ad mortale obligabat, solùm obligare ad veniale. Ratio est, quia in dubio semper est credendum Superiorem, aut Legislatorem rectè, & ordinatè præcipere. Suar. *5. tom. in 3. part. disp.4. sect.6. n.11.* Aragon. *2.2. quæst.62. art.3.* 12

Similiter quoties in Constitutionibus, aut Statutis Religionum (idem dico de quocumque alio mandato) præcipitur aliquid sub pœna excommunicationis maioris latæ sententiæ, transgressio illius est mortalis. Ratio est, quia tam grauis pœna solùm imponi potest pro culpa mortali. Vnde hoc etiam extenditur, si id quod præcipitur, aut prohibetur sit sub pœna excommunicationis ferendæ. Propter eandem rationem. Solon. *2.2. quæstione 77. artic.1.* Henriquez *lib.13. de Excommunicat. cap.17.* 13

num.

*num.*2. Quòd intellige, nisi euidenter constet esse leuem materiam eam, quæ præcipitur, aut prohibetur, propter quam præsumatur talem excommunicationem ferendam exigere admonitionem. Henriquez *vt suprà*, Sanchez *lib.*6. *in Decalog. c.*4. *n.*52. Casu autem dato quòd pro re leui imponeretur maior excommunicatio, illa esset non solùm iniusta, sed etiam inualida. Quia non solùm esset contra Sacros Canones, sed & supra potestatem Prælati, ita vt dici posset continere errorem intolerabilem. Cornexo *tom.*2. *in* 3. *part. tract.*5. *de Excommunicat. disp.*3. *dub.*3.

14 Si tamen poneretur (quòd non est admirandum) Constitutio, seu Præceptum sub pœna excommunicationis minoris, non inde inferretur transgressionem illius esse mortalem, sed posse esse venialem. Quia hæc leuis pœna potest sub peccato veniali incurri, vnde quod transgressio illius sit mortalis, vel venialis aliunde pensandum est, videlicet ex parte materiæ. Vasquez 1.2. *disputat.*158. *num.*40.

15 Item quoties in Constitutionibus, vel Statutis Religionum præcipitur, aut Ordinatur aliquid sub pœna Suspensionis, Interdicti, vel Irregularitatis, transgressio illius est mortalis. Ratio est, quia istæ pœnæ sunt grauissimæ, atque ita nequeunt imponi nisi propter culpam mortalem. Suarez *tom.*5. *in* 3. *part. disp.*4. *sectione* 4. *num.*7. Vasquez 1.2. *disp.*158. *cap.*5. Excipe quando Suspensio, vel Interdictum essent alicuius actus particularis, & ad breue tempus. Quia tunc non arguerent transgressionem mortalem. Suarez *vt suprà*. Pœna autem degradationis, priuationis Ecclesiasticæ Sepulturæ, & similes, sine dubio arguunt transgressionem mortalem. Quia etiam sunt grauissimæ pœnæ. Castro *de leg. pœn. cap.*5. *docum.*4. Medina *C. de Ieiun. quæst. de necess. seru. ieiun.*

16 Similiter si in aliqua Constitutione, vel Statuto Religioso statueretur pro aliqua culpa pœna mortis, mutilationis alicuius membri, carceris perpetui, triremium, & grauis infamiæ, credendum est transgressionem illius culpæ esse mortalem. Eò quòd pœnæ tam atroces non possint nisi propter culpam mortalem. De pœna mortis, & mutilationis membri. Syluester *verb. præceptum quæst.*3. *in fine.* Sotus 1. *de Iust. & Iure q.*6. *art.*5. De pœna perpetui carceris. Corduba *in Regul. D. Francisc. cap.*10. *q.*3. *punct.*1. Azor. *tom.*1. *Instit. moral. t.*5. *c.*6. *q.*5. De pœna triremium. Salon. 2.2. *q.*77. *art.*1. *controu.*7. Sanchez *lib.*6. *in Decalog. c.*4. *n.*64. De pœna grauis infamiæ. Castro *lib.*1. *de lege pœnali cap.*5. *docum.*4. & Azor. *loc. cit.*

17 Similiter quoties Religiosus transgreditur aliquam Constitutionem seu Statutum suæ Religionis, etiam aliàs non obligantia ad culpam, ex contemptu, peccat mortaliter. Ratio est, quia contemptus est actus formalis inobedientiæ directè oppositus Voto Obedientiæ, quo in professione se astrinxit subiiciendo se voluntati Superiorum. S. Th. 2.2. *quæst.*186. *art.*9. Caiet. *ibid.* Consistit autem huiusmodi contemptus, non in eo, quòd quis ex malitia, praua consuetudine, indignatione, aut alia causa, transgrediatur præcepta aut legem, sed in hoc, quod quis violet legem, aut præceptum, quia non vult subiici ipsi, aut Superiori præcipienti, ita vt habeat duos actus, alterum quo vult non subiici legi, aut Superiori, alterum, qui ex illo oritur, scilicet transgredi tale præceptum, vel legem. S. Thom. *vt suprà ad* 3. Caiet. *ibi, & in Summ. v. contemptus.* Imò ad hoc quòd contemptus sit peccatum mortale, non sufficit quòd sit contemptus secundum quid id est, quo Religiosus nolit subiici Superiori, aut præcepto, hic, & nunc, sed requiritur quòd sit contemptus simpliciter, id est, quod nolit subiici præcepto, aut Superiori. Caiet. *vt supr. vers. aduerte hic* Valentia *vt infrà.* Si quis tamen transgrederetur Constitutionem, aut Legem Religionis, non ex contemptu talis legis, aut Constitutionis, sed ex contemptu executionis illius, quia scilicet reputat illam rem parui momenti, non semper peccaret mortaliter. Quia hoc non est velle non subiici legi Superioris, sed æstimare illam minus, quàm decet, Valentia 2.2. *disputatione* 10. *quæst.*4. *punct.*5. Sanchez *lib.*1. *in Decalog. cap.*15. *num.*10. Vide *cap.*1. *num.*12.

Praua autem consuetudo, seu vsus non seruandi Constitutiones, aut Statuta Religionis, quæ non obligant ad culpam, vel solùm ad venialem, non facit ex se, quòd transgressio illorum sit peccatum mortale. Ratio est, quia actus replicati sunt eiusdem speciei, & proinde eiusdem malitiæ, si ergo prima transgressio Constitutionis Religiosæ fuit tantum peccatum veniale, etiam si millies replicetur, non fiet mortalis. S. Thomas 2.2. *quæstione* 186. *artic.*9. Caietanus *ibidem.* Potest tamen huiusmodi praua consuetudo, seu vsus transgrediendi Constitutiones fieri mortalis, primò ratione periculi, cui se exponit sic transgrediens, contemnendi illas. Azor. *lib.*4. *Instit. moral. cap.*9. *q.*11. Secundò, quia sic operans est valdè perniciosus Religioni, suo prauo exemplo alios ad relaxationem inducens. Sanchez *lib.*6. *in Decalog. cap.*4. *num.*18. Vide *cap.*1. *num.*13. 18

Constitutiones, & Statuta Religionum non obligant quando sunt impeditiua operum Charitatis: vt si sit Statutum in aliqua Religione de non intrando in cellam alterius Religiosi, & contingat aliquẽ infirmari, potest Religiosus in illam intrare. Ratio est, quia nec aliæ Leges Ecclesiasticæ obligant in istis casibus. Rodriguez *tom.*1. *qq. quæst.*77. *art.*3. Nec etiam obligant cum metu, aut probabili periculo vitæ. Quia nulla lex humana hoc pacto obligare potest. Vnde licet Carthusiani satis laudabiliter à carnibus abstineant, etiam cum periculo vitæ postponentes bonum particulare vitæ bono communi Religionis in perpetua abstinentia à carnibus consistente. (Sanchez *lib.*6. *in Decalog. cap.*15. *num.*39.) Quod intelligo in casu quo est alius cibus, quo vti possint, nam si non est alius cibus, inhumanum est, & contra ius naturale, ita facere Suarez 4. *tom. de Relig. tract.*9. *lib.*2. *cap.*4. In nullo tamen casu tenetur à carnibus abstinere cum periculo vitæ. Quia nulla lex, aut etiam votum Religionis potest obligare contra præceptum naturale conseruandi vitam cuius homo non est dominus, sed solus Deus. Victoria *in Relect. de temperantia à n.*8. Secus dicerem si esset scandalum, quia tunc lege naturali, & diuina teneretur illud vitare. Bonacina *de legib. disp.*2. *q.*8. *punct.*2. *n.*16. 19

In casibus, in quibus obseruantia Constitutionis, seu Statuti Religionis, ita deficit à ratione, vt repugnet bono communi dispositio ipsius, non obligat. Ratio est, quia tunc concurrunt duo contraria, scilicet lex naturalis, & lex positiua, ac per consequens standum est legi naturali, quæ est strictior. Caiet. 2.2. *quæst.*12. *artic.*1. Rodriguez *tom.*1. *q. Regul. quæst.*67. *art.*4. Non verò deficit Lex, aut Constitutio, quando ratio ipsius in particulari casu, & persona deficit. Eò quòd Lex, seu Constitutio respicit bonum commune. Rodriguez *vbi suprà* referens Sotum. 20

Ex quo colligo etiam teneri Prælatos superiores quoad eandem vim directiuam ad obseruantiam legum particularium aliquarum Prouinciarum, vel Conuentuum, in quibus manent, tum propter bonum exemplum subditorum; tum quia eo ipso quod subditi viderent Superiores eas non obseruare, saltem pro multis occasionibus, crederent ab eis abrogari. Suarez 3. *de legibus cap.* 35. *n.* 74. Salas *de legibus disp.* 14. *sect.* 2. *n.* 23. & ex ipsius Tamburinus *de Iure Abbatum tom.* 3. *disp.* 3. *quæsit.* 4.

21 Omnes Superiores Religionum, etiam ipse Generalis tenentur Legibus, & Constitutionibus suorum Ordinum, quoad vim directiuam. Eò quòd sint membra Religionis præsertim, cum Lex, siue Constitutio, non ab ipsis solùm, sed à Capitulis habuerit suam vim. D. Thom. 1. 2. *quæst.* 96. *art.* 5. Sotus *lib.* 1. *de Iustit. quæst.* 6. *art.* 7. Imo aliquo modo dici possunt obligari ad illas, etiam quoad vim coactiuam, quatenus finito officio suo, vel tempore Capitulorum possunt ob earum transgressionem puniri. Rodriquez 1. *tom. quæst.* 68. *art.* 3. Miranda *in Man. Prælat. quæst.* 29. *art.* 4.

22 Constitutiones, seu Statuta Religionum confirmata auctoritate Papæ non possunt mutari ab ipsis Religionibus, seu Capitulis ipsarum. Eò quòd inferior non potest tollere facta à Superiore. Nauarrus *lib.* 1. *Consil. tit. de const. cons.* 8. Hoc tamen intellige, quando prædicta confirmatio Papalis fuit facta in bonum Religionis, seu per modum decreti, mandati, aut ordinationis, quando enim facta fuit in fauorem statuentium tales leges, tunc confirmatio Papæ habet vim cuiusdam priuilegij, & ita liberè ab illo possunt recedere priuilegiati. Ita probabiliter Rodriguez 1. *tom. quæst.* 10. *articulo* 4. Miranda 2. *tom. Manual. quæst.* 29. *artic.* 8. Clariùs dici potest quòd quando confirmatio Summi Pontificis fuit substantialis, & essentialis, hoc est quando Summus Pontifex confirmando dicta statuta dat ipsis nouum robur ea propria faciens aut volens quod ea nomine suo subsistant, proculdubio tunc non possunt mutari, aut alterari à Capitulis, aut Religionibus: quia tunc censentur veluti ab ipso Papa lata, ac per consequens ab inferioribus inuariabilia. Si tamen talis confirmatio solum fuit accidentalis, vt si ea Pontifex solum laudauerit, & approbauerit vt legitimè facta à Religionibus vel Capitulis, non faciendo ea veluti propria ipsius, aut eis nouum robur tribuendo, tunc possunt à Religionibus, vel Capitulis immutari. Ita Bonac. *de legib. disp.* 1. *q.* 1. *p.* 1. *num.* 16. Tambur. *de Iure Abbat. tom.* 3. *disp.* 3. *q.* 7. *num.* 6. *& seq.* post Salas, Rodrig. & Mirandam. Adde Portellum *in dub. Regul. v. Statutum num.* 11. Qui tamen oppositum dicit, si Papa præciperet alicui Capitulo, vt nomine ipsius Papæ conderet tale, vel tale statutum, quia tunc esset veluti essentialiter Papale. Tamburinus *supr. num.* 9. Vbi etiam in sequentibus de interpretatione, seu declaratione talium statutorum. Pro quo vide quæ dico *tom.* 1. *c.* 18. *n.* 76.

23 Quamuis de iure communi non possint Superiores Religionum dispensare vniuersaliter in Legibus, constitutionibus, aut Statutis ipsarum, nisi quando illis talis facultas conceditur expressè, vel interpretatiuè; eò quòd inferiores non possunt in Legibus latis à suis Superioribus dispensare, Constitutiones autem Religionum factæ sint à tota Religione, vel Prouincia, quæ sunt Superiores Generali, & Prouinciali (Syluester. *v. dispensatio quæst.* 4. *& 9 cum sequentib.* Nauar. *in Man. prælud.* 9. *num.* 15) In aliquibus casibus tamen id possunt, scilicet in casibus leuibus, in quibus recurrere ad Superiores, vel Capitulum esset intolerabile, & in casibus, qui frequenter accidunt, in quibus etiam durum, & asperum videtur tantum tempus spectare. Ratio huius est, quia in his casibus præsumitur licentia interpretatiua concedi à iure, & maioribus Superioribus, idque consuetudine, quæ est optima Legum interpres, obseruatur. Medina 1. 2. *quæst.* 97. *art.* 4. *concl.* 3. Miranda *in* 2. *tom. Manual. quæst.* 30. *artic.* 11. Vide *cap.* 18. *num.* 54.

Consuetudo legitimè præscripta, & debitis circunstantiis vestita, verbi gratia, quod sit rationabilis, vniuersalis, & cum notitia Superioris, habet vim legis, seu Constitutionis, & potest tollere legem contrariam, aut Constitutionem, seu Statutum, quod erat prius in Religione. Ratio est, quia consuetudo hoc modo censetur quasi quædam Lex, aut Constitutio Religionis. Rodrig. 1. *tom. quæst. Reg. quæst.* 69. *art.* 1. Miranda 2. *tom. Man. quæst.* 28. *per totam.* Præscribit autem huiusmodi consuetudo si est contra legem, quadraginta annis Nauarr. *in Man. c.* 21. *num.* 13. Si autem est præter legem, decem annis. Rodrig. *tom.* 1. *q.* 68. *artic.* 1. Sà *in Summ. verb. consuet. num.* 3. 24

Constitutio, seu Ordinatio Religionis permittens in ea Magistros, aut Doctores, tolerari potest, dummodo, qui accipit tales gradus sit idoneus, aliàs, qui scit non esse idoneum, & petit illos, peccat mortaliter sicut qui scienter admittit. Syluester *verb. Doctor. quæst.* 4. Sà *in Summ. verb. docere numero* 2. Aduertendum etiam est Decretum Clem. VIII. & SS. Domini nostri Vrbani circa huiusmodi graduatos, videlicet. *Nullus nisi actu legat vel prædicet, aliquo sui gradus priuilegio gaudeat.* Vide alia circa illos *cap.* 10. *num.* 20. *&* 24. Animaduerti tamen debet *actu legere*, dici etiam Lectores, quando tempore vacationum student vt legant. Laurentius de Peirinis *tom.* 1. *priuileg. Minim. in Const.* 2. *Iulij* 2. §. 5. *num.* 21. 25

De mandato Clem. VIII. *in decretis pro reformatione Regularium* innouatis à S. Congregat. iussu SS. Domini nostri Vrbani præcipitur *Generalibus, ac omnibus aliis quibuscumque Superioribus, ad quos hoc spectat, vt curent, ac efficiant, prædicta omnia decreta inter alias eorumdem Ordinum Constitutiones perpetuò valituras redigi.* An autem inde inferatur hæc Decreta non inducere aliam obligationem ad sui obseruantiam, quam Constitutiones Religionum? Mihi videtur verior pars negatiua. Ac proinde quòd de obligatione horum Decretorum loquendum sit iuxta generales regulas, quæ de iure communi sunt ad cognoscendam obligationem aliarum Legum Pontificialium, de quibus nos egimus supra, & *cap.* 7. *à num.* 7. 26

Ad hoc quod Leges, seu Constitutiones Religionum obligent subditos requiritur aliqualis promulgatio ipsarum. Hoc enim necessariò requiritur pro cuiuscumque Legis obligatione. Licet autem promulgatio in singulis Monasteriis, seu Domibus Religionis optima sit, non videtur tamen necessaria, sed sufficiet quòd in Capitulo Generali, vel Prouinciali respectiuè, fiat. Sicut generaliter Lex Pontificia sufficienter promulgatur Romæ, Episcopalis in Cathedrali Ecclesia, Regia in Curia Regis. Suarez 4. *tom. de Relig. tract.* 8. *lib.* 2. *capite* 8. *num.* 15. *&* 16. 27

Immunitates, & libertates concessæ Religiosis in Constitutionibus (imò & Regula) Ordinum, possunt à Prælatis ipsorum aliquibus coarctari, ex iusta causa, nisi talis coarctatio sit expressè prohibita 28

prædictis

prædictis Superioribus. Ratio est, quia eo ipso quòd non est illis prohibita, censetur concessa; eò præsertim quia ad bonum regimen Religionis spectat ita facere; saltem in aliquibus casibus. Corduba *in Regul. D.Franc. cap.*10.*quæst.*2.*punct.*6. Sanchez *lib.*6. *in Decalog. cap.*3.*n.*9. Idem etiam dicendum est de Prælato inferiori respectu licentiæ, & immunitatis Religiosis à Superioribus Prælatis concessarum. Laurent. de Peirinis *tom.*1.*quæst.*1.*de obed.c.*8. *in fine.*

29 Licita est, & honesta Constitutio præcipiens Religiosis studia litterarum. Vt latè probauimus *in tract. de Reformat Regul. cap.*11. Laurent. de Peirinis *tom.*1.*de Subdito quæst.*1.*de Obedient.c.*30. Religiosi etiam ad studia deputati notabiliter negligentes in studendo, sæpè peccant mortaliter. Tum quia occupant aliorum locum. Tum quia abutuntur commoditate illis ad studendum à Religione concessa, videnturque scientias contemnere. Nauarrus *in Sum. cap.*25.*n.*59. Peirinis *vt suprà.*

30 Licita quoque est Constitutio prohibens ne litteræ missæ ad Superiores aperiantur, vel detineantur à subditis. Vnde inter casus reseruabiles à Superioribus designauit Clemens VIII. *malitiosum impedimentum, aut retardationem, aut aperitionem litterarum à Superioribus ad inferiores, & ab inferioribus ad Superiores missarum.* Ratio est, quia per hoc impeditur maximè bonum regimen Religionis, & fraterna charitas inter Religiosos. Pro explicatione autem huius casus reseruabilis, quando scilicet in eo quis peccet consule Quarantam *in Compend. Bullar. verb. casus reseruat. num.*12. & Coriolanum *in tract. de cas. reseru. part.*2. *casu* 11. Deinde qui aperit litteras obseruatas, vel alienas scripturas animo nocendi, vel cum graui detrimēto aliorum, peccat mortaliter. Quia in re graui offendit proximum. Rodriguez *tom.*2.*quæst. Regular. quæstione* 36.*artic.*2. Non tamen peccat mortaliter qui aperit litteras; ex quibus sibi vel alteri timet periculum alicuius damni notabilis iniustè inferendi. Quia in tali casu præceptum naturale de euitando damno iniustè inferendo, præponitur præcepto de obseruando secreto. Nauarrus *in Summ. cap.*18.*num.*53. Laurent. de Peirinis *tom.*1. *de Subdit. quæst.*2. *de paupert. cap.*2. §.13.

31 Scribere litteras ad Prælatum sine nomine, continentes delicta occulta contra aliquem, est ex suo genere mortale peccatum. Quia est reuelare crimen occultum fratris, quod mortale est. Nisi forsan hoc fieret ex charitate, non ex odio, aut maleuolentia: vltionem, & punitionem non quærens, sed solùm correctionem, & emendationem, & celatur nomen scribentis, quia si fortè perueniat ad notitiam illius contra quem scribitur, reddetur illi inimicus. Laurent. de Peirinis *tom.*1.*de Subdito quæst.*2.*de paupert. cap.*2. §.12. Non possunt tamen Prælati ex huiusmodi litteris ad inquisitionem procedere delictorum, quæ continent. Rodriguez *tom.*2.*quæst. Regul. art.*10. Vide dicenda *cap.*27. *n.*4.

32 De obligatione obseruandi Ceremonialia, seu Ordinalia Religionum philosophandum est eorum modo, ac de aliis Legibus, Statutis, ac Constitutionibus Ordinum. Ac proinde dicendum, transgressionem eorum, quæ in illis præcipiuntur, esse peccatum mortale, vel veniale iuxta quantitatem materiæ, & alias circunstantias, iuxta dicta in hoc capite, & præcedenti. Ex parte tamen materiæ, scilicet eorum, quæ in illis præcipiuntur, est sine dubio maior obligatio ea obseruandi; quàm alia, quæ per alias Constitutiones ordinantur, ac per consequens transgressio magis peccaminosa; nam quæ in prædictis Ceremonialibus præcipiuntur immediatiùs, & proximiùs concernunt cultum Dei, in quo vix potest aliquid minimum reperiri. Specialiter verò de ceremoniali Carmelitarum illud occurrit monendum, quod quamuis in illo dicatur. *Sub obedientiæ præcepto vobis omnibus, & singulis, præsertim verò Superioribus, ad quos ista spectant, iniungimus, vt quibuslibet aliis minus Ceremoniarum, & Rituum obseruationibus relictis, in omnibus, quoad fieri poterit, huic nostro Ordinario, & Ceremoniali conformemini, illudque ad vnguem sequamini:* nihilominus, non obstante huiusmodi præcepto Obedientiæ, non erit peccatum mortale, vnam, aut aliam, aut etiam aliquas, saltem paucas, Ceremonias non obseruare, si non sit contemptus, aut voluntas non se conformandi prædicto Ceremoniali, aut notabilis, & magna negligentia in nunquam studendo, addiscendo, aut legendo illud. Sic enim interpretatur hoc præceptum communis vsus Religionis, & Reuerendissimi Generales Ordinis à me super hoc interrogati, ita responderunt. Semper tamen erit veniale peccatum, nisi adsit negligentia, obliuio, aut ignorantia inculpabilis.

Pœnæ priuationis officiorum, dignitatum, graduum, & administrationum, &c. seu inhabilitatis, ad 33
illa: seu aliæ, quæ apponi solent in Constitutionibus, & Statutis Religionum, etiam si ponantur sub verbis, *ipso facto, ipso iure, eo ipso*, aut similibus, non incurruntur in foro interiori conscientiæ, nisi præmissa declaratione Superioris, qua ad minus constet Religiosum perpetrasse illud crimen, propter quod imponuntur tales pœnæ iuxta dicenda *cap.*10. *num.*30. Eò quòd ita videtur esse praxis Ecclesiæ, saltem quoad plures doctos, & timoratos. Quando autem adduntur vlterius illæ particulæ *absque vlla declaratione absque vlla sententia, ante declarationem, sententiam, & cap.* aut similia, tunc obligat reus ad tales pœnas etiam in foro interiori, & conscientiæ soluendas, iuxta dicenda etiam eodem *cap.*10. *n.*31. Licet aliqui non improbabiliter dicant contrarium, vt ibidem notabimus. Consuetudo tamen, & vsus, seu acceptio Religionum maximè attendenda est, seu declaratio illius, qui Constitutiones, seu Statuta fecit. In nostris autem Constitutionibus *p.*5.*c.*1. si dicitur: *Item cum in Constitutionibus Nostris frequenter ponatur pœna depositionis ab officio Prælatorum, & aliorum Officialium ipso facto, propter multa pericula, quæ possent inde contingere declaramus, quòd intelligitur ipso facto, postquam in Capitulo, vel Visitatione fuerint conuicti, & confessi coram Superiore.* Idem habetur *c.*9.& 10.

De obligatione, quam habent Religiosi assumpti 64
ex Ordinibus ad Dignitates, ad obseruandum Constitutiones, & Statuta Religionum dicimus *cap.*17. *num.*8. De Prælatis, etiam Generalibus *c.*18.*num.*11. De eiectis *c.*23.*num.*17. De Nouitiis *c.*24. *num.*2. De Monialibus *c.*25. *num.*1.

SVMMARIVM.

*Excommunicantur Religiosi habitum suæ Religionis temerè dimittentes. num.*1.
*Item accedentes ad studia nisi à suo Prælato, & Conuentu licentiam habuerint. num.*2.
Quomodo excommunicatio intelligenda. ibid.
*Item Religiosi de Claustris exeuntes ad audiendum medicinam, vel leges. num.*3.
Ad quos extendatur hæc excommunicatio. ibid.

Interdicta



CAPVT IX.

De obligationibus Religiosorum quæ habentur in Iure, vel Conciliis.

IN primis *c.2. ne Clerici, vel Monachi in 6.* excommunicantur Religiosi professi habitum suæ Religionis in Scholis, vel alibi temerè dimittentes. De quo latius agimus *c.13. à n.2.* Solùm est aduertendum huiusmodi excommunicationem nulli esse reseruatam. 1

Secundò excommunicantur eodem genere excommunicationis nulli reseruatæ, professi accedentes ad quæuis studia, nisi à suo Prælato cum consilio Conuentus, vel maioris partis illius, licentia primitus obtenta. Ita habetur dicto *cap. secundo. Ne Clerici.* Vnde ad hanc excommunicationem incurrendam non requiritur; quod Religiosus habitum deponat, sed etiam si cum habitu vadat, illam incurrit. Eò quòd textus non petit hanc conditionem dimissionis habitus. Sanchez *lib.6. in Decalog. cap.8. numero 72.* Nec requiritur, quòd studia sint aliàs prohibita, sed etiam si sint permissa, adhuc incurretur talis excommunicatio. Quia textus expresè dicit ad quæuis Studia, Syluester *verb. Excommunic.9.* Non incurritur tamen hæc excommunicatio si Religiosus vadat etiam sine licentia ad alium Conuentum propter Studia, quæ sunt intra suæ Religionis Claustrum. Quia intentum huius Legis, solùm videtur fuisse prohibere Studia extra Claustra. Religionis. Caietan. *in Summ. verb. Excommunic. cap.61.* Bonacina *in tract. de Clausura quæst.2. punct.6. §.5.* Nec etiam incurritur si vadat ad Studia extra Claustra Religionis, mansurus tamen in Conuentu illius Ciuitatis, vel Oppidi, vbi sunt talia Studia. Eò quòd textus, solùm videatur prohibere, ne Religiosus studeat manens extra Claustra sui Monasterij. Suarez *5. tom. in 3. part. disput 23. sect.4.* Bonacina *vt suprà §.5.* Licentia autem, quæ ex hoc Capite requiritur, pensanda est secundum consuetudinem Religionum. Si enim fuerit talis consuetudo, quòd solùm concedatur à Generali, vel Prouinciali, non sufficiet licentia immediati Prælati. Suarez *vt suprà numero 37.* In quo casu non videtur necessarius consensus Monasterij, quia textus solùm videtur loqui, quando licentia conceditur à Prælato immediato, non autem quando à Generali, vel Prouinciali conceditur. Syluester *verb. Excommunic.9. casu 25. num.55. quæst.2.* Sanchez *lib.6. in Decalog. cap.8. num.87.* 2

Deinde Religiosi de Claustris exeuntes ad audiendam medicinam, vel Leges, nisi intra duorum mensium spatium redierint, sunt excommunicati, & reuersi ad Conuentum, in Choro, Mensa, Capitulo, &c. debent esse vltimi. Ita habetur *in cap. fin. ne Clerici, vel Monach.* Bonacina *in tract. de Clausura quæst.2. punct.7.* Nulli verò est reseruata hæc excommunicatio. Nec comprehendit Religiosos intra Claustra audientes istas scientias, vel foris, manentes tamen intra Claustra. Nec comprehendit docentes illas, nec habentes priuatis in Cellis Lectores Legum, nec eos, qui student Legibus, in quantum conducunt ad intelligentiam Canonum. Toletus *in Summ. lib.1. cap.37.* Diana *tract. de dubiis Regul. Resolut.79.* Extenditur hæc excommuni- 3

excommunicatio ad Doctores, siue Magistros, qui Religiosos, habitu suo dimisso, Leges, vel Physicam audientes, scienter docere, aut in Scholis suis præsumpserint retinere *cap.2. ne Clerici, vel Monachi in 6.* Caietan. *in Summ. verb. excommunic. c.61.* Sanch. *lib.6. in Decalog. cap.8. num.89.* Bonacin. *punct.8.*

4 Præterea, Religiosis omnibus maximè interdictum est à correctione suorum Superiorum appellare ad Iudices extraneos. Primò quidem Iure Communi *cap. ad nostram de appellationibus, &c. reprehensibilis, eodem tit. in fine ibid. Ne Religiosi cum pro aliquo excessu fuerint corrigendi, contra Regularem Prælati sui, & Capituli disciplinam, appellare præsumant.* Secundò propter multa priuilegia Religionibus concessa specialiter Bonifac. VIII. pro Franciscanis Sixti IV. pro Carmelitis, & Augustianis, & Iulij II. pro Fratribus, & Sororibus Ordinis Prædicatorum, vt refert Cassarubius *in Compend. Priuil. Mendic. v. appellare.* Vbi etiam habetur Gregor. XIII. in quodam motu proprio Anno 1575. interdixisse Franciscanis de Obseruantia, sub pœna excommunicationis Summo Pontifici reseruata, & aliis pœnis appellationem ad Tribunalia Sæcularia; concessisse tamen eis appellationem, ad Generalem, vel Protectorem, vel Pontificem. Sacr. quoque Congregationem Cardinalium edidisse decretum Ann. 1587. vt appellatio hoc ordine interponatur; à Guardiano ad Prouincialem, à Prouinciali ad Generalem, à Generali ad Protectorem, & ab hoc ad Cardinalium Congregationem, referturque hanc appellationem esse permissam à Sixto V. Extat etiam Bulla Clem. VIII. quæ est 110. *in 3. tom. Bullarij* edita *Anno 1604.* Vbi appellatio prohibetur Carmelitis *sub excommunicationis latæ Sententiæ pœna, à qua, non nisi à nobis, seu Romano Pontifice pro tempore existente, præterquam in mortis articulo absolui possint, nec non priuationis perpetuæ officiorum per eos obtentorum, ac inhabilitatis ad illa, & alia quæcunque dicti Ordinis Officia exercenda, ac vocis, tam actiuæ, quam passiuæ, eo ipso absque alia declaratione incurren. pœnis.* Subiungit etiam Pontifex; *Districtius inhibemus, ne ad ipsa Tribunalia Sæcularia, quouis prætextu, aut quæsito colore appellare, vel ad illa confugere, aut ea propterea quoquo modo adire audeant, vel præsumant. Sed si se à Prælatis grauari prætendant, ad Priorem Generalem ipsius Ordinis, seu illius Protectorem, aut Viceprotectorem in Romana Curia, vel ad nos, siue Romanum Pontificem pro tempore existentem, Supremum in Ecclesia Dei Iudicem, sicut antiquitus semper facere consueuerunt, recursum habeant, vnde illis breui manu iustitia ministrabitur. Volentes, & ita declarantes, quod nedum dicti Ordinis Regulares personæ contra facientes, verum etiam eorum quomodolibet directè, vel indirectè fautores, & consultores, easdem pœnas eo ipso omninò incurrant. Decernentes irritum, & inane quidquid secus super his à quoquam, quauis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.* Vide Bullam *tertio tom. Bullarij pag.* 159. Similem prohibitionem habent Augustiniani ab eodem Clem. VIII. in Bulla *Quoniam nostr.* Anno 1604. edita, & Seruitæ in alia Bulla eiusdem tituli, Anno 1593.

5 Circa quæ alia animaduertenda sunt. Primum est, hæc Iura, & Decreta Pontificum congruentissima ratione pro Religiosis edita fuisse, vt ab eis abominabilis iste appellandi à suis Prælatis vsus omninò exularet. Est enim appellatio à correctione Regulari, seu sententia Superiorum ad tribunalia sæcularia, inuentum Diabolicum, honorem Religionis inhonestans, & pacem, & tranquillitatem Religiosorum perturbans, signumque maximæ relaxationis, cum regulariter loquendo, solùm apud aliquos ambitiosos, & superbos, & deformatos locum habeat. Sotus *de Iustit. & Iure lib.5. quæst.6. articul.3.* Aragon. 2. 2. *q.69. articul.3.*

Secundum est, Religiosis non solùm esse prohibitam appellationem ad Iudices non competentes, vt ad Laicos, aut Sæculares Magistratus, vel Iudices, hoc enim de se patet iniquissimum esse, & omni pœna, & supplicio dignum, sed etiam aliquando ad Iudicem competentem, scilicet Sedem Apostolicam, Dominos, Nuncios, Legatos, &c. Ratio est, quia licet Sedes Apostolica, aut Apostolica Tribunalia, sint Supremi Iudices Ecclesiæ, tamen ipsi Summi Pontifices Ecclesiæ capita, attendentes maximum detrimentum Religiosæ disciplinæ ex prædicta appellatione oriri, Iuri suo cedentes, prohibent Religiosis prædictam appellationem, propter bonum Religionum. Cuius signum est, quod Cistercien sibus interdicta est appellatio, etiam ad Sedem Apostolicam sub pœna excommunicationis. Idemque priuilegium dicitur concessum Canonicis Regularibus, & Minoribus à Iulio Secundo, Suarez 4. *tom. de Relig. tract.8. lib.2. c.11. n.2. 13. & 16.* Sanch. *lib.6. in Decal. c.8. n.108. & 109.* Nota autem quod Sac. Congregatio Regularium Iure computari debet inter Tribunalia Religionis. Thomas de Iesu *de visit. Regul. tract.3. c.17. numer.7.* 6

Tertium est, quod in raro, & graui casu, in quo euidenter constaret Religioso fieri notabilem iniuriam, in fama, honore, & reputatione à suis Superioribus, licita illi esset appellatio ad Summum Pontificem, vel Sacr. Congregationem. Ratio est, quia hoc videtur permissum à Summis Pontificibus, vt conforme Iuri Naturali, non solùm in aliquibus Decretis ex adductis, sed à Iure *in cap. de Priore de appellation. cap. licet de Offic. Ordinar. & cap. supr. quæst. versic. nos autem de Officio Legat.* Nauarrus *Comment.3. de Regul. numero 51. & lib.2. Consil. in 1. edit. tit. de Sentent. & re Iudicata, consil. vnico num.6. & tit. de appellat. consil.4. num.1.* Azor. *lib.12. Instit. Mor. c.11. quæst.8.* In tali autem casu appellatio executionem sententiæ regulariter suspendit, vt colligitur ex *cap. venientes de Iure iurand. & cap. Pastoralis §. præterea de Offic. Iudic. deleg.* Nauarrus *lib.2. Consil. de appellat. cons.6. num.1.* Necesse est etiam in appellatione causam grauaminis exprimere. Quia solummodò admittitur appellatio cum modus exceditur. Sanchez *tom.2. de præcept. Decalog. lib.6. cap.8. num.105.* Thomas de Iesu *de Visit. Regular. tract.3. c.17. n.18.* Vnde si talis causa non assignatur, vel causa assignata friuola, vel iniusta visa fuerit ipsi Iudici, & aliis ad hoc consiliariis adhibendis, nihil de illa curare debet Iudex, quia talis appellatio non suspendit executionem sententiæ. Alderete *lib.2. de discipl. Relig. cap.28. n.28.* In aliis autem casibus non est toleranda appellatio Religiosorum, etiam si illis aliqua iniuria fiat: cum recta, & bona æstimatio Religionis anteponi debeat, etiam secundùm Ius naturale, bono priuato alicuius, sicut eodem Iure Naturali dictante, 7

te, manus recipit ictum, aut vulnus, ad seruandam incolumitatem corporis, vel capitis. Rodriguez *tomo 1. quæst. Regular. quæst.29. articul.3.* Laurentius Peyrinis *tomo 1. quæst.1. de Obed. c.20.* Cùm verò appellatio ad Sedem Apostolicam conceditur; licèt regulariter loquendo fieri debeat modo dicto *num.4.* scilicet à Priore, vel Guardiano ad Prouincialem, & ab hoc ad Generalem, casu tamen dato, quod à prædictis non speretur remedium contra iniuriam illatam appellanti, vel similibus casibus licitè fieri poterit appellatio immediatè ad Apostolicam Sedem. Portell. *in Dubiis regular. v. appellare num.3.*

8 Idem etiam suo modo dicendum est, & propter eandem rationem, de facultate recusandi Prælatos Regulares, illam scilicet, esse omninò illicitam, & abominabilem Religiosis, nisi in casu rarissimo, quo licita esset appellatio, Videlicet quando euidenter constaret, Prælatum Regularem omninò iniquè se gerere contra bonam famam, & opinionem alicuius Religiosi in materia graui. Sanch. *lib.6. in Decal. c.8. num.vlt.* Qualiter autem se gerere debeant tam recusans, quàm recusatus. Vide Laurentium de Peyrinis *tom.1. quæst.1. de Obedient. c.19.§.1.*

9 Nullus etiam Religiosus potest esse executor testamenti, seu testamentarius siuè ad causas prophanas, siuè ad pias, absque obtenta sui Superioris licentia. Quia ita habetur *in cap. 2. de testamentis in 6. illis verbis: Religiosus executor ab aliquo in sua vltima voluntate deputatus, non potest, cum velle, vel nolle non habeat, huiusmodi officium suscipere, vel exequi, nisi à Superiore suo petita super hoc licentia, & obtenta.* Sufficit autem tacita licentia, cum textus non dicat expressam esse necessariam. Syluester *v. testament. quæstione secunda, distinct. tertia*, Sanchez *libro sexto, in Decalog. cap.11. numero 11.* Eamque potest quilibet Superior, etiam immediatus, concedere. Cum circa hoc nihil dicatur in prædicto capite: Molina *tomo 1. de Iustit. disputat. 247.* Nisi fortè in Religionibus hoc esset determinatum, vt solùm id ad Prælatos Superiores spectaret. Sanchez *lib.6. in Decalog. capite 11. numero 16.* Fratres autem Minores de Obseruantia nequeunt esse executores testamentorum, adhuc obtenta suorum Superiorum licentia. Quia ita habetur *in Clement. exiuit. §. proinde cum vir Sanctus, versic. verum etiam de verbor. significat.* Rodriguez *3. tom. quæst. Regular. quæst. 70. articulo 2.* Religiosi verò executores testamentorum tenentur reddere rationem Episcopo. Ex Concil. Tridentin. *sessione 22. cap.8.* Alphonsus Villagut *in Spec. Visitator. fol.32. n.9.*

10 Religiosi nequeunt sibi eligere sepulturas, nisi à propriis Monasteriis adeò forsitan sint remoti, quod ad ea, cum moriuntur, non possint commode portari. Ratio est, quia ita deciditur *in cap. fin. de Sepultur. in 6.* Syluester *verb. Sepultur. quæst.6.* Nauarrus *Comment. 2. numero 43. de Regular.* Augustinus Barbosa *de officio, & Potest. Parochi capite 26. numero 30.* vbi etiam alia ad intentum. Prælatis autem concedunt id posse facere, forsan, quia in suis Monasteriis habent authoritatem, Tabiena *verb. Sepultura quæstione 4. numero 5.* Rodriguez *tomo tertio, quæst. Regul. q.60. articul.1.*

11 Religiosi etiam non possunt comparere in iudicio, siue tanquam Actores ad agendum, siue tanquam Rei ad se defendendum sine licentia sui Superioris. Ratio est, quia in hoc æquantur in Iure Religiosi cum seruis, aut filiis familias, & quasi pro mortuis habentur, vt tradunt Doctores communiter *cap. cum dilect. de rescript. & authentica causa, quæ fit cum Monacho Codice de Episcopo, & Cleric.* Nauarr. *Comment. 2. de Regular. numero 64.* & Sanchez *lib.6. in Decalog. cap.12.* Vnde neque pro iniuria sibi illata, siue in persona, honore, aut bonis possunt in Iudicio comparere, sed hoc competit Prælato. Syluest. *v. Relig.8. q.4.* Nauarr. *Comm. 2. Regular. numero 29. & 64.* Quando tamen Monachus est extra Monasterium, videlicet in Studio, aut alibi cum licentia sui Superioris, aut quando is Superior est ita absens, vt commodè absque periculo in mora non possit habere eius responsum, tunc agere potest in Iudicio, ratione licentiæ præsumptæ in istis casibus. Nauarr. *Comment.2. de Regular. numero 65.* Azorius *lib.12. Institut. moral. capite 11. quæst.9.* Similiter si agere velit contra Prælatos, vt in Religione teneatur, vel vt ab ea repulsus admittatur, vel ne ei, quæ de Iure Ordinis debentur, denegentur, tunc poterit sine licentia ipsius litem agere, seruatis tamen aliis seruandis. Quia in hoc casu ipsa Religio, vel ius naturale dat talem licentiam. Sanchez *lib. sexto in Decalog. cap.12. numero 16.*

Nec potest Religiosus munus Aduocati, vel Procuratoris in causa aliqua tenere, nisi propter vtilitatem Monasterij, & iubente Prælato. Quia ita habetur *in capite Monachi el 2. 16. quæst.1. illis verbis: Nullus Monachorum forensis negotij susceptor, vel executor existat, nisi quod Monasterij poscit vtilitas, Abbate sibi nihilominus imperante.* Syluester *verb. Aduocat. quæst.6.* Sayrus *Clauis Regia libro duodecimo, cap. vigesimosecundo, numero 3.* Nota autem hanc prohibitionem exercendi munus aduocati non solum ad Monachos, sed ad quoscumque veros Religiosos extendi, siue Monachi sint, siue Canonici Regulares, Mendicantes, &c. *cap.2. de postuland. & Clem. Religiosus.* Sanchez *lib.6. in Decalog. cap.13. num.1.* Lugo *2. tom. de Iustit. & Iure disputat. 41. sect.1. num.3.* Non autem comprehenduntur Nouitij: quia nomine Religiosi non veniunt in odiosis Nouitij. Sanch. *n.2.* Lugo *sup.* De licentia autem ista, & vtilitate Monasterij qualis debeat esse, vt Religiosus exercere possit munus aduocati, latè Sanch. *dicto c.13.* Tambur. *de Iure Abbatum tom.3. disput.3. q.6. numero 27.* 12

Nec etiam potest exercere munus Tabellionis, Ratio est, quia ita habetur *in cap. sicut ne Clerici vel Monachi, & ex cap. vt inquisitionis §. verum quia, versicul. ad conscribendas de hæretic. in 6.* Vbi tanquam quid speciale conceditur fauore Fidei, vt Monachus, qui in sæculo erat Tabellio, possit etiam in Religione id munus exercere. Potest tamen Monachus, qui in sæculo erat Tabellio complere, etiam post professionem, & signare instrumenta, quæ in sæculo solum fecerat. Quia hoc non est tam exercere de nouo Officium Tabellionis, quàm supplere defectus factos in alio tempore. Nauarr. *Comment. de Regular. num.42.* Rodriguez *tom.3. quæst. Regular. quæst.8. articul. vltim.* Possunt etiam Religiosi exercere munus Notariorum in quibuscunque causis Sanctæ Fidei, & Inquisitionis. Ita decreuit Pius IV. in Bulla, quæ incipit *Pastoralis Officij* Anno 1561. Affertur etiam alia Iul. III. simi 13

similia concedentis Generali Ordinis Prędicatorum. Flau. Cherub. *in Compend. huius Bullæ*. Vide dicenda c.18.*n*.95.

14 Nec etiam potest Religiosus esse Iudex, etiam Arbiter, in aliqua causa, nisi concurrente duplici conditione, scilicet licentia Superioris, & vtilitate Monasterij. Ratio est, quia ita, dicitur *in cap. Monachi el* 2.16. *quæst*. 1. *&* *cap. de præsentium* 16. *quæst*. 1. *&* *cap*. 2. *de postuland*. Ita communiter Summistæ *v. arbiter*, & Sanchez *lib*. 6. *in Decalog. capite* 13. *à num*. 55. vbi multa de hoc. Possent tamen Prælati Religionum eligi in Iudices Conseruatores aliarum Religionum. Propter priuilegia illis concessa de quibus Rodrig. *tom*. 1. *quæst. Reg. quæst*. 65. *art*. 3. An autem modo post decreta Summorum Pontificum, præsertim Gregorij XV. hoc ita sit tenendum, constat ex dictis *cap*.3.*n*.11.& dicendis *tom*.2.*cap*.10. Possunt similiter Religiosi esse Assessores. Eo quod Assessor non est Iudex, sed Consultor, aut Instructor Iudicis, quod nullibi est illis prohibitum. Sanchez *lib* 6. *in Decalog.c*.13.*num*. 85. Possunt etiam Religiosi, saltem ex vi Iuris Communis, esse Vicarij Episcoporum, duabus illis conditionibus subsistentibus, scilicet licentia Superioris, & vtilitate Conuentus. Cum enim munus Vicariatus sit Officium pertinens ad Iudicia, erit prohibitum Religiosis, nisi subsint illæ duæ conditiones. Azor. *tom*. 2. *Instit. Moral. lib*. 3. *cap*. 43. *quæst*. 10. Rodriguez *tom* 3. *quæst. Regul. quæst*. 76. *art. vlt*. Contrarium vero tenet Peirinis *tom. Priuileg. Minimor. in* 4. *Const. Sixti IV*. §. 10. *num*. 48. Ab iis tamen muneribus Arbitri, Assessoris, & Vicarij Episcoporum arcent multi Franciscanos propter Clementinam *Exiui*. Arcentur etiam illi, quibus propter speciales Constitutiones sui Ordinis est hoc prohibitum. Sanchez *lib*. 6. *in Decalog. cap*. 13. *à num*.66.

15 Religiosi non possunt vllo modo exercere artem Chirurgiæ cum incisione, vel adustione. Ratio est, quia ita habetur *ex cap. Tua nos de homicidio, & c. sententia sanguinis ne Clerici vel Monachi*. Ita Summistæ *v. Medicus*. vel *Medicina*. Extenditur, vt neque causa pietatis id liceat. Propter eamdem rationem. Armilla *in Summ. v. Irregularitas num*. 47. Nauarr. *in Summ. cap*. 25. *numero* 110. Vnde oppositum facientes sunt Irregulares, si inde sequatur mors, quantumcumque diligentiam adhibeant, ne sequatur. Quia dant operam rei sibi prohibitæ ratione periculi homicidij, Cornexo *tom*. 2. *in* 3. *part. tract*. 5. *de Irregul. disput*. 3. *dub*. 2. An autem possint Religiosi artem istam absque vlla incisione, & adustione exercere, res est dubia. Sed probabilius est, non posse. Eo quod quamuis nullus textus expressè id prohibeat, tamen implicite prohibetur in toto titulo. *Ne Clerici vel Monachi* vbi sæpius habetur, Religiosos non posse exercere negotia Sæcularia, & eorum statum dedecentia, munus autem Chirurgię indecens pro illis videtur. Nauarr. *in Sum. c*.25.*num*.110 Sanchez *lib*. 6. *in Decalog.c*.14 *n*.18. Qui addit, in Societate Iesu esse priuilegium à Gregorio XIII. concessum, vt Religiosi Medicinæ periti, possint mederi quibuscumque infirmis, quando Medici Seculares commode haberi non possunt, dummodo id fiat ex Superioris licentia, & citra adustionem, & incisionem per ipsos faciendam. Addit etiam Cornexo *vt supra*, quod si Clericus (idem est de Religioso) curet citra incisionem, vel adustionem, & omni diligentia adhibita infirmus moriatur, non erit irregularis, quia etsi curare hoc modo sit prohibitum, non tamen est prohibitum, ratione periculi homicidij sed, ratione indecentiæ.

Non est in Iure prohibitum Religiosis esse testes, 16 cum nullus textus id prohibeat, potius esse illis permissum colligitur ex *capite nuper de testibus*, *& authent. de Monach*. §. *cogitandum collat*. Et ita videtur dicendum posse esse testes, tam iudiciales, quàm cuiuscumque instrumenti. Syluester *verb. testamentum* 1. *quæst*. 5. *dict*. 1. Molina *tomo* 1. *de Iustit. disputatione* 127. §. *vtrum autem*. Quod etiam extenditur ad testamentum, in quo aliquid relinquitur Monasterio Religiosi, qui est testis. Quando enim aliquid non est speciale singulorum commodum, sed Vniuersitatis, vel Collegij, potest quilibet ex illa Vniuersitate vel Collegio testificari. Sanchez *lib*.6.*in Decalog.cap*.13.*num*. 102. Ad hoc tamen, vt Religiosus sit testis alicuius causæ Iudicialis, requiritur licentia Superioris. Quia cum Iudex sæcularis non sit Superior Religiosi testificantis, non potest ab illo exigere testimonium nisi Religiosus se illi subiiciat, ad quod est necessaria licentia proprij Prælati. Angelus *verb. testis numero* 3. Sanchez *numero* 103. Si tamen testificentur sine tali licentia, testimonium valebit. Cum nullibi sit irritatum, & potius interpretanda sit res vt valeat, quàm vt pereat. Syluester *verb. testis quæst*. 1. *dict*. 1. Molina *tom*. 1. *de Iustit. disputat*. 127.

Interdicitur etiam Religiosis suscipere tutelam 17 alicuius personæ. Ratio est, quia ita habetur *cap. fin. quæst*.86. *& auth. de Sanctissimis Episcop*. §. *Deo autem amabilis collat*.9. *& leg. Regia* 14. *titul*.16. *part*.6. Ita tradunt Angelus, Syluester, & Tabiena *in Summa verb. tutela*. Addentes, etiam ex licentia suorum Superiorum non posse hoc munus exercere. Eò quòd illi in prohibitione Iuris nequeunt dispensare. Hoc tamen intellige de tutela testamentaria, id est, data in testamento, & de tutela datiua, quæ scilicèt solet designari à Iudice. De tutela namque legitima, illa scilicet, quæ Lege defertur consanguineis successuris ab intestato, posse suscipi à Religiosis de licentia Prælatorum, videtur haberi *in prædicto cap. fin. dict*. 86. Azorius *tomo* 1. *Institut. Moralib. lib*.12. *cap*.11. Tutelas quoque miserabilium personarum posse admitti à Religiosis, concedit Graffis 1. *p. decis. lib*.3. *cate* 5. *num*.112.

Solet tamen S. Congregatio facultatem ad id concedere sub quibusdam conditionibus prout patet ex S. Congregatione Episcoporum & Regularium de anno 1631. pro 17. Ianuarij, vbi hæc facultas conceditur cuidam Conuerso. Et de anno 1640. pro 31. Augusti, vbi etiam concessum est cuidam Religioso, *audito prius, & consentiente Procuratore Generali Ordinis vt suorum nepotum tutelam, & curam liberè, & licitè suscipere, & gerere, atque omnia, & singula quæ ad Tutores & Curatores de iure, vsu vel consuetudine pertinent facere & exercere posset, ad triennium dumtaxat, dummodo tamen occasione præmissorum in mercatura & aliis negotiis Regularibus interdictis nullatenus se immisceret, nec extra claustra vllo modo degeret, aut quidquid aliud à sua professione alienum perageret*. Prorogata etiam est huiusmodi facultas ad alium annum sub 16. Nouembris 1646. *Dummodo tamen negotiationibus personis Ecclesiasticis & omnibus Regularibus interdictis nullatenus se immisceret, nec extra claustra vllo modo pernoctaret, aut quidquid aliud à sua professione alienum ipsi permittatur*.

18 Nec possunt Religiosi esse Fideiussores, nisi de licentia Prælati, & maioris partis Capituli. Ratio est, quia ita habetur expressè *cap. penult. de fideiussor. & leg. Regia 2. tit. Moral. lib. 12. p. 5.* Exigitur quoque vtilitas Monasterij *cap. 2. de postulat.* Syluester, Angelus, & Tabiena *in Summ. v. fideiussor.* Lessius *2. de Iustit. cap. 28. dub. 2. num. 20.* Vnde si Religiosus fideiubeat, non solum peccat, sed fideiussio est irrita, & nulla. Cum non habeat aliquid proprium, quod alteri possit obligare, quod est necessarium ad fideiussionem. Molin. *2. tom. de Iustit. disputat. 540.* Azor. *tom. 1. Instit. Mor. l. 12. cap. 11. quæst. 2.*

19 Nec etiam possunt Religiosi Professi testari, & testamentum ab ipsis factum est omninò irritum, & nullum, *ex authent. ingressi C. de Sacrosanct. Eccles. & cap. quia ingredientib. 19. quæst. 3. & cap. 2. de testament.* Et ratio est, quia testari supponit habere proprium, aut dominium, quòd repugnat Religioso Professo. Nauarrus *Comm. de Regul. n. 22.* Sanchez *lib. 7. in Decalog. cap. 8. à num. 1.* Possunt tamen facere aliquam schedulam, qua rogent Prælatum, vt det alicui ea, quæ ipsi habent ad vsum. Cum hoc non sit facere testamentum, aut codicillum, nec sit alicubi prohibitum, aut deroget Voto Paupertatis. Nauarrus *in Summ. lat. cap. 27. & Comment. 2. de Regular. num. 22.* Graffis *1. par. Decis. lib. 3. cap. 5. num 58.* Possunt etiam testari ex licentia Pontificis. Quia cum sit Summus Prælatus Religionum potest Religiosis concedere facultatem disponendi de quibuslibet bonis, & potest etiam dispensare in Lege positiua prohibente ne Religiosi testentur. Graffis *1. par. Decis. lib. 3. c. 5. num. 57. & 59.* Lessius *2. de Iustit. cap. 41. dub. 8. num. 73.* Possunt præterea testamentum à se factum ante professionem interpretari, & declarare, si declaratione, aut interpretatione egeat. Quia hoc non est disponere de aliquibus bonis, sed declarare dispositionem à se factam quando poterant illam facere. Diana *Tractat. 2. de Dub. Regular. Resolut. 75.* An verò possint illud reuocare, vide Barbosam *in Collectaneis Concil. sessione 25. cap. 16. num. 22.*

20 Prohibitum est etiam Religiosis, sicut & Clericis, venari, aut interesse venationibus. Credo autem hanc prohibitionem venandi non esse sub mortali, cessante scandalo, & aliis prauis circunstantiis extrinsecis, quando solùm fit venatio honestæ recreationis gratia. Nauarr. *Comm. 4. de Regul. n. 26.* Suarez *to. 4. de Relig. tract. 8. lib. 1. c. 11. n. 2.* Rebellus *lib. 1. q. 14. n. 10.*

21 Lineis vti est etiam prohibitum Religiosis *in c. cum ad Monasterium de statu Monachor.* Proprius enim Religiosorum habitus, etiam internus; laneus esse debet. Sed hoc tantum est veniale regulariter loquendo, imò nullum peccatum, si communis vsus Religionis oppositum habeat, multò magis, si est aliqua infirmitas corporalis. Syluester *v. Relig. 7.* Graffis *1. p. Decis. lib. 3. cap. 5. num. 69. & 70.* Fratres autem Minores lineis camiseis vtentes, peccare mortaliter, tenet Petrus Marchant. *in exposition. Regul. D. Francisc. c. 2. quæst. 5.* Eò quòd in prædicta Regula hoc illis prohibeatur.

22 Licèt aliqui teneant Religiosos præsertim Benedictinos, teneri semel in mense sua peccata confiteri propter *Clement. ne in agro* (Caietan. *tom. 1. Opuscul. tractat. 5. quæst. 1.*) Nihilominùs probabilius est, vel non esse talem obligationem ad culpam, vel solùm esse venialem. Quia Clementina illa nihil aliud postulare videtur. Henriq. *lib. 1. de Sacram. Pœnit. cap. 4. num. 10.* Sotus *in 4. dist. 18. q. 1. art. 3.*

Religiosi non habentes aliquam administrationem, vel beneficium, qui Decimas Ecclesiæ debitas vsurpare præsumunt; nisi post requisitionem desistant à præmissis infra mensem, & damnificatis Ecclesiis emendam infra duos menses faciant, sunt excommunicati. *Clement. Relig. de Decimis, & Primit.* Tolet. *in Summ. lib. 1. cap. 40. à numero 5.* Mirand. *in Manuali Prælat. tom. 2. quæst. 35. articul. 18.* 23

Balnea ingredi prohibitum est etiam Religiosis. *cap. Omnis qui 24. q. 1.* Ex necessitate tamen id licet Graffis *1. par. Decis. lib. 3. c. 5. n. 115.* 24

Religiosi, qui aliquos ad vouendum, seu alias promittendum, inducunt, vt sepulturas apud eorum Ecclesias eligant vel iam electas non mutent incurrunt sententiam excommunicationis ipso facto Sedi Apostolicæ reseruatam *Clement. cupientes de pœnis.* Mirand. *2. tom. quæstione trigesima quinta, articulo decimo octauo.* Simpliciter tamen inducentes ad hoc, non comprehenduntur, nec etiam, qui prædicto modo inducunt alios ad sepulturam in alia Ecclesia. Tolet. *in Summ. lib. 1. c. 37.* 25

Religiosi, qui aliqua in sermonibus suis, vel alibi, proferre præsumunt, vt audientes à Decimarum Ecclesiis debitarum solutione retrahant, incidunt in Excommunicationem ipso facto. Si verò scienter postposuerint confitentibus conscientiam facere de soluendis Decimis Ecclesiis debitis, ab officio prædicationis tandiù manent ipso facto suspensi, donec confitentibus ipsis conscientiam fecerint. Et, si prædicta diligentia non facta, prædicare præsumpserint, incidunt in excommunicationem ipso facto. *Clement. cupientes de pœnit.* Nauarr. *in Man. cap. 27. num. 145. & 146.* Mirand. *in Man. to. 2. q. 35. articul. 18.* 26

Monachi intra Septa Monasterij sine licentia Abbatum suorum arma tenentes excommunicationis sententiam ipso facto incurrunt. *Clement. ne in agro de stat. Monach.* Mirand. *in Man. tom. 2. q. 35. art. 18.* Vnde ista excommunicatione non afficiuntur habentes arma extra septum Monasterij, nec Monachi venientes ad Monasterium cum armis, non animo ea tenendi. Tolet. *in summ. in lib. 1. c. 36. à n. 6.* Contra Regulares etiam tenentes arma prohibita in statu Mediolanensi, extat decretum S. Congregat. Regul. quod id illis prohibetur sub pœna excommunicationis, & aliis, ipso facto incurrendis. Naldus *in Summ. v. Religiosus num. 50.* Peyrinis *tom. 2. Priu. Minim. in Constit. 4. Clem. 8. num. 9.* Vide August. Barbos. *de Offic. Parochi cap. 6. à num. 51.* 27

Non est de Iure communi aliqua obligatio imposita Religiosis benedicendi mensam ante, vel post prandium, aut cœnam. Ratio est, quia *in capite non liceat dist. 44.* quod adduci solet, non est aliquod verbum includens præceptum. Suar. *3. tom. de Relig. lib. 3. de Orat. voc. c. 6. n. 16.* Peccare tamen saltem venialiter, qui hoc non faciunt, tenet Nauarr. *in Man. c. 25. n. 110.* 28

Sunt excommunicati à Iure, excommunicatione tamen non reseruata, Religiosi, qui Interdicti tempore in Cœmeterio sepeliunt cadauera defunctorum extra casus à iure concessos, aut publicos excmunicatos, aut nominatim interdictos, aut manifestos vsurarios. *Clem. 1. de Sepultur.* Toletus *in Summ. lib. 1. cap. 40.* Tenentur etiam Religiosi quæcunque Interdicta generalia, tam authoritate Sedis Apostoli 29

Apoſtolicæ, quam Ordinariorum poſita obſeruare, ſub pœna excommunicationis. *Clem.1. de ſentent. excomm.* Tolet. *in Summ. lib.1. cap.*40. Imò etiam in Concil. Trident. *ſeſſ.*25. *cap.*12. ſic habetur. *Cenſuræ, & Interdicta, ne dum à Sede Apoſtolica emanata, ſed etiam ab Ordinariis promulgata, mandante Epiſcopo, à Regularibus in eorum Eccleſiis publicentur, atque ſeruentur.* Propter quod decretum dicunt aliqui derogata eſſe omnia priuilegia, quæ antiquitus Religioſi habebant circa ſuſpenſionem interdictorum. Nauarrus *in man. cap.*27. *numer.*189. Alij verò volunt, tantùm ea priuilegia reuocari à Concilio, quibus omninò liberantur Religioſi ab obſeruantia Interdictorum, non autem, quibus in Feſtis Sanctorum Religionis concedebatur ſuſpenſio à prædictis Interdictis. Rodriguez 2. *tom. quæſt. Regul. quæſt.*112. *artic.*1. Mirand. *in Man. tom.*2. *quæſt.*37. *artic.*12. Quæ autem ſunt huiuſmodi priuilegia, vide in Caſarubio *in compend. priuileg. Mendic. verb. Interdictum.* Tenentur autem Regulares obſeruare dicta Interdicta, ſiuè valeant, ſiuè non, quando ea obſeruat Cathedralis, Matrix, aut Parochialis Eccleſia. Ex Nauarro *in cap. contingat*, & Rodriguez *tom.*2. *quæſt.*108. *art.*4. Vide dicenda *cap.*21. *num.*19. & *tom.*2. *capite* 1. *numero* 21. *capite* 14. *numero* 36. *capite* 15. *num.*36. *cap.*16. *numero* 12. 23. & 27. & *cap.*17. *num.*6.

30 Sunt etiam excommunicati Religioſi, qui Beguinas fouent in earum ſtatu, ſeu, vt aſſumant earum habitum, dant conſilium, auxilium, fauorem, directè, vel indirectè. *De Relig. Domib.* Tolet. *in ſum. lib.*1. *cap.*40.

31 Non licet Religioſis baptizare, niſi in caſu neceſſitatis, & de licentia Parochi *cap. placuit el* 2. 6. *quæſt.*1. Hoc enim eſt proprium officij Ordinarij. Nec etiam poſſunt eſſe Patrini, aut leuare aliquem de fonte *cap. non liceat de conſecrat. diſtinct.*4. Nauarrus *de ſtat. Monach. lib.*3. *conſil.*5. Graffis 1. *par. deciſ. lib.*3. *cap.*5. *num.*136. Præterea Religioſi, qui Clericis, aut laicis, Sacramentum Extremæ Vnctionis vel Euchariſtiæ miniſtrant, vel Matrimonia ſolemnizant, non habita prius Parochialis Presbyteri licentia ſpeciali, contrahunt excommunicationem Papalem. *Clem. Relig. in principale de priu.* Syluest. *v. excommunicatio.* Toletus *in ſumm. leg.*1. *cap.*37. Specialiter etiam ex Concil. Trident. *ſeſſ.*24. *de Matrimon. cap.*1. Parochus etiam Regularis, qui alterius Parochiæ ſponſos, *ſine illorum Parochi licentia Matrimonio coniungere, aut benedicere vſus fuerit, ipſo iure tandiu ſuſpenſus maneat, quandiu ab Ordinario eius Parochi, qui Matrimonio intereſſe debebat, ſeu à quo benedictio ſuſcipienda erat, abſoluatur* Rodriguez 2. *tom. quæſt.*62. *articul.*11. Barboſa *de offic. Parochi cap.*22. *à num.*3. Aliqui tamen Religioſi in Indiarum partibus exiſtentes, poſſunt exercere officium Parochi, Matrimonia celebrando, & Sacramenta Eccleſiaſtica miniſtrando. Ex Pio V. in Bulla edita anno 1567. quæ incipit: *Exponi nobis nuper* 2. *tom. Bullar. n.*34. Vide dicenda *c.*21. *n.*8. 9. & 10.

32 Religioſi euntes vltra mare ſine licentia Superiorum ſunt excommunicati excommunicatione Papæ reſeruata *Extrauag. ad noſtrum de Regul.* Vincentius Filiucius *quæſt. Moral. tract.*15. *cap.*8. Eſt autem ibi ſermo de Religioſis transferentibus ſe ad partes tranſmarinas, in quibus pauci fideles reperiuntur, vnde non comprehendit hæc excommunicatio transferentes ſe ad partes tranſmarinas in quibus multitudo fidelium exiſtit. Bonacin. *de Clauſura quæſt.*2. *punct.*4. §. 4. Vide dicenda *c.*18. *num.*99.

Monachi etiam, aut Canonici Regulares, adminiſtrationem aliquam non habentes, non poſſunt ad Curias Principum accedere abſque ſpeciali Prælatorum ſuorum licentia. Imò, ſi vt damnum aliquod Prælatis ſuæ Religionis, aut Monaſterio inferant, ſe conferunt, excommunicationis ſententiam ipſo facto incurrunt. *Clement. ne in agro de ſtat. Monach.* Toletus *in ſumm lib.*1. *cap.*40. *à n.*17. Miranda 2. *to. quæſt.*35. *art.*18. Qui autem accedunt ad prædictas Curias bono animo, & ibi exiſtentes malum concipiunt nocendi ſuis Prælatis, ſecundùm aliquos incurrunt prædictam excommunicationem. Suarez *de Cenſuris diſputatione vigeſima ſecunda, ſectione quinta, numero* 6. Probabile etiam eſt contrarium. Bonacina *in tract. de Clauſura, quæſt.*2. *punct.*5. §.4. Qui benè etiam hanc excommunicationem non incurri, ſi Religioſus accedat animo nocendi priuato Religioſo aut etiam Religioſo alterius Ordinis quantumuis Prælato, nec etiam incurri niſi ſolùm à Monachis, & Canonicis Regularibus, non verò à cæteris Religioſis, cum textus ſolùm de illis non de iſtis loquatur. 33

Prohibitum eſt Religioſis Mendicantibus ſub pœna excommunicationis, adquirere noua loca ad habitandum, vel antiqua alienare, ſeu mutare, abſque ſpeciali Summi Pontificis licentia, à Bonifac. VIII. *in cap. cum ex eo, de exceſſib. prælat.* & *Clem.*5. *in c. cupientes de pœnis.* Propter priuilegium tamen Iulij II. conceſſum Fratribus Minoribus, & Minimis, licitum erat ædificare Monaſteria ſine Summi Pontificis licentia, Miranda *in Man. tom.*1. *quæſt.*33. *artic.*1. Extant quoque varia priuilegia circa hoc, de quibus Miranda *tom.*1. *Man. quæſt.*33. *artic.*2. & 4. Paulus etiam V. in Bulla, *Ad Eccleſiæ militantis*, anno 1605. edita conceſſit noſtris Patribus Carmelitanis Diſcalceatis, vt poſſent vbique de ſola Ordinarij licentia conſtruere Monaſteria, & Patribus Capuccinis in Bulla, *Ad vberes* anno 1606. edita, conceſſit, vt in Regnis Hiſpaniarum poſſent recipere noua Monaſteria ſeruata forma Sacrorum Canonum, & Concilij Tridentini. Inſuper in alia Bulla anno 1608. edita, quæ incipit *Miniſterio* conceſſit Monachis B. Mariæ Fulienſis Ordinis Ciſtercienſis, vt poſſent vbique de ſola Ordinariorum licentia, noua Monaſteria conſtruere. Hæc tamen omnia, & alia Priuilegia reuocata ſunt à SS. D.N. Vrbano VIII. in litteris, in forma Breuis Anno 1624. *tom. Bull. inter Conſtit. huius Pont. num.*25. Vbi omnes licentiæ, & facultates conceſſæ Regularibus erigendi Monaſteria, & loca regularia abrogantur, & annullantur, ſimulque præcipitur, in huiuſmodi locis Regularibus erigendis ſeruari debere Decreta SS. Canonum, & Concil. Trident. & Conſtitutionis Clem. VIII. eiuſdemque Clem. VIII. & Gregorij XV. Decreta, in virtute ſanctæ obedientiæ, ac ſub priuationis vocis actiuæ, & paſſiuæ nec non officiorum quorumcumque, ac inhabilitatis ad illa, & alia in futurum obtinend. necnon etiam excommunicationis ipſo facto incurrendis pœnis. Demum in decretis de celebratione Miſſarum à Sacra Congregatione Concilij iuſſu eiuſdem Sanctiſſimi Domini Vrbano anno 1625. editis præcipitur obſeruantia prædicti Decreti Gregorij XV. de quo poſtea præſertim quo ad numerum 12. fratrum, ita quod nullum Monaſterium recipi poſſit in poſterum niſi in ipſo duodecim fratres degere, 34

ac ex redditibus, & consuetis eleemosynis sustentari valeant *Alioquin talia Monasteria Ordinarij loci visitationi, correctioni, atque omnimodæ iurisdictioni subiecta esse intelligantur*, vide Laurent. de Peyrinis *tom.* 1. *de Priuileg. Minim. in Constitut. Pirrhi* §. 9. *& tomo secundo, in Constitutione* 6. *Gregorij X V.*

35 Quare in erigendis, seu constituendis Monasteriis, aut locis Regularibus in posterum seruandum in primis est Decretum Concil. Trid. *sess.* 25. *de Regular. cap.* 3. scilicèt quòd noua loca non recipiantur *sine Episcopi, in cuius Diœcesi erigenda sunt, licentia prius obtenta.* Deinde, id quòd præcipit Clem. VIII. in Constitutione, Quæ incipit, *Quoniam ad institutam*, anno 1603. 3. *tom. Bullarij inter Bullas Pontificis num.* 99. videlicet: *Locorum Ordinarios non posse licentiam ad nouos Conuentus cuiusque Mendicantium Ordinis in Ciuitatibus, & locis eorum ordinariæ Iurisdictioni subiectis, erigendos impertiri, nisi vocatis, & auditis aliorum in eiusdem Ciuitatibus, & locis existentium Conuentuum Prioribus, seu Procuratoribus, & aliis interesse habentibus, & causa, seruatis seruandis cognita constiterit, in eisdem Ciuitatibus, & locis nouos huiusmodi erigendos Conuentus sine aliorum detrimento commodè sustentari posse.* Similiter debet obseruari Decretum S. Congregationis sub Gregorio X V. quo cauetur, ne aliqua Monasteria de nouo erigantur, nisi eis *saltem duodecim Fratres, aut Monachi, seu Religiosi inhabitare, ac ex redditibus, & consuetis eleemosynis sustentari valeant, ac Priores, seu Procuratores aliorum Monasteriorum, Conuentuum, seu Domorum aliarum Religionum, vel Congregationum, aut Societatum, seu Institutorum huiusmodi non solùm in prædictis, sed etiam in aliis per quatuor millia passuum circumuicinis locis, ad id vocati, & auditi fuerint, ac tali erectioni consenserint, vel alias Ordinariis locorum constiterit Religiosos Monasterij, Conuentus, seu Domus Regularis sic erigendi seu erigendæ absque detrimento Religiosorum in Monasterijs, seu domibus antea in Ciuitatibus, seu locis huiusmodi erectis degentium, ibi in numero duodecim commodè, & congruè manuteneri, & ali posse. Si verò noui Conuentus, Domus, Congregatio, vel societas huiusmodi instituendæ erunt, nullique alij Regulares inibi reperiantur, Ordinarij locorum nihilominus diligenter inquirant, an locorum incolæ, & habitatores quorum, & consensum requirant, ac adhibeant, huiusmodi duodecim Religiosos in Conuentibus, vt præmittitur instituendis, commodè alere, & manutenere valeant.* Laurentius de Peyrinis *tom.* 2. *de priuileg. Minim. circa Constitut.* 6. *Gregor. X V.* Addens ex Rodrig. *tom.* 2. *quæst.* 49. *art.* 9. quod non dicitur acquiri nouus Conuentus quando fit mutatio in eadem Ciuitate, vel oppido, de vno ad alium locum. Quia tunc nullum præiudicium fit aliis Religiosis (nisi fortè per accidens ratione maioris propinquitatis ad illorum Monasteria.) Vide Dianam *tract.* 2. *de Dubiis Regul. Resol.* 136. Et nota appellationem à decretis Ordinarij si fieri contingat in hac materia debere esse ad Sacr. Congregationem Episcoporum, & Regularium, prout habetur in relato decreto sub Gregor. X V. etiam priuatiuè ad quoscumque alios, prout etiam declarauit eadem Sacr. Congreg. 12. Iun. 1643.

Ex decreto etiam S. Congregationis Episcop. & Regular. de anno 1645. pro 11. Aprilis habetur erectionem noui Conuentus non posse fieri per Regulares nisi concurrentibus requisitis iuxta Constitutionem Clementis Octaui, & in particulari quod sit distantia quatuor milliarium quæ debent mensurari per terram & non per aërem, & quod milliare sit mille passuum, & quilibet passus quinque pedum Romanorum conformiter ad mensuram lapidis existentis in Capitolio. Vnde quod duo periti vnus ex qualibet parte debeant mensurare hanc distantiam.

Item pro 17. Ianuarij 1631. admisit eadem S. Congregatio nouum Conuentum sine consensu aliarum Religionum, sed fundatum & dotatum propriis expensis cuiusdam fœminæ, & concessit quod per tres annos vsque dum fabrica finita esset possent ibi esse sex dumtaxat Religiosi. Sed his annis finitis vel ibi collocare duodecim, vel subditos manere Ordinario.

Ac pro 9. Septembr. 1645. concessum est nouum Monasterium Minoribus Conuentualibus in Posnania, *dummodo non quæstent in illa Ciuitate.* Pro cuius decreti obseruantia vidi litteras eiusdem S. Congregationis de anno 1646. pro 5. Octobris ad Illustrissimum Nuntium Poloniæ transmissas.

Deserere etiam Monasteria semel accepta, sine licentia Summi Pontificis fieri non potest ex *cap. vnico de Religiosis domibus, & in cap. cum ex eo de excessibus Prælat. lib.* 6. & est lata excommunicatio contra oppositum facientes. Syluest. *verb. Casus quæst.* 1. *cas.* 8. Ecclesia etiam, siue Monasterium semel Deo dicatum, non potest fieri habitaculum sæculare, seu conuerti in vsus prophanos, nisi forsan in casu alicuius magnæ necessitatis, & de consensu Episcopi Diœcesani. Ita ferè *in cap. quæ semel* 19. *quæst.* 3. & est regula Iuris *c. quod semel dicatum de regulis Iuris lib.* 6. Mirand. *in Man. to.* 1. *q.* 34. *art.* 1. vbi etiam aliqua pro hoc puncto refert priuilegia. Quæ autem bona Monasterij, quod deseritur, & qualiter transferri possint ad aliud Monasterium, tractant Rodrig. *to.* 2. *q. Regul. q.* 49. *ab art.* 4. Laurent. de Peyrin. *to. priuil. Minim. in Constit.* 2. *Iul. II.* §. 27. *à num.* 77. vbi etiam varia Religionum priuilegia afferuntur. 36

Ad hoc intentum deseruit quod S. Congregatio Episcoporum & Regularium de anno 1638. pro 11. Septembris determinauit circa desertionem cuiusdam Monasterij: petentibus enim Patribus Seruitis Ciuitatis Cornetanæ licentiam derelinquendi eorum Ecclesiam & Conuentum existentem extra mœnia d. Ciuitatis, vbi ob aëris grauitatem, celique intemperiem æstiuo potissimum tempore sine vitæ discrimine non valent commorari seseque ideò ad hospitium, quod intus eandem Ciuitatem tenent recipiendi, *hoc tamen seruato, vt prædictam Ecclesiam, & Conuentum tueantur, custodiamque retinendo ibi fratrem oblatum, seu Conuersum qui Ecclesiæ fores quotidie aperiat mane, operiatque sero, ibique onera ex vltimis voluntatibus, vel alia pia dispositione iniuncta, & ad quæ dicti fratres quomodolibet tenentur expleant, solitumque Ecclesiæ solemnem diem, aliasque statas ferias cum debitis diuinis officiis colant, & quousque Oratorium penes dictum hospitium ædificauerint in Ecclesia Confratrum S. Iosephi horas Canonicas persoluant.* Cum autem posteà de anno 1639. pro 9. Septembris reclamarent Minores obseruantes contra prædictum decretum, eadem S. Congregatio per Epistolam Ordinario directam præcepit omnimodam obseruantiam ipsius, & quod fabrica dicti Oratorij esset intra terminos Oratorij, & non Ecclesiæ & cum prohibitione quod ibi non possent recitare

tare diuina officia, nec celebrare Missas nisi solum priuatim, nihilominus quod Missæ Conuentuales & diuina officia publice deberent celebrari in alia eorum Ecclesia dicta de Valuerde. Demum de anno 1646. pro 16. Nouembris & primo Februarij 1647. reclamantibus dictis Patribus, & vniuersitate contra dictos Patres Seruitas quod solum haberent licentiam à S. Congregatione commorandi in illo hospitio tempore æstatis, & illi etiam manerent tempore hyemis, & quod Oratorium illud priuatum in publicam Ecclesiam & hospitium in Conuentum reduxissent, omnino derelicta Ecclesia de Valuerde ac in Oratorio Missam cantasse, audito pro informatione Episcopo eiusdem Ciuitatis, idem Episcopus pro ipsorum fauore ad S. Congregationem rescripsit.

37 Similiter tam dantes, quam accipientes ex pacto pecunias, iocalia, epulas, &c. pro ingressu Monasterij nisi id sponte detur, sunt excommunicati *in extrauag. sane de Simonia.* Toletus *in Summa lib.* 1. *capite* 37. Qualiter etiam non possit aliquid accipi à Parentibus, propinquis, vel Curatoribus Nouitiorum tempore Nouitiatus, præcipit Concil. Trident. *sess.* 25. *cap.* 16. Vide dicenda *cap.* 24. *à num.* 32.

38 Debent Religiosi vinum cum aqua temperatum bibere, ita vt si vinum purum bibant (intellige cum periculo ebrietatis) peccent mortaliter *ex Concil. Generali Lateranensi sub Innoc. VIII. &c. à crapula de vit. & honest. Cleric.* Vbi etiam prohibentur Religiosi in conuiuiis alios ad bibendum incitare. Armilla *verb. ebrietas numero* 7. Laurentius Peirinis *tom.* 2. *priuileg. Minim. in Constit* 6. *Paul. V. numero* 5. Pluries etiam quam ter bibere prohibentur *cap. quando.* Nauarr. *in Man. cap.* 25. *numero* 110. Licet dicat hoc non esse peccatum mortale. Imo nec erit veniale, si vera necessitas oppositum petat. Prohibentur etiam ingredi tabernam *cap. nullus*, & conuiuiari, nisi certis sub conditionibus *cap. conuiuia.* Vnde horum trangressio erit ad minus veniale peccatum, Nauarr. *vt supra* Ebriosi autem puniũtur subtractione à communione per triginta dierum spatium, vel supplicio corporali ex *cap. fin. distinct.* 35. & ex *cap à crapula vt supra* pœna suspensionis ab officio, & beneficio, si à superiori commoniti non abstinuerint. Alderete *lib.* 2. *de Relig. discipl. cap.* 15. *à num.* 36. Vide Augustinum Barbosa *de Offic. & Potestat. Parochi c.* 6. *a num.* 11.

39 Religiosis, sicut & Clericis prohibita est mercatura, seu negotiatio mere lucratiua, videlicet, qua aliquid emitur, vt immutatum carius vendatur, sub pœna excommunicationis, suspensionis, ac dispositionis *ex c.* 2. *extra ne Cler. vel Monach. & c. consequens* 88. *dist. c. penult.* 91. *dist. & c. sed nec extra ne Cler. vel Monach.* Ioann. de Medina *de restit. q.* 30. Molina *de contract. tract.* 2. *disp.* 342. Addens, huiusmodi pœnas non esse latæ sententiæ, sed ferendæ, Monasteriis autem Regularium licitum erit aliquam apothecam habere pro vtilitate ipsorum, in qua per sæculares vendantur, & emantur aliqua, quæ ipsis necessaria sunt, vt si Monasteria habeant aliquod pharmacopolium in quo medicamenta pro ipsis necessaria reseruantur, & ne corrumpantur venduntur, & emuntur per aliquem sæcularem ibi assistentem. Ratio est, quia finis, propter quem prohibita est lucratiua negotiatio Clericis, seu Religiosis, est ne retrahantur à rebus spiritualibus, aut ne implicentur peccatis negotiantium, aut ne attendant ad lucrum temporale. Hæc vero omnia cessant in præsenti, cum talis emptio, & venditio non fiat per ipsos, sed per seculares, nec attendatur ad temporale lucrum, sed solum ad hoc, quod res sibi necessariæ tempore infirmitatis melius conseruentur. Ioannes de Medina *vt supra*, nec dissentit Molina *etiam vt supra, numero* 10. & Nauarrus *in Man. cap.* 25. *numero* 110. §. *clericus vero.* Priuatis autem Religiosis nullo modo licet, nec per alios, huiusmodi negotiationem, aut mercaturam exercere. Tum quia in prædictis capitibus est hoc illis prohibitum. Tum propter magnam indecentiam, & pericula peccandi, præsertim contra Paupertatem Religiosam, quæ in hoc reperiuntur. Vnde sic facientes etiam peccant contra Paupertatem, & sunt proprietarij, quia vtuntur pecuniis modo sibi prohibito, & sine licentia suorum Superiorum, cum non possint illam ad hoc concedere. Vnde esto quod stando in vi prohibitionis Ecclesiasticæ posset Religiosus per alios negotiari pro vt volunt aliqui quos sequitur Diana *Tract.* 8. *de contractibus, & cambiis Resolut.* 72. Stando tamen in iure naturali status Religiosi qui petit nõ implicari negotiis sæcularibus, vacare Deo, fugere pericula contra paupertatem Religiosam, non video quomodo non sit indignum, indecens, & indecorum Religioso negotiari etiam per alios. Fas tamen etiam est Religiosis, emere necessaria ad proprium, suorumque vsum quod solet appellari negotiatio œconomica. Cum hoc nullo iure sit prohibitum, imo Iure naturali concessum pro conseruatione. Secus vero dicendum de negotiatione politica, qua emuntur necessaria exercitui, ciuitati, &c. hæc enim Religiosis est prohibita, *cap. Episcopus* 88. *dist. c.* 1. *& sequent.* 21. *q.* 3. & colligitur ex illo Paul. 2. ad Timoth. 2. *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus*, Medina, & Molina *vt supra.* Vide August. Barb. *de Officio Parochi capite* 6. *à numero* 37.

Quamuis Ludus honestus recreandi animi gratia non sit Religiosis prohibitus. Cum relaxare animos, & dare se festiuæ iucunditati moderatè, vt non semper intendatur Regularis disciplina, sed aliquando remittatur, ad virtutem pertineat, quam Eutrapeliam Sanctus Thomas vocat 2.2. *quæst.* 16. *artic.* 2. Sotus *lib.* 4. *de Iust. quæst.* 5. *artic.* 2. Tamen alearum, seu taxillorum ludus prohibitus est Religiosis in Concil. Illiberitano *c.* 19. Constantinopolit. 6. *c.* 50. *& cap. clerici* 15. *de vit. & honest. cleric.* Vbi etiam prohibentur huiusmodi Ludis interesse. Et Concilio Tridentino *sess.* 22. *de reformat. cap.* 1. Nauarrus *in Man. cap.* 19. *vel* 20. Graffis 2. *parte libro* 3. *cap. octauo.* Quod maxime procedit de Ludo chartarum. Nauarrus *vt supra* Alderete *de disciplin. Relig. lib.* 2. *cap.* 16. *num.* 21. Quod etiam extende ad Ludi spectatores. Rodriguez 2. *tom. quæst.* 37. *artic.* 7. Vide dicta *capite* 6. *num.* 50. *&* 51. 40

Debent Monasteria Regularium habere carcerem, tum ad eorum custodiam, ne ex Religione fugiant, tum in pœnam delictorum siue ad tempus, siue etiam perpetuo, iuxta ipsorum qualitatem. Ita habetur ex Iuris dispositione *cap. Abbates* 18. *quæstio.* 2. *glos. & D D. in cap. si clericos de sen. excom. lib.* 6. Alderete *lib.* 1. *de Relig. discipl. cap.* 10. *num.* 1. *&* 2. Vide etiam dicenda *capit.* 24. *num.* 3. 41

Clericus, seu Religiosus falsus testis, perpetuo deponitur, & in arctum Monasterium recluditur *cap. si Episcopus* 50. *d.* Rodrig. *tom,* 2. *quæst.* 31. *artic.* 1. Periurium etiam est crimen depositione 42

 dignum

dignum. *cap. Presbyter* 81. *disp. cap. cum non ab homine de iudic.* Alderete *lib. 2. de Relig. discipl. c.* 24. *num.* 3.

43 Clericus fur (idem dico de Religioso fure) perpetuo deponitur *cap. cum non ab homine de iudic. cap. Presbyter.* 81. *disp.* & postquam fuerit depositus, in arctum Monasterium erit detrudendus, attenta tamen quantitate, & qualitate furti. Alderete *libro 2. de Relig. discipl. capite* 16. *numero* 8. & 9. Volunt aliqui furem à Religione exterminandum, & eiiciendum, quod durum videtur aliquibus. Rodriquez *tom. 2. quæst.* 38. *artic.* 1. Sed quidquid sit de Iure antiquo. Iure tamen nouo Sacræ Congreg. sub Sanctissimo Domino Nostro Vrbano, nullus eiicitur nisi propter incorrigibilitatem. De quo *in cap.* 23. *num.* 3.

44 Similiter homicida perpetua depositione punitur, & in Monasterium detrusione, *c. miror* 50. *c. Presbyter* 81. *cap. cum non ab homine de Iudic. cap. sicut dignum* 1. §. *clericos de homicidio.* Similiter, qui venenum propinant, etsi homicidium sequutum non fuerit, nihilominus non minori pœna quam homicidæ puniendi. Vide Alderete *lib. 2. de Relig. discipl. c.* 25. *per totum.*

45 Ex Concilio Lateranensi, & Leone X. prohibitum est Religiosis die Sabbathi maioris hebdomadæ pulsare in suis Ecclesiis campanas, antequam campana Cathedralis, vel Matricis Ecclesiæ pulsauerit. Vide Bullam *in tom.* 1. *Bullar.* Laertij Cherub. *tom.* 1. *pag.* 510. Idem etiam probat Gauantus *in Comm. in Rub. Missal. part.* 4. *tit.* 10. in aliis autem diebus non possunt Ordinarij impedire Fratres pulsare campanas ad Matutinum, horas, & Missam, antequam pulsetur campana maioris Ecclesiæ Ex decreto Sacræ Congregat. apud Quaranta *in Summ. Bullar. v. Confessor. pag.* 235. Augustin. Barbos. *de offic. Parochi cap.* 11. *num.* 21. Vide dicenda *tom.* 2. *cap.* 1. *n.* 43. & 44.

46 Deinde ex Concilio Tridentino *sess.* 25. *cap.* 12. *Dies etiam festi, quos in Diœcesi sua seruandos Episcopus præceperit, ab exemptis omnibus, etiam Regularibus. obseruentur.* Quod qualiter sit intelligendum declarauit S. Congregatio Concilij, dicens; Hoc Decretum ita esse intelligendum, vt Regularium ritus illis diebus festis semper permaneat, quoad Missas celebrandas, & cætera diuina Officia tam publicè, quam priuatè, ab ipsis Regularibus in eorum Ecclesiis persoluenda. Nec circa hoc ab Episcopis quoquomodo quidquam in contrarium eisdem Regularibus præcipi posse. Quod si de facto præceperint. Regulares neutiquam ipsis Episcopis obedire teneri. Verum, quoad Conciones, & Lectiones, quas ijdem Regulares ad populum habuerint, debere se conformare Euangeliis, & Epistolis, quibus Clerus secularis vtitur illis diebus festis. Quaranta *in Summ. Bull. verb. priuileg. Regular.* Flau. Cherub. *in Compend. Bullar. 2. tom. in Bulla* 41. *Pij V.* Vide dicenda *tom.* 2. *cap.* 1. *num.* 26. & 43.

47 Item ex eodem Concilio Tridentino *sess.* 25. *cap.* 13. *Exempti autem omnes, tam clerici seculares, quam Regulares quicumque, etiam Monachi, ad publicas processiones vocati accedere compellantur, iis tantum exceptis, qui in strictiori clausura perpetuo viuunt.* An autem possint cogi ab Episcopis per censuras, dicemus *capite vndecimo, numero* 14. Vide etiam Dianam *Tract.* 2. de *Dubiis Regular. Resol.* 76. Sacra etiam Congreg. Concil. declarauit *Regulares Monasterij vltra medium milliare à ciuitate distantes non posse ab Episcopo compelli accedere ad processiones.* Flauius Cherubinus *in compend. Bull. 2. tomo in Bulla* 41. *Pij V.* Vocati autem debent non per edictum publicum, sed personaliter per Clericos. Peyrinis *tomo primo, priuileg. Minim. in Constitut.* 2. *Sixti IV.* §. 11. *numero* 57. Declarauit autem S. Congregatio Concilij processiones publicas, ad quas compelli possunt ab Ordinario Regulares esse; *Vt puta in festo Corporis Christi, in Litaniis, & Iubilæis publicis faciendis in plebibus, in quibus ipsi habent Monasteria, dummodo processiones sint eius generis, quod in Bulla Sanctissimi Domini Nostri Pij V. Mendicantibus concessa,* quæ incipit, *Etsi Mendicantium, publicata* 17. *Kal. Iunij anno* 1567. *comprehendantur: & dummodo Regulares non sint ex illis Conuentibus, Collegia nuncupatis, quæ in eadem Bulla excipiuntur,* Peirinis *tom.* 2. *Priuil. Minim. in Const.* 7. *Pij V.* §. 29. Nota tamen nostros Patres Discalceatos non esse compellendos, vt ad publicas processiones accedant. Ex Clem. VIII. in Bulla *Religiosorum*, anno 1596. & in Bulla *Romanum Pontificem*, anno 1603. & ex Paul. 5. in Bulla *Decet Romanum*, anno 1610. Regulares etiam, qui ex priuilegio eis concesso possunt non ire ad processiones prædictas, non possunt ad id cogi, etiam si sæpius gratis accessissent, Cum ex hoc nullum ius adquiratur contra illos, Quaranta *in Summa Bullar. verb. præcedentia.* Vide dicenda *tom.* 2. *cap.* 1. *numero* 50.

Item ex eodem Concil. Trident. *sess.* 5. *cap.* 1. *In Monasteriis quoque Monachorum vbi commode fieri queat, lectio Sacræ Scripturæ similiter habeatur;* 48
quæ in re si Abbates negligentes fuerint, Episcopi locorum, in hoc vt Sedis Apostolicæ Delegati, eos, ad id, opportunis remediis compellant. In Conuentibus vero aliorum Regularium in quibus studia commode vigere possunt, Sacræ Scripturæ Lectio similiter habeatur; quæ lectio à Capitulis Generalibus, vel Prouincialibus assignetur dignioribus. Dicunt autem satisfieri huic Decreto, si habeatur Lectio Theologiæ, Scholasticæ, vel Moralis, Rodriguez *tom.* 2. *q.* 130. *art.* 2. Peirinis *tom.* 1 *priuil. Minim. in const.* 2. *Iulij II.* §. 5. *num.* 16.

Vide dicenda infra *capite* 11. *à numero* 7. circa ea,
in quibus ex decretis Conciliorum subiecti sunt Regulares Dominis Episcopis. 49
Item circa pœnas, quæ transgressoribus horum Decretorum imponuntur, vide dicenda *cap. sequenti à numero* 29. Et generaliter loquendo nota, quod quæ in Sacris Canonibus Clericis interdicuntur, nisi ex materia, & circunstantiis aliud colligatur intelligenda etiam sunt de Regularibus, qui nomine Clericorum in iis veniunt. *cap. Deus qui, cap. pen. & cap. fin. de vita, & honest. cler. Clem.* 1. *Ne in agro.* §. 1. *de stat. Monach. & Clem. exiit. de verb. signif.* Tambur. *de Iure Abb. tom.* 3. *disput.* 3. *quæst.* 10. *num* 21. Apud quem etiam *n.* 51. de aliquibus quæ secundum antiquos canones Monachis prohibentur, quæ tamen, vel quia non sunt in vsu, vel quia circa illa habent Religiosi priuilegia Summorum Pontificum, vel quia in Pontificiis Constitutionibus postea moderata sunt, non obligant illos.

SVMMARIVM.

Alienare bona Regularibus prohibitum. n. 1.
Sub quibus pœnis & censuris. ibid.
Quid Sacra Congregatio Concilij circa hoc ordinauerit. n. 2.
Quid vlterius à Sacra Congregatione declaratum. numero 3.

Per



CAPVT X.

De obligationibus Regularium ad Constitutiones, & Decreta Summorum Pontificum, & S. Congregationum.

IN primis alienare bona Monasteriorum, seu circa hoc pacta facere, interdictum est Regularibus à Paulo II. in Extrauag. *Ambitiosæ* sub pœna excommunicationis per hæc verba. *Omnium rerum, & bonorum Ecclesiasticorum alienationem, omneque pactum per quod ipsorum Dominium trāsfertur, concessionem, hypothecam, locationem, & conductionem, vltra triennium, necnon infeudationem, vel contractum emphyteuticum, præter quam in casibus iure permissis, ac de rebus, & bonis in emphyteusim ab antiquo concedi solitis & tunc cum Ecclesiarum euidenti vtilitate, ac de fructibus, & bonis, quæ, seruando seruari non possunt, pro instantis temporis exigentia, hac perpetuo valitura Constitutione fieri prohibemus. Prædecessorum nostrorum constitutionibus, prohibitionibus, & decretis aliis super hoc editis, quæ tenore præsentium innouamus, in suo nihilominus robore permansuris.* Postea vero excommunicationis sententiam contra eum qui alienat, & qui alienatas res receperit, fulminat. Prælatum vero alienantem, si Pontificali, vel Abbatiali præfulgeat dignitate ab ingressu Ecclesiæ interdicit; alios vero Prælatos inferiores suis officiis, & dignitatibus ipso facto, absque vlla declaratione, priuatos esse denunciat. Contractusque huiusmodi, quod nullius valoris sint, declarat. Vide Bullam *tom.* 1. *Bullar.* Laertij Cherubini *pag.* 329. Miranda *in Man. Prælat. tom.* 2. *quæstione* 35. *articulo* 18. Postea vero Paul. IV. in Bulla quæ incipit, *Iniunctum nobis* alienationem, & locationem quorumcumque bonorum Ecclesiasticorum in damnum Ecclesiarum, vel non seruatis iuris solemnitatibus, aut alias nulliter factas, rescindit, & annullat. Vide Bullam *tom.* 1. *Bullar.* Laertij *pag.* 719. 1

2 Quia tamen post hæc sunt varia priuilegia Religionibus concessa, de quibus Rodriguez *tom.* 1. *quæst. Regular. quæst.* 27. quale est illud Gregor. XIII. Fratribus, & Monialibus Carmelitarum concessum anno 1576. in Bulla, quæ incipit, *Ex incumbenti*, quod scilicet possent vendere, & alienare quæcumque bona, etiam stabilia, dummodo hoc sit in commodum, & vtilitatem ipsorum Monasteriorum, & ex consensu duarum ex tribus partibus, Fratrum, vel Monialium Monasterij, accedente etiam consensu, ratihabitione Generalis, &c. (vide Bullam *in* 2. *tom. Bullarij* Laertij *pag.* 401.) ideo S. Congreg. Concilij in Decreto iussu Sanctissimi Domini Nostri Papæ Vrbani edito anno 1624. die 7. Septemb. abrogatis omnibus indultis & priuilegiis quomodolibet Religionibus concessis, omnibus Superioribus Regularium; *Omnium rerum, & bonorum immobilium, ac pretiosorum mobilium alienationem, omneque pactum, per quod ipsorum dominium transfertur census perpetuos, seu vitalitios, hypothecam, locationem, & conductionem, vltra triennium, concessionem in feudum, vel emphyteusim, præterquam in casibus à iure permissis, fieri perpetuo prohibet, atque interdicit, absque ipsius Congregationis*

gationis Concilij expressa licentia, in scriptis, & gratis concedenda, sub pœna priuationis omnium Officiorum, quæ tunc obtinebunt, vocisque actiuæ, & passiuæ, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa in posterum obtinenda, quam ipso facto absque alia declaratione incurrant; sublata etiam Generali, & Protectori illam moderandi, aut relaxandi facultate; pœnis nihilominus Apostolicarum Constit. & præsertim fel. rec. Pauli II. Quæ incipit, *Ambitiosæ. in suo robore permansuris. Alienationes vero, & pacta, census, hypothecas, locationes, conductiones, & concessiones quascumque, contra huiusmodi prohibitionem faciendas, Sanctitatis suæ authoritate, ipso iure nullas, atque irritas decernit.* Bonacina *de alienat. bonor. Ecclesiast. disput.* 2. *quæst. vnica punct.* 1. Ex quibus vltimis verbis habetur, contractus factos alienationis sine prædictis conditionibus, & solemnitatibus, esse irritos absque vlla sententia, & declaratione, cum irritatio non sit pœna, sed natura ipsorum posita lege. Vnde, qui hoc modo accepit bona alienata à Monasterio non potest illa in conscientia retinere, nec etiam fructus illorum, sed, si sit in mora restituendi teneri ad damna Monasterij. Molina *tom. 2. de Iust. à disput.* 466. Suarez 4. *tom. de Relig. tract.* 8. *libro* 2. *capite* 27. *numero* 20. & 21. Addens, neque Monasterium posse cedere iuri suo, & bene vt credo, quia hoc est intentum Ecclesiæ propter indemnitatem bonorum Ecclesiasticorum.

3 Post quæ, cum compertum esset Regulares, qui eo Decreto prohibebantur census imponere super bonis ad eorum Monasteria pertinentibus, loco censuum huiusmodi, pecunias, cambium, vel mutuo accipere cum solutione lucri cessantis, damni emergentis. Sancto Domino Nostro approbante decreuit, ac declarauit S. Congregatio, *Huiusmodi contractum esse contra mentem Decreti, vt supra editi, ideoque non licere Regularibus pecunias, vt proponitur, accipere, ac si acceperint in ipsius Decreti pœnas ipso facto incidere* Laurentius de Peirinis *tom.* 2. *priuileg. Minim. in Constit.* 8. *Vrbani VIII.* Quia vero hoc decretum non integre refertur ab hoc Authore, & illud est innouatum nouissime sub anno 1643. die 21. Martij, ideo placuit illud hic apponere, prout extat typis mandatum Romæ, & à D. Paulutio S. Congregationis Secretario subscriptum. *Cum post editum decretum de rebus Regul. non alienan. compertum sit Regulares qui eodem decreto prohibentur census imponere & alios contractus facere super bonis ad eorum Monasteria pertinentibus loco censuum & contractuum huiusmodi, pecunias accipere mutuo etiam sine alicuius lucri solutione, vel ad cambium cum solutione lucri etiam cessantis, vel damni emergentis cum obligatione seu hypotheca bonorum, aut dato pignore. Cumque ex huiusmodi contractibus eludatur mens S. Congreg. cui in primis in votis fuit consulere Religionum indemnitati, quæ ex dictis contractibus plurimum læduntur, Sanctissimo Domino Nostro approbāte decreuit, & declarauit nō licere Regularibus, vt supra proponitur accipere, & si acceperint in ipsius Decreti pœnas ipso facto incidere. Datum Romæ 21. Mart. 1626. quod innouatur hac die 19. Septemb. 1643. Ioannes Baptista Cardinalis Pamphilius. Franciscus Paulutius S. Congregationis Concilij Secretarius.* Idem etiam Sanctissimus Dominus Noster Vrbanus in Constit. *Humanæ salutis* anno 1625. prohibet bona Iurisdictionalia in feudum, vel emphyteusim concedere, aut vltra triennium locare. Vide 4. *tom. Bullar inter Bullas Vrbani num.* 51.

Circa quæ aliqua animaduertenda sunt. Primò per bona pretiosa mobilia hic prohibita alienari, intelligi vasa aurea, argentea, vestes pretiosas, gemmas, &c. Quarant. *in Summ. Bull. verb. alienatio.* Idem censeo de copiosa bibliotheca librorum, grege ouium, vel caprarum, multitudine arborum ferentium, vel non ferentium fructum. Quia hæc omnia quoad æstimationem, comparantur immobilibus. Suarez 4. *tom. de Relig. tract.* 8. *lib.* 2. *cap.* 27. *num.* 18. Secundo, quod venditio, seu alienatio arborum cæsarum ex aliquo prædio, eo quod essent inutiles, aut nociuæ, non comprehenduntur sub isto Decreto. Cum arbores cæsæ sint bona mobilia; & non pretiosa. Nauarr. *lib.* 3. *Consil. de reb. Eccles. non alien. cons.* 6. & 7. Rodriguez *tom.* 1. *quæst. Regul. quæst.* 27. *artic.* 4. Tertio huiusmodi Decretum Sacræ Congregationis obligare, etiamsi alienatio bonorum Monasterij sit aliquādo vtilis. Cum enim per illud abrogentur omnia priuilegia concessa Religionibus, inter quæ hoc vnum erat, quod in casu vtilitatis Monasterij, possent ipsius bona alienari, vt patet ex priuilegio Gregorij XIII. Carmelitis concesso, vt diximus *num.* 2. (vide alia priuilegia quoad hoc concessa Patribus nostris Discalceatis Paulo V.) censendum est, mentem Sacræ Congregationis esse, sine ipsius licentia non posse fieri alienationes adhuc in hoc casu, sed ad illam pertinere iudicare de tali vtilitate. Vnde alienationem esse necessariam, vel vtilem Ecclesiæ, Monasterio, solum est causa iusta ad impetrandum licentiam à Sede Apostolica, vel Sacra Congregatione. Quarto sub bonis immobilibus comprehendi tam res corporeas fixas, & stabiles quam actiones, & iura, vel redditus longi temporis, sed ius diuturturnum ad illud, puta decem annorum. Item iura seu debita rerum immobilium, iam adquisita Monasterio, & ab illo accepta. Suarez 4. *tom de Relig. tract.* 8. *libro* 2. *capite* 27. *numero* 16. & 17. Quinto; quod casus iure permissi, in quibus licita est alienatio sinu vlla Sedis Apostolicæ licentia, posita tamen necessitate, vel euidenti vtilitate Ecclesiæ, sunt. Primus, quando res alienanda est modici valoris, iuxta *cap. terrulas.* 12. *quæst.* 2. Bonac. *tract. de restitut. disput.* 3. *quæst.* 8. *puncto* 4. *numero* 7. Vide & Gauant. *in Man. Episcop. ver alienatio.* Secundus est, consuetudo legitimè præscripta contra Extrauag. *Ambitiosæ*, & idem dico de Decreto Sacræ Congreg. Azor. *lib.* 2. *capite* 9. *quæst.* 1. Tertius est, necessitas tam vrgens, vt non possit expectari licentia Papæ, vt si essent cito redimendi captiui à pyratis detenti, aut pauperes in graui, & repentina necessitate pascendi. Molina *disput.* 468. Quartus, quando bona sunt relicta Religioni incapaci bonorum in communi. Sanchez *in Decalog. lib.* 7. *capite* 26. *numero* 30. & *capite* 27. *numero* 17. Quintus, quando sunt relicta cum tali onere, vt alienari debeant certo tempore, aut casu, aut restitui ex obligatione iustitiæ. Sextus, si bona solita sunt infeudari, aut in Emphyteusim concedi. Rodrig. *tom.* 1. *quæst.* 27. *art.* 13. Molina *disput.* 468. Septimo idem videtur dicendum in casu vnionis Ecclesiæ loco Regulari. Ex *Clement. si vna de reb. Eccles. non alienan.* Sexto nota, quod ea, quæ alienari non possunt, neque etiam possunt pignorari, propter eandem rationem. Molina *tom.* 2. *de contract. disp.* 466. *numero* 1. Septimo, quoad locationem, quod quando prædia alternis tantum annis fructum ferunt, possunt locari in sexennium, & sic respectiue, nam ennus in locatione non taxatur ex simplici decursu temporis, sed ex fructu. Nauarr. 4

tom.

tom. 2. Comm. de alien. numero 21. 22. Azor. *part.* 2. *libro* 9. *capite* 2. *quæstione* 2. Non possunt autem fieri locationes ad sex, vel nouem annos, cum conditione, vt tot sint locationes quot triennia. Quia hoc est in fraudem legis. Filliucius *tract.* 44. *capite* 3. *numero* 9. Pro aliis autem dubiis circa hoc punctum lege Rodriguez *tom.* 1. *quæst. Regul. quæst.* 27. & Quarantam *in Summ. Bullar. verb. alienatio* (animaduertendo tamen hos authores non vidisse Decretum Sacræ Congregationis adductum) Peirinis *tom.* 1. *priuileg. Minim. in Constit.* 9. *Iulij II.* §. 1. Bonacina *de alien. bonor. Eccles. disp.* 2. *q. vnic. punct.* 2. Gauantum *vt sup.* Vide dicenda à nobis *tom.* 2. *c.* 19. *à n.* 54.

4 Bona adquisita à Religiosis ex illicita negotiatione, aut alias contra sacros Canones post mortem illorum, aut quibus, illos etiam eis viuentibus priuari, aut destitui contigerit, spectant tamquam spolia ad Cameram Apostolicam, ita decernit Pius IV. in Bulla quæ incipit, *decens esse.* 2. *tom. Bullar. pag.* 29. ab hac tamen regula excepit idem Pontifex Fratres Milites Hospitalis Sancti Ioannis in Bulla, quæ incipit. *Romani interest.* ibidem *pag.* 42. Quæ autem dicantur bona ex illicita negotiatione, aut contra sacros Canones adquisita, tractat Nauarrus *in Comment. de spoliis.* & Suarez 4. *tom. de Relig. tractatu* 8. *libro* 3. *capite* 2. *numero* 22. vbi hæc recenset, *Omnis mercatura, negotiatio, militare, exercere officium forense,* & similia. Vnde bona adquisita à Religioso contra suam Regulam, vel Constitutiones, non pertinent ad Cameram, cum non comprehendantur in prædicta Bulla. Suarez vt supra *numero* 25. Nec etiam, quæ adquisiuit frater Laicus, vel Conuersus, quia Pontifex solum loquitur de Clericis. Idem *numero* 24. Intelligiturque Bulla de illis etiam bonis, quæ ex illicita negotiatione, & & contra Sacros Canones adquiruntur à Religiosis etiam non Apostatis, sed viuentibus in Monasteriis, aut sub obedientia suorum Prælatorum, cum Pontifex indistinctè loquatur. Idem *numero* 30. Vbi etiam videtur dicere requiri ad huiusmodi restitutionem faciendam Cameræ, quod ipsa petat. In hoc tamen attendenda est consuetudo. Cui autem cedant bona acquisita ab Apostatis dicetur infra *c.* 16. *num.* 21.

5 Pius V. in Bulla, incipit *Cum primum* anno 1566. edita 2. *tom. Bull. inter Bullas huius Pontificis num.* 5. præcipit in virtute sanctæ obedientiæ Religiosis, siue Claustralibus, siue Regularibus, vt in Ecclesiis suis deputent aliquem, qui pauperes mendicantes, seu eleemosynas petentes per Ecclesias tempore Missarum, Prædicationum, aliorumque diuinorum Officiorum, foras eiiciant. Peirinis *tom.* 1. *priuil. Minim. in Constit.* 4. *Iulij II.* §. 1. Barbosa *de offic. Parochi c.* 13. *n.* 37.

6 Idem Pius V. in Bulla, quæ incipit, *De salute gregis* ann. 1567. edita, & habetur 2. *tom. Bullar.* Laert. Cherubini *Bulla* 48. præcipit omnibus Clericis tam Regularibus, quam sæcularibus beneficia Ecclesiastica obtinentibus, vel in sacris Ordinibus constitutis, sub excommunicationis pœna, ne agitationibus taurorum, aliarumque ferarum bestiarum intersint. Licet autem huius Constitutionis pœnæ, & censuræ in Regnis Hispaniarum, quoad laicos, & Fratres Milites quarumcumque Militiarum, reuocatæ sint à Greg. XIII. quoad Religiosos tamen in suo vigore permanent. Eo vel maximè, quod Clem. VIII. anno 1596. id expressè declarauit, tollendo, & remouendo illas, quoad omnes in illa expressos (*Monachis, & Fratribus Mendicantibus, cæterisque cuiuscumque Ordinis, & instituti Regularibus exceptis*) Rodriguez 3. *tom. quæst. Regul. quæst.* 68. *art.* 2. Prosper de August. *in additionibus ad Quarantam in Summ. Bull. vers. torneamenta.* Obligat autem hæc Constitutio, etiam in casu quo Religiosus posset interesse simili spectaculo sine aliquo scandalo, aut nota. Quando enim lex est de se iusta, & honesta, etiam secluso scandalo, obligat ad sui adimpletionem. Rodriguez *tom.* 3. *quæstio. Regul. quæst.* 68. *articulo* 2. Flau. Cherub. *in comp. Bullarum tom.* 2. Comprehendit etiam hæc Constitutio Religiosos in sacris Ordinibus non existentes. Ratio est, quia licet à Pio V. sint exclusi, tamen à Clement. VIII. (vt patet ex verbis adductis) videntur comprehendi. Rodriguez *quæst.* 68. *articulo* 2. Cum autem huiusmodi excommunicatio non sit ipso facto incurrenda, sed comminatoria, non incurritur ipso facto à Religiosis huiusmodi agitationibus assistentibus, peccant tamen mortaliter, cum excommunicatio maior etiam ferenda, necessario illud supponat. Eò præsertim, quod non solum sæculares scandalum ex eo capiant, sed & ipsa taurorum agitatio pluribus videatur barbara, & gentilis cõsuetudo, iure optimo à pia, & Catholica Hispania releganda, quæ felicius, & fructuosius milliaria hominum, & equorum, qui in istis congressibus occiduntur, in Fidei dilatationem contra infideles exponeret.

Hinc collige solutionem dubij, an assistere Comœdiis (idem dico de aliis Spectaculis Scænicis, Ludicris, & Hystrionicis) Religiosos, sit peccatum mortale? Sub distinctione enim loquendum est. 7
Nam vel talia Spectacula res lasciuas, turpes, aut impudicas continent, aut non. Si primum, vix excusari possunt à mortali Religiosi, similibus spectaculis assistentes. Tum ratione scandali, quod sæpius interuenit; tum ratione periculi lapsus, quod sæpius etiam continget; tum, quia etiam iis cessantibus ratione Voti Castitatis tenentur huiusmodi obscæna fugere, & detestari. Vnde Ecclesiasticis prohibitum est similibus nugis interesse *de Consecrat. disp.* 5. *capite non oportet* 2. *& capite Clerici* 2. *de vit. & honest. Clericor.* Optimè etiam in Constitutionibus Religionum id etiam est vetitum, vt in nostris *part.* 3. *capite* 6. *numero* 8. Rodriguez *tom.* 3. *quæst. Regul. quæst.* 68. *artic.* 6. Casu tamen quo cessaret scandalum, nec esset periculum lapsus nec prohibitio specialis Religionis ad mortale obligans, si Religiosus prædictis spectaculis assisteret, non ex affectu, aut delectatione ad res lasciuas, & venereas, quæ ibi aguntur, sed ob solam vanam curiositatem, excusaretur à peccato mortali. Sanchez *lib.* 9. *de Matr. disp.* 46. *num.* 41. Bonac. *de Matrim. quæst.* 4. *punct.* 9. *num.* 21. & 2. 2. Quando vero talia spectacula non sunt de rebus turpibus, aut inhonestis, sed continent Historias diuinas, aut humanas, aut etiam fabulas, & figmenta Poetarum, tunc est indifferens ex natura sua illis assistere, atque adeo sine peccato possunt illis Religiosi interesse, seclusis circumstantiis scandali, periculi lapsus, prohibitionis, &c. S. Thomas 2. 2. *q.* 168. *art.* 3. *ad* 3. Vide à nobis dicta. *de reformat. Regul. c.* 9. *n.* 12.

Regulares, qui (quod absit) nefandum crimen exercent, omni priuilegio clericali. omnique officio, dignitate, & beneficio Ecclesiastico priuantur, & per Iudicem Ecclesiasticum degradati potestati seculari traduntur. Ita Pius V. in Bulla, quæ incipit, *Horrendum illud*, anno 1568. edita *in* 2. *tom. Bullar. n.* 72. Num autem qui vna, vel altera 8

vice

vice in hoc peccatum incidit, his pœnis subiaceat? Quidam aiunt, quidam negant. Vtrumque probabile. Et pars negatiua satis probatur ex illo verbo *exercentes*, quod Pontifex ponit in Bulla, importat enim multiplicationem actuum. Nauarrus *in Man. capite* 27. *numero* 249. Licet alij dicant oppositum, & hoc declarasse ipsummet Pium V. Flauius Cherubinus *in* 2. *tom. Bull. sup. istam Bullam* Prædictæ etiam Constitutionis dispositio extenditur ad eum, qui fœminam præpostera venere cognouerit, vel bestialitatis peccatum commiserit. Prosper de Augustino *in addition. ad Quarant. in Summ. Bullar. verb. Sodomia*. Vide alia à nobis dicta supra *capitulo quinto n.* 11. 12. *&* 13.

9 Prohibitum est viris Religiosis admittere intra eorum clausuram, seu permittere in eorum Monasteria fœminas, cuiuscumque status, & conditionis existant. Primo ex Motu proprio Pij Quinti edito anno 1570. qui incipit. *Regularium personarum*. Secundo ex alia Constitutione Greg. XIII. quæ incipit, *Vbi gratia*. Quamuis enim in illis solum videatur prohibitum ingredi fœminas Monasteria virorum, aut Religiosos illas admittere virtute, & prætextu aliquorum indultorum, seu facultatum, tamen etiam extenditur ad eos, qui permittunt illas quomodolibet intrare, etiam sine prætextu, aut virtute alicuius facultatis, seu indulti. Tum quia Pius Quintus hanc esse suam mentem declarauit in alia Constitutione, quæ incipit, *Decet Romanum Pontificem* anno 1570. quam refert Confectius *in priuilegiis Ordinum Mend. fol. mihi* 147. vbi explicans suum priorem Motum proprium declarat, mentem suam, & intentionem esse fuisse, *quod dictæ litteræ non solum comprehenderent mulieres habentes, & prætendentes facultatem, & indulta ingrediendi Monasteria, seu etiam omnes, & quascumque Mulieres alias, tam in genere, quam in specie*. Tum quia ipse Gregorius Decimus tertius explicuit isto modo suam mentem, vt refert Villaguta *tractatu de Vsuris quæst.* 35. *numero vlt.* Tum etiam, quia ita praxi receptum est in Pœnitentiaria Rom. (quod pro lege haberi debet, maximè cum agatur de interpretatione Sanctionis Apostolicæ) Nauarrus *in Summ. lat c.* 27. *n.* 105. *excomm.* 61. Azor. *tom.* 1. *Instit. mor. lib.* 13. *cap.* 8. Vnde Suarez. 4. *tom. de Relig. tract.* 8. *lib.* 1. *c.* 7. *n.* 9. propter hanc Constitutionem Pij Quinti retractat, quod alibi dixerat, scilicet in priori Constitutione eiusdem Pij Quinti solùm prohiberi ingressum fœminatum in Monasteria virorum prætextu, facultatum obtentarum.

10 Possunt tamen permitti intrare in Monasteria Religiosorum puellæ paruulæ, non obstante prædicta prohibitione Pontificum. Eo quòd finis illorum est, ne detur Religiosis occasio impudicitiæ, quod cessat in paruulis puellis. Rodriguez *in excomm. posit. Mot. propr. Pij Quinti numero* 12. Sanchez *lib.* 6. *in Decal. capite* 17. *num.* 4. Idem dico de Imperatricibus, aut Reginis, saltem quando intrant Monasteria non occultè, sed magno comitatu, & ex bono fine. Cum enim Pontifices non fecerint in prædictis Bullis mentionem de illis, credendum est noluisse ipsas comprehendere. Rodrig. *tom.* 1. *q. Regul. q.* 48. *art.* 1. Sanchez *lib.* 6. *in Decal. c.* 17. *n.* 5. Qui etiam extendit hoc ad filias Imperatricũ, & Reginarum. Quia nomine Reginarum censet cõprehendi. Fundatrices autem Monasteriorum, quantumuis nobiles sint, & excellentes comprehenduntur sub ista prohibitione. Quia hoc creditur fuisse intentum. Pij V. in suo Motu proprio. Ideo enim in eo expressit Ducissas, & similes, quia hæc solent esse fundatrices. Rodriguez *in exposit. huius Mot. propr. n.* 3. Similiter causa medendi Monacho graui morbo laboranti, intrare potest fœmina in Monasterium, si infirmitas solum per ipsam curari, possit, nec Religiosus possit extrahi foras. Quia lex humana non est accipienda in tam graui necessitate. Rodrig. *tom.* 1. *q. Regul. q.* 46. *art.* 7. Sanch. *lib.* 6. *in Decalog. cap.* 17. *num.* 30.

Nomine Monasterij, in quod fœminis ingressus interdicitur, solum intelliguntur ea, quæ sunt intra septa Monasterij. Quia ea proprie sunt Monasterium, vel partes illius. Nauarrus *lib.* 1. *cons. in* 1. *edit. tit. de Regular. cons.* 16. *in* 2. *lib.* 5. *tit. de verb. signific. cons.* 5. Hinc prædia, domus, horti, seu vineæ Religiosorum ab illorum Monasteriis separata non comprehenduntur prædicta prohibitione. Rodriguez *in expos huius Motus proprij numero* 1. Secus vero horti, vel viridaria, quæ in ipsis Monasteriis esse solent, etiam si habeant ianuam, per quam, absque claustrorum ingressu, in illa intrari possit. Quia ista reuera sunt partes Monasterij, & communiter sic habetur in praxi. Sanchez *lib.* 6. *in Decalog. cap.* 17. *numero* 15. Idem dico de Sacristiis Ecclesiæ immediate contiguis. Propter eandem rationem. Licet in hoc, si scandalum, & perturbatio Religiosorum absit, sitque contrarium vsu receptum propter audiendas confessiones, possit tolerari. Rodriguez *in exposit. prædicti Motus proprij numero* 14. Sanchez *lib.* 6. *in Decalog. cap.* 17. *num.* 17. Addunt alij, quod Sacristiæ, ad quas non est aditus per claustra Monasterij sed per Ecclesiam non sint subiectæ clausuræ. Bonacina *de Clausur. quæst.* 5. *punct.* 1. Monasteria vero nondum fabricata, sed fabricari incepta, vbi non est communitas Religiosorum, sed tantum aliquis, vel aliqui pro fabrica, non comprehenduntur sub prædicta prohibitione. Quia illa verè non sunt Monasteria. Sorbus *in priuileg. mendic. verbo ingress. Monial. numero* 11. Pro quo extat declaratio Cardinal. quam refert, Quaranta *in Summ. Bullar. verb. Monast.* affirmans, idem dici debere de domibus, seu infirmariis in ciuitate positis, cum nec Ecclesiam, nec Couentum habeant. Secus de Prioratibus, quos habent aliquæ Religiones Monachales, quia sunt Monasteria, & habent clausuram. Sanchez *lib.* 6. *in præcepta Decal. lib.* 17. *n.* 21. 11

Præterea licitus est ingressus fœminarum in claustra Religiosorum (illorum scilicet, qui habent communicationem generalem priuilegiorum aliarum Religionum quarumcumque.) Quando in eis Missæ, & alia Diuina Officia celebrantur, ac cum Processiones fiunt, & quando Christifidelium cadauera ibi sepeliuntur, ac etiam pro eis suffragia fiunt. Similiter quando diuinum verbum in claustris Monasteriorum, & Regularium locorum huiusmodi proponitur, vel per aliam quamcumque causam tantus concursus populi fuerit, quod commodè ingredi non possint, & egredi per portam Ecclesiæ, perpetuo concedimus, vt dictæ mulieres vna cum aliis secularibus personis possint ingredi, & egredi per portam claustri Monasteriorum, & locorum Regularium huiusmodi, dummodo recto tramite accedant ad portam, qua exitur è Monasterio, sicque volumus pariter, & indulgemus. Ita ad verbum Pius V. in dicta Constitutione *Decet Romanum Pontificem*. Quæ licet fuerit data intuitu, & fauore Cõgreg. Montis Virginis, postea ab aliis Religionibus acceptata est, ob communicationem priuilegiorum, vt credo. Rodriguez etiam infra citandus refert simi- 12

lia

lia declaraſſe Pium V. viuæ vocis oraculo. Sed quia, vt diximus *cap. 3. num. 21.* Viuæ vocis oracula omnia his temporibus abrogata ſunt, ſaltem quatenus continent nouam conceſſionem, ideò ſolùm videtur ob communicationem priuilegiorum cum dicta Congregatione Montis Virginis, prædicta ab aliis Religionibus acceptata eſſe. Niſi dicamus cum Portello *in Reſponſionib. Moral. caſu 13. num. 13.* hoc viuæ vocis oraculum eſſe meram declarationem, ac per conſequens non eſſe reuocatum à Gregor. XV. & Vrbanus VIII. quia ipſi ſolùm reuocarunt ea viuæ vocis Oracula quæ continent nouam gratiam, aut priuilegium, non quæ continent declarationes, iuxta dicta *ſuprà cap. 3. num. 21.* Circa quæ animaduertendum eſt primò, non poſſe Prælatos prædictarum Religionum inſtituere Proceſſiones, vel officia Diuina extraordinaria ad eum finem, vt mulieres ingrediantur eorum clauſtra. Quia hoc eſt contra intentum Pontificum. Secundò non poſſe ingredi prædictas mulieres, quando ſunt celebrata iam, aut poſtea celebranda prædicta Officia, niſi in hoc ſit parua mora temporis. Quia iſta conceſſio ſolùm procedit de tempore, quo celebrantur. Tertiò, quòd etiam poſſunt ingredi prædictæ fœminæ, quando intra aliquod Sacellum illius clauſtri ob alicuius potentis deuotionem celebratur Miſſa. Quia tunc celebratur Diuinum Officium. In his tamen laudabilis vſus retinendus erit, & abuſus vitandus. Rodriguez *tom. 1. quæſt. 48. art. 3. & in expoſ. Mot. propr. Pij V.* Sanchez *lib. 6 in Decal c. 17. n 22.* Quartò adiungunt aliqui licere hunc ingreſſum, quando in clauſtro datur habitus alicui Nouitio; ſed non credo hoc licere, cum non comprehendatur hic caſus in aſſignatis à Pio V. Laurent. de Peirinis *tom. 1. priuileg. Minim. in Conſt. 6. Iulij II. n. 14.* Nec dare habitum Nouitio ſit diuinum Officium. Bonacina *de Clauſur. q. 5. punct. 4. n. 10.* Qui aliter docet dum datur profeſſio.

13 Pœnæ autem, quas incurrunt Religioſi admittentes fœminas in ſua Monaſteria, ſunt, *priuationis Officiorum, quæ in præſenti obtinent, & inhabilitatis in poſterum ad illa, & alia omnia, & Suſpenſionis à Diuinis ipſo facto, ſine alia declaratione incurrendis pœnis.* Ita Pius V. in ſuo Motu proprio. Præterea Gregor. XIII. addit priuationem dignitatum, & beneficiorum, & inhabilitatis ad illa, & excommunicationem Pontifici reſeruatam. Rodriguez *tom. 1. quæſt. Regul. q. 48. art. 1.* Sanchez *lib. 6. in Decalog. c. 17 à n. 33.* Quomodo autem iſtæ pœnæ, & aliæ ſimiles intelligi debeant, & quis poſſit in illis diſpenſare dicemus in hoc *cap. à n. 29.*

14 Sixtus V. in Bulla *Cum de omnibus* anno 1587. edita prohibet, *ne quis Regularis ex vna Prouincia ad aliam Prouinciam ſui Ordinis tranſeundo etiam in itinere intra aliquod Monaſterium, domum, vel locum alterius Prouinciæ ad habitandum, vel tanquam hoſpes recipi, aut ad modicum tempus diuertere poſſit, niſi à Superiore eius loci, vbi reſidet, expreſſam licentiam diſcedendi in ſcriptis obtentam, ſeu litteras obedientiæ, vel commendatitias, ſecum deferat, atque exhibeat, vel niſi ita cognitus ſit iis, ad quos diuerterit, vt de eius perſona nullus omninò dubitationi, aut ſuſpicioni locus relinquatur.* Præcipit etiam ne recipiantur tales Fratres ſub grauiſſimis pœnis ibi aſſignatis. Poſteà verò in alia Bulla eiuſdem Pontificis ann. 1588. edita, quæ incipit, *Ad Romanum Pontificem*, ſic prædicta declarat: *Dum interdicimus, ne quis Regularis alterius Prouinciæ, intra aliquod Monaſterium, Domum, vel locum alienæ Prouinciæ, etiam tanquam hoſpes, & ad modicum tempus recipi poſſit, niſi à Superiore loci, vbi reſidebat, & à quo diſceſſit licentiam expreſſam in ſcriptis, exhibuerit, vel niſi ſatis cognitus ſit, id obſeruari volumus non ſolum in Religioſis itinerantibus de vna in aliam Prouinciam, ſed in iis quoque, qui proficiſcuntur de vno in aliud eiuſdem Prouinciæ Monaſterium, tam ſui, quam alterius Ordinis. Quòd ſi dicerent ſe ad Apoſtolicam Sedem confugere ob grauamina à ſuis Superioribus ſibi illata, & ideò ab ipſis Superioribus licentiam, & litteras obtinere non potuiſſe, non propterea vllo modo recipi valeant, niſi fide dignorum teſtimonio de petita ab eis licentia, & per ſuos ſuperiores denegata conſtiterit.* Laurent. de Peirinis *tom. 1. priuil. Min. in Conſt. 13. Leon. X. §. 1.* Quaranta *in Summ. Bullarij verb. Monaſteria.*

Deinde Religioſi Romam venientes ſine licentia legitima, aut ſine litteris ſuorum Superiorum, ex Sixto V. in Bulla citata, *Ad Romanum Pontificem*, non ſunt recipiendi, ſed remittendi ad Congregationem Eminentiſſ. Cardin. vel Dominos Protectores, vt ipſis auditis, quid agendum ſit, ſtatuatur. Ex decreto autem S. Congreg. ann. 1587. debent remitti ad ſuos Superiores ſeueriori pœna plectendi. Quaranta *in Summ. Bullar. verb. Monaſteria.* 15

Circa illos autem hæc præcipit Clem. VIII. in Decretis pro reformatione Regularium approbatis à S. Congregatione SS. D. N. Vrbani VIII. iuſſu. *Nullos Fratres Romam venire Superiores permittant, niſi prius à Generali, vel Protectore dumtaxat, licentiam in ſcriptis impetrauerint. Si quis autem ſine huiuſmodi facultate Romam venire præſumpſerit, voce actiua, & paſſiua biennio priuatus exiſtat, ſubiturum etiam alias arbitratu Superiorum infligendas pœnas. Quæ item omnia aduerſus eos, qui ſupradictos admiſerint, & receperint, ſine vlla exceptione locum habeant.* Poſtea extenditur facultas concedendi hanc licentiam, etiam Prouinciali, *ex cauſa communi totius Prouinciæ dumtaxat*, & declaratur prædictam pœnam priuationis vocis actiuæ, & paſſiuæ *Sanctitati ſuæ reſeruatam eſſe.* 16

Prohibitum etiam eſt Religioſis recurrere ad perſonas extra ſuam Religionem, pro conſequendis honoribus, dignitatibus, aut gratiis in ipſa. Primò enim id prohibuit Fratribus Prædicatoribus S. Dominici ſub pœna inhabilitatis ad illa, & ſimilia, vel maiora conſequenda. Gregor. XIII. in Bulla *Cum nihil magis*, & habetur *2. tom. Bullar. n. 62.* Ampliauit hoc Clemens VIII. in alia Bulla *Relig. viros* anno 1592. edita, confirmando Decretum Capituli Generalis eiuſdem Ordinis, & hoc ipſum præcipiendo in virtute ſanctæ obedientiæ. Deinde idem Clemens VIII. in alia Bulla *Quoniam nemo* 1593. Idem prohibet Carmelitis per hæc verba. *Omnes, & ſingulos Fratres dicti Ordinis cuiuſcunque ſtatus, gradus, conditionis, & præeminentiæ, qualitatis, & dignitatis exiſtentes, qui de cætero ad Prælaturas, gradus, honores, dignitates, adminiſtrationes, functiones, & alia officia dicti Ordinis aſſequenda intenti, ad Principum, & Prælatorum, atque aliarum quarumcumque perſonarum tam ſæcularium, quam Eccleſiaſticarum de gremio dicti Ordinis non exiſtentium, etiam Cardinalatus honore, & quacumque ſæculari dignitate, & excellentia, etiam Imperiali, Regali, & Ducali fulgentium fauores recurrerint, vel etiam pactis, pollicitationibus, aliiſque viis, directè vel indirectè, palàm vel occultè ad Prælaturas, gradus, honores, dignitates, adminiſtrationes, functiones, & alia officia prædicta obtinenda aſpirauerint, vel aliis minimè legitimis, & honeſtis rationibus ea obtinere quæſiuerint, aut etiam ſpontè oblatis, & minimè* 17

conquisitis vsi fuerint illorumque complices, & fautores ad quascumque Pralaturas, dignitates, & officia, gradusque, honores, administrationes, & munera in ipso ordine obtinenda perpetuò inhabiles declaramus, ac obtentis per eos Pralaturis, gradibus, honoribus, dignitatibus, administrationibus, functionibus, & officiis huiusmodi eò ipso priuamus; ac priuatos voce tam actiua, quàm passiua carere decernimus, & declaramus. Iure autem optimo huiusmodi intercessiones prohibitæ sunt Religiosis, quia per illas maximum damnum Obseruantiæ Religiosæ accidit sæpiùs. Vnde illas quoque prohibet idem Clemens VIII. Camaldulensibus in alia Bulla anno 1596. edita, quæ incipit, *Ambitiosam*, & Hieronymianis, in alia, quæ etiam incipit, *Ambitiosam* anno 1600. edita, & Cruciferis in alia, quæ incipit, *Quoniam nemo* anno 1604. & Augustinianis in Bulla eodem titulo, & anno edita. Et Paulus Quintus Canonicis Regularibus Sancti Saluatoris in Bulla edita anno 1607. *Quoniam nemo*, & Augustinianis in Bulla *Admonemur* anno 1608. & Cælestinis in Bulla *Quoniam nemo* anno 1616. Et Fratribus Minoribus de Obseruantia anno 1619. in Bulla *Admonemur, 4. tomo Bullar.* inter Bullas Pauli Quinti *n.* 16. & Minoribus Conuentualibus simili modo *n.* 18. Specialiter etiam idem Paulus Quintus in Bulla *Admonemur* anno 1608. edita, præcipit Fratribus Ordinis Prædicatorum in virtute sanctæ obedientiæ, & sub excommunicatione latæ sententiæ Papæ reseruatæ, ne ad fauores extra Religionem recurrant pro se, vel aliis ad effectum consequendi officiũ Generalis, vel aliis minùs legitimis viis, & modis illud obtinere quærant. Insuper idem Paulus Quintus in Bulla *Admonemur*, prohibet idem Minimis Sancti Francisci de Paula 4. *tomo Bullar.* inter Bullas Pauli Quinti *numero* 19. Tandem idem Paulus Quintus in Bulla anno 1613. edita, quæ incipit, *Aliàs per nos*, prohibet recursum ad fauores extra Religionem Monachis Cisterciensibus Congregationis Italiæ in virtute sanctæ obedientiæ, & sub excommunicationis latæ sententiæ pœna. Vide dicenda *c.* 15. *n.* 27. *& c.* 18. *num.* 82.

18 Sacra Congregatio Romæ 12. Ianuarij 1604. statuit, & declarauit, Quibusuis Regularibus quorumcunque Ordinum, & Congregationum, tam Mendicantium, quam non Mendicantium, nullo modo licere, etiam specialis alicuius consuetudinis prætextu, Parochiam cum Cruce processionaliter, aut aliàs ad efferenda, & leuanda defunctorum funera intrare, vel illa leuare, & efferre, nisi vocato, & expectato proprio defuncti Parocho, eoque ibidem præsente, si tamen ipse aliter fieri non consentiat, & permittat, vel nisi requisitus venire expresse omnino recuset. Quaranta *in Summa, Bullarij verbo priuileg. Regul.* Vide dicenda *tom.* 2. *cap.* 1. *num.* 31.

19 Regulares debent Crucem ferre in Processionibus cum velo, seu panno. Deferri debet tabernaculum SS. Eucharistiæ non Sacerdotum humeris, sed manibus tantum celebrantis. Quod probat Gauantus *in Comm. in Rubr. Missal. tom.* 1. *p.* 4. *tit.* 10. *&* 12.

20 Præterea Clem. VIII. in Decretis pro reformatione Regularium, quæ habentur inter Bullas huius Pontificis 3. *tom. Bullar. num.* 60. & postea confirmata sunt à S. Congregatione Concilij, iussu SS. D. N. Vrbani in Decreto de Regularibus Apostatis, & eiectis anno 1624. sic habet, inter alia Decreta, quæ nos sparsim suo loco in hoc opere collocamus. *Nullus omninò prætextu cuiuscunque priuilegij; vel superioritatis, etiam Generalatus à seruitio Chori censeatur immunis, nisi pro tempore, quo quis in proprij Officij munere actu fuerit occupatus. Cum Lectoribus autem, & Prædicatoribus, Superiores, iis tantum diebus quibus, eos legere, aut prædicare contigerit, dispensare possint; Idem quoque præstare valeant cum ægrotis, & studiorum causa legitimè impeditis. In eos vero, qui negligentes, aut inobedientes fuerint, salutari pœnitentia Superiores animaduertant ad præscriptum Regulæ, & Constitutionum, alimenti etiam, si opus fuerit, subtractione.* Ægroti in hoc Decreto intelliguntur, tam temporanei, quam perpetui, & Religiosi valde senes *l. Prætor. ff. de vac. & excommun. & ex l. semper ff. de iure imm.* Similiter per eos, qui *studiorum causa* sunt impediti, intelligi debent, qui imprimendis libris pro bono Ecclesiæ, vel Religionis occupantur. Laurentius Peirinis *tomo* 2. *priuileg. Minim. Constitut.* 10. *Vrbanus VIII. numero* 3. *&* 4. Item, Lectio sacræ Scripturæ, vel casuum Conscientiæ, bis in hebdomada, præscriptis diebus, in singulis Monasteriis, & Conuentibus habeatur, ad quam Fratres omnes conueniant, eaque absoluta, mutua collatione circa explicatam doctrinam sese vtiliter exerceant. Vide dicta *cap. præcedenti numero* 48. Item, Cellæ, seu ædiculæ, quæ extra dormitorium separatim sunt, ad officinas, aut aliàs ad communem vsum, & commoditatem Conuentus redigantur. Item, Sigillatim suo quisque lecto cubet, neque vllibi duo eodem lecto dormire possint, qui omnes ad certam formam redigendi erunt. Vide dicta, *cap.* 5. *num.* 15. Item, In priuatis cellis nulli camini permittantur; sed omnes obstruantur statim, cardinibus etiam è parietibus conuulsis, vt res illa non ad tempus facta, sed perpetuo duratura videatur; cellis tamen Generalis, aut alterius Superioris, ac Prædicatoribus exceptis. Item Conuentus fenestræ omnes, quæ in vias publicas, aut in vicinas laicorum ædes prospiciunt, muro ita obstruantur, vt omnino iis prospectus impediatur. Item Valetudinarium in singulis Conuentibus certo, ac salubriori loco constituatur, quod pro loci situ, ac Fratrum numero, quoad fieri poterit, commodissimum esse possit, in quo Fratres omnes, cum ægrotabunt, curentur, nec inde, nisi recuperata sanitate, abire permittantur. Qui verò infirmorum curæ præpositi sunt, omni sedulitate, ac charitate operam suam præstabunt, ac curabunt, ne quid ægrotis omninò desit, quod ad sanitatem recuperandam pertineat. Item, Curent Superiores, vt Constitutio interdicens largitiones munerum, & præscribens hospitalitatis formam, ab omnibus in quolibet Conuentu inuiolabiliter obseruetur. Circa hanc Constitutionem vide dicta *cap.* 6. *n.* 52. 53. 54. *&* 55. Item, Eligantur in Capitulo Generali, ac Prouinciali aliquot graues, & periti ex Fratribus cuiuslibet Prouinciæ, saltem tres, qui admittendos ad prædicationem Verbi Dei, vel ad audiendas confessiones, etiam ipsorum Fratrum, ac Lectores publicos diligenter simul examinent, priusquam probentur, & ad huiusmodi ministeria admittantur. Horum etiam curæ sit, examinare, & probare, tam quoad doctrinam, quàm quoad mores, promouendos ad quoscunque Ordines, in quo seruetur Decretum, Congregationis Interpretum sacri Concilij Tridentini, hac de causa nuper editum, & promulgatum. Hoc Decretum puto esse illud, quod nos afferimus *c.* 14. *à num.* 12. Item, Illud porrò Superiores omnes in Domino admonemus, vt memores sint rationis, quam

quam in nouiſſimo die reddituri ſunt, pro grege ſibi commiſſo, ac propterea omni ſtudio inuigilent, vt quæ in eorundem Ordinum Regulis, & Conſtitutionibus, de Oratione mentali, ſilentio, ieiuniis, Capitulo culparum, aliiſque ſpiritualibus exercitiis, prudenter, ac piè ſancitæ ſunt, ea omnia, & ſingula ad vnguem obſeruentur intelligantque ſuper his, veluti fundamentis, omnium Religionum ædificia conſtruenda & amplianda eſſe, quæ vt faciliorem exitum ſortiantur, & fructus vberiores in animis Fratrum producant, valdè opportunum erit, ſi in quolibet Conuentu, ſingulis hebdomadis habeatur Sermo de Religioſa diſciplina, Regularique obſeruantia. Conſonant ea, quæ adduximus ex Concilij Trident. *ſuprà cap. 7. num. 28.* Item, Quò verò omnia ordinatè peragantur, appendatur tabella in loco conſpicuo vniuſcuiuſque Conuentus, in qua diſtinctè adnotetur, quid ſingulis horis cuiuſque diei quilibet Frater præſtare debeat, vt certo quoque ſigno præmonitus, maiore animi præparatione ſuo muneri ſatisfacere poſſit. Quæ Ordinis Conſtitutiones his Decretis non aduerſantur, inuiolatè cuſtodiendæ erunt.

21 De mandato etiam eiuſdem Clem. VIII. anno 1601. die 17. Aprilis factum fuit edictum à Congregat. Regularium, quo præcipiebatur regularibus ſub pœna priuationis officiorum, ne retinerent bannitos, & decoctores, ſeu fallitos. Pro quo etiam extant quædam litteræ Cardinali de Florentia ad Vicarium Archiepiſcopatus Genuenſis, & ad Nuncium Neapolitanum. Scortia *in Selectior. Bull. theorem.* 357. Laurentius de Peirinis *tom. 2. priuileg. Minim. in Conſt. 4. Clem. VIII. à num. 5.* Addens quòd ſi quis regularis reciperet, aut retineret in ſuo Conuentu bannitum aliquem propter homicidium ſine dolo commiſſum, ſeu non facinoroſum, non incurreret prædictas pœnas, quæ ſolùm contra receptatores facinoroſorum impoſitæ ſunt. Cautè tamen in hoc procedendum.

22 Qui Miſſas celebrant in gradu Sacerdotij non conſtituti, aut Confeſſiones audiunt fingendo ſe Sacerdotes, non ſolùm ſunt irregulares ex *c. 1. & 2. de Clerico inordinato miniſtrante* (Cornexo 2. *tom. in 3. part. de irregular. diſp. 7. dub. 2.*) ſed etiam ex Clem. VIII. in Bulla, *Et ſi aliàs* ann. 1601. edita, & inter Bullas huius Pontificis *num.* 81. *à Iudicibus S. Inquiſitionis, vel locorum Ordinariis à foro Eccleſiaſtico abiiciuntur, & ab Ordinibus Eccleſiaſticis, ſi quos habuerint, ritè degradati, Curiæ ſeculari traduntur, per Iudices ſeculares debitis pœnis plectendi.* Poſt quæ SS. D. N. Vrbanus in Bulla *Apoſtolatus officium* ann. 1627. edita habetur 4. *tom. Bullar.* inter Bullas ipſius *num.* 79. Statuit, & decreuit, *Vt qui in poſterum ad ſacrum Preſbyteratus Ordinem non promotus, Miſſam celebrare, aut Sacramentalem Confeſſionem audire præſumpſerit, ætate minori annis viginti quinque non excuſetur, quominus eidem Clementis Conſtitutioni ſubiiciatur, dummodò vigeſimum ſuæ ætatis annum compleuerit.*

23 Pius V. in Bulla *Cum nil magis* anno 1570. edita, & eſt inter Bullas huius Pontificis *num.* 111. voluit tondentes monetas, ſiue aureas, ſiue argenteas vltimi ſupplicij pœna puniendos eſſe, tam in Vrbe, quam in toto Statu Eccleſiaſtico. Poſtea verò SS. D. N. Vrbanus VIII. in Bulla *In ſuprema* anno 1627. edita, inter Conſtitutiones ipſius 4 *tom. Bullar. n.* 75. extendit hoc ad quaſcumque perſonas Eccleſiaſticas, etiam regulares, in tota Italia exiſtentes, *quæ aureas, vel argenteas monetas tondere, fabricare, colorare, vel aliàs adulterare, ſeu etiam quomodolibet adulteratas ſcienter erogare, aut exponere præſumpſerint.* Volens, vt culpabiles in præmiſſis reperti, præuia degradatione, Curiæ ſeculari puniendi tradantur. Pecunias verò adulteratas ſcienter detinentibus, ſeu de loco ad locum transferentibus, aut materiam, inſtrumenta, ſiue opem ad præmiſſa præſtantibus, pœnam triremium per decennium impoſuit. Et cognitionem cauſarum huiuſmodi in Prouinciis Sedi Apoſtolicæ ſubiectis ad Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales ibidem Legatos. In aliis verò Prouinciis Italiæ ad Ordinarios locorum ſpectare voluit. Grau. *in Manual. Epiſc. v. Monetarij.*

Deinde pro Doctoribus, ſeu Scriptoribus, extat Decretum Pauli V. in generali Congregat. 24
S. Inquiſitionis, quo præcipiebatur Nuntiis Apoſtolicis, vt notificarent Superioribus Religionum, & Ordinariis locorum, ne ſinerent imprimi *in materia de Auxiliis etiam ſub prætextu commentandi S. Thomam, aut alio modo*; niſi conſulta prius S. Inquiſitione Romana. Quod Decretum Sanctiſſimus Dominus noſter Vrbanus confirmauit ann. 1625. præcipiens omnibus, *vt in poſterum non audeant imprimere, vel quoquo modo in lucem edere, libros, tractatus vel compoſitiones ex profeſſo, vel incidenter, aut prætextu commentandi D. Thomam, vel quemlibet alium Doctorem, aut alia quauis occaſione, prætextu, vel modo de materia Auxiliorum diuinorum tractantes, ſine expreſſa, & ſpeciali licentia à Sanctitate ſua in Congregatione S. Officij obtinenda, donec aliud in hac materia à dicta ſancta Sede Apoſtolica fuerit ordinatum.* Vt autem huiuſmodi Decretum inuiolabiliter obſeruetur eadem Sanctitas ſua voluit, & declarauit, *contrauenientes, pœnas priuationis dignitatum, & officiorum ſuorum, vocis actiuæ, & paſſiuæ, facultatis concionandi, publicè legendi, docendi, & interpretandi ipſo facto, abſque alia declaratione incurrere, & nihilominus aliis etiam pœnis Sanctitatis ſuæ, & ſucceſſorum ſuorum Romanorum Pontificum arbitrio infligendis, ſubiacere.* Libros porrò, quos in futurum contra præſentis Decreti tenorem edi contigerit, abſque alia declaratione tanquam expreſsè prohibitos haberi voluit, & Impreſſores, præter amiſſionem librorum, pecuniariis, aliiſque corporalibus pœnis, iuxta criminis grauitatem, teneri mandauit, contrariis quibuſcumque non obſtantibus. Laurent. de Peirinis *tom. 1. priuileg. Minim. in Conſtit. 2. Iulij II. §. 5. n. 20.* Circa quod Decretum illud animaduertendum occurrit, quod quamuis per ipſum prohibeatur imprimi libros tractantes, ſiue ex profeſſo, ſiue incidenter *de materia Auxiliorum diuinorum*; non tamen videtur prohiberi libros tractantes de aliquo puncto, difficultate, ſeu quæſtione de Auxiliis; aliud enim eſt materia de Auxiliis, aliud verò punctus aliquis, ſeu difficultas prædictæ materiæ. Quod rationi, & intentioni Summi Pontificis congruere videtur; aliàs neceſſe eſſet, materias alias Theologicas, quæ cum materia de Auxiliis connexionem habent, non niſi imperfectè, truncatè, & defectuosè imprimi. Maximéque hoc verum erit, ſi prædictus punctus, modeſtè, ſinceriter, & ſine æmulatione aliqua, vt decet tractetur.

Decreta S. Congregationis Concilij *de celebratione Miſſarum* iuſſu SS. D. N. Vrbani VIII. edita, 25
quæ afferimus *cap. 21. num. 5.* debent legi ſexto quoque Menſe, id eſt, feria ſecunda poſt primam Dominicam Aduent. & feria ſexta poſt Octauam Corporis Chriſti, in publica menſa, in omnibus Monaſteriis, Conuentibus, aut Domibus Regularibus, ſub

sub pœna priuationis officij, vocisque actiuæ, & passiuæ ipso facto incurrenda Superioribus localibus in hoc negligentibus. Ita enim præcipitur in eisdem Decretis. Similiter Decreta S. Congregationis eiusdem SS. iussu edita *de Apostatis, & eiectis*, quæ nos afferimus *cap.16. num.16. cap.23. num.3.* debent etiam legi in prædictis Monasteriis, saltem bis in anno cum Decretis Clem. VIII. *pro reformatione Regularium*, quæ nos sparsim in hoc opere inserimus. Sic enim præcipitur in eisdem Decretis sub pœna priuationis officiorum, & vocis actiuæ, & passiuæ, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa in posterum obtinenda transgressoribus infligenda. Vide etiam obligationem quoad aliud Decretum S. Inquisitionis singulis annis promulgandum *c.18. num.100.*

26 Item SS. D. N. Vrban. VIII. in Bulla edita anno 1626. ad instantiam Philippi IV. Hispaniarum Catholici Monarchæ, & habetur 4. *tom. Bullar.* inter Constitutiones Vrbani *num.57.* cessauit, reuocauit, & abrogauit omnia, & quæcumque priuilegia, siue exemptiones, non solùm à Superioribus, sed etiam à Sede Apostolica concessa, quibuscumque Religiosis in Regnis Hispaniarum commorantibus, per quæ *ab eorum Prælatorum obedientia eximuntur, ex Monasteriis, & Regularibus domibus ad eorum libitum, & cum sociis sibi bene visis, & iam destinatis, etiam Superiorum suorum non petita licentia, egrediuntur, absque eò quòd iidem Superiores tam huiusmodi egressum, quàm sæcularium personarum quibusuis horis ad illorum Cellas accessum, atque ingressum impedire possint. Præterea de vno ad aliud Monasterium, seu Regularem domum, etiam ipsis Superioribus inuitis, transeunt, nec Choro, & aliis spiritualibus exercitiis, minusque refectorio cum aliis intersunt.* Hæc autem Bulla intimata est à sua Catholica Maiestate Prouincialibus Religionum per litteras ad illos missas, quarum copiam apud me habeo.

27 Idem præterea Sanctiss. D. N. Vrbanus in Bulla *Inscrutabilis* anno 1631. 4. *tom. Bullar. num.113.* confirmans, & innouans Constitutionem Sixti V. contra Astrologos Iudiciarios, decernit, quascumque personas, etiam Regulares quæ de statu Reipublicæ Christianæ, vel Sedis Apostolicæ, siue de vita, aut morte Romani Pontificis pro tempore existentis, eiusque vsque ad tertium gradum inclusiuè consanguineorum Mathematicos Ariolos, Aruspices Vaticinatoresve nuncupatos, vel alios Astrologiam Iudiciariam exercentes, seu aliàs quomodolibet profitentes, de cætero consulerint, siue desuper eorum iudicia prognostica, prædictiones, seu præcognitiones; etiam sibi oblatas receperint illisve quomodolibet vsi fuerint, vel illas penes se scienter retinuerint, aut alicui ostenderint necnon iisdem Mathematicis, Ariolis, &c. incurrere excommunicationem latæ sententiæ, & pœnas læsæ Maiestatis, & vltimi supplicij, ac priuationis beneficiorum, dignitatum ac officiorum, ac inhabilitatis perpetuæ ad illa, & quòd præuia degradatione Curiæ sæculari tradantur puniendæ, cognitionemque causarum huiusmodi in Vrbe; & illius districtu ad Vicarium Generalem, & Vrbis Gubernatorem, & Auditorem Generalem Cameræ, extra Vrbem verò ad Cardinales, Legatos, & Prolegatos; in aliis verò partibus (Superioribus Religiosorum penitus exclusis) ad Ordinarios locorum vbilibet verò locorum etiam ad hæreticæ prauitatis Inquisitores, spectare voluit: Vide Gauantum *in Manual. Episcop. v. Astrologia.* Vnde transgressores huiusmodi Constitutionis denunciari debent Iudicibus in ea designatis, etiam si vnus tantum id sciat, si tales sint pertinaces (Toletus *in Summ. lib.4. cap.5.*) alioquin, si spes emendæ credatur, priùs erunt fraterna correctione admonendi. Cum enim præceptum correctionis fraternæ, quando adest spes probabilis lucrandi Fratrem, sit Iuris diuini, non est cur non obliget in hoc casu, cum etiam in casu hæresis à multis dicatur obligare, non obstantibus Edictis Inquisitorum, quibus præcipitur denunciatio, statim quòd habetur notitia delicti. Bannez 2.2. q.33. *art.8. d.8. ad 7.* Peirinis *tom. priuil. Min. in Const.4. Greg. XV. à n.26.*

Pro Decreto S. Inquisitionis contra Regulares ab eadem condemnatos, vide *cap.15. num.39.* Pro Decreto etiam S. Congreg. circa ea, quæ regulares possunt facere in suis Ecclesiis, *c.12. num.41.* & alia dicenda in eodem *capite à num.33. vsque ad finem Capitis.* 28

Circa pœnas autem, quæ in huiusmodi Decretis, Bullis, seu Constitutionibus Summorum Pontificum, aut S. Congregation. apponi solent contra transgressores, dicendum est primò. Pœnæ excommunicationis, suspensionis, interdicti, & irregularitatis impositæ ipso facto, vt si dicantur *ipso facto, ipso iure*, aut *eo ipso* incurrendæ, non solùm obligant in foro exteriori, sed in interiori conscientiæ, ita vt antè omnem Iudicis sententiam, teneatur transgressor Legum ad illas obligantium illas subire. Ratio est, tum quia hæc est communis praxis totius Ecclesiæ, tum quia ita videtur supponi à Concilio Tridentino *sessione 24. cap.6.* dum in eo concedit facultatem absoluendi ab istis, quando sunt occulta, absque dubio supponens, incurri, etiam si non sint deducta ad forum exterius. Sotus 1. *de iust. quæst.3. art.6.* Quando autem huiusmodi pœnæ non ponuntur infligendæ ipso facto, vt si lege dicatur solum *sub pœna excommunicationis, sub pœna suspensionis, interdicti*, &c. vel dicatur *excommunicabitur, suspendetur, excommunicetur, suspendatur, &c.* non incurruntur donec per Iudicem, sit lata talis sententia, vel declaratio. Quia ita etiam communis praxis fert. Alfonsus à Castro *lib.2. de Lege pœnali cap.1.* 29

Pœnæ etiam illæ, quæ in huiusmodi Decretis, Bullis, aut Constitutionibus Summorum Pontificum, aut S. Congregationis adiungi solent, pro transgressoribus, videlicet, *Priuationis vocis actiuæ, & passiuæ, priuationis officiorum, dignitatum, administrationum, bonorum, &c.* insuper, *inhabilitatis ad prædicta, vel alia quæuis obtinenda, ipso facto, vel ipso iure, &c.* infligendæ, non obligant in conscientia ante sententiam Iudicis, ad minus declaratoriam transgressionis talis Legis. Ratio est, tum quia ita in praxi recipitur apud viros doctos, & timoratos, vt non se credant obligatos esse ad tales pœnas subeundas, nisi præmissa supradicta Iudicis sententia. Tum quia hoc est conforme naturæ Legis humanæ, quæ debet esse facilis, & accommodata fragilitati humanæ, videtur autem nimis rigidum, & durum, quòd huiusmodi pœnæ incurrantur ante Iudicis declarationem. Sotus 1. *de Iust. q.6. art.6. ad 4.* Molina *tom.1. de iust. disp.69.* 30

Quando tamen non solùm ponuntur istæ pœnæ sub illis terminis *ipso facto, ipso iure, aut eo ipso, &c.* incurrendæ, sed adduntur vlterius istæ dictiones, seu verba, *absque vlla declaratione, ante omnem declarationem, absque vllo Superioris Decreto, aut ministerio, aut sententia, &c.* vel similia, incurruntur tales pœnæ, & obligant etiam in conscientia, & foro interiori ante quamcumque declarationem. Ratio est, quia nihil aliud videntur intendere 31

Pontifices,

Pontifices, & Latores harum Legum dum his terminis vtuntur, niſi quòd nulla expectetur ſententia ad hoc, quòd illæ pœnæ incurrantur in vtroque foro, ſed in hoc ſint ſimiles Cenſuris, & irregularitatibus, aliàs ſuperfluè adderent illas particulas, *abſque vlla declaratione, abſque vlla ſententia, ante vllam ſententiam, &c.* Suarez *lib.5. de Leg. cap.8.* Vaſquez 1.2.*diſp.* Quia tamen aliqui Theologi oppoſitum ſentiunt dicentes, per illas particulas, *abſque declaratione, abſque ſententia, vel ante declarationem, aut ſententiam, &c.* ſolum denotari, non requiri ad hoc quòd tales pœnæ incurrantur etiam in conſcientia, ſententiam, aut declarationem talis pœnæ, ſed ante illam incurri, non verò denotari non requiri ſententiam, aut declarationem delicti, aut criminis commiſſi, quia hanc dicunt ſemper eſſe neceſſariam, ideo hoc non videtur improbabile, tum quia hoc modo temperatur rigor iſtarum Legum, ſcilicet, quòd reus non teneatur exequi in ſe pœnam ſui delicti, tum quia ita conſuli vidi etiam à Pœnitentiariis Eccleſiæ Sancti Petri, quos circa hoc conſului. Sanchez *lib.6. in Decal.c.15.num.65.* Soſſa *in expoſit. Mot. propr. Clementis Octaui de Largit.mun.num.*102. Peirinis *tom.1. priuileg. Minim.in Conſt.6.Iulij Secundi num.*19. Addiderim tamen maximè hoc eſſe verum loquendo de Pœnis, non quidem purè priuatiuis, in quibus exequendis non exigitur aliqua actio hominis, vt ſunt inhabilitas, &c. ſed de aliis in quibus talis actio non exigitur. Bonac. *de legibus diſp.1.q.1.punct.7.§.2.n.9.& de contractib. diſp.3.q.8.punct.vlt.*

32 Quamuis multi credant nomine officiorum, graduum, dignitatum, & adminiſtrationum, de quibus ſtatuuntur priuationes, vel ad quæ inhabilitantur tranſgreſſores horum Decretorum, ſeu Conſtitutionum, ſolùm intelligi dignitates, officia, & adminiſtrationes habentia coniunctam Superioritatem, vt eſſe Generalem, Prouincialem, aut Priorem, non verò alia non habentia talem Superioritatem, vt eſſe Concionatorem, Confeſſorem, Lectorem, &c. Eò quòd cùm Sixtus V. in quadam Conſtitutione contra Regulares illegitimè natos, eos dignitatibus, gradibus, & officiis priuauerit, poſteà in alia, priorem explicans, per illa ſolùm intellexerit, & intelligi declarauerit ea munera, quæ habent coniunctam prædictam Superioritatem, non verò alia, quæ illam non habent. Sanchez *lib.6. in Decalog. cap.15. num.66.* Rodriguez *in expoſit. Mot. propr. Pij Quinti circa ingreſſum Fœminarum in Monaſteria virorum num.21.* Mihi tamen non placet hæc ſententia, eò quòd ſine fundamento ſufficienti reſtringit ampliſſima verba. Nam quod dicitur de Sixto V. manifeſtè ipſe declarat ſe ſolùm loqui quantum ad Conſtitutionem illam à ſe editam, non quoad alias à ſe, vel ab aliis editas, vel edendas. Sic enim dicit, *Declaramus hac in re, de qua nunc agitur, appellatione dignitatum, bonorum, &c.* expendo enim particulam illam, *hac in re, de qua nunc agitur*, quo denotat, ſe non loqui in aliis caſibus aliarum Conſtitutionum, ſeu Bullarum Pontificalium. Immeritò ergo propter fundamentum adductum prædictam opinionem ſuſtinent auctores adducti. Quare dicendum eſt, per officia, dignitates, gradus, honores, adminiſtrationes, &c. de quibus in Bullis, & Decretis Pontificum, & S. Congregationis fit ſermo, intelligi debere ea omnia, quibus propriè, & ſecundùm communem vſum, & æſtimationem, talia vocabula accommodantur. Verba enim Legis ſecundùm communem vſum, & ſignificationem vſurpari debent. Vide dicenda *tom.2. c.13.*

Quando in huiuſmodi Bullis, & Decretis, aut aliis litteris Apoſtolicis, in quibus aliquid prohibetur, vel præcipitur, apponitur, verbum præſumptionis, vt ſi dicatur de tranſgreſſoribus *ſi præſumpſerint, præſumant, præſument, &c.* vel ſimilia, non comprehenduntur talibus Legibus, aut Cenſuris, vel pœnis per illas impoſitis, niſi illi, qui ipſas tranſgrediuntur ex dolo, malitia, vel præſumptione, non verò illi, qui etiam ex ignorãtia culpabili illas tranſgrediuntur. Ratio eſt, quia verbum *præſumptionis* ſignificat temeritatem, vel malitiam excludentem omnem ignorantiam. Caiet.*in Summ.verb.Excomm. c.81.* Nauarr.*in Man.c.27. num.24. & in cap.ſtatuimus num.62.* Quando tamen non apponuntur talia verba, ſed ſolùm communia, videlicet fecerint, perpetrauerint, non obederint, &c. vel ſimilia, comprehenduntur etiam ignorantes ignorantia affectata, craſſa, vel ſupina non tamen illi, qui ſolum habent ignorantiam probabilem, vel inuincibilem. Ratio primæ partis eſt, quia ignorantia affectata, craſſa, vel ſupina æquiualet malitiæ, & dolo vnde non poterit excuſare, neque à Cenſuris, neque à pœnis per legem impoſitis. Ratio verò ſecundæ partis eſt, quia talis ignorantia facit actum inuoluntarium, ac per conſequens excuſat tranſgreſſorem. Syluester *verb. Excomm.7. num.87.* Miranda *in tract. de Sacr. mon.q.2. art.12.* Cornexo *2.tom. in 3.p.tr.5. de Cenſ. diſp.vlt. dub.vlt.* 33

A Cenſuris excommunicationis, ſuſpenſionis, vel interdicti, quæ in huiuſmodi litteris Pontificiis ponuntur, ſi non ſint Papæ reſeruatæ, poſſunt abſoluere iure communi Prælati Religionum. Quia eo ipſo quòd huiuſmodi cenſuræ nulli reſeruantur, conceditur proprio Ordinario abſolutio illarum. Suarez *tom.4. de Relig. tract.8. lib.2. cap.20.* Imò etiam ſi tales Cenſuræ ſint Papæ reſeruatæ poſſunt aliqui Prælati religionum ab illis abſoluere ſuos ſubditos propter priuilegia adducenda *cap.18. num.36.* cum conditionibus tamen ibidem aſſignandis. Inter quas illa præcipua eſt, quòd in prædictis litteris Apoſtolicis non fiat talis reſeruatio Papæ cum abrogatione priuilegiorum Religionum, tunc enim inutilia erunt talia priuilegia ad talem effectum. 34

In pœnis etiam priuationum, & inhabilitatum, quæ in prædictis litteris Apoſtolicis apponi ſolent, ſimiliter ſi non ſint reſeruatæ Summo Pontifici, poſſunt diſpenſare Prælati religionum cum ſuis ſubditis, ſi delicta non ſint maiora adulterio, & peracta pœnitentia. Propter rationem adductam, ſcilicet quòd eo ipſo, quòd tales pœnæ non ſunt Papæ reſeruatæ cenſentur concedi Ordinario, ſeu Epiſcopo, cui iure communi competit diſpenſare in pœnis latis ob adulterium, & alia crimina minus grauia, dum non expreſsè reſeruantur, peracta tamen pœnitentia, vt declarauit Alexand. III. *in cap. At ſi Clerici. §. de Iudiciis.* Vnde videtur poſſe Prælatos religionum in huiuſmodi pœnis non reſeruatis diſpenſare cum ſuis ſubditis, dummodò delicta non ſint maiora adulterio, & peracta pœnitentia. Henriquez *lib.14. de Irregularit. cap.19. num.2.* Miranda *in Manual. tom.2. quæſt.9. artic.3. quæſtione 31. artic.11.* Sigiſmundus de Bononia *de elect. dub.98.* Si autem tales pœnæ ſint Papæ reſeruatæ, licet in illis non poſſint Prælati Religionum iure communi diſpenſare, cum ſuis ſubditis, nec etiam ex vi præciſè Decreti Concilij Tridentini *ſeſſione 24. de reform.cap.6.* vbi dicitur *liceat Epiſcopis in irregularitatibus omnibus, & ſuſpenſionibus ex delicto occulto* 35

prouenientibus, &c. dispensare, eò quòd prædictum Decretum solùm intelligitur de Episcopis, quia sic declaratum est à S.Congregat.Cardinalium dicente. In hoc Decreto non comprehenduntur inferiores habentes iurisdictionem ordinariam, & quasi Episcopalem, sed tantùm Episcopi priuatiuè quoad omnes alios. Suarez 4.*tom.de Relig.tract.*8. *lib.*2. *c.*12. *num.*8. Nihilominus possunt aliqui Prælati Religionum cum suis subditis in prædictis pœnis dispensare, propter priuilegia adducenda *cap.*18. *num.*46. cum conditionibus ibidem assignandis. Maximè id videtur fieri posse ex priuilegio Gregor. XIV. concesso Clericis ministrantibus infirmis, quod adducimus in eodem *cap.*18. *num.*35. dum dicitur; *Nec non cum eis, si opus fuerit, etiam cum ratihabitione, & absterſione inhabilitatis, & infamiæ maculæ dispensare.* Quod etiam fertur concessisse Pium V. Abbatibus, & Prælatis Cassinensibus. Laurentius Peirinis *tom.*1. *priuileg. Minim. in Constit.*6. *Iulij II. num.*24. Vide dicenda *cap.*18. *vt suprà.*

36 An verò etiam in foro externo possint Prælati regulares cum suis subditis in istis pœnis dispensare. Quidam affirmant cum Rodriguez *tom.*1. *quæst.*24. *artic.*17. Cruz *lib.*1. *de stat. Relig. cap.*6. *dub.*15. *conſ.*6. Alij verò (quod tutius est) negant. Cum nullum pro hac parte solidum fundamentum, aut priuilegium afferatur. Peirinis *vt suprà post alios num.*25.

SVMMARIVM.



CAPVT XI.

De his in quibus tenentur obedire Religiosi Dominis Episcopis, & Principibus sæcularibus.

RELIGIOSI non exempti, quales sunt aliquæ Moniales Episcopis subiectæ, tenentur ipsi obedire ex voto Obedientiæ. Ratio est, quia Episcopi sunt verè Prælati ipsarum, illisque emittunt votum Obedientiæ. Sanchez *lib.*6. *in Decalog. cap.*1. *num.*11. Immò prædictæ Moniales Episcopis subiectæ, tenentur potiùs ipsis, quàm suis Abbatissis, aut Priorissis obedire. Eò quòd duobus Prælatis contraria præcipientibus standum est Superiori, seu maiori Prælato. Sanchez *lib.*6. *in Decalog. cap.*1. *num.*11. 1

Religiosi autem exempti (quales communiter sunt ferè omnes Religiosi propter multa Pontificum priuilegia, vt constat *ex cap. quam sit necessarium* 18. *quæst.*2. de quo Nauarrus *in cap. Non dicatis num.*63. *& in cap. nulla* 18. *quæst.*2. *num.*40.) non tenentur ex vi Voti Obedientiæ obedire Episcopis, aut eorum Vicariis. Ratio est, quia solùm promittunt Obedientiam Prælatis Regularibus. D.Thom.2. *distinct.*44. *in fine in exposit. literæ ad* 3. Syluest.*verb. Obedientia quæst.*8. *&* 10. *dicto* 2. Vnde si Episcopi velint aliquo modo, vel de facto tentent procedere in Iudicio, vel extra contra regulares, aut contra res Monasterij in quauis causa ciuili, vel spirituali, (præter inferiùs assignandas) processus, sententiæ, & inde secuta sunt nulla & irrita. Cum enim non sint Prælati Regularium exemptorum nullam habent iurisdictionem supra illos. Rodrig. *tom.*2. *q. Regul. q.*63. *art.*6. 2

Non obstante tamen priuilegio exemptionis, tenentur Regulares reuereri, & honorare Dom. Episcopos. Quia exemptus à iurisdictione non est exemptus à iure reuerentiali, vt docet Roman. *singul.*486. Vnde cum venerint ad eorum Ecclesias ad celebrandum, reuerenter recipiendi sunt possuntque in Regularium Ecclesiis vti baldachino, & contradicentes, Censuris, & pœnis cogere. Ex Decr. S.Congreg. apud Quarantam *in Summ. Bullar. verb. priuileg. Regular.* & Peirinis *tom.*1. *priuileg. Minim. in Constit.*26. *Leone X. num.*45. Exercere etiam possunt Pontificalia in locis exemptis. Erasmus Cokier *in tract. de Iurisdict. Ordin. in exempt. p.*5 *q.*21. Sed vide Peirinis *vt suprà.* Vide etiam Bartholomæum Gauantum *tom.*1. *Thesaur. S.Rit. p.*2. *tit.* 3. §. *in eorum residentiis.* 3

Secluso

4 Secluſo etiam priuilegio exemptionis, & ſtando in iure diuino, & ex vi voti Obedientiæ, quod Religioſi emittunt, non tenentur obedire Epiſcopis, ſed ſuis Prælatis, quoad obſeruantias regulares, bene tamen quoad diſciplinam Eccleſiaſticam. Ratio eſt, quia etiam ſecluſio tali priuilegio exemptionis, cum votum Religioſorum non ſit de obediendo Epiſcopis, ſed propriis Prælatis, ſolum poterunt illis eſſe ſubiecti, ſicut alij Clerici ſeculares, ac per conſequens, non quoad obſeruantias regulares, ſed ſolum quo ad diſciplinam Eccleſiaſticam, ſicut prædicti Clerici. Sanchez *lib.6. in Decal.cap.1.num.12.* contra Petrum Ledeſma' 2. *tom. Summ. tract.10. cap.7 not.2.*

5 Huic Priuilegio Exemptionis non poſſunt renunciare Religioſi ſaltem particulares. Eò quòd illud datum eſt in honorem ſtatus religioſi, & conſequenter noceret iuri Religionis, qui illud renunciare tentaret. Præſertim cum Papa in Bullis exemptionum regularium non ſolùm dicat ſuſcipere eos ſub eius, & Sedis Apoſtolicæ protectione, ſed dicat *immediatè nobis ſubiicimus*, quo denotatur, Pontificem ſe conſtituere immediatum Superiorem Iudicem Ordinarium, & quaſi Epiſcopum Regularium. Rodriguez *tom.2. q.63. art.10.* Laurentius Peirinis *tom.1. de priuileg. Minim.in Conſtitut.Sixti Quinti* §.7.

6 Nihilominus Religioſi, etiam exempti, & non ſubditi Epiſcopis, poſſunt ab illis diſpenſari in irregularitatibus, & abſolui à Cenſuris Epiſcopis ſpecialiter, & priuatiuè reſeruatis. Vnde poſſunt ab illis abſolui, & diſpenſari in irregularitatibus, & ſuſpenſionibus ex delicto occulto prouenientibus, iuxta Decretum Concilij Trident. *ſeſſ.24. cap.6.* quod ſolis Epiſcopis competere diximus *cap. præcedenti num.35.* Ratio eſt, quia licet Religioſi ſint exempti ab Epiſcopis quoad Iuriſdictionem ordinariam; quoad actus tamen proprios Epiſcoporum, & in quibus non ſubduntur Iuriſdictioni ſuorum Prælatorum, quales ſunt huiuſmodi abſolutiones; & diſpenſationes, poſſunt eſſe illis ſubiecti. Suarez 4.*tomo de Relig. tract.8.lib.2.cap.12.num.12.* Sanchez *lib.4. in Decalog.cap.39.num.32.* Cornexo *tom.2.in 3.part. de irregularit. diſp.3. dub.5.* Imò ad hunc effectum non requiritur licentia, vel voluntas Prælati, tum quia Religioſus vtitur iure ſuo, & in re conducente ad ſalutem animæ ſuæ. Licet quando huiuſmodi diſpenſationes, vel abſolutiones poſſunt obtineri à proprio Prælato ratione alicuius priuilegij, vel aliunde, non debent, & forſan non poſſunt, peti ab Epiſcopis. Quia hoc videtur cedere aliquo modo in dedecus Religionis. Præſertim, quia eſt probabile, quòd eò ipſo quod Prælatus exemptus habet poteſtatem diſpenſandi, habet etiam Ius, vt nullus ſe intromittat circa ſuum ſubditum. Suarez 4.*tom. de Relig. tract.8. lib.2. cap.12. n.13. & 15. & cap.23.n.3. & 4.* Vbi etiam extendit hoc ad caſum neceſſitatis, in quo religioſus non poteſt adire Prælatum ſuum.

7 Non obſtante etiam priuilegio exemptionis regularium ab Epiſcopis, poſſunt ipſi Epiſcopi Parochiales Eccleſias ad eoſdem Fratres ratione locorum ſuorum legitimè ſpectantes, quoad ea, quæ ad Parochianorum curam, & Sacramentorum conſeruationem, adminiſtrationemque pertinent (ſine tamen viſitatorum inſolito grauamine vel impenſa) viſitare, & illarum curam gerentes, & circa illam delinquentes, ſi religioſi fuerint, iuxta ipſius Ordinis regularia inſtituta intra ſepta regularis loci punire. Ita in Concil. Lateranenſi in Bulla Leon.X. quæ habetur *in Bullar. tom.1. fol.509.* Qualiter autem hoc ſit faciendum explicat Concilium Trid. *ſeſſ.7. de reformat. cap.7.* dicens, *Beneficia Eccleſiaſtica curata, quæ Cathedralibus, Collegiatis, ſeu aliis Eccleſiis, vel Monaſteriis, beneficiis, ſeu Collegiis, aut piis locis quibuſcunque perpetuò vnita, & annexa reperiuntur, ab Ordinariis locorum annis ſingulis viſitentur.* Ne autem in hoc ſit aliquis exceſſus, extat declaratio S. Congregationis Concilij anno 1602. edita, vbi dicitur: Epiſcopos, aut alios locorum ordinarios vigore cuiuſuis Decreti eiuſdem Concilij nullam habere facultatem quouis tempore in Monaſteriis, Domibus, & Eccleſiis regularium exemptorum, quibus non imminet cura animarum perſonarum ſecularium, viſitandi Sacriſtiam, paramenta, vaſa ſacra, altaria, & cætera huiuſmodi: aut etiam tabernaculum, ſeu pyxidem, in qua Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum aſſeruatur. Flauius Cherub. *in Compend. Bullar. circa Bullam 41. Pij V.* Laurentius Peirinis *tom.1. priuileg. Minim. circa Conſtitut. Sixti IV. §.10.* referens etiam declarationem Cardinalium ad Archiepiſcopum Genuenſem. Præterea, cum propter Conſtitutionem Gregor. XV. *de exemptorum priuilegiis, &c.* dubitatum fuerit, an liceat Epiſcopis viſitare altaria regularium Eccleſiarum, quibus cura animarum perſonarum ſæcularium non incumbit, aut loca, vbi in eiſdem Eccleſiis aſſeruatur SS. Euchariſtiæ Sacramentum, vel vbi audiuntur confeſſiones perſonarum ſæcularium S. Congregatio reſpondit: *Epiſcopis non licere in vim eiuſdem Conſtitutionis.* Vide 4.*tom.Bullar. poſt Conſtitut.18.Gregor. XV.* & Gauantum *in Man. Epiſcop. verb. regularium Iura ſub Epiſcop. num.54.* Nota inſuper S. Congregat. Epiſcoporum & Regularium declaraſſe 11. Ianuar. 1641. Epiſcopum non poſſe viſitare Capellas, aut Altaria poſita in Eccleſiis Regularium, etiamſi à ſecularibus fabricata ſint.

Ex eodem Concilio Tridentino *ſeſſ.6. de reformatione cap.3.* ſic habetur. *Nemo Regularis extra Monaſterium degens, etiam ſui ordinis priuilegij prætextu, tutus cenſeatur, quo minus ſi deliquerit, ab Ordinario loci tanquam ſuper hoc à Sede Apoſtolica delegato ſecundum Canonicas ſanctiones viſitari, puniri, & corrigi valeat.* Rodriguez 2. *tom. quæſt. Regul. quæſt.63. artic.11.* Quaranta *in Summ. Bullar. verb. exemptio.* Inferunt aliqui hoc Decretum intelligi ſolùm de regularibus degentibus extra Monaſterium, abſque licentia Prælati, nam qui extra Monaſterium degit cum licentia ſui Prælati, dicitur eſſe in Monaſterio. Laurentius de Peirinis *tom.1. priuileg. Minim. in Conſtitut. 2. Sixti V. §.11. num.22.* Quid verò dicendum ſit de religioſo intra Clauſtra Monaſterij degente, ſed extra illa notoriè delinquente, ex eodem Concilio Trident. & Clem.VIII. agemus *infrà capite 16. num.26. & 27.* Vide *infrà num.10.* 8

Idem etiam Concilium *ſeſſ.25. cap.11.* præcipit, quòd in Monaſteriis, ſeu Domibus virorum, ſeu mulierum, quibus imminet animarum cura perſonarum ſæcularium, præter eas, quæ ſunt de illorum Monaſteriorum, ſeu locorum familia, perſonæ, tam Regulares, quàm ſæculares huiuſmodi curam exercentes, ſubſint immediatè in iis, quæ ad dictam curam, & Sacramentorum adminiſtrationem pertinent, Iuriſdictioni, Viſitationi, & Correctioni Epiſcopi, in cuius Diœceſi ſunt ſita. Nec ibi aliqui etiam ad nutum amouibiles deputentur, niſi de eiuſdem conſenſu, ac præuio examine, per eum, aut eius Vicarium faciendo, excepto Monaſterio 9

Cluniacensi cum suis limitibus, & exceptis etiam iis Monasteriis, seu locis, in quibus Abbates, Generales, aut Capita Ordinum sedem ordinariam principalem habent, atque aliis Monasteriis, seu Domibus, in quibus Abbates, aut alij Regularium Superiores, iurisdictionem Episcopalem, & temporalem in parochos, & Parochianos exercent, saluo tamen eorum Episcoporum iure, qui maiorem in prædicta loca, vel personas iurisdictionem exercent. Augustinus Barbosa *de offic. Parochi cap.* 3. *num.* 152. Vide etiam Henriquez *lib.* 7. *de indulgent. cap.* 25. *num.* 11. Circa quod Decretum Concilij S. Congregatio declarauit, quòd *In Monasterio, in quo Generalis alicuius Regularium sedem ordinariam principalem habeat, licet personæ sæculares sint in eodem Monasterio curam animarum exercentes, quantùm ad ipsam curam, & Sacramentorum administrationem spectat, nulli visitationi, seu Iurisdictioni Episcopi Ordinarij Diœcesis, in qua ipsum Monasterium suum est, subiectæ sint.* Laurent. de Peirinis *vt supr. num.* 30.

10 Præterea ex eodem Concilio Tridentino *sess.* 7. *cap.* 14. sic habetur. *In exemptorum causis Constitutio Innocentij IV. quæ incipit, Volentes, in generali Concilio Lugdunensi edita, seruetur; quam eadem Sacrosancta Synodus innouandam censuit, & innouat. Addendo insuper, quòd in Ciuilibus causis mercedum, & miserabilium personarum, Clerici seculares, aut Regulares extra Monasterium degentes quomodolibet exempti, etiamsi certum Iudicem à Sede Apostolica delegatum in partibus habeant; in aliis verò, si ipsum Iudicem non habuerint, coram locorum Ordinariis, tanquam ad hoc ab ipsa Sede Apostolica delegatis conueniri, & iure medio ad soluendum debitum cogi, & compelli possint, priuilegiis, exemptionibus, Conseruatorum deputationibus, & eorum inhibitionibus aduersus præmissa nequaquam valituris.* Pro quo aduertendum est primò, non dici extra Monasterium degere Religiosum, qui causa Prædicationis, vel Confessionis, vel Eleemosynæ, vel alicuius rei, ad tempus, & non permanentes, extra Monasterium moratur. Laurent. de Peirinis *tomo* 1. *priuileg. Minim. in Constit.* 2. *Sixti IV.* §. 11. *num.* 29. Similiter, miserabiles personæ, de quibus in hoc capite Concilium loquitur, sunt, Viduæ, Pupilli, Orphani, Senes, Decrepiti, diuturno morbo fatigati, Puellæ pauperes nobiles, Peregrini, Aduenæ, Cæci, Mutilati membris, atque similes. Rodriguez *tom.* 1. *quæst. Regul. quæst.* 65. *artic.* 3. Regulares autem intra Claustra degentes per hoc Decretum Concilij in nullo casu possunt conueniri coram Ordinariis. Ratio est, nam licet caput *volentes* (in quo Statuitur quod Ordinarius loci possit procedere contra exemptos ratione delicti, vel contractus extra loca exempta factorum, vel rei sitæ extra illa) innouatum sit in hoc Decreto, tamen Paulus V. in Bulla, quæ habetur *tomo* 3. *Bullar. num.* 34. inter Bullas huius Pontificis, approbat Decretum Sacr. Congregationis, in quo ad instantiam Procuratoris Generalis nostri Ordinis ab eadem Sac. Congregatione declaratur; *Neque Constitutione in generali Concilio edita, quæ incipit* Volentes, *neque Decreto Concilij Tridentini sess.* 14. *cap.* 7. *comprehendi Regulares; ideoque eos, iuxta eorum priuilegia coram suis Superioribus, vel Conseruatoribus esse conueniendos.* Gauantus *in Manual. Episcopor. verb. Iura Regular. sub Episcop. num.* 55. Cui etiam consonat declaratio alia Sac. Congregat. anno 1573. in hæc verba. *Dubitatum fuit, an Regulares possint ciuiliter coram Episcopo à creditoribus suis conueniri. Et fuit responsum, quòd possint conueniri, si non sint sub Regulari obseruantia; at si sint sub Regulari obseruantia, non possunt conueniri coram Episcopo, quia habent proprium Superiorem, & nihil habent cum eis commune Episcopi propter exemptionem.* Nauarrus *comm.* 2. *de Regular. n.* 63. Rodrig. *tom.* 2. *q. Regul. q.* 2. *art.* 8. Peirinis *tom.* 1. *priuil. Minim. Const.* 2. *Sixti IV.* §. 11. *num.* 30.

Item iuxta dicta *c.* 9. *n.* 48. ex eodem etiam Concilio *sess.* 5. *c.* 1. *Si Abbates negligentes fuerint* (scilicet in habendo lectionem S. Scripturæ in Monasteriis, vbi commodè fieri queat) *Episcopi locorum, in hoc, vt Sedis Apostolicæ delegati eos ad id opportunis remediis compellant.* Quaranta *in Summ. Bullar. verb. exemptio.* Sunt autem ista remedia opportuna. Excommunicatio, vt habet Rodriguez *tom.* 2. *q.* 130. *art.* 2. Vide *suprà c.* 9. *num.* 48. 11

Insuper ex eodem Tridentino *sess.* 25. *c.* 4. *Regulares, qui sine mandato in scriptis suorum Superiorum extra suos Conuentus reperti fuerint, tanquam desertores sui instituti ab Ordinariis locorum puniantur.* Conformiter ad hoc decretum video S. Congreg. Episcoporum & Regularium declarasse 14. Febr. 1642. Regulares Leopolis, qui in itinere sunt non teneri præsentare Vicariis foraneis, aut Decanis licentias suorum Superiorum. Si tamen sine tali licentia reperti fuerint, posse incarcerari, & puniri ab Ordinario. Quæ tamen non videntur intelligenda de adeunte Superiorem etiam sine licentia, eo quod à Prælato iniustè grauaretur, iuxta dicenda *c.* 16. *n.* 9. Diana *tract.* 8. *de Dub. Regularium resol.* 56.

Similiter ex eodem Concilio ibidem Regulares, *qui studiorum causa ad vniuersitates mittuntur, in Conuentibus tantum habitent, alioquin ab Ordinariis contra eos procedatur.*

Præterea ex eodem Concil. *sess.* 25. *de reformat. cap.* 18. conceditur Episcopis, vt per Censuras possint procedere contra regulares dantes, vel accipientes pro ingressu Nouitij aliquid per hæc verba. *Quin potius præcipit S. Synodus sub Anathematis pœna dantibus, & recipientibus, ne hoc vllo modo fiat; & vt abeuntibus ante professionem omnia restituantur, quæ sua erant, quod vt rectè fiat, Episcopus etiam per Censuras Ecclesiasticas, si opus fuerit, compellat.* Rodriquez *tom.* 2. *quæst. Regul. quæst.* 63. *art.* 12. De subiectione Regularium ad Ordinarios, quando sunt extra Claustra Monasteriorum, dicemus *capite* 16. præsertim *num.* 17. & 26. De subiectione Confessorum, & Concionatorum ad Episcopos dicemus *cap.* 19. & 20. Insuper de subiectione Monialium dicemus *cap.* 25. De subiectione quoque Religiosorum ad Episcopos, quoad dies festos celebrandos, & ad publicas processiones accedendum, diximus *suprà cap.* 9. *n.* 46. & 47. Vbi etiam *n.* 29. de obligatione publicandi, & seruandi Censuras positas ab Episcopis. 12

Tenentur præterea Religiosi obedire Constitutionibus Synodalibus concernentibus actiones communes totius populi, & obseruantiæ Regulari non derogantibus, vt de ieiuniis seruandis, celebrandis aliquibus festis, & aliis huiusmodi; non quidem debito obedientiæ; cum Religiosi (loquor de exemptis) subditi non sint Episcopis, sed debito, & iure naturali, quo sicut partes, & membra illius populi, tenentur se toti corpori conformare. Vasquez 1. 2. *disput.* 167. *numero* 33. Sanchez *lib.* 4. *in Decalog. cap.* 15. *num.* 21. Qui benè & propter eandem rationem, dicit teneri regulares obseruare vota, & promissiones facta à populis, vel ciuitatibus, in quibus morantur. Constitutionibus 13

nibus autem Synodalibus, ſeu Epiſcopalibus, ſolum concernentibus reformationem Clericorum, non tenentur regulares, cum nulla ratione illos comprehendant. Laurentius de Peirinis *tom.1. priuil. Minim. in Conſtit.2. Iulij II. num.67.* Diana *tract.10. de legib. reſol.11.*

14 In prædictis autem caſibus, in quibus Religioſi etiam exempti ſubduntur Epiſcopis à Concil. Trident. probabile eſt non poſſe compelli ad obediendum illis per Cenſuras Excommunicationis, Suſpenſionis, &c. niſi fortè hoc illis concedatur ab ipſo Concilio. Ratio eſt primò, quia quoties Concilium voluit dare hanc auctoritatem Epiſcopis procedendi per Cenſuras contra religioſos exemptos, id explicuit, vt in *ſeſſ.25. cap.16.* contra dantes aut recipientes aliquid pro ingreſſu Nouitiorum, & *cap.5. eiuſdem ſeſſionis* pro reſtituenda, & conſeruanda clauſura Sanctimonialium, *& ſeſſ.22. in Decr. de obſeruandis, & vitandis in celebratione Miſſæ.* Ergo ſignum eſt in aliis locis, & caſibus in quibus non explicuit talem auctoritatem concedi Epiſcopis ſupra religioſos exemptos, noluiſſe illam habere. Sanchez *lib.7. de Matrim. diſp.33. n.22. & lib.6. in Decal. c.1. n.14.* Secundò propter multa priuilegia, quæ ad id habent Mendicantes, præſertim Carmelitæ, vt infra dicetur à Sixto IV. & Societas Ieſu à Paul. III. anno 1549. vt videre eſt in Comp. priuil. *num.23 & 24.* Specialiter locorum Ordinarios, ſeu Prælatos non poſſe ſententias excommunicationis, ſuſpenſionis, aut interdicti in Religioſos promulgare, conceſſit Martin. V. Fratribus Minoribus, quod idem habetur ſub nomine Eugenij IV. Refertur etiam de hoc indultum Sixti IV. eiſdem Fratribus Minoribus conceſſum. Eiuſdem tamen Sixti IV. extat copioſiſſima Conceſſio Fratribus Carmelitanis. Quòd nullus Ordinarius, ſeu Legatus, quamcumque Superioritatem ſuper prædictos Fratres ſibi vendicare præſumat. Neque aliquis abſque ſpeciali commiſſione Sedis Apoſtolicæ facientе mentionem de verbo ad verbum de huiuſmodi Indulto, valeat pronunciare, ſiue promulgare aliquas ſententias Excommunicationis, ſeu alias Cenſuras ſuper eoſdem. Corduba *lib.3. quæſtionum q.43.* Rodrig. *tom.2. q. Regul. q.59. art.5.* Vide Bullam in Specul. Ordinis fol.87.

15 Vnde non poteſt Epiſcopus declarare excommunicatum regularem tranſgreſſorem alicuius legis, propter quam impoſita eſt excommunicatio, ſiue à iure, ſiue ab homine, niſi hoc ſit illi ſpecialiter conceſſum. Ratio ſumitur ex exemptione regularium, & priuilegiis adductis. Quod etiam extenditur ad caſum, in quo Regularis publicè perpetraſſet crimen, propter quod impoſita eſſet talis excommunicatio. Nauarrus *lib.5. conſil. de ſent. excomm. conſil 2. num.2.* Citatio etiam facta Regulari ab Epiſcopo, vt compareat, quando id non eſt illi conceſſum, eſt ipſo iure nulla, cum ſit à Iudice non competente, comparere tamen decet, & allegare priuilegium exemptionis, & ſic declinare. Henriquez *lib.7. de Indulgent. cap.25.* Peirinis *tom.1. de priuil. Minim. in Conſtit.2. Sixti IV. §.10.*

16 Quamuis etiam Religioſi immunes, & exempti ſint à ſecularium Iudicum iuriſdictione, ita vt de ipſis, aut eorum bonis, aut rebus, non liceat Iudicibus ſecularibus iudicare, *cap. diligenter de foro compet. cap. etſi Clerici de Iudiciis, & cap.1. cum ſeqq. 15. quæſt.1. & in Authent. ſtatuimus de Epiſcop. & Cleric.* Nihilominus non ſunt exempti à legibus ciuilibus, quæ non ſunt contra libertatem Eccleſiaſticam, ſed ad bonam Reipublicæ adminiſtrationem ſunt inſtitutæ. Ratio eſt, quia Religioſi, ſicut etiam aliæ perſonæ Eccleſiaſticæ, ſunt ciues, & membra Reipublicæ ſecularis, & ſubiacent capiti, ſcilicet Magiſtratui, vel Principi ſeculari, ergo tenentur legibus illius. Victoria *de poteſt. Eccleſiaſt. quæſt.2. tit. vtrum Eccleſ. ſint exempt. propoſ.4.* Molina *tom.1. de Iuſt. diſputatione 31. concluſ.6* Illæ autem Leges Ciuiles dicuntur Eccleſiaſticæ libertati contrariæ, quæ Eccleſiaſticis tollunt ea, quæ Iure diuino, Canonico, aut Imperiali maiori illis ſunt conceſſa, vt ſi trahantur ad ſecularem Iudicem, vel ſi Leges illæ tantum pro religioſis eſſent latæ, vt ſi feratur lex ne Monialis, aut Religioſus ſuccedat in hæreditatem iure ſibi debitam, &c. Sotus 1. *de iuſt. quæſt.6. art.7.* Subduntur autem religioſi Legibus Ciuilibus ſolùm quoad vim directiuam. Cum non poſſint cogi à ſeculari Iudice, ſicut nec trahi ad ipſum. Rodriguez *1. tom. quæſt. Regul. q.66. art.2. concluſ. vltim.* Vnde magis hæc obligatio videtur oriri ex iure Naturali, quam ex poſitiuo. Vide dicenda *num. ſeq.*

Similiter, licet Religioſi non ſubdantur pœnis taxatis per Leges Ciuiles, eò quòd, ſi tales pœnæ ſunt latæ ſententiæ, non poſſunt ligare illos, cum latæ non ſint à Iudice competenti, ſed à Iudice ſeculari, ſi verò ſint ferendæ, non ab ipſo Iudice ſeculari, ſed à Regulari imponendæ ſunt. Vaſquez *1.2. quæſt.96. art.1. diſp.167. fin.* Rodriguez *1. tom. quæſt. Regul. q.66. art.2. §.8. regul.* ſubduntur tamen Legibus Ciuilibus irritantibus contractus, & teſtamenta, niſi tali ſolemnitate, & modo fiant. Eò quòd hæ irritationes non ſunt pœnæ, ſed diſpoſitiones Legum ad conſulendum communi bono Reipublicæ. Vaſquez *1.2. quæſtione 96. artic.1. diſp.167. fin.* Sanchez *lib.7. in Decalog. cap.3. num.20.* Deinde ſtare debent Religioſi Legibus taxantibus pretia rerum. Cum enim ſint membra Reipublicæ, ſicut alij ciues, ſtare debent eiſdem communibus Legibus non contrariis perfectioni ſtatui. Ac proinde ſubiacent Legi Ciuili prohibenti venationem certo tempore, aut extrahere triticum, vel granum extra Regnum, vel Prouinciam tempore penuriæ: Legique præcipienti occiſionem locuſtarum, & aliorum animalium, quæ demoliuntur meſſes & vineas, & aliis ſimilibus. Rodriguez *tom.1. quæſtionum Regul. quæſt.6. artic.14. & quæſt.66. articulo 2.* Nunquam tamen Religioſi tranſgreſſores Legum, ſeu Conſtitutionum Ciuilium deferendi ſunt ad Iudices ſeculares, ſed ad ſuos Prælatos, qui pro grauitate tranſgreſſionis; & ſcandali inde ſequuti, illos punire debet. Aliter enim procedendo, contra Decreta in Bulla Cœnæ Domini fieret. Rodriguez *tom.1. quæſtio. Regul. quæſt.66. artic.2. §. Nona regula.* 17

Quamuis aliqui putent nomine ordinariorum à quorum Iuriſdictione exempti ſunt Religioſi, intelligi etiam Legatos de Latere (Henriquez *lib.9. cap.25. num.5.*) verius tamen eſt, Regulares non eſſe exemptos à Iuriſdictione Legati à Latere; Nam eſto, quòd aliqua priuilegia Religionum Legatos etiam de Latere comprehendant, per litteras tamen Legationis, vt credo, derogantur. Harum litterarum tenori attendendum eſt. Laurentius de Peirinis *tom.1. priuileg. Minim. circa Conſtitut.2. Sixti IV. §.7.* 18

Clerici non exempti delinquentes in Monaſterio Regularium, ſecundùm aliquos, non ſubiiciuntur pœnis ab Epiſcopo impoſitis. Nam per exemptionem loci Monaſteria Regularium ſunt quaſi extra Diœceſim exiſtentia. Azor. *tomo 1. Inſtitut. Moral.* 19

*Moral.lib.*5.*cap.*25.*quæst.*4. Laurentius de Peirinis *vt suprà.* Sed tu vide Erasmum Cokier *in tract. de Iurisdict. Ordin.in exemp.q.*109.*&* 110.

20 Non possunt cogi religiosi ab Episcopis ad assistendum Synodis Diœcesanis, exceptis Regularibus, qui curam animarum in Ecclesiis tenent. Ratio primæ partis est, quia Concilium Trident. *sess.*24. *cap.*2. expressè excipit eos ab hoc onere, qui *Capitulis Generalibus subduntur.* Ratio secundæ, quia prædicti subsunt correctioni, & visitationi Episcopi, vt constat ex eodem Concil. Trident. *sess.*25. *cap.*11. ergo debent etiam cum illo assistere Synodis, vt informent, & informentur de necessariis circa regimen animarum. Azor. *tom.*2. *Instit. Moral. lib.*3. *cap.*47. *quæst.*3. Peirinis *tom.*1. *priuileg.Minim.in Constitutionem secundam Iulij II.* §.25. *num.*64.

21 Suspensio generaliter lata in Clericos, nisi ex verbis, aut aliis circunstantiis ad sæculares tantùm limitetur, comprehendit etiam Regulares, si lata sit ab habente potestatem super illos. Ratio est, quia etiam Regulares sunt verè Clerici, & Ecclesiastici. Suarez *tom.*5 *in* 3.*part. disp.*28.*sect.*2.*num.*8. *&* 9. Cornexo *tom.*2. *in* 3. *part. tract.*5. *de suspens. disp.*3.*dub.*1. Insuper communitas Religiosorum, vt talis, benè potest suspendi, non autem excommunicari. Ratio est, quia excommunicatio est censura personalis, cum afficiat animam priuando illam interioribus bonis, suspensio verò non est talis, cum solùm priuet ministeriis per se pertinentibus ad bonum commune. Suarez *vt suprà sect.*3.*num.*1. Cornexo *etiam vt suprà.* Vide dicta *num.*14.*&* 15.& dicenda *in sequenti numero.* In prohibitione autem generali qua Episcopus præcipit ne aliquis exorcizet sine illius licentia, non includuntur Regulares. Cùm non sint subditi Episcopi, & aliàs ratione Ecclesiastici Ordinis, quem habent, sit eis permissum. Portell.*in Additionib.ad dubia Regular.verb.exorcismus.* Diana *tract.*2. *de Dub.Regul.resol.*36.

22 Potest Episcopus coniugem inualidè professum, puta si sine consensu alterius coniugis professionem emisit, è Monasterio extrahere, & cogere ne detineatur. Ratio est, quia hoc non tam est agere contra priuilegiatos, quàm exercere proprium munus, quod est Matrimonij Iura obseruari facere. Si tamen Religiosi illius Monasterij habeant priuilegium, quòd non possint ab Ordinariis excommunicari, suspendi, &c. iuxta dicta *suprà num.*14.*&* 15. non potest Episcopus contra illos per Censuras procedere. Sanchez *lib.*7. *de Matrimon. disputatione* 33. *num.*21. *&* 23. Erasmus Cokier *in tract. de Iurisdict. Ordin. in exempt. part.*2. *quæstione* 45. *num.*122 Potest tamen contra illos aliis pœnis Canonicis agere, vt puta dispositione, collocatione in arctius Monasterium, quod idem dicendum censeo de aliis casibus, in quibus Episcopus procedit contra Regulares, & non per Censuras, de quibus in hoc *cap.* Sanchez *vt suprà.* Henriq.*de Indulgent.lib.*7. *cap.*25.*num.*7.

23 Indulgentiæ, quas Episcopi concedunt prosunt Religiosis exemptis. Quia cum exemptio sit inducta in fauorem religiosorum non debet illis aliquod incommodum, aut læsionem afferre, quod secus esset, si Indulgentias Episcopales lucrari non possent. Nauarr. *tract.de Indulgent. notab.*31. *n.*12. *versic.addo* 7. Bellarm.*tract.de Indulgent. lib.*1.*c.*11. *q.*3.*vers. quare cum.*

24 Regulares non possunt compelli ad testimonium ferendum in causis Ciuilibus, nisi quando veritas aliter haberi non potest. Ita enim habetur *in cap. cum super, & cap. dilectorum de test.cog.* Quo etiam casu possunt compelli à suis Superioribus Regularibus ad testificandum coram Iudice Laico, vel Ecclesiastico; interest enim multum Reipublicæ, vt veritas pateat. Rodriquez *tom.*2. *quæst.*10. *artic.*2. Laurentius de Peirinis *tom.*2. *priuileg. Minim. in Constitutionem secundam Iulij II.n.*147. Qui benè habent, quòd in causa sanguinis non possunt Regulares compelli ad testimonium ferendum, etiam quando veritas aliter haberi non potest, quod intellige in causa sanguinis ad condemnandum, non pro liberatione. Regulares autem esse idoneos testes, tam in causis Ciuilibus, quàm Criminalibus sui Monasterij probat Rodriguez *tom.*2. *quæst.*11.*art.*1. Peregrin. *prima parte Compend. priuileg. sui Ordinis titulo testimonium.*

Possunt emptores gabellarum exigere à Regularibus Iuramentum, quod res, v.g. triticum, vinum, &c. quæ per Doanam transeunt nomine dictorum Regularium, sint ipsorum, & ad ipsorum vsus deputatæ; & tenentur dicti Regulares ad mentem dictorum exigentium Iuramentum iurare, non vtendo aliqua æquiuocatione. Ratio est, quia licet absolutè non possint Iudices, maximè seculares, compellere ad Iurandum Regulares, supposito tamen quòd velint isti res illas, quas dicunt esse ad vsum proprium, sine solutione gabellæ relaxari, æquitas Iustitiæ postulat, vt possint ad iurandum compelli. Syluest. *verb. Iuramentum* 3. *quæstione* 2.*& verb.mendacium quæst.*6. Sanchez *lib.*3.*in Decalog.cap.*6. *num.*35. Pro hoc autem puncto, & præcedenti, vide Bonacinam *de præceptis Decalogi disp.*4. *quæst.*1.*punct.*10.*num.*1.*cap.*14.§.12. vbi tractat, qualiter interdicatur Sacerdotibus, & Prælatis iurare in Iudicio, & in quibus casibus. Pro dictis etiam in toto hoc capite vide Gauantum *in Manuali Episcop. verb. Regularium iura sub Episcopis per totum.* 25

Quando in Parlamentis præbetur aliquod donatiuum Principibus sæcularibus pro custodia Regni, reparatione pontium, turrium, &c. non tenentur ad illud soluendum Regulares, aut alij Ecclesiastici. Tum propter Ecclesiasticorum immunitatem à similibus impositionibus, tum quia bona ipsorum sunt ab eiusmodi gabellis exempta, & Deo consecrata. Suarez *contra Regem Angliæ lib.*4. *c.*24.*&* 26. & alij quos sequitur Diana *tract. de Parlamento resol.*22. 26

SVMMARIVM.

*Officium diuinum quid sit. num.*1.
*Ad illud tenentur religiosi in sacris constituti. num.*2.
*Quid de Professis non constitutis in sacris. num.*3.
*Quid de conuersis. num.*4.
*Quid de nouitiis. num.*5.
*Legati aliqua censura an teneantur ad officium. n.*6.
Excommunicati recitantes non possunt dicere Dominus vobiscum. ibid.
*Quid de Regularibus expulsis aut damnatis ad triremes. num.*7.
*Quid de Monialibus. num.*8.
*Omnes Ecclesiæ Regulares tenentur quotidie psallere in choro. num.*9.
*Quando omittens aliquid officij diuini peccet mortaliter. num.*10.
*Quæ attentio seu deuotio sit necessaria ad officium diuinum. num.*11.
*Dicere horas Canonicas deglutiendo aut syncopando verba peccaminosum. num.*12.

Concessio



CAPVT XII.

De Religiosis quoad obligationem recitandi Diuinum Officium.

1 OFFICIVM Diuinum dicitur series horarum Canonicarum ab Ecclesiasticis ex præscripto Ecclesiæ certis temporibus recitandum, ex antiquissima Apostolorum, & Patrum traditione, ipsiusque Ecclesiæ sanctæ Institutione. Thomas Vualdensis *de Sacramentalib. tom.3. tit. de horis canonic. à cap.20.*

2 Ad illud soluendum tenentur omnes Religiosi in Sacris Ordinibus constituti. *Ex cap. presbyt. de celebr. Miss. & ex cap dolentes etiam de celebrat. Miss.* Et ex antiquissima consuetudine. D. Thomas *quodlib.6. art.8.* Sotus *lib.10. de Iust. q.5. art.3.*

Tenentur etiam ad officium diuinum Religiosi professi Choro destinati, etiam si in sacris Ordinibus constituti non sint. Ratio est, quia licet ad id non obligentur ratione professionis, cùm tantùm Vota Religionis fuerint professi, non autem recitare officium diuinum; neque etiam ex præcepto aliquo Ecclesiæ, cum non extet textus de tali præcepto; nihilominus antiqua, & laudabilis Religionum consuetudo ad id illos obligauit. Ioann. Medina *Cod. de orat. quæst.7.* Caietan. *in Summ. verb. hora §.1.* Vnde si in aliqua Religione talis consuetudo non sit, qualis dicitur esse in Societate Iesu, non erit talis obligatio, Graffis *1. part. decision. lib.3. c.5. n.89.* Prædicti verò Choro destinati, si ad Conuersos fuerint deiecti, non amplius tenebuntur ad diuinum officium. Quia cessat fundamentum talis obligationis. Laurentius de Peirinis *tom.1. de Subdito quæst.1. de obedient. cap.24. §.3.* 3

Professi autem, qui non sunt choro destinati, verbi gratia Laici, seu Conuersi religionum, non tenentur ad officium diuinum. Cum nec ex vi professionis religiosæ, nec ex præcepto aliquo Ecclesiastico, aut consuetudine ad id obligentur. Rodriquez *in Summ. cap.138.* Addens quòd etiam si casu dato, aliquis ex istis Ordinem sacrum sine licentia sui Superioris susciperet, non teneretur dicere Officium diuinum, sed laborare tantum domesticis operibus Religionis. Tenentur tamen Conuersi, seu Laici Religionum ad dicendas certas orationes *Pater noster*, & *Aue Maria*, iuxta Institutum regulæ, vel Constitutionum, licet hæc obligatio *Regulariter* saltem non sit sub mortali. Sotus *10. de institut. quæst.5. artic.3.* Dixi *Regulariter*, quia Conuersi Ordinis Minorum tenentur sub mortali ad prædicta, ratione suæ Regulæ. Petrus Marchant. *in exposit. Regul. S. Francisc. cap.3. text.2. tit.2. q.1.* 4

Nouitij autem Religionum (intellige nisi aliàs sint in Sacris constituti) non tenentur ad officium Diuinum, seu horas Canonicas. Ratio est, tum quia reuera non sunt religiosi, nec in onerosis sub hac voce comprehenduntur, tum quia nulla est lex, vel consuetudo ad id illos obligans. Suarez *2. tom. de Relig. lib.4. de horis cap.17.* 5

Religiosi verò, qui ad Officium Diuinum tenentur etiamsi sint excommunicati, Suspensi, Interdicti, Depositi, aut Degradati ad idem officium manent obligati. Ratio est, quia tales priuantur honoribus, non oneribus, recitatio verò officij onus est, non honor. Nauarrus *in Summ. cap.7. num.17.* Cornexo *2. tom. in 3. part. tract.5. de Excomm. disp.10. dub.1.* Addens cum aliis, excommunicatum recitantem officium non posse dicere *Dominus vobiscum*, quia hoc verbum denotat ipsum dicere officium non vt priuatam personam. Vnde nec cum socio potest dicere officium, quia hoc est cum alio in diuinis communicare, quod est prohibitum illi. Cornexo *vt suprà* post alios. 6

Religiosi expulsi, si sint in Sacris constituti, tenentur ad officium recitandum ratione Ordinis Sacri, & præcepti Ecclesiastici adducti *suprà num.2.* Si verò non sint in Sacris constituti, etiam si aliàs essent Choro destinati, non tenentur ad illud. Ratio est, quia quòd professi non Ordinati teneantur ad Diuinum Officium solùm est ex consuetudine non est tamen talis consuetudo circa eiectos, præsertim, cum iam non sint amplius astricti Choro, aut Religioni. Sotus *7. de Instit. quæst.2. art.1.* Suarez *4. tom. de Relig. tract.8. lib.3. cap.6. numero 12.* Idem dico de religiosis ad triremes damnatis, (licet 7

(licet Doctores aliqui omnino illos excusent ab onere dicendi horas Canonicas) illi enim si in Sacris sunt constituti ad Officium tenentur, si illud commodè dicere possunt, sin verò non sint in Sacris, non tenentur. Propter rationem traditam à Bonacina *de horis Canonicis disp.1. quæst.2. punct.2.n.3.* De transeuntibus ad aliam Religionem, vide dicenda *c.22. n.19.* Monachus etiam habens facultatem viuendi perpetuò extra Monasterium, vel vxorem ducendi, si in Sacris Ordinibus constitutus non sit, immunis est ab onere dicendi Diuinum officium. Quia, etsi talis verè religiosus sit, Regularis tamen non est, vnde non obligatur consuetudine Religionis. Sanchez *de Matrim. lib.8.disp.8 num.11.* Bonacina *vt suprà num.4.* Qui benè secus dicit dicendum, cum religiosus viuit extra Conuentum solùm per aliquod tempus.

8 Tenentur etiam ad officium Moniales, non quidem ex aliquo præcepto Ecclesiastico, cum tale non extet, sed ex consuetudine, vt docet communis sententia. Nauarrus *de orat.cap.7. num.2. & 5. argum. cap.1.de celebrat. Miss.& cap.final.29.* Azor.1.*part. lib.10.cap.6.quæsit.1.* Intellige etiam extra chorum. Hieron. Rodriguez *in Compend. quæst. Regul. resolutio.98.num.5.*

9 Tenentur præterea omnes Ecclesiæ regulares psallere quotidie in Choro horas canonicas. Ita habetur *Clem.1. de Regular.* Licet autem hoc præceptum obliget vnamquamque Religionem magis, vel minùs iuxta modum sui Instituti, probabilissimum tamen est obligationem hanc esse sub mortali. Quia ita est communiter receptum. Suarez 2. *tom.de Relig. lib.4.de horis canon. cap.10.* Cadit autem hæc obligatio præsertim in Prælatos Conuentuum, Monasteriorum seu Ecclesiarum regularium, vt curent, quòd eius subditi satisfaciant huic muneri. Quia quoties obligatio aliqua cadit in corpus aliquod mysticum, talis corporis capiti, seu Prælato incumbit curare, vt adimpleatur. Suarez 2. *tom. de Relig. lib.4. de hor. Canon. cap.10. & 4. tom. tract.8.lib.1.cap.11.n.3.* Idem dico de Missa cantanda in Ecclesiis regularium diebus saltem festiuis, regulariter enim illam omittere sine graui causa, graue peccatum est, non solùm ratione scandali sæcularium, sed etiam ratione consuetudinis Ecclesiæ vniuersalis, & Religionum. Peregrin. *in Comment. ad constitutiones sui ord. part.1. c.1. litt.E.*

10 Quamuis omittens aliquam ex Horis Canonicis, aut partem notabilem officij Diuini peccet mortaliter, vt tradunt communiter Doctores, eo quod transgrediatur præceptum in re graui; omittens tamen vno die septem horas Canonicas, aut sex, non peccat totidem peccata mortalia, sed vnum tantum. Eò quòd tantùm transgrediatur vnum præceptum, seu vnam obligationem, scilicet integrè dicendi Officium Diuinum. Nauarrus *de Orat. cap.7. num.6.* Qui autem Officium, vel partem notabilem Officij vnius diei non recitauit, non tenetur illud altera die recitare. Quia Officium est onus diei, & ita transit cum die sicut ieiunium, &c. Syluester *verb. Hora §.17.* Nota tamen obiter omnino falsam & reiiciendam esse sententiam Filiberti Marchini *in tract. de Sacram. Ord. tract.2. p.6. diffic.3. n.4.* asserentis, omissionem vnius integræ Horæ Canonicæ non esse peccatum mortale: *quia* (inquit) *singulis diebus vnicum tantummodo vrget præceptum, sed omissio vnius Horæ est parua materia comparata ad integrum Officium diuinum, ergo.* Hæc enim sententia communiter reiicitur à Theologis; omissio enim cuiuscumque Horæ, vt dixi, est notabilis deformitas & mutilatio Officij diuini, ac per consequens non est parua materia, sicut nec talis esset, si per se sola præciperetur. Alioquin eadem ratione dici posset violationem ieiunij in vna die Quadragesimæ non esse peccatum mortale, eò quòd comparatiuè ad totam quadragesimam videatur parua materia. Diana *part.6. tract.6. resol.6.* post Castrum Palaum, Ledesmam, Reginaldum, Molphesium, & alios. Ac Petrus Annell. *in tract. de Hor. Canon.cap.8. dub.2.num.5.* post Sotum, Nauar. Azorium, Lessium, Sanchez, & alios. Apud quem etiam *num.6.* quæ censenda sit pars notabilis vnius Horæ Canonicæ.

Attentio, seu deuotio est necessaria recitantibus Horas Canonicas, seu Officium Diuinum. Ex Innoc. III. *in cap. Dolentes de celebrat. Miss.* per hæc verba: *Districtè præcipimus in virtute Sanctæ Obedientiæ, vt Diuinum Officium, nocturnum pariter, ac diurnum, quantum eis Deus dederit, studiosè celebrent, pariter, & deuotè.* Sotus 10. *de iustit. q.5. art.5.conclus.5.* Imò hoc præceptum attentionis, seu deuotionis est obligans sub peccato mortali, nisi ex leuitate materiæ, quando scilicet est defectus attentionis ad pauca verba, vel paucos versus, solùm sit veniale. Suarez *tom.2.de Relig.lib.4.de horis Canon. cap.26.* Sufficienter autem adimpletur hoc præceptum attentionis ad Officium Diuinum ab eo, qui initio Horæ Canonicæ proponit, & desiderat ad illam attendere, talemque voluntatem, & intentionem in progressu Orationis, ex proposito, & consulto non interrumpit. Quia ita interpretauit hoc præceptum maior pars virorum timoratæ conscientiæ. S. Thomas 2.2.*quæst.33.art.13.* Sotus *de Iustit. quæst.5. artic.5.* Tunc autem censebitur quis retractare hanc voluntatem, quando aduertens se non attendere ad Orationem, sed ad alia, non curat de hoc. Id enim est implicitè retractare voluntatem, quam primò habuit. Suarez *tom.2. de Relig. lib.4. de Horis cap.26.* Addens benè ex Caietan. *in Summa.* oportere, quòd aduertat se diuerti ab Oratione. Quod est præ oculis habendum scrupulosis. 11

Dicere Horas Canonicas cum aliqua mutatione, aut corruptione, vel deglutiendo, aut sincopando verba, syllabas, aut versus, non solùm est peccaminosum contra *cap. Dolentes de celebrat. Miss.* sed etiam erit peccatum mortale, quando ex tali modo dicendi Officium sequitur non dici integrè quoad partem notabilem. Quia hoc est idem, ac omittere partem notabilem officij, quod est peccatum mortale, Nauarrus *cap.10. de oration. num.9.* Suarez *tomo 2. de Relig. lib.4. de hor. canon. cap.13.* 12

Pro scrupulosis verò, qui non ex malitia, sed ob aliam causam committunt aliquos defectus in pronunciando, seu proferendo Officium Diuinum, refertur Concessio Leonis X. Fratribus Minoribus, quòd scilicet dicendo horas Canonicas, & alia Officia diuina in Choro, vel extra, satisfaciant præcepto capituli *Dolentes de celebrat. Miss.* de dicendo studiosè pariter, & deuotè, ac etiam regulæ suæ, etiam si propter aliquam fatigationem, vel aliam causam dicant sedendo, aut deambulando, vel non integrè verba proferendo, prout scripta sunt, propter negligentiam, aut imperitiam, aut malam pronunciationem naturalem, propter defectum linguæ; seu aliàs qualitercumque imperfectè dicãt, aut cum animi distractione, aut sensuum vagatione, dum tamen non ex malitia hæc faciant. Et similiter concessit, quòd, qui cum talibus malè pronunciantibus, 13

nunciantibus, vel alios supradictos defectus facientibus, dicunt Officium Diuinum, non teneantur reiterare ab aliis imperfectè dicta, aut ab eis, non integrè audita, propter distantiam localem, vel strepitum, vel aliam causam, sed satisfaciant præcepto Ecclesiæ, aut Regulæ suæ, qualitercumque audiendo, quæ alij debent dicere, præsertim in Choro. Compend. priuileg. Mendic. *verb. Offic. Diuin. num.* 8. Rodriguez *tomo* 1. *quæstionum Regul. quæst.* 42. *artic.* 2. Hæc verò concessio (præterquam, vt dixi, solum pro scrupulosis, & timoratis intelligitur, non pro illis, qui ex malitia, id est voluntariè, malè, & indeuotè recitant, ipsos, enim non iuuat, vt ex intento, & verbis ipsius colligitur. (Miranda *in Manual. Prælat. tom.* 1. *quæst.* 37. *art.* 12.) Vlterius his temporibus nullius momenti est, quia videtur esse viuæ vocis oraculum, vt colligitur ex prædicto Compend. vbi annotatur o. paruo, quod est signum oraculi viuæ vocis. Omnia etenim viuæ vocis oracula, vt diximus supra *c.* 3. *n.* 21. sunt iam reuocata. Vnde quatenus concedit aliquid supra ius commune nihil valet. Quid verò secundum ius commune sentiendum sit, ex dictis, & dicendis constabit.

14 Recitare Officium Diuinum, vel partem eius notabilem exercendo aliquam actionem impeditiuam attentionis debitæ, est peccatum mortale, vt si quis dum recitat, studeat, pingat, scribat, &c. Ratio est, quia hoc est idem, ac voluntariè non habere debitam attentionem. Si autem talis actio non impediat simpliciter attentionem debitam, vt est vestiri, deambulare, &c. tunc solùm erit peccatum veniale. Quia est aliqua irreuerentia ita loqui cum Deo, & quia impeditur perfecta attentio. Suarez 2. *tom. de Relig. libro* 4. *de Hor. Canon. capite* 26. *numero* 21. Aliquando autem nec erit hoc peccatum veniale, quando scilicet est necessitas ita faciendi, & fiunt prædictæ actiones cum magna attentione ad Officium Diuinum. Rodriguez *tom.* 1. *quæstionum Regularium quæstione* 42. *articulo* 2. Hinc recitans Officium Diuinum potest simul satisfacere præcepto audiendi Missam, saltem secundum aliquos. Eò quòd ista duo ordinantur ad eumdem finem, scilicet ad vacandum Deo. Tolet. *libro* 2. *Summæ capite* 13. Similiter qui peragit ea, quæ conducunt ad celebrationem Officij, vt sunt pulsare organa, thurificare altare, ponere, aut tollere libros pro cantu, &c. Propter eandem rationem. Rodriguez *in Summa capite* 142. *numero* 2. Intellige tamen, dummodo hæc facientes etiam recitent Officium quàm attente potuerint.

15 Omnes Horæ Canonicæ, siue quæ publicè, siue quæ priuatè recitantur, dici debent debitis, & statutis temporibus, scilicet, à solis occasu vsque ad ortum, Matutinum? Prima post ortum solis, Tertia, Sexta, & Nona ante prandium, seu Meridiem; Vesperæ post Meridiem (seclusa quadragesima, in qua ante prandium dici debent) & Completorium prope noctem. Ita colligitur *ex Clem.* 1. *de celebrat. Miss. & ex cap.* 1. *decretal. eodem tit.* adiuncta consuetudine Ecclesiæ. Sotus *lib.* 10. *de Iustit. & iure quæstione* 5. *articulo* 3. Nauarr. *de Orat. & Hor. Canonic. capite* 3. *numero* 45. Vnde Horas publicas, quæ in Choro dicuntur, sine magna causa non dicere temporibus statutis, credo esse graue peccatum, propter Ecclesiæ consuetudinem. Secus quando priuatim dicuntur, si enim nulla causa subest, erit tantum veniale, causa tamen aliqua subsistente nullum peccatum. Quia ita etiam consuetudine apud timoratos habetur. Sotus 10. *de Iustit. quæst.* 5. *art.* 3. Nauarr. *de Orat. & Hor. Canon. cap.* 3. *n.* 73 Potest etiam dici Matutinum sequentis diei non solum post occasum Solis, sed etiam ante illum, dictis Vesperis, & completorio, quinque horis post meridiem, siue in hyeme; siue in æstate. Quia ita etiam consuetudine receptum est apud multos, etiam Romæ, Suarez 2. *tom. de Relig. lib.* 4. *c.* 27. Pro quo etiam referuntur aliquæ concessiones factæ Regularibus, quibus si certæ sint; & non sint viuæ vocis oracula, quæ iam sunt annullata, vt dixi *n.* 13. tollitur omnis scrupulus. Rodriguez *tom.* 1. *quæst. Regul. quæst.* 42. *art.* 18.

Possunt extra Chorum separatim dici Matutinũ, 16
& Laudes. Cum de hoc nulla sit prohibitio Iure communi, Nauarrus *c.* 3. *n.* 64. Quando autem separantur, dicenda est Oratio Festi, Pater noster, & Aue Maria in fine Matutini secundum Breuiarium Carmelitanum, sed secundum Romanum solum *Pater noster*. Et quod tunc fit Matutinum diuersa Hora à Laudibus, & ita debet finiri sicut aliæ Horæ Canonicæ. Nauarrus, & alij. Causa etiam rationabili subsistente possunt per aliquod tempus separari Nocturni Matutinales. Propterea quod antiquitus ita fiebat, & de hoc nulla est prohibitio. Suarez 2. *tom. de Relig. lib.* 4. *de Hor. Canon. c.* 6. *num.* 10. Aliàs autem Horas Canonicas interrumpere notabiliter, sine rationabili causa non licet. Eo quòd vnitas vniuscuiusque Horæ Canonicæ spectat ad ritum recitandi illam, ab Ecclesia præscriptum. Hæc verò culpa quandoque erit venialis, quandoque mortalis, quod petendum est, tum ex temporis interruptione, tum ex causa, & fine illius. Suarez. 2. *tom. de Relig. lib.* 4 *de Hor Canon. c.* 24. *n.* 9. Qui autem interrupit Officium, causa aliqua rationabili subsistente, non est necesse repetat recitata, aut quod incipiat à principio Horæ Canonicæ. Aragon. 2. *q.* 83. *artic.* 12. Rodrig. *in Summ. cap.* 141. *num.* 3.

Inuertere ordinem dicendarum Horarum, vt si 17
dicatur Prima ante Matutinum, vel Vesperæ ante Nonam, quando fit propter rationabilem causam nullum est peccatum: sine illa tamen, vel propter incuriam aut negligentiam solum erit veniale. Quia ita fere communiter interpretatur hoc præceptum Ecclesia Sotus 10. *de Iustit. & Iure quæst.* 5. *artic.* 3. Nauarr. *de Orat. & Hor. Canon. cap.* 3 *num.* 65. Grauius autem peccatum, etsi veniale, videtur, dicere Matutinum sequentis diei ante persolutum officium diei præsentis, iusta aliqua causa non interueniente. Suarez 2. *tom. de Relig. lib.* 4 *cap* 24. *num.* 3.

Quilibet Religiosus tenetur dicere horas Cano- 18
nicas iuxta Breuiarium pro suo ordine approbatum. Ita sumitur *ex c. de iis, & c. placuit dist.* 12. Caietan. *verb. horæ* §. 2. Hæc obligatio est sub mortali. Propter pœnas graues, quæ in dictis Iuribus ponuntur. Sotus 10. *de iustit. & iure q.* 5. *art.* 4. Vnde Religiosus Carmelita, aut alius, proprium Breuiarium habens, non potest vti Breuiario Romano. Ratio sumitur ex Pio V. qui in Bulla quadam *Quod à nobis* Anno 1568. edita præcipiens ab omnibus recitandum esse Officium diuinum per Breuiarium Romanum ab ipso approbatum, & correctum, eximit ab hac obligatione eos, qui vel ex institutione, vel ex consuetudine excedente ducentos annos aliis Breuiariis vsi fuerint. Suarez 2. *tom. de Relig. lib.* 4. *de hor. canon. cap.* 23. *n.* 9. Neque obstat quod ibidem Pontifex dicat *Eisdem, si forte hoc nostrum* (intellige Breuiarium) *quod modo promulgatum*

promulgatum est, magis placet, dummodo Episcopus, & vniuersum Capitulum in eo consentiant, vt id in Choro dicere, & psallere possint permittimus. Ex quo inferunt aliqui authores posse religiosum, qui non tenetur vti Breuiario Romano, vti illo extra Chorum, etiam sine consensu superioris, & Capituli, propter istam concessionem Pij Quinti Nauarrus *lib. 3. consil. tit. de celebrat. Missar. consil.* 15. Rodrig. *tom.* 1. *quæstionum Regularium quæst.* 42. *artic.* 13. In hoc tamen attendenda sunt consuetudo, & particularia iura Religionum speciali Breuiario vtentium. Lege pro Carmelitis Bullam Gregor. XIII. in principio Breuiarij ipsorum positam. Dicitur esse quoad hoc priuilegium quoddam Innocentij IV. nescio tamen an sit, vel non viuæ vocis oraculum, quia si tale fuerit nihil valebit hoc tempore.

19 De Religiosis autem assumptis ad dignitates extra Ordinem, puta Cardinalatum, Episcopatum, Abbatiam, Parochiam, &c. an teneantur dicere Officium diuinum iuxta ritum suæ Religionis, an verò Ecclesiarum, quibus præficiuntur, dicimus *cap.* 17. *num.* 11.

20 Mutare qualitatem Officij, vel Ordinem Breuiarij, recitando scilicet de Sancto, eo die, quo debet celebrari de feria, aliqui volunt non esse peccatum mortale, saltem si per duas, aut tres vices hoc fiat. Rodriguez *tom.* 1. *quæst.* 42. *artic.* 8. Miranda *tom.* 1. *quæst.* 37. *artic.* 13. Verius tamen est talem immutationem facere esse peccatum mortale in suo genere, nisi magna aliqua necessitas vrgeat id faciendi, quia sic faciens contrariatur intentioni Ecclesiæ, quæ non vult aliter recitari officium diuinum, nisi iuxta Ordinem in Breuiariis approbatis dispositum. Suarez *tom.* 2. *de Relig. lib.* 4. *de hor. canon. cap.* 23. *à num.* 11. Toletus *in Summa lib.* 2. *c.* 13. Idem dico de mutatione ritus in officio dicendo, vt si celebretur duplici ritu Festum, quòd non est nisi semiduplex, aut simplex. Pontifices enim, qui præcipiunt vti aliquo Breuiario non solum præcipiunt substantiam Festorum sed etiam modum, & formam, quibus celebranda sunt. Gauantus *in comm. in rubric. Missalis.* Augustin. Barbosa *de offic. & potestat. Parochi capite* 10. *numero* 31.

21 Religiosi vtentes Breuiario Romano non tenentur dicere extra Chorum Officium paruum B. Virginis, bene tamen in Choro in illis Ecclesiis, in quibus erat consuetudo illud dicendi. Ita Pius V. in Bulla adducta supra *numero* 18. vbi etiam illud recitantibus Indulgentias concedit, Rodrig. 1. *tom. quæst. Regul. quæst.* 42. *art.* 14. Extendit hoc de obligatione recitandi prædictum Officium ad Dominicas, & Festa semiduplic. si adsit talis consuetudo, Gauantus *in Commentar. in rubr. Breu. t.* 2. *sect.* 9. *capite* 1. Vbi, & alia ad hoc. Religiosi autem non vtentes Breuiario Romano, (quales sunt nostri Carmelitæ, tenentur ad id Officium Beatæ Virginis, tam in Choro, quàm extra, si in eorum Religionibus sit præceptum, aut consuetudo illud dicendi, Suarez 2. *tom. de Relig. lib.* 4. *de Hor. canon. capite* 13. & 25. Thomas de Iesu *in Expos. Regular. Carm.* 3. *par. capite* 7. *dub.* 4. §. 1.

22 Ad Psalmos etiam Pœnitentiales, Graduales, & Officium defunctorum, quæ dicuntur aliquot diebus Aduentus, & Quadragesimæ, non tenentur Religiosi vtentes Breuiario Romano. Quia ab hac obligatione illos exemit Pius V. in Bulla supra adducta, tam in Choro, quam extra, Indulgentias nihilominus recitantibus illa concedens. Aragon. *num.* 2. *quæst.* 13. *artic.* 12. *pag.* 856. Rodriguez 1. *tom. quæstionum Regularium quæst.* 42. *artic.* 14. Religiosi autem non vtentes Breuiario Romano; sed alio particulari prout sunt Carmelitæ, tenentur ad supradicta recitanda, si adsit præceptum, vel consuetudo in religionibus ipsorum illa dicendi. Suarez 2. *tom. de Relig. lib.* 4 *de Hor. Canon. cap.* 13. & 25.

Tenentur etiam Religiosi tam vtentes, quam non vtentes Breuiario Romano ad dicendum Anniuersarium Defunctorum die 2. Nouembris scilicet Vesperas cum Matutinis, & Laudibus. Quia hoc Anniuersarium est pars Officij, eo die præscripti, ita vt beneficiatus, qui illud non recitaret, teneretur ad restitutionem fructus ad ratam. Suarez *de Hor. Canonic. lib.* 4. *cap.* 25. *num.* 8. & 9. Gauantus *in Comment. in rubric. Breuiarij sect.* 7. *cap.* 13. Vbi etiam Matutinum Defunctorum in prædicto die recitandum esse manè, & non, pridie, Barbosa *de Offic. Parochi cap.* 10. *numero* 29. Tenentur etiam ad Litanias cum precibus in die S. Marci, & tribus diebus ante Ascensionem Domini, si non assistant processionibus. Ratio est, quia ita præcipitur generaliter in Breuiariis, & iste est vsus Ecclesiæ. Suarez 2. *tom. de Relig. lib.* 4. *de Hor. Canon. cap.* 25. Bonacina *de Horis canon. disp.* 1. *quæst.* 3. *punct.* 1. *numero* 13. 23

Ad dicendum Ternaria Defunctorum, quæ ter in anno in Religionibus dici solent, videtur solum obligari Religiosos ex Ceremoniali, Constitutionibus, aut Consuetudine, & ita ex illis pensanda erit quanta sit hæc obligatio. 24

Excusantur à Diuino Officio persoluendo, primò infirmi, quos notabiliter offendit, vel aggrauat recitatio. Palud. *in* 4. *dist.* 15. *art.* 2. Nauarrus *cap.* 25. *num.* 110. Deinde vrgenter occupati circa negotium publicum, quod notabiliter impediretur Officij recitatione, ita vt non posset fieri conuenienter si diceretur Officium Diuinum, v. g. Prædicatio, &c. Syluester *verb. Horæ* §. 18. Et idem dico de vrgenter occupatis circa negotium, etiam priuatum, magni ponderis; vel etiam multum occupatis circa curam infirmorum. Quia in his omnibus casibus, vel similibus non est credendum obligare Ecclesiam ad Officium diuinum cum tanto dispendio boni communis, vel particularis, proprij, vel alieni si vtrique obligationi satisfieri non potest. Toletus *lib.* 2. *Summæ c.* 14. Carentia autem Breuiarij excusat Religiosum ab officio diuino, quando sine sui culpa, fuit illi perditum, vel ablatum, v. g. in itinere, mari, &c. Quia tunc moraliter est illi impossibile recitare. Quando autem voluntariè, vel per negligentiam culpabilem amisit Breuiarium, non excusatur. Quia tunc non recitatio erit illi voluntaria in sua causa. Suarez 2. *tom. de Relig. lib.* 4. *de hor. canonic. c.* 27. 25

Quotiescumque autem Religiosus excusatur ab officio diuino recitando, excusatur etiam ab audiendo illud ab alio, qui illud recitet. Ratio est, quia præceptum impositum Ecclesiasticis non est de audiendo, sed de recitando Officio vocaliter, seu de illo pronunciando. Paludan. *in* 4. *dist.* 15. *q.* 5. *art.* 5. Rodriguez *tom.* 1. *quæst. Regul. q.* 42. *art.* 10. Possunt tamen Religiosi etiam excusati à recitando officio obligari ad illud audiendum, vt præcipitur in Constitutionibus Carmelit. *part.* 1. *c.* 20. §. 1. Hæc tamen obligatio solum erit quanta fuerit Constitutionum Religionis. 26

Qui propter aliquam causam, infirmitatem scilicet, 27

cet, magnam occupationem, &c. excusantur à dicendo toto officio diuino, non tamen excusantur à dicendis illa, vel illis Horis Canonicis, quas commodè dicere possunt. Sicut qui debet centum, & non potest soluere nisi decem, tenetur decem soluere, & sicut, qui non potest ieiunare totam quadragesimam tenetur ieiunare illis diebus, quibus potest: Suarez *2. tom. de Relig. lib. 4. de Hor. Canon. cap. 27.* Qui tamen ab officio Diuino sunt excusati, nullo iure tenentur ad dicendum aliquas orationes, aut faciendum aliquod pium opus loco illius.

28 Cum Religiosis infirmis poterant quidam Prælati Regulares in recitando officio diuino dispensare. Primò ex priuilegio concesso à Leone X. scilicet, *quod, siue propter febrem, aut dolorem intensum, vel aliam infirmitatem Fratres fuerint grauati, satisfaciant dicendo pro horis Canonicis preces, hymnos, Pater noster, Aue Maria, vel alia iudicio Prælati, seu Præsidentis loci, aut Conuentus assignanda, & hoc quando Medicus corporalis (si commode haberi potest) dixerit, infirmo esse suæ saluti nociuum recitare.* Sed quia hæc concessio fuit facta viuæ vocis oraculo, vt refert Compend. priuil. Mendicant. *v. Offic. Diuin. 1. n. 10.* ideo his tẽporibus vacat. Poterant etiam secundò id facere ex ampliori priuilegio Eugenij IV. Monachis Benedictinis Hispaniarum, vt scilicet, quilibet pro tempore Abbas, prior, siue Prælatus quorumlibet Monasteriorum præfatorum, libere possint dispensare cum omnibus, & singulis præsentibus, & futuris Monachis quorumcumque Monasteriorum huiusmodi, qui sine tædio non possunt dicere Horas Canonicas, quod tempore infirmitatis, vel postquam conualuerint, loco horarum, ac Officiorum, ad quæ alias tenebantur dicant aliquid certum ad arbitrium ipsorum Superiorum; & non teneantur ad illud Officium Canonicum. Ac cum Prælatis ipsis simili modo quilibet Presbyter Monachus per quemuis eorum eligendus, etiam dispensare possit. Sed etiam hæc Concessio fuit viuæ vocis oraculum, vt refertur in ipso Compend. priuileg. Mendicant. *verb. infirmi Fratres numero 8.* & sic nihil valet. Idem dico de alia concessione Martini V. facta Hieronymianis, propter eamdem rationem. Nihilominus quartò pro infirmis vel circa infirmorum curationem occupatis, ita vt non supersit eis congruum tempus ad diuini officij recitationem, concessit Paul. III. Congregationi Clericorum Regularium S. Pauli Decollati, *Vt infirmitate aut circa infirmos occupatione huiusmodi durante, certum Psalmorum, per ipsum Superiorem eis assignandorum numerum, non minus septem, aut sex cum diuisione, & orationem Dominicam septies ac symbolum Apostolorum bis; grauiter autem ægrotantibus, Orationem Dominicam semel, salutationem Angelicam septies in die recitando, septem Horis Canonicis, & toti Diuino officio satisfecisse censeantur. tom. 1. Bullarij pag. 618.* Quo priuilegio vti possunt regulares, qui habuerint communicationem priuilegiorum cum prædictis Patribus. Sine hoc tamen, aut aliis priuilegiis, infirmi, quos notabiliter offendit, vel aggrauat recitatio, excusantur ab illa, vt diximus supra *n* 25. Illi autem, quos non ita notabiliter offendit, & aggrauat, si rationabilis causa dispensandi subsit, possunt, stando in iure communi, & secluso priuilegio, dispensari, à suis Prælatis, sicut & Clerici possunt dispensari ab Episcopis, cum Prælati Regulares habeant authoritatem quasi Episcopalem, Episcopi autem dispensant cum suis subditis. in præceptis Ecclesiasticis, nisi quando specialiter ex lege, vel consuetudine talis dispensatio reseruatur Papæ. Vide dicenda *c. 18. n. 55.* Rodriguez *tomo 1. q. 42. art. 5* Sorbus *in addit. ad Compend. priuil. Mendic. verb. Offic. Diuin. 3.* Quod maximè est verum loquendo de professis non constitutis in Sacris ordinibus; ij enim cum solum ratione consuetudinis ad officium obligentur, facilius, & ob minorem causam in eo soluendo dispensari possunt à suis Prælatis. Less. *l. 2. c. 37. dub. 9. n. 51.* Diana *tract. 12. de horis canonic. resol. 19.*

Video etiam S. Congregationem Episcop. & Regular. de anno 1649. pro 27. Maij permisisse vt quidam religiosus Chorista admitteretur ad professionem, etiamsi, quia balbus erat, non posset recte officium diuinum recitare, dummodo choro assisteret & officium diceret cum interpollatione. Et primo Februarij 1647. permisit etiam vt quædam Monialis nouitia admitti posset ad professionem etiamsi recte legere non nouerit, dummodo ab Ordinario assignarentur ipsi aliæ orationes vocales recitandæ, & quod semper Choro assisteret, & maneret priuata voce ac solueret dotem duplicatam. Consule etiam aliam declarationem eiusdem S. Congregationis de eodem anno pro 15. Nouembris.

Quando verò res est dubia, an ægritudo Monachi excuset illum ab Officio recitando, consulendus est Medicus, & illius iudicio standum. Nauarr. *in Manu. cap. 25. n. 100 & de orat. c. 12 num. 3.* Si vero Medicus manet dubius, tunc requiritur, & sufficit iudicium Prælati. Azor. *lib. 10. cap 13.* Graffis *lib. 2. cap. 53. num. 2.* Fugiendi tamen sunt Medici parum timorati, & qui magna facilitate huiusmodi dispensationes solent concedere. Rodriguez *tom. 1. quæstionum Regul. quæst. 42. artic. 7.* Miranda *tomo. 1. quæst. 37. art, 16.* 29

Pro occupatis autem extat primò priuilegium Leonis Decimi concessum Fratribus Minoribus, & per consequens gaudentibus ipsorum priuilegiis, vt scilicet, possint Officia Feriarum, quæ sunt prolixiora, anticipare, diebus quibus sunt otiosi, & Officia Festiua, quæ sunt breuiora, reseruare in illos dies, quibus credunt se fore occupatos Concionibus, & Confessionibus; modo id non faciant in fraudem, sed ad melius studendum, prædicandum, & Confessiones audiendum. Nauarr. *de Orat. capite 19. numero 88.* Rodriguez *tom. 1. quæstione 42. articulo 5.* Nullus tamen eorum dicit, an hoc priuilegium sit viuæ vocis oraculum, an non, si autem tale fuerit nihil valet iam propter sæpius dicta de reuocatione istorum oraculorum à Sanctiss. Domino Nostro Vrbano. Secundò extat, hoc priuilegium Iulij II. Canonicis Regularibus sancti Saluatoris, Volumus, quod, qui ex præfatis Canonicis, adeo Monasteriorum suorum Officiis occupati, vt in Choro interesse, & Officium Diuinum, vix sine labore, & tædio dicere, ac ipsa eis ratione officiorum huiusmodi incumbentia Charitatis opera implere nequeant, & qui ad Diuinum Officiũ huiusmodi dicendum, adeo vel non docti, vel minus experti pro tempore existunt, dummodo in Sacris non sint Ordinibus constituti, licet professionem emiserint, tamen ad persoluendum totum Diuinum Officium integrum minimè teneantur, sed eorum Prælati habita suorum suppositorum consideratione, vltra Officium B. Mariæ Virginis ad quod obligati remaneant, iuxta dispensationem eis creditam, si eorum animabus expedire videbitur, aliquid dicendum iniungant, quod cum animi alacritate valeant adimplere. Vide Bullam *tom. 1. Bull.* Laertij 30

Cherub. *fol.* 452. vbi etiam *fol.* 464. affertur simile priuilegium Leonis X. pro Camaldulensibus.

31 Extat etiam priuilegium eiusdem Leon. X. concessum Fratribus Minoribus, quod scilicet, *ne mutuo se impediant in officio Diuino, aut aliis sint fastidiosi, quod illa, quæ in Ordinario iubentur dici secretè sub silentio, non teneantur proferre vocaliter, sed satisfaciant dicendo mentaliter, aut legendo inter se librum.* Nauarr. *de Orat. capite* 19. *numero* 88. Rodriguez *tom.* 1. *quæstionum Regul. quæst.* 42. *artic.* 4. Quia tamen hoc priuilegium fuit viuæ vocis oraculum, omniaque talia oracula reuocata sunt à SS. D.N. Vrbano, vt diximus *capite* 3. *numero* 21. ideo non possunt Religiosi vti tali priuilegio. Iure autem communi, sufficit dicere Officium diuinum secreto, dummodo formentur verba intra labia, & dentes, ibique distinctè proferantur, etiam si non audiantur. Peirinis *tom* 1. *priu. Minim. in Constit.* 28. *Leon. X. n.* 4. Quod saltem est verum quando officium priuatè dicitur. Addunt quidam, etiam sic recitans non audiat seipsum, quod est probabile, dummodo, vt dixi, formentur verba intra labia, & dentes ibique distinctè proferantur. Azor. *part.* 1. *lib.* 10. *c.* 11. *q.* 4. Diana *Tract.* 12. *de Horis Canonicis Resol.* 11.

32 Pro Religiosis etiam occupatis in Prædicationibus, aut operibus pietatis, vt puta Confessionibus audiendis, aut S. Theologiæ, ac Canonum studiis, aut infirmis, vel infirmis seruientibus extat priuilegium Clement. VII. concessum Clericis Regularibus Theatinis, quod scilicet, Superiores illorum possint dispensare *Super recitatione Diuinorum Officiorum, ad hoc quod ipsi occupati, vel impediti, certum Psalmorum per ipsos Superiores eis assignandorum numerum, non minus septem, aut sex, cum diuisione, ac Orationem Dominicam septies, symbolum Apostolorum bis; grauiter autem ægrotantes Orationem Dominicam semel, & salutationem Angelicam septies in die recitando, septem horis Canonicis, & toti Diuino Officio satisfecisse censerentur.* Vide Bullam *tom* 1. *Bull. pag.* 606. Vide etiam Laurentium Peirinis *tom.* 1. *priuil. Minim. in Const.* 28. *Leon. X. num.* 9.

33 Ad tollendos abusus in Officio Diuino recitando introductos Sacr. Congregatio Rituum, hæc decreuit die 8. Aprilis 1628. ex mandato SS. D. N. Vrbani. Primò. *Non potuisse, nec posse locorum Ordinarios, tam Seculares, quam Regulares, addere Calendariis etiam propriis, Sanctorum Officia, nisi ea dumtaxat, quæ Breuiarij Romani Rubricis, vel Sacræ Rituum Congregationis, seu Sedis Apostolicæ licentia conceduntur* Lege Gauantum *Comment. in Rubric. Breuiarij tom.* 2. *sect.* 1. *cap.* 5. *tit.* 2. *n.* 9. & 10. Barbosam *de Offic. & Potest. Parochi cap.* 10. *numero* 13. Insuper vetuit, & prohibuit *celebrari per totam Ciuitatem, vel Diœcesim, etiam de cuiusque Ordinarij auctoritate, Missam, vel festum cum Officio de Sancto, eo quod in loco adsit Ecclesia Parochialis, vel Regularis, aut aliqua Reliquia, sed tantum in ipsius Sancti Ecclesia Titulari, seu vbi asseruatur insignis Reliquia, & non alibi. Insignes autem Reliquias declarauit esse Corpus, Caput, Brachium, Crus, aut illam partem Corporis, in qua passus est Martyr, modo sit integra, & non parua, & legitime ab Ordinariis approbata.* Consonat huic declarationi Ceremoniale Ordinis nostri *libro secundo, Rubric.* 57. *numero quinto*, Lege Gauantum *vt supra sectione tertia capite tertio, numero quinto.* Item reiecit, damnauit, & reprobauit eadem Sacra Congregatio *Missas, quæ circumferuntur à Sacra Congregatione non approbatas, Sancti Gregorij pro Viuis, & Defunctis, XV. Auxiliatorum, & de Patre æterno, & quascumque alias, exceptis iis quæ sunt permissæ Regularibus tantum, veluti Rosarij, Sanctæ Mariæ de Carmelo, & alias sicut etiam Officia ab eadem non approbata.* Quæ omnia decreuit, & obseruari mandauit sub pœnis contentis in Bullis Pij V. initio Breuiarij, & Missalis positis, quod scilicet non satisfaciant muneri recitandi Diuini officij; Quò verò ad vtentes supradictis Missis, sub aliis pœnis contentis in Indice librorum prohibitorum ex Decreto Sacri Concilij Tridentini, edito. Et, ne præmissorum ignorantia vllo vmquam tempore possit ab aliquo prætendi, neque obliuio possit irrepere, eadem Sacra Congregatio voluit, & mandauit, prout de facto video in Ecclesiis Vrbis obseruari, Decreta huiusmodi affigi in Sacristiis omnium Ecclesiarum, tam Regularium, quam Secularium, etiam Patriarchalium, Metropolitanarum, Cathedralium, Collegiatarum, & aliarum quarumcumque in eisque perpetuo affixa asseruari. Vide dicenda *cap.* 21. *num.* 21. & 22. & Augustinum Barbosam *de Offic. & Potestat. Parochi capite* 10. *numero* ...

Item Gregorius XIII. in quoda Breui, quod incipit, *Pastoralis Officij* anno 1573. edito, aduertens, quod in Ecclesiis Hispaniæ concessum erat, vt possent celebrare Officia propria Sanctorum illius Prouinciæ, illique sint plures numero, ideo declarauit, Vnamquamque Hispaniæ Ecclesiam, eorum tantum Sanctorum, qui in Breuiario non sunt descripti, Officia propria celebrare posse, qui vel illius Diœcesis sunt naturales, vel eius Ecclesiæ, seu Diœcesi, sunt Patroni, vel eorum Corpora seu notabiles reliquiæ in ea Ecclesia, seu Diœcesi requiescunt, De aliis vero Sanctis, etiam si sint naturales, vel Patroni alterius Diœcesis, etiam si illorum corpora, vel notabiles reliquiæ in aliqua Ecclesia alterius Diœcesis requiescant, non celebretur Officium proprium, sed seruetur ordo Breuiarij Romani. Et, quo die celebrabitur Festiuitas Patroni vnius Diœcesis, Religiones omnes teneantur eodem die in suis Ecclesiis intra limites illius Diœcesis existentibus eamdem Festiuitatem celebrare, & in hoc cum Ecclesia Matrice se conforment. Quaranta *verbo Diuin. Officium.* 34

Item concessit, quod quælibet Ecclesia, & Monasterium Hispaniæ habens reliquias insignes, puta caput, brachium, vel crus alicuius Sancti etiam alienigenæ, non existentis in Breuiario, vel de quo in dicto Breuiario fit tantum commemoratio, possit illius Festiuitatem celebrare, & Officium duplex facere; & de alio Sancto eodem die occurrenti, si fuerit simplex, fiat commemoratio; si vero fuerit duplex, vel semiduplex, transferantur in primam diem simili festo non impeditam. Quarant. *in Sum. Bull. vt sup.* Vide ibid. 35

Aduerte etiam quod Clerici Seculares, Regularesve in Ciuitate, vel Diœcesi commorantes non tenentur recitare Officia propria Sanctorum illius Diœcesis, vel quæ de consuetudine in eadem Ecclesia recitantur in choro. Gauantus *in Comment. in Rubric. tom.* 2. *sect.* 1. *c.* 5. *tit.* 2. Nec obstat Greg. XIII. *n.* 34. relatus; quia ibi loquitur de Patrono, & pro Ecclesiis Hispaniarum. 36

De Sancto cuius reliquia insignis habetur, & approbata, fieri potest officium duplex. Iuxta dicta *sup. n.* 35. Gauantus *in Thesauro* 1. *tomo part.* 1. *tit.* 11. De sancto vero, cuius reliquia non insignis habetur, si 37

si concedatur officium, debet esse semiduplex, ad differentiam insignis reliquiæ. Barbosa *de offic. Parochi cap.* 10. *num.* 20. Item de Sancto Canonizato non potest fieri officium extra propriam Ecclesiam sine nouo decreto. Gauantus *in Thesaur. tom.* 2. *sess.* 2. *cap.* 2. *num.* 30. Barbosa *vt supra num.* 21. Præterea de Sancto Beatificato nec ab aliis personis, nec alio die, aut loco quam designantur in Bulla Beatificationis potest dici Officium aut Missa. Quia cultus Sancti Beatificati omnibus est prohibitus, nisi iis quibus expressè concessus, & eo modo quo concessus. Diana *Tract.* 15. *Miscellaneus Resol.* 55. & *in Additionib. resol.* 2. Festum Patroni loci celebrari potest (imo, & debet) sed sine octaua, à Regularibus. Idem Gauantus 2. *tom. Thesaur. sect.* 1. *cap.* 5. *tit.* 1. & *in Manu. Episcop. verb. Regular. iura sub Episcopis num.* 28. Titulus altaris, seu Capellæ celebrandus est sub ritu in Calendario descripto, si autem ibi non nominatur, ad illud altare celebrari poterunt Missæ festiuæ cum *Gloria in excelsis*, sed officium nullatenus fiat sine licentia Maiorum. Gauantus *ibid. sect.* 3. *cap.* 12. *num.* 15. August. Barbosa *de offic. & potest. Parochi cap.* 10. *à num.* 17.

38 Quoties cadauera ad Ecclesias Fratrum Mendicantium deferuntur, officia mortuorum, ac reliqua munera, quæ in huiusmodi Monasteriis fieri solent non à Canonicis, neque Clero, sed ab iisdem fratribus obiri, ac peragi debent. Ita declarauit S. Congregat. vt refert Peregr. 2. *p. sui Compend. tit. sepultura in scholio* §. 3. Laurentius de Peirinis *tom.* 1. *priuil. Minim. in Const.* 2. *Iulij II.* §. 21. *n.* 57. Vide dicenda *tom.* 2. *cap.* 1. *n.* 47.

39 Circa cultum Sanctorum, qui ab Ecclesia Canonizati, aut Beatificati non sunt, animaduersione dignum est Sanctissimũ Dominũ Nostrũ Vrbanum decreuisse in generali Congregat. Sanctæ, & vniuersalis Inquisitionis die 2. Octobris anno 1625. vt habetur 4. *tom. Bullar. inter Constitutiones Vrbani num.* 37. *Ne quorumuis hominum cum Sanctitatis, seu martyrij fama quantacumque illa sit defunctorum Imagines, cum laureolis, radiis aut splendoribus facta, & quodcumque aliud venerationem, & cultum præseferens, & indicans in Oratoriis, aut locis publicis, seu priuatis, vel Ecclesiis tàm Secularibus, quam Regularibus cuiuscumque Religionis, Ordinis, Instituti, Congregationis, aut Societatis, apponantur, antequam ab Apostolica sede Canonizentur, aut Beati declarentur; & si quæ apposita sunt, amoueantur, prout eas statim amoueri mandauit.* Ac pariter imprimi de cætero inhibuit libros eorumdem hominum, qui Sanctitatis, siue martyrij fama, vel opinione, vt præfertur, celebres è vita migrauerint, gesta, miracula, vel reuelationes, seu quæcumque beneficia, tamquam eorum intercessionibus à Deo accepta continentes, sine recognitione, atque approbatione Ordinarij, qui in iis recognoscendis Theologos, aliosque pios, ac doctos viros in consilium adhibeat, & ne deinde fraus, aut error, aut aliquid nouum, ac inordinatum in re tam graui committatur, negotium instructum ad Sedem Apostolicam transmittat, eiusque responsum expectet. Reuelationes vero, & miracula, aliaque beneficia supra dicta, quæ in libris horum hominum vitam & gesta continentibus, hactenus sine recognitione, atque approbatione huiusmodi impressa sunt, nullo modo approbata censeri vult, mandatque sua Sanctitas. Ad horum hominum sepulchra vetuit etiam, ac inhibuit tabellas, atque Imagines ex cera, aut argento, seu ex alia quacumque materia tam pictas, quam fictas atque exculptas appendi, seu affigi, & lampades, siue alia quæcumque lumina accendi, sine recognitione ab ordinario, omnino prout supra, facienda; Sedique Apostolicæ referenda, ac approbanda. Declarans, quod per suprascripta præiudicari in aliquo non vult, neque intendit iis, qui aut per communem Ecclesiæ consensum, vel immemorabilem temporis cursum, aut per Patrum, virorumque Sanctorum scripta, vel longissimi temporis scientia, ac tolerantia Sedis Apostolicæ, vel Ordinarij coluntur. Postea vero præcipiens ordinariis, & hæreticæ prauitatis Inquisitoribus, vt vigilent ne aliqua contra prædicta fiant, his pœnis afficit delinquentes. *Trasgressores vero si regulares fuerint priuationis suorum officiorum, ac vocis actiuæ, & passiuæ, nec non, & Suspensionis à diuinis, si vero Clerici sæculares priuationis pariter suorum officiorum, Suspensionis à diuinis, & ab administratione Sacramentorum, executioneque suorum Ordinum respectiue; aliisque arbitrio prædictorum ordinariorum, seu Inquisitorum pro modo culpæ infligendis pœnis plectendo. Qui autem libros impresserint, aut Imagines pinxerint, sculpserint, seu quoquomodo affixerint, vel formauerint, ceterique artifices circa præmissa qualitercumque delinquentes, prædicta omnia amittant, & insuper pecuniariis, alisque etiam corporalibus pœnis iuxta criminis grauitatem eorumdem Ordinariorum, seu inquisitorum arbitrio afficiantur.* Postmodum vero idem S.D.N. à quibusdam reuocari in dubium accepit, an tabellas, & imagines, quas in posterum offerri contigerit, recipere, & antea oblatas conseruare liceret? Pro quo Sanctitas sua declarauit, quod sicut numquam prohibuit, nec suæ intentionis fuit prohibere oblationem, receptionemque tabellarum, & imaginum huiusmodi, ita, vt nulli deinceps hæsitationi locus relinquatur statuit in præsentiarum, & decreuit, vt quoties ad aliquam Ecclesiam, aut Oratorium, locumve alium publicum Secularem, seu Regularẽ, tabellas, & Imagines, aliudve simile quispiam detulerit, ac intercessione hominum inter Sanctos, vel Beatos non adscriptorum, quamuis cum martyrij, vel sanctitatis fama demortuorum, optata se impetrauisse dixerit, liceat Ecclesiasticis personis Ecclesiarum, locorumvè prædictorum curæ Præpositis, tabellas, & Imagines, siue pictas, siue ex quauis materia fictas, atque alia quæcumque collatæ gratiæ fidem facientia, simul cum deferentis, aliorumque qui conscij fuerint attestationibus recipere, atque approbantibus Ordinariis, ad quos referre statim omnia teneantur, in secreto aliquo seorsum ab Ecclesia loco custodire, ibidẽque iam amota collocare, & asseruare, vt si quãdo Dominus talium virorum merita Beatificationis, seu Canonizationis honore in terris decorare voluerit, extent huiusmodi Sanctitatis qualescumque probationes Apost. Sedis Iudicio tunc examinandæ. Peirinis *tom.* 1. *priuil. Minim. in Const.* 3. *Leo X.*

Circa quæ primo aduertendum est, licere Sanctos non Canonizatos, neque Beatificatos, qui scilicet 40
cum opinione sanctitatis è viuis decesserunt priuatim colere, dummodo id non fiat aliquo modo ex prohibitis in hoc decreto. Cum hoc nullo iure sit interdictum, quin à contrario videatur colligi ex *c.* 2. *de Reliq. & Vener. Sanct.* quatenus ibi prohibetur publicus cultus, Bellarm. *tom.* 2. *controu.* 4. *lib.* 1. *cap.* 10 Sanchez *lib.* 2. *in Decal. c.* 43. *n.* 3. Secundò licere eos priuatim inuocare. Propter eamdem rationem. Azor. *p.* 1. *lib.* 5. *c.* 6. *q.* 8. Tertio non licere eis solemnes, aut publicas preces offerre, & multo minus templa, & altaria erigere, aut Sacra in eorum hono

honorem dicere. Ex dicto *cap. 2. de Reliq. & Venerat. Sanctor.* Laurentius de Peirinis *tom. 1. priuileg. Minim. in Const. 3. Leon. X. vt sup.*

41 Pro iis autem, quæ regulares possunt facere in suis Ecclesiis extant sequentes declarationes S. Congreg. Cardinalium Concilij missæ ad Eminentiss. Cardinalem Ludouisium Archiepiscopum Bononiensem, & Principem 2. Iulij anno 1620. Cum enim à S. Congregatione quæsitum fuisset per Curatos illius Ciuitatis. Primò, an regulares possent annunciare dies festos, & ieiunia in suis Ecclesiis ad altare in celebratione Missæ? Secundò an possent recipere ea, quæ offeruntur, & dare pacem populo ad Missam? Tertiò, an possent portare pluuiale, aut stolam, per Parochiam extra Ecclesiam, aut Claustrum? Quarto, an quando vocantur ad sepulturam mortuorum debeant accedere ad domum vbi est corpus defuncti an vero ad Ecclesiam Parochialem, vbi Clerus congregari consueuit, aut expectare in via? Quintò, an possent celebrare primam Missam in eorum Ecclesiis ante Missam Curati? Sextò, an possent infra Missam publicare ordinationes D. Cardinal. Archiepiscopi, Matrimonia, & alia quæ occurrent? Septimò, an possent prædicare in eorum Ecclesiis tempore Aduentus, Quadragesimæ, & infra annum, quando prædicatur in Ecclesia parochiali? Octauò, an possent extra eorum Ecclesias, aut Claustra, portare pluuiale, aut stolam, quando faciunt processiones sui ordinis? Nonò, an possent in eorum Ecclesiis recipere mulieres ad purificationem post partum? Decimò, an cum fratres aliqui extra Monasterium moriuntur, & à Curatis Sacramenta receperunt possent ab eorum Superioribus ad suas Ecclesias deferri, Parochis inconsultis? Vndecimò, an quando moritur aliquis Superior religiosorum, vel Magister aut Cathedraticus possent corpus illius portare per Ciuitatem per plateas, & alias Parochias cum musica, & ritibus extra ordinariis, aut illi imponere pluuiale, sine interuentu Parochi? Duodecimò, an Religiosi possint admittere ad celebrandum in suis Ecclesiis presbyteros extraneos non habentes licentiam à sua Illustriss. Dominat. vel eius Vicario, si hoc prohibitum sit ab eodem Illustrissimo. Tertiodecimò, an possent recipere, triticum, vuas, ligna, & similia, antequam Parochus receperit suas primitias? Quartodecimò, an possent in Hebdomada sancta benedicere domos in Diœcesi existentes, cum hoc sit munus Parochi, vt habetur in nouo rituali Romano? S. Còngregatio Cardinalium Concilij Interpretum ad singula capita proposita in hunc modum respondit. Ad primum. *Regulares non prohiberi dies festos, & ieiunia in suis Ecclesiis annunciare.* An verò ad id faciendum cogi possint ab Episcopo tractat Barbosa *de offic. Parochi cap. 16. numero 26.* Nota tamen singularem declarationem S. Congreg. Episcoporum, & Regularium 9. Maij 1642. qua declarauit Priorem cuiusdam Conuentus siti in quadam Terra in qua non erat nisi vna Ecclesia Parochialis qui volebat celebrare, vel celebrari facere in sua Ecclesia antequam Parochus, cogendum ad denunciandum inter Missarum solemnia dies festos, vigilias, excommunicatos, Matrimonia, &c. & alia quæ illi Parochus intimaret; alioquin quod differret celebrare post Parochum. Ad secundum. *Respondit posse, dummodo à perambulationibus per Ecclesiam, ac similibus eleemosynarum extorsionibus abstineant.* Ad tertium. *Non posse.* Ad quartum. *Debere ad parochialem Ecclesiam accedere, vbi Clerus congregari consueuit:* Pro quo vide Barbosam ibid. *cap. 26. num. 63. & seqq.* Ad quintum. *Prohiberi non posse, quominus Missa in Ecclesiis Regularium celebretur ante Missam parochialis Ecclesiæ.* Vide dicenda *cap. 21. num. 17.* Ad sextum. *Non posse publicare Matrimonia.* Ad septimum. *Posse, petita tamen benedictione ab Illustrissimo Archiepiscopo.* Ad Octauum. *Non licere Regularibus huiusmodi processiones facere extra Ecclesias, & ambitum illarum.* Pro quo etiam vide alia apud eundem Barbosam *de offic. & potest. Parochi cap. 12. à num. 13.* & Dianam *Tract. 2. de Dubiis Regular. resol. 87.* Ad nonum. *Regulares non prohiberi in eorum Ecclesiis mulieres post partum ad purificationem admittere* Ad decimum. *Regulares extra claustra decedentes posse ad eorum Ecclesias deferri, etiam Parochis inconsultis.* Barbosa *vt sup. num. 68. cap. 26.* Ad vndecimum. *Non posse.* Ad duodecimum *Non licere Regularibus in suis Ecclesiis ad celebrandum admittere Presbyteros sæculares contra prohibitionem Illustrissimi Archiepiscopi.* Ad tertiumdecimum. *Non esse id prohibitum Regularibus.* Ad quartumdecimum. *Non posse.* Vide circa hoc eumdem Augustimum Barbosam *vt sup. n. 12.* Vide etiam Laurentium de Peirinis *tmo. 2. priuil. Minim. in Const. 7. Pij V.*

Nota etiam quod cum à S. Congregatione. Rituum postulasset Generalis Carmelitarum declarari an Religiosi dicti Ordinis qui vtuntur proprio Breuiario deberent recitare Sanctorum Casimiri & Hiacynthi confessorum, Gregorij Thaumaturgi Episcopi & confessoris ac dedicationis Basilicæ Apostolorum Petri & Pauli iam inserta, in Breuiario Romano, eadem S. Congregatio respondit, *eos ad dicta officia teneri.* Similiter cum ex parte Ecclesiæ Maioricensis postulatum esset ab eadem S. Congregatione an Regulares tenerentur ad recitandum officium dedicationis Ecclesiæ Cathedralis, etiamsi festum d. Dedicationis non sit de præcepto: eadem respondit 13. Martij 1649. *teneri.* 42

Notandum maxime quod de anno 1651. pro die 19. Augusti ad S. Congregationem hæc dubia proposita essent pro declaratione. Primum, *an stante decreto quod in diebus quibus prohibetur fieri de festo duplici non possint dici Missæ votiuæ, neque de requie, in vigilia Pentecostes omissa solemni Missa de eadem à qua dictum festum incipit, possit cantari Missa de B. Virgine.* Secundum, *an Regulares qui vtuntur Missali Romano in celebratione Missarum tam priuatarum quam solemnium ritus in Missali præscriptos immutare possint, addendo vel minuendo aliqua seu ritus alios surrogando in choro, aut in altari sub alicuius antiquæ consuetudinis prætextu, an potius omnia in eodem Missali & Cæremoniali præcepta ad vnguem sine vlla additione, diminutione, vel immutatione seruare debeant.* Tertium, *an quando Missa canitur sine ministris purificari possit tam altare quam chorus, vt alias fit quando ministri adsunt.* Quartum, *an sub illis verbis quibus Summi Pontifices Clemens VIII. & Sanctissimus Dominus Noster Innocentius X. in suis constitutionibus vtuntur Cæremoniale Episcoporum approbantes, & obseruari mandantes ab omnibus & singulis personis ad quas spectat & in futurum spectabit Regulares qui ritum Romanum in officio diuino & Missa sequuntur, comprehendantur, adeo vt etiam ipsi ad præscriptum eiusdem Cæremonialis omnia peragere, & præstare debeant.* Quintum, *an Regulariũ Cæremonialia, quæ prædicto Episcoporum Cæremoniali in aliquibus conformia non sunt, prohibeantur* Sextum, *an quando sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum publicè discoopertum exponitur omnes ante illud transeuntes cuiusuis conditionis & ordinis sint,* 43

seu

seu ad illud accedentes, & ab eodem recedentes semper vtrumque genu flectere debeant, super quibus sic responsum est: Ad primum, *negatiuè iuxta ribricas.* Ad secundum, *nihil addi, minui vel immutari posse, sed omnia in eodem Missali & Cæremoniali præscripta ad vnguem seruanda esse.* Ad tertium, *negatiuè.* Ad quartum, *affirmatiuè nisi aliter fuerit à Sede Apostolica specialiter indultum.* Ad quintum, *vt ad proximum.* Ad sextum, *affirmatiuè.*

44 Extat etiam decretum S. Congregationis Rituum Romæ in Typographia Reu. Cameræ Apostolicæ impressum, & ab Illustrissimo & Reuerendissimo D. Roccio Secretario eiusdem S. Congregationis pro sua erga me benignitate mihi traditum, quo nouissimè explicatur id quod *sup. n.* 37. dictum est circa cultum Sanctorum Beatificatorum, quod est tenoris sequentis.

Decretum S. Rituum Congregationis.

Sacrorum Rituum Congregatio die 5. Octobr. 1652. censuit & declarauit, si Sanctissimo Domino nostro placuerit, non potuisse nec posse tam seculares, quàm Regulares cuiuscunque Ordinis & Instituti etiam Societatis Iesu, excedere limites verbales Indultorum Sedis Apostolicæ super Beatificationibus, præsertim in celebratione Missarum, & officij cum Octauis, nisi hoc expresè Sedes Apostolica eis indulserit. Et facta relatione per me Cardinalem Cornelium Episcopum Albanensem die 16. Decembris Sanctitas sua approbauit, & sicut præmittitur seruari mandauit.

F. Episcopus Albanensis Cardinalis Cornelius. loco †. sigilli. Bernardinus Roccius S. Rituum Congr. Secretarius.

SVMMARIVM.

Regulares semper debent portare habitum sui ordinis. num. 1.
Sub pœna extommunicationis maioris. n. 2.
Quando incurritur. ibid.
Incurritur etiam si hoc fiat animo non apostatandi. num. 3.
An si fiat modico tempore. n. 4.
An intra Monasterium. n. 5.
An si fiat assumendo habitum alterius Religionis. num. 6.
An tempore somni, & in lecto. n. 7.
An occultando proprium habitum. n. 8.
Potest à Papa Religiosus in hoc dispensari. n. 9.
Quæ mutatio habitus Regularis in secularem sufficiat ad hanc excommunicationem. n. 10.
Quid de mutatione, aut occultatione tantum partis habitus. n. 11.
Portantes habitum aliarum Religionum à quibus puniendi ex priuilegiis. n. 12.
De Prothonotario dimittente habitum Regularem, & quid de eo senserit Congregatio. n. 13.
Responsio ad vulgare dubium. n. 14.
S. Congregationis declaratio. n. 15.
Item alia declaratio eiusdem S. Congregationis. numero 16.
Necessitas existendi extra claustra sine habitu regulari qualis esse possit & debeat. n. 17.
Roboratur sententia & resolutio dubij. n. 18.



CAPVT XIII.

De obligationibus Regularium, quoad habitum Religiosum portandum.

QVamuis iuxta commune dictum, quod etiam appprobat Concilium Tridentinum *sess.* 14. *cap.* 6. habitus non faciat Monachum; nihilominus, quia est signum Religionis, quam religiosi profitentur, ideo adstricti sunt singuli ad portandum habitum Religiosum semper, & in omni occasione; ita vt contrarium facientes peccent quandoque mortaliter, quandoque venialiter, nisi in casibus inferiùs assignandis. *Cap.* 2. *ne Clerici, vel Monachi in* 6. *cap. Vidua* 20. *quæst.* 1. *& cap. Sanctimonialis dicto* 23. 1

Hinc Religiosi omnes temerè habitum suæ Religionis dimittentes sunt excommunicati excommunicatione maiori nulli reseruata *in cap.* 2. *ne Cleric. vel Monach. in* 6. Comprehenditque hæc excommunicatio non solùm Religiosos illarum Religionum, quæ tempore huius legis erant, sed etiam quoscumque alios futuros. Lex enim generalis, & perpetua afficit non solùm natos, sed & in posterum nascituros. Bonacina *de Clausura quæst.* 2. *punct.* 2. §. 23. Dicuntur autem temerè habitum dimittere, qui sine iusta, aut honesta causa illum dimittunt. Vnde si quis Religiosus transiturus per loca Hæreticorum, aut Turcarum, aut aliorum hostium Religiosi habitus, habitum dimitteret, non incurreret hanc excommunicationem. Eò quòd tunc esset iusta causa illum dimittendi. Suarez 5 *tom. in* 3 *par. disput.* 23. *sect.* 4. Nec etiam illam incurreret, qui ex ignorantia huius canonis habitum dimitteret, Quia dictio illa *temerè.* idem significat, quod scienter, iuxta dicta *cap.* 10. *num.* 33. Suarez *tom.* 5. *in* 3. *p. disput.* 4. *sect.* 10. *num.* 3. Sanchez *lib.* 9. *de Matr. disput.* 32. *num.* 38. Nec etiam incurret illam, qui est captiuus inter Turcas, si Turcæ non permittant portare habitum. Quia tunc est causa rationabilis dimittendi illum. Hieron. Gratian. *in discip. Regul. c.* 3. §. 1. 2

Incurritur tamen hæc excommunicatio, etiam si is, qui dimittit habitum, non hoc faciat animo apostatandi. Eò quòd talis conditio non assignatur *in dicto c.* 2. *ne Clerici*, nec includatur in dimissione habitus, cum possit esse aliquis apostata cum habitu, si recedat à religione animo deserendi illam in perpetuum, & non apostata dimittendo illum, si relinquat illum non animo dicto. Palud. *in* 4. *dist.* 18. *quæst.* 3. *a.* 3. *n.* 41. Nauar. *lib.* 5. *cons. tit. de apostat. cons. vnic.* 3

Incurritur etiam hæc excommunicatio, etiam si hæc habitus dimissio solùm fit per aliquod tempus. Eò quod decisio text. *in dicto cap.* 2. *ne Clerici* loquitur absolutè. Caietan. *in Summa verb. excommunicat. cap.* 61. Sanchez *lib.* 6. *in Decalog. cap.* 8. *n.* 48. Si autem per tam breue tempus, vt moraliter loquendo, secundùm prudentium æstimationem potiùs spoliatio, quàm dimissio habitus dicatur, non incurritur. Cum textus solùm loquatur de missione habitus, & cum sit lex pœnalis non sit extendenda vltra verborum proprietatem. Bannez 2. 2. *quæst.* 12. *articulo* 1. *dub.* 2. Azorius *lib.* 12. *Institut. Moralium capite* 13. *quæst.* 5. *cas.* 16. Quod intellige- 4

tellige, etiam si fiat animo faciendi paruo illo tempore aliquam rem minus licitam, aut etiam illicitam, seu turpem. Propter eandem rationem. Nauarrus *in Summa cap.26.num.*131. Azor.*tom.*1. *Instit. Moral. lib.*12.*cap.*13.*quæst.*5.*casu* 16. Extenditur etiam ad illum, qui breui illo tempore dimitteret habitum causa diuagandi, aut eundi ad quemcumque locum. Sanchez *lib.6.in Decalog.c.*8. *& n.*56.

5 Incurritur etiam hæc excommunicatio, etiam si habitus dimissio fiat intra Monasterium. Quia textus dicti *capitis* 2. non petit Monachi euagationem extra Cœnobium, sed solam habitus dimissionem, maximè præbentem occasionem ad vagandum, qualis est ista. Syluester *verb. excommunicat.*9.*c.*25. *num.*55.Sayr.*de censuris lib.*3.*cap.*33. *num.*19. Hinc dimittere Religiosum suum habitum, etiam in Monasterio, & indui veste fœminea propter ludum laruarum, vel aliquam comœdiam faciendam, quidam dicunt esse peccatum mortale. Si tamen fiat ob honestam recreationem, eutrapeliam, vel alium honestum finem, debitisque pensatis circunstantiis, quātum est ex se, & sua natura non erit peccatum, saltem mortale; licet semper sit periculosum propter infirmitatem, & corruptionem naturæ. Graff.1.*p.decis.lib.*3.*c.*5.*n.*77.

6 Incurret etiam hanc excommunicationem Religiosus, qui habitum suæ religionis dimittit, & alterius Religionis induit. Ratio est, quia iste talis verè comprehenditur in illo canone *cap.*2. *ne Clerici* cùm verè habitum suæ Religionis dimittat, Bannez 2.2.*disputat.*1.*quæst.*12.*artic.*1. Sayr. *de censur.lib.*3. *c.*38. Quando tamen dimissio proprij habitus, & assūptio habitus alterius religionis fit propter rationabilem causam, vt scilicet, quia debet esse in illa religione talis Religiosus per aliquod tempus, vel in ea prædicare, docere, vel ob aliam iustam, & honestam causam, credo quòd tunc non incurret hanc excommunicationem. Eò quòd in prædictis casibus non est temeraria, sed rationabilis, & honesta talis dimissio habitus; textus autem loquitur de temeraria dimissione, Bannez 2.2.*disp.*1. *quæst* 12.*articul.*1.*dub.*2. & ex parte Azor.*tom.*1.*lib.*12. *Institut. Moral.c.*17.*quæst.*14. Si verò assumptio habitus alterius religionis fit transeundo ad illam illicitè, & contra iura, quamuis multi probabiliter dicant incurri tunc hanc excommunicationem, vt Nauarrus *in Summa cap.*27. & Suarez 5. *tom. in* 3. *p. disp.*23. *sect.* 4. Probabilius tamen est contrarium. Eò quòd textus *in illo cap.*2. *ne Clerici* eam habitus dimissionem excommunicationi subiicit, quæ attentis circunstantiis est periculosa ad vagandum, & vt credo ad mala perpetrandum; hæc autem non est ita. Araron.2.2.*quæst.*12 *art.*1. Lessius 2.*de iust.& iure c.*41. *dub.*13.

7 Etiam in lecto, aut dormientes, tenetur Religiosus habitum suæ religionis portare, & peccat illum dimittendo. Quia videtur præcipi ab Ecclesia *in cap. vidua* 20. *quæst.*1. Vbi dicitur, *seu in lectulo, quiescens, siue in quocumque loco consistens constanter vtatur apta Religionis professioni veste.* Fere idem habetur *cap. Sanctimonialis dist.*23. Quantum autem sit hoc peccatum? Quidam dicunt esse mortale. Graffis *lib.*3. *decis.cap.*5.*n.*75. Quod admitti posset respectu illorum, qui omninò nudi, etiam sine camisia, causa aliqua non vrgenti, in lecto dormirent. Alios autem, qui aliqua decente veste, aut tunica induti dormiunt sine habitu suæ Religionis solùm credo peccare venialiter. Quia decreta adducta non amplius petunt. Imò etiam à veniali peccato excusarem illos, qui ob rationabilem causam solum paruo habitu suæ Religionis cum tunica interiori induti dormiunt. Quia ita videtur consuetudine introductum etiam inter magis timoratos. Suarez 4. *tom. de Relig. lib.*1. *cap.*5. *num.* 18. Consulendæ in hoc sunt leges, & consuetudines particularium Religionum.

Illum, qui etsi non dimittat habitum suæ Religionis, illum tamen omninò occultat, ita vt nullo modo appareat, absque rationabili causa, probabilius est, incurrere prædictam excommunicationem, *cap.*1.*ne Clerici.* Ratio est, quia moraliter loquendo, & in ordine ad notitiam aspicientium idem est omnino occultare habitum, ac illum dimittere, sicut idem erit Iudæum inter Christianos commorantem occultare illud signum, quod portat, ac illud dimittere, atque ita eadem pœna punietur. Pariter ergo in præsenti, & quoad intentum huius legis idem erit omninò occultare habitum, ac illum relinquere. Atque ita vtroque modo incurretur hæc excommunicatio. Nauarus *in Sum.cap.*27. Bannez 2.2.*disp.*1. *q.*12.*punct.*1. Sicut autem relinquere habitum propter grauem necessitatem, v. g. tuendi vitam, vel vitandi graue aliquod damnum, vel scandalum, excusat ab hac excommunicatione, iuxta dicta *suprà num.*2. sic etiam omnino illum occultare excusabit ab illa prædictis, aut similibus casibus. Ratio est eadem, quia leges humanæ non censentur obligare cum tanto dispendio, præsertim, quia occultare habitum in casibus assignatis non est temeraria occultatio, aut dimissio, sed prudens, & rationabilis. Suarez 4. *tom. de Relig tract.*8. *lib.*1. *cap.*5. *numero* 13. 8

Potest dispensari cum Religioso quòd omninò non habeat habitum, vel saltem quod illum deferat occultum: cum hæc obseruantia non sit de essentia status Religiosi. In hoc tamen solus Pontifex dispensare potest, quia ad illum spectat in iure communi dispensare. Suarez 4. *to.de Relig.tract.*8.*lib.*1. *cap.*5. *num.*15.*&* 16. Vnde in Concil. Trident. *sess.* 25. *capite* 19. præcipitur, *ne detur licentia cuicumque Regulari occultè ferendi habitum suæ Religionis.* 9

Qui habitum Regularem mutat in habitum sæcularem, si seriò id faciat, & vt pro illo tempore sæcularis appareat, etiam si tempus breue sit, probabile est peccare mortaliter, & incurrere excommunicationem adductam. Ratio est, quia talis mutatio quantumuis pro breui illo tempore facta videtur materia grauis, & habere notabilem deformitatem repugnantem statui Religioso. Nauarrus *Const. de apostas. num.*6. Rosella *verb. excommunicat.* Si verò talis mutatio habitus fiat non seriò, sed ludi causa ad repræsentandum, vel quid simile, non erit peccatum præsertim mortale, neque propterea incurret sic faciens excommunicationem. *Suarez* 4. *tom.de Relig.tract.*8.*l.*1.*c.*5 *num.*9. Vide *suprà numero* 5. 10

Loquendo autem de eo, qui mutat, aut occultat non totum habitum, sed partem illius, dicendum est: quod si sit talis mutatio, aut occultatio partis, quod ex reliquo cognosci non possit, an talis persona Religiosa sit, nec ne, committitur peccatum mortale sufficiens ad excommunicationem; quia est grauis transgressio legis, & quoad materiam, & quoad finem ipsius, qui est, quòd persona Religiosa cognoscatur, & habeatur vt talis. Si verò pars habitus, quæ remanet immutata, & apparens, sit talis, quæ sufficienter manifestet personam illam esse Religiosam, non peccabit saltem mortaliter, nec incurret 11

curret censuram. Quia reuera non dimittit, neque occultat proprium statum. Suarez *tom.4. de Relig. tract.8. lib.1. cap.5. num.11.* Bonacin. *de clausur. q.2. punct.2.§.8.*

12 Contra illos, qui habitum Carmelitarum deferre audent, vel ita consimilem, vt propter eum Carmelitæ credi possint, absque Sedis Apostolicæ mandato speciali, possunt procedere Diœcesani per censuram Ecclesiasticam. Ita concessit Sixtus IV. in Bulla *dum attenta in specul. Ordin. fol.89. & 90.* Eadem prohibitio, quòd nullus possit habitum consimilem habitui Minimorum portare, facta est à Leon. X. Lauren. de Peyr *tom.1. priuil. Minim. in Const.2. Iul. II.§.18.n.53.* Consulenda etiam sunt priuilegia aliarum Religionum.

13 Facit etiam ad intentum huius capitis quod cum quidam Prothonotarius Apostolicus regularis deposuisset habitum suæ religionis, coactus est à S. Congregatione Regularium de anno 1649. pro 27. Martij illum reassumere, & comminatum est illi, puniendum, si in similem errorem caderet, & super hoc scriptum ad Illustriss. Nuntium Poloniæ. Nota etiam obiter ex declaratione etiam alia eiusdem S. Congregationis pro 21. Sept. 1646. colligi, hoc Officium Protonotariatus Apost. non posse exerceri à Regularibus sine Sedis Apostolicæ authoritate, sicque rescriptum ad Illustriss. Hispaniarum Nuntium.

14 Ad vulgare autem dubium quo inquiri solet, an rationabili causa subsistente possit à S. Congregatione concedi facultas alicui Religioso existendi extra claustra, deposito habitu regulari, & mutato in habitum Clericalem, videtur absolutè respondendum affirmatiuè, supposita tamen prudentissima circumspectione, qua in similibus causis solet eadem S. Congregatio procedere circa qualitatem, & conditionem Religiosi qui habitum deponit, Religionis, cuius est talis habitus, & causæ seu motiui,

15 propter quod id postulatur. Primo quidem ex praxi eiusdem S. Congregationis. Etenim vt vidi die 2. Maij 1615. in litteris scriptis ad Illustriss. Nuntium Galliarum id concessit cuidam Religioso Capuccino, donec à Religione non vocaretur, & dummodo semper maneret inhabilis ad beneficia secularia obtinenda. Et 28. Ianuarij 1606. duobus Eremitis Ordinis S. Pauli cum certis etiam conditionibus. Et 8. Maij eiusdem anni alteri Religioso Capuccino, donec videlicet à Religione vocaretur. Secundo quia præceptum deferendi

16 habitum est humanum, *Cap. vt periculosa ne Clerici vel Monachi in 6.* Sanchez *in praecept. Decalog. lib.6. cap.6. num.22.* & alij communiter. Præcepta autem humana dispensabilia sunt, ac multò magis commutabilia, prout contingeret quando habitus

17 regularis mutaretur in Clericalem. Tertio quia talis necessitas occurrere poterit Religioso existendi extra claustra sine habitu regulari, vt non solum id possit, sed etiam teneatur facere, prout de extrema necessitate parentum fatentur Cordub. *in Summa quæst.141. artic.2. op.4. punct.2. vers. y no es el mismo,* Sanchez *suprà lib.4. cap.20. num.14.* Quanuis prudenter animaduertant ne Religiosus decipiatur

18 credens esse necessitatem extremam quæ non est talis: de quo etiam Nauarrus *lib.1. cons. tit. de Regul.*

19 *in 1. edit. consil.26. n.vn. in 2. cons.3. num. vnic.* Conradus *in respons. tom.1. quæst.61.* Ex quo roborantur dicta. Si enim in casu extremæ necessitatis parentum id fieri debet, multo magis permitti à S. Congregatione. An vero etiam in casu grauis necessitatis id procedat, dissentiunt Doctores, de quo Sanch. *ibid. num.15. & seqq.* ad minus tamen hæc opinionum varietas suadet Sanctam Congregationem re maturissimè, vt solet, perpensa id posse permittere.

SVMMARIVM.



CAPVT XIV.

De Obligationibus Regularium, quoad Sacros Ordines suscipiendos.

Modo post Concilium Tridentinum nullo modo possunt Religiosi ante ætatem ab ipso præscriptam, nempè *ad Subdiaconatus Ordinem ante vigesimumsecundum, ad Diaconatus ante vigesimum*

mumtertium, ad Presbyteratus ante vigesimumquintum ætatis annum promoueri, *priuilegiis quibuscumque quoad hoc penitus exclusis.* Concil. Trident. *sessione* 23. *cap.*12. Nec ad hoc iuuat priuilegium quoddam, quo Pius V. viuæ vocis oraculo dicitur concessisse Regularibus, posse vti in foro Conscientiæ omnibus suis priuilegiis etiam derogatis à Concil. Trident. Tum quia hoc est valdè incertum. Tum quia etiam si esset certum, est reuocatum à Sixto V. in Constitut. *Sanctum*, & *Salutare* contra male promotos edita, quia strictè præcipit obseruari Concilium Tridentinum, contrariis quibuscumque non obstantibus. Quæ Constitutio Sixti V. non est à Clement. VIII. quoad hoc moderata in Bulla quæ incipit *Romanum Pontificem* ann. 1595. edita, & habetur 3. *tom. Bullar. num.*40. Quia in ea solùm fuit moderata prædicta Constitutio Sixti V. quoad pœnas, & censuras in ea contentas *contra quoscumque, præterquam contra Simoniacè ordinantes, & ordinatos.* Quoad reliqua verò reducta est ad terminos Sacrorum Canonum, Constitut. Pij II. & decretorum Concilij Tridentini. Cum ergo à Concilio Tridentino præscripta sit ætas ordinandorum, exclusis quibuscumque priuilegiis, nullo pacto ante illam possunt Religiosi Ordinari. Mirand. *in Man. to.*1.*q.*39.*a.*1. Omitto, id quod sæpius dixi, videlicet omnia huiusmodi viuæ vocis oracula annullata fuisse à Sanctiss. D.N. Vrb. VIII. ac per consequens huiusmodi viuæ vocis oraculum Pij V. esto quod fuisset verum, iam nullius est momenti. Vide dicta *c.*3.*n.*21.

2 Vnde Religiosi suscipientes Ordines ante legitimam ætatem remanent suspensi, & *si huiusmodi suspensione durante in eisdem Ordinibus ministrare præsumpserint, eo ipso irregularitatem incurrunt.* Ita statuit Pius II. in Bulla, *Cum ex Sacrorum* ann. 1461. edita, in *tom.*1.*Bullarij* inter Bullas huius Pontificis *num.*7. An verò huiusmodi suspensio incurratur si per aliquas horas ante ætatem requisitam aliquis suscipiat Ordines Sacros, Diana *Tract.*16. *Miscel. Resol.*29. Huiusmodi autem suspensio solùm est ab executione illius Ordinis, ante legitimam ætatem suscepti, vt patet in illis verbis *in eisdem Ordinibus ministrare præsumpserint.* Vnde non impedit vsum aliorum Ordinum legitimè susceptorum. Suarez *de Censuris disp.*31.*sect.*1. Quaranta *in Summ. Bull. v. Ordo.* Permanet autem hæc suspensio non solùm vsque ad legitimam ætatem superuenientem, sed ea etiam superueniente, vsque ad dispensationem, seu absolutionem. Tolet. *in Summa leg.*1. *cap.*61. Cornexo *tom.*2. *in* 3. *part. disput.*4. *de Suspensione dub.*1.

3 Eandem suspensionem incurrunt, *qui absque dispensatione Canonica, aut legitima licentia, siue extra tempora iure statuta, vel absque dimissoriis litteris ad aliquem ex Sacris Ordinibus se fecerint promoueri.* Ita statuit Pius II. in Bulla adducta, & Sixtus V. etiam in Bulla illa *Sanctum, & Salutare,* quæ est 91. inter Bullas huius Pontificis. Mirand. *in Man. to.*1. *disput.*39. *art.*6. Cornexo *vt suprà.* Vide dicenda. *n.*18. *&* 19.

4 Hanc autem suspensionem non incurrere illos, qui non ex dolo, aut malitia, sed bona fide, aut ignorantia crederent, posse suscipere Ordines ante legitimam ætatem extra tempora, vel sine litteris dimissoriis, docent aliqui. Eò quòd (inquiunt) Pius II. solùm apposuit illam contra præsumentes, & vt constat ex dictis supra *cap.*10. *num.*33. cum tale verbum in Constitutionibus Pontificiis ponitur, solùm comprehendit eos, qui ex dolo, & malitia illas transgrediuntur, Toletus 1. *cap.*55. post Nauarrum, & alios. Miror tamen viros doctos ita dixisse, cum (vt constat ex verbis Pontificis in prædicta Bulla) non vtatur verbo *præsumere* quoad incurrendam suspensionem, quia ad hoc solùm dicit, *ad aliquem ex Sacris Ordinibus se fecerint promoueri,* sed quoad incurrendam irregularitatem si sic suspensi in Ordinibus ministrauerint: sic enim dicit, *& si huiusmodi suspensione durante in eisdem Ordinibus ministrare præsumpserint, eo ipso irregularitatem incurrant.* Quare dicendum videtur ad incurrendum dictam suspensionem non requiri dolum, aut malitiam sed sufficere ex ignorantia culpabili suscepisse Ordines sine prædictis conditionibus iuxta dicta supr. *c.*10. *n.*33. *cit.*

Quamuis contra prædictos suscipientes Ordines sine legitima ætate, aut sine aliis conditionibus assignatis, Sixtus V. in Bulla Sanctum, & salutare ann. 1598. edita *in* 2. *tom. Bullar. inter Bullas huius Pontificis num.*91. grauissimas pœnas statuerit, eorumque absolutiones, & dispensationes soli Summo Pontifici reseruauerit, adeò, vt neque per Iubilæa, Cruciatam, aut alia priuilegia, etiam à Maiori pœnitentiario absolui, aut dispensari possent, tamen Clem. VIII. in Constitutione adducta supra *numer.*1. moderauit, & reduxit dictas pœnas, earumque absolutionem, & dispensationem (*præterquam contra simonaicè ordinantes, & ordinatos*) ad terminos Sacrorum Canonum, Constitutionis Pij II. & decretorum S. Concilij Trident. iuxta dicta sup. num. 1. 5

Prædicti quoque ordinati sine prædictis conditionibus, aut aliqua earum, possunt beneficiis Ecclesiasticis iure priuari. Ita statuit Pius II. in prædicta Bulla per hęc verba *Præterea, vltra alias pœnas in tales generaliter à iure inflictas, beneficiis Ecclesiasticis possint iure priuari.* 6

Prædicti suspensi ob receptionem ordinum sine legitima ætate, aut conditionibus assignatis fiunt irregulares, si *in eisdem Ordinibus ministrare præsumpserint.* Ita idem Pius II. in prædicta Bulla. Tunc autem dicentur ministrare in eisdem Ordinibus, quando actus proprios, ad quos tales ordines deputati sunt, exercuerint. Vt si Missam dicant. Euangelium cantent, aut Epistolam cum apparatu solemni. Nauarr. *in Man. cap.*27. *num.*244. Non autem erunt irregulares sedendo cum Sacerdotibus, assistendo electionibus, & aliis actibus, qui solum conueniunt Sacris insignitis, aut Sacerdotibus secundum iura Religionis. Quia tales actus non sunt ex natura sua officia diuina, aut proprij Ordinis. Miranda *in Manual. tom.*1. *quæst.*39. *articul.*9. Semper tamen erit peccatum iuxta grauitatem materiæ prędictis actibus se ingerere. Quia sunt actus prohibiti. Mirand. *in Manual. tom.*1. *quæst.*39. *articul.*9. Rodriguez 3. *tom. quæst.*22. *articul.*12. Facere autem officium Hebdomadarij in Choro, seu dicere Collectam, aut Capitulum in Choro, & similia, cum sint actus proprij Ordinis Sacerdotalis inferent irregularitatem, in eo, qui Sacerdotium sine legitima ætate, aut aliqua ex conditionibus assignatis suscepit. Nauarrus *in Man. c.*27. *n.*244. Peyr. *to.*1. *priu. Min. in Const.*1. *Iul. II. n.*25. 7

Suscipientem Presbyteratum sine legitima ætate, aut sine aliqua ex conditionibus assignatis, putant aliqui eodē actu incurrere suspensionem & irregularitatem, quando ordinatur, Suspensionem quidē, propter dicta. Irregularitatem vero, quia cum ordinatur, celebrat cum Episcopo, ac per consequens exercet actum Ordinis cum suspensione. Nauarrus 8

in

in cons.4. de cleric. excomm. ministr. Verumtamen opposita sententia, scilicet non incurrere tunc irregularitatem, probabilior, & benignior est. Eò quòd praxis Cancellariæ illum non repotat irregularem. Suarez *de censur. disp.31. sect.1.* Quaranta *in Summa Bullar. verb. Ordo.* Cornexo *disp.4. de suspensione dub.2.*

9 Contra illos, qui ad Ordinem Presbyteratus non sunt promoti, & Missas celebrant, ac confessiones audiunt, procedit Tribunal S. Inquisitionis. Ex Gregor. XIII. in Bulla *Officij nostri* ann. 1574. & est in 2. *tom. Bull.* Laertij *num.21.* Et ex Clem. VIII. in Bulla *Et si aliàs* ann. 1601. habetur tales nefarios præuia degradatione curiæ sæculari tradendos esse 3. *tom. Bull. inter Bull. huius Pontific. Bull.81.* Quaranta *in Summa Bullar. verb. Ordo.* Vide etiam dicta *c.10. num.22.*

10 Religiosi debent ordinari sine titulo Beneficij, aut Patrimonij. Ratio est, quia licet Concil. Trid. generaliter id pro omnibus præcipiat *sess.21. cap.2.* huiusmodi tamen decretum non extenditur ad Regulares, quia illis, vt inquit Antoninus 3. *part. tit.14.* pro titulo deseruit sporta. Nauarrus *in Man. cap.27. num.258.* Hoc etiam dicitur de scolaribus Societatis Iesu, quia tria simplicia vota fecerunt. Tum quia sunt verè Religiosi, tum quia ita declarauit Greg. XIII. vt refertur in compendio eiusdem Societatis *v. Ordo.* Regularis. Porrò qui scit suam professionem irritam esse, si ordinatur, peccat mortaliter, & incurrit pœnas, quas sæculares Clerici incurrunt si ordinantur sine beneficio aut patrimonio. Quia re vera talis Regularis Secularis est. Portellus *in Dub. Regular. verb. Ordines Sacri num.8.* Dian. *tract.2. de Dub. Regular. Resol.113.*

11 Regulares hodie post Concil. Trident. non possunt ab Episcopis ordinari, etiam in suis domibus, sine licentia Diœcesanorum, in quorum districtu eorum Monasteria sunt sita. Ratio est, quia licet circa hoc habuerint antiquitus priuilegia, modò tamen sunt abrogata à Concil. Trident. *sess.6. cap.5.* per hæc verba. *Nulli Episcopo liceat cuiusuis priuilegij prætextu Pontific. in alterius Diœcesi exercere, nisi de Ordinarij loci expressa licentia, & in personas eidem Ordinario subiectas tantùm, si secus factum fuerit, Episcopus ab exercitio Pontificalium, & sic ordinati ab executione Ordinum sint eo ipso suspensi.* Miranda *in Manual. tom.1. quæst.38. articulo 3.*

12 Quamuis antiquitus possent Regulares ordinari à quocumque Catholico Episcopo, propter priuilegium Clementis Quarti concessum Minoribus, & per consequens omnibus, qui eorum priuilegia participant, modò tamen seruari debent, quæ Sacr. Congregat. ex mandato Clement. Octaui præcepit omnibus Superioribus Regularium, videlicet posse suis subditis Regularibus, qui præditi qualitatibus requisitis Ordines suscipere voluerint, litteras dimissorias concedere, *ad Episcopum tamen Diœcesanum, nempè illius Monasterij, in cuius familia ab his ad quos pertinet, is Regularis positus fuerit. Et, si Diœcesanus abfuerit, vel non esset habiturus ordinationes, vel sedes Episcopalis vacauerit.* (Vt quidam adiungunt. Peyrinis *tom.1. de priuil. Minim. circa Constit.2. Sixti IV. §.11. num.33.*) *ad quemcumque alium Episcopum, dum tamen ab eo Episcopo, qui Ordines contulerit, examinetur quoad doctrinam, & dum ipsi Regulares non distulerint de industria, concessionem dimissoriarum, in id tempus, quo Episcopus Diœcesanus, vel absuturus, vel nullas habiturus esset Ordinationes.* Additur prætereà, quod cum à Superioribus conceduntur prædictæ litteræ dimissoriæ suis subditis Regularibus, Episcopo Diœcesano absente, vel Ordinationes non habente, tunc in prædictis litteris debeant exprimere *huiusmodi causam absentiæ Diœcesani Episcopi, vel Ordinationum ab eo non habendarum, sub pœnis,* Officij, & dignitatis, seu administrationis, ac vocis actiuæ, & passiuæ priuationis, & aliis arbitrio Sanctissimi reseruatis. Quaranta *in Summ. Bullarij verb. Ordo.* Mirand. *in Man. tom.1. quæst.38. artic.2.* Si autem Regulares degant in Monasteriis sitis in locis nullius Diœcesis, debent ordinari ab Episcopo viciniori, & obseruare omnia, quæ dicta sunt in prædicta declaratione Sac. Congregat. ann. 1619. Peyrinis *vt suprà num.36. apud ipsum.* Naldus *in Summa verb. Ordo. numero 26.*

Ad idem etiam extat decretum Concil. Trident. *sess.23. cap.10.* quod scilicet, Abbatibus, & aliis quibuscumque quantumuis exemptis non liceat imposterum intra fines alicuius Diœcesis consistentibus, etiam si nullius Diœcesis, vel exempti esse dicantur, cuiquam, qui Regularis sibi subditus non sit, tonsuram, vel minores Ordines conferre, nec litteras dimissorias aliquibus Clericis sæcularibus, vt ab aliis ordinentur concedant. Circa quæ Sacra Congregatio Cardinalium dixit: *Possunt ipsi Abbates eosdem Ordines conferre aliis Regularibus, qui dimissorias speciales suorum Superiorum, & specialem consensum Episcopi loci habuerunt.* Quaranta *in Sum. Bull. verb. Ordo.* Vide dicenda *c.18 n.64. & 65.* maximè circa qualitates pro istis Abbatibus requisitis. 13

Maximè notandum hoc loco id quod etiam notaui in meis Consultis *Consulto 22. num.26.* quod non obstantibus prædictis, & eis quæ dixi 4. *tom. verb. Ordines Sacri num.6.* nihilominus his temporibus standum est moderniori decreto S. Congregationis Concilij, quod de mandato Illustriss. & Reuerendiss. Domini me D. Francisci Paulutij eiusdem S. Congregationis Secretarij, debet publicare; quod tale est. *In vna Catanien die 23. Nouembris 1641. S. Congregatio Eminentiss. Cardinal. Concilij Tridentini Interpretum vtraque parte informante ore & scriptis ac rationibus hinc inde deductis maturè perpensis inhærendo decisioni Rotæ Romanæ sub die 27. Aprilis 1592. coram bo. me. Cardinal. Seraphino, nec non declarationibus ipsius S. Congregationis dictæ decisioni conformibus subsequutis, censuit, improbata opinione contraria Abbates Regulares etiam Benedictinos Congregationis Cassinensis, seu alterius Congregationis vel Ordinis aut Instituti habentes etiam iura Episcopalia, seu quasi Episcopalia, vsumque mitræ & baculi ac facultatem primam tonsuram, minoresque Ordines conferendi, non posse dictam primam tonsuram, nec alios Minores Ordines, nisi suis subditis regularibus conferre, non autem Regularibus alterius Congregationis, Ordinis vel Instituti, etiamsi habeant litteras dimissorias suorum Superiorum Regularium, & consensum Ordinariorum, intra quorum Diœcesum fines ipsi Regulares ordinandi existunt, & multò minùs personis secularibus etiam habentibus litteras dimissorias à suis Ordinariis: ac propterea inhibuit Archiepiscopis, Episcopis, & aliis Prælatis inferioribus tam secularibus quàm Regularibus vt in futurum concedere non audeant supradictas litteras dimissorias huiusmodi Abbatibus directas, nec ab istis recipi, quod si secus fiat, tam concedentes, quam ordinantes à collatione Ordinum suspensi ipso iure remaneant, præter alias pœnas arbitrio eiusdem S. Congregatio*

gregatio

gregationis reseruatas. Quam declarationem Sanctiss. D. noster die 17. Ianuarij 1642. ad se cum rationibus relatam approbauit, & inuiolabiliter obseruari iussit.

Petrus Aloysius Cardinalis Carafa.

Francisc. Paulutius S.C.C.Secret.

14 Duo Sacri Ordines non eodem die, etiam Regularibus conferantur, priuilegiis, ac indultis quibusuis concessis non obstantibus quibuscumque. Ita statuitur in Concil. Trident. *sess.23. cap.13.* Vnde nullo modo licet contrarium, etiam rationabili causa subsistente, sine dispensatione Papæ, aut alterius eius authoritatem habentis. Mirand. *in Man. tom.1. quæst.38. art.5.* Quoad minores Ordines sic statuit idem Concilium *sess.23. c.11. Minores Ordines iis, qui saltem latinam linguam intelligant, per temporum interstitia, nisi aliud Episcopo expedire magis videretur conferantur.* Vnde ad arbitrium Episcopi est illos vna die conferre, vel non. Miranda *in Man. tom.1. q.38. art.5.*

15 Ordines maiores non possunt conferri etiam Religiosis, nisi seruatis interstitiis, ita scilicet, vt Subdiaconatus non conferatur, nisi seruato interstitio vnius anni adminus à susceptione postremi gradus Ordinum Minorum; nec Diaconatus, nisi post vnum annum à Subdiaconatu; nec Presbyteratus, nisi post vnum etiam annum Diaconatus. Ita statuitur in Concil. Tridentin. *sess.23. cap.11. 13. & 14.* Quamuis autem aliqui putent vt probabile, Prælatos Religionum posse cum suis subditis dispensare in interstitiis supradictis, eò quod licet prædicta facultas concedatur à Concilio Episcopis; nomine tamen Episcoporum intelligi possunt Prælati habentes iurisdictionem quasi Episcopalem, quales sunt Prælati Religionum, eò præsertim, quia ipsi possunt meliùs iudicare de necessitate dispensationis. Suarez *tom.4. de Relig. tract.8. lib.2. cap.12. à num.21.* Vide Dianam *tract.2. de dubiis Regular. resol.32. & 112.* Certum tamen credo non posse id facere propter declarationem Sacr. Congregationis, quæ declarauit, quod Prælati Regulares non possunt dispensare in interstitiis, in litteris dimissoriis, quibus mittunt suos subditos ad suscipiendos Ordines. *Sed dicti Prælati cum mittunt suos subditos ad Ordines suscipiendos, & expedire iudicauerint, ac necesse habuerint, vt cum eisdem in interstitiis dispensetur, in prædictis litteris Dimissoriis humiliter debent exorare Episcopos, vt id faciant.* Passarellus *in suo compend. priuileg. fol.123.* Miranda *in Man. tom.1. quæst.38. articul.7.* Quando autem Abbates regulares ordinant suos subditos in Minoribus ad illos spectat dispensare in interstitiis. Eò quod accessorium sequitur naturam principalis. Mirand. *in Man. tom.1. q.38. art.7.* Sorbus *ver. Ordines Sacri §. quando verò.*

16 Causa quare potest dari huiusmodi dispensatio in interstitiis non est eadem in omnibus Ordinibus, nam ad minores Ordines sufficit, quod Episcopo videatur magis expediens, vt habetur *sess.23. cap.11.* & diximus suprà *num.14.* Ad Subdiaconatum requiritur *necessitas, aut Ecclesiæ vtilitas iudicio Episcopi. Ex eadem sessione cap.11.* Ad Diaconatum non exigitur tanta necessitas, cum Concilium nihil de hoc dicat, sed solùm voluntati rationabili Episcopi id relinquat dicta *sess.23. c.13.* Ad Presbyteratum verò maior causa requiritur, scilicet Ecclesiæ vtilitas, ac necessitas iudicio Episcopi, vt constat ex eodem Concilio dicta *sess. c.14.* Mirand. *in Man. q.38. art.8.*

17 Annus interponendus ab vno ad alterum Ordinem Sacrum est Ecclesiasticus, non solaris. Hinc Sacr. Congregatio declarauit, eos, qui ad Subdiaconatus Ordinem quatuor temporibus Quadragesimæ promoti fuerint, posse anno sequenti eisdem quatuor temporibus Quadragesimæ ad Diaconatum promoueri, licet annus naturalis integer tunc lapsus non fuerit, cum futuro anno Paschæ Festum celeriùs, quam præterito celebretur. Prosper. August. *addit. ad Quarant. in Summ. Bullar. verbo Ordo.*

Litteræ dimissoriæ pro Religiosis ordinandis debet esse suorum Superiorum Regularium. Ratio est, quia quamuis Concilium Trident. *sessione 23. cap.8.* hoc tribuat Ordinario, nomine tamen Ordinarij in præsenti, quod attinet ad regulares, intelligi eorum Prælatos, constat, tum ex praxi Ecclesiæ, tum ex ratione, quia cum illi soli habeant notitiam de moribus, & sufficientia ordinandorum Regularium, ad eos videtur necessariò id spectare. Eò præsertim, quia ita dicitur declaratum esse à Sacr. Congregatione, Nauarrus *lib.2. cons.22. & 23.* Henriq. *lib.7. de Indulgent. cap.26.* Vide Dianam *Tract. 16. Miscellaneo Resolut.15.* Qualiter etiam, & à quibus debeant examinari, & approbari promouendi ad Sacros Ordines iuxta decreta Clement. VIII. & Sacr. Congregat. sub S. D. N. Vrbano vide *cap.18. num.79.* 18

Regulares non possunt modò post Conc. Tridentinum extra tempora ordinari. Ratio est, quia licet de hoc fuerint varia priuilegia Religionibus concessa, vt patet ex Compend. priuileg. *verb. Ordines Sacri:* Concilium tamen Trident. *sess.23. c.8.* id prohibet fieri, & consonant Constitutiones Pij II. & Sixti V. & Praxis Ecclesiæ; maximè quia ipsum Concilium *sessione 25. cap.22.* præcipit omnia, & singula in suis Decretis contenta obseruari à Regularibus, non obstantibus quibuscumque priuilegiis, &c. Miranda *in Manual. tom.1. q.38. articul.4.* Concessio autem quædam Gregor. XIII. facta Religiosis Societatis, vt possint ordinari extra tempora non videtur communicari aliis Religiosis, quia Pontifex id expresè declarauit. Peyrinis *tom.1. priuileg. Minim. in Constit.2. Sixti IV. num.38.* Vbi etiam tractat, an per posteriores concessiones factas Religiosis vt possint gaudere priuilegiis Societatis, possint vti hoc priuilegio. Video tamen aliquos authores asserere probabile esse Regulares ordinari posse extra tempora à iure statuta, quos sequitur Dian. *2. de dub. Regul. resol.31.* iis tamen non est credendum nisi ostenderint priuilegium post Conc. Trid. concessum & quod non sit viuæ vocis oraculum. 19

Si Nouitij Religionum ordinari volunt (quod fieri posse saltem iure communi dicemus infrà *c.24. num.26.*) obseruare debent Decretum Concilij Tridentini *sessione 21. cap.2.* vbi præcipitur, *ne quis deinceps Clericus sæcularis quamuis aliàs sit idoneus moribus, scientia, & ætate, ad Sacros Ordines promoueatur, nisi priùs legitimè constet, eum beneficium Ecclesiasticum, quod sibi ad victum honestè sufficiat, pacificè possidere.* Ratio est, quia ita determinauit Pius V. in Bulla, quæ incipit *Romanus Pontifex tom.2. Bullarij inter Bullas huius Pontificis num.75.* vbi grauissimis pœnis prohibet religiosos, siue seculares more Religiosorum viuentes in communi, non professos, ordinari posse, non seruata forma prædicti Decreti Concilij Trid. Laur. de Peyr. *tom.1. priuil. Min. in Const.2. Sixt. IV. §.11. n.37.* Gauantus *in Man. Episc. verb. Ordo in genere n.29.* 20

A suspensio

21 A suspensione, quam incurrunt Regulares suscipiendo Ordines, illegitimè, & absque ætate requisita, possunt aliqui absolui in foro conscientiæ à suis Prælatis, Generalibus scilicet, vel Prouincialibus respectiuè, propter dicenda *in c.18. de Prælatis à num.36.* Peyr. *tom.1. priuileg. Minim. in Constit.1. Iulij II. §.16. à num.31.* Diana *Tractat.2. resol.85.* Quod idem dico de irregularitate ab istis commissa celebrando cum prædicta suspensione, propter eadem fundamenta. Peyr. *vt suprà num.34.* Si autem prædicta suspensio (& idem dico de Irregularitate) sit deducta ad forum exterius; si attendamus ad aliqua priuilegia ex relatis, cum indistinctè loquantur, & fauores sint ampliandi, vt sæpiùs diximus, verè dicendum esset, posse ab illa absoluere Prælatos Regulares suos subditos. Quia tamen stylus curiæ dicitur esse in contrarium, quòd scilicet semper petatur dispensatio à Papa, vel per Datarium, vel Summum Pœnitentiarium, stylo autem Curiæ standum sit, cum faciat ius, & præualeat consuetudini, cum tamen de illo constat; ideò aliorum iudicio hoc remitto. Peyr. *vt suprà n.36.* qui tamen *n.35.* aliquos authores pro contraria parte refert non fideliter.

22 Excommunicatio, quam solet ponere Episcopus ante Ordinationem contra eos qui ordinantur habentes aliquod impedimentum occultum, afficit omnes etiam Regulares. Quia in illo actu subduntur Episcopo. Nauarrus *cap. 25. num.72.* Peyrin. *tom.1. Priuileg. Minimor. in Constitut. 1. Iulij II. §.16. num.39.* Addens, ab illa, & Irregularitate, quæ incurritur suscipiendo Ordines cum prædicta excommunicatione, absoluere posse Prælatos Religionum. Absolutiones etiam, & dispensationes, quas solent dare Episcopi Ordinantes Ordinatis ad cautelam prosunt etiam Regularibus exemptis. Quia Prælati Regularium concedentes illis licentiam suscipiendi Ordines, consequenter concedunt ea sine quibus Ordines non possunt recipi rectè, ac per consequens etiam facultatem vt ab Episcopis Ordinantibus absoluantur, & dispensentur in Censuris, & Irregularitatibus, saltem dubiis, & occultis. Henriq. *lib.10. de Sacram. Ordin. c.20. n.2.* Syluester *verb. Irregular. q.9. num.11.*

23 Simoniam in Ordinis susceptione committens ab Ordinis executione suspenditur *Cap. Inquisitionis de accusat. cap. qui studet 1. quæst. 1.* Et perpetuò deponitur ab Officio *cap. cum super de confessis cap. de hoc de Simonia.* Est etiam ipso iure suspensus. *Extrauag.2. de Simonia cap. tanta de Simonia.* Syluester *ver. suspensio num.7.* Nauarrus *in Manual. cap.23. num.111.* Item est ipso iure excommunicatus, *Extrauag.2. de Simonia.* Nauarr. *vt suprà* Suarez *5. tom. in 3. parte disp.22. sect.5. n.22.* Incurrit etiam pœnas statutas à Pio V. *in Const. cum primum,* & à Sixto V. in Bulla *Sanctum, & Salutare*, quam retulimus supra *n.5.* Quam quoad hoc punctum de Simoniacè Ordinatis, & Ordinantibus non reduxit ad terminos Iuris communis Clem. VIII. vt ibidem diximus. Alderete *lib.2. de Relig. discipl. cap.16. n.44. & 45.*

24 Ordinari posse Regulares ab Episcopis etiamsi linguam latinam non calleant, aliqui videntur existimare. Peyr. *t.2. priuil. Minimor. in Const.26. Leon. X. num.25.* quia tamen Concil. *sess.23. cap.11.* vult Ordinandos etiam in minoribus ordinibus linguæ latinæ intelligentiam habere, & hoc sit conforme iuri naturali, vt ministri Ecclesiæ intelligant quæ faciunt, ideo sine aliqua saltem intelligentia latinitatis, & spe maioris, credo non esse licitum aliquem ordinari.

Congrue aptatur huic Capiti resolutio cuiusdam dubij mihi propositi de quodam Religioso, qui suscepit Ordines minores, & maiores non suscepta prima Tonsura, sed fingente ipsam suscepisse. De quo quærebatur an validè susceperit dictos Ordines. Ad quod sic respondi. 25

Suppono consequenter ad dicenda *tom.3. verb. Irregularitas n.5. & tom.4. verb. Ordines Sacri nu.2.* prima Tonsuram non esse Ordinem propriè, sed dispositionem ad Ordines. Est enim professio quædam vitæ spiritualis per quam homo numeratur in Clerum & fit capax beneficij Ecclesiastici, aliorumque priuilegiorum iuxta communem opinionem Doctorum *in 4. dist.24.* de quo Bonac. *de Sacr. dub.3. q. vnic. punct.1. n.6.* & Laym. *lib.5. tract.9. cap.3. n.3.* ex aliis: vnde illa non imprimit characterem, vt habent Syluester *in Summ. verb. Ordo 2. quæst.4. §.4.* Henriq. *lib.10. cap.9. in fin.* Martinus Fornarius *de Sacram. Ord. cap.7. num.1.* & alij communiter. Nec obstat quod *Cap. Cum contingat de stat. & qualitat.* oppositum dicat, ibi enim nomen Ordinis sumitur pro gradu in Ecclesia, absque vlla tamen potestate spirituali ad aliquid faciendum, cuius signum est quod etiam in iure Canonico neque inter minores nec maiores Ordines recensetur *cap. Seriatim dist.32. & cap. A Subdiacono distinct.93.* quod etiam colligi potest ex Concilio Tridentino *sessione 23, sæpius*, de quo Diana *p.6. tract.8. resol.29.* ex aliis. 26 27 28

Hoc posito dico primo, talis religiosus suscipiens Ordines non suscepta prima Tonsura validè illos suscipit. Ratio est, quia vt dixi, prima Tonsura non est propriè Sacramentum Ordinis, ac per consequens non est necessaria necessitate Sacramenti, sed solùm præcepti illam ante omnes Ordines suscipere. Henricus *in cap. 2. de Cleric. per salt. promot. num. 8.* Toletus *in Summ. lib.1. cap. 71. num. 8.* Marchinus *de Sacrament. Ordin. tract.2. p.1. cap.13.* Bonacina *supr. punct.5. numero 11.* Thesaurus *in prax. parte 2. verbo Ordo capite 13. §. Limita quod recipiens* & alij plures. 29

Dico secundò; nihilominus recipiens postea Ordines siue Minores, siue maiores grauiter peccauit, nisi forsan ignorantia (quæ vix admitti potest) excusatus, fuerit. Ratio est, quia sic faciens contra praxim præceptum, consuetudinem & intentionem Ecclesiæ fecit, quæ valdè abhorret hunc saltum. Imo etiam secundum Fornarium *suprà capite 8. numero 7.* conformiter ad declarationem S. Congregationis *super capite 14. sessione 23.* Concilij Tridentini vbi id supponitur, contraxit irregularitatem vel saltem suspensionem, vt ex stylo Curiæ habet Thesaurus *super capite 13. §. recipiens Ordines & seqq.* Ab huiusmodi tamen irregularitate vel suspensione dispensari, & absolui poterit talis Religiosus propter priuilegia Religionum, quæ referam *capite 18. numero 31. & seqq.* 30

Dico tertiò; licet probabiliter credam talem Ordinatum non suscepta prima Tonsura non teneri vlterius ad illam suscipiendam, prout tenet Ioannes Baptista de Fabris *in Manual. Ordin. de Sacrament. Ordin. cap.4. quæst.13.* quem refert nec impugnat Diana *d. resol.29.* Eo quod vt dixi, prima Tonsura non est Ordo, sed inchoatio aut dispositio ad Ordines: ex hoc enim videtur sequi non esse tam necessariam subordinationem inter ipsam & Ordines, 31

Ordines, sicut est inter ipsos Ordines, ac proinde casu quod omissa fuerit non debere reiterari præsertim cum nullus textus id suadeat; nihilominùs quia vt credo, stylus Curiæ est in contrarium, securius est ad S. Pœnitentiariam recurrere, quæ solet litteras concedere ad effectum supplendi primam Tonsuram vel Ordinem omissum etiam extra tempora, & à quocumque Catholico Antistite; interim tamen consulendus est abstinere ab exercitio cuiusque Ordinis.

SVMMARIVM.

Declaratio



CAPVT XV.

De obligationibus Religiosorum, in electionibus faciendis.

Electiones Prælatorum Regularium ad Regulares ipsos spectant, sicut generaliter cuiusuis Congregationis Prælatum instituere ad ipsam Congregationem. *cap.* 1. *de election. & cap.* 2. 3. 4. *& sequent.* 18. *quæst.* 2. Syluest. *verb. elect.* 1. *quæst.* 1. Addens, quòd etiam si in aliquo Collegio non sint nisi duo, aut tres, electio pertinet ad eosdem. Nauarrus *lib.* 1. *consil. de Electio. cons.* 6. Vniuscuiusque autem Prælati electio ad Congregationem proportionatam pertinet: ita vt Conuentualis Prælati ad Conuentum, Prouincialis ad prouinciam, & Generalis ad totum Ordinem; Vt colligitur *ex cap.* 1. *de Electio. & ex cap. cum dilectus de Consuetud. &* 18. *quæst.* 2. *per multa capita*, & ferè ex natura rei id sequitur, supposita prudenti, & suaui regimine Religionis. Vnde ita obseruari debet, nisi iure aliquo positiuo, aut consuetudine præscripta oppositum constet. Suarez 4. *tom. de Religio. tract.* 8. *lib.* 2. *cap.* 6. *num.* 17. 1

Eligentes Prælatum, vel Superiorem Religionis debent esse in illa professi. Ita habetur 18. *quæst.* 2. *& cap. ex eo §. in Ecclesiis de elect. in* 6. *& in cap. indemnitatibus.* Et ratio esse potest, quia Nouitius non est actu pars, aut membrum Religionis, non ergo debet eligere caput. Sufficit tamen ad hoc professio tacita. Tum quia ita determinasse videtur Bonifac. VIII. *in prædicto cap. ex eo.* Tum quia professio tacita est vera professio, nec quoad hoc excluditur à iure 4. *tomo de Relig. tract.* 8. *lib.* 2. *cap.* 4. Miranda *in Manual. tom.* 2. *quæst.* 23. *articulo* 5. 2

Conuersi, siue Laici non habent Vocem, & Votum in electionibus Canonicis Prælatorum. *Ex cap. ex eo de Election. lib.* 6. *§. in Eccles.* Syluester *verb. Electio* 1. *quæst.* 2. *dict.* 2. Miranda *in Manual. tom.* 2. *quæst.* 23. *articulo* 5. Addens, hoc esse de iure communi, secus autem esse posse de consuetudine antiqua Religionis. Vide dicenda *tom.* 2. *c.* 8. *n.* 19. 3

Hinc eligentes debent esse Clerici, & in Sacris constituti, Prima pars constat ex *dicto cap. ex eo §. in Eccles.* Secunda verò, sicut & prima patet ex *Clem. vt ij qui de ætat. & qualitat.* Vbi præcipitur, quod nullus in Ecclesiis etiam Regularibus vocem habeat in Capitulo, etiamsi hæc sibi ab aliis concedatur, nisi saltem in Subdiaconatus Ordine sit constitutus. Quod est etiam confirmatum à Concil. Trid. *sess.* 22. *capite quarto*, dum dicitur; *Quicumque in Cathedrali, vel Collegiata, Seculari, vel Regulari Ecclesia Diuinis mancipatus Officiis, & Subdiaconatus Ordine saltem constitutus non sit, vocem in huiusmodi Ecclesiis in Capitulo non habeat, etiam si hoc sibi ab aliis liberè fuerit concessum.* Miranda *in Manuali tom.* 2. *quæst.* 23. *artic.* 5. Suarez 4. *tom. de Relig. tract.* 8. *lib.* 2. *cap.* 4. Vnde, quamuis etiam aliquarum Religionum vsus sit, quòd solùm seniores, aut ætate prouectiores habeant Votum in electione Prælatorum, congruentius tamen est, vt omnes in Sacris constituti legitimum impedimentum non habentes, dent suffragia, vt colligitur ex iuribus adductis *cap. ex eo & Clemen. vt ij.* Nauarrus *lib.* 1. *consil.* 4

*de consuet.cons.*2. Votum autem, seu suffragium datum ab eo, qui non est in Sacris constitutus, non solum illicitum, sed inualidum est; hoc enim videtur inferri ex verbis Conc. Trid. adductis Suarez vt sup. num. 8.

5 Debent præterea electores liberi esse à censura, impedimento Canonico, priuatione vocis, aut inhabilitate ad munus eligendi. Aliàs peccabunt grauiter, etiam si talis inhabilitas sit occulta. Suarez 4. *tom. de Relig. tractat.*9. *lib.*2. *cap.*4. Hinc excommunicati excommunicatione maiori non possunt eligere, *cap. cum inter in fine de elect. cap. cum dilectus de consuet.* Vnde electio ab illis facta irrita est, & nulla. Cornexo *tom.*2. *in* 3. *tract.*5. *de excommunicat. disput.*10. §.5. *dub.*1. Vbi multa ad intentum. De quo *tom.*2. *cap.*12. *num.*29. *&* 30. Excommunicati autem excommunicatione minori benè possunt eligere, *cap. vlt. de cleric. excommunicat. minist.* Deinde suspensi ab officio non possunt esse electores, aut eligere, *cap. cum dilectus de consuet.* Tertiò interdicti, per *cap. cum inter de elect.* Quartò quibus interdictum est eligere sine licentia Superioris, per *cap. fin. de elect.* Quintò qui scienter celebrauerunt in loco interdicto, nisi super hoc sint priuilegiati *cap. is qui de sentent. excomm. lib.*6. Sextò secundum aliquos omnes irregulares *cap. is, qui de sentent. excommunic. in* 6. De quibus, & aliis vide Syluestrum *verb. elect.*1. *q.*4. Miranda *in Man. to.*2. *q.*23. *art.*8. & Barbosa *de Canon. & Dignit. cap.*41. *fere per totum.*

6 Si casus esset, quòd omnes electores essent inhabiles, Electio deuoluitur ad superiorem immediatum. *cap. Ne pro defectu de elect. c. licet & c. fin. de supplend. negligent. Prælat.* & aliis iuribus. Syluester *sup. q.*12. Sigismundus de Bononia *de elect. dub.* 13. *num.*2. Si vero omnes electores essent inhabiles, vno excepto, ad illum solum Ius electionis deuoluitur, cum in tali casu repræsentet totum capitulũ. Non tamen posset seipsum eligere. Quia id esset signum euidens ambitionis. Rodriguez 1. *tom. quæst.* 53. *art.*11. E contra vero, si omnes electores vno excepto, habiles essent, inhabilitas illius non reddet irritam electionem, iuxta regulam *vtile per inutile non vitiatur*, nisi solum quando illum cognitum euidenter inhabilem, ad eligendum voluntariè admiserunt ad electionem, cum possent repellere. Quia tunc censentur consentire, voluntariè in defectum electionis. Suarez 4. *tom. de Relig. tract.*8. *lib.* 2. *c.*4. *n.*9. Idem dico si plures inhabiles admittantur; si n. admittantur ignoranter, valida est electio, si scienter, inualida propter eamdem rationem. In casu autem quo Capitulum haberet facultatem dispensandi super inhabilitate illa, etiamsi scienter admittantur inhabiles valida est electio. Quia tunc cẽsetur dispẽsare. Sunt etiam aliqui qui dicunt minimè vitiari electionem ob suffragia inhabilium etiã scienter admissorum exceptis casibus à iure expressis, scilicet de excommunicato *cap. fin. de Procuratoribus.* & de laico *cap. Massana de electionibus.* Quia, inquiũt, quod suffragia habilium sunt separabilia ab inhabilibus & vtile per inutile non vitiari, sed censeri eos omni meliori modo eligere voluisse. Ita videtur tenere Imola super Clement. de ætate & qualitate referens Ioannem de Lignano & Paulũ, alij etiã id sequuntur. Sed non admitto istam sententiã, & casu quo esset admittenda, supponi deberent in electione electores habiles sufficientes, ita vt illis solum numeratis sufficiant pro electione facta, quod idem dico in casu quo inhabiles admitterentur ignoranter. Vide *tom.*2. *c.*12. *n.*29.

Quando est dubium quod aliqui ex electoribus sint excommunicati, suspensi, &c. non irritatur electio si admittantur ad illam ab aliis cum protestatione talis dubij. Nam in dubiis fauet possessio. Miranda *in Manual. tom.*1. *q.*23. *art.* 11. Laurentius de Peirinis *tom.*1. *de Subdit. q.*1. *de Obedient. c.*31. §.6. Vide dicenda *tom.*2. *c.*12. *n.*30.

Ad electiones vocandi sunt in primis omnes præsentes, ad quos de iure pertinet eligere. Deinde omnes absentes, qui commodè vocari possunt ac tandem omnes, qui debent, & volunt, & possunt commodè, & legitimè interesse. Hoc colligitur ex *cap. quia propter de electıon. & ex cap. coram.* Sylu. *verb. electio* 1. *quæst.*5. Miranda *in Man. tom.*2. *q.*23. *art.*6. Qui etiam bene addunt, quod si quis electorum legitimorum fuerit contemptus, & ad electionem non vocatus, ad ipsius petitionem electio cassanda est, & cassari debet, nisi libere consentiat, & velit eam ratam habere. Non est tamen contra ius commune quod aliqui, aut etiam multi ex illis, qui habent ius ad eligendum, non intersint electioni, quia in *cap. quia propter* adducto expresè dicitur: *Præsentibus omnibus, qui debent, & volunt, & possunt commodè interesse.* Non ergo coguntur omnes interesse. Suarez 4. *tomo de Religion. tractatu* 8. *libro* 2. *capite* 5. *numero* 2. Si tamen casus esset quod absentia Religiosi à capitulo causa esset, quod minus dignus, aut indignus eligeretur, aut aliquod inconueniens sequeretur, teneretur tunc sub graui peccato sæpius mortali interesse electioni. Quia tunc iure communi naturæ quod præscribit mala imminentia prohibere, & iure particulari Religionis, quæ ideo vocem tribuit in Capitulis religiosis vt bonum ipsius promoueant obligatus est assistere capitulis. In hoc sensu accipiendi sunt Diana *Tract.* 2. *de Dubiis Regular. Resolut.* 6. & Peregrinus ab ipso relatus. Infirmorum vota accipi debent, si commodè id fieri potest, & ipsi voluerint. Quia etiam illi censentur præsentes, Azor. *tom.* 2. *libro* 6. *capite* 14. *quæstio.*7. Inhabiles tamen eo quod habeant legitimum impedimentum, censuram videlicet, vel simile, quando id certo constat, ita vt nulla tergiuersatione celari possit, non sunt vocandi, nec si non vocentur, electio erit nulla. Quia electores debent esse habiles. Sigismundus *de electione dub* 11. ex aliis. Assignato autem termino ad eligendum, v. gr. die Pentecostes, vel alio, si aliqui non compareant, possunt qui præsentes sunt ad electionem procedere. Quia non debent perdere suum ius propter aliorum absentiam. Miranda *tom.* 2. *in Manual. quæst.* 23. *art.* 6. Laurentius de Peirinis *tom.* 1. *de Subdito quæst.* 1. *de Obedient. cap.*31. §.6. Addens hoc etiam esse verum, etsi vnus solus reperiatur in Capitulo. Hoc tamen displicet; quia vno solo præsente, nec est Capitulum, nec fit propriè electio, quæ fit ex pluribus. Spectanda ergo est decisio authoritatis Superioris, qui in tali casu, quid faciendum sit decernat.

Non est contra ius commune quòd Elector, si fuerit absens, & iusto impedimento detentus, eligere. & instituere possit aliquem procuratorem, qui habeat votum ipsius in electione facienda. Ratio est, quia ita habetur in *cap. quia propter*, quod ius non est derogatum à Concil Trident. *sess.* 25. *capite* 6. dicente *Vt in posterum non liceat voces, & suffragia absentium supplere.* Quia mens Concilij solùm fuit tollere consuetudinem quorumdam Prælatorum, qui vt facerent electiones ad suum beneplacitum, 8

beneplacitum, vocem, & votum absentium dabant aliis de quo extat declaratio Sacr. Congregationis Illustriss. DD. Cardinal. ann. 1570. Passarellus *in compend. priu. Minim.* Rodrig. *to. 2. quæstionum. Regul. quæst. 61. art. 6.* seruandæ tamen in hoc sunt consuetudines Religiosorum, & ipsarum Statuta. Syluester *verb. electio 1. quæst. 3.* Vide etiam Barbosam *de Canonicat. & Dignitatib. capite 39. à num. 14.*

Declaratio porro S. Congregationis quam dixi extare pro hoc puncto, comprobatur ex testimonio authentico ab Eminentissimo & Reuerendissimo D. Cardinali Carafa, & Illustrissimo & Reuerendissimo D. Francisco Paulutio S. Congregationis Concilij Secretario subscripto, quod idem Illustrissimus pro singulari erga me benignitate mihi tradidit, quod est tenoris sequentis: *In libris S. Congregationis Concilij reperitur registratum vt sequitur. Die 21. Maij 1601. S. Congregatio Concilij censuit ex decreto cap. 6. sessione 25. de Regular. non esse prohibitum Superioribus Regularibus, vt aliquem Patrem sui loco delegent mediante mandato procur. generali vt suo nomine electionem faciat. Procuratores legitimè constituti cum generali mandato ad eligendum ab iis qui impediti sunt non excluduntur à S. Concilio si sit generale, & non speciale de eligenda certa persona. Idem in vna Minimorum S. Francisci de Paula 13. Nouembris 1632. Idem in vna S. Pauli Primi Eremitæ 5. Aprilis 1631.*

Petrus Aloysius Cardinalis Carafa.
Francisc. Paulutius S.C.C. Secret.

10 Quamuis iure antiquo requisitum fuerit ad electiones, vt maior, vel sanior pars, conuenerit in aliquem eligendum, post Concilium Tridentinum tamen sufficit, quòd maior pars concurrat, etiamsi non sit sanior. Ratio est, quia eo ipso quod Concilium præcipit *sess. 25. cap. 6. vt eligentium nomina nunquam publicentur,* prohibet disquisitionem, quæ antiquitus fiebat ad sciendum si sanior pars elegerit, non enim alio modo id sciri posset, nisi publicatis nominibus eligentium. Mirand. *2. tom. in Man. quæst. 23. articul. 27.* Augustinus Barbosa *de Canon. Dignitatib. capite 38. num. 8.* Vbi etiam *num. 9.* quod hæc maior pars sumenda sit respectu totius, non respectu aliarum partium. Consonant etiam nostræ Constitutiones *par. 4. c. 6. n. 3. & c. 23. num. 2.*

11 Electiones factæ per modum scrutinij, quando scilicet assumuntur tres de Collegio fide digni, qui secretè, & sigillatim vota cunctorum diligenter exquirant; & per modum compromissi; quando scilicet committitur aliquibus viris idoneis facultas eligendi nomine omnium aliorum; & per modum inspirationis, quãdo scilicet omnes electores, Deo inspirante, in vnum eligendum conspirant absque vlla malitia, sunt iure communi licitæ. Ex *cap. quia propter de elect.* Quod non est derogatum à Concil. Trid. *sess. 25. cap. 6.* Et si enim ibi præcipiatur, quòd in electionibus Superiorum, & personarum Regularium seruetur secretum, ita vt singulorum eligentium *nomina nunquam publicentur,* tamen ibi solùm loquitur Concilium de electionibus factis per modum scrutinij. Rodrig. *1. tom. Summ. c. 102. de elect. n. 2.* Mirand. *2. tom. in Man. q. 23. art. 3.* In electionibus per scrutinium scrutatores debent esse adminùs tres de Collegio, & fide digni, quia ita habetur *in dicto cap. quia propter.* Miranda *vt suprà articul. 15.* Suarez *4. tomo de Relig. tract. 8. lib. 2. cap. 5.* Quamuis autem stando in rigore dicti capituli *Quia propter.* imò etiam *cap. sicut de electione in 6.* post suffragia præstita electio debeat fieri ab vno omnium nomine, ita scilicet vt habens primam vocem, seu Præsidens dicat: *ego nomine omnium eligentium eligo te. N. &c.* Suarez *tom. 4. de Relig. lib. 2. c. 5. num. 24.* imò hoc videatur esse de essentia, & substantia electionis. Suarez *ibid.* Vbi tamen consuetudine oppositum introductum fuerit poterit id obseruari, cum sine tali nominatione ab vno nomine omnium facta saluetur quidquid ex natura rei requiritur ad electionem, scilicet consensus liber eligentium signis expressus. Nihilominus pro ordine nostro obseruari debet modus præscriptus, quia ita præceptum est à Reuerendiss. Generali Theodoro Stratio. Vide Portellum *in Dubiis Reg. verb. Elect. num. 14.* & dicenda *tom. 2. cap. 12. num. 18.* Similiter in electionibus per compromissum obseruari debet, quod prædictum compromissum fiat ab omnibus habentibus vocem in Capitulo, nemine discrepante. Quia eo ipso, quòd est in potestate eligentium vno, vel alio modo electionum vti, nullus potest cogi ad specialem modum electionis, nisi id velit, ac proinde si electio fit per modum compromissi, si omnes non compromittant, non erit valida. Syluest. *verb. elect. secundo quæst. 11.* Miranda *vt suprà art. 34.* In casu autem quòd omnes electores compromittant se in vno de Capitulo, valebit electio ab ipso facta, etiam si se ipsum elegerit, dummodo capax sit, nec exclusus ab Electoribus. Rodriguez *2. tomo quæst. 53. 12.* Compromissio autem potest fieri etiam in eos qui non sunt de Collegio. Quia textus *dict. cap. Quia propter.* Gloss. *ibid.* Biaxius *in direct. elect. par. 3. c. 17.* Sigismund. *supra dub. 21.* ex Rotæ decision. & aliis. Apud quem alia circa hunc modum electionis, quæ omittimus, quia parum est in vsu in Religionibus. In electionibus per modum communis inspirationis requiritur etiam, quòd omnes simul congregati in istam viam eligendi vltro conueniant, & in vnam personam eligendam, absque aliquo vitio Simoniæ, vel contractus. Aliàs enim non credetur talis electio facta Deo inspirante, provt requiritur in prædicto cap. *quia propter.* Syluester *verb. elect. 3. n. 1.* Miran. *vt sup. a. 42.* His verò non obstantibus omnes Religiones obseruare debent modum electionis sibi per sua Statuta, vel laudabiles consuetudines præscriptum, qui regulariter est per scrutinium secretum.

Electores cuiuscumque electionis tenentur eligere digniores sub reatu peccati mortalis. Id enim exigit æquitas iustitiæ. S. Thomas *2. 2. quæst. 63. artic. 2.* Sotus *3. de Iust. quæst. 6. art. 2. concl. 9.* Imo id se facturos debent iurare, vt constabit ex Decretis Summorum Pontificum inferiùs adducendis. Ad hoc autem quod in foro exteriori censeatur valida electio, sufficit, vt eligatur dignus. Aliàs omnes electiones calumniari possent. Syluester *verb. Electio 1. quæst. 16.* Sotus *3. de Iustit. & iur. quæst. 6. art. 2. concl. 8.* Huiusmodi autem maior, vel minor dignitas in ordine ad electionem non solùm est attendenda secundùm bonitatem simpliciter personæ electæ, sed etiam secundùm aliàs circumstantias necessarias ad officium ad quod eligitur. S. Antonin. *3. p.* Sotus *3. de Iust. & Iure q. 6. articul. 2. & 4.* Vnde infertur quod peccat minùs dignus, etiam mortaliter concurrendo cum manifesto digniori, etiam si id faciat non vt ei præponatur, sed vt ex concursu cum eo reportet aliquem honorem. Quia petit id, quod alteri est debitũ, 12

Nauarr. *Miscell.* 40. *de Orat. à numero decimo.* Peyrin. *tom.*1. *de Subdito quæst.*1. *de obedient. c.*31. §.4. Dignus tamen electus canonicè potest licitè acceptare officium ad quod eligitur, etiam si credat alium esse digniorem. Ratio est, quia ipse non est iudex in illa causa, & debet credere electores rem benè pensasse. Sigismundus *suprà dub.*34 post plures alios.

13 Ex decreto Clementis VIII. approbato, & innouato à Sacra Congreg. Concilij iussu S. D. N. Vrbani VIII. in Decretis de Apostatis, & eiectis, sic præcipitur omnibus cuiuscumque Ordin. Regularibus. *In Superiorum, & Officialium omnium electionibus forma præscripta à Sacro Concilio Tridentino & Ordinis constitutionibus inuiolabiliter seruetur, iurentque Electores secundum veritatem cuiusque conscientiæ probiores, ac magis idoneos se electuros, ac propterea priusquam ad electionem deueniatur, in primis, & ante omnia prælegantur Constitutiones de qualitate, & requisitis eligendorum. Ad officia gradus, & prælaturas illi præcipuè eligantur, qui possint, & consueuerint Regulas Ordinis, & Constitutiones obseruare; præsertim quæ pertinent ad seruitium Chori, ac vestitum, & victum communem.* Hæc præcipiunt Pontifices in gratiam, & intuitu vitæ communis, quam maximè commendata esse volunt Regularibus. Vide pro ea *capite* 6. *num.*60.

14 Scienter eligentes indignum non solùm peccant mortaliter, cùm in re graui peccent contra iustitiam ad minus distributiuam (Sotus *lib.*3. *de iust. quæst.*6. *numer.*2. *conclus.*7.) sed, & participes sunt omnium peccatorum commissorum à Prælato indigno electo. Rodriquez *tomo* 2. *quæst. Regular. quæstio* 52. *articulo* 5. Imò etiam incidunt in censuram suspensionis contra illos latam in iure *c. Cùm in Cunctis* §. *fin. de elect.* Nauarrus *in cap. Sacerdos de Pœnitent. distinct.*6. & quamuis ipse dicat hanc censuram incurri etiam ab illis, qui eligunt, eum quem sola confessione sacramentali nouerunt indignum, meritò tamen in hoc reprehenditur, quia sine dubio vti scientia Confessionis, etiam in secretis electionibus, est contra sigillum Sacramenti, & in maximum ipsius detrimentum. Cum propterea retraherentur aliqui Religiosi à confessione suorum delictorum. Quare dicendum est, solùm incurri hanc censuram ab illis, qui eligunt indignum quem sciunt esse talem alia scientia; quam quæ habetur per Confessionem Sacramentalem, Rodriguez *tom* 2. *quæst. Regular. quæst.* 53. *articulo* 4. In nullo quoque casu licet eligere indignum, etiam casu dato, quòd omnes qui sunt de corpore Capituli, & ex quibus fieri debet electio sint indigni; tunc enim debet eligi vnus ex extraneis. Sotus *lib.*3. *de Iustit. quæst.* 6. *articulo* 2. Rodriguez 2. *tom. quæstio* 51. *articulo* 11. Neque etiam in casu, quod omnes electores vellent eligere indignum, possumne ego, qui inter illos sum, & certo scio me nihil profecturum per denegationem suffragij, aliis me conformare. Vasquez *opuscul. de benef. cap.*2. §.3. *dub.*3. Secus verò quando electores omnes vellent eligere minus dignum, relicto, digniori, possum enim tunc pro bono pacis conseruando credere illum esse digniorem, & me illis conformare, Bannez 2. 2. *quæst.*63. *artic.*2. *dub.*3. *concl.* 3. Insuper, qui eligit indignum, & inde aliquod malum subsequitur religioni tenetur illud recompensare eo modo quo fieri possit. Hoc enim exigit æquitas iustitiæ, propter iniuriam illatam. Sotus 3. *de iustit. & iure q.* 6. *art.*2. Nauarr. *in Man. cap.*17. *n.*72. & 73. & *lib.*5. *consil. de Simonia consil.*8. *n.*1. & 2. Vide etiam Dian. *Tract.* 5. *Miscellaneo resolut.*110. Vbi aliquot casus affert in quibus licere dicit eligere minus dignum, relicto digniori. Sed cautus procede ne sis reus iuramenti de quo *supr. num.*13.

Qui eligit peccatorem publicum, & famosum peccat omninò mortaliter, iuxta illud Pauli ad Titum, *oportet Episcopum sine crimine esse*: præsertim quia præbet aliis causam offensionis. Nauar. *Miscellanea* 34. *de orat. num.*4. Azor. *tom.*2. *Instit. Moral. lib.*6. *cap.*14. *quæst.*10. Eligens vero peccatorem occultum alias cæteris digniorem in Prælatum Religiosorum, non peccat mortaliter, nisi credat eum habere animum permanendi in peccato. Quia talis occultus peccator, secluso prædicto malo animo, non est in scandalum aliis, & potest illis esse vtilis. Bannez 2.2. *quæst.*63. *art.*2. *dub.*1. In casu verò vbi agitur de aliquo eligendo in Prælatum, quem ego scio fore perniciosum Communitati, quia malæ vitæ & conscientiæ est, teneor eius delicta reuelare, etiam si occulta sint. Nam bono Communitatis consulere strictiori iuri naturali astringor, quàm secretum seruare. Si verò non est futurus perniciosus Communitati, sed vni, vel aliquibus particularibus in rebus non magni momenti, tunc secretum seruare teneor, quia illius obseruatio est de iure naturali, quod propter bonum huiusmodi particulare aliorum non est omittendum. Rodriguez *tom.*2. *quæst. Regul. q.*53. *artic.*3. Laurentius de Peyrinis *tom.*1. *de Subdit. quæst.*1. *de Obedient. cap.*31. §.3. *post* 3. *conclus.* 15

Vota, & suffragia in electionibus debent esse absoluta non conditionata, ita vt si sub conditione dentur, nihil valeant, debeantque haberi pro non adiectis. Ratio est, quia alias redderetur electio incerta, & dubia. Syluest. *ver. electio* 2. *quæst.*3. Similiter debent esse certa, & determinata non incerta, vt si aliquis diceret, Eligo illum, quem Petrus voluerit, nec indeterminata, vt si aliquis diceret, eligo Petrum, vel Ioannem, propter eandem rationem. S. Anton. 3. *p. tit.*19. *c.*2. §.3. Laur. de Peyr. *tom.*1. *de subdit. q.*1. *de obed. cap.*31. §.6. Vnde prædicta vota non debent computari inter alia, vt dicemus inferius de schedula alba *num.* 18. Idem dicendum de votis inutilibus, vt si in electione Prioris v. g. aliquis diceret in sua schedula, ego eligo in Priorem Prætorem ciuitatis, Episcopum, &c. Sigismundus *de elect. dub.*29. vbi alia id intentum. 16

Debet etiam electio Canonica fieri *per vota secreta, ita vt singulorum eligentium nomina nunquam publicentur.* Ita decernitur in Concil. Trid. *sess.*25. *cap.*6. Vnde ipsi etiam suffragatores astringuntur hoc præcepto nunquam publicandi sua vota, ita vt oppositum facientes peccent. Suarez *tom.*4. *de Relig. tract.*8. *lib.*2. *cap.*5. *num.*12. Si tamen aliquis in secreto suum votum alij detegeret, licet peccaret contra præceptum à Concil. Trid. traditum, non tamen ideo redderetur nulla aut irrita electio. Eò quod defectus particularis vnius de Capitulo, non debet toti Capitulo nocere, & quia aliàs situm esset in potestate cuiuslibet, electionem quantumuis legitimam, vitiare. Nauarr. *lib.*1. *consil. tit. de elect. consil.*9. Rodriguez 2. *tom. quæst.*51. *art* 9. Si verò, vel vnus electorum publicè manifestat suum votum, permittente Capitulo electionem irritat. Quia iam talis electo est simpliciter publica. 17

ca. Rodrig. *in Sum. c.* 102. *n.* 4. Laur. de Peirin. vt sup. §. 8.

18 Non irritatur electio aliqua, eo quòd aliquis ex electoribus miserit in vrnam schedulam albam, in qua nullus eligeretur. Ratio est, quia per illud factum solum elicitur sic facientem renunciasse iuri suo, nec voluisse habere vocem actiuam in tali electione, quod non potest derogare electioni alias licitæ. Nauarr. *de elect. cons.* 7. Rodriguez *tom.* 2. *quæst.* 51. *artic.* 13. Vnde hoc fieri consulerem, in casu, quo aliquis crederet electionem non fieri canonicè, aut omnes eligendos esse inhabiles. In tali autem casu tale votum computandum non est cum aliis.

19 Electio canonica facienda est in loco Sacro, nempè in Ecclesia, vel Capitulo, aut alio simili loco honesto. Syluest. *verb. elect.* 1. *quæst.* 8. Tenentur etiam Electores intra tres menses eligere, legitimo non obstante impedimento, alioquin deuoluitur electio ad Superiorem proximum. Ita habetur *in c. Ne pro defectu de elect.* Syluest. *verb. elect.* 1. *quæst.* 6. Quamuis etiam ex rigore iuris electiones canonicæ non possit fieri de nocte, *ex cap. Quia propter, & ex cap. Si quis dist.* 79. Nauarr. 1. *consil. de elect. cons.* 8. *num.* 2. In casu tamen necessitatis, præsertim si consuetudine aliqua id obtentum sit possunt de nocte fieri. Miranda *in Man. tom.* 2. *quæst.* 23. *art.* 12.

20 Omnes vnanimiter de Capitulo, nemine discrepante possunt admittere extraneum ad eligendum vna cum eis, saltem in vi Iuris communis. Ratio est, quia sicut possunt totam potestatem eligendi in compromissarios transferre, iuxta dicta supra *num.* 11. ita etiam poterunt communicare aliis, vt cum eis coeligant. Nauarr. *lib.* 5. *consil. de simo. consil.* 9. vide tamen dicta supra *numer.* 4. ex decreto Concil. Trident. Ad minus tamen Notarius, Tabellio, seu Scriba, non est necesse de iure communi, quod sit de corpore Capituli, sed potest esse extraneus, & etiam laicus. Cum nullum ius de hoc extet, & solum sit hoc nudum ministerium. Laur. de Peirinis *tom.* 1. *de subdit. quæst.* 1. *de obedien. cap.* 31. §. 8.

21 Debent electiones esse omnino liberæ, ita vt aliter factæ sint ipso iure nullæ, *ex cap. vbi periculum*, §. *cæterum. de elect. in* 6. Vnde omnis electio per metum, etiam reuerentialem, facit electionem saltem in foro conscientiæ irritam, Nauarr. *cap.* 17. *num.* 29. *& cap.* 22. *num.* 51. *& lib.* 1. *consil. & elect. cons.* 5. Non est tamen contra libertatem electionis, quod electores coarctentur ad eligendum aliquod genus personarum, v. g. Magistrorum, Diffinitorum, talis nationis, &c. Id enim habet communis consuetudo, & aliquando est necessarium. Nauarr. *lib.* 1. *cons. tit. de constit. cons.* 7. Quando vero coarctatio fit non ad certum genus personarum, sed ad certas aliquas, & determinatas personas, tres scilicet vel quatuor, multi dicunt esse contra libertatem electionis, & illam irritare, *ex cap. cum terræ.* Rodrig. 2. *tom. quæst.* 51. *artic.* 11. Miranda *in Man. tom.* 2. *quæst.* 23. *art.* 22. Cum tamen videam apud aliquos hanc esse consuetudinem, illam reprobare non audeo, maximè si Superiores facientes talem coarctationem nominent, & designent per ipsam solum digniores. Quia cum electio solum de illis fieri debeat secundùm ius, & rationem, si ipsi soli nominentur, aliis exclusis, nec istis fiet iniuria, nec electio debita libertate priuabitur, Aliorum tamen iudicio id relinquo. Solum dicam consuetudinem, quæ est in ordine nostro scilicet quod Prouinciales non eliganrur nisi ex propositis à Generali, nec Priores locales, nisi ex propositis à Prouinciali fundari, tum in decretis capitulorum Generalium, præsertim S. Martini de montibus anno 1564. & S. Mariæ Transpontinæ anno 1580. tum etiam in eo quod religio semper intendit vt probiores eligantur, ad quem finem consequendum prædicta coarctatio scilicet ad prædictos probiores, & magis reformatos in ordine introduci cœpit. Quod animaduertendum duxi propter quosdam qui causam prædictæ coarctationis nescientes eam improbare non dubitant. Est etiam de hac re pro Prouincialium electione manifestum decretum, id præcipiens in Capitulo Generali Paduano anno 1532. quod etsi tantum dicatur duraturum vsque ad Capitulum Generale proximum futurum, in eo tamen ratificatur idem decretum etiam vsque ad aliud Capitulum proximè futurum in quo (quod fuit Venetum anno 1548.) sine determinatione temporis admittitur hoc decretum cum aliis duorum præcedentium Capitulorum. Nec obstat declaratio quædam Sac. Congregationis, quæ communiter circumfertur, & quam refert Sigismundus *de elect. in addit. ad dub.* 52 *n.* 5. in qua cum propositum esset dubium *An stante libertate electionis, liceat Prælato Superiori proponere duos vel tres, ex quibus necessario vnus eligatur?* S. Congregatio respondit. *Non licere.* Hæc inquam declaratio non obstat dictis. Tum quia non constat esse authenticam, aut subscriptam ab Eminentiss. Cardinali Præfecto, & Secretario Congregationis, quod est necessarium, vt similibus declarationibus fides adhibeatur, vt decreuit ipsa Sac. Congregatio in declaratione authentica 2. Augusti 1631. & Romæ impressa, quam refero 3. *tomo verbo Sacra Congregatio numero* 10. Tum etiam quia esto authentica sit, per ipsam non videtur reprobari dicta coarctatio, nisi quando fit ad libitum Prælati superioris, vt patet ex illo verbo *Prælato Superiori*, non quando fieret ex lege, vel Constitutione Religionis in quam Religiosi consenserint, prout contingit in Ordine nostro, cum in dicta decreta Capitulorum Generalium non solum consenserint nostri Religiosi ratione consuetudinis, sed etiam quia edita sunt à Diffinitoribus Capitulorum Generalium, qui ab ipsis Religiosis proximè, vel remotè electi habent authoritatem faciendi quidquid ipsi facere possent. Vnde Sigismundus relatus hoc approbare videtur in simili casu. Vide ipsum eo *n.* 5. & Sanchez *lib.* 4. *de matrim. disp.* 12. *num.* 20.

Suffragium semel datum potest reuocari, si non sit purificatum, aut cum aliis permixtum. Colligitur 22
à contrario *ex cap. publicat. scrutin. de elect.* Miranda, *in Man. tom.* 2. *q.* 23. *art.* 24. Non est autem causa sufficiens huius mutationis, quod vnus electorum dicat, se de nouo sciuisse vitium, vel defectum personæ electæ; aliàs posset quilibet ex malitia, electiones omnes inquietare, vel prolongare. Laur. de Peirinis *tom.* 1. *de subdito*, *q.* 1. *de obedient. c.* 31. §. 6.

Religiosus Canonicè electus ad aliquod officium multò melius facit assentiendo, quàm dissen- 23
tiendo regulariter loquendo. Quia eo ipso, quod est Canonicè electus, debet credere electionem esse iuxta voluntatem Dei. Si tamen indignum se, & insufficientem reputet, renunciare potest electioni, non tamen pertinaciter. Ita D. Thom. *Quod lib.* 5. *art.* 23. ex mente S. Gregorij Papæ *in Pastorali.* Si vero per obedientiam cogitur aut secundum dictamen suæ conscientiæ credit quis, quod si non

acceptat electionem, dispendium aliquod Religioni, vel Conuentui immineat, tenetur acceptare. Rodrig. *tom. 2. q. 55. art. 1.* Etiamsi credat futurum, vt sæpius peccet, dummodo id non intendat, & procuret placere semper Deo. Valentia *tom. 3. disp. 10. q. 3. punct. 3. assert. 6.*

24 Ex Clemente VIII. in Decretis pro reformatione Regularium approbatis à S. Congregatione iussu Sancti Domini Nostri Vrbani Octaui sic habetur contra Religiosos ambitiosè pro se, vel pro aliis, vota, vel suffragia procurantes. *Vt omnis officiorum ambitus occasio præcludatur, caueant omnes à directa, vel indirecta vocum, seu suffragiorum procuratione, tam pro se ipsis, quam pro aliis, tum in capitulis locorum, tum in cæteris, præsertim Generalibus Capitulis, aut Congregationibus, seu alibi. Quicumque secus fecerint, præter alias pœnas, & censuras hactenus contra huiusmodi ambientes inflictas, quas in suo robore permanere volumus, in pœnam priuationis officiorum, quæ obtinent, eo ipso incidant, & ad futura quæcumque pariter inhabiles habeantur, super quo cum eis dispensari à nemine possit, nisi à Nobis, vel successoribus nostris; & pro qualitate culparum grauius etiam plectantur. Porrò supradictas omnes pœnas ad complices, ac simpliciter scientes, & non reuelantes extendimus.* Per hæc tamen non tollitur quominus electores possint procurare, quod dignitates dentur dignis, & indigni excludantur. Quia Pontifex solum intendit prohibere *Officiorum ambitus*, vt patet in primis verbis huius Decreti. Nauarrus *lib. 5. Consil. de excommunic. consil. 20. num. 6.* Peirinis *tom. 1. de Subdito quæst. 2. de paupert. cap. 2. §. 11.* Nec etiam tollitur per hoc Decretum, quod ijdem electores possint secum de qualitatibus eligendorum tractare, etiam vitia manifestando, virtutesve ostendendo seruata tamen iustitia, charitate, veritate & cum recta intentione, scilicet, quod dignior cæteris præferatur. Tum quia hoc est conforme iuri naturali, vsus omnium etiam piorum, & necessarium, vt electores nouerint virtutes, & vitia eligendorum. Rodriguez *tom 2. quæst. Regular. quæstio 56. artic.* 1. Neque hoc prohibent Summi Pontifices, & aliquarum Religionum Constitutiones pœnas taxantes contra subornatores in electionibus, intelligi enim solum debent contra illos qui precibus, vel donis suadent aliis, vt dent vocem quibusdam ob finem prauum, vel iniustè, mentiendo vitia, vel virtutes eligendorum. Rodrig. *tom. 2. quæst. 56. art. 1.*

25 Non possunt eligi in Prælatos Religionum nisi expresse in illa professi. Ita Sylu. *verb. Electio 1. quæst. 13.* Vide dicenda. *cap. 18. num. 5.* Sunt etiam incapaces vt eligantur, primò infames, seu notoriè praui. Quia hoc est valde indecens, & repugnans tali muneri. Suarez 4. *tom. de Relig. tract. 8. lib. 2. cap. 3. num. 28.* Secundò excommunicati excommunicatione maiori. Excommunicati enim excommunicatione minori electio non est ipso facto nulla, sed potest annullari. Tertio suspensi, vel interdicti, aut qui interdictum non seruauerunt. Quartò, qui non fuerint legitimè nati (iuxta dicenda *in hoc cap. numero* 38. & *capite* 18. *numero* 7.) aut debitæ ætatis, vel sufficientis litteraturæ. Quintò irregulares; cum enim irregularitas sit inhabilitas quædam ad Ordines, & munus Prælati requirat ordines, ideo consequenter est impedimentum ad Ecclesiasticam prælationem. Suarez *vt supra numero* 24. Esse verò aliquem descendentem ex radice infecta macula Hæresis, Apostasiæ, vel Iudaismi, aut alterius sectæ damnatæ, non est impedimentum, ex vi iuris communis, ad prælaturas. Suarez *vt supra numero* 28. Sextò qui semel propter vitium personæ fuerunt reprobati. *cap. supra eo de Elect.* Laurentius de Peirinis *tom. 1. de subdito quæst. 1. de obedient. capite* 31. Accusati vero de aliquo delicto, nec infamati, non sunt incapaces electionis. Alias esset in potestate vnius maleuoli meritissimos viros à dignitatibus excludere. Nauarrus *lib. 5. consil. de accusat. cons. 6.* Licet oppositum videatur haberi *ex cap. omnipotens Deus, extra de accusa.* Franciscus Aretin. *in practic. crim. capite 2. de examin. Res.* Pro his, & aliis Syluester *v. Elect. 1. quæst. 14.* Miranda *in Manuali Prælat. quæst. 23. art. 11.*

Non obstantibus Constitutionibus aliquarum Religionum, quibus cauetur ne aliquis assumatur ad aliquod Officium, nisi post determinatum tempus, v. gr. triennium, vel sexennium, si pauci dies defecerint, v. g. viginti, aut viginti quinque, poterit nihilominus eligi ad tale officium. Ratio est, quia paruum istud tempus pro nullo reputatur. Nauarr. *lib. 1 consil. de ætat & qualit. cons. 7.* Rodrig. 2. *tom. qq. Regul. q. 52. art. 12.* 26

Procurantes officia in Religionibus mediis fauoribus secularium, aut aliorum extra Religionem, incidunt in censuras, & pœnas assignatas à nobis suprà *capite 10. numero* 17. Si verò contingeret, quod Religiosus impetrasset à sæculari aliquo, vel extraneo litteras fauorabiles pro consequendis Officiis, vel dignitatibus, &c. in Religione, postea verò pœnitentia ductus, vel alio motiuo illas non dedisset, vel ipsæ interceptæ essent, ita vt ad manus Prælatorum non venissent, non incurreret prædictas pœnas, aut censuras. Cum tales litteræ effectum suum sortitæ non fuissent. Nauarr. *lib. 5. consil. de Sent. excommun. consil. 19. num. 2.* Peirinis *tom. 1. de subdito quæstio. 2. de paupertat. capite 2. §. 10.* 27

Religiosi simoniam committunt in electionibus, si dant temporale aliquod munus, vel à manu, vel à lingua, vel ab obsequio pro consequendis dignitatibus Ecclesiasticis v. g. Abbatia, Prioratu, Prouincialatu, Generalatu, Vicariatu, Diffinitoriatu, seu etiam licentia confessiones audiendi, prædicandi, Ordines recipiendi, seu à casibus reseruatis absoluendi, &c. Ratio est, tum *ex cap. non satis, & in cap. mandato de simonia, & in c. 2. §. Prioratus de Stat. Monachor. & ex cap. quam pio 1. quæst. 2.* Tum etiam, quia semper dare aliquid temporale pro spirituali simoniacum est. Suarez *tom. 1. de Relig. lib. 4. cap. 54. num. 3.* Laurentius de Peirinis *tom. 1. de subdito quæst. 1. de obed. cap. 31. §. 9.* Qui etiam extendunt hoc ad illos, qui dant aliquod ex prædictis muneribus pro consequendo officio Sacristæ, vel Procuratoris ordinis. Habetur hoc expresse *in cap. Saluator. 1. quæst. 3.* Bonacina *de Simonia quæst. 5. num. 7.* Similiter dans pecuniam, seu aliquid ex assignatis pro obtinenda voce, seu suffragio alterius in electionibus committit Simoniam Quia est datio rei temporalis pro spirituali. Peirinis, vt sup. Similiter si pro suffragio ferendo beneficium aliquod, vel res spiritualis promittatur, electio secuta est Simoniaca. Propter eamdem rationem. Azor. *tom. 3. Instit. Moral. lib. 12. cap. 7. q. 1.* Præterea si alius dedit pecuniam, sciente illo cui officium procurabatur, & non contradicente, electio est Simoniaca propter eamdem rationem, secus si contradixit, & repugnauit. Suarez *tom. 1. de Relig. libro 4. capite. 57. à num. 28.* 28

Similiter

29 Similiter committunt Simoniam Religiosi in electionibus, si conuentionem, vel pactum faciant, quod vnus suffragetur vni in vna electione, & alter suffragabitur in alia. Vt si dicant, si dederis mihi, vel aliis tuum votũ, ego dabo tibi meum, vel amico tuo. Ratio est, quia huiusmodi pactiones in materia prælatiarum regularium semper continent labem simoniacam, cum sit datio rei spiritualis, pro alia re spirituali, vel onere ad illam; vt habetur *ex capite Quam pio 1. quæst. 2. & cum pridem, & capite pact. de pactis, & cap. præterea 1. de transactionibus, & cap. tua nos de Simonia, & cap. quæsitum de rerum permutatione.* Nauarr. *in Summa c. 23. num.* 100. Reginald. *in Praxi lib. 23. n.* 244. Vnde in electionibus regularium maximè cauendum est religiosis, ne in simile barathrum perditionis, animas miserè illaqueando, cadere permittant. Vide Dianam *tractatu 2. de dubiis Regularium resol.* 125.

30 Præterea in electionibus Regularium Simonia committitur, si aliquis priuatus iure eligendi det aliquod munus alteri ne accusetur. Quia simonia non solum committitur dando temporale pro spirituali, sed etiam pro omissione rei spiritualis. Grassis 1. *part. decis. lib. 2. cap. 96. n.* 52. Laur. de Peirinis *tom. 1. de subdito, q. 1. de Obed. cap. 31. §. 9.* Addens bene, & propter eamdem rationem, etiam esse simoniacum qui dat pecuniam alteri, ne consentiat in aliqua electione, seu ne suffragetur alicui digno, aut ne repugnet iustè alicui electioni. Azor. *tom. 3. Instit. Moral. lib. 12. capite 7. quæstio.* 1. Vnde si duo essent electi in aliquod officium, non posset eorum alter dare alij pecuniam, vel promittere, aut dare illi aliquod officium, vt desistat à lite, quam iustè prosequi poterat, absque labe simoniæ, propter eamdem rationem. Laur. de Peirinis, vt supra.

Licitum tamen est, nec simoniacum offerre pecu-
31 niam, vel aliquod munus, non solum, vt non eligatur indignus, sed etiam vt eligatur dignus in communi, in casu quo Electores essent determinati eligere indignum. Augustin. Barbosa *de offic. Paroch. cap. 2. num.* 107. Ratio est, quia hoc non est dare pecuniam, vel munus temporale pro re spirituali, sed redimere vexationem, quæ fit Monasterio, vel Religioni, si illi præficiatur indignus. Sotus 9. *de Iustit. quæst. 6. artic. 1. ad 2.* Valentia *tom. 3. disput. 6. quæst. 16. punct. 3. versic. 4. seq.* Nec etiam committitur simonia tradendo pecuniam subornanti, qui pecunia, vel importunis precibus corrumpit Electores, ne me eligant. Non enim datur pecunia, vt me eligant, sed ne mihi damnum inferatur aut ne corrumpantur Electores. Lessius *lib. 2. cap. 35. dub. 18. n.* 108. Bonacina *de simon. q. 6. punct. 5. n.* 6. Idem dicitur, si aliqui Electores iniustè electionem impedirent, ne fieret, posset enim illis pecunia offerri in redemptionem vexationis, quam patitur Ecclesia non habens pastorem. Suarez *tom. 1. de Relig. lib. 4. c.* 50. Lessius 2. *de iust. c. 35. dub.* 19. Similiter non est simonia dare pecuniam, vel aliquod munus, vt restituatur officium illi, qui iniustè fuit ipso priuatus, vel vt non infametur iniustè aliquis Electorum, aut illi inferatur aliqua iniuria. Quia hoc solum est redimere vexationem. Laur. de Peirinis *tom. 1. de Subdito q. 14. de Obedient. cap. 31. §. 9.* Addens hoc esse verum solum quando cui datur pecunia non habet votum in electione, quia si illud habet, iam pecunia consequenter daretur pro voto.

32 De permutationibus, aut commutationibus, Officiorum Ordinis, dicendum est sicut de permutationibus, aut commutationibus beneficiorum Ecclesiasticorum, quod scilicet tales permutationes non sunt simoniacæ stando in iure diuino, bene tamen iure Ecclesiastico, nisi fiant authoritate superioris. Ratio totius conclusionis est, quia quamuis huiusmodi officia non sint propriè beneficia Ecclesiastica, cum non habeant adiunctam vtilitatem redituum Ecclesiasticorum, sunt tamen quasi beneficia, & res spirituales, importantes scilicet spiritualem iurisdictionem in subditos; vnde eodem modo, ac de beneficiis, de illis philosophandum est. Ratio etiam primæ partis est, quia stando in solo iure diuino, simonia solum committitur dando temporale pro spirituali, non vero commutando spirituale pro spirituali. S. Thom. *in cap. 10. Matt. & in 4. dist. 25. q. 3. art. 3. ad 8.* Ratio secundæ sumitur *ex c. quæsitum cum olim de rer. permut. c. Maioribus de præb. cap. vltim. de pactis.* Vbi huiusmodi commutationes prohibentur. Ratio vero tertiæ partis est decisio *cap. cum vniuersorum de rer. permut.* vbi authoritas Superioris ad huiusmodi commutationes exigitur. Pro his autem à simili de beneficiorum commutationibus, & aliis concernentibus. Vide Suarez *de Relig. tom. 1. lib. 4. de simon. cap.* 30. 31. & 32.

Circa pœnas simoniacorum dicendum est, quod omnis electio, prouisio, nominatio, & confirmatio simoniacè facta, est ipso iure nulla ante omnem iudicis sententiam, etiam declaratoriam, nullumque ius, vel effectum confert, & qui sic electus est, tenetur in conscientia Prælaturam renunciare nec ante renunciationem potest absolui. Ratio est, quia ita deciditur in Extrauag. *Cum detestabile, quæ est 2. de Simonia.* Suarez *tom. 1. de Relig. lib. 4. c.* 57. Lessius 2. *de iust. c. 35. dub.* 25. Et hoc, etiam si simonia sit occulta, vt habetur ex eadem Extrauag. & *ex cap. Matthæus, de simonia.* Suarez *vi sup. n.* 27. Hoc etiam, siue simonia sit commissa ab eodem, qui dignitatem obtinuit, siue ab aliis, ipso etiam nesciente, facta tamen in fauorem ipsius, vt habetur in *c. nobis, & c. sicut tuis de simonia* Suar. *vt sup. num.* 35. Laurentius de Peirinis *tom. 1 de subdito q. 1. de obedient. c.* 31. Secus vero dicendum est, si pecunia sit data ab inimico in odium eligendi. Ijdem Authores. Deinde, qui recipit simoniacè Ecclesiasticam dignitatem, licet non sit priuatus ipso facto aliis dignitatibus, ritè acquisitis, sed expectanda sit iudicis sententia condemnatoria, cum id nullo iure habeatur, est tamen inhabilis ipso iure ad eam, & quascumque alias dignitates obtinendas, propter Bullam Pij V. *Cum primum tom. 2. Bull.* Azor. *tom. 3. instit. moral. lib. 12. cap.* 21. Peirin. *vt sup.* Præterea per simoniam incursam in officiis Religionum, quæ sunt officia Ecclesiastica, & quasi beneficia, vel illis similia, vt sunt Prioratus, Prouincialatus, Generalatus, &c. incurritur excommunicatio maior Papæ reseruata. Per Extrauagant. Pauli. II. confirmatam à Pio V. in Bulla adducta, Rodriguez *tom 1. quæst. Regular. quæst. 20. art.* 13. Suarez *loco cit. cap. 57. n.* 47. Aliqui tamen hoc negant, eo quod ista officia non veniunt nomine beneficij, propter dicta *n.* 32. Nauarrus *in Man. cap. 23. n.* 111. Azor. *vt sup.* Vide tamen Dianam. 4. *p. tract. 4. resolut.* 156. & Ioannem Mariam Nouarium *in lucerna Regularium verbo Generalis, & Generalatus n.* 10. ac dicenda 4. *tom. verbo Simonia.* Est etiam contra obtinentes dignitates per simoniam in iure posita pœna infamiæ. Ex *cap. sane 15. q. 3. & c. si quis præbendas 1. quæst. 3.* Azor. *tom. 3. Institutionum Moral. lib. 12. c.* 21. 33

c. 21. *quæst.* 7. Laurentius de Peirinis *tom.* 1. *de subdito. q.* 1. *de Obed. c.* 31. §. 9. Aduertens hanc pœnam non incurri ipso facto, sed per solam iudicis condemnationem. An verò possint Prælati Regulares absoluere suos subditos à pœnis contractis ob simoniam, constabit ex dicendis *cap.* 18. *n.* 39. Vide Rodrig. *tom.* 1. *q. Regul. quæst.* 20. *art.* 13. Suarez *tom.* 1. *de Relig. lib.* 4. *c. vlt. n.* 4. Solum est aduertendum quòd, qui fictam, & deceptoriam simoniam committunt, (v.g. si quis promittat temporale pro spirituali sine animo adimplendi promissum) cum non sint verè simoniaci, non sunt dictis pœnis obnoxij. Sotus *lib.* 9. *de iustit. & iur. quæst.* 8. *art.* 1. Aragon. 2. 2. *quæst.* 100. *artic.* 6. *dub.* 1. *concl.* 3. Pro pœnis autem, quas incurrunt mediatores simoniacæ electionis, vide Azor. *tom.* 3. *Instit. Moral. libro* 12. *capite* 24. *quæst.* 1. Nauarr. *lib.* 5. *consil. de Simon. consil.* 98.

34 Præsidentes electionibus Regularium debent iuxta Instituta suarum religionum procedere. Non possunt autem priuare Religiosos Capitulares voce actiua, vel passiua, sine eo, quod prius citentur, ipsisque detur copia eorum, quæ contra ipsos sunt fulminata vt possint se defendere. Quia nemo potest condemnari inauditus, & defensiones sunt de Iure naturali. Rodrig. *tom.* 2. *q.* 51. *art.* 11. Miranda *tom.* 2. *Manualis q.* 22. Quod adeo verum est, vt etiam si dicatur in commissione Præsidentium, vt possint priuare Religiosos Capitulares voce actiua, vel passiua, non possint id facere, nisi modo dicto. Quia tales commissiones semper debent intelligi seruato iuris ordine. Laurent. de Peirinis *tom.* 1. *de Subdito q.* 1. *de obed. c.* 31. §. 10. Vnde Patres Capitulares, Præsidentibus non procedentibus iuris ordine seruato, non tenentur obedire. Rodriguez, & Peirinis citat. Qui etiam adiungunt, quod si maior pars Capituli nolit Præsidenti obedire propter eius iniustitiam in procedendo, potest ad electionem procedere sine ipso. Vide dicenda *tom.* 2. *cap.* 12. *à num.* 21.

35 In quacumque electione necessaria est confirmatio Superioris, *ex c. auaritia, de elect. lib.* 6. Syluest. *verb. confirmatio.* Suar. *tom.* 4. *de Relig. tract.* 8. *lib.* 2. *cap.* 5. Generales tamen plurium Religionum ex multis priuilegiis illis, concessis, eo ipso, quod sunt electi, sunt à Sede Apostolica confirmati. Vide Sixtum IV. in Bulla *Dum attenta*, quæ est in Speculo Ordinis fol. 87. Vnde in Constitutionibus Carmelitarum *p.* 2. *c.* 1. sic dicitur de Generali. *Cuius electio cum suo solo consensu est confirmatio eo facto, vt in priuilegio Summorum Pontificum expresse continetur.* Casarrubius *in Compend. verb. electio* §. 3. Si autem electio est legitima, non potest Superior non confirmare illam, imò peccabit grauiter aliter faciendo. Quia canonicè electus habet ius vt confirmetur.

36 Electio omnis confirmanda est à proximo Superiore. Quia ita habetur expresse *cap. nihil. §. cæterum, de elect.* D. Antonin. 3. *tit.* 19. *cap.* 4. Ante confirmationem electionis per electionem solum acquiritur ius ad prælatiam non autem exercitium. Nauarr. *comment.* 2. *de Regul. num.* 63. Ad confirmatorem pertinet examinare personas, tam eligentium, quam electionis, etiam si nihil electo obiiciatur. Nauarr. *lib.* 1. *consil. de elect. cons.* 2. *numero* 1. Non licet confirmatori confirmare electum indignum. Quia cum non sit idoneus tali officio, confirmatio redundaret in graue damnum Ecclesiæ. Ledesma 2. *par. summæ tract.* 7. *capite* 2. Peirinis 2. *de subdit. quæst.* 1. *de obed. cap.* 3. §. 11. Licet autem illi confirmare dignum, quem Electores elegerunt, relicto digniori. Tum quia eo ipso, quod est electus, est iudicandus dignior; tum quia confirmatio est actus exterior, ac proindè debet conformari electioni digni, quæ in foro exteriori valida est. Salonius 2. 2. *quæstione* 63. *articulo* 2. *controuers.* 3. Bannez *dub.* 3. *ad* 7. Electus ad aliquam dignitatem, si ante confirmationem administret, est ipso facto priuatus, iure acquisito per electionem. Vt habetur *in cap. auaritiæ, de elect. in* 6. *& cap. qualiter, eod. tit.* Graffis *tom.* 2. *consil. lib.* 1. *de elect. cons.* 2. *n.* 3. Si confirmatori proponantur duo, vel tres, tenetur digniorem confirmare. Quia tunc electoris, & confirmatoris vicem gerit. Rodriguez *in sum. tom.* 1. *c.* 106. Salon. 2. 2. *q.* 63. *art.* 2. *controu.* 3. Confirmatur, sciens per scientiam habitam in Confessione Sacramentali aliquem esse indignum, si nihil aliud obstet, debet illum confirmare. Quia cum confirmatio sit actus exterior, debet in eo procedere secundum allegata, & probata. Laurentius de Peirinis *tom.* 1. *de subdit. q.* 1. *de obed. c.* 31. §. 10. Non potest electus confirmatorem iniustè confirmare renuentem pecunia emolire. Quia talis confirmatio est quid spirituale. Azor. *tom.* 3. *Instit. Moral. lib.* 12. *cap.* 7. Suar. *tom.* 1. *de Relig. lib.* 4. *c.* 50. *n.* 29. Licet aliqui de hoc dubitare videantur. Maior. *in* 4. *d.* 25. *q.* 5. *ad* 2. Vide *tom.* 2. *cap.* 12. *à num.* 39.

Eligentes aliquem ad aliquod officium, seu dignitatem vnanimi consensu, non possunt deinde 37
se electioni opponere, nisi causis legitimis postea emergentibus. Habetur expresse *in cap. nulli de electio. in* 6. Opponentes autem, seu appellantes contra aliquem electum, vel eligendum seu formam electionis, vel etiam contra electores, debent in litteris appellationem, seu oppositionem continentibus, exprimere singula, quæ intendunt obiicere, sub iuramento. Ita habetur expresse in *cap. vt circa, de elect. in* 6. Laurentius de Peirinis *tom.* 1. *de Subdito, quæstione prima de obedient. capite* 31. §. *vlt.*

Si contingat illegitimum, quantumuis occultũ, 38
eligi in Prælatum, nullo modo potest acceptare prælaturam, sed, vel procurare dispensationem, vel declarare suum defectum, si sine præiudicio suæ, aut alterius famæ id facere potest. Talis enim electio in persona illius facta, est ipso iure nulla, *cap. Innotuit, de electio.* Sorbus *in compend. verb. dispensatio. vers. Ideo Iulius* 1. Rodrig. *tom.* 1. *q.* 13. *art.* 5. Si autem talis cogatur acceptare Prælationem, & ipse restiterit quantum potuerit, nec possit sine sua, aut suorum infamia dispensationem petere, poterit illam acceptare: nam ius conseruandi famam est naturale, quod iuri positiuo non habendi Prælatus illegitimum præponderare debet. Rodrig. vt sup. Laur. de Peirinis *tom.* 1. *priuil. Minim. const.* 1. *Iulij II.* §. 29. *num.* 100.

Regulares pœnitentiati à Sancto Officio Inqui- 39
sitionis, *etiam si pœnitentiæ tempus expleuerint, vel gratiam receperint, sunt inhabiles eo ipso ad omnes gradus, & officia suæ Religionis,* exceptis illis, quibus salutares pœnitentiæ impositæ fuerint, & illos promouentes incurrunt etiam *ipso facto, in priuationem suorum officiorum, ac præterea vocis actiuæ, & passiuæ,* iuxta Decretum SS. D. N. Vrbani VIII. anno 1626. vbi etiam adiungitur: *tam prædictos pœnitentiatos, quam illos promouentes, non posse rehabilitari nisi ab eodem S. D. N. vel ab eadem Sacra Congregatione* (scilicet S. Inquisitionis) *coram Sanctitate sua habenda.* Laurent. de Peirinis *tom.* 2. *priuileg. Minim.* in

in constitut. 9. Pauli V. num. 29. Pœnitentiæ salutares dicuntur illæ, quæ extraiudicialiter, & priuatim infliguntur, vt sunt ieiunia, disciplinæ, orationes, &c. Laurentius de Peirinis *ibidem*. Idem credo de aliquibus reprehensionibus, admonitionibus, seu etiam correctionibus, quæ dari solent aliquibus in hoc S. Tribunali. Declaratum autem est sæpius vt audiui, (imo vidi declarationem eiusdem S. Congregationis 22. Decembris 1632) pœnas prædictas in hoc Decreto non incurri ab iis Regularibus, qui ante illud pœnitentiati sunt à Sancto Officio, sed ab iis qui postea.

40 Plura præterea in Sacris Congregationibus Eminentissimorum Patrum in dies statuuntur circa electiones Regularium rite & legitime celebrandas, quorum aliqua quæ videre potui hic adiungam. Primo pro 17. Iulij de anno 1647. prouidit Sacra Congregatio Episcoporum & Regularium vt quidam Religiosi qui vocales Capituli cuiusdam vi & violentia coegerant ad suffragandum pro aliquibus & qui temere ad electiones processerant à censuris & pœnis incursis absoluerentur congrua pœnitentia illis imposita per Præsidem talis Capituli. Et de anno 1637. pro 25. Augusti quidam etiam Religiosi subornatores in quodem Capitulo ab illa obtinuerunt facultatem vt absoluerentur. Ac de anno 1648. pro 5. Martij habilitati sunt ad vocem passiuam quidam non habentes complete tempus professionis à Constitutionibus Ordinis requisitum.

41 Quia tamen materia huius Capitis difficilis valde in praxi est, & circa, illam plures difficultates quotidie insurgunt, operæpretium duxi resolutiones casuum quorumdam de eadem materia hic adiungere vel ad maius ipsius complementum.

Dubium Primum.

42 *An electiones per compromissum admitti possint inter Regulares.*

Responsio.

43 Premittendum, quod licet olim diuersi modi electionum haberentur quos refert Gregorius Tolosanus *in tit. de elect. cap. 2. à num.* 10. nihilominus quia propter illos multa impedimenta & pericula oriebantur, id circo generali Concilio Lateranensi *magno* vocato sub Innocentio tertio Pontifice maximo tres tantum modi electionis pro Ecclesiis viduatis prouidendis de Prælatis approbantur,
44 aliis reiectis, vt patet *in cap. Quia propter de elect.* vbi sic ad verbum: *Quia propter diuersas electionum formas quas quidam inuenire conantur & multa impedimenta proueniunt, & magna pericula, imminent Ecclesiis viduatis, statuimus vt cum electio fuerit celebranda præsentibus omnibus qui debent & volunt & possunt commode interesse, assumantur tres de collegio fide digni qui secrete & sigillatim vota cunctorum diligenter exquirant, & in scriptis redacta mox publicent in communi, nullo prorsus appellationis obstaculo interiecto, vt is collatione habita eligatur, in quem omnes, vel maior & sanior pars Capituli consentit. Vel saltem eligendi potestas aliquibus viris idoneis committatur, qui vice omnium Ecclesiæ viduatæ prouideant de pastore, aliter electio facta non valeat, nisi forte communiter esset ab omnibus per inspirationem absque vitio celebrata. Qui vero contra præscriptas formas eligere attentarint, eligendi ea vice potestate priuentur.*

Cum autem Concilium in hoc Capite præscribat 45 formam seruandam in electionibus Prælatorum pro prouisione Ecclesiarum viduatarum, ideo seruanda est non solum in electionibus Episcoporum de quibus expresse loquitur, sed etiam aliorum Prælatorum habentiũ iurisdictionem quasi Episcopalem, vt tenent ibi Doctores & S. Rota sæpius determinauit præsertim *decis. 5. in princ. iuncto n. 2. de elect. in nou. & decis. 649. num.* 4. apud Seraphinum, & in causa *Metensi Monasterij* 1621. & in *Treuerensi Abbatiæ S. Maximin.* 20. Nouembris 1624. & 24. Ianuarij 1625. coram Coccino & aliis sæpius.

Quin etiam debet obseruari eadem forma in ele- 46 ctione Prælatorum Regularium etiam Mendicantiũ. Quia etsi soli Episcopi sint sponsi Ecclesiarum *c. sicut 21. q. 2.* electiones tamen Prælatorum Regularium electionibus Episcoporum comparantur. *cap. Cupientes eod. tit. lib. 6.* Syluester *in sum. verb. electio 2. n. 2. vers. Præterea*, Sanchez *in præcept. Decal. lib. 2. c. 38. n. 84.* Suarez *de Relig. t. 4. tract. 8. l. 2. c. 5. n. 1.* Lauorius *tit. 4. c. 19. n. 5.* Barbosa *de iure Eccles. l. 1. c. 19. n. 150. & seqq.* Vnde in electionibus Prælatorum Regularium obseruari debere hanc formam resoluunt Glossa *in d. c. Quia propter, vbi* Abbas *n. 7. &* 8. Rota *d. decis. 5. & in d. Metenti monasterij*, Tambur. *de Iure. Abbat. tom. 1. disp. 5. q. 5. & communiter Doctores.*

Omissa ergo electione per inspirationem & per 47 scrutinium, quia prior fere non est in vsu, & de posteriori plura dico *tom.* 3 verbo electio quoad Regulares, & aliis locis ibi citatis, solum de electione per Compromissum hic agendum, quæ sic definiri potest: *Est modus electionis per quem Capitu-* 48 *lum facultatem eligendi Prælatum aliis viris idoneis committit.* Ita enim colligitur ex verbis relatis ex *c. Quia propter*, & est consentaneum Iuri ciuili, *l. Item eorum §. si deuotiones ff. quod cuiusque Vniuersitatis*, vbi Iurisconsultus Paulus inquit: *parui refert an ipse Ordo elegerit, an is cui Ordo negotium dedit.* Et hic habet locum regula communiter tradita *subrogatum imitatur naturam eius in cuius locum subrogatur.* Layman *in qq. Canon. de Prælat. elect. c. 8. q. 83. & 85.*

Est autem duplex modus huiusmodi Compro- 49 missi. Primus est *absolutus*, secundus *limitatus*. Absolutus modus compromissi est, quando omnis eligendi potestas in Compromissarios transfertur, ita vt quemcumque idoneum, etiamsi de gremio Ecclesiæ non sit, eligere possint, dummodo Capax & idoneus sit. *Limitatus* est cum cõpromissariis traditur facultas determinata vt vnus solum ex Capitularibus eligatur, aut vt vnus eligatur qui non sit ex compromissariis, vel vt is eligatur in quem secreto exquisitis voluntatibus singulorum Capitularium maior & sanior eorum pars consenserit. Ita colligitur ex *c. Cum in iure, & c. Cum in veteri, c. Causam quæ c. In causis, c. Cum dilectus de elect. c. si cui, & c. Cum expediat eod. tit. in 6.* Sigismundus *de Bononia de elect. Prælat. dub. 2. n.* 8. post plures alios, Layman *supra q. 85.* qui cæteris aliis enucleatius rem explicat.

Post hæc autem S. Conc. Trid. *sess. 25. c. 6. de Re-* 50 *gular.* electiones ipsorum ita in posterum fieri decernit: *In electione superiorum quorumcumque Abbatum temporalium, & aliorum officialium ac Generaliũ, & Abbatissarum, atque aliarum Præpositarum, quo omnia recte, & sine vlla fraude fiant in primis S. Synodus præcipit omnes supradictas eligi debere per vota secreta, ita vt singulorum eligentium nomina numquam publicentur. Nec in posterum liceat Abbates, Prouin-*

ciales,

ciales, Priores, aut alios titulares quoscumque ad effectum electionis faciendæ constituere, aut voces & suffragia absentium supplere. Si vero contra huius decreti constitutionem aliquis electus fuerit, electio irrita sit. Et his qui ad hunc effectum se in Prælatum creari permiserit, deinceps ad omnia officia in Religione obtinenda inhabilis existat, facultatesque super his concessæ eo ipso abrogatæ censeantur. & si in posterum aliæ concedentur tanquam subreptitiæ habeantur.

51 Ex hoc autem decreto Concilij non leuis insurgit difficultas, an videlicet per illud sit reuocata illa decretalis. *cap. Quia propter*, itaut nullatenus liceat Regularibus vti alio modo electionis nisi solum per scrutinium, in quo solo seruari potest secretum à Concilio requisitum, non autem per modum compromissi, seu inspirationis, in quibus non potest seruari. Et quidem priorem partem tenere videntur Nicolaus Garzia *de benef. p. 5. cap. 4. n.* 204. Castellinus *de elect. cap. 7. n. 7.* & alij. Posteriorem autem partem tenent Rodrig. *in sum. p. 1. tit. de elect. c. 102. n. 2.* Miranda *tom. 2. Manual. Prælat. q. 23. art. 3.* in fine quos sequor *sup. n. 11.* Ad hærent etiam Tamburinus *de iure Abbat. tom. 1. disp. 5. q. 5. n. 9.* Moronus *in respons. 72. n.* 8. Sanctorus *super statut. Minor. c. 8. stat.* 2. Pellizarius *in Manual. Regul. tom. 2. tract. 9. cap. 2. sect. 1. n. 4.* & Rotæ *in Metensi Monasterij* 5. Iulij 1621. coram Coccino in fin. referens Rodrig. Zerolam & Azorium, ac supponitur in alia *Treuerensi Abbatiæ S. Maximini* 24. Ianuarij 1625. coram eodem.

52 Nec pro priori sententia affirmante per Concilium Tridentinum reuocatam esse talem Decretalem facit declaratio quædam S. Congregationis quam referunt Garzia & alij Authores relati, & in qua cum quæsitum esset ab eadem S. Congregatione si in electione Prælatorum Regularium procedi potest alia via quam per scrutinium, vt pote per viam compromissi, aut inspirationis, aut oportet procedere per viam scrutinij tantum, quo poterit satisfieri decreto Concilij vt vota sint secreta, Congregatio censuit, *electionem horum Prælatorum debere fieri tunc per vota secreta, vt se habent verba Concilij hoc capite.* Non solum quia de hac declaratione non constat authentice, sed etiam quia in ipsa nullatenus exprimitur quod sola electio per scrutinium sit valida inter Regulares non autem per compromissum. Et maxime quia hæc declaratio solum videtur esse pro Religionibus quæ secundum suas constitutiones obseruare debent formam per modum scrutinij, non autem de aliis id non habentibus, neque stando in iure communi canonico iuxta dicenda inferius.

53 Minus obstat Bulla Clementis VIII. quæ incipit *Decet Romanum Pontificem* in Bullario *n. 33. §. 5.* vbi forma per scrutinium in electionibus præscribitur Regularibus. Quia ibi solum est sermo de Religione Tertij Ordinis S. Francisci, non vero de aliis, vnde sine claro fundamento ad alias extenditur.

54 His præiactis, primo dicendum, stando in iure communi Canonico licita & valida est electio per modum compromissi, siue absoluti, siue limitati, iuxta dicta in superioribus. In hoc conueniunt Rotæ decisiones, & authores relati propter auctoritatem Concilij Lateranensis, ex quo desumpta est, Decretalis illa *c. Quia propter.* Et quia in isto modo electionis saluatur libertas seu consensus eligentium, quæ est de essentia electionis, & omnia alia quæ de iure naturali, aut diuino ad electionem sunt requisita.

55 Neque obstat si dicatur non posse in illa obseruari secretum à Conc. Trid. requisitum verbis superius relatis. Hoc enim non subsistit, quia potest obseruari à Compromissariis, ita scilicet vt eligentes iuxta commissionem sibi factam debeant procedere per vota secreta, itaut *nomina eligentium numquam publicentur,* prout Concilium voluit. Sic ferme Sigismundus de Bononia *sup. dub. 31. n. 14.* hoc sensu explicans declarationem S. Congregationis superius relatam. Quamuis autem solum ibi loquatur de compromisso absoluto, nihilominus *dub. 2. n. 12.* loquens de compromisso limitato idem videtur sentire. Colligitur etiam ex *c. si cui de elect. in 6.* & Rota *in d. Metensi §. Et quamuis.*

Circa hanc autem formam eligendi per compromissum pro illis Religionibus, in quibus admittitur, vel admitti potest, aliqua animaduertenda. Primo non valere compromissum factum à Capitularibus vno illorum dissentiente. Quia agitur de interesse singulorum, & in re communi potior est cōditio prohibentis. *c. in re,* iuncta Glossa *in fig. cas. de reg. Iur. in 6.* Panormitan. Butr. Briaxius, Felynus, Lambertinus, & alij quos refert & sequitur Sigismundus *de elect. dub. 21. n. 3.* & Samuellius *de elect. tr. 1. disp. 3. Controu. 3. & 4.* An vero etiam id procedat non solū in compromisso absoluto sed in limitato, tractant ijdem Sigismundus & Samuellius. Secundo nec valere compromissum factum ab vno ex Capitularibus tantum, aliis tacentibus propter timorem, vel reuerentiam superiorum, quibus, non audent resistere. Tunc enim designatio Compromissariorū esset inuoluntaria & ex metu. Felynus *supra,* Sigismundus *eo dub. 23. n. 3.* Samuellius *sup. controu. 7. conclus. 1. & 3.* Tertio nec valere compromissum si electores interrogati ab aliquo, videlicet Superiore, an velint compromittere suum votum, & in quem volunt compromittere non habeant aliquod interuallum ad deliberandum super eo. Ita etiam Felynus, Sigismundus *num. 4.* Samuellius *conclus. 4.* & innuit Calderinus *in c. Cum in iure, n. 15. de elect.* Et ratio generalis tam pro hoc quam pro aliis casibus est, quia taciturnitas post interrogationem non promisso interuallo ad deliberandum, non habetur pro responsione. Innocent. *in c. Cum in cunctis de elect.* Bald. *in l. 2. §. qui si actor C. de iur. calum. & in c. Cum in veteri n. 1. & 2.* vbi quoque Innocent. *num. 5.* Hostientis *num. 5.* Imola *num. 5.* Butius *n. 7. 15. & 16.* Panormitanus *n. 7. de elect.* Gonzales *super regul. 8. Cancel. glos. 46. n. 40. & 45.* Quarto generaliter loquendo in electione per compromissum siue absolutum, siue limitatum obseruanda est forma compromissi iuxta commissionem compromissariis datam. *cap. Cum dilecta de rescript. cap. Cum expediat de elect. in 6. & l. diligenter ff. mandat.* Sigismundus *supra dub. 40. num. 5.* vbi etiam quod ille compromissarius electionem pronuncibit qui à iure vel à consuetudine, vel ab aliis suis sociis compromissariis habuerit auctoritatem saltem tacite ad id faciendum. Et ita dicere debet. *Ego N. compromissarius de consensu & voluntate compromissariorum meorum eligo, &c.* Miranda *tom. 2. Man. Prel. quæst. 23. artic. conclus.* 2. Rotæ in Treueren. Abbatiæ relata *numero* 45. Quinto huiusmodi compromissarios posse esse vnum, duos, vel plures iuxta beneplacitum electorum dummodo sint personæ idoneæ. Ratio est quia *in d. cap.* Quia propter solum dicitur quod *viris idoneis committatur* eligendi potestas, non determinando aliud. Panormitanus *cap. In causis numero* 2. iuncto *cap. Cum in iure & cap. Cum dilectus* vbi Butrius *numero secundo de elect.* siue sint de collegio siue non. Glossa *in d. cap. Quia*

56 57 58 59 60 61

Quia propter verb. iuris. Panormitanus *in cap. Causam quæ*, vbi quoque Butrius *num.* 3. per illum textum; & per *cap. Cum inter de election.* Biaxius *suprà part.* 3. *cap.* 17. Sigismundus *sup. dub.* 21. Samuellius *disputatione* 3. *controuers.* 2. Nec est necesse quod sint de Collegio, sed possunt extra Collegium assumi, cum *in d. cap. Quia propter* nihil de hoc dicatur, & extra Collegium poterunt esse viri idonei. Glossa *in d. cap. Quia propter verb. viris.* Panormitanus, Butrius & alij quos referunt & sequuntur Sigismundus & Samuellius *suprà.* Qui etiam addunt cum Panormitano *in cap. In causis numero secundo* posse Capitulum eligere compromissarios non solum immediatè, sed etiam mediatè, id est non solum posse Capitulum per se committere personis certis potestatem eligendi, sed etiam posse aliquos eligere per quos eligantur compromissarij, qui habeant potestatem eligendi vice Capituli.

62 Quomodo autem practicandum sit huiusmodi compromissum sic habet Rota relata *in Treueren. Abbatiæ* §. *Quantum attinet: Congregato Capitulo is qui habet in Capitulo primam vocem, vel alius de mandato Capituli, seu quiuis etiam sine mandato, Capitulo tamen non contradicente, requirit primo singulos sigillatim, an placeat procedere hac forma compromissi; & omnibus consentientibus, ita vt nullus omnino discrepet, debet requirere eos iterum, quibusnam personis & per quem modum velint eis committere vices suas, & omnibus de personis concordantibus & de modo, tunc omnes simul, vel vnus nomine omnium in personas huiusmodi eligendas transferat potestatem. Si vero Capitulum nolit, in compromissarios conuenire possunt eo casu vt citius ad concordiam deueniatur vni vel pluribus qui vice omnium eligant compromissarios, committere vices suas Ita Mandag. de election. part. 1. cap. 39. Compostel. in cap. Quia propter numero 26. vers. Quæro modo, & ibi Bellamera in* §. *Vel saltem numero 7. eod. tit. & de hoc debet confici publicum instrumentum. Specul. in tit. de election.* §. 2. *in princip. Bertach. de Episcop. part. 1. libro 3. quæstione 49. numero 93. Idem Specul. in cap. de via Compromiss. numero 4. Et hoc casu quæstio est, vt per Bartolum in l. Institutio numero 3. ff. de cond. inst. an duo sint conficienda Instrumenta, vt scilicet vnum contineat: Non eligimus quem tales compromissarij nominabunt; & alterum: Eligimus illum quando tales compromissarij nominabunt. Tamen idem Bartolus concludit quod licet de iure duo essent conficienda, de consuetudine contrarium seruatur.* Hæc Rota relata.

63 His tamen in suo robore permanentibus, nec vllo modo obstantibus absolutè dicendum, quod quamuis illa in vim iuris communis loquendo de Religionibus illis, in quibus talis modus electionis per compromissum ex earum Constitutionibus non habetur, sed solum per scrutinium, electionis Prælatorum solum per scrutinium validus esse poterit, & nullatenus ille alius per compromissum. In hoc conueniunt communiter Doctores pro certo id supponentes, ita vt nullum viderim qui oppositum affirmare ausus fuerit. Expressè etiam id tenent Sigismundus *supr. dub.* 8. Samuellius *suprà disputatione* 1. *controuers.* 5. *conclus.* 2. his verbis: *Hodie electio Prælatorum Regularium per viam compromissi, & quasi inspirationis minimè celebrari potest, aliàs est nulla ipso facto.* Fauet Moronus *d. resp.* 72. ac Barbosa *in Collect. Doctor. in Concil. Trident. sessione* 25. *de Regul. cap.* 6. *numero* 15.

64 Fundamentalis ratio huius veritatis est, quia quoties in Constitutionibus Religionum præcipitur modus aliquis in electione seruandus, ille solus validus & legitimus pro ea Religione censetur. Quod non solum est verum quando in illis apponitur clausula irritans, quia tunc magis attenditur forma legis quàm ratio legis, vt ait Baldus *in lib.* 1. *& posthum.* quem ibi omnes sequuntur, & præsertim Iason *numero* 1. Alexander *in fin. numero* 3. *de procur.* Rot. *decis.* 215. *numero* 1. *part.* 1. *& decis.* 214. *part.* 4. *diu.* Et fuit tentum in vna *Toletana professionis* 27. Februarij 1595. sed etiam si non adsit talis clausula irritans. Quia quando aliquid requiritur in ipso actu, tunc si illud non seruatur actus est nullus ipso iure, etiam quod statutum vltra non procedat annullando. Bartolus *in leg. Vniuersa* & ibi Iason, vbi de communi *numero* 8. dicens in toto mundo hanc opinionem esse receptam. *Cod. de precib. Imper. offer.* Romanus *consil.* 203. *numero* 2. Panormitanus *in cap.* 2. *numero* 5. *vers. Scire enim debes*, & ibi Felinus *colum.* 2. *vers.* 3. *not. de testib.* Et ratio est, quia statuta habent perpetuam causam prohibitionis: sunt enim condita ad obuiandum falsitatibus & fraudibus, & vt erroris causa tollatur. Alexander *consil.* 141. *numero* 10. *libro* 2. Socinus *consil.* 2. *numero* 2. *libro* 3. Ergo omis- 65
sio solemnitatis reddit actum nullum ipso iure, etiamsi statuta non habeant clausulam annullatiuam. Glossa communiter approbata *in Clem.* 1. *verb. Inhibentes de Iurepatr.* Vbi Doctores Alexand. *in lib.* 1. *numero* 8. *de lib. & posthum.* Felinus post Panormitanum *in cap. ex parte colum.* 5. *numero* 6. *vers. Quartus casus est de Constit.* Puteus *decis.* 338. *numero* 6. *lib.* 1. Sigismundus *d. dub.* 8. *numero* 5. Quinimo etiamsi Constitutiones non procederent per modum prohibitionis, sed solum per verba imperatiua dispomentia modum electionis, electio aliter facta censeri debet nulla, vt post Bartolum, Felinum & alios habent idem Sigismundus *numero* 7. & Samuellius *d. disputatione* 1. *controu.* 14. vbi totam doctrinam traditam corroborat. Idque est ve- 66
rum iuxta praxim & stylum Sacr. Congregationis Episcoporum & Regularium, in qua electiones Prælatorum factæ contra Ordinum Constitutiones pro nullis habentur, vt patet in vna pro 6. Nouembris 1647. & 20. Nouembris eodem anno.

Quæ etiam roboratur ex Decretis Clemen- 67
tis VIII. pro reformatione Regularium approbatis etiam sub Vrbano VIII. in quibus dicitur: *In Superiorum & officialium omnium electionibus forma præscripta à S. Concilio Tridentino & Ordinis Constitutionibus inuiolabiliter seruetur.* Verbum enim *inuiolabiliter* irritationem actus contrarij denotare videtur, adiunctis maximè verbis illis eiusdem decreti. *Ac propterea priusquam ad electionem deueniatur in primis & ante omnia prælegantur Constitutiones de qualitate & requisitis eligendorum.* Et quid in fine ipsorum decretorum dicatur: *Vt autem hæc decreta (donec alia quæ pleniorem reformationem facient edantur) ab omnibus obseruari possint, distinctè præcipimus Generalibus, ac omnibus aliis quibuscunque superioribus ad quos hoc spectat, vt curent ac efficiant ea omnia inter alias eorundem Ordinum Constitutiones perpetuo valituras redigi, interdicta omnino eorum singulis facultate illas declarandi, & aduersus eas vnquam dispensandi.*

Accedit etiam consuetudo constans & perpetua 68
Religionum: quæ enim habent in suis statutis vel Constitutionibus modum aliquem præscriptum pro

pro electionibus celebrandis, eum ad vnguem obseruare contendunt; etsi quandoque ab eo declinant,& casus ad Sac. Congregationem Regularium vel S. Rotam defertur, tales electiones declarantur nullæ, & quandoque superiores illas permittentes debitis pœnis puniuntur.

69 Vnde nullo modo arbitrarium est Prælatis harum Religionum recedere à modo electionis illis præscripto in suis statutis. Quia vbi reperitur ius scriptum, aut consuetudine firmatum, arbitrarium non est ab eo recedere, sed potius necessarium non recedere. Bartolus *in l.ambitiosæ, num.*11. *ff. de decr.ab or.fac.* Baldus *in l. quicunque colum.*1. *Cod. de seru. fug.* Fulgosius *in leg. Quid ergo pœna grauior num.*23. *de iis qui not. infam. pœn.* Sigismundus *suprà dub.*118. *num.*1. *& 9.* Samuellius *tract.*3. *de elect. disp.*4. *controu.*8.

70 Ex dictis porrò elici potest decisio cuiusdam dubij mihi propositi circa electiones quasdam per compromissum celebratas in Prouincia Aquitaniæ Ordinis nostri de anno 1651. Cum enim pro celebratione Capituli Prouincialis eius Prouinciæ Patrum Gremiales in Conuentu Lemouicensi conuenirent, & ad bonum pacis & quietis Prouinciæ attendentes credidissent sic expedire, noluerunt electiones iuxta modum præscriptum in Constitutionibus Ordinis, scilicet *per scrutinium* absolutum facere; sed compromittentes vota sua in octo ipsorum, illis omnimodam facultatem eas faciendi per vota secreta dederunt. Etenim etsi omnino dicendum esset iuxta probata in Superioribus, quod tales in vim iuris communis validæ & legitimæ essent, eo quod factæ fuerint per compromissum limitatum; qui electionis modus approbatus est ab Ecclesia & Concilio Lateranensi *in cap. Quia propter* relato, nec reprobatus à Concilio Tridentino, cum solum petat quod electiones fiant secreto, quod in hoc casu obseruatum est. Imò quia istæ electiones factæ sunt per compromissum mixtum, quod est etiam maximè pro legitimo modo electionis approbatum à Rota *in Metensi* relata *numero* 30. *& seqq.* ex Henrico Canisio ab ea citato, & supponitur in alia Treuerensi Abbatiæ etiam relata, propterea de eius validitate in terminis iuris communis vix dubitari potest: eo etiam quod iste modus eligendi per compromissum mixtum scrutinio dicatur melior *& expeditior forma*, cum non omnes rectè sciant formam scrutinij. Glossa *in cap. Cum expediat in verb. Inquisitis de election. in* 6. Mandag. *de elect. cap.*41. *litt.E.* Rota *in d.Treueren. num.*46.

71 Cæterum spectato iure Religionis, & quod in ipsa aut ipsius Constitutionibus nulla prorsus mentio vnquam fit de alio modo electionis prӕterquam quod per scrutinium, vt patet tam ex Constitutionibus nouis, quam antiquis; & quia insolitus est, & inauditus omnino in Religione talis modus celebrandi electiones, *insolita autem malam fidem arguunt, suspicionemque inducunt, leg. si quis sub conditione*, & ibi Glossa & Bartolus *ff. de condit. instit.* Baldus *consil.*311. *colum.*2. *vol.*5. & alij apud Bertachin. *in repert. verb. Insolita*, idcirco talis electio in vim Constitutionum, seu statutorum Ordinis omnino irrita censeri debent. Eo quoque quod talis modus celebrandi electiones est forma illarum, prout colligitur *ex p.*4. *Const. c.*15. *num.*4. *& c.*24. *n.*9. sibi expresè dicitur: *Et sciendum est quod in electionibus superiorum, & officialium omnium seruanda est forma præscripta à Concilio Tridentino, & ab istis Constitutionibus part.*2. *cap.*10. *num.*9. Et *forma legis omissa corruit actus*, *l.Cum hi* §. *si Prator ff.de transact.* & pluribus aliis iuribus & DD. apud Barbosam *axiom.*12. *num.*24. *& axiom.*100. *num.*17. Vnde Reuerendissimus Theodorus Statius Ordinis Generalis modum celebrandi Capitula Prouincialia & electiones ipsius per modum legis pro tota Religione præscribens non solum *formulam* eum appellat, sed etiam, (quod est proximè ad intentum) in principio & præfatione ipsius declarat quod *omnes electiones in nostris Capitulis Prouincialibus iuxta nostrarum Constitutionum dispositionem faciendæ sunt per viam scrutinij.*

Adest etiam alia ratio propter quam præfatæ electiones irritæ censeri debent. Ea videlicet quod licet iuxta dicta, electiones factæ per compromissum mixtum cum scrutinio validæ sint in iure communi stando; hoc tamen fallit quando in eo scrutinio non sunt obseruata substantialia scrutinij, iuxta *cap. Quia propter.* Ita enim habet Rota *in Metensi* relata §. *Et quamuis*, & Rota *in Treuerensi* etiam relata §. *Dato tamen*, ex *cap. Si cui de elect. in* 6. & aliis DD. quos sequuntur Sigismundus *suprà dub.*2. *num.*12. & Samuellius *suprà disputatione* 1. *controuers.*3. *conclus.*9. In his porro electionibus obseruata non sunt substantialia scrutinij, quia non sunt factæ, vt audio à Religioso fide digno eius Prouinciæ per tres scrutatores à Capitulo designatos, prout præscribitur proforma electionis per scrutinium eo *cap. Quia propter.* 72

Nihilominus tamen, quia præfatum Capitulum, & eius electiones bona fide & propter aliquam necessitatem modo prædicto celebrata sunt, & propterea confirmata à Reuerendiss. Ordinis Generali; insuper quia in ipsis consenserunt Gremiales omnes Capituli, & per 18. circiter menses contra ea non reclamarunt, & ij qui prædictum tempus reclamarunt legitimi contradictores non erant: ac maximè quia cum in illis obseruatum fuerit id quod de iure naturali & diuino ad valorem electionum requiritur, scilicet liber consensus eligentium, debent sustineri in foro conscientiæ iuxta doctrinam communem, quam sequitur dicta Rota *in Treuerensi* §. *neque facit*, & ex Doctoribus Innocentius, Baldus, Nauarrus, & alij quos ex recentioribus sequuntur Sigismundus *dub.*3. *num.*1. Samuellius *suprà controu.*6. & Moronus *respons.*72. *num.*49. Ideo cum in S. Congregatione Episcoporum & Regularium de huius Capituli & electionum ipsius validitate ageretur, pro ipsius defensione libellum supplicem feci huius tenoris ad Eminentiss. & Reuerendiss. D.Cardinalem Carpineam huius causæ Ponentem vt pro solita sibi pietate & benignitate ipsa approbaret vel sanarat. 73 74

Eminentissime & Reuerendissime Domine.

Sustinendæ videntur omnino electiones Prælatorum, & aliorum Officialium factæ pro Prouincia Aquitaniæ Ordinis Carmelitarum in Conuentu Lemouicensi 25. die mensis Septembris anni 1651. per octo compromissarios designatos à toto gremio Capituli nullo reclamante, nec contradicente, sed potius approbante tale compromissum. 75

Factæ enim sunt præfatæ electiones, vt dicitur per vota secreta iuxta formam prærequisitam à Concilio Tridentino *sessione vigesimaquinta*, *de Regul. cap.*6. Et in eas consenserunt omnes Gremiales dicti Capituli recognoscentes vt Prælatos, Superiores, & officiales illos omnes qui fuerunt electi per 76

per has electiones. Vnde propterea P. Generalis litteris datis Rhedonis die 28. Nouembris præfati anni eas confirmauit, & quatenus opus esset reualidauit personas sic electas de nouo eligens, præcipiens omnibus suis inferioribus vt contra ipsas nullus reluctari præsumeret sub pœna rebellium.

77 Nec obstant oppositiones contra præfatum Capitulum & ipsius electiones à nonnullis propositæ. Prima enim, videlicet quod P. Ioachimus à Sancto Ioanne Prouincialis fuerit electus per acclamationem, omnino est à veritate aliena: non enim fuit electus per acclamationem, sed per electionem secretam, iuxta Concilium, vt dictum est, ex testimonio quorumdam Patrum illius Prouinciæ.
78 Deinde secunda videlicet quod vnus ex compromissariis non esset gremialis, seu de gremio Capituli etiam à veritate est aliena. Erat enim Definitor in Capitulo præcedenti, & per consequens gremialis in isto: Dato etiam & non concesso, quod vnus ille non fuisset de gremio Capituli, nihilominus adhuc poterat designari compromissarius, eo quod *in cap. Quia propter de election.* vbi inter alias formas electionis approbatur ea quæ est per compromissum, nullatenus dicitur quod compromissarij debeant esse Capitulares: solum enim dicitur: *vel saltem eligendi potestas aliquibus viris idoneis committatur, qui vice omnium Ecclesiæ viduatæ prouideant de Pastore.* Et ita tenent Glossa in d. *cap. Quia propter,* verbo *viri*, Glossa *in cap. Causam de election.* verb. *Contulerint*, & Laymanus *in quæstiones Canon. de election. Prælat. capite octauo, quæstione octogesimaquarta.*
79 Tertiò quoque oppositio, nempe quod P. Generalis non potuerit accelerare dictum Capitulum, provt de facto fecit ad instantiam Prouincialis qui tunc erat, & ob bonum Prouinciæ, omnino corruit ex Constitutionibus Ordinis *parte secunda, capite primo, numero septimo,* vbi dicitur: *Poterit etiam Capitulum generale vel Prouinciale mutare, & terminum, causa rationabili, abbreuiare, vel elongare. Et hoc idem committere Prouincialibus, aut Vicariis quando videbitur expedire.*
80 Quarta similiter, videlicet quod Prouincialis qui fuit electus eligi non potuerit ad id munus, eo quod esset Lector publicus in Academia Cadurcensi, est omnino friuola: nam ciuitas illa Cadurcensis est in medio dictæ Prouinciæ Aquitaniæ, ex qua facilè potest toti Prouinciæ prouidere. Et talis Lector publicus non occupator nisi per sex menses in dicta lectione, & ita habet sex alios menses liberos, vt in illis possit visitare totam Prouinciam. Et casu quo tempore lectionis aliquis Conuentus visitari deberet, posset lectio intermitti ex licentia Rectoris talis Vniuersitatis, vel Prouincialis mittere visitatorem suo nomine. Hanc porro obiectionem friuolam esse ex eo etiam conuincitur, quod cum idem P. Ioachimus aliàs fuisset Prouincialis, & simul Lector publicus eiusdem Vniuersitatis, nunquam tamen illi est oppositum non posse exer-
81 cere simul hæc duo munia. Quinta pariter obiectio, videlicet quod Exprouincialis non finierit suum Prouincialatum, etiam est parui momenti, quia ipse renunciauit suo Prouincialatui, & accessit Parisios ad conueniendum P. Generalem & postulandum accelerationem Capituli. Denique sexta etiam est inanis. Nullus enim Conuentus Prouinciæ petit cassationem compromissi aut electionum per ipsum celebratarum, sed solum celebrationem noui Capituli pro nouis electionibus faciendis.
82 Difficilius obiicitur contra præfatum compromissum & electiones ipsius, quod in Constitutionibus Ordinis solum assignetur pro forma electionis ea quam tradit Concilium loco relato, scilicet per vota secreta, ac proinde per modum scrutinij.
83 Veruntamen huiusmodi difficultas non tollit quominus à Sacr. Congregatione approbari debeatur præfatum compromissum, & electiones causa ipsius factæ.
84 Primò quidem, quia compromissum & electiones per ipsum celebratæ validæ sunt & legitimæ, in terminis iuris communis stando. Etenim *in d. cap. Quia propter* quod est desumptum ex Innocentio III. & Concilio Lateranensi omnino approbatur talis modus electionis. Et ita tradunt communiter Doctores & S. Rota *in Metensi Monasterij* 5. Iulij 1621. *& in Treuerensi Abbatiæ sancti Maximini* 20. Nouembris 1624. & 24. Ianuarij 1625. quas refert Barbosa in præfatum *cap. Quia propter numero secundo.* Cum ergo res de facili reuertatur ad suam primæuam naturam, *leg. filio quem pater ff. de lib. & posth. cap. Ab exordio* 35. *distinct.* & facilius tollantur ea quæ iure speciali quàm quæ iure communi valent, *leg. eius militis §. Si militia ff. de milit. testament.* videtur potuisse gremiales dicti Capituli vti præfato modo eligendi; præsertim cum ille non fuerit simpliciter compromissum, sed mixtus ex compromisso & scrutinio.

Secundò, quia si rectè res inspiciatur, huius- 85
modi electiones nullatenus dici possunt factæ per compromissum: siquidem vt dicitur, factæ fuerunt per vota secreta, & compromissum quod præcessit solum fuit pro designandis electionibus, quod nullatenus est prohibitum in Ordinis Constitutionibus, ac proinde permissum censeri debet iuxta commune axioma, permissa esse censentur omnia quæ non sunt prohibita. Oldradus *consil.* 228. Ancharanus *consil.* 243. Barbosa *axiomat.* 178. *num.* 1.

Maximè tertiò, quia præfatum compromissum 86
non fuit aliud, nisi quædam renunciatio vocis actiuæ quam habebant gremiales ad electiones faciendas, ac proinde esto quod in vim compromissi non possent valere dictæ electiones, saltem in vim renunciationis propriæ vocis valere possunt; quia certa veritas est, quòd actus qui non valet eo modo quo fit, valet eo modo quo valere potest *cap. vnic. de despons. impub. in sexto.* Sanchez *libro quinto in Decalog. capite quarto, numero centesimoquarto.* Eo videlicet, quia actus quando ex duplici capite fieri potest ex vtiliori & firmiori factus censetur *lib.* 3. *de testament. mil. leg. Cum pater ff. de iur. dot.* Reinos *in obseruat. pract. obseru.* 8. *numero duodecimo.* Et quia in dubio de validitate actus pro ipsa iudicandum *leg. quoties ff. de reb. dub. leg. Si quando ff. de legat.* Rolandus à Valle *consil.* 61. *numero vigesimotertio, libro tertio.* Et quia omnis interpretatio admittitur ad sustinendum actum. Rota *decis.* 469. *numero tertio, parte secunda rec.* Rolandus *suprà numero vigesimosexto.* Potuisse autem præfatos Gremiales renunciare vocem actiuam pro comperto est, tum ex Constitutionibus Ordinis, tum ex communi illa regula, Iuri suo quilibet renunciare potest *leg. Si quis in conscribendo Cod. de Episcop. & Cler. l. penult. Cod. de pact. cap. tuis* 39. *vers. Nisi de testib. cap. Ad Apostolicam de Regular. cap. Si de tertia de priuileg.* Tiraquellus *de iure primogen. quæstione* 24. *num.* 4. *cum seqq.*

87 Præsertim etiam quartò, quia Constitutiones Ordinum præscribentes modum electionis solum per scrutinium cum sint correctoriæ iuris communis eo quod ius commune permittit plures modos electionis, Constitutiones autem solum vnum vel alterum modum permittunt, ideo cum correctio in dubio sit vitanda, *l. si quando Cod. de inof. testam. lib.1. Cod. de inof. dot.* Romanus *consil.40. numero quinto, & consil.57. numero secundo & tertio* accipi debent vt minus corrigant quam fieri possit; itavt tantum corrigant quantum loquuntur, *l. si vero §. de vir. ff. sol. matrimon.* Rota *decis.724. numero decimosexto, parte prima diu.* Sigismundus de Bononia *de election. Prælat. dub.7. numero primo.* Ex his & aliis: ac proinde solum intelligendæ, vt scilicet seruetur modus ille particularis electionis quando fieri potest, non verò quando res est valdè difficilis aut moraliter impossibilis, provt in præsenti casu contigit: siquidem Gremiales d. Capituli hunc modum electionis suscipere coacti sunt pro maiori quiete Prouinciæ, & quia P. Generalis propter bella ingruentia in illis partibus nec poterat personaliter assistere, nec mittere Commissarium, qui ipsius personam gereret. Quia vt rectè Rolandus *consf.72. numero trigesimoquarto*, quem sequitur Sigismundus *suprà numero quinto*, conditores statutorum noluerunt in hoc casu disponere & statuere contra ius commune, & adducit textum *l. quod vero contra ff. de leg.* & communem Doctorum *in l. si constante ff. solut. matrim.*

88 Id quoque elicitur ex declaratione Sacr. Congregationis quam referunt Garzias *de benefic. part.5. cap.4. numero 204.* Sigismundus *suprà dub.2. numero septimo.* Castellinus *de elect. cap.7. numero septimo,* & Barbosa *in collect. Apostol. decis. collect.277.* Cum enim quæsitum ab ea fuisset an in electione Prælatorum Regularium procedi posset alia via quam per scrutinium, vtpote per viam compromissi, aut quasi inspirationis, aut oporteret procedere per viam scrutinij tantum vt possit satisfieri decreto Concilij iubentis vt vota sint secreta. Eadem Sacr. Congregatio respondit; *electionem horum Prælatorum debere fieri tunc per vota secreta vt se habent verba Concilij.* Vbi manifestum videtur Sacr. Congregationem solum velle quod electio fiat per vota secreta non curando de alio modo electionis, dummodo in illo hoc secretum seruetur; quod quia in præsenti casu contigit, omnino videtur iudicandum pro valore harum electionum.

89 Maximè & principalius quia communis & vera sententia Doctorum est, electiones esse validas & tenere in foro conscientiæ, licet omissæ sint solemnitates iure humano introductæ, quando in illis concurrunt quæ iure diuino & naturali sunt requisita. Innoc. *in cap. Cum in iure & cap. Quod sicut de election.* Baldus *in cap. Nihil est numero nono de election.* Nauarrus *libro primo consf.10. numero secundo de election.* Rota *in d. Treuerensi Abbatiæ S. Maximini* 20. Nouembris 1624. coram Coccino, §. *Neque etiam obstat in fine*, Sà *in summ. verb. electio numero quinto.* Ioannes Valerius *different.8. numero primo.* Thesaurus *in Prax. part.2. verb. Conclauis §. Nota octauo.* Peirinis *tomo primo de subd. quæstione prima, capite trigesimoquinto §.6. in 5. conclus.* post Rosellam & alios. Id autem quod iure diuino & naturali requiritur ad electionem præcipuè est consensus ipse eligentium, Innocentius vbi supra, & præsertim *in d. cap. Quod sicut de election.* Panormitanus *in cap. Cum post de elect. numero tertio.* Decius *in cap. Canon. de election. numero vigesimo de Constit.* March. *quæstione 927. numero 3. parte prima,* Sigismundus *sup. dub.3. num.1.* aptissimè ad intentum adiungens *num.2.* hæc: *Si talis ergo qui contra formam Canonicam eligitur confirmetur est verus Prælatus, nec tenetur in foro conscientiæ resignare, quia habuit fundamentum naturale. Ius enim positiuum adinuenit solemnitates propter periculum animarum & deceptiones euitandas, quæ cum cessent in hoc casu, non est de illarum defectu curandum.* Innocentius *in cap. Quod sicut*, vbi quoque Bellamera *numero quinquagesimoquarto, vers. si vero electio.* Panormitanus *in cap. Quia plerique numero trigesimoprimo, de Immun. Eccles.* Iason *in l. nemo potest in 2. lect. col.15. verb. Pro parte negatiua ff. de legat.1.* Felinus *in cap.1. columm.11. vers. fallit sexto de Constitut.* Syluester *titul. electio quæstione decimo* Biax. *in direct. election. parte tertia cap.20. in fin.* Hæc Sigismundus. Ex quibus clarè elicitur sustinendas esse electiones de quibus in præsenti; siquidem celebratæ sunt secretè & ex libero consensu Gremialium, & confirmatæ à Patre Generali.

Porrò non debere audiri Patres quosdam eius 90
Prouinciæ, qui huiusmodi electionibus se opponunt, constat ex eo, quia illi consenserunt talibus electionibus & electis per ipsas. Ex hoc enim sequitur repelli debere ab oppositione seu impugnatione ipsarum propter ea quæ dixi in meis Consultis *conclus.13. numero septimo*, videlicet, quia vt habetur ex Regulis iuris *in 6. numero vigesimoprimo*, & sumitur ex *l. sicut Cod. de act. & oblig.* Quod semel placuit, amplius displicere non potest; quod Glossa ibidem intelligit etiam in electo iuxta *Can. dilectissimi 8. quæstione 2.* Idemque confirmat Regula alia etiam iuris *in 6. numero 33.* quæ desumi- 91
tur ex *leg. Nemo potest mutare ff. hoc titulo*, scilicet mutare consilium quis non potest in alterius detrimentum. Quam Regulam procedere etiam in electione probat Barbosa *ibidem* ex iuribus & Doctoribus. Fauet etiam Regula illa generalis, scilicet nul- 92
lus potest venire contra factum suum *arg. cap. diuersis fallaciis de Cleric. coniug. & cap. Proposuit de fil. presbyt.* Glossa *in d. reg. Quod semel* Layman *in qq. Canon. de elect. quæst.116. in margine.* Consonat etiam *cap. Concertationi de appell. in 6.* vbi appellanti ab electione præscribitur spatium dierum decem, & iis transactis solum conceditur vti iuris remediis, si tamen electioni non consenserit. Ita colligunt ex textu Lapus, Abbas, Archidiaconus, & alij Doctores quos ibi refert & sequitur Barbosa. Pro quo 93
maximè facit declaratio quædam nouissima S. Congregationis Episcoporum & Regularium die 2. Decembris 1643. vbi sic: *Proposita fuit causa Prouinciæ Apuliæ inter PP. electores eiusdem Prouinciæ, necnon P. Thomam à Grumo electum, & P. Magistrum Felicianum à Polignano eius procuratorem ex vna, & P. Magistrum Gregorium Capullum, &c. & Domini negotio maturè discusso fuerunt in voto institutionem P. Capulli non posse, nec debere ab eis impugnari, cum semel in eam consenserint, nec obstare Constitutiones.* Facit etiam, quod cum Eminentissimus D. Cardinalis Ginettus Ordinis nostri Protector sciuisset quędam Religiosum, qui ex vi Breuis Sanctis. Domini nostri Vrbani institutus fuerat Prouincialis cuiusdam Prouinciæ, consensisse in electionem alterius, hunc & non illum vt legitimum Prouincialem anno 1643. declarauit.

Idem spectatur de benignitate, V. Em. quam Deus, &c.

Decretum

Decretum S. Congregationis super præfata causa mihi authenticè datum.

94 *S. Congregatio S.R.E. Cardinalium negotiis & consultationibus Episcoporum & Regularium præposita, auditis partibus ac Eminentiss. de Carpinea referente, censuit, nullitates vt supra allegatas contra Capitulum PP. Carmelitarum Prouinciæ Aquitaniæ non fuisse iustificatas, ac propterea Prouincialem electum in sui muneris possessionem manutenendum esse, contrariis non obstantibus. Datum Romæ 12. Septemb. 1653. M. Card. Ginettus. H. Archiep. Patracen. Secret.*

Dubium Secundum.

95 *De quadam electione restricta per Superiores ad determinatas personas.*

Casus.

96 *In Religione illustrissima PP. Cisterciensium Congregationis Hispanicæ Diffinitorium, quod constat ex Generali, & sex Diffinitoribus ex antiquioribus & grauioribus Monachis secundum vsum in Religione receptum proponendi seu nominandi duas vel tres personas Religiosas Monasteriis tam Monachorum, quàm Monialium sibi subiectis, vt ex illis eligant Monachi, & Moniales Abbates seu Abbatissas, proposuit & nominauit per electionem Abbatissæ Monasterij duas vel tres Moniales, vt ex illis vnam sibi in Abbatissam dicti Monasterij Moniales eligerent, quod renuerunt facere, prætendentes talem modum nominationis esse illegitimum, nec posse sustineri. Quæritur propterea an legitimus sit vel non, & an licitè potuerint Moniales præfati Monasterij contradicere, & non venire ad electionem Abbatissæ modo sibi assignato.*

Resolutio.

97 Respondeo prædictum modum nominationis seu propositionis determinatarum personarum religiosarum, vt ex illis Monasteria sibi eligant Abbates, seu Abbatissas esse legitimum & validum, sustineri posse & debere, ac per consequens præfatas Moniales contradicere non potuisse iuxta illum ad electionem Abbatissæ deuenire.

98 Primò ex Concilio Trident. *sess. 25. de Regular. cap. 7.* vbi postquam assignauit aliquas conditiones pro electione Abbatissarum necessarias concludit in fine: *In reliquis seruentur singulorum Ordinum*
99 *vel Monasteriorum Constitutiones.* Prædictus autem modus nominationis pro electionibus faciendis obseruari debuit ex Constitutionibus eiusdem Congregationis approbatis à Sede Apostolica, scilicet per Cardinalem Poggium Iulij III. in Regnis Hispaniarum de latere Legati, qui sub anno 1553. pridie Kal. Msij litteris datis Matriti, prout habetur inter priuilegia eiusdem Congregationis, approbauit & confirmauit sequentes Constitutiones. *Item quod dicti octo Diffinitores nominent pro quolibet Monasterio Congregationis duo Religiosos eiusdem, ex quibus sit obligatus quilibet ex Conuentibus dictorum Monasteriorum eligere vnum in Abbatem & Prælatum & non aliquem alium.* Et inferiùs: *Item quod si tempore intermedio dicti triennij contigerit aliquid, vel aliqua Monasteria dictæ Congregationis quacunque ratione, seu causa vacare, Conuentus talis vel talium Monasteriorum sic vacantium sit vel sint obligatus & obligati ad eligendum & eligant in Abbatem vel Abbates talis vel talium Monasteriorum vnam duarum personarum in Capitulo Prouinciali proximè elapso nominatarum pro tali seu talibus Monasteriis.* Ex quibus Constitutionibus adiuncta etiam alia ex Capitulis generalibus anni 1608. & 1614. quæ habentur inter definitiones eiusdem Congregationis *cap. 45. num. 10.* vbi sic: *Las electiones de las otras Abbadessas se hagan en la forma que se haçen las de los Abbades, que nuestro Padre General en los Monasterios de las Huelgas y Belen de Valladolid y el Diffinitorio en los de Iesus de Salamanca, San Miguel, Auiles, y Ferreyra nombren, y propongan dos otres Religiosas primera que dellas elijan Abadessa*, satis liquet præfatum modum nominationis eligendarum in Abbatissas legitimum esse, nec potuisse præfatas Moniales illi se opponere. Electiones porrò Monialium in Abbatissas fieri debere iuxta Constitutiones Religionum 110
supponunt communiter Auctores, specialiter Tamburinus *de iur. Abbatissar. disput. 28. p. 1. num. 3.* & quod statuta concedentia huiusmodi auctoritatem Superioribus seruari debeant ac valida sint tradunt in fortioribus terminis, scilicet potestatis absolutæ eligendi omnes Prælatos immediatos pro tota Religione. Nauarrus *de Regul. comm. 3. num. 3.* Antonius Perez super *Reg. D. Benedicti cap. 4.* optimè Suarez *de Relig. tom. 4. tract. 8. lib. 2. cap. 7. num. 8. & lib. 10. cap. 3. per tot.* Sigismundus de Bononia *de elect. part. 3. dub. 110.* Lotterius *de re benef. lib. 2. quæst. 15. num. 30. & 32.* Ex quo ad intentum tale sumitur efficax argumentum. Non obstante quod 101
secundum ius commune electio Prælatorum pertineat ad Monasteria seu Conuentus 1. *Congreg. 15. quæst. vltim. cap. 1. de elect. cap. Indemnitatibus de elect. in 6.* Nihilominus Constitutiones ferè om- 102
nium Religionum quibus præscribitur quod Prælati immediati Monasteriorum fiant per nominationem factam à Generalibus vel Prælatis Superioribus validæ sunt & exequutioni demandantur: multo ergo magis Constitutio ipsa quæ solum præscribit quod Generalis & Diffinitores nominent aliquas discriminatas personas, ex quibus vna eligatur, valida & obseruanda erit.

Secundò id constat ex approbatione prædictæ 103
Constitutionis facta à Clemente VIII. 14. Decembris 1604. litteris datis per modum Breuis, quæ habentur inter priuilegia d. Congregationis *num. 37.* Ibi enim Pontifex motu proprio, ex certa scientia & matura deliberatione loquendo de Abbatum seu Præsidentium electione hæc habet: *In eorum quoque electione formam secundum Constitutiones eiusdem Ordinis præscriptam seruari decernimus.* Cum autem prædictæ litteræ non sint ad in- 104
stantiam d. Congregationis, sed ex certa scientia Pontificis, datur intelligi ipsum habuisse notitiam Constitutionis eiusdem Congregationis, qua præcipitur dictus modus nominationis eligendorum seu eligendarum in Abbates vel Abbatissas Monasteriorum, eamque approbare voluisse. Etenim iuxta ea quæ dicenda sunt *tom. 3. verb. Clausula num. 29.* ex Naldo, & Tamburin. per huiusmodi clausulam

ex certa scientia actus nullus validus creditur, si
Princeps de nullitate verisimiliter habebat noti-
105 tiam. Similiter cum dicta concessio sit ex motu pro-
prio sit valdè fauorabilis & per consequens est ex-
tendenda & amplianda. Gozadin. *cons.8. num.20.*
Gratian. *cons.9. num.178. lib.1.* Roman. *cons.66.* &
Marta *de Clausul. part.1. clausul.73.* & tollit om-
nes subreptiones vt per Canonistas *in cap. si motu*
proprio de preben. libro 6. Baldus *in l. fin. Cod. de*
crimin. saç. Iason. *cons.184.* Marta *suprà* & ego *su-*
prà num.42. ex aliis. Habetur ergo pro comperto
Constitutionem præfatam approbatam fuisse à Cle-
mente VIII. in litteris relatis.

106 Tertiò, quia id videtur supponi à S. M. Vrba-
no VIII. qui in litteris datis Romæ 4. Apri-
lis 1628. in fauorem d. Congregationis præci-
pit quod octo Procuratores concurrerent ad Ca-
pitulum Generale d. Congregationis, non qui-
dem electi more antiquo, sed qui essent octo an-
tiquiores ex iis qui à Capitulo Generali fuerint
Monasteriis præpositi & nominati, vt ex illis
eligerent Abbates, & alias ab ipsis non fue-
rint electi; quo saltem implicitè & virtualiter
approbare videtur Pontifex consuetudinem Ca-
pituli Generalis, seu Diffinitorij nominantis seu
proponentis aliquas determinatas personas, vt ex
iis eligantur Abbates, cum alias non posset subsiste-
re gratia concessa ab ipso.

107 Quartò ex consuetudine veluti immemorabi-
li huius Congregationis faciendi electiones Ab-
batum & Abbatissarum in prædicta forma, sci-
licet cum nominatione aliquorum in particula-
ri, ex quibus vnus vel vna eligi debeant. Cuius
consuetudinis vetustas ad minus comprobatur
per 90. fermè annos, à tempore videlicet Iu-
lij III. & indulti de quo supra. Consuetudinem
autem vtpote quia habet vim legis magnam quo-
que vim habere in omnibus rebus compertum est
apud omnes. Maximè vero quod illam habeat in
materia electionis constat ex Panormitano *cap.*
Cum mater de elect. Tamburino *de Iure Abb. to-*
mo primo, disputatione quinta, quæstione tertia, nume-
ro 17. Nec huiusmodi consuetudo exerceatur quod
ea non subsistat cum scientia Papæ, oppositum
enim probatur ex concessionibus Clementis, & Vr-
bani relatis.

108 Quintò ex acceptatione continua & inuetera-
ta prædicti modi electionis, præmissa videlicet
nominatione aliquorum in particulari ab omni-
bus Monasteriis tam Monachorum quàm Mo-
109 nialium d. Congregationis. Consensum autem
seu acceptationem maximam vim habere in ma-
teria electionis, ita vt qui semel aliquam ele-
ctionem vel modum electionis approbauit con-
tradicere postea non possit, habetur ex *cap. Nulli*
licere de election. in 6. & cap. Concertation. de ap-
pellat. in 6. Vbi Doctores communiter, speciali-
ter pro materia electionis, Lauorius *de election.*
titulo quarto, capite decimonono, num.115. Sigis-
mundus *suprà dub.46. numero sexto.* Consonat etiam
declaratio nouissima Sacr. Congregationis Epis-
coporum & Regularium 2. Decembris 1643. in
casu cuiusdam electionis pro Ordine Prædicato-
rum, & alia Eminentissimi Cardinalis Ginetti
eiusdem anni superius relata. Ex eis enim habe-
tur non admitti posse reclamationem contra ele-
ctionem aliquam, si ij qui reclamant antea in
ipsam consenserunt. Colligitur etiam ex regula
Iuris *in 6. numero vigesimoprimo*, quæ sumitur ex
l. sicut Cod. de act. & obligation. quod semel placuit
amplius displicere non potest, quod Glossa ibi-
dem intelligit etiam in electo iuxta *cap. dilectis-*
simi 8. quæstione secunda, quod maiorem habet
vim ex modo promulgandi leges in prædicta Re-
ligione seruato: nam in Capitulo Generali ab
omnibus patribus examinatur, disputatur, &
vocatur definitio, postea omni Congregationi
notificatur, & in sequenti capitulo si iustum vi-
detur, & nullus in termino trium annorum re-
clamauerit, confirmatur & stabilitur, & hucus-
que tunc vim legis talis definitio non habet.
Cum ergo præfatum Monasterium Monialium
sicut nec alia eiusdem Congregationis nunquam
reclamasse reperiantur contra præfatam Consti- 110
tutionem, censeri debent illam approbasse & in
ipsam consensisse, ac per consequens modo con-
tradicere non poterunt propter dicta. Ad quod
etiam maximè accedit quod præfatus consensus
habere videatur vim resignationis proprij iuris
ad eligendum alio modo, prout facilè ex Rotæ
decisionibus & Doctoribus confirmari posset. Imo 111
& dictum consensum de facto interuenisse ex di-
cta temporis antiquitate vna cum longissima ob-
seruantia præsumitur, vt firmat Rota in vna
Iurisdictionis 4. Martij 1616. coram D. Marti-
no Andrea *numero vigesimosecundo*, ex Alexan-
dro, Decio, Rollando, Gozadino & aliis. De-
nique addendum ex tali consensu, acceptatio-
ne, & non reclamatione colligi posse electiones
Abbatum & Abbatissarum in prædicta Congre-
gatione fieri aliquo modo ex compromisso fa-
cto à Monachis & Monialibus in Generalem &
Definitores. Posse autem dari electiones mixtas 112
ex scrutinio & compromisso sæpè inculcauimus,
vt communiter receptum & firmatum à Rota *in*
Mentensi Monasterij 5. Iulij 1621. *num.30.* ex Hen-
rico Canisio *in comp. Decretal. tit. de elect. §. Ac in*
primis.

Sextò, quia talis Constitutio rationabilis, li- 113
cita & honesta proculdubio est. Primò, quia fa-
cta à viris grauissimis Generali nempe & De-
finitoribus in grauissima & illustrissima Congre-
gatione, & pro Iudice seu Prælato semper iu-
ra præsumunt. *leg. vir bonus ff. Iudicatum, leg.*
final. Cod. ad leg. Iul. rep. Secundò, quia finis il-
lius, scilicet quod particulares Monachi, seu
Moniales dirigantur in electionibus faciendis à
supremo Capite Congregationis, & sex vel octo
grauioribus & antiquioribus Patribus, vt vel
sic probiores & digniores personas eligant in
Abbates & Abbatissas, est pius, honestus, &
valdè conueniens reformationi Religionum. Ter-
tiò, quia similem consuetudinem, consentien-
te etiam Sede Apostolica inter alios Ordines
habent Augustiniani, inter quos Reuerendissi-
mus Generalis in aliquibus Conuentibus præ-
sertim *generalibus* vocatis proponit tres Religio-
sos dicti Ordinis, coarctata vocalibus electio-
ne ad vnum ex eis, quod semper absque vl-
la reclamatione seruatum fuisse dicitur. Item no-
stri Carmelitæ inter quos iuxta dicta *numero vi-*
gesimoprimo, ex Decreto plurium Capitulorum
generalium, Generales habent auctoritatem no-
minandi Capitulis Prouincialibus aliquos deter-
minatos, vt ex ipsis & non aliis Prouinciales eli-
gantur; Prouinciales etiam auctoritatem habent
proponendi aliquos Conuentibus, vt ex illis vnum
sibi in Priorem eligant.

Nec contra prædicta obstat inde coarctari ele- 114
ctionem quod est contra libertatem illius, & textum
in

in cap. Cum terra de election. & capit. Vbi periculum §. Cæterum de election. in 6. Nam his iuribus solum prohibetur Prælatos seu Superiores Religionum potestate ordinaria aut etiam consuetudine illegitimè introducta facere præfatam nominationem, coarctando electionem ad aliquas determinatas personas, non verò id prohiberi si fiat ex vi Constitutionis auctoritate Apostolica factæ, confirmatæ à Summis Pontificibus, & consuetudinis legitimè introductæ, in quam præsentes interesse habentes, scilicet Monachi & Moniales voluntariè consenserunt, potentes contra ipsam reclamare, prout contingit in præsenti, iuxta dicta in Superioribus.

115 Vnde Auctores qui hunc modum restrictionis reprobare videntur expresè excludunt casum præsentem. Etenim Rodriquez *tomo secundo qq. reg. quæstione quinquagesimasecunda, articulo vndecimo in princip.* solum loquitur pro casu in quo talis coarctatio fiat sine Sedis Apostolicæ aut delegati à latere licentia, sed solum ad libitum Prælati, vel Præsidentis. Idem tenet expresè Miranda *tomo secundo Manual. Prælat. quæstione vigesimatertia, articulo vigesimosecundo, conclusione primo.* Eodem etiam sensu intelligitur Sigismundus de Bononia *suprà dubio quinquagesimotertio, numero quarto & quinto.* Similiter Barbosa *de Iur. Eccles. libro primo, capite decimonono, numero 23.* expresè asserens talem coarctationem irritare electionem si fiat sine vrgentissima causa & auctoritate Sedis Apostolicæ. Quod tamen non tenet in proposito, vt dictum est. Similiter Bordonus *resol. 26. numero 26.* etiamsi talem modum coarctationis reprobet, asserit tamen valere electionem quando electores contenti sunt illo numero coarctato, quod contingit in proposito propter acceptationem antiquissimam talis modi restrictionis, & non reclamationem contra ipsum. Approbat etiam idem Bordonus ex Castellino *de electone capite tertio, nu-*

116 *mero septimo*, quod quando electores præstiterunt causam dictæ restrictionis potest Superior id facere, quod forsan etiam contingit in præsenti, si forsan dicta Constitutio facta fuit ea occasione, quod aliquando viderint Prælati d. Congregationis quod Monasteria eligebant minus probas aut dignas personas.

117 Idem quod dixi ad ius commune, respondendum est ad declarationem Sacr. Congregationis, quam referunt Lauorius in suis *lucubrat. titulo quarto capite secundo numero decimosexto.* Sigismundus & Bordonus relati per hæc verba: *An stante libertate electionis liceat Prælato superiori proponere duos, vel tres ex quibus necessario vnus eligatur? Respondit non licere.* Vt enim constat ex illo verbo *Prælato* manifestè loquitur S. Congregatio quando talis coarctatio fit solum ad libitum Prælati, non autem quando fit ex Constitutione à Sede Apostolica approbata & confirmata & ex consuetudine legitima, ac acceptatione, seu consensu electorum prout contingit in præsenti, vt dictum est.

Dubium Tertium.

118 *Simile præcedenti, An Reuerendissimus Generalis Eremitarum Sancti Augustini possit in Conuentibus vocatis* Generalibus *suæ Religionis coarctare electiones Prælatorum ad determinatas personas tres videlicet, vel quatuor.*

Responsio.

Existimo fieri posse id quod quæritur. Primò 119
propter Constitutionem huius Religionis inter nuper impressas Romæ de anno 1649. *tertia parte, capite quarto §. decimooctauo*, vbi dicitur: *Conuentibus generalibus prouidebit* (scilicet Generalis) *tam de capite quàm de membris, tanquam iis qui sub eius immediata cura, regimine, ac protectione positi sunt prout diffinitum fuit in Capitulo generali Neapoli celebrato.* Cum enim vtatur ver- 120
bo *Prouidebit* quod est generalissimum & vniuersalissimum comprehendens sub se omnes modos quibus priores institui possunt, vtique etiam comprehenditur iste qui est per electionem faciendam de vno ex aliquibus ab ipso designatis. Vnde optimè ad intentum Gonzalez *super regul. 8. Cancellar. glossa 17. numero primo* circa verb. *Prouisionem* sic habet: *loquitur per hoc verbum* prouisionem *quod est amplius & generalius ac latissimum, continens in se omnes modos per quos Ecclesiæ prouidetur, scilicet nominationem, postulationem, electionem, præsentationem, confirmationem, institutionem & collationem.* Glossa verb. *prouisioni in Clem. fin. de election. cap. Vt circa in princip.* & ibi Glossa verb. *electiones de election. libro sexto.* Glossa verb. *prouisionem per text. ibi in capite primo & in cap. Quorundam, verb. Prouisionibus eod. tit. de election. libro sexto.* Geminian. *cons. 15. numero tertio*, idem Gemin. Franchus & reliqui *in cap. Cum illis §. 1. de præb. libro 6.* Lambertin *de Iurepatr. libro secundo, parte prima, quæstione prima princ. articulo 12. numero 1. & 2.* Felin. *in cap. In nostra Corollar. 32. numero 28. de rescript.* Cardin. *in Clem. Causam quæ de elect. quæstione 4.* Rebuffus *in concord. in rubr. de collat. §. Præfati ordinarij gloss. verb. prouisionem & in Prax. benef. tit. de forma Vicariatus num. 6.* Mandotius *in reg. Cancell. 32. quæst. 4. num. 3* Rota *decis. 791. num. 9. part. 1. diu.* Item Rota *decis. 638. numero 4.* apud Farin. *in 1. collat. nouiss. seu part. 4. diu.* Barbosa *in appellat. Iurepat. appell. 228. num. 1.*

Hanc porrò esse genuinam interpretationem ver- 121
bi *Prouidebit* constat ex Baldo *in cap. fin. numero vigesimosecundo de præscript.* vbi dixit, quod verbum *prouidere* signat prouidentiam per *l. Theopompus 14. ff. de dot. priuileg.* Quemadmodum ergo *prouidentia* latissimum & generalissimum est nomen comprehendens sub se omnes species prouidentiæ, vt Theologi astruunt, sic etiam verbum *prouidebit* significabit omnem modum prouidentiæ qui circa institutionem Priorum dictorum Conuentuum haberi potest. Propter eandem enim causam Rota *de-* 122
cis. 4. in fin. de Iurepatron. in nou. decreuit quod Clementina *Auditor de rescript.* quæ dat facultatem Auditoribus Rotæ, vt in causis beneficialibus coram illis pendentibus possunt absque alia noua commissione (vt euitetur circuitus) prouidere. Quod procedit etiam in Institutione & confirmatione; tradit etiam Bellamera *decis. 620. alias 621.* Milis *in reper. verbo Patronus si personam idoneam in fin.* Caputaq. *decis. 61. parte prima.* Gonzalez *supr. numero 3.*

Hanc quoque amplissimam significationem ver- 123
bi *prouidebit* esse de mente d. Constitutionis colligitur ex illis verbis eiusdem *tanquam iis qui sub eius immediata cura, regimine, ac protectione positi sunt.* Illis enim denotatur prouisionem Priorum præfatorum Conuentuum relinqui omnimodæ dispositioni & absolutæ voluntati P. Generalis. Sicut cum dicitur aliquam Religionem esse

sub immediata cura & protectione Sedis Apostolicæ denotatur Sanctam Sedem posse circa illam prouidere modo sibi placito & conueniente rationi.

124 Ad quod accedit, quod etiam in Principibus secularibus, & vniuersitatibus locorum, quibus ius competit prouidendi de Episcopatibus, Abbatiis & officiis secularibus idem cernitur. Hi etenim nominant tres aut quatuor Papæ vel alij ad quos spectat immediata prouisio, qui ex ipsis vnum eligunt, vt tradunt Rebuffus *de reg. auth. ad Prælat. nomin.* §.5. Petrus Gregorius Tolos. *syntag. Iur. lib.*17. *cap.*12. *num.*24. *vers. sic hodie & cap.*24. *num.*13. Couarru. *de sponsal. part.*2.§.10.*& num.*15. latè Barbosa *in cap. Cum terra* 14. *num.*8. de elect. Lotterius *de re benef. lib.*2. *quæst.*15. *num.*30. & 32. Fontanella *de pact. claus.*4. *Gloss.*10 *part.*1 *num.*41.*&* 54. *vers. Hæc ferè omnia.* Quo ergo iure similis auctoritas negabitur P. Generali qui est Princeps supremus Religionis, & cui per verba amplissima est concessa?

125 Maximè id conuincitur ex eo quod, vt audio, talis est praxis huius grauissimæ Religionis; per praxim etenim leges declarantur *l. si de interpretatione ff. de legib. l. Item si alias, l. sed & Iulianus* 7. §. *Perinde ff. ad Macedonianum*, Baldus *in cap.*1. *in princ. num.*2. *de feud.* Aymon *cons.*101. *numero* 3. Gutierrez *cons.*2. *num.*10. & alij passim. Et si est praxis antiqua, vt supponitur, ab ea nullatenus recedendum, *l. Illud vsitatissimum* 19. & Baldus *ibid. ff. de excus. tut.* Gonzalez *sup. reg.*8. *Cancel. gloss.*9. *num.*64.

126 Si dicatur huiusmodi coarctationem electionis ad tres vel quatuor personas contrariam esse libertati electionis, & declarationi S. Congregationis quæ communiter circumfertur. Sufficienter ad hoc responsum est ex dictis *in hoc cap.*15. *numero* 21. ac ex iis quæ ad similem obiectionem respondimus dubio præcedenti *num.*117.

SVMMARIVM.

*Omnes Religiosi ad aliquam clausuram obligantur. num.*1.
*Egredientes è Monasteriis sine licentia qualiter peccent. num.*2.
*Maximè noctu egredientes. num.*3.
*Quæ licentia requiratur. num.*4.
*Non sufficit licentia generalis. num.*5.
Quid tenendum secundum decreta Summorum Pontificum. ibid.
*Conuentus clausura qualiter custodienda. num.*6.
*Apostata, fugitiuus, vel vagus quis sit. num.*7.
*An iniustè grauatus possit licitè fugere è Monasterio. num.*8.*&* 9.
*Quid de damnato ad perpetuum carcerem, vel ad triremes. num.*10.
*Quæ pœna sit recedentis à Conuentu sine licentia iure communi. num.*11.
*Veri Apostatæ pœnæ quales. num.*12.*&* 13.
*Cooperantes ad fugam vel Apostasiam Religiosi qualiter peccant. num.*14.
*Detinentes Apostatas an sint excommunicati. n.*15.
*Apostatæ, & fugitiui quomodo à superioribus capiendi. num.*16.
*Incumbit superioribus cura colligendi illos. ibidem. & num.*17.
An etiam Ordinariis. ibid.
*Redeuntes ad ordinem quomodo recipiendi. n.*18.
*Debita ab illis contracta à quibus soluenda. n.*19.
*Cui acquirant Apostata, & fugitiui. num.*20.
*Quid si intuitu beneficij aliquid acquisierint. n.*21.
Bona illorum post mortem ad quem deueniant. numero 20.21.*&* 22.
*Bona acquisita per illicitam negotiationem ad quem spectent. num.*22.
*Potest Religiosus ex legitima facultate viuere extra ordinem retento habitu. num.*23.
*Non tamen seruire beneficio, aut dignitati sola licentia superioris. num.*24.
*An propter necessitatem parentum. num.*25.
*Qualiter Religiosus extra claustra delinquens puniendus sit. num.*26.
*Quid possint ordinarij circa illum. ibid.& n.*27.
*Accedere ad Iaponium quibus Religiosis permissum. num.*28.
*Ad Indias missis quid prohibitum. num.*29.
*Regulares extra claustra an permittendi prædicare. num.*30.
*Bona regularium extra claustra decedentium ad quem spectent. num.*31.
*De Regularibus ad triremes damnatis. num.*32.
*Non possunt Regulares se alicuius loci, vel personæ seruitio mancipare. num.*33.
Nisi cum licentia, &c. ibid.
*Tenentur etiam extra Monasteria degentes parere suis Superioribus. num.*34.



CAPVT XVI.

De obligationibus Regularium ad manendum in Monasteriorum clausura.

OMNES Religiosi quicunque illi sint obligantur ad habendum aliquod genus Clausuræ in Claustris, & Monasteriis suorum ordinum. 1 Id constat, tum ex omnium Religionum vsu, tum ex *cap. Placuit il* 2. *cap. Iuxta cap. Monachi, &c.* Huiusmodi autem Clausura in duobus præcisè consistit, scilicet in non egrediendo à Monasterio sine licentia suorum Superiorum, & in non apostatando, aut relinquendo Religionem, quam sunt professi; ideóque de singulis dicendum est.

Hinc primò, quicunque Religiosus ex suo Monasterio sine licentia Superioris egrediens grauiter peccat, & sæpiùs mortaliter, nisi paruitas materiæ egressus solùm inducat culpam venialem. 2 Id constat primò ex consuetudine, & vsu omnium Religionum, quæ huiusmodi egressum furtiuum, vt grauem culpam semper puniunt. Secundò ex Concil. Trident. *sess.*25. *cap.*4. vbi dicitur: *Non liceat Regularibus à suis Conuentibus recedere, etiam prætextu ad suos Superiores accedendi, nisi ab eis missi, vel vocati fuerint.* Quæ doctrina conformis etiam est antiquioribus Conciliis, specialiter Chalcedonensi *cap.*4.& aliis apud Gratianum 16. *quæstione* 1. Tertiò ratione, nam cum Religiosi ex vi suæ professionis subditi esse debeant Superiori: ita vt ab illo possint gubernari, manifestum est grauiter obedientiam offendere, qui à Conuentu sine licentia Superiorum recedunt. Suarez 4. *tom. de Relig. tract.*8. *lib.*1. *cap.*6.

3 Maximè hoc verum est loquendo de egressu nocturno à Monasterio sine licentia. Ratio est, tum quia Clemens VIII. in Decretis de reseruatione casuum, inter casus reseruabiles à Superiore constituit istum de egressu nocturno Religiosi à Monasterio

nasterio sine licentia, constat autem casum reseruabilem esse culpam mortalem. Tum etiam propter periculum infamiæ, scandali, & detrimenti Castitatis, quod ex tali egressione nocturna oriri potest. Suarez 4. *tom. de Relig. tractatu* 8. *lib.* 1. *cap.* 6. *num.* 7.

4 Licentia autem hæc, quæ requiritur ad egrediendum è Monasterio regulariter loquendo debet esse explicita, aliquando verò sufficit implicita, & interpretatiua. Prima pars constat ex vsu, vt credo, omnium Religionum. Secunda verò, quia possunt occurrere aliqui casus, in quibus sit Religiosus obligatus ex charitate exire à Monasterio, vt ad absoluendum aliquem moribundum, defendendum aliquem innocentem, succurrendum domui vicinæ, quæ comburitur, &c. In quibus tamen non semper commodè peti potest licentia à Superiore. Suarez 4. *tom. de Relig. tract.* 8. *lib.* 1. *cap.* 6. *num.* 11.

5 Non possunt Religiosi exire à Monasteriis sine licentia speciali ex vi alicuius licentiæ generalis, aut sine causa approbata, aut licentia singulis vicibus impetrata, aut sine socio arbitrio superioris. Ita decreuit Clemens VIII. in Decretis pro reformatione omnium Regularium à Sacra Congregat. iussu SS. D. N. Vrbani Papæ Octaui approbatis, & innouatis, per hæc verba: *Nullus à Conuentu egredi audeat, nisi ex causa, & cum socio, licentiaque singulis vicibus impetrata, ac benedictione accepta à superiore, qui non aliter eam concedat, nisi causa probata sociumque exituro adiungat, non petentis rogatu, sed arbitrio suo neque eundem sæpius. Licentiæ verò generales exeundi, nulli omninò concedantur. Contrauenientes autem pœna graui etiam carceris ad Superioris arbitrium plectantur, eandem etiam Ianitor subeat si sciens, exeundi facultatem fecerit.* Sanctissimus quoque Dominus noster Vrbanus VIII. ad instantiam Catholici Monarchæ Hispaniarum, in Bulla edita anno 1626. die 30. Iulij, reuocauit, cassauit, & annullauit omnia priuilegia, prærogatiuas, & exemptiones Religiosorum in Regnis Hispaniarum existentium, *per quæ iidem Religiosi ab eorum Prælatorum obedientia eximuntur, & ex eorum Monasteriis, & Regularibus domibus ad eorum libitum, & cum sociis sibi benè visis, & iam destinatis, etiam Superiorum suorum non petita licentia egrediuntur.* Vide *suprà cap.* 10. *num.* 26.

6 Ad huiusmodi etiam Clausuram in Monasteriis magis cõmendandam præcipiunt Clemens VIII. & SS. Dominus noster Vrbanus in Decretis adductis; Quod vt omnis scandalorum, & vagationis occasio tollatur, Conuentus clausura perpetuò, ac diligenter seruetur, ac propterea à Superiore Ianitor constituatur, qui diligentia, ac morum integritate maximè commendetur. De ipso quoque Ianitore, seu portæ communis Monasterij Custode iubent. Quòd, is ianuæ custodiendæ semper assistat, eamque nemini Fratrum aperiat, nisi socium, & exeundi licentiam obtinuerit. Circa redeuntes autem ad Monasteria hæc præcipiunt iidem Pontifices. *Cum autem quis in Conuentum reuertitur. Superiorem iterum adibit, benedictionem recepturus, qui à socio itineris rationem, & quid rei actum sit, diligenter perquirat.* Sunt etiam quoad hoc peculiaria Statuta Religionum. Vide à nobis dicta *in lib. de reformat. Regul. cap.* 7. & 8.

7 Qui egreditur à Monasterio sine licentia cum animo redeundi non est propriè, & rigorosè Apostata, sed fugitiuus, vel vagus. Ratio est, quia essentialis ratio apostasiæ consistit in hoc, quòd quis recedat à Religione animo deserendi illam, vel nunquam ad illam reuertendi; vnde qui hunc animum non habuerit non erit propriè Apostata, sed fugitiuus. Aragon. 2. 2. *quæst.* 12. *art.* 1. Bannez *ibid.* Vnde etiam si aliquis recedat à Conuentu sine habitu, dummodò non habeat talem intentionem non redeundi, aut deserendi religionem; non erit propriè Apostata, sed fugitiuus. Valentia 2. 2. *disput.* 1. *quæst.* 12. *punct.* 1. Sanchez *lib.* 6. *in Decalog. cap.* 8. *num.* 5. Nihilominus peccat grauiter mortaliter, tum propter dicta, tum ex natura status Religiosi per quem tenetur subesse potestati, & imperio sui Superioris. Suarez 4. *tom. de Relig. tract.* 8. *lib.* 3. *cap.* 1. Pro quorum maiori luce, nota primo quod etiam si recedens à Religione animo non reuertendi ad illam non relinquat habitum, nec etiam habeat animum illum relinquendi adhuc erit verè apostata. Sicut enim habitus non facit Monachum *cap. Porrectum est, cap. Ex parte, de Regularib.* ita è contra retentio habitus non tollet esse apostatam eum qui à Religione recedit dicto animo ad ipsam non redeundi. Azor. *tom.* 1. *instit. moral. lib.* 12. *cap.* 17. *q.* 6. Sanchez *lib.* 6. *in Decalog. cap.* 8. *num.* 4. post Angelum, Syluestrum, Caietanum, Rodriguez, & alios. Idem colligitur ex decretis Clement. VIII. *de casuum reseruat. pro Regularibus*, vbi inter casus à Regularibus reseruabiles ponit Apostasiam à Religione siue habitu dimisso, siue retento; vbi manifestè supponitur posse esse apostasiam, etiam habitu retento. Tamburinus *de Iure Abbatum tom.* 3. *disp.* 8. *quæst.* 1. *num.* 12. Nota secundo quod quamuis communiter dicatur, vt nos etiam diximus, ad veram apostasiam requiri animum non reuertendi ad Religionem vnquam, nihilominus satis probabiliter id extendi etiam ad eum qui recedit à Religione animo non reuertendi ad illam nisi post longum tempus, v. g. trium, aut quatuor annorum, aut donec aliquod negotium longum finierit, aut ad arbitrium suum. Ita Suarez *tom.* 4. *de Relig. tract.* 8. *lib.* 3. *c.* 22. & 23. Saltem tamen in foro externo ita iudicandum, provt colligitur ex textu *in* §. *Pauonum. Instit. de rer. diuis.* & *l.* 3. §. *Emansor.* & *l.* 4. §. *edicta* Tamburinus *suprà n.* 13. ex aliis.

Poterit tamen Religiosus licitè fugere ex Conuentu, si certò, & euidenter constaret illum nimium iniustè vexari à suo Superiore, & vellet ire ad Superiorem Prælatum. Ratio est, tum quia ius defensionis est naturale, tum quia in hoc casu præsumitur licentia Superioris Prælati, ad quem accedit. Suarez 4. *tom. de Relig. tract.* 5. *lib.* 3. *cap.* 1. *num.* 6. Quomodo autem hoc non opponatur doctrinæ Concilij Tridentini dicitur à nobis inferiùs *num. sequenti.* 8

Religiosus autem qui in pœnam alicuius delicti, à suo Superiore detinetur in carcere, non potest ex illo fugere, sed est fugitiuus sic faciendo. Ratio est, quia etsi sæcularibus id liceret (de quo aliàs) Religiosis non licet, tum quia tenentur obedire Prælatis, quoad pœnas iusté inflictas, tum quia non possunt se abstrahere à iugo, & obedientia suorum Superiorum. Ledesma 2. *tom. Summ. tit.* 8. *cap.* 24. Sayrus *in Claui Regia lib.* 12. *cap.* 18. *num.* 9. Limita hoc primò, si certò constet pœnam illam carceris iniustè inflictam, aut si cibus, & necessaria ad vitam in carcere negarentur. Quia non tenetur in istis quisquam obedire Prælatis. Nauarrus *Commentar.* 4. *de Regular. num.* 64. Sayrus *in Claui Regia lib.* 12. *cap.* 18. *n.* 10. Nec discessus à Conuentu in tali casu est contra Decretum Concilij Tridentini adducti *suprà n.* 2. Eò quòd non est credendum Concilium loqui de Religiosis à suo Superiore iniquè, & contra ius grauatis. 9

grauatis. Nauarr. *Comment.2. de Regul. num.61. & comment.3. num.51.* Sayrus *in Claui Regia lib.12. cap.17.num.*40. Limita secundò, si pœna capitis, aut abscissionis alicuius membri Religiosi illi in carcere incluso immineret. Quia tunc naturale ius conseruandi vitam, & membra sui corporis præponderare deberet iuri positiuo Religionis. Bannez 2.2. *q.69. art.4.* Solon. *ibid. controu.2.*

10 De Religioso damnato ad carcerem perpetuum, aliqui volunt posse fugere. Bannez 2.2. *quæst.69. art.4.* Probabilius tamen est contrarium. Eò quòd pœna carceris, etiam perpetui, est conuenientissima statui Religioso, nec tam contraria iuri naturali, vt non possit censeri ad illam se obligasse Religiosum ex vi professionis, quando crimen proportionatum perpetrauerit. Rodriguez *tom.2. quæst. Regul. q.22. art.6.* Num autem Religiosus damnatus ad triremes possit à carcere fugere, vt vadat ad Superiorem, vel Pontificem, veniam petiturus? Aliqui respondent affirmatiuè. Bannez 2.2.*quæst.69.art.4.* Alij verò negatiuè. Sanchez *lib.6. in Decal. cap.8 num.16.* Ego autem magis inclinor in sententiam Bannez, non solùm quia talis pœna est grauissima, & veluti quædam perpetua mors, sed quia illa punire Religiosum delinquentem esse videtur contra decorum, & honestatem Religionis.

11 Propter recessum Religiosi à suo Conuentu, etiam sine causa, & occasione, non est aliqua censura, vel pœna lata iure communi. Ratio est, nam *cap.2. ne Clerici vel Monach. in 6.* quod adducitur ab aliquibus, solùm loquitur de Religioso dimittente habitum, vel accedente ad studia sine licentia. Suarez 4. *tomo de Relig. tract.8. lib.3. cap.1. num.9.* Nauarrus *Comment.2. de Regul.* Quare circa talem censuram, vel pœnam consulendæ sunt Constitutiones Pontificum, & Religionum. Casar. *in Comp. priuil. v. Apostata ab ordine.* Miranda *in Manual. tom.1. quæst.51. art.1.* In nostra Carmelitana religione tales Religiosi decedentes à Conuentibus sine licentia, habentur, vt excommunicati, & vt tales puniuntur, & absoluuntur secundùm consuetudinem Religionis, eò vt credo, quia *part.3. const. cap.1.§.1.2.& 3.* dicuntur puniendi, vt Apostatæ, & vt tales censendi. Apostatas autem à religione excommunicatos esse, dicetur *infrà num.30.* Religiosos etiam accedentes sine licentia ad partes transmarinas, vbi pauci fideles reperiuntur, excommunicatos esse à iure excommunicatione Papæ reseruata diximus *suprà cap.9.num.32.*

12 Religiosus verè, & propriè Apostata (ille scilicet, qui vt diximus *suprà num.7.* discedit à Conuentu, vel religione animo deserendi illam, & nunquam reuertendi) præter alias pœnas à particularibus religionibus assignatas; iure communi si durante apostasia Ordinem sacrum recipiat, non potest in illo ministrare, sed manet suspensus donec à Papa dispensetur, etiam si postea redeat ad religionem. Ita habetur *in c. fin. de Apostat.* Suarez *5. tom. in 3. part.disp.31.sect.6.* Sanchez *lib.6. in Decalog. cap.8. num.21.* Adduntaliqui esse excommunicatum à Iure per *cap.2.ne Cleric. vel Monach. in 6.* Sed ibi solùm est sermo de illo, qui habitum suæ professionis temerè relinquit, quòd est valdè diuersum ab apostasia, cum vnum sine alio possit reperiri. Aragon.2.2. *quæst.12. art.1.* Suarez *5. tom. in 3.p.disp.31.sect.6.* Addunt etiam alij hos Apostatas esse irregulares. Sed ex vi iuris communis hoc est falsum, cum de hoc nullus ostendatur textus. Regulariter tamen loquendo ita est, quia vt in plurimum exercent Ordines sacros cum aliqua censura. Hoc verò non est ex vi apostasiæ præcisè. Suarez *5. tom. in 3. part. disp.31.sect.6.num.2.* Sanchez *lib.6.in Decalog.cap.8. num.25. & 26.* Dici tamen potest. Apostatas, dum, perseuerant in Apostasia esse irregulares, quia sunt ipso iure infames, & vt tales non admittuntur vt testes. Graffis *lib.3. de casib. reseru. cap.2. num.26.* Laurentius de Peirinis *tom.1. de Subdit. quæst.1. de obed. cap.26.* Prætereà alij volunt hos Apostatas expositos esse pœnis taxatis à Paulo IV. in Bulla anno Domini 1558. edita, quæ incipit, *Postquam Diuina bonitas.* Sed hæc Bulla videtur moderata, & ad formam Iuris, & Sacrarum Constitutionum reducta per aliam Pij IV. anno 1560. quæ incipit, *Sedis Apostolicæ.* Prosper August. *in addit.* ad Quarant. *in Summ. Bullar. verb. Apostata.* Addunt vlterius alij istos Apostatas non gaudere priuilegiis Religionum, propter Decretum Concil. Trident. *sess.25.cap.19.* Sed ibi non est sermo de quocumque Apostata, sed de illo, qui dimittit habitum suæ religionis, & prætendit se per vim, metum, aut ante legitimam ætatem fuisse professum, & de hoc dicitur, *Nullo priuilegio suæ Religionis iuuetur.* Sanchez *lib.6.in Decal. c.8.n.34.* Alij etiam volunt Apostatas non gaudere priuilegio exemptionis, quo gaudent cæteri Religiosi. Erasm. Cokier *de Iurisdict. Ordinarij in exempt. p.1.q.20.*

Nihilominus prædicti Apostatæ Religionum incurrunt excommunicationem propter varia priuilegia Religionum, quibus Summi Pontifices prædictos Apostatas excommunicatione afficiunt, de quibus Casarubius *in Compend. priuileg. Mendic. verb. Apostata ab Ordine,* Sanchez *lib.6. in Decalogo cap.8. num.20.* 13

Cooperantes ad fugam, vel Apostasiam Religiosorum non solùm peccant grauiter contra ius naturale, eò quod cooperantur ad rem intrinsecè malam, & sacrilegam, sed etiam tenentur restituere ea lucra temporalia, quæ Religio amisit propter fugam talis Religiosi, saltem quando id fecerunt vi, vel fraude. Ratio est, quia tunc fit graue nocumentum Religioni contra eius voluntatem, ergo peccatur contra iustitiam, ac per consequens est obligatio restituendi damnum. Caietan. *in Summ. verb. restit. c.7.* Suarez *tom.4. de Relig. tract.8. lib.3. c.3. n.8.* Non tamen tenentur Religionem ingredi pro illis, quos apostatare faciunt, aut alios quærere, qui pro illis Religionem ingrediantur. Ingressus namque Religionis nimis voluntarius esse debet, & propter vitæ perfectioris finem. Sotus 4. *de iust. q.6. art.3.* Ledesma *2.p.4.q.18.art.2.* An autem iure Ecclesiastico sint excommunicati propter priuilegia Mendicantium isti cooperatores, vide Suar. *tom.4. de Relig. tract.8. lib.3. c.3. num.26.* 14

Specialiter tamen detinentes in suis domibus Fratres Apostatas, occultantes, ipsisque fauorem impendentes sunt ipso facto excommunicati. Propter multa priuilegia Religionibus concessa, de quibus Casarubius *in Compend. priuileg. verb. Apostata ab Ordine,* Peirinis *tom.1. priuileg. Minim. in Constit.2. Iulij II.§.13. num.47.* Aduertens, quòd Episcopi retinentes Apostatas non possunt à Prælatis ordinis excommunicari. Quia illi habent priuilegium iure communi, quòd excommunicari non possunt, nisi expressa mentio de illis habeatur, *cap. quia periculosum de sentent. excomm. in 6.* Sed quia in isto *cap.* non est sermo de excommunicatione, sed de suspensione, & interdicto, ideo melius probatur ex Concil. Trid. *sess.24. cap.5. & ex c. Sedes Apostolica de rescript.* Pius quoque II. magnam prouisionem fecit contra omnes Principes, Duces, aliosque 15

Magnates

Magnates fauentes Apostatis, & aliis fratribus inobedientibus Ord. Carm. quòd scilicet possit contra illos procedi per censuras, Ecclesiasticas, vsque ad inuocationem brachij sæcularis. Miranda *in Man. tom.1.q.51.art.2.* Detinentes etiam in suis Monasteriis Apostatas Ord. Prædicatorum sunt etiam à Papa excommunicati. D.Ant.*3.p.tom.24.c.7.* Vin.Filliuc. *tom.1.q.mor.tract.15.c.8.*

16 Apostatæ, & fugitiui possint vbique, etiam extra territorium, apprehendi à suo Superiore, incarcerari, & duci ad Monasterium, inuocato ad hoc si oporteat, adiutorio brachij sæcularis. Tum ex vi Iuris communis, quod concedit hoc modo posse capi seruum fugientem vbicunque sit, *lib. si quis §. differenti, ff. de acq. possess.* & illum qui alteri est obligatus *lib.1.§.per seruum, qui in fuga.ff.de acq. poss.* Tum etiam ex multis priuilegiis religionibus concessis, specialiter Carmelitis, vt habetur in nostro Mari magno. §. *Apostatas corrigi quoque Ordin.* Nauarrus *comment.3. de Regul. num.50.* Rodrig. *tom.1. quæst. Regul.quæst.30. art.6.* Quod etiam est verum quando Fratres Apostatæ, & fugitiui detinerentur ab Episcopis; propter Constitutionem Pij V. quæ incipit, *Et si Mendicantium.* Præsertim, quia, qui debent aliis perpetuam obedientiam, possunt de manibus quorumcunque capi. Peirinis *tom.2. priuileg. Minim.in constit.7. Pij V.num.20.* Addens hoc non solùm esse verum quando Religiosus fugit sine licentia, sed etiam quando iuit cum illa per certum terminum, & ille est transactus. Adde etiam, posse Prælatum Regularem auctoritate propria hoc facere, sine inuocatione brachij sæcularis, siue Episcopalis. Cornexo *tom.2. in 3.p.tract.5. de Excomm. disp.6. dub.5.* Imò etiam teneri Prælatus requirere Apostatas, & fugitiuos constat ex *cap.fin.de Regular.* vbi præcipitur, *vt præsidentes Capitulis celebrandis, seu Patres, seu Abbates, fugitiuos ordine suo requirant sollicitè annuatim. Qui si in Monasteriis suis recipi possunt secundum ordinem regularem, Abbates, seu Priores eorum, monitione præuia per censuram Ecclesiasticam compellantur ad receptionem eorum, salua Ordinis disciplina:* Id est, nisi fortè Monachus fugitiuus esset notabiliter scandalosus, & periculosus aliis fratribus, & aptè non posset capi, aut detineri. Syluest.*verb. Apostasia, num.10.* Rodriguez *tom.1. quæstione Regul.quæstione 30.artic.5.* Statuitur præterea in dicto *cap.final.de Regular.* quòd in prædicto casu, quo Monachus fugitiuus, aut Apostata, non posset in Monasterio detineri, *vt apud eadem Monasteria in locis competentibus, si absque graui scandalo fieri poterit, alioquin in aliis religiosis domibus eiusdem Ordinis, ad agendum ibi pœnitentiam talibus vitæ necessaria ministrentur. Si verò huiusmodi fugitiuos inobedientes inuenerint, eos excommunicent, & tandiu faciant ab Ecclesiarum Prælatis excommunicatos publicè nunciari donec ad mandatum ipsorum humiliter reuertantur.* Quæ omnia innouata sunt à Sacra Congregatione Concilij iussu Sanctiss. Domini nostri Vrbani edita anno 1624. Vndelicèt aliàs non essent in vsu, modò tamen non excusantur Prælati ab exequutione ipsorum. Bonacina *de clausura quæst.2. puncto 11. §.2.* Aliàs incurrent pœnas in eodem Decreto assignatas. Bonacina *ibid.*

17 Cura recolligendi Fratres Apostatas, & fugitiuos, incumbit Prælatis ipsorum. Propter multa priuilegia religionibus concessa. *Compend. priuilegior. verb. Apostata.* Nauarrus *comment.3. de Reg. num.50.* Vnde quando Concilium Trident. *sess.25. cap.4.* hoc munus videtur remittere ordinariis, intelligitur in casu, quo prælati regulares pigri, & negligentes fuerint, aut forsan non fuerint in illis diœcesibus, vbi reperti sunt Apostatæ fugitiui. Miranda *in Man. tom.1. quæst.51. art.3.* Sacra tamen Congregatio Concilij iussu Sanctiss. D. N. Vrbani edita in Decreto de Apostatis, & Eiectis præcipit ad intentum, vt fugitiui, & Apostatæ, siue habitum regularem deferant, siue non possint, ac debeant ab Episcopo loci, vbi moram trahunt, in carceres coniici, ac Superioribus regularibus consignari secundum regularia instituta puniendi, vtque ipsi quoque Superiores teneantur eos perquirere, ad Religionem reducere, atque efficere, vt apprehendantur. Vide Decreta *4.tomo Bull.inter constit. Vrbani num.26.*

Apostatæ, & fugitiui ad Ordinem redeuntes, & humiliter precantes veniam, benignè sunt recipiendi. Id enim & ratio naturalis, & clementia Ecclesiæ, & Religionis expostulat. Nauarrus *lib.3.consil, de Regul. consil.66. num.1.* An redeuntes, postea ad Religionem, admitti possint ad officia illius; attendendum est ad Constitutiones, & Statuta talis Religionis. Stando enim in Iure communi non videtur hoc illis interdictum posita emendatione suæ vitæ. Nam *cap. Perpetuas de voto,* quod adduci solet in contrarium non probat intentum; quia solum videtur loqui in casu quo culpa perseueret, Azor. *lib.12.instit.moral.cap.17.quæst.vltim.* Sanchez *lib.6. in Decalog.cap.8. num.32.* post alios, quos etiam sequitur Tamburinus *de iure Abbatum tom.3. disp.8. quæst.9. num.4.* In nostra autem Religione, prout habetur *in Constitutionibus parte tertia, cap.1.num.9.* qui ab Ordine apostatauit, non admittitur ad officium Prioris, vel Diffinitoris nisi cum eo dispensetur per Generale Capitulum, vel per Priorem Generalem. 18

Monasterium non tenetur soluere debita contracta à religioso Apostata, vel fugitiuo, nisi in casu, quo rediens ad Religionem, secum adduxerit aliqua bona, ex quibus possent solui talia debita. Ratio vtriusque partis est, quia sicut ratio naturalis dictat, quòd qui sentit commodum, debeat etiam sentire onus, iuxta *regul. Iuris in 6.* sic etiam è contra quod qui nullum commodum sentit, nec sentiat damnum. Nauarrus *lib.3.consiliorum cons.73. num.3.* Rodriquez *tom.1. q.Regul.quæst.30.artic.11.* Pro debitis contractis ab aliis Religiosis, vide *c.2. num.18.* 19

Ea, quæ acquirit Religiosus Apostata, vel fugitiuus, pertinent ad suam Religionem. Tum quia ita definitur *in cap. Abbas 18. quæst.2.* Tum quia isti sunt veri Religiosi, ac per consequens debent Monasterio acquirere. D.Antonin.*3.part. tit.16. cap.5.* Syluest.*verb. Apostat. quæst.9.num.12.* Quod intellige, etiam si sit in remotissimis Prouinciis, & apud Indos, imò etiam si per longum tempus in possessione sit suæ fugæ, aut libertatis. Lugo *tom.1.de Iust.& iure disp.2. sect.11.num.235.* Item etiam si acquirat contra voluntatem Religionis, aut peccando aliquo genere peccati, præter peccatum contra iustitiam. Solùm enim hoc peccatum potest priuare Monasterium suo iure. Rosella *in Summ. verb. Relig.1. num.1.* Sanchez *lib.7.in Decalog. cap.33.num.6.* Si autem moritur in apostasia, vel fuga, bona, quæ illi supersunt, pertinent ad Cameram Apostolicam; propter Constitutionem Gregorij XIII. quæ incipit, *Officij nostri.* Nauarr.*lib.3.consil.in 1.edit.tit.de Regul. consil.80. num. vnico, in 2.verò tit. de stat. Monach. cons.17.* Sanchez *lib.7.in Decal.c.33.num.9.* Vide dicenda *num. sequenti.* 20

Si

21 Si Religiosus Apostata, vel fugitiuus, in apostasia, vel fuga impetrauit beneficium alicuius Ecclesiæ, ea quæ acquirit intuitu talis Ecclesiæ, cedunt Ecclesiæ, quia illi acquirit, vt pars illius. Ea verò, quæ acquirit intuitu personæ, aut sua industria, acquirit Religioni, cum persona illa,& sua industria, spectent ad Religionem. D. Anton. 3.*part. tit.*16. *cap.*5.§.1. Azor. *tom.*1.*Institut. Moral.lib.*12.*cap.*16. *quæst.*8. Bona verò post mortem veniunt ad Cameram Apostolicam, iuxta dicta *suprà num. præced.* Si autem in vita illa dedit Religioni, videtur non teneri ad restituendum ipsa Cameræ, nisi Camera petat, quia nemo tenetur ad pœnam ante condemnationem. Suarez 4.*tom. de Relig. tract.*8. *lib.*3. *cap.*2. *num.*27. Vide dicta *cap.*10. *num.*5.

22 Quæ verò prædicti Apostatæ, aut alij quicumque Regulares acquirunt per illicitam negotiationem, vel aliàs contra Sacros Canones, qualiter etiam pertineant ad Cameram Apostolicam diximus *suprà capite decimo, numero quinto*, lege Nauarrum *in comm. de spoliis* §.7. *à num.*3. Suarez 4. *tom. de Relig. tract.*8. *lib.*3.*cap.*2. *à numero vigesimotertio.* Qualiter etiam bona Regularium, etiam cum licentia, extra claustra degentium, pertineant ad eandem Cameram, post ipsorum mortem, dicemus inferiùs *num.*31.

23 Potest Religiosus ex legitima facultate viuere extra Monasterium, retento habitu. Ratio est, quia nec hoc est intrinsecè malum, nec derogat votis professionis, cum etiam ibi possit obseruari Obedientia, Paupertas,& Castitas. Suarez 4.*tomo de Relig. tract.*8. *lib.*3. *cap.*7. Quamuis autem iure communi possent Prælati Religionum hanc licentiam concedere, quia hoc spectat ad iurisdictionē, quam habent supra subditos. Nauarrus *comm.*2. *de Regular. num.*16. *&* 40.*& comm.*4.*num.*14. Tamen iure nouo Clement. VIII. in decretis pro reformatione Regularium approbatis, & innouatis à S. Congregatione, iussu SS. D. N. Vrbani, sic habetur: *Ineatur ratio, qua sublatis licentiis, ac facultatibus hactenus quibuscumque concessis, degentes extra Conuentus claustra, ad ea quamprimum reuocentur, nec de cætero, nisi ex grauissima causa à Sede Apostolica probanda, huiusmodi facultates concedi possint.* Vide *num.*25.

Hinc video S.Congregat.Regularium licentiam sæpius concedere ad id solitam, prudentissimè tamen & cautissimè, ac cum certis conditionibus. Videlicet manendi apud aliquem Episcopum vt illi inseruiat in negotiis & spiritualibus necessitatibus Episcopatus. Ad subueniendū parentibus egenis & omni humano auxilio destitutis. Pro seruitio aliquarum Confraternitatum. Pro necessitate parentum senum, & similibus. Pro seruitio tamen Principum secularium Sac. Congregatio non vult hoc admittere: vnde de anno 1644. iussit Generali eiusdem Religionis vt existentes extra claustra hoc titulo ad ea reuocaret.

24 Non potest Religiosus sola licentia sui Superioris manere extra Monasterium ad inseruiendum alicui Ecclesiæ Parochiali, beneficio seculari, aut dignitati Ecclesiasticæ. Probatur tum ex Decreto Clementis VIII. & Vrbani VIII. adducto, tum ex multis iuribus, & auctoritatibus apud Syluestrum *verb. Relig.*7. *quæstione* 3. Casu autem, quo Religiosi nostri priuilegio Sedis Apostolicæ aliquod Beneficium simplex, vel curatum obtinuerint, etiam si ea dimiserint, non possunt amplius in Capitulis Generalibus, vel Prouincialibus, absque Generalis licentia, admitti, aut sine ea aliquod officium in Religione habere, sub pœna excommunicationis ipso facto. Ita enim concessit Sixtus IV. Carmelitis. Vide Specul. Ordin. *fol.*90. Rodriguez *tom.*2. *quæst.*64. *art.*3. Dubio tamen an isto priuilegio vtantur aliæ Religiones.

Quamuis etiam ob necessitatem Parentum posset Religiosus habitu retento, manere extra Monasterium ex vi iuris communis. D.Thom.2.2.*q.*101. *art.*4. Nauarrus *lib.*3. *Consil. de Regul. consil.*54.55. *& alibi.* Tamen propter ius nouum adductum Clementis Octaui, & Vrbani Octaui, non potest hoc fieri, nisi de licentia Sedis Apostolicæ talem causam approbantis. Vide *num.*23. Sed ponamus Religiosum habere parentes in extrema necessitate constitutos, an exiens à Conuentu sine legitima licentia pro ipsorum sustentatione sit censendus apostata, vel fugitiuus. Respondeo quod si verè subsistit talis necessitas extrema, illa videlicet quæ sit talis vt sine exitu ipsius religiosi mox, aut breui tempore sequenda sit mors parentum, non solum posse Religiosum exire ad subueniendum illis, etiam sine licentia quacumque, si illam obtinere non possit, sed etiam teneri ad id faciendū. Ratio est, quia casus extremæ necessitatis est tam vrgens vt in ipso non solùm parentibus, sed etiam extraneis teneamur subuenire. Pro quo vide dicto *cap.*2.*num.*13. & maximè dicenda *cap.*24. *num.*40. vbi quid dicendum de casu grauis necessitatis parentum. De quo etiam Nauarrus *in Comment. de Regularibus, ad cap. Nullam* 18. *quæst.*2. *num.*48. Reginaldus *tom.*2. *lib.*20. *cap.*2.*de obligatione filiorum, num.*13. §.*Tertia conditio*, & nouissimè Portellus *in Responsionibus moral. tom.*2.*casu*72. Vnde consequenter, licet Religiosus exiens à Conuentu sine legitima licentia ad subueniendum parentibus extremè indigentibus non sit censendus apostata, aut fugitiuus, benè tamen in casu necessitatis extra extremam. De casu autem grauissimæ necessitatis idem videtur dicendum, ac de graui, & ita eam cum graui confundunt Portellus relatus & alij. Vide Tamburinum *de iure Abbat. tom.*3.*disp.*8.*quæst.*6. 25

Religiosus extra Claustra delinquens, puniendus est iuxta modum præscriptum à Concil. Trident. *sess.*25.*cap.*14. scilicet. *Regularis non subditus Episcopo, qui intra Claustra Monasterij degit, & extra ea ita notoriè deliquerit, vt populo scandalo sit, Episcopo instante, à suo Superiore infrà tempus ab Episcopo præfigendum seuerè puniatur, ac de punitione Episcopum certiorem faciat, sin minus à suo Superiore officio priuetur, & delinquens ab Episcopo puniri possit.* Vide Alder.*lib.*1.*de Relig.discipl.cap.*3.*à num.*35. Vbi etiam probat, non posse Ordinarium contra Religiosum componere processum, & si quos testes examinandos curauerit, vt de scandalo, & delicti notorietate constet, eorum depositionem tradendam esse Superiori, nec posse Religiosum ab Ordinario capi: quòd si in ipso delicto fuerit comprehensus, ad ipsum Superiorem recta via deferendum. Vide dicenda *num. seq.* Quia tamen aliqui Superiores Religionum admoniti de delictis Religiosorum eos extra Episcoporum Diœcesim ex industria impunitos transmittebant, vel ipsi ad alias Prouincias se conferebant,& ita nec Religiosus delinquens ab Episcopo puniri poterat, nec Superior officio priuari, ideò Clemens Octauus in motu proprio anno 1596. edito, qui incipit, *Suscepti muneris*, & est inter Bullas huius Pontificis 39. præcipit Omnibus, & singulis cuiuscumque Ordinis Superioribus in virtute sanctæ obedientiæ, & indignationis Apostolicæ, ac priuationis dignitatum,& officiorum 26

per

per eos obtentorum, eo ipso incurrendis pœnis, vt iuxta prædictum Decretum, quilibet ipsorum, Regularem nõn subditum Episcopo, intra Claustra degentem, & extra ea ita notoriè delinquentem, vt populo scandalo sit, Episcopo instante intra tempus ab Episcopo præfigendum seuere puniat, ac de punitione Episcopum certiorem faciat, & alias Decretum ipsum, in omnibus, & per omnia exequatur. Cæterum si Superior in Regularem delinquentem non animaduertit, quinimmo si illum impunitum ad alia suorum Ordinum loca, extra Episcopi Diœcesim, vt præfertur, transmiserit, voluit, & simili motu, atque auctoritate decreuit, vt Superior, instante Episcopo, intra terminum ab Episcopo præfigendum, & sub eisdem indignationis, ac priuationis dignitatum, & officiorum, nec non & sub inhabilitatis ad illa, & alia in posterum obtinenda, ac vlterius priuationis actiuæ, & passiuæ vocis ad quas à nemine præterquam à Romano Pontifice pro tempore existente restitui possit, ipso facto similiter incurrendis pœnis, ipsum Regularem delinquentem à loco ad quem transmissus fuit, reuocare, & in quo deliquit constituere, seu sistere teneatur. Quod si hoc etiam facere prætermiserit, per præsenes similiter statuit, vt Ordinarius loci ad quem Regularis delinquens transmissus fuerit, super præmissis ab ipso Ordinario loci in quo deliquit similiter requisitus, vel alias de illius delicto informatus, vt præfertur, tamquam Sedis Apostolicæ Delegatus prædictum Concilij Decretum omnino exequi, & in Regularem delinquentem seuerè animaduertere possit, & debeat. Quaranta *in Summa Bullar. verb. Exemptio.* Vide dicta supra *c.* 11. *num.* 8.

27 Circa quæ aduerte primò, neque Decreto Concilij, neque Clementis, concedi Episcopo, quod possit per se, vel per alios ad capturam Religiosi etiam notoriè delinquentis procedere, sed solùm quod debeat instare Prælato pro punitione ipsius, Laurentius de Peirinis *tom.* 1. *Priuileg. Minim. in Constitut.* 2. *Sixti IV.* §. 11. *à num.* 62. licet oppositum satis probabiliter teneant Barbosa *de potestate Episcopi part.* 3. *Allegat.* 10. *n.* 19. & Portellus *in Additionibus ad Dubia Regularium verb. punitio Relig. extra Conuentum num.* 17. quod intelligo in casu quod Episcopus timeret fugam Religiosi. Secundò quod ad hoc quod Episcopus teneatur instare Prælato, vt puniat Religiosum, debet delictum eius esse notorium, & scandalosum populo, sic enim dicitur in Decreto Concilij, vnde non sufficit, quod tale delictum sit notum alicui, vel aliquibus paucis. Peirinis *num.* 63. Aduerte tertio Constitutionem prædictam Clem. VII. solum procedere, quando Superior Religiosi notorie delinquentis transmittit illum in alium locum, eo fine, vt impunitus remaneat: secus, quando remittit illum in pœnam delicti commissi, vel vt decentius puniatur. Rodriguez *tom.* 2. *q. Regul. q.* 2. *art.* 6. Peirinis *vt sup. n.* 69. Quid vero dicendum sit in casu, quo Regularis exemptus percuteret clericum secularem, extra claustra in Diœcesi Episcopi, an scilicet Episcopus posset illum denunciare excommunicatum, ex dictis supra *num. præced. & cap.* 11. *præsertim. numero* 14. *&* 15. decidi potest. Lege Sorbum *in Compendium Priuilegiorum Mendicantium verbo exemptio.*

28 Accedere ad Iapponium, & Regiones propinquas prohibitum est omnibus Religiosis, præterquam Patribus Iesuitis à Gregorio XIII. anno 1585. Postea tamen Clemens VIII in Bulla edita anno 1600. quæ incipit *Onerosa*, concedit facultatem omnibus, & singulis Mendicantium Ordinum Magistris, Ministris, seu Prioribus generalibus pro tempore existentibus, *vt cum necessitas postulauerit, quilibet Ordinis sui spectatæ vitæ, & eruditionis Religiosos, quos nimirum ad prædicta officia, & ministeria idoneos, & vtiles fore in Domino iudicauerint, per Lusitaniam dumtaxat, & suscepta inde nauigatione in Indias, & Ciuitatem Goam, atque ad Superiores Ordinum in illis partibus existentes transmittere, & tam ipsi sic transmittendi, quam alij supradictorum Ordinum Religiosi in eisdem Indiarum partibus existentes, & ad hoc munus obeundum à suis Magistris, Ministris, vel Prioribus Generalibus, seu aliis Superioribus, electi, & approbati, tam ad Iapponias prædictas, quam alias proximas, & adiacentes, etiam Chinæ, & finitimorum, & terræ firmæ Indiæ Orientalis Insulas, Regiones, & Prouincias accedere.* Deinde monet Superiores Religionum, vt curent prædictas missiones vtiles esse ad infidelium conuersionem, ipsosque Religiosos missos, qualiter sub obedientia suorum Superiorum, & Ordinariorum esse debeant. Ac tandem præcipit quibuscumque Religiosis sub excommunicationis sententia Papæ reseruata, & sub aliis, pœnis. *Ne ex insulis Philippinis, siue ex qualibet alia Indiarum Occidentalium, vel quæ pro partibus Indiarum Occidentalium parte tunc habetur, parte ad illas pertinente, in Iapponias, ac alias illi proximas, adiacentes, & finitimas Insulas, Prouincias, & Regiones prædictas transire audeant.* Et si qui aliter fecerint, redire teneantur, sub eisdem pœnis, postea verò Paulus Quintus in Bulla, *Sedis Apost.* anno 1608. edita, quæ habetur *in Append. ad* 3. *tom. Bullar. fol.* 48. concessit omnibus Religiosis, etiam per aliam viam, quã per Lusitaniam, ad dictas Iapponicas, & alias Indicarum Orientalium Regiones accedere posse, seruata in reliquis dictarum litterarum Clementis VIII. forma.

Religiosi autem ad Indiarum partes ad Fidem Catholicam prædicandam, siue alia Ecclesiastica ministeria exercenda missi non possunt in itinere immorari, vel ad loca eis non destinata declinare, sub excommunicationis pœna ipso facto incurrenda. A Paul. V. in Bullam, *Accepimus*, anno 1609. quæ est inter Bullas huius Pontificis *num.* 56. *in* 3. *tomo Bullar.* 29

Regulares extra Claustra, & obedientiam Religionum suarum viuentes, ab Episcopis non permittantur prædicare, etiam quorumlibet priuilegiorum prætextu donec ab ipsis Episcopis super ea re sancta Sedes Apostolica consulatur. Conc. Trid. *sess.* 5. *c.* 2. 30

Bona Regularium extra Claustra suorum Regularium locorum, etiam de licentia suorum Superiorum, degentium, ad Cameram Apostolicam, tamquam spolia ipsius post ipsorum mortem spectant. Quia ita declarauit Greg. XIII. in Bulla, *Officij nostri* anno 1677. edita in 2. tom. Bullarij inter Bullas huius Pontificis *n.* 43. Suarez *tom.* 4. *de Religion. tract.* 8. *lib.* 3. *cap.* 2. *num.* 30. Vide supra *n.* 20. 21. *&* 22. 31

Licite possunt Regulares mitti ad triremes propter grauia delicta commissa. Ratio est, quia licet pœna hæc acerbissima sit, nihilominus consuetudine admittitur, & aliquo modo est necessaria quando delicta aliter castigari non possunt. Laurent. de Peirinis *tom.* 1. *de Subdit. q.* 1. *de obedient. cap.* 27. Quidam volunt ad triremes damnatos, esse prius degradandos. Francisc. Penna *in* 3. *part. directorij Inquisitorum* 32

Inquisitorum comment. 46. Quicquid de hoc sit, Ministri triremium verberantes Religiosos ad eas damnatos si modum non excedant, vel non verberent ex odio, & malignitate, aut tempus damnationis non sit completum, non incurrunt in excommunicationem Canonis. Sic enim consuetudine introductum videtur, præcipuè quia ideo traduntur à Religionibus, vt sic puniantur. Nauarr. *Comment.* 3. *de regul. num.* 52. Mirand. *tom.* 1. *Manualis q.* 52. *art.* 8. Non possunt à triremibus ad Religiones redeuntes iterum admitti ad Altare sine dispensatione. Quia sunt infames infamia Iuris, & per consequens irregulares. Rodriguez *tomo primo quæstionum Regularium quæstione* 24. *articulo sexto* Tolet. *in Summa libro primo capite* 62. Probabile tamen mihi est Prælatos Regulares posse cum prædictis dispensare; cum iuxta dicenda *capite* 18. *num.* 40. possint dispensare in omni irregularitate, excepta bigamia, mutilatione membrorum, & homicidio. Laurentius de Peirinis *vt supra* Cautè tamen in hoc procedendum est, si forte sit aliquid quod obstet in contrarium, quod nescio, maxime quoad forum exterius, aut vbi fuerit scandalum.

33 Nullus Regularis absque sui Superioris licentia potest se obsequio alicuius loci, vel personæ mancipare. Ita præcipitur in Conc. Trident. *sess.* 25. *de Regular. cap.* 4. In hac tamen licentia concedenda cautissimè procedendum est, præsertim cum ex S.Congreg. Decreto adducto supra *num.* 23, concedere licentiam Religioso, vt maneat extra Conuentum pertineat ad eamdem S. Congregationem. Qualiter autem possint Prælati Religionum prædictos Fratres alicuius extra Religionem seruitiis deputatos corrigere, & ad Ordinem reuocare: qualiter etiam nullus possit illos in socios assumere sine licentia Prælatorum, præter multa, de quibus Rodriguez *tom.* 2. *q.* 64. *art.* 1. & Peirinis *tom.* 1. *Priuil. Minim. in Constit.* 2. *Iulij II.* §. 11. *num.* 43. extat etiam magna concessio Sixti IV. pro Carmelitis in Bulla, *Dum attenta*, in Specul. Ord. *fol.* 89. qua concedit, quod generalis Magister, vel Priores Prouinciales, ac ipsorum Vicarij, illos ex Fratribus, de quibus auctoritate litterarum Sedis Apostolicæ, vel Legatorum ipsius, Archiepiscopis, & Episcopis, ac aliis quibuscumque prouisum existit, vel in posterum contigerit prouideri, corrigere, ac etiam, non obstante contradictione aliqua possint ad suum Ordinem reuocare, nec per litteras eiusdem Sedis, seu Legatorum ipsius, iam obtentas, vel de cætero obtinendas, aliquos de Fratribus ipsius Ordinis; præfatis Archiepiscopis, & Episcopis, aut aliis teneantur in socios deputare, nisi dictæ litteræ Apostolicæ obtinendæ de indulto huiusmodi, & ordine ipso expressam fecerit mentionem, & alias id honestati Ordinis, & illorum saluti viderint expedire. Addit insuper idem Pontifex ibidem; *Nullus autem Legatus etiam de latere nostro missus, auctoritate litterarum Sedis Apostolicæ specialem de hoc indulto, & ordine nostro non facientium mentionem, nullusque Prælatus, nec aliqua persona religiosa, vel secularis de Fratribus eiusdem Ordinis, ad sua, seu Ecclesiæ negotia procuranda, vel secum manendum aliquos assumere valeat, nisi quos Generalis Magister in toto Ordine, & Priores Prouinciales in suis Prouinciis ipsorum, tamquam idoneos, & discretos sibi duxerint assignandos, quos eos etiam subiacere volumus Ordinis disciplinæ.* Ex quibus colligi potest decisio cuiusdam casus, quem tractat Portel. *in respons. mor. tom.* 1. *casu* 92. de quodam Religioso, quem Commissarius Bullæ Cruciatæ contra voluntatem sui Prælati applicauerat ad sui obsequium mittendo illum ad quemdam locum pro negotio quodam peragendo. Dicendum enim est, propter adducta ex Conc. Trident. & ex priuilegio Sixti V. relato, si talis Religio fruitur illo, id fieri non potuisse, nisi in casu quod Commissarius Cruciatæ haberet aliud priuilegium derogans Concilio, & præfato priuilegio Sixti IV. Portel. *sup.* Addens etiam in hoc non esse credendum dicto Commissario Cruciatæ nisi ostendisset tale priuilegium.

Quod Religiosi etiam extra Monasteria existentes, teneantur parere suorum Superiorum præceptis, eorumque censuris ligentur, diximus *c.* 4. *n.* 37. Pro illis, qui transeunt ex vna Religione ad aliam, animo non manendi in Claustris, vide dicenda *c.* 22. *n.* 29. 34

SVMMARIVM.

Religiosi si ad Cardinalatum, Episcopatum, vel Abbatiam assumpti manent veri Religiosi. n. 1.
Non absoluuntur à votis obedientiæ, paupertatis, & castitatis. n. 2.
Manet in illis votum obedientiæ respectu Papæ. numero 3.
Manet & votum castitatis magis roboratum. numero 4.
Manet etiam votum paupertatis, & quomodo. numero 5.
Quomodo possint disponere de iis quæ habent. Ibidem & n. 6.
Non subiacent censuris & pœnis impositis in sua Religione. n. 7.
Qualiter teneantur ad obseruantias suæ Religionis. num. 8.
An teneantur habere socium suæ Religionis. ibidem.
Habitum sui ordinis gestare debent, & quomodo. num. 9.
An teneantur ad alia vota Religionis præter tria. num. 10.
Quod officium canonicum recitare debeant. numero 11.
Bona ipsorum post mortem ad quem pertineant. numero 12.
Quid de Episcopo Titulari. n. 13.
Quid de bonis prius adquisitis. n. 14.
Quid dicendum de Religiosis ad prælaturas aliarum Religionum euectis. n. 15.
De obligatione Regularium qui fiunt Parochi, vel beneficiati. n. 16.
Quæ suppellex admittenda in præfatis assumptis. numero 17.
Quibus gratiis, & priuilegiis Religionum potiantur. num. 18.
An possint secum dispensare in obseruantiis Regularibus. n. 19.
Religiosi Capellani Papæ vel Principum quibus subijciantur. n. 20.
Assumpti præfati ad ordines suos reuertentes inhabiles sunt ad officia. n. 21.
An liceat Religioso desiderare, vel procurare episcopatum. n. 22.

CAPVT.



Capvt. XVII.

De obligationibus Regularium si fiant Cardinales, Episcopi, Abbates, &c.

1 Religiosi ad Cardinalatum, Episcopatum, vel Abbatiam extra Ordinem assumpti, manent veri Religiosi. Sumitur ex Glossa *capite 3. 16. quæstione 1. & in cap. vnico 18. quæst. 1.* & ratio est, quia dispositio ad aliquam perfectionem non tollitur ipsa adueniente, status autem Religiosus comparatur ad huiusmodi dignitates, sicut dispositio ad perfectionem. S. Thom. 2. 2. q. 185. *art.* 8. Suarez 4. *tom. de Relig. tract.* 8. *libro* 3. *cap.* 16.

2 Hinc primò Religiosi ad tales Dignitates assumpti, non absoluuntur à votis Obedientiæ, Paupertatis, & Castitatis in professione emissis, tum quia vt diximus, manent verè Religiosi, sicut antea; hæc vero vota sunt de essentia status Religiosi, *cap. cum ad Monasterium, in fin. de stat. Monach.* Tum quia cum assumuntur, non dispensantur in prædictis votis. D. Thom. cum Expositoribus 2. 2. *quæst.* 88. *art.* 11. *ad* 4. *& quæst.* 185. *art.* 8. Henriquez *libro* 10. *de Sacram. Ord. capite* 32. *num.* 5.

3 Votum autem obedientiæ, quod in prædictis manet, non est respectu Prælatorum ordinis, sed respectu Papæ, ita vt vltra generalem obedientiam debitam ab omnibus fidelibus Summo Pontifici, & vltra obligationem, quam alij Cardinales, Episcopi, & Abbates habent ad obediendum illi, teneantur ex vi voti obedientiæ in professione emissi, illi specialiter obedire. Ratio est, quia, vt vidimus *capite quarto numero trigesimoprimo* Votum, quod religiosus emittit in professione, emittitur Papæ, qui est supremus Generalissimus omnium Religionum, ac proinde cum à Papæ subiectione non liberentur assumpti à religionibus, sed tantum ab inferioribus Prælatis, manebit votum obedientiæ ipsorum respectu Papæ. Henriquez *libro* 10. *de Sacram. ord. capite* 33. Suarez *secundo tom. de Relig. tract. de Voto lib.* 6. *capite* 7. *num.* 10.

4 Votum etiam Castitatis manet in prædictis assumptis à Religione, imò magis roboratum in Episcopis, eo quod per Episcopalem consecrationem manet persona magis dedicata, & consecrata Deo, ita vt grauius peccet Episcopus violando castitatem. Suarez 4. *tom. de Religio. tract.* 8. *lib.* 3. *cap.* 16.

5 Quoad votum etiam Paupertatis manent prædicti obligati sicut antea. Tum propter eamdem rationem. Tum quia per supradictas Dignitates non datur illis dominium bonorum Ecclesiasticorum, sed solum administratio ex voluntate Papæ, quod non repugnat voto paupertatis. Lessius 2. *de iust. capite quadragesimo dub.* 14. & alij. Quamuis Sotus, Vasquez, Diana, & alij quos sequuntur Tamburinius *de iure Abb. tom. tertio, disputatione tertia, quæstione nono numero tertio* & Zacharias Pasqualigus *decis.* 167. oppositum velint. Hinc ea quæ acquirit in Episcopatu religiosus factus Episcopus, Cardinalis, vel Abbas non sibi, sed Ecclesiæ cui præficitur acquirit. Sanchez *libro sexto in Decalog. capite sexto numero octauo* Quod etiam de acquisitis iure hæreditatis intelligitur Suarez *quarto tom. de Relig. tractat. octauo, libro tertio capite* 16. *numero* 14. Etiamsi fuerit religiosus Religionis non succedentis in hæreditatem, quia iam est capax succedendi ratione Ecclesiæ, quam possidet. Suarez *quarto tom. de Religio. tractat. octauo, libro tertio capite* 16. *numero* 15. Incipit autem Religiosus acquirere suæ Ecclesiæ, à tempore confirmationis factæ à Pontifice. Quia ex tunc est à iurisdictione religionis exemptus. Rodriguez *tomo secundo Summ. capite* 70. *numero* 6. *& tom. tertio quæstionum Regularium quæstione* 69. *articulo quarto*, Sanchez *libro septimo in Decalog. capite* 23. *numero* 67. Hinc etiam nascitur quòd non possit testari sine licentia Papæ. Eo quod quidquid acquirit in Episcopatu, acquirit suæ Ecclesiæ cum sola libera administratione, quæ finitur in morte. D. Thom. 2. 2. *quæstione* 185. *articulo octauo* Sanchez *libro sexto in Decalog. capite sexto numero* 10. Hinc quoque probabilius est, quod ea, quæ Religiosus Episcopus prodigè, & superuacaneè consumit; teneatur ad restituendum, aut faciendum ea restitui, eo modo, quo possit, Ecclesiæ, cui erant acquisita. Eo quod administratio bonorum Episcopatus, quam habet, solum est ad bonos & honestos vsus. Valentia 2. 2. *disp.* 10. *quæst.* 4. *punct.* 8. Sanchez *lib.* 6. *in Decal. c.* 6. *num.* 13.

Potest tamen religiosus factus Episcopus disponere inter viuos de sui Episcopatus redditibus, eodem modo, quo Episcopus secularis. Ratio est, quia quamuis religiosus Episcopus non habeat verum dominium illorum reddit1uum (quidquid sit, an etiam Episcopus sæcularis illud non habeat) habet tamen liberam administrationem illorum in honestos vsus. Vnde vterque potest de illis disponere ad moderatam sui, & familiæ sustentationem, secundum decentiam status, ad pia opera, eleemosynas, &c. Lessius *lib.* 2. *de Iust. c.* 4. *dub.* 5. *n.* 29. Molina *tom.* 2. *de Iust. disp.* 276. *vers. Religiosus in conuent.* Imo potest in quæuis opera, & quomodo voluerit expendere id, quod minus sumpserit de redditibus Episcopatus, quam in suam competentem sustentationem poterat licitè expendere. Ratio est, quia iustè præsumitur Ecclesiam illi concedere talem licentiam. Nauarr. *lib. de Redditibus Ecclesiast. q.* 1. Sanchez *libro* 6. *in Decal. c.* 6. *num.* 14. 6

Quamuis prædicti assumpti ex religionibus ad dignitates Cardinalatus, Episcopatus, vel Abbatiæ, sint obligati ad obseruantiam trium Votorum, vt dictum est *n.* 2. non tamen subiacent censuris, aut pœnis impositis à religione contra transgressores. Eo quod non manent amplius sub iurisdictione religionis, aut Prælatorum ipsius. Sotus *vlt. de Iust. q. vlt. art. vlt.* Angles *in florib.* 2. *p. q. vnic. de vot. art.* 25. 7

Tenentur tamen prædicti assumpti, ad eas obseruantias Regulares siue regulæ, siue Constitutionũ, quæ non impediunt munus, quod gerunt quales sunt oratio, moderata abstinentia, ieiunia, &c. Ratio est, quia quemadmodum in naturalibus per aduentum formæ perfectioris non excluduntur dispositio 8

diſpoſitiones conſeruantes formam imperfectiorem, niſi quatenus repugnant formæ perfectiori, ita etiam in moralibus, adueniente, verbi gratia, Epiſcopatu, qui eſt forma perfectior Monachiſmo, non deſtruuntur diſpoſitiones conſeruantes, ſcilicet obſeruantiæ regulares, niſi quatenus repugnant illi. S. Thom. 2. 2. *quæſtione* 185. *artic.* 8. Sylueſter *verb. Religio 6. quæſtione* 10. Huiuſmodi autem obligatio, ſeu debitum ſolum eſt ſecundum decentiam, & honeſtatem; non tamen legale, aut obligans ad culpam, vel pœnam. Ratio eſt, quia religioſus factus Cardinalis, Epiſcopus, vel Abbas extra Ordinem, eximitur, & liberatur à iugo religionis, *capite vnico* 18. *quæſtione* 1. Nauarrus *libro tertio conſ. in prima Edit. titulo de Regular. conſil* 15. *numero* 11. *in* 2. *titulo de donat. conſil.* 6. *numero* 11. Valentia 2. 2. *diſput.* 10. *quæſtione tertia parte octaua* De hoc etiam debito ſecundum decentiam, & honeſtatem, intelligo, quod aliqui Authores volunt, religioſum factum, verbi gratia, Epiſcopum, teneri habere ſecum ſocium ſui Ordinis. Propter eamdem rationem. Sotus *vlt. de Iuſtit. & iure quæſt. vltima artic. vlt.* Valentia 2. 2. *diſp.* 10. *quæſt.* 3. *par.* 8. Hoc etiam de exemptione legali Epiſcopi ab obſeruantiis regularibus, probabile eſt etiam extendi ad Epiſcopum titularem, & ad illum qui Epiſcopatum renunciauit. Ratio eſt, quia iſti omnes legitime diſpenſati ſunt, & exempti ratione Dignitatis Epiſcopalis ab huiuſmodi obſeruantiis: dum ergo perſeuerauerit iſta dignitas perſeuerat diſpenſatio. Præſertim, quia Epiſcopi titulares creantur, vt adiuuent alios Epiſcopos oues habentes in Pontificalibus, miniſtrando Ordines, Confirmationem, &c. De prioribus Azor. *tom.* 1. *inſtit. moral. lib.* 12. *cap.* 10. *quæſt.* 7. De poſterioribus Aragon. 2. 2. *quæſt.* 88. *artic.* 11. Et de vtriſque *lib.* 6. *in Decalog. cap.* 6. *à num.* 26. Addens bene *n.* 30. quod ſi propria culpa degradarentur, ceſſaret dictum priuilegium Exemptionis.

9 Prædicti etiam aſſumpti tenentur habitum ſuæ religionis ex præcepto portare. Ratio eſt, quia obligatio portandi illum nõ eſt ex ſolo mandato Regulæ, aut Conſtitutionum, ſed ex iure Canonico, vt conſtat *ex cap. penultim. finali de vita, & honeſt. Cleric.* & etiam ex conſuetudine rationabili, eo quod habitus religioſus eſt ſignum obligationis ad vota Regularia. Sà *in Summ. v. Epiſcopus.* Henriquez *lib.* 10. *de Sacram. Ord. cap.* 23. *num.* 5. Conceſſum tamen eſt Epiſcopis regularibus à Clemente VIII. in Rituali Romano reformato, vt retento colore habitus ſuæ religionis, poſſint ſe conformare cum Epiſcopis ſæcularibus in forma, ſeu figura illius. Sanchez *lib.* 6. *in Decal. c.* 6. *num.* 22. Cardinales etiam ex Ordinibus regularibus aſſumpti poſſunt portare birretum rubrum, ex conceſſione Gregorij XIV. anno 1591. die 9. Iunij, Laertius *in* 2. *tom. Bulla fol.* 696. Probabilius autem eſt prædictos aſſumptos, etiam ſi habitum ſuæ Religionis dimiſerint, non incidere in excommunicationem à iure latam contra religioſos habitum ſuæ profeſſionis dimittentes, de qua nos ſupra *capite* 13. Eo quod textus *in capite ſecundo ne clerici vel monachi in* 6. vbi talis excommunicatio ſtatuitur, ſolùm videtur loqui de religioſo ſub obedientia Superioris Regularis exiſtente. Rodriguez *tom.* 2. *quæſtione* 58. *artic.* 3. Bonacina *de clauſura q.* 2. *punct.* 2. *num.* 26. Diana *tract.* 2. *de Dub. Regul. reſol.* 50. Loquimur autem de religioſis aſſumptis ad Epiſcopatum, vel Cardinalatum, non de promotis ad Parochiale munus. Quia iſti ſimpliciter ſunt ſubiecti Religioni, & ita incident in prædictam excommunicationem. Sanchez *lib.* 6. *in Decalog. c.* 6. *num.* 36. Bonacina *vt ſupra numero* 25.

Vota alia ſolemnia, præter tria generalia, quæ 10
ſolent in aliquibus Religionibus emitti, quale eſt Minimorum de vita quadrageſimali, & Patrum Societatis de obediendo ſpecialiter Summo Pontifici circa miſſiones, probabile eſt non obligare religioſos aſſumptos ad dignitates prædictas. Ratio eſt, quia illa vota emittuntur, vt annexa, & acceſſoria Regulæ, quam profitentur religioſi, & ad perfectionem illius. Cum ergo tales aſſumpti maneant liberi ab obligatione regulæ (niſi ſolum ſecundum decentiam, vt dictum eſt) ideo etiam manebunt liberi ab huiuſmodi Votis. Præſertim, quia credendum eſt ſolum ea emiſiſſe religioſum pro tempore, quo eſt ſub iugo religionis. Sanchez *lib.* 6. *in Decal. c.* 6. *n.* 15. Oppoſitum etiam eſt probabile, & infertur ex doctrina Soti *vlt. de iuſt. & iur. quæſt. vlt. art. vlt.* Suarez 4. *tom. de Relig. tract.* 8. *libro* 3. *cap.* 17. *num.* 8.

Prædicti etiam aſſumpti ex Religionibus ad Epi- 11
ſcopatus, vel Abbatiæ dignitates non tenentur ſoluere Officium Diuinum iuxta ritum ſuæ Religionis, ſed ſuæ Eccleſiæ, cum conſtituantur capita illius. Sanchez. *libro* 6. *in Decalog. capite* 6. *numero* 25. Azor. *libro* 12. *Inſtit. moral. capite* 7. *quæſtione quarta* Diana *tractatu* 2. *de Dubiis Regul. reſol.* 50. Vnde occurrente feſto Regulæ in feſto Diœceſis, hoc debet præferri. Gauantus *in Comment. in Rubric. Breuiarij tom. ſecundo ſectione prima capite* 5. *titulo.* 2. *numero* 2. Idem credo de aſſumptis ad Cardinalatum, quia ſunt quaſi Epiſcopi in Eccleſijs ſuorum titulorum, & præcipue, quia eximuntur ab obſeruantijs religionis niſi ſolum ſecundùm decentiam, vt diximus ſupra *num.* 8. quarum vna eſt ſpecialis modus recitendi Officium Diuinum.

Bona Religioſorum, qui ad prædictas dignitates 12
Epiſcopatus, vel Abbatiæ ſunt aſſumpti, pertinent iure communi poſt eorum mortem ad Eccleſias quibus præfecti erant. Tum quia ita dicitur *cap. vnico* 18. *quæſtione* 1. Tum quia prædictis Eccleſiis, non ſibi, aut Monaſteriis adquirunt, iuxta dicta ſupra *numero* 5. D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 188. *artic.* 8. Sotus 10. *de Iuſt. q. vlt. art. vlt. ad* 3. Quod etiam intelligitur de bonis, quæ iure hæreditario ad ipſos poſt aſſumptionem ad prædictas dignitates deuenerunt, & de adquiſitis donatione, propria induſtria, aut labore. Propter eadem fundamenta. Leſſius 2. *de iuſt. cap.* 41. *dub.* 11. *num.* 92. Azor. *tom.* 1. *Inſtit. moral. lib.* 12. *cap.* 10. *quæſt.* 6. An vero hoc etiam ſit verum ſuppoſita Conſtitutone Greg. XIII. circa ſpolia regularium extra clauſtra decedentium, de qua nos *cap. præced. n.* 31. aliorum iudicio remitto. Vide Barboſam *de poteſt. Epiſcop. allegat.* 11. 4. *numero* 28.

Epiſcopum autem titularem regularem, quidam 13
dicunt adquirere Summo Pontifici, quia illi immediatè ſubeſt. Barboſa *de poteſt. Epiſcop. allegat.* 114. *num.* 31. Quidam adquirere Religioni, cum nullam ſedem habeat cui poſſit adquirere. Sotus 10. *de iuſt. quæſt. vlt. art. vlt.* Sà *in ſumma verb. Religio. num* 52. Quidam verò dicunt per ſe, & ex vi iuris adquirere illi Eccleſiæ cuius titulum habet, quia verò non poſſunt illi cum effectu applicari

talia

talia bona, in opera pia dispensanda esse. Suarez 4. *tom de Relig tr.8.li.3.c.17.n.5.*

14 Ea autem, quæ Religiosi ante assumptionem ad prædictas Dignitates, Cardanalatus, Episcopatus, vel Abbatiæ adquisierunt, ad Conuentum, vel Religionem spectant. Tum quia habetur *in capitulo statutum*, tum quia cum illa adquisierint quando erant membra Religionis, ipsi debebant adquirere, sicut alij religiosi. Quod etiam concessit Clemens IV. Ordini Prædicatorum, & Alexander IV. Minoribus D. Antonin. *in tract. de suspensione, cap. 4. num. 20.* Suarez 4. *tom. de Religio. tract.8. lib.3. c.16. num.22.* Cassarub. *in Compend. priuileg. Mendic. verb. Episcopus num. 2.* Vnde consequenter religiosus factus Episcopus hac lege ligatur, vt omnia quæ habet debeat Monasterio consignare antequam ad eam dignitatem ascendat. Henriq. *de Sacram. Ord. cap. 33. num. 4.* Rodrig. *tom. 3. quæst. regul. quæst. 58. art. 6.* Peyrinis *tom. 1. de subdito quæst. 1. cap. 10. § vnic. concl. 2.* Tambur. *de iure Abb. tom. 3. disp. 3. quæst. 9. num. 8.* Si vero talis Religiosus fuerit ex Ordine Prædicatorum si priusquam consecretur non resignauerit Religioni libros, & alia quæ habet tempore suæ promotionis, non solum peccat mortaliter, sed etiam eo ipso est suspensus ab executione Pontificalis ministerij; propter priuilegium relatum Clem. IV. & Alex. IV. Henriq. Peyr. & Tambur. relati. Gaudent autem hoc priuilegio, Carmel. & alij qui habent communicationem priuilegiorum cum Dominicanis. Passar. *in Compend. priu. Minim. pag. 35.* Peyrin. & Tambur. Addit. Peyr. quod si in aliqua religione sit Statutũ quod nullus audeat consentire electioni, vel prouisioni de se factæ nisi prius facta restitutione Ordini omnium quæ habet tempore quo consensit, si non præmissa tali restitutione consenserit, incidet in pœnas talis Statuti, etiamsi Papa illum in Consistorio Episcopum pronunciauerit.

15 Religiosi ad Prælaturas alterius Religionis euecti authoritate Pontificia, tenentur non solum votis communibus Religiosorum; eo quod maneant veri Religiosi, sed etiam specialibus suæ Religionis, quæ non contradicunt muneri, quod gerunt. Non enim est aliqua ratio cur credantur in eis dispensari à Pontifice, cum ad prædictas Prælaturas alterius religionis assumuntur. Regula etiam, Obseruantiis, & Constitutionibus suæ religionis, quatenus non contradicunt muneri, quod gerunt, aut inter subditos Religiosos, quos regunt, non generant notabilem singularitatem, eodem modo tenentur sicut antea, propter eamdem rationem. Quoad habitum portandum, & socium suæ Religionis habendum, attendi debet ad vsum Religionis ad cuius regimen assumuntur. Quoad Officij Diuini recitationem conformari debent Religiosis, cum quibus degunt. Quia, & hoc æquitas rationis postulat, & ad bonum regimen illorum spectat. Hæc inferuntur ex dictis, authores enim parum confusè de huiusmodi Religiosis loquuntur. Ea autem, quæ prædicti adquirunt ratione Prælatiæ, quam gerunt, ac religionis, cuius Religiosos gubernant, pertinent ad prædictam Religionem; quæ vero simpliciter, vel alio titulo, aut respectu personæ vel religionis, ex qua sunt assumpti, acquirunt prædictæ Religioni vnde sunt assumpti, & pro illa acquisita censeri debent. Sanchez *lib. 7. in Decal. c. 32. n. vlt.*

16 Religiosi facti Parochi alicuius Ecclesiæ, vel ad alia beneficia inferiora prouecti extra Religionem, non solum tenentur votis religionis generalibus, & præcepto portandi habitum, sicut diximus de Episcopis, Cardinalibus, & Abbatibus supra *numero 2. & 9.* sed etiam votis specialibus, Obseruantiis Regularibus, & Constitutionibus suarum Religionum, quatenus non repugnant muneri, quod gerunt. Cum nulla sit ratio quare ab illis excusentur. Syluester *verb. Religio 7. quæstione 11.* Azor. *lib. 12. institut. moral. capite 19. quæstio. 15.* Non vero tenentur soluere Officium Diuinum iuxta Ritum suæ religionis, sed Ecclesiarum quibus seruiunt. Quia hoc exigit æquitas, & munus pastoris, quod habent in illis. Rosella *verbo Monach. numero 5.* Sanchez *libro 6. in Decalog. capite 6. numero 38.* Videtur tamen necessarium ex præcept. Ecclesiæ *in capite 2. de stat. Monach. & cap. quod Dei timorem eod. tit.* habere socium sui Ordinis. Sanchez *lib. 6. in Decalog. capite 6. numero vltim.* Regulariter etiam ea quæ acquirunt, acquirunt Ecclesiæ cui seruiunt, non religioni. Tum à simili de Episcopo, tum quia cum iam sint capita, & pastores illarum Ecclesiarum, æquitas postulat, vt illis adquirant. Nauarrus *libro 3. consil. in 1. edit. tit de Regul. cons. 70. numero 6. in 2. tit. de stat. Monach. cons. 13. numero 6.* Rodriguez *tom 2. quæstionum Regularium quæst. 47. art. 7.* Nisi placeat loqui cum eadem distinctione, qua locuti sumus de religiosis assumptis ad Prælaturas alterius Ordinis supra *n. 15.* Vide Sanchez *lib. 7. in Decalog. capite 32. numero 76.* Pro aliis etiam obligationibus Parochorum Regularum vide Gauantum *in Manual. Episcop. verb. Parochorum munera præsertim à numero 28.* & dicta à nobis *capite 11. numero 7. & 9.* Vide dicenda *tom. 2. capite 18.*

Prædicti assumpti ex Religionibus ad Cardinalatum, Episcopatum, Abbatiam, vel Parochiam, qui ditionem suppellectilem, & ampliorem familiam habent, quam decet, peccant magis, quam alij Episcopi, Cardinales, Abbates, Parochi, &c. Ratio sumitur ex voto paupertatis, quod prædicti Religiosi in sua professione emiserunt, & à quo non sunt absoluti per assumptionem. Suarez 4. *tomo de Relig. tract. 8. lib. 3. cap. 16. num. 30.* 17

Prædicti etiam assumpti gaudent gratiis, & priuilegiis suæ Religionis, quæ respiciunt commodum animæ, vel corporis ipsorum, non autem quæ redundant in damnum, aut incommodum religionis, aut Monasterij. Ratio primæ partis est, quia vere manent Religiosi, & fauores sunt ampliandi. Ratio vero secundæ; quia huiusmodi priuilegia, & gratiæ semper conceduntur in fauorem Religionis, non in damnum, aut onus. Pro quo extat declaratio Sixti IV. *in monumentis Minimorum concessis. 365.* Suar. *tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 3. c. 18.* 18

In casibus, in quibus Prælati Religionum possunt dispensare cum Monachis quoad obseruantias Regulares, potest Religiosus Episcopus (idem dico de Cardinalibus, & Abbatibus) secum dispensare. Quia hoc videtur rationi naturali congruum, ne teneatur adire Superiorem Religionis. Toletus *in summ. libro 4. cap. 4.* 19

Religiosi cuiuscumque ordinis, etiam mendicantium, quamuis Sedis Apostolicæ sint Capellani eorum superioribus subiecti manent, ac si prædictæ Sedis Apostolicæ non essent. Ita statuit Gregor. XI. anno 1373. in Bulla *Ad Romani Pontificis,* 20

Hoc etiam intelligo de Capellanis Regum, aut Principum. Flauius. Cherubin. *in Compend. Bull. tom.* 1.

21 Archiepiscopi, & Episcopi cuiuscumque ordinis professores postquam munus consecrationis susceperint, etsi à vinculo Ecclesiæ, cui præfuerant, per Sedem Apostolicam fuerint absoluti; & facultatem reuertendi ad suam Religionem, ab ipsa habuerint, ad dignitates, officia seu Superioritates in illa obtinendas, sunt inhabiles. Ita Paul. IV. in Bulla, quæ incipit *In Sacra* anno 1559. habetur p. 1. Bullar. Laertij Cherubin. *punct. vltim.* Quaranta *in summ. Bullar. verb. electio.* Laurentius de Peirinis *tom.* 1. *priuileg. Minim. in constit.* 4. *Sixti IV.* §. 10. *numero* 44.

22 Quamuis status Episcoporum perfectior sit statu quorumcumque Religiosorum iuxta dicta *c.* 1. *n.* 1. de quo Suar. 3. *tomo de Religione. lib.* 1. *capite* 18. Tum quia status Religiosus est perfectionis acquirendæ, status verò Episcopalis est perfectionis exercendæ. Tum quia Episcopi ex vi sui status ad excellentissima opera exercenda ordinantur, nempe ad docendum, prædicandum, & illuminandum, ad quæ ex vi status non ordinantur Religiosi nisi solum ministerialiter. Suarez vt supra. Nihilominus non propterea licitum est, Regulariter loquendo, appetere, & multò minus procurare Religiosum Episcopalem dignitatem. Ratio est, tum propter magna pericula animæ, & etiam corporis, quæ regulariter loquendo, sæpissimè occurrunt in recta administratione ipsius: tum quia vix sine præsumptione, aut superbia tam altus gradus dignitatis appeti potest. S. Thomas 2.2. *q.* 185. *art.* 1. Sotus 10. *de iust. & iure q.* 2. *art.* 1. Dixi *regulariter loquendo*, quia in casu necessitatis Ecclesiæ, quando scilicet nullus esset, qui Episcopatum digne administrare posset, aut vellet, propter pericula, tunc licitè posset Religiosus illum appetere. Quia bonum commune est priuato anteponendum, ac proinde priuatum periculum, tunc negligendum, diuinæ gratiæ, & auxilio diuino immittendo. S. Thomas, & Sotus vt sup. Valentia 3. *tom. disp.* 10. *q.* 3. *punct.* 2. *concl.* 3. Pro quorum maiori luce distinguendum est. Primò enim indignus Episcopatu, vel quia illiteratus, vel vitiosus est, Episcopatum desiderans grauissimè peccat mortaliter quia appetit id, quod non potest sine peccato mortali administrare. Toletus *in summa lib.* 5. *c.* 3. §. *prima est.* Deinde etiam, qui dignus est, & appetit Episcopatum propter redditus temporales tamquã finem, etiam mortaliter peccat. Ratio est, non solum quia peruersè vult rem spiritualem. & superioris Ordinis, esse medium in ordine ad rem temporalem, & inferioris Ordinis, sed etiam quia sic faciens, & ex vi talis ordinationis paratus est, si necesse fuerit Dignitatem Episcopalem negligere, si bona temporalia non obtinentur. Sotus vt sup. Sylu. *verbo Episcopatus*, §. 4. Tertio, qui appeteret Episcopatum (quamuis dignus) propter redditus, aut commoda temporalia, non tamquam finem ipsius Episcopatus, sed tamquam finem ipsius appetitionis, saltem secundarium, etsi non peccaret mortaliter, cum non appeteret spiritualia propter temporalia, ad minus tamen peccaret venialiter, quia tale desiderium ambitionis, auaritiæ, vel præsumptionis esset. Valentia *vt sup.* §. *nihilominus.* Quartò, qui etsi dignus, efficaciter appeteret Episcopatum, non propter malum aliquem, aut inordinatum finem, sed propter salutem animarum procurandam, adhuc peccaret. Eo quod magno periculo salutis quale in administratione Episcopatus occurrit, se obiicere præsumptuosum, & temerarium est. S. Thom. vt sup. Valentia *vt sup.* §. *nihilominus tres.* Neque obstat illud ad Timotheum 3. *qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat.* Quia illud solum est verum tempore necessitatis Ecclesiæ, quale erat quãdo Sanctus Paulus id dixit. Præsertim quia Apostolus non dixit eum, *qui Episcopatum desiderat, benè desiderat, sed bonum opus desiderat.* Nam opus quod materialiter est bonum, si desideretur temerariè præsumptuosè, & imprudenter, absdubiè, illicitè, & peccaminosè desideratur. Valentia vt sup. §. *casus autem* Toletus *vt sup. n.* 4. An verò hoc sit peccatum mortale, aut solum veniale; Probabilius est sæpius esse peccatum mortale. Sylu. *verb. superbia n.* 7. Vnde Sotus *vt sup.* dicit esse perinde atque se in fluuium cum periculo, & sine necessitate conijcere. Valentia *vt sup.* §. 2. *concl.* Quod si dicas. Ego me credo sobrium, pudicum, &c. cum aliis conditionibus à S. Paul. 1. *ad Timoth.* 3. pro Episcopo requisitis, & Episcopatum pro salute animarum desidero, & spero de Dei gratia mihi affuturum, quid ergo mihi deest cur illum concupiscere non possim? Dico, si circa hoc Dei reuelationem habueris, credam tibi; si non habueris, non consentio. Credam potius te humilem non esse, qui talia de te cogitas; nec Sanctum; cum veri Sancti Episcopatum laudabiliter fugerint.

Vide dicenda de Episcopis non admittendis ad Religionem *c.* 24. *n.* 11. & de illo, qui post votum religionis Episcopus electus est *eod. c.* 24. *num.* 27. Qualiter etiam nouitius potest eligi ad Episcopatum *ibid. n.* 37. 23

SVMMARIVM.

Prælati Regulares habent iurisdictionem ordinariam in subditos n. 1.

Iurisdictionem etiam quasi Episcopalem numero. 2.

Nomine Prælatorum in priuilegiis qui intelligantur num. 3.

Facultates concessæ Prælatis in priuilegiis an delegari possint. n. 4.

Quæ conditiones requirantur ad Prælatos eligendos. num. 5.

Debent esse litterati n. 6.

Illegitimi non possunt admitti. n. 7.

Nec homicida. n. 8.

Quæ antiquitas in ordines exigatur. n. 9.

Quantum debeant durare in officiis. n. 10.

Conuenientius est quod supremi Prælati Religionum sint perpetui. ibid.

Tenentur Prælati legibus, & obseruantiis religionum. num. 11.

Ad residentiam etiam obligantur. n. 12.

Habent potestatem administrandi bona Monasteriorum, & qualiter. n. 13.

Tenentur procurare obseruantiam vitæ communis in subditis. n. 14.

Qualiter teneantur ad correctionem subditorum. numero 15.

Punire possunt illos, & quibus suppliciis. n. 16.

Qualiter procedere debeant ad cognoscenda illorum crimina. ibid. & n. 17.

In causis tamen spectantibus ad tribunal S. Inquisitionis quid facere teneantur. n. 18.

Possunt reseruare sibi aliquos casus. n. 19.

Qui sint hi casus reseruabiles. n. 20.

An possint alios reseruare. ibid. & n. 21.

Possunt imponere censuras, & qui. n. 22.

Non



Capvt XVIII.

De obligationibus Prælatorum Regularium, facultatibus, & Priuilegiis ipsorum.

1 PRo comperto est, Religiosorum familiis præfici debere Prælatos, & Superiores, qui ipsos spiritualiter, & temporaliter tegant. Tum ex illo Prouerb. 11. *Vbi non est Gubernator, populus corruet.* Tum quia id exigit Obedientiæ Votum, quod Regulares emittunt. Habent autem prædicti Prælati, & Superiores Religiosorum non solùm potestatem dominatiuam, qualem habent Patres familias in suos, sed etiam Spiritualem iurisdictionem; cum vtrumque sit necessarium ad rectam gubernationem, Oeconomiamque spiritualem, & temporalem Religiosorum. Hæc verò Spiritualis Iurisdictio, saltem de iure Ecclesiastico, & à Summis Pontificibus deriuata illis conuenit. Eò enim ipso quod Religiosos ab Episcoporum ordinaria Iurisdictione exemerunt illam Prælatis ipsorum concessisse censentur. Suar. *to.4.de relig.tr.8.lib.2.c.1.* Imò hanc Iurisdictionem ordinariam esse, & non delegatam, eo quod competit ipsis virtute legis, vel consuetudinis, non autem ex commissione saltem temporali, est communiter receptum. Nauarr.*comm.2. de Regul.à n.63.& comment.3. à n.40.*

2 Hinc huiusmodi Prælati, tam supremi, puta Generales, & Prouinciales, quàm infimi, videlicet Priores, Guardiani, Rectores, &c. habent in suos subditos Iurisdictionem quasi Episcopalem, vt tradunt communiter Authores in Clem.1. *de reb. Eccles. non alien verb propriȷ.*& sumitur ex *cap. Abbatis de priuil. in 6.* Et ratio est, quia cum prædicti omnes non subdantur Episcopis, sed immediatè Papæ, loco ipsorum succedunt quoad regimen suorum subditorum, ac proinde habent quasi Episcopalem iurisdictionem, Suarez *tomo quarto de Relig. tract.8. lib.2. c.2. & 13.*

3 Quando in priuilegiis Religiosorum conceditur aliqua facultas, seu potestas Prælatis, nisi aliud exprimatur, intelliguntur etiam Prælati Conuentuales, cum ipsi sint veri Prælati, & indefinita æquiualeat vniuersali. Suarez 4. *tom.de Relig. tract.8.lib.2. cap.22.* Si priuilegium conceditur Prælato inferiori, censetur etiam concedi Superiori, quia recta ratio dictat ita esse intelligendam mentem Pontificis. Suarez 4. *tom.de Relig.tract.8.lib.2. cap.22.n.2.* Extenduntur etiam priuilegia ista ad Vicarios Conuentuum, illos scilicet, qui in Conuentibus ipsis non habent Superiorem. Quia isti etiam sunt veri Prælati. Rodriguez *tom.1.quæst.20.art.2. & 3.* Suarez 4. *tom. de Relig. tract.8.lib.2. cap.22. n.6.* Secus dici debet de quibusdam Vicariis quarumdam Religionum, qui non sunt verè Prælati, sed instituti, vt adiuuent Prælatos, vt sunt Vicarij Chori, &c.Rodrig.*to.1.q.17.art.6.*

Similiter facultates concessæ Prælatis Religiosorum in priuilegiis Pontificum, nisi oppositum declaretur, possunt ab ipsis aliis delegari. Tum propter aliqua priuilegia quæ hoc concedunt. Tum quia Commissarius ex priuilegio perpetuo potest alteri suas vices committere. Cordub. *in Summa Hisp. quæst.8.* Suarez 4. *tom. de Relig.tract.8.lib.2. c.22.n.8.* 4

Vt aliquis eligatur in Prelatum alicuius Religionis, præter illas conditiones, quæ secundum iura particularium Religionum sunt necessariæ, & prẹter illas, quas adduximus supra *cap.15.num.25.* requiritur quòd habeat legitimam ætatem, quæ ad minus debet esse vigintiquinque annorum, iuxta *cap.cum in cunct. de elect.* confirmatum à Concil. Tridentin. *sessione 24. cap.12. de reformat.* Deinde debet esse Sacerdos ex *cap.1. de ætat. & qualitat.* Quod intellige, vel quod sit Sacerdos quando eligitur, vel saltem postea fiat talis. Suarez 4. *tom.de Relig.tract.8. lib.2.cap.3.* Probabile etiam est, loquendo de Generalibus, & Prouincialibus Religionum, requiri ad talia officia ætatem triginta annorum. Quia *in c.cum in cunctis de elect.* & alibi requiritur ad Episcopatum illa ætas: ij verò Prælati præcipuè habent quasi Episcopalem Iurisdictionem. Miranda *in Man.to.2. quæst.3.art.1.* Cæterum Sigismund. de Bononia *de elect. dub.62. num.1.* dicit hoc solum esse de honestate, non de necessitate. Quod & sequitur Bord. *in resol.21. num.23.* ac Lauor. *in suis lucubr. tit.4. cap.16.num.6.* & propterea etiam est probabile, non requiri, pro Prouincialatu maximè, dictam ætatem triginta annorum, sed minorem sufficere. In ætate autem à iure pro Prælatis requisita, nequeunt Superiores Religionum dispensare, propter *cap. cum in nobis olim.de elect. & cap. licet can. eodem tit.in 6.* Syluester *verb. Casus cap. 22.* Deinde requiritur quod sit professus, quia ita habetur in *cap. cum ad nostram, de elect.& cap.cum causa, & cap. cum in magistrum, eod.tit.* Imò videtur requiri esse professum professione expressa, non tacita. Quia ita videtur haberi *in cap. nullus de elect. in 6.* Requiritur etiam vt sit professus in ipsa Religione, in qua eligitur. Quia ita statuitur in *Clem.1. de elect.* & in Trident. *sess.14. cap.10. de reform. & sess.25. cap.21. de Regular.* 5

Solet tamen S. Congregatio Episcoporum, & Regularium dispensare cum aliquibus Religiosis in conditionibus requisitis ad Prælaturas & officia Ordinis ex Constitutionibus seu statutis; prout fecit de anno 1646. pro 18. Maij maximè quoad reelectiones immediatas, prout video fecisse cum Dominicanis Russiæ in casu quodam particulari de eodem anno 1646. pro die 23. Nouembris.

Peccant

6 Peccant mortaliter Religiosi, qui eligi, ac præfici se sinunt ad Prælaturas, & officia animarum curam habentia sine sufficienti scientiæ, & litterarum peritia. Colligitur *ex cap. cum in cunct. de elect.* & ex Concil. Trident. *sess.22. cap.2.* S.Thomas 2. 2. *quæst.2. art.6.* Nauarrus *in Man. cap.25. num.12.* Si tamen inter eligendos vnus sit litteratissimus, sed prauis moribus implicatus, alius verò mediocriter doctus, sed virtutibus præditus aptior est iste reputandus, quàm ille. Sotus 3. *de iust. & iur. quæst.6. artic.2.* Pro gradu autem scientiæ quæ requiritur in Prælatis, & pro quibus Prælatis, consule Sigismundum *de elect. dub.63.* & dicenda 4. *tom. v. Prælatus n.* .

7 Illegitimi nequeunt esse Prælati in Religionibus, nisi ex Papæ dispensatione. Quia ita habetur *in cap.1. de fil. Presb.* Nauarr. *in cap. statutum. n.60.* Quod intellige etiamsi sint occultissimè illegitimi, Syluester *verb. irregul. quæst.20.* Corduba *lib.1. Quæstionarij quæst.38.* An autem ex priuilegio dispensare possint cum illis Religionum Prælati, dicetur infrà à *numero 60.* Vide & dicenda *tomo 2. cap.12. num.21. & cap.13. num.50. & c.18. num.34.*

8 Non possunt eligi in Prælatos Religionum, qui homicidium aliquando perpetrarunt, iuxta Decretum Concil. Trident. sess.14. cap.7. in quo dicitur: *Cum etiam qui per industriam occiderit proximum suum, & per insidias, ab altari auelli debeat, qui sua voluntate homicidium perpetrauerit, etiam si crimen id, nec ordine iudiciario probatum, nec alia ratione publicum, sed occultum fuerit, nullo tempore ad Sacros Ordines promoueri possit, nec illi aliqua Ecclesiastica beneficia, etiam si curam non habeant animarum, conferri liceat, sed omni Ordine, ac beneficio, & officio Ecclesiastico perpetuò careat: si verò homicidium non ex proposito, sed casu, vel vim vi repellendo, vt quis se à morte defenderet, fuisse commissum narretur, quam ob causam etiam ad Sacrorum Ordinum & Altaris ministerium, & beneficia quæcumque, ac dignitates, iure quodammodo dispensatio debeatur, committatur loci Ordinario, aut ex causa, Metropolitano, seu viciniori Episcopo, qui non nisi causa cognita, & probatis processibus, ac narratis, nec aliter dispensare possit.* Possunt tamen illa officia, quæ actu habent quando committunt homicidium retinere, cum hoc non prohibeatur in dicto Decreto Concilij. Nauarr. *in Manual. cap.27. num.249.* Insuper quando tale homicidium, quantumuis voluntarium, fuerit omninò occultum, id est, nec deductum ad forum contentiosum, aut vllo modo deducibile, probabile est apud quosdam, cum tali homicida posse dispensare Prælatos Religionum ad officia Ordinis. Propter dicenda inferius *num.44.* Laurent. de Peirin. *tom.1. Priu. Minim. in Const.2. Iul. II. num.102.*

9 Non requiritur ex vi Iuris communis aliqua antiquitas in Ordine ad officia, & Prælaturas, sed statim post professionem factam redditur habilis ad illa. Ratio est, quia licet pro Abbatissis requirat Conc. Trid. *sess.25. c.7.* octo annos post professionem, pro Abbatibus autem, seu Prælatis Religionum, neque in ipso Concilio, neque in aliquo loco Iuris talis conditio petitur, fortassis, quia sexus virilis fortior, & perfectior est. Suarez 4. *tom. de Relig. tract.8. lib.2. c.3. n.16.*

10 Licet quoad durationem Prælatorum in suis officiis attendenda sint specialia iura, & consuetudines Religionum, & præcipuè Summorum Pontificum Ordinationes, conuenientissimum tamen multis piis, & prudentibus visum fuit, Prælatos Religionum, præsertim supremos, quales sunt Generales, debere esse perpetuos. Ratio est, propter multa incommoda, quæ sequuntur ex limitato tempore officiorum, quinquennio scilicet, vel sexennio. Primum est, quia tales Prælati non possunt tam plenam, & absolutam potestatem in suos subditos exercere, quàm si essent perpetui. Secundum est, propter multas expensas, quæ tempore Capitulorum, seu Congregationum à Religiosis fieri solent, multasque ipsorum diuagationes itinerando. Tertium, propter euitandas multorum ambitiones, sectas, rixas, odia, scandala, recursus ad seculares, subordinationes, imò aliquando simonias, & illicitas conuentiones, quæ tempore Capitulorum fieri quandoque solent. Quartum, quia Prælati pro tempore limitato electi, si sint ambitiosi suam procurant reelectionem, ad quod oportet dissimulare vitia vocem habentium in Capitulis, officia, & dignitates Ordinis indignis conferre, vt suffragia tempore electionis præstent, subornanturque quandoque Principes, & Prælati extra Religionem xeniis, muneribus, & pecuniis Ordinum, vt adiutorium præbeant. Quintum, quia tempore limitato Generalatus, verbi gratia, quinquennio, vel sexennio, vix, aut nullo modo reformari potest Religio: cum ferè vnus annus expendatur in congregando Capitulo, alius in redeundo ab eodem, alius in præparandis necessariis pro tempore proximè futuri Capituli. Suarez 4. *tom. de Relig. tract.8. lib.2. cap.7. & lib.10. de regul. Societ. cap.2.* Mirand. *in Man. tom.2. quæst.6. art.5. & 6.* Legatur specialiter Nauarr. *comment.3. de Regul. num.3. lib.3. consil. de iur. patronat. consil.4.* vbi piissimus, & doctissimus Doctor hæc dixit: *Licet ambitio, & dulcedo sensualitatis suaserint multis Regularibus melius esse regimen triennale inuentum à recentibus Regularibus, vt per frequentes mutationes, ambitiosi, & auari aliquando fiant Prælati, vel Prælatæ, multò profectò coram Deo, & Sanctis eius melius, & sincerius est regimen illud antiquum, quod antiqui ijdem Sanctissimi Patres Basilius, Augustinus, Benedictus, Bernardus, & Ecclesia vniuersa seruauit, quando longè Regulares erant meliores, quàm nunc sunt, &c.* Curent ergo Religiones, Apostolica Sede consentiente, perpetuos sibi Generales, sicut antiquitus fieri solebat, habere.

11 Prælati Religionum, etiam Generales, tenentur obseruare leges communes Religionis, & dispositiones Capitulorum Generalium. Cum talia Capitula sint supra ipsos. Imò hæc obligatio non solùm est quoad vim directiuam, sed aliquo modo coactiuam, iuxta dicta supr. *c.8. n.21.* Tenentur etiam ad obseruanda præcepta à se aliis imposita. Tum ex communi principio, quòd Princeps tenetur obseruare suas leges; tum quia lege naturæ obligantur ad bonum exemplum subditis præstandum. Suarez *tom.4. de Relig. tract.8. lib.2. cap.8.* Vide dicenda infrà *n.54. & 86. & 87.*

12 Generaliter loquendo ea, quæ in Concil. Trid. *sess.6. cap.1. & 2.* & aliis iuribus statuuntur circa residentiam Prælatorum, intelligi debent suo modo de Prælatis Religionum. Propter similem rationem. Mirand. *in Man. tom.2. quæst.9. artic.5.* Hinc Prælati Monasteriorum tenentur assistere suis Monasteriis tempore pestis, vel hæresis, etiam cum periculo mortis. Ratio est, quia sunt quasi

Parochi

Parochi illorum Monasteriorum]: Parochis autem non licet fugere in talibus euentibus. Sanch. *lib.6. in Decal.c.2.n.55.*

13 Habent Prælati Religionum potestatem administrandi bona temporalia Monasteriorum. Tum quia ita habetur in *cap. nullam 19. quæst. 2.* Tum quia cum priuati Religiosi propter votum Paupertatis, quod habent, non possint tali facultate vti, nec tota communitas immediatè, vt de se patet, oportet, quòd hoc onus incumbat Prælato. Nauarr. *comment.3. de Regular. num.5. & 6.* Suarez 4. *tomo de Relig. tract.8. lib.2. cap.26.* Expendentes autem bona Monasteriorum in vsus prauos, vanos, aut superfluos, peccant contra votum Paupertatis, & sunt proprietarij. Ratio est; quia non sunt domini bonorum Monasterij, sed tantùm administratores in vtilitatem ipsius; atque ita solùm possunt expendere in ipsius vtilitatem, quia ad hoc solùm habent facultatem à Monasterio, quod est dominus talium bonorum. Nauarrus *lib.3. cons. in prima edit. cons.75. num.2. cons.3.* Azor. *tom.1. Institut. Mor. lib.12. cap.12. quæst.2.* Qualiter autem alienare non possint bona Ecclesiarum, seu Monasteriorum, diximus suprà *cap.10. à num.1.* Suarez *tom.4. de Religion. tract.8. lib.2. cap.26. 27. & 28.* Imò nec posse bona vnius Monasterij (intelligo immobilia, & mobilia pretiosa) in aliud transferre, non obstantibus aliquibus Priuilegiis Religionum videtur inferri ex Decretis ibi adductis; eò quòd huiusmodi translationes bonorum sunt quædam species alienationis. Peyrinis *tom.1. priuileg. Minim. in Const.2. Iulij II. §.26. num.76.* Vide & dicenda *tom.2. cap.19.*

14 Prælati, qui in quantùm possunt, non curant suos subditos viuere vita communi absque aliquo peculio, aut proprios, & superfluos vsus vitare, non sunt in bono statu conscientiæ. Ratio est, quia votum paupertatis id requirit, Summique Pontifices, & Concilia præcipiunt, iuxta dicta supr. *cap.6. num.60.* Syluester *verb. Relig.6. q.7.* Sanchez *lib.7. in Decalog. c.19. num.27.* Vide Concil. Trid. *sess.25. de Regul. c.1.*

15 Possunt, & tenentur Prælati Regulares suos subditos corrigere, & punire; imò sanguis eorum de manibus Prælatorum requiretur. Tum ex *cap. irrefragabili de offic. ordin.* Tum ex eo quod sint veri Pastores, & Rectores Ecclesiarum. Graffis *1. part. Decis. lib.3. cap.5. num.133.* Imò omittentes corrigere suos subditos ex negligentia, aut timore, facile peccant mortaliter. Quia tenentur illos in via perfectionis instruere. Sà *in Summ. verb. Correptio num.2.* Addunt aliqui peccare etiam mortaliter prælatos omittentes corrigere subditos in aliquibus peccatis venialibus, illis scilicet, quibus introducuntur consuetudines contrariæ Religioni, quia hoc cedit in magnum detrimentum ipsius. Thomas de Iesu *de visitat. Regular. tractat.1. cap.6.* Diana *Tractat.2. de dub. Regular. Resolut.38.* Nota etiam Prælatum non corrigentem suum subditum peccare contra iustitiam, quia peccat contra obligationem sui officij, quæ est ex iustitia. Vnde in Confessione non satis illi erit dicere se omisisse correctionem proximi. Bannez *2. 2. quæst.33. art.3. dub.1. conclus. vltim.* Vide dicenda *cap.27.*

16 Possunt etiam prælati Regulares punire suos subditos pœna corporali proportionata eorum delictis. Ratio sumitur ex potestate non solùm dominatiua, sed etiam iurisdictionis, quam super illos habent. Hinc possunt illos damnare ad triremes, casu tamen raro, & ad satisfaciendum publico scandalo ex delicto enormi. Quia ita habet consuetudo multorum prudentium. Vide dicta *c.16. num.32.* Possunt etiam pœna exilij damnare Religiosos. Cum in illa nulla sit indecentia. Licet hoc magis procedat in Religionibus Monachalibus, in quibus Monachi acquirunt domicilium in Conuentu, vbi professi sunt, non sic in Mendicantibus. Alderete *lib.2. de Relig. discipl. cap.27. num.18.* Tradere tamen illos immediatè brachio seculari vltimo supplicio afficiendos, nisi hoc illis per aliquod priuilegium concedatur, non videtur permissum. Quia hoc vix potest excusari ab irregularitate. Idem dico de mutilatione membrorum, propter eandem rationem. Suarez *tom.4. de Relig. tractat.8. lib.2. cap.10.* Vnde etiam multò minus possunt punire suos subditos pœna mortis. Ea enim à nullo iudice Ecclesiastico imponi potest. *cap. cum non ab homine, de iudicijs.* Suarez *vt supra.* Ex priuilegio etiam Bonifacij VIII. concesso prælatis Dominicanorum, possunt contra suos subditos procedere, iuris apicibus postpositis. Dicuntur autem iuris apices actus illi, qui potiùs respiciunt subtilitatem, quàm facti veritatem, & merita causæ. Flauius Cherub. *in Compend. Bullarij tomo 1.* Vnde licet seruari debeat in huiusmodi iudiciis ea forma, quæ ex iure naturali, & gentium requiritur, procedi tamen potest, & debet sine strepitu, & figura iudicij secularis. Tum ex prædicto priuilegio. Tum ex congruentia, quia in Religionibus præcipuè attenditur sincera, & plana cognitio criminum, potiùs ad salutem animæ, quàm ad puniendum, & in eis credibile sit Iudices procedere cum maiori charitate, & puriori intentione, & testes esse magis fide dignos. Caiet. *2.2. q.70. art.2.* Sot. *5. de iustit. quæst.7. art.2.* Vide dicenda *cap.27. n.26.* Et Portellum *in Respons. mor. tomo 2. casu 28. & 29.* vbi plura vtilia prælatis Regularibus vt se defendant contra Aduocatos, & Causidicos Prælatos eosdem impugnantes eo quod in processionibus ab ipsis factis non obseruet aliquos Iuris apices.

Possunt præterea prælati Regulares ad cognoscenda vel punienda delicta subditorum, procedere 17
iuridicè per viam accusationis, iudicialis denunciationis, & inquisitionis. Ratio est, quia hoc pertinet ad potestatem iurisdictionis, quam habent, & est necessarium pro bono regimine Religionis. Suarez *4. tom. de Relig. lib.10. de regim. Societ. cap.11. 12. & 13.* Non tamen possunt interrogare de delicto alicuius in particulari, nisi de illo præcesserit aliqua infamatio. Aliàs fieret illi iniuria, nec Iudex procederet iuridicè. Nauarrus *cap. inter verba corollar.47. num.179.* Suarez *4. tomo de Relig. lib.10. cap.11.* Possunt tamen subditum non plenè conuictum, & negantem delictum, cogere etiam per torturam, vt fateatur illud. Cum hoc iure naturali sit licitum, & nullo iure prohibitum Religiosis. D. Anton. *3. part. to.9. cap.7. §.8.* Syluester *verb. Inquisit. 2. dict.9.* Addunt aliqui, Religiosos non debere torqueri per violentas actiones instar secularium, sed per strictiorem carcerem, humi cubationem, strictiora ieiunia, &c. Suarez *4. tomo de Relig. lib.10. de Regimine Societ. capite 12.* Sed hoc intelligo regulariter; quando enim delictum fuerit enorme, & prædicta non sufficiant, non video quare non possit applicari maior tortura. Vide dicenda *c.27. n.16.*

Quamuis

18 Quamuis propter priuilegia Religionum, specialiter Clementis Septimi in Bulla anno 1530. eximentis Fratres Carmelitanos ab Inquisitoribus hæreticæ prauitatis, etiam in casu hæresis, illosque sub potestate Sedis Apostolicæ constituentis, possent antiquitus prælati Religionum, etiam in casu hæresis, de suis subditis iudicare, quod limitauit Pius Quartus in alia Constitutione anno 1562. solùm ad casum, in quo prælati Religionum in talium causarum cognitione Inquisitores præuenirent. His tamen temporibus nullo pacto licet hoc facere, propter Constitutionem Pauli Quinti anno 1606. editam, vbi reuocat omnes facultates Superioribus Ordinum, quoad hoc concessas, & similes causas ad Tribunal Sanctæ Inquisitionis solùm pertinere decernit. Præcipitque sub magnis pœnis tam prælatis Religionum quàm Religiosis subditis, quòd Religiosos de hæresi suspectos denuntient Inquisitoribus, vel Ordinariis locorum vicinioribus. Vide Bullam *tom.3. Bull. inter Bullas Paul.V. n.26.* Vincentius Filliucius *tom.1. tract.15. c.8.* Omnes etiam, singuli, & quicumque Religiosi, aut regulares Hæretici, seu de hæresi quomodolibet suspecti debent Inquisitoribus denunciari sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, iuxta edictum S. Inquisitionis, quod refert Peyrinis *tomo 2. priuileg. Minim. in Constitut 9. Paul.V. n.27.* Vbi etiam *num.28.* refert Decretum Pij V. anno 1567. prohibentis ne à suis superioribus possint per quinquennium à die recursus molestari, vel inquietari Religiosi, qui pro tempore, ad Officium S. Inquisitionis recurrerint, vel in eo testimonium perhibuerint veritatis, inconsultis DD. Cardinalibus S. Inquisitionis. Qualiter etiam regulares pœnitentiati à S. Officio inhabiles sint ad Officia Religionum constat ex Decreto S. Inquisitionis *c.15. n.39.* relato.

19 Possunt prælati Religionum reseruare sibi casus suorum subditorum, ita vt solùm ab ipsis absoluantur. Cum veram habeant Iurisdictionem spiritualem supra illos. Ad hoc autem requiruntur duæ conditiones; prima est, quod tales casus sint peccata mortalia; secunda, quòd sint actus externi; cum Ecclesia solùm huiusmodi casus reseruare sit solita, saltem de lege ordinaria. Suarez 4. *tomo de Religio. tract.8. lib.2. cap.18. num.3.* Num autem potestate absoluta possit aliter fieri. Sotus *in 4. distinct.18. quæst.2. art.5.* Probabile etiam est hanc facultatem reseruandi casus extendi etiam ad Nouitios, quia verè sunt subiecti Religioni. Adducitur etiam ad hoc viuæ vocis oraculum Paul.V. licet iam his temporibus, vt sæpè dixi, nihil valeant viuæ vocis oracula, si aliquod priuilegium continent. Peyrinis *tom.2 priuil. Minim. in Constit.10. Vrban. VIII. num.9.* Alij autem etiam satis probabiliter negant reseruationem casuum comprehendere nouitios. Quia ipsi non tenentur ad onera Religionis. Portell. *in dubiis Regular. verb. nouitij absolutio n.36.*

20 Insuper ex speciali Decreto Clem. VIII. anno 1593. decernitur. Vt nemo ex Regularium Superioribus peccatorum absolutiones sibi reseruet, exceptis iis, quæ sequuntur, aut omnibus, aut eorum aliquot, prout subditorum vtilitati expedire prudenter in Domino iudicauerint. *Veneficia, Incantationes, Sortilegia, Apostasia à Religione, siue habitu dimisso, siue retento, quando eo peruenerit, vt extra septa Monasterij, seu Conuentus fiat egressio. Nocturna, ac furtiua è Monasterio, seu Conuentu egressio, etiam non animo apostatandi facta. Proprietas contra votum Paupertatis, quæ sit peccatum mortale. Iuramentum falsum in Iudicio Regulari, seu legitimo. Procuratio, auxilium, seu consilium ad abortum faciendum post animatum fœtum, etiam effectu non sequuto. Falsificatio manus, aut sigilli Officialium Monasterij, aut Conuentus. Furtum de rebus Monasterij, seu Conuentus in ea quantitate, quæ sit peccatum mortale. Lapsus carnis voluntarius opere consummatus. Occisio, aut vulneratio, seu grauis percussio cuiuscumque personæ. Malitiosum impedimentum, aut retardatio, aut aperitio litterarum à Superioribus ad inferiores, & ab inferioribus ad Superiores.* Adiungit prætereà idem Pontifex ad maiorem cautelam, quòd si quod aliud præterea peccatum graue pro Religionis conseruatione, aut pro conscientiæ puritate reseruandum videbitur, id non aliter fiat, quàm Generalis Capituli in toto Ordine, aut Prouincialis in Prouincia matura discussione, & consensu, Prosper Augustin. *in addit. ad* Quarant. *in Summ. Bullar. verb. casus reseruat.* Suarez 4. *tomo in 3. part. disput.28. sect.3. num.13. & 14. tomo de Religio. tract.8. lib.2. c.18.* Vide Decretum 4. *tomo Bullar.* in Constitut. Vrb. *num.26.*

21 Vtrum autem, esto quod non possint prælati Regulares reseruare sibi alios casus præter istos, possint tamen censuras aliorum casuum reseruare, vt si prælatus præcipiat sub pœna excommunicationis latæ sententiæ sibi reseruatæ, vt nemo, v.g. loquatur Monialibus? Suarez 4. *tomo in 3. part. disputat. 28. sect.3.* respondet affirmatiuè. Eò quod Pontifex solum loquitur expresse de reseruatione peccatorum, vt patet illis verbis; *peccatorum absolutiones sibi reseruet.* Alij verò viri docti tenent contrarium eo quod ex prœmio, & ratione legis sumitur decisio ipsius: constat autem rationem huius legis in prœmio ab ipso Pontifice assignatam esse, quia si prælati non vtantur prudenter facultate reseruandi sibi casus, *nonnullos infirmiores, qui interdum Superiori suo conscientiæ maculas detegere formidant, adducere posset in æternæ damnationis periculum, & spiritualis remedij desperationem.* Hæc vero ratio etiam procedit in reseruatione censurarum; ac proinde videtur vtrumque prohiberi à Pontifice. Prima sententia conformior est verbis Pontificis, Secunda vero intentioni, & ita, vt puto, probabilior. Sanchez *lib. 6. in Decalog. cap. 1. num.16.* Extat etiam declaratio S. Congregationis Romæ 7. Iulij 1617. vbi expresse declaratur in prædicto decreto Clement. VIII. comprehendi etiam censuras. Vide Erasmum CoKier *in tractat. de Iurisdic. Ord. in Exemp. part.4. q.56.* Diana *tract.2. de Dubiis Regul. Resol. 49.* Vnde iam prior sententia non potest in praxi teneri. Vide dicenda *c. sequenti n.29. & infra n.29.*

22 Possunt Prælati Religionum etiam locales, & Conuentuales, excommunicare suos subditos. Quia omnes isti habent Iurisdictionem quasi Episcopalem, vt diximus supra *num. 2.* Suarez *tomo 4. de Relig. tractat. 8. lib. 2. cap. 9. num.6.* addens, etiam posse suspendere. Quia qui potest in maius potest in minus, maius autem est excomunicare, quam suspendere; idemque dicit, de interdicto personali, licet hoc non sit in vsu. Irregularitatem vero non possunt imponere. Quia neque Episcopi illam imponunt, sola enim Pontificis authoritate, & in casibus à Iure expressis incurritur. *Cap. is, qui de sentent. excommunic. in 6.* Suarez *tom.4. de Relig. tractat.8. lib.2. cap.9. num.7.* Quamuis autem Prælatus pecces ponendo excommunicationem non

seruata

seruata iuris forma, scilicet quod procedat trina admonitio, quòd fiat in scriptis, & non diebus feriatis, quia ita habetur in Iure per multa capita, excommunicatio tamen valida erit, dummodò præcedat aliqua monitio. Quia ita interpretatur consuetudo legem canonicam. Sotus *in* 4. *dist*.22. *q*.1. *ar*.5. Suarez 5. *tom.in* 3. *par.disp*.3. *sect*.13. *à num*.1. Prælati publicè excommunicati, vel suspensi non possunt suos subditos excommunicare, quia habent ligatam Iurisdictionem. Corn. *tom*.2. *in* 3. *part. tract*.5. *disp*.2. *dub*.4. Quando verò talis defectus est occultus, licet peccent ferendo censuras, validè tamen sunt. Quia Ecclesia non priuat illos tunc vsu Iurisdictionis propter euitanda maxima inconuenientia, quæ ex opposito sequerentur. Idem Cornexo *vt suprà* Bonac. *disp*.2. *de cens.q*.2. *punct*.5. *à num*.3.

23 Non possunt Prælati Religionum, etiam si sint Generales, eximere aliquẽ Religiosum ab obediẽtia sui prælati immediati, puta Prouinciali, vel Priori, &c. Ratio est, quia hoc videtur à simili reseruatum Sedi Apostolicæ in *c.Frater noster* 16. *q*.1. & vlterius, est contra bonum regimen, & obseruantiam Religionum. Syluester *v.Casus q*.1. *cas*.5. Mirand. *in Man. tom*.2. *q*.7. *art*.6. Oppositum tamen videtur tenere Suarez 4. *tom. de Relig. tract*.8. *lib*.2. *c*.2. *n*.22. Vide dicta *c*.4. *n*.33.

24 Nec possunt Prælati Regulares, etiam Generales, de nouo aliquam prouinciam fundare, & erigere, seu iam erectam, atque fundatam diuidere, sine licentia Sedis Apostolicæ. Ita colligitur ex *cap. Felix* 16. *q*.1. *& c. Præcipimus ibid. & c. de locorum de consecr. dist*.1. Syluester *v. casus q*.1. *cas*.8.9. *&* 10. Miranda *tom*.2. *Man.q*.7. *art*.11.

25 Prælati Religiosi habent ordinariam Iurisdictionem ad absoluendum sibi subditos à peccatis; Quia sunt Pastores Ordinarij illorum, & in eos translata est cura, quam Episcopi, vel parochi habent circa sæculares. Suar. *to*.4. *de Relig. tr*.8. *lib*.2. *c*.15. Possunt etiam hanc Iurisdictionem delegare. Quia quicumque habet potestatem Ordinariam potest illam delegare. Suar. *vt suprà num*.4. Imò regulariter loquendo debent hanc authoritatem delegare, iuxta dicenda inferiùs ex Decreto Clement. VIII. Suarez *vt suprà*.

26 Vnde non possunt Religiosi alteri confiteri nisi suis Prælatis, aut designatis ab ipsis; propter rationem allatam. Suarez *tom*.4. *de Relig. tract*.8. *lib*.2. *cap*.16. *num*.1. Et quamuis non esset de Iure communi, habent illud à Summo Pontifice, propter multa priuilegia. Compend. *priuileg. Mendic. v. absolutio Ord. quoad Frat. & v. Confessores, & v. confessio*. Vnde etiamsi Religiosi sint approbati ab Episcopis, non possunt audire confessiones Religiosorum, nisi à Prælatis ipsorum habuerint licentiam. Propter adductam rationem. Nauarrus *in Manual. cap*.4. *num*.1. Extenditur etiam hoc ad habentes Iurisdictionem à Papa, Non enim credendum est Pontificem concedentem alicui facultatem quantumuis generalem audiendi omnium confessiones, velle quòd audiat confessiones Religiosorum, inuitis eorum Superioribus; quia hoc esset in detrimentum disciplinæ Regularis. Suarez 4. *tom. de Relig. tract*.8. *lib*.2. *cap*.16. *num. vltimo*. Excipiunt tamen aliqui Pœnitentiarios Papæ, quia Papa, qui est supremus Prælatus Religionum videtur hanc facultatem concessisse suis Pœnitentiariis. Peyrinis *tom*.1. *priuileg. Minim. in Constitut*.2. *Iulij* II. *n*.62. Et hoc videtur certum, cum prædicti pœnitentiarij sint quasi ministri, & Vicarij, Papæ, repræsententque ipsum in foro pœnitentiali.

Ad audiendas tamen Religiosorum confessiones non requiritur approbatio Episcoporum, quia hoc erat de Iure communi antiquo, & non est derogatum à Concil. Tridentin. *sess*.23. *cap*.15. cum ibi solùm sit sermo de confessoribus sæcularium, Nauarrus *in Manual. cap*.4. Hoc etiam extendunt aliqui ad equites militares D. Ioannis D. Iacobi Calatrauæ, Alcantaræ, &c. quia sunt verè Religiosi, ac per consequens non comprehendi videantur Decreto Concil. Trid. Diana *Tract*.2. *de Dub. Regul. Resol*.30. Attendendum tamen est tum ad consuetudinem quæ vt ipse Diana docet est in contrarium, tum ad vsum quem isti equites habeant quo ad hoc ante Concilium Tridentinum. Religiosi quoque itinerantes possunt confiteri cuilibet Confessario siue Regulari, siue sæculari, quia per licentiam itinerandi conceditur illis implicitè talis facultas. Miranda *in Man. tom*.2. *q*.33. *art*.6. pro quo etiam videatur Cassarubius *absol. ordinaria quoad Frat*. §.23. *&* 35. referens aliqua priuilegia circa hoc. Licet priuilegium Leon. X. quod ibi refert *num*.23. nihil iam valet, cum fuerit viuæ vocis oraculum. Quod etiam est verum, etsi Confessarius, qui eligitur non sit ab aliquo Ordinario approbatus, sed simplex Sacerdos, quia vt diximus, Religiosi non sunt astricti confiteri approbatis ab Episcopis, cum ante Concilium astricti non essent, & per Concilium nihil sit immutatum. Cordub. *super Reg. S. Franc. cap*.7. *quæst*.3. *punct*.1. Suarez *de pœnitent. disp*.28. *sect*.4. Sà *in Summ. v. Confessor. num*.6. Religiosi verò hospites in aliquo Conuentu sui Ordinis, Prælato illius Conuentus, vel alteri, qui ab ipso habeat licentiam debent confiteri, cum ille Prælatus sit veluti Ordinarius illius loci, Suar. 4. *to. de Relig. tract*.8. *lib*.2. *c*.17. *n*.2. *&* 3. Quod si Religiosus hospes habet facultatem à proprio Prælato confitendi cui voluerit, poterit id facere etiam in alieno Conuentu. Possunt præterea prælati Regulares dare suis subditis licentiam confitendi extraneo Religioso. Quia quicumque habet potestatem ordinariam potest illam delegare alteri, intellige si idoneus sit. Diana *tom*.3. *tract. de dub. Regul. resol*.2.

Possunt prælati Religionum iure ordinario absoluere suos subditos Sacramentaliter, non solùm à peccatis, & censuris non reseruatis, sed etiam à sibi reseruatis, vel per se ipsos, vel per alios, quos ipsi delegauerint. Ratio est, non solùm, quia, vt dictum est, habent Iurisdictionem quasi Episcopalem supra suos subditos, sed etiam, quia hæc est vis reseruationis, vt qui reseruat casum, ab illo possit absoluere. Suarez *tomo quarto, de Relig. tractat*.8. *lib*.2. *cap*.19. 28

Non tamen propterea tenentur Religiosi confiteri sua peccata, etiam reseruata, suis prælatis. Ratio est, quia ipsi prælati tenentur in singulis domibus deputare *duos, tres, aut plures Confessarios pro subditorum numero, maiori, vel minori, iique sint docti, prudentes, ac charitate præditi, qui à non reseruatis eos absoluant, & quibus etiam reseruatorum absolutio committatur, quando casus occurrerit, in quo eam debere committi ipse in primis Confessarius iudicauerit*. Ita Clemens Octauus in Decr. *de cas. reseru*. Qui etiam adiungit, & declarat, vt si huiusmodi Regularium Confessariis casus alicuius reseruati facultatem petentibus, Superior dare noluerit, possint nihilominus Confessarij illa vice pœnitentes Regulares, 29

etiam

etiam non obtenta à Superiore facultate, absoluere. Si verò contingat non vna vice, sed pluribus Religiosum cadere in casum reseruatum, & Confessario petenti facultatem absoluendi ab illo, Superior neget, Religiosus autem cogatur celebrare, vel communicare, dicendum est, quòd si tunc solum timet Religiosus confiteri suum peccatum Prælato propter ruborem, verecundiam, vel aliquod incommodum simile, tunc tenetur ipsi confiteri antequam celebret, vel communicet. Quia huiusmodi difficultates non sunt sufficientes ad deobligandum Religiosum à præcepto diuino confessionis, cum sint parui momenti. Quando verò timet subditus Prælato suo confiteri, quia timet aliquod damnum multum graue, v. g. fractionem sigilli, infamiam apud alios, vel aliud huiusmodi, tunc potest habito actu contritionis communicare, vel celebrare non confitendo tale peccatum suo Superiori. Quia grauia ista incommoda excusant illum ab obligatione confitendi. Si tamen habuerit alia peccata non reseruata, ea alteri Confessori idoneo tenetur confiteri, à quo absoluitur directè à peccatis non reseruatis, & indirectè ab eo, quod propter iustam causam non tenetur Superiori confiteri, quamuis illi sit reseruatum. Cum onere tamen illud confitendi posteà cuicumque habuerit auctoritatem illud directè absoluendi. Quod etiam credo facere posse etiamsi non habeat alia peccata non reseruata, nisi solùm alias confessa, ea scilicet de nouo confitendo. Tolet. *lib.* 3. *Summ. c.* 13. *num.* 8. Suarez 4. *tom. de Relig. tract.* 8. *lib.* 2. *c.* 13. Vide dicenda *c. sequenti num.* 37.

30 Possunt etiam prædicti Prælati Regulares absoluere à censuris reseruatis Papæ, quæ in Iure sunt commissæ Episcopis, qualis est absolutio ab excommunicatione Canonis *Si quis suadente, &c.* Eò quòd habeant Iurisdictionem Episcopalem. A censuris autem, quæ Episcopis sunt commissæ ex speciali commissione, præsertim, vt Legatis Summi Pontificis, qualis est illa, quæ habetur in Concil. Trident. *sess.* 24. *cap.* 6. non possunt iure communi absoluere. Quia, licet prædicti Prælati habeant Iurisdictionem Episcopalem, hæc tamen non committuntur Episcopis, vt talibus, sed vt Legatis Sedis Apostolicæ, vel ex speciali commissione. Suarez 4. *tom de Relig. tract.* 8 *lib.* 2. *cap.* 20. *num.* 9. Similiter à censuris latis ab Episcopis (in casibus, in quibus eas in Religiosos exemptos ferre possunt, iuxta dicta *suprà c.* 11 *n.* 14.) non possunt absoluere Prælati Regulares iure communi suos subditos. Ratio est, quia in illis actibus sunt Episcopi Superiores Prælatis Religionum, quia vel pro illis sunt Sedis Apostolicæ delegati, vel saltem pro illis ablata est exemptio à Religiosis. Non ergo possunt ab illis censuris absoluere Prælati Religionum. Suarez 4. *tomo de Relig. tract.* 8. *lib.* 2. *cap.* 20 *num.* 4. An autem ex priuilegio possint ab illis absoluere, lege Suarez *ibid. num.* 5.

31 A casibus autem, peccatis, aut criminibus Summo Pontifici reseruatis, non possunt ex vi iuris communis absoluere suos subditos Prælati Regulares. Cum nullus inferior possit contra voluntatem Summi Pontificis suam Iurisdictionem exercere. Id tamen facere possunt primò Prælati Ordinis Prædicatorum, & qui cum ipsis communicant in priuilegiis, ex priuilegio Pij V. eisdem concesso. Cum enim Trident. Concil. concesserit Episcopis, vt absoluere possint in foro animæ, seu conscientiæ ab omnibus peccatis, & casibus occultis, & dispensare in irregularitatibus prout *sess.* 24. *cap.* 6. habetur, ne Prælati dicti Ordinis in hac parte deterioris conditionis, quàm Clerici, aut seculares existant, ideo Pontifex iste concessit *Priori Conuentuali, & Superioribus Prælatis, vt ipsi per seipsos, idem omninò possint in Fratres, & Moniales dicti Ordinis sibi subditos, quod possunt Episcopi in Clericos, & laicos sibi subditos, tam quoad absoluendi & dispensandi huiusmodi, quàm alias quascumque facultates.* Passarellus *in lib. Priuileg. folio* 127. Sorbus *in Comp. fol.* 45. Quare licet à prædictis casibus non possint Prælati suos subditos absoluere ex vi Decreti Concil. Trident. iuxta dicta *cap.* 10. *num.* 35. ex vi tamen huius priuilegij, & cum conditione ibi assignata, scilicet, quod id faciant *ipsi per se ipsos*, & in casibus occultis, id efficere possunt. Suarez 4. *tom. de Relig. tract.* 8. *lib.* 2. *cap.* 12. *num.* 8. & 9.

Secundò id facere poterant olim ex priuilegio Eugenij IV. concesso Fratribus Minoribus de Obseruantia Castellæ (quod postea Pius Secundus extendit ad totam familiam) quod refert Casarub. *in Compend. Priuil. Mendic. verb. Absolutio extraordinaria quoad Fratres num.* 3. Sed quia hæc concessio fuit viuæ vocis oraculum, vt patet ex eodem Casarubio ibidem, & extensio, quæ dicitur esse facta à Pio Secundo non constat, an fuerit per Bullam, aut viuæ vocis oraculum; ideo his temporibus, in quibus à SS. D. N. Vrbano omnia viuæ vocis oracula abrogata sunt, non licet vti tali concessione. Possunt tamen prædicti Prælati à prædictis casibus suos subditos absoluere, propter alias concessiones, quas modò afferimus. 32

Nempè pro Religione Carmelitarum ex priuilegio Sixti IV. in Bulla, quæ est Mare Magnum Religionis, & incipit, *Dum attenta*, vbi Pontifex refert priuilegium Eugenij Quarti, quo concessit Generali, vel ab eo deputatis, vt haberent circa omnes sui Ordinis Fratres, in Confessionibus eorum audiendis, & pœnitentiis iniungendis, aliisque dumtaxat salutem animarum concernentibus, exequendis, eamdem potestatem, & facultatem, qualem in præmissis Minores Pœnitentiarij Papæ in Romana curia præsentes ex officio exercebant, & habebant. Et cum in huiusmodi concessione eis ab eodem Eugenio concederetur, suos dicti Ordinis Fratres ab omnibus absoluere excessibus, censuris, & pœnis, nisi talia forent, propter quæ meritò essent ad Sedem Apostolicam destinandi, & propterea quæ sint illa, propter quæ Fratres ipsi essent ad Sedem Apostolicam destinandi, sæpè reuocaretur in dubium; vt absoluentium, & absoluendorum; dispensantium, & dispensandorum pro tempore, puritati conscientiæ consuleret, declarauit prædictus Sixtus IV. *hæreticos relapsos, schismaticos, & qui litteras Apostolicas falsificassent, aut ad infideles prohibita detulissent, dumtaxat esse ad Sedem Apostolicam meritò destinandos; reliquis verò omnibus, etiam simoniæ prauitate qualitercumque irretitis, posse per illos, quibus inibi conceditur, absolutionis beneficium, & dispensationis gratiam, iuxta casuum exigentiam impartiri.* Insuper, quod in prædicta Eugenij prædecessoris Constitutione de Fratribus fit mentio ad omnes vtriusque sexus dicti Ordinis professores extendit. Et præterea facultatem concessit Generali dicti Ordinis, pro tempore existenti, dispensandi cum dicti Ordinis professoribus, defectum natalium ex adulterio, sacrilegio, incæstu, & quouis alio nefario, & illicito coitu prouenientem, patientibus, necnon cum his, qui ex quauis causa, præterquam homicidij 33

homicidij voluntarij, bigamiæ, & mutilationis membrorum irregulares forent, postquam Ordinem ipsum professi fuerint, vt defectu, & irregularitate huiusmodi non obstante, irregulares ipsi ad quoscumque etiam sacros Ordines promoueri, & in illis, etiam in altaris ministerio, ministrare, & quòd tam ipsi irregulares, quam defectum natalium patientes prædicti ad quascumque administrationes, & officia dicti Ordinis eligi, recipi, & assumi, illaque gerere, & exercere liberè, & licitè valeant. Vide Bullam in libro, cui titulus est, Speculum Ordinis Carmelitarum *fol.*84. Et aduerte priuilegia hæc non concedi omnibus Superioribus Religionis, vt patet ex contextu, sed tantùm ibi expressis.

34 Tertiò ex priuilegio eiusdem Sixti IV. in Bulla, quæ est Mare Magnum Prædicatorum, vbi Priuilegia Gregor. XI. confirmat, quibus idem Gregorius facultatem concesserat Magistro, Prioribus Prouincialibus, & Conuentualibus, & eorum Vicariis absoluendi Fratres eiusdem Ordinis; necnon Fratribus dicti Ordinis, quos ipsi Magister, Priores Prouinciales, & Conuentuales habuerint pro tempore in Confessores, absoluendi ipsos Magistrum, Priores Prouinciales, ac Conuentuales ab excessibus, & censuris, nisi talia forent; propter quæ essent ad Sedem Apostolicam meritò destinandi, ac cum eis desuper dispensandi. Et cum similiter propterea, qui essent destinandi, persæpè reuocaretur in dubium, declarauit, *Hæreticos relapsos schismaticos, & qui litteras Apostolicas falsificassent, aut ad infideles prohibita detulissent, dumtaxat esse ad Sedem prædictam meritò destinandos. Reliquis verò omnibus; etiam simoniæ qualitercunque irretitis, posse per illos, quibus inibi conceditur, absolutionis beneficium, & dispensationis gratiam, iuxta casuum indulgentiam, impartiri.* Præterea etiam facultatem concessit Magistro, & Prioribus Prouincialibus, & Conuentualibus, ac eorum Vicariis defectum natalium, ex adulterio, sacrilegio, incæstu, & quouis alio nefario, & illicito coitu prouenientem, patientibus, necnon cum his, qui ex quauis causa, præterquam homicidij voluntarij, bigamiæ, & mutilationis membrorum, irregulares forent, & dispensandi cum dicti Ordinis Prædicatorum professoribus, postquam ipsum Ordinem professi fuerint, vt defectu, & irregularitate huiusmodi non obstantibus; irregulares ipsi ad quoscumque etiam Sacros Ordines promoueri, & in illis, & in altaris ministerio ministrare: & tam ipsi irregulares, quam defectum natalium patientes prædicti, ad quascumque administrationes, & officia eligi, recipi, & assumi, illaque gerere, & exercere, liberè, & licitè valerent. Ioan. Baptist. Confert. *in priuil. Mendic.* referens Bullam Sixti IV. *fol.*41. *in impressione Coloniensi.*

35 Quartò ex priuilegio Gregorij XIV. concesso Religioni ministrantium infirmis, vbi inter alia concedit Generali pro tempore existenti, vt per se, vel per alium, seu per alios ad id per eum pro tempore deputatum, seu deputatos, omnes, & singulos eiusdem Congregationis Socios, & personas sub eius obedientia, disciplina, & correctione pro tempore degentes; *ab omnibus, & singulis eorum peccatis ante, vel post ingressum in dictam Congregationem per eos commissis, nec non à quibuscumque excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis, & secularibus sententiis, censuris, & pœnis, à iure, vel ab homine (non tamen nominatim) quomodolibet latis* in foro conscientiæ absoluere possit. Et præterea ipsi concessit, quatenus huiusmodi sententiis innodatos, aut in locis Ecclesiastico interdicto suppositis diuina Officia celebrantes, & suscipientes, & censuris huiusmodi sic ligatos, & propterea, aut aliàs ex quocumque, vel causa (præterquam homicidij voluntarij, bigamiæ, aut membrorum mutilationis) irregularitatem incurrentes; in foro conscientiæ tantùm absoluere, nec non cum eis, si opus fuerit, etiam cum rehabilitatione, & abstersione inhabilitatis, ac infamiæ macula dispensare possit. Vide Bullam in 2. *tom. Bullar. Laertij Cherub. fol.*706.

Possunt præterea plures Prælati Religionum absoluere suos subditos ab excommunicationibus, & censuris Papæ reseruatis. Primò enim id possunt facere Generalis, & ab ipso deputati ex priuilegio Eugenij IV. & Sixti IV. Carmelitanis concesso, vt patet illis verbis *suprà num.*33. adductis. Vt habeant circa omnes sui Ordinis fratres in confessionibus eorum audiendis, & pœnitentiis iniungendis, aliisque, dumtaxat salutem animarum concernentibus, exequendis, eamdem potestatem, & facultatem qualem in præmissis Minores Pœnitentiarij Papæ in Romana Curia præsentes exercebant, & habebant. In qua etiam concessione eis conceditur, suos dicti Ordinis Fratres ab omnibus absoluere excessibus, censuris, & pœnis, nisi talia forent propter quæ meritò essent ad Sedem Apostolicam destinandi. Sub qua limitatione solùm vult Pontifex comprehendere hæreticos relapsos schismaticos, & qui dictas litteras Apostolicas falsificassent, aut ad infideles prohibita detulissent dumtaxat. Secundò ex priuilegio eiusdem Sixti IV. adducto *suprà num.*34. Vbi concedit Prælatis Ordinis Prædicatorum facultatem absoluendi *ab excessibus, & censuris, nisi talia forent, propter quæ essent ad Sedem Apostolicam meritò destinandi.* Explicans verò casus in quibus sunt destinandi dicit; *Declaramus, hæreticos relapsos, schismaticos, & qui litteras Apostolicas falsificassent, aut ad infideles prohibita detulissent, dumtaxat esse ad Sedem prædictam meritò destinandos. Reliquis verò omnibus, etiam Simoniæ qualitercumque irretitis, posse per illos, quibus inibi conceditur absolutionis beneficium, &c.* Confetius *vt suprà num.*34. Tertiò id possunt facere ex Iulio II. qui idem quod Sixt. IV. concessit Prædicatoribus in Bulla *num.*34. adducta, concessit ipse, & iisdem verbis Minimis S. Francisci de Paula. Habetur Bulla *tom.*1. *Bullarij Laertij Cherub. pag.*417. Exclusit autem conspirationem in Romanum Pontificem. Laurent. Peirinis *tom.*1. *priuil. Minim. in Constit.*4. *Sixti IV.* §.5. Tandem quartò, ex priuilegio Greg. XIV. concesso Religioni ministrantium infirmis, vt patet illis verbis *suprà num.*35. *Nec non à quicumque excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque censuris, & pœnis à iure, vel ab homine (non tamen nominatim) quomodolibet latis.* Vide Bullam 2. *tom. Bullar. Cherub. fol.*706. Et aduerte priuilegium hoc solùm concedi Generali, & ab ipso deputatis, non verò aliis superioribus. 36

Probabile etiam est posse aliquos Prælatos Religionum absoluere suos subditos à censuris, etiam specialibus, & ab homine latis per sententiam specialem. Primò propter priuilegium illud Eugen. IV. & Sixt. IV. Carmelitis concessum, de quo *num.*33. diximus. Cùm enim ibi concedatur facultas Generali, vel ab ipso deputatis, absoluendi subditos à quibuscumque censuris, illis solum exceptis casibus, quæ ibi numerantur, cum exceptio regulæ firmet 37

firmet illam in contrarium, dici posse videtur, Prælatos posse suos subditos absoluere, etiam à censuris specialibus, & ab homine latis. Secundò idem colligitur ex illo simili priuilegio Sixti IV. pro Ordine prædicatorum, adducto *num.*34. propter eandem rationem. Tertiò ex illo Greg XIV. pro ministrantibus infirmis concesso, ponderando illa verba *suprà num.*35. allata, *censuris, & pœnis à iure, vel ab homine (non tamen nominatim) quomodolibet latis.* Quartò ex indultis Pauli III. in Bulla *Licet debitum* inter Bullas huius Pontificis *num.*48. vbi concedit Generali Societatis Iesu, vt per se, vel alios ad id deputatos possit suos Socios absoluere. *A quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis, & secularibus sententiis, censuris, & pœnis à iure, vel ab homine quomodolibet latis, & promulgatis.* Expendo enim illud *quomodolibet latis, & promulgatis.* Rodriq. *tom.*1. *quæst. regular. quæst.*20. *art.*4. Suarez *tom. de Relig. tract.*8. *lib.*2. *cap.*25. Qui addit hoc etiam intelligi debere quando aliquis religiosus nominatim denunciatus esset. Idem *ibid. num.*5.

38 A censuris verò, seu casibus contentis in Bulla Cœnæ Domini, non possunt Prælati regulares absoluere suos subditos, neque ex vi iuris communis, propter dicta *suprà num.*31. neque ex vi facultatis concessæ Episcopis à Concil. Trident. *sessione* 24. *cap.*6. extensæ posteà à Pio V. ad Prælatos Ordinis prædicatorum, iuxta dicta *suprà etiam num.*31. Eò quòd talis facultas reuocatur omni anno per Bullam Cœnæ Domini. Sanchez *lib.*2. *Decalog. cap.*11. *num.*17. Suarez 4. *tom. de Relig. tract.*8. *lib.*2. *cap.*20. *num.*10. Neque etiam ex vi priuilegiorum Religionum, propter eandem rationem. Vnde quamuis aliqui teneant posse Prælatos religionum absoluere, Religiosos ab excõmunicatione incursa per peccatum hæresis, propter aliqua priuilegia Religionum, quæ id concedunt, & non censentur reuocata per Bullã Cœnæ Domini, eò quòd in clausula reuocatoria priuilegiorum dicitur, *Nisi in eis* (intellige priuilegiis) *etiam casus præsentibus litteris expressi comprehendantur*, provt adiungebatur in Bullis Cœnæ Sixti V. & Clem. VIII. (Suarez 4. *tom. de Relig. tr.*8. *lib.*2. *cap.*21. Rodriguez *tomo* 1. *quæst. Regular. q.*20. *art.*9. & 10.) Tamen quia huiusmodi clausula non apponitur in Bulla Cœnæ SS. D. N. Vrbani, sed generaliter dicitur; *A prædictis sententiis nullus per alium quam per Romanum Pontificem, nisi in mortis articulo constitutus, &c. absolui possit, etiam prætextu quarumuis facultatum, & indultorum quibuscunque Ecclesiasticis, secularibus, & quorumuis Ordinum, etiam Mendicantium, ac Militiarum Regularibus, &c. in genere, & in specie concessorum, & innouatorum, ac concedendorum, & innouandorum.* Ideò nullo modo ab hoc, aut ab vllo casu in Bulla Cœnæ Domini contentis absolui possunt regulares à suis superioribus. Ioannes de la Cruce *de voto obedientiæ dub.*14. Nec placet, quòd aliqui volunt in contrarium. Peirinis *tom.*1. *priuileg. Minim. in Constit.*4. *Sixti IV.* §.5. *à num.*10. & alij apud Dianam *tract. de absolut. ab hæresi Resolut.*6. vbi post multa tandem concludit sententiam nostram esse sequendam propter declarationem Congregationis Cardinal. 17. Nouembris anno 1628. Ex qua declaratione constat quid sentiendum sit de sententia Portelli *in Respons. Moral. tom.*2. *casu* 41. *num.*4. asserentis posse Prælatos regulares (intellige habentes priuilegia) absoluere suos subditos à casibus Bullæ Cœnæ, hæresi excepta. Pro qua citat Suarez & vtrumque Rodrig. Cautius ergo loquitur Bordonus *in Resolut. resolut.*3. *num.*3. dicens me relato cum Sigismundo, Naldo, Vecchio, Cruce, Zorbo, Tamburino, Zanardo, & Diana, nullatenus posse Prælatos Regulares absoluere suos subditos à casibus Bullæ Cœnæ.

Comprehendi autem videntur sub prædictis priuilegiis, præsertim illis, quæ adduximus ex Sixto IV. *num.*33. & 34. & ex Iulio Secundo pro Minimis *num.*36. absolutiones à censuris incursis à Religiosis proper simoniam, quam committere possunt (quod absit) in officiis Religionis. Ratio est, quia prædicta priuilegia generalia sunt, & non excludunt istum casum simoniæ; sed potiùs illum includunt. Rodriguez *tom.*1. *quæst.*20. *art.*13. An verò prædicta priuilegia (excepto illo Greg. XIV.) derogata sint à Pio V. in Bulla *Cum primùm* relata à nobis *cap.*15. *num.*33. vbi hic Pontifex confirmat excommunicationem Papæ reseruatam à Paulo Secundo contra simoniacos in officiis Religionum, aliorum iudicio remitto. Vnde cautè nimis procedendum est. Simoniacè autem ordinati non possunt absolui ex vi prædictorum priuilegiorum. Ratio est, nam Sixtus V. in Constitutione aduersus Clericos malè promotos, reuocat omnia priuilegia Religionibus concessa quantùm ad absolutionem à censuris propter hanc causam incursis, quòd confirmauit quantùm ad simoniace ordinantes, & ordinatos, Clemens VIII. vt diximus *cap.*14. *num.*5. Suarez 4. *tomo de Relig. lib.*2. *cap.*21. *num.*9. Peirinis *tom.*1. *priuileg. Minim. in Constit.*2. *Iulij II.* §.29. *num.*88. 39

Quod attinet ad dispensationem in irregularitatibus possunt Prælati regularium cum sibi subditis dispensare; primò in omnibus illis, in quibus possunt Episcopi cum sibi subiectis: & hoc est iure communi, quia scilicet habent Iurisdictionem quasi Episcopalem, iuxta dicta *suprà num.*2. Possunt etiam Prælati aliqui respectiuè dispensare in omnibus aliis irregularitatibus, etiam reseruatis Papæ, exceptis tribus, videlicet bigamia, homicidio voluntario, & mutilatione membrorum. Primò ex priuilegio illo Eugenij IV. & Sixti IV. Carmelit. Generali concesso in illis verbis adductis *suprà num.*33. *Nec non cum iis, qui ex quauis causa; præterquam homicidij voluntarij, bigamiæ, & mutilationis membrorum, irregulares forent, postquàm Ordinem ipsum professi fuerint, vt defectu, & irregularitate huiusmodi non obstante, irregulares ipsi ad quoscunque etiam sacros Ordines promoueri, & in illis etiam in altaris ministerio ministrare, & tam ipsi irregulares, quam defectum natalium patientes prædicti, ad quascumque administrationes, & officia dicti Ordinis eligi, recipi, & assumi. illaque gerere, & exercere liberè, & licitè valeant, motu, scientia, & auctoritate prædictis concedimus per præsentes.* Secundò ex priuilegio Sixti IV. pro Ordine Prædicatorum, ab illis verbis. *Nec non cum his*, adductis *n.*34. Tertiò ex priuilegio Pij V. *sup. n.*31. relato, ibi enim datur facultas Superioribus religionum, vt per se ipsos possint facere cum sui Ordinis subditis, quod possunt Episcopi cum Clericis, & Laicis, iuxta Conc. Trid. Decretum. Cum ergo in dicto Decreto sic habeatur *sess.*24. *c.*6. *Liceat Episcopis in irregularitatibus omnibus, & suspensionibus, ex delicto occulto prouenientibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentiosum, dispensare, & in quibuscumque casibus occultis, etiam Sedi Apostolicæ reseruatis.* Idem ergo facere poterunt Prælati Religionum circa suos subditos. Extat etiam quartò alia concessio eiusdem Pij V. facta Clericis Regularibus Theatinis, 40

Eò quod Prælatus dando talem licentiam, vel confirmando tale votum, non se priuat suo dominio,& potestate. Maior *in* 4. *distinct*.38. *quæst*.4. Syluester *verb.Votum quarto quæst*.2. Votum tamen transeundi ad strictiorem Religionem non potest irritari à Superiori, quia quoad hoc votum non pendet inferior à Superiore. Nauarr. *consil*.4. *aliàs* 30.*de Vot*. Nouitiorum autem vota licet directè non possint irritari à Prælato, eò quòd in illis deficit subiectio ex Voto Obedientiæ, in quo fundatur hæc directa irritatio,indirectè tamen irritari posse illa vota, quæ gubernationi,& conuenienti Ordinis regimini obuiant,probabile est. Quia quoad hoc Prælatus habet iurisdictionem supra Nouitium. Suarez *vt suprà num*.11. *&* 12. Hinc sequitur non peccare Religiosum petentem à suo Prælato voti irritationem. Quia vtitur iure suo. Idem Suarez *vt suprà num*.16. Nec Prælatum irritantem sine causa vota suorum inferiorum. Propter similem rationem. Caietan. *verb. Votum cap.vlt*. Sotus 7. *de iustit. q*.3. *art*.1. Nec tenetur Prælatus,qui votum irritat illud in aliud commutare. Quia eo ipso quòd irritatio voti,cadit sub ipsius potestate, non est cur ad aliud votum obliget subditum, nec est cur subditus acceptet illud. Suarez 2.*tom. de Relig.lib*.6. *de vot.c*.1. Imò irritatio voti potest fieri inuito vouente. Propter auctoritatem dominatiuam, quam habet Prælatus. Idem Suarez *ibid*.

48 Possunt etiam Prælati Regulares commutare vota suorum subditorum. Ratio est, quia hoc spectat ad potestatem Iurisdictionis,quam habent. Palud. *in* 4.*distinct*.38. *quæst*.4.*art*.3.*conclus*.5. Aragon.2.2. *quæst*.88 *art*.12.*& quæst*.89.*art*.9. Ad Commutationem voti in melius bonum, dummodò euidenter constet de excessu non requiritur auctoritas Superioris,sed ipsemet Religiosus potest id facere. Nam talis commutatio est consentanea fini voti, qui est promouere homines ad meliora bona. Caietan.2.2. *quæst*.88. *art*.12. Cordub. *in Summ. quæst*.149. Ad Commutationem autem voti in æquale requiritur auctoritas Prælati,& aliqualis causa. Quia promissio debet solui in propria specie quantum est ex vi fidelitatis. Nauarr. *consil*.18. *de vot*. Suarez *tom*.2 *de Relig.lib*.6. *de vot.cap*.19. Ad commutationem verò in minus,& Prælati auctoritas,& multò maior causa requiritur. Propter eamdem, & maiorem rationem. Quando autem commutatio voti facta est in melius non est in potestate vouentis ad prius votum iterum redire.Quia illa commutatio habet vim noui voti.Suarez *tom*.2.*de Relig.lib*.6.*de vot.cap*.20. Quando vero facta est in minus est in potestate vouentis redire ad primum votum. Quia semper licet transire ad meliora. Idem Suarez *vt suprà*. Si verò facta est in æquale, vtrumque est probabile. Idem Suarez *vt suprà*.

49 Possunt etiam prædicti Prælati dispensare cum sibi subditis in omnibus votis simplicibus ab ipsis factis,in quibus possunt dispensare Episcopi.Ratio est,quia habent Iurisdictionem quasi Episcopalem. Bonacina *vt infrà n*.29. In votis autem reseruatis Papæ,qualia sunt Religionis, Castitatis,& peregrinationis, non possunt dispensare. Quia nec in his possunt Episcopi. Bonacina *quæst*.2. *de voto punct*.7. §.4.*num*.11. Tum quia impertinens, vel inutilis esse talis dispensatio respectu Religiosorum: inutilis quidem loquendo de voto Religionis, & castitatis,cum illa sint indispensabilia; impertinens verò respectu voti peregrinationis, cum istud votum non possit fieri à religiosis, nisi in ordine ad licentiam Prælati, & ita si ipse annuit, tenet votum, si non annuit,non tenet:impertinens ergo est dispensatio. Suarez 4. *tom. de Relig. tract*.8. *lib*.2. *cap*.12. *num*.10. In rigore tamen loquendo dicendum est, non posse Prælatos talia vota dispensare, cum nec iure communi, nec ex aliquo priuilegio id habeant. Miranda *in Manual. tomo secundo quæst*.9. *artic*.8.

In votis tamen transeundi ad arctiorem Religionem benè possunt Prælati Regulares dispensare. Ratio est, quia talia vota non sunt simpliciter vota religionis, sed arctioris religionis. Caiet.2.2. *quæstione* 88.*articulo* 8.Diana *Tract*.2.*de Dub.Regul. Resolut*.91. Semper tamen requiritur causa rationabilis ad talem dispensationem. Syluester *verb.votum* §.3. Rationabilis autem causa poterit esse, si quis verè, & prudenter existimet se meliùs posse seruire Deo in illa Religione, quàm in alia, quam vouerat. Sotus 7.*de iustit. & iur.quæst*.4.*art*.3. 50

Generaliter etiam loquendo ad hoc, quòd dispensatio voti facta à Superiore valida sit,requiritur primò, quòd non fiat inuito vouente. Quia in hoc differt dispensatio ab irritatione, præsertim, quia dispensatio est quoddam beneficium, quod non fit inuito, iuxta *regulas Iuris* 61.*&* 69. *in* 6. Suarez 2. *tom.de Relig.lib*.6.*de vot.cap*.1. Requiritur secundò, quòd non fiat sine causa legitima. Quia dispensare in votis,est aliquo modo dispensare in iure diuino, & naturali, in quo non licet sine causa,cum nullus inferior possit sine illa in lege sui Superioris dispensare. Sotus 1.*de iust.q.vltim.artic*.2. Cum autem subest causa dispensandi, & oportet dispensari, videtur peccare Prælatum, qui non dispensat. Ita Sà *in Summ. verb. dispensatio n*.2. Vide Bonac. *de voto q*.2.*punct*.7. §.4.*num*.33. 51

Vota Prælatorum dispensari possunt à Superioribus Prælatis, ita vt vota Prioris, vel Guardiani à Prouinciali; vota verò Prouincialis à Generali dispensari possint. Quia isti sunt veri ipsorum Superiores. Prælatus autem Superior Religionis, verbi gratia Generalis, cum in Religione non habeat aliquem superiorem, oportet, quòd à Papa dispensetur.Addunt aliqui posse dispensari à tota religione, quæ illi est superior. Suarez 2. *tom.de Relig.lib*.6.*de vot. cap*.11. Probabiliter etiam aliqui asserunt supremum Prælatum Religionis, qui nulli in ipsa subiectus est, posse commissionem alicui Confessario dare, vt secum dispenset. Tum quia hoc est conforme intentioni Pontificum concedentium Religionibus priuilegia,& exemptiones; tum quia cum Prælatus Superior sit ex numero Religiosorum exemptorum debet comprehendi in illis, quæ iure communi aliis conceduntur, aliàs esset peioris conditionis cæteris. Suarez 4. *tom.de Relig. tract*.8. *lib*.2. *cap*.14. 52

Possunt etiam Prælati Regulares irritare,dispensare, & commutare iuramenta promissoria facta in honorem Dei à suis inferioribus. Quia illa sunt quasi quædam vota; vnde de illis iudicandum est sicut de votis quoad hoc, Sanchez *lib*.3. *in Decalog. cap*.19.*&* 20. Bonacina *disput*.4. *circ*.2. *præcept. quæst*.1.*part*.17. Idem dico de votis iuratis. Quia illa etiam moraliter reputantur pro votis. Suarez 2.*tom. de Relig. lib*.6. *de vot. cap*.14. Loquendo etiam de iuramentis, seu etiam votis iuratis factis à Religiosis in vtilitatem tertij; in iis rebus in quibus Religiosi sunt subiecti Prælatis; credo etiam posse in illa cadere irritationem, dispensationem, & commutationem. Quia cum tales res fuerint sub dominio Prælatorum, non potuerunt illa promittere inferiores, ac perinde iuramenta illa promissoria 53

poterunt tolli à Superioribus, Bonacina *vt suprà num.*4. Loquendo autem de illis iuramentis, aut votis iuratis factis à Religiosis de illis rebus, de quibus possunt disponere, aut sunt sui iuris, non cadit in illa irritatio, dispensatio, aut commutatio Superiorum si fuerint in commodum alicuius tertij,& ab illo acceptata. Ratio est, quia Superior non potest tollere ius alterius; ille autem in cuius fauorem factæ sunt hæ promissiones, acquisiuit ius per acceptationem, Suarez *tom.*2. *de Relig. lib.*6. *de vot. cap.*15. Bonacina *vt suprà num.*8. De votis autem, seu iuramentis factis Sanctis probabile est posse à Prælatis irritari, commutari, & dispensari. Tum quia talia vota indirectè sunt facta Deo. Tum quia cùm illa non sint pro humana vtilitate Sanctorum, sed potiùs ad Religiosum cultum, videntur includi in aliis factis Deo. Idem Suarez *vt suprà.*

54 Licet non possint Prælati Religionum dispensare cum suis subditis in substantialibus Votis status Religiosi, vt colligitur ex *cap. Cum ad Monasterium de statu Monach.*& ex Concil. Trident. *sess.*25. *de Regular. cap* 1. neque in aliquibus Votis specialibus, quæ fiunt in quibusdam Religionibus, quale est Votum Minimorum de non comedendis carnibus; quia etiam ista Vota sunt essentialia talibus religionibus. Suarez 4. *tom. de Relig. tract.*8. *lib.*2. *cap.*12. *à num.*28. Tamen in obseruantiis aliis Religionum, siue sint ex Regula, siue ex Constitutionibus, siue obligent ad culpam, siue non; possunt dispensare cum suis subditis; iuxta dicta *capite* 8. *num.*23. & pro casibus ibi adductis, & *c.*7. *num.*29. Tum quia hæc dispensatio frequenter est necessaria pro bono regimine Religionum; tum quia Obseruantiæ istæ non sunt tam essentiales sicut Vota generalia, aut particularia Religionum. Rodriquez *tom.*1. *quæst. Regular. quæst.*26. *art.*1. & Suarez *tom.*4. *de Relig. tract.*8. *lib.*2. *cap.*12. *à num.*25. *&* 41. Hæc potestas iure communi conuenit omnibus Prælatis, siue infimis, siue supremis; cum omnes illi habeant Iurisdictionem quasi Episcopalem. Si verò sit reseruata Superiori Prælato, non poterit inferior illa vti, cum sit illi à Superiore ablata. Suarez 4. *tom. de Relig. tract.*8. *lib.*2. *cap.*13. Probabile autem est Prælatum Superiorem, aut supremum in Religione posse alicui confessario dare facultatem, vt secum in prædictis dispenset; propter dicta *suprà num.*52. Suarez *vt suprà cap.*14. vel ipsum Prælatum supremum secum dispensare. Corduba *in addit. ad Sorb. verb. Accedere ad Monasterium Monial.* Pro ista autem facultate Prælatorum regularium ad dispensandum secum in obseruantiis regulæ, & constitutionum, nota, iure optimo concedi ipsis: tum quia id colligitur ex *c. fin. de pœnit. & remis.* tum ne sint peioris conditionis, quem subditi. Miranda *in Manual. Prælat. tom.*2. *quæst.*31. *art.*9. Tamburin. *de iure Abb. tom.*3. *disp.*4. *quæst.*12. excipit tamen *ibi num.*7. eos Prælatos, quibus à Regula, vel Constitutionibus prohibitum est dispensare nisi cum talibus personis, si ipsi non sint tales. Multò magis excipi debent illi Prælati qui ab eadem Regula, vel Constitutionibus priuati sunt hac facultate iuxta dicta *cap.*8. *num.*23.

55 Circa dispensationem in præceptis Ecclesiasticis, stando in iure communi, & secluso etiam omni priuilegio, possunt Prælati, cum suis subditis ea omnia facere, quæ possunt Episcopi cùm suis. Vnde quemadmodum Episcopi possunt cum sibi subditis dispensare in omnibus casibus sibi alias non prohibitis expresse, vel ex consuetudine, iuxta *Clem. ne Romani, de electione cum gloss. ibi, & vnico de ætate & qualit. præficiendorum in* 6. Ita etiam, rationabili causa subsistente, possunt facere idem Prælati Regulares cum sibi inferioribus. Propter rationem sæpiùs assignatam, quòd habeant auctoritatem quasi Episcopalem. Suarez 4. *tomo de Relig. tract.*8. *lib.*2. *cap.*12. *à num.*18. Ioannes de Cruce *lib.*1. *de Voto Obedient. cap.*6. *dub.*21. Vnde priuilegia aliqua concedentia huiusmodi facultatem Prælatis regularibus tantùm valent ad maiorem declarationem, & securitatem, vel si aliquid de nouo concedunt, id est, vt faciliori modo detur dispensatio. Auctores citati. De priuilegiis autem istis vide Rodriq. *tom.*1. *quæst.*42. *art.*7. *& quæst.*21. *art.*10. & ea, quæ diximus *cap.*12. *à n.*28. Circa hæc verò priuilegia cauendum est, an sint reuocata, quia viuæ vocis oracula sint.

Possunt Prælati Regulares limitare, restringere, imò etiam tollere suis subditis vsum quorumcumque priuilegiorum, etiam à Sede Apostol. emanantium, ita vt nequeant talibus priuilegiis vti. Tum ex concessione Leonis X. facta Minoribus, & Augustinianis, & Clement. IV. Cisterciensibus, & Gregorij XIII. Societati Iesu. Tum etiam ex ratione, quia nullo modo credendum est velle Summos Pontifices Regularis Obseruantiæ maximopere zelatores, vt Fratres priuilegiis eorumdem Ordinibus concessis vti possint contra voluntatem suorum Superiorum. Comp. priuileg. Mendicant. *verb. priuileg. Fratr.* §.26. Miranda *in Manual. tom.*2. *quæst.*43. *art.*4. Portellus *in dubiis Regul. verb. priuilegium num.*78. Imò priuilegiorum interpretatio, & declaratio doctrinalis potest, & debet fieri à Prælatis Religionum, qua facta, eorum subditi, tuta conscientia, ipsorum sententiæ stare debent. Ratio est, quia hoc pertinet ad eorum officium, quòd est esse pastores, & Doctores suorum inferiorum. Præsertim ad hoc deseruit concessio Leonis X. facta Minoribus, qua illis indulsit. Quòd in rebus dubiis, & scrupulosis conscientias Fratrum Minorum subditorum tangentibus, Generales, & Prouinciales, seu Custodes, cum consilio aliquorum Patrum (si res magnæ importantiæ fuerint) possint auctoritate suæ sanctitatis determinare in scrupulis, & rebus huiusmodi, atque eorum determinationi subditi, secura conscientia, possint, & debeant stare. Similiter amplians prædictam Constitutionem indulsit, quòd Fratres scrupulosi, possint in omnibus dubiis suam conscientiam tangentibus, secura conscientia, stare determinationi sui Guardiani, vel cuiuscumque alterius Prælati. Casarubius *in Compend. priuileg. verb. Declaratio.* §.4 *&* 5. Miranda *in Manual. tom.*2 *quæst.*44. *artic.*1. Quæ concessiones, quamuis viuæ vocis oracula sint; valent tamen, etsi non vt gratiam aliquam concernentes, vt explicatiuæ tamen iuris, quod habent Prælati, vt veri Pastores, & Doctores sunt suorum subditorum, iuxta dicta. 56

Prælati aliqui Regulares possunt benedicere omnia Ecclesiastica ornamenta, seu paramenta, in quibus Chrisma non interuenit, pro suorum Fratrum vsu tantummodò. Ex priuilegio Leonis X. Casarubius *in Compend. verb. Benedicere Ecclesiastica.* §.14. Miranda *in Manual. tomo* 2. *quæst.*40. *artic.*1. Suarez 4. *tomo de Relig. tract.*8. *lib.*2. *cap.*30. *præsertim à num.*10. Aliqui etiam extendunt hoc ad simplices Sacerdotes. Propter priuilegium Sixti Quarti, quo concessit Fratribus Minoribus Sacerdotibus, vt possint benedicere paramenta Altaris, Missalia, ac indumenta, exceptis Corporalibus. 57

Ildefonsus à vera Cruce *in Compend. priuileg.* Credo tamen, quòd consuetudine sit receptum, quòd solùm ad Prælatos hoc spectet. Miranda *vt supra.* Præterquam quòd, cum prædicta concessio Sixti Quarti sit viuæ vocis oraculum, his temporibus nihil valet. Vide etiam Gauant. *in Thesaur. tom.1. part.4.tit.19. num.22.* Prælati autem, qui hoc possunt facere, non solùm sunt supremi, videlicet Generales, & Prouinciales, sed etiam sunt Priores, Guardiani, aliique Prælati locales, ex dicto priuilegio Leonis X. Rodriguez 1. *tomo quæstione 19.art.2.* Omitto etiam alia priuilegia, quæ vulgò afferuntur, quia eorum quædam sunt viuæ vocis oracula, quæ his temporibus nihil valent, vt sæpiùs dixi. Alia verò non solùm concedunt Regularium Prælatis facultatem benedicendi paramenta Ecclesiastica pro suis Fratribus, sed etiam pro aliis. Quæ etiam nihil prosunt, non solùm propter eamdem rationem, sed etiam quia consuetudine non sunt recepta. Miranda *in Manual. 2. tomo quæst.40. artic.3.* Præsertim quantùm ad hoc de benedictione paramentorum pro extraneis, quòd nihil valeat, nec illam dare possint, etiam Abbates, omni consuetudine in contrarium abrogata, probat Gauantus *in Commentar. in Rubric. Missal. tom.1. part.4. tit.19. num.22. & in Manual. Episcopor. verb. Abbas, à num.29.*

58 Consecrare tamen Calices, Aras, aut patenas pro Missis celebrandis nullatenus possunt Prælati Regulares. Ratio est, quia nec iure communi, nec speciali priuilegio id habent. Suarez 4. *tomo de Relig. tract.8. lib. secundo capit. vltimo à num.2.* Vnde priuilegium quoddam Innocentij Octaui, quod refertur concessum quibusdam Abbatibus Conuentualibus Cisterciensibus, quòd scilicet possint benedicere Calices, seu Patenas pro Missis celebrandis (præterquam, quòd non mihi constat, an sit viuæ vocis oraculum, & per consequens annullatum) vel non est in vsu receptum, vel esto quòd apud Cistercienses sit in vsu, apud alias tamen Religiones non est receptum. Miranda *in Man.tom.2.quæst.40. art.4.* Qui benè etiam *art.5. & 6.* tractat, qualiter Religiosi se gerere debeant cum Episcopis circa benedictionem istorum.

59 Circa benedictionem Ecclesiarũ, & Oratoriorum, reconciliationemque ipsorum extant concessiones Iulij II. pro Minimis, & Leonis X. pro Minoribus, ex quibus constare poterit, ad quæ se extendat auctoritas Prælatorum Regularium quoad hæc. Lege Casarubium *in Compend. priuileg. Mend. verb. benedicere Ecclesiastica num.12. 13. & 14.* Peirinis *tomo 1. priuileg. Minim. in Constitut. 1. Iulij II. §.21. 22. & in Constit.18. Leonis X.* Circa consecrationem autem altarium, vel Ecclesiarum, Oleum Sanctum, & alia Episcopalia, vide priuilegium Sixti Quarti Carmelitis concessum. Casarubium *vt supra num.5. & 6.* & Speculum Ordin. *in Bulla Sixti IV.*

60 Quamuis Prælati Religionum non possint dispensare cum illegitimis ad Officia, & prælatias Ordinis obtinenda; propter priuilegia concessa Religionibus ante Constitutiones Sixti Quinti, quarum prima incipit, *Cum de omnibus,* altera verò, *Ad Romanum Pontificem.* Quia hæc omnia priuilegia ab ipso Sixto V. in prædictis Constitutionibus abrogata fuerunt. Possunt tamen cum prædictis illegitimis ad prælatias obtinendas dispensare, primò ex prædictis priuilegiis (quorum aliqua referunt Rodriguez *tom.1. quæst. Regul. quæst.13. articulo 6.* Peirinis *tom.1. priuileg. Minim. in Const.2. Iulij II. §.29. num.93.*) secundùm moderationem factam à Gregor. XIV. in alia Constitutione, quæ incipit, *Circumspecta Romani Pontificis prouidentia,* vbi moderans prædictas Constitutiones Sixti V. statuit. Licere Generali, aut Prouinciali singulorum Ordinum, ac Congregationum, aut Hospitalium, ad quos dicta dispensatio spectat, iuxta tenorem priuilegiorum, & indultorum Apostolicorum eis concessorum, quæ dummodò vsu recepta, nec alias sub vllis reuocationibus comprehensa sint, vt præfertur, in hac parte reualidauit, cum illegitimis, quos aliàs dictus Generalis, aut Prouincialis cum Generali, Prouinciali, seu intermedio Capitulo, & non aliàs, suffragantibus meritis dignos iudicauerint, ad honores, gradus, & dignitates obtinendas dispensare, ac dispensationes huiusmodi ita factas, & inde sequuta quæcumque, vt antea valere, ac tenere perindè, ac si dictæ Constitutiones non emanassent. Miranda *in Manual. tom.2. quæst.2. artic.3.* Secundò possunt dispensari prædicti illegitimi ad Officia Ordinis obtinenda à suis Prælatis, propter priuilegium eiusdem Gregorij XIV. concessum Congregationi Clericorum Regularium Ministrantium infirmis, quo vti possunt tam illi, quàm qui habent priuilegiorum communicationem cum illis, seruatis, etiam seruandis, iuxta dicta *suprà num.41. & 42.* Aduertendo insuper datum fuisse anno 1591. die 21. Septembris, ac perindè tempore posteriùs fuisse supradicta Constitutione eiusdem Gregorij, quæ eodem anno Idibus Martij edita fuit. Verba autem priuilegij habentur in Bulla ipsius Pontificis *n.17. & in 2.tom. Bullar.* Laertij Cherub. *fol.706.* Sunt autem sequentia; Ac dicto præfecto Generali pro tempore existenti, seu de illius licentia præfectis inferioribus aliorum locorum, seu prouincialibus dictæ Congregationis pro tempore existentibus, & illorum Vicariis, ac loca tenentibus, vt cum eiusdem Congregationis personis defectum natalium etiam ex adulterio, sacrilegio, incestu, & quouis alio nefario, & illicito, ac prohibito, & damnato coitu prouenientem patientibus, postquam in dicta Congregatione vota emiserint, vt defectu huiusmodi non obstante, ad quoscumque sacros, etiam presbyteratus Ordines promoueri, & in illis, etiam in altaris ministerio ministrare, nec non ad quascumque administrationes, personatus, praeminentias, & Officia dictæ Congregationis eligi, admitti, & assumi, illaque gerere, & exercere. Laurentius de Peirinis *tom.1. priuileg. Minim. in Constit.2. Iulij II. §.29. à num.95.* Diana *Tract.2. de Dubiis Regular. Resolut.102.* Limitant tamen aliqui traditam doctrinam, quòd scilicet illegitimus Religiosus in ea religione, in qua ipsius pater esset, vel fuisset Prælatus non posset admitti, ad prædicta Officia sine Papæ dispensatione. Tum à simili, vel maiori ratione ex Concil. Trident. *sess.25. cap.15.* & prædicta Constitut. Gregor. XIV. superiùs adducta. Miranda *in Manual. tom.1. quæst.1. artic.10.* Probabile tamen puto etiam cum tali Religioso, posse dispensari ad Officia Ordinis. Tum ex verbis adductis Gregorij XIV. in priuileg. concesso Congregationi Clericorum Ministrantium infirmis, quæ est posterior tempore, vt dixi, quàm illa alia, quæ adducitur in contrarium. Tum quia in Constitutione Gregorij, quæ adducitur, nullo pacto dicitur, quòd Religiosus illegitimus non posset admitti ad Prælatias in ea Religione, in qua pater eius est, vel fuit Prælatus, sed solùm dicitur: *Dummodò tamen Filius illegitimus, in Religione in qua pater, siue ante, siue post natiuitatem dicti Filij professus fuerit, ipso patre*

viuente

viuente non admittatur, quòd expressè prohibemus. Decretum autem Concilij, vel solùm intelligitur de Clericis secularibus, nam cum sit pœnale non est cur extendatur etiam ad Regulares; vel esto, quòd ad regulares extendatur, solùm ex eo habebitur Religiosum illegitimum non posse esse Prælatum in eodem Monasterio, in quo eius pater est, vel fuit Prælatus, non verò tolli quominus in eadem prouincia, vel saltem Religione, eligi possit. Rodriguez *tom.1. quæst. Regul. quæst.*13. *artic.*7. Aduerte etiam illegitimos, qui posteà securo Matrimonio legitimati sunt, non comprehendi sub priori Constitutione Sixti Quinti. Quia ita declarauit ipsemet Pontifex in posteriori alia, quæ incipit, *Ad Romanum Pontificem.*

61 Quando Religiosus illegitimus dispensatus fuit in sæculo ad quæcumque beneficia, qualiacumque sint, postea Religionem ingressus non eget noua dispensatione ad Prælaturas; illa enim dispensatio se extendebat ad ista beneficia, & fuit quædam quasi legitimatio. Miranda *in Manuali tom.*2. *quæst.*2. *art.*5. Si tamen solùm dispensatus fuit vt beneficium curatum obtineret, indiget posteà ad Officia Ordinis noua dispensatione, quia illa prima non se extendebat ad ista, sed tantùm ad beneficium sæculare. Nauarrus *lib.*4. *consil. tit. qui filij sint legitimi, consil.*1. Similiter dispensatus in Religione propter priuilegia adducta ad Officia, & Dignitates, non potest extra Ordinem illa habere. Quia prædicta priuilegia solùm sunt in fauorem Religionis. Rodriguez *tomo* 1. *quæst. Regular. quæstione* 13. *art.*13. Sanchez *lib.*5. *in Decalog. cap.*5. *num.*16. Nec dispensatus ad dignitatem inferiorem potest censeri dispensatus ad Superiorem; quia permissio minoris non est permissio maioris. Secus videtur dicendum de dispensato ad maiorem dignitatem; talis enim, eo ipso censetur dispensatus ad minorem, quòd solùm credo esse verum quando minor dignitas, continetur sub maiori, vt Prioratus sub Prouincialatu, & Prouincialatus sub Generalatu. Sorbus *in Comp. priu. Mend. v. Dispens.* §. *& ideo Fratres.* Laurent. de Peirinis *tom.*1. *priuil. Minim. in Constit.*2. *Iulij II.* §.29 *num.*99.

62 Officia, ad quæ illegitimi iure communi non possunt promoueri sine dispensatione sunt dignitates, & prælatiæ, & beneficia curam animarum habentia. Ita habetur *in c. fin. de Filiis Presbyt.* Vnde nec possunt esse Generales, nec Prouinciales, nec Priores, Guardiani, &c. Possunt tamen eodem Iure communi esse Magistri Nouitiorum, Confessores, &c. & habere alia officia manualia, præter Dignitates, Prælatias, & quæ curam animarum important. Vnde similiter possunt esse Sacristæ, Procuratores. Sanchez *lib.*5. *in Decalog. cap.*5 *num.*16. Laurent. de Peirinis *tom.*1. *priuileg. Minimorum in Constit.*2. *Iulij II.* §.29. *num.*91.

63 Quando Prælatus habens potestatem dispensandi cum subdito Religioso illegitimo, quem scit esse talem, confert illi aliquam prælatiam, vel Officium, censetur saltem in foro conscientiæ cum illo dispensare, si seruentur aliæ conditiones, de quibus *suprà num.*41. *&* 42. Talis enim officij, vel Prælatiæ collatio, est quædam virtualis dispensatio. Nauarrus *in Manual. cap.*25. *num.*74. Rodriquez *tom.*1. *quæst. Regul. quæst.*13. *artic.*16. Addunt alij etiam pro foro externo deseruire talem dispensationem. Dum tamen pro eo foro probari possit adfuisse requisita pro tali dispensatione. Quod facilè admitti potest. Sigism. de Bonon. *de elect. dub.*81. post Maiolum, Suarez, Salas, & Sanchez. Semper tamen requiritur causa iusta, & rationabilis. Quia hoc est commune omnibus dispensationibus. Nauarrus *ibidem.* Syluester *verb. dispensatio.* vbi etiam agit de causis iustis talis dispensationis.

Aliqui Prælati Religionum, scilicet Abbates, solent primam Tonsuram, & minores ordines suis subditis conferre. Propter aliqua ipsorum priuilegia de quibus agit Suarez 4. *tom. de Relig. tract.*8. *lib.*2. *c.*29. Hæc verò priuilegia neque per viam communicationis extenduntur ad illos Prælatos. Quia numquam fuerunt hoc modo intellecta. Suarez *vt supr. num.*27. Num autem Abbates prædicti possint conferre dictos Ordines minores Nouitiis, dubium est apud multos. Vincent. Filliuc. *tom.*1. *tract.*9. *c.*5. affirmatiuam verò partem tenet Suarez 4. *tom. de Relig. vt suprà num.*12. 64

Abbates prædicti habentes facultatem dandi Ordines minores, aut primam Tonsuram, animaduertant, quod circa Decretum Concil. Trid. *sess.*23. *cap.*10. quo habetur: *Abbatibus, & aliis quibuscumque quantumuis exemptis, non liceat in posterum, intra fines alicuius Diœcesis consistentibus, etiamsi nullius Diœcesis, vel exempti esse dicantur, cuiquam, qui Regularis subditus sibi non sit Tonsuram, vel minores Ordines conferre, nec litteras dimissorias Clericis sæcularibus, vt ab aliis ordinentur concedant.* Declarauit S. Gregor. quòd Abbates Regulares habentes ius Baculum deferendi, & Mitram, postquam Sacerdotalem Ordinem, & munus Benedictionis susceperint, possint Tonsuras, & Ordines Minores sæcularibus Episcopi iurisdictioni subditis conferre. Si modò ipsius Episcopi consensus accedat, & à dicto Episcopo quisque litteras dimissorias impetrauerit; ita vt satis non sit id generatim ab Episcopo concessum esse, sed hac concessione semper opus sit singulis, &c. Possunt etiam ipsi Abbates eosdem Ordines conferre aliis regularibus, qui dimissorias speciales Superiorum suorum, & specialem consensum Episcopi loci habuerint, ac præterea aliis secularibus, qui aliorum Episcoporum iurisdictioni subiecti sint; dummodò Superiorum suorum dimissorias attulerint, ac specialem consensum Episcopi loci, in quo Ordines huiusmodi cupiunt suscipere. Quaranta *in Summa Bullarij verb. Ordo,* Suarez *à num.*20. Vide etiam dicta *cap.*14. *num.*13. & Gauantum *in Man. Episcop. verb. Abbas à num.*34. 65

Pertinet etiam ad Prælatos Religionum recipere, & professare Nouitios; cum hoc sit negotium magni ponderis in Religione. An verò possint se solis sine consensu Conuentuum Nouitios recipere, & professare; attendendum est ad consuetudines, & particulares leges Religionum. Eis verò non stantibus, probabilius est hoc munus pertinere ad Prælatum, & Conuentum, simul; ita vt neuter sine alio id possit facere. Ratio est, quia in receptione, & professione Nouitiorum interuenit mutuus quidam contractus inter ipsos ex vna parte, Conuentum, & Prælatum ex alia: ita vt ipsi promittant obedientiam, & subiectionem Conuentui, & Prælato; & ipsi vicissim promittant solitam subuentionè illis præstare. Ac proinde consensus omnium videtur necessarius. Nauarrus *lib.*1. *de Constit. cons.*9. *& lib.*3. *de Regul. cons.*36. *&* 62. Miranda *in Man. tom.*1. *quæst.*15. *art.*2. Vide dicta *cap.*2. *num.*25. Tenentur tamen dicti Prælati obseruare in receptione, & professione Nouitiorum non solùm conditiones assignatas à Sixto V. & de quibus dicemus *cap.*24. sed etiam, quæ Clement. VIII. & SS. D. N. Vrbanus in Decreto Sacr. Congregat. Concilij *de Regularibus Apostatis,* 66

futuris præcipimus, districtéque mandamus, ne quempiam, vllo tempore, precibus, litteris, vel fauoribus adducti, vel aliàs ad instantiam, seu requisitionem, vel contemplationem Principum, vel Prælatorum, aut aliorum quorumcumque, tam secularium, quàm Ecclesiasticorum, extra dictum gremium existentium, etiam Cardinalium, Imperatoris, Regum, Ducum ad cuiusuis generis Prælaturas, gradus, honores, dignitates, administrationes, Functiones, & Officia prædicti Ordinis promouere, vel pœnas aliquas remittere audeant, seu præsumant. Secundò id prohibuit Gregorius XIII. Prælatis Ordinis Prædicatorum in virtute Sanctæ Obedientiæ in Bulla, *Cum nihil,* quòd etiam confirmauit Clement. VIII. in alia Bulla, quæ incipit, *Religiosos viros* anno 1592. edita. Idem quoque prohibuit idem Clemens Octauus Superioribus Camaldulensibus in Bulla, quæ incipit, *Ambitiosam* anno 1596. & Hieronymianis in alia etiam Bulla, quæ incipit etiam, *Ambitiosam* anno 1600. & Cruciferorum Superioribus in alia Bulla ann. 1604. edita, quæ incipit, *Quoniam nemo,* & etiam Augustinianorum Prælatis in alia Bulla eiusdem tituli, & anni. Paulus etiam Quintus idem prohibuit Superioribus Congregationis S. Saluatoris in alia Bulla eiusdem tituli anno 1607. & Augustinianis in Bulla *Admonemur* anno 1608. & Prælatis Monachorum Cistercensium Italiæ in Bulla; *aliàs per nos,* anno 1613. & Cælestinorum Superioribus in Bulla *Quoniam nemo* anno 1616. edita, & Minimorum præpositis anno 1619. in Bulla *Admonemur*, quam explicat Laurentius de Peirinis *tom. 1. de subdito q. 2. de Paupertate cap. 2. §. 11.* animaduertens non interdici Prælatis facere aliquam gratiam suis subditis ad instantiam extraneorum, sed solùm quoad gradus, honores, Dignitates, Officia, &c. seu pœnarum remissionem. Sed licet hoc verum sit ex Bulla Clem. VIII. pro Carmelitis, & aliis, quibus eadem fit prohibitio, tamen cum Paul. V. in prædicta Bulla pro Minimis dicat, *vllam gratiam concedere*; & hoc condistinguat Pontifex à concessione Officiorum, Dignitatum, &c. non videtur secura prædicta interpretatio. Vide *cap. 10. num. 17. & cap. 15. num. 27.*

83 Gregorius XIV. in Bulla *Cum aliàs* ann. 1591. edita moderatus est priuilegia concessa à suis prædecessoribus, præsertim Sixto V. & Pio V. quibuscumque Principibus sæcularibus, eorumque Curiis, & Magistratibus extrahendi ex Ecclesiis criminosos, & delinquentes, præscribens hunc modum Prælatis Religionum, qualiter in prædictis casibus se gerere debeant: Vt Laicis ad Ecclesias, locaque Sacra, & Religiosa prædicta confugientibus, si fuerint publici latrones, viarumque grassatores, qui itinera frequentata, vel publicas stratas obsident, ac viatores ex insidiis aggrediuntur, aut depopulatores agrorum, quive homicidia, & mutilationes membrorum in ipsis Ecclesiis, earumve cœmeteriis committere non verentur, aut qui proditoriè proximum suum occiderint, aut assassinij, vel hæresis, aut læsæ maiestatis in personam ipsiusmet Principis rei, immunitas Ecclesiastica non suffragetur. Posteaque subiungit. *Sed vniuersis, & singulis Venerabilibus fratribus nostris, Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, cæterisque Ecclesiarum, & Monasteriorum Prælatis, tam sæcularibus, quam cuiusuis Ordinis Regularibus, districtè præcipiendo mandamus, & præcipimus, vt Laicos in casibus prædictis delinquentes ad eorum Ecclesias, Monasteria, domos, & alia loca supradicta Sacra, seu Religiosa respectiuè confugientes, & in eis se recipientes, atque morantes, qui prædicta delicta, eorumve aliquod indicio suo commisisse videbuntur, quando à Curia sæculari fuerint requisiti, & quilibet eorum fuerit requisitus, Ministris, & Officialibus Curiæ sæcularis, absque irregularitatis nota, aut alicuius censuræ Ecclesiasticæ incursu tradi, & consignari curent, & faciant, & quilibet eorum curet, & faciat.* Vide Bullam 2. *tomo Bullarij Laertij fol. 694.* Circa immunitatem verò, quàm habent malefactores in locis Sacris, vide Peirinis *tom. 2. priu. Minim. in Constit. 4. Clem. VIII. à num. 7.* Erasmum Cokier *tr. de iurisd. Ord. in Exempt. part. 4. quæst. 65.* & maximè Bonacinam *circa prim. præcep. Decalog. quæst. 7. de immun. Eccles.* Dianam *tract. de immunit. Eccles. super Bullam Gregor. XIV.* Specialiter *Resol. 25.* in qua quærit an Religiosi gaudeant dicta immunitate in quo mihi videtur dicendum quod si delinquant extra loca Sacra verè gaudent hoc priuilegio ad ea confugientes, quia non est aliqua ratio assignabilis cur in hoc sint peioris conditionis quam laici, si tamen intra ipsa loca sacra deliquerint, quamuis in rigore iuris posset illis talis immunitas sicut & laicis fauere, consuetudine tamen & consensu Summorum Pontificum est receptum contrarium.

Tenentur Superiores Religionum Mendicantium procurare, vt sui subditi reddantur idonei per studia litterarum ad audiendas confessiones, & concionandum. Ratio est, quia ipsi Religiosi Mendicantes, cum sint coadiutores Episcoporum, iuxta dicta *cap. 4. num. 19.* tenentur saluti proximorum consulere. Bannez 2. 2. *quæstione 33. artic. 3. dub. 3.* dicens hanc obligationem esse sub peccato mortali. Thom. de Iesu *sup. cap. Non dicatis part. 4. cap. 1.* Vide etiam *Tract. noster. de Reformat. Regul. cap. 11.* 84

Tenentur etiam Superiores Religionum instituere studia linguarum in studiis suorum Monasteriorum ex Decreto Paul. V. in Bulla *Apostolicæ seruitutis* anno 1610. in qua statuit, & determinat; Vt in cuiuscumque Ordinis, & Instituti Regularium, tam Mendicantium, quàm non Mendicantium, etiam quomodolibet exemptorum, & Apostolicæ Sedi immediatè subiectorum, studiis omnibus, trium linguarum huiusmodi, Hebraicæ videlicet, Græcæ, & Latinæ, in maioribus verò, ac celebrioribus etiam Arabicæ, Doctores, Regulares quidem, & eiusdem Ordinis, si in illo harum linguarum sufficientem notitiam habentes sint, sin minus, seculares, aut alterius Ordinis Regulares, qui illas actu, & diligenter doceant, habeantur, si studia in Vrbibus, & locis existunt, vbi linguarum prædictarum peritos conducendi facultas est. Studiis verò locorum, vbi huiusmodi Doctores desunt, cum primum in aliis studiis, vbi linguæ huiusmodi docebuntur scholares tantùm profecerint, vt docendis aliis idonei sint, de iisdem scholaribus prouideatur. Vnde etiam omnibus, & singulis Regularium Superioribus sub indignationis Apostolicæ pœna præcipit, & mandat, &, si ipsi negligentes fuerint, eorumdem Ordinum Regularium apud Sedem Apostolicam Protectoribus iniungit, eorum conscientias desuper onerando: Vt omni cura, & sollicitudine quantò citiùs prouideant, vt scholæ linguarum huiusmodi, quàm primùm instituantur, ac Doctores prædicti deputentur, earumdemque linguarum lectionibus scholares assignentur, qui illis sedulam, & assiduam operam nauent. Vt verò scholares alacriùs huic studio incumbant voluit, & decreuit; *Vt in promotione ad Doctoratus gradus, & ad alios sui Ordinis honores, illi cæteris paribus præferantur* 85

præferantur, qui in cognitione trium ſaltem linguarum prædictarum profecerunt, ita vt ad illas docendas apti ſint. Extat etiam Decretum S.Congregat. de propaganda fide ſub dat.11. April.1625. in quo præcipitur Generalibus, & aliis Superioribus Regularium; *Vt omnibus modis velint ſtudia linguarum à S.Vienn. Concil. & à felic. record. Paul.V. Conſtitut. præſcripta, & aliarum etiam, quæ magis ex vſu eſſe videntur vt Illyricæ, & Græcæ vulgaris, in iis Monaſteriis, & Conuentibus erigere, & inſtituere, & erecta, ac inſtituta conſeruare, in quibus Religioſi artibus, & Theologiæ operam nauant.* Vbi etiam præſcribitur modus, & forma id faciendi. Eodem etiam anno ſub 17. April. Conſtitutio Paulina, & Decreta S. Congregat. eadem S. Congregat. præcipiente intimata ſunt Generalibus, & Capitulis Generalibus, quæ tunc Romæ celebrabantur.

86 Prælati inferiores non poſſunt diſpenſare in legibus latis à ſuis Superioribus, niſi quando expreſsè, vel tacitè, aut interpretatiuè hoc illis conceditur. Ita habetur *in cap. inferior d.21. ne Romani de electión.* Nauarrus *in Man.prælud.9.num.15.* In pœnis tamen taxatis à Superioribus Prælatis, ſi eas non ſibi reſeruauerunt, poſſunt Prælati inferiores diſpenſare ex cauſa iuſta. Nam cùm ſint Ordinarij Religioſorum poſſunt circa illos facere omnia, in quibus non ſunt prohibiti. Medina 1. 2. *quæſt.97. articul.4.* Sine vrgenti tamen, & rationabili cauſa id non poſſunt facere. Miranda *in Man.tom.2.q.30. artic.11.*

87 Prælati verò Superiores non ſolùm poſſunt facere circa leges, & pœnas latas, & impoſitas à Prælatis inferioribus quidquid facere poſſunt ipſi inferiores circa prædictas leges, & pœnas impoſitas à Prælatis Superioribus, vt per ſe patet; ſed etiam poſſunt prædicti Prælati Superiores reſtringere, & coarctare Iuriſdictionem inferiorum. Quia Prælati inferiores pendent in ſuo eſſe à Superioribus, & ſunt illorum ſubditi. Suarez 4. *tom. de Religion. tractat.8. lib.2.cap.2. num.22.* Talis vero reſtrictio, vt licitè fiat, petit iuſtam cauſam. Cùm quilibet Prælatus habeat ius vtendi ſua Iuriſdictione, ac proinde ſi illa priuatur ſine cauſa aliqua iniuria illi fit. Suarez *vt ſuprà num.23.* Addens, etiam ſine cauſa poſſe fieri validè talem reſtrictionem non ſolùm in iis, quæ ex commiſſione, aut delegatione conueniunt Prælatis inferioribus, ſed etiam in iis, quæ de iure ordinario illis competunt. Quia Prælati ſuperiores hoc facientes habent maiorem, & potentiorem authoritatem. Immò dicit, propter eandum rationem, poſſe Prælatum ſuperiorem priuare ſuo Officio validè inferiorem, etiam nulla ſubſiſtente cauſa, licet peccet Ita faciendo. Idem *ibid.num.26.* Quæ quidem ſtando in iure communi probabilia ſunt, ſecundùm tamen peculiares leges, & conſuetudines Religionum; ad illas pertinet iudicare, quid fieri, vel non fieri in caſibus ſimilibus poſſit.

88 Prælati Regularium (qui iuxta ipſorum priuilegia) poſſunt inſtituere Confraternitates ſuorum Ordinum, eaſque aggregare in quibuſcumque Eccleſiis, ſiue propriis ſiue extraneis, ſeruare debent conditiones aſſignatas à Clem.VIII. in Bulla, quæ incipit. *Quæcumque à Sede Apoſtolica* ann.1604. edita, quæ eſt 115. inter Bullas huius Pontificis *in 3. tom. Bullar.* & poſtea etiam confirmata fuit à Paulo V. in alia Bulla, *Quæ ſalubriter* anno 1610. & eſt 68. inter Bullas huius Pontificis. Prima conditio eſt, vt in vno loco vnam tantùm confraternitatem, & Congregationem inſtituere poſſint. Secunda, vt id fiat de conſenſu Ordinarij loci, & cum litteris eius teſtimonialibus, quibus Confraternitatis, & Congregationis erigendæ pietas, & Chriſtianæ charitatis Officia, quæ exercere cupit apud eos commendentur. Tertia, vt huic Confraternitati, & Congregationi erigendæ, inſtituendæ, ſeu aggregandæ, ea tantùm priuilegia, indulgentias, facultates, aliaſque ſpirituales gratias, & indulta, quæ ipſi Ordini, & Religionis inſtituto erigenti, inſtituenti, ac communicanti, ſeu Archiconfraternitati, & Congregationi aggreganti, nominatim, & in ſpecie, non autem, quæ per extenſionem, ſeu communicationem ſibi quouis modo conceſſa ſint, & illa quidem non ſub generali forma verborum, vel ad inſtar, ſed expreſsè, & in ſpecie communicare valeant. Quarta eſt, quòd ſtatuta harum Confraternitatum ſint prius ab Epiſcopo Diœceſano examinata, & pro ratione loci approbata, & eiuſdem Epiſcopi Decretis, ac moderationi, & correctioni in omnibus ſemper ſubiecta remaneant. Quinta, vt ſeruetur formula inſtituendi Confraternitates approbata ab ipſo Pontifice. Sexta, vt Miniſtri, & Officiales dictarum Confraternitatum non vtantur priuilegiis, & facultatibus niſi præuia recognitione Ordinarij, qui adhibitis duobus de eiuſdem Eccleſiæ Capitulo illa iuxta Sacri Concilij Tridentini Decreta promulganda decernat. Septima, quod Miniſtri, & Officiales dictarum Confraternitatum poſſint excipere eleemoſynas iuxta modum, & formam per Ordinarium loci præſcribendam, remotis tamen menſis, peluibus, & capſis, quæ in Eccleſiis, & Oratoriis dictarum Confraternitatum, & Congregationum publicè ad hoc exponi conſueuerunt. Deinde qualiter dictæ eleemoſynæ expendendæ ſint, ſic præſcribit. Eleemoſynas autem ſic collectas in reparationem, & Ornatum Eccleſiarum, tam Ordinum, Religionum, Inſtitutorum, inſtituentium, erigentium, & communicantium, ac Archiconfraternitatum, & Congregationum aggregantium, quàm Confraternitatum, & Congregationum erigendarum, inſtituendarum, & aggregandarum, & quibus communicationes fient, aut in alios earum pios vſus; arbitrio Vicarij in Vrbe, necnon Ordinariorum locorum reſpectiuè fideliter exponere, atque erogare procurent: vt omnes intelligant, cœleſtes Eccleſiæ Theſauros, non quæſtus, aut alicuius lucri gratia, ſed pietatis, & charitatis excitandæ gratia, ex Apoſtolicæ Sedis benignitate Chriſti fidelibus aperiri. Prætereà, aſſignatis caſibus à quibus poſſint Confratres abſolui à ſuis Confeſſoribus, & à quibus non, poſteà omnes inſtitutiones, & aggregationes Confraternitatum vbiuis locorum erectas, & inſtitutas, præcipit renouandas iuxta formam ab ipſo præſcriptam, alias vult illas eſſe nullius roboris, & momenti, reuocatas, & annullatas. Ac tandem pœnas contrauenientibus ſic apponit: *Quod ſi Miniſtri aliqui, Superiores, vel Officiales quocumque nomine nuncupati, Ordinum, Religionum, Inſtitutorum, ſeu Archiconfraternitatum, Congregationum, & Confraternitatum huiuſmodi quauis auctoritate, vel priuilegio, & Officio fungantur, & præfulgeant, contra præmiſſa in aliquo venire, vel facere præſumpſerint, Erectiones, Inſtitutiones, & Communicationes priuilegiorum, Indulgentiarum, facultatum, Spiritualiumque gratiarum, indultorum, & aliorum præmiſſorum conceſſiones, nec non aggregationes per ipſos facienda, ſeu renouandæ nullius ſint roboris,*

& momenti; & quilibet eorumdem Ministrorum, Superiorum, Officialium, & aliorum prædictorum priuationis Officiorum, quæ obtinet, ac inhabilitatis ad illa, & alia in posterum obtinenda pœnam, quæ ab alio, quàm à nobis, vel à Romano Pontifice pro tempore existente remitti non possit, incurrat eo ipso. Ne autem sit error aliquis in Institutione Confraternitatum lege prædictam Constitutionem. Clem. VIII. pro his, & aliis conditionibus ibi assignatis. Pro præcedentia verò Confraternitatum vide Quarantam *in Summa Bullar. verb. præcedentia.* Vbi etiam, in quibus Episcopus, & in quibus Iudex laicus intromittere se possint circa has Confraternitates. Non posse autem compelli ab Episcopo, aut censuris astringi, vt accedant ad publicas processiones, declaratum est pluries à Sacr. Congregatione, apud eundem Quarantam vt supra. Pro formula autem instituendi, seu aggregandi huiusmodi Confraternitates, quàm Pontifex præcipit obseruari, vide Flauium Cherubinum *in Compend. Bullar. circa hanc Constitut.* 115. *Clem. VIII.* Circa Confraternitates etiam B. Mariæ de Monte Carmelo, vide Constitutiones nostras, *p.* 4. *cap.* 28. & specialiter concordiam factam inter Carmelitas nostros obseruantes, & RR. Patres Discalceatos confirmatam à Paulo V. In Bulla *Ad ea* anno 1617. edita, quæ habetur, in lib. cui titulus est, *Priuilegia Fratrum Discalceatorum B. Mariæ Virginis de Monte Carmelo.* Vide etiam pro Confraternitatibus multa apud Gauantum *in Manual. Episcop. verb. Confraternitates.* Maximè vide dicenda *tom.* 2. *c.* 15.

89 Gratias autem, siue Indulgentias, quas Carmelitarum Generalis applicare potest Confratribus Confraternitatis B. Mariæ Virginis de Monte Carmelo, habemus ex Paul. V. in Bulla *Cum certas* anni 1606. die 30. Octobris, Vide Bullam in lib. cui titulus est, *Priuilegia Fratrum Discalceatorum.* num. præcedenti relato.

90 Quamuis prælati Religionum possint se soli per præcepta, aut decreta, quæ solùm durent tempore sui Officij obligare suos subditos etiam in conscientia; ratione voti Obedientiæ, quod subditi fecerunt, & ratione Iurisdictionis Ecclesiasticæ, quam ipsi Prælati habent. Non possunt tamen iure communi condere leges, aut statuta perpetua sine Capitulo proportionato, scilicet Generali, Prouinciali, aut locali, respectu totius Religionis, Prouinciæ, aut Conuentus. Ratio est, quia vt docet S. Thom. 1. 2. *quæst.* 90. *art.* 1. condere leges spectat ad Communitatem, nam cum legis impositio sit res grauissima, vtpotè perpetuò durans, requirit Communitatis, cui imponitur, consensum, atque adeo sine ipso nihil fiet. Neque obstat, quòd Prælati habeant Iurisdictionem quasi Episcopalem, Episcopi autem soli, sine consensu Capituli, condere possint leges, quia non habent in omnibus parem, aut similem potestatem sicut Episcopi, cuius signum est, quòd Episcopi immediatè habent suam potestatem à Papa, Prælati autem Religionum ab ipsa religione respectiuè Suarez 4. *tom. de Relig. tract.* 8. *lib.* 2. *cap.* 8. *num.* 4. 5. *&* 8. Dixi verò, iure communi non posse condere leges, aut perpetua statuta, quia saltem ex consuetudine, lege, vel priuilegio id possunt habere, iuxta dicta *c.* 8. *n.* 3. Vnde consulenda sunt iura particularia Religionum. Cum autem in nostra Religione Carmelitarum *par.* 2. *Const. cap.* 1. *num.* 9. committatur priori Generali, quòd *possit omnia facere, quæ Diffinitores Generales facere possint, absolutionibus Priorum Prouincialium liberè, sine culpa, & eorum institutionibus pro libito, vbi fieri potest electio, & apertione sigilli communis Ordinis, dumtaxat exceptis*; videtur posse Generalem Carmelitarum per se solùm condere leges, aut statuta perpetua; sicut, & Capitulum Generale cum ipso id facere potest. Exprimi tamen semper debet se vti in hac parte Iurisdictione, & potestate extraordinaria illi in prædicto loco Constitutionum concessa, ne credatur solùm potestate ordinaria vsum fuisse. An verò prælati possint huiusmodi leges, aut etiam præcepta imponere solo suo arbitrio, sine consilio eorum, qui iuxta Religionis morem illis assistunt, dicendum est, quod attinet ad leges, non posse, ita facere; quia, vt diximus, condere leges pertinet ad Communitatem. Loquendo verò de præceptis, attendenda sunt iura, & consuetudines particularium Religionum. Iure verò communi loquendo, in præceptis, quæ imponuntur particularibus personis, nisi valdè grauia, onerosa, aut extraordinaria sint, sufficit sola authoritas, voluntas, & iudicium Prælati absque alia consultatione: quia esset valdè onerosum pro his consultationem cum aliis facere. Secus in grauioribus præceptis, quæ, vel toti Communitati, vel etiam priuato Religioso imponuntur. Quia lege naturali prudentia dictat, quòd res grauis non fiat sine maturo consilio. Suarez 4. *to. de Relig. tractat.* 8. *lib.* 2. *cap.* 8. *num.* 6. Vbi etiam *num.* 7. quid dicendum, an quando consilium est necessarium, sit de substantia, & valore præcepti, itavt sine ipso non teneat. Sed in hoc attendendum est ad particularia iura Religionum, sicut in alio dubio, quod ibidem num. 9. tractat, an Capitulum Generale Religionis, sede vacante ante electionem Generalis possit condere leges, seu statuta perpetua. In Religione autem nostra certa videtur affirmatiua, cum tale Capitulum, ante electionem etiam, Generalis habeat semper aliquod caput, Vicarium scilicet, vel Præsidentem, ratione cuius totam Religionem repræsentet. Secus verò esset, si casu aliquo dato, non esset tale caput, tunc enim tale Capitulum acephalum esset, nec haberet potestatem prædictam. Audio etiam in grauissima Augustinianorum familia, præcepta Superiorum durare etiam transacto tempore Officij, si à successoribus non reuocentur, atque ita habere quasi vim legis. Circa huiusmodi autem præcepta lata à Superioribus nota, quòd illis obligantur Superiores quoad vim directiuam ita vt in conscientia teneantur ad illa; tum quia caput debet conformari membris, tum quia aliter facientes reprehenduntur à Christo Matthæi 23. illis verbis: *Dicunt & non faciunt*, & à Paulo *ad Roman.* 2. illis. *Qui alium doces te ipsum non doces, qui prædicas, non furandum furaris*; & infrà: *Propter quod inexcusabilis es, &c.* S. Thom. 2. 2. *quæst.* 96. *art.* 5. Couarr. *in cap. Alma mater. p.* 1. §. 1. *num.* 7. Tamburin. *de Iure Abbat. tom.* 3. *disput.* 3. *quæst.* 4. post alios. Casu autem quo Superiores transgrediantur præcepta à se posita pro aliquo casu, non propterea censentur ipsis derogare, quia existimandum est quod sicut potuerunt pro illo casu dispensare cum subditis in talibus præceptis, sic etiam secum. Secus verò si perseuerent in inobseruantia suorum præceptorum, quia tunc videntur illis derogare, maximè si non censeatur vtilia *l.* 1. *ff. de const. Princ.* Guttier. *Canon. q. lib.* 1. *cap.* 8. *num.* 3. Tambur. *supr.* Pœnis autem impositis per præcepta Superiorum, non tenentur ipsi Superiores, quia nullus Supe

Superior tenetur pœnis à se impositis, aliàs obligarentur etiam quoad vim coactiuam suis præceptis, Tamburinus *supra* ex Sairo, Lessio, Suarez, & Salas.

91 Possunt prælati Religionum, videlicet Generales, & Prouinciales, transferre suos subditos de vno ad alium locum, videlicet, Generales possunt mutare Religiosos de vna ad aliam Prouinciam, Prouinciales verò de vno ad alium Conuentum, sicut Priores locales, seu Guardiani, aut alij prælati infimi suos subditos de vna ad aliam cameram. Ratio sumitur, tum ex Iurisdictione quasi Episcopali, quam habent prædicti prælati in suos subditos, tum ex voto Obedientiæ, quod ipsi emiserunt in sua professione. Nauarr. *comment.* 4. *de Regular.num.*22. & *lib.*1. *Consilior.consil.*9. *num.*11. Id autem non debent facere sine causa. Quia hoc videtur esse contra charitatem; & bonum regimen Religionis. Addunt aliqui, quòd si Generalis absque rationabili causa subditum transferat de sua naturali prouincia in aliam, habeat iustam caucausam appellandi ad Sanctissimum, vel protectorem. Nauarr. *lib.*2. *Consil. de appellat. consil.*5. *numer.*6. *lib.*1. *consil.*9.*numer.*11. Rodrig *tom.*1.*quæst. Regular.quæst.*23.*art.*3. Displicet tamen quod quidam subiungunt, scilicet, quòd subditus non teneatur obedire Generali illum transferenti ex vna prouincia in aliam. Non solùm quia in dubiis potiùs fauendum est prælatis, quàm subditis, sed etiam, quia cum per professionem religiosus promiserit obedientiam Generali, non pro vna, aut alia prouincia, sed pro tota Religione, ad quam eius Iurisdictio extenditur, credendum est stare debere voluntati ipsius illum sic transferentis.

92 Possunt, & debent Prælati Superiores, videlicet Generales, & Prouinciales, per se, vel per alios visitare suam Religionem, vel prouinciam. Probatur ex Concilio Trident.*sess.*25.*c.*1. Vide dicenda *c.*27. *n.*1.2.& 3. Non tamen possunt mittere ad visitandum Religiosum aliquem extraneum, vel Clericum sæcularem. Ratio est, quia oportet Visitatorem instructum bene esse in regula, & Institutis visitandorum. Laur.de Peyr.*tom.*1. *de subdito q.*1. *de Obed. c.*18. Rodrig.*tom.*3. *quæst.Regular.quæst.*77. *art.*9. & *tom.*2.*quæst.*4.*art.*2.& *quæst.*52.*art.*7. Id autem rectè possunt facere Summus Pontifex, & Legatus à latere. Propter ampliorem facultatem, quam ipsi habent. Rodriguez *tom.*2. *quæst.*52. *articul.*7. & 9. Peyrin. vt supra.

93 Absolutiones autem, & dispensationes à censuris, & irregularitatibus, quæ communiter solent dari à prælatis Regularium tam in prædictis visitationibus, quàm in aliquibus festiuitatibus solemnioribus, prosunt Religiosis in foro interno animæ, saltem pro censuris, & irregularitatibus dubiis, & oblitis, seu ignoranter incursis. Alias prorsus vanæ, & inutiles essent tales absolutiones, & dispensationes. Ledesma *de statu Religiosor. in communi cap.*4. Laurent. de Peyrin. *tom.*1. *priuileg. Minimor.in Constitut.*1.*Iulij II.* §.16.*num.*42. An verò prosint etiam pro censuris, & irregularitatibus certis, & manifestis, occultis tamen, & in foro conscientiæ? Non video aliquem de hoc puncto disputantem; sed sub aliorum censura dicerem, valere quidem ad omnia, ad quæ se extendere possunt auctoritas ordinaria, & priuilegia prælatorum. Verba enim illa, quibus in similibus casibus vtuntur prælati, scilicet, *absoluo vos*, vel *dispenso vobiscum*, piè, sanè videntur fauorabiliter amplianda.

Posse etiam Prælatos Regulares commutare legata facta ad vnum vsum, in alium, tenent aliqui; propter priuilegia Minoribus concessa, Sixti IV. & Leonis X. Rodrig.*tom.*2.*quæst.Regular.q.*125.*a.*9. Henriq.*lib.*7.*de Indulg.c.*22. Sed præterquam quòd hæc priuilegia viuæ vocis oracula sunt, ac per consequens his temporibus nullius momenti, vlteriùs non fuerunt authentica, vt testatur Casarub.*in Compend.priuil.Mendic.verb. commutare n.*1. & 2. Casu tamen quòd circa hoc sit aliquod priuilegium, quod non video, ad minus tamen legitima causa talis commutationis necessariò requiritur. Beia 4.*p. casuum cas.*22.Peyr.*tom.*1.*priuileg.Minim.in Constit.*2. *Iulij II.* §.26. *num.*74. & 75. Vide *tom.*2. *cap.*19. *num.*47. 94

Possunt aliqui Superiores Regulares in vnaquaque prouincia constituere vnum, vel plures Fratres sui Ordinis, probatos tamen, ac fide, & doctrina idoneos, in Notarios publicos, pro intimandis mandatis, priuilegiis, concessionibus, & indultis Apostolicis Ordini concessis, quibuscumque personis, siue Ecclesiasticis, siue sæcularibus, etiam Regibus, Ducibus, &c. vbi, & quoties opus fuerit. Ita enim concessit Pius V. Dominicanis anno 1571. die 21. Martij, in Motu proprio; qui incipit *debitum Pastoralis*, in 2. tom. Bullar. Laert. Cherub.in Pio V.n.124. Vbi etiam animaduertit ipse Cherub.idem concessisse Iulium III. ann.1554. Hoc autem priuilegio gaudent alij Mendicantes propter communicationem priuilegiorum, quàm inter se habent. Rodrig *tom.*3.*quæst.Regular.quæst.*8. *artic.*1. Nisi fortè per non vsum legitimum hoc priuilegium perdiderint iuxta dicta *cap.*3. *num.*17. Aduerti autem oportet priuilegio hoc non posse vti, nisi Monasteria, *quæ de obseruantia sint tantùm*, & ab illis personis, *quæ sunt obseruantiæ tantùm*; sic enim explicat suam mentem Pontifex in hac Bulla. Aduertunt autem alij (Peyr. *tom.*2. *priuil. Minim. in Constitut.*9. *Pij V.*) quòd isti Notarij possunt creari non solùm à Generalibus, & Prouincialibus, sed etiam à Superioribus localibus. Similiter, quòd informationes intrantium Religionem possunt fieri ab istis Notariis. Sed quoad primum, id est contra intentum Pontificis, solum enim concedit hanc facultatem *Magistro Generali, Vicariis, & Prouincialibus*, vt patet ex contextu Bullæ. Quoad secundum verò, licet ex priuilegio Clemen.VIII. concesso patribus Dominicanis Conuentus S. Stephani Salmanticensis, quoad referimus *cap.*24. *num.*14. possint fieri informationes admittendorum ad Ordinem *per aliquem eiusdem Conuentus Religiosum ad hoc deputatum*, ex vi tamen huius priuilegij Pij V. non potest hoc fieri; quia, vt constat ex contextu Bullæ, solùm concedit hanc facultatem creandi Notarios ad notificandum, & intimandum priuilegia Religionis. De modo autem creandi huiusmodi Notarios iuramento ab ipsis præstando, & forma litterarum. Vide Peyr. *to.*2.*priuil.Minim.in Const.*9.*Sixt.V.n.*9. 95

Præter dicta autem & plura alia quæ dico *tom.*4. *verb.Notarius* Regularis, in hoc loco adiungendum notabile priuilegium Gregorij XV. confirmatum postea ab Vrbano VIII. pro Abbate & Monasterio Montis Cassini Ordinis S.Benedicti circa creationem Notarij & Archiuistæ cum ampla facultate, &c. quod est huius tenoris.

Vrbanus Papa VIII.

Ad perpetuam rei memoriam. Piis Christi fidelium

lium quorumlibet, præsertim verò sub suaui Religionis iugo Altissimo famulantium votis, per quæ eorum Monasteriorum ac rerum indemnitati & conseruationi opportune consulitur libenter annuimus, fauoribusque & gratiis prosequimur, prout conspicimus in Domino salubriter expedire. Aliàs siquidem à fel. recard. Gregorio Papæ XV. prædecessore nostro emanarunt litteræ tenoris subsequentis videlicet: Gregorius Papa XV. ad futuram rei memoriam. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Abbas Monasterij Montis Cassini Ordinis S. Benedicti, quod sæpè pro conseruatione iurisdictionum dicti Monastery scripturas authenticas ex Archiuio eiusdem Monasterij extrahere, illasque ad Vrbem & alia loca mittere oportet; cum autem sicut eadem expositio subiungebat pro præmissorum faciliori exequutione dictus Abbas sibi per nos vt infra indulgeri summopere desideret, Nos dictum Abbatem specialibus fauoribus & gratiis prosequi volentes à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis à iure vel ab homine quauis occasione, vel causa latis siquibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absoluentes & absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati eidem Abbati, vt vnum ex dicti Monasterij Monachis approbatum ad id idoneum repertum qui scripturas prædictas recognoscere & authenticare possit in Archiuij huiusmodi Archiuistam & Notarium Apostolicum facere & deputare, & casu quo talem Monachum è dicto Monasterio ad obediendum constitutionibus dicti Ordinis discedere contingat idem Abbas alium Monachum similiter approbatum & idoneum repertum illius loco subrogare & deputare liberè & licitè valeat Apostolica authoritate tenore præsentium facultatem tribuimus & impartimur, non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit Monasterij & Ordinis prædictorum etiam Iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alias roboratis, statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscunque. Datum Romæ apud S. Mariam maiorem sub annulo Piscatoris die XVI. Septembris MDC. XXII. Pontificatus nostri anno secundo. Nunc autem nos celebri Monasterij huiusmodi, illiusque insignis Archiuij, ac rerum & iurium indemnitati & conseruationi quantum cum Domino possumus peramplius consulere, & modernum illius Abbatem specialis gratiæ fauore prosequi volentes, à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis à iure vel ab homine quauis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absoluentes, & absolutum fore censentes supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati eidem moderno & pro tempore existenti ipsius Monasterij Abbati quod de cetero perpetuis futuris temporibus vnum dicti Monasterij Monachum, & in Sacris Ordinibus constitutum ab eodem Abbate idoneum repertum & approbatum in Archiuij huiusmodi Archiuistam & Notarium Apostolicum, qui tam Scripturas supra expressas quam alia quæcumque Instrumenta, documenta, priuilegia, litteras Apostolicas, concessiones, cõfirmationes, donationes tam Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum, quam aliorum quorumcumque Principum registra, collationes, prouisiones, visitationes, acta, processus tam causarum Ecclesiasticarum, quam prophanos, Ciuiles & mixtos, prothocolla Notariorum, ac demum omnes & quascunque alias cuiusuis generis ac speciei, ac quocunque nomine munitas scripturas in dicto Archiuio nunc & pro tempore existentes toties quoties occasio tulerit, exceptis tamen materiis criminalibus, extrahat, exemplet, extendat, recognoscat, publicet, & transumptet, solitoque Monasterij & Archiuij prædictorum sigillo signet & muniat, creare, constituere, & deputare, illoque vita functo seu forsan è dicto Monasterio ad obediendum Constitutionibus dicti ordinis discedente, alium similiter Monachum deputare libere & licite possit & valeat: ita quod instrumentis, documentis, & aliis superius expressis scripturis per eundem Monachum sicut præfertur deputandum è dicto Archiuio pro tempore extractis, exemplatis, extensis, recognitis, transumptis, publicatis, signatis, & authenticatis eadem prorsus fides vbique tam in iudicio quàm extra in quocumque Tribunali Ecclesiastico & seculari adhiberi in omnibus & per omnia debeatur, prout adhiberi volumus & mandamus, perinde ac si illa in forma probante per litteras Compulsoriales, seruatis de iure stylo & consuetudine seruandis, legitimè extracta, ac alias cuiusuis notarij publici Almæ Vrbis nostræ manu confecta, exemplata, & authenticata fuissent Apostolica authoritate tenore præsentium licentiam & facultatem concedimus & impartimur. Decernentes sic & non aliter in præmissis omnibus & singulis per quoscumque Iudices Ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatij Apostolici Auditores & S. R. E. Cardinales etiam de latere legatos, Vicelegatos, Nuntios, iudicari & definiri debere, ac irritum & inane si secus super his à quoquam, quauis authoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari: non obstantibus omnibus illis quæ in dictis litteris concessa sunt voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 31. Martij 1626. Pontificatus nostri anno tertio. V. Theatinus.

Quamuis aliqui Prælati Religionum possent concedere licentiam Religiosis legendi libros prohibitos, propter concessionem factam à Sixto IV. Ordini Prædicatorum, & Minorum, & Societati Iesu à Pio V. & Gregor. XIII. cum quibusdam conditionibus ibi assignatis; (Rodriguez *tom. 2. q. 82. articul. 3.* Peregrinus *in Compend. tit. lib. prohibiti*) tamen huiusmodi facultates, quatenus attinet ad hæreticorum libros *hæresim continentes*, *vel de Religione tractantes*, reuocantur per Bullam Cœnæ Domini, quæ singulis annis legi solet, siquidem in illa reuocantur, omnia priuilegia etiam Mendicantibus quomodolibet concessa. Quatenus verò attinet ad alios libros prohibitos, vel suspensos, etiam videntur reuocatæ huiusmodi facultates, cum Gregor. XV. in Bulla *Apostolatus* anno 1623. edita, quæ habetur in 4. *tom. Bullar. inter Bullas huius Pontificis num.* 40. reuocauerit omnes, & quascumque licentias legendi, & habendi libros prohibitos quomodolibet, quod etiam fecit Sanctiss. D. N. Vrbanus anno 1631. in Bulla etiam *Apostolatus tom. 4. Bullar. in addit. num.* 114. reuocans prædictas licentias concessas quibuscunque personis tam secularibus, quàm Regularibus, *cuiuscumque gradus, status, conditionis, qualitatis, & præeminentiæ, etiam speciali nota, & mentione dignis.* Video aliquos Laurent. de Peyrinis *tom. 2. priuileg. Minimor. in Constitut. 9. Pauli V. à num. 9.* dicere prædicta Constitutione Gregorij (idem diceret de Constitut. Vrbani) solùm reuocari licentias particulares legendi huiusmodi libros, non verò priuilegia Regularibus concessa. Sed quia in prædictis Constitutionibus reuocantur facultates concessæ, etiam *per litteras Apostolicas, & aliter quomodocumque*, quo videntur etiam priuilegia 96

compre

comprehendi, ideo securior est nostra sententia, & in praxi consulenda, licet opposita sit forsan speculatiuè etiam probabilis, dummodò constet prædictas concessiones non fuisse factas viuæ vocis oraculo, aliàs omnino inualidæ iam essent his temporibus, vt sæpiùs diximus, an verò talia fuerint, mihi notum non est.

97 Non potest vnus Religiosus habere duas Prælatias in Religione eadem, vel diuersis, sine authoritate Sedis Apostolicæ. Ratio est, quia ita habetur *in cap. multa de præbend.* & in Concil. Trident. *sess. 7. cap. 2. & 4 & sess. 24. cap. 17.* Miranda *in Man. tom. 2. quæst. 3. art. 3. & quæst. 7. artic. 12.* Consuetudo autem aliquarum Religionum, in quibus Generalis, vel Prouincialis est simul Superior immediatus alicuius Conuentus, tolerari potest, dummodo sit legitimè præscripta, vel à Sede Apostolica approbata.

98 Possunt Generales nostri Carmelitani Ordinis instituere Prouinciales Titulares Angliæ, Hiberniæ, Scotiæ, Datiæ, Saxoniæ, & aliarum Prouinciarum, quæ olim in Religione verum, & reale Ius, Dominium, Iurisdictionemque habuere, vt constat ex Decreto Sacræ Congregationis Concilij ann. 1592. Vnde in Capitulo Generali Cremonæ celebrato 6. Iunij 1593. admissi sunt tales Prouinciales titulares sub his legibus, & conditionibus. Primò, Reuerendi Prouinciales Titulares instituantur in Capitulo Generali quotiescumque habentur Comitia, extra Comitia instituantur à Reuerendissimo Patre Ordinis. Secundo, Socios cum voce sibi asciscere non valeant pro quibuscumque Capitulis. Tertiò, de triennio in triennium mutentur, vel confirmentur à Reuerendissimo Patre Ordinis. Quartò, dum Reuerendissimus Pater fuerit assumptus, vel vita functus, Generalis Vicarius Apostolicus non possit eos arbitratu suo amouere, & alios instituere. Quintò, circa Prouincialem Terræ Sanctæ decreuerunt seruandam esse consuetudinem Religionis. Sextò, habeant locum, & vocem immediatè post Priores Conuentus, in quo degunt. Septimò, in Capitulo Generali, & coram Reuerendissimo Patre teneant locum Prouinciæ, cuius titulum habent. Octauò, si contigerit plures simul commorari, post Priorem Conuentus, inter se vnusquisque teneat locum suæ professionis, vel gradus. Nonò, subsint immediatè Reuerendiss. Patri Ordinis, ipsi, & eorum Socij. Video tamen hoc vltimum de Sociis ipsorum non esse in vsu. Decimò, in Capitulo Generali habeant vocem actiuam, & passiuam in omnibus in quibus cæteri Reuerendi Prouinciales de Iure, vel de consuetudine habent. Vndecimò, possint habere munia, & Officia in Conuentu, & Prouincia in quibus degunt, quæ alioquin habere possent. Duodecimò, priuati non sint hoc titulo ob quodcumque Officium sibi iniunctum nisi Prouincialatum alium obtinuerint. Decimotertiò, intersint omnibus, quibus alij Patres primarij, & discreti interesse debent in his Conuentibus, in quibus habitant. Decimoquartò, si assumantur ad Prioratum, licet non teneantur renunciare titulo, tenentur tamen subesse dispositioni, & obedientiæ Reuerendi Prouincialis Prouinciæ in qua Prioratum obtinent. Declarauit insuper eadem S. Congregatio, non prohiberi prædictos titulares ferre suffragia in electionibus Superiorum Decreto Concil. Trid. *sess. 25. de Regularibus cap. 6.* vbi scilicet decernitur non licere, *Prouinciales, aut Abbates, Priores aut alios quoscumque Titulares, ad effectum electionis facienda constituere.* Quo datur intelligi mentem Concilij solum fuisse tollere prædictos Titulares, quando solùm pro tempore electionis faciendæ, & ad hunc effectum sunt electi, non verò titulares perpetuos, prout colligitur ex Epistola Secretarij eiusdem Congregationis ad Vicarium Generalem Ordinis, quæ habetur in prædicto Capitulo Cremonensi.

Superiores Religiosorum concedentes alicui sibi subdito licentiam adeundi ad partes transmarinas, in quibus pauci fideles reperiuntur, nisi talis subditus sit scientia, prudentia, & experientiæ vsu præditus, incidunt in excommunicationē latæ sententiæ Papæ reseruatam in Extrauaganti *Ad nostrum.* Bonacina *in tract. de clausura quæst. 2. punct. 4.* Qui bene etiam addit hanc excommunicationem non incurri, si ipse Superior Ordinis, ille scilicet, qui in ipsa alium Superiorem non recognoscit, vt puta Generalis, ad prædictas partes vadat, cum textus solum loquatur de Religiosis subditis. Vide dicta *c. 9. n. 32.* 99

Ex nouissimo etiam Decreto Sanctiss. D. N. Vrbani VIII. in Generali Congregatione S.R. Inquisitionis habita 24. April. 1633. præcipitur omnibus Superioribus Religionum sub pœna priuationis Officij, ac vocis actiuæ, & passiuæ ipso facto incurrenda, aliisque arbitrio S. suæ infligendis, *vt in perpetuum semel saltem in anno, id est, feria 6. post octauam Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis in publica mensa, vel in Capitulo ad hoc specialiter conuocato, & insuper in quocumque Generali, ac Prouinciali Capitulo, Conuentu, Dieta, vel alio quouis nomine nuncupato Capitulari Congressu, suos subditos, ac Religiosos commonere de iniuncta omnibus obseruantia, & executione,* litterarum Apostolicarum, Constitutionum, & Decretorum ad Sanctum Officium Inquisitionis pertinentium. Præsertim Constitut. Iulij III. quæ incipit *licet à diuersis*, & habetur *tom. 1. Bullar.* inter Constitutiones huius Pontificis *num. 11.* & Constitut. Pij V. quæ incipit *Si de protegendis*, & habetur *in 2. tom. Bullar.* inter Constitutiones huius Pontificis *num. 82.* & Constitut. Pij IV. quæ incipit *Cum sicut nuper 2. tom. Bullar.* inter Bullas huius Pontificis *num. 31.* & Constitut. Gregor. XV. quæ incipit *Vniuersi Dominici gregis*, & est *in 3. tom. Bullar.* inter Bullas huius Pontificis *num. 34.* de qua, & nos *cap. sequenti num. 33.* Et Constitut. Gregor. XIII. quæ incipit *Officij nostri partes* inter Bullas huius Pontificis *tom. 2. Bullarij num. 21.* simul cum Constitutione Clement. VIII. quæ incipit *Etsi alias*, & est *in 3. tom. Bullarij* inter Bullas huius Pontificis *num. 81.* simul etiam cum Constitut. Sanctiss. D. N. Vrbani VIII. quæ incipit *Apostolatus Officium* inter Bullas ipsius *4. tom. Bullar. num. 79.* De quibus nos egimus *cap. 10. num. 22.* Deinde etiam Constitut. Sixti V. quæ incipit *Cæli, & Terræ creator*, & est inter Constitutiones ipsius *num. 17. in 2. tom. Bullar.* simul cum Constitutione Sanctiss. D. N. Vrbani, quæ incipit *inscrutabilia*, & est inter Constitutiones ipsius *4. tom. Bullar. numero 113.* de quibus nos egimus *cap. 10. num. 27.* Præterea Constitut. Clem. VIII. quæ incipit *Cum sicut in 3. tom. Bullar. num. 42. & Gregor. XV. Constitut. 28.* quæ incipit *Romani Pontificis 4. tom. Bullar.* Item Pauli V. *Constitution. 26.* quæ incipit *Romanus Pontifex*; de qua nos *in hoc capite num. 18.* diximus. Eiusdem *Constitut. 97.* inter Bullas ipsius, quæ incipit *Regis pacifici*, simul cum alia Greg. XV. quæ incipit *Sanctissimus Dominus noster auditis,* 100

ditis, & est 29. inter Constitutiones ipsius, de quibus, & nos *cap.20. num.12.* dicemus. Præterea Constitut. Gregor. XV. quæ est 27. inter Constitutiones ipsius, & incipit *Romanus Pontifex in Specula*, simul cum alia Sanctissimi D.N. Vrb. VIII. de eadem materia, quæ incipit *Alias fel. record. Gregorius Papa XV.* sub Datis Romæ 20. Decemb. 1631. de quibus nos *cap.3. numer.21.* Similiter eiusdem Gregor. Constit. 40. quæ incipit *Apostolatus Officium.* Et Sanctiss. D.N. Constitut. 114. quæ incipit eodem modo, & de quibus nos *cap. præsenti numero 96.* Insuper Sanctiss. D.N. Vrbani Constitut. 37. quæ incipit *Sanctissimus Dominus Noster sollicitè animaduertens*, de qua & nos *cap.12. numer.39. &* 40. Item eiusdem Sanctiss. D. N. Vrbani Constitut. 50. quæ incipit *Sanctissimus Dominus noster pro debito sui pastoralis officij.* Ac demum eiusdem SS. D. N. Constitut. sub Datis Romæ die 5. Nouembris 1631. quæ incipit *Cum sicut accepimus.* Ad adimpletionem autem huius decreti (vt puto) necessarium non est prædictas Constitutiones integrè legi, sed solùm summatim quoad substantialia eis contenta. Præcipitur autem ab eodem SS. D. N. Vrbano eisdem superioribus, quatenus teneantur curare, & efficere, vt prædicti Decreti *exempla aliquo loco apud eos publico affigantur, & affixa conseruentur, ita vt ab eisdem subditis Religiosis videri, ac legi commodè queant. Deque huiusmodi commonitione publico documento statim certiorem facere Congregationem S. Inquisitionis in Vrbe.*

101 Circa facultatem, quam habent prælati Regulares, præsertim Ordinum Mendicantium recipendi Tertiarios, vide dicta *cap.3. num.22.* Circa ea, quæ possunt præcipere suis subditis, vide *cap.4. per totum.* Qualiter etiam Religiosi nihil possint habere, recipere, dare, &c. sine licentia suorum Superiorum *cap.6. ferè per totum.* Et qualiter ipsi prælati non possint suis subditis aliquid superfluum, aut impertinens permittere, *ibidem à num.13.* De aliquibus obligationibus prælatorum Regularium, quæ habentur in Iure, & Conciliis *cap.9. specialiter numer.27.32. 34.* & de iis, quæ habentur ex Constitutionibus Summorum Pontificum, & Decretis Sacr. Congregat. *cap.10. num.1.2.16.20.21.* De obligatione Prælatorum ad faciendum recitari Officium Diuinum in suis Ecclesiis *c.12. n 9.* Circa facultatem dispensandi in illo cum suis subditis. *ibid. à n.28.* Pro iis, quæ facere possunt, aut tenentur circa suos subditos volentes recipere Ordines, *c.14.* Pro electionibus ipsorum, *c.15.* Pro cura, quam habere debent circa Apostatas, & fugitiuos, *c.16. à n.16.* Pro obligatione, quàm habent examinandi Concionatores, nec permittendi prædicare Idiotas *c.10. n.1.*


102 Quamuis ex vi cuiusdam constitutionis Pij IV. Regularium prælati tenerentur emittere professionem fidei, quia tamen ferè in omnibus Religionibus vsus est in contrarium in illis non est talis obligatio. Sorbus *in Annotat. ad compend. priu. tit. professio fidei.* Portellus *in Dub. Regular. verb. professio num.3.* Idem probabiliter dico de lectoribus etiam Sacr. Theolog. in Religionibus in quibus non est in vsu talis Bulla. Diana *tract. de Dub. regul. Resol.78.*

SVMMARIVM.

Regulares munus confessariorum exercere possunt. numero 1.
Præsentati tamen, & approbati ab Episcopis. n.2.
Quid si sine legitima causa licentiam concedere renuant. n.3.
Præsentatio in vno Episcopatu non sufficit pro aliis. num.4.
De priuilegiis quæ circa hoc dicuntur esse. n.5.
Quid de graduatis in Theologia, Lectoribus, Prælatis, &c. n.6.
Approbatio Confessariorum quomodo non perpetua. num.7.
An possit limitari ad tempus, locum, personas, &c. num.8.
Quomodo possint vel non, suspendi ab Ordinariis. num.9.
Approbatio Confessariorum non expirat morte concedentis. n.10.
Aliqui ipsorum audire possunt confessiones omnium. num.11.
An requiratur voluntas suorum superiorum. numero 12.
Quid de Confessariis excommunicatis, suspensis, &c. num.13.
A quibus casibus possint absoluere. n.14.
An dispensare in irregularitatibus. ibid.
An absoluere à casibus Papalibus. n.15.
Quomodo intelligenda decreta Sacr. Congregationis circa hoc. n.16.
Quid de casibus Episcopi reseruatis. n.17.
Quid de locis vbi publicatur Bulla Cruciatæ. n.18.
Nomen Ordinarij quomodo intelligendum in Iubilæis, & Bullis præsertim Cruciatæ. n.19.
An in illis censeatur concessa facultas dispensandi in irregularitatibus. ibid.
Qualiter absoluere possint Confessarij confratres confraternitatum suorum ordinum. n.20.
An teneantur absoluere à reseruatis quando possunt id facere. n.21.
An possint dispensare in votis. n.22.
An illa commutare. n.23.
Quid de votis Papæ reseruatis. n.24.
Quid de Coniugibus incestuosis. n.25.
Quid de illis qui voto facto castitatis contraxerunt. num. 26.
An absoluere possint plenariè Religiosos sui ordinis. num.27.
Saltem in articulo mortis. n.28.
An Religiosi possint sibi confessarios eligere præter assignatos à suis superioribus. n.29.
Qui credit se non esse idoneum ad confessiones audiendas quid facere debeat. n.30.
Confessores qui in domibus laicorum confessiones audiunt quid facere debeant. n.31.
Decretum Congregationis Sanctæ Apostolicæ visitationis. n.32.
Confessores sollicitantes ad illicita suos pœnitentes puniuntur à S. Officio n.33.
Qui comprehendantur in constitutione Gregor. XV. contra istos solicitantes. n.34.
Quid statuerit Gregor. XV. circa administrantes sacramenta. n.35.
Quid Clemens Octauus circa confessarios Religiosorum. num.36.
Quid quando Religiosus habet casum reseruatum, & postulat Confessarium à Prælato. n.37.
Litteras Pœnitentiariæ an possint aperiri à Confessarijs Regularibus. n.38.
An liceat eleemosynas postulare à Pœnitentibus. num.39.
Quando committitur à confessario simonia. numero 40.

Pœnæ

Pœnæ audientis Confessiones sine licentia, & authoritate. n. 41.
Pœna Confessarij secretum Confessionis detegentis. num. 42.
Pœna Confessarij absoluentis à censuris, vel casibus quando non potest, n.43.
Omnes Confessarij tenentur, apud se habere transumptum Bullæ cœnæ n.44.
Curati Regulares tenentur interesse Congregationi casuum conscientiæ.ibid.
A quibus examinandi Confessarij Regulares. numero 45.
De pœnis quas incurrunt non facientes conscientiam suis pœnitentibus circa soluendas decimas. ibidem.



CAPVT XIX.

De Confessoribus Regularibus, eorumque facultatibus, & obligationibus.

1 Regulares, seu Religiosos Sacerdotes de suorum prælatorum licentia, sæcularium confessiones audire posse, dummodo ad id, siue ex priuilegio, siue aliter, delegatam habuerint Iurisdictionem, res est in confesso apud omnes antiquioribus quibusdam paucis exceptis, qui rem hanc licentiosè nimis tractarunt.

Excipiuntur Patres Capuccini, quibus specialiter est prohibitum Confessariorum munus exercere. Quo tamen non obstante ex licentia vel dispensatione Sedis Apostolicæ id facere possunt. Pro quo vidi declarationes S. Congregationis Episcoporum & Regularium de ann.1646.pro 8.Iunij & 21. Sept. ac de anno 1647. pro 31.Maij & alias similes.

2 Quamuis olim tempore Bonifacij VIII. in Extrauag. quæ incipit, *Super Cathedram*, dederit ipse facultatem regularibus, vt solummodo à suis prælatis præsentari Episcopis secularium confessiones possent audire. Et tempore Benedicti XI. in alia sua Extrauag. quæ incipit, *Inter cunctas de priuilegiis*, etiam sine præsentatione, aut licentia Episcoporum concesserit posse Regulares audire secularium Confessiones. Et tempore Clemen.V. quæ incipit *Dudum de sepult.* reuocatum fuerit Decretum Benedicti, & renouatum illud aliud Bonifacij, iam tamen post tempora Concil. Trident. ad hoc quod Religiosi possint confessiones secularium audire, requiritur præsentatio, & approbatio Episcoporum per hæc verba *sess.* 23. *capite* 15. Quamuis Presbyteri in sua ordinatione à peccatis absoluendi potestatem accipiant, decernit tamen Sancta Synodus nullum etiam Regularem posse confessiones secularium, etiam Sacerdotum audire, neque ad id idoneus reputari, nisi aut Parochiale beneficium, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut alias idoneus iudicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat, priuilegiis, & consuetudine quacumque, etiam immemorabili, non obstantibus. &c. Nauarr. *cap. placuit num.*52. Quia vero postea aliquibus Religiosis concessum est indultum audiendi Confessiones sæcularium absque præuio examine Ordinarij, SS. D. N. Vrbanus in Bulla edita anno 1629. quæ habetur *tom.*4. Bullar. inter Constitutiones huius Pontificis *numero* 92. cassauit omnia, & singula priuilegia quibuscumque religionibus, & Societatibus concessa. Vnde iam his temporibus nullum extat priuilegium aliquibus Religiosis concessum, quo possint sæcularium confessiones audire non præmisso examine Ordinarij. Nec sufficit approbatio à Parocho, etiam pro subditis illius Parochiæ. Quia Concilium requirit approbationem Episcopi. Bonacina *de Sacrament. pœnit. disput.*5. *quæst.* 7. *punct.* 4. §.1. *n.* 12. Nec etiam requiritur consensus Parochi in cuius Parochia Religiosus audire vult confessiones, si accepit facultatem audiendi confessiones independenter à parochis, Bonacina *vt supra numero* 17. Barbosa de *Officio parochi cap.* 19. *numero* 22. & 23.

Aliqui dicunt non obstante prædicto Concilio Tridentino Decreto quod si Episcopi, (quod absit) ex indeuotione, mala voluntate, odio, aut absque alia legitima, iusta, & rationabili causa regularibus præsentatis coram ipsis, noluerint, dare licentiam audiendi confessiones, posse nihilominus sæcularium confessiones audire. Tum quia quoad hoc non est reuocata per Concilium Clementina illa *Dudum de Sepulturis*; quæ hoc statuit; tum quia non est credibile Concilij Decretum procedere in hoc casu. Nauarrus *in Manual. capite* 27. *numero* 264. Miranda *in Man. tom.* 1. *quæstione* 45. *articulo* 6. 3

Præsentatio Confessariorum Regularium facta in vno Episcopatu non sufficit pro aliis Episcopatibus. Colligitur ex Concilio Tridentino illis verbis. *Nisi ab Episcopis approbationem obtineat*; verbum enim illud (*Episcopis*) in plurali positum, satis insinuat, quod non sufficit vnius, aut alterius Episcopi approbatio, sed eorum omnium, in quorum Diœcesibus Regulares audire volunt confessiones. Collector. priuilegiorum Mendicantium *in suo Compendio verbo absolutio quoad sæculares.* Suarez *quarto tomo ad tertiam partem disputatione* 28. *sectione* 7. 4

Affertur tamen priuilegium, quod Gregorius XIII. concessit Confessariis, & prædicatoribus Societatis Iesu in bulla *Ad perpetuam* quod ab aliquo Ordinario semel approbati, & à suis Superioribus ad huiusmodi munera deputati, quandocumque, suum, siue in mari, siue in terra, iter faciendo, possint, non repugnantibus tamen Curatis Parochialium Ecclesiarum, Verbum Dei prædicare, & quorumcumque Christi fidelium confessiones audire, dummodo id non faciant in oppidis, & locis in quibus Ordinarij existunt sine eorum licentia desuper obtenta. Suarez *quarto tomo in tertia part. disputatione* 28. *sectione* 7. Enriquez *libro tertio de Sacram. pœnit. capite* 6. *numero* 7. Verumtamen hoc priuilegium non solum videtur derogatum à Sanctissimo Domino Nostro Vrbano propter dicta supra *numero secundo* (licet aliqui id non admittant) sed etiam, vt quidam volunt reuocatum fuit iam pridem, ante tempora Vrbani, viuæ vocis oraculo, vnde cautè in hoc procedendum. Laurentius de Peirinis *tomo primo de subdito quæstione prima de Obedient. cap.* 21. §. 2. Ad minus tamen videtur posse prædictos Confessarios Regulares audire vbique terrarum Confessiones subditorum illius Diœcesis, vbi sunt approbati. Quia Curati possunt absoluere subditos vbicumque repertos ac per consequens idem facere poterunt Religiosi approbati, qui sunt quasi Parochi, ex Clement. *dudum de sepultur.* Sotus *in* 4. *disput.* 18. *quæst.* 4. *artic.* 3. Ledesma *tomo primo Summ. de* 5

*pœnit.cap.*12.*dub.vlt.* Hoc verò intelligo, dummodò subditus extra territorium repertus non mutauerit domicilium. Peirinis vt supra. Affertur etiam ad præsens intentum priuilegium Sixti IV. concessum Minoribus, quod omitto, quia fuit viuæ vocis oraculum, quod his temporibus nihil valet, Casarubius *in compend. priuileg. verb. absolutio quoad secular.* 1. *numero vndecimo* Vbi illud inter viuæ vocis oracula non authentica signata littera O. numerat.

Posse autem Confessarium Regularem approbatum in vna diœcesi, v. g. Toletana audire confessiones subditorum ipsius diœcesis cum eos reperit Neapoli v. g. aut Mediolani, si illi non mutarunt domicilium, præter relatos authores tenent etiam Sanchez, Suarez, Henriquez, Peirinis, Vega, Nuñus, Tamburinus, & alij quos refert & sequitur Diana 3.*p. tract. de dub. Reg. & tract.* 4. *de Sacram resol.* 144. Et merito sane quia iste Confessarius habet iurisdictionem in personas pœnitentium, atque ita non debet attendi ad territorium seu præsentiam in illo, sed ad personam. Præsertim cum iurisdictio voluntaria qualis est ista fori pœnitentialis possit exerceri extra territorium, ex *l.* 2. *ff. de offic. proconf.* Quomodo autem non obstent declarationes Sacræ Congregationis, & aliqui quos affert Garzias *de benef. p.* 1. *capite* 8. *numero* 132. agit Diana *ea resol.* 144. referens Acostam, & Vgolinum.

6 Etiam Regulares graduati in S. Theologia, vel Lectores, &c. debent Episcopis præsentari, & ab ipsis examinari, & approbari vt possint munus Confessariorum exercere. Ratio est, quia quamuis oppositum videretur insinuari illis verbis Concilij, *Aut aliàs idoneus iudicetur*, tamen Pius V. in Bulla *Romani Pontificis prouidentia* anno 1571. determinauit supradictum Decretum obseruari debere ab omnibus Regularibus, *etiamsi sint Doctores, aut in Theologia de Superiorum suorum licentia graduati, vel promoti, vel à suis Magistris Generalibus, vel Prouincialibus pro secularium confessionibus expositi.* Suarez *tomo* 4. *in* 3. *part. disput.* 28. *sect.* 4. Quod Decretum reuocatum non est aut reductum ad terminos Concilij Tridentini, vt testatur Sacra Congregatio Cardinalium de qua Quaranta *in Summ. Bull. ver. Confessor.* Idem dico de Superioribus Regularium, quia non habent beneficium parochiale super seculares prout requirit Concilium. Suarez *tomo* 4. *in.* 3. *part. disp.* 28. *sect.* 4. *num.* 21. Vnde non sunt audiendi oppositum asserentes, videlicet aliqui apud Henriquez *de Indulgent. cap.* 22. & Ioannes Valerus *in differentiis vtriusque fori verb. nullitas diff.* 5. *num.* 3. praxis enim Ecclesiæ est in contrarium.

7 Approbatio hæc pro confessariis Regularibus requisita non est perpetua, sed semel approbati ab vno Episcopo, possunt à successore iterum examinari, & approbari, seu reprobari; non tamen ab eodem. Ita Pius V. in extrauag. *Romani Pontificis prouidentia* anno 1571. iis verbis. Volumus tamen eos, qui semel ab Episcopo in Ciuitate, & Diœcesibus suis, præuio examine approbati fuerint, ab eodem Episcopo iterum non examinari; à successore autem Episcopo pro maiori suæ conscientiæ quiete examinari de nouo poterunt. Idem etiam habet declaratio Congreg. Cardinalium per hæc verba. Congregatio Concilij censuit Regulares ad audiendum secularium confessiones in ciuitate, & Diœcesi ab Episcopo præuio examine approbatos iterum ab eodem examinandos non esse; cæterum posse iterum à successore examinari iuxta constit. S. mem. Pij V. dat Idibus Augusti Pont. sui anno 6. quæ à fel. rec. Greg. XIII. non est reuocata per reductionem priuilegiorum regularium ad terminos Conc. Trid. Viualdus *in Candel. aur.* 1. *part. tit. de Confess. n.* 28. Miranda *in Man. tom.* 1.*q.*45.*art.*7. Quando tamen Religiosus semel approbatus in vna Diœcesi ab illa recessit, si iterum reuertatur, non tenetur nouam quærere approbationem. Quia prima fuit, vt suppono, sine temporis limitatione. Secus verò quando est nouus Episcopus, & ille vult illum de nouo examinare. Propter dicta. Bonac. vt sup. *n.* 16.

Approbatio confessariorum regularium potest ab Ordinariis, iusta, & rationabili causa subsistente, restringi, & limitari ad certum tempus, locum, atque personas. Ratio est, quia ita determinatur in Clem. *Dudum de sepulturis*, nec reuocatum fuit per Concil. Trident. Suarez *tom.* 4. *in* 3. *part. disputat.* 28. *sect.* 7. *dub.* 6. Nauarrus *in Man. cap.* 4. *numero* 4. Si tamen id fiat sine iusta, & legitima causa, probabilissimum est talem restrictionem nihil valere. Henriquez *lib.* 3. *de Sacram. pœnit. cap.* 6. *numero* 5. & 9. Miranda *in Manual. tom.* 1. *quæst.* 45. *articulo* 10. referens hanc declarationem Cardinalium die 2. Iulij anno 1587. *Regulares, qui ad audiendas confessiones idonei generaliter ab Ordinariis, eorumque examinatoribus reperti, & approbati fuerint, generaliter quoque & indistinctè absque vlla limitatione temporis, certorumve locorum, aut generis personarum admittantur in propria Diœcesi. De cæteris vero, qui non adeo idonei reperiuntur si petierint se admitti arbitrio Ordinariorum relinquitur, ipsos cum limitata facultate, prout eisdem Ordinariis magis expedire videbitur, probare & admittere.* [Video etiam similem declarationem Sacræ Congregationis Episcoporum, & Regularium 1641. pro 13. Septembris. Eodem etiam die ad instantiam Procuratorum Generalium declarauit eadem Sacra Congregatio Regulares approbatos ab Ordinarios posse sine licentia Parochi audire confessiones infirmorum in eorum domibus, relinquendo tamen fidem pro Parocho quod tales infirmi confessi fuerint; nec in hoc prohiberi posse ab Ordinario. Vnde eadem Sacra Congregatio 7. Nouembris 1642. reuocari fecit quandam prohibitionem, quam quidam Archipresbyter fecerat ne administraretur Eucharistia ægrotis, qui confessi fuerant nostris Carmelitis] Vide Gauantum *in Man. Episc. verb. Confessarius n.* 12. & *seq.* 8

Præterea Confessarij Regulares semel ab Ordinariis liberè approbati non possunt ab ipsis suspendi ab audiendis confessionibus, *nisi ex noua causa eaque ad Confessiones ipsas pertinente aut ob non seruatum interdictum ab ipsis Ordinariis positum.* Similiter, nec possunt simul omnes confessarij vnius Conuentus priuari ab Ordinariis facultate audiendi confessiones. Ita enim determinatum est à Sacra Congregatione 20. Nouembris 1615. cuius Decretum referunt Alphonsus Leo *in fin.* 2. *p. de Iubil. pag.* 114. Laurentius de Peirinis *tom.* 1. *de priuileg. Minim in Constit.* 2. *Sixti IV.* §. 11. *num.* 45. Gauantus *in Manual. Episcop. verb. Confessar. numero* 23. & 24. Vnde si contra hoc Decretum, Confessarij Regulares suspendantur ab audiendis confessionibus, puto quod non tenentur obedire, cum excedant in tali casu Ordinarij limites auctoritatis quam habent. Peirinis *vt supra.* Quod maximè est verum, si cum ipso, & aliis dicamus facultatem, quam habent confessarij Regulares ad Confessiones 9

audiendas,

audiendas, dari illis immediatè à Papa,& quod Ordinarij solum dent approbationem personæ, declarando illam esse idoneam ad hoc ministerium. Rodrig. *tom.* 1.*q.*58.*art.*1.

Decretum autem illud, seu declaratio Sacræ Congregationis Episcoporum & Regularium pro 20. Nouembris 1615. huius est tenoris. *Cum Sacra Congregationi Cardinalium negotiis Episcoporum & Regularium præpositorum innotuerit Confessarios Regulares grauiter conqueri quod ab Archiepiscopis, Episcopis & locorum ordinariis ab audiendis confessionibus quauis de causa indiscriminatim suspendantur, & propterea sæpe contingere vt ab eisdem Archiepiscopis, Episcopis, & locorum Ordinariis omnibus simul vnius Conuentus Confessariis confessiones audiendi facultas adimatur. Illustrissimi eiusdem Sacra Congregationis Patres rati vix fieri posse vt hæc sine scandalo, magnaque animarum pernicie contingant, re mature perpensa ad omnem scandali materiam summouendam, & quo magis spirituali piarum mantium consolationi consulatur, statuunt & decernunt Archiepiscopis, Episcopis aliisque locorum Ordinariis, ad quos Confessarios approbandi ius spectat Confessarios Regulares, alias ab ipsis libere approbatos ab audiendis confessionibus suspendere posthac minime licere, nisi ex noua causa, eaque ad Confessiones ipsas pertinere, aut ob non seruatum interdictum ab ipsis Ordinariis positum statuerunt insuper eosdem Archiepiscopos, Episcopos, locorumque Ordinarios Confessiones audiendi facultatem omnibus simul vnius Conuentus Regularibus Confessariis eadem Sacra Congregatione inconsulta, nullo pacto adimere posse. Quod quidem decretum vt ijdem Illustrissimi Patres opportunum & necessarium duxerunt, ita inuiolabiliter iubent obseruari. Romæ 20. Nouembris 1615.* Consonat aliud decretum eiusdem S. Congregationis de anno 1647. sub 14. Iunij.

10 Approbatio Confessariorum Regularium non expirat per mortem concedentis. Ratio est, tum quia ista approbatio conceditur nomine Dignitatis, quæ numquam perit, tum quia id videtur supponi à Sacra Congregatione in Decreto adducto supra *n.* 7. dum dicitur *posse iterum à successore examinari*, non dicitur *debere*, Vnde si successor non reuocat, semper durat approbatio. Nauarr. *c.placuit de pœnit. dub.* 6. *n.*161. Suar. *lib. de leg. c.* 32. *n.* 9. *& tom.* 4. *in* 3. *part. disp.*26 *sect.*3.*n.*9. Deinde approbatio hæc non requirit ad sui validitatem, quod detur in scriptis. Cum Concilium non requirat hoc, nec sit necessarium ad rationem priuilegij. Bonacina vt supra *num.*32.

11 Confessarij Regulares Minores de obseruantia Carmelitæ, & qui cum ipsis communicant in priuilegiis existentes in Diœcesibus vbi sunt approbati, possunt omnium secularium quarumcumque Diœcesum Confessiones audire. Ita concessit Nicolaus V. Minoribus, & postea Sixtus IV. maximè Vrbanus IV. Carmelitis concessit, vt de licentia prælatorum Ecclesiæ possint audire Confessiones omnium Christifidelium causa deuotionis ad ipsos recurrentium, de licentia tamen prælatorum ipsorum fidelium (vt constat ex Bulla in speculo Ordinis *fol.* 69.) & nisi talia commisissent, propter quæ esset Sedes Apostolica merito consulenda. Cui concessioni *non reperitur similis in priuilegiis* Mendicantium, inquit Casarub. *compend. priuileg. Mendicantium verbo absolutio quoad sæculares primo numero* 19. Miranda *in Man. tom.* 1. *quæstione* 45. *articulo* 14. Vide etiam Suarez 4. *tom. de Relig. tract.* 10. *lib.* 9. *cap.* 2. *à num.* 8. Audire tamen Confessiones aliorum Regularium, siue suæ, siue alienæ Religionis non possunt ex vi prædictarum concessionum, nisi forte ipsi religiosi, qui volunt audiri in Confessione licentiam habeant suorum prælatorum. Ratio est, quia Confessores religiosorum solum sunt, vel prælati ipsorum, vel ab ipsis delegati, vnde non intelliguntur comprehensi in illa generali concessione. Præsertim, quia non est credendum Pontifices concessisse hoc priuilegium vni Religioni cum præiudicio prælatorum alterius. Sylu. *verb. Confessor.* 2. *n.* 6. Armilla *verb. absolutio num.* 23.

Regulares approbati ab Episcopis ad audiendas Confessiones secularium, si contra voluntatem suorum Superiorum audiant Confessiones, peccant; propter Votum Obedientiæ, quod sic faciendo, transgrediuntur. Nauarr. *in cap. de Pœnit. disp.* 6. *num.* 73. Validè tamen absoluunt. Cum reuera habeant potestatem Ordinis, & Iurisdictionis, vt supponitur. Si vero in Religione sit receptum Breue Iulij III. concessum Generali Prædicatorum, (quo vti possunt Religiones habentes communicationem priuilegiorum cum illis,) videtur nec valide absoluere. Eo quod in prædicto Breui Pontifex *reuocauit, licentias, & immunitates concessas Religiosis eiusdem Ordinis, quas Magister ipse Ordinis reuocandas diiudicauerit, vndecumque emanatas.* Miranda *in Manual. tomo* 1. *quæst.* 45. *articulo* 12. Ad minus tamen prædicti regulares approbati ab Ordinariis ad audiendas Confessiones secularium possunt à suis Superioribus rationabili de causa reprobari, suspendi, coarctari. &c. Nam quæcumque authoritas huiusmodi Confessariis regularibus concessa, semper intelligenda est quoad vsum, & exercitium pendere à voluntate Prælatorum, ratione voti obedientiæ. Sotus *in* 4. *distinct.* 18. *quæstione quarta articulo* 3. Graffis *tom. primo concl. lib.* 5. *de pœnit. & remiss. conf.* 4. *num.* 18. Vide dicenda infra *num.* 41. 12

Similiter prædicti Confessarij si excommunicati, suspensi, &c publici sint, per sententiam, (vel per notorietatem facti in casu publicæ percussionis Clerici) nec licitè, nec validè absoluunt, vt omnes admittunt, propter Extrauag. Martin. V. *Ad euitanda.* Secus vero quando tales censuræ sunt occultæ, tunc enim licet peccent sic faciendo, cum per illas hoc prohibeatur, valide tamen absoluunt. Eo quod pia mater Ecclesia tunc tribuit Iurisdictionem, supplendo defectum illius propter existimationem communem. Iuxta *l. Barbarius ff. de officio Prætoris.* Nauarrus *in Man. capite* 9. *numero* 7. Cornexo 2. *tom. in* 3. *part. tractat.* 5. *de excomm. disputat.* 10. *dub. vlt.* 13

Prædicti Confessarij in primis absoluere possunt ab omnibus casibus, qui Summo Pontifici, Episcopis, aut aliis Superioribus reseruati non fuerint. Quia vt habetur ex Regula Iuris *in cap. nuper de sentent. excommunic. & cap. et si Clerici de iudic.* quæ specialiter non reseruantur iure concessa censentur. Miranda *in Manual. tomo* 1. *quæstione* 46. *artic.* 2. Deinde etiam possunt absoluere ab omni excommunicatione minori. Cum minus hoc sit, quam absoluere à mortalibus, quod possunt facere. Nauarrus *in Manual. cap.* 27. *numero* 26. Similiter absoluere possunt ab omni excommunicatione etiam maiori non reseruata, Quia eo ipso quod non reseruatur videtur remitti iurisdictionem habentibus. Cornexo 2. *tomo in* 3. *part. tractat.* 5. *de excommun.* 14

commun. disputat. 11. *dub.* 1. loquens de censura iuris nemini reseruata, & *dub.* 3. loquens etiam de censura hominis nulli reseruata. Vbi etiam affert aliquas exceptiones. Numquam tamen possunt dispensare in irregularitate aliqua, secluso speciali priuilegio (quod non video alicui Religioni concessum respectu secularium.) Quia irregularitas omnis de iure communi solum tollitur Papæ dispensatione, exceptis illis, quæ Episcopis & Prælatis Regularium, quoad sibi subditos conceduntur. Syluester *verb. dispensatio quæstione* 9. 10. & 11. Suarez 5. *tomo de censuris disputatione* 41. *de irregular. sect.* 2. Vnde nec possunt prædicti Confessarij dispensare in irregularitatibus propter priuilegium Pauli III. Societati Iesu concessum, vt scilicet possint absoluere *à pœnis Ecclesiasticis.* Licet enim aliquæ irregularitates sint pœnæ Ecclesiasticæ, vt sunt illæ, quæ incurruntur celebrando cum censuris, tamen secundum stylum curiæ (qui facit legem) sub Generali clausula absoluendis à pœnis non venit irregularitas, sicut nec dispositio, aut degradatio. Suarez *quarto tomo de Religio. tract.* 10. *libro* 9. *capite* 2. *numero* 43. An vero virtute Bullæ Cruciatæ in aliqua irregularitate dispensare possint Confessarij, dicendum infra *n.* 18. & 19.

15 A casibus etiam, seu censuris Papalibus, seu Papæ, aut Sedi Apostolicæ reseruatis poterant olim absoluere aliqui confessarij regulares certis anni diebus, & solemnitatibus, propter priuilegia Leon. X. & Pauli III. concessa Minimis S. Francisci de Paula, qua refert Peirinis *tom.* 1. *priuileg. Minim. in constitut.* 8. *Leon. X. & tom.* 2. *in Constit.* 2. *Pauli III.* & Confettius *in Sum. priuil. Maris Magni tit.* 17. *c.* 6. & præsertim (etiam quolibet anni tempore) ex priuilegio eiusdem Pauli III. Iesuitis concesso, quod refert Casarubius *in fine Compendij pag. mihi* 545. quo vti possent omnes, qui habent communicationem priuilegiorum cum illis. Modò tamen post tempora Clem. VIII. extat Decretum S. Congregationis eiusdem Clem. mandato editum ann. 1601. quo sub grauissimis pœnis prohibetur omnibus Confessarijs tam secularibus, quam regularibus per vniuersam Italiam extra Vrbem degentibus, ne quis sub prætextu priuiligiorum, Indultorum aut facultatum, &c. possint absoluere ab vllo ex casibus clarè, vel dubiè in Bulla die Cœnæ Domini legi solita contentis, vel aliàs quomodocumque Sedi Apostolicæ reseruatis, aut in futurum per Sanctitatem suam, eiusque successores pro tempore in eadem Bulla, vel aliter reseruandis, nec etiam casibus, quos Ordinarij locorum hactenus reseruarunt vel in posterum sibi reseruabunt, nullo casu etiam necessitatis, vel impedimenti, nisi in mortis articulo, seu cum noua, vel speciali sanctitatis suæ, aut suorum successorum, vel Ordinariorum, quo ad casus ab ipsis tantum reseruatos respectiuè, impetrata in scriptis licentia. Quod decretum postea moderatum fuit à Sacra Congregatione eiusdem Clementis Octaui speciali mandato anno 1602. *Videlicet, sub eiusdem prohibitione illos tantum in posterum comprehendi casus, qui in Bulla die Cœnæ Domini legi consueta continentur. Præterea violationis immunitatis Ecclesiarum in terminis Constitutionis fel. record. Greg. XIV. quæ incipit, Cum alias nonnullis. Violationis clausuræ Monialium ad malum finem. Prouocantium, & pugnantium in in duello iuxta Decretum S. Concilij Tridentini, & Constitutionem fel. rec. Gregor. Papæ XIII. incipientem, Ad tollendum. Iniycientium volentas manus in Clericos iuxta can. Si quis suadente* 17. *quæst.* 4. *ac Iuris dispositionem. Simoniæ realis, scienter contractæ, atque etiam confidentiæ beneficialis. Item omnes casus, quos Ordinarij locorum sibi reseruarunt. In quibus omnibus iam enumeratis casibus dumtaxat, & sublata etiam pœna inhabilitatis audiendi confessiones, eadem Sacra Congregatio vult, & mandat dictum Decretum in sua firmitate, & pristino robore permanere.* Quaranta *in Bullar. verb. cas. reseruat.* Miranda *tom. primo Manual. quæstione* 46. *articulo* 4. & 5. Quia vero tempore Paul. V. dubitatum fuit an per prædicta Decreta prohiberentur Regulares absoluere à censuris Sedi Apostolicæ, & Episcopis reseruatis, esto à casibus absoluere non possent: ideo Sacra Congreg. de mandato eiusdem Paul. V. declarauit anno 1617. die 7. Ianuarij, comprehendi etiam absolutiones à prædictis censuris Laurent. de Peirinis *tomo* 1. *priuileg. Minim. in Constit.* 1. *Iulij* 2. §. 32. *numero* 63. Erasmus ChoKier *in tractat. de Iurisdict. Ord. in exempt. part.* 4. *quæstione* 56. Barbosa *de offic. Parochi cap.* 19. *num. vlt.* Nota etiam quod quamuis in hac declaratione S. Congregationis sub Paulo V. generaliter dicatur, non posse absoluere Confessarios à casibus Papæ reseruatis intelligendum tamen id est iuxta subiectam materiam id est à casibus illis Papæ reseruatis, de quibus est sermo in dictis Decretis Clementis VIII.

Ex quo infertur primo ab aliis casibus, seu censuris Papalibus, seu Sedi Apostolicæ reseruatis præter annumeratos in prædicta declaratione Sacræ Congregationis, posse Confessores omnes qui prædicto priuilegio Paul. III. vtuntur (vel aliis, si forsan habuerint,) absoluere suos pœnitentes, siue extra, siue intra, Italiam, siue in Vrbe, siue extra Vrbem, cum Exceptio Regulæ firmet illam in contrarium. Sequitur secundo, extra Italiam in Hispania, Gallia vel Germania posse eosdem confessarios absoluere ab omnibus casibus Papalibus, à quibus alias absoluere poterant ante istud Decretum. Cum prohibitio Decreti prædicti solum se extendat *per vniuersam Italiam.* Quod etiam expresse habetur ex nouissima declaratione Sacræ Congregationis Episcoporum, & regularium edita anno 1628. Nouembris die 17. & approbata à Sanctissimo Domino Nostro Vrbano VIII. Ibi enim sic dicitur. *Ab aliis vero casibus* (scilicet præter casus Bullæ Cœnæ, & reseruatos Ordinariis) *& censuris Sedi Apostolicæ reseruatis, si quidem regulares habeant à Sede Apostolica absoluendi facultatem, illam extra Italiam minimè sublatam fuisse, iisdem Sacræ Congregationis Decretis hac de re editis iussu San. memoriæ Clement. VIII.* An vero idem sit dicendum de Sicilia, Sardina, & Corsica, quæ Insulæ videntur Italiæ, tractat Diana *tract.* 16. *Miscellaneo resol.* 30. Sequitur tertio, nec intra, nec extra Italiam posse Confessarios Regulares absoluere à casibus in Bulla die Cœnæ Domini legi solita contentis, virtute suorum priuilegiorum. Non solum propter annuam ipsius Bullæ publicationem, in qua reuocantur quæcumque priuilegia. Sed etiam quia ita expresse declaratum est à prædicta Sacra Congregatione Episcoporum, & Regularium verbis inferius adducendis. Sequitur quarto Confessarios regulares Romæ degentes non comprehendi Decretis adductis Sacræ Congregationis sub Clem. VIII. expresse enim ibi est sermo cum Confessariis regularibus per *Vniuersam Italiam extra Vrbem degentibus.* Naldus *in Sum. verb. Bulla Cœnæ numero* 62. & Peirinis *tom.* 1. *priuil. Minim. in Const.* 1. *Iulij II.* §. 32.

§. 32. *n.* 62. Comprehenduntur tamen in Decreto S. Congregation. sub S.D.N. Vrbano adducendo *n. seq.* tam Romæ, quam vbilibet existentes quantum ad ea, quæ in prædicto Decreto continentur. Barbosa *vt sup.*

17 Similiter licet à casibus Episcopalibus, seu Episcopis reseruatis, (de quibus Nauarrus *in Manual. capite* 27. *numero* 262.) possent olim aliqui regulares Confessarij absoluere ex priuilegiis maximè Sixti IV. & Vrbani IV. pro Carmelitis, his tamen temporibus nullatenus ab illis absoluere possunt virtute suorum priuilegiorum. Primo propter responsionem Sacræ Congregationis Concilium Tridentinum ad S. Cardinalem Boromæum anno 1577. Cum enim S. hic Cardinalis à Sacra Congregatione quæsiuisset, an Regulares ex priuilegio à Sede Apostolica impetrato præsertim autem ex eo quod nominant Mare magnum, possint in casibus, quos sibi Episcopus reseruauerit, absoluere confitentes. Hac de re, vbi Congr. accuratè egisset, deinde ad SS. retulisset, sanctitas sua, etiam de sententia Congregationis censuit, ex *facultatibus per hoc Mare magnum, aliave priuilegia Regularibus concessa, factam eis non potestatem absoluendi à casibus sibi ab Episcopo reseruatis.* Confettius *in Summa mater. ex priuileg. Mendicant.* Secundo ex Decreto Clem. VIII. & S. Congreg. adducto supra *numero* 15. Quaranta *in Summa Bullar. verb. cas. reseru.* Miranda *tom.* 1. *Manual. quæst.* 46. *art.* 2. Tertio & principaliter ex Declaratione Sacræ Congregationis Episcoporum, & Regularium sub Sanctissimo Domino Nostro Vrbano VIII. supra *numero præcedenti*, qua declarauit ipsa Sacra Congregatio *per confirmationes priuilegiorum quas Regulares à Sede Apostolica post Sacrum Concilium Tridentinum obtinuerint, nequaquam reuixisse priuilegia prius ab eodem Concilio, ac deinde etiam ipsius Congregationis Decretis sublata, quæ atque extincta, si quæ habebant, absoluendi à casibus Ordinario loci reseruatis. Quemadmodum nec indulta absoluendi à casibus contentis in Bulla, quæ in die Cœnæ Domini legi consueuit, vt pote sublata per annuam ipsius Bullæ publicationem, vires, aut robur acquisiuisse ex subsequentibus priuilegiorum confirmationibus. Ac proinde Regulares cuiusuis Ordinis, Congregationis, Societatis, & instituti etiam necessario exprimendi, nec intra, nec extra Italiam, in vim priuilegiorum, aut confirmationum eiusmodi, quas vel hactenus obtinuerunt, vel deinceps forte obtinebunt posse quemquam bsoluere ab eisdem casibus in Bulla Cœnæ, aut Ordinario loci, reseruatis: ac si secus egerint, absolutiones nullas, atque irritas fuisse, ac fore.* Barbosa *de offic. Parochi cap.* 19. *num. vlt.* §. *illud Regularibus.* Post mortem tamen Episcopi, qui casus sibi reseruauit, potest quilibet confessarius absoluere. Quia tunc desinunt esse reseruati. Sà *in Sum. verb. absolutio n.* 20. Quaranta *in Sum. Bull. verb. confess. in addit. & ver. cas. reseru. in fine*, vbi hoc limitat solum pro casibus, quos Episcopi sibi reseruarunt, non vero pro illis, qui de iure sunt reseruati prædictis Episcopis.

17 In locis autem vbi publicatur Bulla Cruciatæ possunt confessarij virtute ipsius absoluere pœnitentes iuxta tenorem ipsius Bullæ ab omnibus casibus, & censuris ibidem cotentis. Cum priuilegium illud non sit pro confessariis sed pro pœnitentibus, vt possint sibi eligere Confessorem, qui illos à casibus in prædicta Bulla numeratis absoluant. Tenent aliqui etiam ab irregularitatibus ex delicto occulto prouenientibus, verbi gratia illis, quæ incurruntur ob celebrationem vel susceptionem Sacri Ordinis cum excommunicatione posse absolui pœnitentes virtute prædictæ Bullæ. Eo quod in ipsa detur facultas absoluendi *à quibuscumque pœnis, & censuris*; irregularitates autem prædictæ sunt pœnæ. Sotus *in* 4. *dist.* 22. *quæstione* 3. *artic.* 1. Medina *in Sum.* 1. *part. cap.* 11. §. 9. Quia tamen in aliis Bullis eiusdem Cruciatæ, qualis est illa anno 1628. à Paul. V. concessa, & à S. D.N. Vrbano publicata non est talis particula *à pœnis*, ideo nullatenus admitti potest sententia relata. Licet videam viros doctos prædictam irregularitatem quæ scilicet habet solum rationem pœnæ impositæ propter delictum numerare inter censuras. Cornexo *tract.* 5. *de censuris disp.* 1. *dub.* 2. cum aliis, quod non approbo.

In Iubilæis, seu Bullis etiam Cruciatæ, nomine *Confessoris approbati ab Ordinario*, respectu sæcularium intelligendus est ille, qui approbatus est ab Ordinario loci, seu Diœcesis, vbi audienda est confessio, sic enim responsum est à S. Congregatione Archiepiscopo Valentino; *Approbatum ab alio quam à Valentino Archiepiscopo in Diœcesi Valentina non censeri approbatum ab Ordinario.* Prosper Augustin. *in addit.* ad Quarantam *in sum. Bullar. verb. Confessor.* Bonacin. *de Sacrament. Pœnit. disput.* 5. *quæst.* 7. *punct.* 4. §. 1. *num.* 21. Quamuis multos referat pro contraria opinione, forsan, quia non viderunt prædictam declarationem Sacræ Congregationis Respectu vero regularium intelligi potest ille, qui est approbatus à suo superiori regulari. Hoc fundatur in benigna interpretatione vocis *Ordinarius.* Vincentius Filliuccius *tom.* 1. *tract.* 8. *cap.* 10. Bene addens, quod si in prædictis Iubilæis addatur *Ordinario loci*, vel *locorum*, tunc non possit interpretari nomine Ordinarij prælatus Regularis. Confessarium autem regularem approbatum ab Ordinario pro viris tantum, & non pro fœminis, posse eligi à fœmina illius Diœcesis, habente priuilegium virtute Iubilæi, vel Bullæ, ad eligendum Confessorem ab Ordinario approbatum, apud aliquos probabile est. Cum vere talis Confessarius sit approbatus ab Ordinario, & fauores sint ampliandi. Henriquez *lib.* 6. *de Pœnit. cap.* 6. *num.* 8. *& lib.* 7. *cap.* 12. Bonacin. *vt supra numero* 12. Vide Dianam *tract.* 2. *de Dub. Regular. Resol.* 93. *& Tract. de Bulla Cruciatæ resolut.* 9. in prædictis etiam Iubilæis, aut Bullis, numquam venit concessa dispensatio in irregularitate, nisi exprimatur. Quia hic est stylus Curiæ, vt numquam intelligatur concessa facultas dispensandi in irregularitate, nisi illius fiat expressa mentio. Vide dicta supra *n.* 14. Nauarrus *cap.* 27. *numero* 250. Bonacin. *de Irregul. disput.* 7. *quæstio.* 2. *punct.* 2. *numero* 7. An autem quando in prædictis Iubilæis conceditur facultas absoluendi ab omnibus casibus Bullæ Cœnæ, concessa etiam intelligatur facultas absoluendi ab hæresi, & si plures negent, probabilis tamen satis est sententia affirmans nisi quædam declaratio, quæ adduci solet ex Greg. XIII. pro negatiua parte authenticè constet. Diana *Tract. de absolutione ab hæresi Resolut. prima.* 19

Confessarii Regulares, qui virtute priuilegiorum volunt absoluere Confratres Confraternitatum suorum Ordinum, debent esse approbati à suis Superioribus, & Ordinariis, nec possunt illos absoluere à casibus contentis in litteris, quæ die Cœnæ Domini legi consueuerunt, necnon violationis immunitatis, & libertatis Ecclesiasticæ, & clausuræ Monasteriorum Monialium, si videlicet sine 20

necessaria

necessaria, & vrgenti causa, ac sine Superiorum licentia, vel etiam si causa, & licentia concessa abutentes, prædicta Monasteria ingressi fuerint, necnon violentæ manus, iniectionis in Clericum, & singularis certaminis; seu duelli, ac ab aliis etiam casibus, tam à Nobis, quam à nostro in Vrbe Vicario, & locorum Ordinariis respectiuè reseruatis, & pro tempore reseruandis, & etiam à quauis excommunicatione ab homine lata absoluere, nec super irregularitatibus, tàm ex aliquo defectu prouenientibus, quam occasione delicti contractis, cum aliquo dispensare, prætextu dictorum priuilegiorum. Ita Clemens Octauus in Bulla. *Quæcumque à Sede* anno 1604. edita *in 3. Bulla num.* 115. Vnde priuilegium Clement. VII. Confratribus Carmelitarum concessum, qnod habetur *tomo* 1. *Bullar. inter Bullas huius Pontificis, num.* 31. magna ex parte reuocatum iam est à Clem. VIII. Vide dicenda *tom.* 2. *c.* 15. *à n.* 16.

21 Confessarij audientes secularium confessiones tenentur illos absoluere, etiam à reseruatis, si ad id habeant facultatem, nisi forte propter iustam, aut legitimam causam, eos ad suos Superiores remittere sit conuenientius. Ratio est, quia licet vnusquisque possit renunciare proprio priuilegio, non tamen in casu, quo id vergit in damnum, & præiudicium alterius, prout contingit in proposito Henriquez *lib.* 7. *de Indulg. c.* 28 *n.* 2. Nauarr. *in Man. præl.* 9. *n.* 12.

22 Aliqui tenent posse confessores regulares dispensare cum secularibus sibi confitentibus in votis reseruatis Episcopis. Primò, ex priuilegio Eugen. IV. concesso Monachis S. Benedicti. Secundò, ex alio eiusdem Eugen. IV. concesso Monachis S. Benedicti Vallisoletani. Tertio, ex Innoc. VIII. in simili priuilegio Minoribus concesso (exceptis votis peregrinationis vltra duas dietas.) Ac tandem ex Martino V. Rodriquez *tom.* 1. *q.* 63. *art.* 3. Miranda *in Man. tom.* 1. *quæst.* 48. *art.* 3. qui hoc limitat *art.* 4. ad vota solum iure communi Episcopis reseruata. Verumtamen non video solidum fundamentum in priuilegiis adductis ad hoc quod confessores regulares vtantur prædicta facultate dispensandi cum secularibus in votis. In primis enim priuilegium illud Eugen. IV. concessum Benedictinis obseruantiæ Italiæ obscure satis loquitur ad intentum, vt proinde Rodrig. vt supra dicat nihil valere ad illud, licet oppositum teneat Miranda *etiam vt supra* Deinde, priuilegium aliud eiusdem Eugen. IV. concessum Benedictinis Vallisoletanis præterquam quod mihi non constat, an per Bullam, an vero viuæ vocis oraculo concessum sit, habet quandam limitationem, scilicet, quod confessarij possint vti prædicta concessione solum in suis Ecclesiis, & non alibi, vt aduerterunt Rodrig. vt supra, & Casarubius *in Compend. priuil. Mendic. verb. absolutio quoad secular.* 2. *n.* 16. Habet quoque aliam limitationem, scilicet, pro tribus, aut quatuor confessariis solum, vt videre est in eodem Casarubio: Præterea concessio illa Innoc. VIII. fuit viuæ vocis oraculum, & non authenticum, vt refert idem Casarubius, *vt supra num.* 12. De priuilegio illo Martini V. non mihi constare potuit, an per Bullam, an verò viuæ vocis oraculo concessum sit, & ita consulerem ab hac facultate abstinendum, prout in simili consuluit circa aliam concessionem Corduba *in annotat. ad compend. priuileg. Mendic. verb. dispensatio* §. 17.

23 Possunt tamen confessores Regulares habentes communicationem priuilegiorum cum Benedictinis, & Iesuitis commutare prædicta vota, illa scilicet, quæ propriè Episcopalia sunt. vt ait Laymanus *in theolog. moral. libro* 4. *tractat.* 4. *capite* 8. *num.* 17.

Primo, ex priuilegio illo Eugen. IV, concesso Benedictinis Obseruantiæ Italiæ, quod refert idem Casarubius *vt supra numero* 19. Secundò ex Paulo III. qui Patribus Iesuitis confessariis facultatem concessit commutandi vota venientium ad se in alia pietatis opera, (*Vltramarinis, Visitationis liminum Apostolorum Petri, & Pauli de Vrbe, ac S. Iacobi in Compostella, necnon Religionis, & Castitatis votis dumtaxat exceptis*) Extat hæc Bulla apud Casarubium *in Compend. priuil. Mendicant.* Gregor. XIII. extendit etiam hoc priuilegium ad vota iurata, dummodo commutatio in alterius præiudicium non fiat. Omitto ad hoc intentum priuilegia aliquot, quæ adduci solent, quia sunt viuæ vocis oracula, quæ his temporibus nihil valent, propter sæpius dicta.

Vota tamen Papæ reseruata, qualia sunt regulariter votum Religionis Castitatis, Peregrinationis ad Romam, Hierosolymam, vel Compostellam, ex Extrauagant. *Etsi Dominici* 2. *de pœnitent. & remiss.* quando perfecta sunt, & absoluta, nec dispensari, nec commutari possunt à Confessariis. Cum nullum circa hoc extet, quod sciuerim, priuilegium. Dixi quando perfecta sunt, quia quando deficiunt à perfectione voti, vel quia animus vouentis solum fuit se obligare ad culpam venialem, aut solum ad pœnam, vel quia ex parte materiæ imperfecta sunt, vt si sit votum Religionis non approbatæ, vel partis voti Castitatis, scilicet Castitatis coniugalis, tunc etsi dispensari non possint à Regularibus, propter dicta *numero* 22. videtur tamen posse commutari ab Episcopis, ac per consequens à Confessariis Regularibus, qui habuerint cnmmunicationem priuilegiorum cum Benedictinis, & Iesuitis, iuxta dicta etiam *n.* 23. Peirinis *tom.* 1. *de subdito quæst.* 1. *de Obedient. c.* 21. §. 1. Dixi etiam, quando sunt absoluta, quia quando tantum sunt conditionata, & pœnalia, possunt commutari; secundum aliquos. Eo quod talia vota, cum non sint simpliciter voluntaria, quia non emissa ex deuotione ad ipsa non præsumuntur reseruata à Pontificibus Cordub. *in Summ. quæst.* 52. Aragon. 2. 2. *quæst.* 88 *artic.* 12. 24

25 Possunt (secundum plures) Confessores aliqui Regulares cum coniugibus incestuosis post contractum Matrimonium ad petitionem debiti dispensare ex priuilegio Martini V. concesso Benedictinis, & confirmato à Iulio II. & ex viuæ vocis oraculo Pij V. qui Minoribus concessit, *quod fratres Confessarij, si sint viri docti, & iuxta formam Concilij Tridentini approbati, ex commissione Prouincialis dispensare possint in foro conscientiæ tantum ad petendum debitum cum his qui consanguineum, vel consanguineam sui coniugis post Matrimonium carnaliter cognouerunt.* Rodriguez *tom.* 1. *quæstione* 63. *articulo* 1. Miranda *tom. primo quæstione* 47. *articulo primo.* Est vero aduertendum, quod cum omnia viuæ vocis oracula abrogata sint hoc tempore à Sanctissimo Domino Nostro Vrbano vt diximus *capite tertio numero* 21. nihil iam valet prædictum viuæ vocis oraculum Pij Quinti. Vnde ex vi illius non habent Confessores Regulares tale priuilegium dispensandi cum coniugatis incestuosis, habebunt tamen illud ex Martino V. & Iulio II. adductis Benedictini, & qui cum illis habent communicationem

tionem priuilegiorum, nisi forte tales concessiones sint etiam viuæ vocis oracula, quod mihi non constat. Securius tamen est huiusmodi concessionibus non vti, vt consuluit Corduba *in annotat. ad Collect. priuil. Mendic. circa quandam similem concessionem Innoc. VIII. verb. Dispensatio.* §.17.

26 Similiter quamuis multi velint posse aliquos Confessores regulares dispensare cum illis, qui voto facto de castitate, contraxerunt, ad petitionem debiti, propter viuæ vocis oraculum eiusdem Pij V. (Rodriguez *tom.1. quæstione 63. artic.2.* Miranda *in Manual. tom. quæst.47. artic.2.*) Quia tamen huiusmodi viuæ vocis oracula his temporibus abrogata sunt, non possunt Confessarij vti prædicta concessione.

27 Confessores Regulares Ordinis Prædicatorum, & Minorum, & qui cum ipsis communicant in priuilegiis, videtur posse semel in vita absoluere plenariè Religiosos sui Ordinis ex priuilegio Sixti IV. quod refert Casarubius *in Compend. priuileg. Mendicant. verb. Absolutio extraordinaria quo ad fratres num.6.* Sed adiunxit Pontifex hoc priuilegium esse intelligendum *in forma Confessionalis per ipsum edita*, quod Casarubius ibidem intelligit de confessionali ab ipso Pontifice facto in quadam Bulla, quæ incipit, *Etsi Dominici gregis*, quam etiam refert *in verb. Excommunicatio §. alterum sciendum*, vbi excipiuntur plures casus à quibus vult Pontifex non posse absolui Religiosos. Deinde id possunt facere in certis anni festiuitatibus ex aliis concessionibus Leonis X. factis Monialibus Sanctæ Claræ. Lege eundem Casarubium *in Comp. v. Absolutio extraord. quoad fratr. §.8. & 9.* Aduerte tamen vsum istorum priuilegiorum debere esse dependentem à voluntate Superiorum, & non aliàs, iuxta dicenda *infrà num.29.* ex Clem. VIII. Vrban. VIII. & aliis. Omitto alias concessiones Sixti IV. Eugenij IV. & Leonis X. quas refert idem auctor, *ibidem §.3.5. & 7.* quia sunt viuæ vocis oracula, quæ his temporibus nihil valent. Alia etiam priuilegia refert Miranda *in Man. tom.2. quæst.33. art. vlt.* quæ etiam non refero, quia mihi non constat an sint viuæ vocis oracula, aut quæ conditiones in illis adiungantur. Vide Compendium priuilegiorum Ordinis D. Hieronymi, & Societatis Iesu *tit. dispensatio.*

28 In articulo etiam mortis possunt prædicti Confessores Regulares plenariè absoluere Religiosos ex priuilegio Sixti IV. iam adducto, quòd refert idem Casarubius *ibidem §.6.* Affertur etiam priuilegium Benedicti XIII. concessum Benedictinis, sed illud omitto, quia fuit viuæ vocis oraculum (Casarubius, *vt suprà §.11.*) Alia etiam referuntur Innoc. VIII. & Nicolai V. Miranda *in Manual. tom.2. quæst.33. art.7.* Illa tamen prætermitto, quia scire non potui an sint, vel non viuæ vocis oracula. Specialiter tamen pro Carmelitis extat concessio Eugenij IV. in Bulla *Romani Pontificis*, quæ habetur in fine Constitutionum, in qua singulis fratribus dicti Ordinis, qui Regulam Carmelitarum ab ipso moderatam obseruauerint, omnium peccatorum suorum plenam remissionem per Superiores religionis, vel alium quemcunque idoneum Sacerdotem Ordinis concedit, cum certis tamen conditionibus ibidem assignatis. Peccata autem virtute prædictorum priuilegiorum in mortis articulo semel confessa, & absoluta etiamsi sint reseruata, non tenetur ea iterum infirmus confiteri, si non moriatur. In quo differt hic modus absolutionis in articulo mortis per ista priuilegia ab eo, qui fieret à quocumque Sacerdote, seu alio Confessore non habente illa. Sotus *in 4. dist.18. q.4. art.4.* Suarez *4. tom. de Relig. tract.8. lib.2. c.19. num.15.* Circa modum, & formam prædictæ absolutionis præstandæ, vide Mirandam *in Man. tom.2. q.33. art.8.* Suarez *4. tom. de Relig. tr.8. lib.2. c.19. n.8.* An verò Indulgentia plenaria, quæ in articulo mortis per hanc formam absolutionis Religiosis concedi solet, reuocata sit à Paulo V. constat ex dictis *c.3. n.19.* Circa vsum etiam horum priuilegiorum, vide dicta *num. præcedenti.*

Non possunt Religiosi, cuiuscumque Ordinis sint, eligere sibi Confessorem aliquem præter illum, vel illos, qui à suis Prælatis eorum Confessionibus audiendis destinati sunt, aut absolui à casibus prædictis Superioribus reseruatis, virtute Bullæ Cruciatæ, aut quorumcumque aliorum indultorum, aut priuilegiorum Religionibus concessorum. Non solùm, quia numquam Pontifices hæc priuilegia concedere credendum est, nisi dependenter à voluntate Superiorum, quoad illorum vsum, aliàs Regulari disciplinæ multùm inde derogaretur. Est enim Regula Iuris *in 6. cap.2. de Pœnitent. & remiss.* sub clausula generali comprehenduntur particularia, quæ non esset quis verisimiliter in specie concessurus. Sed etiam, quia id expresè declaratum est à Clement. VIII. in Bulla *Romani Pontificis* anno 1599. ad instantiam Procuratoris Generalis Carmelitarum edita, & habetur 3. *tomo Bullarij num.64.* vbi habetur. Talem confessionem Sanctæ Cruciatæ, & aliorum Indultorum particularium quantùm ad prædictum articulum eligendi Confessorem, & absoluendi à casibus reseruatis, cum Fratribus, & Sororibus Monialibus Ordinis prædicti, ac aliorum, quorumcumque Ordinum, & Congregationum cuiusuis instituti Mendicantium, & non Mendicantium, tam Prouinciæ Hispaniæ, quam extra eam vbilibet, locum minimè habere, neque censeri, sed suæ intentionis existere, quòd iidem Fratres, & Moniales, quantùm ad Sacramentum pœnitentiæ, seu Confessionis administrationem dispositioni suorum Prælatorum subiecti sint. Eisdem tamen Prælatis, vt in vsu huiusmodi potestatis se cum subditis benignos, & faciles exhibeant præcipit, & mandat. Quaranta *verb. Confessor.* Post quæ Sanctiss. D.N. Vrbanus Papa, anno 1630. die 19. Iunij, prædictam Constitutionem Clementis Octaui innouauit pro ordine Prædicatorum, ac aliis Religionibus (vt habetur 4. *tom. Bullar.* inter Bullas Vrbani *num.105.*) ac motu proprio ampliauit, ferè per similia verba, scilicet prædictam Bullam Cruciatæ, & alia quæcumque indulta Religionibus concessa, *Quantum ad prædictum articulum eligendi Confessarium, & absoluendi à prædictis casibus reseruatis, etiam in Bulla Cœnæ Domini contentis, cum Fratribus, & Monialibus prædictis Fratrum Prædicatorum, ac aliorum quorumcumque Ordinum, Congregationum, Societatisque & Instituti prædictorum Mendicantium & non Mendicantium, tam Prouinciæ Hispaniæ, quam extra eam vbilibet constitutorum, locum minimè habuisse, neque habere, nec illis vllo modo suffragari potuisse, neque posse, sed nostræ intentionis fuisse, & esse, quod iidem Fratres, & Moniales, quantùm ad Sacramenti Pœnitentiæ, seu Confessionis administrationem ordinariæ dispositioni suorum Prælatorum, & Sedis Apostolicæ, quo ad sibi reseruata, subiecti sint, earumdem tenore præsentium perpetuo declaramus.* Extant etiam pro hac parte Decreta Pij V. Gregor. XIII. & declaratio DD. Cardinalium facta ad instantiam Patriarchæ Valentini pro Monialibus Episcopo subiectis. Cordub. *in annotat. sup. Regul.* 29

S. Francisci c.7. quæst.8. punct.2. Suarez *tom.4. de Relig. tract.8. lib.2. cap.16.* Miranda *2. tom. Man. q.34. art.15.* Vide Dian. *Tract.2. de dubiis Regul. Resol.94.* & nota quod licet hic Auctor *in Tract. de Bulla Cruciata resol.14.* aliqualiter inclinauerit in sententiam contrariam nostræ. Postea tamen visa Bulla Sanctiss. D. N. Vrban. nostram sententiam tuetur, & dicit contrariam non esse probabilem *in additionibus secund. Resol.9.*

30 Qui dubitat, an sit idoneus ad audiendas confessiones, à Superiorum precepto excusatur; non autem si sciat certò se ad id munus esse ineptum. Quia in dubiis standum est iudicio Superiorum, non in euidenter malis. Eman. Sà *in Summ. verbo confessor. num.10.*

31 *Confessores, qui in domibus Laicorum confessiones ex causa audierint, statim Parochum admonere teneantur & fidem auditæ confessionis pro medico adueniente relinquere.* Ex Sac. Congregat. die 2. Iulij 1587. Quaranta *in Summ. Bullar. verb. priuil. Regul.* Vide *num. sequenti.*

32 Extat etiam Romæ Decretum Congregationis S. Apostolicæ Visitationis de mandato Sanctissimi Domini nostri Vrbani VIII. quo præcipitur omnibus, & singulis Confessariis, tam secularibus, quàm cuiusuis Ordinis Congregationis, instituti, & Societatis, etiam de necessitate exprimendæ Regularibus, quocumque nomine nuncupatis, cuiusuis, gradus, & dignitatis in suo Ordine, ne imposterum tam Virorum, quàm Mulierum, cuiuslibet qualitatis, vel conditionis existant, præterquam si graui infirmitate detenti, vel detentæ sint, Sacramentales Confessiones, in illorum, seu illarum, vel etiam alienis ædibus, audiant, nisi de licentia Illustriss. Cardinalis Vrbis Vicarij, seu Reuerendissimi D. eius Vicesgerentis, in scriptis concedendæ, exceptis tamen Illustrissimorum, & Reuerendissimorum DD. Cardinalium, & Principum virorum secularium, videlicet Oratorum, Regum, & magnorum Principum, nec non, & Ducum, ac Roman. Pontif. qui fuerunt (vel pro tempore erũt Nepotum) hoc etiam addito, vt iidem Confessarij in mulierum huiusmodi Sacramentalibus confessionibus audiendis, cubiculi ianuam apertam, ac velum leuatum semper habeant, itavt conspici, non autem audiri possint: Sacramentumque Confessionis, huiusmodi Confessarij seculares cum superpelliceo, & stola, Regulares verò cum stola ministrent in Ecclesia, nisi ex rationabili causa audire aliquos in Sacrario, seu alio decente loco quandoque occurrat. Contrafacientes non solùm suspensionis à Confessionibus audiendis, verùm etiam alias pœnas arbitrio eiusdem S. Congregationis eo ipso incurrant. Insuper Confessariis huiusmodi sub eisdem pœnis iniungitur, vt si eos vigore facultatum eis concessarum, Confessiones infirmorum huiusmodi in priuatis domibus audire contigerit, Parochum dictorum infirmorum huiusmodi ante, vel saltem eadem die, qua Confessionem audierint, absolutionemque infirmis impartiti fuerint, certiorem reddere debeant. Vide Augustin. Barbosam *de Offic. & Potest. Parochi. cap.19. num.23.*

33 Confessores, qui (quòd absit) mulieres, dum eas in confessione audiunt, ad actus inhonestos prouocant, puniuntur à Tribunali S. Inquisitionis. Ex Bulla Pij IV. quæ incipit, *Cum sicut nuper.* Licet enim ea tantùm sit pro Regnis Hispaniarum, tamen Gregor. XV. in Constit. quæ incipit, *Vniuersi Dominici* ann. 1622. & habetur 4. *tom. Bullar.* inter Bullas huius Pontificis *num.* 34. illam extendit non solùm pro quibusuis Christiani orbis partibus, sed ad multa etiam alia vitia concernentia. Primò enim quoad personas vult prædicta Constitutione comprehendi omnes, & singulos Sacerdotes, tam seculares, quàm quorumuis etiam quomodolibet exemptorum, ac Sedi Apostolicæ immediatè subiectorum. Ordinum, Institutorum, Societatum, & Congregationum Regulares, cuiuscumque Dignitatis, & præeminentiæ, aut quouis priuilegio muniti existant. Deinde quoad delinquentes, voluit comprehendi supradictos, qui personas, quæcumque illæ sint, ad inhonesta, siue inter se, siue cum aliis quomodolibet perpetranda in actu Sacramentalis Confessionis, siue ante, vel post immediatè, seu occasione, vel prætextu Confessionis huiusmodi, etiam, ipsa Confessione non sequuta, siue extra occasionem Confessionis in Confessionario, aut in loco quocumque vbi Confessiones Sacramentales audiantur, seu ad Confessionem audiendam electo, simulantes ibidem Confessiones audire, sollicitare, vel prouocare tentauerint, aut, cum eis illicitos, & inhonestos sermones, siue tractatus habuerint. De quibus etiam delinquentibus loquens, vult quod *in officio Sanctæ Inquisitionis seuerissime, vt infrà puniãtur.* Postea verò grauissimis pœnis designatis, quibus tam enorme delictum puniri præcipit, probatum esse concedit, & declarat, testibus etiam singularibus, concurrentibus præsumptionibus, indiciis, & aliis adminiculis. Subiungit tandem pro Confessariis, qui talia cognouerint. *Mandantes omnibus Confessariis, vt suos pœnitentes quos nouerint fuisse ab aliis, vt suprà solicitatos moneant de obligatione denunciandi solicitantes, seu, vt præfertur, tractantes, Inquisitoribus, seu locorum Ordinariis prædictis. Quòd si hoc officium prætermiserint, vel pœnitentes docuerint non teneri ad denunciandum Confessarios solicitantes, seu tractantes vt suprà, iidem locorum Ordinarij, & Inquisitores illos pro modo culpæ punire non negligant.*

In hac Constitutione non comprehenduntur, mulieres solicitantes Confessarium. Quia solum loquitur de Confessariis solicitantibus. Peirinis *tom.2. priuileg. Minim. in Constitut.4. Gregor. XV. num.8.* Nec etiam comprehenduntur qui ministrantes Baptismum, Eucharistiam, vel Matrimonium fœminæ, ipsam sollicitarent. Quia Pontifex solùm loquitur de ministro Sacramenti pœnitentiæ. Sanctarellus *tract. de hæres. c.46. n.5.* Bonac. *de onere denunciand. disp.6. punct.3. n.14.* Verumtamen comprehenduntur non solùm confessores solicitantes fœminas, sed etiam (quod absit) solicitantes pueros ad aliquem actum inhonestum, quia id exprimitur, illo verbo, *personas quæcumque illæ sint.* Diana *tr. de denunciationibus Resol.12.* Et hoc *siue sint in actu Sacramentalis Confessionis, siue ante, vel post immediatè, seu occasione, vel prætextu confessionis, etiam ipsa Confessione non sequuta,* vt ibi dicitur. Vnde Confessor, qui audiens in Confessione fœminam esse leuem, ipsaque finita, lenonem mittit ad domum ipsius, vt eam solicitet, comprehenditur hac Constitutione, cum hoc faciat occasione Confessionis. Graffis *tom.1. cons. lib.4. de cognat. spirit. cons.1. à num.37. & de cas. res. lib.2. cap.12. num.30.* Idem dico si Confessarius solicitet fœminam, vt consentiat alteri, aut vt tradat ei, verbi gratia, suam filiam. Quia hoc exprimitur, illis verbis Constitutionis *siue inter se, siue cum aliis.* Graffis *vt suprà num.41. & 42.* Sanctarellus *tract. de hæres. c.44. n.19.* Idem etiam dico si Confesessarius non verbis expressis, sed solùm tacitis, & occultis alliciat pœnitentes. Quia etiã hoc est abuti 34

Sacramento

Sacramento pœnitentiæ. Peirinis *tomo 2. priuileg. Minim. in Constit. 4. Gregor. XV. num. 21.* Barbosa *de Offic. Parochi cap. 19. à num. 39.* Et quod magis est, comprehenduntur etiam illi qui *extra occasionem Confessionis in Confessionario, aut in loco quocumque vbi Confessiones Sacramentales audiuntur, seu ad Confessiones audiendas electo*, talia faciant. Quidquid male dicat in contrarium. Portellus *in Addition. ad dubia Regularia verb. sollicitar. fœminas n. 12.* Limitatur tamen hoc vltimum de Confessionario, aut loco in Confessionem electo, si hoc fiat simulando Confessionem. Quia dicitur *simulantes ibidem Confessiones audire.* Vnde videtur dicendum quòd si quis in prædicto loco similia perpetrauerit non simulando audire Confessiones; vt si per noctem, verbi gratia, in tali loco Confessarius faceret aliquid inhonestum cum aliquo suo pœnitente, non comprehenderetur ista Constitutione. Rodriguez *tom. 2. quæst. 27. art. 1. & 2.* Quaranta *in Summ. Bullar. verb. Confessor, circa explicationem Bullæ Pij IV. adductam.* Deinde non comprehenditur Confessor solicitans ad alia peccata non carnalia, quia Constitutio solùm loquitur de solicitante *ad inhonesta.* Peirinis *tom. 2. priuileg. Minimor. in Constitut. 4. Gregor. XV. num. 7.* Nec qui consentit mulieri solicitanti, quia iste non est sollicitator. Peirinis *num. 9. & 10.* Insuper, vt ex prædicta Constitutione habetur, tenentur Confessarij monere pœnitentes, quos sciuerint ab aliis solicitatos, vt denuncient S. Officio, & illos non absoluere si renuerint obedire. (Rodriguez *tom. 2. quæst. 27. art. 1.* Sanctarellus *vt suprà cap. 46.*) Nisi fortè solicitati credant, Confessorem solicitantem esse fraternè corrigibilem, aut esse emendatum, aut confessum suum delictum coram Inquisitoribus, aut timeant ex denunciatione periculum mortis, vulneris, truncationis membri, infamiæ, vel amissionis honoris. In his enim casibus excusari poterunt pœnitentes à denunciatione. Cautissimè tamen procedere debent Confessarij circa pœnitentes ab aliis solicitatos Peirinis *vt suprà à num. 29. & seqq.* Vide Dianam *Tract. de Denunciationibus*, vbi de hac præsertim. Et nota quod in praxi non debent solicitati credere Confessarios solicitantes esse fraternè corrigibiles, aut emendatos, cum sint de hæresi suspecti. Propterea tenentur illos ante quamcumque monitionem, seu correctionem S. Officio Inquisitionis denunciare. Non tamen tenentur isti solicitati manifestare suum crimen, si fortè Confessario solicitanti consenserunt, sed denunciare solicitationem non detegendo suum defectum. Bonacina *vt suprà numero 10.* [Nota etiam quod cum quidam Episcopus cogere vellet Regulares ad obseruandum id quod in dicta Constitutione Gregorij XV. §. *Mandantes*, continetur, sub iuramento, prohibitus est id facere à S. Congregatione Episcoporum & Regularium 7. Nouembris 1642.]

35 Præterea Gregor. XV. in Constitut. de exemptorum priuilegiis anno 1622. edita (4. *tomo Bullar.* inter Bullas Gregorij XV. *num. 18.*) statuit, & declarauit. Vt deinceps tam Regulares, quam sæculares quomodolibet exempti, siue animarum curam personarum secularium Monasteriis, seu domibus Regularibus, aut quibusuis aliis Ecclesiis, vel beneficiis siue Regularibus, siue secularibus incumbentem, exerceant: siue aliàs Ecclesiastica Sacramenta, aut vnum ex illis ministrent præuia Episcopi licentia, & approbatione; siue quoquo modo in dictæ curæ exercitio, aut in eorumdem Sacramentorum, vel alicuius ex illis administratione de facto absque vlla auctoritate se ingerant, in his, quæ huiusmodi curam, seu administrationem concernunt, omnimodæ iurisdictioni, visitationi, & correctioni Diœcesani Episcopi, tamquam Sedis Apostolicæ delegati, plenè in omnibus subiiciantur. Quia tamen dura videbatur huiusmodi Constitutionis determinatio, ideò Sacra Congregatio Concilij censuit, *Constitutionem hanc nequaquam subiicere Regulares exemptos, quibus cura animarum personarum secularium non incumbit. Episcoporum iurisdictioni in his, quæ Sacramentorum administrationem concernunt, nisi cum in Sacramentis personis secularibus administrandis iidem Regulares delinquunt.* Similiter cum dubitaretur, an Episcopi possint Regularibus præscribere, vt certis tantùm in locis, ac temporibus, aut certarum personarum Confessiones audiant, vel aliàs eorum priuilegia restringere, ac moderari in Sacramentis administrandis. Respondit eadem Sac. Congregatio. *Hac in parte Constitutionem nihil noui iuri induxisse, nec vllam nouam auctoritatem Episcopis attribuisse. Quod si aliunde Episcopis huiusmodi facultas competat, illam non fuisse ab eadem Constitutione sublatam.* Vide 4. *tomo Bullar.* post Constitutionem 18. Greg. XV. Nota etiam huiusmodi Constitutionem iussu SS. D. N. Vrbani suspensam fuisse pro Regnis Hispaniarum, vt constat ex Breui Nuntij Apostolici tunc temporis existentis, nunc verò Eminentiss. Cardin. Saccheti 21. April. anno 1625.

Ex Decreto etiam Clem. VIII. super casuum 36
reseruatione approbato, & innouato à S. Congreg. Concil. Sanctiss. D. nostri Papæ Vrbani VIII. die vigesimaprima Septembr. 1624. statuitur pro Confessariis Religiosorum, quòd non liceat Superioribus Regularium Confessiones subditorum audire, nisi quando peccatum aliquod reseruatum admiserint aut ipsimet subditi spontè, ac proprio motu, id ab iis petierint. Item quòd Superiores in singulis domibus deputent duos, tres, aut plures Confessarios pro subditorum numero, maiori, vel minori, iique sint docti, prudentes, ac charitate præditi, qui à non reseruatis eos absoluant, & quibus etiam reseruatorum absolutio committatur, quando casus occurrerit, in quo eam debere committi ipse in primis Confessarius iudicauerit. Præterea decernitur, quòd tam Superiores pro tempore existentes, quàm Confessarij, qui ad Superioritatis gradum fuerint promoti, caueant diligentissimè, ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in Confessione habuerunt, ad exteriorem gubernationem vtantur. Subiungitur etiam. Licebit tamen Superioribus determinare pœnitentias graues quibusdam peccatis, etiam non reseruatis, à Confessariis imponendas, quæ subditos ab huiusmodi perpetrandis cohibere possint. Atque ita per quoscumque Regularium Superiores quicumque illi sint obseruari mandauit. Non obstantibus, &c. Sanctitas sua deinceps declarauit, quòd si huiusmodi Regularium Confessariis casus alicuius reseruati facultatem petentibus Superior dare noluerit, possint nihilominus Confessarij illa vice pœnitentes Regulares, etiam non obtenta à Superiore facultate, absoluere. Vide dicta *c. 18. n. 29.*

Circa quæ primò animaduertendum est, quòd si 37
subditus habens casus reseruatos petat confiteri alteri, non teneri Superiorem concedere illi facultatem, vt possit confiteri cuicumque voluerit; sed posse designare aliquem, vel aliquos, cui, vel quibus solùm confiteatur. Ratio est, nam reseruatio casuum ad hoc fit, vt grauiora delicta grauiùs corripi, & meliùs emendari possint, ad quod requiritur, quòd

quòd Prælatus designet doctiores,& grauiores personas. Suarez *tom.4. in tertia parte, disput.30.sect.4.* Longus *de casib. reseruat. part.1. sect.1. articulo 17. num.10.* Similiter quando Confessarius petit licentias absoluendi aliquem à casu reseruato, non tenetur Prælatus, etiam pro prima vice, talem facultatem concedere,nisi talis Confessarius putetur idoneus pro illo munere exequendo. Quia non est credibile Pontificem voluisse hanc facultatem concedi Confessario non idoneo pro absolutione talis casus. Suarez *tom.4. in tertia parte,disp.30.sect.4. num.11.* Laurentius de Peirinis *tomo 1. priuileg. Minimor. in Constitut.2. Iulij II. §.24. num.59.* si verò pœnitens pro secunda, aut tertia vice inciderit in casum aliquem reseruatum, & Prælatus Confessario petenti facultatem ad illum absoluendum illam dare noluerit, si habeat necessitatem celebrandi, vel communicandi, quidam dicunt, habita contritione, vel probabili existimatione eius posse communicare, non præmissa confessione, tamquam is, qui non habet copiam confessoris. Hoc verò solùm est admittendum quando timet, quòd Prælatus abutetur scientia Confessionis, & inde timeat aliquod malum, vel fractionem sigilli,non tamen, quando solum ob ruborem, & verecundiam non vult confiteri Prælato. Quia in primo casu habet sufficientem excusationem, non in secundo. Imò etiam in tali prædicto casu potest,& vt credo,debet confiteri Confessario habenti facultatem absoluendi à non reseruatis confitendo illi aliqua peccata non reseruata saltem alias confessa,& sic celebrare, aut communicare. Quia tunc prædictus Confessarius absoluere illum poterit ab omnibus peccatis, à non reseruatis directè, à reseruatis verò indirectè. Vide Suar. *4.tom.de Relig.tr.8. lib.2.c.19.n.22.& 23.* Vide dicta *suprà cap.18.* circa facultatem, quam habent Prælati in casibus reseruandis *num.29.*

38 Possunt (secundum plures) Confessarij Regulares, qui communicant in priuilegiis cum Iesuitis, approbati ab Ordinario legitimè ad Confessiones audiendas, etiam non graduati, litteras, seu breuia Sacræ Pœnitentiariæ, quæ Communiter Magistris Theologiæ, vel in Iure Canonico Doctoribus destinantur, audiris Confessionibus ad eos recurrentium, impositaque pœnitentia in litteris expressa, vel de iure imponenda,ac in foro conscientiæ,quascumque siue verbo, vel scripto missas absolutiones, dispensationes, & pœnitentiarum iniunctiones accipere,& exequi. Propter priuilegium Gregorij XIII. concessum Sacerdotibus Societatis Iesu. Sorbus *in Compend. verb. Confessores in fin.* Sanchez *lib.8. de Matrimon. disputatione 34. num.11.* Vide Bullam inter Constitutiones Gregor. XIII. *numero 75. in 1. tom. Bullar.* & aduerte non esse securum potiri hoc priuilegio, etiam per viam communicationis, illas Religiones, quorum Religiosi gradus Doctoratus admittunt, quia titulus ratione cuius hoc concessit Pontifex Patribus Societatis est, quia ipsi non solent ad tales gradus promoueri. Quæ ratio cessat in aliis Religionibus tales gradus admittentes.

39 Licitum est Confessariis Regularibus eleemosynas à pœnitentibus datas recipere, non ratione Confessionis,nec absolutionis, sed per modum simplicis eleemosynæ. Cùm in hoc nulla deformitas reperiatur,quin potiùs rationi consentaneum sit,vt qui *in Sacrario operantur quæ de Sacrario sunt edant,* vt inquit Apostolus primæ Corinth.9.Laur.de Peir. *tom.1. de subdit.q.1. de Obed. cap.21.* Iniungere autem Missas pro pœnitentia, licet res indifferens appareat, nihilominus non debet fieri à Confessariis, ne pœnitens suspicetur ex auaritia iniunctam sibi fuisse talem pœnitentiam. Conradus *2.part.respons. q.358.* Laurent. de Peirinis *vt supr.* Vide Bonac. *de Simon.q.4. §.16.n.10.*

Qui verò pro Sacramentorum administratione 40
pretium aliquod recipiunt Simoniaci sunt *c. Cum in Ecclesia, c. Non satis de Simonia.* Sanctus Thomas *2.2.quæst.100.art.2.* Syluester *verb.Simonia n.8.* Et quamuis in Iure specialis pœna non sit illis designata, generales tamen Simoniacorum pœnas incurrunt, & ita deponuntur *cap. Sicut de Simonia,* Aldrete *lib.2. de Religion. disciplin. cap.16. num.47.* Simonia committitur dando, vel accipiendo pecuniam pro leui pœnitentia iniungenda in Sacramento Confessionis, nam impositio pœnitentiæ est actus Clauium. Bonacina *de Simonia quæstione 4. §.16. num.5.*

Sacerdos Regularis sine Ordinarij facultate Con- 41
fessiones audiens (præterquam quòd confessio, est nulla propter dicta *sup.num.2.*ex Concilio Tridentino) committit crimen depositione dignum *cap. Placuit de pœn.dist.6.* Nauarr.*ibid.* Rodriguez *tom.2. quæst.37.art.1.* Regularis etiam Confessarius sine sui Superioris licentia Confessiones audiens præter particulares pœnas in specialibus statutis Religionum designatas, grauissima pœna inobedientium plectendus est. Sotus *in 4.distinct.18. quæst.4.art.3.* Rodriguez *tomo 2. quæst.37. artic.1.* Qui verò non Sacerdos Confessiones audierit punitur à S.Inquisitione, iuxta dicta *cap.10. num.22.* Vide etiam *suprà num.12.*

Confessarij,qui (quod absit) Confessionis secre- 42
tum detegunt, olim perpetuò depositi omnibus diebus vitæ suæ ignominiosè peregrinare cogebantur *cap. Sacerdos de pœnitent. distinct.6.* Hodie verò ex Concil. Generali sub Innocentio Tertio perpetuò deponendi sunt. Sed ne in Ordinis Sacerdotalis ignominiam peregrini vagarentur, in arctum Monasterium detrudi præcipiuntur, vt ibi pœnitentiam vsque ad mortem agant. Nauarrus *in d.c.Sacerdos num.fin.* Alderete *lib.2.de Relig.disciplin. cap.19.num.2.* Barbosa *de Offic.Parochi cap.19 n.55.* Non tamen huiusmodi Sacerdotes sunt irregulares. Suarez *4.tom.in 3.part.disp.32.sect.8.* Alder.*vt suprà num.3.*

Confessarij absoluentes aliquem à casibus in Bul- 43
la Cœnæ Domini contentis, excommunicationis sententia innodantur in prædicta Bulla. §.23. Deinde Religiosi præsumentes absoluere excommunicatos à Canone, nisi in casibus à Iure expressis, aut gratia Sedis Apostolicæ concessis, vel excommunicatos à sententiis per Statuta Prouincialia, vel synodalia, sunt ipso facto excommunicati, & absolutio reseruatur Papæ. Vt habetur in Clementina *de Priuilegiis cap. Religiosi.* D. Anton. *tertia parte, tit.24. cap.54.* Caietanus *in Summ. tit. excommunicat. cap.64.* Religiosi verò absoluentes ab excommunicatione lata ab homine, non incurrunt in excommunicationem(intellige nisi talis excommunicatio,lata etiam sit contra absoluentes) peccant tamen mortaliter, & inualidè absoluunt. Sorbus *in Addit.ad Compend. priu. Mendic.verb. Confession.& confes. §.2. notandum.*


Tenentur Confessarij omnes ad audiendas pecca- 44
torum Confessiones quauis auctoritate deputati, sicut,& *Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, aliique locorum Ordinarij, & Ecclesiarum Prælati, necnon Rectores, cæterique curam animarum exercentes, ac Presbyteri*

Presbyteri sæculares, & quorumuis Ordinum Regulares, habere penes se transsumptum Bullæ, quæ vocatur de Cœna Domini, eamque diligenter legere, & studere. Ita enim præcipitur in eadem Bulla, vt patet in ea, quæ est Sanctiss. Dom. nostri Vrb. VIII. & habetur inter Bullas ipsius 4. *tom. Bullar. num.* 62. Quaranta *in Summ. Bullar. verb. Excommunicatio in Bulla*. Barbosa *de Offic. Parochi cap.* 19. *num.* 61. Tenentur etiam Curati Regulares interesse cum aliis Curatis Congregationi casuum conscientiæ. Ita enim determinatum est à Sac. Congregatione Episcop. Regul. 13. Octobris 1592. Et ita video Romæ obseruari. Gauantus *in Manual. Episcop. verb. Cleri Conuentus num.* 2. *& verb. Parochorum munera à num.* 27.

45 Qualiter, & à quibus examinandi, & approbandi sunt Regulares ad audiendas Confessiones nedum sæcularium, sed etiam Religiosorum eiusdem Ordinis, vide Decretum Clement. VIII. & S. Congregat. sub Sanctiss. D. N. Vrbano quod attulimus *cap.* 18. *num.* 79. Pro pœnis etiam, quas incurrunt Religiosi Confessarij, qui suis pœnitentibus conscientiam non faciunt de soluendis decimis, vide *cap.* 9. *num.* 26.

SVMMARIVM.

Non possunt Regulares concionari sine examine. num. 1.
Ad prædicandum in Ecclesiis suorum ordinum requiritur licentia Superiorum, & benedictio Episcoporum petita. num. 2.
Ad prædicandum verò in Ecclesiis quæ suorum Ordinum non sunt requiritur vlterius Episcopi licentia.
An prædicti puniri possint ab Episcopo. num. 3.
An per aliquas vices possit sine tali licentia regularis doctus prædicare. num. 4.
Licet Religiosis prædicare etiam in locis publicis. num. 5.
An prædicante Episcopo Religiosi prædicare possint. num. 6.
Concionatores semel præsentati, & approbati, an iterum præsentari, & approbari debeant. num. 7.
Quæ priuilegia habeant circa officium diuinum, & ieiunia. num. 8.
Religiosi prædicantes errores quomodo puniendi. numero 9.
Prohibentur prædicare aliquas indulgentias S. Mariæ de Populo, &c. num. 10.
Quid illis prohibeat Concilium Lateranense sub Leone X. ibid.
Sub quibus pœnis. ibid.
Quid moneat Conc. Trid. sess. 5. *num.* 11.
Concionatoribus de Immaculatæ Virginis Conceptione, quid præceptum sit à Summis Pontificibus. num. 12.
Carmelitarum Concionatoribus qualiter liceat prædicare de speciali protectione B. Virginis erga sui Ordinis alumnos. num. 13.
Non possunt admitti ad concionandum infames. n. 14.
Concionatores in statu peccati mortalis an peccent concionando. num. 15.
Qualiter peccent concionando fabulas, facetias, aut aliquid ridiculum. num. 16.
Quæ illis præcipiantur vel prohibeantur à Sacris Conciliis; & à Sacris Congregationibus. num. 17.
De aliis ad ipsos spectantibus. num. 18.
Quis teneatur Concionatori solitam eleemosynam tribuere. num. 19.



CAPVT XX.

De Concionatoribus Regularibus, eorumque obligationibus.

NON possunt Regulares exercere munus Concionatorum, *nisi à Superioribus de vita, moribus, & scientia examinati, & approbati fuerint, ac de eorum licentia.* Ita enim habetur in Conc. Trident. *sess.* 5. *cap.* 4. Nauarr. *in Manual. cap.* 25. *n.* 141. *&* 143. Vnde Regularis prædicans absque sui Superioris licentia peccat mortaliter. Nauarr. *n.* 141. Incurrere etiam excommunicationem Papalem ex Leone X. in Concilio Lateranensi docent Zerola *in praxi v. Mendicat. n.* 2. *p.* 1. Reginald. *lib.* 18. *n.* 119. Priuantur etiam officio prædicandi ab eodem Leone X. vide Bullam *tom.* 1. *Bullar. inter Bullas Leonis num.* 21. Peccant etiam mortaliter Prælati, qui subditos non examinatos de vita, moribus, & scientia aut non idoneos, permittunt prædicare. Tum ex Conc. Trid. tum ex Leone X. tum ex scandalis, quæ inde solent euenire. Peirin. *de subdito q.* 1. *de Obed. c.* 22. Vide circa hoc Decret. Clem. VIII. & Vrbani VIII. *c.* 18. *n.* 79. 1

Deinde quicumque Regulares, ad prædicandum in Ecclesiis, quæ suorum Ordinum non sunt, *vltra licentiam suorum Superiorum, etiam Episcopi licentiam habere teneantur, sine qua in ipsis Ecclesiis non suorum Ordinum nullo modo prædicare possint.* Ita habetur etiam in eodem Concil. *loc. cit.* Ad prædicandum verò in Ecclesiis suorum Ordinum non requiritur licentia Episcopi, sed solùm suorum Superiorum licentia, & quòd *cum ipsa personaliter se coram Episcopis præsentare, & ab eis benedictionem petere teneatur.* Concil. *ibid.* Ex quo habetur, ad prædicandum regulares extra suas Ecclesias requiri non solùm examen & approbationem Superiorum Religionum, de vita scilicet, moribus, & scientia, sed etiam licentiam ipsorum, & vlteriùs Episcopi quoque licentiam; ad prædicandum verò intra suas Ecclesias minus requiri, scilicet examen, approbationem, & licentiam suorum Superiorum, & præsentare se Episcopis, ab eisque benedictionem postulare. Hoc est, vt puto, quòd Episcopus non contradicat, quòd videtur exprimi à Concilio *sess.* 24. *c.* 4. illis verbis: *Nullus autem secularis, siue Regularis, etiam in Ecclesiis suorum Ordinum, contradicente Episcopo, prædicare præsumat.* Miranda *in Manual. tom.* 1. *q.* 50. *art.* 2. Peirinis *tom.* 1. *de subd q.* 1. *de Obed. c.* 22. Vide circa hoc declarationes aliquot S. Congreg. Episcop. apud Gauant. *in Man. Episcop. verb. Concio sacra. num.* 16. 51. 52. 53. *&* 54. & dicenda *tom.* 2. *cap.* 1. *num.* 17. 2

Nihilominus prædictos prædicatores Regulares, *qui absque licentia Episcopi prædicauerint, in Ecclesiis, quæ suorum Ordinum non sunt, tametsi Decreto Concilij contrafecerint, non posse tamen puniri ab Episcopo, sed tantùm à suis Superioribus Regularibus*, declarauit Sac. Congregatio anno 1602. per verba adducta. Flau. Cherub. *in Comp. Bullar. tom.* 2. *supr. Bull.* 41. *Pij V.* Posteà verò Gregorius XV. in Constit. *de Exemptorum priuileg.* anno 1622. edita declarauit, quòd Episcopus tamquam Sedis Apostolicæ delegatus habeat auctoritatem coercendi, ac puniendi quoscumque exemptos tam seculares, quam Regulares, qui in alienis Ecclesiis, aut quæ 3

suorum Ordinum non sunt, absque Episcopi licentia, & in Ecclesiis suis, aut suorum Ordinum, non petita illius benedictione, aut ipso contradicente, prædicare præsumpserint. Pro huius tamen Constitutionis moderatione Religiones supplicauerunt, & pro Regnis Hispaniarum suspensa est, vt diximus *cap.19.num.35.* Addunt plures Episcopum non posse hac benedictionem, negare, & quòd si neget, nihilominus posse Regulares in suis Ecclesiis prædicare. Eò quòd Concilium solùm dicit, quod *teneantur petere benedictionẽ*, nec dicit, & illam obtinere. Præsertim, quia benedictio iure petita, si iniustè negetur, videtur iure concessa. Henriquez *lib.6. de pœnit. cap.13.num.4.* dicens, hoc censuisse S. Congregationem an.1597. Laurent. de Peirinis *tom.1. de subdito quæst.1.de Obed. cap.22.* Vide Gauantum *in Manual. Episcop. verb. Regul. iura sub Episcop. num.35. & 36.* referentem aliquas declarationes S.Congregationis Episcoporum, & Regularium circa hoc.

4 Non obstante etiam prædicta doctrina Concilij, putant aliqui posse Regularem doctum, & idoneum prædicare pro duabus, aut tribus vicibus solùm de licentia Parochi, in sua Parochia. Henriquez *lib.7 de Indulg. cap.16.* Hoc verò solùm admitterem, si pro tali persona, aut occasione præsumeretur licentia tacita, vel interpretatiua Episcopi, & esset in oppidis, vbi non sunt Episcopi, sed tantum Parochi; essetque hoc legitima consuetudine receptum, aliàs non. Cautè enim procedendum, maximè post Constitutionem Greg. X V. *num. præcedenti* adductam, vbi viget. Sed vide Barbosam *de potestate Episcopi Alleg.76.num.25.*

5 Licitum est, per se loquendo, Religiosos prædicare, etiam in locis publicis, viis, & plateis. Ratio est, tum ex exemplo plurium Sanctorum, videlicet Antonij Paduani, Vincentij Ferrerij, & Petri Martyris id sæpè facientium, vt ex historiis ipsorum constat, tum quia hoc, nec diuina, nec humana lege est prohibitum, aut intrinsecè malum. Suarez *4.tom. de Relig. lib.9.cap.1. à num.25.* Vnde hoc possunt facere aliqui Religiosi, etiam sine licentia. Episcoporum. Ratio est, propter multa priuilegia Religionibus concessa, præsertim Sixti I V. Carmelitis, Bonifacij IX. Prædicatoribus, Pauli III. Iesuitis, & Clementis V. Prædicatoribus, & Minoribus, quibus etiam gaudent aliæ Religiones cum ipsis communicantes. Hæc autem priuilegia abrogata non sunt à Conc. Trident. aut Constitutione Greg. XV. adducta, cum ex illis solum habeatur non posse sine licentia, aut benedictione Episcoporum prædicare Regulares in suis, aut alienis Ecclesiis. Compendium priuilegiorum Mendicantium. *verb. Prædicatores.* Miranda *in Manual.tom.1.quæst.50.art.4.* Numquam tamen vti possunt hac facultate prædicandi alicubi contradicente Episcopo. Tum ex Concil. Trident. *sess.24. cap.4.* id expresè prohibente, tum quia prædicare verbum Dei, est proprium munus Episcoporum, atque ita ad minus exigitur, ne contradicant. Rodriguez *tom.3. quæst. Regular. quæst.32.art.5.*

6 Etiam prædicante Episcopo possunt Religiosi suo munere prædicandi vti. Ratio est, nam licet in Clement. *Dudum*, & in Extrauag. *Inter cunctas*, concedatur licentia Religiosis prædicandi, *hora illa dumtaxat excepta, in qua locorum Prælati prædicare voluerint, vel coram se facere solemniter prædicari.* Tamen cum in aliis priuilegiis Religionum, quale est illud Pauli III. pro Patribus Iesuitis adductum, quo etiam gaudent qui cum ipsis communicant in priuilegiis, non ponatur talis limitatio, & licentia Episcoporum ad prædicandum supponatur, nec contradicant illa hora prædicare, poterit id fieri, nisi consuetudine oppositum sit receptum, aut aliunde constet Episcopo displicere talem concionem. Suarez *4.tomo de Religion. lib.9. de societ. cap.1.num.30.* Vide tamen circa hoc Sac. Congregat. Concilij, sub Sanctiss. D. N. Vrb. præceptum apud Barb. *de Offic. Paroch. cap.14. num.2.* & aliam declarationem eiusdem Sac. Congregat. apud Gauant. *in Manual. Episcop. verb. Concio sacra, num.52.*

Prædicatores semel præsentati, & approbati ab Episcopis non possunt ab eisdem iterum compelli, vt præsententur, benè tamen à successoribus; iuxta dicta de Confessoribus *cap. præced. num.7.* Propter similem rationem, Miranda *tom.1. Manual. q.50. artic.9.* Sorbus *in annotat. ad Compend. verb. Prædicatores.* 7

Habent aliqui Prædicatores Regulares, videlicet Theatini, & qui cum ipsis communicant in priuilegiis, priuilegium Clement. VII. circa Officium Diuinum recitandum, de quo egimus *cap. 12. num. 32.* Habent etiam aliud Leonis X. priuilegium circa ieiunia, concessum Minoribus, & per consequens aliis Religionibus, quæ communicationem priuilegiorum habent cum illis: quòd scilicet prædicatores *actu prædicantes possint sine scrupulo, seruato ieiunio, anticipare, & retardare horas comestionis, & serotinæ collationis, iuxta suam consolationem.* Nauarrus *in Manual. cap.21.num.16. & cap.25.num.201.* Miranda *in Manual.tom.1.q.50. art.11.& 12.* Quia tamen priuilegium hoc fuit viuæ vocis oraculo concessum, vt habet Casarubius *in Comp.priuil. Mendic.verb. Ieiunium.num.5.* ideò nihil valet. Iure tamen communi, & causa rationabili subsistente potest fieri id, quod isto priuilegio concessum erat. 8

Religiosi prædicantes errores aut scandala disseminantes in populum, etiamsi in Monasterio sui, vel alterius Ordinis prædicent, ab Episcopis interdicuntur quoad officium Prædicandi. Quòd si hæreses prædicauerint, contra eos, secundum iuris dispositionem, aut loci consuetudinem debent procedere. Concil. Trident. *sessione 25. cap.2.* Quaranta *in sum.Bull. verb. Exemptio.* Similiter Leon. X. in Bulla *Dudum*, quæ habetur in appendice Bullar. *fol.21.* præcipit in virtute sanctæ Obedientiæ, & sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, omnibus Religiosis cuiuscumque Religionis, ne deinceps Indulgentias, & gratias S.Mariæ de Populo de Vrbe, ad seculares extendi prædicent, aut publicè, vel priuatè nuncient, nisi solum ad Fratres, Moniales, Tertiarios, & familiares. Laert. *in append. Bull. vt sup.* 9

Item Concilium Lateranense sub Leone X. *sessione 11.* prohibet Prædicatoribus, ne de cætero in sermonibus suis publicis, alia quæque futura ex litteris Sacris constanter prædicent, nec illa à Spiritu sancto, vel diuina reuelatione se habuisse affirmare, & alienas inanes diuinationes asseuerando, aut aliquo modo quocumque tractanda assumant; sed ex diuinæ vocis præcepto Euangelium omni creaturæ, cum vitiorum detestatione, & virtutum commendatione, enucleent, atque declarent. Rursusque idem Concilium, Euangelicam veritatem, & Sacram Scripturam, iuxta declarationem, interpretationem, & ampliationem Doctorum, quos Ecclesia, vel diuturnus vsus approbauit, legendosque hactenus recepit, aut in posterum recipiet, prædicent, 10

prædicent, & explanent. Neque quicquam eius proprio sensui contrarium, aut dissonum adiiciant, sed illis semper insistant, quæ ab ipsius S.Scripturæ verbis, & præfatorum DD. interpretationibus ritè, & sanè intellectis, non discordant. Tempus quoque præfixum futurorum malorum, vel Antichristi aduentum, aut certum diem Iudicij prædicare, vel asserere nequaquam præsumant, cùm veritas dicat non esse Vestrum nosse tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate. Item ex eodem Concilio. Si quibusdam eorum Dominus futura quædam in Dei Ecclesia, inspiratione quapiam reuelauerit, &c. quoniam res magni momẽti est, eò quòd non de facili credendum sit omni spiritui, sed teste Apostolo probandi sunt spiritus, an ex Deo proueniant, Volumus, vt lege ordinaria tales assertæ inspirationes, antequam publicentur, aut populo prædicentur, ex nunc Apostolicæ Sedis examini reseruatæ intelligantur. Quod si sine moræ periculo id fieri non valeret, aut vrgens necessitas aliud suaderet, tunc eodem ordine seruato, Ordinario loci notificentur, vt ille, adhibitis secum tribus, aut quatuor doctis, & grauibus viris, huiusmodi negotio cum eis diligenter examinato, quando id expedire videbitur (super quo eorum conscientias oneramus) illud propalandi licentiam concedere possint. Gauantus *in Man. Episcop. v. Concio Sacra à num.* 35. Tandem contra prædicatores in suo munere delinquentes sic procedit idem Concilium. Vltrà pœnas contra tales à iure statutas, excommunicationis etiam sententiam, à qua non nisi à Romano Pontifice præterquam in mortis articulo constituti, absolui possint, eos incurrere volumus. Et vt eorum exemplo alij attentare similia minimè audeant, prædicationis etiam officium eis esse interdictum perpetuò decernimus. Vide Bullam inter Bullas Leonis X. *num.* 21. Animaduertunt tamen aliqui huius Concilij censuras non fuisse receptas. Nauarr. *in Man. cap.* 27. *num.* 111. Suarez *tomo* 5. *disputat.* 22. *sect.* 6. Quod aliorum iudicio remitto. Vide dicenda *infrà num.* 17.

11 Concilium quoque Tridentinum *sess.* 5. *cap.* 2. Sic monet prædicatores *Plebes pro sua, & earum capacitate pascant salutaribus verbis, docendo ea, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, annunciandoque eis cum breuitate, & facilitate sermonis, vitia, quæ eos declinare, & virtutes, quas sectari oportet, vt pœnam æternam euadere, & cœlestem gloriam consequi valeant.* Vide compendium priuilegiorum *verb. prædicatores*, & Simancas *de Cathol. Instit. tit.* 49.

12 Concionatoribus de Immaculatæ Mariæ Virginis Conceptione præter id quod illis anteà præceptum erat à Sixto IV. scilicet, quòd neutram opinionem, affirmatiuam scilicet, aut negatiuam condemnare præsumerent, sub excommunicationis sententia Papæ reseruatæ; vlteriùs illis præcipitur à Pio V. in Bulla, quæ incipit, *Super Speculam Domini* anno 1570. edita, quatenus nemo cuiuscumque Ordinis, gradus, conditionis, vel dignitatis existat, in popularibus concionibus, vel vbicumque promiscua virorum, & mulierum multitudo conuenire solet, de huius controuersiæ alterutra parte disputare, rationibus, vel doctorum auctoritate, asserendo propriam sententiam, & contrariam refellendo, aut impugnando, vel de hac ipsa quæstione, cuiusuis pietatis, aut necessitatis prætextu, vulgari sermone scribere, vel dictare præsumat. Contra transgressores verò sic procedit. Qui contrafecerit suspensionis pœnam à Diuinis absque noua declaratione ipso facto incurrat, si modò fuerit in Sacris constitutus, & quocumque prætereà gradu, siue dignitate, vel administratione fungatur, illis omnibus sit ipso iure priuatus, & ad eadem, vel similia munera obtinenda, vel obeunda perpetuæ inhabilitatis censuræ, ipso etiam facto sit obnoxius, super quibus nisi à Romano Pontifice pro tempore existente dispensari, siue absolui non possit. Et nihilominus aliis pœnis, si opus fuerit, à proprio Prælato pro delicti mensura infligendis subiiciatur, prout subiicimus. Posteà verò Paulus V. in alia Bulla anno 1616. edita, quæ habetur in appendice 3. Bull. *fol.* 68. approbauit, & confirmauit prædictas Bullas Sixti IV. & Pij V. ac præterea adiunxit, quòd si quis quouis modo contrauenerit, præter supra dictarum Constitutionum pœnas respectiuè ipso facto incurrendas, etiam concionandi, publicè legendi, seu docendi, & interpretandi facultate, ac voce actiua, & passiua in quibuscumque electionibus, eo ipso, absque alia declaratione priuatus existat, necnon ad concionandi, & publicè legendi, docendi, & interpretandi perpetuæ inhabilitatis pœnas similiter ipso facto incurrat absque alia declaratione, à quibus non nisi à Nobis ipsis, vel Successoribus nostris Roman. Pontificibus pariter absolui, seu super iis dispensari possit, & nihilominus aliis pœnis, nostro, & eorumdem Romanorum Pontificum Successorum nostrorum arbitrio infligendis, subiiciatur, prout eum subiicimus per præsentes, & cõtra huiusmodi transgressores etiam Regulares cuiusuis Ordinis, & Instituti, etiam quomodolibet exemptos, & alias quascumque Ecclesiasticas, & seculares personas, cuiuscumque status, gradus, Ordinis, aut dignitatis tam Ecclesiasticæ, quàm secularis, vt præfertur, tam Episcopi, & Prælati, Superiores, aliique Ordinarij locorum quàm hæreticæ prauitatis vbique locorum deputati Inquisitores procedant, & inquirant, atque in eos seuerè animaduertant. Nos enim iis, & eorum cuilibet contra eosdem transgressores procedendi, & inquirendi, ac pœnis coercendi, & puniendi liberam facultatem, & auctoritatem, iisdem auctoritate, & tenore tribuimus, & impartimur, eosque, vt præfertur procedere, inquirere, & punire præcipimus, & mandamus. Post quæ S.Congregatio S.Inquisitionis coram eodem Paulo V. die 31. Augusti Anni 1617. Præcipit omnibus, & singulis cuiusuis Ordinis, & instituti Regularibus, & aliis quibuscumque, tam Ecclesiasticis, quàm secularibus personis cuiusuis conditionis, status, gradus, Ordinis, aut dignitatis, tam Ecclesiasticæ quàm secularis, etiam si specialis, specifica, & indiuidua earum esset necessariò mentio facienda, vt in posterum, donec articulus huiusmodi à S.Sede Apostolica fuerit diffinitus, vel per Sanctitatem suam, & Sedem Apostolicam fuerit aliter ordinatum, non audeant in publicis Concionibus, Lectionibus, Conclusionibus, & aliis quibuscumque actibus publicis asserere, quòd eadem Beatissima Virgo fuerit concepta cum peccato Originali. Contrafacientes autem eadem Sanctitas sua voluit, & declarauit, subiacere debere, & subiecit censuris, & pœnis contentis in supradictis Constitut. suorum Prædecessorum, & sua, ipso facto incurrendis. Per huiusmodi tamen prouisionem Sanctitas sua non intendit reprobare alteram opinionem, nec ei vllum prorsus præiudicium inferre, eam relinquens in eisdem statu, & terminis, in quibus de præsenti reperitur, præterquam quoad supra disposita. Vlterius sub eisdem censuris, & pœnis mandans, quòd negatiuam opinionem, videlicet, quòd non fuerit concepta cum peccato

originali in prædictis publicis actibus asserẽres aliã opinionem non impugnent, nec de ea aliquo modo agant, seu tractent. Insuper voluit, & expresse mandauit, vt extra hos casus expressos publicorum actuum, in reliquis omnibus supradictæ Constitutiones firmæ, & illæsæ remaneant, & exactè obseruentur perindè ac si præsens Decretum non emanasset. Et ita decreuit, & mandauit vbique inuiolabiliter obseruari non obstantibus in hac parte supradictis Constitutionibus, & aliis omnibus in contrarium facientibus. Volens, & decernens, pro obseruatione, & executione præsentis Decreti, & omnium in eo contentorum, quòd contra huiusmodi transgressores, etiam Regulares, cuiusuis Ordinis, & Instituti etiam quomodolibet exemptos, & alias quascumque Ecclesiasticas, & seculares personas cuiuscumque status conditionis, gradus, Ordinis aut dignitatis tam Ecclesiasticæ, quàm secularis, tam Episcopi, & Prælati, Superiores, aliique Ordinarij locorum, quàm hæreticæ prauitatis vbique locorum deputati Inquisitores procedant, & in eos seuerè animaduertant, tribuens eis, & eorum cuilibet liberam facultatem, & auctoritatem contra eosdem transgressores procedendi, ac pœnis coercendi, & puniendi. Vide 4.*tom.* Bullar. in Paul.V. *n.*7. Posteà verò Greg.XV. in Generali Congregatione S. Inquisitionis ann. 1622. & habetur inter Bullas Greg.XV. *in* 4.*tom.* Bullarij *n.*29. prædictum Decretum Paul.V. extendit, & ampliauit, etiam ad priuata colloquia, & scripta, mandans, & præcipiens omnibus, & singulis supradictis, ne de cætero, donec articulus huiusmodi à Sede Apostolica diffinitus, vel per Sanctitatem suam, aut Sedem Apostolicam fuerit aliter ordinatum, neque etiam in sermonibus, & scriptis priuatis audeant asserere, quòd eadem Beat. Virgo fuerit concepta cum peccato originali, nec de hac opinione affirmatiua aliquo modo agere, seu tractare, &c. Concessit tamen idem Pontifex in alia Bulla eodem anno (provt habetur in prædicto loco 4.*tomo Bullar.* inter Bullas huius Pontificis vt supra) Omnibus, & singulis Ordinis Prædicatorum Fratribus, vt de cætero in quibuscumque priuatis eorum colloquiis, seu conferentiis, inter se dumtaxat, & non inter alios, aut cum aliis de materia eiusdem Conceptionis B. Mariæ Virginis differere, & tractare absque vllo pœnarum in dictis Decretis contentarum incursu, liberè, & licitè possint, & valeant. Gauantus *in Manual. Episcop. v. Conceptio B. Virginis.*

13 Possunt Concionatores Carmelitarum in suis concionibus prædicare de speciali protectione Beatiss. Virginis circa eos, eorumque Confratres, videlicet quod populus Christianus possit piè credere, eamdem Beatissimam Virginem, animas Fratrum, & Confratrum eiusdem Ordinis in charitate decedentium, quæ in vita habitum gestauerint, & Castitatem pro suo statu coluerint, Officiumque paruum recitauerint, vel si recitare nesciant, Ecclesiæ ieiunia obseruauerint, & feria quarta, & Sabbatho à carnibus abstinuerint (nisi vbi in iis diebus Natiuitatis Domini festum inciderit) suis intercessionibus continuis, piisque suffragiis, & meritis, ac speciali protectione post earum transitum; præcipuè in die Sabbathi, (qui dies ab Ecclesia eidem Beatissimæ Virgini Mariæ dicatus est) adiuturam. Sic enim post varias controuersias discussum, matura deliberatione decretum fuit à S. & generali Inquisitione Eminentiss. DD. Cardinalium sub Paulo Quinto anno 1613. & ab Eminentiss. Card. Millino transmissum ad Generalem Inquisitorem Regni Lusitaniæ, ab eadem Inquisitione authenticatum, & publicatum, vide Ioannem Pintum *in Hierarchia Carmelit. tract.* 5. *à cap.* 4. & dicta ex Clem. VII. *cap.* 3. *num.* 17.

Non possunt admitti ad munus concionandi, aut illud exercere infames infamia iuris, vel facti. Quia prædicare, & sacrificare parificantur *cap. Presbyteros, qui, d.* 50. Indecens etiam videtur, vt tantum munus infamibus demandetur. Laurentius de Peirinis *tomo* 2. *priuileg. Minim. in Constit.* 10. *Vrb. VIII. num.* 5. Quod tamen limitare videtur, si tales post peractam pœnitentiam verè resipiscant, absitque scandalum, & periculum recidendi, & id publicè non fiat, sed nescio quomodo possit aliquis concionari, & non publicè. 14

Concionatores in statu peccati mortalis quantumuis occulti existentes, peccare mortaliter, si ante debitam contritionem, vel Confessionem præmissam, prædicent, docent aliqui auctores. Caietanus 3. *part. quæst.* 64. *articulo* 6. & indicant Nauarr. *in Manual. cap.* 25. *num.* 141. Oppositum tamen docent alij. Sotus *in* 4. *dist.* 1. *q.* 5. *art.* 6. Medina *C. de pœnit. tract.* 1. *quæst.* 5. Ad minus tamen semper credo tales peccare venialiter. Quia munus prædicandi est annexum Ordini, & præcipuè consecrationi Episcopi, & actio illa est satis grauis, & in ea operatur homo vt Spiritus sancti organum. Per accidens etiam peccabunt mortaliter, vel ratione scandali, si Concionatorum peccatum publicum sit, vel quia inde fit, vt verbum Dei fiat contemptibile, & nullius æstimationis. Suarez 3. *tom. in* 3. *p. disp.* 16. *sect.* 3. *in fine.* 15

Qui concionando fabulas, facetias, aut aliquid ridiculum miscet, regulariter peccat saltem venialiter. Quia abutitur munere sacro, miscendo sacra prophanis. Caietanus 2.2. *quæst.* 164. *art.* 2. Nauarr. *in Manual. cap.* 25. *num.* 142. Addens, nec semper hoc esse peccatum veniale, quando scilicet aliquod verbum breuiter ad aliquam honestam hilaritatem dicitur. Vide Bullam Leon. X. *vt suprà num.* 10. *relatam.* 16

Prohibitum est à Sac. Congregat. Episcoporum, & Regularium, ne Concionatores commendent pauperes in propriis Ecclesiis sine licentia Episcopi; bene tamen intra propria Monasteria. Ita refert Gauantus *verb. Concio sacra. num.* 42. Debent etiam Concionatores Regulares in concionibus ad populum vti Euangeliis, & Epistolis, quæ leguntur à Clero seculari eius Ecclesiæ, vbi degunt. Sic enim decreuit Sacra Congregatio Concil. apud Quarantam *in Summ. Bullar. verb. Priuileg. Regular.* & diximus *suprà cap.* 9. *num.* 46. Nec possunt publicare Indulgentias, intellige non publicatas per ordinarios locorum. Sic enim habetur ex Concil. Trident. *sess.* 21. *cap.* 9. Imò publicantes falsas Indulgentias, seu indiscretas, peccant omninò mortaliter, contra præceptum Obedientiæ illis impositum in Clement. de priuileg. *cap. Religiosi.* Nec possunt esse quæstores, seu eleemosynarij, (dicuntur autem quæstores, qui quæstum sibi referunt. Baldus apud Barbosam *de potest. Episcop. Alleg.* 109. *num.* 6.) Nam expressè habetur in Concil. Trident. *sess.* 5. *c.* 2. quod quæstores, *nec per se, nec per alium prædicare præsumant, & sess.* 21. *cap.* 9. talium nomen, vsus, & officium omnino extinguuntur. Licet eos soleat Sedes Apostolica concedere cum certis conditionibus, de quibus Zerola *in praxi part.* 1. *verb. Quæstores*, & Gauantus *in Manual. Episcop. verb. Quæstores.* Præterea prædicantes miracula falsa, non solum peccant mortaliter, quia committunt mendacium perniciosum, 17

perniciosum, cùm sic facientes tollant quantum in se est veritatem miraculorum Fidei, & sint in causa, quòd fides illis non adhibeatur; sed etiam videntur incurrere sententiam excommunicationis Papæ reseruatam, latam à Leone X. & Concil. Lateranens. de qua *suprà num.*10. Bonacina *circa* 8. *præceptum Decalog. disp* 10. *quæst.*1. *punct.*2. *num.*7. Qui verò in prædicationibus falsum dicunt in citationibus; vt in numero capitum, nomine auctorum, vel loco vnius Prophetæ alterum dicendo, non peccant mortaliter; cum non committant mendacium in doctrina, sed in accidentibus, & sine præiudicio proximorum. Caietanus 2. 2. *quæst.*110. *art.*4. Azor. 3. *part. lib.*13. *cap.*1. *dub.*6.

18 Pro excommunicatione, quam incurrunt Religiosi, qui aliqua in suis concionibus dicunt impedientes solutionem decimarum, vide *cap.*9. *num.*26. A quibus debeant examinari Concionatores Regulares, vide Decretum Clement. VIII. & Vrban. VIII. *cap.*18. *num.*79. Quando possunt dispensari in seruitio Chori, *cap.*10. *num.*20. Qualiter possint prædicare in eorum Ecclesiis quando prædicatur in Ecclesia Cathedrali, vide declarationem S. Congreg. *cap.*12. *num.*41.

19 Quia tamen sæpius controuertitur quis teneatur Concionatori solitam eleemosynam tribuere, an Episcopus, vel potius Communitas Ciuitatis, ideo placuit declarationem quandam S. Congregationis Episcoporum & Regularium de anno 1647. pro 12. Aprilis hic adiungere quæ talis est. *S. Congreg. S. R. E. Cardinalium negotiis & consultationibus Episcoporum & Regularium præposita auditis partibus & Eminentissimo Cornelio referente inhærendo declarationibus sæpius factis à Sacra Congregatione S. R. E. Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum, censuit Episcopo Terentino competere ius eligendi Concionatorem in sua Cathedrali Ecclesia, non obstante quacumque prætensa consuetudine etiam immemorabili in contrarium. Concionatori verò sic solitam eleemosynam soluendam esse à Communitate dictæ Ciuitatis, quæ hactenus soluit donec ipsa legitimè probauerit non teneri. Romæ* 12. *April.*1647. *H. Archiepiscopus Patracensis Secretarius.*

SVMMARIVM.

*Sacerdotes Regulares crebrius celebrare debent. n.*1.
*De tempore celebrandi. num.*2.
*An dici possit Missa ante dictum Matutinum. n.*3.
*Possunt Religiosi recipere stipendia pro Missis celebrandis. num.*4.
An plura stipendia pro vna Missa. num 5.
*Reductio Missarum ad minorem numerum ad quem pertineat. num.*6.
*An possit Sacerdos partem stipendij sibi reseruando, alteram partem aliis dare pro Missa celebranda. num.*7.
Declarationes S. Congregationis circa hoc. ibid.
Relicta pro onere Missarum qualiter inuestienda. ibid.
*An Religiosi administrare possint Eucharistiam. n.*8.
*An possint assistere matrimoniis. num.*9.
*An ministrare extremam vnctionem. num.*10.
*Audiendo Missam festis diebus in Ecclesiis fratrum satisfaciunt præcepto Ecclesiæ. num.*11.
*Simplices Sacerdotes quando possint ministrare Sacramentum Pœnitentiæ. num.*12.
*An absoluant ab excommunicatione minori. num.*13.
*An possint celebrare Missas in quocumque loco cum Altari portatili. num.*14.
*An in grangiis seu prædiis Monasteriorum. num.*15.
*Sub dio, & extra Ecclesiam in casu necessitatis. n.*16.
*Possunt Regulares dicere Missas quacumque hora debita. num.*17.
*Triduo ante Pascha an dici possint Missæ priuatæ. n.*18.
*Quid possint Religiosi tempore interdicti. num.*19.
*Quid tempore cessationis à diuinis. num.*20.
*Decreta S. Congregationis Rituum. num.*21.
*Quid de Missis S. Gregorij dicendum. num.*22.
*Priuilegium pro Ecclesiis Hispaniæ. num.*23.
*An qui Missas nouas celebrant possint oblationes accipere. num.*24.
*Missæ votiuæ quando non dicendæ. num.*25. & 26.
Gloria in excelsis *quando non dicitur. num.*27.
Credo *quando omittitur. ibid.*
Missæ de Requiem *quando possunt dici. num.*28.
*Conuentualis Missa numquam omittenda. num.*29.
*In Canone Missæ nomine Antistis non sunt nominandi Superiores Regulares, sed Episcopi. num.*30.
*In Altari priuati oratorij quando non celebrandum. num.*31.
*Missæ certis Regularibus concessæ qualis est Missa B. Virginis de Monte Carmelo, Carmelitis, à quibus dicendæ. num.*32.
In Confiteor Deo *non sunt adiungendi sancti. n.*33.
*Pro reuerentia debita Ecclesiis quæ decreta sint à S. Congregation. num.*34.
*Pro aliis spectantibus ad Sacerdotes. num.*35.

CAPVT XXI.

De obligationibus Sacerdotum Regularium.

Religiosvs Sacerdos non solùm tenetur celebrare in præcipuis anni festiuitatibus sicut alij Sacerdotes, etiam nullam curam animarum habentes, eo quòd hoc congruit iuri naturali, secundùm quòd quilibet tenetur gratiam sibi datam aliis communicare, & iuri diuino, in illis verbis: *Hoc facite in meam commemorationem*; sed etiam tenetur regulariter id facere, tum propter scandalum, quod solet sequi, si Sacerdos regulariter non celebret; tum etiam, quia regulariter Religiosi sunt obligati ad Missas dicendas, vel propter stipendia accepta, vel propter eleemosynas, quas à fidelibus acceperunt intuitu suffragiorum, & orationum eorumdem. Syluester *verb. Missa* Sotus *in* 4. *dist.*13. *q.*1. *art.*10. 1

Quamuis de iure communi nulli licitum sit noctu, & ante lucem celebrare, nisi solis Episcopis, iuxta gloss. *in cap. fin. de priuileg. lib.*6. Nauarrus *in Man. cap.*25. *num.*85. Similiter nec liceat regulariter Missam post meridiem celebrare, nisi in casu raro, & existente rationabili causa. Suarez *tomo* 3. *in tertia parte, disput.*80. *sect.*4. Sunt tamen aliqua priuilegia circa hoc aliquibus Regularibus concessa. Primò enim Pius Secundus concessit Minoribus, vt possint celebrare vna hora ante auroram. Insuper Leo Decimus concessit, vt de licentia suorum Superiorum, quorum conscientiis se remittit, quomodo Fratres debeant vti hac gratia, possint celebrare illicò post Matutinum, & etiam post meridiem, præsertim diebus, quando est de audienda Missa præceptum, & quando Fratres debent ambulare, seu quando de via veniunt, & non possunt ante meridiem applicare ad locum, vbi commodè possint Missam audire, vel honestè celebrare. 2

Præterea Sixtus Quartus concessit etiam Minoribus, quod Sacerdotes necessitatis causa, possint ante, & post horam statutam ab Ecclesia, celebrare. Quæ priuilegia non videntur abrogata neque per Conc. Tridentinum, cum in eo solùm præcipiatur Ordinariis, vt compellant Regulares ne vtantur dictis priuilegiis; neque per Constitutionem Pij V. quæ incipit *Sanctissimus in Christo Pater*, quia illa solùm videtur esse contra illos, qui celebrabant noctu in vigiliis quarumdam festiuitatum, vel contra eos, qui regulariter, & absque vlla causa post meridiem celebrant. Rodriq. *tom.* 1. *quæst.* 43. *art.* 2. *&* 5. Mirand. *in Man. tom.* 1. *quæst.* 41. *art.* 10. *&* 11. Nihilominus quia S. Congregatio declarauit; *Ante diem, & horis indebitis celebrare non licet, etiam vigore priuilegiorum ante Concilium Tridentinum concessorum*; nihil iam valent prædicta priuilegia, eò præsertim, quia cum fuerint viuæ vocis oraculo (vt patet ex Casarubio *in Compend. priuileg. Mendic. verb. Missa* 2. *quoad tempus.*) reuocata iam sunt, vt sæpè diximus. Concessio autem, quæ à Gregor. XIII. facta est pro Iesuitis, parum, aut nihil continet priuilegij, vt benè Rodriguez *vt suprà art.* 2. Missæ verò omnes Natiuitatis Domini (nisi aliter consuetudine introductum sit) possunt celebrari ante auroram, saltem iure communi. Vasq. *tom.* 3. *in tertiam partem, disp.* 232. *cap.* 3. *num.* 32. & sine priuilegio etiam in aliquo solemni festo, cum Concio non finitur nisi post Meridiem, vel si ratione itineris occurrat in die festo tardiùs venire; poterit etiam celebrari aliquo tempore post meridiem. Vasquez *num.* 37. Laurentius de Peirin. *de priuileg. Minimor. tom.* 1. *circa Constit. Pyrrhi* §. 7. Scio etiam S. Congregationem Episcoporum & Regularium de anno 1646. pro 13. Iulij concessisse cuidam Archiepiscopo, vt posset permittere vnam Missam celebrari duabus horis ante solem ortum pro laboratoribus agrorum.

3 Non est peccatum mortale dicere Missam ante Matutinum, seu Laudes, (quamuis multi oppositum sentiant. Gauantus *tomo* 1. *Thesaur. parte* 2. *tit.* 1.) Eò quod nullum est præceptum tam grauiter obligans. Sotus 10. *de iustit. quæstione* 5. *artic.* 4. Suarez 3. *tom. in* 3. *part. disp.* 82. *sect.* 1. Erit tamen veniale, si sine aliqua rationabili causa id fiat; quia est aliqualis inuersio ordinis Ecclesiæ consuetudine introducti. Syluest. *verb. Missa* 1. *quæst.* 1. De prima autem non est talis obligatio. Tolet. *in Summ. lib.* 2. *cap.* 1.

4 Possunt Religiosi Sacerdotes recipere stipendia pro Missis celebrandis, illa scilicet, quæ communi lege, aut consuetudine fuerint taxata, seu, quæ à viris timoratis peti, & dari solent. Cùm hoc nullo iure naturali, Diuino, aut Ecclesiastico sit prohibitum. Suar. 3. *tom. in tertiam partem, disp.* 86. *sect.* 2. Excipiuntur ab hac regula Patres Societatis (& idem dico de aliis Religiosis, quibus ex vi suarum Constitutionum est illis prohibitum accipere stipendia pro Missis, & aliis actionibus spiritualibus.) Ratio est, quia *in Exam. cap.* 1. §. 3. *&* 6. *part. Constit. Societ. cap.* 2. §. 7. prohibetur illis admittere *stipendium pro Missarum Sacrificiis, vel Prædicationibus, vel Lectionibus, vel vllius Sacramenti administratione.* Vnde tales recipientes stipendia peccant contra paupertatem. Quia recipiunt aliquid contra voluntatem Superiorum, quod est actus proprietatis. Sanchez *lib.* 7. *in Decalog. cap.* 28. *num.* 7. Poterit tamen in hoc dari paruitas materiæ, sicut in aliis votorum transgressoribus. Henriquez *lib.* 9. *de Euchar. cap.* 22. *num.* 3. Sanchez *vt suprà num.* 8. Vide dicta *cap.* 6. *num.* 36. (Missæ autem dictæ à præfatis Regularibus contra præceptum suorum Superiorum prosunt illis pro quibus dictæ fuerunt, & non illis pro quibus Superiores præcipiunt applicari, iuxta dicta *suprà cap.* 4. *num.* 35. De quo Portellus *in Respons. Moral. tom.* 2. *casu* 22.)

Quamuis multi Theologi velint Sacerdotes pauperes (quod maximè procedit in Religiosis) accipere posse plura stipendia pro vna Missa, tot scilicet, quot fuerint ad suam strictam, & congruam sustentationem necessaria. Ludouic. Veia *in lib. resp. ad casus conscientiæ Congregat.* 4. *cas.* 3. Petrus Nauarra *lib.* 2. *de restit. cap.* 2. *num.* 433. Hæc tamen sententia in praxi iam sustineri non potest propter Decretum de celebratione Missarum Sacr. Congregat. Sanctiss. D. N. Vrban. VIII. auctoritate editum anno 1625. quod habetur 5. *tomo Bullar.* inter Constit. Vrb. *num.* 43. vbi id prohibetur, per hæc verba. *Vbi pro pluribus Missis, etiam eiusdem qualitatis, celebrandis, plura stipendia, quantumcumque incongrua, & exigua, siue ab vna, siue à pluribus personis collata fuerunt, aut conferentur in futurum Sacerdotibus, Ecclesiis, Capitulis, Collegiis, Hospitalibus, Societatibus, Monasteriis, Conuentibus, Congregationibus, domibus, ac locis piis quibuscumque, tam secularibus, quam Regularibus: Sacra Congregatio sub obtestatione Diuini Iudicij, mandat, ac præcipit, vt absolutè tot Missæ celebrentur, quot ad rationem attributæ eleemosynæ præscriptæ fuerint; itavt alioquin ij, ad quos pertinet, suæ obligationi non satisfaciant, quinimò grauiter peccent, & ad restitutionem teneantur.* Diana *tract.* 14. *de celebrat. Missarum resolut.* 8. Et quamuis circa hoc multa fuerint à Summis Pontificibus concessa priuilegia Regularibus, illa tamen omnia reuocata iam sunt ab eadem Sacra Congregatione, dicente, Eadem auctoritate reuocat priuilegia, & indulta omnia quibusuis personis, Ecclesiis, ac locis piis, tam secularibus, quam Regularibus, cuiuscumque Ordinis, Congregationis, & Instituti, quamcumque ob causam concessa, quibus indulgetur, vt certarum Missarum, vel Anniuersariorum celebratione, aut aliquibus Collectis, seu Orationibus, plurium Missarum oneribus in futurum suscipiendis, satisfiat. Gauantus *in Thesaur. tom.* 1. *part.* 3. *tit.* 12. Diana *vt suprà resolut.* 6. Num autem non obstante huiusmodi Sac. Congregationis Decreto, in casu grauis necessitatis citra extremam, possit Sacerdos pauper plura stipendia pro vna Missa recipere, iuxta sui strictam, & congruam sustentationem, (inhærendo maximè sententiæ affirmanti sacrificium Missæ esse infiniti valoris, ita vt pluribus applicatum, tantum quantum ad valorem, qui ex opere operato Missæ correspondet, valeat singulis, ac si pro ipsis solis applicaretur, vt tenet Vasq. *tom.* 3. *in tertiam partem, disputatione* 231. & procurando aliis viis, & modis, per opera scilicet satisfactoria, Orationes, & Indulgentias recompensare id, quod de fructu Missæ ex opere operantis proueniret vnicuique, si pro ipso solo applicaretur) aliorum iudicio remitto, nostram verò sententiam in speciali Tractatu de hac re, Deo duce, proferemus.

Quamuis etiam Abbates, & Generales Religionum possent olim in Capitulis Generalibus Missas ad minorem numerum reducere, iuxta Decretum Concil. Trident. *sess.* 25. *de reformat. cap.* 4. Nullatenus iam id possunt facere, propter Decretum Sac. Congregationis Concilij, iam adductum, quo strictè prohibet, & interdicit S. Congregatio, ne Episcopi in Diœcesana Synodo, aut Generales in Capitulis Generalibus, vel aliàs quoquomodo reducant onera 6

onera vlla Missarum celebrandarum, aut post idem Concilium imposita, aut in limine fundationis, sed pro his omnibus reducendis, aut moderandis, vel commutandis ad Apostolicam Sedem recurratur: quæ, re diligenter perspecta, id statuet, quod magis in Domino expedire arbitrabitur, alioquin reductiones, moderationes, & commutationes huiusmodi, si quas contra huius prohibitionis formam fieri contigerit, omnino nullas, atque inanes decernit. Gauantus *vt suprà tit.* 12. *num.* 43. Possunt tamen Generales in Capitulis generalibus re diligenter perspecta iuxta prædictum decretum Concil. Trident. facere reductiones Missarum quæ ante prædictum Concilium relictæ erant non in limine fundationis, sed pro alia causa. Ratio est, quia ita explicata erat iam pridem mens Concilij à S. Congreg. & in Decreto præsenti solùm prohibetur, & interdicitur reductio, onerum Missarum quæ *aut post idem Concilium imposita, aut in limine fundationis*, ergo illa quæ ante Concilium, & non in limine fundationis imposita erant non prohibentur reduci. Sorbus *in Compend. priuil. Mendicantium v. Missa, §. secundo notandum.* Diana *de celebrat. Missarum resol.* 1. *&* 2. *tractat.* 14. Quando autem id fiet seruandæ sunt conditiones à Concilio requisitæ, & inter eas *quod eorum semper Defunctorum commemoratio fiat, qui pro suarum animarum salute legata ea ad pios vsus reliquerunt.* Ita enim præscribitur à Concil. Trident. *sess.* 25. *cap.* 4. nec potest fieri reductio aliorum suffragiorum, sed tantùm Missarum, quia sic declarauit Sacra Congregatio, vt refert Sorbus *vt suprà.* Quamuis contrarium teneant Diana *vt suprà resol.* 5. cum aliis, quos refero *tom.* 4. *verbo Missa, num.* 32. vbi propterea hanc partem probabilem esse censeo. Deinde non videtur per hoc decretum Sacræ Congregationis derogatum Episcopis quin possint moderari Missas alicui Ecclesiæ relictas, nondum tamen ob tenuitatem eleemosynæ ab eadem Ecclesia acceptatas: nam decretum hoc loquitur manifestè de oneribus Missarum impositis. Non est autem onus impositum, nisi post acceptationem: & intensio eiusdem sola est, vt numerus Missarum relictus & acceptatus adimpleatur. Quare ante acceptationem non abstulit Episcopis facultatem, quæ illis de iure communi competebat alterandi, & moderandi eas Missas. Ita habet Filibertus Marchinus *de Sacramento Ordinis, tract.* 3. *part.* 2. *cap.* 19. *num.* 32. re, vt inquit cum multis viris doctis communicata.

7 Quamuis etiam alij Theologi dixerint, posse Sacerdotem accipere Missam celebrandam cum certa eleemosyna, & posteà alteri Sacerdoti eam Missam committere, retenta sibi parte eleemosynæ (Bonac. *de Sacrament. disp.* 4. *quæst. vltim. punct.* 8. *num.* 18.) Id tamen iam non licet propter Decretum Sacræ Congregationis loco citato, quo prohibet Sacerdoti, qui Missam suscepit celebrandam cum certa eleemosyna, ne eamdem Missam alteri, parte eiusdem eleemosynæ sibi retenta, celebrandam committat. Diana *vt suprà resol.* 10. Cum autem ab eadem Sacra Congregat. quæreretur, an permittendum sit administratoribus Ecclesiarum, vt retineant aliquam eleemosynarum portionem pro expensis manutentionis Ecclesiæ, Altarium inseruientium, paramentorum, luminum, vini, hostiæ, & similium? Similiter, an hoc Decretum habeat locum in beneficiis, quæ conferuntur in titulum, id est, an Rector beneficij, qui potest per alium celebrare, teneatur Sacerdoti celebranti dare stipendium ad rationem redditum beneficij? Præterea, an Sacerdotes, quibus aliquando offertur eleemosyna maior solita pro celebratione Missæ debeant dare eamdem integram eleemosynam iis, quibus Missas celebrandas committunt; an verò satis sit, vt dent celebrantibus eleemosynam consuetam? Ad primum respondit eadem Congregatio, permittendum non esse, vt Ecclesiæ, ac loca pia, seu illorum Administratores ex eleemosynis Missarum celebrandarum, vllam vtcumque minimam portionem retineant, ratione expensarum, quas subeunt in Missarum celebratione, nisi cum Ecclesiæ, & loca ipsa alios non habent redditus, quos in vsum earumdem expensarum erogare licitè possent; & tunc quam portionem retinebunt, nullatenus debere excedere valorem expensarum, quæ pro ipsomet tantum Missæ sacrificio necessariò sunt subeundæ, & nihilominus eo etiam casu curandum esse, vt ex pecuniis, quæ supersunt expensis, *vt suprà* deductis, absolutè tot Missæ celebrentur, quot præscriptæ fuerint ab offerentibus eleemosynas. Ad secundum respondit, non habere locum, sed satis esse, vt Rector beneficij, qui potest per alium Missam celebrare, tribuat Sacerdoti celebranti eleemosynam congruam secundum morem Ciuitatis, vel Prouinciæ, nisi in fundatione beneficij aliud cautum fuerit. Ad tertium debere absolutè integram eleemosynam tribuere Sacerdoti celebranti, nec vllam illius partem sibi retinere posse. Vide Decreta hæc 4. *tom. Bullar. vt suprà* & apud Peirin. *tom.* 2. *priuil. Minim. inter Const. Vrb. num.* 9. Gauant. *in Thes. tom.* 1. *part.* 3. *tit.* 12. *à num.* 34. Præcipitur etiam in eodem Decreto *de celebrat. Miss.* vt pecuniæ, ac bona mobilia Regularibus relicta cum onere perpetuo Missarum celebrandarum, sub pœna interdicti ab ingressu Ecclesiæ ipso facto incurrenda, à die realis acquisitionis, statim deponi debeant penes Ædem Sacram, vel personam fide, & facultatibus idoneam, ad effectum illa quàm primùm inuestiendi in bonis immobilibus fructiferis, cum expressa mentione oneris, quod illis annexum reperitur. Et, quòd si eadem bona immobilia deinceps alienari contigerit, eorumdem pretium sub eadem pœna, deponi, & in aliis bonis stabilibus etiam fructiferis cum eiusdem oneris repetitione, atque annexione conuerti debeat. Insuper præcipitur Regularibus, ne in posterum prædicta onera perpetua suscipiant Missarum sine Generalis, vel Prouincialis consensu, & licentia in scriptis, & gratis concedenda, sub pœna priuationis Officiorum, quæ tunc obtinent, ac perpetuæ inhabilitatis ad alia de cætero obtinenda, vocisque actiuæ, ac passiuæ absque alia declaratione. Vide Decreta citata *vt suprà num.* 5. & Gauantum *tom.* 1. *Thesaur. part.* 3. *tit.* 12. *num.* 41. *&* 42. Quamuis præterea multorum sententia fuerit posse Sacerdotes non habentes eleemosynas de præsenti, pro quibus offerant Missas, illas nihilominus anticipatè dicere, ipsas applicando pro illis, qui sibi posteà daturi sint eleemosynas, maximè si hoc fiat non suspendendo effectum Sacrificij, sed illum ex tunc applicando pro illis, qui eleemosynas daturi sint (Aragon. *de iustit. q.* 85. *art.* 3. *dub.* 1.) Nihilominus, quidquid sit de veritate huius sententiæ speculatiuè loquendo, in praxi tamen non est approbanda, tum propter aliqua, de quibus Bonacina *disp.* 4. *de Eucharist. q. vlt. punct.* 7. §. 5. *num.* 3. tum præcipuè, quia huiusmodi anticipata celebratio pro incerto eleemosynam oblaturo est prohibita à Paulo V. & S. Congregat. Concil. 15. Nouembris 1605. Vide Gauantum *in Man. Episc. verb. Missa num.* 33. & Diana *tract.* 14. *de celebr. Miss. resol.* 15. Anticipata autem celebratio eius Missæ, quæ die sequenti dicenda erat, non est prohibita,

prohibita, cum potius Sacerdos sic faciens ad instar boni debitoris, anticipatè soluat. Barbosa *de potest. Episcop. Alleg.* 24. *num.* 14. Nisi fortè contrarium expresse declaretur à concedente eleemosynam, vt probat Bonacina *vt suprà num.* 4.

8 Quamuis iure communi prohibitum sit Religiosis administrare secularibus Sacramentum Eucharistiæ absque licentia parochi sub pœna excommunicationis ipso facto *in Clement. Religios. & de priuileg. & excess. Prælat.* tamen ex priuilegiis Nicolai V. & Sixti IV. id possunt facere Religiosi Minores Confessores, & ex priuilegio Iulij II. Minimi, & ex Pio V. omnes Mendicantes, & eorum priuilegia communicantes, præterquam in die Paschatis, tempore scilicet, quo ex præcepto Ecclesiæ tenentur seculares communicare. Rodriguez *tom.* 1. *quæst.* 56. *artic.* 3. Miranda *in Manual. tom.* 1. *q.* 42. *artic.* 1. *&* 2. Qui autem communicauit aliquo die ex prædicto tempore in sua Parochia potest (secundum aliquos) etiam alio die eiusdem Paschatis communicare apud Regulares. Cùm iam adimpleuerit præceptum Ecclesiæ, nec aliud intendatur in prædicta exceptione. Vincentius Filliucius *tomo* 1. *tract.* 4. *cap.* 9. Barbosa *de offic. Parochi cap.* 20. *num.* 10. Laurentius de Peirinis *tom.* 2. *priuileg. Minim. in Const.* 1. *Iulij II.* §. 37. *num.* 86. Qui etiam *num.* 90. tenet etiam in die Paschæ posse Religiosos ministrare Eucharistiam peregrinis. Quod tamen negare videtur Barbosa *vt suprà num.* 23. Imò dicitur declaratum à Sac. Congreg. Concil. non posse in die Pasch. sumere in Ecclesia Regular. Eucharistiam, eum, qui satisfecit in Paschate in Parochia. Gauantus *in Manual. Episcop. verb. Euchar. num.* 23. Vnde cautè procedendum. Presbyteri quoque seculares dicentes Missas in domibus Religiosorum Mendicantium possunt ex eorum licentia seculares communicare. Non solum, quia ita praxi obseruatur, sed etiam ob priuilegium Iulij II. Minimis concessum, quo participant etiam Mendicantes Religiosi. Licet illud non ita clarè contineat hanc concessionem. Casarub. *in Compend. verb. Communicare n.* 13. Medina *in Instruct. confess. lib.* 1. *cap.* 11. §. 3. Henriquez *tom.* 2. *de Euchar. lib.* 7. *num.* 1. Similiter in casibus necessitatis, scilicet articuli mortis, absente Parocho, possunt Religiosi Sacramentum Eucharistiæ tamquam Viaticum fidelibus ministrare. Quia tunc præsupponitur Parochorum licentia. Suarez *tomo* 3. *in* 3. *part. disputatione* 72. *sect.* 2. Rodriquez *vt suprà art.* 5.

9 Possunt etiam prædicti Sacerdotes Regulares ex licentia Parochi Sacramento Matrimonij assistere. Quia hoc videtur supponi *in Clement. Religiosi de priuileg.* Id tamen facientes sine licentia prædicta sunt excommunicati excommunicatione Papali in prædicta *Clement.* Miranda *tom.* 1. *Man. q.* 48. *per totum.* Vide dicta *cap.* 9. *num.* 31.

10 Quamuis etiam non possint Sacerdotes Regulares ministrare Sacramentum extremæ Vnctionis sine licentia Parochi sub pœna excommunicationis latæ sententiæ *in prædicta Clement.* 1. *de priuileg.* In casu tamen necessitatis, & absentia Parochi, quando scilicet præsumitur licentia interpretatiua ipsius, possunt id facere, neque incurrent in prædictam excommunicationem. Syluest. *verb. Vnctio quæst.* 4. Sotus *in* 4. *d.* 23. *quæst.* 2. *artic.* 1. Similiter ex priuilegiis Sedis Apostolicæ in eadem Clement. possunt plures Regulares familiaribus suis, aut pauperibus in hospitalibus suis degentibus hoc Sacramentum ministrare. Miranda *in Manual. tom.* 1. *q.* 49. *articulo* 1. referens varia priuilegia. Specialiter Alexand. IV. concessit Carmelit. posse ministrare Sacramenta, & dare sepulturam suis familiaribus. *Speculum Ordinis fol.* 62. Et Sixti IV. in Bulla *Dum attenta*, quæ est Mare Magnum Carmelitarum concessit eisdem, quòd in casu, quo Rectores parochialium Ecclesiarum difficiles se reddant in exhibitione Eucharistiæ, & Extremæ Vnctionis erga illos, qui dictis Fratribus concessi sunt, illis sine causa rationabili denegando, vel differendo dictorum Sacramentorum administrationem, illa petentibus possint exhibere. Speculum ordinis *fol.* 87. Vide etiam alia ad hoc intentum in Peirinis *suprà relato, præsertim à numero* 97. Sed prædictos familiares Religiosorum ad parochiam in Paschate pro Communione mittendos esse declarauit S. Congreg. apud Gauantum *in Manual. Episcop. verb. Eucharist. num.* 24.

Audientes Missas in Ecclesiis Fratrum Mendicantium in Dominicis, & Festis diebus satisfaciunt 11
præcepto Ecclesiæ de Missa audienda. Ex priuilegio Leon. X. Quod non est derogatum per Concil. Trident. *sessione* 22. quatenus habet quòd Episcopi moneant populum, vt frequenter ad suas Parochias, saltem diebus festis, & Dominicis accedant. Quia Concilium id non præcipit, & quia ita declarauit S. Congregat. vsque obtinetur. Rodriquez *tom.* 1. *quæstione* 43. *artic.* 7. Flauius Cherubinus *in Compend. Bullar. fol.* 100. Animaduerte tamen prædictum Leon. X. voluisse id fieri *non contempto proprio Parocho.*

Sacerdotes regulares (sicut & non Regulares) 12
etiamsi ab Ordinariis, aut suis Prælatis licentiã non obtineant, possunt in casu necessitatis extremæ, seu articulo mortis omnium quorumcumque secularium Confessiones audire, & ab omnibus casibus, & censuris quantumuis reseruatis absoluere. Quia in tali casu omnes Sacerdotes habent auctoritatem ab Ecclesia, *cap. Quod de his de sentent. excommunic. & cap. pastor.* Nauarrus *in cap.* 1. *de pœnit. dub.* 6. *num.* 73. Possunt etiam semper absoluere à peccatis venialibus, seu etiam mortalibus aliàs confessis, cum ad hoc sufficiat Iurisdictio vniuersalis, quæ est communis omnibus simplicibus Sacerdotibus. Suarez 4. *tom. de Relig. tract.* 8. *lib.* 2. *cap.* 16. *n.* 1. Peccabunt tamen, si sine licentia Superiorum id faciant, quia non sunt sui iuris, sed alterius, scilicet Prælati, ratione voti obedientiæ. Nauar. *in Summ. c.* 4. *num.* 6. Graffis 1. *part. decis. lib.* 1. *c.* 13. *num.* 87. Vide dicenda *c.* 19. *num.* 12.

Quamuis probabiliter aliqui asserant simplices 13
Sacerdotes posse absoluere ab excommunicatione minori, sicut à peccatis venialibus, propter similem rationem. Nauarrus *in Man. cap.* 27. *num.* 25. Probabilius tamen est oppositum; eò quòd talis absolutio sit actus alicuius Iurisdictionis, quam non habent simplices Sacerdotes extra casum extremæ necessitatis Caietanus *in Summ. verb. Excommunic.* Vincent. Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 13. *c.* 7.

Quamuis olim propter priuilegia Religionum, 14
specialiter pro Carmelitis Vrbani V. & Sixti IV. vt habetur *in Speculo Ordinis fol.* 69. *&* 89. pro prædicatoribus, & Minoribus *cap. in his de priuileg.* & pro Minimis Iulij II. possent Regulares celebrare Missas in quocumque loco honesto cum altari portatili, & viatico; hæc tamen antiquata iam sunt per Concilium Trident. *sess.* 22. *in Decret. de obseru. & vitand. in celebrat. Miss.* per illa verba, *Neve patiantur in priuatis domibus, atque omnino extra Ecclesiam, & ad diuinum tantùm cultum dedicata Oratoria ab eisdem Ordinariis designanda, & visitanda,*

Sanctum

Sanctum hoc sacrificiū peragi, &c. & in fine additur, *Non obstantibus priuilegijs, exemptionibus, &c.* Nauar. *in Manual. capite* 25. *numero* 82. Azor. *tomo* 1. *Institut. moral. lib.* 10. *cap.* 26. *quæstio* 7. Sed Gregorius XIII. in Bulla *Vsum Altaris* 3. *tomo Bullar. inter Bullas Gregorij num.* 57. concessit presbyteris Societatis Iesu, vt in missionibus, quas faciunt, vti possent altari viatico, & super illud vbique gentium, modò loca tuta sint, & honesta; iudicio Generalis, aut Prouincialis, Missæ sacrificium celebrare. An verò aliæ Religiones cum Societate communicantes fruantur d. priuilegio? Suarez id negat *to.* 3. *in* 3. *par. disp.* 81. *sect.* 3. Alij verò affirmant, quibus assentior, dummodo hoc sit cum conditionibus à Pontifice assignatis, & inter missiones. Peirinis *t.* 1. *priuileg. Minim. in Constit. Pyrrhi num.* 28. In Oratorijs etiam, quæ solent esse in Religiosorum Monasterijs, Claustris, Infirmarijs, &c. videtur posse Religiosos celebrare sacrificium Missæ. Propter priuilegia adducta, quæ quoad hoc non videntur reuocata per Concilium Tridentinum *loco adducto* cum ibi solum videatur prohiberi, ne *in priuatis domibus omnino extra Ecclesiam* erigantur Oratoria, in quibus Missæ celebrentur sine Ordinariorum licentia, prædicta autem loca nec sunt priuatæ domus, nec omninò extra Ecclesiam, cum nomine Ecclesiæ veniant etiam Religiosorum Claustra, vt colligitur *ex cap. Abbati §. hac autem d.* 54. *&c. Alma mater de sent. excomm. in* 6. *vbi Glossa verb. Monaster.* Rodriguez *tomo secundo quæstione* 75. *articulo* 1. *&* 2. Peirinis *tomo primo priuileg. Minim. in Constit. Pirrhi num.* 31. Refertur etiam ad hoc priuilegium Gregorij XIII. concessum Societati Iesu in Bulla, *Decet Romanum Pontificem* anno 1575. scilicet quod *in Oratoriis, & Capellis, quæ ipsius Societatis Prouinciales per se in domibus, Collegiis, & aliis locis, vbi aliqui Societatis residebunt, approbauerint, & ad diuinum dumtaxat cultum deputauerint, Missæ, & alia Diuina Officia celebrari possint.* Quo etiam vti possunt aliæ Religiones, quæ communicant, in priuilegiis cum Societate. Reginaldus *in praxi lib.* 29. *num.* 178. Peirinis *vt supra numero* 29. Afferens etiam priuilegium, aliud concessum Benedictinis Vallisoletanis, de quo dubito an sit, vel non, viuæ vocis oraculum. Vide Gauantum *Thesaur. tomo primo, parte prima titulo* 20. *§. Addam.*

15 In grangiis quoque Monasteriorum, seu in prædiis ipsorum, vtilitatis, & recreationis causa acquisitis, posse fieri Oratoria, in quibus Diuina Officia celebrentur sine licentia Ordinarij, non obstante Concilio Tridentino *sess. illa* 22. *iam citata*, eo quod Concilium solum loquatur de priuatis domibus; hæc autem prædia, seu grangiæ non sint tales, docet aliqui Authores, propter aliqua priuilegia Religionibus concessa. Rodriguez *tom.* 2. *quæstionum Regularium quæst.* 75. *art.* 1. *&* 2. & Laurentius de Peirinis *iam citatus.* Cauendum tamen similiter est, ne huiusmodi concessiones sint viuæ vocis oracula, quia si tales sunt, nullum robur, & firmitatem hoc tempore habent, vt diximus *cap.* 3. *num.* 21.

16 Propter necessitatem quoque iure communi permissum est celebrare absque Episcopi licentia sub dio, & extra Ecclesiam, ac Oratorium designatum, vt si Rex, aut Dux sit in exercitu, vel classis Christianorum appellat ad terram, vel si in itinere Ecclesia desit, vel cum magna multitudo hominum in aliquo die festo ad paruam aliquam Ecclesiam concurrit, modo tamen semper adsit altare viaticum, seu portatile ab Episcopo consecratum. Probatur *ex canone primo, & can. concedimus de consecrat. distinctione prima* Suarez *tom.* 3. *in* 3. *part. disputatione* 81. *sectione* 3. Vasquez *ibidem disputatione* 233. *capite* 1. Numquam tamen licet propter quamcumque necessitatem celebrare supra mare, seu flumen in naui; propter periculum effusionis sanguinis ex motu nauis, Vasquez *loco cit.*

Possunt etiam Regulares dicere Missas in diebus festiuis, & Dominicis quacumque hora debita, etiam antequam Rector parochialis Ecclesiæ celebrauerit. Quia ita declarauit Sacra Congregatio Concilij, prout retuli supra *capite* 12. *num.* 41. & Pius V. *in Constitut. Etsi Mendicantium.* Peirinis *tomo primo priuileg. Minim. in Constit. Pyrrhi num.* 26. 17

Feria quinta maioris Hebdomadæ, saltem iure communi licitum est omnibus Sacerdotibus celebrare secluso, scandalo, & in secreto, cum id nullo iure prohibeatur. Sotus *in* 4. *distinct.* 13. *quæstione* 2. *art.* 2. *ad secundum* Suarez *tom.* 3. *in* 3. *part. disput.* 80. *sect.* 2. In die autem Parasceue peccatum mortale est, siue in publico, siue in secreto celebrare. Habetur *in cap. Sabatho de consecr. dist.* 3. Etiam si in illo die occurrat festum Annunciat. B. V. Gauantus *in Thesau. S. Rit. tit.* 1. *part.* 4. *tit.* 9. *num.* 24. In die Sabbathi Sancti aliqui putant posse celebrari priuatim, & occultè, saltem ab ea hora, in qua incipit solemne Paschale Officium ob rationabilem causam. Vide Barbosam *de Offic. Parochi c.* 11. *à n.* 49. Gauantum *in Thesaur. vt supra parte quarta titulo* 10. *à numero* 43. An vero tunc debeant plures Missæ celebrari si festum Annunciationis occurrat, Diana *Tractat.* 14. *de celebr. Missar. Resolut.* 21. 18

Non obstante decreto Concilij Trident. *sess.* 25. *cap.* 12. videlicet *Censuræ, & Interdicta nedum à Sede Apostolica emanata, sed etiam ab Ordinariis promulgata mandante Episcopo, à Regularibus, in eorum Ecclesiis publicentur, atque seruentur,* possunt Regulares tempore Interdicti generalis singulis diebus in Ecclesiis, & Monasteriis Missas celebrare, & dicere Offic. Diuina sicut prius, submissa tamen voce, ianuis clausis, excommunicatis, & interdictis exclusis, & campanis non pulsatis. Ita enim habetur iure communi ex Bonifac. VIII. *in cap. Alma mater de sent. excomm.* Sorbus *in Addit. ad compendium verb. interdictum* 3. *§.* 3. *tempore.* Peirinis *tomo primo priuileg. Minim. in Const.* 2. *Sixti IV. numero* 55. Gauantus *in Man. Episcop. verb. Interdictum à numero* 10. Possunt etiam eodem tempore Interdicti solemniter celebrare Diuina ianuis apertis, & pulsatis campanis, excommunicatis expulsis, sed interdictis admissis, sic tamen quò illi, qui fuerunt causa Interdicti alteri nullatenus appropinquent, in festiuitatibus Natalis Domini, Paschæ, ac Pentecostes, & Assumptionis Virg. Mariæ. Ita enim habetur etiam iure communi *in eodem cap. Alma mater.* Sorbus *vt supra §.* 12. *secundum,* etiam hoc extendens ad festum SS. Sacramenti, & per totam octauam illius per vnam Extrauag. Martini V. Extenditur etiam probabiliter, quoad aliquos Regulares, & alios, qui cum ipsis habent communicationem priuilegiorum, ad festa Conceptionis, Visitationis, & Natiuitatis B. Mariæ, & Natiuitatis S. Ioannis Bapt. & ad festa sanctorū respectiuè suarum Religionum, necnon aliorum Sanctorum, & Sanctarum sub quorum inuocationibus Ecclesiæ regularium dedicatæ, & constructæ sunt, seu quorum corpora in 19

in ipsis Ecclesiis recondita respectiuè existunt, necnon hebdomadarum sanctæ, & Resurrectionis Dominicæ festiuitatibus, & per octauas earumdem omnium festiuitatum, necnon quoties Religiosi professionem emiserint, vel primam Missam celebrauerint, seu in suis Ecclesiis humana cadauera Ecclesiasticæ sepulturæ tradi contigerit, dummodo Interdicto causam non dederint, nec id eis contigerit specialiter interdici nominatim interdictis, & excommunicatis exclusis. Ita enim concessit Leo X. Monachis S. Benedicti, & seruitoribus Monasteriorum, vt refert Casarubius *in comp. priuileg. Mendicant. verb. Interdictum.* 2. *numero* 10. Etsi enim Concilium Tridentinum *eadem sess. cap.* 22. reuocet omnia priuilegia concessa quibuscumque Regularibus, quæ Pius V. postea reualidauit in Constit. *Etsi Mendicantium.* & tandem Gregor. XIII. reuocauit, & annullauit quatenus contraria erant prædicto Concil. nihilominus priuilegium hoc Leonis X. probabile est non esse contrarium Conc. cum eius mens solum videatur esse reuocare illa priuilegia, quæ à quibusdam Religiosis dicebantur haberi de nullatenus seruando Interdicto quocumque, vt erant fratres milites S. Ioan. Hierosol. virtute concessionis Anast. IV. Alex. III. & IV. & Vrb. III. Clem. III. & IV. & fratres Min. ex priuilegio Leo. X. Rodriguez *in expositione Bullæ cruciat.* §. 5. *numero* 16. Sorb. *in additionibus ad comp. priuileg. Mendic. verb. Interdict.* 3. §. *sed alij* D D. Diana *Tract.* 2. *resol.* 123. Idem dico de alio priuilegio Iulij II. qud concessit Fratribus Minoribus, quod tempore Interdicti, auctoritate ordinaria positi. possint sepelire in Ecclesiis suis corpora Fratrum eiusdem Ordinis decedentium, etiam cum cæremoniis solitis, ac pulsatis campanis, & cum Missis, & aliis diuinis Officiis in similibus celebrari consuetis. Sorbus *vt supra* §. *sexto decimo Interdictum.* Pro aliis priuilegiis circa tempus Interdicti, etiam pro secularibus familiaribus, vel seruitoribus, regularium, vide Casarubium *vt supra v. Interdictum.* 1. 2. & 3. Animaduerte tamen aliqua illorum concessa iam esse iure communi *in cap. Alma mater.* Alia esse solum viuæ vocis oracula, vt illud Nicolai Franci Sedis Apostolicæ Legati, de admittendis quindecim personis tempore Interdicti, quæ proinde his temporibus nihil valent. Alia verò, etsi forsan in rigore valida sint, quia tamen vel non sunt in vsu apud Regulares, vel sequitur scandalum apud seculares ex eorum vsu, ideo consultius est illis non vti. Vide Nauarrum *in Manual. capite* 27. *numero* 190. Pro his quoque, & aliis, quæ facere possunt, & debent Regulares tempore Interdicti, siue in locis, vbi publicatur Bulla Cruciatæ, siue vbi non publicatur vide Sorbum *vt sup.* Et dicenda *tom.* 2. *capite* 1. *numero* 21. *cap.* 14. *num.* 36. *cap.* 15. *num.* 36. *cap.* 16. *num.* 12. 23. & 27. & *cap.* 17. *num.* 6.

20 Tempore etiam cessationis à Diuinis possunt probabiliter etiam, vti Regulares de quibus num. præcedenti, priuilegio Leon. X. adducto, qui etiam loquitur de tempore talis cessationis. Peirinis *tomo* 1. *priuil. Minim. in Constit.* 2. *Sixti IV. n.* 52. Et alio etiam priuilegio Nicol. V. de elegendis sex personis, quæ tali tempore assistant Missis, & Diuinis Officiis, recipiantque Sacramenta, & si mori contigerit, Ecclesiastica sepultura sepeliantur, positis tamen quibusdam conditionibus. Casarubius *in Compend. priuileg. Mendicant. verb. Interdictum,* 1. §. 23. Sorbus *in addition. ad prædict. Compend. verb. Interdictum tertio* §. *septimo Nicolaus V.* Attendendum tamen maximè est, an quando ponitur Cessatio à diuinis, vel etiam Interdictum auctoritate Apostolica, reuocentur priuilegia Regularium, quia tunc non licebit frui illis, sicut neque quando scandalum aliquod inde emerserit, propter singularitatem, nec si talia priuilegia non sint in vsu.

Ex Decreto Sacræ Congregat. Rituum, & mandato Sanctiss. Domini Nostri Vrbani VIII. die 8. Aprilis 1628. iuxta dicta *capite* 12. *numero* 33. prohibetur celebrari per totam Ciuitatem, vel Diœcesim, etiam de cuiuscumque Ordinarij authoritate, Missam, vel festum cum Officio de sancto eo quod in loco adsit Ecclesia Parochialis, vel Regularis, aut aliqua Reliquia, sed tantum in ipsius sancti Ecclesia Titulari, seu vbi asseruatur insignis Reliquia, & non alibi. Insignes autem Reliquias, declarauit esse Corpus, Caput, Brachium, Crus, aut illam partem Corporis, in qua passus est Matyr parua modo sit integra, & non parua, & legitimè ab Ordinario approbata. Missas item quæ circumferuntur, à S. Congregat. non approbatas, S. Gregorij pro viuis, & defunctis, XV. Auxiliatorum, & de Patre æterno, & quascumque alias, exceptis iis, quæ sunt permissæ Regularibus tantum, veluti Rosarij, Sanctæ Mariæ de Carmelo, (vide dicenda infra *num.* 32.) & alias, sicut etiam Officia ab eadem non approbata, prohibuit, reiecit omnino & damnauit respectiuè, & pro prohibitis, reiectis, & damnatis haberi voluit. Quæ omnia decreuit, statuit, & mandauit sub pœnis contentis in Indice librorum prohibitorum ex decreto sancti Conc. Trid. edito. Barbosa *de Offic. Parochi c.* 11. *num.* 29. Vide dicta *cap.* 12. *num.* 33. 21

Non tamen putes prohibitas esse Missas triginta S. Gregorij ab ipso pro Defunctis institutas 4. *Dial. cap.* 55. Dici autem debent (ex eodem S. Gregorio) per triginta dies continuos, ab vno, siuè pluribus successiuè sacerdotibus, recitata Missa, quæ occurrit vel de *Requiem*; iuxta Rubricas Missalis, cum applicatione sacrificij pro anima illa, pro qua dicuntur. Si intra hos triginta dies occurrat Parasceue, Sabbathum Sanctum, aut etiam feria V. in Cœna Domini discontinuantur prædictæ Missæ, cum Ecclesia prohibeat celebrare duobus primis, & in feria quinta Cœnæ iubeat Communionem Sacerdotum in Missa solemni, die quoque Parasceue propriè non dicitur Missa. Bartholomæus Gauantus *tom.* 1. *Thesaur. Sacror. Rit. part.* 1. *tit.* 5. Bonacina *de sacram. disput.* 4. *quæst. vlt. punct.* 7. §. 3. *numero* 7. Barbosa *de Offic. Paroch. capite* 11. *numero* 29. Imò etiam si ob rationabilem, & honestam causam discontinuentur prædictæ Missæ non perdent suum valorem non solum vt quædam Missæ sunt, prout est certum apud omnes, sed etiam prout sunt tales Missæ à D. Gregorio institutæ, quia sic explicanda piè est mens ipsius Sancti, Bonacina, vt supra. Diana *tractatu* 14. *de celebr. Missarum Resolut.* 32. 22

Cum in Ecclesiis, & Religionibus Hispaniæ vigeat consuetudo, quod diebus Paschalibus, & festiuitatibus maioribus celebret Missam conuentualem Antistes, vel alia persona principalis; & Regula Missalis ordines, quod omnibus diebus Dominicis infra annum Sacerdos qui celebrauerit Missam Conuentualem exeat ante celebrationem Missæ cum Pluuiali, vel Cappa, & cum ministris ad incipiendum in Altari maiori Antiph. Asperges, & ad aspergendum Aquam benedictam populo, concedimus, 23

concedimus, quod Antistes, seu alia persona principalis celebrans Missam Comuentualem, præmissa facere non teneatur; sed illa facere possit quilibet alius simplex Sacerdos, eius loco, & quod talis Sacerdos non deferat pluuiale, sed Albam, & stolam, vel superpelliceum, & stolam nec procedat associatus cum Ministris, sed solum cum Acolythis. Ita Gregor. XIII. in Bulla *Pastoralis Officij*. anno 1563. Quaranta *in Summ. Bull. verb. Diuinum Officium.*

24 Qui Missas nouas celebrant, non possunt circuire Ecclesiam ad oblationem, ex Decreto S. Concil. Trid. *sess.* 22. Gauant. *in comment. in Rubr. tom.* 1. *p.* 2. *tit.* 7. Possunt tamen in medio Altaris ad populum conuersi oblationes ab ipso sponte factas acceptare. Ita enim Declarasse dicitur S. Congregatio. Diana *vt sup. Resol.* 50.

25 Missæ votiuæ non possunt dici die Dominica; aut in festo Duplici, ac per consequens, neque diebus, quibus prohibetur Festum duplex celebrari; scilicet infra Octau Epiphan. Paschæ, & Pentecostes, & in Vigiliis Natiuit. & Pentecost. ac in Feria quarta Cinerum, & Maiori hebdomada. Gauant. *in Thesaur. tom.* 1. *p.* 1. *tit.* 3. *§. non est duplex*. licet hæc obligatio, secluso scandalo, propter paruitatem materiæ videatur solum esse sub veniali. Miranda *in Man. tom.* 1. *quæstione* 41. *articulo* 21. *conclus.* 3. Diana vt supra *Resolut.* 30. Obligatus his diebus ad Missas votiuas, si in proximos dies non impeditos transferri nequeant, satisfacere videtur obediendo Rubricis.

26 Quando Missa votiua exigitur; verbi gratia, de Assumptione B. Virg. Natiuitate, & huiusmodi; potest dici Missa votiua de B. Virgine, prout in Missis votiuis, cum intentione ad honorem Assumptionis, Natiuitatis B. Mariæ, &c. Gauant. *in Thesau. tomo primo part.* 4. *tit.* 17. *numero* 8. Similiter si dicatur aliqua Missa votiua de aliquo Sancto, mutatur in Collecta verbum *Natalitia*, seu *Festum*, in verbum *Commemorationem*. Gauantus *in Rubr. tom.* 1. *part.* 4. *tit.* 17. Cum Missa Rosarij solum dici possit à patribus Dominicanis, & Missa Beatæ Virginis de Monte Carmelo solum etiam à Carmelitis, iuxta dicta supra *n.* 21 si quis alius habeat onus celebrandi tales Missas satisfaciet dicendo Missam de B. Virgine votiuam, vt in Missali. Probat. Gau. vt sup. *n.* 9.

27 *Gloria in excelsis* numquam dicitur in Missis Votiuis, nisi in Missis Angelorum, & in Missis B. Virginis, quocumque Sabbatho, etiam Aduentus Extra Sabbathum autem non dicitur, etiam si sit tempus Paschale, vel infra Octauam, vel in Ecclesia, aut Altari Beatæ Virginis, nisi adsit speciale priuilegium, prout Ædi Lauretanæ dicitur concessum. Gauantus *Comment. in Rubr. Miss. tomo primo part.* 1. *tit.* 8. Quod etiam habetur ex vsu antiquo nostræ Religionis *part.* 1. *Const. capite* 3. §. 4. esto, quod oppositum statutum sit in Cæremon. Ord. *libro* 2. *Rubric.* 58. §. 2. Similiter etiam in Missis Votiuis solemnibus, quæ pro re graui, vel publica Ecclesiæ causa cantari possunt (etiam in Dominicis) dicitur, *Gloria*, & *Credo* Cæremon. Ordin. vt sup. *Rubr.* 58. §. 2. & 5. Res autem grauis est, pro qua conuenit Episcopus cum Clero. Publica autem causa dicitur etiam ob quam Oratio fit solemnis. Quadraginta horarum per gyrum, & quando fiunt Comitia Generalia, seu prouincialia Regularium Ioannes Petrus Casanoua *in Collectan. ex Gauant.* Et consonat Cæremon. Ord. *libr.* 2. *Rub.* 57. §. 2. & 5. Si vero adhibentur paramenta Violacea in Missa non dicitur *Gloria*, neque *Credo*. Gauantus *in Thesaur. tomo* 1. *part.* 1. *tit.* 8. Omittere autem etiam voluntariè *Gloria*, aut *Credo*, quando debet dici, etsi secundum, aliquos non sit peccatum mortale (intellige cessante Scandalo, aut contemptu) Filliuccius *tom.* 1. *tract.* 5. *cap.* 5. *num.* 155. Diana *vt supra resolut.* 59. ad minus tamen est graue peccatum veniale, quia est omissio partis notabilis Missæ.

Missæ de *Requiem* priuatæ, quocumque die dici possunt, præterquam in Dominicis, & Festis duplicibus. Vnde nec possunt dici in diebus, in quibus prohibetur fieri festum duplex, relatis supra *num.* 25. Si Festum duplex cadat in idem assignatum pro Altari priuilegiato, & illud. Festum sit de præcepto non potest in eo Altari dici Missa de *Requiem* Gauantus *in Thesaur. S. Rit. tom.* 1. *part.* 1. *titulo* 15. In Festo autem duplici non de præcepto, celebrari possunt Missæ de *Requiem*, non quidem semper, & in omni casu, aut ad arbitrium Sacerdorum vel petentium tales Missas, sed vt impleantur voluntates defunctorum. Idem Gauantus vt supra. Missa quoque solemnis de *Requiem* potest celebrari in Dominicis, & Festis etiam de præcepto, quando corpus defuncti præsens est, & insepultum. Gauantus *ibidem*. In die autem Paschæ, & diebus primæ Classis, non conuenit hoc fieri. Ex Rituali Romano. Quando autem Missæ defunctorum certo die dicendæ, in eo dici non possunt, in sequentem transferuntur. Barbosa *de Offic. Parochi capite vndecimo à numero* 24. Pro quo nota, quod quamuis Missa de Sancto, quoad valorem ex operato valeat defuncto quantum Missa de *Requiem*; sed non quoad valorem ex opere operantis, quia hic sumitur ex Orationibus Ecclesiæ, quæ in Missa de *Requiem* sunt specialiter pro defunctis assignatæ. Hic tamen excessus suppleri potest deuotione sacerdotis, & intercessione sancti, de, de quo dicitur Missa Laurenrius de Peirinis *tomo primo priuileg. Min. in Constitut.* 5. *Leo X.* Gauantus *in Thesaur. tom. prima parte* 3. *titulo* 12. *à num.* 19. Barbosa *vt supra num.* 23. 28

Neque pro Missa votiua, seu pro defunctis potest omitti Missa Conuentualis de die, nec consuetudo in hoc admitti debet, vt probat Gauantus *vt supra tomo primo part.* 1. *titulo* 4. vbi etiam alia ad intentum. 29

In Canone Missæ nomine Antistitis non sunt nominandi Superiores Regularium, sed tantum Episcopi loci in quo celebratur. Nec inferiores Episcopo. Gauantus *vt supra p.* 2. *tom.* 1. *tit.* 8. Imo habetur ex declaratione Cardinalium, quam refert. Diana *tract.* 14. *de celebr. Miss. resolut.* 40. peccare mortaliter Sacerdotem Regularem oppositum facientem. Quod quidem etsi durum videatur, credendum tamen est ita esse si constet de prædicta declaratione. 30

In Altari priuati Oratorij, cui conceditur ex priuilegio Apostolico celebratio Missæ (exceptis solemnioribus festis) non potest celebrari in Natali Domini, Epiphan. Paschate, Pentecoste, Annunciatione, Assumptione Beatæ Virginis, Festo SS. Apostol. Petri, & Pauli, & Omnium Sanctorum, Gauantus *in Comment. in rubric. Missal. tom.* 1. *p.* 1. *titulo* 20. 31

Missæ certis Regularibus concessæ, quales sunt B. V. de Monte Carmelo Carmelitis, & Rosarij Dominicanis, imo & sanctorum Ordinis, non possunt ab aliis dici, etiam in ipsorum Regularium Ecclesiis. 32

Ecclesiis. Cum solum prædictis Regularibus, & non aliis concessæ sint. Gauantus *in Comment. in rubric. Miss. tom. 1. par. 3. tit. 10. §. intellige, quæ dicimus.* Vbi etiam quid dicendum de Capellanis secularibus Monialium non vtentium Breuiario Romano; quantum ad Officium, & Missam. Vide dicenda *cap.* 25. *numero* 43. & Barbosam *de Offic. Parochi capite* 11. *numero* 34. Vide dicta *numero* 26.

33 Quando dicitur *Confiteor* in principio Missæ non debet addi nomen Patroni loci vel alterius. Cum Pius V. hoc expresse concesserit Ecclesiis Hispaniæ. Ergo sine licentia Papæ non licet talis additio. Gauantus, vt supra *par.* 2. *tit.* 3. §. *Confiteor Deo.*

34 Pro Ecclesiarum reuerentia maximè à sacerdotibus curanda præcipitur à S. Congreg. Episcop. & Regular. Primò ne in Ecclesiis appendantur arma & sagittæ. Secundò, ne intra Presbyterium detur locus Magistratibus, aut Officialibus Laicis. Tertiò ne Turcæ, aut mancipia permittantur ibidem tempore Diuinorum Officiorum. Quarto, ne conuocetur in Ecclesia ad consultanda Laicorum negotia. Quintò, ne Disputationes litterariæ Regularium, extra Comitia generalia, fiant in Ecclesia. Hoc autem vltimum video Romæ non obseruari in aliquibus Ecclesiis Regularium, forsan, quia commodiorem locum ad prædictas Disputationes litterarias faciendas, non habent. Pro dictis autem lege Gauantum *in Man. Episc. verb. Ecclesia n.* 48. *& verb. Ecclesiar. reuerentia n.* 16. 23. *&* 29. *& verb. Regular. Iura sub Episcop. n.* 47. Vide dicta à Nobis *cap.* 12. *num.* 41.

35 Vide pro illis, qui Missas celebrare audent non constituti in gradu Sacerdotali, dicta *capite* 10. *n.* 22. circa obligationem quam habent Sacerdotes recitandi Officium Diuinum *cap.* 12. & pro his, quæ possunt facere in propriis Ecclesiis *ibidem numero* 4. Pro susceptione Sacrorum Ordinum *cap.* 14.

SVMMARIVM.

Transitus ex vna Religione ad aliam an licitus, vel consulendus. n. 1.
Legitima causa subsistente licitus est. n. 2.
Prima conditio huius transitus quæ sit. n. 3.
Secunda quæ sit. n. 4.
Tertia quæ sit. n. 5.
Quæ Religio censenda sit perfectior. ibid.
Quarta conditio quæ sit. n. 6.
Quæ ex conditionibus assignatis reddant irritum transitum si deficiant. n. 7.
Transire ad Religionem æque perfectam quam licentiam requirat. n. 8. *&* 9.
Ad magis strictam quæ licentia sufficiat. n. 10.
Transire ad laxiorem ad quem spectet. n. 11.
Causæ legitimæ transitus quales existimandæ n. 12.
An Prælatus negare possit licentiam transeundi ad arctiorem. n. 13.
Quid quando religio perfectior deformata & relaxata est. n. 14.
Quid decreuerit S Congregatio. n. 15.
Requiritur nouus Nouitiatus in iis transeuntibus. num. 16.
Quem locum debeant habere. n. 17.
Quid si ante professionem redire vellent ad priorem Religionem. n. 18.
Ad quæ teneantur translati ad aliam Religionem. num. 19.
Quæ sint prohibita illis. n. 20.
Maximè mendicantibus. n. 21.
An transeuntes illegitimè sint Apostatæ vel fugitiui. num. 22.
Bona Religiosi translati ad quam Religionem spectant. num. 23.
Pœnæ recipientes fratres alterius Ordinis præter ordinem iuris. n. 24.
Fratres Clerici possunt in eodem ordine transire ad statum conuersorum. n. 25.
Qualiter peccet qui ingrediatur in aliquam Religionem animo transeundi postea ad aliam. numero 26.
Totus etiam conuentus transire potest ad arctiorem Religionem. n. 27.
An Episcopus Regularis possit ad strictiorem ordinem transire. n. 28.
Nullus transiens ex vna Religione ad aliam potest viuere extra claustra. n. 29.



CAPVT XXII.

De Regularibus transeuntibus ex vna Religione ad aliam.

CERTA res est, quòd magna causa non subsistente, nec consulendus transitus ex vna Religione ad aliam. Primò ex illo 1. Cor. 7. *Quisquis in vocatione qua vocatus est permaneat.* Secundo ex mente quoque antiquorum Monachorum, Cassiani *Collat.* 14. *capite quinto* D. Basil. *Constit. Monast. capite* 34. & D. Bernard. *in Epist.* 1. *ad Robertum.* Tertio, quia ex hoc transitu plerumque inquietudo, scandalum, murmuratio, & infamia Religiosorum oriri solet. Sanctus Thomas 2. 2. *quæst.* 189. *artic.* 8. Suarez 4. *tom. de Relig. lib.* 3. *cap.* 9. 1

Legitima tamen causa subsistente licitum est transire ex vna Religione ad aliam cum conditionibus inferius assignandis. Tum ex iure naturali, quo licitum est, votum proprium commutare in melius. Tum ex iure positiuo Canonico, *cap. Statuimus, & cap. Mandamus* 19. *quæst.* 3. *cap. Non est, cap. Sane, cap. Significatum, & cap. licet,* vbi hoc supponitur. Suarez *vt supra cap.* 8. Sanchez *lib.* 6. *in Decalog. cap.* 7. *num.* 2. *&* 3. Neque contraria est Constitutio Pij Quinti anno 1569. quæ incipit *Quæcumque Sacrarum,* vbi statuit non posse recipi, nec retineri ab vlla Religione Fratres alterius, sed remitti debere ad proprios Ordines, Intentum enim Pontificis solum videtur esse, vt constat ex verbis ipsius, quod ex vi facultatum, aut Priuilegiorum aliquibus Religionibus concessorum non liceat talis transitus, Nauarrus *lib.* 3. *Consil. tit. de Regularibus consil.* 88. Suarez *tom.* 4. *de Religio. lib.* 3. *cap.* 12. 2

Vt iste transitus ex vna Religione ad aliam licitus sit, requiritur primò, quòd non fiat temeritate, leuitate, odio, ira, contemptu, vel alia qualibet animi perturbatione, sed studio vitæ perfectioris, & sine iactura, & detrimento Religionis, à qua receditur. Ita enim deciditur ab Ecclesia *in cap. licet de Regularibus,* & est rationi naturali conforme, vt de se patet, vt vero animus transeuntis ex vna Religione ad aliam, vel damnum, quod Religioni derelictæ inde cedit cognoscatur, circumstantiæ omnes 3

omnes prudenter examinari debent. D. Antonin. 3. *part. tom.* 1. *capite* 4. Syluester *verb. Religio* 4. *quæst.* 1.

4 Secundo requiritur petitio licentiæ à Superiore. Quia ita deciditur *in dicto cap. licet versu quocirca*, ne bonum obedientiæ contemni videatur. Abulensis *capite* 30. *Num. quæstione* 73. Nauarrus *lib.* 3. *cons. tit. de Regul. consil.* 52. *vel* 59. sufficit autem licentia petita, etsi non obtenta, quando iniustè illam negat superior; sic enim deciditur *in dicto cap. licet* Rodriguez 3. *tomo quæstionum Regularium quæst.* 52. *art.* 3. In dubio autem, si iustè, vel iniuste negatur ista licentia, standum est iudicio Superioris. Caietanus 2.2. *quæst.* 189. *art.* 8. Sanchez *lib.* 6. *in Decal. cap.* 7. *num.* 16. Potest tamen tunc appellare ad alium Superiorem, à quo res decernatur, Syluester *verbo Religio* 4. *quæst.* 1. Azor. *tom.* 1. *Instit. moral. lib.* 12. *cap.* 14. *quæst.* 5. Hoc verò intellige de iure communi, nam nostri Patres Carmelitæ discalceati habent priuilegium à Paulo V. concessum anno 1610. die 3. Aprilis, vt non possint transire ad Carthusiam, nisi petita licentia, & obtenta à Superioribus, sub excommunicatione ipso facto.

5 Tertiò requiritur ad hoc vt transitus ab vna ad aliam Religionem sit validus, quòd Religio, ad quam fit transitus, sit perfectior. Ita enim habetur Capitibus supra adductis, præsertim *capite licet de Regul.* Estque rationi naturali conforme, vt sicut semper datur locus, & via ad maiorem perfectionem, sic etiam iis, qui ab ea recedunt, via præcludatur; transitus autem ad perfectiorem Religionem arguit desiderium maioris perfectionis, sicut recessus ab illa, indicat non velle maiorem perfectionem. Quid vero intelligatur nomine perfectioris Religionis, aut quæ sit censenda perfectior, dissentiunt Authores. Primo enim quidam, & satis probabiliter dicunt, eam esse putandam perfectiorem Religionem, quæ fuerit arctior, durior, & asperior, ita Sanchez cum multis aliis *libro* 6. *in Decalog. cap.* 7. *num.* 21. Alij vero, etiam probabiliter dicunt eam Religionem esse censendam perfectiorem quoad intentum non quæ fuerit magis arcta, aspera, & seuera quoad obseruantias exteriores, sed quæ habuerit perfectiorem finem, & media ad illum proportionata. Eo quod tota ratio, quare transitus iste licitus est ex natura rei, & iure Ecclesiastico, est propter maiorem gloriam Dei, & maiorem perfectionem Religiosorum, quod maximè reperitur in Religione, quæ habet perfectiorem finem, & media proportionata. Vnde transire à perfectiori Religione ad arctiorem non erit ascendere, sed descendere, sicut propter eamdem causam non est licitum commutare votum de actu perfectioris virtutis in actum strictioris, D. Thomas 2. 2. *q.* 189. *art.* 8. Nauarrus *Comm.* 4. *de Reg. num.* 2. *&* 3. Suarez 4. *de Relig. lib.* 3. *cap.* 9. *num.* 10. Ad iudicandum verò quæ Religio sit perfectior, non tàm attendenda est prima institutio Religionis, & regulæ, quam præsens obseruantia, & modus, quo in illa Religione viuitur. Sic enim melius consequitur suum intentum qui ad perfectiorem vitam anhelat. Azor. *lib.* 12. *Instit. Moral. capite* 14. *quæstione* 3. *&* 8. Lessius *de Iust. libro* 2. *capite* 41. *dub.* 13.

6 Quartò requiritur, vt religiosus possit ex vna religione ad aliam transire, quod illi non sit à Sede Apostolica talis transitus interdictus. Etsi enim iure communi liceat omnibus religiosis transitus ad aliam religionem, seruatis tribus conditionibus assignatis sunt tamen specialia iura, aut priuilegia interdicentia aliquibus talem transitum. Primò enim, in Extrauaganti *viam de Regularibus* interdicitur sub pœna excommunicationis latæ sententiæ Papæ reseruatæ, ne ex religionibus Mendicantibus transitus fiat ad quamcumque aliam, nisi ad Carthusiam. Suarez *tomo* 2. *de Religione Tractatu de voto libro* 3. *capite sexto numero* 24. *& quinto tomo in* 3. *part. disputatione* 22. *sect.* 5. *num.* 17. Deinde Benedictus duodecimus in Bulla edita anno 1335. quæ incipit *Regularem vitam*; prohibet Fratres Mendicantes transire ad Monachos nigros, & Cistercienses. Similiter Eugenius Quartus anno 1439. in Bulla, quæ incipit *Regularem vitam*, indixit Monachis Cisterciensibus, ne ad alium Ordinem, præter Carthusianum transirent. Compendium Bullar. 1. *tomo fol.* 59. Deinde Pius Quartus, & Pius quintus suis litteris Apostolicis concessere Societati Iesu, ne ab ea transire possit aliquis, nisi solum ad Carthusiam. Ita habetur in priuilegiis Societatis *verb. Apostata* §. 4. Suarez *tom.* 5. *in* 3. *part. disp.* 22. *sect.* 5. *num.* 19. Patres quoque nostri Discalceati Carmelitæ habent priuilegium, de quo supra *n.* 4. in quo illis interdicitur transitus ad quamcumque aliam Religionem, quocumque titulo, nisi ad Carthusiam, & hoc petita, & obtenta licentia à Superioribus. Clerici autem Regulares Ministrantes infirmis etiam etiam ad Carthusianos transire non possunt sine licentia Sedis Apostolicæ. Ita præcepit Paulus V. Anno 1606. in Bulla *Romanum, decet* 3. *tomo Bullarij inter Bullas Pauli V. n.* 29. Pro his omnibus vide Sanchez *lib.* 6. *in Decal. cap.* 7. *à num.* 28. Consuli etiam debent varia Religionum priuilegia. Miranda *in Manuali tom.* 1. *q.* 31. *artic.* 7. Bonacina *de Clausur. quæst.* 2. *punct.* 9. §. 5 *diffic.* 2.

Ex conditionibus assignatis, primæ, aut secundæ defectus non irritat transitum ex vna Religione ad aliam nec reddit professionem factam irritam, aut nullam, sed solum illicitam, saltem stando in iure communi. Nullum enim est fundamentum in Decretis adductis irritationis, cum illis non opponantur dictæ conditiones tamquam forma seruanda in esto contractu, sed vt modus ex præcepto Ecclesiæ requisitus cum ergo alias ex iure naturæ non sit irrita talis professio, quia est de meliori bono, scilicet de imperfectiori Religione ad perfectiorem (vt supponimus) non erit irrita professio. Suarez 4. *tomo de Religione libro* 3. *cap.* 10. *numero* 22. Defectus ramen tertiæ conditionis reddit nullum transitum, & irritat professionem factam in Religione ad quam fit. Ratio est, quia transitus ad Religionem non perfectiorem nullo iure est permissus, & aliàs est ex natura sua contra primam professionem per quam Religiosus est obligatus Religioni, in qua est professus. Sanchez *libro sexto in Decalog. capite* 7. *numero* 93. Defectus vero quartæ conditionis aliquando irritat transitum, & professionem factam de nouo in alteram Religionem, aliquando verò solum reddit illam illicitam. Ratio est, quia in illis priuilegiis aliquando apponuntur verba irritantia transitum vt in Extrauaganti *viam de Regularibus*, aliquando vero solum prohibentia. Consulantur verba priuilegiorum. Sanchez *vt supra num.* 88. 7

Transire Religiosum ad Religionem æquè strictam, & perfectam quando non est aliqua causa talis transitus, solum spectat ad Pontificem. Est enim Summus Pontifex Prælatus Supremus omnium Religionum, & ita mutare Religiosum ex 8

vna Religione ad aliam solum spectabit ad ipsum, sicut ad Generalem mutare de Prouincia in Prouinciam, & ad Prouincialem de Conuentu in Conuentum, Azor. *lib.* 12. *instit. Moral. cap.* 14. *quæst.* 9. Syluester *verb. Religio* 4. *quæst.* 2. Si vero Pontifex sine causa aliqua hanc facultatem concederet, illicitè faceret. Tum quia hoc esset contra ius Religionis, à qua fit transitus. Tum quia huiusmodi mutationes sunt ex suo genere odiosæ, & parum vtiles. Suarez 4. *tom. de Relig. lib.* 3. *c.* 11. *num.* 8.

9 Quando vero subest causa legitima, potest prælatus Pontifex inferior dispensare in transitu Religiosi ad Religionem æqualem. Ratio est, quia Prælatus Religionis habet potestatem disponendi de rebus suæ Religionis, causa rationabili subsistente, sine læsione voti emissi, & nisi illi sit ab Ecclesia prohibitum. Sed in casu transitus Religiosi ad Religionem æqualem est causa rationabilis, vt supponimus, rursus per talem transitum nihil derogatur priori professioni, quia commutatur in æquale, neque ab Ecclesia hoc est prohibitum, quia iura adducta solum loquuntur quando non est causa rationabilis dispensandi, ergo. Rodriguez *tom.* 3. *quæst.* 52. *art.* 9. Suarez 4. *tomo de Relig. libro* 3. *capite* 11. *numero* 2. Prælatus, qui potest in hoc dispensare est Episcopus quando Religiosus transire volens est subiectus Episcopo. Quia tunc Episcopus est verus Superior illius. Angelus *verb. Religiosus num.* 34. Syluester *verb. Religio* 4. *quæst.* 9. Quando vero Religiosus non est subditus Episcopo, sed prælatis Religionum, poterunt concedere istam licentiam Prælati Superiores Religionum, scilicet Generales, non tamen alij. Ratio est, quia dare istam licentiam est alienare illum Religiosum à tota religione, quod solum ad Superiorem Prælatum spectare potest, cum alij solum habeant Iurisdictionem in vna Prouincia, vel in vno Monasterio. Rodriguez *secundo tom. Summæ capite sexto numero* 8. Sanchez *lib.* 6. *in Decalogum capite* 7. *num.* 63.

10 Hoc tamen non obstante probabile mihi est, quod ad ad transitum religiosi ad religionem magis strictam sufficiat licentia prælati immediati. Eo quod *in cap. licet* solum exigatur petitio licentiæ à Prælato. Prælatus autem immediatus verè Prælatus est, & aliunde hoc est permissum iure naturali, & diuino, vnde non est, cur alterius Prælati licentia requiratur. Nauarr. *Comm.* 4. *de Regul. n.* 10. Rodrig. *tom.* 3. *q.* 52. *art.* 3.

11 Transire autem ad laxiorem, aut minus strictam religionem non solum est prohibitum Religiosis, vt constat ex Iuribus adductis, sed sine causa vrgente, nec à Summo Pontifice id concedi potest, saltem quoad forum interius conscientiæ. Ratio est, quia ille transitus est commutatio Voti de meliori bono in minus bonum, quod cum sit contra ius Diuinum, & Naturale inualidè fit etiam à Summo Pontifice, si causa vrgens, ratione cuius in tali casu dispensare possit non subsistat. Nauarrus *lib.* 3. *Consil. tit. de Regular. consil.* 56. *vel* 88. *& Comment.* 4. *de regular. numero* 10. Lessius *libro* 2. *de Iust. capite* 41. *dub.* 13. Causa tamen legitima subsistente, non solum Papa, sed, vt probabile est apud multos, etiam Prælati ipso inferiores talem dispensationem dare possunt. Ratio est quoad Papam, quia ipse potest ius naturale, aut Diuinum interpretare, & cum causa rationabili in Votis quibuscumque dispensare. Quoad alios vero Prælatos, quia ex nullo iure constat hanc dispensationem esse Papæ reseruatam, Concilium enim Tridentinum cum *sess.* 25. *de regular. cap.* 19. decernit, quod nemo Regularis cuiuscumque facultatis vigore transferatur ad laxiorem Religionem, loquitur de facultate obtenta sine causa legitima, vt docet Nauarrus *lib.* 5. *consil. de Regul. consil.* 56. *num.* 3. Lessius 2. *de iust. capite* 41. *dub.* 13. Similiter Extrauagans, *viam ambitiosæ de Regular.* prohibens ne Mendicantes transeant ad aliam Religionem præter Carthusiam intelligitur etiam de transeuntibus absque dispensatione, & causa legitima, vt docent Lessius *citatus* & Sanchez *lib.* 6. *in Decalog. capite* 7. *numero* 68. Cum ergo ex alio capite authoritas concedendi talem facultatem sit fere necessaria ad bonum regimen Religionis, & perfectam subiectionem inferiorum ad Superiores, credendum est posse Prælatos inferiores Papa illam concedere. Rodriguez *tom.* 3. *quæstionum Regularium quæst.* 52. *art.* 9. Lessius *vt supra.* Probabile hoc putat Suarez 4. *tomo de Relig. tract.* 8. *lib.* 3. *captie* 11. *num.* 20. Prælati vero, ad quos spectat concedere hanc licentiam sunt respectu non exemptorum Episcopi; respectu vero exemptorum Prælati Superiores Religionum, videlicet Generales, non autem immediati, propter rationem adductam *sup. num.* 9. Sanchez *libro* 6. *in Decalog. cap.* 7. *numero* 70. Suarez *vt sup. num.* 16. approbans quoad hoc sententiam Syluest. *Relig.* 4. *quæst.* 2.

Causæ autem legitimæ transitus ex vna Religione ad aliam, arbitrio prudentis dispensantis relinquuntur; cum nihil circa hoc aliquo iure præscriptum sit. Magis autem generales causæ solent esse, infirma, aut incommoda valetudo, aut fragilis corporis natura, quæ Religionis strictioris austeritates ferre nequeat. Azor. *tom.* 1. *Instit. moral. libro* 12. *cap.* 14. Esse vtilem in vna Religione, & in alia onerosum. Suarez 4. *tomo Relig. tract.* 8. *lib.* 3. *cap.* 11. *numero* 21. Magna necessitas parentum, quibus in vna Religione subueniri potest, & non in alia. Rodriguez *tomo tertio quæstionum Regularium quæstione* 52. *articulo. nono.* Si Religiosus indignè, & iniustè, odio haberetur & malè tractaretur à Religiosis vnius Religionis. Azor & Rodriguez *citati*, esse infamatum in Religione ob aliquod crimen commissum, vt propterea necessum sit esse semper pudore suffusum, & tristitia magna affectum. Diana *tractatu secundo de Dub. Regul. resol.* 43. De his vero, & aliis causis Suar. & Sanchez *vbi sup.* 12

Prælatus, qui absque iusta, & legitima causa negaret subdito facultatem transeundi ad arctiorem Religionem peccaret mortaliter. Ita deducitur *ex c. licet quibusdam de Regular.* vbi dicitur, *Prælatus subdito sine difficultate, & prauitate qualibet debet transeundi licentiam indulgere, ne videatur propositum impedire diuinitus inspiratum.* Sylu. *v. Religio.* 4. *q.* 1. *not.* 5. Miranda *in Manual.* 1. *tomo quæstione* 31. *art.* 6. 13

Quando aliqua Religio, etiam si in se perfectior sit, aut strictior, deformata est, & relaxata, licitum est ex illa transire ad aliam magis reformatam etiam minus perfectam, aut strictam, seruatis tamen seruandis, vt supra. Ratio est, quia finis propter quem omni iure licitus est transitus ex vna Religione ad aliam est, vt quis ducat perfectiorem vitam, quod contingit in proposito casu. Sanctus Thomas 2. 2. *quæst.* 189. *art.* 8. Miranda *in Man. tom.* 1. *quæst.* 31. *art.* 4. 14

Nouo etiam iure, seu Decreto Sacræ Congregationis Concilij *de Regularibus Apostatis, &*

Eiectis

Eiectis iussu Sanctissimi Domini Nostri Vrbani Octaui ann. 1624. edito sic habetur. *Deinde, vt apostatandi opportunitas Regularibus praripiatur statuit, vt de catero nullus permittatur ad arctiorem Religionem transire, nisi prius Superiori legitimè constiterit, eam Religionem paratam esse illum recipere, qui licentiam petit, tumque regularis recta via se transferat ad arctiorem. Quod, vt re ipsa adimpleatur, idem Superior omni studio, ac diligentia inuigilet.* Hæc Sacra Congregatio. Quæ abdubiè etiam obligant in casu, quo Religiosus transiret ad aliam Religionem æquè strictam, vel laxiorem propter eandem, vel maiorem rationem.

16 Translatus de vna Religione ad aliam debet de nouo in ea esse Nouitius, & in probatione per vnius anni spatium, & de nouo profiteri. Ratio est, quia Concilium Tridentinum *sess.25. de Regular. c.15.* dum hoc generaliter præcipit fieri in quacunque Religione, etiam pro illis, qui in alia fuerunt religiosi intelligi debet. Nauarrus *lib.3. Concil. de Regul. consil.3. num.1. & consil.49. num.2.* Miranda *in Manual. tomo 1. quæst.31. art.21. & 22.* qui etiam hoc extendunt ad casum, quo aliquis transferretur ad alium Ordinem, vt esset ibi Prælatus. Alij verò hoc negant. Vide Erasmum ChoKier *in tract. de Iurisd. Ordin. in exempt. part.5. quæst.14.* Est autem necessaria ista noua professio cum nouo Nouitiatu, etiam quando est transitus ab vna familia in aliam eiusdem Ordinis, vt si à Discalceatis Carmelitarum ad Obseruantes, vel Capuccinos in Ordine Minorum, vel è contra fiat transitus. Ratio, quia licet istæ Religiones censeantur vnæ ratione Regulæ, & Fundatoris, tamen simpliciter sunt diuersæ, & habent diuersas austeritates, vel ad minus diuersum modum viuendi, atque ita necessarius est nouus Nouitiatus, tum ad illa experienda, tum ad hoc quod Religio ipsa experiatur etiam mores, & conditiones admittendorum ad illam.

Sæpius tamen S. Congregatio Episcoporum & Regularium solet concedere vt Nouitiatus iste transeuntium de vna Religione ad aliam sit breuior quam per annum; per aliquot videlicet menses tantum, & cum quibusdam conditionibus. Prout vidi de anno 1645. pro 23. Nouembris & de 1647. pro 23. Augusti. Nota etiam quod transitus iste vnius Congregationis ad aliam eiusdem Religionis non admittitur, nisi seruatis iuribus vtriusque Congregationis: etsi aliquando soleat S. Congregatio Episcoporum & Regularium in eo dispensare, prout factum de anno 1648. pro 17. Iulij

17 Similiter translatus de vno Ordine in alium debet habere locum professionis factæ in Ordine, ad quem transfertur, non quem in priori habebat. Ratio est, quia solùm à tempore professionis factæ in Religione, ad quam transfertur, est Religiosus illius, & numeratur inter membra ipsius. Rodrig. *tom.3. quæst. Regular. quæst.52. art.29.* Sanchez *lib.6. in Decalog. cap.7. num.86.* Secus est, si transeat aliquis ad aliquam Religionem, vt sit Prælatus ipsius: hic enim sine dubio debet habere primum locum in Conuentu; cum incongruum sit Prælatum esse loco inferiorem suis subditis. Imò etiam volunt aliqui, quod finito Officio debeat habere locum immediatè post Prælatum, & non locum prioris professionis factæ in priori Religione, aut posterioris in posteriori Religione emissæ. Hoc verò intelligo solùm secundùm quandam decentiam. In rigore enim consuetudo, & Leges Religionis obseruandæ sunt. Nauarrus *lib.3. Consil. tit. de Regular. in 1. edit. consil.61.* Rodriguez *tomo 3. quæst. Regul. q.52. art.26.* Quid verò dicendum in casu, quo Monachus exemptus transferatur ad prælatiam Monasterij non exempti, an maneat exemptus, vel non? Vide Erasmum ChoKier *in tract. de iurisdict. Ordin. in Exempt. p.5. q.14.*

Religiosus, qui legitimè ad aliam Religionem transiuit, si ante professionem velit redire ad priorem Religionem est in illa admittendus. Cum adhuc maneat cum vinculo professionis factæ in Religione à qua discessit, sitque membrum illius. Syluester *ver. Religio.4. quæst.5.* Azor. *tomo 1. instit. Moral. lib.12. c.14. q.11.* Idem dico, etiam si iniustè, aut illegitimè ad aliam Religionem transiuit. Propter eandem imò maiorem rationem. Sanch. *lib.6. in Decal. c.7. n.105.* 18

Religiosus ad aliam Religionem modo legitimo translatus non solùm non tenetur ad Obseruantias prioris Religionis, vt de se patet, cum iam sit ab illius iugo exemptus, sed neque tenetur ad alia Vota specialia in professione prioris Religionis emissa, v. gr. si erat ex Ord. Minimorum ad vitam Quadragesimalem. Ratio est, quia illa Vota annexa sunt professioni prioris Relig. cessante autem principali, cessant etiam accessoria. Suarez *tom.2. de Relig. tract. de Voto lib.6. cap.3. num.7.* Sanchez *lib.6. in Decalog. cap.7. num.87.* Vnde similiter si religiosus Choro destinatus, nec in Sacris constitutus transeat ex Religione, in qua est consuetudo quod tales dicant Officium Diuinum ad Religionem, vbi non est talis consuetudo, non tenetur illud recitare. Quia cessat ratio obligationis, nempè consuetudo. Bonac. *de Hor. Canon. disp.1. q.2. punct.2. n.2.* 19

Transeuntes ex vna Religione in aliam, etsi Canonici regulares sint, sunt omninò incapaces quorumcumque Beneficiorum secularium etiam Curatorum. Ita habetur in Concil. Tridentin. *sess.14. cap.11.* Ratio huius decisionis videtur esse, ne aliquis transeat ex vna Religione in aliam sub spe obtinendi aliquod beneficium seculare. Lessius *2. de Iustit. cap.41. dub.13. num.105.* Suarez *4. tomo de Relig. tract.8. lib.3. cap.15.* Et intelligitur quamuis ad strictiorem sit transitus. Quia generaliter loquitur Concilium. Sanchez vt suprà *num.108.* 20

Deinde Mendicantes, qui, auctoritate etiam Apostolica, ad non Mendicantes transeunt, ex *Clement.1. de Regular.* primò priuantur voce in Capitulo, etiam si hoc illis ab aliis concedatur. Voce inquam actiua, & passiua, quia textus generaliter loquitur. Bonacina *de Clausur. quæst.2. punct.9. §.5. num.2.* Deinde priuantur etiam loco in eodem Capitulo. Sanchez *lib.6. cap.7. num.123.* Præterea non possunt assumi ad Prioratus, Administrationes, aut quæcumque alia Officia, etiam tanquam Vicarij, seu Ministri; vel locum aliorum tenentes, nec animarum curam, aut regimen possunt pro se, vel pro aliis exercere: & quidquid in contrarium gestum fuerit irritum est, & nullum. Ita decernitur *in præd. Clem.1. de Reg.* Et ratio decisionis esse potest, vt Mendicantes quietiùs in sua vocatione persistant. Azor. *lib.12. Instit. Mor. cap.14. quæst.12.* Sanchez *lib.6. in Decalog. cap.7. à num.109.* Extat autem quædam declaratio Cardinalium limitans hanc decisionem pro transeuntibus ad Carthusianos per hæc verba: Omnes cuiuscumque Religionis legitimè translati ad Carthusianos, possunt in eadem Carthusiensi Religione in Claustro Priores, 21

& extra claustrum Procuratores esse. Suarez *tomo 4. de Relig. tract. 8. lib. 3. cap. 15. num. 6.* Vide alia in Bonacina *vt suprà num.* 4. Suarez, & Sanchez citati.

21 Transeuntes ex vna Religione ad aliam illegitimè, scilicet sine causa, aut licentia, aut contra prohibitionem Iuris, non sunt veri Apostatæ, sed fugitiui. Ratio primæ partis est, quia licet illicitè, & inualidè ab vna Religione recedant, transeunt tamen ad aliam, & ideò non dicuntur simpliciter recedere ab statu Religioso, quod requiritur ad veram Apostasiam. Ratio verò secundæ partis est, quia indebitè, & inualidè fugiunt ab obedientia suorum Superiorum. Less. 2. *de iust. c. 41. dub. 13.* Azor. *lib. 12. inst. Mor. c. 17. q. 7.*

Vnde interrogatus, an quidam Religiosus qui cum licentia sui Superioris transitum fecit ad Religionem laxiorem esset censendus Apostata, respondi, nullatenus vt Apostatam censeri debere. Etsi enim Suarez 5. *tom. in 3. p. disp. 31. sect. 6. num. 4.* id affirmauerit, ipsique fauerint aliqui ex antiquioribus; nihilominùs communis sententia est contraria, quam tenent quamplurimi Iuristæ, Summistæ & Theologi quos refert & sequitur Sanchez *lib. 6. in Decalog. cap. 8. num. 8.* inter quos sunt ex recentioribus Bañez, Aragon, Nauarrus, Sà, Valentia, Lessius, Rodriguez, & Azor. Vnde ista sententia non solum speculatiuè, sed etiam practicè est probabilissima. Præsertim quia fundamentum cui innititur est solidum, videlicet quod transiens ad aliam Religionem, propria deserta, non recedit simpliciter à vita Religiosa, sed solùm à certæ Religionis instituto cum in qualibet Religione tria vota religiosi instituti substantialia emittantur & obseruari debeant. Dixi etiam nec esse censendum fugitiuum. Tum quia aliqui Doctores quos tacito nomine refert Syluester *in Summ. verb. Apostasia quæst. 4. num. 9.* generaliter id negant de sic transeuntibus. Tum etiam quia iste transit cum licentia sui Prælati, & cum obedientia ipsius. Non ergo reputari potest fugitiuus, cum fugitiuus ille sit qui contra vel præter obedientiam sui Superioris ab aliquo loco recedit. Fauet Syluester *sup.* & Sanchez etiam *sup. n. 9.*

22 Propositum etiam mihi est sequens dubium. In quadam Religione est quoddam statutum quo præscribitur vt non admittatur ad illam aliquis Apostata aut desertor alicuius Religionis: & quod acceptatio talis pertineat ad Generalem cum Visitatoribus, Priore & reliquis deputatis Conuentus quando Monasteria visitantur. Vnde dubitatur an possit ad illam admitti Religiosus alterius Religionis qui legitimo modo & seruatis seruandis vult ingredi illam à prædictis tamen Generali, Visitatoribus, deputatis, &c. Et respondi affirmatiuè. Ratio sumitur ex proprietate, & propria significatione nominis *Desertor.* Desertor namque is dicitur qui per prolixum tempus euagatus reducitur. Ita enim habetur *l. Desertorem ff. de re mil.* & comprobat Calepinus *in dict. verbo Desertor.* Ex quo colligitur desertorem propriæ Religionis non esse nisi illum qui per prolixum tempus ab ea euagatus fuerit. Confirmatur ex eo quod tale nomen sæpius vsurpatur in malam partem, *vt Isai. 30.* illis verbis: *Væ filij desertores:* in quibus notantur Iudæi qui deserto & spreto Dei consilio quod acceperunt per Ieremiam vt non fugiant Chaldæos in Ægyptum, sed maneant in patria sua, secuti sunt suam voluntatem, fugeruntque in Ægyptum. Similiter ergo in præsenti vox *Desertor* solum significabit Religiosum vagum & profugum, suam Religionem deserentem, non autem illum qui legitimè vult transire ad aliam Religionem. Confirmatur vlterius ex illa voce *Apostata* per quam explicatur illa alia *Desertor.* Etenim verba præcedentia declarant sequentia, *l. vtrum ff. de petit. hæred. l. qui filiabus in princ. & l. si serum §. fin. ff. de legat. 1.* Castr. *cons. 347. num. 2. verb. Ad quartum lib. 2.* Surdus *decis. 288. num. 80. cum seqq.* Farinac. *in prax. crim. p. 4. cons. 30. num. 115. & cons. 65. num. 110.* Marc. Anton. *var. resol. lib. 3. resolut. 1. num. 60.* Tuschus *tom. 8. litt. V. concl. 144. num. 21.* maximè Cephalus *cons. 156. num. 10. & seq. & consil. 351. num. 38.* Parisius *consil. 23. numer. 118. libr. 1.*

Omnia bona Religiosi transeuntis, etiam cum licentia suorum Superiorum, ex vna religione ad aliam, ante professionem in secunda religione factam acquisita, vel quomodolibet ad illum pertinentia, pertinent ad primam religionem. Ratio est, quia ante professionem in secunda factam, semper remanet membrum primæ religionis, & illi acquirit quidquid acquirit. Nauarr. *Comment. 4. n. 24. vers. 11. & lib. 3. Cons. consil. 55. num. 9.* Azor. *to. 1. Institut. Moral. lib. 12. cap. 15. quæst. 3. & cap. 16. q. 8.* Multò magis hoc verum est de bonis religiosis transeuntis illegitimè ex vna religione ad aliam, non solùm enim bona, quæ acquirit ante professionem, sed etiam quæ post professionem acquirit, pertinent ad primam Religionem, à qua discessit. Quia cum transitus ille sit illegitimus, & inualidus nullum ius ex eo prouenire debet posteriori religioni Azor. *tom. 1. inst. mor. lib. 12. cap. 15. qu. 3.* Mol. *tom. 1. de Iust. disp. 144.* Vnde religiosus, qui transfertur ad aliam religionem, non potest secum deferre ex bonis, quæ ad vsum habebat, nisi ea solum, quæ sibi gratiosè à Superioribus fuerint concessa. Nauarr. *in c. Non dicatis n. 30. & 31. & in c. statuimus n. 24. & alibi.* 23

Religiosi cuiuscumque Ordinis, & Religionis extiterint, exceptis Carthusianis, admittentes, siue recipientes Fratres alterius Ordinis, præter ordinem Iuris, mortaliter peccant. Quia in re grauissima delinquunt. Est etiam excommunicatio lata contra recipientes Fratres aliquarum Religionum, propter priuilegia ipsis ab Ecclesia concessa, specialiter Martini V. pro Mendicantibus transeuntibus ad Monachales excepto Carthusiensium Ordine. Vide Casarubium *in Compend. priuileg. v. Apostatæ ab Ordine.* Miranda *in Manual. tom. 1. q. 51. art. 2.* Religiosi quoque Ordinis B. Mariæ de Mercede etiam quarti Voti prætextu, non possunt recipere Min. de Obseru. aut alterius Ordin. strictioris professores. Ita Clemens VIII. in Bulla *Nuper ad nos* anno 1596. edita, vbi declarat Regulam strictiorem iudicandam esse alia ratione, quam respectu quarti Voti. Deinde recipientes fratres Minimos sunt excommunicati à Iulio II. in Bulla *Sacer Ordo* anno 1508. Peyrinis *tom. 1. de Subd. quæst. 1. de Obed. c. 24.* Item ex priuilegio Alex. IV. nulli Religiosi professores Ordinis paris arctitudinis, vel minoris aliquem de Fratribus Ordinis Carmelitarum, ad eorum Ordinem admittere possunt, sine consensu Generalis eiusdem Ordinis, & si forsan aliquem aliter receperint, illum tenentur restituere. Insuper ex priuilegio Ioan. XXII. Fratres Prædicatores, vel Minores, vel Augustiniani, non possunt ad eorum Ordines Fratres Carmelitanos recipere, vel retinere, sine eiusdem Generalis licentia, sub pœna priuationis Officij, vel Administratio 24

niſtrationis, & inhabilitatis ad alia ipſo facto.Speculum Ord.*fol.*71.Vide alia in Bonac.*de Clauſur.q.*2.*punct.*9.§.5.

52 Religioſus Clericus ad Chorum deputatus iuſſu,& auctoritate Superiorum poteſt tranſire ad Ordinem Laicorum ſiue Conuerſorum in eadem Religione. Sicut enim Superiores poſſunt ſuis ſubditis maiores pœnas infligere, videlicet carceris, eiectionis, triremium, &c. ita etiam poterunt iſtam pœnam imponere. Azor. *tom.* 1. *Inſtitut. Moral. lib.*10. *cap.*6. *quæſt.*7. Ledeſma 2.*part. Sum. tract.*9. *c.*4. Hoc verò intelligo de Clerico ad chorum deſtinato,qui nondum eſt in Sacris conſtitutus. Nam ſi eſt in Sacris, non poteſt ad inferiorem Ordinem deiici, etiam ſi à ſuis Ordinibus ſuſpendatur. Sotus 10. *de Iuſt.quæſt.*9.*art.*3. Laurentius de Peyrin. *tom.*1. *de Subdito quæſt.*1. *de Obed. cap.*24. Cauſæ autem propter quas Clericus non ordinatus,choro tamen deſtinatus, poſſit ad Conuerſos deiici, regulariter ſunt tres; nimirum punitio delicti,ineptitudo ad litteras addiſcendas, & maximus ardor vitæ humilioris.Sanch.*lib.*6.*in Decal.c.*7.*n.*81.Prædictus autem Religioſus Clericus non ordinatus ad Conuerſos tranſlatus, non tenetur dicere Officium Canonicum Clericorum. Cum totum fundamentum talis obligationis in aliis Religioſis Clericis Choro deſtinatis,nec in Sacris conſtitutis, ſit dicta deſtinatio ad Chorum,& conſuetudo,iuxta dicta ſupr. *c.*12.*n* 3.

26 Qui ingreditur in aliquam Religionem animo tamen tranſeundi ad aliam poſt profeſſionem, vel poſtquam ſtudiorum curſum perfecerit,aut ad Presbyteratum promotus fuerit, peccat grauiter ſic faciendo: tranſitus tamen ad aliam Religionem, ſi fiat legitimo modo,validus eſt. Ratio primæ partis, quia decipit Religionem in re graui. Ratio verò ſecundæ, quia vtitur iure ſuo. Bonac. *in Tract. de Clauſur. quæſt.*2. *punct.*9. §.1. *n.*2. Imò videtur teneri ad reſtitutionem expenſarum, quas Monaſterium fecit in ipſo alendo, detractis iis, quæ ipſe proprio labore,&Miniſterio in vtilitatem Monaſterij fecit.Quia fecit damnum Religioni prædicto animo in ipſam ingrediendo,& ita debet illud reſarcire. Sanch.*lib.*6.*in Decalog.cap.*10.*num.*2. Bonacina *vt ſuprà.*

27 Totus etiam Conuentus poteſt ad arctiorem Religionem tranſire,ſeruatis ſeruandis. Tum quia eadem eſt ratio de tranſitu Conuentus,ac de tranſitu Religioſi. Tum quia id ſupponitur *in cap. recolentes verb. cæterum de ſtat. Monach.* Rodrig. *tom.*3. *quæſt.*52. *articul.*6.Bonacina *in tract.de Clauſur.q.*2. *punct.*9.§.2.*n.*5.

28 Epiſcopus etiam Regularis poteſt ad ſtrictiorem Religionem tranſire,cum licentia tamen Papæ. Ratio primæ partis, quia licitum eſt cuique maiorem perfectionem quærere;Religio autem ſtrictior ſemper præſupponitur maioris perfectionis, quam laxior.Ratio ſecundæ ſumitur ex *cap. licet de Regul.* Vbi generaliter vetitum eſt Epiſcopis ad Religionem tranſire abſque facultate Papæ. Bonac. *vt ſupr. n.*7. Quod idem dicendum eſt de Epiſcopis Regularibus, qui iam Epiſcopatum ex licentia Papæ renunciarunt.Propter eandem rationem.Si autem iſti redeant ad ſuam Religionem ſub obedientia Prælatorum ipſius, ſatis erit ad tranſitum faciendum licentiam petere à Superioribus Religionis, ſicut & alij.Sanch.*lib.*6.*in Decal.c.*7.*n.*8.

Ex Concil.Trident.*ſeſſ.*14.*de reform.c.*11. ſic habetur: Quia verò Regulares de vno ad alium Ordinem tranſlati, facilè à ſuo Superiori licentiam ſtandi extra Monaſterium obtinere ſolent, ex quo vagandi, & apoſtatandi occaſio tribuitur: nemo cuiuſcumque Ordinis Prælatus, vel Superior, vigore cuiuſuis facultatis aliquem ad habitum, & profeſſionem admittere poſſit, niſi vt in Ordine ipſo, ad quem transfertur, ſub ſui Superioris obedientia,in Clauſtris perpetuo maneat. Ex quo Decreto in primis habetur tam tranſeuntem ex vna Religione ad aliam,quam recipientem, animo non manendi intra Clauſtra perpetuo, grauiter peccare contra illud. Suarez 4. *tomo de Relig. tract.*8. *lib.*3. *cap.*15.*num.*8.Addens etiam *num.*9. talem receptionem irritam non eſſe ex vi illius prohibitionis,cum Concilium non apponat clauſulam irritantem. Poterit nihilominus, non obſtante prædicto Decreto, Superior Religionis dare prædicto ſic tranſlato eas licentias exeundi extra Monaſterium, & ſtandi extra clauſtra,quæ aliàs licitè,& de iure concedi poſſent religioſis illius ordinis. Quia Concilium ſolùm videtur intendere, quod prædictis ſic tranſlatis non concedantur illæ licentiæ exiſtendi extra Clauſtra, quibus *vagandi, & apoſtatandi occaſio tribuitur.* Sanchez *lib.* 6. *in Decalog. cap.*7. *num.*83.

SVMMARIVM.

*Incorrigibiles eijci poſſunt à Religionibus.n.*1.
*Quis cenſendus incorrigibilis.n.*2.
*Quid ex nouo iure Decreti S.Congregationis requiratur ad incorrigibilitatem.n.*3.
*Titulo incorrigibilitatis ſolo eiici aliquis poteſt.n.*4.
*Sex Patrum conſilio eiiciendi.n.*5.
*Iniuſtè & inualidè eiectus cogere poteſt ordinem vt recipiatur.n.*6.
*Eiectos tenentur Prælati quærere.n.*7.
*Qualis horum eiectorum Status conditio ſit.n.*8.
*Eiecti plene correcti cogere poſſunt ordinem ad eos recipiendos.n.*9.
*An poſſint tranſire ad aliam Religionem.n.*10.
*Manent cum obligatione trium votorum. n.*11.
*Cum voto caſtitatis.n.*12. *Cum voto obedientiæ.ibidem & n.*13.
*Manent etiam cum voto paupertatis & quomodo. num.*14.
*Cui adquirant.n.*15.
Eorum bona poſt mortem cui applicanda.n. 16.
*An teneantur ad alia vota præterita,obſeruantias Ordinis Officium diuinum &c.n.*17.
*Quibus pœnis afficiantur.n.*18.
*Non debent prouideri de alimentis à Religione.n.*19.
*Litteræ dimiſſoriæ ipſorum quales.n.*20.
*Caſus particularis de quodam Carthuſiano à Religione eiecto.n.*21.
*Referuntur decreta,ſeu declarationes S.Congregationis Concilij ad quædam dubia ſuper decreto eiuſdem S. Congregationis iuſſu Vrbani VIII. edito de Apoſtatis, & eiectis num.*22.*& ſequentibus vſque ad* 41.



CAPVT XXIII.

De obligationibus Religioſorum ab Ordine eiectorum.

Ertum eſt poſſe Prælatos Religionum Religioſos incorrigibiles ab Ordine eiicere.Quia id 1

id supponitur *in cap. fin. de Regul. & cap. cum ad Monast. de statut. Monach.* Constatque ex multis priuilegiis religionum, de quibus Cord. *in Regul. D.Francisci cap.2. quæst.21. part.1.* & habentur in priuil. Mend. *verb. Eijcere.* Ratioque id suadet, quia resecandæ sunt carnes putridæ, ne sanas corrumpant, & scabiosa ouis à caulis repellenda, ne cæteras inficiat, vt docet S.Hieronym. *in Epistol.ad Galatas c.5.* Anteponique debet bonum commune Monasterij bono priuato Religiosi. Azor. *tomo 1. Inst.Mor.lib.12.cap.16.q.2.* Lessius 2. *de iust.c.41. dub.14.*

2 Ad hoc, vt Religiosus sit, & dicatur incorrigibilis, tria hæc requiruntur iure communi, scilicet, quòd crimina grauia sæpiùs commiserit, quòd monitus sæpè non destiterit, & quòd pœnitentiam pro illis non acceptauerit. Ratio est, quia ille solùm dicitur incorrigibilis, cuius emenda non speratur, at verò vt alicuius emenda non speretur, tria illa requiruntur. Sayrus *de censur. lib.5.cap.21. num. 37.* Sanchez *lib. 6. in Decalog. cap. 9. numer. 4.*

3 Quamuis autem de iure communi loquendo solùm tria prædicta sufficerent ad hoc, quod religiosus incorrigibilis diceretur, iure tamen nouo, & decreto S. Congregationis Concil. S. D. N. Papæ. Vrb. VIII. iussu edito die 21. Septembr. ann. 1624. aliæ conditiones requiruntur, vt Religiosus eiici possit, & censeatur incorrigibilis, videlicet, vt in posterum è religionibus nullus legitimè professus eiici possit, nisi sit verè incorrigibilis; verè autem incorrigibilis minimè censeatur, nisi non solùm concurrant ea omnia, quæ ad hoc ex iuris communis dispositione requiruntur, sublatis hac in parte Statutis, & Constitutionibus cuiusque Religionis, & Ordinis, etiam à Sede Apostolica approbatis, & confirmatis, verum etiam vnius anni spatio in ieiunio, & pœnitentia probetur in carceribus, proindeque vnaquæque Religio priuatos habeat carceres in qualibet saltem Prouincia. Elapso autem anno, si nihilominùs non resipuerit, sed animo indurato in sua peruiacia perseuerauerit, ne contagione pestifera plurimos perdat, tanquam pecus morbida, ac membrum putre, eiici tandem possit, sed ab ipsomet Generali tantum de consilio, & assensu sex Patrum ex grauioribus Religionis eligendis in singulis capitulis, vel Congregationibus Generalibus, tumque non nisi instructo secundùm eorum stylum, & Constitutiones processu, & plenè probatis causis expulsionis ad Sacrorum Canonum præscriptum. Intereà tamen vsque ad primum Generale Capitulum, seu Congregationem proximè celebrandam, si quempiam ex iustis, & necessariis causis expellere oportebit, & eiectio fieri possit à Generali cum consilio, & assensu sex Patrum, vt supra, quos idemmet Generalis, eligere debeat infra quatuor menses à præsentis Decreti publicatione, seruata tamen in reliquis forma superiùs præscripta. Vide 4. *tomo Bullar. inter Constitutiones Sanctissimi Domini Nostri Vrbani num.26.* Et Bonacina *de clausur. quæst. secunda, punct.12. §. 1.* [Nota tamen quod inter crimina grauia propter quæ aliquis potest eiici non solum numerantur fornicatio, furtum, adulterium, &c. sed etiam ebrietas scandalosa, vt habet Portell. *in Respons. mor. tom.2. cas.35.*]

4 Ex quibus non solum habetur nullum Religiosum in posterum expelli posse nisi seruatis prædictis conditionibus, sed etiam nullum expelli posse nisi titulo incorrigibilitatis, vt constat ex illis verbis, *In posterum è Religionibus nullus legitimè professus eiici possit nisi sit verè incorrigibilis.* Neque obstant multa priuilegia Religionibus concessa, ob quæ propter alia delicta, præsertim illa, quibus in sæculo respondet pœna mortis, eiici poterant, vt benè Azor. *tom.1. Institut. moral.lib.12.cap.16.q.3.* Ius enim nouum Sacræ Congregationis adductum, omnia priuilegia in contrarium tollit, vultque solùm propter incorrigibilitatem Religiosum eiici posse. Estque hoc conforme Iuri antiquo communi, in quo solùm propter incorrigibilitatem permittitur talis eiectio. D.Thom. *quodlibet. 12. articul. vltim.* D.Bonau. *in Regul. D.Francisci quæst.14.* [Vnde à Sacra Congregatione Episcoporum & Regularium declaratum video pro 1. die Iunij 1635. in causa Patrum Cisterciensium non posse eiici scandalosos, aut delinquentes si non sunt verè incorrigibiles.

Circa sex illos Patres eligendos, de quorum solùm consilio, & assensu eiici possunt incorrigibiles, 5
ex vi huius Decreti, cum difficile sit Generalem quocumque ierit, illos secum deferre, dicitur supplicatum fuisse S. Congregationi, ipsamque respondisse, posse Generalem in qualibet Prouincia, in qua id opus fuerit, assumere sex ex diffinitoribus illius pro hac causa. Laurentius Peyrinis *tomo 2. de priuil. Minim. in Constit.10. Vrban.VIII.* Consonat etiam Decretum Capituli Generalis nostri Ordinis anno 1625. Romæ celebratum, vbi facultas Generali committitur eligendi sex Patres sibi bene visos ad hunc effectum, vt habetur *part.4. Const.cap.21. §.14.* Vide tamen dicenda *tom.2.c.12. n.8.& 19.*

Hinc, si Religiosus iniustè, aut illegitimè, modo 6
prædicto non seruato, eiiceretur ab Ordine, non solùm eiiciens peccaret contra iustitiam, sed & expulsus posset compellere Monasterium vt ipsum admitteret, & alimenta præberet. Eò quòd iniustè priuatus esset iure sibi debito: sicut enim Religiosus per professionem se obligauit in Religione mansurum; sic etiam & Religio ad illum retinendum, & alendum. Molina *tomo 1. de Instit. disput.140. §. quando Religiosus.* Sanch. *lib.6. in Decalog. cap.8. num.7. & 8.*

Religiosos à Religione eiectos tenentur Prælati 7
illius, scilicet Præsidentes in Capitulis celebrandis, Patres, Abbates, seu Priores, quærere illos annuatim, & reducere ad Religionem, quando salua Ordinis disciplina admitti possunt. Ita enim præcipitur *in capit fin.de Regularibus* quod quidem, licet in vsu non fuerit (vt aliqui volunt. Sanchez *lib.6. in Decalog.cap.9.num.18.*) & alij dicant solum extendi ad eos, qui iniustè sunt eiecti. (Azor. *lib.17. Institut.Moral. cap.16. quæst.2.& cap.17. quæst.2.*) illud tamen nouissimè innouauit Sacr. Congregat. Cardinalium supra adducta *num.3.* & extendit ad illos etiam, qui iustè, & legitimè sunt expulsi, dummodò in illis subsit spes euidens emendationis, per hæc verba. *Ac postremò censuit esse innouandam, & suæ Beatitudinis authoritate innouat Constitutionem fœlicis recordationis Gregor. IX. relatam in capit. fin. extr. de Regularibus. Ac præterea declarat eam Constitutionem in iis quoque veudicare sibi locum, seruandamque esse, qui iustè, diffinitiuéque, ac iuris Ordine seruato, expulsi fuerint, dummodò tamen in expulsis huiusmodi subsit spes euidens emendationis ex litteris testimonialibus Ordinarij, &c.* Additur prætereà in eodem *cap. fin.* quòd si tales eiecti non possint admitti salua Ordinis disciplina, *vt apud eadem Monasteria in locis competentibus,*

si

si absque graui scandalo fieri poterit, alioquin in aliis Religiosis domibus eiusdem Ordinis ad agendum ibi pœnitentiam talibus vitæ necessaria ministrentur. Et quòd si illos inuenerint *inobedientes, eos excommunicent, & tandiu faciant ab Ecclesiarum Prælatis excommunicatos pronunciari publicè, donec ad mandatum ipsorum humiliter reuertantur.* Quæ omnia licet forsan per non vsum abrogata iam essent, quia tamen de nouo innouata sunt à S.Congregatione, vt supra executioni mandari debent à Superioribus Religionum.

8 Ex decreto etiam eiusdem Sacr.Congregationis, sic Eiecti quandiu non redierint ad Religionem, in habitu clericali incedant, atque Ordinarij loci Iurisdictioni, & obedientiæ subsint, proindeque Generalis illicò expulsionis sententiam eidem Ordinario notificare teneatur. Insuper statuit, vt iidem Superiores nemini ex Religiosis expulsis, litteras testimoniales concedant, illos ad Sedem Apostolitam reiicientes, vel iubentes aliam ingredi Religionem. Item declaratur, & præcipitur in eodem Decreto Sacr. Congregationis. Vt eiecti extra Religionem degentes sint perpetuò suspensi ab exercitio Ordinum, sublata Ordinariis locorum, facultate dictam suspensionem relaxandi, aut moderandi. Ex illis autem verbis, *extra Religionem degentes*, inferri videtur solùm habere locum hoc Decretum quantùm ad hanc partem in illis Eiectis, qui non intrant in aliquam Religionem. Bonac. *de Clausur. q.2 punct.12.§.6.*

9 Quando constiterit huiusmodi Eiectos plenè correctos esse, possunt ipsi cogere Religionem, ex qua eiecti sunt, vt eos admittat. Probatur ex decisione *c. fin.* de Regular. adiuncta declaratione Sacr. Congregationis adducta supra *n.7.* ibi enim præcipitur Prælatis, vt eos quærant, multò ergo magis obligantur eos recipere, si iam correcti redeant. Nauarrus *lib.3.consil.titul. de Regular.consil.18. vel 51.* Molin. *tom.1 de Iust.disp.140.§. quo ad votum.* Neque in hoc admitti debet excusatio aliqua post dictam declarationem Sacr. Congregat. nam per eam innouatur dictum *cap. fin. de Regular.* quidquid dicant aliqui authores, qui ipsam videre non potuerunt. Cordub. *in Regul. D. Francisci cap.2.quæst.71. punct.2.* Lessius *2. de Iust.cap.41.dub.15.num.112.* & Sanchez *lib.6. in Decalog.cap.9.num.32.* Redeuntes tamen ad Religionem non tenentur nouam professionem facere. Quia prior professio non est extincta, sed solùm suspensa pro aliquo tempore, Rodriguez *tom.1.quæst. Regular. quæst.30. artic.28.* Sanchez *lib 6. in Decalog.cap.9.num.33.* contra Nauarrum. An verò sic redeuntes admitti debeant in eodem gradu antiquitatis, quem habebant ante eiectionem, & cum eiusdem prærogatiuis, pendet ex variis legibus Religionum; regulariter tamen, & seclusis particularibus circumstantiis, dicendum est, quod cum meruerint eiici, digni quoque sunt, vt eiusmodi prærogatiuis priuentur. Suar. *4.tom.de Relig.tract.8.lib.3 c.5.n.17.*

10 Tempore quo manent isti Eiecti extra Religionem non possunt ad aliam, siue æqualem, siue laxiorem transire sine licentia Superiorum suæ Religionis, & aliis conditionibus assignatis c. præcedenti. Ratio est, quia vt dicemus, isti Eiecti, etiam tempore eiectionis perseuerant Religiosi illius Ordinis à quo sunt eiecti, & illi subiecti; non ergo possunt sine licentia Superiorum eiusdem Ordinis hunc transitum facere. Cordub. *in Reg. D.Francisc. cap.2. quæst.21. punct.3.* Suarez *tom.5. in 3. part. disp.22.sect.5. num.20.* Hoc verò intellige de iure communi, si enim permanet in sua vi priuilegium quoddam Innocent. IV. concessum Minoribus, possunt isti Eiecti de Ordine Minorum, & aliorum ipsius priuilegia participantium, transire ad Ordines approbatos, præterquam ad certas quasdam Religiones, & cum certis quibusdam conditionibus in eo expressis. Rodrig. *to.1.q.Reg.q.30.art.22.* Sanchez *lib.6.in Decal.c.9.§.39.* Crediderim tamen non esse in vsu huiusmodi priuilegium. Nec scio an illud fuerit viuæ vocis oraculum, quia si tale est his temporibus nihil valet.

Eiecti manent verè Religiosi, & cum onere trium Votorum essentialium sicut anteà. Colligitur hoc ex *cap.fin.de Regular.* & ratio suadet: cum per eiectionem non sint dispensati, aut absoluti à professione, quam fecerant, aliàs ex suo delicto commodum reportarent contra ea, quæ traduntur *cap.1. de postu. Prælat. & cap. Sedes Apost. de rescript.* essentque melioris conditionis, quàm Religiosi facti Episcopi, aut Cardinales, quos manere veros Religiosos diximus *cap.17.num.1.* Nauarrus *Comm.2. de Regul. à num.34. & Comm.3.num.46.* Azor. *tom.1. instit. mor. lib.12. cap.16. quæst.4.7. & 11.* [Idem habens ex declaratione Sacræ Congregationis Episcoporum & Regularium, quam retuli *suprà n.4.* de quo etiam Tamburinus de iure Abbatum *to.3. disp. 8. quæsit.8.n.5.* vbi pro signo quod eiecti non dispensentur in votis professionis bene affert, quod posteà quando ad Religionem reuertuntur non emittunt nouam professionem] 11

Vnde manent cum eodem voto Castitatis sicut antea; cum in eo nullo modo sint dispensati, manent etiam cum eodem Voto obedientiæ, quantùm ad hoc quod teneantur obedire Superioribus, si eos velint ad Religionem reuocare. Siquidem habet ius illos reuocandi, cuius signum est quod in prædicto *cap. fin. de Regul.* innouato à Sacra Congregatione, vt supra *num.7.* præcipitur *vt censuris cogantur ad Relig. reuerti*, Quod non esset, nisi ipsi essent ad hoc obligati ex vi Voti Obedientiæ. Syluester *verb. Apostasia, quæst.6. num.10. & verbo Relig.6. quæst.12. num.12.* Nauarrus *lib.3.consil.in 2. editione tit.de Regul.cons.77.* Manent etiam cum eodem Voto obedientiæ, quantum ad hoc quòd est teneri morigeratè viuere, & reddere se aptos ad viuendum in Religione, & vt ad illam admittantur. Quidquid dicat Diana *tract.2.de dubiis Regularium Resolut.60.* Cum ad hoc etiam sint obligati ex vi suæ professionis, in qua non est dispensatum. Sotus *7. de iust. & iure quæst.2. art.5. ad 3.* Sanchez *lib.6. in Decal. cap.9. à num.25.* Tenentur etiam ex vi voti obedientiæ esse parati ad obediendum prælatis religionis, quando ad ipsam fuerint reuocati. Propter eandem rationem. Molin. *tom.1. de instit. disp.140. §. quo ad votum* Rodriguez *tom.1.q. Regul. quæst.30. articul.19.* 12

Non tamen tenentur ex vi Voti Obedientiæ, quod emiserunt, subiici Episcopis specialiori modo, quam alij Clerici. Quamuis oppositum doceat cum Nauarro Suarez *4. tomo de Relig. tract.8. lib.3. cap.6.* & aliqui etiam velint amisisse per expulsionem priuilegium exemptionis. Erasmus ChoKier *de Iurisdict. Ordinar. in exempt. part.1 quæst.2.* Ratio est, quia Votum obedientiæ, quod emiserunt, solùm erat obediendi prælatis religionum, non aliis. Molina *tom.1. de instit. disput.149.* Lessius *2. de instit. cap.41. dub.25. num.114.* Nec etiam tenentur ex vi eiusdem Voti transire ad aliam religionem. Si quidem nullo modo illam vouerunt, sicut neque Religionem in genere, sed solùm illam determinatè, 13

terminatè, à qua expulsi sunt. Sotus 7. *de iustit. quæst.* 2. *artic.* 1. Nauarrus *Comment.* 2. *de Regular. num.* 36. Hoc etiam videtur supponi à Sacra Congregatione in Decretis adductis supra num. 8. dum præcipit superioribus religionum, ne huiusmodi expulsis *litteras testimoniales concedant, iubentes ingredi aliam Religionem.* Vnde non tenentur obedire Superioribus iubentibus, vt transeant ad aliam religionem. Propter rationem adductam. Lessius *de iust. cap.* 41. *dub.* 51. Rodriguez *tom.* 1. *q. Regul. q.* 30. *articul.* 22.

14 Quoad votum paupertatis, tenentur ad illud huiusmodi Eiecti, eo modo, quo status illorum patitur. Quia hoc est de essentia religionis, quam sunt professi, & à qua non sunt dispensati. Sanchez *lib* 6. *in Decalog. cap.* 9. *num.* 27. & 45. Nauarrus *Comment.* 2. *de Regular. num.* 35. Vnde Eiecti nec habent, neque habere possunt dominium cuiusuis rei. Quia hoc est directè contra Votum. [Vt etiam colligitur ex declaratione Sacræ Congregationis Episcoporum & Regularium adducta. De quo etiam Tamburinus *dicto quæsito.* 8.] Nec vsum irreuocabilem, aut vsum Iuris; propter eandem rationem. Sed solum vsum facti, & incertum rerum sibi ad victum, vestitum, habitationem, & vitam necessariarum. Quia hoc non est contra votum paupertatis, nec professi sunt carere his rebus. Quare si illæ à religione non concedantur, eo ipso datur licentia quærendi, & habendi illas. Lessius 2. *de iust. cap.* 41. *dub.* 15. *num.* 112. Nec possunt testari, si in illo statu moriantur. Quia potestas testandi pugnat cum Voto paupertatis, & supponit dominium rei, non merum vsum, quem solum habent Eiecti. Lessius *vt supra num.* 113. Sayrus *in Clausur. Regul. lib.* 6. *cap.* 9. *num.* 28. Hinc etiam non possunt facere expensas magnas, superfluas, nec donationes illicitas, aut rerum magni ponderis; & accipientes ab illis, tenentur ad restitutionem. Cum prædicti Eiecti non sint domini eorum, quæ possident, sed solum administratores nomine Religionis in ordine ad vsus necessarios. Poterunt tamen res minoris momenti expendere, & donare, absque eo quòd accipientes teneantur ad restitutionem. Quia quoad ista censentur habere licentiam à prælatis Religionis, à qua sunt expulsi Lessius *de iustit. capit.* 41. *dub.* 15. *num.* 113. Molin. *tomo secundo de iustit. disput.* 276. & 520.

15 Acquirunt isti Religiosi Eiecti Monasterio, vel Religioni, vnde sunt expulsi. Cum Monasterium, siue Religio, ex vi professionis ab ipsis factæ, habeant ius ad omnia bona ab ipsis in posterum acquirenda. Præsertim cum huiusmodi Eiecti non sint omnino à Religione derelicti, sed solũ separati à communione, & commercio ipsius; cuius signum est, quod tenetur quærere illos, & si correcti resipiscant, admittere, vt diximus supra. Lessius 2. *de iustit. cap.* 41. *num.* 112. Molina *tom.* 1. *de iustit. disput.* 140. Vnde etiam si iniustè sint eiecti, aut detenti extra Religionem, acquirunt ipsi. Quia mala voluntas prælatorum iniquè eiicientium Religiosos, aut extra Ordinem detinentium, non debet in damnum Religionis vergere. S. Antonin. 3. *part. tit.* 16. *cap.* 5. §. 4. Angelus *in Summ. v. Monasterium num.* 6.

16 Huiusmodi autem Eiectorum bona, post illorum mortem, si extra Religionem mori contigerit, applicari debent ad Cameram Apostolicam. Propter Constitutionem Gregorij XIII. tom. secundo Bullar. inter Bullas huius Pont. num. 43 vbi statuit, quòd spolia Regularium extra Claustra degentium, pertineant ad prædictam Cameram. Sanchez *lib.* 7. *in Decalog. cap.* 33. *n.* 21. & 31. Bonacina *de Clausur. q.* 2. *punct.* 12. §. 7.

Quamuis aliqui probabiliter dicant huiusmodi Eiectos teneri ad Obseruantias omnes Regulares sui Ordinis, quoad eas scilicet, quas possunt in sæculo obseruare, & ad alia vota supra tria essentialia, quæ in professione suæ religionis emiserunt, quale est illud Minimorum de vita Quadragesimali, & Mercenariorum de redimendis captiuis; quia aliàs non paruum commodum ex sua iniquitate reportarent. Probabile tamen etiam est ad ista non teneri. Ratio est, tum quia ista solùm videtur Religiosos vouisse pro tempore, quo in religione manerent, & vt accessoria, & annexa perseuerantiæ in tali religione. Tum quia, generaliter loquendo, votum desinet obligare, quando est ita notabilis mutatio materiæ facta, vt reddatur notabiliter difficilior, & qua à principio præuisa non fieret votum, quod contingit in proposito. Sotus 7. *de iustit. & iur. q.* 2. *art.* 1. Nauarrus *Comment.* 3. *de Regul. num.* 46. & *lib.* 3. *Cons. tit. de Regul. consil.* 51. *vel* 78. *num.* 2. Habitum verò religionis non tenentur portare prædicti Eiecti, cum illo iuridicè sint priuati in pœnam suorum defectuum. Azor. 1. *tomo instit. moral. lib.* 17. *cap.* 18. *quæst.* 13. Lessius 2. *de Iustit. cap.* 41. *dub.* 15. *num.* 112. Imò illum portare non sunt permittendi, quia hoc cederet in dedecus Religionis. Suarez 4. *tom. de Relig. tract.* 8. *lib.* 3. *c.* 6. *n.* 14. Quoad Officium Diuinum recitandum, vt diximus *cap.* 12. *n.* 7. tenentur isti expulsi, si sint in Sacris constituti, secus verò si solùm sint professi, etiam Choro destinati. Suarez 4. *tom. de Relig. tractat.* 8. *lib.* 3. *cap.* 6. *num.* 12. 17

Sic eiecti, quandiu in sæculo steterint, non possunt confessiones audire, nec prædicare, nec docere. Propter priuilegium Innoc. IV. quod refert Casarub. *verb. Eiicere. numer.* 1. quo vti possunt tam Fratres Minores, quam qui eorum priuilegia participant. Rodriguez *tom* 1. *quæst. Regular. quæst.* 30. *art.* 21. Miranda *tom.* 1. *Manual. quæst.* 52. *art.* 5. Vnde inferunt aliqui sic Eiectos quamdiu in sæculo vixerint, esse infames, intelligo infamia facti. Rodriguez vt supra Laurentius de Peirinis *tom.* 1. *de Subdito quæstione primo de obedient. cap.* 25. §. 1. Ex hoc etiam inferri potest esse irregulares, cum infames omnes irregulares etiam sint. Ad minus tamen manent *suspensi perpetuo ab exercitio Ordinum, sublata Ordinariis locorum facultate dictam suspensionem relaxandi, aut moderandi,* vt vidimus supra *numero octauo* ex Decreto Sacræ Congreg. 18

Nec illis tenetur religio de alimentis prouidere. Quia illa solum debent præstari his, qui sub regulari disciplina sunt constituti. Azor. *lib.* 12. *Instit. moral. cap.* 16. Alderete *lib.* 2. *de Religio. discipl. c.* 26. *num.* 27. 19

Dandæ autem sunt illis literæ dimissoriæ, quæ eiectionis sententiam contineant, qua etiam id locorum Ordinariis denuncietur. Alderete *lib.* 2. *de discipl. Relig. capite* 26. *numero* 23. Addens monendos esse, nullo modo à Votis esse solutos, neque in illis dispensatos. Quod quidem conueniens reputo, sed non necessarium. Quia illud ipsi scire tenentur, nisi forsan idiotæ sint, aut ignorantes, vt puta Conuersi. Non tamen sunt illis concedendæ litteræ testimoniales, quibus ad Sedem Apostolicam reiiciantur, aut ad aliam Religionem mittantur. Ex Decreto Sacræ. Congregationis adducto sup. *num.* 8. 20

Placuit

21 Placuit hoc loco adiungere alia quæ à Sede Apostolica determinata sunt circa eiectos è Religionibus post decreta illa in superioribus relata. Primo enim in casu particulari de quodam Carthusiano de Religione eiecto propter culpas ab ipso commissas, effugium è carceribus, vinculorum effractionem, & incorrigibilitatem,& si non omnia quæ ex vi prædictorum decretorum obseruari deberent ad vnguem obseruata fuissent,nihilominus Vrbanus VIII. de anno 1637. pro die 13.Ianuarij per Breue speciale approbauit ipsius eiectionem attenta illius peruicacia, & *ne*, inquit Pontifex, *contagione pestifera sit causa perditionis*, non obstantibus præfatis decretis. Quo indicatur de benignitate Sedis Apostolicæ moderari posse dicta decreta, quando in casu particulari obseruari ad vnguem non possunt: non interueniente autem eiusdem S.Sedis authoritate obseruanda sunt quantum fieri potest.

22 Maximè vero notanda sequentia decreta,seu declarationes S. Congregationis Concilij, quæ hoc anno 1553. edita sunt, & mihi tradita à D. adm. P. Michaele de Alcantara Vicario generali Italiæ & Procuratore generali totius Ordinis B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum, S. Inquisitionis Qualificatore & S. Congreg. Indicis Consultore ac viro doctissimo. Quæ etiam Illustriss. & Reuerendiss. Dominus meus Franciscus Paulucius eiusdem S.Congreg. Secretarius mihi tradi voluit, vt pro communi vtilitate Religionum publicarentur. Ea autem hoc loco adiungam eisdem verbis quibus tradita mihi sunt.

23 Declarationes S. Congreg.Eminentissimorum S. R. E Cardinalium Concil. Tridentini Interpretum ad quædam dubia super decreto eiusdem S. Congregationis iussu fel. record. Vrbani Papæ VIII. edito de Apostatis, & eiectis factæ ad instantiam D. adm. P. Magistri Fr. Michaelis de Alcantara Vicarij generalis Italiæ & Procuratoris generalis totius Ordinis B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum, S. Inquisitionis Qualificatoris & Congregationis Indicis Consultoris.

24 In vna Regularium Ordinis B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum Procurator generalis Ordinis B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum mediante intercessione Eminentissimi Cardinalis de Lugo Protectoris supplicat pro sua, vt inquit, & aliorum Superiorum Regularium instructione per hanc Sacram Congregationem responderi ad infrascripta quæsita super decreta de Apostatis & eiectis iussu Summi Pontificis ex sententiis eiusdem S.Congregationis edito ann.1624. & impresso in Bullario nouo *tom. 4. pag. 267. vers. Ad hæc.*

25 Primo, *an Regularis constitutus in carceribus spatio anni in triennio & pœnitentia ad finem vt tanquam incorrigibilis à Religione eiiciatur, si è carceribus fugiat (dicto carcerationis anno nondum expleto) & deinde sit captus, possit tunc vti incorrigibilis*
26 *eiici, an vero quid aliud faciendum sit*. Secundo, *an Regularis pluribus interpolatis vicibus pro reiteratis delictis in diuersis temporibus commissis in carceribus detentus possit vno carcerationis anno (vt supra interpolate expleto) tamquam incorrigibilis à Religione eiici si post dictum annum carcerationis interpolatum animo indurato in*
27 *sua pertinacia perseuerans iterum delinquet?* Tertio, *an Generalis Ordinis possit delegare facultatem eiiciendi à Religione Prouincialibus pro eorum Prouinciis, seu Commissariis, vel Vicariis generalibus, & an delegatio sit à Generali facienda in quolibet casu, an vero indefinite in omnibus casibus.* Quarto, *an sex Patres de quorum* 28
consilio & assensu eiectio fieri debet sint eligendi de tota Religione an potius sufficiat ex qualibet Prouincia seu Regno. Quinto, *Quod si à Reli-* 29
gione huiusmodi sex Patres non fuerint electi in Capitulo seu Congregatione generali quid faciendum sit vsque ad primum Capitulum generale? Sexto, *an sufficiat vt Prælatus Con-* 30
uentualis seu prouincialis conficiat processum stylo Religionis seruato, & illius summarium transmittat Generali Ordinis, seu illius delegato, qui adhibitis sex Patribus electis, quilibet illorum videat eumdem processum, & transmittat votum suum per litteras eidem Generali seu delegato. Se- 31
ptimo, *an Generalis seu delegatus possit ferre sententiam eiectionis à Religione quando à tribus ex sex Patribus electis, seu ab illorum maiori parte dicta sententia approbetur, an potius sit necessarium, vt omnes sex dent votum itaut ex defectu voti etiam vnius, non possit seutentia valide ferri.*

Die trigesimoprimo Iunij anno millesimo sexentesimo quingentesimo tertio S. Congregatio Eminentiss. Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum omnibus mature perpensis ad primũ respondit *Regulares delinquentes vti incorrigibiles eiici non posse à Religione anno carcerationis nondum expleto.* Ad secundum respondit, *non sufficere annum carcerationis interpolate expletum, sed requiri spatium vnius anni continuum & integrum.* Ad tertium respondit, *Generalem Ordinis non posse delegare facultatem eiiciendi è Religione Prouincialibus pro eorum Prouinciis, seu Commissariis, vel Vicariis generalibus.* Ad quartum inhærendo declarationi alias factæ die 9. Augusti 1625. à S. M. Vrbano Octauo approbatæ respondit *sex Patres eligi posse in vnaquaque Prouincia seu Regno.* Ad quintum respondit *recurrendum ad Sacram Congregationem in singulis casibus.* Ad sextum *processus esse conficiendos iuxta stylum & Constitutiones Religionis, & illorum transumptum authenticum esse transmittendum ad singulos sex Patres electos, qui per litteras possunt votum dare.* Ad septimum *sententiam eiectionis à Religione fieri debere saltem de voto maioris partis sex Patrum electorum.* 32 33 34 35 36 37 38

Petrus Aloysius Cardinalis Carafa Præfectus. loco † sigilli.

Franciscus Paulutius S. Cardinalium Congregationis Secretarius.

Ego P.Fr.Ferdinandus de Galarza Notarius publicus Apost. in Archiuio huius Romanæ Curiæ descriptus ac Secretarius R. adm. P. nostri Magistri Fr. Michaelis de Alcantara Vicarij generalis Italiæ, & Procuratoris generalis totius Ordinis Beatæ Mariæ de mercede Redemptionis Captiuorum S.Inquisitionis Qualificatoris, Sacræ Congregationis Indicis Consultoris, eiusdem iussu fidem facio huiusmodi copiam propria manu ex originali, quod quidem in Archiuio nostro S. Religionis in hoc Conuentu Sancti Adriani remanet, accurate transumptam, posteaque diligenter collationatam cum illo fideliter concordare, in cuius rei testimonium præsentes litteras nomine meo subscripsi, meoque signo communiui. Romæ in hoc præfato Conuentu Sancti Adriani die octauo Augusti anno millesimo sexcentesimo quingentesimo tertio. loco † 39

signi De mandato R. A. P. nostri Vicarij & Procuratoris generalis Fr. Ferdinandus de Galarza P. & Secret. Notarius publicus & Apostolicus.

40 Fr. Michael de Alcantara Vicarius generalis Italiæ & procurator generalis totius Ordinis B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum S. Inquisitionis qualificator & Congregationis Indicis Consultor tenore præsentium fidem facimus & attestamur Emin. & Reuerendiss. D. Cardinalem de Lugo nostri S. Ordinis Protectorem transumptum infrascripti decreti nobis propria manu dedisse, quod & ab Illustrissimo D. Francisco Paulutio S. Congregationis Concilij Secretario sibi remissum, & eamdem S. Congregationem nobis tradi præcipesse, affirmauit, pro pleniori videlicet intelligentia declarationis ad quartum dubium ab ipsa ad nostram instantiam nuper factæ. Tenor autem de-
41 creti talis est. die 9. Augusti 1625. *S. Congregatio Concilij Sanctis. D. nostro approbante declarauit sex Patres in singulis Capitulis vel Congregationibus generalibus eligendos de quorum consilio & assensu Generalis potest Regulares incorrigibiles à Religione eiicere & in vnaque Prouincia eligi posse, eosdemque sic electos, si Generalis tam longe absfuerit, vt vna conuenire non possit, debere ad eumdem transmittere summarium processus vna cum eorum voto, vt iuxta illud Generalis possit ad sententiam expulsionis procedere. Interea tamen vsque ad primum generale Capitulum vel Congregationem proxime celebrandam sanctitas sua annuit, vt eiectio, seruata in reliquis forma decreti hac de re editi, fieri possit à Generali itidem cum consilio & assensu sex Patrum, quos idemmet Generalis in qualibet Prouincia infra quatuor menses eligerit.* Datum Romæ in hoc nostro Conuentu Sancti Adriani die 21. Augusti 1653.

SVMMARIVM.

Nouitij qui appellentur. n. 1.
Ad quæ teneantur tempore nouitiatus. n. 2.
Possunt recedere à Religione. n. 3.
An tunc teneantur soluere expensas. ibid.
Gaudent priuilegio fori Canonis, & exemptionis à gabellis. n. 4.
In quibus possunt dispensari à prælatis Religionis. num. 5.
An possint ad ordines sacros promoueri. n. 6.
Quibus priuilegiis gaudeant quoad confessionem. num. 7.
An possint absolui à casibus, & censuris reseruatis. num. 8.
Attendenda sunt verba priuilegiorum. n. 9.
Ab irregularitatibus an possint dispensari. n. 10.
Episcopi non possunt admitti ad Religionem absque Papæ licentia. n. 11.
Quæ informationes, & de quibus faciendæ sint pro nouitiis. n. 12.
Qualiter moderata ea sint à Pontificibus. ibidem & num. 13.
Quæ alia priuilegia concessa sint Religionibus. numero 14.
Quæ obseruanda post constitutionem Clementis. numero 15.
Criminosi non debent admitti ad Religiones. numero 16.
An post professionem admissam si talia crimina interrogati celassent possint expelli. ibid.
Obligati seu grauati debitis, & ratiociniis non possunt licitè intrare Religionem. n. 17.
Furiosi aut mente capti non possunt admitti. numero 18.
Nec coniugati post Matrimonium consummatum nisi, &c. n. 19.
Nec serui, vel qui non sunt sui iuris. n. 20.
An etiam illegitimi. n. 21.
An nouitiatus possit extra Monasterium haberi. numero 22.
Quid decreuerint Summi Pontifices Clemens VIII. & Sanctiss. Dominus noster Vrbanus VIII. num. 23. & 24.
An descendentes ex genere infecto Hebræorum, vel Saracenorum. n. 25.
An valida sit professio illorum qui aliquem defectum celauerunt. n. 26.
Licitum est, & meritorium se ad Religionis ingressum obligare, voto, vel iuramento. n. 27.
Qui impedit vi, vel fraude quod aliquis fiat Religiosus ad quid teneatur. n. 28.
Inducere aliquem ad Religionem modo debito, Sanctum, & laudabile. n. 29.
Quando receptio alicuius in Religiosum est simoniaca. num. 30.
Quam pœnam incurrant recipientes nouitios simoniacè. n. 31.
Prohibitio Concilij circa donationes nouitiorum. numero 32.
Qualiter de bonis suis disponere possint. n. 33.
Decisio Concilij quomodo intelligenda n. 34.
Possint nihilominus facere testamentum, seu contractus reuocabiles. n. 35.
Donationes quando sortiuntur suum effectum. numero 36.
Quarum dignitatum capaces sint nouitij. n. 37.
Ad quæ debita contracta à nouitiis teneatur Monasterium n. 38.
De bonis nouitiorum personis incertis debitis priuilegium Carmelitarum. n. 39.
An propter parentes vel consanguineos succurrendos relinquenda sit Religio. n. 40.
Nouitij professio an debeat differri. n. 41.
Nouitij in articulo mortis an possint profiteri. numero 42.
Decreta pro eorum institutione. n. 43.
Nouitij ex variis nationibus recipiendi vt ad propagandam fidem mitti possint. n. 44.



CAPVT XXIV.

De Nouitiis, eorumque obligationibus, & priuilegiis.

NOVITII in Religionibus appellantur illi, qui nondum professionem tacitam, vel expressam emiserunt, sed sunt in Religione per aliquod tēpus, quod vocatur approbationis, vt experimento cognoscant austeritatem regulæ, & Religionis, quam volunt profiteri, & videant si velint an non, professionem emittere. Ad quos tamen pertineat illos ad Religionem admittere, diximus sup. *c.* 18. *n.* 66. Non est tamen aliqua ætas iure naturali, diuino, aut Ecclesiastico pro admittendis ad religionem determinata, ac proinde in quacumque ætate videtur posse recipi Nouitium, Suarez 3. *tom. de Relig. lib.* 5. *c.* 1. nisi obstet peculiare statutum religionis.

Non

2 Non tenentur nouitij tempore Nouitiatus præceptis communibus Regulæ, Constitutionum, & Superiorum religionis. Quia pro illo tempore non sunt partes Communitatis religiosæ, neque in Religiosorum Sodalitium admissi, sed tantum versantur in probatione ad experiendum, an velint, vel non, professionem emittere. Cordub. *libro primo quæst. 3. in 5. prob. primæ opinionis*. Henriquez *lib. 7. de Ind. cap. 22. num. 7. & lib. 6. de pœnitent. cap. 16. num. 3.* Ex graui tamen decentia ad prædicta omnia obligantur, eo quod etiam pro tempore Nouitiatus sunt aliquo modo subiecti religioni, & participant de bonis spiritualibus ipsius. Quidam apud Azor. *lib. 12. Instit. moral. c. 2. quæst. 10.* Insuper quantum ad ea quæ specialiter spectant ad bonum regimen, & finem probationis ipsorum Nouitiorũ, tenentur in conscientia obedire Superioribus Religionum. Ratio est, quia quoad ista habent prædicti Superiores potestatem, & Iurisdictionem supra Nouitios, licet non sit tanta quanta supra professos. Sanch. *lib. 6. in Decalog. c. 10. n. 22.* Addens etiam *n. 17.* Posse prædictos superiores præcipere aliquid nouitiis etiam sub pœna excommunicationis. Quod tamen non nisi raro admitterem, aut consulerem.

3 Possunt Nouitij, si volunt, ab instituto Regulari incepto retrocedere, & ad sæculum redire. Quia ad hunc finem institutum est tempus Nouitiatus. Quo casu non tenentur soluere expensas, quas in suis alimentis Monasteria fecerunt, etiamsi ministeria ipsorum Nouitiorum in Religione æquiualentia non sint prædictis expensis. Tum quia alias non esset libera professio, saltem in multis, qui sæpius detinerentur ab egressu, ne soluerent tales expensas. Tum etiam, quia religio libere etiam & spontaneè facit illas, vt supponimus. Rodriguez *tom. 3. quæst. regular. q. 15. art. vltim.* Azor. *lib. 12. Instit. Moral. cap. 3. q. 6.* Si tamen qui praua intentione, & animo decipiendi Religionem in illam intraret, & posteà recederet, crederem teneri ad expensas dictas. Eo quod æquum non est, vt aliquis reportet commodum ex fraude, & malitia sua. Indicat hoc Sanchez *lib. 6. in Decal cap. 10. num. 3.* Addens etiam *num. 5.* Quod quando pactum est factum inter Conuentum, & Nouitios, quod Nouitij soluant prædictas expensas, tunc siue perseuerent, siue non, debent illas soluere. Vide Suarez *3. tom. de relig. lib. 5. c. 11.* [Et declarationem Sacræ Congregationis Episcoporum, & Regularium 2. Martij 1635. in qua decreuit consanguineos cuiusdam iuuenis qui è Religione ante professionem exierat, soluere debere Monasterio expensas ab ipso factas.]

4 Gaudent Nouitij priuilegio fori, ita vt conueniri non possint pro vllo delicto coram Iudice seculari. Quia sunt aliquo modo sub potestate, & Iurisdictione Ecclesiastica religionis; gaudentque Canonis priuilegio, ita vt illos percutiens innodetur excommunicatione, ac si percusserit Clericum, iuxta *cap. religiosus. de sentent. excommunic. in 6.* Ludouicus Lopez *1. par. Instruct. conscient. c. 46.* Azor. *lib. 12. Institut. Moral. cap. 2. q. 11.* Vnde Nouitij in religione delinquentes, à Superiori puniri debent, quia sunt sub illius potestate. Nauarrus *cons. 5. de for. compet.* Alderete *lib. 1. de relig. discipl. cap. 7. num. 33.* Nec possunt conueniri coram Iudice Ecclesiastico, aut ab eo puniti, sed solum à prælatis suæ religionis. Propter eamdem rationem. Molina *tom. 1. de instit. disp. 139. & tom. 3. disp. 671. n. 2.* Sanchez *lib. 6. in Decal. c. 10. num. 11.* An verò possint puniri à Iudice seculari quando ingressi sunt Religionem in fraudem, vel postquam sunt egressi propter delictum commissum tempore Nouitiatus. tractat. Diana *tract. 1. de Immunitate Ecclesiast. resolut. 33. & 34.* Insuper, propter eamdem rationem, eximuntur ex vi Nouitiatus à solutione Gabellarum. Molina *vt sup.* Sanch. *vt sup. n. 16.* Diana *tract. de communitate Ecclesiast. resol. 37.*

Cum Nouitiis possunt dispensare prælati Religionum exemptarum pro tempore Nouitiatus, non solum circa Obseruantias regulares earumdem religionum, sed etiam circa obseruantiam præceptorum Ecclesiæ, v.gr. ieiunij, auditionis Missæ, &c. Ratio est, quia etiam pro illo tempore Nouitiatus gaudent priuilegio exemptionis, & quoad spiritualia sunt sub cura prælatorum religionis, sicut essent sub Episcopis, si manerent in sæculo. Suarez *4. tom. de Relig. tract. 8. lib. 2. c. 14. n. 8.* 5

Possunt etiam nouitij, quantum est ex vi iuris communis ad Ordines Sacros promoueri, etiam durante nouitiatu. Quia nullus est Textus hoc prohibens neque *cap. Monasteriis 19. quæst. 3.* quod aliqui afferunt probat aliquid in contrarium: solum enim ibi prohibetur nouitiis portare habitum, & tonsuram professorum. Suarez *tom. 5. in 3. part. disp. 50. sect. 5. num. 13.* Sanchez *lib. 6. in Decal. cap. 10. num. 19.* Imo probabile est posse regulares prælatos dare dimissorias nouitiis vt ad Sacros Ordines promoueri possint ab Episcopis. Quia nouitij tempore nouitiatus manent sub potestate, & iurisdictione religionis. Diana *tract. 2. de dubiis regular. resol. 7.* post alios, quos refert. Ordinandi autem sunt nouitij ab Episcopo Diœcesis ipsorum nouitiorum. Henriquez *lib. 10. de Sacram Ordinis, & 14. de irregul.* Suarez *in 2. de relig. tract. de Voto c. 11. n. 9.* Probabile etiam est posse etiam ordinari ab Episcopo in cuius Diœcesi est nouitiatus, quando nouitij habent firmum propositum permanendi in religione. Quia isti tales iam quasi mutarunt domicilium, & volunt esse in domicilio religionis, vel nouitiatus. Sanchez *lib. 6. in Decal. c. 10. n. 21. & 22.* Naldus *verb. Ordo. num 10.* Vide dicta *c. 14. præsertim 10. 12. & 13.* & maximè *num. 20* circa decretum Concilij Tridentini de non ordinandis, qui non habuerint beneficium Ecclesiasticum, &c. 6

Nouitij possunt vti priuilegio Bullæ Cruciatæ, eligendo scilicet sibi Confessorem, qui eos absoluat à casibus reseruatis, non obstante quod professi non possint vti hoc, vel similibus priuilegiis, & indultis, iuxta dicta suprà *c. 19. n. 29.* Ratio est, quia verba Bullæ cũ sint generalia, etiam comprehendũt nouitios, nec specialis ratio, propter quam professi excluduntur, procedit in illis, cum non sint simpliciter veri religiosi, nec simpliciter subiecti religioni. Suarez *tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 2. cap. 16. n. 10.* Nihilominus probabilius est non posse confiteri inuito prælato religionis alicui Confessori habenti tantum approbationem ab Episcopo. Maximè quoad casus reseruatos à superioribus religionis vbi sunt nouitij. Quia per nouitiatum censentur mutasse territorium, & domicilium, & esse sub iurisdictione religionis. Cordub. *lib. 1. q. 30.* Suar. *4. to. de Relig. tract. 8. lib. 2. c. 17. à num. 14.* Licet alij probabiliter oppositum teneant. Miranda *in Manual. tom. 2. quæst. 34. art. 16.* Diana *tract. de dub. regul. resol. 4.* 7

Possunt etiam nouitij quarumdam religionum absolui à prælatis suæ religionis à cẽsuris excõmu- 8

nicationis, suspensionis, & interdicti, à iure, vel ab homine saltem generaliter promulgatis. Propter multa priuilegia aliquibus religionibus concessa, quibus frui possunt tam ipsæ, quam aliæ, quæ cum ipsis communicant in priuilegiis, specialiter Clem. IV. pro Minoribus, vt refert Casarub. *in Compend. verb. Absolut. Ord. quoad Fratres num.* 4. Referens etiam ibidem idem ad litteram haberi in Mari magno Prædicatorum. Sed pro hoc intento vide Suarez 4. *tom. de Relig. tract.* 8. *lib.* 2. *cap.* 24. *à numero* 5. Vbi priuilegia circa hoc adducit, & Laurentium de Peirin. *tom.* 1. *priuil. Min. in Const.* 2. *Iulij II.* §. 9. explicantem priuilegium eiusdem Iulij 2. quoad hoc. Alia etiam afferri solent, sed ea omitto, quia sunt viuæ vocis oracula, quæ nihil iam valent. Extat tamen priuilegium Sixti IV. in Bulla. *Dum attenta.* Carmelitis concessum in quo conceditur Generali, & Prouincialibus pro nouitiis volentibus aggregari religioni, qui suspensionis, aut interdicti, vel excommunicationis sententiis à iure, vel à Iudice promulgatis generaliter sint ligati, vt absolutionis beneficium, obseruata forma Canonica, possint impartiri. Adiungit etiam. Ipsosque in Fratres recipere, ac eos, qui post assumptum Habitum, & professionem emissam recoluerint se talibus in sæculo fuisse sententiis innodatos, secundum formam ipsam, vos Generalis Magister, & Prouinciales, Priores, ac vices vestras gerentes valeatis absoluere, & cum irregularibus dispensare: si forsan talibus innodati sententiis, vel in locis interdicto suppositis diuina præsumpserint Officia celebrare, vel Ordines receperint. Ita tamen, quod si aliqui, ex eisdem sententiis, propter debitum sunt adstricti, satisfaciant, vt tenentur. Volumus autem nihilominus quod postquam fuerint absoluti huiusmodi volentes aggregari prædictæ Religioni, nisi mox Ordinem vestrum intrauerint, quacumque etiam eiusdem Ordinis prælatorum licentia non obstante, eo ipso in pristinas sententias, à quibus eos totaliter absolui contigerit, relabantur. Specul. Ordin. fol. 86. Ibidem etiam in verbis antecedentibus conceditur ab eodem Pontifice Generali, & Prouincialibus, vt suis Fratribus. Vndecumque absolutione, & dispensatione indigentibus: siue priusquam intrauerint in Ordinem, siue post, in casibus excesserint, pro quibus excommunicationis, vel interdicti, aut suspensionis incurrant sententias à iure, vel iudice generaliter promulgatas, & huiusmodi sententiis innodati, aut in locis suppositis Ecclesiastico interdicto diuina Officia celebrantes, vel suscipientes Ordines sic ligati, notam irregularitatis incurrant, absolutionis, & dispensationis beneficium valeant impartiri: nisi in casibus in præsentibus litteris exceptis. Casus autem isti excepti sunt, quos refert idem Pontifex inferius verbis adductis à nobis *in c.* 18. *de pralatis n.* 33.

9 Attendenda vero sunt verba priuilegiorum, propter quæ nouitij absoluuntur, vel dispensantur. Alia enim volunt, quod si nouitij post absolutionem datam non ingrediantur Religionem, vel in ea non profiteantur, reincidant in priores censuras, alia vero absolute loquuntur. Aliqua loquuntur de nouitiis, qui iam habitum susceperunt? aliqua vero de illis, qui illum volunt recipere. Suarez *tom.* 4. *de Relig. lib.* 2. *c.* 24. *à num.* 5. Peirinis *tom.* 1. *priuil. Minim. in Constit.* 2. *Iul. II.* [Pro quibus generaliter loquendo iuxta ea quæ dico *tom.* 4. *verbo Nouitij, & Nouitiæ Religionum num.* 36. notandum quod priuilegia, quæ absolutè, & sine aliqua limitatione aut conditione concedunt, aliquam gratiam Nouitijs quoad absolutionem, dispensationem, vel aliquid huiusmodi, etiam si postea à Religione recedant, censeri debere habuisse suum effectum: absolutiones enim, dispensationes, &c. purè & simpliciter datæ non debent censeri concessæ solum sub conditione aliqua de futuro nisi in casibus à iure expressis, vel quando in ipsis facultatibus id exprimitur. De quo latè Bartholomæus de Vecchis *in praxi Nouitior disput.* 9. *dub.* 25. & Tamburinus *de iure Abbat. tom.* 3. *disp.* 6. *quæsit.* 27. *à num.* 18. Ex Bonacina, Suarez, & aliis.]

Ab irregularitatibus etiam à Nouitiis contractis in sæculo possunt dispensari à prælatis dictarum Religionum, propter aliqua ex prædictis priuilegiis, præsertim propter illud Clement. 10
IV. pro Fratribus Minoribus Iulij II. pro Minimis, & Sixti IV. pro Carmelitis, illis verbis iam adductis, *cum irregularibus dispensare, si forsan talibus innodati sententiis, vel in locis interdicto suppositis, Diuina præsumpserint Officia celebrare, vel Ordines receperint.* Speculum Ordinis fol. 86. Item ibidem in verbis etiam adductis. *Et huiusmodi sententiis innodati, aut in locis suppositis Ecclesiastico interdicto Diuina Officia celebrantes, &c. notam irregularitatis incurrant.* Vide etiam Bullam Iulij Secundi adductam in Peirinis.

Non possunt admitti ad Religionem Episcopi, aut in Episcopali dignitate constituti absque expressa licentia Papæ. Tum quia ita expresè definiuit Innocen. Tertius *in c. Nisi cum pridem, de renunciatione.* Tum quia status Episcoporum altior est statu religiosorum, & ita ab illo ad istum non est transitus sine dispensatione Summi Pontificis. Nau. *lib.* 1. *Conf. conf.* 1. *&* 4. *de renunciatione* Miran. *in Man. tom.* 1. *q.* 17. *art.* 3. Barbosa *de potest. Episcop. alleg.* 53. *n.* 23. vel saltem renunciatione Episcopatus. Suarez 3. *tomo de Relig. lib.* 1. *cap.* 19. *à num.* 13. Prælati autem Episcopo inferiores ad Religionem possunt admitti propter oppositam rationem. S. Thomas 2.2. *q. vlt. art.* 7. Syluest. *verb. Relig.* 2. *quæst.* 8. Suarez 3. *tom. de Relig. lib.* 5. *c.* 4. *num.* 14. 11

Maximè autem sciendum est, iuuenes, aut viros adultos maiores sexdecim annis, nō aliter ad aliquā Religionem recipi posse, nec debere, nisi prius de eorum parentibus, Patria, deque anteacta vita, & moribus, diligēter inquiratur, & ex accurata informatione, & fide digna relatione, compertum, & exploratum sit eos, nec aliquorum criminum, qualia sunt homicidia, furta, latrocinia, vel alia similia, aut grauiora, reos, vel suspectos existere, vt propterea dānati sint, aut ne damnentur formident, neque ingenti ære alieno supra vires facultatum suarum grauatos, vel reddendis ratiociniis ita obnoxios, vt ex huiusmodi causalis, vel molestia, eis iam illata, vel timendum sit, quod inferatur, nisi denique constet ipsos non humana aliqua ratione, sed tantum deuotionis, & pietatis feruore vitam religiosam sponte & ex animo elegisse. Ita Sixtus V. in Constitut. incipiente *Cum de omnibus Ecclesiasticis Ordinibus*, sub datis anno 1587. sexto Calend. Decembr. Pontificatus sui anno 3. Voluit autem idem Pontifex, vt istorum receptio, & admissio solum fieret in Generali, vel Prouinciali Capitulo, indubitata fide facta, tam superioris Generalis, seu Prouincialis, quam Definitorum consensu, de prædictis omnibus. Postea vero idem 12

idem Sixtus Quintus in alia Constitutione. *Ad Romanum Pontificem*, Romæ duodecimo Calendas Nouembris 1588. moderans prædicta, subiungit. Cum vero in quibusdam Religionibus Capitula Prouincialia, aut numquam, aut non quotannis, sed rarius celebrentur, quædam etiam Monasteria, aut domus huiusmodi remotissimis regionibus hæreticorum, aut infidelium tyrannidi finitimis sita sint, ne ij, quos extra Capitula ad habitum, vel professionem Regulares admitti prohibuimus, tempus celebrandis Capitulis præfixum nimis diù expectare, aut ad ea cum maximo incommodo accedere cogantur, concedimus, & indulgemus, vt in qualibet Prouincia, saltem duo, vel si commodè fieri poterit tria, aut plura Monasteria, seu domus Regulares deputentur, quarum, seu quorum Superiores infra annum saltem ad inquisitionem super Nouitiis faciendam, & ad ipsos Religiosos iuxta formam præfatæ Constitutionis recipiendos, & ad alia quæ in ipsa Constitutione continentur peragenda insimul congregentur. Quod si paucitas, aut nimia distantia Monasteriorum, ne id quidem patiatur, saltem tribus ex antiquioribus Patribus vnius Monasterij, aut domus eius prouinciæ, huiusmodi facultas, & auctoritas per Capitulum Generale, scilicet, Monachorum, vel Prouinciale Mendicantium, & reliquorum Regularium eiusdem Ordinis demandetur. Pro exteris autem, qui in locis à sua patria longissimè remotis degunt, vel quorum patria ab hæreticis, vel infidelibus detinetur, si velint religionem intrare, concessit idem Pontifex exteros huiusmodi ad aduenas, quamuis non liquido constet de iis omnibus, quæ in Constitutione nostra requiruntur, tamen si diligentia adhibita, nihil appareat, quod impediat habiles reputandos esse. Vide Bullam apud Quarantam *in Summ. Bull. verb. Monasteria, & Conuentus, &c.* Suarez 3. *tom. de Relig. lib. 5. c. 10.*

13 Postea vero Gregorius XIV. in Bulla *Circumspecta Romani.* ann. 1590. apud eumdem Quarantam *vbi sup.* aliã moderationem adhibuit prædictis Constitutionibus Sixti V. pro illis Monasteriis, in quibus perpetua filiatio Religiosorum reperitur, videlicet, quod Superiores illorum Monasteriorum de consensu sui Capituli, præhabita simul cum his, de quibus in vnaquaque Religione, aut Monasterio iuxta eius Constitutiones recipiendus interrogari solet, aliqua informatione, super his, quæ in dictis Constitutionibus continentur, ad receptionem huiusmodi procedere valeant, dum tamen antequam ad professionem admittantur, plenaria, & eo modo, prout in dictis Constitutionibus habetur inquisitio fiat, quæ postea ab his, à quibus in prædictis Monasteriis examinari solent, diligenter examinetur, & approbetur, & demum omnia in dicto Capitulo coram Superiore referantur. Volentes quòd superiores prædicti cum eorum capitulo, aut vbi consuetudo non fuerit celebrandi capitula, cum tribus, aut quatuor ad id in Generali Congregatione per vota secreta deputatis, seruatis eorum Regularibus Institutis, ac supradictis omnibus, eamdem in recipiendis Nouitiis habeant auctoritatem, quæ per dictas Constitutiones Prouincialibus capitulis est attributa.

14 Post quæ aliqua priuilegia concessa sunt aliquibus Religionibus, (quibus tam ipsæ, quam quæ ipsorum priuilegiis fruuntur, vt possnnt circa formam signatam à Sixto V. in prædictis Constitutionibus ad recipiendum Nouitios ad habitum, & professionem. Primo enim Clemens Octauus per suam Constitutionem, quæ incipit *In his quæ*, anno 1597. concessit Dominicanis Conuentus Sancti Stephani Salmaticensis, vt quoscumque iuuenes, etiam decimumsextum ætatis suæ annum excedentes, ad habitum in eodem Conuentu admitti petentes, recepto ab eis iuramento, quod criminosi, rationibus, vt præfertur obligati, furto, latrocinio, aut homicidio notati, aut aliis impedimentis in dicta Bulla Sixti V. contentis, detenti non sint, recipere, ac postea per aliquem eiusdem Conuentus Religiosum ad hoc deputatum ad inuestigationem anteactæ illorum vitæ, ac morum, & reliquorum præmissorum, absque strepitu iudiciario, sed per scrutinium secretum procedi facere, qui ad hoc deputaus processum, & informationem cœptam, dictis Priori, seu Præsidenti, ac subpriori; ac Magistro Nouitiorum, & Studentium, à quibus approbari, & reprobari possit, referre fideliter debeat, liberè, & licitè possunt, valeant. Secundo idem Clemens Octauus per suam Constitutionem *Assidua*, ferè simile priuilegium concessit Clericis Ministrantibus Infirmis anno 1594. Tertio etiam Paul. V. anno 1612. concessit Fratribus Seruitis domus Montis Senarij, quod tres ex antiquioribus à Capitulo Conuentuali eiusdem domus deputari possint, qui eandem habeant facultatem in admittendis Nouitiis, quam habent Capitula Generalia, & Prouincialia. 3. *tom. Bullar. inter Bullas Pauli V. n. 76.* Miranda *tom. 1. q. 21. art. 1.* Laurent. de Peirin. *tom. 2. priuilegiorum Minimorum in Const. 2. Sixti V.* Caute tamen procede, & attende vim & verba priuilegiorum.

Est etiam aduertendum, quod licet Sixtus V. in prædicta sua Constitutione, illos qui non seruatis dictis conditionibus, ad habitum recepti fuerint, inhabiles ad professionem faciendam, ipsamque professionem irritam, & nullam declarauerit, postea vero Clemens Octauus anno 1602. Constitutionem illam ad terminos iuris communis reduxit, quoad prædictam nullitatem professionis, saluis semper pœnis contra transgressores inflictis. Quas sic intimauit Sixtus V. *Insuper quoscumque Religiosos, eorumque Superiores, qui aliquas personas, vt dictum est, inhabiles post hanc Constitutionem publicatam receperint, voce actiua, & passiua, necnon Officiis, gradibus, honoribus, & dignitatibus quibuscumque per eos obtentis, eo ipso in perpetuum priuamus, & tam illis priuatos, quam ad illa, & alia quæcumque in posterum obtinenda perpetuo inhabiles; eorumque incapaces decernimus, & declaramus.* Quaranta *verb. Monasteria, & Conuentus.* Miranda *in Man. Prælat. tom. 1. quæst. 17. art. 3. & 8.* Suarez 3. *tom. de Relig. lib. 5. cap. 7.* Imo aliqui volunt Prælatos recipiẽtes sine dicta informatione Nouitios non incurrere dictas pœnas, si sic recepti careant dictis defectibus, quia volunt, quod Bulla solum liget Prælatos recipientes nouitios ligatos à parte rei talibus impedimentis. Portellus *in dub. Regul. verbo Nouitij informationes num. 6.* Diana *Tract. 2. de dub. regular. res. 83.* 15

Criminosi non debent, aut possunt admitti ad Religiones iuxta dicta ex Sixto V. *supra numer.* 12. Quod intellige iuxta moderationem ipsius Sixti in secunda Constitutione *ibidem* relata, *cum constiterit actis publicis Iudices, & curiam secularem ante susceptionem habitus de ipso crimine aduersus eos accusationem suscepisse, vel inquisitionem instituisse.* Et quamuis illos inhabiles ad professionem esse voluerit idem Pontifex; postea vero Clemens 16

VIII. vt etiam vidimus num. 15. habiles ipsos fecit, saluis tamen pœnis contra recipientes ipsos à Sixto designatis, & ab eodem Clemente confirmatis. Si autem constiterit post professionem emissam illos in sæculo grauissimis, & scandalosis criminibus notatos, & diffamatos fuisse, illaque interrogatos tacuisse, possunt expelli à Religione, iuxta priuilegium Leonis X. per suam Constitut. quæ incipit, *Cum sicut nobis*, in qua concessit Generalibus, & Prouincialibus Ordinis Fratrum Minorum, & per consequens aliis, qui communicant in priuilegiis cum ipsis, *vt fratres eiusdem Ordinis, etiam professos, qui grauissimis, & scandalosis delictis notati, & diffamati fuerint, quæ fraudulenter, ac dolosè in eorum receptione ac professionis emissione (monitione super his per prædictos Prælatos præmissa) tacuerunt, non obstante quod iam recepti sint, & professionem emiserint, ne morbida, & infecta pecus ouile Domini corrumpat, & vt aliis cedat in exemplum, à domibus, & Conuentibus dicti Ordinis, expellere, & remouere, liberè, & licitè possint, & valeant, &c.* Laurentius de Peirinis *tom. 1. de subdito quæst. 1. de Obedientia cap. 25. §. 3.* Imo ad hoc vt præfati criminosi possint à Religione expelli non est necesse, quod eorum delicta sint deducta per accusationem in iudicium, vt volebat Sixtus; sed sufficit quod de illis fuerint diffamati, & notati, Rodriguez *tom. 3. quæstionum Regularium quæst. 17. art. 9.* Peirinis *vt supra*, aliqua etiam notatu digna circa hoc animaduertens. Vide dicenda *num. 25. & 26.* & Suarez *3. tom. de Relig. lib. 5. cap. 7.* [Ex dictis autem resolui post casus, quem tractat Portellus *in respons. moral. tom. 2. casu 89.* de quodam homicida, qui in quadam Religione professus est, an scilicet professio ipsius valida fuerit, & idem dicendum de similibus criminosis. Dico enim talis professionem validam fuisse, si quidem fuit facta post Constitutionem Clementis VIII. de qua *supra numero 15.* & in qua moderando Constitutionem Sixti V. eam reduxit ad terminos Iuris communis; constat autem quod Iure communi talis professio valida fuerit. Portellus *supra.* Potuit tamen Religiosi gaudet priuilegio Leonis X. de quo *sup. n. 16.* iuxta ipsius formam cum ipso procedere. An verò iuxta priuilegia Religionum dispensari potuerit talis homicida, consule dicta *sup. c. 18. n. 4. & seqq.* & dicenda *3. tom. v. Irregularitas n. 69. & 72. & verb. Abortus n. 14. & 4. tom. verb. Prælatus Regularis n. 14.* cum aliis locis ibi citatis.]

17 Obligatos, seu grauatos debitis, & ratiociniis, non posse licitè saltem, Religionem intrare, aut in ipsa profiteri, non solum propter Constitutionem Sixti V. adductam, & moderationem Clementis VIII. allatam, sed etiam ratione naturali constat, in casu, quo in sæculo manentes facilè possent suis creditoribus satisfacere. Nam per talem ingressum, aut professionem iniuria fit illis, quibus sunt obligati. Syluester *verb. Ratiocinium.* Nauar. *cons. 2. de regular. num. 7.* Quando autem debita sunt incerti domini, aut debitor neque in parte potest satisfacere, nec speratur posse, manendo in sæculo, tunc credo posse etiam licitè intrare Religionem, & in ea profiteri. Quia tunc nulla fit iniuria alicui per talem ingressum, aut professionem. Miranda *in Man. tom. 1. quæst. 17. artic. 7.* Vide plura ad hoc in Sanchez *libro quarto in Decal. capite 19.* Vbi latè an istorum professio iure communi, aut naturali sit valida. Vide etiam Suarez *tomo tertio de Relig. libro quinto capite 7.* Diana *tract. 2. de dub. regular. resol. 41.* Qui etiam bene addit quod si post ingressum Religionis hæreditate legato aut donatione religioso aliquid adquiratur, tenetur Monasterium illius debita soluere, [Pro quorum maiori luce nota primo eum qui non potest soluere debita, sed sperat quod manens in sæculo, ea sit solututus breui tempore, non posse licitè intrare Religionem, debitis non solutis. Secus est si solum speret post longum tempus soluturum debita. Ratio primæ partis est: quia cum solutio debitorum sit de Iure naturæ præcepta, præferri debet operibus consilij, quale est ingredi Religionem, præsertim cum nefas sit lucrum spirituale proprium cum detrimento tertij quærere. Quod autem hoc non sit intelligendum quando debitum post longum tempus speratur soluendum, sed quando breui tempore, quæ est secunda pars adducta, ex eo probatur non solum quia persona debitoris non est ita pro debitis adstricta vt ipsamet debita sit & quasi captiua instar seruorum creditori, sed etiam quia quando se obligauit ad debita illa soluenda, neque explicitè neque implicitè se obligauit ad subeundum tale, & tantum detrimentum quale est reddere se impossibilem per multum tempus ad procurandum statum tam vtilem pro securitate suæ salutis, quale est status Religiosus. De quo Ludouicus Lopez *in Instruct. part. 1. capite 29.* Azor. *tomo primo instit. Moral. libro 12. capite 1. quæstione 5.* Diana *tomo secundo tract. 2. de dub. regularibus resolut. 41.* Lugo *tomo primo de Instit. & iur. disputatione 21. sectione 6.* post alios. Hoc autem breue tempus putat esse biennium Sanchez *libro 4. in Decalog. cap. 19. n. 8.* quem sequitur Lugo *supra.* Secundò nota, quod si talis grauatus debitis Religionem profiteatur licet Religio non teneatur soluere illa ex bonis propriis: quia iuxta dicta *supra capite 2. num. 18.* Monasterium non tenetur ad debita Religiosi, nisi ex licentia ipsius contracta fuerint, aut ipsi vtilia, cæterum tenetur illa soluere non solum ex iis quæ Religiosus secum detulit ad Religionem, sed ex iis quoque, quæ quouis modo Religioni obtinuerint ratione talis religiosi, scilicet, hæreditate, legato, aut donatione, vt dictum est ex Diana, quem sequitur Lugo *supra numero 79.* post Sanchez, & alios. Adeo præfatum Religiosum in Religione existentem labore aut alio modo honesto & conformi statui suæ Religionis teneri procurare solutionem illorum debitorum, cum status Religiosus non aliter excuset à soluendis debitis, nisi quatenus impedit modum soluendi illa indecentem tali statui. Lugo *sup. n. 81.* Addens etiam cum Sanchez *n. 14.* Prælatum non teneri ad dandam licentiam ad sic laborandum cum Prælatus nihil debeat creditoribus, & aliunde ratione professionis Religiosæ ius habeat ad gubernandum subditum, & imponendum illi opera, & occupationes, quas voluerit.]

Furiosi, aut mente capti non possunt admitti ad Religionem, aut in illa valide profiteri. Cum non habeant sufficientem libertatem, aut discursum ad vouendum. Syluester *verb. Religio 5. quæst. 2.* Vnde si aliquis sui compos Religionem ingressus est, & postea incidit in dementiam, aut furorem, nec profiteri potest, propter adductam rationem; nec tale tempus connumerari potest pro Nouitiatu; cum in illo non potuerit experiri rigorem religionis, quod est finis Nouitiatus. Syluester vt supra. Phrænesis autem tempore morbi superueniens, etiam si per aliquos dies duret non impedit cursum Nouitiatus. Hæc enim est praxis religionum. Sanchez *libro quinto in Decal. c. 4. n. 55.* Vide dicta *c. 2. n. 24.* 18

Coniugati

19 Coniugati post matrimonium consummatum, non possunt admitti ad religionem, nisi alter coniux etiam Religionem ingressus fuerit, vel licentiam dederit ingrediendi. Propter indissolubilitatem matrimonij consummati. Miranda *in Manual. quæst.* 17. *artic.* 1. Sed quando vnus coniux potest facere perpetuum diuortium, potest propria auctoritate religionem ingredi, & in ea profiteri iuxta dicta *c.* 2. *n.* 31. Quid autem dicendum si ille qui potest facere diuortium perpetuum vellet in sæculo manere & sacris Ordinibus insigniri. Vide Gutieres *in quæstionibus Canonicis.*

20 Serui etiã, & qui non sunt sui iuris nisi de licentia dominorum ad Religionem nõ possunt admitti. Quia seruus non est sui, sed sui dominiat, que ita non potest dare se religioni, prout fit in professione. Sylu. *verb. Religio.* 2. *q.* 3. Vnde si seruus Religionem aliquam ingressus repetatur à domino suo, erit illi restituendus cum omnibus, quæ attulit secum; propter eamdem rationem. Sylu. *ibid.* Si verò contingat seruum professum esse in religione fraudulenter, vt puta probando per falsos testes se esse liberum, licet domino suo sit reddendus, propter traditam rationem; vere tamen manebit religiosus, & Religioni obnoxius, quantum est ex parte sua: quia ipse se ad hoc astrinxit prout potuit. Sylu. *ibid.* Miranda *in Man. q.* 17. *art.* 2. Quando autem ex malitia, vel negligentia Religionis professus est, Monasterium satisfacere debet domino secundum boni viri æstimationem. Miranda vt supra. Vide dicta *cap.* 2. *n.* 21.

21 Illegitimi non sunt incapaces Habitus, & professionis regularis his temporibus, & quantum est ex vi iuris communis, & Decretorum Pontificum, si non obstent peculiares Constitutiones religionum. Ratio est, quia licet Sixtus V. in prædicta Constitutione. *Cum de omnibus, &c.* prohibuerit prædictos illegitimos ad habitum, & professionem admitti, nisi certis quibusdam conditionibus positis eorumque professionem inualidam, irritam, & cassam declarauerit; posteà tamen Gregor. XIX. ann. 1591. Pontificat. sui ann. 1. supradictam Constitutionem Sixti V. & aliam eiusdem etiam Sixti ad hoc intentum, moderari volens, statuit, eos, qui quouis modo illegitimè procreati fuerint, ad habitum, & professionem regularem admitti posse, quemadmodum admitti poterant, si supradictæ Constitutiones editæ non fuissent; ita tamen, vt cum de recipiendis quomodocumque illegitimè natis ad habitum, & professionem Ordinum quorumcumque ageretur, ij ad quos spectat huiusmodi receptio, præter alia, de quibus ex dictarum Constitutionum præcepto circa quoscumque etiam legitimos perquirere debent, diligenter vitam eorum, & mores inquirant, & ita demum eos recipiant, si tamen bonam indolem, & virtutis specimen præseferant, & tot eis merita suffragentur, vt natalium suppleant defectum, eorumque receptio religionis commodo, & vtilitati profutura videatur, & super hoc ipso ij, ad quos, vt dictum est, pertinet huiusmodi receptio matura deliberatione ita censuerint, & iudicauerint, dummodo tamen filius illegitimus in religione, in qua Pater siue ante, siue post Natiuitatem dicti filij professus fuerit, ipso Patre viuente, non admittatur. Ex quibus verbis infertur, quoscumque illegitimos ad habitum, & professionem admitti validè posse, seruatis tamen istis conditionibus à Gregorio XIV. designatis. Rodriguez *tomo tertio quæstione octauo articulo quarto & quinto.*

An autem etiam licitè possint admitti tales illegitimi stando in vi istorum Decretorum Pontificum? videtur, quod non, quia Clemens Octauus in Bulla *in suprema Ecclesiæ*, anno 1602. edita non est moderatus pœnas taxatas à Sixto V. contra prælatos admittentes tales illegitimos ad habitum, & professionem, per quod declarasse videtur, illicitam esse talem admissionem. Licet possit dici hoc fecisse Clementem Octauum moderando Constitutiones Sixti V. non vero istam Gregor. XIV. Præterquam dici potest, hoc intelligi, si non seruentur conditiones à Gregorio determinatæ. Hoc tamen aliorum iudicio remitto. [Bufones, histriones, carnifices, satellites, lenones, alijque similes non debent ad Religionem recipi. Quia sunt infames, vel quasi infames, & non decet Religionem similibus dedecorari. Panormitanus *in cap. Cum decorem de vit. & honestat. Cleric. numero secundo.* Tamburinus *de iure Abbatum tomo tertio disputatione sexta quæstione tertia numero trigesimoprimo* idem dicit *num.* 35. de illiteratis non recipiendis ad statum Clericorum cum debeant saltem ea scientia pollere, quæ ad diuinum Officium rectè persoluendum requiritur. Ita ex Azorio, Gonzalez, & Garzia.]

Quamuis nullus Nouitius admitti possit ad professionẽ qui minori tempore quam per annum post susceptum habitum in probatione steterit, iuxta doctrinam Concilij Trident. *sess.* 25. *cap.* 15. nihilominus aliqui volunt, iuxta dicta à nobis *cap.* 2. *numero* 11. posse Nouitium extra Monasterium agere partem sui Nouitiatus. Pro quo vide Suarez 3. *tom. de Relig.* 5. *cap.* 14. *à num.* 13. Hoc vero solum intelligi posse videtur ex vi iuris communis, & extra Italiam, & Insulas adiacentes, propter Decretum Clementis Octaui modò adiungendum, vbi præcipit, quod Nouitij ad habitum Regularem, & professionem non admittantur in Italia, & Insularum adiacentium finibus, nisi in Conuentibus designandis, quo videtur excludi sententia prædicta affirmantium aliquam saltem partem Nouitiatus posse haberi extra Monasterium. Illa enim pars Nouitiatus non haberetur in Conuentu designato. Res tamen aliqualiter dubia est, præsertim si expendantur verba Decreti afferendi, quibus solum videtur prohiberi *ne ad Habitum Regularem admittant* (intellige Superiores) *nisi in Conuentibus assignandis*, non vero prohiberi, quod post admissionem, aliqua causa rationabili vrgente, possit pars Nouitiatus extra prædictos Conuentus haberi. Vide Dianam *Tract. de dubiis Regular. resol.* 84. *&* 89. 22

Ex Decreto Clementis Octaui datum Romæ die 12. Mart. 1596. quod postea etiam confirmauit Sacra Congregatio Concilij in Decreto de Regularibus Apostatis, & Eiectis, iussu Sanctissimi Domini Nostri Vrbani, quod habetur 4. *tomo Bull.* inter Constitutiones Vrbani *num.* 26. sic præcipitur omnibus Generalibus Prouincialibus, Commissariis, Ministris, cæterisque superioribus Conuentuum intra Italæ, & Insularum adiacentium fines existentium quibuscumque, & quorumcumque Ordinum Mendicantium, vt de cætero neminem sub quouis prætextu, aut colore ad habitum Regularem admittant, nisi in Conuentibus auctoritate Apostorica prope diem in vnaquaque prouincia designandis. Insuper præcipitur, vt quoad eiusmodi Conuentus, vt præfertur, deputati non fuerint; omnes præfatorum Ordinum Superiores à receptione quorumcumque Nouitiorum, siue ad habitum, siue 23

siue ad professionem omninò abstineant. Pœnas verò contra transgressores sic decreuit idem Pontifex. Superior, qui huius Decreti transgressor extiterit ipso facto pœnam priuationis omnium Officiorum, quę tunc obtinebit, vocisque actiuę, & perpetuæ inhabilitatis ad alia in posterum obtinenda, se nouerit incurrisse, ac aliis etiam pœnis arbitrio nostro subiaceat. Receptiones verò, & processiones quaslibet eorum, qui contra huiusmodi Decretum nostrum admissi fuerint, nullas, & irritas esse ex nũc decernimus, & declaramus. Priuilegiis, statutis, & consuetudinibus quibuscumque in contrarium minimè obstantib. Deinde die 20. Mensis Iunij 1599. renouauit, & ampliauit idem Decretum idemmet Pontifex Clemens Octauus, præcipiendo eisdem Superioribus ista: Ne sub cuiusuis licentiæ, & facultatis impetratæ, vel impetrandæ obtentu, nisi per litteras in forma Breuis dumtaxat, & non aliàs, quemquam ad Habitum Regularem suscipiendum, nec etiam Conuersis, nisi in Conuentibus, Monasteriis, & Domibus auctoritate eiusdem Sanctissimi propediem in vnaquaque prouincia designandis, recipere, aut receptos ad professionem admittere, vllo modo audeant. Quinimò contra primam prohibitionem Sanctitatis suæ receptos, etiam si imperfectum habitum, aut sine caputio gerant, post præsentis Decr. in Romana Curia publicationem, omninò eiicere debeant. Superiorem autem, qui huius Decreti transgressor extiterit, ipso facto pœnam priuationis omnium Officiorum, quæ tunc obtinebit, vocis actiuæ, & passiuæ, & perpetuæ inhabilitatis ad in posterum obtinenda, eo ipso incurrere voluit, ac decreuit, & aliis etiam pœnis, arbitrio Sanctitatis suæ imponendis, subiacere. Receptiones verò, & professiones quaslibet eorum, qui contra huiusmodi Decretum admissi fuerint, nullas, & irritas esse ad quemcumque effectum ex nunc decernit, & declarat. Declarauit autem hoc Decreto non comprehendi certas quasdam religiones quas ibi expressit. Et insuper quod prædicta facultas per Congregationem reformationis Apostolicæ concedenda esset. Post quæ idem Pontifex die 19. Maij 1602. Volens, vt ea, quæ pro Nouitiorum receptione, & institutione, de mandato sanctitatis suæ præscripta fuerunt, in posterum accuratiùs, & exactiùs obseruentur, vltra formam traditam in Constitutionibus fel. record. Sixti Papæ V. & etiam Sanctitatis suæ super receptione Nouitiorum, decreuit, ac mãdauit, ne in Conuentibus, seu Monasteriis ad Nouitios recipiendos, sanctitatis suæ, seu dictæ Congregationis Reformationis licentia, hactenus designatis, & approbatis, seu in posterum designandis, & approbandis Nouitij ad Habitum recipi vllatenus possint, vel admitti, nisi prius ab ipsa Cõgregatione, vel à propriis locorum Ordinariis, aut ab illis, in quorum Diœcesi Nouitiatus existunt, in quibus Nouitij recipiendi fuerint, expressè, & nominatim Nouitij ipsi recipiendi fuerint, & recipi, & admitti possint, licentiam in scriptis (gratis tamen in omnibus, etiam quoad scripturam concedendam) obtinuerint. Posteà verò Sacra Congregatio Concilij ex Decreto Sanctiss. Domini N. Vrbani VIII. prout habetur in Decretis *de regularibus Apostatis, & eiectis.* anno 1624. abstulit prædictam obligationem impositam à Clemente Octauo in Decreto adducto, quod scilicet Nouitij recipiendi Habitum approbati prius essent expressè, & nominatim à Congregatione Reformationis Apostolicæ, vel à propriis locorum Ordinariis, innouando tamen quoad reliqua prædicta Decreta Clementis Octaui, districtéque præcipiendo Prælatis Religionum *vt illa exactè obseruent, atque vt obseruentur efficiant, sub pœnis statutis in iisdem Constitutionibus.*

Quia verò, illis obstantibus, compertum posteà est multos in multis religionibus admissos esse ad professionem, non habito Nouitiatu in locis, & Conuentibus approbatis, contra prædicta Clementis Octaui Decreta, ac perindè talium professionem nullam, & irritam fuisse; ideo Sanctissimus Dominus Noster Vrbanus Octauus huic malo prouidere cupiens, Motu proprio, & certa scientia, die XI. Aprilis 1632. commisit, & mandauit Maiori pœnitentiario, vel Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, ceterisque Ordinariis locorum, in quibus prædictorum Religiosorum Monasteria consistunt, siue ipsorum Religiosorum præfectis, vel superioribus Generalibus, quatenus omnes, & singulos religiosos prædictos, qui ad habitum Regularem alias canonicè recepti, annum probationis in Monasteriis, seu domibus regularibus ad id designatis minimè fecerunt, subindeque professionem nihilominus emiserunt, ad professionem denuò, seruatis aliàs seruandis emittendam, quæ sic emissa, illis, & eorum cuilibet, tam in foro interiori, quam exteriori suffragari debeat, absque nouo probationis anno, ex speciali Sanctæ Sedis benignitate, auctoritate Apostolica recipiant, & admittant, eosdemque, postquam professionem denuò, vt præfertur, emiserint, ad omnes gradus, honores, dignitates, præeminentias, & habilitates, quas si ab initio validè professi essent, legitimè obtinerent, eadem auctoritate restituant, ac restitutos eo ipso esse, & censeri declarent. Ita vt habeant eumdem locum, sessionem, & votum, prout haberent, si professiones priores validæ fuissent, & nondum promoti ad omnes etiam Sacros, & presbyteratus Ordines, seruatis aliàs seruandis, promoueri, & tam ipsi, quam alij ad eosdem Ordines, iam ritè promoti, in susceptis Ordinibus huiusmodi, etiam in Altaris Ministerio, ministrare liberè, & licitè valeant; necnon omnes actus, siuè contractus, quos contraxerunt, & legitimè contraxissent, vel cum laicis, vel cum aliis Monasteriis, seu alterius religionis viris, si nullum aliud paterentur vitium, vel defectum, nisi ex eo solum, quia initi, & contracti sunt inualidè, ab iis, qui contra dictam Constitutionem in Domibus non designatis, siuè ab eadem Sede non approbatis, professi sunt, auctoritate prædicta confirment, & approbent, ac validos omninò declarent, super quibus omnibus, & singulis plenam, & amplam facultatem, dicta auctoritate concessit. Deinde Summus Pontifex præcipit Ordinum, Congregationum, & institutionum huiusmodi superioribus Generalibus, quocumque nomine censeantur, ac procuratoribus etiam Generalibus, quatenus visis præsentibus, loca, Monasteria, vel Conuentus, in quibus Nouitij probationis annum agant, & alia, quæ dictus Clemens prædecessor, super hac re obseruari iussit, obseruentur, designari, siuè confirmati, omninò curent, & faciant. Ex vi cuius Decreti multi religiosi nouam fecerunt professionem, alij verò habitum dimiserunt. Quia verò ob prædicti decreti prætextum multi regulares ab Ordinariis locorum habitus, & professionis relaxationem postulabant cautum est à Sacra Congregatione Regularium, & nomine ipsius per Eminentiss. Cardinalem Ginettum protectorem nostrum ad Archiepiscopum Sacerensem in Sardinia scriptum,

24

ptum,

ptum, quatenus in posterum à talium fratrum relaxatione ad sæculum, vel habitum Clericalem desisteret, nec illam admitteret, nisi iuxta dispositionem Sacrorum Canonum Concilij Trident.& aliorum Decretorum Sedis Apostolicæ, imo quod eos quibus licentiam concessisset exeundi à religione ad eam reuocare quam primum curaret, ex quo videtur haberi non posse concedi licentiam religiosis exeundi à Religione, eo quòd professionem in locis non approbatis emiserint, sed intentionem sanctissimi eam esse vt iterum professionem emittant. Habeo apud me huiusmodi Eminentissimi Cardinalis Ginetti epistolam authenticè comprobatam. Vide & dicenda *tom.* 2. *cap.* 8. *numero* 25. [Et nota declaratum esse à Sacra Congregatione ad instantiam nostri Reuerendiss. P. Generalis Theodori Stratij 15. Maij 1638. prædictum Breue SS. D.N. Vrbani suffragari etiam illis qui post illud exierunt è Religione, & deinde ad illam reuersi denuo professionem expressam emiserunt. Nota insuper Sacram Congregationem Episcoporum & Regularium declarasse 7. Iulij 1634. ad instantiam Procuratoris Generalis Patrum Dominicanorum declarasse prædictos nulliter professos, de nouo profiteri volentes non egere ad id suffragiis Gremialium Conuentuum. Quod etiam declaratum fuit iterum ab eadem Sacra Congregatione de anno 1635.

Translatio autem Nouitiatus ex vno loco ad alium solum fit authoritate Apostolica, loquendo videlicet de nouitiatibus eiusdem authoritate institutis. Vnde ad S. Congregationem recurri debet pro huiusmodi translationibus, quæ solet ipsas concedere concurrentibus aliquibus causis & sub nonnullis conditionibus. Sicut fecit de anno 1647. pro prima die Februarij de quodam nouitiatu tertij ordinis S. Francisci.

25 Descendentes ex genere infecto Hebræorum, vel Sarracenorum, &c. possunt de iure communi admitti in religionibus (quidquid de statutis particularibus Religionum.) *Ex cap. eam te de rescription. & ex Constit. Gregor. XIII.* quæ incipit *Muneris nostri* anno 1583. Nauarrus *lib.* 3. *consil. de Regul. cons.* 26. *num.* 4. Rodriguez *tom.* 3. *quæst. Regular. quæst.* 11. *art.* 2. Vnde nullus professus potest (stando in iure communi) à Religione eiici præcisè, eò quod descendat ex maculato genere Iudæorum, aut Mahumetanorum, quamuis de hoc interrogatus in professione celauerit, nisi forsan præcesserit protestatio, de qua *numero sequenti*, propter ibi dicenda. Statuta verò particularium religionum attendi debent quoad hoc. Sanchez 7. *de Matrimonio disputatio* 37. *quæst.* 4. *numero* 30. *& lib.* 5. *Decalog. cap.* 4. *numero* 73. Laurentius de Peirinis *tom.* 1. *de Subdito quæst.* 1. *de Obedientia cap.* 25.

26 Cum Nouitij ante Professionem interrogantur an habeant aliquem defectum, v. g. infirmitatem incurabilem, cum protestatione, quod si posteà inuenti fuerint illum habere, professio erit nulla, talis professio inualida est, si prædictum defectum celauerint. Ratio est, quia deficit illi professioni consensus ex parte Religionis requisitus. Rodriguez *tom.* 3. *quæst.* 17. *art.* 9. Sanchez *lib.* 5. *in Decal. cap.* 4. *num.* 57. Vide dicta *c.* 2 *num.* 23.

27 Licitum est, & meritorum Voto, aut etiam Iuramento, ad Religionis ingressum, seu professionem quempiam se obligare. Iuxta illud Psalm. 75. *Vouete, & reddite Domino Deo vestro.* Sylu. *verb. Relig.* 2. q. 14. Hinc, qui tale Votum, vel iuramentum fecit tenetur illud adimplere iuxta illud Ecclesi. 15. *Si quid vouisti Deo ne moreris reddere.* S.Thom. 2. 2. *q.* 189. *art.* 3. Caietan. & Expositores *ibidem.* Hinc etiam qui promisit absolutè in Religionem intrare si in vna, aut altera nolunt ipsum admittere, tenetur alias requirere, vt recipiatur. Tenetur enim facere totū id quod potest, vt votum impleat, S.Tho. 2. 2. *q.* 189. *art.* 3. *&* 4. Syluest. *ver. Relig.* 2. *quæst.* 16. *&* 17. Qui verò promisit ingressum in determinatam Religionem, si in aliquibus Conuentibus ipsius non admittitur, non tenetur aliam intrare. Cum intentio ipsius solùm fuerit pro illa Religione determinatè. Syluest. *vt supra* Nauarr. *lib.* 3. *cons. de voto à cons.* 21. Videtur tamen necessarium quod in multis Conuentibus prædictæ Religionis procuret acceptari. Suarez 3. *tom. de Relig. lib.* 4. *cap.* 2. *num.* 8. Qui etiam Voto, vel iuramento se obstrinxit intrare aliquam Religionem, si in laxiori profiteatur, professio tenet, iuxta caput. *Qui post Votum de Regulis lib.* 6. Peccauit tamen, quia fuit transgressor voti simplicis. S.Thom. 2. 2. *q.* 189. *art.* 9. Syluest. *vt sup. quæst.* 1. 18. Qui verò post Votum Religionis in Episcopum fuit electus, tenetur, vel dispensationem Voti à Papa impetrare, vel Religionem prius ingredi, cum status Religiosus non sit incompossibilis cum Episcopatu, Religiosus enim factus Episcopus, verè manet Religiosus. Caiet. 2. 2. *q.* 189. *art.* 3. Syluest. *verb. Relig.* 2. *quæst.* 20. Suarez 3. *tom. de Relig. lib.* 1. *cap.* 19. Vide dicta *num.* 11. & dicenda *num.* 37.

Qui impedit vi, vel fraude; quod aliquis Nouitius non profiteatur, vel quod secularis non assumat habitum Religionis, tenetur ad minus ad tollendam vim, vel fraudem. Alias contra iustitiam faciet. Num autem ad restitutionem damni illati Religioni teneatur? Multi respondent affirmatiuè cum Scoto *in* 4. *dist.* 15. Sylu. *v. Rest.* 3. *q.* 1. Alij verò negatiuè cum, Soto Ledesma, & aliis, quos sequitur Suar. *tom.* 4. *de Relig. tract.* 8. *lib.* 4. *c.* 3. Vtrumque est probabile, sed prius securius. Semper tamen erit graue peccatum retrahere aliquem ab ingressu, vel professione in aliquam Religionem, nisi id fiat bono animo, & intentione, vt puta si propter aliquas causas talis status illi conueniens non censeatur. Gers. *in Reg. mor. Alphab.* 24. *&* 67. *cons.* 2. Vel quia Religio illa sit notabiliter deformata, & relaxata. Cord. *super Reg. D. Francisci c.* 2. *quæst.* 2. Hinc grauiter peccat Religiosus, qui Nouitio aliàs idoneo denegat votum, vel suffragium ad professionem. Impedit enim illum à consequutione boni spiritualis, quod est contra charitatem. Cord. *in Regula D. Francisci cap.* 2. *quæst.* 1. *&* 11. Imò Nouitius expulsus sine iusta causa ius habet agendi contra Religionem. Tum quia sic expellens impediuit opus bonum ipsius. Tum quia inde resultat vt in plurimum aliqua nota nouitio, quod est contra iustitiam. Caiet. 2. 2. *q. vlt. art.* 4. *dub.* 3. Passarel. *in Priuil. Min. c.* 43. [Pro quorum maiori luce nota 1. Quod qui sine vi, & fraude, sed precibus, aut suasionibus impediuit ne aliquis ingrederetur Religionem, aut quod postquam in eam ingressus est vt Nouitius non profiteretur, non tenetur ad aliquam restitutionem faciendam Religioni: quia talis non peccauit contra iustitiam. Lugo *tom.* 1. *de Iustit. & iure disp.* 9. *sect.* 3. *num.* 1. Quando verò huiusmodi suasiones sint peccatum præsertim mortale, vide Suarez *tom.* 3. *de Relig. lib.* 5. *cap.* 9. & Molina *tom.* 5. *de Iustit. tract.* 4. *disput.* 51. *num.* 2. Secundò nota, satis probabile esse eum qui iniustè fuit in causa quod aliquis è Religione exiret,

ret, vel in ea non profiteretur, ex quo sequuta est aliqua iactura Religioni, teneri ex iustitia suadere regressum ad Religionem illi, vel si nolit procurare alium æquè bonum qui eius loco intret. Ita Adrianus *de restitut. sub finem.* Antonius, Palud. Scotus, Gabriel, Maioris, Rossella, Syluester, & Passarellus quos refert Sanch. *lib.1.consil. moral.c.3. n.1.* Quod probatur; quia qui potest restituere rem ablatam, vel æquiualentem, tenetur ad id faciendum. Non tamen tenetur ipse ingredi loco illius. Tum quia status religionis debet esse voluntarius non coactus. Tum quia damnum diuersi generis non tenetur quis resarcire cum damno suo superioris generis, sicut qui occidit seruum, non tenetur dare se in seruum, clero, seu Patrono. Sanchez *num.*10. Lugo *supr.num.*31. Apud quos alia ad intentum.]

29 Inducere aliquem ad Religionem modo debito, sanctum & laudabile est. Quia hoc est illum promouere ad bonum spirituale animæ suæ. S.Thom. 2. 2. *quæst.*189.*art.*9. Et expositores *ibidem.* Qui verò vi, vel metu cogunt aliquem ad Religionem non solum grauissimè peccant, quia ingressus Religionis debet esse liber, sed etiam sic coactus, vel compulsus, admitti non debet in Religionem. Propter eamdem rationem, Syluester. 2. *Votum quæst.*12. Nauarrus *in cap. statuimus à num* 71. *vsque ad* 74. *& lib.*3. *consf. de Regular. consf.*5. Imò professio illius non est valida. Potest etiam in huiusmodi inductionem committi simonia, scilicet si donis, & muneribus ex pacto datis, seu acceptis, inducatur aliquis ad Religionem. Reginald. *in praxi lib.*18. *num.*374. Azor. *tom.*1. *lib.*12.*cap.*1. *quæst.*2. Secus autem quando non intercedit pactum, sed ex charitate dantur prædicta dona. Lessius *lib.* 2. *de Iust.cap.*35.*dub.*12.*num.*66. Cogentes etiam fœminam aliquam, siue virginem, siue viduam, ad Religionem aliquam suscipiendam sunt excommunicati à Concilio Trident. *sess.*25. *cap.*18. Suarez 3. *tom.de Religion. lib.* 5.*c.* 9. vbi multa ad hoc intentum. Hanc tamen excommunicationem non incurrunt cogentes viros, seu pueros ad Religionem suscipiendam. Cum Concilium solum loquatur de fœminis. Miranda *in Man. quæst.*17.*art.*4. Addunt aliqui, probabiliter sanè, esse peccatum suadere alicui ingredi Religionem totaliter deformatam. Quia in ea est magnum periculum salutis. Lancill. *in Gnom vit. Relig.lib.*1.*art.*2.

30 Recipere aliquem in Religiosum vendendo illi Religiosum statum, simoniacum est. Quia est vendere rem spiritualem pro temporali. Recipere tamen aliquid ad sustentanda onera temporalia, quæ Religio suscipit cum aliqua persona, non est ex natura rei simoniacum. Quia tunc non accipitur temporale pro spirituali, sed pro temporali, vt patet in dote, quæ datur in Matrimonio. Suar. 1. *tom. de Relig. lib.* 4. *de Simon. c.*17. Vide etiam dicenda *c.sequenti num.*5.

31 Recipientes aliquem Nouitium simoniacè, iuxta dicta supra *num.* 29. & 30. & ipse Nouitius sic receptus, debet à Monasterio expelli sine restitutionis spe, & in locum arctioris Regulæ ad agendum pœnitentiam retrudi. Ex *capit. quoniam cap. de Regularibus de simonia.* S.Thom. 2.2. *quæst.*100.*art.*6. *ad* 5. Et ipso iure sunt excommunicati. Ex Extrauagant. 1. *de Sim. inter commun.* Nauarrus *in Man. cap.* 27. *num.* 106. Toletus *in Instruct. Sacerd. lib.* 1. *capit.* 36. *vers.*8. Et licet non essent excommunicati, interim dum pœnitentiam agunt sunt ab Ordinis executione suspendendi. *cap. dilectus filius, de Simon.* Alderete *lib.*2. *de Relig.discipl. c.*16.*num.*46.

Ex Conc. Trid. *sess.*25. *de Regul. c.*16. circa donationes Nouitiorum prohibetur; ne ante professionem, excepto victu, & vestitu Nouitij, vel Nouitiæ illius temporis, quo in probatione est, quocumque prætextu, à parentibus, vel propinquis, aut curatoribus eius, Monasterio, aliquid ex bonis eiusdem tribuatur, ne hac occasione discedere nequeat quod totam, vel maiorem partem substantiæ suæ Monasterium possideat, nec facile, si discesserit, id recuperare possit, quin potiùs præcipit Sancta Synodus anathematis pœna dantibus, & recipientibus, ne hoc vllo modo fiat, & vt abeuntibus ante professionem omnia restituantur quæ sua erant. Suarez 3. *tom. de Relig. lib.*5. *cap.* 9. *à num.* 16. Circa quod Decretum notandum primò, hanc excommunicationem non incurri ipso facto, sed esse incurrendam, vt colligitur ex illis verbis, *sub anathematis pœna.* Secundò, non prohiberi in hoc Decreto aliquid dare, vel accipere ex bonis propriis parentum, vel tutorum Nouitij, sed solum ex bonis eiusdem Nouitij. Laurentius de Peirinis *tomo* 1. *de subdit. q.* 1. *de Obedient. c.* 29. Vide dicta *cap.* 11. *num.*12. 32

Vnde similiter Nouitij non possunt validè disponere de bonis ad illos pertinentibus, nisi cum licentia Episcopi, vel eius Vicarij, & intra duos menses proximos ante professionem. Nec talis dispositio valida erit, aut alicuius valoris, etiam si cum iuramento facta sit, nisi sequuta professione. Ita decernitur in Concil. Trident. *sess.*25. *de Regul. cap.* 16. Ratio huius decisionis, seu intentum Concilij est cõsulere libertati Nouitij, scilicet ne impediatur ab egressu à Religione, quam inchoauerat, sed cogatur in ipsa profiteri, eò quod suis bonis se expoliauerit, Nauarrus *lib.*3. *Consil. in* 1. *edit. tit. de don. consf.*7. & 8. *& in* 2. *edit. tit. de Regular. consil.*81. & 82. Rodriguez *tomo* 2. *Quæst. Regul. quæst.* 47. *ab art.*8. 33

In hac verò decisione comprehenduntur soli actu Nouitij, non verò illi, qui Nouitij esse volunt, & intuitu Religionis bonis suis renunciant. Ratio est, quia illa decisio solum est de Regularibus, vt constat ex titulo totius illius sessionis 25. Secundò, quia ita declarauit Sacra Congregatio Cardinal. Passarellus *in priuil. Minimorum cap.* 37. Sanchez *lib.* 7. *in Decalog. cap.*5. *num.*4. Vide Portellum *in Dub. Regul. verb. Nouitiatus. num.* 41. & Diana *Tract.*2. *de Dubiis Regular. Resol.*55. Licet oppositum sit etiam valdè probabile, si non obstaret declaratio S. Congregationis. Eò quòd isti, qui fieri volunt Religiosi, aliquo modo iam numerari possunt inter personas Regulares. Nauarr. *vt supra* Molina *tomo primo de Iust. disputatione* 149. & 139. *& tom.* 3. *disp.*604. *num.*2. Intelligitur tamen prædicta decisio Concilij de omnibus Nouitiis, siue maioribus, siue etiam minoribus sexdecim annis. Cum generaliter sit sermo de omnibus, & pro omnibus procedat ratio adducta. Suarez *vt suprà n.*7. & 8. Licentia quoque, quæ desideratur ad validitatem dispositionis bonorum Nouitij, debet esse data ab Episcopo, vel eius Vicario, quia ita dicitur clarè in ipso Concilio, nisi fortè in aliquibus Religionibus per consuetudinem legitimè præscriptam oppositum fuerit introductum. Cum hæc decisio solum sit lex positiua, quæ per consuetudinem abrogari potest, maximè quoad aliquas circumstantias ipsius. Rodriguez 2. *tom. Summ. num.*7.*n.*1. Vega 2. *tom. Summ. cap.*50.*cas.*3. 34

Possunt

35 Possunt tamen Nouitij, non obstante hoc decreto Concil. Tridentin. &, sine conditionibus ab ipso præscriptis, facere testamentum, codicillum, & quancumque aliam voluntatem vltimam ex causa mortis, seu quemcumque alium contractum reuocabilem. Ratio est, quia cum intentum Concil. solùm sit, ne ratione dispositionis bonorum factæ à Nouitio cogatur profiteri, aut non recedere à Religione, censendum est solùm velle comprehendere suo Decreto dispositiones, seu contractus irreuocabiles, non verò reuocabiles quales sunt isti, de quibus loquimur, cum possit illos reuocare Nouitius, quando voluerit, & ita liberè profiteri, seu recedere à Religione. Nauarr. *Comm. 2. num. 51. de Regul. & lib. 3. cons. in 2. edit. tit. de Regul. cons.* 83. Azor. *tom. 1. Institut. moral. lib. 13. cap. 9. quæst.* 2. Possunt etiam eodem modo facere aliquas donationes, & eleemosynas parui momenti, attentis facultatibus ipsorum. Ratio est, quia momentum Concil. solùm est, vt patet ex ipsius verbis, ne discedere nequeat, quod totam, vel maiorem partem suæ substantiæ Monasterium possideat. Azor. *tom. 1. Instit. moral. lib. 13. capite nono, quæst.* 2. Sanchez *lib. 7. in Decalog. cap. 5. numero* 22. Idem dico de illis, quæ Nouitij dare solent pro sua sustentatione tempore Nouitiatus, vel Moniales in introitu Monasterij. Quia hæc sunt quasi iura & stipendia debita. Suarez *quinto tomo in tertia parte, disputat. 22. sect. 5. n.* 15. Sanchez vt supra. Idem etiam dico de illis contractibus, in quibus Nouitij nihil perdunt de suo, vt sunt emptio, venditio, permutatio, locatio, & similes. Nam per illos non destituuntur patrimonio, nec coguntur profiteri: Peirinis *tom. 1. priuileg. minimor. constit. 2. Sixti IV.* §. 11. *num.* 75. Quid verò dicendum de renunciatione beneficij Ecclesiastici, & officiorum publicorum, vide Sanchez *lib. 7. in Decalog. cap. 5. num.* 36. An autem possint ipsi Nouitij, aut illorum parentes vel tutores dare mutuo aliquid Monasterio? Quidam negant. Credo tamen id fieri posse, quando datum fuit firmâ cautione; aut fideiussione quod possit recuperari. Hoc enim non videtur esse contra intentum Concilij. Ita aliqui Doctores Salmaticenses, Rodriguez *secundo tomo Summ. cap. 7. numero vltimo.* contrarius tamen videtur Suarez 3. *tomo de Relig. lib. 5. cap. 9.*

36 Donationes autem, seu renunciationes factæ à Nouitiis cum solemnitate petita à Concilio non sortiuntur suum effectum, nisi realiter secuta professione. Vnde si post donationem, vel renunciationem moriatur Nouitius ante professionem, talis donatio, vel renunciatio est nulla. Quia ita clarè deciditur in ipso Concilio, dum dicitur tales donationes, vel renunciationes non habere effectum, *nisi secuta professione.* Nauarr. *lib. 3. consil. in 1. edit. tit. de regular. cons. 1. in 2. verò tit. de success. ab intest. cons. vlt.* Molina *tom. 1. de Iustit. disp. 140. col. 1.* Imò requiritur quòd talis professio sit valida. Quia Concilium petit sequi professionem, & verba sunt intelligenda cum effectu, ac proinde cum vera professione. Rodriguez 2. *tom. Summ. capite septimo numero* 6. Sanchez *lib. 7. in Decal. capite 5. numero* 55.

Video etiam S. Congregationem Episcoporum & Regularium de anno 1647. pro die 13. Nouembris concessisse quod in casu quo quidam Religiosus Ordinis nostri renunciationem non fecerat tempore legitimo ante professionem, fieret postea à Conuentu cui bona ipsius Religiosi acquisita erant in fauorem Patris eiusdem Religiosi.

Nouitius non potest eligi in Prælatum, nec ad id munus sufficit professio tacita, sed requiritur expressa. Iuxta dicta *cap. 18. num.* 5. Potest autem eligi ad dignitatem Episcopalem. Ex *cap. nullus de elect. in 6. & cap. de indemnitatibus in princ. de elect. in 6.* Selua *de Benefic. 3. part. quæst.* 51. Probabilius etiam est, posse illi conferri Beneficium, seculare. Cum sit capax habendi illud, & nullibi reperiatur prohibita talis collatio. Azor. *tomo primo Instit. moral. lib. 12. cap. 3. quæstio. prima*, Sanchez *lib. 6. in Decalog. cap. 4. numero* 22. Hinc Beneficium, quod habet Nouitius, non debet prouideri ante transactum tempus nouitiatus, sed debet curari vt per alium seruiatur. Cum adhuc sit capax retinendi illud. Graffis *prima parte decision. lib. 3. cap.* 5. Beneficium quoque Regulare suscipere potest, dummodò professionem emittat. Concilium Tridentinum *sessione decimaquarta de reformatione capite decimo* Sanchez *lib. 7. in Decalog. capite quarto num.* 24. Vide dicta *cap. 2. numero* 17. 37

Tenentur monasteria ad debita contracta à nouitiis ante professionem, quando in ipsorum bona succedunt. Quia commune est omnibus, qui in bona alterius succedunt, quòd adstringantur debitis ipsius. Couarruuias in 4. *Decret. 2. part. cap. 28. §. 6. num.* 14. Hoc tamen intelligo iuxta quantitatem bonorum, quæ ex Nouitiis monasterium acquisiuit, ita vt non se extendat ad plura. Quia cum hanc obligationem subeat monasterium præcisè propter bona, quæ ex nouitio habuit, ratio dictat, quòd non se extendat vltra bona acquisita. Rosella *in Summ. verb. Abbas.* Molina *tomo primo de Iustit. disput.* 140. Pro maiori tamen cautela monasterium adeat hæreditatem (vt dicitur) cum beneficio inuentarij, & sic numquam tenebitur nisi intra vires hæreditarias *l. fin. cap. de iure deliberandi.* [Hinc collige teneri monasterium ex bonis adquisitis propter professionem alicuius dare alimenta parentibus vel filiis professi, & aliis quibus ipse professus ex iustitia tenebatur id facere. Quia, translatio bonorum professi ad monasterium non liberat à solutione onerum quibus professus erat obstrictus, sed transeunt bona cum tota illa obligatione. Molina *lib. 2. de primog. cap. 15. numero* 43. Sanch. *lib. 7. in Decal. cap. 31. numero* 2. Lugo *tom. 1. de Iust. & iur. disputatione 3. sect. 10. numero* 215. Extendit id Lugo *num.* 216. ad coniugem professi itaut monasterium teneatur alere inopem coniugem professi. Quod negat Sanchez *supra num.* 7. Veruntamen quoad hoc animaduertendum an consensus quo coniux consensit vt alter coniux profiteatur, extendatur etiam ad renunciationem iuris quod habebat vt sustentaretur ab illo; quod ex verbis & circumstantiis ipsius est desumendum. Si enim extendatur ad talem renunciationem proculdubio vera erit sententia Sanch. scilicet, non teneri monasterium ad coniugem illum derelictum alendum, si autem non extendatur, vera erit sententia, quam tuetur Lugo, propter oppositum fundamentum. Difficultas solum superest pro casu diuortij, in quo iuxta dicta *cap. 2. num. 31. & suprà num.* 19. potest vnus coniux contra voluntatem alterius, profiteri Religionem. Sed de hoc alias. Solùm quoad præsens attinet dicendum quod in casibus in quibus tenetur Monasterium ad debita soluenda professi, tenetur ad id non solum ex bonis quæ cum ipso professo adquisiuit, sed ex aliis etiam quæ professus post professionem Religioni acquisiuit, 38

acquisiuit, siue opera sua siue testamento, siue donatione. Molina *tom.1. de iustit. disp.* 140. Sanch. *supra num.* 4. Lugo *supra num.* 215. Deductis tamen expensis, & alimentis professi, nisi ea aliunde suis ordinariis promeritus fuerit, vt iidem Authores habent.]

39 Pro bonis Nouitiorum, personis incertis debitis, extat priuilegium Sixti IV. Carmelitis concessum in Bulla *dum attenta*, vbi dicitur, *Quia verò nonnulli vestræ Religionis habitum sumentes diuersis personis, quæ sciri, & inueniri non possunt, interdum aliqua bona restituere tenentur; vobis Magister Generalis, & Priores Prouinciales, ac Prioribus localibus concedimus, vt singuli vestrum in locis sibi commissis, bona ipsa in pios vsus conuertere valeant, prout secundum Deum viderint expedire.* Specul. Ordin. *fol.* 90. Vide Rodriguez, *tom.* 3. *quæst.* 57. *art.*4. & Peirin. *tom.* 1. *priuileg. Minim. in Constitut.* 2. *Iul. II.* vbi refert simile priuilegium eiusdem Iulij II. pro Minimis, & Clement. IV. pro Minoribus.

40 Non licet filiis absque reatu peccati mortalis relinquere parentes in extrema, aut graui necessitate, & ingredi Religionem. Quia ingredi Religionem consilium est, succurrere autem parentibus sic indigentibus, præceptum naturale. Diu. Thomas *quodlib.* 3. *artic.* 16. *& quodlib.* 10. *art.*9. Syluester *verb. Relig.* 2. *quæst.* 7. Suarez 3. *tom. de Relig. lib.*5. *cap.*5. Limitant hoc aliqui, si absque periculo peccati mortalis non possit filius in sæculo permanere. Quia salus propria spiritualis anteponi debet vitæ temporali etiam parentum, Sanchez *lib.* 4. *in Decal. cap.*20. *num.* 11. Laurentius de Peirinis *tom.*1. *quæst.*1. *de Obedient. cap.*9. Extenditur tamen doctrina tradita ad Religiosos iam professos, tenentur enim succurrere parentibus extremè indigentibus, dummodo certa sit talis extrema necessitas, etiam egrediendo Religionem contra voluntatem suorum Superiorum, si non super sit alius modus illis subueniendi. Ratio est, quia nulla obligatio Voti potest præminere obligationi ex iustitia, quæ currit in prædicto casu. Caietanus 2. 2. *quæstio.* 101. *art.*4. Nauarrus *comm.* 3. *de Regular. num.* 48. *& in Summ. cap.* 14. *num.* 14. De casu autem grauis necessitatis parentum, si Religiosus in Religione manens non possit illis succurrere, nec Prælati velint prouidere, aliqui dicunt posse etiam è Religione exire, etiam sine licentia. Valentia *tomo tertio, disputatio.* 7. *quæstio* 1. *part.* 2. Corduba *in Regul. D. Francisc. cap.*2. *quæst.*6. *art.*2. Hoc verò non consulerem, quia cum Religiosus sit mortuus mundo, & regulariter viuendo in sæculo periculum subeat propriæ vitæ spiritualis, non debet propter grauem parentum necessitatem, Votum professionis effringere. Ad minùs tamen certum est, quòd ad succurrendam necessitatem grauem fratrum, vel sororum, etiam pudicitia periclitantium, non potest Religiosus Religionem relinquere, licèt propter hoc habeat sufficientem causam, vt cum illo dispensetur. Sanchez *lib.* 4. *in Decalog. cap.* 20. *num.* 33. Corduba *in Summ. quæst.* 141. *art.* 2. Suarez *tom.*3. *de Relig. lib.*5 *cap.*6. *à n.*3. Vide dicta *cap.* 2. *num.*13.

41 Non obstante quòd in Concilio Tridentino *sess.*25. *cap.*16. sic habeatur: *Finito tempore Nouitiatus Superiores, Nouitios, quos habiles inuenerint ad profitendum admittant, aut è Monasterio eyciant:* Nihilominus Superior Prælatus potest ex causa Professionem differre in illis, qui habiles non sunt inuenti, vt sunt illi, qui non benè adhuc didicerunt. Ita enim refertur respondisse Sacram Congregationem Concilij sub Pio Quinto ita declarante. Nauarrus *tomo primo, Cons. lib.* 3. *de Regul. cons.* 30. *num.* 1. Sorbus *in Compend. priuileg. verb. Nouitius*, §. *sexto mandatum.* Si inhabilitas ex infirmitate proueniat, poterit prorogari tempus, donec duret spes recuperandæ sanitatis, & vniuersaliter tempus ad emittendam Professionem, posse arbitrio Superioris prorogari, dicitur censuisse Sacram Congregationem Concilij 31. Maij 1597. Laurent. de Peirinis *tom.*1. *priuileg. Minim. in Constitut.* 2. *Sixti Quarti* §. 11. *num.* 81. *&* 82. Vide Suarez 3. *tom. de relig. lib.* 5. *cap.* 13. Imò etiam si sine sufficienti causa Nouitij Professio differatur, quamuis in eo peccatum committatur contra decretum Concilij adductum, non video tamen cur professio postea secuta valida non sit, cum Concilium illam non irritet, & ex alia parte quando statutum mandat fieri aliquid certo tempore, actus contra factus non sit irritus. Suarez *de legib. lib.*5. *c.*15. *n.*10. Diana *Tract.* 2. *de dub. regular. resolut.* 128.

Notanda dispositio à S. Congregatione Episcoporum & Regularium facta de anno 1649. pro 26. Februarij. Cum enim nouitius quidam tempore approbationis, habitu retento & cum licentia superiorum ad domum paternam reuersus esset, causa inuisendi suos parentes ægrotantes; & ipse etiam in morbum incidisset, itaut ad monasterium per duos menses regredi non posset, eadem S. Congregatio concessit quod admitteretur ad professionem, hac tamen conditione vt tempus illud absentiæ suppleret.

Nouitij in articulo mortis existentes possunt profiteri ante annum probationis expletum, dummodo tamen in ætate legitima constituti sint; sicque lucrari Indulgentias, & gratias aliis Professis concessas. Quia ita concessit Pius V. Monialibus S. Domin. ann. 1570. Vnde isto priuilegio potiri possunt omnes Religiosi habentes communicationem cum Dominicanis, quales sumus nos Carmelitæ, ex Bulla Leonis X. adducta supra *c.*3. *n.*17. Passarel. *in Comp. verb. Nouitius.* Mir. *in Man. tom.*1. *q.*22. *art.*10. Vide dicenda *c. seq. n.* 39. Nouitij autem morientes sepeliendi sunt in monasteriis, vbi sunt Nouitij. Quia ita habetur consuetudine. Syluester *verb. Sepultura q.*8. *dict.*7. 42

Pro Institutione Nouitiorum extant Decreta Clement. VIII. quæ habentur tom. 3. Bullar. post Bullam 83. huius Pontificis; & postea approbata, & innouata sunt à Sacra Congregatione Concilij in Decretis *de Regularibus Apostatis, & Eiectis*, iussu Sanctiss. D. N. Vrban. Octau. die 21. Septembr. 1624. Adiuncta quoque sunt in fine Constitutionum Carmelitarum Romæ impressarum anno Domin. 1626. Pœnæ autem transgressoribus illorum designantur sic à Clemente VIII. *Si illi, qui inter Religiosos, gradu, & ordine Superiores sunt, & alij, ad quos spectat, in prædictis omnibus, vel eorum aliquo, deliquerint, seu quouis modo contrafecerint, officiorum omnium, quæ tunc obtinebunt, priuationem, grauioresque pro modo culpæ admissæ pœnas, se subituros certò sciant.* Vnde circa obligationem horum Decretorum philosophandum est eo modo, quo diximus de obligatione Regulæ, & Constitutionum capite septimo & octauo. Cum tamen hæc Decreta pro institutione Nouitiorum multa sint, multitudoque præceptorum ad culpam, mortalem præcipuè obligantium, conueniens non putetur Religiosorum conscientiis, aut benignitati Summorum Pontificum, ideò non 43


crederem

crederem prædicta Decreta obligare ad mortale, nisi quando aliquod, vel aliqua illorum fuerint de materia graui, grauiterque attinenti ad finem reformationis, quem Summi Pontifices intendunt. In quo aliorum iudicium expecto, doctiorumque sententiæ me remittto.

44 Extat etiam Decretum Sacræ Congregat. de propaganda Fide, die 15. Decembris anno 1624. in quo admonentur Generales omnes, annuente Sanctissimo Domino nostro Vrbano, vt præter studia Linguarum alias à Sacra Congregatione Regularibus indicta, speciali sub Decreto præcipere velint, vt in Nouitiorum receptionibus in posterum faciendis, aliqui semper ex variis nationibus, & linguis, pro modulo tamen suarum Religionum, vnà cum aliis, qui hactenus recipi consueuerunt, ad habitum assumantur, qui peracto studiorum cursu, & in simplici Sacerdotio constituti, & Episcopali dignitate ornati, ad eorum Prouincias propagandæ Fidei gratia mitti possint. Nam sic facientes certò sciant, se Christo Domino obsequium gratissimum, & acceptissimum præstituros, & Fidei Catholicæ, & suarum Religionum generi, & amplificationi summopere esse consulturos. Laurentius de Peirinis *tom. 2. priuil. Minim. in Constit. 2. Sixti V. num. vlt.*

SVMMARIVM.

Moniales tenentur ad obseruantiam votorum. num. 1.
An etiam Vicariis obedire teneantur. num. 2.
Obediunt Priorissis, & Abbatissis. num. 3.
Etiam sub mortali. num. 4.
An liceat aliquid accipere pro earum ingressu. num. 5.
De numero Monialium recipiendarum. num. 6.
Modus paupertatis ipsis conuenientior. num. 7.
Illarum professio omninò spontanea debet esse. n. 8.
Dos quando danda Monasterio. ibid.
An non solum Virgines, sed etiam Viduæ, & corruptæ admitti possint. num. 9.
Velum professionis, & consecrationis quibus dandum. num. 10.
Puellæ minores duodecim annorum an admittendæ. num. 11.
De examine Monialium quando, & à quibus faciendum. num. 12.
Tenentur ad Officium diuinum. num. 13.
An obligentur ad confessionem, & communionem singulis mensibus. num. 14.
Pœnæ contrahentium cum illis. num. 15.
Tenentur ad obseruandam rigorosam clausuram. numero 16.
Etiam Moniales ordinum militarium. num. 17.
Quid de conuersis & nouitiis ipsarum. ibid.
An possint expelli à Religione. ibid.
Locus clausuræ qualis iudicandus. num. 18.
Pœnæ egredientium è clausura. num. 19.
Licentia egrediendi qualiter concedenda. num. 20.
Causæ concedendæ licentia. ibid.
A quibus concedatur. num. 21.
Cessante aut finita causa cessat & licentia. num. 22.
De nouitiorum egressu. num. 23.
Moniales non possunt intra clausuram admittere aliquam personam. num. 24.
Quis possit concedere licentiam ad hoc. num. 25.
Causæ legitimæ huius ingressus. ibid. & num. 26.
Pœnæ transgressorum. num. 27.
An in aliquo casu liceat his ingressus. num. 28.
An pro puellis educandis. num. 29.
An pro fœmina nobili, aut generosa. num. 30.
An pro visitanda Moniali morti proxima. n. 31.
An pro famulabus seu seruitricibus. num. 32.
Licentiæ concessæ mulieribus quibuscumque limitatæ, & reuocatæ sunt. num. 33.
Loqui cum Monialibus furtiuè quale peccatum. n. 34.
Loquentes cum illis sine legitima licentia quam pœnam incurrant. num. 35.
Visitare seu inuisere illas an & quomodo licitum. n. 36.
Qualiter Regularibus id sit prohibitum. ibid.
An titulo docendi musicam. ibid.
An scribere ad illas sit prohibitum. num. 37.
Moniales conuersæ an sint admittendæ. num. 38.
Nouitiæ in articulo mortis ante legitimam ætatem an possint profiteri. num. 39.
De aliis spectantibus ad Moniales nouitias. ibid.
De Prædicatoribus, Capellanis, & Confessariis Monialium. num. 40.
De Confessariis ordinariis, & extraordinariis. ibid.
An liceat transitus Monialis de vna Religione ad aliam. num. 41.
De absolutione Monialium. num. 42.
De Missis dicendis à Capellanis ipsarum. num. 43.
De modo construendi noua Monasteria Monialium. ib.
De earum regimine ex Concil. Trident. num. 44.
De administratione bonorum ipsarum Confessariis delinquentibus, & electionibus quid statuerit Gregorius XV. num. 45.
Quæ decreuerit S. Congregatio Concilij pro prædictorum declaratione. num. 46.
Impedientes visitatores Monialium quam pœnam incurrant. num. 47.
De bonis derelictis & Monasteriis ipsarum. num. 48.
Clausuram Monialium procurare debent Episcopi. num. 49.
Comam nutrire, aut similia an liceat Monialibus. num. 50.
Ordinationes quarumdam Monialium. num. 51.
Conditiones pro receptione, & decreta pro reformatione Religiosorum an obligent illas. num. 52.
An possint admitti vt testes. num. 53.
Tres sorores an admittendæ in Monasteriis. num. 54.
An simul possit Monialis accipere habitum & professionem emittere. num. 55.
Dubium circa visitationem Monasterij Regularibus subiecti. num. 56.
Responsio. num. 57.
Fundamentum. num. 58.
De mente Concilij. num. 59.
De Constitutione Bonifacij VIII. num. 60.
Verba eiusdem. num. 61.
De Clementina Attendentes. *num.* 62.
De Monasteriis S. Claræ & SS. Conceptionis. n. 63.
De Constitutione Pij V. num. 64.
Quid in praxi obseruandum. num. 65.
Declarationes S. Congregationis. num. 66.
Vna specialis sub Vrbano VIII. num. 67.
Doctorum sententia. num. 68.
Quibus circunstantiis visitanda Monasteria Monialium. num. 69.
An si nulla adsit suspicio violatæ clausuræ. num. 70.
An id competat Vicariis Episcoporum. num. 71.
Quid de Monasteriis iurispatronatus Regij. n. 72.
Resolutio. num. 73.
Fundamenta. num. 74.
Specialia. num. 75.
Speciali ora. num. 76.
Quid propter Bullam Gregorij XV. num. 77.
Responsio. num. 78.
De declaratione S. Congregationis. num. 79.
An Bulla sit vbique obligatoria. num. 80.



Caput XXV.

De Monialibus, earumque obligationibus, & Priuilegiis.

1 Moniales omnes cuiuscumque Ordinis sint, siue subditæ Prælato Regulari, siue Dominis Episcopis tenentur ad obseruantiam Votorum, quæ promiserunt, Regulæ, & Constitutionum suæ Religionis eodem modo, quo alij Religiosi, exceptis iis, quæ ipsorum sexui, & fragilitati repugnant. Ratio est, quia sunt veræ personæ religiosæ, eisdemque priuilegiis, ac religiosi viri gaudentes. Vnde tenentur suis Prælatis obedire, siue sint Episcopi, quando illis sint subiectæ, siue Prouinciales, aut Generales Religionis, si illis subiiciantur, eo modo, quo cæteri alij Religiosi. Ratio est, quia verè emittunt Votum Obedientiæ prædictis Prælatis, ac proindè tenentur ad eadem, quæ Religiosi tenentur, respectiuè ad sexum. Suarez 4. *tomo de Relig. lib.* 1. *de Variet. Relig. cap.* 12.

2 Non tamen tenentur obedire Vicariis, quos solent habere, sicut Prælatis. Non enim sunt ipsarum Prælati, cum nullam super illas iurisdictionem habeant, sed vel superintendentiam, vel quid huiusmodi. Miranda *in Man. tom.* 2. *q.* 21. *art.* 2.

3 Tenentur verò Moniales obedire suis Priorissis, vel Abbatissis in iis, quæ pertinent ad gubernationem domesticam, & ciuilem. Ratio est, tum quia hæc obligatio necessaria est ad bonum regimen, & ordinem Monasterij. Tum quia quamuis Priorissæ, vel Abbatissæ non habeant, nec possint habere iurisdictionem spiritualem supra Moniales, iuxta dicenda *cap. seq.* habent tamen supra illas potestatem dominatiuam, domesticam, & ciuilem, similem illi quam habent pater in filios, & mater familias in domesticos. Sanctus Thomas *in* 4. *dist.* 19. *q.* 1. *art.* 1. *q.* 3. *ad* 4. Sot. *in* 4. *dist.* 20. *q.* 1. *art.* 4.

4 Hinc huiusmodi obligatio obediendi Moniales suis Priorissis, vel Abbatissis, est sub mortali (intellige si materia, quæ præcipitur sit grauis.) Ratio est, quia tenentur obedire illis, sicut filij parentibus, & ciues suis Magistratibus, eò quod habeant similem potestatem, hi autem peccant mortaliter, quando transgrediuntur præcepta in materia graui sibi imposita. Victor. *relect. de potest. Eccles. q.* 2. *n.* 4. Sanchez *lib.* 7. *in Decalog. c.* 1. *num.* 18.

5 Pro ingressu in Monialium Monasteriũ non licet aliquid accipere, tamquam pretium, benè tamen pro victu, ac vestitu, seu congrua sustentatione tam in anno approbationis, quam post professionem. Ratio primæ partis est, quia oppositum esset simoniacum. Ratio verò secundæ, quia hoc admittit consuetudo, & æquitas rationis naturalis, cum alias Moniales non possent à Monasterio sustentari S. Thom. 2. 2. *quæst.* 100. *art.* 3. *ad* 4. Nauarrus *in Man. c.* 27. *n.* 106. An verò hoc etiam intelligatur, quando Monasterium est locuples? Sotus negat *lib.* 9. *de Iust. & iur. quæst.* 6. *art.* 2. Affirmant verò Suarez *tom.* 1. *de Relig. lib.* 4. *de Simon. cap.* 17. Ad minus tamen sæpius erit peccatum auaritiæ. Quotiescumque autem licitum est accipere aliquid pro ingressu Religionis, licitum etiam est facere pactum de illo. Quia hoc nullo iure prohibetur, & multorum consuetudine approbatur Suarez *vt suprà*. Bonacina *de Simon. q.* 7. §. 4. Vide dicenda *infra num.* 39.

Non possunt recipi plures Moniales in Monasterio, quam quæ ex reditibus, vel ex consuetis eleemosynis commodè possint sustentari. Ita habetur *in cap. vnico §. sanè de stat. Regul. in* 6. & in Concil. Trident. *sess.* 25. *de Regul. cap.* 3. ac in Constitut. Pij V. anno 1566. quæ incipit *Circa Pastoralis Officij, &c.* Quod intelligunt aliqui nisi Monialis secum afferat dotem, ex qua possit commodè sustentari. Quia per hoc sufficienter prouidetur intentioni Ecclesiæ. Nauarrus *lib. de reddit. Eccles. quæst.* 1. *n.* 62. Suarez 4. *tom. de Relig. tract.* 9. *lib.* 1. *c.* 11. Dicitur tamen Sacram Congregationem declarasse 6. die Septembris anno 1604. quòd si quæ supra statutum numerum reciperentur, duplicem eleemosynam afferre, & supra numerarium locum tenere deberent. Deinde, Moniales, quæ supra numerum in quolibet Monasterio constitutum recipiuntur, in locum Monialium decedentium nequaquam subrogari, neque impedimento esse, quin aliæ in locum earumdem ex numero demortuarum recipi eo modo valeant, quo in singulis Monasteriis Moniales intra numerum possunt admitti, quinimmo easdem sic supra numerum receptas, supranumerarias semper quoad hoc remanere, etiamsi in cæteris ab aliis nihil differant, sed illis in omnibus pares, &c. Insuper quod duplicis eleemosynæ nomine intelligi, semper debeat duplicata summa eius, quæ in receptione cuiusque Monialis intra numerum in quolibet Monasterio constitutum, erogari pro tempore consueuerit. Ita tamen, vt vbi summa, quæ confertur minor est scutis ducentis, ibi saltem ratione duplicatæ eleemosynæ soluenda sint scuta quadringenta. Quaranta *in Summa Bullar. verb. Monasteria Monialium.* Vbi etiam affert aliam declarationem circa puellas admittendas in locum Monialium pro tempore vacaturum, neque promittendum talem locum, nisi sequuta reali vacatione, & cum quibusdam aliis conditionibus, sub grauibus pœnis ibi impositis. Vide etiam Peirinis *tomo* 2. *priuileg. Minimor. in Constitut.* 6. *Pij V. numero* 9. Sed nota ex declaratione Sacr. Congregat. Episcop. & Regular. anno 1615. quòd supernumeraria non potest admitti sine licentia Sacr. Congregat. Gauant. *in Manual. Episcop. verb. Monialium receptio num.* 11. 6

Modus paupertatis magis accommodatus Monialibus est, Monasteria habere communes redditus, quibus possit omnibus illis subuenire. Ratio est, quia per mendicitatem, aut alio modo simili non possunt ita commodè, & honestè sustentari. Quod idem de Monialibus Capuccinis intelligi debet, propter eamdem rationem. Præsertim cum in Decreto Concil. Trident. *sess.* 25. *cap.* 3. comprehendantur. Suarez 4. *tom. de Relig. tract.* 9. *lib.* 1. *c.* 12. Habere tamen singulas, aut aliquas Moniales redditus aliquos, vel annuos census tolerari non debet, nisi in casu, quo vita communis obseruari minimè possit, & cum conditionibus assignatis *cap.* 6. de Voto Paupertatis *à n.* 21. Suarez 4. *tom. de Relig. tract.* 9. *lib.* 1. *c.* 12. *num.* 2. 7

Moniales omninò plena, & spontanea voluntate debent profiteri, ac proinde ante professionem ex bonis Nouitiæ nihil tribui debet Monasterio, præter victum, & vestitum pro anno Nouitiatus. Vnde à S. Congregatione Card. declaratum est, etiam dotem non esse Monasterio tribuendam ante professionem. Causa tamen legitima subsistente, & cum licentia Episcopi, & data cautione, & securitate de ipsa restituenda, poterit etiam dari ante professionem. Suarez *infrà citandus num.* 4. Deinde censura 8

Censuras innodantur illi, qui fœminas ad statum Religiosum assumendum cogunt. *cap. Puellæ 29. quæst.*1.& Concil. Trident. *sess.*25. *cap.*16.17.& 18. Suarez *tom.*4. *de Relig. tract.*9. *lib.*1. *cap.*11. Vide dicta *capite* 24. *numero* 29. & Gauantum *in Manual. Episcop. verb. Monialium receptio à num.*1. *vsque ad* 6.

9 Non solum virgines, sed etiam viduæ admitti possunt, saltem iure communi, in Moniales. Ratio est, tum ex vsu antiquissimo Ecclesiæ, tum ex *c. Vidua* 20 *quæst.*1. & *c. Viduas* 1. & 3. & *cap. Viduæ cum seqq.* 27. *quæst.*1. Sed viduam non conuenire admitti ad habitum Monachalem virginum, declarauit S.Congreg. Episc. apud Gauantum *in Man. Episcop. verb. Monialium receptio num.*7. Fœminas autem illicitè corruptas, maximè si lapsus est publicus, decens non est admitti, propter scandalum cæterarum nisi in specialibus Monasteriis mulierum pœnitentiæ ad illas designatis, & nisi fortè sint aliquæ circumstantiæ, quæ tale scandalum minuant, aut tollant. Suarez 4. *tom. de Relig. tract.*9. *lib.*1. *c.*11. *n.*2.

10 Quamuis velum Professionis concedi posset non solùm Virginibus, sed etiam viduis: quia, vt dictum est supra, etiam viduæ admitti possunt in Moniales: nihilominus Velum Consecrationis solùm potest dari iure communi virginibus *cap. de Voto* 20. *q.*1. & Concil. Tiburiense *cap.*25. & Rothomagense *cap.*9. apud Yuonem *p.*7. *Decreti cap.*52. Sotus *in* 4. *d.*38. *quæst.*1. *artic.*1. Syluester *verb. Consecratio virginum.* Video tamen Sac. Congregationem Episcop. & Regular. decreuisse tollendam esse consecrationem. Insuper concedendam non esse Monialibus mendicantium. Gauantus *in Manual. Episcop. verb. Monialium consec.* Casu autem quòd detur, fœminæ extra matrimonium corruptæ, etiamsi per violentiam, & sine culpa ipsarum id factum sit, capaces non sunt talis veli, Leo Papa *in Epist. ad Episcopos Mauritaniæ cap.*2. & 5. & refertur 32. *quæst.*5. Num autem fœmina occultè corrupta, & cum publica fama virginitatis possit illud recipere? Multi negant, alij verò probabiliter affirmant. Quia non tenetur se prodere, sed potest in exteriori foro ita se gerere, sicut in communi opinione habetur. Suarez 4. *tom. de Relig. tract.*9. *lib.*1. *cap.*11. Congruum tamen videtur talem Monialem, etsi non se debeat prodere, debere tamen excusare se. Miranda *in tractat. de Sacr. Monial. quæst.*7. *artic.*6. & 8. Vbi addit in tali casu posse Episcopum vti aliqua cautela, mutando scilicet nomen Virginitatis, in nomen Castitatis, Nauarr. *in Manual. cap.*16. *num.*3. & *lib.*3. *consf. consf.*4. *num.*4. Pollutæ autem etiam voluntaria pollutione possunt consecrari. Quia re vera adhuc virgines sunt, cum retineant integrum claustrum. Caietan. *in Summ. verb. Virginum consecratio.* Sà *in Summ. verb. Consecratio. num.*6. Velum autem hoc solùm datur ab Episcopis, & temporibus à iure statutis, *d. c. de Vot.* & *cap. Virgines* 20. Circa ætatem autem, cum iura antiqua sint contraria, consuetudo attendenda est. Suarez 4. *tom. de Relig. tract.*9. *lib.*1. *cap.*11. Sà *in Summ. verb. consecratio num.*5. Quia tamen Sacra Congregatio Episcop. & Regular. decreuit consecrandas agere debere ætatis 25. annum completum, ideo sic faciendum, Gauantus *vt suprà.* Solet tamen S.Congregatio Episcoporum & Regularium in hoc dispensare, prout video fecisse de anno 1647. pro 23. Augusti, & pro 5 Octobris 1647.

11 Puellæ minores duodecim annorum recipi possunt (secundùm aliquos) ad habitum Monialem, vt Nouitiæ. Tum ex consuetudine Religionum; tum quia hoc non derogatur (vt aliqui volunt) à Concilio Tridentino *sess.*25. *c.*17. Ita etiam declaratum dicitur à S.Congregatione Cardinalium. Medina *de Sacrorum hominum continentia lib.*4. *controuers.*9. *c.*4. Miranda *in tract. de Sacr. Monial. quæst. octaua, art.*2. Quia tamen oppositum declaratum etiam dicitur à Sacra Congregatione Episcoporum, & Regular. ideò cautè procedendum. Gauantus *in Man. Episc. verb. Monialium reception.*19. & 20. Vide Dianam *Tract.*2. *de Dubiis Regularium resolution.*42. & Portellum *in additionibus ad Dubia Regularia verb. Clausura Monialium* §. *cuius ætatis num.*1. Nullatenus autem debent admitti ad professionem ante decimumsextum suæ ætatis annum expletum. Concilium Tridentinum *sess.*25. *cap.*15. Vide dicenda *infrà num.*39.

Debent Moniales examinari ab Episcopo, vel eius Vicario, Episcopo absente, vel impedito, antequam profiteantur, an coactæ, & seductæ sint, sciant quid agant, &c. Concil. Trident. *sess.*25. *cap.*17. Vide Barbosam *de potest. Episcop. Alleg.*100. *num.*4. & Gauantum *in Manual. Episcop. verb. Monialium receptio à num.*21. Imò aliqui dicunt bis examinandas esse, scilicet ante susceptionem Habitus, & ante professionem, propter declarationem Sacræ Congregat. Cardinalium. Thom. Zerol. *in prax. Episcop. verb. Monialis.* Consuetudine tamen videtur receptum, quòd solum semel ante professionem examinentur. Miranda *in tract. de Sacris Monialibus quæstione* 8. *artic.*4. Diana *tract.*2. *de Dub. Regular. Resolut.*47. Quidquid tamen de hoc sit, defectus huius examinis non irritat professionem Monialis cum Concilium nihil dicat de inualiditate talis professionis, vt solet, quod vult esse inualidam, atque ita solùm erit illicita, & peccaminosa, & ita supponitur à Sacra Congregatione in quadam declaratione, quam refert Zerola *vt suprà.* Sanchez *lib.*6. *in Decalogum cap.*4. *num.*84. Barbosa *de potest. Episcop. Allegat.*100 *num.*9. Vide dicenda *c. seq. num.*17. Examen porrò hoc faciendum ab Ordinario, intra Monasterium ad cancellos, seu crates Monialium, Campanillus *in diuersis iuris canon. rubric. cap.*16. Gauantus *verb. Monialium professio num.*14. & 15. 12

Tenentur etiam Moniales omnes dicere Officium diuinum in Choro, sicut alij Regulares, *ex Clem.*1. *de celebr. Missarum.* vbi præcipitur, quòd in omnibus Ecclesiis Cathedralibus, & Regularibus, atque etiam Collegiatis, Horæ Canonicæ deuotè psallantur, conuenienterque celebretur Diuinum Officium, diurnum pariter, atque nocturnum. Angelus *verb. Horæ Canonicæ*, §.25. & 26. Sylu. *ibid. n.*10. Tenentur etiam Moniales Choro destinatæ ad Officium Diuinum priuatè, & extra Chorum recitandum iuxta dicta *cap.*12. *n.*8. Sotus 10. *de Iust. & iur. q.*5. *art.*3. Nauarrus *in Man. cap.*25 *num.*96. Vide *infrà num.*43. 13

Iure communi non est aliquod præceptum obligans, saltem sub mortali, ad hoc vt Moniales confiteantur singulis mensibus sua peccata. Ratio est, quia si aliquod ius esset in hac parte, maximè Clement. *ne in agro*, illa autem non obligat ad peccatum, saltem mortale, vt indicat. Concil. Tridentinum *sess.*25. *cap.*10. vbi referens in margine prædictam Clementinam sic loquitur circa Confessionem, & Communionem Monialium. *Attendant diligenter Episcopi, & cæteri Superiores Monasteriorum Sanctimonialium, vt in Constitutionibus earum admoneantur Sanctimoniales, vt saltem singulis mensibus Confessionem peccatorum faciant,* 14

& Sacrosanctam Eucharistiam suscipiant, vt eo salutari præsidio muniant ad omnes oppugnationes Dæmonis fortiter superandas. Præter ordinarium autem Confessorem; alius extraordinarius ab Episcopo, & aliis Superioribus bis, aut ter in anno offeratur, qui omnium confessiones audire debeat. Quod verò Sanctissimum Christi corpus intra Chorum, vel septa Monasterij, & in publica Ecclesia conseruentur, prohibet S. Synodus, non obstante quocumque indulto, aut priuilegio. Viuald. *in Candelabro aureo de Confess. num.*51. Zerola *in Praxi Episcop. verb. Moniales ad septimum dubium.* Vide dicenda *infrà num.*40.

15 Qui scienter contrahunt cum Monialibus, & ipsæ Moniales contrahentes sunt excommunicati *in Clem.*1.*de consang.& affinitate.* Tolet. *in Summ.lib.*1.*c.*40. Imò si quis Monialem vxorem acciperet, prohibetur cum alia contrahere, in sui peccati pœnam. 27.*q.*1.*can.Hi verò.* Idem Tolet. *lib.*7.*c.*15.

16 Specialiter tenentur Moniales omnes ad seruandam rigorosam Clausuram, id est numquam exeundum de Monasteriis propter specialissimum Ecclesiasticum præceptum illis impositum. Primò ex Bonifacio Octauo *cap. Periculoso in princip. de stat. Regular. in* 6. præcipiente, vniuersas, & singulas Moniales, præsentes, atque futuras, cuiuscumque Religionis sint, vel Ordinis in quibuslibet Orbis partibus existentes, sub perpetua in suis Monasteriis debere de cætero permanere Clausura, ita quòd nulli earum tacitè, vel expresè professæ sint, vel esse valeant, quacumque ratione vel causa (nisi fortè tanto, & tali morbo euidenter, eam laborare constaret, quòd non posset cum aliis absque graui periculo, seu scandalo commorari) Monasteria ipsa deinceps egrediendi facultas concedatur. Secundò, ex Conc. Trid. *sess.*25.*de Regul.c.*5. vbi rigidissimis verbis eam inuiolabiliter seruari præcepit. Tertiò, ex Pio V. quia ad idem intentum duas Constitutiones edidit, alteram anno 1566. alteram anno 1569. in prima explicans magis Decreta Bonifacij, & Concil. Trident. in secunda verò rigidius eamdem Clausuram præcipiens, iustas causas concedende licentiæ declarans, variisque pœnis transgressores afficiens. Tandem quartò, ex Gregor. XIII. qui anno 1572. eamdem Clausuram confirmauit, explicans, quæ loca sub illa claudantur. Sanchez *lib.*6. *in Decal.c.*15. Gauantus *in Man. Episc. verb. Monialium clausura à princip.*

17 Non solùm Moniales Ordinum Mendicantium, & Monachalium, sed etiam Ordinum Militarium obligantur hoc præcepto Clausuræ. Tum ex Conc. Trident. *sess.*25.*cap.*22. vbi ea, quæ in Superioribus Decretis præceperat, quorum vnum erat de Clausura Monialium dicit, debere obseruari in omnibus Cœnobiis, ac Monasteriis, quarumcumque Sanctimonialium, etiam si illæ sub gubernio militarium etiam Hierosolymitanæ viuant. Tum ex Pio Quinto in dicta Constitutione anno 1566. Nauarrus *Comment.*4.*num.*44.*vers.*5. Rodriguez *tom.*1. *quæst. Regul. quæstione* 44. *artic.*2. *&* 3. Tenentur etiam isto præcepto Moniales Conuersæ cuiuscumque Ordinis sint. Quia ita habetur expresè in dicta Constitutione Pij V. Nauarrus *vt suprà num.*45. Rodriguez *vt suprà artic.*4. Non tamen tenentur isto præcepto Nouitiæ. Quia non sunt verè Moniales, nec prædictis Decretis comprehensæ. Nauarrus *vt suprà n.*47. Vide *infrà n.*22. Bene tamen tacitè professæ. Quia ita decernit Pius Quintus in dicta Constitutione sequens Bonifacium Octauum. Oblatæ autem si non sint religiosæ non tenentur. Cum nulla lex illas obliget. Graffis 1.*part. decis. lib.*4.*cap.*33. Rodriquez *tom.*1.*qq.Regular.quæst.*44. *artic.vltim.* Mulieres verò in aliqua domo, vel Congregatione, simul viuentes, & aliquem modum vitæ Religiosæ vouentes, hortandæ sunt, vt solemniter profiteantur, & ex tunc tenebuntur ad Clausuram, vt cæteræ religiosæ, si verò hoc noluerint facere, non licet eis aliquam in posterum in suam Congregat. admittere, quod si aliquas receperint, professiones, & receptiones illarum sunt omninò irritæ, & nullæ. Ratio est, quia ita deciditur in prædicta Constit. Pij V. Rodriguez *vt suprà artic.*3. Sanchez *lib.*6. *in Decalog. cap.*15. *num.*14. Vtrum autem quædam Moniales, quæ faciebant professionem ea conditione, vt non adstringerentur Clausuræ verè essent professæ? Probabilius est, quòd non, quia Pius V. videtur irritasse, & annullasse dictas professiones. Miranda *in tract. de Sacris Monialibus quæst.*1. *art.*4.

Circa Conuersas autem nota, quòd licet illæ teneantur, vt dictum est, lege Clausuræ, ita vt neque possint exire ad ornandum Altare in Ecclesia exteriori, provt declarauit S. Congregatio Episcop. & Regularium 17. Octob. 1592. Nihilominus vbi fuerit consuetudo prædictas Conuersas egrediendi è Monasteriis pro quæstu, tolerari potest, habitis tamen necessariis licentiis, & dummodo tales Conuersæ sint ætatis saltem 40. annorum, nec pulchræ, nec foris pernoctent, neque plures quàm octo destinentur ad quæstum, & quòd si deinde non egeant cessent à quæstu. Hoc declarauit eadem S. Congregatio, provt refert Gauant. *in Man. Episc. verb. Monialium clausura à n.*18. Vbi etiam *n.*20. de Monialibus conuertitis si egeant, quid sentiendum. Vide & dicenda *tom.*2.*c.*8.*n.*29. 18

Hinc collige, neque posse expelli Moniales à Religione, etiam propter incorrigibilitatem; non solùm, quia Iura, & Decreta Summorum Pontificum, quæ de eiusmodi expulsione loquuntur, & de quibus nos egimus *cap.*23. de viris solùm intelligi, praxis Ecclesiæ hucusque recepit, non de fœminis, sed etiam quia S. Congregatio Episcop. & Regular. die 27. Maij 1603. declarauit: *Incorrigibiles eiici non possunt, neque transferri, inconsulta Sede Apostolica.* Quare, etsi, stando in iure communi naturali Religionum, eiici possent è religionibus prædictæ incorrigibiles; attenta tamen Ecclesiæ consuetudine, & prædicta declaratione, id fieri non potest sine Sedis Apostolicæ consensu. Sanchez *lib.*6.*in Decal. c.*9.*n.*6. Gauant. *in Man. Episc. v. Monial. clausi. n.*23. 19

Locus clausuræ, ex quo prohibitum est Monialibus egredi; est totus ille ambitus Monasterij, qui ianua interiori clausa continetur. Vnde si vltra interiorem ianuam exeant ad Ecclesiam, vel ad alia loca, vbi seculares intrant, Clausuram violant. Ratio est, quia ita habetur in Bulla Gregor. XIII. superiùs adducta. Nauarrus *Comment.*4. *num.*44. *not.*4. *de Regul. & lib.*3. *Consil.*1. *edit. tit. de Regul. consil.*66. Rodriguez *tom.*1. *quæst. Regul. quæst.*44. *art.*3. Vnde si Monialis ascendat supra tecti tegulas supra eam partem, quæ Monasterium respicit, aut egrediatur ex aliqua Domo priuata, in qua, siue iustè, siue iniustè, è Monasterio egressa commoratur, non frangit Clausuram. Eò quòd hoc non est egredi è Monasterij ambitu. Nauarrus *ibidem*, & Sanchez *lib.*6.*in Decal. cap.*15.*num.*7.*&* 9. Ingredi tamen domos Monasterio contiguas, etiam si in illis solum sint aliquæ fœminæ seruitio Monasterij deputatæ est, Clausuram violare. Propter contrariam rationem, scilicet, quia hoc est egredi è Monasterij ambitu. 20

ambitu. Nauarrus *de Regul. Comment.4. num.56.* Bonacina *de Clausur. quæst.1. punct.1.* Idem dico, propter eamdem causam, de ingressu in Ecclesiam exteriorem, ad quam scilicet secularibus patet accessus. Bonacina *ibid.* Gauantus *in Man. Episc. verb. Monialium clausura num.10. 11. 12.* Quid porrò sentiendum de Moniali quæ se ponit in rota, & facit illam volui versus partem externam vbi non est clausura, ipsa tamen non egreditur è rota? Probabile sanè non violare clausuram, quia non egreditur ex ambitu, sed se habet ac si esset in ipso ostio clausuræ. Diana *tract.2. de Dub. Regular. Resolut.52.* vbi etiam an in huiusmodi violatione clausuræ possit dari paruitas materiæ.

19 Moniales egredientes è Clausura Monasterij, aut eis licentiam aliquo alio modo (quàm dicetur) concedentes, comitantes, aut recipientes, excommunicationem latæ sententiæ Papæ reseruatam incurrunt, & priuationem omnium dignitatum, administrationum, & officiorum tunc obtentorum, & inhabilitatem ad alia. Quia ita habetur in dicta illa Constitutione Pij V. anno 1569. Incurrunt etiam istas pœnas omnes cooperantes iniustæ egressioni Monialium. Quia omnes isti comprehenduntur ibi, Rodriguez *tom.1. quæst.49. art.vlt.* An verò huiusmodi pœnæ incurrantur in foro conscientiæ ante omnem iudicis sententiam, vel illa expectetur? Constat ex dictis *suprà c.10. à num.29.* Bonacina *de Clausur. q.1. punct.4. & 5.*

20 Licentia egrediendi Moniales è Monasterio, concedi non potest, nisi grauissima causa perurgente. Ita habetur tam *in cap. periculoso citato*, quam in Concilio Tridentino *sess.25. cap.5.* Maximè in dicta Constitutione Pij V. anno 1569. Vbi tres causæ assignantur, scilicet *magni incendij, vel infirmitatis lepræ, aut epidemiæ.* Nauarrus *Comment.4. num.40. & 48.* Imò quando huiusmodi magno incendio occurri potest sine egressu Monialis à suo Monasterio, aut curari à lepra, aut epidemia, sine periculo aliarum, tunc non erunt sufficientes causæ egressionis. Quia tunc cessat necessitas exeundi, quæ est finis huius concessionis. Rodriguez *tom.3. quæstionum Regul. quæst.31. art.1.* Collector. *Priuilegiorum Mendicant. verb. Clausura Monialium cas.1.* Nomine Epidemiæ non solùm intelligitur pestis, sed & morbus etiam alius contagiosus, qui solet aliis de familia periculum mortis afferre. Quia intentum Pij V. in illa exceptione est consulere indemnitati Communitatis religiosæ, ne scilicet patiatur periculum mortis propter retentionem Monialis infirmæ, quod non solum procedit in infirmitate pestis, sed in alia etiam contagiosa, quæ soleat esse periculosa toti familiæ, vel maiori parti ipsius. Rodrig. *tom.1. quæst.49. artic.4.* Sanchez *lib.6. in Decalog. cap.15. num.35.* Vide & Gauantum *in Manual. Episcop. verb. Monialium Clausura num.7.* licet oppositum in praxi omninò sequendum sit si authenticè constet de quadam declaratione S. Congregationis in contrarium quàm refert Diana *Tract.15. miscellan. Resolut.23.* Probabile etiam est tres istas exceptiones Epidemiæ, lepræ, & magni incendij, contentas in prædicta Constitutione extendendas esse ad alios casus similes, vel vrgentiores, quale est tempore belli periculum, quod imminet Monialibus, ne patiantur aliquod damnum à militibus, maximè infidelibus. Quia indictio taxatiua in Decretis non excludit casus similes, vel vrgentiores. Nauarrus *Commentar.4. num.48.* Azor. *tomo 1. Institut. moral. lib.13. cap.8. quæstione 1.* Non est autem casus similis cum vita vnius Monialis periclitaretur non egrediendo è Monasterio. Tum quia Pontifex in illa exceptione solùm consulit vitæ, & incolumitati totius Communitatis, aut maioris partis ipsius, non vnius, aut alterius Monialis. Tum etiam quia magis præponderat bonum commune Religionis, aut Conuentus, quod positum est in exacta obseruantia Clausuræ, quàm bonum particulare vitæ vnius Monialis. Rodriguez *tom.1. quæst.49. art.4.3. & 5.* Sanchez *lib.6. in Decal. cap.15. num.39.* Oppositum verò etiam credo probabile. Quia sæpius hoc nullum præiudicium faciet bono communi Religionis, & lex naturalis conseruandæ vitæ superior est quocumque præcepto Ecclesiastico. Suarez *4. tom. de Relig. tract.8. lib.1. c.9. n.9.* Quando Monialis alicuius Monasterij eligitur in Abbatissam alterius, tunc etiam potest exire ex Monasterio, & est causa sufficiens concedendi illi talem licentiam. Ratio est, quia in Concil. Trident. *sess.25. cap.7.* id videtur permissum, non obstante quod *in c.5.* multum commendauerat Monialium Clausuram. Nauarrus, & Rodrig. *vt suprà*, & Collect. *priuileg. Mendicant. verb. Clausura Monialium cas.3.* Qui etiam hoc extendunt ad casum quo Monialis deberet fundare aliud Monasterium. Video tamen Sac. Congregat. Episcop. declarasse transferri non posse Moniales pro instructione noui Monasterij, inconsulta Sede Apostolica, Neque ratione Prioratus aut alterius officij, ac ita intimatum fuisse Procuratoribus Generalibus ordinum, Diana *Tract.2. de Dub. Regular. Resolut.99. & 127.* Castellin. *de elect. cap.17. num.6.* Barbosa *de potestate Episcop. Allegat.102. num.25.* Gauantus *in Manual. Episcop. verb. Monialium Clausur. num.14.* [Zerola *in praxi part.2. verb. Moniales §.8.* Quamuis Portellus *in Responsion. moral. tom.2. casu 31.* non admittat præfatam declarationem.] Quando causa egrediendi legitima non est, sed fraude, vel fauore obtenta non excusat Monialem in conscientia, cum talis licentia nulla sit, Suarez *4. tom. de Relig. tract.8. lib.1. cap.9. num.14.* Vide pro aliis casibus Bonac. *de Clausur. quæst.1. punct.9.*

Causa autem aliqua legitima ex prædictis subsistente, possunt Prælati Religionum facultatem concedere exeundi è Monasterio Monialibus sibi subiectis, accedente tamen consensu Episcopi approbantis causam egressus. Ratio est, quia ita habetur in Trident. *sess.25. cap.5.* & in supradicta Constitutione Pij V. Laurentius de Peirinis *tom.1. priuil. Minim. in Constit.6. Pij V. num.22.* Extat quoque Sac. Congregat. declaratio, qua dicitur: Moniales subiectæ iurisdictioni Regularium exemptorum, si sine licentia Ordinarij egressæ fuerint è Monasteriis, debent ipsæ, & earum Superiores, de quorum licentia de Monasteriis egressæ fuerint, per censuras Ecclesiasticas, & alia iuris remedia ab eorum Ordinario puniri, non obstantibus quibuscumque priuilegiis, &c. Zerola *1. part. prax. verb. Monialis.* Addunt aliqui consuetudine receptum esse in Hispania, vt non requiratur talis licentia Episcopi, vel Ordinarij. Rodriguez *tom.1. quæst.49. artic.6.* Sanchez *lib.6. in Decalog. c.15. num.28.* Diligenter tamen intuendum est an hoc sit vera consuetudo, eò quòd lex Ecclesiastica non amittit suam vim nisi post longam præscriptionem. Suarez *tom.4. de Relig. tract.8. lib.1. cap.9. num.14.* Imò quando necessitas egressus vrgeret, & ratione longæ distantiæ Superioris non posset ad ipsum adiri absque graui periculo, posset Monialis, Superiore inconsulto, è Monasterio egredi, quia necessitas caret lege, & per Epicheiam censeri potest hunc casum non cõprehendi in 21

in Decretis Concilij, & Pontificum. Syluester *verb. Relig.7. quæst.16.* Rodriguez *tom.1. quæst.49. art.2.* Bonacina *de Clausur. quæst.1. punct.8.* Vide dicenda *cap. sequenti num.20.*

22 Moniales tamen quomodolibet egressæ è Monasteriis, vel propter morbos permissos, vel propter aliam causam, ea cessante, tenentur statim redire. Ratio est, quia licentia non durat nisi durante causa egressionis. Rodriguez *tom.1. quæst.47. art.11.* Sanch. *lib.6. in Decalog. c.13. n.60. & 61.* Qui etiam bene addunt, breuem moram non esse contra hoc præceptum redeundi.

Quando tamen contingeret quod Monialis aliqua pro instructione alicuius Monasterij ad illud duceretur, & in ipso manere vellet, quomodo id sit faciendum S. Congregatio Episcoporum & Regularium de anno 1646. pro die 5. Octobris commisit Episcopo, *vt verificatis assertis, ac præuio consensu Capitulariter, ac per vota secreta sanctimonialium vtriusque Monasterij, necnon soluta prius per consanguineos, vel affines Oratricis integra dote secundo Monasterio, petitam aggregationem, & filiationem pro suo arbitrio & prudentia concedat, prout magis in Domino conspexerit expedire.*

23 Nouitiæ, vt dictum est *suprà num.17.* non tenentur hac lege de non exeundo à Monasterio nisi cum circumstantiis adductis, ac proinde si exeant non incidunt in pœnas adductas *suprà num.19.* An autem exeuntes à Monasterio interrumpant Nouitiatum, & desinant esse Moniales? Dicendum est, quòd si ex causa rationabili, v.g. morbo graui curando, & ex licentia superiorum, ac cum habitu exeant, non censentur interrumpere suum Nouitiatum, secus autem si sine causa, licentia, aut habitu exeant. Ratio primæ partis est, quia talis egressus cum illis circunstantiis arguit vnionem, & permanentiam in religione, affectumque perseuerandi. Ratio verò secundæ est ex opposito, quia talis egressio potius arguit retrocessionem ab obedientia, religione, vel habitu. Suarez *4. tom. de Relig. tract.8. lib.1. cap.8. num.16.* referens pro hoc quamdam declarationem Cardinalium. Addens etiam, quòd si egressus Nouitiæ sit de licentia Abbatissæ malè tamen concessa, adhuc tamen per talem exitum non interrumpi Nouitiatum quantum est ex vi iuris communis. Vide Barbosam *de potest. Episcop. Alleg.101. n.23. & 28.* Non posse tamen Nouitiis dari licentiam exeundi ad visendos parentes, declarauit S. Congreg. Episc. Gauantus *in Man. Episcop. verb. Monialium Clausur. num.13.*

24 Moniales non possunt admittere intra Clausuram sui Monasterij quamcumque personam cuiuscumque generis, conditionis, aut sexus. Ita habetur *in cap. periculoso in principio de stat. Regul. in 6.* & in Concil. Trident. *sess.25. cap.5.* & in Bullis Pij V. & Gregorij XIII. Suarez *4. tom. de Relig. tract.8. lib.1. cap.10.* Sanchez *lib.6. in Decalog. cap.16. per totum.* Num autem Reges, Reginæ, Imperatores, seu Imperatrices hoc præcepto comprehendantur, problema videtur. Bonacina *de Clausur. quæst.4. punct.1.* Non extenditur autem hæc prohibitio ad infantes pueros, seu puellas nondum habentes vsum rationis. Quia etsi Concilium Tridentinum videatur includere omnes cuiuscumque ætatis, intentum tamen illius solùm extenditur ad illos, qui Moniales inducere possint ad peccandum. Nauarrus *in Summa cap.28.* Corduba *quæst.60.* Oppositum tamen videtur haberi ex declarat. S. Congreg. Regul. apud Gauantum *in Manual. Episc. verb. Monial. Clausur. num.31.* Amentes verò adulti sub hac prohibitione comprehenduntur, propter rationem contrariam. Nauarrus *Comment.4. n.55.* Rodriguez *tom.1. quæst. Regul. q.46. art.1.*

Licentiam verò ingrediendi dictam Clausuram concedere possunt Episcopi, vel Superiores, in casibus necessariis, & respectiuè ad Monasteria sibi subiecta. Bonacina *vt suprà punct.2.* ex Concil. Trident. *vt suprà.* Nisi aliud in particularibus religionibus sit lege, vel consuetudine receptum. Quod dixerim præcipuè propter Monasteria S. Claræ, & Conceptionis, Sanchez *lib.6. cap.16. num.20.* Puellas verò educationis gratia Monasteria Monialium intrantes ingredi non posse sine licentia Papæ, aut S. Congregationis tradit Bonacina *de legibus disp.1. quæst.1. punct.3. num.20. & de Clausur. quæst.4. punct.4. num.16.* Sed non video fundamentum in hoc auctore, aut in aliis ad hoc, nisi Decretum Sac. Congregat. Episcop. quod affert Gauantus *in Manual. Episcop. verb. Monial. educatio. num.8,* quod forsan solùm intelligitur de illis Monasteriis, in quibus non est consuetudo tales puellas recipiendi, iuxta dicenda *num.29.* Ipsi etiam superiores ingredi possunt, si id faciant in casibus necessariis, & à paucis, iisque senioribus, ac Religiosis personis, comitati. Gregor. XIII. in Bulla edita anno 1581. quæ incipit *Dubiis, quæ emergunt.* Abbatissa verò non potest dare hanc licentiam. Quia Concilium postquam dixit Episcopum, vel Superiorem licentiam hanc debere dare, subiunxit, neque *alius vllo modo id possit.* Quo excluduntur prædictæ Abbatissæ. Nomen enim masculini generis etiam fœminas comprehendere est regula communis. Nauarrus *Comment.4. de Regul. num.59.* Suarez *4. tom. de Relig. tract.8. lib.1. cap.10. num.14.* Addens, neque ex commissione Prælati posse hanc licentiam Abbatissam, aut quemlibet alium concedere. Quia Concilium reuocat omnes facultates etiam in posterum concedendas. Extat verò declaratio Sacræ Congregationis circa hoc, per hæc verba. *Vbi post Concilium fuerit consuetudo introducta, vt Ordinarius det hanc licentiam in Monasteriis Regularibus subiectis obseruandam esse. Vbi fuerit consuetudo introducta, vt Episcopus habeat superintendentiam aliquam super concessione talium licentiarum, verbi gratia, quòd debeant apud ipsum registrari, obseruandum esse, quamuis Episcopus non possit tunc licentiam improbare,* Suarez *4. tomo de Relig. tract.8. libro 1. cap.10. numero 15.* Qualis etiam debeat esse hæc licentia, vide Bonacina *de Clauf. quæst.4. punct.3.* 25

Causæ legitimæ ingrediendi Monasteria Monialium sunt, primò, necessitatum communium Monasteriorum Monialium, quæ per ipsas suppleri non possunt, verbi gratia fabricatorum, portatorum lignorum, &c. Sanchez *lib.6. in Decalogum cap.16. num.43.* Secundò, necessitatum spiritualium, v.g. Confessarij, seu Sacerdotis ministrantis Sacramenta infirmis. Sanchez *ibid. num.44.* Vide *infrà num.40.* Idem dico tertiò quoad necessitates corporales, v.g. pro medicis, chirurgis, sanguinis. 26

Pro maiori notitia eorum quæ dicta sunt placuit adiungere epistolam quam vidi S. Congregationis Regularium ad Episcopum Aquilanum missam de anno 1647. pro 22. Februarij his verbis: *Questa S. Congregatione ha più volte dichiarato che le licenze solite concedersi da Superiori Regolari di parlare a monache o di entrare nella clausura di esse in quelli Monasterij che sono soggetti alla cura e gouerno de medesimi Regolari debbano essere approuate e sottoscritte anche dalli Ordinario, altrimente siano di*

nius valore e non suffraghino, non ostante qualsiuoglia pretesa consuetudine ancorche immemorabile in contrario. Onde dourà, V. S. fare che così puntualmente si osserui in cotesta Città e sua diocese sotto le pene e multe che giudicherà espedienti, e particolarmente ne' Monasteri soggetti à Padri Celestini, oue s'intende che per ritrouarsi alcuni di essi fuori dell' habitato, vene possa essere maggior bisogno. Idem etiam constat ex litteris eiusdem S. Congregationis de anno 1646. pro 20. Aprilis ad Eminentiss. Cardinalem Neapolitanum. Ordinauit etiam eadem S. Congregatio de anno 1640. pro 6. Iulij quod parentes Fratres & consanguinei in primo & secundo gradu non possent prohiberi inuisere Moniales, cum necessarium fuerit, dummodo diebus prohibitis id non fiat. Ordinatum etiam est ab eadem S. Congregatione 6. Iulij 1649. vt Ordinarij non imponerent pœnam excommunicationis alloquentibus Moniales sine licentia, & quod impositam reuocarent.

27 Pœnæ verò contra ingredientes Monasteria Monialium vltra casum necessitatis, & sine Superioris licentia, sunt excommunicatio ipso facto, Concil. Trident. *sess.* 25. *cap.* 5. Illamque Summo Pontifici reseruauit Gregorius XIII. in Bulla illa anno 1575. quæ incipit, *Vbi gratiæ.* Bonacina *de Clausur. q.* 4. *punct.* 5. Contra Prælatos verò, vel Moniales talem ingressum permittentes, vltra prædictam excommunicationem, est inflicta pœna priuationis dignitatum, & beneficiorum suorum, ac inhabilitatis ad illa, & illa in posterum obtinenda. Gregorius XIII. in prædicta Bulla *Vbi gratiæ.* Prælatos etiam Monasteria Monialium sine prædictis conditionibus intrantes, si Pontificalis dignitatis fuerint, pro prima vice Ecclesiæ ingressu interdictos, pro secunda, à munere Pontificali, & à Diuinis suspensos, ac deinceps ipso facto absque alia declaratione excommunicatos existere, regulares verò omni officio, ac ministerio priuatos, excommunicationi similiter subiacere, statuit Gregorius XIII. in prædicta Constitutione *Dubiis, quæ emergunt.* Sanchez *lib.* 6. *in Decal. cap.* 16. *à n.* 71. Gauantus *in Manual. Episcop. verb. Monial. Clauf. à num.* 46.

28 Prædictis tamen non obstantibus, volunt quidam, fœminas aliquas etiam viduas, seu maritatas, posse admitti intra Monasteria Monialium, ob grauem causam; verbi gratia, cum vxor timens sæuitiam viri, vult ab ipso separari, &c. Sed quia de hoc non video constantem aliquam Declarationem Cardinalium, sed potiùs varias, non auderem id consulere, nisi vbi legitima consuetudine id esset præscriptum. Rodriguez *tom. quæst. Regul. quæst.* 56. *art.* 10. Sanchez *lib.* 6. *in Decalog. cap.* 16. *num.* 64. Barbosa *de potest. Episcop. Alleg.* 102. *num.* 67. Vbi hoc decisum refertur. Vide Portellum *in additionibus ad dubia Regularium verb. Clausura Monialium num.* 2. afferentem declarationem DD. Cardinal. factam Episcopo Salmaticensi, vbi id dicitur non posse fieri. [Nota verò in Lusitaniæ Regno contigisse quod quædam fœmina maritata, quam maritus cum ministris iustitiæ insequebatur ad mortem illi inferendam propter adulterium commissum, ad quoddam Monasterium Monialium confugerit pro euitanda morte illi imminente, & Episcopus super hoc consultus responderit, vt fœmina illa intra clausuram conseruaretur: Collector autem Apostolicus innixus declarationi Sacræ Congregationis, quam è Roma dicebat sibi transmissam, quàm etiam referunt Rodriguez *in Bullario inter Bullas Clementis VIII.* & Portellus *suprà*, ac *in Responsionib. moral. tom.* 2. *casu* 106. extrahi fecerit ex dicto Monasterio præfatam adulteram. Nihilominus Portellus ipse eo *casu* 106. innixus aliis declarationibus Sacræ Congregationis, & quod casus tam vrgentis & grauis necessitatis effugiendi mortem tam proximè imminentem anteponi debeat legi positiuæ, probabiliter satis tenet conformiter ad aliorum doctrinam talem fœminam, aut eam in casu prædicto intra clausuram Monialium recipientes non incurrisse pœnas impositas contra transgredientes talem clausuram. Immo dici posset Sacram Congregationem declarantem oppositum solùm loqui de casibus non tam de vrgentibus, sed passim & ordinariè occurrentibus, in quibus viri cum vxoribus litigant, aut rixantur sub prætextu adulterij, &c. Declarationes verò quæ fauent huic opinioni, quas etiam refert idem Portellus eo *casu* 106. ex impressis Antuerpiæ anno 1633. sunt istæ Prima. *Quod mulier coniugata si sit in Monasterio Monialium & constito quod si inde exierit versabitur in periculo mortis, in Monasterio relinqui debet.* Secunda. *Mulier quæ venit in suspicionem adulterij apud maritum, & ob id timet ne ab eo vis aliqua inferatur, permitti debet, vt Monasterium ingrediatur Monialium, si modo Constitutiones Monasterij non repugnent.* Tertia *mulieres quæ sunt in discordia cum maritis, & eorum sæuitiam timent, si sunt extra culpam, quando iustam timendi causam habuerint, debent si sunt in Monasteriis tolerari.* De fide porrò quæ adhiberi debet huiusmodi declarationibus Sacræ Congregationis, & quid sit authenticæ non fuerint; latè dico 3. *tom. verb. Sac. Congregatio.*]

Possunt tamen in Monasteriis Monialium admitti puellæ sæculares, vt ibi honestè educentur, 29
vel seruentur, de licentia tamen Superiorum, & dummodò de Monasterio non exeant iterum reuersuræ, ac concurrentibus aliis conditionibus à Sacr. Congregatione Cardinalium præscriptis, prout infrà. Ratio est, quia hoc nec est intrinsecè malum, & aliquo modo est necessarium pro Monasteriis Monialium, cum multæ ex prædictis puellis habitum suscipiant in Monasteriis, vbi sunt educatæ, ac per consequens videatur permissum à Concil. Trident. quatenus permittit ingressum in Monasteria Monialium de licentia Episcopi, vel Superioris *in casibus necessariis, sess.* 25. *cap.* 5. Vnde à Sacra Congregatione anno 1575. declaratum dicitur, nullo Concilij Decreto prohiberi, quo minùs puellæ in Monasteriis Monialium educentur, si tamen eadem Monasteria ante Concilium consueuerint huiusmodi puellas recipere, sique à Superioribus Monasteriorum scriptam licentiam impetrauerint, atque Abbatissæ, & reliquarum Monialium consensus accesserit. Tum verò ipsæ puellæ eo vestitu in Monasteria intromittantur, qui virginali pudore, modestiæ conueniat, nullamque secum famulam adducant, nec manere in eis possint nisi vsque ad ætatis suæ annum vigesimumquintum, atque in eis dum erunt, eamdem seruent clausuræ legem, quam Moniales ipsæ, & si semel exierint, nullam habeant ad ea reuertendi facultatem. Nauarrus *Comment.* 4. *num.* 67. Laurentius de Peirinis *tomo* 2. *priuileg. Minim. in Constit.* 6. *Pij V. num.* 10. Vide etiam alias declarationes circa hoc in Thoma Zerola *in prax. Episcop. verb. Moniales.* Videlicet, quòd prædictæ puellæ non sint supra numerum præfixum, & pro eis quolibet semestri anticipata alimenta soluantur, & quòd sint separatæ à loco destinato Monialibus, & Nouitiis ad dormiendum, ac operibus manuum vacandum. Sanchez *lib.* 6. *in Decal. cap.* 16. *à num.* 61. Bonacina *de Clausur. quæst.* 4. *punct.* 4.

*punct.*4. *à num.*15. Vide dicta *num.*25. & Gauantum *in Manual. Episcop. verb. Monial. educatio.* vbi nouas alias Sacr. Congregat. Episcop. declarationes affert.

30 Fœminam tamen aliquam nobilem, & generosam, v.g. Marchionissam, vel Ducissam, ad Monasterium admittere propter aliquam commoditatem ipsius, licèt quidam affirment, probabilius tamen alij negant. Ratio est, quia in hoc nulla est necessitas, & ex alia parte declaratum fuit à S. Congreg. hoc fieri non posse, vt refert Miranda *tract. de Sacr. Monial. q.*2. *art.*7. Barbosa *de potest. Episc. Alleg.*102. *num.*67.

31 Similiter non potest dari licentia matri, sororibus, vel consanguineis Monialis infirmæ, etiam morti proximæ, ingrediendi in Monasterium ad illam visitandam. Quia hic non est casus necessitatis, & consuetudo ita declarauit, maximè cum S. Congregatio id expresserit per hæc verba: *Non licet Episcopo licentiam dare matri, sororibus, & consanguineis Monasterium ingrediendi causa visitandi filias, vel sorores, etiam si sint in mortis periculo.* Miranda *in Tract. de Sacris Monialibus quæstione* 2. *articulo* 8.

32 Possunt tamen Moniales pro totius Monasterij obsequio famulas seculares habere, quando non sunt Conuersæ, quæ istud ministerium exercere possint, dummodo foras non exeant, & admittantur de licentia Superiorum. Ratio est, quia habere illas conueniens est, & necessarium Monialibus Choro deputatis, vt melius possint vacare Diuinis. Ergo subsistente licentia Superiorum, & necessitate illas habendi, admitti poterunt. Nauarr. *Comment.*4. *num.*66. & 67. Sanchez *lib.*6. *in Decalog. cap.*16. *num.*66. Quod etiam concessum video à Greg. XIII. quibusdam Monialibus. Peirinis *tom.*2. *priuileg. Minim. in Constit.*6. *Pij V. num.*31. Imò etiam pro priuato ministerio alicuius Monialis nobilissimæ ægræ valetudinis, aut nimiæ senectutis, si eius necessitati per Conuersas Monasterij subueniri commodè non possit, tenent idem quidam Auctores, & Rodriguez *tom.*1. *quæst.*46. *art.*9. propter eamdem rationem, & antiquam consuetudinem. Oppositum tamen tenet Miranda *in tract. de Sacris Monialibus, quæstione* 2. *artic.*9. Vnde cautè in hoc procedendum. Maximè, quia à Sacra Congregat. Episcoporum, & regularium declaratum video, non posse introduci tales ancillas in seruitium infirmarum, seu decrepitarum, sine licentia Sedis Apostolicæ. Gauantus *in Manual. verb. Episcop. verb. Monial. recept. num.*12. Vide & *num.*15. & 16. in eodem Gauanto.

33 Licentias concessas mulieribus quibuscumque ingrediendi Monasteria Monialium limitauit Paulus V. in Bulla *Facultatum* anno 1608. edita. Postea tamen in Bulla *Monialium* anno 1612. omninò reuocauit omnes tales licentias, præcipiens quibuscumque mulieribus sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, Papæ reseruata, ne prædicta Monasteria ingrediantur, & Monasteriorum Abbatissis, seu Priorissis, & Superioribus sub eadem, & aliis pœnis, ne talem ingressum permittant. Vide Bullam 3. *tom. Bullar. Laertij num.*74. Peirinis *tom.*2. *priuileg. Minim. in Constitut.*6. *Pij V. num.*5. Post quæ SS. D. N. Vrban. in Bulla 5. *Sacrosanctum*; anno 1624. edita, vt habetur 4. *tom. Bullar.* inter Bull. Vrbani *num.*29. declarauit consensum Monialium, qui requiritur ad hoc quòd fœminæ seculares ipsarum Monasteria ingrediantur, *per easdem Moniales capitulariter, & per secreta suffragia præstandum esse, alias licentiæ huiusmodi, mulieribus, quibus concessæ fuerunt nullatenus suffragentur.* Bonacina *de Clausur. quæst.*4. *punct.*5. Loquitur autem Pontifex in casu, quo fœminæ intrare velint ex vi licentiarum à Sede Apost. impetratarum.

Loqui cum Monialibus furtiuè, id est, sine licentia Abbatissæ, vel eius, ad quem spectat illam dare, regulariter est peccatum mortale, quia est contra ius Abbatissæ, vel Superioris Monialium, sicut inter seculares loqui furtiuè cum virgine existente sub cura parentum. Suarez 4. *tom. de Relig. tract.*8. *lib.*1. *cap.*10. *num.*27. Idem dico, etiam si locutio sit per nutus, & signa, & etiam si Monialis ipsa non loquatur, propter eamdem rationem. Diana *Tract.*2. *de Dubiis Regular. Resolut.*48. Probabiliter excusantur in hoc pueri, & puellæ ante 14. annum quia in illis non militat eadem ratio ac in aliis maioris ætatis. Diana *ibid.* 34

Insuper ex mandato Sacræ Congregationis die 4. Aprilis 1587. Regulares adeuntes Monasteria Monialium sine licentia Episcopi incidunt in pœnam excommunicationis quam Episcopus suo Edicto proposuit, nisi Regulares illi haberent ex priuilegio, quòd non possint excommunicari & tunc deberent puniri à suis Superioribus alia pœna; Qui Regulares sic excommunicati non possunt absolui à suis Superioribus, sed ab Episcopo qui sibi hanc absolutionem reseruauit. Suarez *tom.*4. *de Relig. tract.*8. *lib.*1. *cap.*10. *num.*27. Rodriguez *tom.*1. *quæst.*45. *art.*2. *in fine.* Extat etiam S. Congregat. declaratio, quòd licentia adeundi ad colloquium cum Monialibus regularibus subiectis spectat ad ipsos Superiores Regulares, nisi ex consuetudine ad Episcopos pertineat. Quaranta *verb. Monast. Monial.* Gauantus *in Manual. Episcop. verb. Monial. collocutio num.*2. & 3. Hoc verò intelligi non potest de regularibus, qui vt Moniales alloquantur, indigent licentia Sac. Congregationis, vel Ordinariorum, iuxta dicenda *num. sequenti*, solùm ergo intelligi hoc debet de secularibus. Peirinis *tomo* 2. *priuileg. Minim. in Const.*6. *Pij V. num.*38. 35

Visitare, vel inuisere Moniales, nisi rationabilis, & manifesta causa existat, ac de illius, ad quem pertinet licentia, est peccatum. Quia prohibitum eisdem verbis *in cap. Periculoso in princ. de stat. Regul. in* 6. Quod Decretum innouatum est à Pio V. in Bulla, quæ incipit *Circa Pastoralis Officij.* Nauarrus *Comment.*4. *num.*61. Rodriguez *tom.*1. *quæst.*45. *art.*4. Hoc verò peccatum ex se, & seclusis circumstantiis aliis extrinsecis, solum videtur veniale. Quia materia solùm putatur leuis, & communiter saltem in Hispaniæ partibus, ita habetur. Rodriguez *ibidem.* Sanchez *lib.*6. *in Decalog. cap.*16. *num.*120. Frequentare verò huiusmodi accessum, seu quod idem est, sæpius alloqui aliquam, vel aliquas Moniales, in Clericis, etiam secularibus, vix excusari potest à mortali. Ratio est, quia est illis prohibitum *in cap. Monasteria de vita, & honestate Clericorum.* Llamas *in methodo curationis in appendice* §.4. Alij verò dicunt esse solùm veniales, eo quòd licet illæ pœnæ sint graues, non tamen statuuntur, nisi præmissa admonitione Episcopi. Nauarrus *in Summ. cap.*25. *num.*10. Sanchez *vt suprà.* Si tamen adsit scandalum, praua intentio, occasio peccandi, vel mala suspicio de fama Monasterij, vt ferè semper ex frequenti ista alloquutione Monialium consurgit, sine dubio est peccatum mortale, propter grauitatem materiæ. Suarez 4. *tom. de Relig. tract.*8. *lib.*1. *cap.*10. *num.*27. Religiosis autem 36

autem prohibitum est accedere ad Monialium Cœnobia, vel ipsas personas intra Clausuram existentes alloqui, absque licentia expressa Sacræ Congregationis, sub pœna priuationis officiorum, & vocis actiuæ, & passiuæ ipso facto incurrendæ. Ita habetur in Decreto Sacræ Congregationis anno 1590. edito, Sanchez *lib.6.in Decalog. cap.16.num.115.*

Quod Decretum, licet innouatum sit à Sacra Congregatione, sub Sanctissimo Domino nostro Vrbano VIII. anno 1623. moderatum tamen fuit quoad hoc, scilicet facultatem tribuendo Ordinariis, *vt, quatenus sibi visum fuerit in Domino expedire, licitè possint concedere per quatuor vices ad summum quolibet anno, cuicumque Regulari; vt Moniales sibi in primo, & secundo tantum consanguinitatis gradu coniunctas conuenire, & alloqui possit.* Seruatis tamen quibusdam conditionibus in prædicto Decreto contentis. Laurentius de Peirinis *tomo 1. priuileg. Minim. in Constit.6. Pij V. num.7.* Vide etiam *infra num.*40. Insuper præter prædictas pœnas peccare mortaliter regulares accedentes ad Monasteria Monialium contra formā præscriptam, declaratum est à S. Congregatione anno 1606. Idem Peirinis *vt suprà num.36.* Præterea Regularem absque legitima licentia accedentem ad Monasteria Monialium regularibus subiectarum ibique cum Moniali colloquentem, posse à Diœcesano Episcopo tamquam Sedis Apostolicæ delegato, coerceri, & puniri, declarauit S. Congregatio, approbante SS.D.N. Vrbano. Vide *tom.4. Bullar. post Bullam* 18. *Gregorij Decimiquinti* Bonacina *in tract. de Clausur.quæst.3. punct.4.*

Præcipitur etiam à S.Congregat. Episcop.& Regul. ne permittatur accessus ad Moniales sub prætextu docendi sonum cymbalorum, aut alterius instrumenti, aut musicam, cantumve, ad crates. Permissum tamen, quod matres, patres, imò, & filij Monialium possint eas alloqui sine licentia, non tamen in diebus prohibitis. Gauantus *in Manual. Episcop.verb. Monial. collocutio.num.*47.*&* 8.

37 Scribere autem Epistolas ad Moniales non est ex se peccatum, quia nulla lex est communis hoc prohibens. Vnde cessante scandalo, aut mala aliqua circumstantia talium Epistolarum non erit peccatum ad illas scribere. Suarez 4.*tom.de Relig.tract.*8. *lib.1. cap.10. num.vlt.* Romæ autem hoc est interdictum; licet non videatur extra Romam obligare, quia non est lex Pontificia. Nauarrus *Comment.*4. *num.61.* Quibusdam tamen religiosis præceptum est à Gregorio XIII. ne huiusmodi litteras scribant, quod illos obligat non alios, Nauarrus *consf.19. de sentent. excommunic. in 2. editione.*

38 Moniales Conuersæ non essent admittendæ in religionibus ex vi Constitutionis Pij V. Eò quòd id manifestè prohibeat. Nauarrus *Comment.4. n.56.* Licet alij teneant contrarium. Suarez 4.*tom.de Relig. tract.8.lib.1.c.8.num.19.* Quicquid de hoc sit, consuetudine receptum est in multis locis prædictas Moniales conuersas in Monasteriis admitti. Rodriguez *tom.1. quæst.44. art.4.* Sanchez *lib.6.in Decal. cap.15.num.58.*

39 Moniales Nouitiæ in articulo mortis constitutæ professionem emittere possunt, etiam ante annum probationis expletum, dummodò sint legitimæ ætatis iuxta dicta *cap. præcedenti num.42.* Quia ita concessit Pius V. Monialibus Dominicanis in Bulla, quæ incipit *Summi Sacerdotij cura* anno 1570. edita. Et habetur *in 2. tom. Bullarij num.109.* Quod priuilegium non est reuocatum à Gregorio XIII. (Rodriguez *tom.3.quæst.Regul.quæst.15.art.6.*) Quia etsi demus ipsum reduxisse omnia priuilegia à Pio V. Regularibus concessa ad terminos Concilij Tridentini, hoc tamen solùm intelligi debet in casibus communibus, non in casu aliquo particulari concernente bonum spirituale animæ, Peirinis *tomo 2. priuileg. Minim. in Constit.8. Pij V. §.2.* Probabile etiam est talem Monialem sic professam in articulo mortis, si casu non decedat è vita, verè professam manere, nec noua indigere professione. Cum talis professio valida fuerit, & solum illi defuerit complementum Nouitiatus, in quo Papa dispensat. Idem Peirinis *vt suprà.* Quia tamen oppositum dicitur decisum à S.Congreg. Cardinal. ideò cautè procedendum. Gauantus *in Man. Episcop.verb. Monialium professio num.4.& 5.* Probabile etiam est Monasterium succedere in bona sic profitentium, propter eamdem rationem. Sanchez *lib.5. in Decalog.cap.4. num.16.* Nisi obstet prædicta declaratio Sac. Congregationis.

Pro eisdem autem Monialibus Nouitiis nota, obseruanda esse ea, quæ diximus de Nouitiis viris *cap.24. num.32.& seqq.* Vnde præter victum, & vestitum Nouitiæ, nihil tribui potest Monasterio, sub pœna Anathematis dantibus, & recipientibus; ex Concil. Trident. *sess.25. cap.16.* Vide dicta *cap.24. num.32.* Similiter nec possunt prædictæ Nouitiæ validè disponere de bonis ad illas pertinentibus, nisi cum conditionibus assignatis ab eodem Concilio *ibid.* scilicet, nisi fiat talis dispositio, aut renunciatio cum licentia Episcopi, seu Vicarij, & intra duos menses proximos ante professionem. Vide dicta prædicto *cap.24. à num.33. vsque ad 36.* Præterea, iuxta dicta *suprà num.5.* licitum est accipere pro sustentatione Monialis recipiendæ non solùm id, quod est necessarium pro sustentatione illius tempore Nouitiatus, prout supponitur à Concil. Trident. *loco citato*; sed etiam id, quod fuerit necessarium pro alimentis ipsius per totam vitam. Ratio est, quia hoc non est accipere temporale pro spirituali, quod est simoniacum, sed temporale pro temporali, scilicet pecuniam pro sustentatione, quod iure naturali concessum est. Bonacina *de Sim. quæst.7. §.4.* Hoc autem, quod datur pro tali sustentatione, quod solet appellari nomine dotis, debet primò, anno probationis durante, deponi penes idoneam personam, non affines, neque consanguineos Monialium; & post professionem, in bonis stabilibus, seu censibus implicari. Debet secundò, solui in ære; non in bonis stabilibus. Prætereà tertiò, nulla fiat dotium differentia inter indigenas, & aduenas. Quartò, expendi potest dos in vsus communes Monasterio necessarios: si verò sit supernumerarium in emptione bonorum stabilium conuertatur. Quorum declarationes à S. Congregat. Episcoporum, & Regularium factas refert Gauantus *in Manuali Episcop. verb. Monialium Nouitiarum alimenta per totum.* Si verò discedat Nouitia, omnia, quæ secum attulit restituenda sunt. Concilium Tridentinum *ibid.* Idem fiat si moriatur ante professionem; excepto habitu religioso, qui non est restituendus, sed tantùm pretium eius. Barbosa *de potest. Episc. Alleg.101.n.39.& 40.*

Circa Prædicatores, Capellanos, & Confessores Monialium extat Decretum Sac. Congregationis, 50
anno 1590. quo præcipitur, quod si aliquando, mandato sui Superioris, aliquos Religiosos ad prædicandum Verbum Dei, vel ad celebrandas Missas in ipsarum Monialium, seu sororum Ecclesiis, siue Oratoriis exterioribus, siue extra claustra existentibus,

tibus, mitti contigerit, nullo quæsito colore, Moniales, sorores, aut quamlibet aliam personam intra Clausuram degentes alloqui possint. Confessariis autem similiter interdixerunt, ne in ædibus Monasterij, seu Domus, vel Monasterio, seu Domui Monialium, aut sororum contiguis, pernoctent, aut alios pernoctare faciant, vel alias secum retineant; neve extra tempora generalium confessionum, quibus soli tantum Confessario refectionem diurnam accipere vix permittitur, & tunc demum videlicet, cum sua habitatio, aut virorum Domus, vel Monasterium in quo degit, à Monialium, seu sororum Monasterio, vel Domo nimium distat (nisi tamen, & eo casu contrarium specialiter constitutum sit) ibi nullo modo comedant, reficiantur, aut cibum sumant. Quæ omnia, & singula sub pœnis priuationis officiorum, ac vocis actiuæ, & passiuæ ipso facto incurrendis, aliisque eiusdem Congregationis arbitrio præceptum est inuiolabiliter obseruari. Quaranta *in Summ. Bullar. verb. Monasteria Monialium*, addens, Decretum hoc extensum fuisse ad regulares S. Ioannis Ierosolymitani, vt eadem Sacr. Congregatio scripsit Vicario Neapolitano. Vide dicta *num.* 14.

Circa eosdem Confessarios Monialium animaduerte, illos non posse ingredi in earum Monasteria ad aspergendum domum in Sabbato Sancto, aut alio die. Neque vt comitentur medicos, aut alios operarios. Neque vt audiant Confessionem illius infirmæ, quæ potest accedere ad Sedem Confessionalem. Neque item prætextu sepeliendæ Monialis, aut officium funerale peragendi. Administrata etiam extrema vnctione, non potest ibi remanere Confessarius. Nec etiam potest diuagare ad aliam partem Monasterij, etiam occasione visitandi alias infirmas. Quæ omnia constant ex declarationibus Sacr. Congregat. Episcop. & Regul. apud Gauant. *in Manual. Episcop. verb. Monial. Clausi. à num.* 37. Qui etiam addit *num.* 41. quod in casibus, in quibus Confessarius eget socio non est necessaria licentia pro eo expressa. Sanchez *lib. 6. in Decalog. cap.* 16. *num.* 47. & Diana *tract. 2. de Dub. Regul. Resol.* 51. Confessarios autem Ordinarios, etiam eos, qui Confessiones Monialium Regularibus subiectarum audiunt, tantum per triennium durare debere, nec ad id munus eligi posse habentes curam animarum, nec extraordinarios designandos esse pro particulari Moniali, sed in communi declarauit S. Congregat. Episc. & Regul. apud eumdem Gauantum *vt suprà. verb. Monialium cura spiritualis*, vbi multa de huiusmodi Confessariis.

Notandum tamen circa huiusmodi Confessores Monialium, S. Congregationem Regularium de anno 1647. pro 22. Februarij, sic statuisse circa Fratres & Moniales Ordinis Capuccinorum: *Attentis narratis, audito & consentiente Generali Ordinis huiusmodi censuit committendum, prout, &c. Domino Archiepiscopo Salzburgensi vt pro suo arbitrio & prudentia Oratricibus petitam licentiam pro Confessariis tantum extraordinariis ab eodem prius approbandis ad annum concedat, nec propterea facultas pernoctandi extra claustra nullatenus concessa censeatur.*

41 Licitum est Monialibus transire de vna Regione ad aliam, seruatis tamen conditionibus, de quibus diximus *cap. 22. à num.* 3. Ratio est, quia iure antiquo id licebat *cap. 1. 20. quæst.* 4. vt docet ibi Gloss. *verbo Virgines, & cap. 1. in princip. verb. Perpetua, de stat. Regul. in 6.* & hoc non est hodie abrogatum, nec per Concil. Trident. nec per Constitutiones Pij V. Quia solum loquuntur de egressu à Monasterio, non de transitu ad aliam Religionem propter causas iustas, Rodriguez *tom. 3. quæst. Regul. quæst.* 52. *art.* 6. Sanchez *lib. 6 in Decalog. cap. 7. num.* 6. Religiosa autem transiens de vna Religione ad aliam, non potest secum deferre, nisi quod à Religione, quam relinquit, sibi fuerit permissum. Ratio est, quia iam illi sunt omnia acquisita. Nauarrus *in cap. Non dicatis num.* 30. & 31. & *in cap. Statuimus, num.* 24. Idem dicunt aliqui de Moniali, quæ ex vno Monasterio ad aliud transit ex licentia sui Superioris, scilicet, non teneri deferre ad illud dotem, quam primo Monasterio dedit. Propter eamdem rationem. Nauarrus *Comment.* 4. *num.* 24. *vers.* 11. & *lib. 3. consil. cons.* 55. *num.* 9. Rodriguez *tom. 2. quæst. Regul. quæst. 79. art.* 2. Oppositum verò videtur dicendum, quando Monialis transit de vna Religione ad aliam: videtur enim necessarium secum portare suam dotem, cum illam dederit Religioni propter sui sustentationem; vnde si Religio illi concedit facultatem transeundi ad aliam, videtur obligari ad præbendum illi, vnde possit in alia sustentari.

Circa absolutionem Monialium à casibus reseruatis, præter dicta in Superioribus *in cap. de Prælatis, à num.* 31. *in cap. de Confessoribus à num.* 27. extant etiam peculiaria priuilegia, de quibus Casarubius *verb. Absolutio extraord. quoad fratr.* Miranda *in tract. de Sacr. Monial. quæst.* 10. *artic.* 4. Aduerte tamen aliquot illorum esse viuæ vocis oracula, quæ iam his temporibus nihil valent, quia reuocata sunt. 42

Quoad Capellanos Monialium aduertendum est, illos debere dicere Missam de Sancto, de quo Officium fit à Monialibus; sed cum Missali Romano. Vide dicta *cap.* 21. *num.* 32. Nota etiam, Moniales in *Confiteor*, nihil mutare posse, neque dicere *tibi Mater, vobis sorores, &c.* sed *tibi Pater, vobis fratres*, sicut viros. Gauant. 2. *tom. Thesaur. sect.* 5. *cap.* 17. *num.* 12. 43

Circa erectionem Monasteriorum Monialium, determinatum est à S. Congregat. Eminentiss. Cardinalium super Episcopos, & regulares. Primò, ne erigantur noua Monasteria, quibus ad minus 300. scutorum redditus annuus non assignetur, pro duodecim sustentandis. Secundò, ne erigantur sine consensu Ordinarij. Tertiò, ne sine speciali Sedis Apostolicæ indulto. Quartò, ne erigantur nisi in locis muro cinctis, & vbi copia Confessariorum adest, aut facultates conducendi Confessarium aliundè. Quintò, ne erigantur in iis locis, in quibus Monasteria prius erecta, laborant inopia. Sextò, quòd propè Monasteria tollantur omnes arbores altæ. Septimò, quòd in colloquutorio nullo modo sit porta, per quam aditus sit in Monasteria. Similiter pro Ecclesiis earumdem Monialium præcipitur ab eadem Sacra Congregatione. Primò, quòd clauis fenestellæ pro Communione Monialium, perpetuò sit apud Confessarium. Secundò, ne permittatur in earum Ecclesiis cantus simplex, vel figuratus à personis secularibus. Tertiò, quod in sepultura Monialium, quæ intra Clausuram est, ne sepeliantur extranei. Quartò, quòd si viget consuetudo sepeliendi Moniales in Ecclesia exteriori, permittatur. Quintò, ne instituantur ibi Confraternitates laicorum. Pro quibus omnibus vide Gauantum *in Manual. Episcop. verb. Monial. Monasteria, & verb. Monialium Ecclesia.*

Circa regimen Monialium ita statuit Concil. Trident. *sess. 25. cap. 9. Monasteria sanctimonialium,* 44

Sanctæ

Sanctæ Sedi Apostolicæ immediatè subiecta, etiam sub nomine Sancti Petri, vel S. Ioannis, vel alias quomodocumque nuncupentur ab Episcopis, tanquam dictæ Sedis delegatis gubernentur, non obstantibus quibuscumque. Quæ verò à deputatis in Capitulis Generalibus, vel ab aliis Regularibus reguntur, sub eorum cura, & custodia relinquantur, &c.

54 Deinde circa administrationem bonorum Monasteriorum Monialium, etiam Regularibus subiectarum, earumque Confessores, prouidit Gregor. XV. *in Constit. de Exempt. Priuilegiis* anno 1622. quam pro Regnis Hispaniarum suspensam esse diximus *cap.* 19. *num.* 35. Primò, omnes, & quoscumque tam Regulares, quàm sæculares huiusmodi, nullis priuilegiis, aut exemptionibus tueri se posse, quominus, si deliquerint circa personas intra septa degentes, aut circa Clausuram, vel circa bonorum administrationem Monasteriorum Monialium, etiam Regularibus subiectarum, ab Episcopo loci, similiter tanquam ad hoc Sedis Apostolicæ delegato, quoties, & quando opus fuerit, puniri, & corrigi valeant. Deinde specialiter circa Monialium Confessores, decreuit, quòd Confessores, siue Regulares, siue seculares, quomodocumque exempti, tam ordinarij, quàm extraordinarij ad confessiones Monialium, etiam Regularibus subiectarum, audiendas, nullatenus deputari valeant, nisi prius ab Episcopo Diœcesano idonei iudicentur, & approbationem, quæ gratis concedatur, obtineant. Specialiter etiam circa administrantes bona Monasteriorum Monialium statuit, quòd siue Regulares extiterint, siue seculares quomodolibet exempti, Episcopo loci, adhibitis etiam Superioribus Regularibus, singulis annis rationes administrationis, gratis tamen exigendas, reddere teneantur, ad idque iuris remediis cogi, & compelli queant. Subiungitque, quòd liceat Episcopo ex rationabili causa Superiores Regulares admonere, vt eiusmodi Confessores, atque Administratores amoueant: iisque Superioribus id facere detrectantibus, aut negligentibus, habeat Episcopus facultatem, prædictos Confessores, & Administratores amouendi, quoties, & quando opus esse iudicauerint. Ac tandem circa electiones Præpositarum Monialium ordinauit, quòd similiter possit Episcopus vna cum Superioribus Regularibus, quarumcumque Abbatissarum, Priorissarum, Præfectarum vel Præpositarum eorumdem Monasteriorum, quorumcumque nomine appellentur, electionibus, per se, vel per alium interesse, ac præsidere, absque vlla tamen ipsorum Monasteriorum impensa.

46 Circa quæ interrogatum est à Sacra Congregatione Concilij. Primò, an per eamdem Constitutionem in illis verbis, *Possit Episcopus vna cum Superioribus Regularibus quarumcumque Abbatissarum, & cæteris electionibus per se, vel per alium interesse, ac præsidere*, ius Abbatissas confirmandi Episcopis attributum censeatur? Secundò, an Confessores Monialium ante editam Constitutionem deputati, debeant ab Episcopo examinari, & approbari? Tertiò, an Superiores Regulares similiter ante ipsius Constitutionis publicationem electi, seu deputati, alia indigeant Episcopi approbatione pro Confessionibus Sanctimonialium sibi subiectarum audiendis. Quartò, an Confessiones, quas audiunt Superiores Regulares electi, seu deputati, vel confirmati post publicationem, & scientiam tenoris dictę Bullæ, non obtenta Episcopi approbatione, sint nullæ, atque irritæ, necne? Quintò, an Regulares generaliter ab Episcopo approbati ad Confessiones personarum secularium audiendas censeantur etiam approbati ad audiendas Confessiones Monialiũ sibi subiectarum? Sextò, an Regularis ad audiendas Confessiones Monialium vnius Monasterij ab Episcopo approbatus Confessiones Monialium alterius Monasterij audire possit. Septimò, an Confessores Regulares extraordinarij semel ab Episcopo deputati, & approbati ad audiendas Monialium Confessiones pro vna vice infra annum ad præscriptum S. Conc. Trident. possint virtute dictæ approbationis pluries tãquam Confessores extraordinarij earumdem Confessiones audire absque noua Episcopi licentia? Octauò, cum in eadem Cõstitutione statutũ sit, vt liceat Episcopo ex rationabili causa Superiores Regulares admonere, vt amoueant Confessores Monialium, atque Administratores bonorum ad earumdem Monialium Monasteria pertinẽtium, iisque Superioribus facere detrectantibus, habeat Episcopus facultatem prædictos Confessores, & Administratores amouẽdi, quoties, & quando opus esse iudicauerit: an eiusmodi causam Episcopus Superioribus Regularibus significare teneatur? Nonò, an eadem Constitutio, qua parte supponit Episcopi iurisdictioni subiici regulares delinquẽtes circa personas degẽtes intra septa Monasteriorum Monialium, aut circa Clausuram, vel bonorum administrationem eorumdem Monasteriorum, habeat locum in omnibus delictis, an verò solùm in notoriis, & cum scandalo populi? Item decimò, an liceat Episcopo in vim prædictæ Constitutionis punire Regulares, qui ad Abbatissæ electionem procedunt ante tempus ipsi Episcopo significatum, aut die electionis eidem nullatenus prænunciata. Ad quæ sic respondit eadem S. Congr. Ad Primùm, Ius confirmandi Abbatissas minimè fuisse Episcopis per Constitutionem attributum. Vide circa hoc de confirmatore electionum dicto *cap.* 14. *n.* 35. *&* 36. Ad Secundum, Confessores quidem extraordinarios Monialium nullatenus posse post Constitutionem, illarum Confessiones audire, nisi prius ab Episcopo Diœcesano idonei iudicentur, & approbentur. Ordinarios verò Confessores ante Constitutionis publicationem deputatos posse, durante triennio ab eorum deputatione inchoando pergere in Confessionibus Sanctimonialium audiendis absque alio examine, & approbatione Episcopi. Quod si contingat, vt illorum facultas à Sede Apostolica vltra triennium prorogetur, tunc debere eos ab Episcopo examinari, & approbari. Vide circa hoc dicta *c.* 19. *n.* 27. 28. 29. *&* 35. Ad Tertium, Superiores Regulares electos, seu deputatos ante ipsius Constitutionis publicationem, quibus alioquin facultas competat audiendi Confessiones Monialium sibi subiectarum, posse, durante eorum Officio, pergere, sine alia Episcopi approbatione, in Confessionibus audiendis illarum tantum, quæ spontè ac proprio motu id ab eis petierint. At verò eos, qui post Constitutionem eligentur, aut quoquo modo deputabuntur, vel qui in eorum Officiis, seu Dignitatibus, expleto iam tempore à Constitutionibus cuiuscumque Ordinis, vel alias legitimè præfinito, ad aliud tempus confirmabuntur, nequaquam posse, Sanctimonialium Confessiones audire, nisi prius à Diœcesano Episcopo idoneo iudicati, atque approbati fuerint. Vide etiam dicta *cap.* 19. *num.* 36. *&* 37. *& cap.* 18. *num.* 29. Ad Quartum, Confessiones huiusmodi nullas atque irritas esse. Ad Quintum, Regulares generaliter ab Episcopo approbatos ad Confessiones personarum secularium audiendas, nequaquam censeri approbatos ad audiendas Confessiones Monialium sibi subiectarum, sed egere, quoad hoc speciali Episcopi approbatione.

Ad

Ad Sextum, Regularem ad audiendas Confessiones Monialium vnius Monasterij ab Episcopo approbatum, minimè posse audire Confessiones Monialium alterius Monasterij. Circa restrictionem Confessariorum vide dicta *cap.19.num.7. & sequentibus*, animaduertendo etiam multa ex ibi dictis de Confessariis secularium non procedere in Confessariis Monialium, propter huiusmodi Constitutionem Gregorij, & Declarationes circa illam. Ad Septimum, Confessores extraordinarios semel deputatos, atque approbatos ab Episcopo ad Monialium Confessiones pro vna vice audiendas, haud posse pluries in vim approbationis eiusmodi illarum Confessiones audire, sed ab Episcopo toties esse approbandos, quoties casus deputationis contigerit. Ad Octauum, Non teneri eiusmodi causam significare Superioribus Regularibus, sed hoc relinqui arbitrio, & prudentiæ Episcoporum, quorum conscientiam S. Congregatio seriò onerauit, ne facultate sibi hac in parte attributa quoquo modo abutantur, eius rei in districto Dei iudicio rationem reddituri. Ad Nonum, Constitutionem habere locum in omnibus delictis, non autem in notoriis tantùm, & cum populi scandalo. Ad Decimum, Regulares ex eadem Constitutione ita demum teneri Episcopo significare diem electionis Abbatissæ, eumque vsque ad præfinitum tempus expectare, si antea ipse expressè declarauerit se vti velle facultate sibi in hac parte attributa, Abbatissarumque electionibus per se, vel per alium interesse, ac præsidere. Post eam verò declarationem licere Episcopo animaduertere in regulares, qui ante tempus significatum, aut die electionis eidem non prænunciata, ad Abbatissæ electionem procedunt. Vide 4. *tom. Bullar.* inter Bullas Gregor. XV. *num.*18. & circa curam Monialium in temporalibus, Gauantum *in Manual. Episcop. verb. Monialium cura in temporalib.* vbi etiam Sacr. Congregationis Episcop. & Regul. Decreta circa hoc refert.

47 Impedientes Visitatores Monialium quarumcumque in iis, quæ pertinent ad Officium visitationis earumdem, sunt excommunicati ipso facto. Clement. *Attendentes* §. *final. de stat. Monach.* Tolet. *in Summ. lib.*1. *cap.*40. *à num.*9. Vide etiam Gauantum *in Man. Episc. verb. Monialium Clausura à num.*64.

48 Circa bona Monialium derelicta ex Monasteriis ipsarum destructis extat priuilegium Sixti Quarti in Bulla *Dum attenta meditatione*, quo Carmelitis hæc concedit: Et, cum aliquando contingat Monasteria Monialium dicti Ordinis Monialibus destitui adeo, vt de eorum reformatione spes nulla supersit, conuenientiusque sit, quòd illorum sic destitutorum bona ad ipsos Fratres deueniant, quorum erant curæ commissa, quàm ad alios illa, quæ sic destituta existant, & destitui contigerit in futurum, cum eorum bonis omnibus, perpetuis vsibus Fratrum Domus dicti Ordinis, eisdem destitutis Monasteriis propinquioribus, applicamus. Ita vt Fratres ipsi possint de illis, & de eorumdem Monasteriorum structuris, & ædificiis, pro eorum voluntate disponere. Prouiso, quòd illorum Ecclesiæ, & Oratoria, ad prophanos vsus non redigantur, sed in illis quandoque Diuina Officia celebrentur. Vide Bullam *in Speculum Ordinis fol.*87.

49 Pertinet ad Dominos Episcopos procurare in Monasteriis Monialium sibi subiectis, ipsarum Clausuram, & inobedientes, atque contradictores per Censuras Ecclesiasticas, & alias pœnas compescere. Concil. Tridentinum *sess.*25. *cap.*5. Quaranta *in Summ. Bull. verb. Exemptio.* Vnde pro hac Clausura conseruanda, possunt ab ipsis Monialibus disquirere ea, quæ ipsam concernunt, in collocutorio, aut ad crates, vel fenestram. Cokier *de iurisdict. Ordin. in exemptos part.*4. *quæst.*53. Insuper Magistratus seculares non præbentes auxilium Episcopis circa prædictam Clausuram, excommunicationem incurrunt. Ex Concil. Trident. *vt suprà* Bonacina *de Clausur. q.*1. *punct.*7. Vide apud Gauantum *in Manual. Episc. verb. Monial. Clausur. n.*29. & 30. *& maximè à num.*56.

Comam nutrire prohibitum esse Monialibus quidam volunt. Consuetudini tamen standum est. Nullatenus verò permittendum, vti tortis, seu comatis capillis, aut non coopertis comis. Suarez 4. *tom. de Relig. tract.*9. *lib.*1. *cap.*12. *num.*4. & 5. 50

Pro Monialibus Monasteriorum Ciuitatis Neapolis, & Salerni, extant Ordinationes quædam factæ, reformatæ, & modificatæ à S. Congregatione Regular. & à prædictis Monialium perpetuò obseruandæ, Quaranta *in Summ. verb. Monasteria Monialium.* Vide & alias Ordinationes pro Monialibus apud Gauantum *in Man. Episcop. verb. Monial. communes leges.* 51

Conditiones assignatæ à Sixto V. pro receptione, & professione Nouitiorum, de quibus nos *cap. præcedenti num.*12. non extenduntur ad Moniales. Ita enim declarauit ipsemet Sixtus Quintus in secunda Constitutione *Ad Romanum spectat*, citata à nobis *ibidem.* Idem dico de Decretis Clem. VIII. & Sanctiss. Domini nostri Vrbani circa receptionem, & institutionem Nouitiorum, adductis etiam *eodem cap. num.*43. Nullum enim verbum ibi reperio, per quod insinuetur ad Moniales extendenda. Nec video aliquid circa hoc iure communi determinatum. Standum ergo est peculiaribus institutis, & consuetudinibus Religionum, seu Monasteriorum. Præsertim, quia in iure *in cap. gener. de election. in* 6. in materia odiosa fœminæ non comprehenduntur. 52

Qualiter Moniales admitti possint vt testes in eorum Monasteriis dicemus *cap.*27. *num.*15. 53

Ex quadam etiam declaratione S. Congreg. quam vidi de anno 1631. pro 24. Ianuarij colligo, admitti non posse tres sorores in eodem Monasterio nisi sine voce & cum duplicatione dotis. Quod etiam elicio ex alia pro 13. Septembris 1647. 54

In casu quodam particulari cuiusdam fœminæ quæ volebat accipere habitum conuertitarum & simul emittere professionem, vide prudentissimè id concessisse eandem Sacr. Congregationem de anno 1647. pro 14. Iunij, vtique ad tollendam illi occasionem redeundi ad seculum. 55

DVBIVM.

Propositum mihi dubium fuit de quodam Monasterio Monialium immediatè subiecto quibusdam Regularibus an ab ipsis solùm visitari posset quoad clausuram, an etiam ab Episcopo seu Ordinario. Ad quod sic respondi. 56

RESPONSIO.

Primo dicendum, quod stando in vi Concilij Tridentini *sess.*25. *cap.*5. satis probabile sit non posse Episcopum visitare dictam Clausuram Monialium. Sic dico *tom.*3. *v. Episcop. quoad Regulares n.*13. 57

Ex

Nauarro, Sanchez & Bonacina, quibus fauent Miranda *in tract. de Sanctim. quæst.* 2. *articulo* 14.
58 & Llamas *in meth. Curat. in append.* §.5. Fundamentum est, quia Concilium eo loco solum renouat Constitutionem Bonifacij VIII. *in* 6. *decret. de stat. Regular. cap. vnic.* Quod incipit *Periculoso & detestabili*, & dicta Constitutio solum loquitur de Monasteriis immediatè subiectis Sedi Apostolicæ. Cum enim Pontifex non possit esse præsens in omnibus locis, in quibus dicta Monasteria exempta & immediatè subiecta Sedi Apostolicæ reperiuntur, conueniens & consentanea fuit determinatio Bonifacij VIII. loco supracitato, quod dicta monasteria gubernentur, visitentur & regantur authoritate delegata ab Ordinariis locorum. Quando verò monasteria sunt immediatè subiecta Regularibus cessat dicta ratio conuenientiæ & congruitatis, scilicet quod visitentur, & gubernentur ab Ordinariis locorum. Ad quod etiam facit idem Concilium *sessione* 25. *capite* 9. Etenim loquens de monasteriis monialium immediatè subiectis Regularibus in fine capitis sic inquit: *Quæ verò à deputatis in Capitulis generalibus vel ab aliis Regularibus reguntur sub eorum cura & custodia relinquantur.* Non ergo possunt ab aliis visitari, stando videlicet in terminis Concilij Tridentini.

59 Quod autem Concilium solum renouare intendat Constitutionem Bonifacij VIII. patet per tenorem verborum d. *capite* 5: quæ sic sunt: *Bonifacij VIII. constitutionem quæ incipit Periculoso renouans S. Synodus vniuersis Episcopis sub obtestatione diuini Iudicij, & interminatæ maledictionis æternæ præcipit, vt in omnibus Monasteriis sibi subiectis, ordinaria; in aliis vero Sedis Apostolicæ authoritate clausuram Sanctimonialium vbi violata fuerit diligenter restitui, & vbi violata est conseruari maxime procurent.* Hæc Concilium Tridentinum, vbi maxime adnotanda sunt verba illa scilicet, *renouans S. Synodus.*

Quod vero Constitutio Bonifacij VIII. tantum loquatur de Monasteriis monialium immediate subiectis Sedi Apost. & non Regularibus patet per verba Pontificis loco citato, quæ sunt sequentis tenoris. *Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis vniuersis districte in virtute sanctæ obedientiæ sub obtestatione diuini Iudicij & interminatione maledictionis æternæ præcipiendo mandamus quatenus eorum quilibet in ciuitate & diœcesi propria in Monasteriis Monialium sibi Ordinario iure subiectis sua authoritate, in ijs vero quæ ad Romanam immediate spectant Ecclesiam Sedis Apostolicæ authoritate.* Hæc sunt verba dictæ Constitutionis, in qnibus adnotanda sunt illa scilicet *quæ ad Romanam immediate, &c.* Cum ergo Concilium Tridentinum solum renouare intendat præfatam constitutionem, & illa solum concedat Episcopis vt authoritate delegata visitent Monasteria monialium immediate subiecta Sedi Apostolicæ, sequitur quod munus visitandi Monasteria monialium immediate subiecta Ordinariis competat ipsis Ordinariis propria authoritate, Monasteria immediate subiecta Sedi Apostolicæ authoritate delegata; munus vero visitandi Monasteria immediate Regularibus competat ipsis Regularibus. Ita Authores relati, quibus etiam adhærent Sayrus *de censur. lib.* 3. *capite* 35. *n.* 14. Filliuccius *tom.* 1. *tract.* 14. *c.* 5. *n.* 73. *in fin.* Tamburinus *de Iur. Abbatis. disp.* 24. *q.* 9. *n.* 5. & si oppositum videatur sensisse *disp.* 17. *q.* 3. *num.* 3.

Fundari etiam potest hæc doctrina in verbis aliis eiusdem Constitutionis Bonifacij. Etenim post prægallegata verba, hæc subiungit: *Abbates vero & alij tam exempti Prælati Ecclesiarum, Monasteriorum & Ordinum quorumcumque in Monasteriis huiusmodi sibi subiectis de clausura conuenienti, vbi non est, ipsorum Monasteriorum expensis, & fidelium eleemosynis quos ad hoc procurent diligentius facienda, & de ipsis monialibus includendis quamprimum commodè poterunt prouidere procurent.* En qualiter cura clausuræ Monasteriorum monialium subditarum Regularibus ipsorum Superioribus committatur. Miranda supra *concl. tertia & quarta.* Sanchez *in Decalog. libro sexto capite* 15. *numero* 21. 61

Fundari etiam potest, sicut aliqui ex Authoribus relatis animaduertunt, in Clem. *Attendentes de stat. Monach.* vbi Clemens V. cum Concilio Viennensi hæc determinat: *Hoc igitur sacro approbante Concilio duximus statuendum, vt singula monialium Monasteria per Ordinarios exempta, videlicet quæ ita Sedi Apostolicæ, quod nulli alij subiecta noscuntur, Apostolica, non exempta vero Ordinaria authoritate, ac exempta alia per alios quibus subsunt, annis singulis debeant visitari.* Quæ cum concludant cum iis quæ adduximus ex Concilio *c.* 9. *sess.* 25. satis firmant intentum, videlicet in terminis Concilij visitationem Monialium Regularibus subditarum, etiam quoad solam clausuram, non spectare nisi solum ad Prælatos regulares, non vero ad Episcopos seu Ordinarios. 62

Hæc autem magis procedunt, si Monasterium istud de quo in præsenti sit Instituti S. Claræ, & Sanctissimæ Conceptionis. Hæc enim Monasteria præseruata videntur ab eodem Concilio eadem *sess.* 25. *cap.* 22. illis verbis. *Si qui vero Regulares tam viri quam mulieres sunt qui sub arctiori regula vel statutis viuunt, excepta facultate habendi bona stabilia in communi, eos ab eorum instituto, & obseruantia Sancta Synodus amouere non intendit.* Cum enim moniales istæ ex Regula, voto, & statuto strictissimam clausuram obseruent, secundum ipsam viuere debent ac proinde solum subiici suis Superioribus Regularibus. Miranda *supra art.* 3. Sanchez *lib.* 6. *in Decal. c.* 16. *n.* 20. Hieronymus Rodrig. *in comp. resol.* 26. *n.* 29. 63

Idem dicendum videtur in terminis Constitutionis Pij V. *Circa Pastoralis* quæ est octaua inter constitutiones ipsius *in* 2. *tom. Bullarij ibi: Mandantes, &c. Episcopis quatenus in ciuitatibus & diœcesibus propriis, præsentes nostras litteras publicari faciant ac in Monasteriis monialium sibi Ordinario iure subiectis, in iis vero quæ ad Romanam mediate vel immediate spectant Ecclesiam Sedis Apostolicæ authoritate vna cum Superioribus eorumdem Monasteriorum clausuram, vt præmittitur quamprimum poterint seruari procurent.* Nam etiam in hoc loco non datur hæc facultas Episcopis, nisi supra Monasteria monialium sibi *iure ordinario* subiecta, & super alia quæ *ad Romanam spectant Ecclesiam,* non vero supra ea quæ subsunt Regularibus. Sanchez *sup. c.* 15. *n.* 21. Bonacina *de clausura quæst.* 1. *punct.* 6. *numero* 1. 64

Quidquid tamen de iis omnibus sit, in praxi obseruandum est Moniales etiam Monasteriorum, quæ Regularibus subiiciuntur visitari posse ab Episcopis seu Ordinariis, ratione clausuræ. Tot enim declarationes Sacrarum Congregationum circa hoc punctum referuntur, vt nullatenus de eo dubitari possit. Primo enim Barbosa *in capite* 65

quinto *sessione vigesimaquinta* Concilij Tridentini
66 de Regular. inter declarationes Sacræ Congregationis, quas ibi affert, vna est: *Episcopus debet prouidere de iis quæ faciunt ad clausuram Monialium, & aliis earum necessitatibus, vnde & Monasteria Regularibus subiecta potest visitare in his omnibus quæ ad clausuram pertinent.* Et in declarationibus prætermissis super idem *caput quintum* refert vnam de anno millesimo quingentesimo nonagesimo quarto pro vigesimooctauo Aprilis, quæ talis est. *Congregatio Concilij censuit Episcopum non posse impediri à Regularibus quominus ingrediatur septa Monasterij ipsis Regularibus subiecti ad effectum videndi si clausura seruata fuerit, nec ne.* Et aliam de anno millesimo quingentesimo nonagesimo septimo pro 17. Iulij quæ est: *Congregatio Concilij censuit Episcopum posse moniales Regularibus subiectas in iis quæ clausuram concernunt toties visitare, quoties vere cognouerit expedire.* Gauantus etiam in man. Epis. verb. Monialium clausura *numero* 56. refert hanc declarationem S. Congregationis Episcoporum de anno 1596. pro die 25. Iunij. *Visitare potest Episcopus clausuram non sibi subditarum sine assistentia Superiorum Monasterij.* Et *num.* 57. de anno millesimo sexcentesimo decimo septimo pro 24. Nouembris, scilicet: *Etiamsi alias numquam visitata fuerit.* Et *num.* 60. aliam de anno 1583. pro 25. Februarij, videlicet: *Et interrogare moniales Regularibus subiectas de pertinentibus ad clausuram.* ac *num.* 61. aliam de anno 1584. pro 28. Aprilis videlicet: *Et idcirco Monasterium ingredi.* Affert etiam Sperellus in suis decisionibus *decis.* 97. quem sequitur Themudo à Fonseca *in decis.* 63. & Cespedes *in tract. de exempt. Regul. c.* 23. *dub.* 343. recentiorem aliam declarationem S. Congregationis Concilij huius tenoris: *Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum ad vtrumque dubium respondit, non solum Episcopo, sed etiam Generali eius Vicario ad hoc speciale mandatum ad id habenti licere pro clausuræ visitatione ingredi septa Monasteriorum monialium Regularibus subiectarum; tametsi nulla rationabilis violata clausuræ suspicio irrepserit, & acriter reprehendit Emanuelem Rodriguez quod hac de re tam audacter locutus*
67 *fuerit. Ant. Card. Caietanus.* Maxime vero adest circa hoc declaratio alia sub Vrbano VIII. die 26. Maij 1640. quam refert Barbosa *in collect. Doct. ad cap.* 5. *sess.* 25. *de Regul. Concil. Trident. num.* 13. his verbis: *S. Congregatio Concilij censuit Episcopum Colimbriensem vti Sedis Apostolicæ delegatum potuisse quoad clausuram Monasteriorum monialium Conuentus de Cellas Ordinis Cisterciensis Regularibus eiusdem Ordinis subiectum visitare, etiam assumpto secum Vicario generali & Confessario earumdem monialium, monialesque ipsas, in iis quæ ad eandem Clausuram pertinent examini subiacere, remotis etiam suspicione violatæ clausuræ, ac quacumque Superiorum Regularium negligentia, ipsisque inconsultis, & irrequisitis. Acinsuper eidem Episcopo licuisse Doctorem Collegij dicti Ordinis ex supradicta causa inobedientem declarare in pœnam excommunicationis, ac alias comminatas incurrisse. I. Cardinal. Pamphilius.*

68 Idcirco generaliter loquendo quod Episcopus possit visitare moniales subditas Regularibus quoad clausuram, communis sententia Doctorum est, quam specialiter tenent Zerola, Galletus, Armendariz Pia secius, Campanilis, CoKier, Naldus, Pellizarius, quos referunt & sequuntur Barbosa & Cespedes locis relatis. Et idem Barbosa *de offic. & potest. Episcop. parte tertia alleg.* 102. *à num.* 4.

Ex adductis tamen SS. Congregationum decisionibus non solum infertur posse Episcopum dictas Moniales quoad clausuram visitare sed etiam cum quibus circumstantiis id possit efficere, scilicet quoties id expediens iudicauerit prout retuli ex declaratione S. Congregationis de anno millesimo quingentesimo nonagesimo septimo pro 17. Iulij & colligitur ex Galletto relato à Barbosa *d alleg.* 102. *numero* 5. & 7. & Gauanto *supra numero quinquagesimo nono.* Deinde, etiam si numquam alias visitata fuisset, sicut ex Gauanto adduco & dico loco relato ex *tertio tomo verb. Episcopus quoad Regulares numero* 13. Item sine assistentia Superiorum Monasterij, vt eo loco dixi, & colligitur ex Gauanto *supra numero quinquagesimosexto* & Naldo *in summa verb. Monialis numero quarto*, quem non reiicit Pellizarius *de monial. capite* 10. *sectione prima numero* 22. Etsi de hoc dubitari possit, cum positum declaretur à Pio V. in Bulla *Circa pastoralis* superius adducta, vt notaui loco relato. Vnde Themudo relatus, cui adhærere videtur Cespedes *supra numero nono* videntur dicere requiri huiusmodi assistentiam Superiorum Regularium Monasterij, ad minus fieri posse congruenter declarauit Sacra Congregatio in illa Colimbriensi de anno 1640. Præterea id fieri posse etiam si nulla adsit suspicio violatæ clausuræ, prout dicitur in d. Colimbriensi & declaratur in illa alia relata ab Sperello, Themudo, & Cespedes; ac proinde non admittendam sententiam Rodriguez quem reprehendit Sacra Congregatio, quia oppositum tenuit, & quem sequuntur Miranda & Sanchez in Superioribus relati. Imo etiam posse Episcopum ingredi clausuram Monialium ad effectum visitandi, prout ex aliquibus declarationibus relatis & authoribus adductis etiam habetur, quidquid dicat Victorellus *in libro de orig. & claus. monial. versus finem §. An Episcopus Superioris licentia*, quem sequi videtur Tamburinus *supra d. disputatione* 24. *quæstione* 9. *numero* 4. 69

Videtur etiam hanc eamdem potestatem visitandi clausuram monialium subiectarum Regularibus competere Vicariis generalibus Episcoporum, prout ex Sellio *in select. Can. c.* 8. *n.* 27. tenet Barbosa *in Collect. DD. ad c.* 5. *sess.* 25. *de Regular. Concil. Trid. n.* 16. & ex Sperello *supra decis. nonagesimaseptima* sequitur Cespedes: apud quos an ad id requiratur speciale mandatum, an verò sufficiat generale. 71

Doctrina vero tradita an extendatur generaliter ad omnia Monasteria Monialium Regularibus subiecta etiam si sint priuilegiata, quia sunt de Iurepatronatus, præsertim Regij, ratione fundationis, seu dotationis, vel ex alia causa onerosa, maior difficultas esse potest. Ad quam dicendum, talia Monasteria non videri comprehensa in præfatis decretis, seu declarationibus Sacrarum Congregationum, ac per consequens non posse visitari ab Ordinariis, etiam ratione solius clausuræ nisi adsit expressa & indiuidua reuocatio Papæ ob grauem causam concernentem bonum publicum, provt in simili de reuocatione priuilegiorum Regularium per contractum onerosum concessorum dico *tomo quarto verb. priuilegia Regularium numero vigesimo* ex Suarez, Salas, Bonacina, Layman & aliis 72 73

74 aliis. Primo quidem propter generalem Regulam ex vulgatis iuribus exceptam, quod scilicet sub generali dispositione non veniunt ea quæ speciali nota digna sunt. Secundo specialiter quia dispositio quantumcumque generalis relinquitur ex ratione particulari, *l. cum præter* §. *dulcissimis ff. de legat. 2. l. si de certa re C. de transact.* Gironda *de priuil. seu exemp. signif. numero* 277. Surdus *cons.* 389. *numero* 9. & non comprehendit casum specialem. Gloss. *in libro tertio de C. de silentiar. libro duodecimo.* Cassador. *decis. sexta numero vndecimo super regul.* Gonzalez *in regul.* 8. *Cancel. gloss.* 5. *numero sexagesimoquinto & gloss. trigesimasexta numero trigesimoquinto.* Tertio etiam specialiter, quia dispositio generalis non comprehendit personas exemptas, Socinus *cons. septuagesimoquarto numero vndecimo* Barbosa *axiom. septuagesimotertio numero vndecimo.* Quarto specialius, quia patronatus laicales ex fundatione, dotatione, &c. sortiuntur vim pacti & contractus, atque ita debent obseruari ex naturali iustitia etiam à Superioribus respectu suorum inferiorum, vt dixi *numero* 20. relato. Et quia conuenit Ecclesiæ vt seruentur, ad hoc quod fideles ad similia pia opera facienda alliciantur. Lambertinus *de Iurepatron. libro primo quæstione nona numero* 80. Rota coram Seraphino *decis.* 773. *numero primo* & coram Buratto *decis. centesima trigesimaseptima numero tertio*, vbi etiam aliæ referuntur. Præsertim quia nec Papa ipse intendat lædere concordata, sed potius illa seruare, provt tradunt DD. per tex. *in capite primo de probat.* vbi Felynus & Decius *numero primo.* & plures quos affert & sequitur Gonzalez *supra gloss. vigesimaoctaua numero vigesimoprimo*

75 Quinto adhuc specialius, quia cum dicta priuilegia sint obtenta titulo oneroso, numquam præsumendum est derogari. Crescentius *decis. secunda & quinta de priuileg.* Mohedanus *decis. vigesimatertia in fin. de præbend. & decis. vndecima de Iurepatron.* & quam plures alij apud eundem Gonzalez *supra gloss. trigesimasexta, numero trigesimosexto*, Vnde & maxime ad intentum, quia cum in Concilio Tridentino *sess. vigesimo quinto de reformat. capite nono*, plures Iurispatronatus sublati vel moderati fuerint, imo reuocati illi qui sunt ex priuilegio quocumque, nihilominus illi qui sunt ex priuilegio concesso ex causa onerosa, non sunt reuocati, provt ex innumeris Sanctæ Rotæ decisionibus probat Garzia

76 *de benef. parte quinta capite nono, numero* 20. Quæ eo fortius procedunt si sint Patronatus Regij propter altitudinem & excellentiam Regum & Reginarum, qui sicut dignitatis altitudine præeminent, sic prærogatiua gratiæ ipsos conuenit anteferri. *cap. fin. in princ. de offic. deleg. in sexto, cap. ne reliqui de priuil. in sexto, capite solitæ de maior. & obed.* Parisius *cons.* 112. *libro quarto in fin.* Staphileus *de litt. Iust.* §. *Petenti committi numero octauo*, ita vt numquam censeatur derogatum Iuripatronatus Regio sub quibuscumque derogationibus iurispatronatus laicalis, nisi exprimatur, vt *in regul.* 41. *Cancel* & late Couarruuias *in pract. quæst. capite* 46. *num.* 3.

77 Si dicatur, saltem reuocata fuisse huiusmodi omnia priuilegia per Bullam Gregorij XV. *Inscrutabile* de anno millesimo sexentesimo vigesimo secundo edita, in qua reuocantur omnia priuilegia etiam *ex causa, aut titulo oneroso vel in limine fundationis, &c.* Respondeo in d. Bulla nihil contineri

78 quoad præsens intentum de visitanda clausura monialium præter id quod habetur *capite Periculoso de stat. Regular. in sexto*, & in Concil. Trident. *sess.* 25. *de regular. cap.* 5. quæ vt dixi, probabile 79
valde est non aduersari resolutioni datæ, stando in terminis Concilij. Quod autem dicitur in eadem Bulla & in declaratione Sacræ Congregationis *ad* 13. *dubium* circa illam, Regulares delinquentes circa clausuram monialium puniri posse ab Episcopo; non arguit facultatem illi concedi ad visitanda dicta monasteria, cum extra visitationem, & sine illa possint Episcopi punire taliter delinquentes Adde in dicta Bulla & declarationibus Sacræ Congregationis circa illam non reuocari priuilegia Iurispatronatus Regij, de quo est sermo in præsenti. 80
Nota etiam quod hæc Bulla suspensa est pro Regnis Hispaniarum, provt dixi *tom.* 1. *sum c.* 19. *n.* 53. & in meis Consult. *consult.* 40. *n.* 115. & 116. vbi Breue Vrbani VIII. quo id declaratur, adduxi.

SVMMARIVM.

Duo genera Abbatissarum, n. 1.
Earum electio ad quem pertineat. n. 2.
Cuius ætatis debent esse vt eligantur. n. 3.
Quanto tempore durat earum officium. n. 4.
An Vidua seu corrupta eligi possit in Abbatissam. num. 5.
An illegitima. n. 6.
An bigama. n. 7.
An possint Abbatissæ, seu Priorissæ, imponere Monialibus præcepta obligantia ad culpam. numero 8.
Circa quam materiam. n. 9.
An in virtute Sanctæ Obedientiæ *vel* Spiritus Sancti, *&c. n.* 10.
Sub pœna alicuius censuræ. n. 11.
Exerceant ne actus iurisdictionis. ibidem & numero 12.
Possunt & debent cogere Moniales ad obseruantiam Regulæ, & constitutionum. n. 13.
Punire illas, & inquirere de delictis ipsarum. ibidem.
Quam licentiam possint concedere dandi, vel recipiendi. n. 14.
Quid possint circa vota subditorum. n. 15.
Quid circa præcepta Ecclesiastica. n. 16.
An possint recipere nouitias. n. 17.
Quid debeant facere ante professionem nouitiarum. ibidem.
An possint admittere professiones. n. 18.
Non possunt præesse duobus Monasteriis. n. 19.
Quid possint facere circa egressum è clausura Monasterij. n. 20.
Vel circa ingressum. ibid.



CAPVT XXVI.

De Abbatissis, seu Priorissis Monialium.

DVo genera Priorissarum, seu Abbatissarum distinguuntur. Aliæ enim sunt Abbatissæ, 1
quæ benedici possunt, & debent, quales sunt Abbatissæ perpetuæ, & si quæ aliæ forsan sunt de quibus *capite indemnitatibus* §. *verum de elect.*

libro 6. & Clem. Attendentes §. ſtatuimus de ſtatu Monachorum. Aliæ verò ſunt, quæ non benedicuntur, quales ſunt, quæ regulariter reperiuntur in Monaſteriis non perpetuo, ſed temporales, ad triennium ſcilicet, vel quadriennium electæ, iſtæ enim benedicendæ non ſunt de iure communi, niſi à Sede Apoſtolica aliud ipſius concedatur Nauarrus *libro 3. conſ. de ſtat. monach. conſ. primo* Quaranta *in Summ. Bull. verb. Abbatiſſa.* Vide etiam Gauant. *in man. Epiſc. v. Abbatiſſa.*

2 Huiuſmodi Abbatiſſarum, ſeu Prioriſſarum electio pertinet de iure communi ad Monaſterium: *Ex capite indemnitatibus citato de elect. libro ſexto* Syluester *verb. Electio 3. quæſtione ſexta numero ſeptimo.* Suffragium, ſeu vocem actiuam in prædicta electione ſolum habent Moniales profeſſæ, quæ adminus duodecim annorum ætatis habeant. *Ex eodem capite Indemnitatibus.* Miranda *in Tract. de Sacris mon. quæſtione ſeptima articulo ſecundo* Conuerſæ autem profeſſæ, licet de iure communi poſſint habere ſuffragium in hac electione, cum nullus textus id prohibeat; ex conſuetudine tamen, & ſpecialibus legibus Religionum non admittuntur. Suarez *quarto tomo de Relig. tractatu octauo, libro ſecundo capite ſexto numero 18.* Is vero, qui electioni præeſt Epiſcopus, ſiue alius Superior clauſtra Monialium non ingrediatur, ſed ante cancellorum feneſtram vota ſingularum audiat, vel accipiat. In reliquis autem ſeruentur ſingulorum Ordinum, vel Monaſteriorum Conſtitutiones. Ita habet Concil. Trident. *ſeſſ. 25. cap. 27.* Vide dicta *in c. de electionibus.* maximéque quæ diximus cap. præcedenti à *num 45.* in Conſt. Gregor. XV. & reſponſis Sacræ Congreg. ad dubia circa illam.

3 Vt aliqua eligatur in Abbatiſſam, ſeu Prioriſſam alicuius Monaſterij Monialium requiritur ætas quadraginta annorum, & octo poſt expreſſam profeſſionem. *Quod ſi his qualitatibus non reperiatur in eodem monaſterio, ex alio eiuſdem Ordinis eligi poteſt.* Si autem hoc incommodum Superiori videatur, *ex iis quæ in eodem Monaſterio annum trigeſimum exceſſerint*, & quinque ſaltem annos profeſſionis habuerint, *Epiſcopo, vel alio Superiore conſentiente. eligatur.* Ita habetur in Concil. Trident. *ſeſſion. vigeſimoquinta. capite ſeptimo.* Suarez *tomo quarto de Religion. tractatu octauo libro ſecundo capite ſexto à numero 7.* Addens etiam, defectum harum conditionum non reddere electionem nullam, aut irritam, ſed ad ſummum irritandam. Cum Concilium non appoſuerit clauſulam irritatiuam, ſed ſolum prohibitiuam. Vide etiam ibidem duas Declarationes S. Congregat. circa electionem Abbatiſſarum, & locum Concilij adductum.

4 Abbatiſſæ, & aliæ Præfectæ Monaſteriorum Monialium in Italia ad triennium tantummodo eligendæ ſunt, quod ſi ſecus actum fuerit, irrita, & nulla voluit eſſe omnia Gregor. XIII. *in Bull. Expoſcit debitum* anno milleſimo quingenteſimo octuageſimo tertio edita 2. *tomo Bull. n. 80.* Item abſtinere debent per triennium à die finitæ adminiſtrationis ſui officij. Ita habetur in eadem Bulla. Quaranta *in Summ. Bull. v. Abbatiſſa.* Vide alia apud Gauantum *in Man. Epiſcop. v. Monial Officiales à num. 19.*

Circa reelectiones ipſarum plures extant Sacræ Congregationis Regularium declarationes. Primo enim de anno milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo ſexto pro 23. Nouembris de quadam poſtulante reeligi, eadem Sacra Congregatio reſpondit: *Oratricem expleto ſolito triennio ſui officij, non poſſe ad illud immediate reeligi abſque expreſſa licentia eiuſdem S. Congregationis.* Similiter eodem anno reſcripſit ad quendam Epiſcopum, caſſam & irritam fuiſſe reelectionem cuiuſdam monialis in Abbatiſſam, & quod procederet ad electionem alterius. Et in ſimili alio caſu ſic etiam reſpondit eadem Sacra Congregatio vigeſimotertio Nouembris eiuſdem anni Eminentiſſimo Domino Cardinali Archiepiſcopo Neapolitano. Conſequenter etiam eodem anno pro ſeptimo Decembris, cum diſpenſatio in hoc poſtularetur ab eadem Sacra Congregatione pro reeligenda moniali quadam noſtrarum matrum Carmelitarum Diſcalceatarum ſic etiam reſpondit: *Attentis narratis & inſtante Procuratore generali Carmelitarum Diſcalceatorum ſub quorum cura atque gubernio oratrices exiſtunt, benigne indulſit, vt præfata ſoror Iſabella à Spiritu ſancto ad præſens Abbatiſſa, ſeu Prioriſſa eiuſdem Monaſterij elapſo currente triennio, immediate ad idem munus ſeruata in reliquis forma à Sacr. Concilio Tridentino, Conſtitutionibus Apoſtolicis, & Monaſterij præſcripta, ad aliud triennium per Oratrices capitulariter, & per ſecreta ſuffragia reeligi & confirmari poſſit & valeat: dummodo prius data per ipſam exacta computorum ratione præcedentis adminiſtrationis fuerit liberata, atque ſaltem duæ tertiæ partes ex integro numero vocalium in eandem concurrant, præmiſſis non obſtantibus.* Similis diſpenſatio conceſſa fuit ab eadem Sacr. Congregatione pro vndecimo Ianuarij anno milleſimo ſexenteſimo quadrageſimo ſeptimo.

Multorum ſententia eſt, Monialem corruptam, ſeu non virginem, aut viduam eligi non poſſe in Abbatiſſam ſine diſpenſatione: 5
propter *caput iuuenculas 20. quæſtione prima & caput ſi quis omnem §. nouimus peccatricem 1. quæſtione ſeptima* & etiam, quia indecens eſt non virginem præeſſe virginibus, cum illis vix poſſit perſuadere virginitatem; ac proinde dato caſu, quod Monialis corrupta occultè eligeretur in Abbatiſſam, teneri ſe excuſare prout melius potuerit, ne ſuum defectum prodat. Rodriguez *tomo ſecundo quæſtione quinquageſima quarta articulo primo* Miranda *in Tractat. de Sacr. Monial. quæſtione ſeptima articulo ſexto.* Maximè, quia declaratum video à Sacra Congregatione Epiſcoporum & Regularium Viduam ſine licentia Sedis Apoſtolicæ non poſſe fieri Abbatiſſam. Gauantus *in Manual. Epiſcop. verb. Monialium Officiales numero ſexto* Diana *Tractat. ſecundo de Dubiis Regular. reſolut. 99.* Vnde ſpeculatiuè ſolum, & non practicè videtur probabilis ſententia affirmans non eſſe neceſſariam prædictam conditionem virginitatis ad munus Abbatiſſæ, niſi ſolum in caſu, quo Monialis illa eſſet benedicenda, ſeu conſecranda benedictione ſpeciali virginum, de qua *c. præcedenti numero 10.* Sanchez *lib. 5. de præcept. Decalog. cap. 5. num. 22.* poſt D. Antonium, & Paludanum. Adminus tamen conſuetudini videtur ſtandum, ſi illa derogata non ſit per prædictum Decretum Sacr. Congregat, Epiſcop. Suarez *quarto tomo de Relig. tractat. 8. libro 2. cap. 6. num. 16.*

Illegiti

6 Illegitima absque dispensatione non potest eligi (secundum plures) in Abbatissam, aut Priorissam. Ratio est, quia in *capite primo de Fil. Presbyt.* statuitur, illegitimum inhabilem esse ad Ecclesiasticas dignitates, inter quas computatur munus Abbatissæ. Nauarrus. *Comment. 2. de Regular. numero* 60. Sanchez *lib. 6. in Decalog. capite quinto numero* 19. [Et ita habetur ex quadam declaratione Sacræ Congregationis *Concilij vigesimo-septimo Aprilis* 1630. Si tamen ea non obstaret.] Oppositum satis probabile censerem. Quia ita video declaratum à Sacr. Congregatione Episcopor. & Regular. apud Gauantum *in Manual. Episcop. verb. Monial. Official. numero septimo.* & quod in iure *Cap. Generali de Elect. lib. sexto*, in materia odiosa fœminæ non comprehenduntur, cuius signum est quòd Sixtus Quintus in sua Constitutione contra illegitimos nullam mentionem de Monialibus fecit. Miranda *in tract. de Sacris Monial. quæst. sexta, artic. tertio*, bene etiam addens, quòd casu, quo prima opinio sustinenda esset, possint Moniales illegitimæ habilitari, ad Officia eodem modo, quo Religiosi, de quo diximus *capit. decimooctauo, numero* 60. Vide Portell. *in Dub. Regular. verb. Abbatissa. num.* 6.

7 Non posse eligi in Abbatissam Monialem bigamam asserunt aliqui, eò quòd sit eadem ratio de illis, ac de viris bigamis quantum ad hoc. Viuald. *in Candel. Sacram. in 2. edit. part. 3. cap. 5. numero octauo.* Sanchez *lib. quinto de præceptis Decalogi cap. 5. numero* 23. Atque ob eamdem rationem, infamis nequit esse Abbatissa, sicut nec vir, infamis potest esse Abbas Viuald. *ibidem numero vndecimo.* Sanchez *ibidem numero* 24. [Oppositum tamen quod attinet ad Monialem bigamam indicat Tamburinus *de iure Abbatissarum disput.* 28. *quæsit.* 13. videtur ergo standum consuetudini.]

8 Possunt Abbatissæ, seu Priorissæ Monialium imponere illis præcepta obligantia ad culpam, iuxta grauitatem, vel leuitatem materiæ, mortalem scilicet, si materia fuerit grauis, venialem verò si leuis. Ratio est, quia, etsi prædictæ Abbatissæ non habeant veram, aut propriam potestatem, siue Iurisdictionem spiritualem, cum fœmina non sit capax illius, habent tamen veram potestatem Dominatiuam, hoc est administrandi, & regendi Monasterium, personas, & bona illius, ac per consequens Moniales tenentur illis obedire, sicut aliis Prælatis. Victoria *relect. de potest. Ecclesiast. quæst. 2. numero* 4. Sanchez *lib. 6. in Decalog. cap. 1. num.* 18.

9 Hæc vero præcepta, quæ possunt imponere solùm sunt circa ea, quæ spectant ad bonum commune politicum Monasterij, vt scilicet pacificè absque scandalis, & perturbationibus gubernetur. Ratio est, quia cum non habeant potestatem spiritualem, seu Iurisdictionem supra Moniales, ac perinde non possint illis imponere præcepta spiritualia, scilicet, spectantia ad finem spiritualem, videlicet perfectionem, & profectum spiritualem animæ, ad minùs poterunt alia præcepta ad prædictum finem boni regiminis Conuentus imponere. Rodriguez *tomo primo quæstio. Regul. quæ.* 15. *artic.* 1. Victoria *in Summ. Sacram. de Clauibus num.* 325.

10 Vtrum autem possint etiam præcipere Monialibus aliquid in virtute Sanctæ obedientiæ, vel in virtute Spiritus sancti, &c. Multi negant, eo quòd solùm habentes Iurisdictionem, seu potestatem spiritualem vti possunt isto modo præcipiendi. Alij verò affirmant, eò quòd Moniales verè emittunt votum obedientiæ suis Superiorissis. Quæstio hæc de modo loquendi apparet, & in ea standum est consuetudini approbatæ Monasteriorum. In rigore tamen Iuris loquendo probabilior est secunda sententia, cum modus ille loquendi non importet necessariò Iurisdictionem spiritualem, & ex alia parte possit habere bonum sensum, scilicet in virtute Sanctæ obedientiæ mihi præstitæ, vel in virtute Spiritus sancti, qui me præfecit huic Monasterio. Azor, *tom. 1. Inst. Mor. lib. 3. cap. 10. q. 7.* Cornexo *tom. 2. in 3. part. tract. 5. de excomm. disp. 2. dub.* 5.

Non possunt autem præcipere aliquid Monialibus sub pœna excommunicationis, vel alterius censuræ. Quia hoc ex vsu Ecclesiæ importat actum Iurisdictionis, cuius fœminæ non sunt capaces. Sotus *in 4. distinct. 20. quæst. prima artic. quarto* Henriquez *lib. 6. de pœnit. capit. 2. num.* 4. An verò ex commissione Pontificis id possint facere, tractatur in materia de censuris. Vide Cornexo *vt suprà.* 11

Quando huiusmodi Abbatissæ, vel Priorissæ exercere videntur aliquos actus pertinentes ad Iurisdictionem, v. g. dare Beneficia, vel similia, tunc non exercent verum actum Iurisdictionis, sed solùm designant personam, vel materiam cui Pontifex dat beneficium. Suarez 4. *tom. de Relig. tract. 8. lib. 2. cap. 9. num.* 13. 12

Possunt tamen, & debent prædictæ Abbatissæ, seu Priorissæ cogere Moniales sibi subditas ad obseruantiam Regulæ, & Constitutionum, punire illas propter transgressionem, inquirere de delictis illarum, &c. Ratio est, quia vel hoc pertinet ad potestatem dominatiuam, vel ad id habent auctoritatem à confirmante Regulam, seu Prælatis Religionis. Vasq. 1. 2. *disp. 166. c.* 4. 13

Possunt etiam dare suis Monialibus eam facultatem dandi, vel recipiendi, quam habent alij prælati Regulares, nisi ex consuetudine, aut præcepto Superioris prælati sit eis denegata talis facultas. Ratio est, quia licet non sint verè prælatæ, habent tamen liberam administrationem bonorum sui Monasterij. Sanchez *lib. 7. in Decalog. cap. 19.* Bonacina *de largit. mun. disp. 3. punct. 6. numer.* 7. 14

Non tamen possunt dispensare, in votis Monialium, seu illa commutare. Quia hoc pertinet ad Iurisdictionem spiritualem, quam non habent. Possunt tamen prædicta vota irritare, propter potestatem dominatiuam, quam supra Moniales habent. Sotus 7. *de iustit. & iur. quæst. 5. articulo* 1. Nauarrus *in Manual. cap. 12. à num.* 63. Quare dispensare, & commutare vota Monialium pertinet ad Superiores Religionum, iuxta dicta *c.* 18. *num.* 48. 15

Abbatissam posse ex commissione prælati dispensare cum Monialibus in ieiuniis, & quibusdam legibus Ecclesiasticis aliqui volunt. Henriq. *lib. 6. de pœnit. cap. 2. num.* 8. Alij verò negant, eò quòd dispensare in prædictis legibus sit actus Iurisdictionis, quam non possunt habere, Sanch. *lib. 6. in Decalog. cap. 1. num.* 24. 16

Non possunt Abbatissæ, seu Priorissæ recipere Nouitias etiam consentientibus Monialibus sine suorum prælatorum licentia. Quia hoc est actus Iurisdictionis solùm spectans ad veros Prælatos. Casarubius *in Compend. priuileg. verb. Abbatissa num.* 8. 17

*num.*8. referens ad hoc Nicolai V. indultum. Miranda *in tractat. de Sacram. Monial. quæst.*8. *artic.*1. Qui etiam Superiores debent taxare dotes Monialium recipiendarum. Eò quòd ipsi habeant potestatem, & Iurisdictionem supra ipsos Conuentus Monialium. Miranda *vt suprà articulo* 8. Dotes autem non debent recipi ante professionem. Concil. Tridentin. *sessione* 25. *capite* 16. *iuxta dicta capit. præced. num.*8. Tenetur autem Præposita Monasterij per mensem ante professionem alicuius Monialis certiorem facere Episcopum, aliàs ab Officio est suspensa tamdiu quamdiu Episcopo videbitur. Concil. Trid. *sess.*25. *cap.*17. Tolet. *in Summ. lib.*1. *cap.*50. Vide dicta *cap. præced. num.*8. Barbosam *Allegat.*100. & Gauantum *in Manual, Episcop. verb. Monial. professio à num.*9. vbi plura ad intentum.

18 Quamuis admittere professionem Monialium pertinet ad quos iura, & Constitutiones Religionum decreuerint, non tamen est contra ius commune, quòd Abbatissa in suo Monasterio professiones Monialium admittat. Nam hæc acceptatio non est actus Iurisdictionis, sed cuiusdam Superioritatis. Azor. *lib.*12. *Institut. Moral. cap.*5. *q.*6. Sanchez *lib.*5. *de præcept. Decalog. cap.*4. *num.*76. Consulantur ergo leges, & consuetudines Religionum.

19 Ex Concil. Trident. *sess.*25. *cap.*7. *Duobus Monasteriis vlla* (intellige Abbatissa) præficiatur. Et, si qua duo, vel plura quocumque modo obtinet, cogatur, vno excepto, intra sex menses cætera resignare. Post id verò tempus, nisi resignauerit, omnia ipso iure vacent. Is verò, qui electioni præest, Episcopus, siue alius Superior, claustra Monasterij non ingrediatur, sed ante cancellorum fenestellam vota singularum audiat, vel accipiat. In reliquis seruentur singulorum Ordinum, vel Monasteriorum Constitutiones.

20 Abbatissæ non possunt concedere Monialibus licentiam vllo modo egrediendi è Clausura Monasteriorum. Quia talem licentiam concedere Concilium Tridentinum, & Pius V. limitarunt ad Episcopum, & Superiorem Religionis, iuxta dicta *cap.*25. *num.*21. Sanchez *lib.*6. *in Decalog. cap.*15. *num.*28. Nec etiam possunt ipsæ Abbatissæ exire, siquidem eadem obligatione Clausuræ, ac cæteræ Moniales tenentur. Vnde nec possunt è Clausura exire ad visitandum ædificium Ecclesiæ, quod fabricatur & ad videndum num sibi placeat, aut dicendum cæmentariis qua forma construendum sit. Sanchez *vt suprà num.*52. Nec etiam ad visitanda Monasteria sibi subiecta. Quia ita definitum est à Pio V. in Bulla quæ incipit *Decori*, *& honestati.* Nauarrus *Comm.*4. *num.*47. *notab.*2. *&* 3. *de Regul.* Possunt tamen è Clausura exire prædictæ Abbatissæ, quando propter feudum tenentur præstare iuramentum fidelitatis alicui seculari Principi, si illud per procuratorem præstare nequeunt. Tum quia in hoc casu de communi Monasterij bono agitur, Tum quia ita conceditur à Bonifacio VIII. *in cap. periculoso* §. *verum quando de Stat. Regular. in* 6. neque hoc reuocatum est à Pio V. aut alio Summo Pontifice. Sanchez *vt suprà num.*51. Bonacina *de Clausur. quæst.*1. *punct.*9. *num.*9. Qui bene aduertunt cum Syluest. *in Summ. verb. Relig.*7. *quæst.*16. *dub.*2. adhuc in hoc casu esse licentiam Superioris petendam, quòd si illam neget, posse Abbatissam vti iure suo. Intellige tamen, dum certò constet iniustè denegare licentiam. Qualiter autem non possint prædictæ Abbatissæ licentiam ingrediendi Monasteria concedere, diximus *cap.*25. *num.*25.

SVMMARIVM

*Triplici via possunt procedere Prælati Regulares ad cognoscenda subditorum delicta.n.*1.
Via accusationis, denunciationis, & inquisitionis. ibidem.
Quid significent ista.ibid.
*Inquisitione generali quando vtendum est, & quomodo, n.*2.
*Quid facere teneantur subditi in ea.n.*3.
*Procedit Iudex regularis ad inquisitionem specialem quando illi constat de delicto.n.*4.
*Etiam si malefactor sit occultus.n.*5.
*Non potest hoc modo procedere nisi præcedat infamia, vel quid simile.n.*6.
*Quæ indicia sufficiant ad procedendum hoc modo. num.*7.
*Quæ semiplena probatio.n.*8.
*An in aliquo casu procedere possit ad inquisitionem specialem ex se solo.n.*9.
*Quid quando inquisitio fit non ad punitionem inquisiti, sed ad alios honestos fines.num.*10.
*Praxis inquisitionis specialis.n.*11.
*De interrogatione rei.n.*12.
*Quid si fateatur, vel neget delictum.num.*13.
*Quid si voluerit se defendere.num.*14.
Quid facere debeat probationibus finitis. numero 15.
Testium diuisio. ibid.
*Si delictum non sit plene probatum quid agendum. num.*16.
An tortura applicanda.ibid.
*Si in tormentis non confiteatur reus delictum quid faciendum.n.*17.
*Quid ante sententiam diffinitiuam præmittendum. num.*18.
*De modo procedendi per iuridicam denunciationem. num.*19.
*Denunciatoris conditiones.n.*20.
Denunciatione facta, quid facere teneatur Iudex. numero 21.
*Accusationis conditiones.num.*22.
*An criminis occulti possit esse accusatio. n.*23.
*Accusatori quæ competant.n.*24.
*Qui non possint esse accusatores.n.*25.
*Facta accusatione quid agendum.n.*26.
*De forma actorum in iudicio Regulari. n.*27.
*Dubium de quodam statuto Ordinis Minorum de Obseruantia.n.*28.
*Responsio.n.*29.
*Roboratur eadem responsio.n.*30.
*Est conformis iuri diuino.n.*31.
*Quid de tali statuto censendum.n.*32.
An ex vi ipsius procedi possit ad punitionem. numero 33.
*Quid secundum aliud statutum.n.*34.
*Oppositio.n.*35.
*Dubium aliud de quodam Religioso Romam veniente. num.*36.
*Resolutio.n.*37.
*Confirmatur ex Sixto V.n.*38.
Ex Declaratione S.Congregationis.n. 39.
*Ex decreto Clementis VIII.n.*40.
*An iuuet præfatum Religiosum titulus recusationis. num.*41.
*Vel titulus appellationis.n.*42.

An



Capvt XXVII.

De iudice Regulari, seu modo procedendi iudicialiter in causis Regularibus.

1 Svpposito ex dictis *capite* 18. *numero* 15. posse, & debere Prælatos Regulares delicta suorum subditorum corrigere, & punire, quod maximè est verum pro tempore visitationis illorum, quam tenentur iure communi & Diuino facere, iuxta illud Luc. 12. & *tu aliquando conuersus confirma fratres tuos*, & iure humano ex *capite Romano* §.1. *de censibus in 6. & can. relat.* 11. *quæst.* 1. & expressius ex Concil. Tridentin. *sessione* 25. *capite* 1. & 8. (Rodriguez *tom.*2. *quæst.*4. *articulo* 4.) triplici via potest Iudex Regularis ad hoc procedere, scilicet accusationis, denunciationis, inquisitionis, vt habetur *cap. qualiter, & quando* 2. *de accusatione.* Primò modo procedit, quando aliquis defert crimen alicuius ad vindictam iustam de eo capessendam. Secundo modo, quando aliquis defert crimen alterius, non ad vindictam capessendam, sed ad ipsius emendationem, correctionem, seu pœnitentiam. Tertiò modo, quando Iudex ipse Regularis ex officio, & non ad instantiam alicuius procedit inquirendo de delicto commisso. Vnde iste tertius modus procedendi solet vocari ex officio, & duo priores *ad instantiam partis.* Alderete *de Relig. disciplin. lib.*1. *cap.*4. 5. & 7. Suarez *tom.*4. *de Relig. lib.*10. *de Regim. Societat. capite* 11. & 12. Deinde modus procedendi per inquisitionem duplex est, scilicet Inquisitionis generalis, & particularis, seu specialis; generalis est qua in genere inquiritur an subditi seruent leges, aut statuta Religionis, an committantur crimina, obseruetur Regula, &c. specialis verò est, cum de certa persona, aut certo crimine instituitur inuestigatio. Ad quam adiungunt aliqui tertiam inquisitionem mixtam, quando scilicet, de sola persona instituitur inuestigatio, cum tamen de delicto habeatur certa notitia. Franciscus Aretinus *in Practic. criminal. capite* 10. Alderete *vt suprà capit.*7. Rursus denunciatio, quamuis variè diuidatur, melius tamen dicitur quòd est duplex, scilicet Euangelica, & iudicialis. Prior est, quæ fit Prælato non vt Iudici, sed vt Patri, non ad processum formandum, sed ad correctionem, vel emendationem. Posterior verò est, quæ fit Prælato vt Iudici ad formandum processum, & puniendum delinquentem. Suarez *vt supr. cap.*8. Thomas de Iesu *in tract.*1. *de visit. Regul.cap.*4. De quibus omnibus sigillatim dicendum est.

2 Et primò, loquendo de inquisitione generali, seu de modo procedendi per illam, dicendum est, illa vti debere prælatos Regulares in visitationibus Prouinciarum, vel Monasteriorum. Finis enim talium visitationum est inquirere in generali de vitiis, & virtutibus Religiosorum. Suarez *vt suprà capite* 11. Vnde ad hanc inquisitionem generalem non requiritur, quòd præcedat aliqua infamia, aut clamorosa insinuatio de aliquo crimine, aut denunciatio, seu accusatio aliqua. Quia in hac inquisitione generali procedit Prælatus ex officio, ob bonum commune Religionis, nec sic procedendo alicui infert iniuriam. Alderete *vt supr. cap.*1. *numer.*3. Thom. de Iesu *etiam vt supr. tract.*1. Nec etiam requiritur petitio iuramenti à Religiosis; saltem de iure communi (quidquid sit de statutis particularibus Religionum) nam hæc generalis inquisitio non est perfectum iudicium, sed præparatoria ad inquisitionem specialem, quæ perfectum iudicium est. Graffis 2.*part. Decis. lib.*3. *cap.*28. *num.*5. Alderete *vt supra num.*4. Ex nostris autem Constitutionibus *part.*2. *cap.*7. imponitur præceptum obedientiæ à Visitatore, quod, vt ibidem dicitur, habet vim iuramenti. Deinde in huiusmodi inquisitione generali crimina occulta interroganda, aut patefacienda, non sunt, nisi de illis præcedat aliqua infamia, aut suspicio probabilis. Ratio est, quia si talis infamia, aut suspicio non præcedit, Iudex non interrogat iuridicè cum non habeat plenam, aut semiplenam probationem, ac per consequens nec ipse potest interrogare, nec subditus occultum peccatorem manifestare. Quod intellige, etiam si sub iuramento interrogetur. Suarez 4. *tom. de Relig. lib.*10. *de Regim. Societ. cap.*11. *num.*7. Nisi solùm velit manifestare tale peccatum prælato vt patri, & secretò ad emendationem fratris, quia vt sic potest id facere, etiam si non præcedat suspicio, aut infamia. Suarez *vt suprà num.*8. Semper tamen præmittenda est, si sit spes emendæ, & opportunitas, correctio fraterna, quia illa est de iure diuino, Math. 18. Rodriguez *tom.*2. *quæst.*8. *artic.*1. Peirin. *tom.*1. *de subdito quæst.*1. *de obedientia cap.*16. *post* 3. *concl.* Excipe Religiosos Iesuitas, quia isti cedunt iuri suo de correctione fraterna, ratione statuti illorum, quod præcipit, quod qui nouerit peccatum socij immediatè denunciet Prælato non præmissa correctione fraterna. Suarez *de fide disput.*8. *sect.*6. Volunt etiam aliqui prælatos teneri in huiusmodi visitationibus, seu inquisitionibus generalibus monere subditos ne reuelent peccata omnino occulta, de quibus non est suspicio, aut infamia. Nauarrus *Corollar.*47. *num.*179. *cap. inter verba.* Hæc tamen cautio solùm videtur necessaria quando subditi sunt indocti, aut non possunt doctiores consulere. Docti enim sciunt præcepta superiorum nihil contra ius naturale, aut diuinum præcipere posse. Suarez *vt suprà n.*7. Thomas de Iesu *de Visitat. Regul. tract.*1. *cap.*1. *n.*5. Similiter in huiusmodi Inquisitionibus generalibus non tenentur Religiosi denunciare etiam ad præceptum Superioris, ea peccata, quæ constat iam esse emendata. Quia iam cessat finis denunciationis, quæ est emendatio fratris. Nauarrus *in Summ. cap.*25. *num.*46. Rodriguez *tom.* 2. *quæst. Regul. quæst.*6. *articul.*2. Secus est de prælatis, quibus incumbit, ne delicta etiam correcta impunita maneant. Rodriguez *vt suprà.* Peirinis *etiam vt suprà.* Similiter si aliquid mali timet quis sibi obuenturum ex denuntiatione, nisi quando delicta essent in graue damnum communitatis, denunciare non tenetur. Quia hoc postulat ordo charitatis. Rodriguez *tomo* 2. *quæst. Regul. quæst.*6. *art.*3. Neque etiam tenetur aliquis denuntiare quæ audiuit à persona non fide digna, aut appassionata, quia talibus non est credendum. Secus est, si audiuit

diuit à persona fide digna, & Prælatus præcipiat, vt dicat quæ audiuit, & ipse credit id esse verum, Rodriguez *tom.2. quæst. Regul. quæst.6. art.7.* Peirinis *vt supr.4. concl.*

3 Tenentur tamen subditi in huiusmodi inquisitione generali denunciare paternè prælato, correctione fraterna, si fieri debeat, præmissa, iuxta dicta *numero secundo*, omnes defectus Religiosorum. Quia salutem spiritualem proximi omnes procurare tenemur omni meliori modo quo possumus. S.Thomas 2.2. *quæst.33. art.8.* Graffis 1. *part. Decis. lib.2. cap.69. numero 15.* Imò si fraterna correctione, vel paterna denunciatione Religiosus non est correctus, nec speratur corrigi, tenentur alij ipsum iuridicè ad prælatum vt Iudicem, denunciare, si per testes idoneos probari potest delictum. Ratio primæ partis est adducta, videlicet, quod omnes tenemur procurare salutem proximi omni meliori modo, quo possumus. Ratio verò secundæ, quia nemo tenetur denunciare iuridicè quod probare non potest *ex cap. plerumque 2. quæstio. 7.* Nauarrus *capite inter verba conclus.6.* Graffis 1. *part. Decis. libro primo, capite 69. numero decimoquinto.* Ad quod addunt aliqui, id esse verum etiamsi Prælatus oppositum præciperet. Quia hoc præceptum contineret intolerabilem errorem. Nauarrus *vt suprà.* Angelus *verb. excommunicatio 3.* Vide dicenda inferius *numero decimoquinto, & 20.* Si testes leues sint, idonei non censentur, & ita, qui hos tantum habet, non tenetur denunciare iuridicè; quia non habet testes idoneos ad probandum delictum fratris. Peirinis *tom.1. de Subdito quæst.1. de Obedientia c.16. ante 4. conclus.* Demum pro huiusmodi inquisitionibus generalibus, seu visitationibus, nota, quod Prælatus in illis admonitus solum tanquam Pater, seu denunciatione paterna, non potest reum punire, sed tantum monere, seu minis terrere, vt cautius se habeat. Angelus *in Floribus part.2. quæst. de Correct. frat. art.1. diffic.7.* pro forma verò in huiusmodi inquisitionibus generalibus, seu Visitationibus seruanda, legantur particularia Statuta Religionum, & pro nostra *part.2. Const. cap.5. & 6.*

4 Ad inquisitionem specialem alicuius delicti procedere potest, & debet, Prælatus Regularis, primò, quando ex visitatione, seu inquisitione generali constat illi aliquod crimen à subdito aliquo fuisse commissum: tunc enim contra ipsum specialis fieri debet inquisitio, & præuio iuramento testes interrogandi. Cum enim iam delictum sit Iudici notorium, non potest prætermittere iuridicè contra delinquentem sic infamatum procedere. Nauarrus *de Iudiciis num.87.* Alderete *lib.1. de Relig. discipl. capite septimo, numero sexto.* Quod intelligo etiam in casu, quo iniustè tale delictum Prælato sit patefactum. Nam eo ipso quod crimen deductum est in Iudicis notitiam, siue bene, siue male, eo ipso tenetur contra illud procedere. Lessius 2. *de Iustit. capite 29. dub.15. numero 125.* Thomas à Iesu *de Visitat. Regular. tractat.2. capite quarto, numero septimo.* Non tamen potest Prælatus ad hanc inquisitionem specialem procedere ex sola notitia habita per epistolas, vel libellos sine auctore, etiam si in ipsis litteris notificarentur testes, qui delictum testificari possent. Quia huiusmodi litteræ, aut libelli nullam inducunt infamiam, & habetur *ex cap. Inquisitionis, extra de accus.* Lessius *vt suprà num.136.* Thomas de Iesu *etiam vt supra cap.3. num.9.* Poterit tamen generalis inquisitio fieri ex huiusmodi litteris sine nomine, quia ad huiusmodi inquisitionem non requiritur infamia. Alderete *de Discipl. Regul. lib.1. cap.7. num.31.*

Secundò etiam potest Iudex Regularis ad inquisitionem specialem procedere, quando delictum est notorium, etiam si malefactor sit occultus, nec vlla infamia laboret. Ratio sumitur ex communi vsu Reipublicæ Christianæ, & Iudicum timoratæ conscientiæ, qui ob bonum publicum, quando constat de delicto, quærunt speciali inquisitione de delinquenti. Nauarrus *capit. inter verba conclus.6. num.124.* Salon. *de Iust. & iur. contr.7. circa quæstionem 79. art.2.* & alij. Qui benè aduertunt in hoc casu Iudicem non debere facere inquisitionem de singulari aliqua persona, v. gr. an Petrus fecerit hoc furtum, quia cum nulla de illo præcedat infamia, iniquè infamaretur; sed in communi solum. Thomas de Iesu *de Visit. Regular. tract.2. cap.5. à num.6.* 5

Regulariter etiam loquendo non potest Iudex Regularis iuridicè contra aliquem per specialem inquisitionem procedere, nisi infamia, siue clamorosa insinuatio, vel indicia manifesta, aut semiplena probatio præcedant. Quia sine aliquo istorum delicta reputantur occulta iudicio humano. Sanctus Thomas 2. 2. *quæst.69. articul.2. & 3.* Thomas de Iesu *de Visit. Regular. tract.2. cap.2.* & habetur *ex cap. qualiter, & quando & cap. Inquisitionis de Accus. & cap. licet. Heli de Simon.* Infamia est quidam rumor ortus non à maleuolis, sed à probis, & honestis hominibus sparsus inter multos. Clamorosa verò insinuatio, vel est idem quòd infamia, vel est vox totius populi, vel publicus rumor inter multos subortus. Indicia autem sunt illæ circumstantiæ, ex quibus potest aliquo modo colligi quis sit auctor criminis. Tandem semiplena probatio est vnius testis oculati, & iurati, omnique exceptione maioris testimonium. Thomas de Iesu *vt suprà.* Ergo, vt diximus, si aliquod istorum non præcedat, non potest Iudex ad inquisitionem specialem procedere. Quod præter dicta, ex eo confirmatur primò, quia, vt docet Sanctus Thomas 2.2. *quæst.67. articulo 3.* contra nullum potest Iudex via inquisitionis (intellige specialis) procedere, quando nullus est accusator formalis, vel virtualis. Cum ergo in via inquisitionis, de qua loquimur, nullus sit accusator, vel denunciator formalis, quia in hoc distinguitur hæc via à via denunciationis, & accusationis, debet necessario esse aliquis virtualis denunciator, vel accusator, cuius munus solum prædicta habere possunt. Secundò, & ad idem, quia iudicium ex tribus personis constat, scilicet accusatore, reo, & Iudice, cum ergo inquisitio hæc specialis, iudicium quoddam sit ex eisdem tribus constare debet, & cum accusator in illo non adsit, aliqua quæ ipsum suppleant, adesse debent, Francisc. Aretin. *in Practic. crimin. capite 14.* 6

Imò ad hoc quod indicia sufficiant ad procedendum via specialis inquisitionis, non debent esse leuia, sed grauia. Quia cum in iure expresè caueatur, infamiam prærequiri ad inquisitionem specialem *capit. cum oportet. capit. inquisitionis cap. qualiter, & quando, de accus.* indicia autem leuia non æquiualeant infamiæ, absdubiè requirentur indicia grauia. Quo in sensu accipiendus est Nauarrus *capite inter verba conclus.6. num.116.* Imò etiam indicia grauia, & expressa æquiualentia 7

lentia infamiæ, ad hoc, vt sufficiant pro inquisitione speciali, debent esse publica multis, & in delicto publico, tunc enim æquiualent infamiæ, & ex illis Iudex potest procedere ad inquisitionem specialem delinquentis. Suarez 4. *tomo de Religion. lib.* 10. *cap.* 12. *num.* 12. Addunt aliqui, quòd etiamsi delictum non sit publicum, sed occultum, si tamen contra bonum commune, vel ex eo imminet damnum tertiæ personæ, posse Iudicem ex solis prædictis indiciis ad specialem inquisitionem auctoris criminis procedere. Thomas de Iesu *Tract. de Visitat. Regul. cap.* 7. *num.* 2.

8 Similiter ad hoc, quòd Iudex procedere possit ex semiplena probatione ad inquisitionem specialem, requiritur, quòd crimen sit notorium & malefactor occultus: nam si delictum notorium non sit, tunc semiplena probatio non erit æquiualens infamiæ, atque ita insufficiens ad procedendum inquisitione speciali, sicut diximus supra de indiciis expressis. Nauarrus *in Summa capite* 25. *num.* 3. Lessius *lib.* 2. *de Iustit. cap.* 29. *dub.* 16. *num.* 146. Addunt etiam alij quòd in delictis, quæ sunt contra bonum commune, & quando imminet proximo damnum graue ex peccato alterius, etiam occulto, posse ad inquisitionem specialem ipsius procedere Iudicem ex sola semiplena probatione. Thomas de Iesu *tract.* 2 *de Visitatione Regul. cap.* 9. *num.* 6.

9 Excipi tamen solent aliqui casus particulares, in quibus Iudex ex se solo, & sine alio motiuo possit procedere ad inquisitionem specialem. Primus est, si delictum vergat in commune damnum Republicæ, vel Communitatis, verbi gratia, crimen hæresis, vel apostasiæ à fide, crimen læsæ Maiestatis, conspiratio in Principem, falsificatio monetæ, furta, homicidia, &c. Secundus est, quando delicta sunt nimis grauia, & atrocia, verbi gratia, sodomiæ, &c. Tertius est, quando crimen est commissum, vel detectum in iudicio, vt si aliquis coram Iudice, & Notario falsum testimonium dixerit, aut confessus fuerit aliquod crimen. Sotus *de detegendo secreto, membr.* 2. *quæstione* 6. Thomas de Iesu *de Visitat. Regular. tractatu* 2. *cap.* 4. Cæterum quòd attinet ad crimen hæresis, constat ex dictis *capite* 18. *numero* 18. illud non posse iudicari à Prælatis Regularibus. De falsificatione monetæ constat etiam ex dictis *cap.* 10. *num.* 23. ad quos pertineat Iudices, saltem in Italia. Sed dato quòd hæc delicta ad Iudices Regulares ex priuilegio aliquo, vel alio modo spectent, (& idem est de aliis criminibus in primo casu relatis) dicendum est primò, quòd quando illa sunt omnino occulta, vel quia illa in se talia sint, vel quia esto, quòd nota sint, ignoratur tamen auctor, ita, vt nec de illo sit infamia, semiplena probatio, aut indicia saltem leuia, tunc nullo modo licet Iudici ad inquisitionem specialem procedere. Ratio est, quia, vt diximus *suprà numero sexto*, ad huiusmodi specialem inquisitionem, cum sit quoddam indicium, petitur necessariò, aliquid, quod habeat vim accusatoris, & moueat Prælatum ad illam, ac perinde, si aliquod ex prædictis non adsit, procedere nequibit ad specialem inquisitionem, Suarez 4. *tomo de Religion. lib.* 10. *cap.* 12. *num.* 4. Dico tamen secundò, sufficere, quòd præcedant aliqua indicia, saltem leuia, posita notorietate talium delictorum, & qualitate illorum, ad hoc, quòd Iudex procedere possit ad inquisitionem specialem auctoris. Ratio est, quia positis talibus circumstantiis, hic & nunc reperit Iudex sufficiens motiuum ad inquisitionem specialem, tunc enim ratio boni communis obligat, vt eius cura, & prouidentia habeatur, delictum publicum prouocat sufficienter ad aliquam inquisitionem, & indicia, saltem leuia delinquentis, ad inquisitionem specialem. Suarez *vt suprà num.* 13. In aliis verò delictis, quæ non sunt contra bonum commune, indicia debent esse non leuia, sed grauia, vt diximus *suprà num.* 7. Loquendo verò de delictis in secundo casu relatis, quæ sunt nimis grauia, & atrocia, dicendum est, non sufficere talia esse, ad procedendum per specialem inquisitionem, nisi præcedat infamia, semiplena probatio, aut sufficientia indicia, iuxta dicta *num.* 6. Quia aliàs iniuria fieret proximo ipsum infamando. Suarez etiam *vt suprà n.* 6. In delictis verò in tertio casu relatis, cum iam illa supponantur manifesta, nihil istorum requiretur, nec fiet iniuria delinquenti, contra illum specialiter procedendo. Francisc. Aret. *in Pract. crimin. c.* 14. Alderete *lib.* 1. *de Discipl. Regul. c.* 7. *n.* 14. *&* 15.

Præterea quando inquisitio fit non ad punitionem inquisiti, sed ad alios iustos fines, ad quos est necessaria cognitio personæ, & qualitatum eius, vt cum Prælatus quærit de habilitate, aut inhabilitate subditi ad aliquod officium, gradum, vel dignitatem, vel ad aliquod suffragium ferendum, vel habendum, potest ipse ad inquisitionem specialem de delictis alicuius personæ determinatæ procedere, etiam non præmissa infamia, semiplena probatione, aut indiciis aliquot, sicut inter seculares solet fieri ad contrahenda Matrimonia. Quia non potest aliter Prælatus satisfacere muneri suo, & bono communi religionis, nec in hoc modo procedendi ex motiuo boni communis procurandi, alicui facit iniuriam. Francisc. Aret. *in Pract. crimin. c.* 14. Suarez *vt suprà n.* 17. Bene autem aduertit Aretinus debere in tali casu aperiri crimina superioribus secreto, & cum minima, qua fieri potest, famæ læsione. 10

Praxis autem Inquisitionis specialis, supposita infamia personæ, vel delicti, iuxta dicta in superioribus, hæc est. Primò enim constituendus est Notarius, seu Secretarius à Prælato, qui omnes actus inquisitionis fideliter conscribat, eisque cum ipso Prælato subscribat. Suarez 4. *tomo de Relig. lib.* 10. *de Regim. Societ. cap.* 12. *numero vigesimo-nono.* Deinde formatis articulis, & capitulis pro interrogatorio testium, secundùm illos interrogandi sunt testes, clarè, & distinctè. Suarez *ibidem.* Qui etiam benè aduertit, quòd quamuis cum præcedit infamia delinquentis (idem dico cum præcedit semiplena probatio, aut grauia indicia, iuxta dicta *suprà num.* 6. *&* 7.) non sit necessarium de illa inquirere in interrogatorio; bonum tamen est hoc facere ad magis conuincendum Reum. Interrogandi autem sunt testes sub iuramento, saltem iure communi loquendo, iuxta *cap. Cum delicti de accusat.* nisi legitima consuetudo Religionis oppositum teneat, scilicet solùm sub præcepto Obedientiæ, vel excommunicationis. Suarez *ibidem.* Interrogari etiam debent de nomine, & cognomine eorum, *cap. Olim de accusat.* Thomas de Iesu *de Visitat. Regular. tractatu* 3. *cap.* 7. Testes autem interrogati sic tenentur sub mortali veritatem fateri. Quia astringuntur iusto Prælati præcepto. Nauarrus *cap. Inter verba conclus.* 6. Lessius 2. *de Iust. cap.* 39. *dub.* 6. *num.* 43. Quod intellige, vt supponitur, quando iuridicè interrogantur (prout semper debet credi quando Iudex est probus, nisi certò constet contrarium) id est ab habente potestatem, & præcedente infamia, semiplena probatione, seu notitia delicti, iuxta dicta *n.* 6. *&* 7. Quia non tenentur testificari 11

testificari cum legitimè,& iuridicè non interrogantur, Syluester *verb. Testis quæstione octaua, d. primo.* Lessius 2. *de Iust. cap.* 30. *dub.* 6. *num.* 47. Sed nec tunc debent mentiri, cum mendacium numquam sit licitum, sed dicere se nescire, aut non vidisse, &c. tale delictum, mente intelligendo, ad manifestandum, vel propalandum in tali iudicio. Nauarrus *in Manual. cap.* 18. *numero sexagesimoprimo, cap.* 12. *numero nono.* Ea verò, quæ per Sacramentalem Confessionem nouerunt, nullatenus debent, aut possunt reuelare. Quia obligatio sigilli Sacramentalis multò maior est, quàm cuiuscumque præcepti, Sotus *de rat. tegend. secr. membr.* 3. *quæstio. vltim. conclusione quarta.* Idem dico si notitia quam habent testes de delicto fuit sub sigillo secreti, consilij, vel auxilij petendi gratia. Quia obligatio seruandi secretum est maior, quam obediendi Prælato, Nauarrus *in Summa cap.* 25. *numero quadragesimosexto.* Secus verò est, quando id quod acceptum est sub secreto cedit in damnum corporale, vel spirituale Communitatis, vel graue alicuius personæ particularis. Quia tunc obligatio seruandi secretum, cedit obligationi tuendi bonum commune, vel graue priuatum alicuius particularis. Valentia *tomo* 3. *disputatione* 5. *quæstione* 14. *p. p.* Nec etiam tenentur testes testificari ea, quæ ab aliquo non fide digno, aut appassionato audierunt; secus verò si à persona fide digna illa acceperunt, & Prælatus præcipiat, vt referantur ea, quæ sciunt ex auditu, iuxta dicta *supra numero* 2. Nec etiam tenentur testificari cum suo notabili damno spirituali, vel temporali, quod prudenter timent euenturum ex testificatione, iuxta dicta etiam *ibidem.* Peirinis *tomo* 1. *de Subdito quæst.* 1. *de obedientia cap.* 16. §. 3. *conclusione* 7. Testes non sunt vllo modo cogendi à Iudice, vt dicant quod nesciunt, sed liberrimè sinendi dicere veritatem; imò si ignorantes sunt, monendi sunt ab illo de modo testificandi, vel dandum illis tempus ad consilium accipiendum à doctis. Thomas de Iesu *de Visitat. Regul. tract.* 3. *cap.* 6. Debent etiam cum ferunt sua testimonia interrogari de causa scientiæ, seu quomodo sciant, quod dicunt, *c. causam de testib.* Thomas de Iesu *ibidem cap.* 7. Apud quem alia ad intentum.

12 Post formationem processus, seu informationis, si nullus sit testis, qui reum condemnet de delicto, posset absolui si non præcessissent prædictam informationem, vel processum infamia, semiplena probatio, aut indicia sufficientia respectiuè ad delictum, quia nulla esset tunc causa, quare vlteriùs contra illum procedi posset. Imò numquam citandus est aliquis, vt tanquam Reus interrogetur, nisi delictum sit saltem semiplenè probatum, vel ex testibus, vel ex indiciis, vel ex probata infamia. Franciscus Aretinus *in Practic. crimin. de* 3. *substant. iudicij cap.* 1. Aliquo tamen ex prædictis præmisso, & multò magis si per testes, vel vnum solum omni exceptione maiorem constet de Reo criminoso, ante omnia citandus est; nam si Iudex Reum condemnaret non vocatum prius, non solùm condemnatio esset nulla, sed etiam peccaret mortaliter. Nauarrus *in Manual. capite vigesimoquinto, numero decimotertio.* Non est tamen detrudendus in carcerem, nisi fuga timeatur, vel grauitas delicti hoc postulet. Secus enim grauiter Iudex peccaret. Nauarrus *de Iudic. num.* 51. *verb. ex quo infertur.* Franciscus Aretinus *vt suprà.* Incarcerato ergo, siue extra carcerem Reo, debet Iudex omnia testimonia, & probationes simul cum delicto, quod contra illum obiicitur, patefacere, tacitis nominibus testium, cum aliquo spatio temporis, etiam sub iuramento, vt respondeat, Suarez 4. *tomo de Relig. libro decimo, capite duodecimo.* Thomas de Iesu *de Visitat. Regular. tractatu* 3. *cap.* 9. Reus autem iuridicè interrogatus tenetur veritatem confiteri, sub mortali, manifestando delicta, de quibus inquiritur. Tenetur enim obedire Prælato iusta præcipienti. Sanctus Thomas 2. 2. *quæst.* 69. *art.* 1. & 2. Nauarrus *de Pœnitent. distinct.* 1. §. *Non dico tibi numero* 19. & *in Summa cap.* 18. *numero* 57. Etiam si illi immineat periculum vitæ. Propter eandem rationem. Sotus *de tegendo secret. membr.* 2. & 5. *de Iustit. quæstione* 6. *articulo secundo.* Corduba *libro* 5. *quæstione* 43. *dub.* 3. Et propterea absolutio à Confessore est illi deneganda. Thomas de Iesu *de Visitat. Regular. tractatu tertio, capite decimo, numero octauo.* Secus si non iuridicè interrogaretur, scilicet, quia Iudex competens non esset, aut non esset infamia, semiplena probatio, aut indicia sufficientia. Quia tunc iniustè præciperet reuelari sibi crimen. Thomas de Iesu *de Visitat. Regul. tract.* 3. *cap.* 8. Addens benè etiam in hoc casu non esse licitum reo dicere mendacium, quia hoc est intrinsecè malum, ac propterea nunquam licitum; posse tamen celare veritatem verbis æquiuocis, aut amphibologicis, dicendo scilicet, nihil scio, nihil feci, mente intelligendo, vt illud debeam manifestare, iuxta dicta de testibus *suprà n. præcedenti.* Vnde nunquam Reus tenetur delictum, purè occultum, quod non est manifestum aliquo modo ex prædictis, manifestare. Quia de purè occultis nunquam legitimè interrogatur. Nauarrus *distinct.* 1. *de pœnit.* §. *Non dico tibi.* Rodriguez *tom.* 2. *quæst. Regul. quæstione* 5. *artic.* 4. Imo aliqui volunt peccare mortaliter sic faciendo. Quia iniustè se infamat. Nauarrus *in Manual. cap.* 18. *numero* 57. Thomas de Iesu *de Visitat. Regul. tractatu* 3. *cap.* 10. *numero* 7. Iudex etiam non potest reum de vno crimine conuictum, de aliis criminibus, aut etiam de sociis interrogare, nisi de iis quoque præcedat aliqua infamia, semiplena probatio, vel indicia iuxta dicta. Propter eandem rationem. Thomas de Iesu *vt suprà cap.* 8. *num.* 5. & 6.

Sumpta igitur confessione à reo, si fatetur delictum posset in rigore contra illum proferri sententia, licèt mitiùs cum illo procedi debeat, terminum ei concedendo, vt si quam habet excusationem de delicto, quæ saltem illud minuat, eam afferat. Suarez 4. *tomo de Relig. libro decimo, capite duodecimo, numero trigesimoprimo.* Si verò interrogatus neget delictum, procedi vlterius debet ad conuincendum illum. Primò ratificatione testium, licèt hoc non sit necessarium, maximè inter regulares, quando de fide testium moraliter constat. Secundò alios de nouo accipiendo si necessarium hoc videbitur ad moralem certitudinem veritatis. Suarez *vt suprà.* 13

Si verò Reus defendere se voluerit poterit aliquem Religiosum designare Procuratorem, qui suo nomine, maximè si incarceratus fuerit, suam defensionem suscipiat. *Clement. Religiosus de procurat.* Alderete *de Disciplin. libro primo, capite vndecimo, numero decimoquinto.* Et, si voluerit producere testes aliquos in sui defensionem, terminus ad hoc necessarius est illi concedendus, & prædicti testes, ab ipso oblati iuxta ordinem præscriptum examinandi sunt. Thomas de Iesu *de Visitat. Regul. tract.* 3. *c.* 9. *n.* 6. Similiter si Reus propriæ defensionis causa petierit copiam probationum contra ipsum, debet etiam dari, imo si nomina testificantium contra illum postulauerit, licèt regulariter loquendo id negari debeat, 14

debeat, iuxta dicta *suprà numero duodecimo*, in causa tamen grauissimæ culpæ ex qua grauissimum damnum ipsi immineat poterit hoc ipsi concedi. Rodriguez *tomo 2. quæst. Regular. quæst.16. articulo 1.* Thomas de Iesu *vt suprà*. Si verò timet Iudex, quod rei amici, vel partiales graue damnum testi, vel testibus reuelatis illaturi sint, poterit illos occultare, Alderete *de Relig. disciplin. libro primo, capite 14. num.10.*

15 His peractis, probationibusque finitis, Iudicis partes sunt diligenter examinandæ, an Reus verè se defenderit, & testes per ipsum adducti certò probent illum non commisisse crimen sibi impositum, ita vt credere possit illum esse innocentem, & tunc illum debet absoluere. Alderete *libro 1. de disciplin. cap.16. numero 2.* Si autem è contra videat crimen plenè probatum esse, & defensiones pro Reo adductas, parum, aut nihil iuuare, eum condemnare debet pro criminis qualitate. Alderete *ibi num.3.* Tunc autem nec est necessaria, nec iustè adhiberi debet tortura. Quia in tali casu cessat finis torturæ, qui est supplere defectum plenæ probationis. Nauarrus *capite decimooctauo, numero quinquagesimonono.* Suarez *4. tom. de Relig. lib.10. c.12. numero 33.* Tunc verò intelligitur delictum plenè probatum quando ad minimum per duos testes oculares, & contestes, & omni exceptione maiores testificatum est, iuxta illud Christi *In ore duorum, vel trium stet omne verbum.* Suarez *ibidem.* Testes *oculares*, sunt, qui oculis (idem est de auditu, quando delictum auditu percipitur, vt blasphemia) delictum perceperunt. Franciscus Aretinus *in Pract. crimin. capite 2. de num. test.* Testes *contestes*, qui de eodem facto, loco, tempore, personis, aliisque circunstantiis ad facti substantiam attinentibus, & necessariis deponunt. Thomas de Iesu *Tract.3. Visitat. Regul. capite septimo, numero vndecimo.* Testes verò *omni exceptione maiores* sunt, quibus nulla exceptio opponi potest, per quam eorum fides minuatur. Alderete *libro 2. de Disciplin. capite 3. numero 6.* Vnde testes de auditu, qui scilicet deponunt se audiuisse, vel fama percepisse, nisi illi, à quibus audiuisse dicunt, idem deponant non faciunt plenam probationem. Thomas de Iesu *vt suprà numero 16.* Similiter nec testes singulares, illi scilicet, qui de diuersis numero factis, aut de distinctis temporibus, aut locis deponunt, non faciunt plenam probationem. Suarez *4. tom. de Relig. lib.10. cap.12. num.33.* Thomas de Iesu *de Visitat. Regular. tract.3. cap.7. num.5.* Licet quando de eadem delicti specie deponunt, in circunstantiis loci, vel temporis variando, plusquam semiplenam probationem faciunt. S. Thomas *2.2. quæst.70. artic.2. ad 2.* Sotus *5. de iust. quæstione 7. artic.2.* Testes autem non omni exceptione maiores, & quibus exceptio opponi potest, (ac per consequens qui non faciunt plenam fidem) sunt primò inimici inimicitia capitali, non leui inimicitia. [Tales autem raò credendum est reperiri inter Regulares vt piè notat Portellus *in Responsionibus moral. casu 16. quæst.1.* vbi etiam de signis inimicitiæ capitalis.] Secundò, minores natu viginti annis. Tertiò, viles personæ, & infames, & qui grauia delicta commiserunt, nisi fuerint emendati. Quartò, dementes, & furiosi. Quintò, conspiratores, qui scilicet ex pacto conuenerunt, vt vnus accuset, seu denunciet, & alij sint testes. Sextò, qui sunt varij, & inconstantes in suo testimonio. Septimò, mulieres, sed inter Religiosos admittendæ sunt Moniales, maximè pro delictis, quæ in earum Monasteriis committuntur. Pro quibus, & aliis ad intentum vide Franciscum Aretinum *in pract. cap.1. de secundo substant. iud.* Alderete *de Disciplin. lib.2. cap.3.* Thomas de Iesu *de Visitat. Regular. tract.3. capite 11.*

Si verò delictum non sit, pensatis pensandis, plenè probatum, & Reus illud non confiteatur, distinguendum puto, aut enim tale delictum non est ex atrocibus, & capitalibus, quæ pœna corporali mortis, mutilationis, aut triremium puniri debent; aut est ex illis. Si primum, tunc puniendus est Reus pœna minori, quàm si tale delictum plenè probatum esset, & condemnandus ad illam. Hoc enim æquitas iustitiæ, & rigor obseruantiæ regularis expostulat, ne sub spe infirmæ probationis reddantur faciles Religiosi ad crimina perpetranda. Suarez *4. tomo de Relig. libro decimo de Regim. Societ. capite duodecimo, numero trigesimotertio.* Qui etiam benè addit, in hoc processu per inquisitionem mitiùs adhuc agendum esse in imponenda pœna, quàm si per accusationem criminalem processum esset. Si verò delictum sit ex atrocioribus, & grauissimis, quibus in sæculo pœna mortis, mutilationis, vel triremium applicatur, & sint magna indicia, quæ Iudici suadeant Reum commisisse crimen, quod negat, ita vt semiplenè probatum sit, potest illum torquere, iuxta dicta *cap.18. num.17.* Alderete *lib.1. de Discipl. Relig. cap.17.* Vbi etiam de modo quo tortura applicanda est Religiosis. 16

Si Reus in tormentis adhuc non confiteatur de delictum, absoluendus est. Dicitur enim tunc indicia purgasse, & quasi obliterasse. Suarez *4. tomo de Relig. libro 10. cap.12. num.32.* Alderete *lib.2. de Relig. Discipl. cap.12. num.6.* Si verò confiteatur delictum, adhuc oportet, vt ratificet confessionem illius; cum Confessio facta in tormentis fragilis sit, & incerta. Franciscus Aretinus *in Pract. crimin. cap.12. de confess. per torturam.* Vbi etiam de tempore, quo facienda est hæc ratificatio, & quoties repetenda tortura, si noluerit ratificare, quod in illa confessus est. 17

Post quæ sententia diffinitiua à Iudice ferenda est contra Reum, & imponenda illi pœna, tum iure communi, tum iure particulari designata. Poterit autem superior sententiam ferre vel in scriptis, vel viua voce, dum tamen ad illam audiendam citetur Reus. Alderete *libro primo, capite decimooctauo, numero quinto.* Ad quam etiam præcedere debet probationum legitima examinatio, an scilicet, plenè conuictus sit Reus, ita vt certò constet delictum ab ipso commissum; indicia an sint leuia, aut grauia; delictum an sit contra bonum commune an verò solùm in damnum tertiæ personæ, aut solius delinquentis, persona delinquens an sit Prælatus, contra Prælatos enim maior sæpè desideratur probatio, quam contra alios, quia hi multorum calumniis expositi sunt. Qualitates etiam testium, defensiones rei, excusationes, exceptiones, & alia huiusmodi sedulò examinare debet Iudex, & ante omnia Deum exorare, vt mentem ipsius illuminet ad benè, iustéque iudicandum. De quibus Alderete *lib.1. de Relig. disciplin. capite decimooctauo & lib.2. cap.1.* Thomas de Iesu *de Visitat. Regul. tract.3. cap.14.* 18

Loquendo autem de alio modo procedendi Iudicis regularis, scilicet per iuridicam denunciationem sic est in illa procedendum. Primò enim denunciator culpam defert ad Superiorem. Est namque denunciatio iuridica delatio alicuius criminis 19

apud Iudicem competentem ad pœnam, vel correctionem inferendam delinquenti. Nauarrus *cap. Nouit. de Iudic. notab.* 5. *numero secundo.* Thomas de Iesu *de visitat. Regul. tractat.* 3. *capite secundo* §.3. Debet autem prius denunciator fraternaliter correxisse, vel monuisse delinquentem, iuxta modum præscriptum à Christo Domino, Matth.18. qui conformis est legi charitatis, ne scilicet fama proximi lædatur, eius delictum priùs publicando, quam ipse sit monitus corrigi. Alderete *libro primo de Relig. disciplin. capite quinto.* §.*quarto.* Suarez 4. *tomo de Religion. libro decimo*, *cap.*12. *numero trigesimosexto.* Si tamen sit spes emendationis, iuxta dicta *suprà numero secundo*, imò si post fraternam correctionem emendatio fratris secuta est, non debet denunciari. Quia iam cessat finis denunciationis. Suarez *vt suprà numero trigesimoseptimo.* Quando verò delictum est notorium, non est necesse vt priùs delinquens fraternè moneatur. Iuxta illud Apostoli 1. Timoth.5. *Peccantes coram omnibus argue.* Sanctus Thomas 2.2. *quæstione trigesimatertia*, *articulo septimo.* Nauarrus *de restitut. libro secundo, capite quarto, numero sexagesimoquarto.* Nec tunc, aut vnquam, peccatum deferendum est ad Superiorem vt Iudicem, si vt Pater speratur remedium adhibere posse. Omnia enim cum charitate tentanda sunt, vt minori cum detrimento fratri subueniatur. Sanctus Thomas 2.2. *quæstione trigesimatertia*, *articulo septimo*, & Thomistæ *ibidem.* Similiter vt aliquis denunciet alium iudicialiter, necessarium non est vt præcedat infamia. *cap. Inquisit. & cap. Qualiter*, *& quando.* quia in via inquisitionis ideo requiritur infamia vt suppleat vicem accusatoris, denunciator verò sustinet vicem accusatoris. Suarez *vt suprà numero trigesimoquinto.* Si tamen præcedit infamia multò magis debent denunciari delicta. Thomas de Iesu *de Visitation. tractatu primo*, *capite decimoquinto*, vbi multa ad intentum. Vide etiam dicta *suprà num.*3.

20 Denunciator, etsi non teneatur denunciare delictum, quod probare non potest, & per testes fide dignos iuxta dicta *suprà numero tertio*, tamen si vult, potest denunciare, nec tenetur probare delictum, quod denunciat. Quod rationi consentaneum est, tum ne plura crimina grauia in religiosis maneant impunita, ex eò quod nullus ea audeat denunciare, quia probare non possunt; tum quia in hoc differunt accusator, & denunciator, quòd ille tenetur probare, delictum, non iste. Sotus 5. *de iustit. & iure quæstione quarta*, *articulo tertio*, *& quæstione quinta*, *articulo quarto.* Bannez 2.2. *quæstione trigesima tertia, articulo octauo, dub.*3. Vnde si non probet, non ideò mulctandus. Non enim suscipit supra se onus probandi, sed tantùm præparat viam Iudici, vt ipse inquirat, & probet, quod secus est in accusatore. Thomas de Iesu *de visitat. Regul. tractatu primo*, *capite decimosexto*, *numero decimotertio.* Similiter denunciator potest esse testis, si aliundè non habeat aliud impedimentum. Eò quòd non procurat vindictam delinquentis, sed correctionem. Nauarrus *in Manual. capite vigesimoquinto, numero trigesimotertio.* Sotus 5. *de iustit. quæstione sexta*, *articulo secundo*, *consil.*4. Secus est de accusatore, neque enim ipse, aut eius cognati, & domestici possunt esse testes *capite* 12.4. *quæstione* 4. *libro tertio*, *testes.* Alderete *lib.* 2. *de discipl. cap.*3. *num.*19.

21 Facta denunciatione, munus prudentis Iudicis erit diligenter expendere, tam personam denunciantis, quam denunciati, & an delictum sit priùs fraternaliter correctum, an non, an publicum, an verò occultum. Si enim denunciator esset aliàs malignus, & pacis perturbator, aut denunciatus vir eximius, & probatæ per plures annos vitæ, non est admittenda denunciatio. Ne malignis occasio calumniandi viros probos facilè concedatur. Thomas de Iesu *de visitat. Regul. tractatu primo*, *capite decimoseptimo, numero primo.* Nisi fortè tunc denuncians munus accusatoris, & sub pœna talionis vellet subire. Rodriguez *tomo secundo*, *quæstione sexta*, *articulo octauo.* Similiter si videat denunciatum non fuisse fraternaliter monitum, aut esto ita sit, facilè per correctionem paternalem emendandum, illum corrigat, secretam aliquam pœnitentiam illi imponendo. Quia regulariter denunciatio iuridica inter Regulares admitti non debet, si per aliquod aliud emenda fratris speratur. Thomas de Iesu *vt suprà numero quinto & sexto.* Similiter quando delictum non est publicum, nec delinquens laborat infamia, non est iuridicè contra eum procedendum, sed vel occultè puniendus, si emendationem promittat, vel dimittendus si culpam non fateatur. Sotus *Relect. de tegend. secret. memb.*2. *quæstione quarta, consil.*8. Suarez 4. *tom. de Religion. libro decimo*, *capite duodecimo*, *numero trigesimo septimo & trigesimooctauo.* Quando verò delictum est públicum, vel Reus laborat infamia, aut contra eum est semiplena probatio, vel indicia sufficientia, iuxta dicta *suprà à num.*6. admittenda est denunciatio, & iuridicè contra Reum procedendum, eodem modo, quo diximus de inquisitione speciali *suprà à num.*4.

Loquendo verò de tertio modo procedendi Iudicis Regularis, scilicet per accusationem, licet ille relegandus sit à Regularibus, vtpotè, quòd Religiosorum paci, & tranquillitati videatur repugnare, vt proinde etiam in aliquibus Regnis non permittatur, eò vel maximè; quòd per denunciationem iuridicam suppleri possit (Thomas de Iesu *de visitat. Regul. tractatu primo*, *capite quarto*, *numero sexto.*) nihilominus casu, quo admittatur, (quia fieri potest sine iniustitia, vt si qui iniuriam passus est contra iniuriantem agat ad iustam vindictam, & sine peccato contra charitatem, vt si non ex odio, sed vel ex affectu Religionis ne similes iniuriæ in ea introducantur, vel ex affectu resarciendi iustum honorem, vel nomen bonum fiat. Suarez 4. *tomo de Religion. libro decimo*, *capite duodecimo*, *numero quadragesimoquinto*) istæ conditiones ad illam requiruntur. Primò vt fiat in scriptis. Secundò, vt exprimatur dies, & annus, quo intentatur. Tertiò, nomen accusatoris, & accusati. Quartò, species delicti. Quintò, locus & etiam tempus, nempe annus, & mensis, quo delictum commissum est. Sextò, inscriptio accusantis. Colliguntur hæc ex *lege libellorum ff. de accusat.* Franciscus Aretinus *in practica criminali de accusat. capite sexto.* Alderete *libro sexto de Religiosa Discipl. cap.*4. Non tenetur tamen accusator exprimere in libello diem commissi delicti, vt expressè habetur in prædicta *leg. libellorum.* Quia alioquin potestas accusandi, & probandi nimis restringeretur, facilè enim fieri potest, vt quis diei, vel etiam hebdomadæ sit oblitus. Quia ita cadit sub sensum. Franciscus Aretinus *vbi suprà.* 22

Accusator potest crimen etiam occultum deferre, neque tenetur ex iustitia secretam præmittere correctionem 23

correctionem, sed sufficit quòd possit probare delictum. Hoc enim interest inter accusationem, & denunciationem vt habetur *in cap. Qualiter & quando de accusat.* Nauarrus *in Man. c. 18. numero trigesimo.* Lessius 2. *de iustit. & iur. capite trigesimo, numero decimo.* Aliquando tamen esset contra charitatem nulla præmissa monitione accusare. Lessius *vt suprà.* Alderete *libro primo de religiosa disciplina cap. 3. num. 6.*

24 Tenetur accusator probare delictum quod defert ad Iudicem. Ideo enim debet accusatio fieri in scriptis, vt constet, quid illi probandum. Franciscus Aretinus *in Practic. crimin. de accusat. capite quinto.* Thomas de Iesu *de Visitat. Regular. tractatu primo, capite quarto.* Nec potest esse testis in causa, in qua est accusator, in quo differt à denunciatore. *in cap. In omni negotio de testibus.* Sotus *de secret. membr. 2. quæstione quarta & quinta, de Iustit. quæstione sexta, articulo secundo, conclusione quarta.* Nauarrus *in Rubric. de iudiciis numero decimonono.* Iurat de calumnia, scilicet, quòd non calumniandi animo delictum opponat. Alderete *libro primo de Religios. Disciplin. capite quarto, numero decimotertio.* Vnde si repertus fuerit calumniator, id est, quòd falsa crimina obiecerit, punitur eadem pœna, qua puniendus esset accusatus, quæ vocatur pœna talionis. Sanctus Thomas 2. 2. *quæstione sexagesimaoctaua, articulo quarto.* Sotus *libro quinto, de instit. quæstione quinta, articulo quarto.* Vt autem dicatur delictum probasse, & calumniatorem non esse, sufficit quod prædictum delictum probauerit semiplenè, scilicet per famam, vel per vnum testem integrum, vel per alia indicia illis æquipollentia. Quia tunc iam tenetur Reus interrogatus à Iudice, si talis semiplena probatio illi intimata est, delictum confiteri, & puniri. Nauarrus *in Manual. capite vigesimoquinto, titul. de pecc. Rei accusat. & inquis. numero trigesimoquinto, & seq.* Franciscus Aretinus *in Practic. crimin. de accusat. capite quinto.* Sed nec etiam quando nec semiplenè probat delictum quod obiecit, punitur accusator, secundùm consuetudinem, pari pœna talionis, sed solùm minori pro arbitrio Iudicis, ne homines ab hoc actu accusandi omnino deterreantur. Aretinus *vt suprà.* Alderete *libro secundo de Religios. disciplin. capite 23. numero quinto.* Imò etiam ab hac pœna minori excusatur accusans, si probat, obiecisse crimen, eò quòd haberet iustam aliquam causam per quam crederet illud esse commissum, vel non ex malitia fecisse accusationem. Nam calumniator verus solùm est, qui falsa crimina scienter intendit. Alderete *vt suprà numero nono.* Aretinus *etiam vt suprà capite septimo.* Vbi etiam in additionibus, de aliquibus casibus in quibus accusator deficiens à probatione excusatur.

25 Repelluntur à munere accusatoris fœminæ, pupilli, & serui, & infames, ac inimici capitales, nisi quando agitur de proprio interesse, si arbitrio Iudicis taliter iudicabitur *l. quia accusarem ff. de accusat. cap. prohibentur, & Gloss. in capite primo de accusat.* Nauarrus *libro quinto consil. titul. de accusatio. consil. 3. numero secundo.* Alderete *libro primo de Religios. Disciplin. capite quarto, numero septimo.* Item laici Clericum accusare non possunt, nisi suam, suorumque iniuriam prosequantur. Alderete *ibidem* qui etiam *numero nono*, qualiter Iudex Regularis se gerere debeat cum externus aliquem Religiosum accusare voluerit. Et *numero decimotertio*, refert excommunicationem latæ sententiæ à Leone X. in fauorem Ordinis Prædicatorum prolatam contra Religiosos, qui alios eiusdem Ordinis ex quauis causa conueniant coram Iudice externo, & etiam contra Iudicem, si talem conuentionem admittat. Vide etiam Confettium *in Comp. Bull. Leo. X. & tit. 6. cap. 1.*

Facta accusatione, & à Iudice Regulari acceptata, si acceptari debet, procedendum est in causa eodem ferè modo quo diximus de denunciatione, & speciali inquisitione vsque ad sententiam diffinitiuam. Suarez 4. *tomo de Relig. libro 10. capite 12. num. 45.* Solum est aduertendum, quod etiam diximus *capite decimooctauo, numero decimosexto.* Prælatos Religionum ex priuilegio Bonif. VIII. non teneri in causis Religiosorum procedere, apicibus, & rimulis iuris seruatis, sed *secundum consuetudines approbatas, & generalia facta, & facienda Ordinis instituta.* Quod ipse Pontifex exponit dicens: *Quòd licet Prælati omnes ad apices iuris ex supradicta Constitutione non teneantur, vt sunt citationum interualla, dilationes interlocutoriæ, & cætera huiusmodi, quæ non sunt de essentia iuris, non tamen possunt in actis iudicialibus pro eorum arbitrio procedere, sed iure diuino, ac naturali ad substantialem iuris ordinem tenentur.* Thomas de Iesu *de Visitat. Regul. tractatu tertio, capite primo.* Quo etiam sensu aliqui Pontifices, in suis Decretis apposuerunt particulas, *simpliciter, summariè, de plano, & sola veritate facti inspecta.* Quæ ferè idem significant. Nam *simpliciter* denotat procedendum excludendo calumniatorias, & dolosas dilationes, inanesque exceptiones. *Summariè*, vt solum ea, quæ ad iudicis vim, & essentiam pertinent, adhibeantur. *De plano*, vt omissa solemnitate sedendi, vel etiam feriatis diebus, postpositis vanis exceptionibus, tergiuersationibus & appellationibus. *Sola veritate facti inspecta* denotat, vt solemnitates accidentales iuris reiiciantur, seruatis solum, quæ de iure naturali, diuino, & iure gentium qualia sunt statuta Religionum, seruanda sunt. Alderete *lib. 1. de discipl. Relig. c. 8.* Thomas de Iesu *de Visit. Regul. vt supra.* [Quia verò Causidici aliqui nolunt admittere id quod diximus, scilicet, Prælatos Regulares non debere in processibus suis Iuris solemnitates, & subtilitates obseruare, sed solum ea quæ de Iure naturæ, vel Iure gentium sunt necessaria, ideo animaduertendum non solum quoad hoc extare priuilegium Bonifacij VIII. pro Prædicatoribus, quod retuli supra; sed etiam eiusdem Bonifacij VIII. pro Minoribus, & habetur Bulla in Bullario Rodriguez in Bonifacio VIII. Bulla 2. ea etiam refertur à Casarubio *in Compend. priuileg. Mendicant. verb. Correctio Fratrum numero sexto,* vbi etiam *numero octauo* refertur eadem concessio Bonifacij IX. per Bullam pro Ordine Prædicatorum. Idem etiam concessit idem Bonifacius VIII. Cisterciensibus, vt patet in Bulla in Bullario Rodriguez inter Bullas Bonifacij VIII. *numero decimo.* Item Iulius II. Minimis, & Oliuetanis; Leo X. Camaldulensibus, & Eugenius IV. Congregationi S. Iustinæ. Quæ omnia refert Cardinalis Lugo *tomo secundo de iustit. & iur. disputatione trigesimaseptima, sectione decimaquarta, numero 162.* & ea in præsenti adduxi vt constet non sine temeritate negari posse Prælatos Regulares dictarum Religionum, & quæ cum illis communicant in priuilegiis, hoc etiam priuilegio potiri.] 26

Circa formulam, qua formanda sunt acta processuum 27

cessuum Regularium vide Franciscum Aretinum *in Practic. crimin. part.* 3. Alderete *de Relig. disciplin. libro tertio.* Thomas de Iesu *de Visitat. Regular. tractatu tertio, à capite secundo.* Circa modum etiam, quo facienda est purgatio canonica, (licèt iam his temporibus parum sit in vsu,) vide eumdem Aretinum *vt suprà & capite decimotertio, de purgation. Canonic.* & pro nostris Carmelitis *parte tertia, Constitut. capite nono.* Pro pœnis etiam triremium, exilij, &c. vide dicta *capite decimooctauo, numero decimosexto.* Pro pœna etiam carceris vide *caput decimumsextum, num.* 9. 10. Pro pœnis incontinentium, seu qui lapsi sunt in peccatum carnis vide *caput quintum, numero decimosexto.* Sodomitarum, *ibidem à numero vndecimo.* Eorum qui fœminas solicitant in Sacramento Pœnitentiæ *caput decimumnonum, numero trigesimotertio.* Qualiter etiam liceat, vel non liceat appellatio Regularibus *capite nono, numero quarto.* [Nota demum pro pœnis infligendis à Iudice Regulari, quod cum ipse in benigniorem partem inclinare debeat, ideo in casu quo circa pœnam infligendam alicui Religioso sint diuersæ opiniones alia affirmans tali pœna esse dignum, verbi gratia, excommunicatione, &c. alia verò negans, hanc posteriorem sequi debet, vtique quia est benignior, & magis fauorabilis Reo, cui iura semper fauent. Sayrus *in Claui Regia lib.* 1. *cap.* 13. *num.* 22. *in noua addit.* Portellus *in Responsion. Moral. tom.* 2. *casu* 40.]

Inserenda hic quoque sunt dubia quædam mihi proposita ab aliquibus & resoluta circa huiusmodi materiam de modo procedendi in causis Regularium.

DVBIVM PRIMVM.

28 *Extat in Ordine Minorum de Obseruantia hoc statutum cap.* 6. §. 2. *inter Segouiensia statuta:* Nullus Prælatus vltra semestre à die quo eius officium expirat computandum, possit reseruare processus, & actus iudiciales, & nisi intra prædictum terminum, iustitiam fieri quisquam postulauerit, perpetuum silentium imponatur. *Circa quod est dubium, an Religiosi inquisiti, & processati non tamen puniti, possint post dictos sex menses post expirationem officij Prælatorum immediatorum puniri, seu castigari,*

RESPONSIO.

29 RESpondeo, iure communi ita debet fieri, quia delicta puniri publicè interest, & Reipublicæ expedit ne maneant impunita. *l. Ita vulneratus §. quod si quis, vers. Cum neque impunita. ff. ad leg. Aquil. l. licitatio §. quod illicitè ff. de publican. leg. congruit* 13. *ff. de offic. Præsid. leg. Stichum §. tametsi ff. de solut.* Quia delictis & fraudibus non est via aperienda. Bartholom. Perettus *ad Extrauag. Ambitiosæ de reb. Eccles. non alien. verb. Illis exceptis num.* 3. Cels. Argel. *de contradic. legit. quæst.* 10. *n.* 104. Barbosa *axiom.* 68. *num.* 2. Delicti enim pœna timeri debet, vt supplicium vnius exemplum possit esse multorum, *l.* 1. *C. ad leg. Iul. repet.* Cardos. *in prax. Iud. & Aduoc. verb. delictum n.* 8. vnde illud, *Oderunt peccare mali formidine pœnæ. cap. irrefragabili §. cæterum,* vbi Glossa *verb. metu pœnæ de Offic. Ordin.* vnde ex ipso iure constat pluribus pœnis & sæpius aliquem puniri posse quoties minor pœna est imposita, & maior potuit imponi. *l. Cum ex vno ff. de act. & oblig. & l. qui seruum, & l. quoties §.* 1. *eod. lib.* 1. *& l. ad leg. Aquil. l. Si vulnerato ff. de vi bon. rapt. & cap. attendendum* 17. *quæst.* 4. *cap. Etsi Clerici in fin. de Iudic.* Ex quo à fortioribus terminis colligitur multo magis id esse dicendum quando delicta nullo modo sunt punita.

Accedit, quod propterea attento iure Canonico delicta minimè præscribuntur, vt probant quædam Glossa, Decius, Bossius, & Nauarrus quos refert & sequitur Rodriguez *tom.* 2. *quæst. Regul. art.* 11. adde Spatauium *tract.* 3. *cap.* 15. *num.* 1. Syluestrum *verb. Præscriptio* 2. *quæst.* 2. *&* 3. Azorium 3. *part. lib.* 1. *cap.* 20. *quæst.* 5. Diaz *in sua pract. c.* 150. vbi Salzedo; vnde Rodriguez *suprà* & Peirinis *tom.* 1. *de subd. quæst.* 1. §. 4. ponunt hanc conclusionem: si aliquis Religiosus fuerit de aliquo crimine conuictus quod commiserat ab hinc quindecim annis, & dicatur quod non fuerit punitus, potest nihilominus propter tale delictum puniri. 30

Est porrò totum hoc iuri diuino valde conforme. In sacra namque Scriptura grauia peccata clamant ad Deum, vt patet in fratricidio *Genes.* 4. illis verbis *vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra,* Genes. 19. de peccato Sodomitarum: *Increuit clamor eorum coram Domino.* Exod. 12. *Ascenditque clamor eorum ad Deum,* & aliis locis. Iste autem clamor peccatorum ad Deum non est aliud nisi vt puniantur ab ipso quidem, vel ab ipsius ministris, quales sunt Prælati Religionum. 31

Ex quibus infertur dici posse, tale statutum vel validum non esse eo quod sit contra ius commune, Canonicum & Ciuile, & parum conforme iuri Diuino: vel esto quod possit vt validum sustineri, solum sustineri debere, ita vt ius ipsum minus lædat quantum fieri possit. Hoc enim commune est omni legi seu statuto Regulari vt contrariari non possit iuri communi, & casu quo propter Papæ confirmationem illi aduersetur strictè accipi debeat, vt minus lædat commune ius, prout communis sententia Doctorum tenet. Vnde de similibus statutis habet Peirinis *suprà §. Dico tertio; Delicta nunquam præscribi quoad hoc vt non possit semper Prælatus ex officio Iudicis per viam scilicet inquisitionis procedens delicta punire, ne de crimine infamatus in administratione diuinorum cum aliorum scandalo, & contra bonum commune toleretur, non posse tamen Prælatum per viam accusationis ad instantiam partis delicta punire.* Quamuis ergo iuxta hunc Auctorem crimina non possint ex vi huius statuti per accusationem ad trutinam reduci, saltem poterunt & debent puniri quando punita non fuerint. 32

Posito autem quod punita non fuerunt, & semper proclamatum est à partibus & interesse habentibus, siue ab aliis petentibus administrari iustitiam, vt supponitur in casu præsenti, manifestum videtur posse vlterius procedi etiam ex vi istius statuti. Dicitur enim in ipso: *Nisi intra prædictum terminum iustitiam fieri quisquam postulauerit.* Dictio enim *nisi*, exceptiua est, & in effectu aduersatur præcedentibus, vt *in l. actione,* vbi Bartholom. Iason & cæteri *l. de trans. & in regula Peccatum de regul. iur. lib.* 6. & tradunt Iason, Soccinus & innumeri alij apud Barbosam *dict.* 217. *numero* 2. vbi etiam *num.* 3. ex decisionibus Rotæ & Doctoribus, quod 33

hæc

hæc dictio ponitur *priuatiuè* & *aduersatiuè* ad præcedentia, & ita significat necessario oppositum antecedentis. Si ergo constet, quod infra prædictum terminum postulata fuerit iustitia contra delinquentes, vtique non est impositum perpetuum silentium Prælatis, sed poterunt semper contra illos procedere.

34 Videtur etiam ablata difficultas huius statuti ex eo quod in Congregatione generali Romana anno 1603. dictum statutum sic explicatur: *Item circa modum ædificandi processus iudiciales seruentur omnino Constitutiones generales, quibus superaddimus, quod transacto semestri processus omnes comburantur, duabus tamen adhibitis conditionibus. Prima quod semestre intelligatur post conclusam & terminatam causam, pœnaque inflictæ exequutionem per sententiam diffinitiuam seu decretum. Et hoc pacto perpetuum in illa causa componatur silentium.* Cum ergo in præsenti casu pœnæ talium delinquentium non sint exequutioni mandatæ vt supponitur, vtique etiam transacto semestri poterunt Prælati procedere ad punitionem ipsorum.

35 Accedit, quod, vt etiam in casu supponitur, quod tales delinquentes puniti non fuerint id contigit propter impedimenta posita ab ipsis: propterea enim Prælati quibus incumbebat eorum punitio ipsos punire non potuere. Hic enim intrat regula illa impedito non currit tempus, *lib.*1.§.*fin. Cod. de annali except. cap. Quia diuersitatem de concess. præben. can. fin. de elect.* Tiraquellus *de retract. lignag.* §.3.*gloss.*4. *num.*6. & §.35.*gloss.*4. *num.*29. Quæ eo magis vrget si dolo forsan, aut fraude hoc impedimentum apposuere; dolus enim & fraus nemini patrocinari debet. *l. nec ex dolo ff. de dolo lib.*3. *ff. de transact. l. is, qui dolo ff. de rei vendic.*

Dubium Secundum.

36 *Prouincialis Prouinciæ S. Francisci Minorum Conuentualium per viam denunciationis inquirit & procedit contra tres prætensos reos de seditione, & indebita alienatione bonorum Conuentuum suæ Prouinciæ: ex prætensis reis duo carcere mancipati sunt, alter verò amicabiliter vocatus prout in processu, renuit accedere, quinimmo nocte intempesta discedit à suo Conuentu, causa adhuc contra ipsum non incepta, & Romam ad Reuerendiss. P. Generalem prætextu recursus & grauaminis seu appellationis accedit; non obstante quod ad tollendam suspicionem, & ad iudicium rectius prosequendum dictus P. Prouincialis petierit & obtinuerit à P. Generali Collegam & directorem, quorum præsentia & iudicio processus inchoatus & præsentatus nondum tamen completus, modo virtute supradicti recursus vnius ex tribus prætenditur à parte totam causam deuolui ad P. Generalem, reclamante Prouinciali quod virtute decreti Concilij Tridentini* sess.25. capite 4. *Regulares non possunt vagari sine sui Prælati licentia, etiam prætextu accedendi ad suos Superiores, quod decretum confirmatur à declaratione Sacr. Congregationis Concilij sub Sixto V. dum declarat non posse Regulares in Vrbem Romanam admitti etiam causa appellationis, sed potius ad suos Ordinarios debere remitti, donec causa cognita detur iustæ appellationi locus.*

Responsio.

Posita veritate relationis dico stando in rigore iuris, talem Religiosum Romam venientem indebitè & illicitè id fecisse. Primò, contra Concilium Tridentinum *sess.*25. *capite* 4. illis verbis: *Nec liceat Regularibus à suis Conuentibus recedere etiam prætextu ad Superiores suos accedendi, nisi ab eisdem missi aut vocati fuerint.* Quod decretum ad minus intelligēdum venit de Religiosis, qui absque iusta causa iniqui grauaminis id faciunt, vt habent Sanchez *lib.*6. *in Decalog. cap.*8. *num.*17. vel quando certò non constat iniquè vexari nec est aliud remedium nisi Superiorem adire, vt habet Azor *tom.*1. *Instit. moral. lib.*12. *cap.*11. *quæst.*7. & 8. vel cum vexationis iniustitia liquida est, nec possit prius licentiam petere à Prælato suo mediato ad eum accedendi, *leg. qui, tit. fugitiuus ff. de ædil. edic.* Thesaurus *in Prax. p.*2. *verb. Religiosi cap.*5. de quo etiam Sanctarellus *tract. de apost. cap.*3. *dub.*1. Diana *p.*3 *tract.*2. *resol.*56. & alij apud ipsos, quæ omnia deficiunt in præsenti, vt supponitur. 37

Secundò ex Sixto V. qui cum in Bulla *Cum de omnibus in* 2. *tom. Bullar. num.*71. prohibuisset ne aliquis religiosus reciperetur intra aliquod Monasterium etiam tanquam hospes, si licentiam non haberet à suo Superiore, postea in Bulla *Ad Romanum* id explicans dicit *quod si dicerent se ad Apostolicam Sedem confugere ob grauamina à suis Superioribus sibi illata, & ideo ab ipsis Superioribus licentiam, & litteras obtinere non potuisse, non propterea vllo modo recipi valeant nisi fide dignorum testimonio de petita ab eis licentia, & per suos Superiores denegata constiterit. In alma verò Vrbe nostra Religiosi aduenæ & peregrini de grauaminibus sibi illatis conquerentes nullibi sine huiusmodi litteris aut licentia recipiendi erunt, nisi prius ad Congregationem dictorum Cardinalium super negotiis Regularium à nobis deputatorum & personarum qualitate quid agendum sit statuatur.* 38

Tertiò ex declaratione S. Congregationis Episcoporum & Regularium sub eodem Sixto V. de anno 1587. quam retuli *cap.*10. *num.*15. ex Quaranta *in Summa Bullarij verb. Monasteria*, vbi de Regularibus Romam venientibus temerè, leuive causa, aut iniustè non vexatis, seu grauatis, dicitur remittendos esse ad suos Superiores seueriori pœna plectendos. 39

Quartò ex decreto Clementis VIII. quod retuli eo *cap.*10. confirmato à S. Congregatione sub Vrbano VIII. vbi accessus ad Romam prohibitus est Regularibus sine licentia legitima sub pœna priuationis vocis actiuæ & passiuæ ad biennium. Cum autem prædictus Religiosus ea solum de causa Romam venerit, vt correctionem sui Superioris effugeret, incurrisse videtur hanc pœnam sicut & alias designatas à Concilio Tridentino & Sixto V. locis relatis. 40

Nec iuuat præfatum Religiosum titulus recusationis prædicti Patris Prouincialis. Iure enim Canonico recusatio non admittitur à Iudice legitimo, 41
nisi

nisi iusta causa assignata & probata coram ipso, vel saltem coram arbitris eligendis. *cap. Legitima de appell. in 6.cap.2. Requiris*, *& cap. Cum speciali de appell.* de quo ex variis testibus & iuribus, Sanchez *tom.2. conf. moral. lib.6. cap.8.dub.3.* Peirinis *tom.1. de subd.quæst.1.de obed. cap.19.§.1.& 2.* Supponitur autem nihil horum contigisse in præsenti casu.

Multo minus iuuat prædictum Regularem titu-
42 lus appellationis cum in hoc casu non interuenerit, nec potuerit interuenire, cum non grauaretur in-
43 iustè. Ex quibus colligo causam præfati Religiosi nullo modo dici posse deuolutam ad Reuerendiss. Generalem, cum nulla causa, præsertim inchoata deuoluatur à Iudice inferiori ad Superiorem, nisi per legitimam recusationem, vel appellationem, quæ in hoc casu non fuerunt, & casu dato quod propter negligentiam Iudicis inferioris quandoque deuoluatur ad Superiorem. *arg.cap.2. de concess. præbend. Clement. vnic. de supplen. neglig. Præl.* cum hæc non fuerit in præsenti, nullus datur locus dictæ deuolutioni.

Dixi *præsertim inchoata*, quia iura valdè fauent 44
causis inchoatis etiam à Commissariis, vt patet *ex cap. Gratum*, *cap. Relatum & cap. Licet vndique de offic. deleg.* Suarez *lib.8. de legib. cap.31.* Bonacina *de legib. disp.1. quæst.3. part.8. §.1. num.24.* ex aliis, quæ maiori ratione applicari debent prædicto Patri Prouinciali, cum ipse non vt Commissarius, sed vt Iudex ordinarius causam inchoauerit.

Quod verò stando in terminis disciplinæ & ob- 45
seruantiæ Regularis Reuerendiss. Pater Generalis non debeat admittere recursum præfati Religiosi, sed remittere iudicandum ad suum Prouincialem ex eo constat, quia ex opposito datur occasio subditis vagandi extra sua Monasteria, & contemnendi auctoritatem suorum Superiorum.

Laus Deo Beatæque Virgini Mariæ Carmelitarum Patronæ.



DE



DE REFORMATIONE REGVLARIVM, SEV DE DISCIPLINA RELIGIOSA:

Ad normam, & Exemplar SS. Patrum, & priſcorum Monachorum.

SVMMARIVM.

Quidnam Patres de Monachorum difformatione, prauiſque moribus ſentiendum fore moneant? n.1.
Perditorum Religioſorum mores lamentatur S. Ephrem. n.2.
Monachorum ſui temporis inordinatam vitam recenſet Hieronymus. n.3.
De male abrenunciantibus ſæculo Monachis, quid dixerit Caſſianus. n.4.
Afferuntur verba Iſidori quorumdam Monachorum crimina deplorantis. n.5.
Quam acriter Bernardus Monachorum vitia reprehendat. n.6.
Hugo Victorinus quid dixerit ad propoſitum. n. 7.
Ioachimus Abbas ſui temporis, & futuri ſtatum Monachorum plorat. n.8.
D. Bonauentura refertur de prauis Religioſis, deprauatiſque Religionibus loquens. n.9.
Antonius item Paduanus carpens vitia regulariũ. n.10
Eadem Regularium vitia lamentatur Dacrianus n.11
Sacerdotum, & Religioſorum caſum quibus modis plangat Laurentius Iuſtinianus. n.12.
B. Brigitta difformationẽ religionũ ſæpius plorat. n.13.
Notabilis è cælo facta reuelatio Dionyſio Carth. n.14.
Idem pius Author ſæpe ſæpius Monachorum vitam reprehendit. n. 15.
Deformatam Religionem ſui æui deplorat B. Thomas à Villanoua. n.16.
Thomas Campenſis improbos Religioſos infamibus proſequitur encomiis, eorũq miſerrimũ ſtatũ luget. n.17.
Trithemius quoque illorum vitia carpit. n.18.
Deprauatorum Monachorum vitia recenſentur à religioſo P. Petro Blomeuena Carthuſiano. n. 19.
In Religioſorum teporem inuehitur Lanſpergius eiuſdem inſtituti. n.20.
Alia ſubiungit idem Author, quibus ſtatum deprauatorum Regularium lamentatur. n.21.
Quantum malum ſit deformata Religio Ioannes Nider ad rem citatur. n.22.
Inter potiora mala Eccleſiam Dei labefactantia ploratuque digna Religioſorum relaxationem recenſuit Bellarminus. n.23.
Quæ à Patribus aduerſus Religioſorum relaxationem dicta ſunt, non ſuffragantur Nouatoribus. n.24.
Apparitio cuiuſdam Religioſi vita functi, ad propoſitum narratur. n.25.
Schema ſtatus Religioſi oppoſitum habens ex aduerſo ſchema Mundi. n.26.



CAPVT I.

Quam neceſſarium ſit Religioſos omnes reformatè viuere ex Patribus oſtenditur.



MEDIA illa, rationeſque viuendi, quibus, monaſticus, regulariſque ſtatus, iuxta antiquorum Patrum normam, exemplarque, reformandus, inſtituenduſve ſit recenſurus; primum illud inueſtigandum occurrit; quidnam ſcilicet, ipſi Patres, monachorum anteſignani, de aliquorum difformatione, defæcata vita, prauiſque moribus ſentiendum fore moneant. Vt, vel ſic Religioſi omnes ad cor reuerſi, verum tramitem diſciplinæ regularis, monaſticæque perfectionis, amplectamur; illis poſtpoſitis, quæ nos à tam ſancto itinere declinare faciunt. Ergo ex Patribus quidam, miſeram quorumdam Religioſorum cœtuum cladem plorant: alij ipſorum vitia palam recenſent: alij cauſas difformatæ Religionis dinumerant: alij vero opprobriis, & pœnis tales dignos eſſe, grauiſſimè denunciant. Singulos ergo, iuxta ipſorum dignitatem, antiquitatemvè (quod moris nobis eſt) referemus. 1

Adſtat primus S. Ephrem Syrus, in ſer. aſc. de vita relig. qui ſui æui monachorum deprauatam vitam ſic plorat. *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontes lachrymarum, vt deplorem indeſinenter, diu noctuque magnam relaxationem inſtituti noſtri monaſtici, hac noſtra ætate proh dolor, nimis inualeſcentem.* Et infra perditorum Religioſorum mores depingens, lamentatur ſic: *Noſtra inſtitutio relictis viis rectis, per præcipitia fertur, aſperaſque per vias incedit. Non eſt mittis, non humiis, nõ quietus non diſciplinatus. Non eſt (inquam) qui contumeliis, & iniuriis affectus patienter ferat: non eſt, qui maledictis, atque conuitiis vices referre non velit. At cuncti contradictores ſunt; cuncti iracundi, ac furibundi: cuncti indignabundi: cuncti ſegnes, ac deſides, cuncti* 2

cuncti vestium ornamenta sectantur: cuncti vani sunt, & inanis gloriæ cupidi; cunctique sui amantes, &c.

Idem aduersus eos, qui vitiose viuunt, &c. improborum regularium vitia sic recenset: *Aspicio præsentis disciplinæ negligentiam, & ferre nequeo, at cum Propheta doleo, qui ait: Vidi præuaricantes, & tabescebam. Quæ enim nobis arma non intentauit inimicus, quibusque fraudibus, ac dolis non vincere, & occupare non est conatus?* Et post pauca hæc subiungit. *Specie quidem & apparentia mundo renunciauimus, reuera autem quæ mundi sunt curamus. Habitu monachi sumus; sed moribus crudeles quidem & inhumani; habitu humiles, & moribus pestiferi, ac scelerati, habitu Religiosi, & moribus exitiosi: habitu gratiosi, & moribus odiosi: habitu exercitatores seduli, moribus ignaui athletæ: habitu sobrij, moribus prædones: habitu pudici, animo autem adulteri: habitu modesti, moribus, & pectore vagabundi: habitu mites, moribus arrogantes; habitu consolatores, moribus contumeliosi: habitu consiliarij, moribus obtrectatores: habitu simplices moribus difficiles, & perniciosi: habitu ab inuidia alieni, moribus inuidi, & homicidæ, habitu defensores, & susceptores; moribus autem proditores.* Hæc, & plura piissimus Ephrem sui sæculi nonnullorum monachorum vitia deplorans.

3 Diuus quoque Hieronymus Ecclesiæ lumen ep. 4. quorumdam monachorum sui temporis inordinatam vitam sic recenset in epistola quadam. *Vidi quosdam, qui postquam renunciauere sæculo, vestimentis dumtaxat, & vocis professione, non rebus; nihil de pristina conuersatione mutarunt. Res familiaris magis aucta, quam diminuta. Eadem ministeria seruulorum; idem apparatus, &c.* Hæc, & alia sanctissimus Doctor monachorum, Religiosorumque vitia retundens refert.

4 Ad hæc Ioannes Cassianus collat. 4. c. 20. sic habet. *Denique, quod pudet dicere, ita plerosque abrenunciasse conspicimus, vt nihil amplius immutare de anterioribus vitiis, ac moribus comprobentur, nisi ordinem tantummodo, atque habitum sæcularem. Nam, & acquirere pecunias gestiunt, quas nec ante possederunt; vel certe quas habuerant retinere non desinunt; aut quod est lugubrius, etiam amplificare desiderant.* Satis in hoc dolere se ostendit Cassianus, effrænatam vitam quorumdam Religiosorum sui sæculi.

5 Clarus circa id æuum fuit B. Nilus Chrysostomi discipulus, cuius sensum & verba ex *Ascetico in principio* Ricardus Hallus nobilis Theologus *in Lib. de propriet. monachorum in epist. dedicator,* veluti per paraphasim sic tradidit ad nostrum intentum. *Sed tamen neque nostris hoc solum monachis proprium est, quin tempore B. Nili similis per omnia morũ corruptela extiterit, & olim cum adhuc Religio monastica vigeret, Sanctissimis quibusdam viris, longe antequam eueniret, tale quid futurum esse præsignificatum sit. Beatus igitur Nilus cum primorum monachorum virtutes descripsisset, qui diuitiis paupertatem vt sine animi distractione viuerent, præponebant, vt impetum frangerent cupiditatum, delicatis epulis tenuem frugalemque victum præferentes, quolibet cibo corporis necessitati satisfaciebant, mollibus indumentis, vsuique non necessariis reiectis, vt qui voluptatem humanam negligerent, simplici ac minime operosa veste, qua frigus à corpore arcerent, induebantur. Mundum ignorabant, cum ab humanis essent perturbationibus remoti, apud eos non erat, qui magis alio, vel egeret, vel abundaret, qui iudicaret, aut iudicaretur: habebat enim quisque iudicem incorruptum, propriam conscientiam. Non erant apud illos alij diuites, alij pauperes, non liquifiebat alius fame, cum alius cruditate laboraret. Egentium enim inopiam, eorum qui abundabant benignitas explebat. Par inter illos ius, & æquabilitas, reiecta propter ditiorum cum tenuioribus communionem inæqualitas, imo vero tunc etiam erat inæqualitas, ex eo quod vt nunc propter insaniam alij aliis studeant anteferri, ita tunc humilitate alij alios vincere, & abiectiores esse contendebant, aberat odium, aberat inuidia, exulabat inanis gloria, exulabat arrogantia, omnes seditionis causæ erant sublatæ. Ad eiusmodi enim cupiditates erant velut mortui, atque omni sensu carentes; adeo vt ne in somnis quidem eas viderent. Cum enim ab initio memoriam eorum abiecissent, ex quotidiana exercitatione, propositique constantia talem animi habitum sibi comparauerant. Lucernæ erant profecto in tenebris fulgentes, & stellæ minimè errantes, quæ vitæ suæ splendore noctem illustrabant, ac veluti portus quidam tuti, qui profugium facile omnibus à cupiditatum tempestatibus ostendebant, Hæc inquam, cum de laudibus priscorum Monachorum dixisset, de sui sæculi hominibus addit ad extremum:* Verum accurata illa, & cælestis viuendi ratio non aliter quam imago, quæ describentium negligentia paulatim in dies effecta deterior, ad summam dissimilitudinem peruenit, & omnino defecit ab exemplari. Etenim qui mundo erant crucifixi, quique huic vitæ renunciauerant, atque homines esse desierant, & deuictis cupiditatibus, ad cælestium illarum mentium naturam aspirare contendebant, rursum ad terrena negotia reuersi, turpibus occupationibus rectè viuentium diligentiam inquinarunt. Et qui virtute celebres esse poterant, propria segnitie infames euaserunt. Et qui aratri stiuæ manum admouerant, habitum grauem seruantes, propterea quod retro conuersi sint, & studiosè complexi, quæ obliuisci debuerant, apti regno Dei non extiterunt. Neque enim amplius apud nos frugalitas, ac vitæ simplicitas colitur, neque silentium, & quies, quæ vtilis est vt ab antiquis inquinamentis abstrahamur, sed negotiorum multitudo, quæ sollicitudinem à recte viuendi proposito alienam adfert, in pretio est & honore, rerumque terrenarum cupiditati salutaria cesserunt instituta. *Hoc cum multis verbis, & quibus fieret modis explicuisset.* Quamuis, *ait*, id verbis non confiteamur, res tamen ipsa nos coarguit, quod hominum sæcularium vitiis delectemur, quandoquidem eadem sequimur instituta, ac magis etiam fortassis in corporis occupationibus immersi simus, vt fere iam pietatem quæstum existimemus, & nullam aliam ob causam priscum illud, liberum, & beatum vitæ genus excolamus, nisi vt ex ficta Religione laboriosa ministeria fugiamus, & genio indulgendi licentiam nacti, sine interpellatione arbitratu nostro nos oblectemus, magna cum impudentia simplicioribus, & superbioribus nonunquam insultantes, quasi virtutis studium non humilitatis, & modestiæ, sed tyrannidis materiam subministret. Inde factum est, vt ab iis à quibus nos coli oportebat, tanquam importuna turba despiciamur, & vicinis atq; obuiis hominibus in foro mixti, ludibrio simus, vt qui nulla re cæteris, vt æquum erat præstemus, nec eximia viuendi ratione, sed tantum habitu differamus, & tamen eam gloriam furiosè appetamus, quæ debetur virtuti; cum labores quibus virtus excolitur, negligamus, & veritatis personam dumtaxat tanquam in scena geramus. Et hodie non desunt, qui grauem hunc habitum sumant cum animæ maculas nondum abluerint, nec veterum peccatorum notas mentibus suis impressas exemerint; sed eas adhuc impudicis cogitationibus

nibus foueant, cumque nondum mores ad id quod professi sunt accommodauerint, & diuinæ philosophiæ scopum ignorent, pharisaicum tamen supercilium tollunt, sibique placent tanquam solo habitu virtus acquiratur, circumferunt instrumenta, quorum artem non didicerunt, & quam ne summis quidem labris gustarunt scientiam habituque profitentur. Ex quo fit, vt qui portus, & templa Dei, & oues esse debuerant, scopuli, & sepulchra dealbata, & ad eorum quos deceperunt perniciem lupi deprehendantur. *Hactenus beatus Nilus luculentissimus ille quidem, vt omnia, Qui non tam suorum temporum corruptissimum statum, quam nostrorum graphicè descripsisse videtur.* Hactenus etiam, & Ricardus Nilo suo omnimodè subscribens. Quæ eò retuli, vt luce clarius innotescat in area Christi (Religionem dico) fuisse semper granum, & paleam, frumentum, & aristam triticum, & zizaniam, bonos inquam, & magna laude dignos, prauos quoque, & reprehensibiles quosdam.

5 Idem prosequitur intentum Beatus Isidorus lib. 2. de offic. c. 6. aliquorum etenim monachorum lamentatur sic crimina. *Multos monachos cenodoxiæ moribus commaculat, multos abstinentia inflat, extollit scientia. Faciunt enim bona; sed propter famam: non propter vitam æternam, scilicet, vt aut affectent gloriam laudis, aut perueniant ad fastigium desiderati honoris. In his sæpius discordia oboritur, inuidiæque liuor de fraternis profectibus gignitur, amor temporalium rerum grassatur, sequentes terrenas concupiscentias tanto inaniter quanto sæpius, vt ante humanos oculos impudenter. Tales itaque nequaquam monachi vocitandi sunt; quia Deo sola professione, non actione coniunguntur.* Miseram improborum Regularium vitam limato penicillo depingit.

6 Nec minus acriter dulcifluus Pater S. Bernardus monachorum vitia sæpius carpit, arguit, & reprehendit. In sermone etiam. 15. in cœna Domini, sic habet. *Sunt quidam in monasterio morbo phrenetico laborantes, ad iram prompti, ad odium festini. Qui pruriginem cordis per scalpedinem linguæ trahunt ad scabiem cutis, mente corrupti, vagi, & instabiles, circumoculiones* (forsan circumcelliones) *susurrones, gulosi, murmurosi, inuidi, tumidi, & elati, Deo de bonis collatis ingrati, Adæ præuaricantis pellicia vestiti, illius vestimento salutis nudati, qui secundum Deum creatus est in iustitia, & sanctitate veritatis. Isti pelliculam veterem retinent, & fronte polita astutam rabido portant sub pectore vulpem.* Et inferius. *adhuc te alloquor ô monache, ô homo, velox es ad mensam, tardus ad Ecclesiam, potens ad potandum, sed æger ad cantandum, peruigil ad fabulas, somnolentus ad vigilias, procax ad loquendum, sed mutus ad psallendum, promptus ad iram, & detractionem, tardus ad orationem, inuidiæ amator, Christi persecutor, festucam respiciens, trabem non considerans; cæteros reprehendis, te ipsum non corripis; malitiæ inuentor, disciplinæ destructor, amicus vitiorum, inimicus virtutum.* In Apologia quoque ad Gullelmum Abbatem, monachorum stragem sic plorat. *Quis in principio cum Ordo cœpit monasticus, ad tantam crederet monachos inertiam deuenire? O quantum distamus ab his, qui in diebus Antonij extiterunt monachi?* Et infra. *Sic Macharius vixit? sic Basilius docuit? Antonius instituit? sic Patres in Ægypto conuersati sunt.* In Epistola etiam est ? 42. sic habet. *Quo ista monachi, vbi timor mentis ô Vbi rubor frontis? Quis vmquam probatorum monachorum, tale quid, aut verbo docuit, aut reliquit exemplo?* Et infra. *Labor, & latebra, & voluntaria paupertas hæc sunt monachorum insignia, hæc vitam solent honestare monasticam. Vestri autem oculi omne sublime vident, vestri pedes omne forum circumeunt, vestræ linguæ in omnibus audiuntur consiliis, vestræ manus omne alienum diripiunt patrimonium.* Multa hic, & alibi S. Bernardus plena lamentis de sui temporis religiosis protulit.

Ad hæc celebris author Hugo Victorinus 2. de claustro c. vlt. sic dixit. *Sunt quidam religiosi mente vagi, oculis attoniti, moribus dissoluti, plana parietum inspicientes; aliud cantant, aliud cogitant. Corpore sunt in Choro, mente in foro. Nunc intus, nunc foris discurrunt. Psalmodiæ verba proferunt, sed sensum non aduertunt.* Explicans quoque illud Threnorum quarto. *Ecce quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus dispersi sunt lapides sanctuarij in capite omnium platearum,* prauorum Sacerdotum regulariumque moribus sic accommodat. *Qui sunt isti lapides sanctuarij dispersi in capite omnium platearum, nisi Sacerdotes Christi, & ministri sacri?* Et postea. *Iidem dispersi plorantur, quasi lapides sanctuarij in capite omnium platearum, quia dum per vitam, & orationem intus esse in contemplatione Dei semper debuerant, per vitam reprobam foris passim vacant.* Et post hæc improborum monachorum mores sic luget. *Ecce iam penè nulla est sæcularis vitæ actio, quam Sacerdotes Christi non administrent, nulla mundi negotia in quibus ministri altaris se non occupent, nulla rerum improbitas, qua monachicus Ordo se non implicet, penè nulla illecebrosæ vitæ blanditiæ, quæ se castitas Sanctimonialium non maculet. Sanctuarij ergo lapides dispersi sunt in plateis cum religiosi quique lata mundi itinera sectantur.* Satis hisce declarat Hugo multorum monachorum, regulariumque vitia lamentationem lachrymosam expostulare. 7

Accedit celebris ille Abbas Ioachim in apoc. 3. qui à pluribus spiritu prophetico claruisse creditur. Ipso ergo spiritu, aut experientia ductus multa protulit in commentariis super Apocalypsim quibus sui temporis, & futuri statum monachorum plorat. Legatur circa illud cap. 3. *Scio opera tua, quia nomen habes quod viuas, & mortuus es.* Quæ verba improbis monachis accommodat; sicut, & illa eiusdem capitis, *Si ergo non vigilaueris veniam ad te tanquam fur, & nescies qua hora.* Maximè verò circa illa cap. 6. *Et stellæ Cæli ceciderunt super terram*, sic habet de monachis deprauatis, *Huiusmodi monachorum caliginem deplorabat Hieremias Propheta, quando in persona Ierusalem lamentabatur dicens. Candidiores erant Nazarei niue, nitidiores lacte rubricundiores ebore antiquo, Saphiro pulchriores: denigrata est cutis eorum. Quasi enim niue candidior, & nitidior late Nazareus est, cum is, qui ad vitam contemplatiuam obseruandam accedit in eadem claritate mentis, & serenitate consistit. Sed veluti extinctus carbo, nigra efficitur cutis eius, cum pro eo quod à mundanis curis abstinere cogitur, contristatus incedit, & conceptam in secreto malitiam in aperto demonstrat.* Et infra. *Vnde, & per eundem prophetam dicitur. Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides sanctuarij in capite omnium platearum. Obscuratur aurum; cum splendor vitæ contemplatiuæ in Ordine monastico inanescit. Mutatur, & color optimus, cum hi qui positi sunt ad speculanda cœlestia, inhiare* 8

inhiare incipiunt lucra terrena. Disperguntur lapides sanctuarij in capite omnium platearum, cùm hi, qui pro se, & pro aliis tenere debuerant arctam semitam, qua itur ad vitam disperguntur per latas vias, quibus itur ad perditionem. Alia multa in dicto libro reperio, quibus etsi nouum quendam Ordinem monasticum futuris temporibus venturum commendet, monachismi tamen præsentis lapsum deplorat.

9 Optimè quoque ad idem intentum seraphicus Bonauentura in stimulo am. c. 11. de prauis Religiosis, depravatisque religionibus sic loquitur. *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis imbrem lachrymarum, vt die, ac nocte plorare valeam Perfectorum statum quasi ad nibilum iam redactum Nam terra culta diuinis consiliis, & Christi exemplis, spinas & tribulos germinat pro frumento.* Breui compendio rem totam peregit seraphicus Bonauentura.

10 Sanctus etiam Antonius Paduanus Minoritarum decus in ser. sexag. non minus grauiter plurium regularium vitia carpit in sermone de Sexagesima. Explicans ergo illud Hieremiæ 18. *Numquam deficiet nix de petra agri*, sic loquitur ad intentum. *Ager est Ecclesia; petra agri religio supra petram fidei fundata, nix est munditia mentis, & corporis, quæ numquam debet deficere de religione. Sed heu quantæ scissuræ, quanta schismata: quantæ diuisiones, & dissentiones sunt in petra, id est, religione, super quem si ceciderit diuini verbi semen, non fructificat, quia non habet humorem gratiæ Spiritus sancti. Verè ibi scissuræ, ibi lis in Capitulo, dissolutio in Choro, murmuratio in Claustro, gula in Refectorio, carnis petulantia in Dormitorio.* Et infra de difformatis religiosis sic loquitur. *Sancti videri volunt, sed esse nolunt. Proh dolor, religio, quæ deberet seruare species virtutum, aromata morum, destruitur, & efficitur forensis apothecaria. Vnde vel deplorans ait: Demolita sunt horrea, id est claustra canonicorum, dissipatæ sunt apothecæ. id est abbatiæ monachorum.* Et inferius. *Ecce habes, quod ex confusione tritici id est, defectu charitatis destruitur apotheca totius religionis.* Hæc cum aliis S. Antonius in dicta concione monachorum vitia carpens, & plorans.

11 Eadem quoque regularium vitia lamentatur Dacrianus Abbas in suo speculo monachorum sic loquens. *Væ, & iterum væ peruersis, tepidis, negligentibusque monachis, qui status sui reuerentia contempta, votisque violatis, in corporis, vanitatis, & passionum sterquilinio iacere non erubescunt, neque formidant.* Alia insuper ad hoc intentum ex hoc pio authore capite sexto huius opusculi adducemus.

12 Iungam his Patribus S. Laurentium Iustinianum, qui in opere de compunctione, & planctu sacerdotum, & religiosorum casum sic plangit. *Heu quam rarus in præsenti generatione reperitur, qui cupiat esse perfectus. Sequuntur vt in plurimum voluntates proprias. Quæ à sanctis dicta, vel gesta sunt impossibilia arbitrantur, perficere non curant, se emendare dissimulant, consuetudine ducuntur, linguam minime cohibent, continere ventrem expauescunt, omne eis licere putant, quod ipsis libet, vix compunguntur, ab oratione veluti à flagello fugiunt.* Et inferius sic inquit. *multiplicatus est talium numerus; sed non est magnificata lætitia, imo in luctum conuersum est gaudium. Quomodo temporibus istis religiones declinauerunt, quæ per transacta florebant curricula, optimè sentiri potest.* In libro quoque de obedientia, eorumdem religiosorum c. 19. lamentabilem à priscorum vita recessum sic recenset. *Sunt multa cœnobia (& vtinam non numerosior pars,) quæ non Sanctorum habitacula, sed latronum sunt dicendæ speluncæ, spectacula dæmonum, & officinæ vitiorum. Vbi enim quisque priuata quærit commoda, pecunias cumulare non desinit, nec curat vtrum quis fratrum suorum patiatur famem, frigore crucietur, & infirmitate languescat. Ibi proculdubio religionis destructus est cultus. Ibi inquam viget impietas, & negligitur fraterna dilectio, ibi impellente cupiditate fiunt sacra venalia, rapinæ clam exercentur, disseminantur rixæ, iurgia frequentantur, concipiuntur æmulationes, detractiones, obloquutiones, & mendacia proferuntur; ibi prorsus deest timor Dei zelus animarum, charitatis bonum, proficiendi desiderium, contemptus sui, orationis gustus, religionis delectatio, dulcedo virtutum, conscientiæ pax, æternorum spes, & futuri iudicij metus.* Hæc inter alia S. Laurentius Iustinianus sui temporis deprauatam monasticen plorans, qui solus pro causa quam tuemur patronus sufficeret.

Beata quoque Brigitta, fœmina sanctissima, cœlesti lumine diuinarum reuelationum illustris, 13
lib. 4. reuel. cap. 33. difformationem religionum sæpius plorat. Ex libro 4. reuelationum pauca hæc intentui nostro congruentia excepi. *Iam tristitia est, religiosorum regulas cernere mutatas in detestabiles abusiones, & minimè teneri, sicut Augustinus, Dominicus & Franciscus ex inspiratione Spiritus sancti dictauerunt.*

Adest præterea notabilis quædam è cælo facta 14
reuelatio grauissimo authori Dionysio Carthusiano, sanctitate celeberrimo, sapientiæque decore fulgentissimo. In Dominica ergo tertia post Pascha, (prout in eius vita habetur) raptus in cœlum, more sibi solito; cum pro Ecclesiæ fœlici exaltatione, hostiumque oppressione, affectuosissimè deprecatus esset Deum, repente ex persona Ecclesiæ, auribus eius interioribus hæc vox insonuit, dicens. *Audi fili mi, voces & gemitus matris tuæ; perpende singultus, & lamentationes dolorosissimæ, fidelissimæ, & affectuosissimæ matris. Pungunt, & penetrant me intolerabiles, amarissimique dolores, ipsis quodammodo grauiores. Qualiter putas me excruciari, affligi, imo doloribus absorberi, dum recolo qualis fuerim olim quam gloriosè, potens, & inclita, omnibus diuinorum charismatum affluentiis decorata, toto orbe terrarum longè, ac latè diffusa, sanctis prælatis vndique fulgens, strenuissimis, ac virtuosissimis principibus gaudens, & per eos de aduersariis meis præclare triumphans, innumerabilibus turmis deuotissimorum religiosorum vtriusque sexus coruscans, collegiis quoque innumeris, & constitutis personis in sacris ordinibus, in timore Dei, & obseruantia regulari conuersantibus perornata? Insuper in quatuor mendicantium ordinibus gloriabar, in quibus abundaui, personis litteratis, ac feruidis, regulariter exemplariterque viuentibus, per quos saluberrimè fructificaui ad conuersionem, profectum, ac beatitudinem plurimorum. Sed heù, heù, heù, iam omnia sunt euersa, deformata, & lapsa. Obscuratum est aurum, mutatus est color optimus. Et ego ipsa olim tam gratiosa, & pulcra tam potens; ac splendida, deformis effecta sum, exanguis & hispida, egena, infirma, & conculcata, atque ad angulum occidentis redacta, & coarctata.* Hæc sunt verba Ecclesiæ Sancto viro Dionysio per diuinam reuelationem patefacta. Ex ipsis vero liquido innotescit quantum malum,

lum, quam quæ plorandum ſit religioſas perſonas deformatè viuere.

15 Hanc forſan ob cauſam idem pius author Dionyſius non ſemel, ſed ſæpius monachorum vitam reprehendit. Ser. 5. de Paſcha ſic loquitur poſt alia. *Heu quid dicam quia poſt confeſſionem, poſt celebrationem, mox ad priſtinas leuitates, loquacitates, riſus, negligentias, incuſtodiam cordis cenſumque redimus? Vbi eſt timor Dei, vbi veræ contritionis indicia, vbi digniſſimi ſacramenti fructus, gratia, & effectus? Sic imus de die in diem, & forte macilentiores, & aridiores, &c.* Item ſerm. 5. de octaua Paſchæ. *Proh dolor, multi ſunt religioſi, ſolo corpore de mundanorum hominum habitatione, conſortioque regreſſi, quorum conuerſatio non eſt in cœlis, ſed mentis diſtractione diſcurrunt per vaſta terrarum, & vanis affectionibus detinentur in terris. Corporaliter ſedent in cœnobio, & mentis occupatione verſantur in mundo. Imo per cogitationes inutiles, per varias paſſiones, per terrenas cupiditates, curioſitates, euagationes, mundum in ſe tenent incluſum. Hi ſunt, qui ſæcularibus delectantur rumoribus mundanorum hominum confabulationibus, qui non amant neſciri, imo per ſcripta, per munuſcula, per ſalutationes, per varios modos extraneorum ſibi mercantur notitias, reputationes, fauores, ac munera, &c.* Ad hæc in ſerm. 5. de Dominica 1. poſt Trinitatem tam acriter reprehendit aliquorum monachorum vitia, vt ea referre piis religioſis contumelioſum appareat; ac proinde libens omitto.

16 Audiatur inſuper B. Thomas de Villanoua noſtri ſæculi, Hiſpaniæque decus, Auguſtinianæque familiæ ornamentum ſingulare. Hic ergo Sanctiſſimus Pater ſui æui deformatam religionem in ſerm. de D. Ioanne Baptiſta ſic plorat. *Vbi nunc in religionibus illa puritas? illa innocentia illa ſanctitas? vbi ille deuotionis feruor? ille pœnitentiæ rigor? vbi ſolitudo illa? abſtinentia illa? modeſtia illa? vbi veſtis neglectus? mundi contemptus? Iuſtitiæ zelus? Væ nobis, quia ſolum nomen vacuum religionis, tonſuram, & habitum geſtamus, delicioſi, delicati, ſuperbi, voluptuoſi, inqueti, vagi, tepidi ſine ſpiritu, ſine deuotione, negotiatores, detractores, deambulatores: facti ſumus ſicut populus, non tamen ſicut populus iudicandi.* Hæc ſanctiſſimus pater nouiſſimordm monachorum vitia referens; ſimulque, quam deplorandum ſit ipſorum ſtatus ſatis innuens.

17 Deuotus quoque, pius, & grauis auctor Thomas Campenſis 3. p. ſerm. ad nouit. ſerm. 1. improbos religioſos infamibus proſequitur encomiis eorumque miſerrimum ſtatum ſic luget. *Væ vagis, & diſſolutis monachis, ſolo nomine, & habitu religioſis, qui crucem ſuam cum murmure portant, & inuitè obediunt, cellam malè cuſtodiunt, ſilentium leuiter frangunt, labores fugiunt, otia diligunt, orationes breuiant, fabulas prolongant, ad exteriora proni, ad interiora pigri, ad cogitandum bona torpidi, ad penſandum mala procliues, ad edendum, & bibendum alacres, ad ieiunandum triſtes, ad increpandum faciles ad ſuſtinendum debiles, ad honores cupidi, ad humilia verecundi, à rigore diſciplinæ auerſi, & ad laxiora ſemper inclinati.* Dixerat autem ſuperius de illis: *O quam longè ſunt iſti à ſummo bono, à dulcedine Dei, à melodiis Angelorum, à ſemitis iuſtorum, à ſanctitate religioſorum, & à ſpirituali gaudio deuotorum.* Recenſet rectè deuotus hic Pater improborum monachorum quotidiana vitia, ſimulque eorum caſum piè lamentatur.

18 Grauis quoque author Benedictinus Abbas Ioannes Trithemius in ſermonibus, & homiliis ad monachos, ſæpius illorum vitia carpit; mores reprehendit, & miſerum eorum ſtatum luget. Ex homilia autem quadam pauca hæc excepi, quibus ſuam circa præſentem cauſam mentem exponit. *Video quoſdam, è vobis ſacras abhorrere lectiones, vanitatibus deditos, & nihil minus curare, quam ſpiritualis militiæ perfectionem, quorum Deus venter eſt, & gloria in confuſione. Exiſtimatis viliſſimi nebulones, qui nihil ſpirituale ſapitis, quod Chriſtus iterum venturus ſit, vt ea vobis loquatur, quæ prædicatoribus ſuis dicenda commiſit?* Quaſi ex vngue leonem ex paucis his verbis, quam acriter de deprauatis regularibus ſentiat, abundè ſatis expreſſit Trithemius.

19 Ad hæc religioſus pater Petrus Blomeuena grauiſſimi Carthuſianorum inſtituti alumnus, deprauatorum monachorum ſic recenſet vitia, vt ex opuſculis D. Dionyſij Carthuſiani habetur. *Videmus plerumque quotquot in religionum inſttutis, aut non proficiunt, aut minimè perſeuerant, malo fine concludi, ſuperbia agitari, viam humilitatis, veritatiſque aſpernari, monita pietatis deſpicere, indigne ferre pro exceſſibus emendationem, ſemper ad omnem auræ flatum mobiles, ſemper turgidos, ſemper magiſtris inobedientes, ſemper rebelles lumini ſempiterno. Vnde fit, vt continuè ſe ipſis efficiantur deteriores, terreni, frigidi, aridi, vani, inſipidi, tenebroſi, capitoſi, animales, pueriles, magni, & glorioſi in oculis propriis, & feri in oculis Dei. In quos Diabolus poteſtatem accipiens variis eos tentatienibus agitare non ceſſat.* Religioſos deprauatæ vitæ, ſatis veraciter depingit hic author, eorumque miſerabilem ruinam omnibus lamentandam proponit.

20 Adhæret his Patribus grauiſſimiſque authoribus Ioannes Lanſpergius Carthuſianus monachus, qui in ſermone quodam de ſolemnitate omnium Sanctorum, & in ſermone tertio, & feſto Sancti Hugonis in plurium religioſorum teporem multis inuehitur, maximè in ſermone quodam habito ad Patrum congregationem, miſeram aliquorum regularium ſortem referens, talia dicit, qualia vix credi queant, aut apud aliquem Catholicum authorem reperiri poſſint. Eius verba fideliter referam, eo ſolum animo, vt noſcatur, quantum pius iſte religioſus, labefactatum monachorum ſtatum (quando talis fuerit) deplorandum cenſeat. *Periit* (inquit) *religio, periit regularis honor, parumque abeſt hodie apud nonnullos, vt monachum non recenſeant inter Chriſtianos. Non minor eſt & hodie monaſtici nominis ignominia, & perſecutio, quam fuit olim gloria. Contemnuntur, illuduntur, ſpoliantur, & quaſi ſacrificium in hoc fiat Deo, modis omnibus perſecutio illis infertur.* Gauderem ſanè iſta ſolum de monachis temporis huius authoris vera eſſe, ſed de noſtri quoque temporis regularibus, non tam propter eorum difformatam vitam quam propter plurium ſæcularium impiam nequitiam, verificari, proh dolor, experientia clamat. Subiungit Lanſpergius. *Verum tanta hæc calamitas, Patres colendiſſimi vnde in nos, vnde tanta venit deſpectio? Non aliunde profectò, vt reor, quam à Deo. Quam multi enim à primo noſtro feruore excidimus. Quam multi à prima charitate lapſi ſumus. Certum eſt quam vbique defloruerit, labefactataque ſit religio: apud nonnullos extincta penitus.* Poſt alia quoque notatu digna hæc addit. *Non abſque gemitu loquendum eſt, ac veſtra, ac bonorum omnium pace. Tanta*

Tanta erat apud religiosos, & hodie apud plerosque tanta est tepiditas, tanta dissolutio, tanta discordia, tanta, vt ita dicam, partialitas, tanta denique in eis vigebat passionum malarum, ac vitiorum immortificatio, & proprius amor, vt bonorum etiam quorumuis nomen offuscarit. Deinde si eorum vitam omnem spectaueris, præter externa, quædam in vestibus religionis signa, nihil offendi, nihil poterat audiri quo mundanis hominibus præstarent. Quid igitur mirum, si Dominus pariter nos omnes det in sibilum, in stuporem, in opprobrium, & (quod non semel minatus est) in direptionem cunctis gentibus? Quid inquam mirum, si prophanis hominibus, & honore, & nomine, nos inferiores habeat? quandoquidem mundanis hominibus Deo deuotis, quotus est monachorum, qui deuotione, pietate, ac moribus præstet.

21 Nec his contentus, quasi non sufficerent, alia subiungit. *Iterum ne cogor meum vobis luctum offerre? Quotus, quæso est in qualibet domo, de quo vere hodie prædicari possit quod sit vir simplex, rectus, ac timens Deum, ac recedens à malo. Quotus est hodie in plerisque locis, qui non pro cibo potuve cum Israelitis contra Moisem, idest prælatum obmurmuret, qui non suo detrahat, vel inuideat Prælato, qui denique malum aduersus proximum suum non cogitet. Qui suo obedientiam, ac amorem sinceriter Priori impendat, aut qui non machinetur aliquid mali in corde suo? Taceo; quod post concupiscentias nostras multi imus, & vbi nobis leuissimum foret desideria nostra frangere, ibi fatigamur, immortificationem nostram vbique in collo circumferentes, hoc vno turpi verbo plerique excusant? Non est (inquiunt) hoc mortale peccatum. O si Dei, vel cuiuis in esset timor, si diuinæ præsentiæ æstimatio, nulla occurreret ei disputatio, mortale, ne an veniale esset peccatum; quandoquidem vnum perinde, ac alterum vitaremus: quippe cum nullum sit peccatum, quod non execretur Dei timor.* Adhuc inferius. *Plangite nunc patres super filios vestros, in quibus sanctus Dei timor, aut recessit, aut friget, Plangite, quod pro bona parte, etiam inter nostrates, contentio, susurria, inuidiæ, æmulationes, animositates, interdum reperiuntur atque iurgia. Nonnullos habetis carnales, animales plures, spirituales (vt vereor) non habetis multos. Plures habetis, qui de otio, de somno, de cibo, potuve, de vestitu, de domus negotiis, de fratrum defectibus, atque de suis inter se adinuentionibus (vt cætera pratercam) sciunt, loquuntur, aut cogitant. De his (formido) bona pars est Ordinis. Sunt alij qui solutis vtcumque horis, & Ordinis debitis, deinceps externis suis vacant, nihil prorsus de internis, parum de meditatione, aut contemplatione, parum de oratione mentali, aut exercitiis spiritus scientes.* Hæc & alia grauis author Carthusianus, quibus miserandum statum deprauatorum regularium sui æui lamentatur.

22 Nec omitti iure possunt, quæ Ioannes Nider Ordinis Prædicatorum in suo de reformatione religiosorum opusculo exarata reliquit. Ea vero declarant satis quantum malum sit deformata religio, quotque crimina à deformatis religiosis committantur. Sic ergo loquitur. *Sed heu, religionis forma decentissima penè iam in multis perdita est religionibus. Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides sanctuarij in capite omnium platearum, Filij Syon incliti, & amicti auro primo; quomodo, reputati sunt in vasa testea? Et quamuis plus silere liberet & flere, quam aliquid dicere: tamen cum Isaia cap. 1. Zelo Domus Dei cogor clamare. Omne caput languidum, & omne cor mœrens, à planta pedis, vsque ad verticem capitis non est in eo sanitas. Derelicta est filia Syon, sicut vmbraculum in vinea, & sicut tugurium cucumerario, sicut ciuitas, quæ vastatur in Vides enim, si deformatum intras monasterium in quibusdam sicut in Cayn fraternam inuidiam; in aliis Lamech incontinentiam; in aliis filiorum Cayn auaritiam; in aliis cum Cham paternam irridere insufficientiam. Quosdam cum Nemroth primatum appetere; alios corrixari cum pastoribus Loth, alios Ismaeli similes Isaac domesticum contemnere, alios cum Esau guloso, Iacob irridere propter paternam obedientiam. Et quod deterius est, quosdam qui Ioseph imitari student innocentiam, accusari per inuidos apud patrem crimine pessimo. At si exterioris hominis in monacho, vis deformitatem aspicere, reperies inter cœnobij supposita, in capitis vertice tonsuram indebitam, in visu petulantiam, in lingua effrenem, in ore gulosum, in manu instabilem, secularem vestitu, mimum risu, ac incessu, velut militem. & vt verbis, vtar Hugonis venerabilis: In deformato Monasterio omnia reperies, per quæ religionis forma corrumpitur, Quia ibi prælatus negligens; discipulus inobediens, iuuenis otiosus, senex obstinatus, monachus curialis, religiosus causidicus, habitus pretiosus, cibus exquisitus, rumor in claustro, lis in capitulo, dissolutie in choro; & circa altare irreuerentia. Si vero aliquis formam religionis antiquæ inter peruersos renouare gestiat per bonorum operum exercitia, vix credi potest; quanta talis sustinere habet opprobria à maleuolis. Quia vt beatus Bernardus ait in apologetico, à talibus parcitas putatur auaritia, sobrietas austeritas creditur, silentium tristitia reputatur: Et è contra remissio discretio creditur, loquacitas affabilitas, cachinnatio iucunditas, mollities vestimentorum & equorum fastus honestus, ac lectorum superfluus cultus reputatatur munditia. Dicere potest quisque deuotus religiosus. quem zelus domus domini comedit, præfatas deformitates intuens. Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, & plorabo die, ac nocte, interfectos filiæ populi mei.* Hæc, & alia pius, & grauis religiosus de deprauatis regularibus sentiendum plorandumque censuit. Vtinam veridicus numquam crederetur.

Claudat agmen Eminentissimus Cardinalis Bellarminus, qui in suo illo verè pio, aureoque libello de gemitu columbæ, inter potiora mala Ecclesiam Dei labefactantia, ploratque digna religiosorum relaxationem recensuit capite sexto. Vbi sic loquitur. *Ordines religiosi, quemadmodum in suis bonis membris, materiam præbent fidelibus omnibus gloriandi & Deum laudandi sic etiam contra, in membris malis, fontem nobis aperiunt inconsolabilium lachrymarum. Vere enim scripsit S. Augustinus. non se vidisse meliores iis, qui in Monasteriis profecerunt, neque deteriores iis, qui in Monasteriis defecerunt. Regulares enim similes esse videntur ficubus Hieremiæ, inter quas. quæ bonæ erant, erant bonæ valde, & quæ malæ, malæ valde.* Post alia hæc subiungit. *Multiplicari cœperunt regulares sine numero, & multi non à Deo vocati, ad statum perfectionis, sed aliis rationibus adducti, Monasteria repleuerunt, & impletum est illud Isaiæ nono. Multiplicasti gentem, non magnificasti lætitiam. Inde nata sunt scandala grauia, & multiplicia omnibus nota, quæ materiam vberem præbent columbæ gemendi, & plangendi relaxationem, ne dicam corruptionem Ordinum Religiosorum.* Post alia refert tremendam 23

tremendam valde visionem, seu reuelationem S. Pachomio factam, ex qua miseram sortem, miserandamque cladem plurium Religiosorum, simulque causas relaxationis illorum non ineptè colligit Vide apud Dionysium Exiguum Abbatem Romanum cap. 45. historiæ S. Pachomij Ex ea verò, dictis quoque, simulque dicendis, liquidò innotescet, quam necessum sit Religiosos omnes, piè, reformatéque viuere, vt pote, cum illorum relaxationem sancti Patres, aliique grauissimi Doctores inenarrabilibus lachrymis, lamentisque prosequantur.

24 Ne tamen aliquis prauo malignitatis spiritu ductus ea, quæ Patres, & Doctores relati sancto Religionis zelo dictitarunt, in prauum sensum retorquens, eò ab eis scripta autumet, vt splendidissimum Religionis sacræ statum, vel leui nebula obnubilent, præter dicenda cap. sequent. vbi ex ipsorum mente ostendemus monachismum selectiorem Ecclesiæ partem (excipe Episcopalem dignitatem) esse, summis laudibus dignam, Orbi pretiosissimam, virtutum, & perfectionis exemplar; alia in præsenti pro antidoto veluti contra virulentam hanc existimationem subiungere operæ pretium est. Et in primis id, quod pius, & celebris author Dominicus Grauina Dominicanæ florentissimæ vineæ frugifer palmes in suo *Vox turturis* opere nuncupato in præfatione cum Nouatoribus differens scripsit hic apponenda. *Quare non est, quod istis nebulonibus suffragetur, si obiiciant quod à quibusdam Ecclesiasticis tractatoribus, tum veteribus, tum recentibus claustralis disciplina relaxata deploretur. Nulla enim est, quamuis lassata, & defatigata Congregatio, quæ (vt B. Matri Theresiæ in eius vita reuelatum est) magno non sit Ecclesiæ adiumento. Bos lassus fortius figit pedem (scripsit Hieron. Epist. ad Aug. Et in illa parte, quam pro exemplo perditionis ponunt Hæretici (dicit Augustinus lib. de Vnit. Eccles.) id est in Israël; fuerunt Sancti Prophetæ, ibi erat ille memorabilis Elias, vt de aliis taceam: Vnde & se solum Dei seruum existimantem cum diceret: relictus sum ego solus: blanda obiurgatione à Domino reprehensum legimus, dicente Domino:* Reliqui mihi septem millia virorum, qui non curuauerunt genu ante Baal. Subiungit, & alia congrua intento, quibus diuersissimam esse Catholicorum, scribentium, ac garrulorum detractorum mentem esse notat. *Porro scribentium Catholicorum intentio à malignantium fine longo interuallo secernitur: illi enim scribunt aut loquuntur, vt medeantur; hi obloquuntur, vt criminentur: illi commiserando, hi subsannando: illi aliquot; hi omnes perditos pronunciant: illi institutum laudantes in aliquorum personas inuehuntur, isti viros cum instituto inuoluunt. Aliud est ergo, quod agitur typo calumniæ, aliud quod Zelo disciplinæ. Dices interdum in nonnullis tractatoribus est excessus: nam & Petrus Venerabilis lib. 4. Epist. 8. quendam Antistitem reprehendens, quod è publico suggestu Cluniacenses Monachos sugillasset, ait: Non ita Episcopus Augustinus vera, vel falsa fratrum mala populo prædicauit, vel in suis scriptis prædicanda mandauit, cum dixit, Vbi oritur peccatum ibi moriatur, ne ad plures eius notitia, quam correctio extendatur, Transeat. Sed in hoc excessu, etiam supereminet charitas: & quidem virga eorum correctio: sed quæ consolatur amor; sed non emolliens; zelus sed non immoderatè sæuiens; pietas, sed non plusquam expediat parcens.* Subiungit, & alia non minus congrua. *Non ergo mirandum est de doctissimorum, & virorum sapientissimorum excessu, cum in Ecclesiæ columnis similis obseruetur, quem nihilominus absorbet charitas; quæ operit multitudinem peccatorum. Adde & Patres non de omnibus, sed de aliquibus, paucioribus forsan, vel minoris notæ, seu forsan maioris, quia ab aliis notati sunt, locutos fuisse.* Quod præter dicenda in sequentibus satis ostendit relatus Pater Grauina dum in sua illa turturis voce de florenti vsque ad hæc nostra tempora Monachorum Mendicantium, & aliarum sacrarum Religionum statu desertè disputat dicens. *Non est vinea ista Religiosorum, sicut vinea illa viri stulti à Salomone descripta, quam totam repleuerant spinæ, & vrticæ, cum tot flores delegerimus, cum tot fructus collegerimus. Præclarè Sanctus Augustinus in Psal. 47. illam vocem impiorum dicentium, quod in Ecclesia, Vix inuenitur vnus, vel duo; sed paucissimi boni sic confutat. Non audiamus tales voces, ne putemus paucos esse istos, multi sunt, sed inter plures latent. Et vt alibi idem Augustinus dixit: sunt ibi, & grana, accede, tenta, excute, adhibe oris iudicium.* Sancti quoque Vincentij Ferrerij in libello de vita spirituali Vaticinium pro Religiosis quibusdam futuris (audens dico) quam pluribus nostri sæculi Regularibus, frementibus hæreticis, adaptari potest. Eorum porro statum sic describit idem sanctus *Statum pauperrimorum, simplicissimorum, & mansuetorum, humilium, & abiectorum, charitate ardentissima sibi coniunctorum, nihil cogitantium, aut loquentium, nec saporantium, nisi solum Iesum Christum, & hunc Crucifixum, nec de hoc mundo curantium, suique oblitorum supernam Dei, & Beatorum gloriam contemplantium, & ad eam medullitus suspirantium, & ad instar Pauli dicentium;* Cupio dissolui, & esse cum Christo, *& innumerabiles, ac inæstimabiles thesauros diuitiarum cælestium, & superdulces, & mellifluos riuos diuitiarum suauitatum, ac iucunditatum, & super omnia mirabiliter expansos, & superinfusos, & per conuersationes imaginari debes eos ipsos, vt cantes Canticum Angelicum cum iubilo citharizantium in citharis cordis sui. Hæc imaginatio ducet te plusquam credi potest in quoddam impatiens desiderium aduentus illorum temporum.* Alia damus capite sequenti, ad ea Lectorem remittentes. Nunc de hoc satis.

Si tamen, quæ Humbertus vir clarissimus, Fratrumque Prædicatorum Generalis Prior narrare solebat, prout Laurentius Beyerlingus *in Theatro vitæ humanæ tom. 6. verbo Religiosus. Religio §. Humbertus* refert, hic adiungam. Narrare solebat hic 25
Pater, Religiosum quendam vita functum apparuisse aliquando de nocte fratri, socioque suo, magno splendore collucentem, cumque eum ex cella eduxisset, ostendisse magnum numerum hominum candida veste, mirabilique luce micantium, qui pulcherrimas cruces humeris deferebant. Erat autem omnium iter in Cœlum. Postea modico interuallo alius sequebatur ordo, isque multo pulchrior, multoque lucidior, quorum vnusquisque ornatissimam crucem non iam in humeris, sed manibus gestaret. Deinde tertius ordo omnium longè splendidissimus & speciosissimus, quorum item cruces forma, & pulchritudine reliquorum cruces superabant, neque eas ipsi portabant, sed suus, qui singulos præibat Angelus, vt ij alacres, & ludibundi sequerentur. Quod spectaculum cum ille miraretur, exposuit ei socius, primos illos esse, qui prouecta iam ætate Religiosam vitam amplexi fuissent; secundos, qui in virili; postremos autem, quos adeò expeditos, hilaresque vidisset, eos esse, qui in adolescentia.

26 Accipe etiam, Religiose lector, Schema Religionis, siue status Religiosi, oppositum habens ex aduerso Schema mundi. Quod sibi ad maiorem in Religione virtutis profectum concinnauit aliquando Theodorus Stumpuuicius Carthusianus Brugensis, & refertur à Laurentio Beyerlingo *in Theatro vitæ humanæ littera R. verbo Religiosus Religio.*

Religio est.	*Mundus est.*
A	
Acies ordinata.	Confusus ordo.
Ager segetum.	Terra infelix.
Ager cui benedixit Dominus.	Pratum senticosum.
Alterum baptisma.	Lacus contagij.
Arbor sycomorus,	Dulce venenum.
Arca Dei.	Nugæ seriæ.
Arca Noë.	Habitatio ferarum.
Arca purgationis.	Arca laborum.
Areola Aromatum.	Fastuosa miseria.
Armatura fortium.	Pœnitentiæ stimulus.
Aureum thuribulum.	Segnis curiositas.
B	
Balneum animarum.	Irrisa simplicitas.
C	
Caminus humiliationis.	Simulata virtus.
Castellum contra mundum.	Miseranda fælicitas.
Castra filiorum Israël.	Bellum implacabile.
Cella pigmentaria.	Egens inopia.
Ciuitas Dei.	Babylon confusa.
Ciuitas in monte posita.	Latens præcipitium.
Ciuitas refugij.	Cæcorum regio.
Ciuitas vallata.	Laberinthus errorum.
Cœnaculum Helisei.	Infausta securitas.
Conciliatio Dei, & hominum.	Concors discordia.
Currus Israël.	Contentionum strepitus.
D	
Desertum Israël.	Desertum horribile.
Dimicantium palestra.	Puteus odiorum.
Domini prælium.	Spirans mors.
Domus Dei.	Regnum dæmonum.
Domus sapientiæ.	Domicillum Belial.
E	
Exercitium disciplinæ.	Ignominiosa deiectio.
F	
Fluuius orationum.	Inane suspirium,
Fons signatus.	Fons curarum.
Fomes virtutum.	Fugarum forma.
Fornax Spiritus Sancti.	Caminus cupiditatum.
Fuga mundi.	Abditum rete.
G	
Gloria Christi.	Futilis excellentia.
H	
Holocaustũ medullatũ.	Honoratum dedecus.

Religio est.	*Mundus est.*
Hortus aromatum.	Labor inefficax.
Hortus Assueri.	Tecta fouea.
Hortus conclusus.	Lacus inexplebilis.
Hortus deliciarum,	Mordax sapientia.
Hortus irriguus.	Limosa palus.
Hortus plantationum Domini.	Ridiculus ambitus.
I	
Iter rectum.	Via colubri.
Iugum Christi suaue.	Amara dulcedo.
Iuniperus Heliæ.	Baculus arundineus.
L	
Lauacrum tonsarum.	Ignominiosus proditor.
Lima correctionis.	Silens lima.
Locus pascuæ,	Aridum fastidium.
M	
Mansio solitudinis.	Falsa lætitia.
Margarita pretiosa.	Saccus pertusus.
Ministerium Christi.	Pax inuida.
Mons Abarim.	Ima elatio.
Mons, & via Sion.	Fœdus carcer.
Mons Thabor.	Grata phrenesis.
Mors, & mors mundi.	Ægra sanitas.
N	
Nauis institoris.	Exarmata nauis.
O	
Officina virtutum.	Officina scelerum.
Onus Domini leue.	Scabra lenitas.
P	
Paradisus voluptatis.	Palestra adiscriminum.
Petra refugij.	Statua Nabuchodonosor.
Piscina in Hesebon,	Breue diuersorium.
Porta cæli.	Viuentium infernus.
Probatica piscina.	Fluctus impetuosus.
Q	
Quadriga Domini.	Tumultuosa confusio.
R	
Requies sanctificata.	Turbulenta trepidatio.
S	
Sabbatum Domini.	Callis inexplicabilis.
Sanctuarium Dei.	Honor inglorius.
Sagena missa in mare.	Inescartus hamus.
Sal terræ.	Verus dolor.
Scala Iacob.	Prolixa breuitas.

Schola

Religio eſt.	Mundus eſt.
Schola Chriſti.	Luciferi principatus.
Solium eleuatum.	Pompoſa vanitas.
Solitudo Ioannis in deſerto.	Inſomnis inertia.
Solitudo Sion.	Ignota nobilitas.
Sors Domini.	Contempta fides.
Spelunca Prophetarum.	Sepulchrum dealbatum.
Stadium currentium.	Vana ſpes.
T	
Tabernaculum fœderis.	Quies anxia.
Tabernaculum Iacob.	Caminus irarum.
Templum Salomonis.	Apparendi ſtudium.
Tentorium Iſraël.	Procelloſum pelagus.
Terra Orientalis.	Locus exilij.
Terra paupertatis.	Laqueus Diaboli.
Terra ſancta.	Præruptus mons.

Religio eſt.	Mundus eſt.
Terreſtre cœlum.	Putre ædificium.
Thalamus nuptialis.	Longum funus.
Theſaurus abſconditus.	Famelica nauſea.
Tunica Chriſti.	Ventoſa proſperitas.
Turris Dauid.	Turris Babel.
V	
Vallis benedictionis.	Diues inopia.
Vallis nemoroſa.	Vepricoſum nemus.
Via aurea,& regia.	Velata ignorantia.
Via immaculata.	Stulta ſapientia.
Victoria mundi.	Procelloſus portus.
Vigiliæ ſolemnitatis perpetuæ.	Mœſtum gaudium.
Vinea dilecti.	Voluptas ſpecioſa.
Viridarium perpetuum.	Verus hypocrita.
Zelus animarum.	Perditio animarum.

SVMMARIVM

*Plures ſuppetunt cauſæ cur antiqui Patres Religioſi ſtatus deformationem plorauerint. n.*1.

Religioſus ſtatus adeò inſignis, vt cunctis fidelibus ab omni labe immunis deſiderari debeat. numero 2.

*Quænam SS. Baſilius Magnus, & Gregorius Nazianzenus dixerint Religionis bona recenſentes. num.*3.

*Verba D. Bernardi regularis diſciplinæ laudes proſequentis referuntur. n.*4.

*Hæretici ex eo Eccleſiam ipſam opprobriis proſequuntur, quòd Religioſos non rectè iuxta inſtituta ſua degere conſpiciant. n.*5.

*Quæ ſint conuitia hæreticorum aduerſus improbos regulares. n.*6.

*Religioſus ſtatus quo fine à ſuis primoribus Patribus inſtitutus. n.*7.

Religioſi, qui iuxta ſui ordinis inſtituta degere non curant, à ſæcularibus deſpiciuntur. ibid.

Religioſus obſeruantiæ non zelator hypocrita eſt. ibid.

*Ab ingreſſu in Religionem ſæculares homines retrahuntur ob vitia Religioſorum. n.*8.

*Quanti æſtimandum ſit hoc damnum. n.*9.

Religioſa profeſſio valde placet Deo; eiuſque deſertio ipſi è contra nimis exoſa. ibid.

*Religioſorum vita ſi ſanctiſſima non eſt, peſſima eſſe ſolet. n.*10.

*Regulares ſemel deformati, difficillimè ad veram rectæ Religionis formam reuocantur. n.*11.



CAPVT II.

Idem intentum de neceſſitate reformationis Regularium ex aliis capitibus oſtenditur.

1 NOn mirum Patres iſtos, grauiſſimoſque Doctores præcedenti capite relatos tanto felle, tantaque verborum acerbitate, deformationem religioſi ſtatus lugere, deprauataque quorumdam ſui temporis Monachorum vitia carpere, abominari, & deteſtari. Plures enim ſuppetunt cauſæ, cur ita fecerint; cur etiam, & nos, eorum veſtigiis inhærentes, religiones cunctas, quoad omnia, & ſingula ipſarum membra, ad primum, & antiquum rigorem ſuæ diſciplinæ, reuocari cupiamus, & ad hoc opuſculum ſcribendum allici poſſimus. Aliquot ergo cauſas reformationis regularis diſciplinæ neceſſitatem oſtendentes præſens caput proponet.

Prima omnium ea eſt; quòd religioſus ſtatus 2
monachiſmus, ſeu Monachorum, aut regularium ordo, adeò eximius, inſignis, præcelſus, & ſublimis ſit, vt iure optimo cunctis fidelibus ab omni labe purgatus, & ab omni vitioſa fœce immunis deſiderari debeat. Hoc liqueat ex Patribus, qui miris encomiis religioſam vitam, monaſticenque extollunt. Nazianzenus Epiſcopus orat. in lau. D. Baſilij. *Partem ſelectiorem, & ſapientiorem Eccleſiæ* vocat. Cum grano ſalis accipe propter Epiſcoporum, prælatorumque ſtatum. Hieronymus ad Marcell. *Florem & pretioſiſſimum lapidem inter Eccleſiaſtica ornamenta*, monachorum gregem compellat; Ambroſius ad Verce. *Angelorum militiam.* Climacus; *Cœlum terrenum.* Sanctus Ephrem Syrus paren. 50. inter innumera, ipſaque præclariſſima epitheta, Monachorum congregationem appellat; *Paradiſum refertum, fontem pulchrum, ciuitatem muris munitam, diadema pretioſum, nauem plenam regalibus diuitiis.* Sanctus Laurentius Iuſtinianus de obed. cap. 18. religioſorum cœtum ſic vocat. *Hortum concluſum, paradiſum deliciarum, thalamum nuptialem, cubile immaculatum, virtutum ſcholam, tabernaculum fœderis, reclinatorium ſponſi, bellatorum ſtationem, ſanctitatis domum, caſtitatis cuſtodem, pudicitiæ firmamentum, religionis magiſterium, & obedientiæ ſanctæ ſpeculum ſingulare.* Alibi quoque ſic. *Ipſa cœnobia ſunt præſidia munitiſſima, ſanctorum Angelorum vallata cuſtodiis, ignitarumque orationum roborata ſuffragiis.* Hæc, & alia ex multis Patribus ſciens prætermitto. Hinc etiam in Reuelationibus Sanctæ Brigittæ variis epithetis Religio honorificatur. Etenim *lib.* 1. *cap.* 18. vocatur *Domus Dei*, & *lib.* 4. *cap.* 88. vocatur *Ancora capitalis*, & *cap.* 102. vocatur *bonus portus*, & ante Regulam *c.* 5. vocatur *noua vinea.* Item Religioſi ipſi *lib.* 6. *cap.* 35. dicuntur *operarij Chriſti.*

Omittere tamen non poſſum, quæ duo alij Ec- 3
cleſiæ celeberrimi Doctores circa hoc intentum dixere. Ex quibus magnus Baſilius, in conſtitut. exercit.

exercit. cap. 18. dum religiosi status bona connumerat, hæc habet. *Ibi contentio, ac lites absunt. Communia verò vniuersa sunt, animæ, sententiæ, corpora, & ea, quibus corpora nutriuntur, ac curantur. Communis Deus, communis pietatis negotiatio, communis salus, communia certamina, communes labores, orationes, corona. Multi vnus & vnus non solus, sed in pluribus. Quid huic vitæ comparandum? Homines ex diuersis generibus, ac regionibus nati ad tantam identitatis sinceritatem coaptati sunt, vt vna anima in multis corporibus conspiciatur, & multa corpora vnius animæ, ac sententiæ instrumenta ostendantur. Qui infirmus est corpore, multos habet affectu ægrotantes. Qui anima ægrotat, multos habet sanantes. Inter se mutuo æqualiter serui, æqualiter Domini. Tales, ab initio Deus esse voluit, & ad hæc creauit. Hi vetus reuocant bonum primi parentis, Adæ peccatum occultantes. Imitantur Christum cum Apostolis, imitantur Angelos, apud quos lis non est. Quid enim cum hoc bono comparari potest? Vbi pater quidem vnus imitans supernum parentem; filij verò multi beneuolentia circa præsidem vincere se mutuo studentes. Reuera ad talem phalangem etiam ipse Diabolus desperat, non sufficiens ad tot certatores, adeò compositè, ac per vnum plausum congregatos, & ita testitudine tectos, vt ictibus non pateant. Ecce quàm bonum, & quàm iucundum habitare fratres in vnum.* Hæc Basilius religionis bona recensens.

Secundus est Gregorius Nanzianzenus qui *oratione* 1. *in Iulianum* sic Religiosos compellat. *Humiles, & terrenos, & supra terrena: hos inter homines versantes, & rebus humanis, superiores; hos vinculis perpetuæ clausuræ pressos, & liberos, qui retenti sunt, & teneri non possunt, quorum nihil in mundo, & quorũ omnia, quæ mundo superiora sunt: quorum vita duplex est, altera contemplatiua, altera studiose culta, & expetita: hos inquam propter mortificationem immortales, propter solutionem Deo coniunctos, ab amore alienos, & diuino, libidineque vacuo amore correptos: quorũ fons lucis, & quorum iam radij splendorisque traiectiones: quorum Angelici psalmorum cantus, & pernox statio, & mentis ad Deum excessio: ante mortem in cœlum se rapientes: quorũ purgatio: Et tamen purgantur, quippè nullum ascensus & deificationis modũ sibi constituẽtes, quorum rupes, & quorum cæli: quorum abijci, ac proteri, & quorum thronis insidere: quorum nuditas, & quorum incorruptibilitatis indumentum: quorum solitudo, & quorum sæculi alterius frequentia, & celebritas; quorum voluptates compressæ, atque constrictæ, & quorum perpetua atque inexplicabilis animorum oblectatio; quorum lachrymæ peccati diluuium, & mundi expiamentum. Quorum extensio manuum flammas extinguit, feras mulcet, gladiorum aciem retundit, atque hebetat; instructas acies in fugam vertit.* Hæc magnus hic Doctor monachismi professoribus adaptanda censuit. Alia ad hoc intentum tum ex eodem Gregorio, tum ex aliis Patribus eruditè concinnata reperiet Lector apud nostrum Michaëlem Muñoziũ in *Propugnaculo Eliæ lib. 1. tit. 2. c. 5. art. 1. & 2.*

4 Iunge Bernardum, ex quo aliqua habes ex ser. 4. dedicationis Ecclesiæ. Aliqua etiã in homilia super *Simile est regnum cælorum quærenti bonas margaritas.* Plura quoque variis in locis, & opusculis. Quotus enim Pater hic est, in monachorum vitiis, defectibusque arguendis, totus conspicitur, in monasticæ professionis defensione. Specialiter in Epist. ad fratres de monte Dei, (si hoc opusculum Bernardi est) tam mirè, eleganterque regularis disciplinæ laudes prosequitur, vt nihil aliud ad intentum desiderari possit. Legatur ab illis verbis, *Altissima est professio* [illegible] *&c.* Multis obuia sunt, nec necessitas transcribendi. Ergo intentum claudens dicam. Si tot, tanta, tamque eximia, præclara, & insignia sunt, quæ de religioso statu Patres non leuiter, aut obiter, sed serio, & ex proposito prosecuti sunt; quis est, qui tam mira dignitatis encomia intuens illum non moribus purum, virtutibus ornatum, omnique splẽdore sanctitatis clarum desideret? tanta ne celsitudo næuum admittit? Labem compatitur? Rugamue sustinere potest? Quis credet? Satius ergo dicemus, religiosorum cœtum, sanctum, purum, immaculatũ, & ab omni labe terrena alienum esse debere. Ac perinde abs re non erit, si pro viribus, illum, etiam quoad singulas regulares personas, ad sui primordia reformationis restitui desideremus.

Ad id secundo animum impellere posset, quod 5
inimici Ecclesiæ (hæreticos dico) ex eo Ecclesiam ipsam conuitiis, & opprobriis prosequantur, quod monachos, religiosos, regularesque personas (aliquas quidem) non rectè iuxta instituta sua degere conspiciant. Ex quo peruersi argumentatores, religiones ipsas; imo, & Ecclesiam totam, non cum mediocri damno Catholicorum labefactare, & perturbare contendunt. Hoc vitium in hæreticis reperit Nazianzenus, dum orat. 14. sic loquitur; *Ob quorumdam culpam vniuersus Ordo in inuidiam, & crimen vocatur: quodque omnium grauissimum est; hæc criminatio non in nobis consistit: verum ad magnum, & venerandum nostrum mysterium transit.* Fateor quidem pessimos, & peruersos argumentatores in hoc deprehendi istos, cum ex priuata quorumdam regularium vita, qui, nec melior, nec sanior, nec maior pars illorum est, religionem totam, in qua innumeri sanctissimi, perfectissimique reperiuntur, labefactari, & reprobari putant. Bene contra illos, pro sanctis, reformatisque religiosis D. Augustinus in Psal. 99. defensor existit.

Sic enim loquitur ad intentum. *Tu qui vituperas, vide, & ibi bonos. In illa vita communi fratrum, quæ est in monasterio, magni viri sancti, quotidie in hymnis, & orationibus & in laudibus Dei. Inde viuunt, cum lectione illis res est. Laborant manibus suis, inde se transigunt, non auare aliquid petunt; quidquid eis infertur à piis fratribus cum sufficientia, & charitate vtuntur. Nemo sibi vsurpat aliquid quod alter non habeat. Omnes se diligunt, omnes inuicem se sustinent.* Rursusque ad idem de sanctimonialibus sic loquitur. *Inuenis sanctimoniales indisciplinatas; nunquid ideò sanctimonium reprehendendum est? Nunquid propter virgines malas, damnaturi sumus, & sanctas?* Pariter ad intentum nostrum impiis hæreticis respondere possumus. Nunquid propter paucos aliquos ex regularibus indisciplinatè degentibus totus monachismus reprehedendus erit? Bona ne ista argumentatio? Vnde locus? Verè Satanæ logica talem argumentationem confecit. Verumtamen, etsi improbi, calumniosique argumentatores in hoc appareant, hæretici; quis tamen dubitat, facilius illis ora obtrudi, si religiosi omnes, monasticæque personæ, rectè, & adamussim iuxta regulas, & instituta sua, ambulare conspiciantur. Teste enim Plutarcho *Optima inimici vindicta est, se honestum præstare, ac virum bonum,* & Hieronym. sup. epist. ad Titum: *vt aduersarij vita, & doctrina nostræ sanctitate perterriti, non audeant accusare nos.* Merito ergo in id vnum incumbere religiosi omnes debemus, vt concordet vita nostra cum nomine, professioque sentiatur in opere, vt vel sic: *Is qui ex aduerso est vereatur nihil habens mali dicere de nobis,* iuxta Paulinam sententiam Ad Tit.

Porro quæ sint ea conuitia, & opprobria, quæ 6
hæretici

hæretici recentiores præsertim, in improbos regulares, religionesque ipsas dicunt, ex eorum libris, tertio, quoque verbo innotescet Vviclephus (Vvaldensi nostro teste) *Religiosorum ordines ad vnum à Diabolo in Ecclesiam introductos, & Augustinum, Benedictum, & Bernardum, ad inferos esse damnatos, nisi pœnitentiã egerint, quòd monachi, & patres monachorũ fuerint*, censuit. Lutherus passim monasticen lacerat, & vt alia prætermittã, in suo obscæno Epithalamio *Eos, qui cœlibem vitam in monasteriis ducunt, idolo Molocho corpora sua cremare*, dixit. Ioannes quoque Caluinus infamis hæsiarcha, monasteria *lupanaria*, vota monastica *retia Sathanæ*, & monachos omnes, *Sophistas cucullatos* compellat Philippus Melanton (similis farinæ nebulo) vota, atque opera monachorum, *Obseruationes fatuas, hypocriticas simulationes, traditiones pharisaicas, atque Mahumeticas* vocat. Centuriatores quoque Magdeburgenses, religiosos omnes, *hominum monstra, inimicos humanæ societatis, & contra totam secundam tabulam delinquentes*, appellant. Mitto quæ Erasmus author etiã damnatus contra sanctissimam monachorum aciẽ tela iecit, ea verò optimè pius princeps Albert. pius lib. 5. de monachis retundit. Sed vnde obsecro tot conuitia, & tã iniusta, portentosi isti homines, in sacros ordines, sanctissimosque religiosos iaciunt. Nonne ex deprauatis moribus, quos in aliquibus religiosorum conspiciunt? Nonne quia plures istorum (hæreticos dico) ex monasteriis ad hæresim confugêre? Hi sunt inter alios, Lutherus, Pomeranus, Bucerus, Pelicanus, Munsterus, Menius, Musculus, Micomius; Oecolampadius, Martyr, Ochinus. Si autem religiosorũ vitia cessarent, & iuxta regulã suam, antiquorumque monachorum normam, vitam gererent; proculdubio, nec ex monasteriis ad hæresim confugerent, neque hæretici labem aliquam ipsis impingerent. Meritò ergo ex his, improbis hæreticorũ maledictis, quibus sanctissimos religiosos lacerare contendunt, pro illorum reformatione, qui non ita adamussim regularẽ obseruantiam seruant, laborandũ duximus.

7 Maximè insuper ad hoc faciendum pius quisque animus allici potest, animaduertens, religiosum statum eo fine, Deo afflante, à suis primoribus Patribus institutum fuisse; vt tanquam viuum exemplar virtutum, & perfectionis, sæcularibus omnibus proponatur: ad cuius imitationem vulgares alij Christiani, suam vitæ rationem recte moderentur. Ex hoc enim ingenuè elicitur, religiosos omnes monasticũ statum profitentes, omnium virtutum speculum, totiusque sanctitatis studiosissimos fore, ratione sui status, debere. Ac perinde, intolerabile damnũ Reipublicæ Christianæ inferri, si religiosi (quod absit) prauo vitæ exẽplo cæteros sæculares inficiãt. Quod necessario contingit, si religiosi ipsi laxe, deformatéque viuant. *Opus est* (inquit Plutarchus de educatione liberorũ.) *vt patres non solum nihil peccãdo, verum etiam honestè singula peragendo, manifestum sese filijs exemplar exhibeant, vt in eorũ vitã, quasi quoddã speculum intuentes, ab operum simul, & verborum turpitudine, se penitus auertant.* Quæ quidem potiori iure de religiosis omnibus, respectu sæcularium, dicere possumus. Tales enim (teste Chysost. serm. de lau. mon. t. 5.) sunt *veluti ignes, qui cum è loco editiori emicent, lucem, vel è minus aduentantibus exhibent.* Vnde de improbis, & laxe viuentibus religiosis, in causa esse totius ruinæ Ecclesiæ, satis clare docuit Sanctus Thomas de Villa-noua Augustinianus nuper in Beatorum numerum relatus in ser. de S. Mich. sic inquiens. *Væ discolis religiosis, quorum exemplo viuificandi erant simplices, & perduntur. Vnde hodie in Ecclesia tanta tepiditas, & iniquitas? Vnde tanta in omnibus auaritia, & cupiditas? Nisi quia in maioribus, & proceribus illius, vnde fulgere debuit sanctitas, viget iniquitas.* Quomodo enim (vt Christi verbis ad S. Brigittam vtar) *aperietur via ad suauitatem adquirendam, si ille* (videlicet religiosus) *debilis est, qui debebat præcedere; & ille mutus est, qui debebat clamare?* Dixerat autem antea. *Omnis, qui quærit in eo videre pulchritudinem morum, & virtutum, recurrit retro, turbatur visu, & abhorret accedere, ad eum, propter lepram superbiæ, & cupiditatis suæ. Si verò quærit eum audire, mutus factus est à laude mea, & garrulus ad laudem propriam.*

Hinc quoque talibus religiosis, qui iuxta sui ordinis instituta degere non curant maximum aliud damnum obuenire solet, quod à sæcularibus, à quibus suscipi, & venerari deberent, opprobrio, risu, & respectu habeantur. *Quomodo enim* (loquitur Ambr. epist. 6. ad Irinæ.) *potest obseruari à populo, qui nihil habet discretum à populo, dispar à multitudine? Quid enim in te miretur, si sua in te recognoscat? Si nihil in te aspiciat quod vltra se inueniat? Si quæ in se erubescit in te, quem reuerendum arbitratur, offendat!* Satius ergo erit, si religiosi omnes sui status perfectionem attendentes, sæcularibus omnibus virtutum exemplar se præbeant, quo, & suo muneri, simulque honori satisfaciant. Vnde rectè concludit Ambrosius. *Supergrediamur igitur plebeis opinione, quæramus nobis viam inaccessam sermonibus insolentium.* Optimè etiam Seraphicus Doctor S. Bonauentura, cum esset Generalis sui ordinis ad quendam Prouincialem in epistola quadam hæc scribit. *Cum disciplina negligitur, insolentia crescunt, ac per hoc negligentia circa exercitationem virtutum exterius procedit in scandalum, per eorum patentem ruinam, qui stare videbantur in oculis aliorum. Ex quo fit vt sanctæ religionis splendor præfulgidus in pallorem degeneret, sanctitatis pulchritudo sordescat, bonæ cõpinionis odor cõputrescat, & nomen Domini blasphemetur.* Ecce Bonauenturam clarè asserentem, scandalum oriri, sanctitatem sordescere, & nomen Domini blasphemari, si religiosi, regulari disciplina contempta, in insolentem relaxationem ruant. Vnde sanctissima nostri sæculi Virgo Theresia, prout in eius vita c. 7. habetur tot mala, quot Ecclesia Dei patitur, in defectum religiosorum, qui (vt inquit) exemplaria virtutum debebant esse, refundit, his verbis. *No se de que nos espantamos aya tantos malos en la yglesia, pues los que auian de ser los dechados paraque todos sacasen virtudes, tienen tan borrada la labor, que el espiritu de los sanctos passados dexaron en las Religiones.* Verba quidem summa discussione digna, vtpote à sanctissima, piissimaque Virgine, & de statu religioso satis benemerita, prolata.

Accedit, & alia ratio, propter quam, etsi alia non subesset, Religiosi cuncti veræ Reformationis amatores essent, & laxiori vitæ vale dicerent. Ea verò ex eo petitur, quòd Religiosus non Reformatus, nec Regularis obseruantiæ zelator, cumid, quod non est, habitu, & professione repræsentet, hypocrita est, & ipsius (vt Iacobus *in sua Epistola c. 1.* inquit) *Vana est Religio.* Hypocrisim cæterum à piis Religiosis omnino ablegandam satis comprobat illud Ecclesiastici 1. *Ne fueris hypocrita in conspectu hominum.* Seu, vt quidam ex Græco vertit: *Ne sis actor tragediæ, seu comœdiæ; ne sis histrio, nec mimus ad ora hominum.* Hypocrita enim dum aliam, & aliam personam induit, est velut mimus, & histrio. Religiosus hypocrita veri margariti, virtutis scilicet, loco vitrum apparentiæ ponit, vt bene Isidorus Pelusiot. lib. 2. epist. 24. Vnde tritum illud; *Tanti vitrum quanti margaritũ* (de quo Tertull. *lib. 4. contr. Marc.*) hypocritis

hypocritis quadrat. Quod satis à Deo in ipsorum morte reuelare solet. Ita hypocritassim Monachi cuiusdam reuelauit Deus S. Euthymio, cum Angelum vidit horrenda specie, tridente graui, animam illius è corpore extrahentem, teste Niceph. *lib.*14. 52. Ita hypocrita Monachus fingens se abstinere cibis, cum occultè comederet, in morte coactus id ipsum publice confiteri, atque addere: *Ecce nunc ad deuorandum draconi traditus sum, qui cauda sua mea genua, pedesque colligauit, caput verò suum intra meum os mittens, spiritum meum ebibens extrahit.* Vti refert S. Gregor. 4. *Dialog.*38. Ita hypocrisim suam detexit Doctor Parisiensis; cum enim in vita probus ab omnibus haberetur, mortuus ex feretro proclamauit: *Iusto Dei iudicio accusatus, iudicatus, & condemnatus sum.* Qua voce perculsus S. Bruno cum Sociis Ordinem Carthusiensium instituit. Hypocritas tandem monachos esse, qui non tendunt ad perfectionem nouissimè probat Ioannes Eusebius *in Doctrin. Ascetic. lib.*1. *doctrin.*4. *c.*29.

Horum porro hypocritarum nequitiam graphicè sub apologis struthionis, & auium; talpæ, & muris, muli, & equæ declarauit S. Cyrillus, libri, cuius titulus est *Apologi morales S. Cyrilli*, author. Libro enim 2. *c.* 22. quod est contra eos, qui gaudent tantū videri, cum non sint, *Struthio*, inquit, *positus inter aues, gloriæ cupidus, sed existentiæ vacuus, ostentationis verò mox alarum altioribus sparsis velis, maiores se pennas habere gloriabatur. Cui aues dixerunt, vanus quidem apparentiæ cortex, quem substantiæ medulla intus non implet, & propter hoc si aliarum sublimium pennosa iactantia sursum corde leuaris, earumdem potentia ventilatus iam corpore nos præcede maiori. Quo dicto, illis auolantibus, cum ipse terrestriori mole prægrauatus in terra retineretur, subridens pomposum desuper coruus clamauit, & dixit: Struthio frater vbi est pennarum superbia? At ille respondit; Nimirum pedum grauitas impedit, cum volandi vis adsit. Cui coruus, etsi asinus pes ponderat, cur tamen tantilli capitis leuitas, & colli gracilitas non te leuant? Si quidem apparentia, & non substantia est in causa; quare sic ergo gloriaris de sarcina? Ala enim sine volatu est barda. Et sicut sextus digitus manum fœdat, sic ala te onerat. Igitur fœda res, & vanitas onerosa est pompa. Nimirum nunc vides te imitari naturam stellarum micantium, & earum nutu, aut similitudine formari, quæ cum apparent in cœlo desinunt. Tota namque structura ad ostentationem spectat. Verum non audisti quid mus responderet talpæ de oculis gloriantis, scilicet habere oculum, & non visum, non minus esse quam monstrum. Vnde apparere, & non esse, monstruosa cæcitas est. Nam cum in oculis adsit pompa, tenebris tamen ipsa perfunditur, & visione priuatur. Similiter superbientem ex sexu mulum taliter equa confudit: apparentiæ quidem sexum habes, sed cares existentiæ fructu, adulterina coniunctione plasmatus. Sic orbata fructu pompositas cernitur, quia est superbiæ peruersæ nequam bardus. Nescis quòd speculum dum ex vna parte lucidum apparet, ex altera inimica luce opacitate obscuretur? Apparentia certè sine existentia mendax est. Quibus auditis Struthio obmutuit.* Apologi huiusmodi, etsi faceti, orationis tamen elegantiam, & leporem rerum grauitatem, sententiarum acumen, dogmatum sensatam sapientiam, & morum institutionem continent, propterea ipsorum aliqui ad intentum nostri operis in sequentibus afferendi.

8 Ab ingressu quoque in religionem, reformatæque vitæ vsu sæculares homines retrahi, eo solum, quod communia vitia, communisque modus viuendi in religiosis cernantur, Patres plures, & experiētia testis, plus æquo comprobant. Vt vel hinc etiam, eliciatur necessitas reformationis religionum. De filiis Heli impiis, & sceleratis, sacra pagina 1. Reg. 2. sic loquitur. *Erat peccatum puerorum grande nimis coram Domino; quia retrahebant homines à sacrificio Domini.* Pariter ergo de difformatis lapseque viuentibus religiosis affirmare possumus: esse scilicet, peccatum eorum grande nimis; eo videlicet, quod propter eorum exemplum, sæculares à rectæ vitæ tramite, vel ingressu in religionem detineantur, vel retardentur. Quod quidem Illustrissimi Petri Damiani l. 6. p. 3. verbis comprobare licet. *Quanti sanguinis* (inquit) *reus est, qui sub sacri habitus schemate, talem se per susceptæ professionis incuriam exhibet, vt quærentes accedere, peruersæ viuendo, disturbet; Euangelica illi nimirum sententia congruit, qua dicitur: Qui scandalizauerit vnum ex his pusillis, expedit ei, vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris. Tolerabilius enim fuerat, vt solus in eius, quem reliquit mundi vertigine rotaretur, quam multos nunc à salutiferæ stationis reuocaret accessu.* Hæc verò dixit Damianus, quia vt ipse ad illos monachos scribit. *Vir quidam à Mediolanensi vrbe progrediens, dum me quæreret, per vos transitum habuit: sed & habitare vobiscum, vt ipse professus est, sub eo nomine concupiuit. Qui dum lassus itinere, moram velut quiescendo protraheret, nescio quos vestrum, aniles nugas, & otiosa deliramenta, perpendit profundere, & cum laicis scurriles iocos, & ludibria vidit, vt vana miscere. Vnde factum est, vt non modo, nos nostrumque, propter vos, contubernium omne contemneret; sed & ipsum conuersionis animum, quantum potuit funditus amisit.* Ex his verò clarè, liquidoque constat, prauos mores, deprauatamque aliquorum regularium vitam sæcularibus multis, ne ad meliorem, vitæ frugem reuocentur, scandalum esse. Ac proinde meritò nobis pro reformatione religiosorum omnium laborandum fore.

Ad hæc quanti æstimandum damnum hoc sit, 9
quod pij sæculares à monachatu arceantur, ob improbam monachorum vitam, ex latissimo discrimine quod inter sæculum, sæculique vitam ex vna parte, & statum religiosum, religiosamque vitæ rationem ex alia, versatur, conspicere clarè licet. Quod verbis D. Anselmi de similit. vel authoris libri de similitudinibus apud ipsum visionem cuidam sancto viro Adamo factam referentis, comprobare libet. *Vidit vt asserere solebat Adam in infirmitate positus, & in extasi fluuium vnum rapidum, in quem fluebat omnium fluxuum purgaturæ, & quaruncumque terrestrium rerum lauaturæ. Videbatur itaque aqua ipsa nimis turbida, omnium immunditiarum spurcitia turpissima, Rapiebat in se quidquid attingere poterat, & deoluebat tam viros, quam mulieres, diuites, & inopes. Fœda quidem attingere erat aqua, & tamen ex ea viuebant, & delectabantur, vt ille asserebat, qui eam ducebat. Prædux itaque Patris nostri interrogatus ait: Torrenrentem mundum significare, quo rapiuntur, qui illecebrosis spurcitiis inuoluuntur. Prædux subiunxit. Vis ne videre quid sit monachatus? At ille. Volo. Duxit itaque eum quasi in conspectu cuiusdam magni, & ampli claustri admodum speciosi, & ait: Circunspice, Aspexit ille. Et ecce parietes claustri illius obducti erant argento purissimo. Herba in medio virens erat, & ipsa argentea, mollis quidem, & redolens, & vltra humanam opinionem delectabilis. Hæc more alterius herbæ super his quæ in ea pausabant, leniter flectebatur, & surgentibus illis ipsa quoque erigebatur. Vt quid immoror. Quidquid est iucunditatis ibi erat.* Ecce discrimen amplissimum inter vitam sæculi, religiosamque œconomiam, vt vel hinc discant religiosi sic viuere, vt à sancto

sancto proposito religionis sæculares non abducant, sed potius ad illud prouocent. Ac perinde correctione egere regulares, si qui sunt, qui oppositum faciunt.

Roboratur intentum, ex eo quòd, vt multis comprobari potest, Religionis professio valdè placet Deo, eiusque desertio ipsi è contra nimis exosa. Pro quo tria exempla notatu digna affert D. Antonino relato Bzouius 13. *tom. Annalium sub anno 1230. num. 6.* Primum. Cum in Lutetia quidam insignis Doctor Franciscanæ familiæ se addixisset, matrem eius quæ inopia haud mediocri premebatur, idque ad alia beneficia addiderat, quod illius litterarium otium suis laboribus sustentarat, multis lachrymis, & clamoribus suam orbitatem ac paupertatem lamentari cœpisse, ac tum filium, tum illius Ordinis Patres omnes tanquam inhumanos, & iniustos etiam accusare. Quibus cum ille commotus iam in proposito nutaret, & ante Crucifixi imaginem oraret, quasi veniam petens ab eo discedendi ad matrem subleuandam, vidit è Christi latere perfosso manantem cruorem, simulque hanc vocem audiuit. *Ego te carius nutriui quàm mater tua, quare non me deserere debes, propter matrem tuam.* Quo ille, & stupefactus, & ita roboratus est, vt deinceps maternas omnes vel blanditias, vel querelas facilè contempserit. Terribile est secundum illud quod sequitur. Cum quidam aliquando Franciscani Ordinis votum suscepisset, postea verò mutato consilio factus esset Canonicus, post paucos menses incidit in morbum lethalem. Admonitus à suis de anima per confessionem expianda, respondit: nihil esse opus: quoniam sibi ostensum esset, quia non posset confiteri. Apparuit enim, inquit, mihi Dominus iratus, dicens: *Vocaui, & renuisti, ideò vade ad pœnas inferni,* quo dicto expirauit. Tristis sanè ac miserandus huius exitus. Tertium dabimus *infrà cap. 3. num. 7.*

10 Præterea religiosorum omnium vitam sanctissimam esse debere, ex eo etiam innotescere valet, quod iuxta plurium grauissimorumque sensum, si sanctissima non est, pessima esse aliquoties soleat. Quasi enim per extrema ambulantes, si perfectam vitæ rationem non imbibant, deprauatam vitam sæpius eligunt. Id clarissimè habet Ecclesiæ lumen Augustinus epist. 137. inquiens. *Simpliciter fateor charitati vestræ coram Domino Deo nostro, qui testis est super animam meam; ex quo Deo seruire cœpi, quomodo difficilè sum expertus meliores, quam qui in Monasteriis profecerunt, ita non sum expertus peiores; quam qui in Monasteriis ceciderunt.* Idem habet Eusebius Emissenus hom. 2. ad mona. *Qui inter multos vitam agere constituerunt, aut cum grandi fructu, aut cum grandi periculo, vel etiam diligentes, vel negligentes sunt.* Sic quoque Dionysius Carthusianus serm. 5. Dom. 5. post Natiuitatem inquit. *Qui diu in cœnobio est, aut optimus, aut pessimus à Sanctis Patribus perhibetur, ita vt vix medium inueniatur.* Sermone quoque 4. de S. Stephano. *Qui in congregatione versatur, aut cum magno sui aut aliorum periculo malè se habet, aut cum grandi sui, & aliorum profectu bene se regit.* In sermone etiam 4. de S. Laurentio. *In religiosis seipsos non reformantibus, nec dignè proficientibus, inueniuntur, & regnant peiores, periculosioresque passiones, quam in mundanis hominibus. Ita quod, qui se ipsos iuxta suæ professionis exigentiam non frangunt, nec vincunt, nec coram Deo soliciti sunt, qualiter suæ satisfaciant vocationi, ac professioni, fiunt deteriores, quam fuerunt, aut essent in sæculo.* Vnde bene Cardinalis Bellarminus *de gem. col. 2. cap. 6.* dixit: *Regulares similes esse videntur ficubus Hieremiæ, inter quas, quæ bonæ erant, erant bonæ valdè; & quæ malæ, malæ valdè.* Huius autem ratio non incongruè redditur ex eo, quod cum regulares omnes ex vi status tendere in perfectionem teneantur; aut id faciunt, aut secus; si faciunt, sanctissimi, perfectissimique euadunt. Sin autem non faciunt, cum iuxta sui ordinis perfectionem non ambulent, necesse est ab ea deuiare, & in oppositum vitiorum tramitem miserè declinare. Ac perinde, vel nimium boni, vel nimis mali sunt.

Huic etiam rationi altera ferè similis adiungitur, ex qua perinde fit maximopere necessarium esse, religiosos omnes vitam reformatam agere. 11
Constat enim ex plurium, grauissimorumque testimoniis, difficillimè regulares semel deformatos ad veram rectæ religionis formam reuocari. Pro quo celebris est epistola D. Bernardi epist. 96. ad Ricardum Fontanensem Abbatem, & socios eius per hæc verba. *Quanta audiuimus, & cognouimus ea, & fratres nostri, vterque Gaufridus, annunciauerunt nobis, quemadmodum nouiter recaluistis igne Dei, conualuistis de infirmitate, refloruistis in nouitate sancta. Digitus Dei est iste, subtiliter operans, suauiter renouans, salubriter mutans, non quidem de malis bonos, sed de bonis faciens meliores. Quis dabit mihi vt transeam, & videam visionem hanc magnam? Nec enim minus mira, minusve iucunda ista promotio est, quam illa mutatio; nisi quod multo facilius reperies multos sæculares conuerti ad bonum, quam vnum quempiam de religiosis transire ad melius: Rarissima auis in terris est, qui de gradu, quem fortè in religione semel attigerit, vel parum ascendat.* Quibus satis clarè intentum confirmat, præcipuè vltimis verbis, dum rarissimam auem in terris appellat Monachum, qui de modo, quem semel arripuit viuendi, ad superiorem ascendat. Idem habet Seraphicus Doctor Bonauentura sic loquens in speculo disciplinæ. *Formam, quam primo quis recipit, vix deponit, & qui disciplinam in nouæ conuersationis initio negligit, ad eam post modum difficilè applicatur.* Qua forsan de causa negotium reformationis regularium, qui semel laxè viuendi modum arripuere, adeò difficile quibusdam apparuit, vt neque apud Deum, neque apud homines, minoris meriti sit, lapsam religionem reparare, quam nouam, nouiterque instituere. Libet hoc doctissimi Dominicani Ioannis Nider in suo de reformatione religiosorum opusculo *tract. 2. de cura, & vtilit. reformat. cap. 6.* verbis & visione ab ipso relata, comprobare. Ergo sic habet. *Ille, qui reformat, haud dubium, propriè dicitur, Deo cooperante, nouum construxisse Monasterium. Patet hoc per exemplum, quod ponit Gherardus in libro de vita Fratrum Prædicatorum part. 5. Erat enim quidam cuiusdam Monasterij Monachorum nomine Guido, Prior; qui idem Monasterium antiquum sua sanctitate, & sollicitudine reformauerat. Circa cuius infirmitatem corporis vltimam, videt quidam frater deuotus in somno, quod tanquam defunctus iaceret in medio chori, quem multitudo fratrum in albis circunstabat in luminis claritate mirabili. Videbat etiam claustrum quoddam pulcherrimum, multum bene ædificatum, ornatumque, dictumque est illi. Hic ædificauit hoc Claustrum. Euigilans autem frater, & recolens, quod Guido, qui Monasterium olim suum in temporabilibus, & spiritualibus reformauerat, esset ægrotus, cogitauit eum moriturum in breui, statimque vox facta est ad eum. Hic habitabit in Sion, & requiescet in Hierusalem. Et postmodum frater Guido defunctus est. Quæ in re perpenditur, non impar esse* meritum

meritum de nouo construere monasterium, & lapsum reformare in moribus. Hæc Niderus, bene perpendens ex visione relata; non minoris meriti esse lapsam religionem, vel religiosam domum nouis moribus reformare, quam ipsam funditus à principio instituere. Ac perinde maximopere curandum esse religiosis, ne ad miserum deformationis barathrum deueniant, ex quo tam difficilè, tantoque labore extrahi valent. Meritò quoque laborandum nobis, pro tanto bono conseruando; quale est reformatio religiosi status, quod fiet, dum capitibus sequentibus, Deo auspice, media aliqua, rationesque viuendi religiosè, & reformatè, tradiderimus.

SVMMARIVM.

Orationis exercitium à Christo commendatum, prædicatum à Patribus, & à Sanctissimis Religiosis. n.1.
Monachis illud maximè commendat Basilius. num.2.
Hieronymus orationis exercitium Monachis sæpius intimauit. num.3.
Augustinus Oratorij exercitij commendator egregius. num.4.
S.Ephrem Syri opera ferè omnia eò tendunt, vt necessitatem orationis pro Monachis ostendant. num.5.
Ioan.Cassianus orationis necessitatem pro iisdem sæpius adstruit. num.6.
Oratio remedium vnicum ad perseuerandum in perfectione, ex Ioan. Hierosolymitano. num.7.
Oratio proprium, & indefessum munus Monachi. n.8.
De orationis studio quæ scripserit Nilus Abbas. n.9.
Necessarium Monachis iuge orationis exercitium. num.10.
Orationis exercitium Monachis vtilissimum ex Bernardo. num.11.
Sententiæ selectæ Abbatis Esaiæ pro necessitate orationis Monachis intimanda. num.12.
Verba Ioannis Abbatis ad intentum referuntur. n.13.
Monachus ab antiquis Patribus per orationis exercitium definitus. num.14.



CAPVT III.

Orationis iuge, & quotidianum studium religiones conseruat: in eoque deficere religiones perdit.

1 DVM de mediis, quibus disciplina regularis, & Monastica semel instituta, conseruatur, & regitur, quibusque restauratur iam perdita, sermonem instituo: quod primum præ oculis, omnibus religiosis habendum puto; cæleste est illud, admirabile, excellentissimumque orationis exercitium à Christo Domino commendatum, prædicatum à Patribus, & à sanctissimis religiosis, qui vel vitam peregerunt, vel adhuc inter nostrates viuunt, opere, & executione exhibitum, Sine hoc sanctissimo orationis munere, religio, stare, aut stabiliri non potest: ita vt facilius crederem hominem sine anima, quam religionem perfectam sine oratione consistere. Nec minus impropriè cadauer hominem, quam regularem sine oratione religiosum perfectum appellare licet. Hic scopus huius, & sequentis capitis (ne dicam totius operis) sicque ex celebrioribus Ecclesiæ Patribus, Monachicique instituti antesignanis, muniendus, & roborandus. Faxit Deus intentum prosequar, & perficiam.

Primus loquatur magnus orientalium Monachorum restaurator Basilius, qui cum accuratè nimis in Monachis instruendis laboret, orationis exercitium illis maximè commendat. Primò ergo in constitutionibus Monasticis cap.1. hunc titulum præfigit: *Oratio debet omnibus rebus anteponi.* Quod, & in discursu capitis, rationibus, & exemplis Monachis suadet; abs dubiè indicans, hunc esse primarium scopum religiosæ vitæ. In sermone etiam de institutionibus Monachorum celebrem illam sententiam ad ipsos direxit. *Ad orationem nulla non vitæ pars opportuna habenda est.* In Regulis quoque fusioribus, etsi omni negotio suum tēpus esse dicat. *Orationi verò* (inquit) *& psalmorum modulationi nullum non esse tempus idoneum, ita videlicet, vt vel in eo ipso, dum manibus opus tractamus, & lingua nonnunquam munere hoc fungi possimus. Sin id minus, corde certè, in psalmis, & hymnis, & canticis spiritualibus Deum collaudemus, atque ita orationi satisfaciamus.* Ac tandem idem Pater in moralibus pro regula 66. hanc posuit. *Orationibus, & vigiliis est assiduè incumbendum.* Concluditque caput dicens: *Vigilate itaque omni tempore, orationi instate, vigilantes in ea, in gratiarum actione, semper gaudete, sine intermissione orate.* Quibus, ac aliis clarè satis innuit Basilius orationis iuge, & continuum studium Monachis, vt scopum proprium præfigi deberi. 2

Accedit magnus Pater D.Hieronymus, qui sicut Monasticæ vitæ acerrimus fuit sectator, sic etiam orationis exercitium Monachis sæpius intimauit. In epistola ergo ad Rusticum, quem de Monachatu instruere conatur sic habetur. *Oratio, sine intermissione, vigil sensus, nec vanis cogitationibus patens, corpus pariter, & animus tendatur ad Dominum.* Rursumque sic loquitur. *Egredientes de hospitio armet oratio, regredientibus de platea occurrat ante sessionem; nec prius corpusculum requiescat, quam animum pascat.* In regula etiam Monachorum ex ipsius scriptis per Lupum de Olíueto collectis in capite de contemplatione, & oratione sic habetur. *Si Monachus esse vis, non videri, corpus pariter, animusque tendantur ad Dominum: sic te ipsum in cœlo, animo gestiente procures, vt dum corpore moraris in terra, iam ad Christum mente peruenias. Assuescat quoque ad orationes, & psalmos nocte consurgere, mane hymnos canere, tertia, sexta, nona hora stare in acie, quasi bellatorem Christi; accensaque lucerna sacrificium reddere vespertinum. Sic dies transeat, sic nox inueniat laborantem: orationi lectio, lectioni succedat oratio.* Posteriora hæc verba ex epistola eiusdem Hieronymi ad Lætam mendicauit Lupus. Vtrisque tamen Monachum sine iugi oratione Monachum nón esse satis innuit. In eadem quoque regula hæc inuenio. *Habeant, qui volunt suas oues, vase gemmato bibant, serico niteant, plausu populi delectentur, & per varias voluntates, diuitias vincere nequeant. Nostræ diuitiæ sunt in lege Dei meditari die, ac nocte, ianuam pulsare, & sæculum præeuntes calcare.* Pulchra sanè verba, & regularium diuitias orationem esse, clarè micantia. Præterea in regula Monacharum ab ipsomet Hieronymo conscripta, c.26. Moniales etiam de eodem exercitio orationis sic admonet. *Ad diuinorum contemplationem assiduam affectus astringatur.* Et rursus. *O ineffabilis gloria! in fragili siquidem corpore Deum intueri potestis. Hic quæso mens nostra vigeat. Hæc dies diei eructet verbum, & scientiam hanc nox indicet nocti. Angelicis choris, sanctorum societatibus, hic studeatis interesse, vt postmodum in corporis exitu, vobis gaudentes, læti* 3

tanquam

tanquam notis occurrant. En Hieronymum vtriusque sexus regulares de necessitate orationis, solita elegantia monentem, vt vel sic intelligamus omnes orationis iuge exercitium, Monachis proprium peculium esse: vt sicut Angelis in cœlo commorantibus proprium munus est laudare Dominum; sic, & Monachis orare ipsum. Vnde ipse Hieronymus *in Psalm.* 115. sic concludit. *Quod faciunt Angeli in cœlis hoc Monachi faciunt in terris.* O fœlix orationis donum, quod Monachos in terra viuentes, Angelis in cœlo degentibus æquat!

4 Hieronymum imitatur amicus Augustinus oratorij exercitij commendator egregius *in Psalm.* 99. Primò enim magnos viros religiosos ideo tales esse describit, quia, *Quotidie in hymnis, in orationibus, in laudibus Dei: inde viuunt, cum lectione illis res est.* Iidem *de morib. Eccl. cap.* 31. *lib.* 1. sic ab ipso vocantur: *Perfruentes colloquio Dei, cui puris mentibus inhæserunt, & eius pulchritudinis contemplatione beatissimi, quæ nisi Sanctorum intellectu percipi non potest.* Clarius in sermone ad fratres in eremo *serm.* 22. (si forsan tale opus Augustinianum est) sic loquitur, *valdè seruis Dei, & solitariis necessaria est oratio, per quam Deus pacatur, per quam Deus ad nos inclinatur.* Adhuc melius infrà. *Orate igitur fratres mei in eremo, orate, & nolite deficere. Nam sicut proprium est canibus latrare, ita proprium est eremi cultoribus orare. O fratres mei dilectissimi clamate in eremo, vlulate in hac vasta solitudine, vociferari non quiescatis, clamate orando, & nolite deficere. Clamate non solum voce, sed maximè mente. Ecce enim semper auditis in deserto aues cantantes, & laudantes Deum factorem suum.* His, & aliis Augustini sententiis liquet satis proprium Monachi officium orationem esse.

5 Sancti quoque, & magni Patris Ephrem Syri opera ferè omnia eò tendunt, vt Monachos instruãt, sicque plura intentui nostro deseruientia ministrãt. In adhortatione ergo ad eos, qui in religionis se rudimentis exercent, de necessitate orationis pro Monachis hæc reperio. *Scutum Monachi inexpugnabile est hymnus in ore eius: somnus vero, si plusquam hymnus diligatur, mors Monachi est.* Infra sic. *Admirabilis facies Monchi per orationem redditur.* Rursus. *Ensis acutissimus aduersus Diabolum est psalmus in ore Monachi.* Clarius inferius. *Tempus orationis Monachi indefinitum est, cum omni tempore benedicere Domino bonum sit.* Vbi iugem, continuam & perpetuam orationem Monacho exigit. Adhuc inferius. *Os Monachi aperiatur sermoni diuino, ac cor eius meditetur eloquia Domini absque distractione.* Et post pauca. *Diuinas laudes assiduè personet Monachus: Seraphim enim incessabili voce Deum glorificant. Canticum spirituale in ore tuo versetur Monache, quo superuenientium tentationum onere subleueris.* Insuper in opusculo de orando Deum, pius hic Pater miris modis orationis necessitatem, iugeque exercitium Monachis commendat. Inter alia hæc. *Videtis fratres, quid, quantumque valeat oratio? Neque enim est alia in tota vita humana pretiosior oratione possessio. Ab hac vos nunquam separari patiamini, ab hac nunquam recesseritis.* Præterea in doctrina varia de humilitate comparanda idem Ephrem sic loquitur. *Beatus ille Monachus, qui trium istorum satagit, vt scilicet vacet orationi, operi, & meditationi. Scriptum enim est; vacate, & videte, quoniam ego sum Deus. Et alibi; Et in lege eius meditabitur die ac nocte.* Demum in tract. de timore Domini eleganti metaphora exponit, qualiter Monachus continuæ orationi semper insistere debeat. Sic verò loquitur. *Similis est Monachus viro ex alto demisso, qui funem excelso interuallo pendentem arripit, & se illi appendit, & indesinenter pro auxilio ad Dominum clamat.* Manifestè his verbis indicans, quod quemadmodum homo ille nunquam manum à fune mouebit, sic nec religiosus ab oratione cessare debeat. His, & aliis, quæ omitto venerandus Pater Ephrem orationis necessitatem pro religioso statu postulans, satis ostendit Monachatum sine hoc iugi exercitio vllatenus persistere posse in debita perfectione.

His Patribus iungitur Ioannes Cassianus antiquus Eremita, qui cum totus in instituendis Monachis in suis operibus vacet, orationis necessitatem sæpius astruit. Ex collatione ego 9.c.2. grauissima hæc verba (vtinam omnium religiosorum cordibus impressa) ex Abbate Isaac desumpsi. *Omnis Monachi finis cordisque perfectio, ad iugem, atque indisruptam orationis perseuerantiam tendit, & quantum humanæ fragilitati conceditur, ad immobilem tranquillitatem mentis.* Inferius quoque *col.* 9.*c.* 2. sic. *Sicut ad orationis perfectionem omnium tendit structura virtutum, ita nisi huius culmine hæc omnia fuerint colligata, atque compacta, nullo modo firma poterunt, vel stabilia perdurare.* His autem verbis, non modò Cassianus finem religiosi esse iugem, & indisruptam orationis perseuerantiam comprobat, sed sine illa religionem stare non posse, clarius ostendit. Hoc verò adeò tenaciter primis in lege noua Monachis animo adhæsit, vt (eodem Cassiano teste *l.* 2. *de can. noct. orat.* *Scripturarum diuinarum lectionibus, orationique, & operi manuum diebus, ac noctibus incubabant, vt neque escarum quis appetitus, vel memoria, nisi alia, tertiave die corporis interpellaret inedia.* Attendant hoc nostri sæculi religiosi, si qui sunt, qui orationis, præsertim mentalis exercitio, valedixerint, & quantum ab antiquioribus Monachis distent, attendant. 6

Accedit Hierosolymorum Antistes, Ioannes, nostri Ordinis Carmelitici decus, qui in libro de institutione Monachorum inter Bibliothecarios relato *cap.* 8. *tom.* 9. *Bibliot.* cuius verus auctor est, dum Monacho remedium vnicum ad perseuerandum in perfectione præscribit, orationis iter illi ostendit. *Orabis* (inquit) *si vis in perfectione perseuerare, & dices, Deus Deus meus ad te de luce vigilo.* Ecce remedium vnicum perfectionis ab hoc Patre in orationis exercitio positum. 7

Iunge quoque celeberrimum antiquitatis Doctorem Sanctum Athanasium, ex quo breuis sententia totius status religiosi methodum referans, ex exhortatorio ad Monachos elicitur. *Orationes* (inquit) *sola intercapedo lectionis intercidat.* Abs dubie intermixtam, attemperatamque orationem cum lectione (iuxta illud, quod ex Hieronymo retulimus, *orationi lectio lectioni succedat oratio*) proprium, & indefessum munus Monachi esse pandens. 8

Iungitur his Patribus Sanctus Nilus Abbas antiquus; & venerabilis Monachus, & à Nicephoro in sua historia *l.* 14.*c.* 14. mirè commendatus. Ergo S. hic Pater multus est in orationis exercitio Monachis præsertim suadendo. Centum enim, & quinquaginta capita de orationis studio conscripsit, in quibus multifariam illud Monachis præscribit. Ex Parænesibus autem aliqua selegi, quibus satius intentum nostrum cõfirmat. Inter alia hæc 5.*t. Bibl. Deum semper præsentem adesse existima in omnibus, quæ agis. Semper recordare Dei, & cœlũ sit cogitatio tua. Meditatione legis mentẽ colito: Extirpat enim malas cogitationes continuè frequentata. In morbis oratione prius, quam medicis, & pharmacis vtere. Omne, quod agis, oratione obsignato. Si vis esse templũ Dei, sacrificium* 9

assiduitatis, assiduam scilicet orationem, assiduè ipsi offeras. Sancta est orationis ara; pertrahit enim ad nos sanctè sanctum sanctorum. In institutione quoque ad Monachos sic habet. *Qui puræ orationis præsidio munitus non est, is armis in bello caret.* Pulchrè sanè S. hic Pater intentui nostro de orationis necessitate pro Monachis concinit.

10 Clarè etiam Antiochus Monachus, venerabilisque Pater 2. t. Bibl. hom. 106. quam necessarium sit Monachis orationis iuge, & continuum exercitium, sic exprimit. *Vacare orationi indiuisè, ac iugiter, cum primis necessarium, & nobis per quam frugiferum est.* Et infrà. *Etenim iugis oratio, & continens per congressum cum Deo familiarem mentem auocat ab omni prudentia, fastuque mundi, eamque præsentem Deo offert. Quocirca, qui cor suum ab omni sorde expurgare contendit, illud perpetim accendat, & inflammet memoria Domini. Hoc solum iugem exercitationem habet, & opus nũquam intermittendum. Neque enim aliquando orandum quidem sit, aliquando feriandum ab oratione, iis, qui cariosam peccatorum putrilaginem à se excutere cupiunt; sed semper orationi incumbendum, interna quidem mentis loquutione, etiamsi extra oratorias ædes diuersemur.* Clarissimè sanè, nec ineleganter, ex grauissimo Monacho, quam necessarium nobis sit iuge orationis studium accipimus Monachi.

11 Astat, & mellifluus Pater Bernardus Monachorum decus, & totius spiritualis doctrinæ cœlestis magister, qui antiquiorum quoque Patrum vestigia sequutus exercitium orationis, vt Monachis vtilissimum, & semper præ manibus habendum, illis sæpius commendauit. Ex libro de ordine vitæ hæc accepi. *Ille qui se pro Deo duritiæ tradit Monachorum, assiduus debet esse in orationibus. Quapropter, ne pigeat te bone frater quantum potes, actibus sanctis insistere, vt laboris tui fructus quandoque possis recipere: Hoc solum attende, quod Monachus factus es, & ideo ea age, quæ Monachi sunt.* Innuit satis his verbis orationis munus proprium esse regularium officium, cui semper incumbere cõuenit, eodem quoque libro sic habet. *Dei seruum (Monachum) sine intermissione legere, & orare oportet, ne fortè mentem vitia sibi præoccupent.* In opusculo etiam, quod scala Claustralium dicitur, sic loquitur idem Bernardus. *Cum die quadam corporali manuum labore occupatus, de spiritualis hominis exercitio cogitare cœpissem, quatuor spirituales gradus animo cogitanti se subito obtulerunt, scilicet lectio, meditatio, oratio, & contemplatio. Hæc est scala Claustralium, qua de terra in cœlum eleuantur.* Indicat hic Bernardus non alia via religionis perfectionem assequi posse regulares, nisi per orationis exercitium. Nec sui oblitus idem prosequitur in speculo Monachorum, dicens. *Ad interuallum debet stare ad orationem, vel corporis necessitati prouidere, ita tamen, vt vadens sibi dici nouerit: sursum corda.* Ecce quod, nec tempus corporis necessitati concessum transigi velit Bernardus sine eleuatione mentis ad Deum, quæ est oratio essentialis. Vnde inferius sic concludit. *In omni actu, vel cogitatu suo sibi Deum adesse memoret, & omne tempus, quo de ipso non cogitat, perdidisse se computet.* Vbi iugem, & continuam Dei præsentiam, pro iugi, & continua oratione Monachis necessaria, computare videtur Bernardus.

12 Nec omittendus Esaias Abbas inter Patres Bibliothecæ numeratus 2. t. orat. 1. ex quo aliquot, pro necessitate orationis Monachis intimanda, celebres sentẽtias selegi. Primò ergo Monachos fratres suos, circa orandi exercitium, oratione prima sic instruebat. *Qui mecum manere vultis, audite quæso per Deum. In cella quisque sua degat cum timore Dei, curam propriam, & assiduam orationem non negligatis.* Rursumque oratione 21. quid sit, Monachum in cella manere, & à mundo procul aufugisse per orandi exercitium, sic definit. *Is in cella rectè quietem, & silentium colit, qui supplex ante Deum prostratus, assiduè vacat orationi. Id enim est à mundo procul aufugere.* Clarè ex hoc Patre habemus Monachi, qualiter orationis munus assiduè exequi debeamus.

Abbas quoque Ioannes dicere solitus erat: *Religiosum similem esse debere homini ad lauam ignem, & ad dexteram aquam habenti, vt cum primum efferbuerit ignis, aqua extinguatur. Sic religiosus cum primum ignis concupiscentiæ, vel malæ cogitationis exarserit, ad orationem recurret.* Rursus idem. *Similis est religiosus sedenti sub arbore, ad quem si serpens accesserit, continuò ascendit ad arborem, vt saluus fiat. Sic religiosus tentatione insurgente ad orationem confugit.* Hæc Ioannes Abbas. 13

Tandem horum Patrum antiquiorum agmen claudant alij, qui Monachum per orationis exercitium definiunt, vel Monachum sine oratione Monachum appellari renuunt, vt vel sic regulares omnes agnoscant, quàm sibi necessaria sit oratio, quamve indignè nomen religiosi portent, si qui orationi assiduè non incumbant. Ioannes cognomento Climacus gradu 1. sic definit Monachum. *Monachus est, qui solum ad Deum acie mentis intentus, illum semper orat in omni tempore, loco, & re.* Et infrà. *Monachus est afflictus, & mœrens animus, qui iugi mortis memoria, siue vigilans, siue dormiens, se ipsum semper exercet.* Accinit ad idem intentum Isaac Presbyter, sic loquens. *Monachus est, qui sedet extra sæculum, & semper supplicat Deo, vt adipiscatur bona futura.* Optimè quoque Sanctus Maximus confessor concinit ad intentum. *Monachus est, qui mentem suam à rerum terrenarum amore segregatam habet, atque per psalmodiam, & precandi assiduitatem in Deo amando, & colendo perdurat.* Nec minus fauet Dacrianus Abbas, dum Monachum sine spiritualibus exercitiis orationis, Monachum non esse in suo speculo, sic describit. *Si interioribus tuis neglectis, exteriora tantum curas, & si sacris lectionibus, aliisque spiritualibus exercitiis non das diligentem operam, vt rarò ad æterna assurgas; Monachus non es.* Luce clarius Patres isti intentum nostrum de necessitate orationis Monachis persuadent. Ne tamen quisquam hoc solum Monachis antiquis adscribat; nouis autem religiosis (quasi nos nouam formam, normamque viuendi habere debeamus) tale munus extraneum esse contendat, ex Patribus recentioribus, qui ferè nostri sæculi metas attigere, idem intentum sequens quoque caput demonstrabit. 14

SVMMARIVM.

Oratio præcipuum Religionis negotium. num. 1.

Carmelitis iuge orationis exercitium à B. Alberto Hierosolymorum Antistite præscriptum. num. 2.

D. Bonauentura, quàm obnixè exercitium orationis Religiosis omnibus persuadere contendat. num. 3.

D. Franciscus Orationem filiis quasi pro testamento reliquit. num. 4.

D. Thomas angelici exercitij orationis eximius commendator. num. 5.

Promiscua oratio, & lectio proprium Religiosi munus num. 6.

Omne tempus perditum existimabat quod sine oratione consumpserat S. Ludouicus Episc. Tolosanus. n. 7.

Monitum salutare Ioannis Rusbrochij. num. 8.

Specialissimum opus Monachi, pura oratio. num. 9.

Oratio robur & præsidium cœnobiorum. num. 10.

Regulæ

Regulæ obseruantiam ex orationis studio dimanare admonet S. Theresa. num. 11.
Tria omni Religioso necessaria, oratio, lectio, operatio. num. 12.
Vita cœnobitica ad hoc potissimum destinata vt ibi Dei præconium peragatur. num. 13.
Hieronymus Sauonarola laudatur ad intentum. n. 14.
Monachus, toto tempore quo obedientiæ legibus non obstringitur, orationi det operam. num. 15.
Orationis munus religiosis iniunctum vt exponat Trithemius. num. 16.
Religiosos orationis exercitium respuentes deplorat D. Bonauentura. num. 17.
Virtutes in Religionibus plantari non poterunt nisi oratione mediante. num. 18.
Solitudo orationis schola. num. 19.



CAPVT IV.

Idem intentum de necessitate orationis pro Monachis ex Patribus recentioribus probatur.

1 ORATIONIS necessitatem ex Patribus antiquioribus suadere capite præcedenti conati sumus. Præsens idem tentat iter. Nec enim desiderio nostro satisfactum putamus; si in præcipuo negotio religionis, siue reformandæ, siue etiam tuendæ, inertes, desides, aut negligentes reperiamur. Aliorum ergo Patrum testimonia capiat Lector.

2 Primus obuius venit B. Albert. Hierosol. Antistes, & nostri Ordinis Carmelitani decus, qui in regula suis fratribus conscripta, *c.*4. vitæ formulam, quam in posterum tenere deberent, tradens, iuge orationis exercitium illis sic prescribit: *Maneant singuli in cellulis suis, vel iuxta eas, die, ac nocte in lege Domini meditantes, & in orationibus vigilantes, nisi aliis iustis occasionibus occupentur.* Audiat hæc Carmelitæ omnes, tam qui obseruantes, quam qui primitiuam regulam profitentes nuncupantur, nouerintque singuli ad continuam orationem, & in lege Domini meditationem ex præcepto regulæ, nulla dispensatione prætensa, astringi, & obligari. Etsi enim Eugen. IV. Pont. Max. in Bulla mitigat capitulum hoc regulæ, quoad mansionem in cellulis, benignitate Apostolica mitigauerit; concedens fratribus nostris, quod *horis congruis, in eorum Ecclesiis, & illorum Claustris, ac per eorum ambitus manere, & deambulare licitè, & liberè valeant:* nunquam tamen à continua oratione, meditationeve, in regula nobis intimata, à Pontifice aliquo exempti, aut liberati sumus. Proculdubio, quia hic est finis, propriusq; nostræ religionis scopus, vt latè probat Thomas de Iesu ex Greg. IX. Innoc. IV. Alex. IV. in Bullis Pontificiis. En finis; en portus, ad quem religiosi nostri Carmeli montē conscenderūt: sciant ergo ab eo forsan aberrātes miserè quoque à sui status obligatione cadere. *Ignoranti enim* (ait Seneca) *quem portum petet, nullus suus vētus proprius est.* Iure ergo Reu. Sebast. Fontanus totius nostri Ordinis Generalis Prior, *Cerem. Ord. l.* 2. *rubr.* 66. bis in die ab omnibus regularibus nostris in communi choro orationē mentalē habere decreuit. Est enim (vt dicit) *mentalis oratio, seu meditatio, sine qua, vt sine anima, regularis vita nequaquā consistere valet.* Ex quo non modo nostris religiosis, sed omnibus etiam; tam sanctum exercitium necessarium esse liquet clarè.

Sed commentarij loco apponere libet, quæ scripsit circa hunc textum Reu. Ordinis Præsul, litteris, & virtute venerandus Ioannes Soretinus *in expositione Parænetica Regulæ text.* 8. *c.* 1. sic. *Quietis pedibus sistant, maneantque in cellis suis, vel iuxta eas, die, ac nocte in lege Domini meditātes, sine intermissione orantes, die, in lætitia; & nocte in tribulationibus. Optima coniugatio; maneant* (inquit) *in cellulis suis iugiter meditantes, quia iuge silentium, & ab omni strepitu sæcularium perpetua quies, cogit cœlestia meditari.* Et *c.* 2. hæc scribens. *Sint igitur fratres in cellulis, vel iuxta eas circa mores suos iugiter meditantes, & in orationibus vigilantes, vt scilicet non surripiat eos callidus tentator, qui tanquam leo rugiens circuit quærens, quem deuoret. Vnde Athanasius in exhortatorio ad Monachos.* Orationes si fieri potest sola legendi occasio interrumpat. *Omnis Monachi Religiosi finis, cordisque perfectio ad iugem, atque indiruptam orationis perseuerantiam intendit, & quantum humanæ fragilitati conceditur, ad immobilem mentis tranquillitatem, perpetuamque puritatem enixè prouehitur, ob quam tam omnem laborem corporis, quam contritionem spiritus indefesse quærimus, & iugiter exercemus.*

Accedit Seraphicus Doctor D. Bonau. qui adeò proposito nostro suffragatur, vt non modò solus pro re tanta omnium religiosorum animis persuadenda sufficeret, sed, & aliquot eius verba grano salis condiri petant: obnixè enim, & rigorosè exercitium orationis religiosis omnibus suadere contendit. In opusculo de perfectione vitæ, *cap.* 5. sic loquitur de oratione mētali regularium. *Reuera religiosus orationem assiduè non frequentās, non solum est miser, & inutilis; quinimò coram Deo fert animam mortuam in corpore viuo. In opusc. de proc. relig. l.* 7. *c.* 11. sic fatur. *Vita religiosi sine studio deuotionis internæ, sicut fauus sine melle, sicut murus absque temperamento, & sicut cibus absque condimēto.* Et rursus infrà. *Omnis religio arida, & imperfecta est, & ad ruinam promptior, quæ spiritum diuinæ suauitatis non quærit, & præcipuum conamen ad studium internæ puritatis non impēdit.* Nec sui oblitus eadē ferè repetit *in l. de sex alis sera. c.* 3. sic dicens: *Cauenda est perturbatio studij deuotionis, ex qua fulcitur omnis vera religio, & omne virtutis exercitium impinguatur. Arida est omnis religio, quæ non oleo isto saginatur. Instabilis est bonorum operum structura, quæ deuotæ orationis frequentia non compaginatur: sicut paries lapidum sine cemento. In omni religione vbi deuotionis feruor tepuerit, etiam aliarum virtutum machina incipit deficere, & appropinquare ruinæ.* Ex alphabeti quoque Monachorum *lect.* 14. 21. 22. hæc habemus. *Omne tempus cum Deo vtiliter expendas.* Et rursus: *Christus sit vita tua, meditatio tua.* Iterumque. *Hymnos, & psalmos canere, Monachorum est.* In collationibus etiam ex mente Ioannis Synaitæ sic definit Monachum. *Monachus est qui solum, quæ Dei sunt agit, cogitat, & loquitur, Christo vnitus in omni tempore, & loco, & negotio.* His indicans verbis substantiam Monachi in firma ad Deū adhæsione, quæ media oratione fit, positam esse. In regula quoque nouitiorum ipsos de oratione sic instruit. *Stude semper expendere tempus tuum, aut in oratione, aut in lectione, aut in bona meditatione.* Inferiusque tremendum supplicium religioso iugiter non oranti sic comminatur. *Ora ergo charissime, & te in oratione exerce, quia pauperi non oranti æterna supplicia promittūtur. Ait enim Bernardus: Ora frater, instanter ora, quia ille dicitur habere tunicam mixtam sanguine, qui carnem suam nutrit de pauperis sudore.* Quod vtinam religiosi aliqui attenderent, saltem enim in gratiarum actionem pro alimento ex sudore pauperū mēdicato, iugiter Deo vacarent. Ad idem intentū Sanctus iste Pater sic loquitur *in spec. disc. p.* 2. *c.* 1. *Instent orationi ferventer, quæ nouam*

nouam in horto Domini plantulam fouet, prouehit, & confirmat. Et infrà: *Porrò, qui ad orationem est negligens, suæ ingratitudinis, & tepiditatis est testis. Frustra profectus virtutum sine oratione speratur.* Hanc ob causam Sanctus hic Doctor cum esset sui ordinis Generalis in epistola ad Prouincialem quemdam directa, ipsum *per aspersionem sanguinis Iesu Christi, & per stigmata, orationis studium fratres suæ curæ commissos efficaciter incitet.* Sentiens sanè Sanctus, & religiosus Præsul, religiosæ regulæ obseruantiam, statumque religiosum ex assidua oratione necessario pendere.

4 Nec mirum sanè Sanctum Bonauenturam eximium adeò orationis exercitij prædicatorem extitisse, qui Beati Francisci filius, & hæres, spiritum duplicem, tamquam alter Eliseus possedit. Diuus etenim Franciscus præclarus orationis zelator, eam filiis, quasi pro testamento reliquit. Cum semel à quodam sui ordinis alumno literarum studium Bononiæ introductum agnosceret, non modo acriter reprehendit, sed dura maledictione, quam infœlix rei euentus subsequutus est, impetiuit. Francisci irati ecce verba in eius actibus. *Tu vis destruere Ordinem meum? Desiderabam ego, & volebam exemplo Domini mei fratres meos magis orare, quam legere.* Clarè innuens Seraphicus Pater totius ordinis dispendium ex defectu orationis dimanare. Alibi quoque idem exercitium, vt prorsus necessarium viro religioso his verbis commendauit. *Gratia orationis viro religioso maximè desideranda est. Nullus enim sine ea in Dei seruitio properare potest.* Veritatem amplexus, quam non modo sacræ literæ, sed experientia ipsa quotidie testatur.

5 Angelicus quoque Doctor Sanctus Thomas angelici exercitij orationis commendator eximius habeatur, quod, & verbis, & opere compleuit. Adeò deditus orationi fuit: *Vt nunquam se lectioni, aut scriptioni dederit, nisi post orationem. Quin sodali suo Fr. Reginaldo dicere solebat: quidquid sciret, non tam studio, aut labore suo peperisse, quam diuinitus traditum accepisse.* Hæc ex eius Legenda habentur. Ex historia quoque ipsius mirabilis hæc sententia ab ipso prædicata elicitur. *Religiosus sine oratione, miles, est in prælio sine armis, & nudus.* Hinc in epistola adhortatoria ad quemdam religiosum sic loquitur. *Hæc est ergo monitio mea, & instructio tua. Tardiloquum te esse iubeo, & tardè ad loquutorium ascendentem; conscientiæ puritatem amplectere; orationi vacare non desinas; cellam frequenter diligas, si vis in cellam vinariam introduci.* Nec mirum adeò sedulè Angelicum Doctorem orationem religiosis intimasse, qui in sua Summa Theologiæ exaratum reliquit, medium, quo diuina prouidentia hominibus necessaria prouidit, orationem esse *vt scilicet homines postulando mereantur accipere, quod eis Deus omnipotens ante sæcula disposuit donare.* Innuens hisce verbis viam regiam, per quam nobis, omnibus religiosis præcipuè annona de cœlo venit, orationem esse.

6 Ad hæc S. Vincentius Ferrerius Hispaniæ nostræ, & Prædicatoriæ familiæ decus, iam adiungitur, qui in opusculo de vita & instructione spirituali, priscorum Monachorum exempla sequutus promiscuam orationem, & lectionem vult proprium esse religiosi munus. *Iterato* (inquit) *ad studium redeas, vel ad lectionem, & iterato ad orationem, & sic alternando commutes.* Clarius capite vltimo eiusdem opusculi, inter perfectiones necessarias spiritualem vitam agentibus, hanc recenset. *Diutissima, & continua recordatio beneficiorum Dei, & die, ac nocte stare in oratione.* Scitum, & facetum est illud magistri cuiusdam qui cum à nepote scientiarum cupido rogaretur; num sibi liceret à meditatione cessare aliquando? Respondit ironicè: *Licet modo hoc nec die sit, nec nocte: scriptum est enim in lege Domini meditandum die, ac nocte.* Id ipsum religioso interroganti de cessatione ab oratione dicere possumus. Licere quidem, dummodo neque die, neque nocte sit, quia iuxta placitum Vincentij, aliorumque Patrum: Religiosus debet *die, ac nocte stare in oratione.*

Vincentij mentem, spiritumque bibisse visus est 7
Sanctus Ludouicus Episcopus Tolosanus; vt enim ex eius vita habetur dicere solitus erat. *Omne tempus perdidisse existimo, quod sine oratione, & diuinis contemplationibus consumpsi.* Vera quidem sententia, & religiosæ mentis muneris manifestum indicium.

Sed id clarius, & specialiter pro Religiosis sic expressit *in lib. 6. erudit. Relig. part. 4. cap. 9.* præclarus auctor Vmbertus. *Licet omnes frequenter debeant orationi intendere, tamen Religiosi amplius, iuxta illud quod legitur: Cornelius vir Religiosus deprecans Deum semper. Habent Religiosi, & magnam orandi necessitatem, & magnam opportunitatem. Magnam necessitatem, quia vehementius tentantur, ideo vigilare, & orare debent, ne per consensum intrent in tentationem. Item maiora bona habent, & ideo largitorem debent rogare pro eorum custodia. Citò enim amitterentur, nisi ab eo custodirentur. Item arduum est valdè, quod habent facere, scilicet semitam tenere & vsque ad mortem in ea perseuerare. Difficilius est tenere semitam, quam viam publicam. Vnde viro Religioso multum est necessarium Dei adiutorium, & frequenter in oratione implorandum. Frequenter debet dicere illud Psalmi:* Perfice gressus meos in semitis tuis; vt non moueantur vestigia mea. *Præterea Religiosus, qui non habet proprium, corporales eleemosynas non potest facere, sicut diues. Ideo sicuti diues, qui non potest multum orare, eleemosynis hoc recompensat: sic Religiosus defectus eleemosynarum corporalium orationibus debet recompensare, vt sic impleat illud,* omni petenti te tribue. *Item de eleemosynis viuunt Religiosi, & orationes eorum multum petuntur, & in suffragiis eorum magna fiducia habetur; ideo oportet eos multum orare, ne ab eis homines decipiantur. Item habent magnam opportunitatem orandi, quia à negotiis sæcularibus magis sunt expediti, & propter loci congruitatem, & propter sanctam societatem.* Hæc ille satis ad intentum causas assignans propter quas speciatim Religiosi orationis exercitio crebrius aliis vacare debeant.

Ioannes Rusbrochius piissimus auctor, altissimæque contemplationi deditus, in libello de septem custodiis ad Monialem Franciscanam directo, 8
cap. 1. tam ipsam, quam religiosos omnes de orationis iugi studio, sic monet. *Licet à Deo peccatorum veniam consequuta sis, nihilominus coram illius semper misericordia perseuerans: corde, & affectu intus vociferaberis: Deus propitius esto mihi peccatrici. Animum tuum perpetua cum laude ad ipsum sustolles, & affectum, ac desiderium tuum cum diuina bonitate ad beatos, & mortales omnes perenni cum charitate latè extendes: cor vero tuum ingenti cum reuerentia coram sublimi Dei omnipotentis maiestate, & Domini Iesu pedibus submittes, hac humiliabis; in eoque versaberis exercitio, & quemdam illius habitum tibi efficies, ac comparabis: in quo omnes vitæ tuæ dies verseris; ac ambules.* Hæc Rusbrochius. Quibus si adiungas in margine notari hæc verba: *Quotidiana*

tidiana religiosorum exercitia: facilè elicies iugem orationem, esse exercitium quotidianum regularium ex mente Rusbrochij.

9 Præterea D. Dionysius Carthusianus sermonem quemdam, qui est 7. de Dom. 2. post Natiuitatem, ad religiosos direxit de virtute, & modo orationis ab illis seruando: in quo inter alia hæc habet. *Multi Sanctorum affirmant summum, ac specialissimum opus Monachi esse, puram Deo orationem indesinenter offerre.* Et infra approbat illud ex Cassiano. *Omnis finis, atque perfectio Monachi ad iugem orationis perseuerantiam tendit, & quantum humanæ fragilitati conceditur ad immobilem mentis tranquillitatem, puritatemque nititur.* Rursus serm. 5. ad Religiosos de Dom. 4. Quadrages. sic habet. *Si cupimus veraciter esse filij Hierusalem, seu militantis Ecclesiæ, discamus cœlestia contemplari, cœliformiter conuersari, Angelicam in terris ducere vitam, atque futuram iam beatitudinem inchoare.* Et infrà: *Si ergo assiduè conemur nos actualiter Deo coniungere, eius laudibus omni hora insistere, orationibusque vacare, ad summæ, & increatæ pulchritudinis nos contemplationem dare, imo, & in exterioribus, seu corporalibus occupationibus mentem ad Deum frequenter erigere, meditando, orando, psallendo, tunc vtique cœlestem agimus vitam, & futuram beatitudinem inchoamus, &c.* Sermone quoque 6. de Pascha, sic loquitur. *Magna hominis religio est ista calamitas, quod non amplius delectetur loqui, & occupari Deo, orando, psallendo, meditando, contemplando, &c. quam cum hominibus.* Sermone quoque 4. de Dom. 18. post Trinitatem, sic prosequitur. *Orando, meditando, psallendo, occupetur semper cor nostrorum in Deo, Dominum Deum cum Propheta oremus. Deduc me Domine in via tua, & ingrediar in veritate tua, lætetur cor meum, vt timeat nomen tuum. Itemque. Gressus meos dirige secundum eloquium tuum, & non dominetur mei omnis iniustitia. Rursus: notam fac mihi viam, in qua ambulem, & doce me facere voluntatem tuam.* Præterea serm. 7. de Dom. 25. post Trinitatem sic habet. *Ad hoc tendit institutio regularis, atque professio Monachalis, vt Monachus, quantum in vita præsenti sit possibile, indesinenter Deo intendat orando, psallendo, meditando, legendo, contemplando, &c.* Innumera tandem ex piissimo hoc Patre in sermonibus de Sanctis, eis præcipuè, qui ad religiosos diriguntur, breuitati consulens omitto.

10 His etiam Patribus D. Laurentius Iustinianus adhæret, qui sicut feruore, zeloque animarum splendidissimus fuit, sic quoque perfectionis monasticæ ardentissimus fuit amator. Orationis ergo necessitatem pro religiosis aliquoties astruit. In libro de obedientia *cap.* 17. orationem vocat, robur, & præsidium cœnobiorum. *Ipsa* (inquit) *cœnobia sunt præsidia munitissima sanctorum Angelorum vallata custodiis, ignitarumque orationum roborata suffragiis.* Verissimè sanè, sine oratione namque languescit cœnobium, omniumque inimicorum patescit insidiis. Hinc in libro de gradibus perfectionis religiosos sic alloquitur. *Nullus perfectè enarrare sufficit quam necessaria sit oratio cunctis, & quantum ad perfectionem venire anhelantibus omnino sit congrua. Audeo etiam dicere neminem absque illa posse ad salutem pertingere.* Hæc Laurentij Iustiniani verba, sicut, & alia similia D. Bonauenturæ, hoc etiam capite allata, alicui forsan duriora apparebunt. Horum tamen Patrum auctoritas, simulque dicta, dicendaque, verissima esse in aliquo sensu certissimè suadent.

11 Quis tamen pro hoc intento de necessitate orationis confirmando, Sanctam Virginem Theresam, nostri sæculi, sacræque religionis iubar, & decus non desideret? Quæ enim toti Hispaniæ, orbique toti, orationis, & mysticæ Theologiæ Magistra fuit, nonne religioso statui idem munus intimasse credetur? Siue ergo vitam ipsius, siue etiam libros de itinere perfectionis, aut etiam de mansionibus ab ipsa conscriptos legeris hunc scopum sibi præfixisse inuenies, vt oratione exercitium religiosis cunctis necessarium astruat. Specialiter regulæ obseruantiam ex orationis studio dimanare, sic admonet. *Oremos sin cessar, que con que se haga esto, que es lo mas importante, no se dexaran de cumplir los ayunos, diciplinas, y silencio, que manda la orden.* Deinde exercitium istud orationis dicit esse fulcimentum, & scopum religionis: ideoque solitudinem maximoperè amplectendam esse. Sic vero loquitur. *A costumbrarse à soledad es gran cosa para la oracion, y pues este ade ser el cimiento de esta casa, ya esto nos juntamos, mas, que à otra cosa, es menester traer estudio, en afficionar nos à lo que esto mas nos ayuda.* Demum (vt non verbo dicam) tota vita ipsius, gesta, dicta, & scripta eò tendunt, vt commoda, & vtilitates ex orationis exercitio prouenientia, cunctis, regularibus præsertim suadeat. Ad hunc quoque finem iugis orationis religionem Fratrum, & Monialium instituit, & quia magno cum feruore, totiusque populi Christiani exemplo id præstat, ideo inter Ecclesiæ luminaria, vt sidus splendidissimum maximè fulget, in perpetuasque æternitates sacra hæc progenies fulgebit.

Iungam his Patribus graues alios Doctores, qui etsi Sanctorum numero nondum ascripti teneantur, inter graues tamen auctores locum tenent; qui quasi manu data Monacho proprium munus, & exercitium orationem esse, clarè tuentur. Ex quibus venerabilis Thomas de Kempis orationis necessitatem sæpius religiosis commendat: In libro de ordinatione, & disciplina Claustralium, *libro* 5. *cap.* 1. 2. sic loquitur. *Tria sunt omni religioso necessaria, sine quibus non potest diu stare in bona vita. Hæc sunt oratio, lectio, operatio. In istis omni die exercere debet, & semper in aliquo horum occupare. Oratio illuminat, oratio purgat, oratio consolatur, oratio lætificat, oratio impetrat fauorem, oratio alleuiat laborem, oratio nutrit deuotionem, oratio præbet fiduciam, oratio expellit pigritiam, oratio fugat Dæmonem, oratio vincit tentationem, oratio semper est necessaria, sicut gratia, sine qua viuere spiritualiter non possumus.* Rursusque; *Non te pigeat orare, si vis à vitiis liberari.* Ex valle quoque liliorum *c.* 17. lilia hæc flagrantia collegi. *Hæc tria in ordine valdè necessaria, Deo, & Angelis accepta; scilicet laborare manu contra otium; amare lectionis studium contra cordis tædium: & continuare orationis vsum contra Diaboli dolum.* In 2. p. serm. ad nou. serm. 4. sic. *Beatus religiosus, cui sacra lectio cibus, oratio potus, psalmus iubilus, meditatio Christus, speculatio Deus, flabunt venti, & non nocebunt Deo vacanti, & oranti.* In enchiridion etiam Monachorum *cap.* 2. sic Monachum instruit. *Incessanter orandum est, ne vincaris à vitiis, & in profundo malorum desperando submergaris.* Hæc, & alia pius, & grauis auctor satis clarè necessitatem orationis regularibus intimans. 12

Accedit Ioannes Lanspergius deuotus auctor, Carthusianusque Monachus, oratorij exercitij commendator percelebris in dialogo Monachi cum milite Lutherano, sic loquitur. *Ad hoc potissimum vita cœnobitica est destinata, quæ ferè semper noctu, diuque quantum corporalis concedit facultas, eo tendit,* 13

vt ibi (*quod in cœlo fit) id est Dei præconium canendo, iubilando, gratias agendo, precando, meditando peragatur.* In libro etiam de vera religione, etsi diuersos Ordines ad diuersa munera in Ecclesia exercenda addictos esse dicat; omnes tamen ad munus orationis destinatos esse docet. *Nonnulli ad concionandum,& docendum, nonnulli ad ministrandum ægrotis, nonnulli ad tutandam fidem, nonnulli ad liberandos captiuos,&c. Omnes tamen ad Deum, cantando, & orando,& gratias agendo, laudandum ipsique mundo corde adhærendum sunt destinati.* Ecce nostri capitis scopum à Lanspergio descriptum, Monastici scilicet muneris esse, diu, noctuque indefessa vigilia orationibus insudare.

14 Clarissimè etiam Fr. Hieronymus Sauonarola inter Dominicanos Patres valdè insignis, inter regulas quasdam ab ipso conscriptas, quæ habentur in antiquis constitutionibus huius sacri Ordinis, sic habet ad intentum. *Principale studium, religiosi est, conari die, noctuque vt anima sua sit Deo coniuncta, per orationem, & contemplationem, continuumque amorem actualem.* Inferius quoque sic. *Cum omni, & summa diligentia, & solicitudine vacare debet orationi, & contemplationi, ita vt sæpissimè eleuet mentem suam ad Deum & oret cum breuitate, tam in Ecclesia, quam in mensa, tam in domo, quam in theatro, tam sedendo, quam ambulando. Et frequentissimè dicat: versiculum illum; Deus in adiutorium meum intende: Domine ad adiuuandum me, festina. Iter dicat: Misericordia tua Domine subsequetur me, vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.* Tandem in fine sic concludit. *Religiosi, qui ista non considerant, sed ambulant sine consideratione finis proprij, efficiuntur tepidi, inquieti, murmuratores, ambitiosi, iracundi, loquaces, sensuales, histriones, & duriores, quam sæculares ad pœnitentiam. Et nisi Deus per suam misericordiam eos reuocet, in alia labuntur præcipitia, à quibus nunquam postea liberantur.* Hæc, & alia grauis auctor.

15 His iunge Ioannem Gersonem insignem Parisiensium Cancellarium, qui sæpius religiosi munus orationem dixit. In responsione ergo apologetica, ad quemdam Carthusianum Monachum monet, toto tempore, quo obedientiæ legibus non obstringitur, orationi operam dare. Ad quod vtitur illo versiculo.

Fac opus iniunctum, inde vacato tibi.

Subiungit tamen modum. *Alphab.19. l.E. Consulo tamen, vt ista vacatio sit taliter practicata in deuotionis otio, vt non reddatur inepta per lachrymas, aut alia læsiua corporis, vel mentis exercitia,&c.* Similiter tractatu de oratione, & eius valore religiosum etiam instruens, professionem ipsius esse ad orationis munia exercenda declarat his verbis. *Alphab.77. l.2. Recogites in meditatione tua professionem in Monasterio, videbis te constitutum, & peculiariter dicatum, vt sis veluti quæstor aliquis, qui pro languentibus, & indigentibus in hospitali magno totius vrbis, quærere debeas eleemosynam, non tam corporaliter, quam spiritualiter sustentantem.* Et paucis interiectis. *Meditare igitur vt columba simplex, & gemens, & sit meditatio tua in conspectu Dei semper.* Hæc Gerson innuens satis munus proprium religiosi orationem esse.

16 Omnium tamen clarius, & distinctius, munus orationis religiosis iniunctum exposuit celebris Benedictinus Abbas Ioannes Trithemius. In homilia ergo octaua ad Monachos, sic loquitur. *Dominus, ac Saluator noster Iesus Christus in Euangelio, fratres, volens nos continuos esse in orationibus, ita præmonuit, dicens: Oportet semper orare, & nunquam deficere. Hoc Domini consilium, præ cunctis mortalibus, maximè decet Monachos & omnes, in quacumque religione claustrales, quorum omnis actio, & tota vita, imo quidquid faciant, aut oratio esse debet, aut saltem orationi conforme.* Ne tamen tepidus, aut imperfectus religiosus muneri sibi iniuncto per horas solum canonicas, seu quotidianum officium Ecclesiasticum omissa oratione mentali, satisfacere putet, subiungit postea. *Non satis est Monacho in schola Christi Regis æterni ad perfectionem tendenti orationes canonicas persoluere, nec sufficit homini Deo per votum solemniter dicato preces Ordinis communes in conuentu adimplere, quoniam qui semper orare sine intermissione præcipitur, vltra verbales, etiam ad spirituales orationes obligatur.* Hæc Trithemius, quæ si rectè expendantur, & Monachi officium, & intentum nostrum his capitibus satis innotescit.

Cum tamen hæc ita sint, & tam vnanimi, constantique assensu Patres hi omnes, his capitibus 17
adducti, orationis necessitatem regularibus omnibus proponant, mirum erit si aliqui ex religiosis inueniantur, tam sanctum exercitium respuentes. At multos esse non tam ego, quam Diuus Bonauentura de perf. viæ *cap.5.* plorat sic inquiens. *Qui sunt hodie, qui huiusmodi meditationibus vacent? Qui sint exploratores gaudij cœlestis? Qui corde, & animo conuersentur in cœlis? Rari sunt. Vnde dici bene potest de quibusdam religiosis illud verbum, quod B. Bernardus dicit, quorum studium deberet esse cœlos deuotione penetrare, mente circuire supernas mansiones, salutare Apostolos, & choros Prophetarum, Martyrumque admirari triumphos, omnibus his postpositis, turpi se mancipant corporis seruituti ad obediendum carni, & ad satisfaciendum gulæ, & ventri. Idem de processu relig. lib.7.c.11.* de quibusdam religiosis ait; quod *non solum non sentiant, sed nec quærant, nec desiderent, neque curent, imo, neque credant, sed inuideant, & persequantur in aliis deuotionis gratiam.* Paschasius quoque auctor grauis, & inter Bibliothecæ Patres relatos dum illud Hieremiæ Thren. 4. *Dispersi sunt lapides Sanctuarij in capite omnium platearum:* exponit; miseram sortem quorumdam regularium, qui orationis sanctæ exercitio vale dixerunt, sic deplorat *in lament. Hierem. in 2. tom. auct. Bibl. Quid ergo putas sunt lapides sanctuarij in capite omnium platearum dispersi, nisi Monachorum sancta, & Deo consecrata societas? qui semper debent Dei apparere in secreto conspectibus?* Et infrà. *Ideo dispersi plorantur, quasi lapides Sanctuarij in capite omnium platearum, quia dum per vitam, & orationem intus esse in contemplatione Dei semper debuerant, per vitam reprobam foris passim vacant.* Innuens satis plures regularium esse qui orationis exercitium ferè contempserint. Ioannes Lanspergius in serm. quodam ad congregationem Monachorum habito, multos esse ex religiosis, qui sanctæ orationis exercitium respuant, sic habet. *Sunt alij, qui solutis vtcumque horis, & ordinis debitis, deinceps externis suis vacant, nihil prorsus de internis, parum de meditatione, aut contemplatione, parum de oratione mentali, aut exercitiis spiritus scientes.* Ecce iam multos esse ex regularibus, qui orationi non vacent ex his Patribus habemus.

Hi ergo omnes, Patrum testimoniis adductis, ad 18
tam sanctum exercitium, totis viribus trahendi, & reuocandi sunt. Neque enim aliter vitia eradicare, virtutesve in religionibus plantari poterunt, nisi sancta oratione mediante. *Oratio enim* (teste Cassiodoro)

Cassiodoro) *serenat cor, abstrahit à terrenis, mundat à vitiis, subleuat ad cœlestia, reddit capacius, & dignius ad accipienda bona spiritualia.* Vnde optimè B. Thomas de Villanoua *Conc. de Sept. Religiosus tepidus, si non orat, & laudat quid accipiet?* Ac si dicat; sine oratione religiosum, virtutibus vacuum, vitiisque plenum recenseri. Rixosos ergo vagos, desides, otiosos, impudicos, auaros, iracundos, gulosos, superbos, ambitiososque regulares (si quos videris) hos omnes sine oratione viuere, facilè suspiceris. Si fortè etiam religionem aliquam deformatam, discolis, vagisque, ac inhonestis fratribus respersam conspexeris, propter orationis egestatem, vel penuriam hoc illi malum euenisse credas. E contra verò religiosos humiles, pauperes, pudicos, obseruantes, obedientes, temperatos; quietis amatores, fructum animarum zelantes, virtutibusque plenos (quales multi sunt) ex ea tales putes, quod orationi sedulè incumbant. *Quemadmodum enim* (verbis Chrysostomi vtar *lib. 2. de orando Deum*) *vbi regina quæpiam ingreditur ciuitatem, necesse est, vt omnis opulentia pariter consequatur, sic videlicet postquam deprecatio venit in animam, omnes virtutes simul ingrediuntur.* Ergo bone religiose, hoc tibi maximè in cura sit, vt orationis studium totis viribus anheles. Basilius tibi loquitur. *Hæc vna recordatio si esset assidua contra omnia vitia medelam præberet.* Faxit Deus, ita fiat.

19 Quia vero solitudo *Orationis schola*, iure à Patribus censetur, ideo, quæ de solitudine commendanda Reuerendissimus Ordinis nostri Præsul, antiquitate, & pietate Venerandus Nicolaus Gallicus in suo piissimo opere *Ignea sagitta* compellato, *c.* 11. scripsit, hic meritò apponenda. *In solitudine nobis omnia prosperè patrocinantur elementa. Firmamentum miro Ordine Planetarum, ac Syderum mirabiliter decoratum, nos ad superiora, miranda sua pulchritudine allicit, & inuitat. Aues Angelicam naturam quodammodo induentes, suauem cantus melodiam ad nostrum solatium mirabiliter modulantur. Montes etiam iuxta Isaiæ prophetiam, nobis mirificam stillant dulcedinem: sed & colles nostri consortes fluunt lac, & mel, quæ mundi huius amatores fatui non gustabunt. Nobis autem ad laudem psallentibus, Creatoris montes circumstantes, fratres nostri conuentuales, iuxta identitatem vocis, nostræ linguæ plectra percutientes, ac vena organica in aëre modulantes, vnà nobiscum tono concordi resonant Dominum collaudantes. Germinant radices, virent herbæ, frondes, & arbores nobis suo modo lætanter applaudentes; de hac autem iucunditate solitudinis secundum sensum tropologicum scriptum est in Isaia.* Exultabit solitudo, & florebit quasi lilium, germinans germinabit, & exultabit lætabunda, & laudans. *Et iterum in psalmo:* Pinguescent speciosa deserti, & exultatione colles accingentur. Hucusque ille. Nos verò vlterius progrediamur.

SVMMARIVM.

Regulæ, & constitutionum obseruantia Religionibus omnino necessaria. num. 1.

Eam sæpius commendat sanctus Ephrem Syrus. numero 2.

Immensa gloria regulas obseruantium, secus verò grauissimæ pœnæ non obseruantium adstruuntur. n. 3.

Theodori Studitæ legatum Monachis testamento relictum. num. 4.

Albini Flacci consilium salutare. num. 5.

Verba S. Cæsarij ad hoc intentum. ibid.

Ordo custodit eos qui se custodiunt. Bernardi dictum. num. 6.

Petri Damiani monitum pro tyrone in militia spirituali. num. 7.

Non pauca ex D. Bonauentura de perditione Regularium propter defectum regularis obseruantiæ, referuntur. num. 8.

Vita spiritualis Religionis ex obseruantia regulæ nascitur; illius interitus ex Regulæ contemptu. n. 9.

Regulæ, & Constitutionum obseruantiam suis mandat S. Ignatius Loyola. num. 10.

Regulæ, & Constit. repetitam lectionem suis Monialibus proponit S. Theresa. num. 11.

Verba B. Magdalenæ de Pazzi ad propositum referuntur. ibid.

Silentij obseruantia ex Patribus commendatur. n. 12.

Priscorum Monachorum silentij quædam exempla recensentur. ibid.

Sancta Religio in loquacibus esse non potest. n. 13.

Regulæ institutiones sunt præcepta vitalia. n. 14.

Regulæ obseruantia hæredem constituit regni cœlestis; eius contemptus in barathrum perditionis animas trudit. num. 15.

Tres Sanctorum coronæ, quarum prima legis obseruatoribus conceditur. num. 16.

Visio diuinitus facta Gerardo Monacho, ad intentum. num. 17.

Improbi Regulares æternas pœnas ob contemptum propriæ regulæ asciscunt. num. 18.

Horribilia exempla de Religiosis Regulæ transgressoribus recensentur. num. 19.

Terribilis item euentus de Monachis quibusdam gulæ venerique deditis. num. 20.

De aliis, qui ob leues culpas, Purgatorij pœnis addicti sunt. num. 21.



CAPVT V.

Regulæ, & Constitutionum inuiolabilis obseruantia religiones reformat: & in hoc deficere ipsas euertit.

EO vel maximè orationis exercitium regularium Ordinum reformationi necessarium est, vt vel sic religiosi omnes ad propriæ regulæ, communisque obseruantiæ modum suauius se astringant: vnde postquam in præcedentibus capitibus orationis officium commendauimus, nunc in præsentibus regulæ, & constitutionum inuiolabilem, & peruigilem custodiam, ipsis omnino necessariam proponimus. Patrum ergo testimonia pro obseruantia sanctæ regulæ, & constitutionum perscrutemur. 1

Adstat primus Sanctus Ephrem Syrus, qui non semel, sed sæpius, regulæ, ac constitutionum regularium obseruantiam religiosis commendat *ad hort. 1. ad nouit. Si in cœnobio fratrum degeris, regulas conuentuales ne despexeris. Si solitariam vitam vixeris, caue optimas formas Anachoretarum, qui rectam tibi semitam strauerunt, deprauaueris.* Et infrà. *In Monasterio igitur residens, canonem, seu regulam cum omni reuerentia, & amore Dei sequere.* Quod vlterius *in serm. B. Ab.* exemplo S. Abrami Eremitæ sic comprobat. *Toto porrò tempore renunciationis suæ canonem, seu regulam semel arreptam, nunquam mutauit, sed quinquaginta annorum spatio in vita religiosæ studio se exercuit.* Alibi quoque sic Monachos 2

chos instruit *in serm. ascet. de vta relig. Modum, ac normam, quam illustres, perfectique illi nostri Patres tradiderunt, omni conatu, ac studio teneamus.* Et infra. *Vnam nobis regulam charissimi diligamus, per quam Deo grati, acceptique esse possimus; nobisque ipsis, ac proximis nostris prodesse valeamus.* In sermone etiam quodam Ascetico de vita Monastica, antiquos Monachorum patres, ex eo perfectissimos, probatissimosque euasisse commemorat, quod vnius regulæ acceptæ fuerint exacti obseruatores. Sic Ephrem. *Propterea verò, & S. probatissimique olim Patres, iactis firmiter vnius viuendi regulæ fundamentis, perfecti euaserunt; si quidem illum canonem, ac regulam, quam semel arripuerant, ad finem vsque vitæ sine impedimento aliquo retinuerunt.* Subiungit postea. *Et ideò Deus quoque in illis habitauit, atque in eis est glorificatus, & quicumque illos videre, vel audire meruerunt, Deo gloriam dederunt.* Hæc, & alia S. Ephrem ostendens satis vitam, perfectionemque regularium ex inuiolabili obseruantia regulæ, & constitutionum pendere: è contra verò damnum religionum ex parum accurata legum custodia prouenire. Demum parænesi prima quantum præmium obseruanti Monacho reseruatum sit, sic describit. *Serua mandata Altissimi ô Monache, & Patrum constitutiones, recole, pietatis pugil, hæc enim faciens regni cœlestis hæres designaberis.*

3 Accedit Ioannes Cassianus antiquus Eremita, ex quo aliqua pro nostro intento confirmando desumere possumus. Primò ergo in libro quarto de institutis Monachorum renunciantium sæculo *c.* 33. immensam gloriam fideliter obseruantibus regulam Ordinis promitti, & grauissimas pœnas non obseruantibus præparari, sic astruit. *Sicut namque immensa gloria fideliter seruientibus Deo, ac secundum regulæ institutionem ei adhærentibus repromittitur in futurum, ita pœnæ grauissimæ præparantur his, qui tepidè eam, negligenterque fuerint exequuti.* In collationibus quoque Monachum propriæ regulæ transgressorem, incorrigibilem euadere, & difficiliùs, ad perfectionem ascendere, quam carnalis sæcularis, vel etiam infidelis, grauissimis his verbis docet *coll.* 4. *cap.* 19. *Facilius ad salutarem conuersionem, ac perfectionis fastigium carnalis quis, id est sæcularis, vel gentilis accedit, quam is, qui professus Monachum, nec tamen viam perfectionis arripiens secundum regulam disciplinæ, ab illo semel spiritualis feruoris igne discessit.* Rationem sic subiungit. *Ille namque* (scilicet carnalis vel gentilis) *corporalibus saltem vitiis humiliatus, atque immundum se sentiens, contagione carnali, ad fontem veræ purificationis, ac perfectionis culmen, quandoque compunctus accurrit.* De Monacho verò regulæ transgressore, sic addit. *Qui semel, vt diximus, tepido exorsus initio Monachi cœpit abuti vocabulo: nec tamen humilitate, ac feruore, quo debuit iter huius professionis arripuit, infectus semel hac miserabili lue, & in ea quodammodo resolutus, ex se vlterius perfecta sapere, nec alterius poterit monitis erudiri.* Proh dolor! Quam horribilia sunt hæc verba improbis, ac deprauatis religiosis suæ regulæ contemptoribus. Ex eis enim liquidò innotescit Monachum illum, qui propriæ regulæ obseruantias spernit, quasi à Deo despectum, difficilius, quam alter homo quantumuis prophanus, & infidelis, ad perfectionis fastigium peruenire posse. Cum verò tendentia in perfectionem proprium munus religiosorum sit, attendant regulæ Monasticæ contemptores, quantum malum sibi asciscant ex culpabili transgressione legum religionis.

4 Ad idem Theodorus Studita in suo testamento (prout in Bibliotheca Patrum habetur *t.* 2.) hoc legatum Monachis velut opulentissimam hæreditatem, his verbis reliquit. *Leges, ac scita maiorum, in primisque Magni Basilij, non migrabis, quin quodcunque ages, dices, vel ex sacris literis, aut paterna tua consuetudine geres.* Si consilium hoc Monachi cuncti sibi atriperent, propriæ vtilitati consulerent, & perditioni religionis obuiarent.

5 Consulit idem Albinus Flaccus Caroli Magni Magister, *epist.* 49. Monachos namque in epistola quadam instruens: sic loquitur. *Regularis vitæ obseruationem diligentissimè custodite: quatenus æternam benedictionis mercedem habere mereamini. Hæc est laus vestra, iste honor vester apud homines, & retributio apud Deum.* Sanè hoc ita esse experientia comprobat. Quæ enim religio propriæ regulæ, institutionumque arctissima obseruantia tenetur, apud Deum, & homines vbique honoratur: quæ tamen illarum custodiam spernit, leui nota, apud omnes dignoscitur.

Nec iure prætermitti potest, quod S. Cæsarius *in Regula Sanctimonialium* ad hoc intentum scripsit: *Quia*, inquit, *vos Angelis desidero esse consimiles, iterum atque iterum rogo, & per omnipotentem Deum vos contestor, vt nihil de sanctæ Regulæ institutione minui permittatis, sed totis viribus eam custodire, auxiliante Domino, laboretis, scientes quoniam vnusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem. Et hoc ante omnia rogo, vt admonitionem nostram non transitoriè accipiat sanctitas vestra; quia non ex nostra præsumptione loquimur; sed secundum quod in scripturis canonicis legitur, & antiquorum Patrum libris abundantissimè continetur, vos cum grandi affectu, & cum vera charitate salubriter admonemus, & quia legitis, quod, Qui vnum mandatum minimum neglexerit, minimus vocetur in regno cœlorum, nolite humilitatis nostræ verba, quasi minima despicere, propter illud, quod scriptum est: Qui vos spernit, me spernit. Et illud. Qui spernit modica, paulatim defluit. Quomodo enim in quocumque carnali certamine tantum vnusquisque abiectior erit, quantum minor & infirmior persona superauerit, ita, & in spirituali certamine in eum, qui negligens fuerit in minimis, implebitur illud, quod scriptum est: Qui vniuersam legem seruauerit, offendat autem in vno, factus est omnium reus. Hoc enim ego cum grandi non solum timore, sed etiam tremore cogitans, dum pauescit animus meus, ne vobis vel aliqua peccata minuta subrepant, non solum admoneo, sed supplico pariter, & contestor, & cum grandi charitatis affectu adiuro, sic in illam æternam beatitudinem, ad consortium Angelorum, omniumque Sanctorum, sine confusione venire simul, & cum sancta Maria, & cum omnibus reliquis Virginibus coronas gloriæ accipere, & cœlestem agnum sequi vos fœliciter videre promerear; vt toto corde, & animo mandata superius comprehensa studeatis implere, per quæ ad æterna præmia possitis fœliciter peruenire.*

D. quoque Bernardus Monachorum vertex, non semel, sed sæpius, quàm illis necessaria sit obseruantia regulæ religionis, simulque constitutionum Ordinis, satis expressit *de præce. & dispen.* Quondam sic. *Omnes magistram regulam sequantur, nec ab ea temerè deuietur à quoquam.* Vbi temeritatis notam regulæ transgressoribus indicit Bernardus. *Idem epist.* 321. *Rogo vos fratres, & multum obsecro, sic agite, & sic state in Domino dilectissimi, soliciti semper circa custodiam Ordinis, vt Ordo custodiat vos.* Ac si 6

clarius

clarius diceret; religio illa, in qua propriæ regulæ transgressio permittitur, nec seipsam, nec alumnos custodire valet. Est enim regularibus regula, quod mœnia vrbibus. Vnde quemadmodum dissipantibus mœnia vrbis dispendium datur, sic quoque regulæ, regulariumque sanctionum contemptores, totius religionis interitus debitores sunt. Quare illud Psalmi 79. obiici potest transgressori regulæ. *Destruxisti maceriam eius, & vindemiant eam omnes, qui prætergrediuntur viam.* Quid vero apud Bernardum sit ordinem custodire religiosos suos, ex alio eius loco inferius adducendo constabit, vbi ex diuina reuelatione Gerardo Monacho facta affert, nullũ religiosum damnandum fore, qui suam regulam, Ordinisque obseruantias amauerit: quin potius regularis obseruantiæ amatores, in Ordinem Apostolorum, Martyrum, aut Confessorum assumendos esse. Præterea quid de Monacho regularis disciplinæ preuaricatore sentiat ipse Bernardus, ipse palam professus est in epist. 191. ad Papam Innocentium, vbi illum vocat. *Inimicum crucis Christi, Sanctorum, qui in circuitu eius sunt, violentissimum oppressorem, & calumniatorem pauperum. Qui propria iam pene non habens, quæ deuoret, in proxima passim more tyrannico debacchatur. Monachum habitu mentiens, re exhibet vnum de prædonibus, omnino immemor regularium obseruationum, legum, canonumque contemptor, frontosus ad verecundiam, insensatus ad metum, inflexibilis ad pietatem, ad iram præceps, audax ad facinus, pronus ad iniurias.* Quid vero sit ordo religiosus, & quam necessarium regulares in suæ regulæ obseruantia permanere, expressit idem Pater in epistola ad Monachos Alpenses. *Stemus nos in ordine nostro quicumque elegimus abiecti esse in domo Dei nostri, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum. Ordo noster abiectio est, humilitas est, voluntaria paupertas est, obedientia, pax, gaudium in Spiritu sancto. Ordo noster est sub magistro, sub Abbate, sub regula, sub disciplina. Ordo noster est studere silentio, exerceri ieiuniis, vigiliis, orationibus, opere manuum, & super omnia excellentiorem viam tenere, quæ est charitas.* Ecce Bernardum clarè nobis quid sit religio, & qualiter in ea, eiusque regulari obseruantia standum sit, depingentem. *Idem in Apologet.* magnam abusionem esse regulam non custodire, habitumque Monasticum gerere, sic exponit. *Magna abusio est vt corpus regulariter induatur, & contra regulam suis vestibus anima nuda deseratur. Cum tanto studio tunica, & cucullа corpori procurentur, quatenus cui deerunt Monachus non putetur. Cur similiter pietas, & humilitas, quæ spiritualia indumenta sunt non prouidentur?* Legatur idem Pater in tractatu de præcepto, & dispensatione. Ex quibus omnibus satis liquet, quam necessariæ sint regulares obseruantiæ religiosis omnibus, pro ipsorum, & Ordinis conseruatione.

7 Illustrissimus etiam Cardinalis Petrus Damianus epist. 18. dum Ariprandum Monachum in militia spirituali tyronem commendat, hoc maximè ab illo exigit, vt regularem disciplinam non deserat: consequenterque, quam necessaria sit religiosis, sic ostendit. *Caue ne per ætatis adhuc imbecillis obtentum, sancti loci regulam violes, ne rigorem, atque seueritatem beatæ conuersationis enerues, ne mutari velis solitam seueritatis consuetudinem, ne peregrinæ adinuentionis præsumas superinducere nouitatem.* Inferius sic. *Quantæ præsumptionis est si disciplinæ quis regulam frangat, quam à sanctis Patribus traditam non ignorat.* Hæc Damianus. *Idem lib. 6. epist. 32.* horribilia aliquot exempla quorumdam regularium, qui ob regulæ contemptum grauissimis à Deo suppliciis sunt addicti, narrat; nosque inferius in hoc capite afferemus. Ex eis verò liquido innotescet, religionum, religiosorumque miseram sortem ex inordinata transgressione regulæ, obseruantiarumque procedere.

Ex Seraphico etiam Bonauentura non pauca colligi valent pro causa suscepta de perditione regularium propter defectum regularis obseruantiæ. Pauca tamen subiungam. In libro de sex alis Seraphim, *cap. 3.* de religioso regularium obseruationum contemptore, sic habet. *Deformat religionis decorem, profectum spiritualem, & aliorum ædificationem solet impedire.* Eodem quoque libro, sic consulit. *Principaliter cauenda, & dolenda est transgressio præceptorum Dei, deinde inuiolabilium præceptorum Sanctæ Ecclesiæ, deinde illorum, quæ sub voto voluntario sibimet quisque fecit necessaria, vt regulares obseruantiæ, maximè, quæ sub præcepto sunt statutæ. Idem in spec. disc. p. 2. cap. 2.* religiosos omnes, sic monet. *Communem Ordinis obseruantiam sequantur, perfectioni in silentio, & aliis institutis plenius obtinendis insistant: à qua, nec exemplari leuium, vel negligentium aliquorum dissolutione diuertant.* Eodem quoque libro, sic habet. *Optima religiosi perfectio est, perfectè communia quæque conuentualia seruare.* Rursus alio loco, sic loquitur. *Nec aliquam non bonam consuetudinem inducas, vel discas; nec aliquam bonam consuetudinem neglectam per incuriam Diaboli, permittas in te, & in aliis, quibus cum modestia persuadere poteris.* Rationem reddit P. Seraphicus. *Quicumque enim aliquod exemplum aliis relinquit, siue bonum, siue malum, particeps est imitatorum suorum, siue in supplicio, siue in præmio sempiterno.* Rursus idem Pater in epistola quadam ad Prouincialem quemdam sui ordinis transmissa, damna, & incommoda, quæ ex fractione regulæ, & constitutionum, tam religiosis transgressoribus, quam religionibus ipsis proueniunt, sic recenset. *Cum disciplina negligitur, insolentiæ crescunt, ac per hoc negligentia circa exercitationem virtutum exterius procedit in scandalum, per eorum patentem ruinam, qui stare videbantur in oculis aliorum. Ex quo fit, vt sanctæ religionis splendor præfulgidus in pallorem degeneret, sanctitatis pulchritudo sordescat, bonæ opinionis odor computreat, & nomen Domini blasphemetur.* Hæc, & alia Seraphicus Doctor pro regularis obseruantiæ inuiolabili custodia, conscripsit, ex quibus sanè perspectis, nullus bonæ indolis religiosus non eliciet, regulæ, & constitutionum obseruantiam religiones in suo nitore fouere, ac conseruare: ex opposito verò regularis disciplinæ transgressorem, se ipsum, & religionem perdere. Quia vt ipse Pater de hac exterioris disciplinæ negligentia loquitur. *Est signum neglectæ conscientiæ, & interioris leuitatis.* 8

His Patribus iungitur S. Laurentius Iustinianus Ecclesiæ iubar, & Venetorum decus, ex quo hanc sententiam pro causa, quam tuemur, ex libro de compunctione, & planctu Christianæ perfectionis seligere potui. *Qui religiosæ vitæ institutionem sumere elegit, sanctitatis Regulam perficere conetur.* Ac si dicat; vita spiritualis religionis ex circunspectissima obseruantia regulæ nascitur; illius verò interitus ex regulæ contemptu procedit. 9

Clarius cæteris istorum Patrum vestigia sequitur S. Ignatius de Loyola celeberrimæ Societatis Iesuiticæ Patriarcha, Christianique orbis alter sol; dum regulæ, & constitutionum exactissimam obseruantiam suis mandat his verbis. *Omnes constanti animo* 10

incumbamus,

incumbamus, vt nihil perfectionis, quod diuina gratia consequi possimus, in absoluta omnium constitutionum obseruatione, nostrique instituti ratione adimplenda, prætermittamus. Quibus verbis nostrum, & suum intentum satis declarat, viamque ostendit, per quam sacra Societatis religio ab ipso instituta, toti orbi, vt fulgentissimum sydus, celeberrima redditur.

11 Nec omittam breuem singularemque sententiam, quam Sanctiss. Virgo Theresa, nostri sæculi, & Ordinis decus, circa præsens institutum protulit. Monialibus igitur suis regulæ obseruantiam, simulque iteratam lectionem, sic præscribit *in mon. ad Moniales. Las ordenanzas, y regla de su religion lean las muchas veces, y guardenlas de veras.* Sentiebat abs dubiè Beata parens, in hoc puncto religionis fulcimentum consistere, ac perinde, non solum obseruantiam regulæ, & constitutionum; sed ipsarum quoque sæpius repetitam lectionem illis proponit. Vt enim testatur Vmbertus de Romanis Prædicatoriæ familiæ quondam Generalis *de mod. præ. l. 2. c. 9. Fit contra Regulam frequenter, quando non legitur regula.* Vnde vt ipse dixit *ibid. c. 4. Lectio diligens regulæ, & statutorum propriæ professionis, necessaria est religiosis.* Quod ideò aduertendum puto, ne forsan aliquis; nolens intelligere, vt benè agat, regulam, & constitutiones sui Ordinis legere negligat.

Nec prætermittenda Carmeli nostri pretiosissima Gemma B. Magdalena de Pazzi, de qua in vita ipsius *c. 125.* hæc leguntur. *Non meno de' santi voti teneua in stima, e riuerenza le Regole, & constitutioni, e tutti gl' ordini, e consuetudini Religiose del suo Monastero, ancorche minimi, e tutti gli reputaua volunta di Dio, dettati dallo Spirito santo esercitandosi in tutti con gran prontezza, nè mai tralasciando alcuno ordidine, se da necessità d'infermità, è da qualche altra vbidienza, ò esercitio di carità non era impedita. Il che quando le occorreua, non restaua d'interuenire col desiderio, e specialmente quando era impedita da infermità, ne sentiua particolare afflittione, dicendo, che ciò le permetteua Dio, perche non era digna d'interuenire con altre all' vbidienze della Religione, e sino à che haueua forze, si conduceua ancora con gran fatica à gl' ordini communi.*

12 Hæc vero, quæ ex Patribus adduximus manifestè satis comprobant, Regulæ, & constitutionum regularium obseruantiam, omnino necessario exigi pro conseruatione regularium Ordinum. Hoc ipsum caput sequens demonstrabit. Vtrumque tamen de regula, & obseruantiis in communi, & in genere sermonem tantum instituit. Desiderari tamen adhuc poterat, vt singularum institutionum regularium obseruantiam ex Patribus confirmaremus. Quia tamen hoc longiorem desiderat tractatum; de vnica solum, ipsaque specialissima obseruantia regulari, silentio nempe, sermonem faciam ex Patribus. Prius tamen quid opere compleuerint, postmodum verò quid docuerint apponam. Igitur Agatho Abbas lapillo assiduè ori indito per tres annos silentium custodisse, tradit Marulus lib. 4. cap. 6. Paulus quoque Monachus per triennium etiam nemini quidquam locutus est. Pambo Abbas illud Psalm. 38. legens. *Dixi custodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea:* multo tempore obseruauit. Boonem in Thebaidis deserto habitantem in summo silentio vixisse scimus. Theo etiam in cellula sua clausus annis triginta, silentij habuisse continentiam perhibetur. Hos, & alios plures refert Marulus, vt suprà. Qui simul lib. 6. c. 14. dum de reuelationibus infernarum pœnarum agit, quid Moniali cuidam loquaci (vtinam casum vereantur omnes) acciderit per hæc verba retulit. *Cũ diem obiisset extremum, & in Ecclesia sepulta esset, aædituus nocte intempesta Ecclesiam ingressus, vidit illam ante altare distentam secari per medium, partemque superiorem igne cremari, inferiorem vero relinqui intactam* (forsan castitatem corporis seruarat) *Mane igitur visa fratribus narrans, dum locum, in quo eam vri conspexerat ostendit, deprehensa sunt in marmoris solo ardoris vestigia.* En silentij exempla: en loquacis pœnam. Nunc vero quid Patres dicant, audiamus.

Diuus ergo Hieronymus religionem in loquacibus esse non posse hisce declarat. *Religio sancta non potest esse in loquacibus* Diuus etiam Augustinus *ad fratr. in erem.* adeo necessarium silentium putat Monachis, vt sine eo Monachos non esse dicat. *Silentium, fratres, inter cætera vobis in eremo summè necessarium, quia qui non custodit linguam suam Monachus non est.* Clarius id expressit S. Bernardus. *Nemo* (inquit) *de religionis habitu sibi blandiatur, qui adhuc linguam suam non didicit religare. Religa linguam tuam, si vis esse religiosus, quia sine linguæ religatione, religio vana est.* Ad hæc Seraphicus Bonauentura perf. vitæ c. 4. *Certè frustra (audeo dicere) quod ille religiosus, gloriatur de possessione virtutis in corde, quid dissipat disciplinam silentij per inquietudinem multiloquij. Si quis (teste Scriptura) putat se religiosum esse non refrænans linguam suam, sed seducens cor suum, huius vana est religio.* Plures tandem ex Patribus sciens prætereo. Quorum plura exempla habet Laurentius Beyerlinck *in Theatr. vit. hum. tom. 6. littera R. verbo Religiosus, Religio.* vnum, qui pro omnibus loquatur, silentiique vtilitates in religione exponat, producam. Ioannes hic est vulgò Climacus in scala. *Taciturnitas est mater orationis, captiuitatis reuocatio, ignis diuini amoris, obseruatio cogitationum, specula hostium, lachrymarum amica, carcer luctus, memoriæ mortis operatrix, iudicij indagatrix, inimica fiduciæ, quietis coniux, ambitiosæ doctrinæ aduersatrix, scientiæ adiectio, secretus in Deum profectus, occultus ascensus.* Ex aliis autem Doctoribus vnus etiam pro mille hæc protulit Thomas à Kempis *Serm. 4. ad Nouit. In nullo statu, & Ordine stabit pax & disciplina si non adsit censura silentij, quietis amica, quæ est deuotionis nutrimentum, contentionis obturatio, vanitatis fuga.* Et rursus. *Est multum pro honore vestro, & fama Ordinis, si pro reuerentia hospitum in præsentia eorum verecundi, & taciturni appareatis; plus enim ædificabitis bonis moribus, quam curialitate sermonis. Ex vno indisciplinato verbo arguunt vos leuitatis, & imprudentiæ.* Appositè idem deuotus vir narrat in *Sermone tertio ad Nouitios,* duos fratres in domum cuiusdam viri nobilis pio receptos hospitio fuisse, qui vtriusque gestum, & verba obseruans, regressis illis, dixit: Videbatur mihi quòd vnus istorum aut nouiter ad Religionem venit aut cito inde recedere velit. Quærentibus vnde ita colligeret. Respondit, ex dissimili veste, & gestu in verbis, & moribus coniicio differentiam conuersationis. Ita accidit, sicut prædixit. Breui vnus Religionem reliquit. Hæc verò dixerim, tum, vt quanti apud Patres Regularis obseruantia silentij habeatur ostendam, tum, vt quanti etiam iidem Patres alias quoque religiosas sanctiones habeant, credatur; ac perinde iure optimo huius, & sequentis capitis intentũ esse, Regulæ & constitutionũ obseruãtiam religiones tueri; illarũ verò transgressionẽ ipsas euertere.

Iam ergo sanctè religiose quicumque sis; *Custodi legem, atque consilium; & erit vita animæ tuæ,* consulit tibi

tibi Sapiens Prou.3. Neque enim alia ratione vitam poteris diligere,& dies videre bonos,nisi regulæ, & constitutionum tuarum sis diligens obseruator. Audi quæ Moyses populo Dei circa legis obseruantiã intimauit Deuteron.32. *Implete vniuersa,quæ scripta sunt legis huius,quia nõ in cassum præcepta sunt vobis, sed vt singuli in eis viuerent.* Hanc ob causam D. Hieronymus Pachomij regulæ institutiones, *Præcepta vitalia*, nuncupauit, vtpote, quia ad vitam monachorum conferant. *Religio,Sacerdotium,Ordo,neminem per sese, neque Sanctum, neque Beatum efficiunt: quandoquidem boni, ac mali æquè hæc percipiunt*; inquit Rusbrochius de vera contempl.c.62. Hinc neque apud Deum, neque apud homines præmiũ aliquod accipies,quod sub regula sancta religiosi Ordinis viuas nisi iuxta illius institutiones, iuste,sanctéque conuersatus fueris. Hoc tibi *Regularis* nomẽ, quo frueris, intimat Religiosi quoque nomẽclatura, idem præcipit. *Sicut enim* (inquit Vmbertus de modo prædic.c.6.lib.2.) *dolia dissipata religantur,vt sint idonea ad vini capacitatem,sic religantur viri per religionem, vt sint apti ad spiritualem gratiam recipiendam. Sunt autem sex quasi Circuli,quæ valent ad religationem huiusmodi doliorum. Primum est,propria Regula. Secundum,propriæ Constitutiones. Tertium est, approbatæ consuetudines. Quartum est, mandata Prælatorum. Quintum est,correctiones Visitatorum. Sextũ est,ordinationes,&c.* Quare ne tanquam dolium dissipatum nõ valeas vinum gratiæ retinere,puteris necesse, vt his circulis,corpore,animoque circũcingaris. Hac via tui Ordinis Rempublicam optimã,fœlicissimamque reddas. Plutarchus namque refert septem olim sapientes inter se disputantes in conuiu. *Quis populus, quænamve Respublica foret optima, & fœlicissima*;audisse Biam respondentem. *In qua legem vniuersi,tanquã Tyrannum metuunt.* Plato etiam apud Eborensem,hæc habet. *Sine lege,nec domus,nec ciuitas,nec gens,neque hominum vniuersum genus stare,nec rerum natura omnis, neque ipse mundus potest.* Si ergo sancte religiose, tuæ reipublicæ leges,regulam,sanctionesque serues, eam optimam, & fœlicissimam facies,tibique cumulos sanctitatis quamplures augebis, itavt in te Aristotelicum illud 5. politic. c.9. expleatur. *Viuere secundum leges,est ipsa salus.*

15 Vt tandem libentiori animo hoc onus regularis obseruantiæ suscipias, hoc vnum tibi persuasum putes; nulla alia ratione regni cælestis hæreditate potiturum facilius,quàm regulæ obseruantia;eiusque contemptu,ęternas pœnas incursurum. Etenim ipsius regularis obseruantiæ contemptus, laxioris vitæ modus, difformataque religio in barathrũ perditionis, æternasque pœnas inferni animas trudit. Vtrumque hoc caput præsens tibi demonstrabit. Et primum quidem,regularem obseruantem religiosæ disciplinæ, hæredem regni cœlestis certo constitui; tibi ex Patribus adductis S. Ephrem Syrus, Ioannes Cassianus, Albinus Flaccus,& alij clare ostendunt.

16 Id quoque Sanctus Benedictus in prologo suæ regulæ habet. *Ausculta, ô fili præcepta Magistri, & inclina aurem cordis tui, & admonitionẽ tui pij patris libenter excipe, & efficaciter imple,vt ad eum per obedientiæ laborem redeas,à quo per inobedientiæ desidiam recesseras.* Hebræi quoque Magistri (teste CosmaMagallanio in Iosue 24.) tres sanctorum esse coronas volunt,inter eas primariã esse,quę legis obseruationi incumbentibus conceditur. Sic verò dicunt. *Tres sunt coronæ;corona sacerdotis,corona regni,& corona legis. Corona autem legis ascendit supra omnes. Sacerdotio dignus fuit Aaron; regno David,Corona legis cuilibet datur eam obseruanti, quæ mater est cæteris, cum ea reliqua constent.* Hic quoque congruit illud,quod ex R. Eliezer referunt quidam,videlicet,Moysem ex monte descendentem, legis tabulas secum tulisse; taliter tamen, quod donec Israëlitici populi peccatum visum non est,à Moyse tabulas latas,sed è contra Moysem à tabulis elatum esse. Cum verò populi peccatum commissum fuit, nec ab ipso Moyse deportari potuerint, sed eas manibus sustinere nõ potens,abiecerit,& confregerit. Quod (si id verum est) manifestè concludit, legis obseruantiam,obseruantibus grauem non esse, sed pennarum instar,eos ad cœlum subleuare, legis verò transgressionem, grauissimi ponderis instar ad inferna inclinare.

Manifestè etiam id D. Bernardus nobis intimauit. 17
Refert namque cœlestem quandam visionem ex diuina reuelatione Gerardo monacho factam, continentẽ:nullum sui Ordinis (idem sentio de aliis) dãnandũ fore,qui regulam,obseruantiasque dilexerit; quin potius in ordine Apostolorum,Martyrum,aut Confessorũ sortẽ accepturũ. Bernardi verba Visionẽ referentis,hæc sunt in doct. *Cogita monachũ illũ,Gerardũ nomine,qui infirmatus ad mortem,iacuit per triduum oculis clausis in mentis excessu, & visitatus ab Abbate,oculis apertis ait,Bona est obedientia. Ad tribunal Christi fui; animas Sanctorũ vidi:ipsumque facie ad faciẽ vidi dicentẽ mihi. Ecce locus tuus inter fratres tuos,nullus tui Ordinis peribit,si Ordinẽ amauerit. Salui autẽ, qui de ordine tuo sũt,aut in ordine Apostolorũ,aut Martyrũ,aut Confessorũ sortẽ accipiẽt. Et hæc dicẽs cõmunione accepta discessit.* Hæc Bernardus piã satis,cõsolationeque plenã bonis religiosis Visionẽ referẽs. Similis huic alia etiã Visio tẽpore mortis D. Benedicti Occidentaliũ monachorũ Principis apparẽs, in qua quidã dixit. *Hæc est via,qua dilectus Domini Benedictus cælum ascẽdit.* Refert illã ex D. Greg. Bernardus, ipsamque de regula, ac modo viuendi à Benedicto tradito exposuit,inquiẽs. *Quæ est via ab eius cella egrediẽs,nisi Ordo,quẽ ipse vir Beatus instituit,& forma vitæ, quæ ab eo sũpsit exordiũ? Qua nimirũ via Domini dilectus ascendit.* Tene ergo sancte religiose, quod ex his visionibus habes, & inferes, regiã,& rectã viã,qua religiosus quisque æterna regna cõscẽdit, esse sui Ordinis obseruantiã. Testatur, & idem nostri sæculi decus S. Teresa,quæ mortẽ cuiusdã relig.nostri ordinis,referẽs ipsũ sine vllo igne purgatorij ad cœlum euolasse,ex diuina reuelatione tradit. Causã verò tanti priuilegij propriæ professionis,& regulæ obseruãtiã esse dicit. Hæc eius sũt verba in eius vita c.38. Hispano sermone. *Yo me espantè de que no auia entrado en purgatorio,y entendi,que por auer sido fraile, que auia guardado bien su profession, le auiã aprouechado las Bullas de Ordẽ para no entrar en purgatorio.* Quod adeò singulare esse dicit,quod quãuis pluriũ animarũ gloriã, & statũ post mortem sibi reuelatũ esse,solius tamẽ huius religiosi, B. Petri de Alcãtara,& alterius Dominicani animas,hoc priuilegio immunitatis à purgatorio,potitas esse,dicat. Ex his verò habemus quantũ bonis religiosis obseruãtia religionis afferat,vtpotè,quę nõ solũ illis ęternã beatitudinẽ prębeat,sed sine purgatorij pœnis ad cęlum euolare tribuat. Vnde meritò verba illa Pauli; *Quicumque hanc regulam secuti fuerint,pax,& super illos misericordia.* ad Gal. 6. omnibus religiosis suis Ordinis amatoribus accommodari possunt, quod facit Dorothæus,quem alij sequuntur.

Hinc apud S. Brigittam *in Prologo Regulæ Saluatoris c.2.*& 3. Religiones,quæ suas Regulas contempserunt, *vineæ dissipatæ*, nuncupantur. Et in eadem Regula *cap.28.* sic Christus reuelauit eidem Brigittæ. *Per illas vineas dissipatas, de quibus modo dixi prius*

prius quā Regulam audires, intelligo Regulas illas, quæ iam non tenentur, sicut amici mei, inspirante Spiritu Veritatis, eas dictauerunt, sed propter crapulā, & mundi delectationē à via recta recesserunt. De præmio autem eorum, qui præfatas Regulas corrigunt, easque perfectè obseruare contendunt, sic subiungit idem Christus eidem Brigittæ. *Ego, qui sum omnium cordiū scrutator, & omnium verborum auditor, si aliquos inuenero, qui Monasterij sui errorem corrigere tentauerint, suamque Regulam tenere in omnibus, quæ præcipit, scilicet in humili, & regulari habitu, in debitis abstinentiis, in fuga proprietatis, in obseruantia castitatis, & veræ humilitatis, atque in omnibus bonis consuetudinibus, cooperabor eis, & circumdabo eos dilectione mea, sicut circumdare solent vineam macerie sua, daboque eis gratiam, vt libenter se contentos reddant de solis vitæ necessariis, superfluitatem omnem contemnendo per quod occiditur talpa radices corrodens, id est Diabolica suggestio, bonas affectiones rescindere cupiens prauis concupiscentiis.* Hæc ibi congrua satis proposito nostro.

18 E contra tamen, proh dolor! quam certo sibi, improbi regulares, æternas pœnas, ob contemptū propriæ regulæ, & constitutionum asciscant, ex multis, variisque visionibus, diuinisque reuelationibus ostenditur. Et primò quidem Cassianus iā adductus clarè id expressit. Deinde mors Sansonis ob incisionem capillorum lege sibi prohibitam (erat nāque Nazaræus) illi obueniens, idem ostendit. Sed proferamus in medium horribilia aliquot exempla à grauissimis viris relata, quibus innotescet, quā acriter Deus vindictam sumat de regularibus suæ professionis transgressoribus, in hac vita, & in futura. Casus aliquot refert Illustriss. Card. Petrus Damianus l.6. epist.32. cuius verba hæc sunt. *Duo fratres alter iuuenis, alter vero senex, in possessione Classensis monasterij, quæ Raueniana dicitur, ad custodiam morabantur. Octaua sanè die ante Natiuitatem Domini, sexta scilicet feria, dixit iuuenis ad seniorem: Frater Leo (sic enim vocabatur) quomodo viuemus hodie? Cui senex: Viue* (inquit) *vt velis, Ego enim, & vinum bibā, & in solo (vt scriptum est) pane non viuam. Erat autem ille vegetus, & obesus, incolumis, & robustus. Factum est, apposita mensa, vterque discubuit. Sed iste, pane contentus, & aqua sub regularis se ieiunij disciplina cohibuit, ille verò vinum sibi, & insuper quod videbatur indulsit, qui profectò, si, quod imminebat, agnosceret, rigorem abstinentiæ ad petulantis gulæ lenocinium non molliret. Octaua siquidem die cum Dominicæ Natiuitatis gloria, mundo tripudiante, claresceret, ille defunctus est, & cum festiuitatis inuitante lætitia, cæteri prouocarentur ad mensam, ille offerebatur ad sepulturam.* Ecce intempestiuam mortem, ob fractionem regulæ, monacho obtigisse, teste Damiano. Mortem quoque æternam contemptores suæ regulæ religiosos incurrere, post aliqua interiecta, refert idem author, horribiliorem alium casum narrans per hæc verba. *In monasterio B. Vincentij, quod non procul à monte, qui dicitur Petra Pertusa distat, cernitur constitutum; vt sub districti censura rigoris quadragesimale celebraretur initium, nimirum, vt per triduum non nisi modicum panis cum aqua omnes fratres comederent, nulla, nisi lectionum, siue ordinum verba proferrēt, nudis pedibus lugubres ac mœrentes incederent, expleto communi modulatione psalterio mutua se scopum castigatione purgarent. Quod cum fratres voto, & animo, ac spirituali iucunditate non segniter agerent, quidam inter eos extitit, qui clam edendo regulam violauit.* Post hæc, & alia interiecta, pessimam istius peccatoris sanctæque transgressoris regulæ mortem narrās, hæc habet. *Mox vt sacrosanctum Mysterium de manu Sacerdotis accepit, heu proh dolor! horreo referens: cum felle simul, & animam exhalauit; quod videlicet fel vsque ad sepulturam ex ore eius effluere non cessauit ideò, vt donec in feretro corpus iaceret exanime, iugiter sanies illa pauimentum Ecclesiæ longius irrigaret. Hoc autem idcircò referre curauimus, vt audiant, & pertimescant non solum ij, qui disciplinæ regulam per propriæ voluptatis impatientiam frangunt, sed, & illi quoque, qui crimen admissum sub conscientiæ suæ vberibus confouentes, confiteri ad obitum præstolantur.* Hæc Illustrissimus Damianus, vt inde elici valeat, quantum periculum mortis æternæ transgressores regularis disciplinæ sibi incurrant. Alium quoque casum subinde refert de quodā Monasterio, quod suasu monachi cuiusdam improbi vitæ, licet dicacis, & accuratę facundiæ, officia B. Virginis omisit. Quas verò pœnas tale Monasterium incurrerit, sic narrat. *Mox aduersus præfatum Monasteriū tot aduersitatum grandines, tot vndique conflictuū exortæ sunt tēpestates, vt ipsis quotidie monachis minaces gladij necis exitiū intētarent. Fiunt vndique deprædationes, atque rapinæ, conflagrantur, cū segetibus areæ, familiares, ac serui sancti loci crudeliter trucidātur, & non iam imago mortis, sed mors ipsa grassatur, adeò vt tæderet iā monachos viuere, &c.* Eheu pœnas regularis obseruantiæ omissæ tā improbis regularibus, quam ipsis monasteriis propriæ disciplinæ transgressoribus, à Deo immissas.

19 Placuit tandem horribiliora adhuc exempla casuum referre à grauibus, & fide dignis authoribus relata, quibus clarius constabit; quantum sibi detrimentum, æternæque damnationis periculū incurrāt improbi religiosi propriæ regulæ, disciplinæque transgressores effecti. Primum affert Antonius Senensis grauissimæ religionis Chronicon texens, & cuiusdam conuentus casū referens, quā quoque adducit Martinus Delrius in suis magicis disquisitionibus l.2.c.2.S.3.Q.3. per hæc verba. *In cōuentu S. N. accidit, vt post Completorium, refectionis locum ingrederetur, cui erat illius cura cōmissa; qui mox in ingressu videt illum fratribus circumquaque refertum: & illi cappas habebant indutas, & tanquā hora foret collationis faciendæ, & illā expectarent, sedebant. Accurrit ille sine mora ad Priorem, & illud ei aperit. Prior fratrem delirum putat, vel somnia narrantem: attamen dum vrgetur, vadit, videt, & credit: & ille quoque turbatur, & rē mox cōfert cū monasterij grauioribus Patribus, & prudentioribus: de quorū consilio sacras vestes assumit, & sacrum Christi corpus deferendo, toto cōuentu comitante, se illuc confert, & ad illū sermone directo, qui honoratiore loco sedebat, eos adiurat; vt aperiant, quinam sint, & ad quid venerint, & quid velint, & vt ad hæc respondeant, illis præcipit in nomine illius Domini, quē gestabat in manibus. Vt autē, quādo Prior corā illis cōparuit cū venerabili Sacramēto, illi omnes assurrexerūt quidē, & capita inclinarunt, caputia tamen taliter demittentes, vt eū minimè viderent, & hoc facto, iterū sederunt: ita iussi à Priore, vt responderent ad proposita, inclinarunt. Tandem qui inter eos videbatur præcipuus respōdens dixit: quod ipsi omnes fuerāt eiusdē Ordinis Religiosi; & pro maiori parte Magistri, Priores, Superiores, Baccalaurei, Lectores, & aliis officiis donati, & quod omnes damnationis sententiā acceperant: quoniā ambitio multa, superbia, inuidia, & alia huius generis vitia eos fecerant damnatione dignos. Sed quod diuina permittente clementia, iussi fuerunt illuc venire, vt eos, & vniuersos Ordinis cultores commonefacerent, vt vocationi facerent satis. Nā illi quia minimè id præstiterant, omnes damnati erant, & flammis cremabantur æternis. Et in signum huius cuncti in eos aspicerent,*

Et

Et hoc dicto, omnes illi cappas aperuerunt, & singuli eorum flammis circumcincti, & incensi visi fuere, & tunc idem præcipuus, manu in mensa signum dedit, & sic illa visio euanuit, & totus conuentus mansit timore consternatus. Ecce horrendam Visionem, ex qua (si vera est) constat religiosos istos, eo quod suæ professioni, & vocationi non facerent satis, æternis pœnis, & flãmis addictos esse in æternum cremandos. Horribilem quoque aliam Visionem huic ferè similem, ex litteris cuiusdam Sacerdoris fide dignissimi, refert idem Martinus Delrius per hæc verba.

Casu accidit, vt acceptis tuis proximis litteris loquerer cum Fratre N. philosophiæ professore, qui in Salernitano Monasterio fuit Superior. Is mihi narrauit Fratrem Tiberium hominem sanctimoniæ laude præstãtissimum, qui sæpius hoc sanctitatis titulo fuit superior, sibi coram rem ita narrasse. Cum quadam die sub noctẽ Frater Tiberius, inuiseret fratres, an in lecto de more accubuerint, transiuit per triclinium: vbi vidit pleraq; lumina, & vocem audiuit hominis de superiore loco legentis, viditque plerosque ministrantes. Tandem qui superioris locum tenebat, facto super mensam signo, sic loquutus est: Ambitio, & crapula duxerunt nos ad tartara. Et nunc etiam superest velut cicatrix immensa perinde, ac si tacta esset. Hæc Delrius terribilem sanè casum referens, quem si cum primo coniungas, quàm certò sibi improbi religiosi propriæ regulæ, & professionis transgressores pœnas æternas incurrant, clarius elicies.

20 Nec iure omitti potest euentus alius terribilis valde, imo, & terribilissimus ab ipso Martino Delrio de monachis quibusdam, gulæ, Venerique deditis, quorum alter à Diabolo adhuc in hac vita degens igne assatus fuit, alter verò, etsi non talẽ subiit pœnã, pauore tamen nimioque terrore ab ipso Cacodæmone fuit perterritus. Casũ per hæc verba, neq; inelegantia refert Delr. disq. Mag. l. 3. p. 1. q. 3. sect. 2. *In Flandriæ comitatu prioratus est. Tres ibi nomine tenus monachi degebant reganfones, & cõcubinarij. Sua cuiq; nec pudor vllus aderat, simul helluari, & libidinari. Quadam die in seram noctem compotatione protracta, vnus, qui minus scelerosus, sat (ait) Baccho, Venerique datum: Deo gratias saltem. Ego verò, subinfert alius procacior, Cacodæmoni gratias ago, & agendas censeo, cui operamur. Et cum risu mensa relicta ruitur in cubilia. Singuli cum scorto vix decubuerant: ecce tibi in triclinium, vt ianua reserata, Dæmon magni, atri, & trucis viri specie, habitu venatorio, & cũ eo coci duo paruuli, obambulat, lectos circunspicit toruo vultu. Deinde horrenda voce: Vbi qui mihi gratias egit? Adsum: referam. Lecto abstrahit pauitantẽ, & ferme præ metu animam efflantem. Traditum cocis iubet infigi veru, & luculento igne probe assari. Parent prõpte. Assatur infelix, emoritur planissimè, cæteri fere præ formidine; assi corporis nidore cubiculum impletur. Demũ venator ad superstites sub stragulis trepidãtes vix viuos. Digni vos etiam (ait) pari supplicio, nec deest voluntas mihi. Vetor vi maiore. Inuitus abeo, & moneo, resipiscite, aut manẽt terribiliora. Disparent laruæ nec tamen his aliis animus rediit, vel vox, nisi clara iam luce. Vbi surrexere collegam inueniunt mortuũ, (& ne visum inane putes) plenè assum. Haud scio, an ab aliquot sæculis quidquã ad exemplum vtilius acciderit, scio locũ, & Ordinem, sed vtrumque silentio inuoluo.* Hæc Delrius, tremendũ satis horribilemque casum referens, quem si adductis iam adiungas, simulque cum testimoniis S. Patrum, quæ hoc capite adduximus conferas, inuenies certè, integram, & inuiolatam regulæ, & regularium sanctionũ custodiã religiones, ipsarumque religiosos in æternũ regnũ custodire: ex opposito etiã propriæ professionis transgressores, sibimet, totique religioni interitũ parare. Hoc ipsũ caput sequens etiã de minoribus obseruantiis sedulò demonstrabit.

Interim tamen mitiora exẽpla de aliis qui ob leues culpas Purgatorij pœnis addicti sunt, hic placuit apponere. Hildebert. Episcopus, & Hugo Monachus scribunt in vita S. Hugonis Cluniacensis, sępe ab eo commonitum Durannũ Monachũ qui posteà Tolosanus Episcopus fuit, vt à ridiculis quibus malè assueuerat, se tẽperaret, prædicens fore, nisi se in hac vita corrigeret, vt post mortẽ tumentibus labiis, & spumoso ore appareret. Obiit non emendato vitio. Apparet, vti prædixerat Hugo, Sacerdoti Siguino, proferens ora tumida labiis vlcerosis. Petiit auxiliũ, vt è Purgatorio eripiatur; & per silentiũ septẽ Monachorũ per septẽ dies accuratè seruatũ S. Hugonis iussu, è pœnis Purgatorij ereptus est. Scribitur etiam in eius vita Monachũ defunctum, nec dũ humatum, duobus aliis Religiosioribus Monachis apparuisse. ac dixisse, duos solidos per licentiã sacristæ sub quo militabat, suo proprio expendisse arbitrio, dilatamque sibi ex hoc requiẽ æternam, Abbati narrata res est, in Capitulo repetita, discussa culpæ grauitas, ne pro dãnato flãmis æternis oraretur. Inuẽta est venialis, proinde, tum suffragiis ardentiorũ precum, tum propẽsiore eleemosynarũ largitione, quibus detinebatur vinculis solutus est. Cæsar. etiã lib. 12. Mir. c. 31. scribit de Priore Cœnobij Clareuallẽsis, qui quoniã valde sollicitè ampliabat Monasterij prædia, & de Sacerdote, qui cũ puer esset, germano fratri obolũ erat furatus addictos Purgatorio. Heroltus quoq; Dominicanus aliũ Religiosũ narrat vsq; ad diẽ iudicij mancipatũ Purgatorio, quia tepide, & neglectim adimpleuerat pœnitentias impositas. 21

SVMMARIVM

Minimarum etiam obseruantiarum custodia suffulcit ordinem, earum verò contemptus religiones dissipat. num. 1.

Vrba D. Anselm. Cantuariens. Antistitis ad intentum referuntur. n. 2.

Ordo, qui negligit modica, paulatim decidet. n. 3.

Plurium Religionum miserabilis casus ex contemptu minimarum obseruantiarum. n. 4.

Testimonia S. Scripturæ ad rem exponuntur. n. 5.

Quanto conatu antiqui Monachorum Patres minimas obseruantias Regularibus commendent. n. 6.

Monitum singulare D. Ephrem de minimis obseruantiæ punctis. n. 7.

Gregorius Nazianz. huius instituti astipulator affertur. n. 8.

Mens Christo dedita æquè & in maioribus, & in minoribus intenta est. n. 9.

Omnia Religionis instituta siue maxima siue minima obseruanaa esse præscribit Augustinus. n. 10.

Ioannes Cassianus affertur ad propositum. n. 11.

Exultationem præbent Diabolo Monachi minima contemnentes. n. 12.

Quid de minimis obseruantiis dixerit D. Bernardus. num. 13.

Paruæ negligentiæ, vt venena Diaboli respuendæ. n. 14.


Quam multus sit D. Bonauent. vt moneat Monachos circa obseruantiam rerum minimarum. n. 15.

Qui timet Deum, nihil negligit. n. 16.

Regulæ obseruantia ad minimas quoque negligentias extendenda. n. 17.

Idem verbis Dacriani Abbatis commendatur. n. 18.

Quæ circa præsentem causam dixerint Blossius, & Trithemius. n. 19.



CAPVT VI.

Minimarum etiam obseruantiarum custodia suffulcit ordinem, earum verò contemptus religiones dissipat.

1 Dilucidè satis capite præcedenti ostendimus, regularem obseruantiam, religiones ipsas, ipsarumque professores, in suo nitore, viriditatéque tueri; è conuerso tamen regularis disciplinæ contemptum, toti Ordini, eiusque professoribus, exitiosissimum interitum adducere. Verum enimuerò, sciolus forsan aliquis, nec multum regulari disciplinæ addictus, hæc solum de maioribus obseruantiis, non de minoribus, aut minimis defectibus dictum putet. Vt verò de vtriusque idē iudicium respectiue habendum esse constet; ideò pro minimis etiā obseruantiis tuendis caput præsens instituitur.

2 Et quidem minimarum etiam obseruantiarum custodiam totum Ordinem fulcire, earumque contemptum, totum etiam Ordinem euertere, adeò clarè Patres tradiderunt, vt nulla tergiuersatione oppositum defendi queat. Clarissima en verba S. Anselmi Cantuariens. Antist. Ep. 6. ad mon. *Certissimū est, quod in multis Ecclesiis experimento didicimus, quia in monasterio, vbi minima districtè custodiuntur, vbi rigor monachorum inuiolabilis permanet, ibi pax inter fratres, & capituli proclamationes conquiescunt. Vbi verò minimi excessus negliguntur, ibi totus Ordo paulatim dissipatur, & destruitur.* En Anselmum, & intentum nostrum, & illud certissimum esse, clarè proclamantē. Dixerat autem in antecedentibus. *Nostra negligentia sæpissimè incipit à minimis, in quibus nos callidus hostis solet decipere, cum nobis persuadet ea non magni pendere. Inde namque sequitur illud damnum execrabile, quod legitur: quia qui spernit modica, paulatim decidet.* Post alia hæc subiungit. *Si ergo de virtute in virtutem, & de profectu ad profectum vultis ascendere; semper timete in singulis minimis Deum offendere. Nō debetis considerare quàm parua res sit, quam contra prohibitionem facitis, sed quantum malum sit inobedientia, quam pro parua re incurritis.* Hæc Anselmus Cistrensis Cœnobij regulares singulos monens, nostrumque intentum clarè confirmans.

3 Audiatur ad idem Seraphicus Bonauent. q. 18. c. regul. rem totam vnico verbo concludens. *Ordo, qui negligit modica, paulatim decidet.* Nil breuius, certius, aut verius.

Clarius S. ille Florentinorum decus Antoninus; plurium etenim religionum miserabilem casum referens, dum lamentabilis huius ruinæ causam tradit, non aliam assignat, nisi minimarum traditionum, & obseruantiarum cōtemptum, his verbis. *Præfatæ religiones, quæ cum magno feruore, & vitæ sāctimonia initium habuerunt, minima negligentes, traditionum paternarum in processu temporis paulatim defluxerunt, & exinanitæ sunt vsque ad fundamenta in eis.* Hæc Antoninus. Quibus, minimarum obseruantiarum custodiam religiones tueri, earum verò contemptum ipsas perdere manifestè liquet. 4

Idipsum quoque sacræ Paginæ docemur testimoniis, quæ potiori iure de religiosis perfectionis regulam professis, quam de sæcularibus, qui solū communioribus legibus ducuntur, intelligenda veniunt Primo etenim Cant. 2. clamat Sponsus. *Capite nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas: nam vinea nostra floruit.* Vbi per *vulpes paruulas* D. Bern. ser. 64. in Cantic. parua quædam peccata *specie quidem virtutes re autem vitia*: monachis insidiantia intelligit. Eas verò capi clamat Sponsus (ait Honorius) *Dū falsos fratres ad regulam iustitiæ corrigit, aut incorrigibiles de cœtu fratrum repellit, ne vineam suffodiant, id est ne congregationes Iustorum subuertant.* Quemadmodū enim paruæ quædam bestiolæ vinearum vites importuno morsu rodentes, & fructu priuant, totamque vineam perdunt; sic etiam praui religiosi minimas obseruantias Ordinis negligentes, & se ipsos fructu disciplinæ destituunt, & totā religionis structuram dissipant. Id ipsum secundo Ecclesiasticus comprobat, dum inquit. c. 19. *Qui spernit modica, paulatim decidet.* Quod quidem non solum in particularibus religiosis, sed, & in cōgregationibus ipsis cordatus quisque quotidiana experientia compertū reperiet. Ea namque religiosa congregatio, quæ minimarum rerum obseruantia nitet, in florido quoque statu religionis viget, quæ verò miserè minima spreuit, in maximis quoque deliquisse, & tandem à perfectionis fastigio cecidisse, manifestè conspicitur. Optimè ad id quoque Salomon. Eccl. 10. *In pigritiis (inquit) humiliabitur contignatio, & in infirmitate perstillabit domus.* Ac si diceret, quemadmodum, vt sæpius contingit, contignatio aliqua, vel tectum domus penitus corruit, si piger fuerit is, qui domū inhabitat, eo quod debitam reparationem impendere negligat, trabibus ex frequentia guttarum pluuiæ malefactis, sic etiam religiosus ille, qui propter pigritiam, paruas negligentias negligit, tandem in barathrum perditionis humiliabitur. In quem sensū trahitur hic locus ab Hugone, cum de regularibus vsurpans. In hunc quoque sensum exponit Cassian. coll. 6. c. vlt. hūc locum, vt probet, quod nemo subitanea ruina collabitur, sed aut praua institutione, aut per longam mentis incuriam. Confirmat præterea ex illo Prouerb. 16. *Ante contritionem præcedit incuria:* (quamuis in Vulgata legamus: *Contritionem præcedit superbia.*) Sed idem est sensus vtriusque: Est enim, ac si diceretur: Antequam religiosa domus, vel familia sanctitatis fastigio cadat, præcedit incuria obseruantiæ regularis disciplinæ, ex superbia, quæ est radix omnium malorum regulariter. 5

Hinc Patres monachorum antesignani magno conatu, & affectu obseruantias has paruas, seu minimas, regularibus commendāt. Ex quibus magnus Basilius in suis constitutionibus monasticis monachos instruens, curā rerum minutarū, sic monet. *Atque etiam intelligendū illud est debere pietatis cultorē, viliora* 6

viliora etiam munera, magno cum studio, magnaque cum animi alacritate, suscipere: scientem, nihil minutum esse, quod Dei causa fiat sed grande, & spirituale, & eiusmodi, quod cælum nobis, & præmia cælestia conciliat. Optimè sanè,& pulchra ratione fulcitum, quod, & à religiosi mente discedere non deberet, *nihil* scilicet esse *minutum, quod Dei causa fiat.* Alibi quoque scilicet in principio 2. tom. sic habet. *Stude, vt maiorum virtutum compos efficiare, neque minores tamen negligito*, Rursusque. *Nullum omnino sit erratum, quod paruipendas; quamuis illud tenuissima Bestiola minutius sit.*

7 Ad idem intentum S. Ephrem Syrus nouitium monachum, circa obseruantiam regulæ in minimis punctis, sic monet *In Cœnobio agens à legitima, & Apostolica regula ne declinaueris. Quæ enim parua esse videntur debita non afferunt exiguum, aut qualecumque detrimentum.* Quibus verbis, non solum minimarum obseruantiarum custodiam, *legitimam & Apostolicam regulam*, vocat, sed earum contemptum, magnum detrimentum afferre, totius scilicet Ordinis dispendium (vt ex Patribus vidimus) monet.

8 S. quoque Gregorius Nazianzenus, Theologus nuncupatus, orat. 3. cõtra fæminas se ornantes, non incongruè nostri instituti astipulator affertur. Religiosam namque fœminam monens, qualiter se in minimis habere debeat, sic docet. *Illud velim ne ignores, rugam vnam tibi turpiorem esse, quam maxima vulnera iis, qui in mundo viuunt. Quo maiore studio tibi prospiciendum est, ne quid professione tua indignum admittas. Neque enim tam notabilem, ac conspicuam in sordidis, quam in puris, vniusque, & eiusdem coloris vestibus, labes aliqua fœditatem habet.* Luce clarius innuens minimos defectus maiorem maculam religiosis afferre, quam maiores culpas vulgaribus sæculi hominibus.

9 S. Hieronymus Ecclesiæ iubar sic iuuat nostrum intentum in Epistola ad Heliodorum. *Mens Christo dedita æquè, & in maioribus, & in minoribus intenta est; sciens etiam pro otioso verbo reddendam esse rationem.* Hæc ex Hieronymo.

10 Accedit Magnus Pater Augustinus in Epistola quadam regulares omnes exhortans, siue magna sint, siue parua religionis instituta obseruanda esse. *Hæc* (inquit) *saluberrima regula tenenda est, vt quæ non sunt contra fidem, neque contra bonos mores, & habent aliquid ad exhortationem vitæ melioris; vbicumque institui videmus, vel instituta cognoscimus, non solum non improbemus, sed etiam laudando, & imitando sectemur.* Generalia sunt hæc Augustini verba, sicque generaliter accipienda, vt omnia religionis instituta, siue maxima siue minima *imitando sectemur*, vt ipse loquitur.

Sed clarissimè idem Augustinus *in epistol. ad Seleucian.* ait: *Minuta plura peccata si negligantur, occidunt.* Appositis etiam similitudinibus *in lib. de Decem corol. cap.* 11. id sic explanat. *Attendite, fratres mei, minuta sunt, non sunt magna; non est bestia quasi Leo, vt vno morsu guttur frangat; sed bestiæ plerumque minutæ necant, si proycitur quisquam in locum pulicibus plenum, num quia non moritur? non sunt quidẽ maiores, sed infirma est natura humana, quæ etiam minutissimis bestiis interimi potest. Sic & modica peccata attendite, quia modica sunt, & cauete, quia plura sunt; quam minutissima sunt grana arenæ? Si arenæ amplius in naui mittatur mergit illam vt pereat. Quam minutæ sunt guttæ pluuiæ, non ne flumina implent, & domos deiiciunt? Ergo ista nolite contemnere.*

11 Accedit Ioannes Cassianus antiquus heremita coll. 6. c. 17. qui præter ea, quæ superius adduximus, affert quoque alia proposito nostro congruentia. Sic ergo monet monachos circa paruas, aut leues negligentias in regulari disciplina cauendas. *Si parua, aut leuia negligantur, corrumpunt tigna virtutum & post hac influunt imbre largissimo vitiorum stillicidia passionum.* En fructus ex minimarum obseruationum contemptu religiosis proueniens, corruptio scilicet virtutum, & colluuies vitiorum.

12 Satis quoque ad intentum deseruiunt quæ Eusebius Emissenus hom. 5. ad monachos scripsit. *Exultat aduersarius noster, quando nos videt maxima contempsisse, & in minimis postea vincit.* Vt vel hinc discant monachi qui maiores obseruantias solerti cura custodiunt, minores quoque contemnendas non esse ne gaudium, & exultationem aduersario nostro præbere videantur

13 Dulcifluus quoque, & Sanctissimus Doctor Bernardus, totius bonæ doctrinæ prædicator egregius, hanc etiam de minimarum obseruationum custodia monachis, sæpius intimauit. Et primo quidem in tractatu de ordine vitæ celebrem hanc, pro hac causa tuenda, sententiam protulit. *Mens Deo dicata, sic caueat minora vitia vt maiora; quia à minimis incipiunt, qui in maxima proruunt.* Vtinam hæc à religiosa mente nunquam caderent. In sermone quoque quodam idem Bernadus talia habet ad intentum, vt vix credi possit, quam seuera censura inurat eos, qui paruas negligentias corrigere non curant, *Cauete* (inquit) *deinceps fratres, ne quis parua reputet Nemo dicat in corde suo leuia sunt ista, non curo corrigere, non est magnum si in his maneam venialibus, minimisque peccatis. Hæc enim dilectissimi impœnitentia, blasphemia in Spiritum sanctum, blasphemia irremissibilis.* Tremenda sanè, & omnium religiosorum auribus terribilia verba, quibus Bernardus monachum contemnentem minima suæ religionis statuta, impœnitentem, blasphemum, & irremissibilem compellare videtur. Ad hæc in sermone alio exponens illud Ioannis. *Qui lotus est non indiget, nisi vt pedes lauet.* hæc habet ad propositum. *Lotus est, qui grauia peccata non habet; cuius caput, idest intentio & manus, id est operatio, & conuersatio munda est: sed pedes, qui sunt animæ affectiones, dum in hoc puluere gradimur, ex toto mundi esse non possunt, quin aliquando vanitati, aliquando voluptati, aut curiositati plusquam oportet, cedat animus, vel ad horam: In multis enim offendimus omnes. Verumtamen nemo contemnat aut paruipendat. Impossibile enim cum eis saluari: impossibile est ea dilui, nisi per Christum Iesum, & à Christo. Nemo (inquam) perniciosa securitate dormitet: declinans in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis: quoniam (vt audiuit Petrus ab ipso) nisi lauerit ea Christus, habebimus partem cum eo.* Hæc & alia plura ad intentum ex Bernardo excipi valent.

14 Audiatur modo grauis author Cæsarius Præsul. in homil ad mon. apud Dion. Carth. de ref. claustr. cap. 6. qui monachum, sic monet circa obseruantias, etiam minimas religionis. *Cum summa humilitate, & ingenti solicitudine admonemus, vt non solum peccata criminalia caueamus, sed & paruas negligentias quotidie, quasi venena Diaboli respuamus.* Satis clarè in his habemus intentum, simulque *paruas negligentias, quasi venena Diaboli respuendas.* Pulchro etiam exemplo nauis, quæ etiam in

in portu consistens minutis guttis submergitur, rem totam declarat inquiens *Sicut nauis posteaquam de pelagi fluctibus euaserit, si in portu sencinata, seu custodita non fuerit, de minutis guttis impletur, ac mergitur; sic, & monachus deuictis huius mundi criminibus, quasi periculosis fluctibus, cum ad portum Monasterij aduenerit, si ibi subrepentia, minuta, & quotidiana peccata de animæ suæ sentina exhaurire neglexerit; in ipso portu Monasterij crimen incurrit naufragij.* Hæc velim ab omnibus religiosis in mentis promptuario recondi, vt vel sic non solum grauia peccata, sed minimos quoque defectus sibi fugiendos esse nouerint. Clarius idem Cæsarius, eodem quoque Dionysio teste in sermone 6. ad Dom. 1. post Natiuit, sic ait *Qui sola capitalia crimina cogitat, & contra ipsa tantummodo pugnare contendit, atque de paruis peccatis, paruam; aut nullam solicitudinem gerit, non minus incurrit periculum, quam si maiora committeret crimina.* Hæc ille.

15 Sed quis Seraphicum D. Bonauenturam pro re tam sancta loquentem non desideret? Multus igitur est sanctus hic Doctor in monachis admonendis circa obseruantiam regularem in minimis quoque institutis. Et primo iam vidimus in hoc capite ipsum dicentem. *Ordo, qui negligit modica paulatim decidet.* Alibi quoque, sic habet. *Nec minimum est contemnere minima, quæ non minimam moribus maculam, eo turpius neglectus habita ingerunt, quo vitari facilius cognita valuerunt.* In eodem quoque opusculo, sic. *Si curare parua negligimus sensibiliter seducti audenter etiam maiora perpetramus.* In Alphabeto etiam suo monachum, sic instruit. *Time Deum offendere in minimis negligentiis, & defectibus.* Rursus idem S. Doctor, dum de modestia religiosis necessaria loquitur, sic habet. *Hæc, & similia non sunt, vt minima temerè aspernanda.* Rationemque subiungit. *Clara nonnumquam conuersationis insignia quædam in minimis offuscant ineptiæ. Plerumque modicis paulatim per incuriam subrepentibus maculis, tota morum congeries inquinatur.* Demum in tractatu de speculo disciplinæ religiosum minima spernentem, tepidum vocat, & vt talem ab aliis dignoscendum. *Tepidus* (inquit) *in conuersatione, otiosa verba, & vanas cogitationes noxias esse non conspicit: vitatis grandibus, reliqua omnia vix reputat imputanda.* Audiant hæc religiosi omnes, & si volunt esse quod dicuntur, Bonauenturæ verba timeant & minimos defectus in obseruantia regularis disciplinæ omnino sibi cauendos esse credant.

16 Pius quoque, & sanctus author Dionysius Carthusianus non semel, sed sæpius intentum nostrum confirmat. Sermone ergo 6. de Dom. 3. quadrag. sic dicit. *Iustitia nostra* (scilicet monachorum) *est vt ea quæ Ordinis nostri sunt, strenuè obseruemus, & vocatione hac dignè coram altissimo ambulemus. Sicque minora, imo, & minima, seruemus cum diligentia nobis possibili, sicut maiora, & maxima. Dicit enim scriptura: Qui timet Deum nihil negligit. Itemque, qui negligit modica paulatim decidet.* Item ser. 5. de Dom. 12. post Trinitatem, hæc habet: *Vitanda est nobis omnis consuetudo mala etiam in peccatis, quæ parua videntur, vt in euagatione oculorum tempore diuinorum, in visu, & leuitatis cuiusque indiciis, & præsertim in fractione silentij. In negligentiis quoque in orando, psallendo, meditando; & celebrando, confitendo,* &c. Et infra. *Quantumcumque etenim culpa modica videatur, tamen in consuetudinem ducta valde grauatur.* Legatur sermo 4. in festo sanctæ Catharinæ, vbi multa ad hoc intentum.

Adstat modo Sanctus Laurentius Iustinianus disciplinæ monasticæ deuotissimus, qui & regulæ obseruantiam monachis suadens, ad minimas quoque negligentias cauendas extendi debere, sic comprobat. *Qui enim in paruis negligens est, sublimium donorum omnino indignum se facit, at qui in paruis fidelis existit, spiritualium ditabitur multitudine gratiarum.* Apposuit vobis, ô monachi, Iustinianus ignem, & aquam vt qui in paruis negligentes estis, sublimium donorum indignos vos faciatis, qui tamen in paruis fideles extitis, spiritualibus ditemini gratiis. 17

Dacrianus quoque Abbas inter Bibliothecæ Patres relatus, dum in suo monachorum speculo, ipsos ad propriæ regulæ obseruantiam promptè, fideliterque exequendam hortatur, adeo id præstat, vt qui huic muneri libenter non incumbit, indignus monachi vocabulo, ab ipso reputetur, vt nouerint monachi, etiam ad minimas obseruantias, eorum curam extendendam esse. *Si quæ humilia, & simplicia sunt contemnere audes, monachus non es, si spiritali patri in omnibus, quæ mala non sunt promptè, fideliterque obtemperare negligis, monachus non es. Si à diuino officio, & cæteris actionibus conuentualibus te libenter subtrahis, monachus non es.* Clarius inferius. *Si rem etiam exiguam dare, mittere, recipere, & tenere absque superioris scitu, permissioneque præsumis: si ordinationes sanctæ religionis quantumuis modicæ sint parui facis, easque volens transgrederis, monachus non es.* Pulchrè certè, nostroque proposito congruenter satis. Vt vero nouerint religiosi omnes, quantum sibi malum asciscant, cum minimas obseruantias spernunt, simulque vitia; quæ ob talem neglectum incurrant, subiungam sanè, quæ pius hic Abbas in eodem opusculo apposuit; quibus & intentum nostrum, & ea, quæ superius diximus innotescunt. *Peruersi* (inquit) *monachi, & delinquunt, & delinquere non oderunt, nec cauent. Leuium enim culparum, nec affectus extinguere, nec occasiones vitare, laborant: libertatem laxioris vitæ desiderant: à diuino officio, cæterisque actionibus conuentualibus abesse gaudent: delicatum, superfluumque cibum, aut potum percipere gestiunt: opportunitates nugandi exquirunt: inordinati risus solatia affectant: sæcularia audire: vana videre, curiosa in suos particulares vsus accipere ardent propriam complacentiam, ineptam lætitiam, otium, vaniloquia, fabulas gestus incōpositos, cæteraque huiusmodi vitia, aut non esse vitia, aut vix esse vitia, iudicant; sine scrupulo conscientiæ ea admittunt. Nimirum insensibiles effecti vulneribus acceptis, se sanos existimant; ob idque, nec mala sua plangere, nec vitam corrigere student. Sed quid dicunt? Non sunt* (inquiunt) *vulnera, aut si sūt vulnera admodū parua, & fere nulla sunt. O monachos infelices, ô monachos dementes, ô monachos non monachos! Nam quantumlibet parua vulnera videantur, quia tamen nec cauent, ne ea suscipiant, nec postquam susceperint, debitam curam adhibent, omnino mortifera redduntur. Vt interim omittam, quod etiam ex tali negligentia frequenter, ipsi in superbiam, rebellionem, inobedientiam, murmurationem, furorem, detractionem, odium, inuidiam, contemptum, & alia enormia peccata corruunt.* Audiant hæc, & obstupescant negligentes religiosi (si qui sunt) & in posterum minimarum obseruantiarum se cultores exhibeant, ne in similia misere cadant. Vnde idem Dacrianus, sic tandem cōcludit. *Noli fratrer, noli hoc imitari: nec ex veris Crucifixi discipulis,*

discipulis, & dilectis Dei amicis sunt, sed nec poterunt, quandiu non desierint esse tales, quales sunt. Vt ergo Crucifixi discipulus iure nomineris, necesse tibi est in minimis quoque regulæ obseruantiis sectatorem te præbere.

19 Nec grauabor sanè, quæ duo Benedictini monachi circa præsentem causam, de minimis obseruantiis à regularibus excolendis tradiderunt, in mediũ proferre. Alter est pius auctor Ludouicus Blossius in spec. mon. (nisi forte sit idem cum Dacriano relato, vt quidam putant) qui adeò minimarum obseruantiarum Ordinis zelator fuit, vt monachum illarum contemptorem monachi nomine indignum censeat. Sic verò loquitur. *Si paruipendes constitutiones, & ordinationes sacræ religionis, quantumuis paruæ sint, monachus non es.* Alter est grauissimus, Trithemius Abbas hom. 12. de mon. qui comparans monachum aureo vasi, in quo nullus næuus, nullaue macula à Principe admittitur, sic loquitur. *Parua in aureo vase macula multum in conspectu potentis displicet: si curuum sit fictile, nemo detestatur. Monacho delinquente in modicis, clamor multorum contra illum ingens oritur quoniam auro conuersatio eius comparatur.* Hæc Trithemius antiquiorem patrum doctrinam sequutus, manifestéque monachos monens, vt paruas negligentias, quæ eorum sanctitatem maculant, non spernant.

Harum autem minimarum obseruantiarum eximiam zelatricem B. Magdalenam de Pazzi in medium producere æquum erit. Etenim prout in vita sua *cap. 64.* habetur. *Quando inchinaua la testa al recitare* Gloria Patri, & Filio, &c. *Faceua vn'atto tanto intenso diporgere la testa al carnefice per la gloria di Dio, che vna volta, come sopra è detto, rimase in tal pensiero estatica: & altre volte fu auuertito dalle sue Nouizie, che in tal'atto diueniua, per questo pensiero, pallida, è tremante, come se fusse in atto di martirio.* Et vltrà. *Non solo recitaua le diuine lodi, è gli vfficij con allegrezza, è diuotione, che sopra è narrata; mà haueua ancora vn particolar Zelo, che da tutte le creature, è specialmente nel suo Monastero, dalle Monache si recitassero in Coro i diuini vfficij con ogni affetto, è riuerenza maggiore. Perciò, quando sentiua il cenno della campana, che chiamaua al Coro, faceua conto, che fusse la voce di Dio, è diceua all'altre, che seco si trouauano;* Ecco la voce di Dio, che ci chi ama, non lasciamo d'vdirla, nè d'eseguire quel, che vuole da noi; andiamo à lodare Dio. *E se vedeua, che alcuna fusse negligente nell'andarui, ò che per piccola occasione lo lasciasse, ne sentiua grande amaritudine, è quando lè si porgeua occasione, glie ne daua lume. Medesimamente se vedeua, che gli vfficij s'affrettassero, diceua:* A me non dà il cuore dispedire le diuini lodi, come si spediscono l'altre faccende del Monastero. Ecce quam sedulè etiam minimarum obseruantiarum custodiæ addictissimam esse hæc Beata Virgo se aliis ostendebat.

20 Nec mirum sanè adeò sollicitè pro minimis obseruantiis custodiendis hos Patres sedulò se præbuisse zelatores. Religio namque in illarum obseruantia præcipuè versatur. Hinc aliqui religionem, tàm pro statu, quàm pro virtute per huiusmodi paruas obseruantias (cæremonias intelligo) definiunt, ex quibus Albinus Flaccus, sic. *Religio est, quæ superioris cuiusdam naturæ, quam diuinam vocant, curam, cæremoniasque affert.* Angelicus quoque Doctor. *Religio est, per quam homines Deo cultum, & reuerentiam exhibent,* Laurentius etiam Iustinianus ferè eodem modo, sic. *Religio est, quæ cuique superiori curam, cæremoniamque affert.* Hinc quoque Seraphicus Bonauentura cæremoniarum obseruantiam sæpius religiosis intimauit. In speculo disciplinæ, sic habet de cœremoniosa inclinatione loquendo.

In inclinatione debet deuotio apparere, vt fiat humiliter, & profunde. Non est deuoti sed pigri, rigido stante corpore; tenui motu corporis inclinare. Est enim corpus, depressis aliquantulum renibus, adeo demittendum, vt ipsum ferè super genua, brachiis interpositis reclinetur. Alibi quoque qualiter religiosi versum; *Gloria Patri*, vel similem memoriam Trinitatis Sanctissimæ, inclinati dicere debeant, simulque imperfectorũ regularium quoad hoc vitia taxando, sic docet. *Quando post psalmum, vel hymnum Sanctæ Trinitati reuerentia exhibetur, humiliter, & decenter inclinent. Tunc enim tardius surgere, segniter, ac deformiter inclinare (vt quando corpore quidem demisso sufficienter, vultus tamen indecenter erigitur, oculis erraticè circumlatis; imperfectè quoque ad memoriam Trinitatis inclinationis venerationem exsoluere (quasi sit honoris differentia in Personis) irreuerentiæ arguit.* Alio quoque loco simile vitium in religiosis reprehendit, simulque quandam Reuelationem Beatæ Virginis ad hoc intentum adducit. *Sunt* (inquit) *qui culpabili admodum remissione traducti hunc reuerentiæ cultum Domino subtrahentes euacuant; dum aut resident prorsus, vsque post factam memoriam Trinitatis, aut tunc etiam surgunt, & sedili eleuando intendunt, quando fuerat inclinandum, aut ex negligentia non inclinant.* Post hæc subiungit Dei genitricis Reuelationem sic. *Quantum tamen sit hæc noxa detrimenti B. Dei Genitrix seniori cuidam in choro psallentium fratrum indicasse refertur, quæ inclinantibus ad sanctæ memoriam Trinitatis suum ipsa filium singulis offerebat: quemdam verò minimè inclinantem verso ab eo vultu, veluti indignum hac gratia pertransibat.* Hac forsan de causa, idem Bonauentura spiritu Dei agi, eos, qui cæremonias religionum obseruant, eos vero, qui illas respuunt, superbos, & fatuos esse docet, inquiens. *Proinde, qui spiritu Dei aguntur, moralibus documentis intendunt, quæ tamen superbi, & fatui contemnentes, nunc superstitiones, nunc cæremonias vocant, aut certè calumniis fucatis impugnant.* De istis etiam (vt puto) Ioannes Rusbrochius in tabern. c. 123. loquitur, dum inquit, improborum regularium vitia lamentans. *Si quis inter eos sit pietati deditus, simplex, & timens Deum, & qui Patrum instituta, ac canonem monasticum obseruare velit, illum habent contemptui.* Maximè quoque de his loquitur Lanspergius serm. 3. in solemnitate sancti Michaëlis dicens. *Deuotio, & reuerentia faciunt, vt veniæ, genuflexiones, supplicationes, & inclinationes nostræ, non ita perfunctoriæ, atque steriles, & ita pene sint mortuæ, hoc est, intentione, ac spiritu carentes (sicut quorumdam esse timeo) sed viuæ, atque ex pietatis, deuotionisque feruore, quasi modo primum genitæ, siue elicitæ, per intentionem tunc vrgentem Deo offerantur, atque in eum referantur.* Debent ergo Sancti, pijque religiosi, his, & aliis Diaboli retibus superatis, ad normam sui Ordinis attendentes, omnes obseruantias, siue maximæ sint, siue modicæ, eas præcipuè, quæ ad Cultum Dei, Sanctorumque reuerentiam spectant, quasque cæremonias vocant, ad vnguem integrè, fideliter, promptéque custodire. Ad quod maximè verbis Ioannis Nider in tractatu 2. cap. 22. dicentis. *Quando reformatio non inchoatur cum cæremoniis, postmodum vix se permittunt religiosi ad altiora subleuari* Vt ergo oppositum accidat, necesse est pios, sanctosque regulares cæremoniis plurimum addictos esse.

Diuina quoque visione poterit regularibus in- 21

 notescere

notescere, quantum paruæ istæ negligentiæ in regularibus obseruantiis ipsis noceant. Fertur enim de Hugone Victorino, pio alias, & religioso Doctore, magnam pœnam subiisse post mortem eo quod disciplinas, quas communiter religiosi suscipiunt, ipse renuisset. Casum per hæc verba refert Ioannes Nider tractatu tertio de fructibus religionis cap. 8. *Disciplinas regulares apud religiosos consuetas deuotus, & litteratissimus Hugo de S. Victore, propter teneritudinem corporis in vita aliquando fugisse legitur, cum generaliter inferebantur conuentui. Vnde post mortem, quando statim eius anima ad cœlum ascendere debuit, vix aliquod Dæmoniorum (quorum caterua magna in via astitit.) euadere potuit, qui ei alapam non infligeret.* Ex quo liquescit, quod pro disciplinis regularibus, quas omisit, Diabolicas alapas sustinuit.

Hinc religiosus quidam, qui minus modestè in lecto iacuisse repertus est, Beatissimæ Virginis Mariæ fauorem, quem aliis sociis ipsa præstabat, obtinere non meruit, prout ex Patrum Dominicanorum historia, & Siluano Razzo *lib 3. de miraculis Beatæ Virginis numero* 45. refert *in sua disciplina regulari* circa illa verba Regulæ Carmelitarum *cingulo castitatis* noster Hieronymus Gratianus, sic. Leggesi nell'historia di San Domenico, che venendo quel Santo dal Choro doppo Matutino, vidde nel Dormitorio tre Verginis risplendenti, vna delle quali haueua in mano vn vaso di Christallo con acqua benedetta, l'altra vno spargolo, e la Signora di quelle andaua aspargendo tutte le Celle de Frati, mentre essi dormiuano, e trapassonne vna senza gettarle l'acqua, e desiderando San Domenico sapere chi loro fossero, si getto loro à piedi dimandolla del suo nome; rispose la Signora; questa è Cecilia, è quest'altra è Caterina; & io sonu quella, alla quale ogni notte, cantate nella Salue; *Aduocata nostra*; e tengo cura de' miei Frati mentre dormono; mà il Frate di quella Cella non giace in letto in quel modo, è con quella modestia, che conuiene; Et era cosi la verità, come egli stesso confessò poi à San Domenico.

Addam & ad intentum congrua, quæ Laurentius Beyerlinck *in Theatro vitæ humanæ tomo 6. verbo Religiosus Religio* ex Surio in vita S. Roberti de ipso sic refert. *Nocte quadam S. Robertus Abbas Monasterij Ordinis Cisterciensis in Anglia vidit malilignum hostem ad chori aditum consistere, & conari quidem sæpius ingredi, sed frustra tamen. Habebat formam rustici præcincti, longis, ijsque nudis tibiis, ferentis à tergo sportulam, & ad pectus lignum funibus innexum. Cœpit porrò producto collo circumire chorum, oculos in fratres attente conijcere, si quid forsitan posset sibi gratum in aliquo cernere. At viro Dei instantius orante, & fratres à torpore excitante, improbus explorator diu frustra expectans, cum nihil se proficere videret indignabundus ad chorum fratrum Conuersorum se contulit, illic quoque cunctos curiosè contemplans. Si quos videret somnolentos, cachinnans spreuit: si noxiis cogitationibus occupatos, mirum in modum tripudians applausit. Tandem inter nouitios reperit iuuenem quendam animo ad illicita euagantem; nec nisi solo corpore illic præsentem, immo etiam clandestinam fugam meditantem. animaduertens igitur illum suæ sortis esse, fuscinula apprehensum in fiscellam suam coniecit, & celeriter inde se præripuit. Cernens id vir sanctus, multum pro illius salute anxius, & sollicitus, mane diligenter eum iussit inquiri. Sed ille ante auroram vagus, & profugus, excusso suaui iugo Christi, secutus erat inimicum. Adiunxit autem se hominibus sceleratis, deditusque latrociniis non diu post captus est, & capite plexus miserrime è vita excessit.* Hæc ille. Ex quibus facilè innotescit quam sedulè sollicitus explorator Zabulus minimas etiam culpas in diuini officij ministerio commissas exquirat.

Nec iure omittere potui, vt quæ de omnium cæremoniarum obseruantia in genere dicta sunt, specialiter quoque paucis, ad illas, quæ in officio sacro Missæ, ritu Ecclesiæ obseruari debent, applicarem. Lamentabilis etenim quorumdam vtinam sæcularium, & non regularium quoque Sacerdotum, quoad hoc, vitiosa corruptela sæpissime cernitur. Tanta enim celeritate, indeuotione, & irreuerentia tremendum Eucharisticum sacrificium tractant, vt cæremonias ad ipsius celebrationem ab Ecclesia institutas, penitus vilipendant. Intolerabilis abusus, corruptela, diabolicumque contagium, partem ministrorum Dei inficiens. Sacratissimum omnium officium aliqui Sacerdotes sic peragunt, vt aliis prophanis actibus non dissimile credere videantur. Nescio prorsus quantum apud istos ius illud natura quoque duce, præscriptum *sancta sanctè tractanda sunt*, valeat. Conqueritur D. Augustinus serm. 151. de temp. (quod, & ipse inquit: *Valde dolendum est*) quod aliqui ad Ecclesiam venientes, *cogunt Presbyterum, vt abbreuiet Missam, & ad eorum libitum cantet.* Conqueri, & nos possumus, Presbyteros multos esse, qui sic Missarum solemnia abbreuiant, vt deuotionem à piis sæcularibus penitus tollant, nec sine scandalo è templis eiiciant. Conqueritur de istis idem Augustinus, quod, *Vnus punctus diei ad Dei officium, & reliquum diurnum spacium cum nocte simul, ad eorum deputetur voluptates.* Quid inde? Nisi quod idem S. Doctor subiunxit. *Non solum, qui hæc faciunt, sed etiam, qui consentiunt facientibus pereunt.* Quæ ideo dixit, vt Prælati, & Superiores tantum flagitium non permittant. Audiatur de hoc Bernardus, in spe mon. *Monachus sacris altaribus, si sacerdos est, tanquam vnus ex summis Angelis in spiritu totus assistat.* Qualiter ergo summi Angeli officium exhibet Sacerdos, si totus, dum Missam legit, sui muneris grauitate oblitus, corde tenuit, vt cito finiat, quantocius absoluat, & ad sæcularia, prophanaque negotia mox reuertatur? Vellem certè, plures tantumdem temporis in sacrosancto ministerio insumerent, quantum in quacumque corporis refectione, aut necessitate ipsius subueniendā, detinentur. Sed proh dolor! Plus apud istos valet quælibet corporalis vtilitas, quàm sacratissima actio omnium sacratissimarum excellentior. Audiant, & Seraphicum Doctorem, in spec. p. 1. p. 2. c. 11. *Altaris ministerium ob reuerentiam corporalis præsentiæ Saluatoris, munditiæ, reuerentiæ, diligentiæ, honestatis, & circumspectionis studium speciale requirit.* Et inferius, sic. *Si agendis ministeriis Regis studiosissimam homines curam impendunt, quantum putes æterni Regis Ministeriis impendendam?* Nouerint ergo Sacerdotes Domini regulares præsertim, eam esse sui muneris curam vt tremendum Missæ sacrificium ea honestate, decentia; & reuerentia tractent, tam strictimque cæremoniarum obseruantiæ incumbant, vt cælestis Principis ministri rectè famulantes censeantur. Quin eam ob causam, quod aliqui indecenter tam sanctum ministerium peragant, à tam sancta mensa aridiores, & macilentiores exire tradit D. Dionysius Carthus. serm. 5. de Pascha per hæc verba. *Sic imus de die in diem, & fortè macilentiores, & aridiores, de opulentissima,*

lentissima, pinguissima delicatissima mensa recedimus, quam ad eam accessimus, quia irreuerenter, incustoditè, intimoratè, ingratè habemus nos. Cur non terrent nos Apostoli verba. Probet seipsum homo, &c. Meritò proinde Concilium Aquisgranense 2. *cap.* 132. & Rauennatense 4. *Rubric.* 12. deuotionem in Missæ sacrificio peragendo grauissimè commendant.

Idem quoque de seruitio Chori, opere quidem tàm grato Deo, quam Religiosorum proprio dicere oportet. Pro quo etiam notabilem hunc casum noster Hieronymus Gratianus *in disciplina regular. in c. de orat. vocali* §. 1. *de Horis Canonicis*, sic refert: *Voglio raccontare vna cosa accaduta à i nostri tẽpi in vn Conuento del nostro Ordine. Erano soliti dire il Matutino, la sera, e lo sonauano con le campane à mezza notte: vna volta ritornando il Sacrestano da sonarlo, senti che nel Choro cantauano l'Inuitatorio, e si merauiglio, pensando, che i Frati si fussero leuati à Matutino perche non soleano farlo, & aprendo la porta del Choro, vide le sedie piene di Frati con le cappe molto blanche, ma le mani e faccie loro erano ossa spolpate di morti; spauentossi, e quello, che faceua l'officio, chiamollo, dicendo. Pare à voi, che stia bene, Padre, che si soni à mezza notte il Matutino, e non si leuino à dirlo, ingannando il popolo? Non faceuamo cosi noi altri antichi Frati di questo Conuento. Apparecchiateui, Padre, per la disciplina, la quale gli diede, e tale con certe verghe di ferro, che il pouero Frate se ne mori fra tre gioni per lo spauento, e per il dolore delle percosse, e di li auanti non ardirono i Frati lasciare di leuarsi la mezza notte al Matutino.* Nec mirum tam sollicitè Patres istos defunctos curasse, quod eorum successores media nocte pro matutino recitando surrexissent. Est enim pia quorumdam opinio, de qua Cassiodorus *in psalmum* 118. ad eum versum, *Media nocte surgebam*, arbitrantium media nocte Christum esse venturum ad iudicandum mundum. Quod etiam innuere videtur Paulus 1. *ad Thessalonicenses*, 5. dum dicit: *Dies Domini sicut fur in nocte venit*, & ipse Christus Matth. 25. in parabola Virginum illis verbis: *Media nocte clamor factus est.* Merito ergo Religiosi isti reprehensibiles erant, qui laudabilem Ecclesiæ consuetudinem à primordiis ipsius originem ducentem, iuxta Nicephorumm *lib.* 3. *cap.* 17. non obseruabant.

Iam vero quid forsan aliqui, culpam suam palliantes, ad excusandas excusationes in peccatis; dum pro minimis obseruantiis religionum ab ipsis, neglectis arguuntur, respondere possunt? Primo enim plures minimos hos defectus committere non renuent, eo quod cum minimi sint, parum, aut minimum de illis curandum putent. Sed isti à Patribus adductis vbi suprà, culpabilis negligentiæ arguuntur. Ex D. etenim Basilio habent. *Nihil minutum esse, quod Dei causa fiat.* Ex S. Ephrem, quod quamuis hæc parua sint *non afferunt exiguum, aut qualecunque detrimentum*, Ex D. Bern. audiunt iam, hoc esse: *Blasphemiam in Spiritum Sanctum, blasphemiam irremissibilem.* Rigidissima sanè verba, sed à D. Bern. prolata. Rursumque: *Impossibile est cum eis saluari.* Ex Cæsario: *Paruas has negligentias, quasi venena Diaboli respuendas*, esse. Ex Bonauentura: *Minima hæc non minimam moribus maculam ingerere.* Ex Dacriano: *Monachum non esse, qui ordinationes sanctæ religionis, quantumuis modica sint, parui facit.* Rursumque; *Quantumlibet parua vulnera videantur, quia tamen, nec cauent, ne ea suscipiant, nec postquam susceperint, debitam curam adhibent, omnino mortifera redduntur.* Tandem contra istos militat celebris illa sententia B. Cyrilli duodecimo de adoratione: *Nihil eorum, quæ ad Dei cultum pertinent exiguum æstimari debere.*

Maximè tamen istis præ oculis obiicienda grauitas pœnæ, quam Deus propter peccata venialia infligit. Nam vt omittamus ex Sacra scriptura sæpius constare propter leuia peccata mortis pœnam inflictam aliquibus, prout de Propheta illo à Leone percusso 3. *Reg.* 20. Oza, Iuda Machabæo, & aliis refertur; ex vitis Patrum habetur, quendam Anachoretã sanctum in Neapolitano deserto à fera deuoratum propter veniale peccatum. Vnde Henricus Susonius cap. 23. de Rupibus dixit: *Crede mihi, si quis exploratum haberet quanta luenda sit pœna ob minimam, quæ inuito Deo sumitur, naturæ oblectationem; prius quam vel venialem perpetraret culpam, potius quotidie caput sibi amputari, ac nouam inferri mortem sineret.* Alij quoque propter similem leuem culpam miserandis morbis, & grauissimis suppliciis, à Deo puniti sunt. De Abbate Paulo id nobis disertè protulit Cassianus *collatione* 7. *cap.* 26. Et *cap.* 27. loquens de Abbatis Moysis veniali culpa scribit. *Cum ipse quoque singularis, & incomparabilis vir esset, ob reprehensionem vnius sermonis quem contra Abbatem Macharium disputans paulò durius protulit, quadam scilicet opinione præuentus, tam diro confestim est traditus Dæmoni, vt humanas egestiones ori suo suppletus ingereret. Quod flagellum purgationis gratia se Dominus intulisse, ne scilicet in eo vel momentanei delicti macula resideret, velocitate curationis eius, atque authore remedij demonstrauit. Nam continuo Abbate Machario in oratione submisso, dicto citius nequam spiritus ab eo fugatus abscessit.* De piissimo Gerardo scribit. Odo Cluniacensis Abbas *lib.* 1. *cap.* 10. cæcitate percussum à Domino eo solum quod puellam quandam aspexisset. Similiter Beatum Eleazarum comitem manu ipsa Christi vulneratum legimus postquam etiam graui morbo correptus fuisset, quia sub Rege Neapolitano penè coactus, quippe Dnminus eius, militauerat contra Imperatorem. Sic in eius vita dicitur audisse Christum sibi dicentem: *Scias Eleazare in hoc bello cui armatus affuisti expositum te fuisse amittendi gratiam meam; sed quia eius te pœnitet, volo te flagellare*: tum ille inclinauit se, cœpitque dicere psalmum quinquagesimum, ad singulos autem versus Christus eum ter, vt solitus ipse erat, in dorso fortiter cecidit. Grauissimis etiam Purgatorij pœnis cruciatos plures fuisse facilè reperiet Lector in Sancto Gregorio *lib.* 4. *Dialog. cap.* 50. & 51. Petro Damiano *epist.* 15. *ad Carolum.* Sancto Vincentio *sermone de aqua benedicta.* Thoma Cantipratensi *lib.* 2. *apum cap.* 16. §. 5. Cæsario *lib.* 12. *cap.* 31. & Historiis Religionum, quorum aliqua exempla sparsim in hoc opere inserimus. Vbi iam ergo sunt tepidi Religiosi qui culpas leues, eo quod leues sint, contemnendas esse dicant?

Alij secundo consuetudinem, melius dicam corruptelam, qui dicunt paruas has negligentias defectus non esse, opponunt. Sed hi audiant Augustinum de doc. Christ. dicentem: *Solet recta opinio prauam corrigere consuetudinem.* Rursumque: in Enchir. cap. 82. *Peccata quamuis magna, & horrenda cum in consuetudinem venerint, aut parua esse, aut nulla creduntur: vsque adeo, vt non solum non occultanda: verumetiam prædicanda, diffamandaque videantur.* Rursusque: in serm. domi quar. aduersus. 23

Nolite

Nolite fratres mei contemnere peccata, in quibus forte consuetudinem iam fecistis. Omne enim peccatum consuetudine vilescit, & fit homini quasi nullum sit. Audiant quoque Bernard. super Cantica dicentem: *Abscindatur ferro acutæ compunctionis vlcus inueteratæ consuetudinis.* Et Isidorum sic. *Consuetudo authoritate cedat: prauum vsum lex, & ratio vincat.* Audiant, & Cyprianum sic dicentem. *Consuetudo sine veritate, vetustas erroris est: propter quod relicto errore sequamur veritatem: scientes, quod veritas vincit, veritas valet, & inualescit in æternum: & viuit, & obtinet in sæcula sæculorum.* Maximè tamen attendant, quæ circa præsens intentum de minimis obseruantiis custodiendis, consuetudine in contrarium non obstante, Bonauentura Seraphicus in suo speculo p. 1. p. 2. cap. 11. dixit. *Si plurium opponas ineptias in præmissis Habet æmulos plurimos vitium, rarissimos disciplina. Non à pluribus, sed ab honestioribus forma sumenda est.* Vel saltem ethnicum Senecam auscultent, cap. 2. de beat. vit. *Quæramus quid optimè factum sit non quid vsitatissimum: & quod nos in possessione fœlicitatis constituat, non quod vulgo pessimo veritatis interpreti probatum sit.* Non ergo sapienti excusatione iuuari possunt religiosi dum minimas obseruantias suæ religionis spernunt, sub prætextu prætensæ consuetudinis, vel corruptelæ introductæ.

24 Crassioti tandem Minerua alij tertio respondent, qui dum de negligentia in paruis, aut minimis obseruantiis, regularibusue cæremoniis, aut aliis reprehenduntur, dicunt: Non est hoc peccatum mortale: vel Non obligamur sub mortali peccato ad istas paruas, seu minimas obseruantias Ordinis. Sed isti audiant, quæ Ioannes Lanspergius Carthusianus in serm. quodam ad cong. de talibus religiosis dixit: *Post concupiscentias nostras multi imus, & vbi nobis leuissimum foret desideria nostra frangere, fatigamur, immortificationem nostram vbique in collo circumferentes; hoc vno turpi verbo etiam plerique excusantes. Non est (inquiunt) hoc peccatum mortale. O si Dei, vel cuiuis inesset timor, si diuinæ præsentiæ æstimatio, nulla occurret ei disputatio, mortale ne, an veniale esset peccatum! Quandoquidem vnum perinde, ac alterum vitaremus: quippe cum nullum sit peccatum quod non execretur Dei timor.* Sanè nescio quo pacto rectè isti sentiant de perfectione status religiosi. Illa etenim, vt segregati à sæcularibus, non solum communia præcepta Decalogi, aut Ecclesiæ sed etiam obseruantias Ordinis, quantumuis minimas reuereri tuemur. Accinit Carthusiensis alius, Dionysius scilicet serm. 7. de Dominica 4. Aduentus. *Religioso quotidie opus est pœnitere, & venialia ista mala deflere, si digne cupit proficere, tam cordialiter, ac lachrymosè, vt boni sæculares de suis dolent, ac lachrymantur culpis mortalibus.* Deinde hæc subiungit nostri capitis intentum redolentia. *Quid est, quod venialia nostra peccata quotidiè confitemur, & de eis nos pœnitere per signa quædam monstramus: & tamen post confessionem, & celebrationem ad pristinas leuitates, ad consuetas negligentias labimur, nec crescit in nobis dolor internus pro venialibus culpis, nec solicitudo, ac vigilantia mentis pro eis cauendis?* Audiatur, & Bernardus, vel author Bernardi spiritum redolens ad monachos loquens. de vi soli. ad fra. de mont. Dei. *Non solum vouistis omnem sanctitatem, sed omnis sanctitatis perfectionem, & omnis consummationis finem. Non enim est vestrum circa communia præcepta languere, neque hoc solum attendere, quid præcipiat Deus; sed quid velit: probantes quæ sit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta. Aliorum est enim Deo seruire, vestrum adhærere. Aliorum est Deo credere scire, amare, reuereri, vestrum est sapere, intelligere, cognoscere, frui.* Et infra. *Ipsa est enim professio vestra quærere Deum Iacob, non communi hominum more.* Ac si clarius dicat: Solum ea, quæ ad culpam obligant fugere, commune vobis & sæcularibus est; vestrum tamen statutum ampliora requirit: sæculares ad præcepta; vos vero ad consilia etiam vocamini: illi quasi serui minoribus placent, vos quasi filij, commensalesque; Dei maioribus non plenè placeris. Si erga monachi, & religiosi ad maiora, quam sæculares, vocantur, saluandique, vel condemnandi non, vt sæculares, sed vt monachi sunt, qua fronte, ea, quæ ad peccatum non obligant, hac solum ratione reiicienda præsumunt? Eo, vel maximè, quod licet huiusmodi modicæ obseruantiæ ad peccatum, lethale præsertim, non ligent; earum tamen contemptus mortalem culpam inducit. Contemptus autem tunc admittitur, *quando voluntas renuit subijci ordinationi legis, vel regulæ, & ex hoc procedit ad faciendum contra legem, vel regulam* inquit Sanctus Thomas 2. 2. quæst. 186. art. 9. art. 3. Quod velim ab istis accuratè considerari, ne dum parua statuta Ordinis transgrediuntur, grauiorum criminum apud Deum factores inueniantur. Simulque animaduertant quæso, eiusdem S. Thomæ verba, quodlibeto 4. *Difficile est, quod homo præcepta seruet, quibus intratur in regnum, nisi sequendo consilia.* Et rursus: Quodli. 4. art. 23. *Consilia parant viam ad præcepta seruanda.* Vt inde nouerint non absque fundamento formidare posse, se à Deo auxilio efficaci ad obseruationem præceptorum priuandos, cum proptia sui status sic reiiciant. Propter quod meritò D. Hieronymus: in reg. mon. per Lup. *Non sunt contemnenda, quasi parua sint, sine quibus maiora constare non possunt.*

Addiderim tandem, excusationem aliam, qua frigidi quidam, paruas, seu minimas obseruantias custodire nolunt, eò scilicet, quod in illis dispensatum sit à religione dicant, prorsus futilem, inutilemque reputari debere. Quod verbis doctissimi Ioannis Nider confirmare libet. Sic verò loquitur in tract. 1. de lapsu religionis cap. 11. *Dispensatio, quæ hodie passim in multis religionibus fieri videtur, & dissimulationes in continua non tentione silentij in interdictis locis, & temporibus; in fractione continui ieiunij regularis; in perpeti comestione carnium, vbi prohibetur; in lineis vestimentis, & culcitris penneis, seu lectorum vsu frequenti; in fuga à choro, & cantu diuini officij, in vsu tonsuræ, & habitibus prohibitis, in negligentia studij literarum; imo potissimè in appropriatione pecuniæ, & similium quæ in regula, & statutis sunt prohibita, non sunt dispensationes, sed dissipationes, in quibus nec prælatus, sine causis supradictis potest dispersare, nec subditus dispensationem debet recipere.* Et infra. *Apud multos igitur veritatem obtinet ista vulgaris diffinitio Dispensare est cum licentia ad infernum intrare.* Inferius quoque sit. *Quæ quæso necessitas, aut communis vtilitas sequitur ex supra tactis dispensationibus? Sequitur namque diminutio rerum temporalium, linguæ loquacitas, solicitudo temporalium lis, & rixa plurimorum, inobedientiæ, & castitatis periculum, ac Patrum Primitiuorum frustatur sancta intentio.* Concludit tandem intentum. *Hæc luce sunt clariora videntibus cæcis vero nihil est lucidum.* Iis 25

etiam

etiam ego concludens, pios regulares supplex precor, vt hæc attendentes, paruis, seu minimis obseruantiis addictos se credant, potius quam vana spe fictæ dispensationis ad barathra duci velint. Credant insuper tam paruis obseruantiis, quàm magnis astringi, audientes illud Christi Matth. 23. *Hæc oportuit facere, & illa non omittere.*

26 Ne vtiquam tamen lectorem fugere velim D. Dion. Carthus. grauissimi Theologi grauissima verba de ref. claust. c. 6. Quibus quam malè sentiendum sit de consuetudine excedendi, seu delinquendi in regulæ obseruantiis, quantumuis minimæ sint, sic docet. *Quamuis multa contineantur in regulis, aut statutis religiosorum, ad quæ non tenentur de necessitate præcepti, ita quod statim mortaliter peccent, quando in aliquo illorum fuerint negligentes; vt est obseruatio silentij; surgere alacriter ad matutinas, otiositates vitare: inutiliter hinc inde discurrere atque similia: verumtamen consuetudo excedendi, seu assiduitas delinquendi in istis, & non curare, neque emendare, non potest à mortali excusari peccato. Propterea religiosi deformati,* (Notabile dictum) *in quibus parua aut nulla est rigoris, aut disciplinæ obseruantia, qui carnaliter viuunt, & mundanis vanitatibus pleni sunt, otiositati, & loquacitati vacantes, innumerabilia prorsus incidunt vitia, non venialia solum, sed, & mortalia, imo tota vita eorum est, quasi quoddam peccare continuum: præsertim, quia, & hæc ipsa bona, quæ agere videntur, tam negligenter, irreuerenter, & tepidè, tam inordinatè, atque indebitè agunt, vt magis sit offensiuum Dei, quam honoratiuum, & reconciliatiuum ipsius. Tales enim, qui in fæcibus suis iugiter manent, qualiter confitentur? qualiter celebrant qui se in nullo emendant, imo de multis, quæ mortalia sunt nullam sibi conscientiam facere comprobantur.* Acerbissima hæc verba à piissimo viro, doctissimoque Theologo, zelus domus Domini extorsit. Illa tamen sæpius à deformatis, & negligentibus regularibus (si qui sunt tales) ruminari vellem, vt vel sic suum miserum statum exhorreant, & lugeant; simulque Sanctiss. & piissimi Doctoris verba, audientes, tota facie confusi erubescant,

27 Vos ergo sancti, piique religiosi (quos plures esse in sacris religionibus cerno) *In minimis quoque rebus omnia antiquæ consuetudinis momenta seruate.* (inquit Valerius) Minimis his obseruantiis vestræ religionis substantiam niti credite. Accidentibus istis, Religionis perfectionem integrari pensate. Sine illis monachi non putemini; illis tamen monachos vos credam. Quales verò sitis qualesve nos oporteat omnes esse, optimè depinxit Rusbrochius pius auctor in spec. salu. c. 13. *Homines bonæ voluntatis, qui absque fictione, Dei honorem & propriam spectant salutem, studentque suum seruare Ordinem, & canonem monasticum, ac instituta, & consuetudines, quas audierunt scriptasque inueniunt à Patribus præcedentibus, qui monasticos ordines verbis & actibus fundarunt, ac instituerunt, v. g. vt se habere debeant in choro, in capitulo, in refectorio, in dormitorio, in valetudinario, seu domo infirmorum. Item silendo, loquendo, ieiunando, & in accipiendis (vt aiunt) disciplinis. Sicque sani, & infirmi, semper secundum statuta, seu canonem suum, & naturæ vires sicut recta dictat ratio, ac vera discretio sese gerunt, atque ex humili obedientia omni propriæ renunciant voluntati. Dum incolumes sunt, semper boni quidpiam exercent: dum autem aduersa laborant valetudine mansuetudinem, ac patientiam retinent. Semper denique certant, & carnem, & sanguinem, & quidquid mundi est, superant.* Hæc Rusbrochius, modum, quo sancti religiosi suum ordinem, quoad minima etiam instituta, seruant, describens. Accinit Lanspergius serm. 3. in festo Paschæ, consulens qualiter se gerere debeat religiosus in his minimis obseruantiis: *Fratres charissimi non inueniatur in nobis tepiditas illa omnis sanctitatis aduersatrix, pietatis destructrix, quæ in nonnullis monachis reperitur, qui à solo peccato mortali volunt continere. Ideo semper disputant vtrum sit mortale, quod si non esse didicerint, non timent Deum suum offendere, gratiam eius spernere; spiritu debiliores, carne validiores, peccandoque frigidiores fieri. Non timent (inquam) in anima sua peccatorum licet, vt dicunt venialium, sordes colligere, Deo displicere, ingrati inueniri, atque mortalium sese peccatorum periculis exponere. Fundamentum est maximè ruinosum, super quod numquam aliquid boni potest ædificari, à solo peccato mortali velle abstinere, venialia nõ curare. Heu quam sæpe in tali homine, qui adeo frigidus est, vt venialia non horreat, quam sæpè (inquam) in huiusmodi homine peccata mortalia præsertim mentalia pro venialibus admittuntur.* Faxit Deus tales simus omnes qui regularium nomine gaudemus, concordetque vita nostra cum nomine, professioque sentiatur in opere.

SVMMARIVM.

Nihil magis fini religiosi status contrarium, quam Religiosorum nimia euagatio extra Monasteria. num. 1.

Monachus extra cellam est, sicut piscis extra aquam. Dictum D. Antonij. n. 2.

Satanæ artificium est, Regulares à conuentibus extrahere, inutilem vagationem suadendo. numero 3.

Vaga Monachorum deambulatio, plurium est occasio malorum. n. 4.

Aurea quædam fragmenta ex Hieronymo. n. 5.

Quid dixerit Augustinus ad rem. n. 6.

Monacho nil tam nociuum quam ciuitates circumire. num. 7.

Spiritus acediæ maximè solet Monachos infestare, qui è cella sua sæpius protenduntur. n. 8.

Monachi nomine indigni, vicos, plateasque ciuitatum circumeunt. n. 9.

Quàm periculosum sit inter sæculi turbas agere pœnitentiam. n. 10.

Cella nequaquam debet esse reclusio necessitatis, sed domicilium pacis. n. 11.

Præclara quædam referuntur ex Auctore opusculi de laude vitæ solitariæ. ibid.

Alia item ex S. Petro Cœlestino, huic intento congruentia. ibid.

Vagam Monachorum deambulationem acriter reprehendit Petrus Damianus. n. 12.

Pericula quibus vagi religiosi se exponunt ab Hugone Victorino recensentur. n. 13.

D. Bonauentura eiusdem causæ pius patronus. numero 14.

Cellæ custoditæ encomia, ex deuotissimo Auctore excerpta. ibid.

Quæ scripserit Guil. Peraldus aduersus vagum Monachorum discursum. n. 15.

Monachus non est qui cum sæcularibus esse gaudet. num. 16.

Quid de Monachis vagis sentiendum, ex Trithemio num. 17.

Vagus Monachus; velut auis è nido auolans facile capitur retibus vitiorum. n. 18.

Extra cellæ reclusionem perit regulæ obseruantia. numero 19.
Quæ specialia vitia Monachus clausuram crebro egrediens sæpius contrahat. n. 20.
Vitæ compositæ, indolisque honestissimæ signum, posse secum in quiete cellæ commorari. n. 21.
Miraculosus euentus à D. Gregorio relatus de quodam Monacho vago. n. 22.
Monachus curandæ infirmitatis causa Monasterium egressus, fœminam vitiauit. n. 23.



CAPVT VII.

Religiosorum nimia euagatio extra Monasteria regularem obseruantiam, monachismumque fœdat.

1 SI quod vnum vitium religiosorum nostri, & præteriti sæculi bonos mores corrumpere, feruorem extinguere, aut bonam famam perdere potest, nimia est, superflua, prorsus impertinens, & vana extra Monasteria vagatio, & per vicos, ac plateas ciuitatum inquieta circuitio. Nihil magis perfectioni regulari aduersum, fini religiosi status contrarium, honorique religionum oppositum credo, imaginari posse. Si hoc ad tartara truderetur vitium, cunctique regulares, graui non vrgente causa, cœnobiorum cellis (vt multi ex eis faciunt) addicti forent, facile crederem, in pristino nitore religiones omnes esse posse. Hinc etenim orationis iuge exercitium manaret, vitaretur otiositas, & regularis obseruantiæ amor, studiumque, in dies magis, ac magis succrescens, cœlum vsque pertingeret. Manifesta quoque experientia innotesceret, sanctos, piosque religiosos (quorum numerosa pars in religionibus cernitur) ideo tales esse, quod Monasterij claustra, cellasque assiduè colant. At quantum detrimentum religionibus vagi, errones, deambulatoresque regulares (si qui sunt) pariant, ex Patribus, hoc, & sequenti capite afferendis, planè liquescet.

2 Audiatur primus celeberrimus ille primitiuæ Ecclesiæ monachus, monachorumque sanctissimus Archimandrita, Abbasque Antonius, de quo celebris illa sententia habetur. In Apopth de quiet. l. 2. 8. tom. Biblioth. *Monachus extra cellam, aut solitudinem est, sicut piscis extra aquam.* In Apophthegmatibus Patrum in Bibliotheca relatis, sic habetur. *Sicut pisces, si tardauerint in sicco, moriuntur, ita, & monachi tardantes extra cellam, aut cum sæcularibus immorantes à quietis proposito reuoluuntur. Oportet ergo sicut piscem in mari, ita, & nos ad cellam recurrere, ne forte foris tardantes obliuiscamur interioris custodiæ.* Prudens sanè consilium, quod vtinam religiosis omnibus numquam à mente excideret.

3 Adstet secundus orientalium monachorum Pater Magnus Basilius, in com. mon. capite 8. ex quo plura ad intentum elici valent. In constitutionibus monasticis, dum de euagatione monachorum loquitur, habet. *Qui huc, illucque continenti peregrinatione discurrit, neque stabilis certo vllo in loco, diu consistit, sede crebra ex aliis in alia loca ititatione, collectam illam, & constipatam animi in cogitando vim, assiduo isto flatu, ac reflatu, veluti euentilat, atque diffundit, paulatimque corporis voluptates spectare insuescit; iste, qui quæso perspicaciter excutere seipsum poterit? aut quæ minus honestè se habeant peruidere, & in melius reuocare?* Ibidem quoque idem Basilius monet Satanæ artificium esse regulares à conuentibus extrahere, inutilem vagationem suadendo. *Ad disciplinæ nostræ stabilitatem, Ordinemque religiosæ huius vitæ labefactandum, ac peruertendum, atque hoc modo monachos voluptatum illecebris illectos, variis, iisque instabilibus cogitationibus faciendum obnoxios.* Rursus ibidem clarius ad intentum. *Amplectenda nobis maxima ex parte quies est, & suo cuique assignato sibi ad habitandum loco, fortiter perdurandum; quo videlicet, hoc ipso animi sui stabilitatem testatam faciat.* Eodem quoque libro, ex hac monachorum distractione mundanas cupiditates tepiditatem segnitiemque ad munia regularia exercenda nasci declarat, his verbis. *Non aliunde, quam ex animi distractione, mundanæ cupiditates in nobis nascuntur: à quibus cum variis postea tumultibus vexata mens nostra fuerit segniores ad capessenda recta officia reddimur.* Hæc, & alia Basilius, satis eleganter monachis suadens; egressum extra cœnobia, inutilemque illorum euagationem, innumera mala illis afferre.

S. quoque Ephrem Syrus Basilij (vt solet) vestigia sequutus, & Monasterij clausuram monachis suadet, vagamque ipsorum deambulationem plurium malorum occasionem esse sæpius docet. Parænesi prima, sic habet. *Graui incessu monachus atterat gradus Ecclesiæ; indecoro autem incessu è domo in domum non diuagetur.* ibidem quoque, sic scribit. *Lignum vitæ æternæ in cœlis monachus stabilis, non errans.* Adhortatione etiam prima sic hortatur monachum. *Abstinere oportet in cœnobio degentem, atque desistere à turbis, rebusque mundanis, & non oberrare è cella in cellam.* De perfectione monachi, sic loquitur. *In plateis ciuitatis non inueniaris frequens, ne animo deprauatè affecto abscedas.* Parænesi autem 44. sic loquitur iste Pater. *Attende tibi ipsi charissime, ne forte in negligentia, atque distractione perdas tempus tuum. Vineam plantasti tibi, circumda illi materiam. Amœnum hortum comparasti tibi, fructus eius serua vt lateris in nouissimis tuis. Quid enim prodest fratres, si hodie vitam quietam in cella degamus, cras autem in ciuitate, ac vicis remoremur, ea agentes, quæ non placent Deo? Quid prodest fratres, si vno die ædificemus, duobus autem destruamus.* Alibi quoque sic loquitur ad idem intentum. *Gloria monacho est, dum se in loco suo, ac cella continet, neque huc, illucque instar stipulæ à vento raptatæ, transportatur, atque vagatur.* In opusculo etiam de monacho, & turture, sic loquitur. *Quam ob causam, te, ô monache, turturi viduato comparaui, ne & tu ad mundum conuersus ea, quæ retro sunt, respicias, neque cum mundanis demoreris, neque vias eorum, addiscas: recedatque anima tua à vero Deo suo, vero animarum nostrarum sponso, laqueosque in anima tua accipias, neque ad diuitias, & voluptates sæculi reuertaris. Non enim, & Angelus, & homo esse potes, nec Deo seruire potes & mammonæ.* In Apothegmatibus quoque cap. 95. sic habetur. *Si quietus vixerit monachus in cella sua, à multis turbis liberabitur, qui autem vecors est mente, si ad turbas accesserit, non refert emolumentum, at qui cogitatione perfectus est, vtilitatem percipiet: cæterum quietam,* 4

tam, ac solitariam vitam degere præstantius est. Hæc,& alia multa S.hic Pater, quæ si rectè pensentur,inueniet satis bonus religiosus,quietem Monasterij sibi maximè congruam,vagationem verò extra illam noxiam valdè fore.

5 Audiatur prætereà Ecclesiæ iubar, Monasticique status zelator eximius Sanctus Hieronymus,ex quo aliqua aurea fragmenta pro intento nostro roborando elicio. Ad Oceanum sic habet. *Monachum, vel Clericum solitudo facit, non publicum.* Idem de solitudine. *Si cupis esse quod diceris Monachus; quid facis in vrbibus, quæ vtique non sunt solorum habitacula, sed multorum?* Rursus clarius. *Interpretare igitur vocabulum Monachi, hoc nomen tuum, quid facis in turba, qui solus es?* Rursus etiam ad Pammachium. *Quid tibi ea videre necesse est, quorum contemptu Monachus esse cœpisti.* Ad idem ipse Hieronymus in regula Monachorum per Oliuetum collecta. *Monachus se Monachum esse, non loquendo, & discursando, sed tacendo, & sedendo nouerit.* Hæc, & alia, Sanctus Doctor congruentia satis proposito nostro de nimia Monachorum extra clausuram deambulatione fugienda.

6 S.quoque Augustinus,vel auctor eius nomine insignis, inter eius opera ad rem nostram, sic habet. *Non in foro Monache, sed in cella habitare debes,non familiam, sed familiarum animas oratione pascere debes. Non est igitur tibi necesse multum loqui, nec inter homines conuersari.* Piè sanè,& congruè satis Monachorum instructioni loquitur.

7 Prætereà S.Cyrillus Hierosolymorum Antistes in epistola ad Augustinum de miraculis D. Hieronymi (si verus auctor talis epistolæ est)sic habet ad intentum. *Monacho nihil tam nociuum, detestabile,& mortale, quam vicos,& ciuitates,& gentium multitudinem circumire.* Et infra similem sententiam illi, quam ex Antonio supra attulimus, profert dicens. *Quod aqua piscibus, Monachis idem præcipuè silentium operatur.* Abs dubiè innuens, quod quemadmodum piscibus ex aqua egressis mortem sors affert, sic quoque regularibus impertinens è clausura Monasterij progressio mortifera fit.

8 Fauet quoque maximè Ioannes Cassianus antiquus Monachorum institutor, qui libro 10. institutionum,spiritu acediæ duci Monachos docet,qui è cella sua sæpius protenduntur. *Spiritus acediæ maximè solet Monachos infestare,vt paulatim protracti è cella actus suæ professionis incipiant obliuisci.* Collatione quoque 14.quantum sibi damnum Monachi acquirant sæpius è claustro egredientes,hisce declarat. *Variæ, ac effusæ cogitationes à nemine prorsus quantumuis solicito, ac vigilanti, vel caueri poterunt,vel videri, nisi qui corpus, atque animum iugiter intra parietum septa concluserit.* Hæc Cassianus piæ nostræ causæ defensor.

9 Ad idem intentum D. Isidorus Hispalensis Antistes de Monachis loquens, sic illos hortatur. *Monachus græca etymologia vocatur,eo quod sit singularis, monos enim græcè, singularitas dicitur. Ergo si solitarius interpretatur vocabulum Monachi, quid facit in turba, qui solus est?* Mentem, & verba Hieronymi imitatur Isidorus lib.7. orig. c.de mona.latisque exponit Monachi nomine indignos esse,qui Monasterio relicto turbas, vicos plateasque ciuitatis sequuntur. Quare idem eorum vitia graphicè depingit inquiens. *Quintum genus est circumcellionum,qui habitu Monachorum vsquequaque vagantur, venalem circumferentes hipocrysim, circumeuntes prouincias,nusquam fixi,nusquam stantes,nusquam sedentes.* Hæc Isidorus Monachorum vagam deambulationem, eorumque crimina,exinde nascentia, optimè carpens.

Sanctus quoque, deuotissimusque Bernardus, 10
Monasticæ disciplinæ propagator insignis, non semel, sed sæpius, Monachis clausuram intimauit, illisque, & cellæ quietem, & damna ex inutili euagatione manantia, in propatulo posuit. In sermone 2.de Sancto Andrea, sic habet ad intentum. *Meritò si quidem stagnis Monasteria comparantur, vbi quodammodo incarcerati pisces euagandi non habent libertatem, quo videlicet parati sint semper ad epulas spirituales.* Alio etiam sermone, sic habet. *Periculosum est, si fortè quis velit, inter sæculi turbas agere pœnitentiam, vbi nimirum alij venenatis persuasionibus, alij vndique exemplis peioribus, ad peccandum alliciant, alij adulationibus in vanam gloriam, alij detractionibus in impatientiam animum deiiciant.* Et rursus serm.3. de Circumc. *Ostendat prudentiæ radius, quantas & quam importunas, præsertim in hac generatione nequam, opportunitates, & occasiones peccati offerat mundus, & ingerat, quam debilis sit ad illas humanus animus,&c.* Vbi tamen elegantius, enucleatius,& dulcius, mala, quæ religiosis obueniunt extra cœnobia, bonaque ex prudenti,quietaque clausura manantia recensuit idem Bernardus, est in opere de modo bene viuendi ad sororem, vbi sic habet. *Moneo te,vt cum summo desiderio Monasterium diligas, & vt toto corde sæculum postponas. Moneo te, vt in omni tempore in domo Dei permaneas, & vt nunquam ad sæculum redire quæras. Quare! Quia in Monasterio est vita contemplatiua,in sæculo est vita laboriosa, in Monasterio est vita sancta, in sæculo est vita criminosa, in Monasterio est vita spiritualis, in sæculo est vita carnalis, in Monasterio est vita cœlestis, in sæculo est vita terrestris, in Monasterio est vita quieta, in sæculo est vita turbulenta,in Monasterio est vita pacifica, in sæculo est vita litigiosa, in Monasterio est vita tranquilla,in sæculo est vita contentiosa; in Monasterio est vita pacifica, in sæculo est vita iurgiis plena, in Monasterio est vita casta, in sæculo est vita luxuriosa, in Monasterio est vita perfecta, in sæculo est vita vitiosa, in Monasterio est vita plena virtutibus, in sæculo est vita plena vitiis.* Et post alia sic subiungit. *Ecce in conspectu tuo bonum, & malum. Ecce ante oculos tuos perditionem animæ, & salutem. Ecce ante te vitam, & mortem. Ecce ignis, & aqua,extende manum tuam, elige quod vis.* Hæc etiam tibi, ô religiose, sume, & quantum boni tibi Monasterium tribuat, quantumque damnum inutilis euagatio extra cœnobium, accuratius expende. Hanc ob causam idem Bernard.in Psalmũ qui habitat ser.7. Monachos discursantes,impudentes,& religiosos appellat. *Videas* (inquit) *quosdam fratres discurrere, tam impudenter,tam irreligiosè sæcularibus sese implicare negotiis, ac si hoc esset tota eorum portio,hæc vniuersa substantia.* Hanc etiam ob causam idem Pater Monachum huc, illucque discurrentem, sub onere Duma iacere metaphora sumpta è vndecim oneribus Esai.21. illis verbis: *Onus Duma ad me clamat ex Seir*, sic exponit. *Si videris Monachum in claustro residentem,huc illucque respicere, oscitare crebrius, manu, & pedes extendere, nunc librum ponere, nunc resumere, postremo quasi quibusdam stimulis agitato de loco in locum, de auditorio in auditorium cursitare, sub onere Duma eum suspirare non dubites.* Hæc,& alia Bernardus, quibus, si rectè pensetur,inuenietur sanè cellæ, Monasteriive clausuram plurima bona religiosis parere: è contra verò egressum è cœnobio Monachum innumeris subiacere malis.

11 Nec iure omittere possum, quæ auctor opusculi de laude vitæ solitariæ ad fratres de monte Dei, apud ipsum Bernardum, ipsius nomen (melius dicerem spiritum) ostentans, de cellæ clausura dixit. Cuius verba, & si non pauca, quia tamen rei, quam intendimus maximè suffragantur, subiungere placuit. *Cella autem nequaquam debet esse reclusio necessitatis, sed domicilium pacis, ostium clausum, non latebra, sed secretum. Cum quo enim Deus est, nunquam minus solus est, quam cum solus. Tunc enim liberè fruitur gaudio suo, tunc ipse suus est sibi ad fruendum Deo in se, & se in Deo. Tunc in luce veritatis, in sereno mundi cordis, vltro patet sibi pura conscientia, & liberè se infundit affecta de Deo memoria: & vel illuminatur intellectus, & bono suo fruitur affectus, vel seipsum deflet humanæ fragilitatis defectus. Propter hoc secundum formam propositi vestri habitantes in cœlis, potius quam in cellis, excluso à vobis toto sæculo, totos vos inclusistis cum Deo. Cellæ siquidem, & cœli habitatio cognatæ sunt: quia sicut cœlum, & cella ad inuicem videntur aliquam habere cognationem nominis, sic, & pietatis. A celando enim cœlum, & cella nomen habere videntur: & quod celatur in cœlis, hoc & in cellis. Quod geritur in cœlis, hoc & in cellis. Quidnam est hoc? vacare Deo, frui Deo. Quod cum secundum ordinem piè, & fideliter celebratur in cellis, audeo dicere sancti Angeli Dei cellas habent pro cœlis, & æquè delectantur in cellis, ac in cœlis. Nam cum in cella iugiter cœlestia actitantur, cœlum cellæ, & sacramenti similitudine, & pietatis affectu, & similis operis effectu, proximum efficitur: nec iam spiritui oranti, vel etiam à corpore exeunti, à cella in cœlum longa vel difficilis via inuenitur. A cella enim cœlum sæpè ascenditur; vix autem vnquam à cella in infernum descenditur: nisi sicut dicit Psalmista: Descendant in infernum, viuentes, videlicet ne descendant morientes. Hoc enim modo sæpè cellarum incolæ in infernum descendunt. Sicut enim assiduè contemplando reuisere amant gaudia cœlestia, vt ardentius ea appetant: sic & dolores inferni, vt horreant, & refugiant. Et hoc est, quod imprecantur inimicis suis orantes, scilicet, vt descendant in infernum viuentes. Moriens autem vix, aut nunquam aliquis à cella in infernum descendit: quia vix, vnquam aliquis, nisi cœlo prædestinatus, in ea vsque ad mortem persistit. Filium enim gratiæ, fructum ventris sui cella fouet, nutrit, amplectitur, & ad plenitudinem perfectionis perducit, & colloquio Dei dignum efficit, alienum vero, vel suppositititium abdicat à se citius, & proiicit. Vnde ait Dominus ad Moysen: Solue calceamenta pedum tuorum: Locus in quo stas terra sancta est. Morticinium enim mortuarum affectionum, vel hominem mortuum à corde locus sanctus, vel terra sancta nequaquam diu patitur. Cella terra sancta, & locus sanctus est; in qua Dominus, & seruus eius sæpè colloquuntur, sicut vir ad amicum suum. In qua crebro fidelis anima verbo Dei coniungitur, sponsa sponso sociatur, terrenis cœlestia, humanis diuina vniuntur. Si quidem sicut templum sanctum Dei, sic cella est serui Dei. Et in templo enim, & in cella diuina tractantur: sed crebrius in cella. In templo visibiliter, & figuratiuè, aliquando Christianæ pietatis sacramenta dispẽsantur, in cellis vero, sicut in cœlis, ipsa veritate, ipso ordine, etsi nondum ipsa puritatis maiestate, vel æternitatis securitate, res ipsa omnium sacramentorum fidei nostræ assiduè celebratur.* Hæc pius auctor, quibus, quam rectè de cellæ obseruanti clausura Monacho sentiendum sit, piè expressit.

Deseruiunt ad intentum quæ S. Petrus Cœlestinus Papa V. in opusculo quinto de sententiis Patrum Eremitarum cap. 1. de fuga, & contemptu Mundi descripsit: *Venit aliquando Archiepiscopus Theologus ad Arsenium cum quodam Iudice, & petebant sermonem ab eo. Quibus Arsenius dixit. Si dixero vobis sermonem, custodietis? Illi autem promiserunt se custodire. Et dixit eis: vbicumque audieritis esse Arsenium, approximare nolite. Item alia die misit ad eum Archiepiscopus, si aperiret ei. Senex autem respondit: si venis aperio tibi; sed si tibi aperuero, omnibus aperio; & tunc iam vltra hic non ero.* De quodam etiam Monacho scribit dixisse alij: *Vade, sede in cella tua, & ipsa docebit te vniuersa.* Item: *Homo fugiens homines similis est vuæ maturæ, qui autem cum hominibus conuersatur sicut vua acerba erit.* Item de quodam Eremita sic dicente: *Initium malorum est extendere mentem. Bonum est fugere corporalia, quando enim est homo iuxta corporalia, similabitur viro stanti super lacum profundissimum, vt qua hora visum fuerit, inimicus facilè eum deorsum impingat. Si autem à corporalibus longe fuerit, similabitur viro longe posito à lacu; vt si conetur inimicus proiicere eum deorsum, Deus auxilium ei tribuat.* Præterea ex Diuo Antonio sic dicente: *Qui sedet in solitudine, & quiescit, à tribus bellis eripitur; id est auditus, locutionis, & visus, ac vnam tantum habet pugnam, scilicet cordis.* Præterea cap. 2. quod est de Monachi cella, sic refert ex præfato Antonio. *Cum sedes in cella memor esto diei mortis, cogita cladem, suscipe dolorem, horreat tibi istius modi vanitas: esto modestus, & sollicitus, vt semper in quiete permaneas. Cogita pœnas inferni, diem iudicij, & gloriam æternam: vt per hæc saltem noxias, & sordidas cogitationes fugias.* De quodam etiam venerabili Monacho interrogato ab alio, quare ipse in cella sedens tædium pateretur, respondisse refert: *Quia nondum vidisti gloriam æternam, nec tormenta inferni. Nam si hæc vidisses, etiam si cella esset plena vermibus, sustineres absque tædio.*

Adstipulatur ad idem Petrus Damianus Illustrissimus Cardinalis, qui grauissimis verbis in suis epistolis Monachorum vagam deambulationem acriter reprehendit. Ergo in epistola ad Teuzonem Monachum, sic loquitur. *Si Monachus es, quid tibi cum vrbibus? Si eremita, quid tibi ciuium cuneis? Quid cellæ, vel fora strepentia, vel turrita conferunt propugnacula? Enimverò, qui tanquam deficientibus siluis solitudinem in vrbibus quærunt, quid aliud credendum est, nisi quod solitariæ vitæ non perfectionem, sed fauorem potius, & gloriam aucupentur?* Præterea in epistola ad Abbatem quendam, & Monachos sic habet. *Errat, pater, errat, qui confidit se simul, & Monachum esse, & curiæ deseruire. Quam male mercatur, qui Monachorum præsumit claustra deserere, vt mundi valeat militiam baiulare.* Exemplo quoque piscis ex aqua educti rem totam confirmat. *Vndis erutus sanus est piscis: non vt sibi viuat, sed vt alios pascat.* Ac si clarius dicat; quemadmodum piscis ex aqua extractus, non sibi, sed aliis cibus est; sic Monachus cellam, Monasteriumve egressus. 12

Accinit egregiè egregius auctor Hugo Victorinus Bernardo coætaneus, & de monastica disciplina optimè meritus. In opere de claustro animæ lib. 3. sic habet ad intentum. *Si Monachus es, quid facis in turba? Si amas silentium, cur declamantibus assiduè interesse delectaris?* Rursus pericula, quibus vagi religiosi se exponant, sic describit de cl. anim. l. 1. c. 4. *Qui discurrunt per alienas domos, qui foris spectacula sequuntur, qui non ad necessitatem communem, sed ad propriam voluntatem sunt parati, qui causas itineris sui* 13

sui non habent, sed fingunt: tales dico sicut sunt faciles ad discurrendum: ita forsitan proni sunt ad ea, quæ loci opportunitas subministrat. In miscellaneis etiam li. 1. tit. 198. sic dicit. *Gloriatio monachi, quando in loco suo permanet, & huc, illucque non vagatur.* Caue ergo sancte, piéque religiose, ab inepta, & inutili euagatione extra Cœnobium, ne, & tu ad ea pronus, & paratus sis, *quæ loci opportunitas subministrat.*

14 Seraphicus quoque Doctor Bonauentura piæ causæ quam tuemur, pius patronus assistit. In alphabeto monachorum, sic habet. *Dilige solitudinem, & silentium, & inuenies quietem magnam, & conscientiam bonam. Vbi enim multitudo, ibi frequenter strepitus, & magna distractio cordis.* Rursus in eodem opusculo. *Fuge homines, & sæculi rumores; quia non potes esse satis Deo, & hominibus, æternis, & transitoriis.* In opere etiam quod Pharetra ab ipso nuncupatur euagationem regularium in inconstantiam interiorem refundit inquiens. *Qui statum mentis perdidit, subsequenter foras in inconstantiam motionis fluit, atqut exteriori mobilitate indicat, quod nulla interius radice constantiæ subsistat.* Ad idem quoque intentum antiqui Senecæ sententiam affert. *Frequens migratio corporis, instabilis animi proprium est.* Et rursus. *Vt animum possis continere, primo corporis tui fugam siste.* Hæc, & alia Doctor Seraphicus nostræ piæ causæ defensor acerrimus.

Ad idem intentum deuotissimus Nicolaus Gallicus Ordinis nostri peruetustus Generalis Præsul in suo aureis litteris digno opusculo, *Sagitta ignea* nuncupato, sic cum fratribus suis, cap. 9. loquitur. *O quam securè in cella custoditur, nostræ, quam vouimus, flosculus castitatis. Ecce in cella solitudinis, à triplici bello celamur, vt dixi, contra cogitationes tantum illicitas pugnaturi. Ecce in cella spiritualiter occupamur, ne per otium, quod inimicatur animæ, pudicitia maculetur. Ecce in cella quid facere, quid vitare oporteat, ne decepti seducamur, à Spiritu sancto iuxta illud Prouerbiornm, Doctrina replebuntur cellaria suauiter edocemur. Ecce in cella contemplationis aromaticæ Thesaurus inæstimabilis, atque incomparabilis nobis ostenditur vt terrenis & caducis penitus contemptis, in eius feruenti appetitu animus noster expeditus totaliter expandatur. Legitur autem in Isaia; ostendit eis Ezechias cellam Aromatum, auri & argenti, & odoramentorum, & vnguenti optimi: quæ nobis omnia in cella solitudinis à nostro vero Ezechia, imo multo plura spiritualiter ostenduntur. Ecce in cellam vinariam à Rege Regum introducti, ordinatam in nobis consequimur charitatem. O quam bene appellatur cella vinaria: nam in ea Spiritus sanctus veros cellitas vino deuotionis mirifice sobrie inebrians, suauis contemplationis glorioso lectulo efficit obdormire. Sed quid de cella referam, cum eam sufficienter nequeam commendare? Certè inter cellam, & cœlum nullum scio medium, & ideo de hac ad illud facilius peruenitur.*

15 Nec minus pius, & deuotus author Thomas Campensis, iure optimo inter Patres referendus, cellæ vtilitates inutilisque euagationis damna, sæpius monachis intimauit. Primo enim in alphabeto monachi similia illis, quæ ex D. Bonauentura etiam in alphabeto monachi supra retulimus, hæc habet. *Dilige silentium, & solitudinem, & inuenies quietem magnam, & conscientiam bonam. Vbi enim multitudo, ibi frequenter est strepitus, & magna distractio cordis.* Et rursus. *Fuge quantum potes homines, & sæculi rumores, quia nec potes esse satis Deo, & hominibus, æternis, & transitoriis,* In valle etiam liliorum, lilia hæc monachis colligit. *Fuge dilecte mi fuge. Quare? Propter multa pericula mundi, quæ sæpe homini contingunt, qui in sæculo conuersatur, Nam qui Deo vacare appetit, libenter solus est, & orat, studet, & scribit, & per multa bona exercitia; à vitiorum periculis custoditur, & tempus suum fructuose expendit, & alios ædificat. Qui autem libenter foris ambulat, & hinc inde fabulari desiderat, raro est quin cor suum maculet & indeuotior ad cellam pacis amicam redeat.* Optimè sanè, nec melius ad propositum desiderari potest in. quodam etiam sermone aurea hæc protulit ad intentum verba. *Beatus monachus desolatus, cui mundus exilium, cælum patria, cella paradisus est. Beatus religiosus Deo deuotus, sæculo ignotus, cui oppidum carcer, claustrum refrigerium, solitudo solatium, silentium pacis hospitium.* In Enchiridio, quoque monachorum cap. 1. sic habet. *O monache, quid facis in cella? Lego, scribo, colligo mella. Hæc animæ meæ solatia. Bene dixisti.* Paucis rem totam peregit. Ex iis autem, simulque, ex inferius afferendis constabit plane, quantum sibi damni vagi religiosi, quantumque vtilitatis cellæ clausuræ addicti, sibi ex mente Campensis adquirant.

Libet præterea, quæ Guillermus de Peraldo in tractatu de professione monachorum, contra vagum, & curiosum monachorum discursum scripsit, aliquibus non necessariis expunctis, hic transcribere cap. 7. loquitur. *Sequitur de vago, & curioso monacho: de qua vane, & curiose discurrente potest dici illud Hieremiæ 1. Dilexit mouere pedes suos, & non quieuit, & Domire non placuit. Monachos gyrouagos dicit D. Benedictus per omnia deteriores esse Sarabaitis. Ipsi sunt diaboli imitatores, in cuius persona dicitur Iob. 1. Circuiui terram, & perambulaui eam. Ipsi etiam sunt participes maledictionis Cain: habentes caput cordis tremulum, trepidauerunt enim tremore, vbi non erat timor: præsentia mala, quæ non sunt vera mala sed quasi vmbra futurorum malorum asperitatem scilicet claustri formidantes, & fugientes. Ipsi sunt vagi, & profugi, ab iis, qui eis occurrunt, dum discurrunt, deliciis, diuitiis, honoribus occiduntur, dum inordinate ab eis talia concupiscuntur. Sic dicit Cain de se. Ero vagus, & profugus super terram: omnis igitur, qui inuenerit me occidet. Ipsi sunt sidera errantia, quibus caligo tenebrarum obseruata est in æternis.* Hæc, & alia habet ad intentum nostrum author iste, quæ c. sequenti placuit referre,

Ex Dacriano Abbate, iure Bibliothecæ Patribus adiuncto, breui compendio rem totam, quam intendimus claudente, hæc elicio. *Si cum sæcularibus esse gaudes, si extra monasterium per vicos, & vrbes euagari desideras, monachus non es.* Similia verba in speculo monachorum Ludouici Blossij reperio. Vnde vel idem est author cum Dacriano, vel vnus ex alio mutuauit sententias. Quidquid dixeris inuenies sane, ex horum authorum mente, monachum deambulatorem, crebroque inter sæculi turbas commorantem, monachum non esse. 16

Claudat agmen celebris Abbas Trithemius, qui præcedentium Patrum mentem assequutus, graphicè sanè quid de vagis monachis nobis sentiendum sit, hisce verbis describit. hom. 12. de mo. *Monachorum est mundum fugere, & hominum turbas amore solitudinis omni tempore declinare. A solitudine monachus dicitur, sicut ab vnitate vnus nominatur. Monachus esse non potest, qui frequentiam sectatur populorum; & qui delectatur* 17

delectatur in vrbibus monasticam nedum gustauit dulcedinem: qui monachus est: cœnobij solitudinem sine causa rationabili non debet deserere. Quisquis amat vagos in vrbe discursus, conscientiam suam deseruit, & qui frequens est extra monasterium, puritatem interni profectus non custodit. Hæc Trithemius, quibus nostrum intentum satis expositum liquido constat.

18 Ex his autem planè conuincitur, non modo hos Patres acriter, monachos vagos, clausuramque monasterij spernentes reprehendere; sed eam esse huius reprehensionis causam, quod extra cellam, monasteriique septa egressi monachi, plurium criminũ occasiones concipiant: è contra, cellæ, claustrorumque tectis protecti, & suæ professionis cultores, & omnium virtutum fructus colligentes euadant. Nec obscurè id Prou. 27. Salomon dixit. *Sicut auis transmigrans de nido suo, sic vir, qui dereliquit locum suũ.* Ac si diceret: Aues è nido auolantes, *Nunc visco eas fallere, nunc retibus, aut laqueis captare contendimus,* (sic loquitur D. Ambrosius me. c. 18.) pariter virum (tu lege monachum) è loco sui cœnobij egressum, vitiorum retia comprehendunt. Quod exprimit idem Salomon, dum mulierilla, *garrula, & vaga, quietis impatiens, nec valens in domo consistere pedibus suis, nunc foris, nunc in plateis, iuxta angulos* depingitur: ea enim *ornatu metricio, & garrula* describitur. Hoc autem adeo verum est, vt teste Antiocho monacho inter Bibliothecarios adducto. *Monachus gyrouagus, ne vnius quidem virtutis frugem refert.* Celebris quoque est ad intentum Beati Nili qui Chrysostomi fuit discipulus, sententia. hom. 26. *Imperforabilis manet à sagittis inimici, qui amat quietem; qui autem miscetur multitudini crebra suscipiet vulnera,* Moyses quoque Abbas etiam inter Bibliothecæ Patres relatus, non minus piam ad intentum protulit sententiam, *Homo* (inquit) *fugiens hominem similis est vuæ maturæ, qui autem cum hominibus conuersatur, sicut vua acerba est.* Ac si diceret ad intentum. Monachus extra Monasteria, cellæque clausuram conuersans, nihil non acerbum, insipidum, & iniucundum facere potest.

19 Ad idem Sancta Abbatissa Sincletices dixisse fertur, teste Helinando apud Ioannem Nider t. 2. c. 17. *Sicut gallina deserens nidum suum, facit oua sua sine pullis exire, sic monachus, vel virgo de loco ad locum transiens frigescit, & mortificatur,* Sanctus quoque Benedictus, 4. cap. suæ regulæ, enumeratis his quæ pertinent ad monachi perfectionem, subdit. *Officina vbi hæc omnia operemur, claustra sunt monasterij, & stabilitas in congregatione.* Proculdubio indicans extra cellæ reclusionem regulæ obseruantiam prorsus perire.

20 Quænam vero specialia vitia monachus clausuram crebro egrediens sæpius contrahat, etsi plurium Patrum testimonia, quæ adduximus diserte pronuncient; clariora tamen forsan in medium producam. Deuotus Thomas Campensis in dialogo nouitiorum c. 4. sic habet ad intentum. *Nisi monachus fugiat, & recedat à societate mundana, incendetur celeriter igne carnalis concupiscentiæ, & inquinabitur pice lubricalis vitæ, discurrendo per mortifera itinera gulæ, luxuriæ, auaritiæ, superbiæ & inuidiæ, velut equus effrenis sine timore, & tanquam insensatus sine ratione.* Vnde ibidem tale consilium monacho egressuro è cœnobij clausura præbet. *Oportet quod valde fortis sit, & bene fundatus in virtutibus, atque in omni actione, & locutione incedat circumspectus, qui fructificare debet in populo, & absque periculo consciẽtiæ conuersari in sæculo.* Clarius tamen, breuius, & succinctius S. Thomas de Villanoua, Conc. 2. in 1. Domin. Quadrag. vitia quæ monachi extra cœnobum cõtrahant, sic expressit: *Monachum, vel religiosum extra cœnobium ducit Satan, vt sic per plateas vagantem, libidine inficiat, curiositate sauciet, ambitione inflet, curis sæcularibus disturbet, & à deuotionis feruore distrahendo tepefaciat, & infrigidet.* Ecce mala ex inepta vagatione religiosis prouenientia à Thoma graphicè descripta.

Spiritum quoque purissimæ orationis, qualem in regularis disciplinæ alumnis tota veneranda Patrum corona desiderat, abhis euagatoribus Monachis necessario ab esse Nicolaus Gallicus in sua illa *Ignea Sagitta* c. 8. contra quosdam quos ibi carpit, sic expressit. *Vos autem Ciuitatum habitatores, qui cellulas separatas in domum cõmunem redegistis, quid in ea sanctæ occupationis gratia, aliis alios intuentibus Spirituale tractatis? Qua hora in lege Domini meditamini, & in orationibus vigilatis? Nonne vanitas, quam de die vagando discurrendo, videtis, & auditis, dicitis, ac facitis, vestræ de nocte occurrit memoriæ? Eã cogitationibus illicitis, & immundis occupatis, vt in nullo, præter quam in ipsis distractus animus valeat meditari. O quam fœlices essetis, si quilibet vestrum posset cum Propheta verbo veraci dicere Saluatori:* Quomodo dilexi legem tuam Domine? tota die meditatio mea est; *& iterum.* Ab omni via mala prohibui pedes meos.

Ad hæc præter opera virtutum, sancta exercitia, 21
honestissimaque munia, quæ regularibus ex obseruanti cellæ, claustrique clausura, ex mente Patrum, quos adduximus obueniunt, hoc vnum insuper, maximumque bonum, commodumque ipsis contingit, vt scilicet virtutis, vitæ cõpositæ, indolisque honestissimæ signum, & indicium maximum sit posse secum in quiete cellæ, claustrique clausura crebro commorari. Docet id magnus Basilius in suis constitutionibus, sic inquiens. *Sedata animi, & requieta constitutio, virtutis est argumentum certissimum.* Habet id etiam author apud Bernardum in opusculo de vita solitaria. *Cellam* (inquit) *pati, secumque commorari, in proficiente bonæ compositionis initium est; & certum bonæ spei argumentum.* Subscribit Bonauentura in suo opusculo de pharetra, c. 6. Senecæ proloquium approbans, dicentis. ep. 2. *Primum argumentum compositæ vitæ existimo, posse cõsistere, & secum morari.* Porro, quæ ethnicus Seneca ad intentum nostrum dicit, placuit transcribere; ea enim doctrinæ plena sunt. *Bonam* (inquit) *spem de te concipio: non discurris, nec locorum mutationibus inquietaris ægri animi ista iactatio est. Primum argumentum cõpositæ mentis existimo, secum posse consistere, ac secum commorari.* Rursus hæc subiunxit satis etiam ad intentum, *Nusquam est, qui vbique est. In peregrinatione vitam agentibus hoc euenit, vt multa hospitia habeant, nullas amicitias. Non prodest cibus, nec corpori accedit, qui statim sumptus emittitur. Nihil æque sanitatem impedit, quam remediorum crebra mutatio. Non coalescit planta, quæ sæpe transfertur. Nihil tam vtile est, quod in transitu prosit.* Veritatem quoque istam olfecisse videtur monachus ille, de quo S. Ephrem Syrus hæc refert in Apophthegmatibus. *Frater quidam dum de exeundo cœnobio impugnaretur, cum is sanctum habitum accepisset, adducebant ei cogitationes exemplum eiusmodi. Considera horti olera, & vide quod nisi ex areola plantas extraxerit, qui hunc excolit, alioque, loco inseruerit, in altum non excrescent. Frater ergo cogitationi responsum dabat tale. Verumtamen, quæ euelluntur, non ita sunt in tuto, vt ea,*

quæ in loco remanent. *Esto igitur, & tu vnus ex iis, qui non euelluntur. Atque ita cooperante gratia vincebat tentationem.* Tu ergo pie, bone, sanctéque religiose, si sapis, hoc tibi vsurpa consilium, cellæque clausura contentus, & vitia eradicare, seminare virtutes, bonæque indolis, & honestatis specimen præstare poteris.

22 Nec possum non miraculosum euentum à Diuo Gregorio relatum, de Monacho quodam vago, mobilitati, inconstantiæque dedito, in hoc capite referre, vt, vel sic, si qui sunt inquieti religiosi, cellæ, claustrique clausura, libentius se contineant. Casum, visionem, seu miraculum sic refert Diuus Gregorius in 2. dialog. 25. *Quidam Monachus mobilitati mentis deditus erat, & permanere in Monasterio nolebat. Cumque eum vir Dei (videlicet S. Benedictus) assiduè corriperet, frequenter admoneret, ipse vero nullo modo consentiret in congregatione persistere, atque importunis precibus, vt relaxaretur innueret, quadam die idem venerabilis Pater, nimietatis eius tædio affectus, iratus iussit, vt discederet. Qui mox, vt Monasterium exiit, contra se assistere, aperto ore, draconem in itinere inuenit: cumque eum idem draco, qui apparuerat, deuorare vellet; cœpit ipse tremens, & palpitans, magnis vocibus clamare dicens: Succurrite, succurrite, quia draco iste deuorare me vult. Currentes autem fratres draconem minimè viderunt, sed trementem, atque palpitantem Monachum ad Monasterium reduxerunt. Qui statim promisit, nunquam se esse à Monasterio recessurum, atque ex hora eadem in sua promissione permansit.* O quoties, bone Deus, draco iste, Diabolus scilicet, vagis regularibus occurrit, eosque spiritualiter deuorare, & ad inferorum viscera trudere cupit. Adaperiat Dominus omnium nostrorum oculos, vt illum conspicere possimus, & sanctorum Monachorum, tam nostri, quam antiqui sæculi vestigiis innixi claustri septa, cellæque clausuram omnes teneamus. Memores vtinam celebris illius antiquorum Patrum sententiæ in vitis Pat. l. 6. *Quando intrabat Moyses in nube, cum Deo loquebatur; quando autem exibat de nube, cum populo; sic, & Monachus, quando in cella sua est, cum Deo loquitur, egrediens autem de cella, cum Dæmonibus est.*

23 De hoc instruimur, exemplo cuiusdam Monachi, qui curandæ infirmitatis causa Monasterium egressus est: qui spiritu fornicationis actus, fœminã, quæ illi infirmo ministrauerat, vitiauit. Quod, & ante egressum è cœnobio illi prædixerat Abbas Moyses. Testatur casum Marcus Marulus in suo opusculo lib. 4. c. 3. Quod ipsum narrat Seuerus Sulpitius dialog. 1. accidisse alij Monacho à Diabolo arrepto, eo, quod sub prætextu saluandi cognatos Monasterium deserebat. Vtinam his terreamur, & clausuræ cellæ amatores effecti, egressum è Monasteriis formidemus. Idem quoque intentum cap. sequenti confirmabimus.

SVMMARIVM.

Plura Patrum testimonia quæ eò præcipuè tendunt, vt nulla excusatio pro religiosis vagis admittatur, hoc capite recensentur. num. 1.

Quantum errent qui prætendunt hanc euagationem licere, vt sibi necessaria comparent. num. 2.

Ex honesta regularium deambulatione non solum ad eleemosynas illis faciendas sæculares non induci, sed potius ad odium erga ipsos exitari. num. 3.

Quid sentiendum de aliis, qui egressum è Monasteriis sibi licere contendunt, quod circa pietatis, & misericordiæ opera exerceri se extra cœnobia dicant. num. 4.

Quam sit futilis prædicta excusatio. num. 5.

Quantum sibi damnum asciscant Monachi sub prætextu charitatis claustra deserentes. num. 6.

Aptissimum exemplum adducitur ad hoc intentum. ib.

Aliud exemplum de Monacho peregrinationis causa pia loca visitante. num. 7.

Reiicitur prætextus inuisendorum consolandorumque parentum. num. 8.

Memorabile Machetis Abbatis factum ad rem. n. 9.

Quam fœcundus in hoc puncto Bernardus. num. 10.

Aduersus illos, qui suimet solam consolationem carnalem quærentes domos propinquorum visitare contendunt. num. 11.

Neque vt cordis anxietati, tristitiaque medeantur Religiosis egredi licet. num. 12.

Quando Monachis egredi liceat. num. 13.

Modus in hoc egressu seruandus. num. 14.

Monachorum deambulatio inter sæculares contemptum monachismi generat. num. 15.

Quid de iis senserit Erasmus. num. 16.

Religiosos quos passim sæculares vident, mundo nondum mortuos, sed viuentes probant. num. 17.

Mala quibus Religiosi vagi irretiri solent. num. 18.

Non omnibus indiscriminatim in necessariis, sed peritioribus tantum competit egressus è Monasterio. n. 19.

Importuna egressio è Monasteriis apostatandi ansam tribuere solet. num. 20.

Exemplares aliquot casus. ibid.



CAPVT VIII.

Prosequitur idem intentum de nimia euagatione Regularium extra cœnobia, euitandâ.

TANTI ponderis, & momenti obseruantia de regularium decenti clausura apud me habetur, vt plus cæteris in hac causa laborandum censeam. Hoc ipsum ex Patribus didici, qui dum reformationem rectamve institutionem Monachorum intendunt, totis viribus huic obseruantiæ inhærent. Plura testimonia præcedenti capite congessi, restant tamen alia, quæ eo præcipuè tendunt, vt nullam causam excusationemve pro religiosis nimis vagis, admittant. Quo magis ipsi vitium recognoscant, & negligentes inuenti corrigantur, ad rectumque tramitem religiosæ clausuræ reuocari possint. Id fiet, dum aliquot excusationis causæ ab imperfectis religiosis adductæ discutiantur, qualiterque à Patribus religiosæ perfectionis antesignanis æstimentur, in medium producam. 1

Prætendunt primò deambulatores isti regulares (si qui iam sunt) hanc irreligiosam euagationem licere; vt sibi victum, alimenta, corporisque necessaria comparent; non enim alio modo secularium frigida corda ad eleemosynas elargiendas emolliri (inquiunt) posse, nisi cum illis crebra, continuaque communicatio habeatur; ad quam necesse est cellæ, claustrique clausuram sæpius derelinquere. Sed bone Deus! quantum isti errant, & quam longè à veritate distant, dum victum, cæteraque corporis adiumenta ex irreligiosa vitæ ratione sibi mendicare volunt! Satius illis foret si hæc, & alia, ex rectè composita Monastica vita sibi subsumerent. Ignoro prorsus quãtum apud istos valeat illud Christi Domini. Matth. 6. *Nolite soliciti esse dicentes.* 3

Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quomodo operiemur? hæc enim omnia gentes inquirunt. Scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis. Quærite ergo primum regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis. Quæ vera adeò expresse nostrum comprobant intentum, vt expositione non egeant. Vnde Laurentius Iustinianus de obed. c. 19. ex hoc loco intulit intentum, Monachos monens, quod iuxta promissionem Christi, quærentes primum regnum Dei, & iustitiam soliciti non sint circa corporis necessaria. *Nam quemadmodum* (inquit) *est liberalis promissor, æque est fidelissimus redditor; fiet iuxta ipsius sponsionem, si tamen verbis illius adhibeatis fidem.* Innuens Laurentius corporeas Monachorum necessitates, potius per regularem obseruantiam, quam per irreligiosam vitæ rationem, mederi posse. Idem mihi sonat celebris illa Lactantij sententia de ira cap. 12. *Religio, & timor Dei solus est, qui custodit hominum inter se societatem.* Ac si apertius diceret, religiosis, potius regulari obseruantia, & timore Dei, quam magna solicitudine victualia quærere, conuenire. Ad idem quoque intentum S. Ephrem Syrus Paræn. 44. hæc habet. *Quid nobis, & sæculo? Quid nobis, & negotiationibus huius vitæ, qui mortui sumus mundo?* Subiungit postea imperfectorum Monachorum excusationem, de alimento quærendo. *At de alimentis sit sermo?* Cui respondet. *Minus ad carnis ministerium sufficiunt, maximè adiuuante nos Domino.* Ac si diceret, corporeas Monachi necessitates, potius manuum labore, & quod magis est, speciali Dei prouidentia veris religiosis promissa, quam vitiosa euagatione extra cœnobia comparandas esse. Optimè quoque Cassianus de Spi. ace. num. 10. cap. 7. expendit, Monachos istos, qui sub prætextu alimenta quærendi, nimium extra claustra euagantur, neque apud sæculares ipsos, inter quos obambulant, honestè incedere posse, aut inhonestos non apparere. Cassiani en verba. *Nunquam potest, neque apud eos quidem, qui sæculi homines sunt, honestè incedere, qui nequaquam claustris cellæ inhærere contentus est. Sed necesse est eum inhonestum esse, dum necessaria victus requirit.* Vt vel hic videant religiosi, vagam deambulationem extra cœnobia, etiam ad victum necessarium quærendum, inutilem esse.

3 Ex Patribus quoque recentioribus idem intentum confirmare libet. Ex quibus D. Bonauentura, experientia doctus, testatur, ex inhonesta regularium deambulatione, non solum ad eleemosynas illis faciendas sæculares non induci, sed potius ad odium erga ipsos excitari. Ergo in epistola quadam ad Prouinciales sui Ordinis transmissa, in qua de causis relaxationis religionum loquitur, hæc dicit. *Occurrit euagatio plurimorum, qui propter solatium suorum corporum grauando eos, per quos transeunt, non exempla post se relinquunt vitæ, sed scandala potius animarum. Occurrit importuna petitio, quæ omnes transeuntes adeo abhorrent fratrum occursum, vt eis timeant, quasi prædonibus obuiare.* Vnde inferius strictè præcepit iisdem Prouincialibus. *Vt vagantes compescant ad quietem, & importunè petentibus imponant silentium.* Intelligebat sanè S. hic Pater victum, alimentumve necessarium, nullatenus ex nimia vagatione fratrum, sed potius ex honesta clausura procurari: cum potius vaga Monachorum deambulatio exosos, & molestos sæcularibus, quam amabiles reddat. Vnde venerabilis Thomas de Campis de valle lili. cap. 18. ad nostrum intentum hæc habet. *Vagus, & otiosus religiosus, qui otiosè circuit, donis cœlestibus indignus efficitur, & aliis est molestus.* Optima certè compensatio pro inquieta deambulatione; vt donis cœlestibus priuetur religiosus, & sæcularibus molestiam pariat. Quare hoc vnum religiosis mentibus inhærere debet, vt Deo toto corde inhærentes, reformationem sui Ordinis sectentur, hincque putent sibi à Deo necessaria corporis, prouenire. Vnde testatur Ioannes Nider tit. 1. de lapsu rel. cap. 12. *Vidi, & expertus sum, quotiescumque reformabantur Monasteria virorum, aut fœminarum nostris temporibus, semper quam antea se in temporalibus melius habuisse. Non ergo trepident timore, vbi non est timor hi, qui deformato verè renunciant sæculo.* Optimè quoque nostri sæculi decus S. Theresa, modum, quo religiosi se gerere debeant circa corporis victum, alimentumque quærendum, præscribit; affirmans, non industria humana, sed recta in Deum intentione, obseruantia scilicet regulari Ordinis, metiendum esse. Sic enim habet ad Moniales in lib. de via perfe. cap. 2. *Iamas por artificios humanos pretendais sustentaros, que morireis de hambre, y con raçon. Los ojos en vuestro esposo, que el os ha de sustentar. Contento el, aunque non quieran, osdaran de comer los menos vuestros deuotos.* Hæc si attenderent regulares omnes, simulque illud Psalmi. *Non est inopia timentibus eum. Diuites eguerunt, & esurierunt, inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono*, facilè sibi persuasum haberent, victum, alimenta, corporisque necessaria non per inutilem, ineptamque euagationem extra cœnobia; sed per clausuram honestam, sanctæque religionis obseruantiam, sibi paranda esse. Ac proinde futilem excusationem irreligiosæ euagationis, ex hoc capite desumi.

Alij secundò forsan eam ob causam sibi egressum quotidianum à Monasteriis licere contendent, quod circa pietatis, charitatisve, aut etiam misericordiæ officia exerceri se extra cœnobia dicant. 4
Quid verò de istis sentiendum sit, quidve illis non raro contingat, quam friuoláque sit istorum excusatio, non semel, sed sæpius depingit B. Thomas de Villanoua, de sæculo nostro, & Monastica disciplina optimè meritus. In concione secunda de Dominica prima Quadragesimæ, sic habet. *Religiosum, & honestum Monachum sub charitatis prætextu, ad pacem inter fratres componendum, ad solatium infirmis exhibendum, & alia pietatis opera exercenda, extra cœnobium ducit Satan; vt sic per plateas vagantem, libidine inficiat, curiositate sauciet, ambitione inflet; curis sæcularibus disturbet, & à deuotionis feruore distrahendo, tepefaciat, & infrigidet.* Deinde in concione de D. Nicolao, improbos aliquos, quos arbores siluestres, filiosque huius sæculi vocat, commemorans, sic inquit. *Tales sunt religiosi negotiatiores, qui deserentes claustrum, silentium, & chorum, & cætera, quæ statui suo principaliter conueniunt, tota die per vicos, & plateas negotiis quibusdam pietatis (vt ipsi dicunt) implicantur. Quæ vtique opera, & si aliis bona essent, sibi tamen minimè conueniunt.* Præterea in concione prima de S. Dorothea sui propositi non oblitus, sic loquitur. *Videas Monachos claustro relicto, in media ciuitate vagantes, aliorum negotiis libenter implicari: alios pauperibus alendis, alios viduis visitandis, alios populis erudiendis, alios amicitiis reconciliandis, non sine grauissimo lampadis propriæ detrimento, indiscretè incumbere, suamque dispersionem charitatis zelo palliare.* De his tamen quid sentiat subiungit. *Non est hæc charitas, sed grandis stoliditas; propriæ vocationis terminos transgredi, propriam lampadem extinguere, vt alienas accendant: seipsos damnationi exponere, vt alios saluos faciant.*

faciant. Et inferius. *Si accedat mandatum Prælati, vt aliis copiam faciat, confidenter obediat.* Quæ omnia si coniungas, elicies sanè Monacho non licere, etiam sub prætextu pietatis charitatisque operum, Monasteria crebro exire, nisi in casu speciali, Prælatique obediētia vrgente. Alioquin excusatio inutilis putatur, à viro Sanctissimo, Antistiteq; celeberrimo.

5 Idem quoque intentum ex Patribus antiquioribus confirmare libet, vt inde videant deambulantes, vagique religiosi futilem eorum esse excusationem, si sub prætextu charitatis proximorum suas cellas, cœnobiaque relinquant. Ego S. Ephrem Syrus in tractatu de Monacho, & turture, postquam vagam Monachorum inconstantiam de vno loco ad alium properantium damnauit, sic adstruit. *Neque prætexueritis ô Monachi, errore ducti, mandata, & beneficia, curam senum, & hospitalitatem, non enim ab Angelis talia requirit Deus, sed tantummodo vt semper laudetur, & honorificetur ab ipsis.* Ac si diceret, nullatenus sub prætextu piorum operum cellæ quietem amittatis, cum muneris vestri potius sit in illa laudare Dominum, quam externis aliis operibus incumbere. Ad idem D. Hieronymus Ecclesiæ lumen, dum Paulinum instruit, Episcopi opus esse saluti aliorum prospicere; Monachorum verò non nisi cœnobij claustra sectari. *Si officium* (inquit) *vis exercere Presbyteri, si Episcopatus te, vel opus, vel honos fortè delectat, viue in vrbibus, & castellis, & aliorum salutem fac lucrum animæ tuæ. Sin autem cupis esse quod diceris Monachus, id est solus, quid facis in vrbibus, quæ vtique non sunt solorum habitacula, sed multorum?* Egregiè sanè frigidam religiosorum retundit excusationem, qui sub prætextu salutis aliorum, propriam spernunt salutem, propriam quoque dimittendo cellam, claustrique septa. Hinc Cassianus, antiquorum Monachorum mores describens, spiritu acediæ agitari docet tales religiosos, qui cellularum claustra deserentes, pia opera erga sæculares prætendunt. Sic verò loquitur graui, & eleganti stylo de hoc Monachorum vitio lib. 10. cap. 2. *Honestas, ac necessarias suggerit salutationes fratribus exhibendas, visitationesque infirmorum, vel è minus, vel longius positorum. Quædam etiam pia ac religiosa dictat officia, illos, vel illas parentes debere inquiri, & ad salutandos eos crebrius properari. Illam religiosam, deuotamque Deo fœminam, omni præsertim parentum præsidio destitutam, magnum opus esse pietatis frequentius inuisere, ac si quid ei sit necessarium, quæ à propriis parentibus negligitur, atque despicitur, sanctissimum procurari. Magisque oportere in his operam pietatis impendi, quam infructuosè, & sine vllo profectu in cellula residere.* Hæc Cassiani verba adeò vera sunt, vt se ipsis prodant vitium, & defectum illorum regularium qui sub prætextu similium bonorum operum cellæ quietem clausuramque spernunt; vt, vel hinc tales cognoscant, non charitatis calore, sed acediæ stimulis agitari superfluos discursus, visitationesque intendentes. Hic etiam Antiochus Monachus in homiliis, quæ in Patrum Bibliotheca habentur, ea referens, ob quorum suggestum Monachi Monasteria egredi solent, illud affert. *Quod id fiat ob publicam vtilitatem procurandam, aut certè infirmos, vt interuisant.* Abs dubiè indicans sæpè sæpius excusationem hanc diaboli suggestu prouenire: ac perinde reiiciendam esse à Monachis sui instituti zelatoribus.

6 Porrò quantum sibi damnum Monachismi professores asciscant, sub falso prætextu charitatis, pietatisve cœnobij claustra deserentes, aptissimum exemplum ex Vitis Patrum ab Vmberto relatum, & in apothegmatibus 8. tom. Bibliothecæ adductum, satis declarat. *Cum tres facti fuissent Monachi, elegit vnus litigantes ad pacem reducere; alter infirmis seruire, tertius quiescere in solitudine. Primus autem tædio victus venit ad secundum, & conferens cum eodem de statu suo, inuenit, & ipsum præ tædio deficientem, & concordantes venerunt ad tertium narrantes ei tribulationes suas, & quærentes quid ipse profecisset, & implens scyphum cum aqua turbata dixit eis: Respicite. Et respicientes in aqua nihil viderunt. Tunc posuit scyphum, & dimisit aquam quiescere, & cum quieuisset, dixit eis: Respicite. Et tunc respicientes viderunt vultus suos. Et dixit: sic est, qui est in medio hominum præ turba non videt peccata sua, cum autem quieuerit in solitudine, cognoscit illa.* Exemplum hoc manifestè satis exponit, quietem conscientiæ, sui cognitionem, & alia huiusmodi bona impediri maximè si Monachi claustra egrediantur, etiam sub vmbra charitatis, vel pietatis. Quod intellige, cessante obligatione præcepti, aut obedientia superioris.

Libet etiam exemplum aliud proferre, de Monacho peregrinationis causa pia loca visitante, Monasteriumque, cui erat addictus, relinquente. Casum per hæc verba refert Ioannes Nider Dominicanus ex Gaufrido super Apocalypsim, & Vincentio in suo speculo historiali. *Honorabilis quidam Ioannes nomine Sacerdos Ecclesiæ Lugdunensis, propositum concepit Ordinem Cisterciensem in Monasterio regularissimo intrare: mutato autem proposito in eius recompensam limina S. Iacobi visitauit. A quibus domum propriam rediens fatigatus ex itinere in cubiculo obdormiuit. Cui Christus cum Apostolo Petro, & Iacobo apparuit. Petro autem librum tenenti Christus iubet, vt aperiat. Erat autem scriptus aureis literis nomina prædestinatorum continens. Et cum Petrus legeret nomina plura, & ad Ioannem veniret prædictum, dicit Christus. Tolle, tolle, dele eum, dele: quia meum futurum promiserat, & resiliit à promisso. Accedens autem Iacobus orabat: Domine, meus est peregrinus, ne deleas eum, obsecro. Cui Dominus: Meus, inquit, non peregrinus: sed ciuis esse debuerat. Nonne maius est ciuem meum esse, quam tuum peregrinum? Et iterum Iacobus. Ne quæso piissime, eum deleas, obsecro, fideiubeo pro eo, quod propositum exequetur. Et Dominus: Quando? Cui Iacobus, infra quindecim dierum spatium. Et tunc Ioannes euigilauit, & solotenus prostratus, pro fideiussione B. Iacobo gratias egit cum lachrymis, dicens. Faciam prorsus B. Iacobe, quod me spopondisti. Post fletum igitur iterum obdormiens vidit Christum, & præfatos Apostolos, ac Petrum ad Christi iussum de libro legentem ita. Murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento. Iterum euigilans ante dies promissionis mox Monasterium Bonæuallis intrauit. Vbi primus Abbas effectus, & post Ecclesiæ Valeriæ Antistes, in vita, & morte multis coruscans miraculis.* Ex quo casu, diuinaque visione liquidò manifestum fiet, plus Deo placere religiosum loci sui septa tenentem, quam peregrè abeuntem, deuotionis etiam causa, dummodo præceptum superioris absit. Ac proinde admittendam non esse excusationem foras exeundi religiosis, qui sub ementito prætextu charitatis, pietatis, aut religionis etiam, cœnobij sui claustra deserunt. 7

Alij forsan tertiò sunt, qui ex eo licentiosam sibi exeundi extra cœnobia, permittendam esse facultatem, velint, quod inuisendorum, consolandorumve parentum, fratrum, aut consanguineorum, causa, exeant. Sed hanc excusationem reiiciendam esse, & quid de illa sentiendum D. Basilius in constitut. c. 8. 8

sic instruit. *Illud etiam tenendum est, vt nequaquam quouis prætextu, visendorum, conueniendorumque fratrum crebro è Monasterio velimus egredi. Siquidem diabolicum istud quoque commentum est; quando huiuscemodi artificio vti aduersarius solet, ad disciplinæ nostræ stabilitatem, ordinemve religiosæ huius vitæ labefactandum, ac peruertendum, atque hoc modo nos, voluptatum illecebris illectos, variis, iisque instabilibus cogitationibus facere obnoxios, studet.* Concinnè satis hic depingit Basilius futilem excusationem hanc esse, & à Satana in cor Monachi immissam, vt eum voluptatum illecebris obnoxium reddat. Rursus easdem visitationes consanguineorum damnans, sic addit in q. fusis disp. 32. *Nam supra hoc, quod illis nullam vtilitatem exhibemus, insuper, & nostram vitam, tumultibus, & turbatione replemus, & peccatorum occasiones attrahimus.* Et in const. mon. cap. 21. *Eoque promouet, vt habitum religionis tantum instar statuæ circumferamus, illi nullo pacto virtutum studio correspondentes.* Alio quoque loco, sic admonet Monachum de huiusmodi visitationibus consanguineorum. *Si mortuus es cum Christo à cognatis tuis secundum carnem, quid rursus inter ipsos conuersari cupis? Si verò quæ destruxisti propter Christum, rursum ædificas propter cognatos tuos, transgressorem te ipsum constituis. Ne igitur ob cognatorum tuorum necessitatem recesseris à loco tuo, nam discedens è loco, fortassis ex æquo discedes à moribus tuis.* Basilij mentem assecutus videtur Hieronymus, qui in regula collecta per Lupum, sic habet. *Quanti Monachorum, dum patris, matrisque miserentur, suas animas perdiderunt.* Quibus verbis mors spiritualis Monachorum egressui è Monasteriis propter patrem, aut matrem tribuitur. Quod exposuisse videtur Isidorus, dum de summo bono lib. 1. scriptum reliquit. *Multi Monachorum amore parentum, non solum terrenis curis, sed etiam forensibus iurgiis, inuoluti sunt, & pro suorum temporali salute suas animas perdiderunt.* Benè ergo, consultè satis, lepideque nimis, sanctus ille Franciscanus Monachus Ægidius, cuidam volenti fieri religiosus dixit. *Vade ergo prius, & occide omnes cognatos tuos.* Ac si diceret, si propter illorum curam mors tibi spiritualis imminet, satius tibi erit, eos spiritualiter per obliuionem scilicet, interficere, quam ab illis, misere occidi. Ad quod meo videri, non incongruè affertur illud Deuteron. 33. sic dicitur. *Qui dixit patri suo, & matri suæ nescio vos, & fratribus suis ignoro vos, & nescierunt filios suos; hi custodierunt eloquium tuum, & pactum tuum seruauerunt.* Hoc intellige spiritualiter, & mysticè de Monachis.

9 Extat circa hoc memorabile Machetis Abbatis factum, qui postquam quindecim iam annos in solitudine exegisset, & ad eum patris, matris, amicorumque literæ ex Ponti Prouincia delatæ essent, eas non modo non lectas, sed ne resignatas quidem, ne vel inani eum gaudio lactarent, vel infructuosa tristitia afficerent, igni statim comburendas tradidit. *Ite*, inquiens, *inanes cogitationes patriæ, pariter concremamini; ne me vlterius ad illa quæ fugi, reuocare tentetis.* Legatur Cassianus lib. 5. cap. 32.

10 Quis verò credat dulcifluum Bernardum in hoc puncto sterilem fore, qui in omni negotio spirituali, fœcundum se præbet? Ergo sermone 2. de mutat. aqu. in vin. hæc habet, circa expositionem verborum Christi. *Quid mihi, & tibi mulier?* Bernardum attendite. *Vt quid ergo fratres, vt quid sic respondeat? Vtique propter nos, vt conuersos ad Dominum iam non solicitet carnalium cura parentum, & necessitudines illud non impediant exercitium spirituale. Quandiu enim de mundo sumus, debitores nos esse constat parentibus. At postquam reliquimus nosmetipsos, multo magis ab eorum solicitudine liberi sumus.* Quod, & confirmat exemplo cuiusdam eremitæ, propinquitatis huiusmodi iura etiam in fraterna necessitate denegantis. *Vnde* (inquit) *legimus fratrem quendam in eremo conuersantem, cum ad eum carnalis frater, auxilij gratia aduentaret, respondisse; vt adiret alterum fratrem eorum, cum ille vtique iam obiisset. Cumque admiratus, qui venerat, responderet, quia ille obiit; eremita se quoque obiisse respondit.* Concludit ergo Bernardus. *Optimè ergo nos docuit Dominus ne soliciti simus super propinquos carnis nostræ, plusquam religio postulat, quando ipse matri, & tali matri respondit: Quid mihi, & tibi mulier, &c.* Ecce Bernardum clarè docentem religionem propinquis præponendam esse. Ac proinde, clausuræ amorem maiori pretio apud regulares habendum, quam inordinatum parentum, & aliorum affinium affectum.

Si verò Patres isthæc de Monachis egredientibus extra cœnobium, propter parentum, vel consanguineorum aliqualia commoda dixerunt, quid sperabamus dicturos de illis, qui suimet solam consolationem carnalem quærentes, domos propinquorum visitare contendunt? De his audiatur Ioannes Trithemius Monachus, & ipse de Monachorum perfectione bene meritus. Homilia 12. de mon. sic loquitur ad intentum. *Qui domos parentum circuit, & epulis delectatur proximorum, se non considerat Monachum. Qui dormit in domo cognati sui, quærit solatia: & qui declinat religiosorum conuentus, perniciosam sequitur libertatem. Monachus in domo patris, & matris, quasi agnus in medio luporum, & quasi lupus, qui venatorum circumdatus est canibus. Si Monachus es, si Dei seruus, & miles, quid facis in domo parentum?* Grauia sanè verba, & à religioso quouis ruminanda, nedum amorem parentum, cognatorumque sectatur, propriæ professioni, & statui vale dicat. Vnde sanctimonialibus, religiosisque fœminis, quæ cognatorum communicationem auidius solent appetere, hæc intimat Hieronymus Sauonarola Dominicanus in opusculo de tribus votis cap. 3. *Abeant hæ, quæ huiusmodi sunt ad legendum Sanctorum Patrum vitas, & reperient, quod nec filius propriam matrem, nec frater sororem, nec soror fratrem videre volebant. Dicente Saluatore: Non veni pacem mittere, sed gladium. Veni enim separare hominem aduersus patrem suum, & filiam aduersus matrem suam, & nurum aduersus socrum suam, & inimici hominis domestici eius.* Tandemque Magdalenam quandam Comitem Mirandolanam, habitum Monialis suscipere volentem, sic admonet. *Itaque charissima in Christo Iesu filia, statim vt intraueris religionem, debes relinquere omnes tuos existentes foris; itavt non solum nolis eos amplius videre, sed nec illorum recordari. Dicit enim Pater æternus Audi filia, & inclina aurem tuam, & obliuiscere populum tuum, & domum patris tui.* Hæc ergo omnia sibi dicta putent religiosi omnes, & domum patris obliuiscentes, solum Patrem, qui in cœlis est, cellæ ambitu quærant. Nec sub prætextu, parentes, vel consanguineos inuisendi, claustri, tecta deserenda esse, vllatenus proponant. 11

Quartò præterea, forsan alij religiosi erunt, qui ex eo nimiam euagationem, & egressum extra conuentus sibi licere putent, vt cordis anxietati, tristitiæque medeantur. Iis tamen ex diametro opponitur Cassianus collat. 24. cap. 5. cuius titulus, & intentum 12

tentum sic se habet. *Quod euagatione corporis, grauetur magis, quam releuetur cordis anxietas.* Vnde inter alia verba illius capitis hæc sunt maximè notanda. *Hi ergo, qui nec dum possunt, vel norunt voluntatũ suarum instigationibus reluctari, cum intra cellam fuerint anxiati; si progrediendi sæpius libertatem, sibi remissa districtionis lege, concesserint: acriorem aduersus se pestem, hoc vt putant, remedio, suscitabunt. Sicut gelidissimæ aquæ haustu vim internarum febrium, quidam restinguere se posse credunt, cum vtique accendi ex hoc ignem illum constet, potius quam sedari; siquidem momentaneam illam eleuationem multo grauior consequetur afflictio.* Ecce quomodo nullum leuamen ex inordinata egressione extra cœnobia regulares accipiant, ex mente Cassiani, nec etiam cogitationum tumultibus, vitiorumque adumbrationibus, aliisque animi anxietatibus, medeatur monachus foras progrediendo. *Si enim* (Sancti Ephrem Syri verbis vtor paræn. 44) *dum in nostra residemus, atque quiescimus cella, vitiorum cogitationibus, rerumque adumbrationibus obsistere nequimus, quomodo non magis, faciliusque capiemur, si in alienigenarum manubias nos ipsos coniecerimus:* Inepta ergo, prorsusque insipida excusatio monachorum est, dum ob animi torporem vitandum, egressum è cœnobiis prætendunt. Ad id Bernardus, seu author sermonis ad fratres de monte Dei. *Qui animi ægritudinem contendit expellere de loco in locum procedendo, quasi qui vmbram suam contendit euadere fugiendo.* Optimè quoque Senec. ep. 28. *Licet vastum traieceris mare, licet, vt Virgilius terræque, vrbesque recedant, sequentur te quocumque perueneris vitia,* Et Socrates à Seneca relatus. *Quid miraris nihil tibi prodesse peregrinationes, cum te circumferas? Premit te eadem causa, quæ expulit.* Vnde merito hæc omnia monachis vagis (si qui sunt) tædij auferendi, seu mitigandi causa, dicere possumus. Cum enim huiusmodi tædium, animive tristitia, ex propria immortificata voluntate ortum ducat, abs dubiè ex vago circuitu, inquietaque deambulatione medelam non accipit; sed augmentum, vt ex Cassiani verbis adductis innotescit.

13 Ast tandem rationibus istis conuictus, quis dicat, cum monachi clausuræ votum, non emiserint, non est cur ad illam obseruandam astringantur. Sed certe aliud est quotidiana, circumuagaque deambulatio monachorum, aliud verò honesta, prudens regulataque egressio è monasterio. Primum prohibet ratio, abhorrent Patres, nosque in præsenti detestamur? Secundum verò, vtpote rationi consentaneum, nedum damnare, sed potius approbare volumus, verbis D. Basilij fidentes: *Neque vero tamen propterea perpetuo est tanquam in custodia permanendum: sed quandocumque, & res poscit, & conscientia non reprehendit, libere est fidenterque prodeũdum.* Ecce monache, non tibi perpetua cellulæ clausura præcipitur; *Sed quandocumque res poscit, & conscientia non reprehendit.* Res tamen, nunquam quotidianam, & continuam tibi egressionem poscit; nec cõscientia, si recta est, hoc tibi vnquam approbare potuit. Vt verò, quando res poscat, & conscientia non reprehendat, scias regulam tibi viuam præscribo, legem scilicet, seu superioris voluntatem, qui tibi tempus egrediendi designabit. Sed proh dolor! quia vt testatur S. Ephrem Syrus paræn. 44. *Sunt nonnulli, qui prætextu obedientiæ, propriam quoque perficere concupiscentiam quærunt, secundum hominem veterem.* His similis eris, ô religiosem, si necessitatem ementitam Prælato proposueris: si ab illo importunis precibus licentiam exeundi obtinueris, si ipse ob tui superbiam, iram, animumque rebellem, talem tibi facultatem inuitus concesserit. Satius tibi erit, si honestissima, vrgentissimaque causa non vrgente cellæ clausura contentus viuas, te solo, in Domino gaudens. Senecam auscultans dicentem. epist. 10. ad Luci. *Audeo te tibi credere. Vide quid de te sperem: non inuenio, cum quo malim te esse, quam tecum.* Vel saltem sanctorum religiosorum, cum quibus commoraris societate gaudeas, nullam aliam expetere velis; Xenophontem audiens affirmantem. in lib. de Cyro. *In periculis fouet spem bonorum societas.*

Si verò necessitas exeundi, præceptum Superioris, vel aliqua vrgens causa, monachum è cella extractum, per vicos, & plateas ciuitatis, aliquandiu ambulare cogat: tunc ex Patribus antiquis, grauissimorumque religiosorum, huius etiam nostri sæculi exemplo, modum excipiat, Basilium audiat ista loquentem serm. 2. exercit. *Si ita contigerit te iuxta circumstantiam negotiorum aliquando è cella proficisci, armatus pectore timore Dei, & inserta in manu charitate Christi, deuictisque per omnem continentiam, voluptatum incursibus, statim necessitate expleta, resili.* Ecce modũ, ecce normam è Basilio. Vel audiat Petrum Diamianum in suo apologetico, sic loquentem. *Si occasionis articulus accidat, vt egrediendi necessitas imminere videatur, non mox ad vagandum se leuiter proruat, non ad sæculi vanitatem affixus, mundo animus concalescat: sed morosè, & grauiter intra se deliberet dicens: Spoliaui me tunica mea, quomodo induar illa? Laui pedes meos, quomodo inquinabo illos?* Si placet tandem Esaiæ Abbatis inter Bibliothecæ Patres numerati tom. 2. orat. 3. consilium, accipiat. *Si in ciuitatem, aut vicum processeris, oculi tui deorsũm aspiciant, ne hostes tibi in cella suscites.* Multa ad hoc intentum legi in Nazianzeno oratione de pace. Multa quoque in aliis facile obuia sunt. Solum addam ex Basilio adducto, quo animo quoque affectu, ac iucunditate, religiosus reditum ad conuentum expetere debeat. *Velocibus* (inquit) *alis vtere ad reditum, velut innocens quædam columba ad arcam quæ te emisit, transfugiens. Sicque persuadens tuis cogitatibus, contingere tibi non posse in vllo alio loco salutarem requiem.* Hæc faciendo, religiose sancte, viues, dicens cum Hieronymo. *Viderint quid alij sentiant. Vnusquisque enim suo sensu ducitur. Mihi oppidum carcer, & solitudo paradisus est.* 14

Nec prætermittendum, quod Religioso è clausura egredienti, socius, & comes semper, & inseparabiliter adhærere debeat. Id etenim Sanctorum Patrum, & præsertim Pachomij, Augustini, Benedicti, & aliorum monumenta docent. Id quoque facto ipso docebat S. Carolus Cardinalis in Sanctorum album meritò relatus, vt traditur à Scriptoribus vitæ ipsius: quamquam enim in resalutando nunquam deerat officio suo, vir humilis verè, atque humanus; tamen obuios Religiosos sine socio minime resalutabat; quod haud vllo honore dignos duceret eos, in quibus maximam Religionis, ac probitatis notam deesse videret. Nam omni improbitatis extincta suspicione per socij præsentiam necessario conficitur, vt Religiosus probus habeatur, Regularis obseruantiæ cultor in omnibus, virtutis, ac morum honestate decoratus: proinde illo dignus honore, qui huiusmodi Religiosis debeatur. Sic quoque Thomas Cantipratanus *lib. 2. cap. 11. §. 1.* Quam sit vera, inquit, hæc sententia, væ soli, ego noui qui annis 30. vices Episcopi in diuersis Prouinciis habui: qui in hoc articulo, quo Religiosi soli vadunt in viis, vel soli manent in curiis, horrenda

renda mala, horrenda scandala, horrendaque pericula frequenter audiui; quæ nunquam sustinuissent adiuncto socio, vel fecissent. Hæc, & alia ad intentum Laurentius Beyerlinck *in Theatro vitæ humanæ tom.6. littera R. verbo Religiosus Religio*, subiungens etiam S. Thomam Aquinatem dicere solitum fuisse, *Monachum solum Dæmonem esse solitarium.*

15 In hoc capite illud adiungam, quod scilicet, vna ex præcipuis causis, quare religiosus, nimiam euagationem fugere debeat; ea sit, quod incauta, indecens, vagaque monachorum deambulatio inter sæculares vilipendium, contemptumque monachismi generet.

16 Nec circa hoc curo de improborum hominum sensu, qui omnia in malignitatem vertunt, qualis fuit Erasmus, qui teste Alberto Pio lib.5. de monachis eos accusabat, inquiens: *Vndique offendi, eorum aliquos in vehiculis, aliquos in nauibus, in viis, &c.* Quia vt ipse Albertus dicit. *Id efficit, tum eorum multitudo, tum munus illis iniunctum, non quippe prorsus, secedendo ab hominibus, vitamque tantummodo contemplatiuam ducendo, quemadmodum monachi incolæ deserti primo instituti sunt, sed etiam partim ad actiuam, & ad ea munia peragenda, quæ ad populi procurandum salutem pertinent.* Erasmo ergo, & aliis prætermissis, pios testes aduocabo, qui causam nostram tueantur.

17 Habet id Bernardus in paruis sermonibus. Exponens namque illud Canticorum: *Dentes tui sicut grex tonsarum* per *Dentes* religiosos intelligit, ex eo inter alia, quod risus, & contemptus sint signa cum videntur. Sic verò loquitur. *Dentes clausi sunt, ne videantur: sic, & nos materialibus vallis circumcingimur, ne sæcularium oculis, & accessui pateamus. Indecens est si appareant nisi interdum forte ad risum, quia nihil turpius, quam monachus per vrbes, & castella discurrens.* Ecce risum, & contemptum religiosi status, ex nimia monachorum deambulatione. Habet idem piissimus Rusbrochius per hæc verba tabern. fœd. c.123. *Alij fratres hinc, inde, obambulant; alij visitatũ eunt filios suos, seu filias spirituales quod vtilitatis quidem, aut parum, aut nihil habet; sæpè verò etiam dedecus ingens, ac ignominiam parit.* Habet id etiam commune proloquium. *Nimia consuetudo parit contemptum.* Si enim sæculares religiosos omnes passim, & singulis momentis cernant, eos mundo nondum mortuos, sed viuentes probant: sicque facilè aspernantur, quos solo habitu à se dissitos conspiciunt. Huiuscemodi autem causam optimè tradidit Trithemius hæc dicens. *Tot monachorum sunt indices, quot inspectores adesse videntur. Omnium oculi sæcularium in monachos suspiciunt, & sanctitatem, quam illos audiunt professos, in operibus exquirunt. Plus offendit monachus in vno temerario verbo, quam homo sæculo deditus in decem millibus. Quantumlibet enim leuis, & scurrilis homo videatur mundanus, monachorum tamen insolentiam æquanimiter tolerare non didicit: quoniam omnes claustrales, non quales sint, sed quales esse deberent, rustica simplicitate credit. Vnde malum verbum, aut factum, apud illos, monacho ad damnationem ascribitur, quod mundano homini ad veniam imputatur. Nec immeritò.* Cum igitur religiosi omnes famæ, & honoris integerrimi zelatores esse debeant: *Prouidentes* (vt inquit Paulus) *bona non tantum coram Deo, sed etiam coram hominibus*; qualiter inter sæcularium choreas, vrbium strepitus, oppidorumque concursũ, bene se habebunt? *Omnis vita* (inquit Augustinus, vel auctor nomen eius ostentans) *religionis professæ, integritatis debet formam sentire, ne quem expectat corona virtutis, pudor damni feriat.* Pigeat ergo sanctum, probumque regularem, suæ saluti, bonæ famę, authoritatique religiosæ, derogare, claustra monasterij, sine vrgentissima causa egrediendo.

Libet vltimo in calce huius capitis, Guillelmi de Peraldo verba in tractatu de professione monastica, transcribere. Ea enim aliquot mala continent, quibus religiosi vagi irretiri solent. *Stella de cœlo cadit cum monachus cœlestem conuersationem deserens ad sæculum redit. Abel egressus in agrum occisus est, sic claustralis innocens, cum à claustro in mundum regreditur, morte culpæ occiditur. Coruus cum ab arca regressus est, ad illam non est reuersus; cadaueribus enim est illectus: sic aliquando monachus de monasterio egrediens, & per mundum discurrens, amore carnalium deliciarum, capitur, & retinetur. Egressa Dina filia Iacob curiosè, vt videret mulieres regionis illius, rapta est, & corrupta. Dina ratione sexus infirma, significat claustralem mente infirmum, qui de claustro egrediens; dum mundi concupiscibilia curiosè considerat, amore eorum, rapitur, & corrumpitur. Semei, dum mansit in Ierusalem, vixit; postquam verò exiit de Ierusalem ad requirendum seruos suos, occisus est: sic monachus, qui dum esset simplex claustralis, & in claustro remaneret, vita gratiæ vixit; postquàm verò administrationem, quam ambierat, obtinuit, occasione eius per mundum discurrens, mortem culpæ incurrit. Piscis extra aquam positus moritur: sic monachus extra claustrum moram faciens, facilè corrumpitur.* Vtinam hæc legant, perlegant religiosi omnes, & amore cellæ, clausuræque regularis affecti extra monasterium occasiones peccandi non quærant. 18

Et sciant casu quo euagandum quandoque è monasterio sit, non indiscriminatim omnibus, sed peritioribus, & moribus probatioribus id potiori iure competere posse. Prout noster ille Nicolaus Gallicus *c.7. suæ Sagittæ Igneæ* iam relatæ sic expressit. *Ecce Dominus, cuius prouidentia in sui dispositione non fallitur, cum Religionum multitudinem in horto militantis Ecclesiæ plantare vellet, alios cum Maria in solitudine, alios cum Martha in ciuitate proinde collocauit. Viros quoque scientia præditos, in scripturarum studiosè sententiis occupatos, ac moribus sufficienter dotatos, in ciuitate constituit, vt populo verbi sui sollicitè pabulum ministrarent. Simpliciores verò, cum quibus est secreta eius sermocinatio, ad solitudinem transmitti disposuit cum propheta, qui dixit.* Ecce elongaui fugiens & mansi in solitudine. Expectabam eum, qui saluum me fecit à pusillanimitate spiritus, & tempestate. 19

Quia tandem importuna egressio è Monasteriis apostatandi ansam tribuere solet: idcirco exemplares aliquot casus, quos Laurentius Beyerlinck *in Thearro vitæ humanæ littera R. verbo Religiosus Religio sub verbo Apostatarum à Religione pœna*, retulit, quibus miseri euentus talium Apostatarum describuntur, hic placuit adiungere verbis ipsius. *Quidam cum Ordinem Carthusianum esset ingressus, nec esset sedulus custos mentis suæ, facilem præbuit Diabolicæ voluntati. Enim verò soror illum veniens inuisere, cum copiam haberet sermocinandi, multis sermonibus implicuit miserum fratrem, vt votis assentiret suis, & secum ad sæculum repedaret. Ille statim, abiecto habitu (licet in contrarium Sancti Patres hortarentur) retrorsum vestigia intorquens, post Diabolum ambulabat. Sed, heu, non impune. Fratre igitur, ac sorore, læto animo ad sæculum remeantibus, tristis eis subitò superuenit interitus. Cum enim nemus præterirent, quod Cœnobio adiacet, repente insiliunt:* 20

liunt rapidissimæ feræ nunquam illic prius cognitæ: quæ hos miseros nimis mordaciter inuadunt, strangulant, occidunt: & dicto citiùs in ventrem deglutiunt, paucis reliquiis permanentibus. Viderunt hæc pastores, & agricolæ huic spectaculo non longè aberant: & statim, quæ gesta fuerant, nunciant Monasterio. Illi audientes funestam cladem, & nimis amarum iudicium Dei, in communi omnes lachrymantur: & amaros gemitus effundunt ad cœlos dicentes: Quam terribilia sunt opera tua Domine? Nimis profundæ factæ cogitationes tuæ: vir insipiens non cognoscet, & stultus non intelliget, quam terribilis sis in consiliis super filios hominum. Chronica Carthusianorum *libro* 6. Recentiorem alium casum ex Annalibus Societatis sic refert idem Auctor. *Petrus Paradi, cum diuinæ se vocationis indignum reddidisset, nec in Societatis corpore contineri posset, ad extremum domum suam, haud tamen à votis liber, immunisque, remissus est. Non tulit hominis audaciam cœlestis vltio, in ipso articulo temporis, quo se ad Ecclesiæ mysteria tractanda, proximisque administranda conuertit, dirum ei morbi genus, & medicis ignotum immittitur: tantis enim vbique doloribus torqueri cœptus est, talemque in tumorem corporis membra conuertit, vt nullam caperet quietis partem, neque diurnæ, neque nocturnæ, præsertim nulla antegressa febri, nulla causa; vt in ea inuestiganda, reperiendaque hæsitaret, desudaretque omnis ars medicorum. Eius pes læuus intumuit, serpebatque in eodem tumor cum amplificatione doloris, & deportatus ad ægrorum hospitium chirurgis, medicisque committitur, quorum de sententia erat, vt ipse pes totus detruncaretur: Lata iam erat sententia, & expedita iam Scapella, qua chirurgus immitis in putrescentem demergeret pedem, cum denique mens obstinata resipuit, & sui misertus æger aperuit oculos. Tum demum, ne totus, & animo, & corpore funditus interiret, Rectorem Collegij Conimbricensis accersit, agnouit erratum, & professus, quam abiecerat obedientiam, ad omnia se paratum ostendit. Mirum dictu, simul ac Rectoris amplexatus obsequium, tumorem animi posuit æger, tumor quoque corporis stetit, serpens putredo quieuit, tametsi antea medici confirmarant: nullam ad eum curandum morbum reperiri potuisse medicinam nisi scalpello, perpetuamque sectionem, vt appareret malum inuectum à Deo, cuius comparatum sapientia, vt in suo quisque vitio plectatur, & noxæ pœna respondeat. Secandus tamen pes putridus fuit, & quod erat marcidum excidendum. Quem ille tantum subiturus ictum voluit nostros, quos antea fugerat, interesse, & iis inspectantibus exsecari; qui cum super ferrum, manumque chirurgi Sanctissimum Iesu nomen identidem inclamarent, tantum ille concepit animo robur, vt postmodum affirmaret, in excipiendo vulnere vix se vllum sensisse dolorem. Is postea sibi restitutus, cæteros inter homines mansit, segregatus à nostris, meritò quidem sanus, nec Conimbricensi Episcopo, à quo multum adhibebatur, inutilis, cæterum altero pede mutilus, quo diuini beneficij, quoties gradum faceret, veniret in mentem, Societatis recordaretur amissæ.* Annal. Societat. *ann.* 1554.

SVMMARIVM.

Quò tendant ea, quæ dicta sunt de vana Religiosorum euagatione extra cœnobia. num. 1.
Hieronymus sæpe sæpius sæcularium consortia Religiosis interdicit. num. 2.
S. Nilus ad idem intentum refertur. ibid.
Quid sentiat D. Bernardus de communicatione Monachorum cum sæcularibus. num. 3.
Hilarij verba. ibid.
Errat, qui confidit se simul & Monachum esse, & Curiæ deseruire. num. 4.
D. Bonauentura Monachis vetat consortia sæcularium. num. 5.
Idem interdicit Thomas de Kempis. num. 6.
Trithemius vt Monachum doceat de communicatione cum sæcularibus. num. 7.
Reuelatio B. Theresæ ad propositum. num. 8.
Quæ Patres Religiosis intimarint de familiaritate cùm consanguineis. num. 9.
Iidem Patres, Religiosos mundo mortuos existimant. num. 10.
De damno quod Monachis consanguineorum communio afferre solet. ibid.
Cauent Magistri spirituales ne Religiosi sæcularibus negotiis se implicent. ibid.
Religiosi ex sæcularium consortio nonnisi occasiones peccandi arripiunt. num. 11.
Nicolaus Gallicus Religiosos sui Ordinis, quod deserta reliquerint, vt in vrbibus commorentur amarissimè deplorat. ibid.
Vulpis Apologus ad intentum ex Cyrillo. ibid.
Aliquot specialiora crimina, quibus expositi manent Religiosi cum sæcularibus familiaritatem habentes referuntur. num. 12.
Mens Monachi ex familiaritate cum extraneis, multa vana, & scurrilia haurit. num. 13.
Inde castitatis non leue detrimentum. ibid.
Ex has nimia communicatione, Monachi superfluis curis distenduntur. num. 14.
Quid de huiusmodi Monachis sentiant Patres. n. 15.
Circa hæc ineptias, & superfluas curas quàm rectè senserit Aluarez. num. 16.
Qualiter Religiosi cum sæcularibus, vbi necessitas requirit, se gerere debeant. num. 17.

CAPVT IX.

Nimia cum sæcularibus communicatio religionum obseruantiæ nocet.

1 EA quæ superioribus capitibus diximus, de regulari clausura religiosorum tenenda, vanaque euagatione extra cœnobia vitanda, eo tendunt vt in scopum, & finem; vt nimiam cum sæcularibus necessitudinem, communionemve regularibus interdicant. Si enim Patres, aliique doctores, & sancti, tanto animi conatu, Monachis extra Monasterium deambulationem vetant, ideo faciunt, vt nimiam illis familiaritatem, & coniunctionem cum sæcularibus prohibeant. Certè, si vrbes & oppida hominibus vacua forent, quasi eremi essent: vnde nequaquam adeo accessum Patres præcluderent. Cum verò contra sæcularibus, improbisque hominibus plena sint; non mirum quod adeo anxiè, & obnixè, Monachis clausuram, claustrique obseruantiam præcipiant. Cuncta ergo, quæ duobus capitibus præcedẽtibus allata fuere, præsenti deseruiunt instituto: specialiora tamen alia in medium producamus, more nostro Patres in testes vocando.

2 Adest primus S. Hieronymus, qui sæpè sæpius sæcularium hominum consortia religiosis hominibus interdicit. Pauca subiungam. Ad Paulinum sic loquitur. *Obsecro itaque te, vt quoniam sanctæ sororis tuæ ligatus es vinculo, & non penitus expedito pergis gradu,*

gradu, siue hic, siue ibi, multitudines hominum, & officia, & salutationes, & conuiuia, veluti quasdam catenas fugias voluptatum. Et infra clarius. *Sæcularium, & maximè potentum consortium deuita. Quid tibi necesse ea videre crebrius, quorum contemptu Monachus esse cœpisti?* Item ad Rusticum, sic admonet Monachos. *Quid desideramus vrbium frequentiam, qui de singularitate censemur?* Hæc, & alia ex Hieronymo obuia sunt legenti.

Secundus est Sanctus Nilus *in Ascetico* contra Monachos negociatores, sic inuehens. *Nos vero carissimi, qui studio virtutis incitati, vitæ, mundique cupiditatibus renunciauimus, nobisque Christum sequendum proposuimus, quid rursum sæculi negotiis implicamur? Cur quæ benè destruximus reædificamus? Cur ea, quæ non decet, exercentes, malis consiliis vtimur, & vanitatum studio animos infirmiorum incendimus, & simplicioribus viam ad auaritiam patefacimus?*

3 Audiatur Bernardus, ex quo innumera ad intentum elici valent, pauca tamen seiungam, aliis ad alium locum remissis. Ergo homilia 4. super missus est, sic sentit de communicatione Monachorum cum sæcularibus. *Video alios, quod non sine dolore, videri debet, post aggressam Christi militiam, rursus sæcularibus implicari negotiis, rursus cupiditatibus terrenis immergi, cum magna cura erigere muros, & negligere mores, sub prætextu quoque communis vtilitatis, verba vendere diuitibus, & matronis salutationes.* Rursum quoque. *Ita ne mundum sibi, & se mundo crucifixerunt, vt qui antea vix in suo vico, vel oppido, cogniti fuerant: modo circumeuntes prouincias, & curias frequentantes, regum notitias, principumque familiaritates assecuti sunt?* Ecce quam sinistrè sentiat Bernardus de Monachorum communicatione cum sæcularibus. Idem quoque Pater, Monialem quandam, quæ volebat congregationem deserere, forsan, vt sæcularium communionem admitteret, sic admonet de periculo. *Agnosco filia, agnosco, vtinam, & tu mecum agnoscas serpentis virus fraudulenti dolum, versipellis astutiam, si sola ouicula vmbras penetras, præda vis esse lupo. Sed audi me filia, noli te separare à grege, ne quando rapiat, & non sit qui eripiat.* Hæc, & alia D. Bernardus.

Potuerunt hi Patres in hac doctrina antiquiorem Hilarium sequi *in Psalm.* 118. sic loquentem: *In cœlestem scientiam eruditus es, quid tibi cum terrenis operibus, & gestis? Auis effectus es, cur non in elemento naturæ tuæ moraris? Volucres enim cœli nuncupantur. Non iniustè ergo illis in possessione terrenæ habitationis insidiæ sunt. Sæculo renunciasti: quid tibi cum sæculi rebus? quid quæris captus in sæculo? quid quæris iniuriam laquei in regione non tua? Dic potius, & vtere ipse tu voce Psalmistæ dicentis ista;* Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam. *Natura auium est, vt non nisi cum volant, requiescant. Tu autem iam factus es columba, volando requiescis; id est in cœlestem te sedem, & cognitionem à laqueis terrenis fidelis animæ efferendo.* Hæc Hilarius aurea sanè.

4 Petrus quoque Damianus Cardinalis Illustrissimus, Monachusque celeberrimus sic sentit de nimia Monachorum cum sæcularibus familiaritate, lib. 2. epist. 17. quadam ad Abbatem, & Monachos. *Errat, pater, errat, qui confidit se simul, & Monachum esse, & curiæ deseruire. Quam malè mercatur, qui Monachorum præsumit claustra deserere, vt mundi valeat militiam baiulare. Vndis erutus sanus est piscis, non vt sic viuat, sed vt alios pascat. Vocamur, attrahimur, sed vt viuamus aliis, moriamur nobis. Amat venator ceruum, sed vt sibi faciat cibum, persequitur capras, lepusculos insectatur, sed vt ipse benè sit, illa nihil sint. Amant homines, & nos, sed non nobis: sibimet diligunt, in suas nos vertere delicias concupiscunt. Quos nimirum dum prosequimur, quid aliud, quam Monacho nostro, qui latebat intrinsecus, repudium damus. Mox enim ad summam tendentis vitæ status euertitur, rigor eneruatur disciplinæ, atque silentij censura dissoluitur. Et ad effluendum quidquid libido suggesserit, ora laxantur.* Lepidè satis depingit Damianus qualiter mors spiritualis Monachorum ex nimia cum extraneis communione procedat, simulque quam necessarium sit talem communionem detestari.

Adstat, & Seraphicus Doctor Bonauentura qui, vt bonus Monachorum pater, Monachis ipsis, quantum potest fieri: sæcularium, extraneorumque consortia vetat. Primò enim in epistola quadam ad ministros Prouinciales directa præcipit illis, vt religiosos *familiaritates sæcularium quærentes arceant ad solitudinem.* Quia vt inquit, *inter causas, cur splendor Ordinis obscuratur, Ordo exterius inficiatur, & nitor conscientiarum interius defœdatur, occurrit multiplicatio familiaritatum, quam regula prohibet; ex quo suspiciones, infamationes, & scandala plurima oriuntur.* Satis insinuans, quam prauè sentiendum sit de nimia regularium cum sæcularibus familiaritate. Insuper in quæstionibus super regulam, inter signa perfectorum religiosorum illud ponit, *si à sæcularium frequentia se subtrahant.* Rursus alio loco inter causas difformationis religionum, quibus (vt ipse inquit) *status religionis deficit, vt non solum fiat deterior, sed etiam quasi desperabilis, quod vix vnquam, nisi Deus ordinet aliter, reformetur,* ponit: *frequentiam inter sæculares, ex qua oritur multarum tentationum carnalium materia, & tepor, &c.* Clariora sunt hæc, quam desiderari possint. In soliloquiis verò sic loquitur. *Grauis, & nimis periculosa est mundana conuersatio, quia secundum Bernardum periclitatur castitas in deliciis, humilitas in diuitiis, pietas in negotiis, veritas in multiloquio, charitas in hoc nequam sæculo.* Et rursus. *O anima debilis, & infirma, quæ tam facilis es ad decipiendum, tam prona ad cadendum, tam difficilis ad surgendum, an ignoras, quod sicut difficile est arborem iuxta viam positam, fructus pulcherrimos, vsque ad maturitatem seruare; sic difficile est hominem iuxta sæculum viuentem, iustitiam immaculatam, vsque in finem conseruare.* Hæc Bonauentura, pauca autem ex Chrysostomo mendicans, ex quibus, & aliis inferius adducendis, optimè noscitur sanctus hic Doctor, causæ, quam intendimus patronus.

Venerabilis etiam Thomas de Campis doctrinæ spiritualis præclarus magister, non semel, sed sæpius, consortium cum sæcularibus, religiosis interdicit. In dialogo nouitiorum cap. 4. nouitium quendam Monachum, circa veram religionis obseruantiam instruens, hæc habet. *Ad cautionem tuam animaduerte, quæ dico, si non vis decipi in via Domini, si intendis proficere, & in bono perseuerare, fuge consortia hominum sæcularium, caue occasiones tentationum, vt non videas, nec audias, quæ mundi sunt: ne corpore associatus eis, etiam mente inquineris.* Et infra, saluberrimam regulam tradit, quæ si religiosorum omnium animis insita esset, ad perfectionis apicem omnes euolarent. *Fuge, tace, quiesce, abscondere, elongare, ama nesciri, disce mori, luge præterita, sperne præsentia, meditare futura. Hæc breuis regula maneat in memoria tua, & docebit te vincere omnia terrena.* Inferius quoque sic proximius ad intentum.

intentum. *Noli affectare familiaritatem extraneorum qui habitum geris deuotorum; sed per contemptum mundanorum, disce scandere ad societatem ciuium supernorum.* Alibi quoque sic habet. *Quædam omnino fugere debes, vt fabulas leues, & sæculi rumores, homines sæculares, mulierum allocutiones, iuuenum familiaritates, amicorum visitationes, hospitum salutationes, quia ista distrahunt mentem, & maculant conscientiam, & qui talibus delectatur, ab internis bonis minoratur.* Rursus in dialogo nouitiorum, sic nouitium monachum monet. *Relinque notos, & amicos, parentes, & vicinos, vt Christum inuenias, & Angelorum socius postmodum fias.* Hæc, & alia pius hic auctor ad intentum nostrum, clarè satis dixit.

7 Accedit grauissimus Abbas Trithemius de statu monachorum optime meritus, sic monachum docens de communicatione cum extraneis. hom. 12. de Mon. *Amicitiam sæcularem hominum verus Christi monachus non quærit, nec amat, sed despicit. Qui autem familiaritatem dissimilium multiplicat, paulatim decidet à proposito sanctitatis. Maledictus homo claustralis, qui ponit in hominibus confidentiam suam, & recessit à Domino cor eius. Non quæras amicitias hominum, sed cura, vt inuisibilium consequaris consortium Angelorum, non conueniunt monacho frequentes amicitiæ mortalium, per quas, & vigor mentis dissoluitur; & variæ occupationes ingeruntur.* Hæc in Trithemio inuenire potui ad nostrum propositum.

8 Libet præterea diuinam reuelationem, nostri temporis prophetissæ Beatæ Teresiæ, super hoc intentum à Deo factam, referre. Anno igitur 1579. in Vesperis Pentecostes, dum maximum sibi à Deo collatum beneficium recoleret in spiritu suspensa, à Deo audire meruit modum, & formam, qua nouiter ab ipsa instituta familia Patrum discalceatorum, magis in dies cresceret. Modus verò à Deo præscriptus, sanctæque Virgini intimatus, quatuor continebat documenta. Ex quibus tertium illud erat. *Quod parum cum sæcularibus agerent, & hoc propter bonum ipsorum animarum.* Verba Sanctæ Teresiæ ipsius subscriptione roborata, hispanè, sunt hæc. *Que tratasen poco con seglares, y esto para bien de sus almas.* Video documentum istud experientia comprobatum. Patres enim discalceati, tantæ Virginis proles, hoc, & aliis adiumentis inter Ecclesiæ religiones, sic lucent, vt pluribus aliis, sanctitatis, & perfectionis monasticæ, exempla præbeant. Reuelationem autem istam cælitus immissam fuisse confirmat similis alia facta magno illi Arsenio, qui in palatio Imperatorum existens, audiuit hanc vocem. *Arseni fuge homines, & saluaberis.* Factus vero monachus hanc audiuit. *Arseni, fuge, tace; quiesce: hæc enim non peccandi radices sunt.* Referunt hoc inter plures Hieronymus, vel vt alij volunt Pelagius Diaconus in apophthegmatibus Sanctorum. Ex vtraque autem visione infertur intentum nostrum, quod scilicet nimia communicatio cum sæcularibus, & extraneis, maximum nocumentum religiosis omnibus afferat.

9 Ad id quoque deseruiunt, quæ alij Patres circa parentum, fratrum, consanguineorumque consortium vitandum religiosis intimarunt. Ex quo ea, quæ diximus magis roborata, firmaque manebunt. Si enim eos, quos sanguis, naturalisque ratio coniungit, habitus regularis separat; multò magis extraneos alios monachalis perfectio abhorrebit. Porrò quædam Patrum testimonia circa rem præsentem de familiaritate, etiam cum consanguineis, monachis vitanda, capite præcedenti adduximus, Alia modo adiungam. S. Ephrem Syrus Ad monachum hæc habet. in doct. var. c. 53. *Admone parentes, atque consanguineos tuos carnales, ne te frequentent, dum enim illi coram te de tuis loquuntur, distrahunt mentis in te officium: simul vero te etiam incontinentem, sua doctrina, vel exemplo reddent. Verum satis est, semel, vel bis in anno ab iis visitari. Si porro inutilem illorum conuersationem penitus præscideris, melius ages.* Hæc Ephrem. D. quoque Isidorus præter adducta capite præcedenti, hæc etiam habet ad propositum. *Vir spiritualis ita prodesse debet suæ propinquitati, vt dum illis gratiam carnis præstare studet, ipse à spirituali proposito nequaquam declinet.* Rursus. *Sicut nostra nobis non est odienda anima, sed eius carnales affectus odio habere debemus, ita nec parentes odio à nobis habendi sunt, sed eorum impedimenta, quæ nos ab itinere nostro præpediunt.* Subiungit postea mysticè hoc designasse vaccas Philistinorum Dei arcam gestantes, quæ quamuis vitulos lactaneos haberent: recto tamen tramite, neque ad dexteram, nec sinistram declinantes, Bethsames peruenerunt. *Nam sicut illæ* (inquit Isidorus) *pignorum affectibus à recto itinere minimè digressæ sunt, ita, & vir sanctus mundo renuncians, parentelæ obtentu, non debet à bono impediri proposito.* Pulchrè etiam, vt solet D. Bernardus, qualiter monachus circa patrem, & matrem se gerere debeat, sic ostendit. *Sit monachus quasi Melchisedech sine Patre, sine matre, sine genealogia: nec patrem sibi vocet super terram. Imo sic se existimet, quasi ipse sit solus, & Deus.* Bernardi quoque mentem ebibisse visus est Bonauentura, sic loquens. *Extra cognatos ergo quisque, ac proximos, debet fieri: si vult parenti omnium verius iungi.* Inferius quoque ex Chrysostomo de compunctione cordis, approbat istud dilemma, *Dico tibi monache, quid quæris matrem? aut sancta est, aut peccatrix. Si sancta est gaudet, quia seruis Domino; Si peccatrix, dimitte illam, quia mortua est.* Si dicas, peccatrix est, & volo illam conuertere. Contra te habes deuotissimum Thomam Campensem sic, in dialog. nou. cap. 4. *Quidam sub specie pietatis, inducti sunt ad conuertendos amicos, & cognatos; & dum inter illos morari non timuerunt, inimici fraude circumuenti, suum propositum infregerunt.* Manet ergo ex his Patribus, vt firma, inconcussaque veritas, sic religiosos deditos firme fugæ sæcularium, vt etiam parentes, & propinquos, nisi maxima vrgeat necessitas, vitare teneantur.

Fauent etiam huic nostro proposito de nimia cum sæcularibus communione à religiosis vitanda, quæ alij Patres de monachis dixerunt. Eos namque sic à sæculi rebus abstractos volunt, vt mundo mortuos existiment. Sic, vt semper monachi sæcularibus dicere possint Euangelicum illud Luc. 16. *Inter nos, & vos chaos magnum firmatum est.* Ad quod intentum optimè Basilius hæc habet, in const. mon. cap. 21. *A propinquis autem, amicis, parentibusve, animi affectione, nos tam longè oportet esse disiunctos, quam longe eos, qui iam sunt vita defuncti à viuis videmus distare.* Et rursus. *Qui enim vere se mundo crucifixerit, is mundo & omnibus quæ in mundo sunt, mortuus est.* Clarius S. Ephrem Syrus Basilio coniunctissimus, sic monachos monet. paræn. 44. *Quid nobis, & sæculo, qui mortui sumus mundo?* Subseruit optimè Abbatis Apollo celebris illa historia, ad fratremque suum responsio, quam his verbis refert Cassianus. collat. 24. capite 9. *Cum ad eum germanus suus intempesta nocte venisset,* 10

venisset, implorans, vt de monasterio suo paulisper egressus, ad euellendum bouem, quem cœno plaustri eminus inhærere, flebiliter querebatur, ei esset auxilio; quia eum nequaquam solus posset eruere, Abbas Apollo pertinaciter obsecranti? Cur, ait iuniorem fratrem nostrum, quem præteriens propiorem, quam me habueras, non rogasti? Cumque ille, eum, mortem olim sepulti fratris oblitum, & ex nimia continentia, ac solitudinis iugitate, velut impotem mentis, existimans, respondisset. Quemadmodum poteram, de sepulchro eum, qui ante annos quindecim obijt, inuocare? Abbas Apollo: ignoras ergo ait, me quoque ante annos viginti, huic mundo fuisse defunctum, nullaque iam posse de huius cellæ sepulchro, quæ ad præsentis vitæ pertineant statum, tibi conferre solatia? Hæc sanctus hic Abbas satis ostendens, religiosum, post professionem sæculo, sæcularibusque hominibus, & negociis, consanguineis etiam, defunctum fore: ac proinde nullam cum illis communionem, societatemque habiturum.

Experientia quoque rerum magistra comprobatur intentum de damno, videlicet quod Monachis consanguineorum communio afferre solet. Pro quo vnicus & singularis, sed omni exceptione maior testis sufficeret Sanctus Bernardus cuius sermone 64. in Cantica hæc sunt verba: *Vidi ego hominem currentem bene, & ecce cogitatio (quid ni vulpecula fuit) quantum, inquit bonum, quo solus fruor si essem in patria, possem vtique impartiri fratribus, & cognatis notis & amicis? Amant me, & facilè acquiescerent suadenti. Vt quid perditio hæc? Vado illuc, & saluo multos ex illis, & me pariter. Nec verendum in loci mutatione. Etenim dum benefaciam, quid interest vbi, nisi quod illi proculdubio satius, vbi fructuosius degam? Quid plura? It, & perit miser, non tam exul ad patriam, quam canis reuersus ad vomitum. Et se perdidit infœlix, & suorum acquisiuit neminem. En vna vulpecula, ista videlicet frustratoria spes, quam habuit in acquisitione suorum. Potes tu quoque per te ipsum in te ipso alias atque alias, similes huic inuenire, seu aduertere si non negligas.* Hæc Bernardus, satis ad intentum.

Illud tandem pro coronide adiungendum, pro huiusmodi nimia cum sæcularibus communicatione fugienda prudentissimè Magistros spirituales cauere solitos esse, ne Religiosi perfectionis studiosi vllis negociis sæcularibus se implicent. Qua de re Iulius Nigronius integrum tractatum asceticum edidit, quo id late prosequitur ex iuris communis decretis, seu Canonibus, Conciliorum diffinitionibus, Religionum constitutionibus, ac Sanctorum Patrum testimoniis. Ex quibus aliqua proferre liceat. Primo Ambrosianum illud. *Etenim, is, qui imperatori militat, à susceptionibus litium, actu negociorum forensium, venditione mercium prohibetur humanis legibus; quanto magis qui fidei exercet militiam ab omni vsu negotiationis abstinere debet?* Ac illud Hieronymi. *Procuratores, & dispensatores domorum alienarum, atque villarum, quomodo possunt esse clerici qui proprias iubentur contemnere facultates?* Item quæ Petrus Cluniacensis in epistola ad sanctum Bernardum obiecit. *Contra monastici Ordinis instituta, causas sæculares religiosi tractant; monachi causidici efficiuntur; accusant, & accusantur, testes fiunt, contra Apostolum iudiciis intersunt, atque sub prætextu iuris proprij tuendi, cordibus in Ægyptum reuertuntur.* Illa quoque Sancti Thomæ Aquinatis præclara ex opusculo *Aduersus impugnantes religiones, capite secundo*, vbi sic. *Qui moritur alicui vitæ, ab illis operibus decidit, quæ illi vitæ congruunt; & qui viuere incipit aliqua vita, illa opera tunc fiunt illi maximè conuenientia, quæ illi vitæ competunt. Vnde Dionysius, capite secundo Eccl. hierarchiæ ostendit, quod ante baptismum; per quem homo diuinam vitam accipit, non potest exercere diuinas operationes: quia sicut ipse dicit, oportet primum existere, deinde operari. Sed religiosus per votum religionis, sæculo moritur, Deo viuens; ergo per hoc, quod religiosus est, indicuntur sibi operationes sæculares, sicut mercationes, & alia negocia sæcularia, non autem actiones diuinæ, quæ scilicet hominem in Deo viuentem requirunt.* Item pulchra illa D. Bonauenturæ in suo speculo disciplinæ: *De mundanis sæcularium negociis expendendis, religiosus temerariè non se debet intromittere.* Et: *Non est militantis Deo, se iterum occasione propinquorum, vel amicorum sæcularibus implicare negotiis, quæ mundo moriens abdicauit. Impius est, qui animæ suæ, pro parentibus suis est crudelis.*

Ex his autem sanctorum Patrum dictis, factisque 11
relatis hoc vnum facile intelligi datur: videlicet eam ob causam, congressum, communionemve cum extraneis, interdixisse monachis; quod ex illorum consortio, non nisi peccata, ansamque, & occasiones peccandi arriperent. Hoc ita, ex eorum testimoniis, comprobatum manet, vt testes alios non desiderem. Aliqua tamen ad intentum expendenda sunt. Offert se primo Arsenij responsio. Interrogatus enim cur tantopere accessum hominum deuitaret; respondit. *Non possum cum Deo, & hominibus simul esse*, Capiton itidem interrogatus dixit. *Vereor ne ex hoc imbecillior ad sustinendos inimici impetus reddar.* Vtrumque refert Marcus Marulus in opusculo de religiosa viuẽdi institutione l. 3. c. 7. Id etiam Hieron. dum in epist. ad Paulinũ dixit; *Multitudines hominum, & officia, & salutationes, & conuiuia, veluti quasdam catenas fugias voluptatum.* D. quoque Basilius mirè hoc monachorum damnum, sic describit. *Qui maiorem in modum sæcularium hominum amicitia delectatur; eaque re assidue cum illis esse in colloquiis cupit, is, ex frequenti cum illis sermone, prauas eorum affectiones in animum facile insinuauerit; & mente rursum cogitationibus mundanis completa, à præclara illa, quam erat aggressus, instantia operis descïscet; & à se deinceps, præscripta vitæ spiritualis stabilitate, quem animo effuderat vitæ prioris vomitum resorbebit: atque adeo tandem saucius concidet.* Eleganter sanè magnus Basilius rem totam peregit. Clarius id facit Cassianus; de spir. aced. lib. 10. cap. 7. loquens enim de monacho cum sæcularibus conuersante, dicit. *Necesse est, eum inhonestum esse, adulationi quoque operam dare, nouitates etiam rumorum sectari, causarum, fabularumque occasiones conquirere.* Adstipulatur Isaias Abbas Oratione 5. sic dicens: *Quæ mundi sunt ne curiosius inquiratis, ne latrinis similes sitis, ad quas homines accedunt, vt ventris onera deponant, atque ita fœtore sunt plenæ? Sed estote potius templa, & altaria Dei in sanctitate, vbi mane, & vesperè thymiama adoleatur. Nunquam altare hoc sit sine thymiamate.* Concinit egregiè Sanctus ille Ioannes, Climacus vulgo vocatus grad. 3. sic loquens. *Qui post abrenunciationem cum sæcularibus versatur, siue iuxta illos commanet: prorsus aut in eosdem laqueos incidet, aut cor in eiusmodi cogitatione inquinabit: aut certè, si non coinquinatus fuerit, eos, qui inquinantur iudicans, atque condemnans, & ipse*

& ipse inquinabitur. Testatur idem D. Dionysius Carthusianorum decus in præfatione sermonum de sanctis ad Religiosos, dicens. *Quid olim fuit filiis Israel ruinæ occasio, Idolatriæ causa, nisi cum Amorrhæis communio? Sic religiosis incitamentum multiplicis casus est; cum sæcularibus confabulatio, societas, & mixtura.* Sequitur Thomas Campensis iam adductus, qui consortia hæc sæcularium monet monachos fugere: *Quia distrahunt mentem, & maculant conscientiam, & qui talibus delectatur ab internis bonis minoratur.* Inter omnes tamen hos Patres clarius adhuc nostrum intentum B. Thomas de Villanoua: qui ex eo docet Diabolum curare monachum inter sæculares versari: *Vt libidine inficiat, curiositate sauciet, ambitione inflet, curis sæcularibus disturbet, & deuotionis feruore distrahendo, tepefaciat; & infrigidet.* Hæc Beatus Thomas.

Accedit grauissimus pro hac re testis Nicolaus Gallicus Ordinis nostri Præsul Generalis à quadringentis ferme annis; qui prospiciens eumdem Ordinem, (etsi ex Pontificia dispensatione) Eremos, ac deserta loca Carmeli, Iordanis, Montis Neroi, & Terræ Sanctæ alia reliquisse, ac Vrbes, oppida, & villas cum gentibus habitare cœpisse, inenarrabilibus lachrymis ex monte Ennatrot, quod sibi desertum pro habitatione elegerat, eorum statum sic deplorat *c.* 2, illius opusculi, quod de hac re conscripsit. *Ignea Sagitta* nuncupati. *Quis dabit capiti meo fontem lachymarum? vt die, noctuque plorans, gemens, & suspirans tuum contra eos excitem plantatorem, qui te de terra solitudinis eradicantes fructifera, in terram salsuginis à malitia inhabitantium in ea miserabiliter transplantarunt. Recordare, & suspira, & suspirans recordare quam digna, & quam sancta eras in statu pristino, ac in oculis omnium mirabilis & famosa, dum Patres nostros Eremitas sanctissimos in loco pascuæ spiritualis optime collocatos super aquam refectionis mirabiliter educatos nutritiuo non cessabas pabulo saginare. Nunc vero considera (quod considentem te in lachrymarum alueo forsan balneabit) quoniam talis facta es, vt filiorum tuorum, imo præuignorum peccatis exigentibus iam vniuersis, & singulis appareas onerosa. Propter hoc Hieremias planctum suum continuans te alloquitur dicens.* Filij tui inclyti amicti auro primo, quomodo reputati sunt in vasa testea, opus manuum figuli? Prophetæ tui viderunt tibi falsa, & stulta, nec aperiebant iniquitatem tuam, vt te ad pœnitentiam prouocarent. Consurge Iuda in nocte in principio vigiliarum, effunde sicut aquam cor tuum in conspectu Domini, leua ad eum manus tuas pro animabus paruulorum, qui defecerunt in fame, in capite omnium platearum. Et infra *capite* 5. sic ait. *Audite ergo Eremitæ ab Eremo nuncupati, qui in corde ciuitatis habitaculum elegistis, audite inquam; non quod ego, sed quod propheta protulit.* Vidi, *inquit* iniquitatem, & contradictionem in ciuitate, die, ac nocte circumdabit eam super muros eius iniquitas, & labor in medio eius, & iniustitia, & non defecit de plateis eius vsura, & dolus. *O quam tuta, & secura existit mansio vestra, quæ tot excubiis vtique sollicitis tam interius, quam exterius, horis momentis omnibus dignoscitur custodita. Ecce iniquitas super muros diligenter excubans, vt non sit in ea, qui se abscondat à calore eius. Ciuitatis habitatores ambiens circumcingit, vniuersos sui signi charactere cupiens maculari. Sunt etiam, & alij iniquitatis satellites in medio, & in plateis Ciuitatis similiter excubantes, quorum vocabula in generali exprimens Propheta contradictionem, laborem, iniustitiam, vsuram, & dolum connumerat in hoc psalmo. Sex audistis ciuitatis excubias à Propheta generaliter nominari, qui ad specialia forsitan descendisset, nisi in infinitum vtique numerum processisset. Animaduertite fratres quod mansionem vestram ironicè tutam dixerim, cogitantes inter vos quot, & quales excubiæ, sed & crudeles insidiæ, vos in ciuitate semper, & vbique circumcingentes muniunt, associant, & sequuntur. Ecce quomodo in ciuitate circumuallati estis. Nunc autem vide quomodo in solitudine muro suo inexpugnabili circumcingens Dominus armis suæ potentiæ ab hostium insidiis liberat, ac defendit. In solitudine cælestes excubiæ nobiscum stant in acie, in solitudine nostri conciues super muros ciuitatis vestræ in Eremo fundatæ, custodes constituti, tota die, ac nocte fideliter excubantes, non tacent nomen Domini collaudare. Ecce in secreto solitudinis veram ciuitatem, id est ciuium vnitatem fœliciter obtinemus, & nos ita non contenti aliam cupientes indiuisionem, quæritis destruere vnitatem.* Hæc ille, ardentiori forsan, quam par est, stylo, cum constet Regulares plures inter medias vrbes, cum magno fidelium commodo habitare, sed eo fine dicta, vt superfluam cum sæcularibus familiaritatem veris Religiosis fugiendam esse demonstraret.

Sed vel ob vnam dumtaxat causam scilicet boni socij semper eligendi, debere sanctos Religiosos sæcularium consortia vitare, insigni Vulpis aliquot animantia pro sociis viæ accipientis, & cætera animalia respuentis Apologo graphicè depingit, & ad oculum repræsentat Cyrillus *lib.* 1. *Apolog. Moral. c.* 24. cuius titulus: *Cum socio electo, proficiscaris, aut conuerseris. Vulpes,* inquit, *ad decliuem ætatem deducta, patrati reatus conscia, cum ad satisfaciendum peregrinari vellet, mox eius peregrinationis rumor increbuit, atque peregrinanti cani se in comitem dedit. Cui vetula dixit: Latratu, & morsu soles iniuriam prouocare, atque ideo non ibo tecum. Quo quidem repudiato, onager aiebat. Sequar te soror; cui illa: In sereno inquit, doles & in tenebris gaudens, liuidus es. Si mihi malum ingrueret, lætareris: Si bonum contingeret, tristareris. Vade ergo quia nolo in comitem luminis hostem. Quo reiecto, statim se vrsus offerens aduenit, cui vulpes respondit: nimis furiosi pectoris es, & paratam vindictæ vngulam habes: si fortassis in me, vel in alium ira desæuires vel rueres, tunc aut confunderes sociam, aut ream hostiliter laniares. Tecum ergo non pergam. Tunc leoni id ipsum cum peteret; quæso, inquit, charissime, vt mecum non venias, quoniam præcordialis validitate virtutis multum es præsumptuosus, & audax. Tale quid forte velles attentare, vnde vix, aut numquam pedem eriperem. Deinde dimisso leone, cum pauo se illi socium offerret, ei dixit: Nimium propter auream pennam desideraris, & pompa effunderis, tecum non pergam, quoniam nolo caudam perdere ob tuam pennam, & pompam; Quo sic repudiato, lupus se obtulit, & dixit: Quæso, vt contritum recipias, & pœnitentem; cui illa: Rogo, vt dimittas facinora me lugentem. Quippe cum fure nullatenus vadam, ne tuæ damnationis, & criminis particeps fiam. Sed & porco mox ingerenti se dixit: Vade, quia nolo tua sordescere fœditate. Tandem asino multum se commendanti, respondit: Recede à me insensate: quoniam alicubi sine ratione clamares & lupis occurrentibus vna tecum confunderer. Omnibus ergo hisce reiectis, vide quos vulpes sibi socios asciuerit. Cunctis igitur his cum ra-*

tionis iudicio confutatis, consurgens vulpes, secum hos in socios, eorum allecta precibus, duxit: Panteram, cuius os redolet: simiam, quæ in plenilunio gaudet; agnum mitem; leporem pusillanimem; merinaceum cutis spinosæ; bouem de labore viuentem; arminium sordes vitantem; formicamque prudentem. Cum quibus hilariter opergeret, coruus obuius dixit: Quæ nam est hæc caterua? Cui illa: Electus, inquit, comitatus prudentis: nam cum electo electus eris; & qui cum sapientibus graditur sapiens erit. Tum ille, rectè, inquit, iudicasti. Sed doce, cum quibus conuersando quis prosperetur. Mox illa; Cum amatore, inquit, sapientiæ, & zelatore iustitiæ & cum amicitiæ fideli cultore. Quibus dictis vltra processit. Hæc si Religiosi ruminent, facilè inuenient intra domesticos parietes socios sibi congruos potius quàm inter extraneos, reperiri posse.

12 Placuit tamen aliquot specialiora crimina referre, quibus maximè expositi manent religiosi cum sæcularibus familiaritatem nimiam, communionemve habentes. Occurrit primo, quod eisdem actibus publicis, spectaculis, ludis, hystrionicisque exercitiis, quibus sæculares assistunt; occasionem quoque, commoditatemque assistendi habeant regulares, si cum illis conuersentur. Hæc vero omnia monachis detrimentum magnum afferre tradidit Ephrem Syrus, paræn. 1. sic dicens. *Diabolicorum spectaculorum strepitum, monache, fugito; quoniam in eo Dæmonum est deceptio.* Hinc etiam, quod agitationibus taurorum (barbarico certè, & gentilico more consuetis) contra decreta Pontificia, religiosi assistendi ansam, & occasionem arripiant. Hinc præterea, quod comædiis, mimis, saltibus, tripudiis, & aliis similibus ludis scenicis, mulierumque prophanarum cantilenis, testes monachi adstent, occasio, ansaque conceditur. De hoc vero, quid Concilia astruant, Patres sentiant, piique Theologi, & Doctores doceant, longum esset recensere. Aliqua tamen subiungam; Hugo Victorinus hæc habet. de claust. lib. 1. cap. 4. *Qui foris spectacula sequuntur, &c. forsitan proni sunt ad ea, quæ loci opportunitas subministrat.* In miscellaneis quoque lib. 1. tit. 198. sic habet. *Vtilius est audire basiliscum sibilantem, quam mulierem cantantem.* Rationem dederat dicens. *Facies enim mulieris sagitta est truculenta, infigit vulnus in animam, & venenum.* Thomas Campensis sic. *Vanis ludis intenti, crucis Christi signo contrarij, & à sanctorum societate, moribus, & actibus sunt valde remoti. Qui quasi insani gaudent in variis mundi spectaculis in psalteriis, & citharis, in tubis, & organis, currunt, & saltant pedibus, plaudunt manibus, cantant vocibus, rident dentibus, & præ lætitia cordis vix se capiunt in gestibus corporis, quia summum bonum suum constituunt in ludis, & gaudiis præsentibus.* Postea autem, quid sentiendum sit de monachis hæc facientibus vel qui facientibus assistunt, sic subiungit. *O quam longe sunt isti à summo bono, à dulcedine Dei, à melodiis Angelorum, à semitis Iustorum à sanctitate religiosorum, & spirituali gaudio deuotorum. Veniet, veniet, cito mors super eos, antequam sciant, cessauit omnis ludus, & cantus in domibus eorum.* Antiochus quoque monachus inter Bibliothecæ Patres relatus, sic habet ad intentum. *Assistere cantillantibus mulieribus vix æque nobis incommodum aliud occurris. Monasteria nomine ipso arcent nos, &c.* Manet ergo ex his Patribus compertum, monachis omnibus incommodum magnum afferre, huiusmodi ineptis ludis circunstantes adstare. Ac perinde nimiam cum sæcularibus communionem, vnde tale malum originem ducit, penitus fugiendam esse regularibus.

Deinde ex hac superflua monachorum cum extraneis familiaritate, quis non cernit, vana, scurrilia, iocosa, mundanaque multa, mentem simplicis monachi haurire, quæ illum in obliuionem sui, Deique sæpe sæpius tradant? De hoc etiam Patres loquuntur. Dorothæus serm. 21. sic habet. *Assuesce, oculos non circumferre ad alienas, & vanas res; hoc enim labores omnes monasticos deperire facit.* S. Ephrem, dum de perfectione monachorum agit, hæc scribit. *Non ridiculis vacandum, non verborum multiplicitate gaudendum: non tropis, figurisque verborum frequentibus, non diuersis aspectibus, licet etiam voluptatem minimè suggerentibus non etiam multiloquio gaudendum, etiam si astantes rogent.* Rursus in eodem libro sic. *Ad verba otiosa noli relaxari, & ad narrationem inordinatas affectiones continentem ne consederis. Multorum congressus oderis, quia confusionem animi pariunt, silentium ama, vt in te, magistri instar sit conscientia. Fuge multiloquium, ne reddaris obliuiosus. Fuge conuiuia, ne fornicator, etiam sine fœminis, euadas. Superfluas conuersationes reiice, ne iudex efficiaris iniquus.* Rursum etiam. *Monachus conculcatus mundum, cum Christo familiariter agit: at rebus mundanis implicitus placere non poterit militiæ præfecto Christo.* D. quoque Benedictus occidentalium monachorum Pater, in regula, sic habet. *Scurrilitas vero, vel verba otiosa, & risum mouentia, æterna clausura in omnibus locis damnamus, & ad tale eloquium discipulum aperire os, non permittimus.* Hæc inter alia Patres ad nostrum intentum. 13

Castitatis porro vel totalem ruinam, vel non leue detrimentum ex huiusmodi Regularium licentiosa cum sæcularibus communione sæpius suboriri, plus æquo omnibus pro comperto est. Sacrarum præsertim Deo in Cœnobiis Virginum flagitia quandoque ex ea pullulasse, quis non planget? Horrenda piacula, solo inferno digna, & quæ crebrius à Deo in hac vita puniri cernuntur. Vnius tantum Monialis crimen omnium sororum pœna molestissima luebat in vno Monasterio, vt refert Molinetus *in Chronic. Belgic. ann.* 1490. De quodam Sacerdote, qui impudica cum alia Moniali pertractabat, visibiliter Dei iram expertum fuisse, habetur ex Brendembachio *libro primo capite quarto*, & authore *lib. vita Petri Cluniacens. capite secundo.* Tremendum alium casum non prætermittam. Erat quidam nobilis qui cum Moniali lasciuiens; cum ad eam noctu accederet, per Ecclesiam ingrediens funerales exequias cuidam defuncto à clericis, & Religiosis fieri vidit. Interroganti autem quisnam is defunctus foret, responsum datur esse talem (nomen videlicet interrogantis nominando.) Subrisit primo dicens, scio talem superstitem. Sed cum iterum idem percontaretur, simileque responsum audiret, obstupescere cœpit. Nec inanis timor. Egredienti namque mox è templo horribiles duo, & nigri canes comites adhæserunt, quos nec minis, nec armis à se abiicere potuit, quin in ipsum irruentes miserum trucidarunt. Casum refert Alfonsus Ribera Dominicanus *in Histor. Sanctiss. Sacrament. Tract.* 16. §. *n.* 10. ex Antonio Torquemada, & Villegas.

Præterea

14 Præterea ex hac nimia communicatione monachorum cum hominibus sæcularibus præsertim principibus, & magnatibus, hoc vnum aliud malum, ipsumque intolerabile nascitur; scilicet monachi ipsi sæcularium moribus imbuti eisdem terrenis, & prophanis rebus caducis, superfluisque curis & solicitudinibus distendantur, immensum sibi damnum, sanctæque religioni inferentes. De hoc conqueritur S. Bernardus feruentissimus zelator religiosæ professionis his verbis, serm. 16. in ca. *Ex his, qui religiosè vestiti, & religionem professi sunt, nonnumquam audiuimus aliquos reminisci, & iactare impudentissimè mala sua præterita, quæ v. g. aliquando, vel fortiter, gladiatorio, vel literario gessere conflictu, seu aliud quid secundum quidem mundi vanitatem fauorabile; secundum vero animæ salutem, nocinum, perniciosum, damnosum sæcularis adhuc animi indicium, est hoc, & humilis habitus, qui gestatur à talibus, non sanctæ nouitatis est meritum, sed priscæ vetustatis operculum. Nonnulli alia, quasi dolendo & pœnitendo rememorant, sed gloriam intentione captantes, commissa sua non diluunt, sed seipsos illudunt. Nam Deus non irridetur.* Hæc Bernardus Hugo quoque Victorinus 2. de claust. c. 17. similia crimina ex sæcularium contagio monachis sæpius adhærere, hisce describit. *Contingere quandoque solet, vt monachi, qui curias frequentant, causas audiant, iudicia perquirant, & si aliquando propriæ causæ necessitates occurrant, ad curiam securiores recurrant. Nec tantum suas, sed etiam alienas, defendunt causas, hoc amant, hoc frequentant, amant decreta conciliorum, non secreta mysteriorum. Decreta, non psalmos ruminant, fiunt oratores, in causis; rethoricis vtuntur coloribus. Laudari appetunt, quia pro multis loquuntur. Sed monachus multum loquens, multis displicet. Coniugia copulant illicita; licita quandoque dissoluunt. Quorum non nouerunt patres, atauos nominant, consanguinitatis ordinem narrant; hunc ex illo descendisse confirmant. De incertis iudicant; testantur sæpissimè quod ignorant, &c.* Iustus quoque Abbas Cistercienfis in sermone ad monachos, qui habetur inter bibliotheeæ opera, sic de similibus conqueritur. *Quæ curia, quod consilium, quodve colloquium est, cui monachus noster non intersit.*

15 Quid vero de huiusmodi assuetis monachis sentiant Patres, iam audiamus. D. Hieronymus sic consulit Paulinum. *Sæcularium, & maximè potentum consortium deuita.* Glossa quædam à D. Thoma relata, sic dicit. *Rigida vita, & prædicatio debet declinare mollium palatia, quæ frequentant mollibus induti, videlicet adulantes.* Magnus Gregorius 5. mor. c. 6. sic: *Nequaquam mens ad superna attollitur, si curarum tumultibus continuè occupatur. Quid enim de Deo occupata obtineat, quæ de illo apprehendere etiam aliquid, vacans laborat?* Amicus eius S. Isidorus Hispalensis 3. sent. c. 21. hoc. *Qui simul, & terrenis parere curis & diuinis exerceri student, vtrumque complecti simul non valent: Nam duas curas pariter inesse pectori humano non posse; & duobus dominis seruientem, vtrique placere, difficile esse, &c.* Et infra. *Nisi prius à secretioribus cordis expellatur importuna sæcularium multitudo curarum, anima, quæ intrinsecus iacet, nequaquam resurgit. Nam dum se per innumeras sæculi cogitationes spargit, ad considerationem sui, se nullatenus colligit.* Hugo Victorinus post relata, quæ adduximus supra, de monachis conquestus, quod sæcularibus rebus inhærent, subiungit postea. *Proh dolor, vbi vera religio? vbi perfectionis integritas? Vbi charitatis inuenitur fundamentum?* Digito indicans hæc omnia nullatenus stare posse, si monachus sæcularibus istis næniis deditus sit. Alibi quoque sic habet, contra curiales istos monachos. *Ordo curiæ, & ordo claustri diuersus est. Ibi sedes in insidiis cum diuitibus, in occultis, vt interficias innocentem: hic audis: Non sedi cum concilio vanitatis, & cum iniqua gerentibus non introibo. Ibi insidiaris, vt rapias pauperem, dum attrahis eum: Hic dicis: Odiui Ecclesiam malignantium, & cum impiis non sedebo. Ibi dextera tua repleta est muneribus: hic lauas inter innocentes manus. Ibi laudatur peccator in desideriis animæ suæ, & iniquus benedicitur: hic benedicitur Deus. Si vis esse monachus curialis, laudas, quod non debes, defendis quod non expedit, operaris, quod non licet, loqueris, quod non decet.* Ecce monache, quanta tibi mala parasti, si curialis es, aulicorumve numero censeris, ex mente grauissimi Hugonis. Hinc alter Hugo sanctus, & Episcopus Lincolniensis, (teste Surio in vita Hugonis.) cum inita pace inter Franciæ, & Angliæ reges, domum Arueriam Carthusiani instituti venisset, rogatus à monachis de pacis conciliatæ conditionibus respondit. *Rumores audire, & referre monachis non licet.* Factis, verbisque docens, quantum religiosi omnes ab huiusmodi sæcularibus rebus aufugere debeant. Hinc etiam Doctor Angelicus S. Thomas in epistola ad monachum quemdam, sic eum monet. *De verbis, & factis sæcularium nullatenus te intromittas.* Seraphicus quoque Bonauentura eadem mutuatus hæc dixit. *De mundanis sæcularium negociis expediendis, religiosus temerariè non se debet intromittere.* Alibi quoque, causas recenset, quare religiones in Ecclesia defecerint, inter eas refert multitudinem sæcularium occupationum. *Quæ corda distrahit, affectum deuotionis extinguit, mores alterat, interius occasiones vitiorum inducit, & ne de sua correctione, efficaciter cogitent semper noua impedimenta religiosis innectit. Donec tandem consuescant sola exteriora cogitare, & obscurato conscientiæ oculo, etiam cum desunt, occupationum causas impudenter quærere.* Optimè etiam Antiochus monachus Bibliothecæ Patribus insertus *Rerum alienarum satagere curiosius, & quæ superuacanea sunt, nec vllius frugis molliri, prorsus dissentaneum videtur, nec conuenire ei, qui Deo contendit, quam maximè esse gratiosus.* Omnium tamen breuius, luculentius, & compendiosius Bernardus epist. 351. hæc expressit, dum de huiusmodi externis, & impertinentibus occupationibus fabulationibusque dixit. *Aurem implent, euacuant mentem.*

De horum Religiosorum sæcularibus negotiationibus, quid senserit nostra Magdalena de Pazzi ex ipsius vita *cap.* 126. sic habetur. *Similmente le fu mostrato dal Signore, vn altro estasi, che molto le dispiaceuano quelle Religiose, che continuamente stanno occupate in traffichi secolareschi, onde ella piena di spirito, di pietoso sdegno, disse queste parole.* O questi traffichi di cose exteriori, che hà la sposa di Gesù e che le tolgono il tempo, e'l modo di poter fare il suo vero traffico con Dio, piacceia, piaccia à Dio, che non le tolgheno al fine la Diuina visione; *E queste parole minaccheuole le proferiua con tanta grauità, è maestà, che metteua terrore, è spauento in chi l'udiua.*

Placuit tandem, quæ pius, & deuotus religiosus, recentior quidem, sed doctrinæ grauitate venerabilis, circa has ineptas, curiosas, & superfluas curas, & solicitudines religiosorum, dixit, huc transferre: pietatem namque simul cum veritate redolent, 16

dolent, hic est Aluarez de Paz de vit. spirit. t.1. l.5. c.28. *Profecto* (inquit) *indignum admodum est, & à vita spiritualium virorum alienum, religiosos curiosè verbis inquirere, quos aulicos rex ad aliquas dignitates promouerit, quos nobilium insignibus affecerit, quos diuitiis auxerit. Indignum est tractare qui ex ciuibus coniugium inierint, qui honoris causa, aut primarum sedium obtentu, contenderint: qui in negotiis, aut magnum lucrum fecerint, aut partas antea opes amiserint. Videas alios sedere, & de bellis, de magnatum discordiis, de ludis publicis, de sæcularium ambitione, & de aliis huiusmodi, sine vlla circumspectione tractare. Et, si non vestes religiosas videas, sed solos sermones audias, eos non religiosos, sed mere sæculares putabis. Facessant à nostris colloquiis, ô religiosi, tot vana, tot inutilia, tot à sanctissimo nostro statu discrepantia. Et si mundo mortui sumus, & Deo viuimus, ea quæ mundi sunt, relinquamus, & quæ viros decent spirituales tractemus.* Idem tom.1.l.2.c.8. hæc etiam scripsit. *Si quærerent religiosi Charitatem, quæ à nobis ipsis incipere debet, non sustinerent mundanorum vana colloquia, non lites sæculares audirent, non nuptias & carnalia connubia, sed spiritualia conciliarent. Non admitterent esse principes principum, gubernatores populorum, patroni delinquentium, testamentorum executores, aduocati causarum, quia istas dissensiones non efflagitat charitas, sed tædium cellæ, lectionis, & orationis.* Hæc velim religiosi attenderent, & qui huiusmodi vanis rebus sæcularium noscuntur impliciti, penitus resipiscant, suique memores voti, & professionis, cum Deo potius, Angelis Diuisque aliis in Cælo commorantibus, suam communicationem exerceant: non vero cum huius sæculi hominibus qui nihil nisi sæculare in cor religiosorum seminare poterunt.

17 Denique, si quod humanum, & necessarium sæpius est regularibus cum sæculi hominibus communio consortiumve aliquod haberi debeat; necesse, vt cum illis sic se gerant, vt & ipsi sæculares vtilitatem aliquam spiritualem percipiant? religiosi etiam commodum aliquod pro anima sua reportent. Id docet Bernardus in speculo monachorum. *Si cum sæculari loquendum est, tunc maximè adhibeat custodiam ori suo, vt nihil proferat quod non ædificet audientem, Sic in cunctis se habeat, vt ædificet videntes, & nemo dubitet, cum viderit eum, vel audierit, quin verè sit monachus.* Optime quoque Sanctus Laurentius Iustinianus sic habet ad intentum. *Studeant Christi serui, semper de rebus necessariis, vel de animæ profectibus habere sermonem, Maximam namque, & indeficientem loquendi materiam inuenient, si de miseria præsentis vitæ, de periculis huius peregrinationis, de variis tentationum generibus, de diaboli fraudibus, de vitiorum deformitate, de virtutum ornamentis, & meritis, de mortis ineuitabili necessitate, de pœnis inferni, de Regno Dei, & præmio paradisi: frequentius verò de Dei ineffabili charitate humano generi per Christum, & in Christo exhibita. De huiusmodi autem, tam pro Dei amore, & dilectione, quam pro audientium ædificatione & suimet profectu, Dei serui tractare non desinant.* Hæc faciendo monachi, non solum consortij sæcularium nocumentum effugient, sed etiam, tum sibi, tum aliis, spritualem afferent vtilitatem Faxit Deus.

SVMMARIVM.

Regularium otiositas, vitiorum omnium sentina à Patribus censetur. n.1.

Verba D. Basilij otiositatem Monachorum reprobantis. n.2.

Monachus vt Christum addiscat, & animæ alimentum quærat, debet laboribus semper insistere. numero 3.

Monachus semper faciat aliquid operis, vt eum semper diabolus inueniat occupatum. n.4.

Augustinus libro de opere Monachorum per 33. capita digesto monachorum otia taxat. n.5.

Monachus debet esse neglector quietis, fugax voluptatis, apppetitor laboris. n.6.

Otiositatem monachis fugiendam sæpius inculcat Ioannes Cassianus. n.7.

Dei seruum sine intermissione legere, orare, & operari oportet. n.8.

Quæ dixerit D. Bernardus ad intentum n.9.

Otiositas inimica est animæ. n.10.

Quibus verbis Ioan. Soreth, quorumdam monachorum sui temporis otia carpat. n.11.

Parabola quædam ex opusculo S. Petri Cœlestini, circa otij fugam, & laborem monachi. ibid.

Nil pretiosius tempore, in quo quis promereri potest regnum Dei in perpetuum, n.12.

Monet Dion. Carthusianus ne aliquod temporis momentum infructuosè pertranseamus, n.13.

Perniciosum seruis Christi collegialiter viuentibus otium, ex S. Laurentio Iustiniano. n.14.

Cuiusdam Monachi quæsitum, simulque senioris responsum, ad rem, ex Thoma à Kempis. n.15.

Nil ita vires mentis eneruat, sicut otium. n. 16.

Selecta quædam ex Iulij Nigronij tractatu ascetico, de inerti otio fugiendo à quibusuis religiosis viris. ibid.

Quam nociuum rationali naturæ etiam ab ethnicis censeatur otium. n.17.

Totam passionum, vitiorumque colluuiem ex otiositate manare, censuere Patres. n.18.

Bouis & Lupi Apologus ex Cyrillo refertur ad propositum. ibid.

Afferuntur specialiora aliquot crimina, quibus Monachi otio dediti expositi manent. n.19.

Otiosi monachi gulæ, & ventris crapulæ expositi. numero 20.

Castitatis violatio inseparabilis comes otiositatis Monachorum. n.21.

Otiosi Regulares plurimum à monastica perfectione deuiare conspiciuntur. ibid.

Otiosorum signa, & notæ, quibus ab aliis secernantur. num.22.

Religiosus quilibet, Deo rationem redditurus ingis, & sanctæ occupationis. n.23.



CAPVT X.

Otiositas Monachorum religiosam, & regularem vitam euertit

NIHIL magis cum nimia regularium extra cœnobia euagatione, vanoue cum sæcularibus commercio coniunctionem habet, quam ipsorum regularium otiositas: sicut enim illa vitiorum omnium sentina à Patribus censetur, sic etiam inquietæ deambulationis monachorum, irreligiosæque cum sæcularibus communicationis, initium, & causa reputatur. Idipsum experientia testis comprobat; religiosi etenim

nim sancti, & deuoti, qui ad sui status perfectionem anhelantes, semper alicui operi incumbunt; dure nimis euagationem extra cœnobia, consortiumue cum sæcularibus admittunt: Qui verò contra otiositati deseruiunt (si qui sunt) totis neruis, vagam deambulationem, longamque cum extraneis fabulationem habere contendunt. Ideo post præcedentium capitum doctrinam, iure præsentis materia annectitur. Nec est animus, ad errorem Ioan. Vviclephi, Caluini, & Guillielmi de sãcto amore satis à monasticæ disciplinæ coriphæis, D. Thoma, S. Bonauentura, & Thoma Vvaldensi nostro, reiectum, vel leuiter declinare; isti enim, vt Ægyptij quondam Hebræos, religiosos omnes ad labores manuum, addictos esse volebant: nos autem solum intendimus sanctam aliquam occupationem monachis necessariam esse, suadere: siue illa externam, siue solum spiritualem operationem contineat. Ergo ex Patribus, vt moris nobis est, intentum roboremus.

2 Adstat primus Orientalium monachorum restaurator egregius S. Basilius, cuius responsione ad 36. interrogationem ex libro regularum hæc sunt verba, otiositatem monachorum reprobantia. *Cum Dominus noster Iesus Christus dicat dignus est, non simpliciter, neque sine alia exceptione, quilibet, sed operarius cibo suo. Cumque Apostoli præceptum sit, qui fatigari, & laborare nos iubet propriis manibus, quod bonum est, vt sit nobis, vnde egentibus tribuamus: sanè quin studiosius sit laborandum re ipsa liquet. Neque enim causa ad inertiam, aut laboris fugam spectante, vita secundum pietatem instituta existimari debet: sed maxima potius subeundi certaminis, & maioris laboris, & in rebus difficilibus tolerantia, vt nobis quoque verè liceat dicere: In labore, & ærumna, in vigiliis multis, in fame, in siti. Cum non ad corporis castigationem modo, vtilis nobis huiusmodi vitæ ratio sit; sed ad charitatem etiam erga proximum.* Et infra: *Sicut igitur vnicuique ad vitæ sustentationem necessarius est cibus quotidianus; item nihilominus vnicuique in opere faciendo necessaria industria est.* Hæc inter alia ad nostrum intentum subministrat Basilius.

3 Accedit vt solet Sanctus Ephrem Syrus, qui parænesim octauam de opere manuum ad monachos scripsit. Cuius hæc sunt prima verba. *Opus quoque manuum non negligas.* Insuper in libro de perfectione, qua præditum esse monachum decet, sic loquitur ad intentum. *Ne sinas monache corpus otiosum, sicuti egit, qui vnum talentum accepit; remissionem quippe cum gratia nactus, & otio indulgens, condemnatusque vt reus, Christi miles euasit.* Et infra: *Si inertes, ac pigri fueritis fratres, iam causam vastationis vos præbetis.* Insuper alibi hoc exemplo, monachis otiositatis fugam suadet. *Nonnè si litteras disceres, vexationem sustineres? Si opificium aliquod sæculi, nonne laborem subires? Quid propter Deum?* Ac si diceret, si propter litteras humanas addiscendas, aut propter familiam alendam, sæculi homines, nunquam otiositati dant locum, quanto magis Christi discipulus monachus, debet vt Christum addiscat, & animæ alimentum quærat, laboribus semper insistere, otiaque fugere.

4 Magnus quoque Pater Hieronymus optimus adstat testis; cuius ea semper cura fuit monachos monens, vt eos ab exitiosissima peste otij liberaret. Specialiter ad Rusticum monachum, sic loquitur. *Facito aliquid operis, vt te semper Diabolus inueniat occupatum.* Rationem reddit in epist. ad Rupert. *Si Apostoli habentes potestatem de Euangelio viuere, laborabant manibus suis, ne quem grauarent, & alijs tribuebant refrigeria, quorum pro spiritualibus debebant metere carnalia, cur tu in vsus tuos cessura non præparas?* Et post pauca aliquot opera exteriora recensens, quibus antiqui illi monachi occupari soliti erant, subiungit. *Scribantur libri, vt, & manus operetur cibum, & animus lectione saturetur.* Idem Hieronymus alio loco, sic habet. *Nihil in sancto proposito otio deterius, quod non solum non adquirit noua, sed etiam peracta consumit.* Et rursus. *Sanctæ vitæ ratio processu gaudet, & crescit, cessatione torpescit, & deficit.* Rursumque. *Statue quot horis sanctam scripturam addiscere debeas, quanto tempore legere, non ad laborem, sed ad delectationem, & ad instructionem animæ. Cumque hæc finieris spatia, & frequenter te ad figenda genua solicitudo animæ suscitauerit, habeto lanam semper in manibus, vel staminis pollice fila deducito, vel ad torquenda subtegmina in alueolis fusi vertantur, aliarumque neta, aut in globum collige, aut texenda compone.* Alia ex Hieronymo inferius afferemus. Ex illis autem luce clarius patefit, ex mente ipsius, religiosum virum, semper bona aliqua occupatione detineri debere.

Iungitur his Patribus sanctus Augustinus, ex quo vnum sufficiat afferre; integrum scilicet librum per 33. capita digestum, de opere monachorum ad Aurelium Carthaginensem Episcopum scripsisse. Contendit hic Pater grauissimus, acerrimisque rationibus, aliquorum monachorum otia taxare; quod ex sacræ paginæ testimoniis, variisque exemplis corroborat; graphicè aliquando, monachos otiosos, & vagos, capitibus tonsos, comatos, & crinitos fratres, (vt ipse loquitur) depingens. In sermonibus etiam ad fratres in eremo commorantes, qui vel Augustini sunt, vel ex eiusdem regula consarcinati, sermo 17. de vigilatione, & otiositate vitanda instituitur: ex quo aliquæ grauiores sententiæ colligi possent. *Vigilate.* (inquit) *fratres, otiositatem deponentes in cunctis. Quid enim otium est, nisi viui hominis sepultura, vt ait paganus ille sanctissimi Apostoli amicus charissimus?* Et infrà. *O fratres mei, semper occupatos vos esse desidero, vt brauium salutis per gratiam Dei recipere mereamini. Hanc fugere cupiens sanctus monachorum Pater Antonius clamauit ad Dominum in eremo, & dixit: O Samaritane Domine Deus, ô animarum, & corporum verè custos, suscita in me gratiam tuam, & infunde seruo tuo misericordiam, vt in eremo collocatus in tuo conspectu otiosus non maneam. Et audiuit: Antoni cupis Deo placere? Ora & dum orare non poteris, manibus labora, & semper aliquid facito.* Et inferius. *Fuge otium, quod non est, & aperi oculos mentis, & corporis, videbisque singulas creaturas ad officia singula deputatas.* Ac tandem omissis aliis. *Eia ergo, fratres dilectissimi, corona mea, & gaudium meum omnem otiositatem expellite, semper aliquid boni facite, & quem tædet orare, vel psallere, laborare manibus non desistat.* Plura ad hoc intentum in dicto sermone facile reperiuntur. 5

Iunge Eusebium Emissenum, qui vno verbo totam monachi œconomiam, intentumque nostrum conclusit. *Religiosus debet esse neglector quietis, fugax voluptatis, appetitor laboris, patiens abiectionis, &c.* Hæc ille. 6

Ioannes quoque Cassianus antiquus monasticæ disciplinæ cultor, otiositatem monachis fugiendam sæpe sæpius inculcat. Ergo totum librum 10. de spiritu acediæ in eo ponit, vt aliquid operis semper illis faciendum iniungat. Specialiter cap. 8. D. Pauli exemplum adducens, qui manibus pro victu laborabat, 7

borabat, sic loquitur. *Cum itaque non gratis, qui Euangelium prædicabat, tam sublime, ac spirituale opus exercens, cibum sibi præsumeret, quid nos faciemus monachi, quibus non solum nulla prædicatio verbi commissa est, sed nec vlla quidem, nisi animæ nostræ solius cura mandatur? Qua fiducia otiosis manibus gratis panem comedere audebimus, quem vas electionis, Euangelica solicitudine, & prædicatione constrictus, sine opere manuum comedere non præsumit?* Cap. etiam 23. celebrem illam sententiam contra otiosos monachos protulit. *Hæc est apud Ægyptum ab antiquis Patribus sancta sententia, operantem monachum, Dæmone vno pulsari: otiosum verò innumeris spiritibus deuastari.* Capite etiam sequenti grauiter commendat Abbatis Pauli exemplum, qui cum necessaria pro victu haberet, nec commode posset ea, quæ laborabat, aliis erogare, semper tamen in labore manuum erat occupatus, & in fine anni totum igni tradebat. *Interim probans* (inquit Cassianus) *sine opere manuum, nec in loco posse monachum perdurare, nec ad perfectionis culmen aliquando conscendere.* Hucusque Cassianus, de quo etiam alia postea.

8 Ex D. Isidoro Hispalensi antistite hæc contra otium monachorum capere licuit 3. sent. c. 20. *Dei seruum sine intermissione legere, orare, & operari oportet, ne forte mentem otio deditam spiritus fornicationis subripiat.* Breuis quidem, sed vtilissima Isidori sententia.

9 Accedit Bernardus mellifluus, similia fere, ac Isidorus proferens in opusculo de ord. vitæ. *Dei seruum* (inquit) *sine intermissione legere, & operari oportet, ne forte mentem otio deditam vitia sibi præoccupent.* In apologia etiam ad Guillemum Abbatem, sæpius, vt credo à monachis relegenda, otiositatis vitium, sic reprehendit. *Longas noctes dormitando consumitis, & dies fabulando ducitis otiosos? An dicitis pax, & non est pax? Cur non verecundamini?* In epistola etiam ad fratres de monte Dei, si Bernardi est talis epistola, sic habet. *Nulla vnquam inueniat seruum Dei, non dicam dies, sed hora, nisi vel in exercitij labore, & proficiendi studio; vel in experientia, dulcedine & fruendi gaudio.* Et infra. *Numquam otiosus sit seruus Dei, quamuis à Deo feriatus sit.* Hæc Bernardus.

10 Hugo quoque de sancto Victore optimè de statu monachorum promeritus, sic loquitur ad præsens. *Si à lectione cessatur, debet manuum operatio subsequi, quia otiositas inimica est animæ.* Rursus. *Antiquus hostis, quem à lectione, vel oratione vacantem inuenerit, facilè ad vitia rapiet.* Breui sanè compendio rem totam peragit.

11 11 His Patribus accedit D. Albertus Hierosolymitanæ Ecclesiæ Antistes, & regulæ nostris Carmelitis traditæ, ex dictis S. Basilij, Ioannisque Patriarchæ, egregius author, qui in dictæ regulæ c. 15. hæc habet contra otiositatem monachorum. *Faciẽdum est vobis aliquid operis, vt semper vos diabolus inueniat occupatos, ne ex otiositate vestra, aliquem intrandi aditum ad animas vestras valeat inuenire.* Et infrà. *Audiuimus quosdam inter vos ambulantes inquietè nihil operantes. His autem, qui eiusmodi sunt denunciamus, & obsecramus in Domino Iesu Christo, vt cum silentio operantes suum panem manducent. Hæc via sancta est, & bona, ambulate in ea.* Quæ verba exponens Ioann. Soreth nostræ religionis quondam Generalis Prior, sic quorumdam monachorum sui temporis otia carpit, in exp. reg. Carm. tom. 16. *Nonne vobis aptissimè his diebus præmissa diriguntur eloquia. Experientia clamante, audiuntur inter vos quidam ambulare inquietè, id est de loco ad locum tota die vagari, & nihil manibus suis operantes, quod vtile sit eis, vel aliis: sed curiosè agentes, id est cum quadam superflua, & inutili solicitudine quærentes de aliis. Quid Turca? Quid Sultanus? Quid Rex Portugaliæ agant? Aut quanti sit annona, seu tempus quale anno sequenti sit futurum? Et his similia, quibus otiosi, & curiosi animi dignoscuntur. Curiosè namque agunt, qui ad hoc vacant, vt dicere, vel audire aliquid noui possint.* Hæc Sorethus noster Alberti regulam exponens; simulque mentem suam circa otiositatem fugiendam, religiosis denuncians.

Iuuant ad intentum quæ Sanctus Petrus Cœlestinus Mundi miraculum quod Papatui renunciasset in Opusculo quinto de sententiis Patrum Eremitarum circa otij fugam, & laborem Monachi scripsit. Etenim cap. 3. sic *Quidam monachus ex negligentia perdidit Regulam Monasticam, & nunciauit cuidam seni. Qui dixit ei hanc parabolam: quidam homo habuit possessionem & de negligentia eius sentibus repleta est; cum autem vellet eam excolere, dixit filio suo, vade, & purga agrum. Et veniens ille, videns multitudinem spinarum, dixit quando hæc omnia eradicabo, & purgabo? Vnde proiecit se in terram, & cœpit dormire; quod & fecit multis diebus. Postea autem venit pater eius, & inuenit eum nihil operantem: tunc ait ei, fili, ad mensuram latitudinis, quantum iaces in terra occupa per dies singulos, & operare: & ita paulatim perficies opus tuum. Qui, & fecit, & in paruo tempore purgata est terra. Ita ergo, & tu frater paulatim operare, & non deficies; quod, & fecit.* Et infrà. *Cum moriturus esset quidam Monachus, aperuit oculos suos, & risit vsque tertiò. Interrogantibus Monachis cur risisset, dixit: primò risi quia omnes timetis mortem: secundò quia non estis parati: tertiò risi, quia ex labore ad requiem vado: & hæc dicens obdormiuit in Domino.* Item *cap.* 8. relatis aliis quæ nos etiam alibi notamus hæc habet. *Abbas quidam dixit fratribus suis, ad laborandum in hunc locum venimus: hic autem nullus est labor, eamus igitur, vbi laborare possimus. Senex quidam habebat aquam duo milliaria distantem à cella: quo dum iret, defecit, & dixit; quid mihi opus est hunc laborem sustinere? Veniam, & habitabo circa aquam. Et cum hæc dixisset, conuersus vidit quendam sequentem se, & numerantem vestigia sua: cui dixit, quis es tu? Angelus Dei sum, qui numero gressus tuos, & retribuam tibi mercedem. Quod cum audisset senex confortatus est, & adhuc longiùs posuit cellam ab aqua.* Et infrà sic: *Erant quidam Monachi qui dicebantur Chitæ, id est orantes: quibus senex ait, quod est opus manuum vestrarum? at illi dixerunt, nos nihil operis facimus, sed sicut dicit Apostolus* 1. *Thess.* 5. *sine intermissione oramus. Et dixit senex: quando ergo manducatis, vel dormitis quis orat pro vobis? & non inuenerunt quid responderent ei: & dixit eis, parcite mihi, quia non facitis quod dicitis: Ego autem ostendam vobis, quia operans manibus, sine intermissione oro: sedeo enim adiuuante Deo, & operor manibus, & dico, miserere mei Deus, est ne oratio, an non? At illi, etiam: & ille ait, quando permansero tota die laborans; & orans corde, vel ore, facio sexdecim nummos, de quibus pono duo ad ostium, & reliquos manduco; qui autem accipit illos, orat pro me tempore comestionis, & dormitionis, & sic adimpletur quod dicitur; sine intermissione orate.*

Audiatur etiam Seraphicus Doctor Bonauentura 12
religiosæ perfectionis feruentissimus zelator, qui sæpius otium regularibus fugiendum, accuratè perpendit

perpendit, in alphabeto hæc habet. *Omne tempus cum Deo vtiliter expendas. Nihil enim pretiosius tempore, in quo promereri potes regnum Dei in perpetuum.* Alibi quoque sic instruit monachum nouitium. *Nunquam debet otiosus vagari, nec rumoribus vacare, & verbis otiosis, nec lusui, & scurrilitatibus deditus esse; quia hæc faciunt mentem vagam & inanem.* In epistola quoque instructoria ad Prouinciales, & custodes de reformandis fratribus sui ordinis, inter causas difformationis religionum, otiositatem aliquorum regularium connumerat, sic. *Sanè perquirenti mihi causas, cur splendor nostri ordinis quodammodo obscuratur, ordo exterius inficitur, & nitor conscientiarum interius defœdatur, &c. Occurrit quorumdam fratrum otiositas, quæ sentina est omnium vitiorum, quamplurimi consopiti, monstruosum quendam statum inter contemplatiuam, & actiuam vitam eligentes, non tam carnaliter, quàm crudeliter sanguinem comedunt animarum.* Hæc Bonauentura acerbe satis de monachorum otiositate iudicans, illamque. *Monstruosum statum inter contemplatiuam, & actiuam vitam* compellans.

13 Præterea sapientissimus Dionysius Carthusianus, sic habet serm. 7. de Dominica septuagesimæ ad Religiosos. *Simus iugiter timorati, semper soliciti, incessabiliter custoditi, nec aliquod temporis momentum infructuosè pertranseamus, sed orando, meditando, psallendo, contemplando, studendo, scribendo, aut aliud quidpiam vtile, præsertim quod à præsidente iniungitur, faciendo, omni hora salubriter occupemur.* Et infrà. *Nil æstimemus tam nocinum, tam stolidum, vt inutilem temporis deductionem.*

14 Forsan tamen inter Patres cæteris accuratius, otiositatem monachis fugiendam, S. Laurentius Iustinianus, non semel, sed sæpius intimauit. Primò ergo in libro de disciplina monasticæ conuersationis integrum capitulum sub hoc titulo, & scopo edidit. *Quod perniciosum si seruis Christi collegialiter viuentibus otium, quod magnopere deuitare debent.* Ex hoc ergo capite speciales sententias proferre liceat. *A corpore, & otio cuncti currere debent, & potissimum serui Dei.* Infra. *Non prætermittendum est, vel breuissimum præsentis temporis spatium sine spirituali fructu.* Inferius. *Quid reprehensione dignius, quam ornamẽta sumpsisse regalia, & in lutosis operibus tota die versari: Bellica quippe arripuisse arma, & ad prælium recusare accedere propter metum, valde ridiculosum est. Non tamen minus vituperabile est, mundo, solo corpore, & hominum aspectibus renunciasse, atque in monasterio otiosam ducere vitam. Considera, ô serue nequam piger, & otiose, quod in stadio certaminis positus es. Oportet enim te pugnare, alioquin miserabiliter occideris.* In libro quoque de triumphali Christi agone cap. 27. *Qui diuini amoris ardet incendio, in bonis actibus semper se occupare cupit, nunc interius, nunc exercetur exterius. Otium abhorret summopere veluti charitatis inimicum, &c.* Hæc Iustinianus: nec his contentus, alia protulit, quæ nos inferius congruentiori loco afferemus.

15 Egregiè quoque deuotus author Thomas Campensis in vall. lil. c. 18. ad intentum nostrum, cuiusdam monachi quæsitum, simulque senioris responsum affert. *Frater interrogauit senem: Quod est statutum in Ordine, pro pace, & deuotione maximè proficuum? Respondit notabile verbum. Seruare à Patribus silentium statutum, vitare tumultus hominum, & otium. Hæc tria in ordine valde necessaria sunt, Deo, & Angelis accepta; scilicet laborare manu contra otium; amare lectionis studium contra cordis tædium, & continuare orationis vsum contra Diaboli dolum.* Hæc vtinam profiteamur omnes, vt vel sic, concordet vita nostra cum nomine.

Grauiter etiam grauis author Ioannes Trithemius, & otiositatis vitium reprehendit, simulque fugiendum monachis suadet. Homil. 6. sic habet. 16
Consistens in cella tua; semper otium caueto, quoniam nihil ita vires mentis eneruat, sicut otium. Si Deum ardenter amaueris, nunquam eris otiosus. Homilia quoque 7. sic fatur. *Otiositas inimica est animæ, & ideo certis temporibus occupari debent monachi in labore manuum, certisque horis in lectione diuina. Tunc enim verè sunt monachi, si labore manuum suarum viuant.* Rursumque. *Ne igitur monachi, panem vestrum manducetis otiosi, semper vos aliquo labore honesto, & vtili, oportebit esse mancipatos, quo mens à tædio releuetur obseruantiæ regularis.* Et infra: *Monachus, quia miles est regis æterni, nunquam debet esse otiosus.* Rursusque, laboris monachorum normam sic describit. *Labores monachorum ita sunt moderandi, vt nunquam à diuinis, vacent colloquiis, sed inter opera manuum in corde meditatio ferueat scripturarum.* Hæc Trithemius, piè satis occupationem mentis, & corporis monachis præscribens.

Pro hac etiam causa strenuè laborauit Iulius Nigronius deuotus author tractatum asceticum de inerti otio fugiendo, fugandoque à quibusuis Religiosis viris, & studiosis Christianæ perfectionis conscribens. Ex quo proinde aliqua ad intentum nostrum habere possumus. Primò ergo in principio prologi loco hæc habet. *Tam acris, & frequens est inertis otij detestatio, qua Philosophi morales, prisci Doctores Christianorum, & cuncti magistri virtutis, tum religiosos viros, quibus perfectionis comparandæ imposita lex est; tum Christianos omnes, quibus animæ salutis cura debet esse, deterrent ab otiando: tam vehemens, & ardens cohortatio eorundem, ad aliquam honestam occupationem in omni parte vitæ, ac temporis retinendam eos extimulat; vt me cupiditas inflammata corripuerit, cogeritque ad scribendum tractatum de inerti otio fugiendo, fugandoque strenuè ab omnibus hominibus, quibus æterna salus cara est, non modo perfectio virtutis in optatis.* Deinde in sequentibus ex Hugone Cardinali affert illa. *Stultus est otiosus, quia non declinat vitanda; stultior quia non desiderat appetenda, nec colligit merita: stultissimus, quia cumulat, & thesaurizat sibi æterna supplicia.* Item illam otiosorum diffinitionem ab eodem Hugone allatam. *Vobis nihil proficientes, proximis non subuenientes, Deo non seruientes, hostibus non resistentes, pœnitentiam non agentes, in posterum non prouidentes.* Ac illud Cyrilli Alexandrini pro religiosis optimum consilium. *Consultissimum est operari, ne aliis sis oneri, alienos sudores in priuatam tuam vtilitatem conuertens, cum possis tuis laboribus viduæ, & pupillo subuenire, iisque, qui ex fratribus sunt infirmiores.* Illamque pulchram Chrysostomi in otium inuectiuam. *Otium malitiæ pars est; immo verò non pars, sed causa, & mala radix. Omnem quippe malitiam docuit otium. Itaque cauendum ne stultè quæstiones istas indagemus: nempe quem sit habiturus locum, qui nihil boni fecit. Nihil enim boni facere, hoc ipsum est malum facere. Dicas enim velim; si famulum haberes, qui etsi nec furaretur, nec conuitiaretur, nec contradiceret; immo nec inebriaretur, nec reliquorum malorum quidquam designaret; sederet tamen perpetuo otiosus, nec aliquid eorum, quæ seruus hero suo præstare debet, faceret: non flagellares*

gellares

modo non odio prosequendum otium, quod formica, & ape peiorem efficit hominem, qui vtique initio suæ conditionis positus in paradiso est, vt operaretur, & custodiret eum? Insuper, & Ambrosianum illud *Non otio, non somno merces paratur. Nullum opus dormientis est, nullus fructus otij, immo magis dispendium. Otiosus Esau amisit primatus benedictionem.* Et alibi. *Non dormientibus, non otiantibus, sed vigilantibus pollicentur præmia, & labori merces parata est.* Anselmum quoque monachos quosdam admonentem. *Otiositatem quoque sicut rem inimicam animarum vestrarum à vobis excludite; & vnusquisque consideret, quia de singulis momentis vitæ nostræ reddituri sumus Deo rationem.* Ad hæc Petrum Blesensem Episcopum quemdam sic instituentem. *Nullum tempus feriatum habeas, sed semper, aut orationi, aut lectioni, aut alij honestatis studio te impendas.* Et post. *Adhuc replico, semper sis in exercitio Scripturarum, nullumque tempus te inueniat otiosum. Otium sine litteris est viui hominis sepultura.* Et maximè in sequentibus verba Petri Maffei sancti Ignatij vitam describentis, quæ talia sunt. *Otium, vt omnium vitiorum fomitem, ac seminarium in primis oderat. Itaque duos, tresue rei familiaris adiutores, cum ad ianuam alieno tempore confabulantes è superiore loco aspexisset, illicò iussit aceruum lapidum in proximo situ, in summam ædium contignationem sine cunctatione transferre. Eosdem tertio post mense, cum ibidem iterum otiantes animaduertisset, illam ipsam lapidum congeriem, vt in eundem locum referrent, vnde asportauerunt, imperauit, amicè insuper admonens, nihil in Dei famulatu periculosius esse desidia.* Plura tandem ad intentum in hoc Authore lector reperiet.

17 Nec mirum, patres tanto conatu, monachis otij fugiendi doctrinam tradidisse: adeò enim malum, nociuumque rationali naturæ censetur otium, vt, & Ethnici, Paganique Philosophi, solo rationis ductu, id antea intimauerint. Xenophon in libro de republica Lacædem. *Permulta ab otiosis, & absurda patrari solent.* Euripides aiebat. *Idem est otiosus, & malus ciuis.* Cato. *Nihil agendo homines, male agere discunt.* Ouidius. *Ignauum, corrumpunt otia corpus.* Catullus. *Otium reges prius, & beatas perdidit vrbes.* Menander apud Stobæum. *Homo sanus otiosus miserior est, quam febricitans, & infirmus, nam corruptio animi, quam corporis miserior est.* Quintilianus declamat. 4. *In facinus otiosus ardor erumpit.* Lucanus libro 4. *Variam dant semper otia mentem: nam qui propria non curat, vel attendit; ad superuacanea, & aliena necessario se extendet.* Ex quibus omnibus merito intulit Patritius, l. 1. de instit. Reipub. *Otiosi, & ignaui homines venenum sunt ciuitatis, proni ad libidinem fiunt, & bonis inuident, aliena appetunt, denique seditiosi, & turbulenti euadunt.* Merito etiam adducti Patres, vt tantum malum à delitioso paradiso Dei, religione scilicet monastica, procul relegent, tam concordi, constantique omnium assensu, otiositatem opprobriis affecerunt, eamque à religiosis procul abesse curarunt.

18 Ex dictis autem, dicendisque constabit, eam ob causam, Patres tam sollicitè, & obnixè monachis otia interdixisse; quod putent: totam passionum, criminum, vitiorumue colluuiem ex otiositate manare. Id ostendunt Ephrem, Hieronymus, auctor apud Augustinum, Hugo, Bonauentura, Iustinianus, & alij iam relati. Sed specialius alij intentum concludunt. Ex quibus Ioannes Cassianus de act. c. 21. sic loquitur. *Qui sectatur otium replebitur paupertate, vel inuisibili, quia necesse est otiosum quemquam, & diuersis vitiis inuolutum teneri, & alienum semper existere à contemplatione Dei.* Multa ad hoc propositum ex eodem omittam. Loquatur Hieron. in ep. ad Rustic. *In desiderijs est omnis otiosus. Ægyptiorum monasteria hunc morem tenent vt nullum absque operis labore suscipiant, non tam propter victus necessitatem, quam propter animæ salutem. Ne vagetur perniciosis cogitationibus mens, & instar fornicantis Hierusalem, omni transeunti, diuaricet pedes suos.* Indicat Hieronymus, omni vitio expositum esse otiosum, sicut meretricem omni viro. Clarissimè inter alios S. Augustinus, vel qui nomen eius præsefert in opere ad fratres in eremo. *Per otiositatem fratres, rigorem sanctæ solitariæ religionis fastidimus; per hanc erramus, sæpè exire tentamur; per hanc accendimur frequenter ad luxuriam; per hanc, animamur ad superbiam; per hanc, ducimur ad mundi gloriam; per hanc, tentamur delicatè pasci; per hanc suffocamur prætiosè vestiri; per hanc, ad superfluam dormitationem trahimur, per hanc ad verba sæcularia ducimur libenter audire. Hæc est illa otiositas pessima, quæ frequenter sanctorum conuentus destruit, pariens in eis luxuriam, nutriens in eis gulam, seminans inter eos Zizaniam, generans inter eos homicidia, & omnia, quæ sunt opera carnis. Quid ergo dicis, ô frater? Quid otiosè agere poteris, nisi opera carnis? Nunquam quis ciuis cœlorum erit, si otiositatem amauerit.* Omnia hæc, & veritatem continent, & spiritum Augustianinum redolere vidétur. Accinit egregiè os aureum Chrysostomi sic homil. 16. in epist. ad Ephesios. *Otium malitiæ pars est; imò vero non pars, sed causa, & mala radix; omnem quippè malitiam docuit otium.* Belle etiam Laurentius Iustinianus. *Nihil in sancto proposito otio deterius, quod non solum non adquirit noua, sed etiam adquisita consumit. Sanctæ enim vitæ ratio, processu gaudet, & crescit; otio autem, & cessatione torpescit, & deficit.* Nec plura testimonia quæram: res enim apud omnes comperta est, otium malorum omnium sentinam originalem esse.

Argutum tamẽ, & acutum bouis, & lupi Apologum apud Cyrillum *l. 1. Apolog. Moral. c. 14.* cui titulus est. *Quietẽ mentis dilige, & otium fuge,* hic aponã. *Hora vespertina (inquit) bouem iugo oneratum otiosus, vagusque lupus reperiens quasi compatiens illi dixit: Quandonam solutus beata libertate vagaberis, & fatigatus grata quiete refocillaberis otiosus? cui ille respondit: Nimirum quando sapientia relinquet naturam. Labores enim quandiu sustinebit membrorum societas, nunquam me rapiet vagationis captiua libertas aut otiositas cordis fluctuans tempestatibus. Nam vagatio quædam mentis est alienatio, & otium tempestas est cordis. Siquidem alienatus à virtute sensus, mox sicut Cain profugus, vagusque diffunditur, & veluti statim procella vitiositatis inuoluitur animus otiosus. Adhæc lupus adiunxit, Nunquam ergo quiescit sapiens? Respõdit bos: Imo possidet eum secura quies. Nonne attendisti quod, superior mandibula licèt non moueatur, minimè sit otiosa? Sic vtique sapiens etiam nunquam otiosus, continuè aut mente exercitatur, aut corpore. Quid enim est otium nisi perditio irreuocabilis horæ? effusio vitæ? Retrogradatio proficiẽti? Hinc gignit carnis desidiam, parit superbiam, accendit luxuriam, soluit linguam, nutrit indigentiam, & introducit rapinam. Egestatem namque operatur remissa manus, & qui sectatur otium est stultissimus. Etenim sabbatizante Israele Cœlum non pluebat manna. Quin &*

aqua putrescit immobilis, & immotus ensis rubigine mox sordescit, pes quietus obstupescit, & vestem depositam dirus tineæ dens corrodit. E contra Cælum continuò currit, cor dum viuit nunquam quiescit, naturalis virtus non dormit, & regina mundi prudentia semper agit. Propter hoc charissime, ego otium vitans, semper aut aro, aut comedo, aut rumino, aut ligatis nubecula sensibus cibum digerens requiesco, & dormio. Quibus auditis lupus otiosus, vagusque mox ab iis confusus.

19 Specialius tamen specialiora aliquot crimina referam, quibus monachi otio dediti expositi manent, quibusque aliquando irretiri, experientia forte comprobabit. Vnum est; vagabunda, vanaque egressio extra cœnobia, satis in superioribus improbata. Otium etenim, si quandoque in monachis reperitur, ad inutilem, & superfluam deambulationem extra claustra cogit. Id ostendit auctor apud Augustinum iam relatus, illis verbis. *Per otiositatem rigorem sanctæ solitariæ religionis fastidimus; per hanc, eremum sæpè exire tentamur, &c.* Hoc ipsum tradit Cassianus, id comprobans exemplo cuiusdam monachi otio dediti, qui non modo egressum sui è monasterio quæritabat, sed quod peius est, ad simile vitium prouocabat alios. *Hoc vnum*, inquit, *exemplum de istiusmodi genere hominum, pro incipientium cautione, dixisse sufficiat, quo pateat euidentius, quanta mala otiositas in monachi mente parturiat.* Omnium tamen clarius, & enucleatius Antiochus monachus inter bibliothecæ Patres relatus, qualiter otiositas, seu acedia monachum gyrouagum, & inquietum efficiat his verbis, nec inelegantibus demonstrat. *Tali suggerit Dæmon cogitationum intemperiem, nempe, vt alio emigret, & quia tempus omne, & labor omnis, vacua sibi erunt frugis bonæ, & inania, ni se ad alia conferat loca. Is tandem nihil dissimilis comperitur virgulto deserti, quod vbi aliquantulum interquieuit, rursus huc, illucque, aspiratione ventorum propellitur. Aut certè, quemadmodum planta procerior, & exolescens, genitali loco emota: ita & monachus gyrouagus, ne vnius quidem virtutis frugem referet. Quemadmodum item nubes nullo aquæ humore concreta, venti agitatione percellitur: ita monachus spiritu agitatus acediæ, nullam habet solidam requiem.* Hæc ille. Nec est cur plura afferantur, cum experimento conclamante, constet, gyrouagos, seu deambulatores monachos, otiositatis morbo laborare, nec alicuius bonæ occupationis detentos negotio.

20 Deinde otiosos monachos (si aliqui tales sunt) gulæ, & ventris crapulæ expositos esse, plures Patres confirmant. Ex quibus auctor Augustinus nomen ostentans iam adductus, sic. *Per otiositatem, fratres, tentamur delicatè pasci.* Rursus. *Hæc est illa otiositas pessima, quæ frequenter sanctorum conuentus destruit, nutriens in eis gulam.* Clarius Cassianus libro iam adducto. *Mens otiosi nihil aliud cogitare nouit; quam de escis, ac ventre, donec inuenta quandoque sodalitate cuiusquam viri, vel fœminæ, æquali tempore torpentis, rebus eorum, ac necessitatibus inuoluatur; & ita paulatim reddatur noxiis occupationibus irretitus, vt tanquam serpentinis spiris obstrictus, nunquam deinceps ad perfectionem professionis antiquæ, se valeat enodare.* Eadem ferè, quæ Cassianus, sanctus Laurentius Iustinianus mutuata habet de sobrie. c. 4. dicẽs. *Otiosi mẽs nihil aliud cogitare nouit, quam de escis, aut ventre, & qui otiosa quiete perfruitur, nisi spiritualiter vixerit, more pecudum, vitam ducit.* Vnde concludit. *Quisquis sobrietatem Deo offerre festinat, magno sibimet debet moderamine præesse, vt non ad culpam caro per otium trãseat.* Abs dubie pro comperto habens, religiosum otio deditum, gulæ, & ventris crapulæ seruum esse. Clarissimè etiam Antiochus monachus iam adductus, hoc vnum curæ esse monacho otioso adstruit, vt ventrem impleat, tempusque prandij, & comestionis expectet, hisce. *His adde: Dæmon illi esuriem suggerit tempore prolixiori sustinendam. Ad eum modum supinus ille, ac securus boni operis, scopum vnum expectat, nempe horam sumendæ alimoniæ.* Rursus. *Hæc eò facit, vt horas deterat, ac temporis fallat prolixitatem. Atque audito primum signifero, & indice prandij, quam alacer, quam promptus eò prouolat?* Hæc Antiochus. Hæc, & isti, quibus satis clarè intentum nostrum elucidant, habemusque compertum, otiosum monachum, gulæ, quoque, & crapulæ vitio expositum esse.

Adhæc castitatis violatio inseparabilis comes otiositatis monachorum à Patribus habetur. Hinc auctor apud Augustinum iam relatus. *Hæc est illa otiositas pessima, quæ sanctorum conuentus destruit, pariens in eis luxuriam.* Et rursus. *Quid otiosè agere poteris, nisi opera carnis?* Rursusque. *Per otiositatem accendimur frequenter ad luxuriam.* 21
Hinc ad castitatem seruandam pro antidoto, otij fugam suadent Patres. Quod insigni exemplo describit D. Hieronymus, narrans, monachum inhonestè tentatum; laboribus, & persecutionibus fatigatum, carnis flammam extinxisse. Ipsius verbis transcribam ex epist. ad Rustic. *Græcus adolescens erat in cœnobio, qui nulla continentia, nulla operis magnitudine, flammam poterat carnis extinguere. Hunc periclitantem Pater monasterij hac arte seruauit. Imperat cuidam viro graui, vt iurgiis, atque conuitiis insectaretur hominem, & post irrogatam iniuriam primus veniret ad quærimoniam. Vocati testes, pro eo loquebantur, qui contumeliam fecerat: Flere ille contra mendacium. Quid multa? Ita annus ductus est. Quo expleto interrogatus adolescens super cogitationibus pristinis, an adhuc molestiæ aliquid sustineret? Pape (inquit) viuere mihi non licet, & fornicari libeat?* Certè, si monachum istum otiosum, & desidem sinerent, abs dubiè luxuriæ laqueis, irretirent; quia tamen laboribus oppressum fatigabant, ideo à carnis tentationibus immunem fecerunt. Hinc etiam pulchrè D. Laurentius Iustinianus in lig. vit. de sobr. cap. 4. *Semper aliquid agendum est, ne mens distracta per desideriorum campos, suis capiatur concupiscentiis.* Hinc quoque Thomas de Campis ser. 5. ad fra. sic docet. *Valet maximè ad castimoniæ decus promerendum sobrietatis virtus, quæ laborare manibus prædicat; occupari semper in Dei opere adhortatur; quoniam otium, & deliciæ prædones sunt castitatis.* Quid plura? Adeo certum, compertumque omnibus extat, otium parentem esse luxuriæ, vt ethnicum Ouidium non latuerit res. Inquit.

Otia si tollas periere Cupidinis arcus,
Contemptæque iacent, & sine luce faces.

Nec dubitent ergo religiosi omnes castitatem cum otio non compati posse: insidiatur enim otium inimicabiliter animæ, corporisque munditiæ.

Est, & aliud malum, quod ex præfata monachorum otiositate oriri solet, vt vel propter ipsum solum fugiendum iure deberent Religiosi cum assiduis occupationibus assistere. Illud porro est, quod prædicti otiosi plerumque vanis conuersationibus, inutili

inutilibusque sermonibus distenti plurimum à monastica perfectione deuiare conspiciantur. Hinc plura ex Patribus contra has impertinentes collationes insurgentibus haurire possumus. Sed illud non prætermittendum, quod Cass. *l.5. renuntiant. c.31.* Machete monacho sic refert. *Hic idem senex otiosarum fabularum Diabolum esse fautorem, ac spiritualium collationum impugnatorem semper existeret, his declarauit indicijs. Nam cum fratribus quibusdam de rebus necessarijs, ac spiritualibus disputare, eosque videret Letheo quodam sopore demergi, nec posse ab oculis suis pondus somni depellere, otiosam repentè fabulã introduxit. Ad cuius oblectationem cum eos euigilasse confestim, atque erectas aures suas habere vidisset, ingemiscens ait. Nunc vsque de spiritualibus loquebamur, & omniũ vestrum oculi lethali dormitione deprimebantur, at cum otiosa fabula intromissa est, omnes expergefacti torporem somni dominantis excussimus. Vel ex hoc ergo perpendite, quis nam collationis illius spiritalis fuerit impugnator, aut, quis huius infructuosæ, atque carnalis insinuator existat. Ille enim esse manifestissimè deprehenditur, qui malis adgaudens, vel istam fouere, vel illam impugnare non desinit.* Hactenus Cassianus. Ex cuius narratione habemus Dæmonem insinuatorem otiosarum, infructuosarumque fabularum esse: quod in nostrorum temporum recreationibus illum conari mihi persuasissimum est. Confirmat meam positionem visum S. Dominico exhibitum, permittente Deo. Etenim visus est Dæmon in aula locutioni pro honesta recreatione deputata exultare, gestire, cachinnis in gentibus bacchari; magnum quæstum eo se loco facere asserens, è peccatis oris, atque linguæ: quem quæstum, postea perderet in Capitulo, vbi culpæ patefiunt humili confessione publica, & impositis à Priore pœnis eluuntur. Ante S. Dominici tempora sanctus Cæsarius, hanc prauam Dæmonis lætitiam in hoc genere agnouit, & indicauit suis in exhortationibus quibusdam dicens. *Certum est, quod quando ea, quæ ad sæculum pertinent, loquimur, aut nimijs murmurationibus; ac obtrectationibus nos mordemus, ille horas nostras Deo subtrahi, & sibi gaudet acquiri.* Cæterum Diabolum pelli, aut certè audaciam eius retundi, ac reprimi hostilem impugnationem per sermones spirituales tempore recreationis, discimus ab ea visione, quæ magno viro de senioribus facta est, quæ sic refertur in eorum vitis. *Aliquãdo quam plurimi sedebant fratres, & simul loquebantur inter se de sanctis scripturis, quæ ad salutem pertinent animarum. Stabant autem circa eos S. Angeli lætantes, in hilari vultu considerantes. Delectabantur enim de eloquiis Domini. Cum autem aliud quodcumque loquerentur, statim Sancti Angeli recedebant longius, indignantes, contra eos. Veniebant autem porci sordidissimi, & volutabant se inter eos. Dæmones enim in speciem porcorum delectabantur super superflua, & vaniloquia eorum. Beatus autem senior hæc videns, abijt in cellulam suam, & per totam noctem cum grandi fletu, & vlulatu gemebant miserias nostras. Exhortabatur ergo sanctos Patres per monasteria, & commonebat fratres, dicens: Cohibete à multiloquio, & ab otiosis sermonibus linguam per quam malus interitus animæ generatur.* Refert eandem visionem Ioannes Subdiaconus l.1. de contemplat. §.3. addens, quod cum repetebant fratres spiritualia colloquia, redibant Angeli, & eos lauabant, quos porci polluerant. Colloquia spiritualia sanctos Angelos accersunt: horum aduentus, ac præsentia Dæmones fugat, qui vel introducunt vaniloquium, vel certè cõtinuãt introductum. Igitur rectè dictum est sermonibus spiritualibus Dæmonem, vaniloquij suasorẽ auctorem, & altorem extrudi. Hæc porro ex Iulio Nigronio *in tract. de recreat. Religios.* mutatis verbis accepi, vt vel ex eis nouerint Religiosi cuncti colloquia bona, pia, aut spiritualia miscentes Angelos bonos pro sociis habere, vaniloquia vero otiosè sectantes, nõ nisi cacodæmonũ consortio promereri.

Cum vero hæc ita sint, mirabile sanè, & plusquã mirabile erit, si aliqui ex religiosis reperiantur, qui otiositati, vel leuiter inseruiant. Quis enim tantum malum à Regularibus prosequendum credat? Quis vitiorum sentinam, peccatorũ parentem, omniumque ruinam virtutũ, toto cœlo à religiosorum animis abesse non putet? Sed, proh dolor, non paucos in religionibus repertos, qui otij sub stẽmate vixerint, Patres arguunt, reprehendunt sancti, & hæretici inimici nostri, plenis buccis inclamant. Ne tamen inter sanctos, piosque religiosos sanctis, piisq; laboribus semper addictos, otiosi isti (si qui iã sunt) obtegantur, sicut lupi vestimentis ouium; necesse erit, otiosorum signa, notasue, quibus ab aliis secernuntur, in medium afferre, vt dum se viuis coloribus depictos agnoscunt, ad bonam frugem redacti semper alicui bonæ, sanctæque occupationi animũ corpusque addicant. Ergo quæ signa, aut notas Patres de otiosis monachis protulerunt, in medium proferam. Ex quibus Cassianus otiosum monachũ sic depingit l.10. de aced. c.2. *Horrorem loci, fastidiũ cellæ, fratrum quoque, qui cum eo, vel eminus commorãtur, tanquam negligentium, ac minus spiritaliũ, aspernationem gignit, atque contemptum. Ad omne quoque opus, quòd intra septa sui cubilis est, facit desidem, & inertem. Non eum in cella residere, nec operam sinit impendere lectioni; nihilque se proficere conqueritur, atque suspirat. Absentia, longeque posita magnificat monasteria. Loca etiam illa magis ad profectum vtilia, & saluti congruentiora describit. Consortia quoq; ibidem fratrũ suauiã, & plena spirituali conuersatione depingit. E contra vniuersa, quæ habentur in manibus, aspera, & non solũ ædificationem nullam esse fratribus qui morantur in loco, sed ne ipsum quidẽ victum corporis, absque ingenti labore quæri.* Ecce, sancti religiosi, signa, quibus otiosos monachos inter vos forsan commorantes, agnoscere poteritis. A fructibus eorũ cognoscetis eos. Clariora tamen signa otiosorũ regularium depingit optimè S. Bernardus in ser. de septem oneribus. *Si videris monachum in claustro residentẽ, huc, illucque respicere, oscitare crebrius, manus, & pedes extendere, nunc librum ponere, nunc resumere prostremo, quasi quibusdam stimulis agitatum, de loco in locum, de auditorio in auditorium, cursitare; sub onere. Duma eum suspirare non dubites.* Hoc est, crede eum esse otiosum, & desidem: &, si id non fateatur, crede superbum. Forsan clarius Seraphicus S. Bonau. 2. p. spec. c.5. otiosi religiosi mores, signaque denotat, hisce verbis. *Non curanda curat, necessaria negligit, & sui oblitus aliena considerat, notat & explorat. Si quod insonuerit verbum, anhelat solicitus ad sciendum, & honestate postposita, id ab inuitis, & celare forsan volentibus, inuerecundè requirit. Locis sibi non concessis, congregationi & collocutionibus fratrum, se ingerit non vocatus. Cum eum abesse putaueris, adest impudens lateri, adest auri, vt nec secretum valeas occultare sermonem. Obseruat angulos, vagis circumspicit oculis, hæret ad singula, quæ occurrunt. Communes obsidet transitus, superuenientium, & forensium gaudet occursu, rumoribus, & sæcularibus verbis audiendis, & referẽdis intendit. Res sibi non deputatas curiosè reuoluere non quiescit,*

quiescit, literas etiam alienas, si casu apertas inueniat, inspicere non veretur. Graphicè sanè, & concinnè, & spiritu diuino actus hæc retulit Bonauentura. Adeò enim veritati consonant dicta, vt non nisi à simili spiritu pronunciari possent. Nec minus verè, enucleatéque Antiochus Monachus, loco iam dicto, otiosi, & acediosi Monachi opera, signave quibus ab aliis dignosci potest, describit sic. *Circa horam sextam; velut ex insidiis dæmon assilit Monacho, tædiosam, ac formidabilem agoniam illi incutiens, vsque adeo, vt locum oderit, verius autem fratres ipsos inuisos habeat, quibus cum viuit. Ad opus quodlibet, ad diuinæ scripturæ lectionem, nescio quam illi ingerit insuauem, & hiulcam oscitationem. His adde: esuriem suggerit, tempore prolixiori sustinendam. Ad eum modum, ac securus boni operis, scopum vnicum spectat, nempe horam sumendæ alimoniæ. Interim tamen sumpto in manus libro, legit nonnihil, quem, & ordine suo locat. Mox oculorum acie intendere incipit, inque fenestras propius defigit. Quiddam rursus legit, deinque suos admetitur, & enumerat quaterniones. Plicato mox libro obdormiscit, Somni aliquantum vbi decerpsit, rursus assurgit experrectus. Hæc eò facit, vt horas deterat, ac temporis fallat prolixitudinem.* Hæc Antiochus. Hæc, & Patres, otiosi Monachi vitiosa signa describentes, vt & qui tali noxa conspiciuntur affecti, & sibimet verecundè prospiciant, & ab aliis, piis, sanctisque religiosis, qui diu noctúque Deo semper laborant, noscantur discreti.

23 Restat modo solum, vt à tali lue, talique nota, quilibet religiosus abesse festinet. Regulæ propriæ, proprioque modo viuendi, semper bonam aliquam operis occupationem iniungenti, aptare se curet. *Lapidem ad amussim applicandũ, non ad lapidem amussim,* aiebat Plutarchus. Quod est dicere ad intentum. Regularem quemlibet ad legis voluntatem otium prohibentem; aptandum esse, non è contra, legem ad propriam voluptatem trahendam. Amasis (Herodoto teste) legem apud Ægyptios condidit, vt singuli apud Prouinciarum præsides, quotannis, redderent rationem proprij laboris. Quod, & Solon Atheniensibus præcepit. Sciat ergo religiosus quilibet, Deo, & superioribus, redditurum rationem, iugis, & sanctæ occupationis. Attendat tandem, quæ ad ipsum loquitur pius, & sanctus Laurentius Iustinianus, de discip. monast. conuers. per hæc verba. *Animaduerte, O serue Dei otiose, O quisquis es, qui ad seruitium positus, negligenter dies tuos peragis, quia decurrente tempore, pariter tu quoque letho appropinquas. Cum verò extremus aderit dies, cum suprema mortis hora, te de corpore exire compellet, tunc (& vtinam non sero) cognosces, quanti æstimare debueras præteritum, quod absque vllo spirituali profectu inaniter consumpsisti tempus.* Et infrà. *Quomodo potes in medio tot periculorum; tam crudelium inimicorum, & tantarum insidiarum, constitutus, securus esse? Otiosum namque te intuens aduersarius irruit super te, & nullo illi renitente, vinculis suæ malignitatis te tenens astrictum, ducit te quo vult.* Inferius sic. *Omnia, quæ omnipotens creauit, siuè in cœlo, siuè in terra, iniunctum sibi à Deo exhibent ministerium, & tu, ô tepide, qui Angelicam vitam ducere, crederis, qui sanctitatis habitum induis, qui cœlestia contemplari debes, qui laboribus pauperum, & eleemosynis egenorum sustentaris vis esse otiosus? Suspice Cœlum, & Solis, ac Lunæ, Stellarumque infatigabilem cursum contemplare. Terræ arbusta, herbarum germina, cœlorum volatilia, terrarum reptilia, aquarum pisces; & omnium genera iumentorum, quadrupedum, & serpentium, diligenter attende. Et si quæ videris ab ingenita lege naturæ, vel ab imposito conditoris ordine, aliquantulũ declinare, edicito. Hæc omnia coram vniuersitatis Domino, aduersum te, testimonium dicent. Nihil enim de operibus naturæ otiosum reperies, & tu solus vis ab opere vacare, qui plus cæteris ex debito iustitiæ astringeris?* Inferius quoque. *Vt quid manum sub axilla tenens, maximam tuæ vitæ partem otiosè consumis? Proh pudor, quotidie sedes per Monasterij claustra, per angulos domus vaniloquia tractando, & inutilia, atque perniciosa cogitando. Discurris huc, illucque, nunc clamitando, nunc ridendo, nunc otiosa peragendo. Non aduertis, ô miser, quod inertia tua & infructuosa conuersatio, scandalum generat fratribus pro te laborantibus?* Hæc si puro corde, & animo auscultarent regulares omnes, nullus, absque dubio, otiositati, desidiæ, acediæve operam daret: sed omnes suæ vocationis memores alicui operi incumberent. Vtinam Deus omnium nostrum adaperiat oculos. Nunc ad alia procedamus.

SVMMARIVM.

Intentum huius capitis, litterarum diuinarum studium commendare. num. 1.
Ignorantia Monachi mentem excœcat. num. 2.
D. Hieronymus à Monachis inscitiam penitus ablegandam censuit. num. 3.
Clemens Alexand. pro hac causa adducitur. numero 4.
Quàm vtile sit sacrarum litterarum exercitium monastici status professoribus. num. 5.
Quantum malu m ex ignorantia Monachis eueniat num. 6.
Monitum Doctoris Angelici de modo salubriter studendi. num. 7.
Religiosorum ignorantia, & desidia quantis à D. Bonauentura carpitur. num. 8.
Verba Thomæ à Kempis ad propositum referuntur. num. 9.
Exercitium sacrarum litterarum Monachis necessarium esse docet Trithemius. num. 10.
Ad idem comprobandum quæ scripserit Ioannes Nider. num. 11.
Damna ex regularium inscitia orta. num. 12.
Primates Ecclesiæ Patres litterarum etiam humanarum studiosissimi. num. 13.
Quid obiiciant quidam bonarum litterarum osores. num 14.
Ignorantia per orationis exercitium tollitur. numero. 15.
Exempla, quibus conuinci videtur nociuam esse Regularibus scholasticam exercitationem, referuntur, & reiiciuntur. num. 16. & 17.
Primum documentum Monachis litterarum studiosis præ oculis habendum. num. 18.
Qualiter Religiosus lectionem seu studium cum oratione alternantibus vicibus exercere debeat. numero 19.
Idipsum ex cælesti reuelatione B. Antonio facta comprobatur. num. 20.
Secundum documentum. num. 21.
Tertium documentum. num. 22.
Perditissima illorum Regularium conditio, qui ad inanem hominum gloriam ancupandam studiis litterarum vacant. num. 23.
Reuelatio facta S. Brigittæ ad propositum num. 24.
Apologus Galli, & Vulpis apud S. Cyrillum ad rem. ibid.

Regularium studia Ecclesiæ & ipsis studentibus sunt proficua, quæ ad Dei honorem ordinantur. num.25. Afferuntur quæ S. Brigitta de probè & improbè doctis exarata reliquit. num.26.



CAPVT XI.

Litterarum exercitium Religionum perfectioni proficuum, reformationique vtilissimum esse.

1 PATRES relati capite præcedenti, dum otiositatem fugiendam Monachis prædicant præcipuè laborem corporalem illis intimare videntur. Sed vt ibi vidimus, dogma hoc iampridem, Theologi contra fatuos hæreticos exsibilarunt. Cum quibus incunctanter affirmandum est, externum manuum laborem, Monachis, non esse sub præcepto, necessarium: mentique Patrum abundè satisfieri, si exercitiis spiritualibus, functionibusque mentis, & quandoque corporis, iugem occupationem impendant. Quia verò inter ista non infimum locum tenent litterarum exercitia, operè pretium duximus, post otij monastici detestationem; litterarum diuinarum studium commendare. More ergo nonostro loquantur Patres.

2 Primus sit S. Ephrem Syrus sæpius à nobis adductus, & afferendus: ex eo enim plurima pro reformatione regularium excipi valent. Multa etiam contra Monachorum inertiam, & pro sacris studiis conscripsit. Parenæsi 1. sic loquitur. *Initium bonæ vitæ Monachi est cognitio Dei: ignorantia autem de Deo, Monachi mentem excæcat.* Et rursus, *Exercitatio Monachi sit meditatio scripturarum.* Rursus quoque. *Iners autem est Monachus, qui in his versatus non fuerit.* Alibi quoque clarius sic habet. *Qui mundi istius præceptores, atque interpretes agunt, studiosè in lectionem sapientiæ, quæ non est, incumbunt: cum sapientia mundi stultitia sit coram Deo. Quanto magis meditari nos decet, atque perdiscere ad salutem animarum nostrarum, eloquia Dei?* Hæc tibi, ô religiose, contra inertiam, & ignorantiam, profero ex Ephrem.

3 Astat magnus Pater Sanctus Hieronymus, qui sicut inter totius orbis sapientes, sapientissimi nomenclaturam accepit, sic quoque à Monachis, & inscitiam penitus ablegandam censuit. In epistola ad Florentium sic loquitur. *Ama scientiam scripturarum, & carnis vitia non amabis.* Idem ad Rusticum. *Sic viue in Monasterio, vt clericus esse merearis; multo tempore disce, quæ postmodum doceas.* Rursumque. *Si Clericatus te titillat desiderium, discas, quod possis docere.* Præterea ad Paulinum Monachum, seu prologo bibliorum, qui totus est in monendo Paulinum ad studium sacrarum litterarum; inter alia hæc habet. *Oro te frater charissime, inter hæc viuere, ista meditari, nihil aliud nosse, nihil quærere. Nonne tibi videtur iam hic in terris regni cælestis habitaculum?* In regula quoque Monachorum collecta per Lupum de Olineto sic habet. *Crebrius lege, & disce quam plurima, & tenente te codicem, somnus obrepat, & cadentem faciem pagina sancta suscipiat.* Ibidem quoque post pauca. *Post sanctas scripturas, doctorum hominum tractatus lege, eorum dumtaxat, quorum fides nota est; quoniam eruditio timorem creat, imperitia confidentiam. Illorum igitur tractatibus, illorum delecteris ingeniis, & libris, quorum pietas non vacillant.* Et circa finem. *Quid enim eruditione melius; Quid suauius disciplina? Quid dulcius Domino? Sit autem conuiuium Christus; lectio Christus; cogitatio Christus. Quæ enim potest esse vita sine scientia scripturarum, per quam etiam ipse Christus agnoscitur? Qui cibi, quæ mella sunt dulciora, quam Dei scire prudentiam?* Hæc ex Hieronymo excerpta commendant satis religiosis, diuinarum litterarum exercitia.

Clemens Alexandrinus lib.7. stromat. adstet, ex 4
quo breuem, perlucidamque sententiam, pro causa, quam tueor, excipere valui. *Iam verò* (inquit) *tempus est, vt Græcis ostendamus, esse solum verè pium; ac religiosum eum, qui est cognitione præditus.* Ecce sancte religiose, vt verè pius, ac religiosus dicaris, quod sis scientia præditus, à te expectat Clemens.

Albinus quoque Flaccus grauis, & antiquus au- 5
thor, Carolique Magni magister, Monachos de eruditione sacrarum litterarum sic instituit, ad Monachos Iuuanensis Ecclesiæ loquens, *Armate vosmet ipsos scientia veritatis, sententiis Euangelicæ authoritatis, vt resistere valeatis contradicentibus veritati.* Rationem verò sic subiungit. *Quomodo pugnat inermis? Vel quomodo docere potest, qui discere noluit; Spirituales sunt diuitiæ, sapientia in corde.* Clarè hisce verbis, quam vtile sit sacrarum litterarum exercitium Monastici status professoribus indicans. Idipsum autem opere impleuit: Eboraci namque in Anglia sacras litteras palam docuit. Quò ad ipsum audiendum ex Frisia S. Ludgerus concessit, tantumque profecit: vt ad suos reuersus Frisiorum Apostoli nomen meruerit.

Sanctus etiam Anselmus Cantuariensis Antistes 6
in suo illo celebri carmine de contemptu mundi, sic Monachis suadet sacrarum litterarum studia.

A studiis sacris tempora nulla vacent.
Vtilibus semper studeant, & rebus honestis:
Res est segnities perniciosa nimis.

Breuiter, & succinctè, quantum malum ex ignorantia Monachis eueniat, exponit.

Accedit Angelicus Doctor; qui, sicut religionis 7
perfectionem cum summo studio sacrarum litterarum coniunxit, sic etiam, faciendum aliis religiosis intimauit. Primò ergo in opusculo 68. quendam, qui ipsum S.Thomam de modo salubriter studendi consuluerat, sic admonet. *Tale à me super hoc traditur consilium, vt per riuulos non statim in mare eligas introire: quia per faciliora ad difficiliora oportet deuenire.* Et infrà. *Ea, quæ legis, & audis, fac vt intelligas, de dubiis te certifices, & quidquid poteris in armariolo mentis reponere satage, sicut cupiens vas implere; Altiora te ne quæsieris. Ista sequens vestigia frondes, & fructus in vineam Domini Sabaoth vtiles, proferes ac produces.* Ecce modum studendi, & ipsarum litterarum studium satis ab Angelico Doctore commendatum, viro religioso, qui ipsum de hoc puncto consultabat. Insuper in opusculo 19. quod est validissimum propugnaculum, pro Mendicantium Ordinibus, contra Guilelmum de sancto amore, & Sigerium quendam, Parisienses Magistros, multipharìè sacrarum litterarum vsum religiosis vtilissimum tradit. Specialiter cap.2. multis Sanctorum Patrum testimoniis, & exemplis confirmat, licere religiosis munus docendi. Et cum ad illud addiscendi studium necessarium sit; prorsus etiam scientiarum exercitium illis consentaneum esse demonstrat. Sicque concludit. *Monachis maximè docere, & studere competit.* Ideoque in eodem cap. adstruit, posse religiosum ab aliquibus

obseruantiis regularibus abstinere, *vt vtilitati communi vacet docendo.* Adhæc cap. 15. eiusdem opusculi affirmat, imitatores Iuliani Apostatæ esse, *qui religiosis studium interdicunt.* Additque. *Eis præcipuè literarum studium competit.* Quod non modo de sacris litteris, sed, & de sæcularibus scientiis etiam, dummodo ab illis, quæ nociua sunt resecentur, ex mente Hieronymi, & Augustini intelligit, his verbis. *Item, quod non solum studio litterarum sacrarum, sed etiam studio litterarum sæcularium laudabiliter vacare possint religiosi expressè habetur per Hieronymum in epistola ad Pamachium Monachum. Si adamaueris captiuam mulierem: scientiam scilicet sæcularem, & eius pulchritudine captus fueris, decalua eam, atque illecebras crinium, atque ornamenta verborum, cum vnguibus seca. Laua eum prophetali nitro, & tunc requiescens cum illa dicito: Sinistra eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me, & multos tibi fœtus captiua dabit, ac de Moabitide efficietur Israëlitis. Ex quo patet, quod, & Monachis liceat sæculares scientias addiscere, dummodo ea, quæ ibi reprehensibilia inueniuntur, secundum regulam sacræ Scripturæ resecentur; Item Augustinus in 2. de doctrina Christiana dicit Philosophi, qui vocantur, si qua forte vero, & fidei nostræ accommoda dixerunt, maximè Platonici, non solum formidanda non sunt, sed ab eis tanquam ab iniustis possessoribus, in vsum nostrum vendicanda.* Hæc omnia S. Thomas ex Hieronymo, & Augustino pro litterarum studio religiosis commendando protulit; quæ non solum sacrarum, sed, & humanarum, etiam scientiarum, si rectè exerceantur, patrocinantur causam.

8 Accedit Seraphicus Bonauentura, qui in sua illa pharetra, tota fermè ex Patrum dictis compacta, ex mente Augustini, & Bernardi, religiosorum ignorantiam, & desidiam sic carpit. lib. 3. cap. 29. *Rectè dicimus eorum animos, qui nullis disciplinis eruditi sunt nihilque bonarum artium hauserunt ieiunos, atque famelicos esse.* Et post hæc. *Quando excusare ignorantia possit hominem, qui se magistrum infantium, & doctorem insipientium profitetur? Ignorans vtique ignorabitur, & multos ignorare faciet, & ignorari.* En quid sentiat Bonauentura de inscitia regularium.

9 Venerabilis præterea Thomas de Campis, inter piissimos mysticæ Theologiæ Patres iure censendus, circa studium, & lectionem sacrarum litterarum, sic admonet claustrales, de discip. claust. lib. 5. *Tria sunt omni religioso necessaria; sine quibus non potest diu stare in bona vita. Hæc sunt; oratio, lectio, & operatio. In istis omni die se exercere debet, & semper in aliquo horum occupari.* Et infrà. *Lectio debet esse quasi oratio, & antequam legas præcedat oratio. Lectio sacra ignorantiam nostram erudit, dubia soluit; errores corrigit, bonos mores instruit, facit cognoscere vitia, hortatur ad virtutes, excitat ad feruorem, incutit timorem, recolligit mentem, recreat fastidiosum animum.* Isti sunt sacrarum litterarum fœtus, quos ex illarum contubernio religiosus acquirit. In opere etiam, quod Vallis liliorum vocatur, sic loquitur ad intentum. *Quod multi habeant multa dubia, non est culpa, nec vitium sacræ Scripturæ sed cæcitatis mentis eorum, & negligentia studij in sacris libris, qui continent æternæ salutis necessaria documenta. Igitur canonicas scripturas libenter lege, & expositiones Doctorum cum diligentia aduerte, & intelligere stude.* Alia ibidem pius author.

10 Accinit adhæc grauis auctor Ioannes Trithemius, qui in libro exhortatorio ad Monachos sæpius illis exercitium sacrarum litterarum, neccessarium esse docet. Serm. 4. sic loquitur. *Monemus quod Monachus in diuinis scripturis debet esse studiosus, vt sciat, quid eum sancta mater Ecclesia iubeat credere, ac possit omnes errores fidei contrarios præcauere.* Clarius idem intentum prosequitur hom. 4. cuius scopus, & titulus est. *De lectione, & studio diuinarum scripturarum;* Vbi inter plurima alia hæc quoque. *Vos itaque fratres mei, si Dominum Iesum in toto corde vestro veraciter diligitis, si complacere illi super omnia, vt veri milites desideratis, si denique ad perfectionem vitæ monasticæ cupitis proficere in lectione diuinarum scripturarum, debetis vos semper, cum affectione feruida occupare.* Et infrà. *Vos autem maximè decet fratres, diuinas scripturas, quotidie legendo, & discendo reuoluere; quibus, & tempus copiosum, ab occupationibus feriatum conceditur, & locus, raritate occurrentium satis conueniens offertur. Idcircò vos hortor, & moneo, si vestram salutem diligitis, vt diuinas lectiones in manibus semper habeatis quatenus omne tempus quod vobis post orationis cultum, sine labore permittitur, ad sacræ scripturæ studium expendatur.* Insuper Monachos litterarum sacrarum studia spernentes, stultos, & perditissimos petrones, stultissimosque tenebriones vocat, acerrimisque increpat verbis addens. *Nihil infælicius Monacho indocto qui studium sanctarum scripturarum, vel negligit, vel contemnit, qui nunquam potest in vera cordis tranquillitate apud semetipsum purus consistere, sed compellitur inquietudine propria contra Monasticæ conuersationis integritatem, externis, mentem, & inutilibus occupare.* Tandemque concludit. *Quanto Monachus in perdiscendis scripturis fuerit studiosior, tanto minus carnalium voluptatum ardoribus inflammatur.* Hæc cum aliis grauis author Trithemius protulit, quibus clariora proposito nostro nec desidero.

Libet præterea his Patribus adiungere, quæ Ioannes Nider Dominicanus, circa id, quod comprobare intendimus, scripta reliquit; concinnè namque subseruiunt. *Octaua radix perditionis religiosæ est studij religiosi omissio, quæ iam mendicantium Ordines, eos comparando ad præterita, multum tendere facit ad occasum. Percepi idipsum ab ordine possessionatorum, & à viris optimæ conscientiæ, se non diu reformatos esse mansuros, nisi studium apud se resuscitarent. Habet igitur locum hodie in vtrisque illud Oseæ 4. Conticuit populus meus, eo quod non habuit scientiam; quoniam tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi.* Et infrà. *Litteratorum enim virorum carentia in monasteriis; litteratis sæcularibus ingressum vetat: Ordinis prælatos reddit contemptibiles; vitiosos nescit corrigere; nec iuuenes credere, sicut oportet, suis rectoribus.* Hæc author iste, magis vere, quam eleganter, litterarum exercitium, Monachorum reformationi, necessarium esse suadens. 11

Tandem, quæ Guillemus de Peraldo vir doctus, & pius, circa Monachorum studia, damnaque ex regularium inscitia orta, dixit in medium producam. *Negligentiam lectionis in multis monasteriis, multa mala sunt secuta. Primum subsecuta est inde cæcitas ignorantiæ quæ inter maculas prima numeratur propter quas à Dei ministerio aliquis repellitur.* Rursus *Negligentia lectionis in multis monasteriis collocauit Monachos in obscuris, sicut mortuos sæculi. Quomodo immunditia caueretur, vbi quid esset immundum non agnoscebatur? Quomodo præcepta regularia obseruarentur, vbi non intelligebatur?* 12

Quomodo semitam religionis tenere poterant, qui cæci erant? Difficilius est enim tenere semitam, quam viam latam, & publicam. Rursus quoque. *Ex defectu sapientiæ contigit in multis Monasteriis, vt ibi non sanaretur, qui infirmus intrabat, vel qui infirmitatem incurrebat: sicut enim salus est, vbi multa sunt consilia; sic erit mors vbi nulla consilia. Item ex eadem causa contigit, quod paruuli, qui intrabant Monasteria illa, non proficiebant; imo pro defectu cibi, spiritualiter peribant. Si enim petebant panem, non erat qui frangeret eis; vnde pro esurie, & siti anima eorum in ipsis defecit. Ex eadem etiam causa contigit, quod illi qui in Monasteriis impugnabantur, vincebantur, cum non haberent gladium spiritus, scilicet verbum Dei, quo hostes maximè inuisibiles superantur. Ex eadem etiam causa consecuta est in Monasteriis simoniaca corruptio, tam in receptione Monachorum, quam in institutione Prælatorum. Item ex eadem causa contigit, vt Monachi carnales delicias quærerent, cum spirituales non haberent. Anima enim rationalis nobilissima est creatura, & ad æternas delicias creata, sine deliciis esse non potest. Item ex eadem causa contingit, vt in Monasteriis, de rebus maximis cura minima, & de rebus minimis maxima cura haberetur. Corpora procurabantur splendidè, & non curabatur de animarum refectione. Si amittebatur asina, quærebatur, & si peribat anima, non reputabatur.* Tandem sic. *Monachi, qui sunt in Monasterio, vbi deest sapientia; sunt veluti cæci iuxta foueas magnas, quas non cauent, quia non vident.* Hæc inter alia auctor iste grauis, paucis à me mutatis, vel interiectis, de inscitia Monachorum, ignorantiaque quorundam regularium dixit, vt, vel sic agnoscant omnes, litterarum peritiam vtilissimam esse religiosorum cœtui.

13 Quis tandem de re certissima, vel leuiter dubitare poterit, cum constet Ecclesiæ primates Patres, Monachos fuisse, simulque litterarum, humanarum etiam, studiosissimos. Hoc ex ipsorum testimoniis, vel aliorum pro ipsis, liquidò innotescet. De Gregorio Nazianzeno, & Basilio sic Ruffinus. lib. 11. hist. *Diuina volumina non ex propria præsumptione, sed ex maiorum scriptis, & auctoritate, commentando peruoluebant.* De sancto Ephrem Basilij coætaneo, præclaroque eremi cultore, sic loquitur Gregorius Nyssenus eiusdem Basilij frater in vita S. Ephrem. *Omnem, & antiquam & nouam scripturam, assiduo studio, studiosè versauit, accurateque ad verbum est interpretatus. Et ab ipsa procreatione mundi, vsque ad postremum gratiæ librum, quæ abdita, quæque arcana, ac recondita erant, spiritus adiutus lumine, commentariis illustrauit.* De magno quoque Hieronymo in eius legenda sic habetur. *Quanquam variè morbis, doloribusque tentaretur, tamen corporis incommoda, piis laboribus, & perpetua lectione, ac scriptione superabat.* Hac de causa latinam Bibliorum versionem consignauit Ecclesiæ. Hebræas (vti Cato) Græcas litteras in senectute perdidicit; Bethlehem, & loca sancta adiit, & veteres omnes græcos, latinosque commentatores, teste sancto Augustino, legit. Sed quid de eodem Augustino referam? Quis vnquam discernere potuit, in quo, num in monastices perfectione, num in sacrarum litterarum studiis magis profecerit? Audiatur ipse. *Tanta est Christianarum profunditas litterarum, vt in eis quotidie proficerem, si eas solas, ab ineunte ætate, vsque ad decrepitam senectutem, maximo otio, summo studio, meliori ingenio, conarer addiscere.* En Augustini votum circa sacrarum litterarum studia. De sancto, ac venerabili Beda Benedictino Monacho loquatur ipse. *Ego septennis Monasterium ingressus, ibi tota vita, omnem meditandis scripturis operam dedi, atque inter obseruantiam disciplinæ regularis, & quotidianam cantandi in Ecclesia curam, semper, aut discere, aut docere, aut scribere dulce fuit.* Quid de sanctissimis Patribus, Chrysostomo, Gregorio, Cyrillo, Ildefonso, Anselmo, Bernardo ex antiquioribus, & ex recentioribus, Thoma, Bonauentura, Alberto, Bernardino, & aliis, dicam? Nisi statum religiosum, monasticumve, sacrarum litterarum studiis coli, perfici, & augeri, opere ipso demonstrasse. Sicque nullum sanæ mentis fore credam, qui diuinarum litterarum studium perfectioni religiosæ obesse, contradicat. Solum id hæretici effugiunt, qui cum sua dogmata à Monachis euertisciant, litteris orbatos peritiaque destitutos vellent; Catholici verò nec in somniis tale delirium patiantur.

Ast nobis vehementer obiicient, bonarum litterarum quidam osores, Patrum plures, antiqui, & noui æui, ipsarum litterarum studia Monachis reprobasse, verbis, factisque interdixisse. Celebre est illud Diui Hieronymi, quod habetur 16. quæst. 1. *Monachus non doctoris habet, sed plangentis officium.* Celebre quoque illud Augustini 8. confess. cap. 6. *Surgunt indocti, & rapiunt regnum Dei, & nos cum nostris litteris demergimur in profundum.* De sancto quoque Benedicto narrat sanctus Gregorius, quod cum Romæ liberalibus litterarum studiis traditus esset, à tali exercitio, quantocius pedem retraxit, ne in immane præcipitium totus iret. Addens. *Recessit igitur scienter nescius, & sapienter indoctus.* Auctor etiam est Cassianus Theodorum monachum Sanctum rudem quidem, sed diuino lumine peritum, dicere solitum. *Plus in vitiis extirpandis, quam libris euoluendis opera ponendum esse.* Ad hæc Hugo Victorinus sic inuehitur in monachum studiis litterarum deditum. *Tu monache, semper ieiuniis, & fletibus insistere debes, & tu phisophari quæris? Simplicitas monachi, philosophia eius est.* Sanctus quoque Bernardus in sermone de tentationibus manachorum inter eas reponere videtur exercitium litterarum: sic enim docet. *Scimus monachi officium esse, non docere, sed lugere.* Et quod magis est, seipsum litteris, & lectioni addictum lamentatur, istis verbis. *Væ mihi, quia ista dico, & ista non facio.* Et infra. *Plus diligo lectionem, quam orationem. Verumtamen nihil aliud me docet diuina scriptura, nisi religionem amare, vnitatem seruare, charitatem habere. Ego autem miser, & miserabilis, citius curro ad lectionem, quàm ad orationem, libentius volo legere, quam missas auscultare. Expectat me aliquis volens de necessitate sua mihi loqui; ego verò librum aliquem accipio, lego in eo, & legendo amitto fructus charitatis.* Petrus quoque Damianus insignis auctor, Cardinalis, & Monachus, totam epistostolam 17. in eo consumit, vt Ariprandum Monachum a litterarum studiis penitus amoueat. Demum Sanctus Ægidius B. Francisci comes quondam dicebat. *Sufficit scientia bene, beatéque viuendi.* Quibus omnibus ea, quæ superius diximus de litterarum exercitiis, euerti radicitus videntur. 14

Maximè id secundo stabiliri posset; quia si litterarum exercitium Monachis necessarium est, ideo necessarium est, vt inscitia, ignorantiave euertatur. Hanc verò potiùs per orationem tolli suadent Antonij, & Pauli antiquiores Monachi, qui sine litterarũ gymnasijque concursu doctissimi euaserũt. Et ex recentioribus Franciscus vterque, Assisius, & Calaber, Francus Senensis, Didacus Complutensis, & 15

& alij, qui scholasticorum concursus abhorrentes, perfectissimi Monachi euaserunt, nec indocti, mysticæ solum Theologiæ studio, quod orationis mentalis exercitio habetur. Quia ex Marci Maruli verbis in op. de religiose viuendi instit. lib. 2. cap. 2. idipsum comprobare libet. *Hormontis Nitriæ Abbas litteras non didicerat, & oblato sibi libello, cum orasset, legere cœpit: neque minus doctrinæ illi vnius, aut alterius horæ contulit oratio, quam aliis, multorum annorum studium.* Quam etiam vim habuisse Sancti Romualdi orationem in eodem loco idem Auctor describit. *Romualdus Abbas Ordinis Camaldulensis, cum ad Sutrij montis Monasterium deuenisset, & ibidem missam celebraret, aliquamdiu in ecstasi raptus stetit. Post hæc, Psalmorum meruit effici expositor, quorum paulo ante, nec lector quidem satis idoneus fuerat. Dum enim ipsum Dei Verbum, quod tunc manibus contrectabat, intentius, aut etiam attentius considerat, sanctorum verborum percipere meruit anagogem, latentemque sub littera sensum. Plurimorum annorum studium ad tantum diuinæ eruditionis profectum nunquam illum extulisset, ad quantum die vna Christi perduxit contemplatio.* Accinitque Hugo Victorinus dicens. *Ad sacræ Scripturæ cognitionem, opus est intima compunctione, magis quam profunda inuestigatione; suspiriis, quam argumentis, crebris gemitibus, quam copiosis argumentationibus; lachrymis, quam sententiis; oratione quam lectione; gratia lachrymarum, quam scientia litterarum; cælestium contemplatione, magis quam terrestrium occupatione.* Si ergo ob vitandam ignorantiam, litterarum exercitium in religionem inducimus, facilior nobis demonstratur via, oratio nempe: ac proinde iustum videtur scientiarum vsum à Christi schola, quæ est monachalis professio, relegare.

16 Id tandem non incongruè corroborant, à viris probatis exempla relata, quibus, nociuam esse regularibus scholasticam exercitationem, conuinci videtur. Mirabile in primis est, quod ex actibus S. Francisci graues auctores adducunt. Frater Ioannes de Stracia, tempore Sancti Francisci, ex Ordine ipsius minrster erat Bononiæ, vir doctus, & litteratus. Absque licentia tamen sancti Francisci Bononiense ordinauit studium. Ob quod talem ab ipso Francisco increpationem meruit accipere. *Tu vis destruere Ordinem meum. Desiderabam enim, & volebam exemplo Domini Dei, & fratres meos, magis orare, quam legere.* Quin rediens Bononiam dira maledictione prædictum Ioannem affecit. Qui statim infirmari incipiens, & decumbens, ad Sanctum Franciscum misit, vt retractaret maledictionem. Cui respondit quod illam iam confirmasset Dominus Iesus in Cælo, vt esset maledictus. Accidit quoque, vt subitò quædam gutta ignea, & sulphurea, de alto, supra corpus infirmi caderet, quem, & lectum, in quo iacebat perforauit: sicque miser maximo cum fætore expirauit postea. Tremendum hunc casum Fr. Antonius Perez Benedictus ex libro exemplorum Patrum retulit. In libro quoque Corona Virginis nuncupato, & per Fratrem Mauritium de Villa probata composito, hæc habentur in prologo. *Cum frater quidam valde religiosus tempore D. Innocentij IV. super quendam ligatum Dæmoniacum deuotè oraret; cœpit clamare per os eius. O quot mala mihi facitis vos Prædicatores, & Minores? sed breuè nos vindicabimus de vobis. Cum eum frater per crucifixum adiuraret, vt diceret, quomodo? Coactus respondit: Duo de magnis principibus nostris exierunt contra vos. Vnus, vt prælatos, & principes concitet contra vos. Alius, vt vos mutationibus locorum, & ædificiorum, & librorum, & opinionum impediat, & perturbet.* Ecce quomodo perturbatio librorum, & opinionum, quæ litterarum exercitium comitatur, effectus dicitur principis Dæmoniorum. In eodem quoque libro sermone 3. exemplum quoddam affertur, quod abs dubio intentum istud roborare videtur. Auctoris en verba. *Exemplum etiam de illo scholastico Parisiensi, qui apparuit magistro suo post mortem, habens pallium suum schedulatum multis sophismatibus, & plenum multis syllogismis. Et quærente magistro quomodo stabat? Dixit, quod cappa illa plus ponderabat, quam aliqua turris mundi, & quod intus indicibiliter vrebatur. Tunc magister eius dixit, cum deuotus mori visus sis, quid hoc est? Ille dixit: Vis ne modicum experiri? Extende manum tuam. Quod cum fecisset; ille scholaris distillat vnam guttam sudoris in manu ipsius magistri. Et statim cum magno dolore manus eius erat perforata. Et ipse scholaris euanuit ab oculis eius. Tunc magister dixit:*

Linquo coax ranis, cras coruis, vanaque vanis,
Ad Logicam pergo quæ mortis non timet ergo.

Et intrans religionem Clareuallensem, arctam egit pœnitentiam. Hæc iste auctor. Ex illis verò satis clarè elici videtur intentum. Ac perinde inutilia videri ea, quæ in fauorem litterarum, pro regularibus, superius adduximus.

Verum enim verò, quæ nos attulimus, vt studia scientiarum in religionibus inserantur, solidiora, robustioraque sunt. Quæ verò in contrarium obstant, leuidensia, lanea, testaceaque reputari debent. Ea enim, vt puto, tantum conuincunt, ea litterarum exercitia, in quibus religiosi, non Dei honorem, & gloriam, sed solummodo humanam opinionem, vanumque sæculi applausum desiderant; vana quoque, inutilia, immo, & nociua reformationi esse. Et propter hanc causam munus docendi, religiosis interdici à Hieronymo, & Bernardo adductis. Optimè quoque ab Hugone loco iam citato per hæc verba. *Si tamen Doctor esse desideras, audi quod facias. Vilitas habitus tui, & simplicitas vultus, innocentia vitæ, & sanctitas conuersationis tuæ docere habent homines.* Solum ergo inhonestum, vitiosum, vanumque scientiarum studium in religiosis carpi dignum est, vanas etenim, vaniloquas, loquaces, arrogantesque litteras penitus à religiosis, tanquam pestifera dogmata relegandas censemus. Scientiam inflantem superbi solum sæculares amplexentur: ædificantem tamen doctrinam Monachi etiam prosequantur. Primus accubitus in mensis, salutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi, pharisæi quærunt. Regulares tamen, humilitate, paupertateque Christi retenta, sciant Christum, & hunc crucifixum, contentiosam, altisonam tubisque concrepantibus proclamatam scientiam, vt pestem exhorrescant. Qui secus faciunt, à Domino per B. Brigittam sic corripiuntur. *Hæc est sapientia eorum, loqui pulchrè, & agere malè: simulare se meum, agere nequiter contra me.* Et alibi de quodam religioso tali morbo vanitatis infecto, sic loquitur idem Dominus. *Melius est illi ad salutem cum deuota simplicitate orando legere Pater noster, quam de iam subtilibus, propter vanum mundi nomen sophisticè disputare.* Et rursus. *Iste religiosus loquax non desiderat medicinam, quia stercus scientiæ vanitatis est in ore eius.* Ergo tria maximè necessaria sunt regularibus, vt litterarum vsus, & exercitium, tam ipsis, quàm religioni, commodum, vtilitatemque afferant. Quæ omnia ordine solito, ex sanctorum

sanctorum Patrum, grauissimorumque auctorum mente comprobare libet.

18 Primum ego, & generale documentum, Monachis sacrarum litterarum studiosis; præ oculis habendum, illud erit, vt semper orationem, & studium sic coniungant, vt sibi vicissim succedant, mixtim tractentur, & alternis vicibus exerceantur, hoc monet Hieronymus epist. ad Lætam. *Sic dies transeat, sic nox inueniat laborantem, orationi lectio, lectioni succedat oratio.* Et in regula Monachorum per Lupum collecta, idem subindicat. *Tunc scriptura vtilis est, cum absque Christo non discitur; cum sine patre non probatur, cum sine Spiritu sancto, &c.* Absdubiè docere volens Dei præsentiam, quæ per orationem habetur, iure cum studio litterarum admisceri. Idem imitatur Sanctus Athanasius in exhortatione Monachorum dicens. *Orationes sola intercapedo legendi intercidat.* Ad idem D. Bernardus. *Dei seruum sine intermissione legere, & orare oportet.* Ecce mixtionem. Clarius in speculo Monachorum. *Post lectionem est orandum, & si ad legendum accedat, non tam quærat scientiam quam saporem. Est autem scriptura sacra puteus Iacob, ex quo hauriuntur aquæ, quæ in oratione funduntur. Nec semper ad oratorium est eundum; sed in ipsa lectione poterit contemplari, & orare.* Ecce modum studendi, tibi, ô Monache à Bernardo præfixum. Idem facit Anselmus in suo carmine, sic.

Distinctisque legant spatiis, operentur, & orent.

Sanctus quoque Nilus Abbas in suis parænesibus. *In labores, & orationes oportet animam partiri: sic enim non multos in nobis introitus inueniet Diabolus.* Rursumque in cap. 57. de oratione. *Si es Theologus, verè orabis, & si eris Theologus, & verè orabis, Theologus verè eris.* Ac si diceret, tunc religiosum bonum Theologum euasurum, cum Theologiam, cum orationis exercitio attemperet. Idem, vt puto, sibi volebat Bonauentura, cum dicebat. *Stude semper expendere tempus tuum; aut in oratione, aut in lectione.* Clarius hoc habet Thomas Campensis. *Lectio debet esse quasi oratio, & antequam legas; præcedat oratio.* Et infrà. *In qua operatione oratio præeat, oratio intercurrat, oratio totum finiat.* Bellè quoque, & dilucidè Ioann. Trithemius hom. 7. *Labores Monachorum ita sunt moderandi, vt nunquam à diuinis vacent colloquiis, sed inter opera manuum, in corde meditatio ferueat scripturarum, quæ posteaquam in odorem spiritus mentem perduxerit, mox in orationem deuotissimam commutetur.* Clarius tamen Aluarez de Paz doctus Iesuita, sic habet. *Religiosi, qui litteris vacant, lectiones, quas audiunt, priuatum studium, quo occupantur, disputationes, quas ineunt, & cætera ad litteras pertinentia, ab oratione incipiant, oratione interrumpant, in oratione definiant, &c.* Infra quoque. *Breues orationes in principio, & medio, & fine study litterary fundantur.* Ecce modum studendi, ecce intentum, mixturam exercitij litterarij cum oratione.

19 Omnium tamen clarius, simplicius (vt solet) & humano, ingenio varietate gaudenti congruentius, S. Vincentius Ferrer. Hispaniæ, & grauissimæ Prædicatorum familiæ decus, qualiter religiosus omnis lectionem, seu studium cum oratione alternantibus vicibus, seu permixtim exercere debeat, his verbis exposuit. *Nullus quantumcumque pollens ingenio debet omittere ea, quæ possunt eum ad deuotionem excitare: imo qui legit, & studet, debet ad Christum inflectere, cum ipso loquendo; & ab ipso intelligentiam postulando. Sæpè dum actu studet, à libro debet ad horam oculos auertere, & oculis clausis, se in Christi plagis abscondere, & iterato se ad librum conuertere. Etiam quandoque debet à studio surgere; & in cœlum flexis genibus, aliquam ignitam orationem, cum breuitate ad Deum fundere, vel cellam egredi, Ecclesiam claustrum, vel capitulum circumire secundum quod Christus confert, & aliquando oratione formata, vel informi, per gemitus, & suspiria; de ebullitione cordis diuinum auxilium implorare, vota sua, & desideria altissimo præsentando, & Sanctorum ad hæc auxilium implorando. Et illud negotium quandoque agitur, sine psalmis, & sine quibuscumque orationibus externis formatis verbo; quamuis hoc aliquando initium sumpserit, vel ex aliquo versu psalmi, vel loco alterius scripturæ, siue alicuius sancti, nobis interdum Deo inspirante interius. Dum autem ille feruor spiritus transierit, qui communiter parum durat, potes ad memoriam reuocare, ea, quæ paulo ante studueras, & tunc dabitur tibi clarior intellectus. Quo facto, iterato ad studium redeas, vel ad lectionem, & iterato ad orationem, & sic alternando commutes. Nam per huiusmodi commutationem in oratione, maiorem reperies deuotionem, & in studio intelligentiam clariorem.* Omnia hæc sanctus, & religiosissimus Vincentius, ideo à me sigillatim transcripta, quod credam; facillimum, vtilissimumque modum studendi, & orandi, religiosis omnibus, his verbis expressum. Nec aliquem putauerim, huiuscemodi exercitio addictum, qui breui spatio, doctus, & spiritualis non euadat. Nec mirum, quia vt Bonauentura quondam dixit. *Lectio dat materiam, & quasi semen bonæ cogitationis, oratio rigat, & ad perfectum roborat, & cor illuminat ad intelligentiam.* Nullus ergo adeo hebes, rusticus, aut tardus ingenio, inter regulares inueniri potest, qui huiuscemodi exercitium amplexus, non breui sufficienter doctus, gnarus litterarum, & mysticè sapiens, euadat.

Hoc ipsum quoque ex cœlesti reuelatione per Angelum facta B. Antonio antiquissimo Monachorum Patri innotuit. Casum verò ex S. Ephrem verbis capere possumus. *Sanctus Antonius olim in eremo constitutus, ac torpori, variisque cogitationum tenebris obnoxius, sic ad Deum locutus est. Domine cupio saluari, & non me sinunt cogitationes improbæ: Quid in tribulatione mea agam? Et quo pacto salutem consequar? Paululumque foras digressus, vidit quendam Antonius sedentem, & operantem, ac deinde cessantem ab opere, & orantem, rursusque considentem, & catenas operantem, atque iterum opus suum relinquentem, atque orantem. Erat autem Angelus Domini ad dirigendum, instituendumque Antonium missus. Audiuitque Angelum sibi dicentem: Sic fac, & viues.* Hoc ipsum religiosis studentibus agendum puto; ita vt orationis, studiique permixtum exercitium, alternantibus vicibus semper exequantur. Hinc etenim æternam vitam in veræ studiositatis præmium habebunt. Et hæc de primo documento regularibus litterarum studiosis necessario, nunc ad alia procedamus. 20

Secundum documentum illud sit; in eo præcipuè Monachum studentem curam præstiturum, vt id, quod studet, scit, legit, aut docet, in finem charitatis, amorem Dei, & proximorum dirigat. Id Patres docent, dum illud Pauli præ manibus versant. *Scientia inflat, charitas ædificat.* Ad quod Ambrosius hæc. *Tunc scientia magna est, & vtilis, si charitate humilietur, vt amplius crescat. Temperatur enim à dilectione, vt non satis mera sit, & inebriet scientem, vt se extollat. Sicut enim vinum non temperatum admixtione aquæ, mentem alienat, ita, & scientia superbum facit, nisi fuerit temperata.* Ad idem D. August. 21

Scientia

Scientia ad finem charitatis adhibita multum est vtilis, per se autem ipsam sine tali fine, non modo superflua; sed etiam perniciosa probata est. Idem docuit Angelicus Doctor, cum enim contra religionum æmulos defendendum statuisset; licere religiosis studium litterarum, obiiciens sibi illud Pauli. *Scientia inflat, charitas ædificat.* Subiungit. *Ad illud quod obiiciunt, quod scientia inflat, dicendum est: quod est intelligendum, quando scientia est sine charitate: Vnde glossa ibidem dicit, scientia inflat, si sola est.* Et infra. *Addite ergo scientiæ charitatem, & vtilis erit scientia. Vnde in illis, qui charitatis operibus insistunt, minus est periculosa scientia.* Alibi quoque loquens de deuotione, & scientia sic habet. *Dicendum, quod scientia, & quidquid aliud ad magnitudinem pertinet, occasio est, quod homo consideret de seipso, & ideo non totaliter se Deo tradat. Et inde est, quod huiusmodi quandoque occasionaliter deuotionem impediunt. Et in simplicibus, & mulieribus deuotio abundat elationem comprimendo.* Addit tamen Sanctus Doctor. *Si tamen scientiam, & quamcumque aliam perfectionem homo perfectè Deo subdat, ex hoc ipso deuotio augetur.* Idem dicam de charitate, quod si ad illam scientia religiosorum dirigitur, augebitur deuotio, & spiritualis dulcedo; sin vero; solum inflatio vanitatis acquiritur. Vnde D. Bonauentura. *Cum charitas ædificando non erigit, scientia inflando peruertit.* Moxque. *Scientia cauenda est, ne inflet. Ergo amate scientiam, sed anteponite charitatem, quia charitas ædificat, & non permittit inflari scientiam.* Optimè quoque Laurentius Iustinianus. *Cui præsto est scientia plurima, & sacræ legis intelligentia perspicua, desitque illi bonitatis operatio, virtutum experientia, Dei, ac proximi fragrantia, parum sibi, & cæteris proficit.* Ergo vt intentum satis euidens concludam; religiosi omnes, litterarum studiis addicti estote, verumtamen condimentum charitatis apponite, ne scientia vestra insulsa, & insipida inueniatur. Dilectione Dei, & proximi feruete. *Hic physica, quoniam omnes omnium naturalium causæ in Deo creatore sunt. Hic ethica quoniam vita bona, & honesta non aliunde formatur, quam cum ea, quæ diligenda sunt, qnemadmodum diligenda sunt, diligantur; hoc est, Deus, & proximus. Hic logica, quoniam veritas, lumenque animæ rationalis, non nisi Deus est, Hic etiam laudabilis reipublicæ salus, &c.* Hæc Ioannes Niderus tit. 8. de fruct. relig. c. 10. quondam ex Augustino retulit.

22 Sit præterea tertium documentum pro studentibus in religionibus apprimè, & quam maximè necessarium; & vt scilicet omnia eorum studia, humilitate proficiant, humilitateque totum suum incrementum accipiant: &, vt vno verbo dicam curare debent religiosi, vt totam, quam addiscunt scientiam: humilitatis, & modestiæ sapore sic condiant, vt vanitatis, curiositatis, inanisve gloriæ, cute detracta, acceptabile Deo fiat sacrificium. Hoc ex Patribus facillimè comprobatur. Ex quibus Ambrosius. *Quem fructum habebit, aut cum inflatione scientia, aut cum humana gloria fides? &c.* Ac si diceret: Nullum. Optimè etiam Bernardus; quærens enim quo fine scientia acquiri debeat, sic inquit. *Quo fine? Vt non ad inanem gloriam, aut curiositatem, aut aliquid simile, sed tantum ad ædificationem tuam, & & proximi.* Et subiungit. *Sunt namque qui scire volunt, eo fine tantum, vt sciant, & turpis curiositas est. Et sunt, qui scire volunt, vt sciantur ipsi, & turpis vanitas est. Qui profecto non euadent subsannantem satyricum, & ei qui eiusmodi est decantantem.*

Scire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter. Et sunt item, qui scire volunt, vt scientiam suam vendant, v. causa, pro pecunia, pro honoribus, & turpis quæstus est. Pulchrè etiam Bonauentura ex mente Gregorij, sic habet lib. 4. phar. cap. 45. *Cum summa cura prouidendum est, ne accepta scientia, cum ignorantiæ tenebras illuminat, lumen humilitatis tollat.* Quod adeo necessarium est, vt vera sapientia, & ad æternitatem proficua, non nisi per humilitatem haberi possit. Docet id D. Augustinus ad Dioscorum. *Non aliam ad capessendam, & obtinendam veritatem, & sacram sapientiam, viam munias, quam quæ munita est ab eo, qui gressuum nostrorum, tanquam Deus, videt infirmitatem. Ea autem est prima humilitas; secunda humilitas; tertia humilitas; & quoties interrogares hoc idem dicerem. Itaque sicut Demosthenes, in eloquentia, pronunciationi, primas, secundas, tertias, dedit: ita ego in Christi sapientia, primas, secundas, tertias, dabo humilitati.* Hac forsan de causa D. Bernardus sermone quodam dixit. *Necesse est, vt cognitio sui ipsius praeat scientiam nostram.* Quia scilicet, humilitas necessaria est, ad veram scientiam maximè religiosis viris, acquirendam. Ad quod pulchrè etiam Bonauentura. *Castitas, & humilitas sunt pedisequæ sapientiæ, iuxta visionem Gregorij Nazianzeni: Si vis me, quæ sum sapientia, serua pedisequas meas. Munditia ergo cum humilitate est principalis columna sapientiæ.* Et in alphabeto boni Monachi sic. *Zachea frater descende de altitudine sæcularis scientiæ, & disce in schola Dei viam humilitatis, &c.* Quin, vt intentum concludam, illius religiosi scientia quæ humilitate, & modestia, aptata, temperataque fuerit, plus Ecclesiæ, Ordinique confert, quam plurium aliorum, qui insolenter, superbe, vanè, aut inani gloria capti, scientias acquisierint. Grauis, & pij religiosi hæc sunt verba. *Magis iuuat Ecclesiam Dei vnus religiosus, qui sanctè, modestè & circumspectè scientiis studuit, quam mille, qui insolenter seipsos, & suum honorem quærentes, litteris vacauerint. Plures ille vna concione ferventi conuertet, quam isti mille sermonibus.*

Ex his ergo manifestè liquet, perditissimam esse 23
illorum regularium conditionem, (si qui sunt, quod non credam) qui huiuscemodi documenta spernentes, ad inanem hominum gloriam aucupandam, aliquemve honoris gradum adipiscendum, non ad Dei honorem, studiis litterarum vacant. *Horum studia* (inquit Bernardus) vel quidam eius spiritum sapiens de vit. solit. ad frat. de mont. Dei, *vana sunt, nugigerula, verbosa, contentiosa, curiosa, ambitiosa, etiam sanctum animum, vel iam perfectum dissipant; & corrumpunt.* Plures illorum forsan, linguosi, loquacesque concionatores, seipsos, non Deum prædicantes, euadent. *Arrogantes isti* (inquit Gregorius) *cum scientiam accipiunt, nihil se accepisse æstimant si hanc eos, occultam habere contingat. Nusquam quippe suum gaudium nisi in ore hominum ponunt.* Et rursus. *Hanc partem suam omnis arrogans æstimat, si scientiam non tam habeat, quam ostendat, quia nimirum omnes elati, scientiam habere non appetunt, sed ostendere.* Et infrà. *Non enim loquendo curat, quid prosit nec studet vt malum, quod cernit, corrigat, sed bonum quod sentit, ostendat.* Nec mirum sanè, quia, vt bene Bonauentura loquens de scientia istorum. *Est fluuius torridus, exsiccans flumina gratiarum: fluuius turbidus offuscans splendores intellectuum; fluuius tepidus tepefaciens amores effectuum: fluuius turgidus tumefaciens expressiones affatuum.* Isti erunt vt in plurimum, scioli pauca scientes, & multa præsumentes, semidocti, aut semiliterati,

literati, ad perinde animarum seductores, vt Sancta Teresia docuit, & experientia monebit. Demum, vt vir doctus, & pius disertè dixit. *Scientia istorum* (si aliqui tales sunt) *est scientia arrogans, & procax, & inuerecunda, seipsam exagerans, nouitates consectans, magistros, ac præceptores paruipendens, & aut minus subtiles, aut nimis scrupulosos accusans. Est scientia libertatis amans, obseruantiæ inimica, relaxationis cupida, quæ disciplinam fugit, mortificationem timet, seniorum monitiones auersatur; regulas, vt non seruet, interpretatur. Est tandem non sapientia desursum descendens sed terrena, animalis, diabolica.* Et rursum. *Est scientia superba, & ambitiosa, quæ in teneris annis, & in principio religiosæ vitæ, iam ad primas sedes, ad cathedras, ad pulpita, & ad elationes aspirat. Est scientia inuida laudis alienæ, ac condiscipulorum ingenio, & profectibus mœrens, quæ opinioni, ac laudi prouectiorum inuidet, subtilitatem, & diligentiam æqualium contemnit, minorem imperitiam, & ruditatem irridet, & sola ab omnibus laudari, & in vniuersorum ore versari studet. Est scientia curiosa nimis, nihil quærens, nisi quæ intellectus intemperantiæ satisfaciant, & ostentationi: ac plausui deseruiant, non quæ fratrum saluti proficiant,* Quid tandem de istis dicam? Certè non aliud, nisi illis forsan euenturum, quod cuidam Religioso ex reuelationibus S. Brigittæ accidisse nouimus. Dicebat quidam religionis cuiusdam, quam sciens non refero, Religiosus. *Ego addiscere volo, artes liberales & scientiam, ad hoc, vt ex illa honorer: & dignitatem aliquam habere valeam.* Christus Dominus de hoc, & similibus ad S. Brigittam respondit. *Iudicabuntur ad pœnas infernales in profundo inferni, si ante mortem se noluerint corrigere.*

24 Ex iis forsan vnus erat quidam magnæ æstimationis, cuius vitia Beatissima Virgo Maria in quadam reuelatione ad S. Brigittam *lib. 3. cap. 22.* sic expressit. *Quid vides in isto, qui astat reprehensibile? Respondit illa. Quod rarissimè dicit Missam. Cui Mater: non est ideò iudicandus. Sunt enim multi, qui factorum suorum memores rationabiliter abstinent, & non minus mihi sunt accepti. Sed quæ vides in eo alia? Et illa. Quod non habet vestes à B. Benedicto institutas. Cui Mater. Contingit multoties, quod consuetudo quædam inchoata, & omnes, qui sciunt eam esse malam, & imitantur reprehendendi sunt, qui vero ignorant instituta laudabilia, essentque libenter contenti de abiectioribus, si non consuetudo longinqua præualeret, tales non sunt faciliter, & improbè iudicandi. Sed audi, & indicabo tibi, quod in tribus aliis reprohendendus est. Primo, quod cor eius, in quo Deus quiescere deberet, est in pectore meretricum. Secundò, quod dimisit medicum suum, & concupiscit multa aliena, promisit abnegare seipsum, & sequitur totam propriam voluntatem. Tertiò, quod Deus creauit animam suam pulchram quasi Angelum, & ob hoc deberet habere Angelicam vitam, sed modo anima eius habet imaginem illius Angeli, qui per superbiam à Deo apostatauit. Hic apud homines magnus est, sed qualis apud Deum, nouit Deus. Ipse enim Deus est sicut ille, qui clausum aliquid habet in pugno, abscondit illud ab aliis donec aperit pugnum. Sic Deus infirma eligit, & coronas eorum in præsenia abscondit, donec vnicuique reddet secundum opera sua.*

Istorum etiam superbè sapientium stoliditatem perbellè subsannat Apologus Galli, & vulpis apud Cyrillum. *lib. 2. Apologorum moral. cap. 15.* Cui titulus: *Contra tumentes ex scientia. Gallus*, inquit, *intelligens dispositionem mutabilitatis cœlestis, mox de sua scientia tumidus, in arboris ramunculum ascendit, & erecto collo alta voce cantauit. Quem cum vulpes audisset ad eius cantum quàm citissimè accurrit, & stans deorsum ipsum salutauit, & dixit: frater mi, audiui vocem exultationis tuæ, quæso, cantationis causam indica mihi. At ille protinus, inquit, nimirum intelligentia supernæ dispositionis dotatus, eam cum sentio, statim voce cantabili nulli inuidus pango. Tunc vulpes subridens ait; Ergo plenus es scientia, quæ est diuinorum sublimium disciplina. Quo audito Gallus plus intumescens cantauit, moxque vulpes saltauit. Cui ille desuper, vt quid saltasti? Ipsa respondit, quia tu prius exultasti. Gaudere namque cum gaudentibus licet. Dolositatis deinde rete exponens, verbis callidis adiunxit: O galle, tu es gloria nostra, tu es bestiarum lætitia. Te nunc quæso porrige, si dignaris, vt osculer mirum intelligentiæ tuæ caput: At ille adulationis dolosæ mellea lingua emollitus, statim vitale caput improuidus ori famelico porrexit; quod auida vulpes stringens deorsum miserum traxit, & subiunxit. Galle, galle, vbi est sapientia tua? Concepisti superbiam, & perdidisti prudentiam, & dedisti pro nihilo vitam tuam. Cui Gallus. Quid gloriaris in Malitia? At illa respondit: Non est malitia humiliare superbiam, sed ars vera. Sidus namque quanto splendidius, tanto demissius est, & quanto sublimius, tanto apparet minus, Paruus oculus rimatur acutius, & in cauda vermiculi lucis clarissimæ fulget decus. Porrò quid sciuisti, si te ignorasti? aut si nouisti, quomodo superbisti, puluis & cinis? Quid plura? Nulla maior dementia est, quàm per scientiam cum inflaris, perdere sapientiam. Quo dicto, statim famelica suum ori ex præda officium dedit.* Audiant hæc etsi primo aspectu ridiculosa de sua sapientia inaniter gloriosi.

E conuerso tamen illorum regularium studia, 25
quæ, oratione concocta, humilitatis, & charitatis ardore digesta, ad Dei honorem (prout multi faciunt) ordinantur; & ipsis studentibus proficua. Ecclesiæ quoque, & religioni salutaria esse conspiciuntur, Dei regnum cumulant, Diabolique possessionem diripiunt. De istis Gregor. *Sancti partem suam reputant, si intus quidem ipsi de sapientia gaudeant, foris autem alios ab errore compescant. Neque à se, ita loquendo exeunt, vt gaudium mentis in ostensione ponant dissertæ locutionis, sed bonum scientiæ in cordis secreto meditantur.* De istis etiam D. Bernardus, vel author ad fratres de monte Dei vbi supra. *Studia hæc litteratoria non sunt, non cauillantia, non disputantia, non garrula, sed spiritualia, pacifica, & humilia, humilibusque consentientia. Quæ, etsi foris exercentur, intus potius aguntur in spiritu mentis, vbi renouatur homo de die in diem.* Et infra. *Studia hæc silentium amant, quietem desiderant cordis, in labore corporis paupertatem spiritus, & pacem in exterioribus pressuris, & bonam conscientiam in puritate cordis, & corporis.* Abs dubiè etiam de ista istorum scientia loquebatur D. Laurentius Iustinianus de cast. con. cap. 14. dicens. *Vtilis est scientia, cum perducit ad sapientiam, cum diuinitatis radios ostendit, cum Verbi præbet notitiam, cum ad cœlestia contemplanda animum attollit, cum ad Deum quærendum, possidendum omnia cordis interiora inflammat.* Tandem hæc istorum regularium scientia viuis coloribus depingitur, à pio, grauique, ac religioso moderno, hisce. *Est scientia modesta, & humilis; quæ sui contemptum, proximorum conuersionem, & Dei laudem concupiscit. Diligenter studet, ita vt suo tempore valeat poni super candelabrum, sed ipsa, si Deo ita visum fuerit, magis cupit latere, & esse sub modio. Est charitatis plena, quæ de profectu condiscipulorum gaudet, illos amat, illos reputat, illos laudat, & si doctiores,*

res, aut ingeniosiores habeantur, non mœret, sed vehementer exultat. Est sapiens, est discreta, & plena prudentia, non est violenta temporis deprædatrix, sed suis horis contenta, alias libentissimè orationi, & muneribus obedientiæ concedit. Est ingenua, ac verecunda, & circumspecta, quæ non libertatem, ac priuilegia, non exemptiones affectat, sed in id semper tendit, vt regulam diligenter seruet, & teneat disciplinæ censuram. Est denique sapientia desursum descendens, &c. Hæc, & alia, quæ sciens omitto, boni, perfectique religiosi (quales multi sunt) scientia meretur. His, & potioribus digna est præconiis, his gaudet epithetis, ac denique est vera scientiæ Dei participatio, Angelicæ imitatrix, humanæ conditionis consolatrix optima. Vtinam omnes hac peritia frueremur. Concedat id nobis Deus Opt. Maximus, vt quilibet Hieronymianum illud verè fari possit. ep. 11. ad Acher. *Sic studeo tanquam semper victurus, sic viuo tanquam cras moriturus.*

26 Cæterum pro capitis coronide omittenda hic non sunt quæ sancta, & illuminata fœmina Brigitta de probè & improbè doctis in suis reuelationibus exarata reliquit. Etenim *lib. 1. reuelationum cap. 33.* hæc habet: *Amici mei aliqui sunt scholares mei, qui habent tria. Primò, conscientiam intelligentem supra naturam cerebri. Secundò, sapientiam sine homine, quia personaliter doceo intus. Tertiò pleni sunt dulcedine, & diuina dilectione, qua vincent diabolum. Sed è contrario nunc addiscunt homines. Primò, volunt esse scientes propter iactantiam, vt dicantur boni clerici. Secundò, volunt esse scientes, vt habeant diuitias. Tertiò, volunt esse scientes, vt obtineant honores, & dignitates. Propterea cum adeunt scholas suas, & ingrediuntur, ego exeo ab eis, quia ipsi addiscunt propter superbiam, & ego eos docui humilitatem. Ipsi ingrediuntur propter cupiditatem, & ego non habui, vbi caput reclinarem. Ipsi ingrediuntur, vt habeant dignitates inuidentes aliis se esse superiores, & ego iudicabar à Pilato, & ab Herode deridebar. Ideò ego exeo ab eis, quia non addiscunt doctrinam meam. Sed tamen quia mitis sum, & bonus de vnicuique quod petit. Qui enim petit à me panem, ipse habebit: qui autem stramen, dabitur ei. Amici autem mei petunt panem, qui sapientiam diuinam, in qua est charitas mea, quærunt, & addiscunt. Sed alij petunt stramen, id est mundialem sapientiam. Quia sicut in stramine nulla est vtilitas, sed est cibus animalium irrationabilium: sic in mundi sapientia, quam ipsi quærunt, nulla est vtilitas, nulla animæ refectio, nisi tantum nomen modicum, & labore vacuum. Quia cum homo moritur, omnis sapientia eius annihilatur, & à quibus laudabatur non potest videri. Vnde ego sum quasi magnus Dominus multos habens seruos, qui dispensant ex parte Domini, quæ omnibus necessaria sunt, sic Angeli boni, & mali stant ad imperium meum. Qui autem sapientiam meam, id est, seruire mihi addiscunt, his administrant boni Angeli reficientes eos consolatione, & delectabili labore. Sapientibus autem mundi assistunt Angeli mali, qui eis, quod volunt inspirant, & informant eos iuxta voluntatem eorum, & inspirant cogitationes cum labore magno. Verum tamen si ad me respicerent, ego sufficerem eis dare panem absque labore, & mundum ad satietatem, de quo nunquam satiantur, quia dulce vertunt sibi in amarum.* Deinde *lib. 2. reuelat. cap. 25.* sic etiam ad intentum: *Diuina sapientia non est præcisè in litteratura, sed in corde, & bona vita. Quicumque cogitat sedulè viam ad mortem, qualitatem ipsius mortis, & iudicium post mortem, hic sapiens est. Quicumque abiicit à se vanitatem mundi, & superflua, quicunque contentatur de solis necessariis, & laborat in amore Dei, quantum potest, hic habet edulium sapientiæ, quo voluntas bona, & diuina præmeditatio sapiunt melius. Quando enim homo cogitat mortem, & in morte nuditatem; quando homo perpendit iudicium Dei terribile, vbi nihil occultatur, nihil dimittitur impunitum; quando & cogitat mundi instabilitatem, & vanitatem; Nunquid non tunc gaudet, & dulciter sapit in corde reliquisse voluntatem suam Deo, & abstinuisse se à peccatis? Nunquid non tunc confortatur caro, & sanguis melioratur? id est omnis infirmitas animæ, scilicet acedia, & morum dissolutio propellitur, sanguis diuinæ charitatis fit recentior. Quia considerat rationabilius fore diligenda ea, quæ æterna sunt, quàm quæ casura. Ergo diuina sapientia non est præcise in litteratura, sed in bono opere, quia multi sapientes sunt secundum mundum, & ad desideria sua, sed omnino insipientes sunt ad Dei mandata, & voluntatem eius & refrenationem corporis sui. Et hi non sunt sapientes, sed insipientes, & cœci, quia sciunt ea, quæ casura sunt, & ad momentum vtilia. Æterna verò despicunt, & obliuiscuntur. Alij sunt insipientes ad mundi delectabilia, & honorem eius, & sapientes ad considerandum quæ Dei sunt, feruentes in obsequio eius. Hi veraciter sapientes sunt, quia sapit eis præceptum Dei & voluntas eius. Isti veraciter illuminati sunt, & apertos habent oculos, quia considerant semper, quomodo veniant ad veram vitam, & veram lucem. Alij verò ambulant in tenebris, & delectabilius eis videtur, esse in tenebris, quàm viam inquirere, per quam venire possent ad lucem.* Ruminent hæc boni scholares Religiosorum, & inuenient modum rectè studendi, & placendi Deo, fugientque sæculi vanitatem, & superbiam.

SVMMARIVM.

Taxantur Religiosi, qui sub alicuius litteraturæ prætextu, exemptiones quærunt. num. 1.
Inæqualitas priuilegiorum inter Monachos, inuidiæ odiique seminarium. num. 2.
Verba S. Ephrem ad intentum. num. 3.
Laudatur vitæ æqualitas inter Monachos à D. Chrysostomo. num. 4.
Qualiter vitium singularitatis in exemptionibus fugiendum. num. 5.
Vt Religionis perfectio non corruat, necessaria inter Religiosos æqualitas. num. 6.
Singularitates, & exemptiones Monachorum vanæ ostentationis signa esse demonstrat Cassianus. num. 7.
Singularitates compescendæ velut pestes Monasteriorum ex D. Gregorio. num. 8.
Singularia priuilegia, nociua charitati, & concordiæ Religionis. num. 9.
S. Ignatius quàm cautè singularitates à familia Iesuitica reiecerit. num. 10.
Adducitur cœleste documentum S. Virginis Teresæ ad rem num. 11.
Amatores singularitatum, & exemptionum, vnde sibi præsidium sumant. num. 12.
Vbi infirmitas, debilitas, senectus, vel similis alia necessitas vrget, ab obseruantia regulari aliqualiter Monacho discedere licet. num. 13.
Lamentabilis abusus Religionum, in quibus plures Religiosi absque necessitate, immunitatibus fruuntur. num. 14.
Quæ Ioannes Rusbrochius de huiusmodi exemptis dixerit.

dixerit. numero decimoquinto.

Aliquot Religiosorum sine causa exemplorum vitia speciatim recensentur.n.16.

Tremendus casus à Ioan. Rusbrochio ad intentum relatus.n.17.

Alterum istorum Regularium crimen refertur. numero 18.

Specialiora quædam exemptorum Regularium crimina enumerantur.n. 19.

Qualiter intelligenda quæ hucusque ex Patribus sunt producta.n. 20.



Caput XII.

Plures exempti, & priuilegiati in Religionibus obseruantiam regularem euertunt.

1 INTER ea mala, quæ ex inordinato, vanove, aut superbo scientiarum, aut litterarum vsu, euenire possunt, & forsan sæpe sæpius euenient; illud in primis censendum venit, quod non pauci religiosi, sub alicuius litteraturæ, scientiarumve peritiæ prætextu, super omnes alios extolli cupientes, exemptiones, priuilegia, immunitatesque in ipsis religionibus quærant. Hoc ante nos expertus videtur D. Gregorius magnus, dum past. cap. 23. dixit. *Sæpe dum quosdam maior scientia erigit, à cæterorum, societate disiungit, & quo plus sapiunt, eo à concordiæ virtute desipiscunt.* Hac de causa, postquam de recto sacrarum litterarum vsu regularibus permittendo, sermonem habuimus, placuit nunc de ipsorum exemptionibus, immunitatibusque disserere. Hoc igitur capitis huius intentum erit; videlicet: multitudinem exemptorum in religionibus magna non perurgente causa immunitatibusque, seu priuilegiis, quo ad obseruantias regulares fruentium, reformationi religionum obstare, regularemque obseruantiam euertere. Hoc quidem cùm grano salis intellectum, (ne Sanctissimarum quarumdam religionum legibus; vsui, laudabilique consuetudini obuiam ire videamur) ex Patribus, morem solitum seruando, comprobare decet.

2 Audiatur primus magnus Basilius, qui in sermone de institutione monachorum, inuidiæ, odiique materiam, ac seminarium appellat, quod inter monachos, aliosque regulares, inæqualitas ista sit priuilegiorum, immunitatum, & exemptionum à communibus obseruantiæ regulis. Hæc Basilius *Vbi æqualitatis defraudatio est, inuidia, odijque materia, ac seminarium extitit, iis, qui defraudantur.* Vnde concludit. *Quemadmodum igitur Deus promiscuè omnibus lucem impartitur, sic imitatores Dei, charitatis ipsorum radium æqualiter communicare omnibus debent.* Ecce Basilium, de hac causa sic sentientem.

3 Accedit Sanctus ille, egregiusque monasticæ perfectionis zelotes Ephrem Syrus, ex quo pauca quædam, nec tamen inutilia, excipere valui. Adhortatione prima ad monachos, hæc habet. *Æqualitas inter monachos extirpat superbiam, & humilitatem ipsis familiarem reddit.* Quibus clarè denunciat singulares exemptiones monachorum, superbiam nutrire, & humilitatem extenuare. Vnde quondam sic admonet monachum. *Frater, dignus es habitus sancto indumento monastico? Ne extollaris aduersus spectantes. Non enim videri aliquem primum esse, virtus est.* Attendat hæc monachus, nec velit primus inter fratres per priuilegia videri. Audiat, & sequentia. *Vide frater, ne forte dum vis primus supra fratrem tuum esse minimus inueniaris in futuro sæculo. Tuncque audias, quod audiuit prædiues ille ambitiosus, qui vritur igne illo inextinguibili: fili recordare, quod recepisti bona in vita tua. Scriptum est, quæ alta sunt hominibus, abominabilia sunt coram Deo: Numquid oblitus es dicentis; Qui cupit inter vos magnus fieri, sit vester minister. Cogita ergo, quod mortuus sis mundo.* Hæc, & alia pius hic Pater, priuilegia, singularitatesque quorumdam regularium damnans, æternisque pœnis, cum diuite epulone adiudicans.

Ex Chrysostomo etiam, qui os aureum eloquentiæ iure vocatur, aliqua, nec incongrua, proposito nostro, inducere possumus. Laudat S. Doctor monachos, & cœnobitas, propter æqualitatis vitam, summamque conuenientiam quo ad omnia, in ipsis repertam, ac proinde reprobare videtur inæqualitatem ex huiusmodi priuilegiis, & exemptionibus ortam. Chrysostomus sic loquitur. *Nullus ibi* (inter monachos, & cœnobitas) *paupertatem exprobrat. Nullus diuitiis honestior est. Inde id, quod omnia perturbat, & peruertit, meum, & tuum penitus eliminatum est. Cuncta quippe illis communia sunt, mensa, domus, indumentum, & quod sanè mirabilius est, vnus etiam idemque animus omnibus est. Omnes eadem sunt nobilitate nobiles, omnes eadem seruitute serui, eadem libertate liberi. Vna ibi voluptas, vna iucunditas, vna deliciæ, vnum desiderium, vna spes omnibus inest. Nulla ibi inæqualitas, cæterum ordo summus, & conuenientia, & ineffabilis concordiæ seruandæ diligentia, iugis; atque perpetua lætitiæ materia, &c.* Hæc Chrysostomus ad intentum. 4

Accedit etiam S. Mediolanensium antistes Ambrosius, qui in epistola ad Demetriadem Deo sacram Virginem, tum ipsam, tum moniales omnes, monachosque singulos qualiter vitium singularitatis in exemptionibus, priuilegiis religionum affectandis, fugiendum sit, sic admonuit. *Prima humilitatis ratio, in communis vitæ versatur officijs, quibus, & diuina clementia conciliatur, & societas humana connectitur.* Expendat hæc religiosus, & si sibi diuinam clementiam conciliandam quærit, *in communis vitæ officiis* se exerceat, exemptiones ab illis non ambiendo. Inferiusque. *Pulchrè, & mirabiliter à plerisque proficitur ad illā humilitatis fortitudinem, quæ se, & extra omnem constituit dignitatem, & mauult apta esse iniuriis accipiendis, quam idonea repellendis.* Carpit hisce verbis Ambrosius pessimā illorum conditionem, qui ideo dignitates, priuilegiaque in religionibus appeterent, vt ab iniuriis accipiendis immunes redderentur & ad vindicandam aptiores, cum vtrumque sit superbiæ magnum argumentum. Inferius quoque *Inter omnes igitur hominum lapsus, inter omnia commissa peccantium, nulla est grauior, quam superborum ruina* Quorum Ambrosi? illorum certe? *Qui cupiditate extollentiæ singularis omnibus appetunt anteferri.* Inferius adhuc. *Hæc superbia à Diabolo sumpsit exordium:* Lege, religiose sancte totam istam epistolam Ambrosij; inspiciesque clarè, qualiter excellentias, immunitatesue appetere, piorum animum, sanctorum præcipuè, offendat. 5

Audiatur præterea sanctus Præsul Augustinus, qui de monasteriis loquens hæc habet. *Seruetur ibi parilitas æquabilitatis, constantia charitatis, & quando* 6

quando forte ventus ex ista parte, qua patet, irruerit, sit ibi cauta gubernatio. Ac sic dicat, vt religionis perfectio non corruat, necesse est religiosos ipsos æquabiliter connecti, & æqua charitate confoueri. Vt enim subdit. *Si naues in portu bene sibi applicentur, non sibi colliduntur.* Proculdubio indicans, rixas, sectionesque monachorum, quibus *sibi forsan colliduntur*, ex imparilitate priuilegiatorum posse oriri, qui cum omnibus præesse cupiant, necesse est ab aliis contradictionem, & repulsam pati. Vnde idem Augustinus alibi verba illa: *Ecce quam bonum, & quam iucundum habitare fratres in vnum*, dicit excitasse monachos, & monasteria in orbe. *Ista* (inquit) *verba psalterij, iste dulcis sonus, ista suauis melodia, tam in cantico quam in intellectu etiam, monasteria peperit. Ad hunc sonum excitati sunt fratres, qui habitare in vnum concupierunt. Iste versus fuit tuba ipsorum.* Vt hinc animaduertant regulares, ad hunc finem præcipuè ad religionem vocatos fuisse, vt in vnum viuentes, non priuilegia, non exemptiones, non immunitates, prærogatiuamque supra alios quærant; sed humili æqualitate contenti, communibus obseruantiis degere cupiant, si veri, vel saltem perfecti monachi esse desiderant. Vnde sic subiungit. *Qui ergo sic viuunt vt vnum hominem faciant, vt sit illis vna anima, & vnum cor: multa corpora, sed non multæ animæ; multa corpora, sed non multa corda, rectè dicitur monos, idest, vnus solus.* Quare monachos illos, qui singularitatibus gaudent, nomine monachorum, indignos videtur existimare Augustinus.

7 Adstipulatur Ioannes Cassianus, qui non solum huiusmodi singularitates, priuilegiaque monachorum damnat, sed etiam vanitatis, gloriæ, atque vanæ ostentationis signa esse, clare demonstrat. *Quidquid enim extra consuetudinem præsumitur, vsumque communem, vt vanitatis, & gloriæ, atque ostentationis morbo pollutum, antiquissima Patrum traditio notat.* Idque exemplo sanctissimorum monachorum clarius confirmat dicens. *Nec quemquam ex his, quos merito scientiæ, ac discretionis nituisse peruidimus: vel quos ad imitandum, gratia Christi, velut splendidissima luminaria omnibus prælocauit, esu panis, qui apud eos vilis habetur ac facilis, abstinuisse cognouimus.* Ecce Cassianus, non modo singularia priuilegia monachorum damnat, sed nullum verum, & sanctum religiosum fuisse dicit, qui similibus prærogatiuis frueretur.

8 Astat præterea D. Gregorius Magnus, qui in epistola quadam ad Ioannem Subdiaconum Rauennæ, grauissimis verbis admonet, vt peculiaritatem, singulariaue priuilegia, & exemptiones à quibusdam monachis compescat, tanquam pestem monasteriorum. Verba Gregorij sunt hæc. *Hoc autem prædicto fratri, coepiscopo nostro, omnino dicere stude, vt peculiaritatem, à quatuor, aut quinque monachis monasterij studiosissimè compescat; & hoc ipsum monasterium à tali peste mundari festinet.* Rationem reddit. *Quia si illic peculiaritas à monachis habetur, nec concordia, nec charitas, in congregatione poterit permanere.* Ecce singularia priuilegia pestem religionis à D. Gregorio nuncupata: hincque iure optimo, regulares similia priuilegia ambientes, pestiferos religioni, ex mente ipsius, quodammodo appellare licet. Nec fui oblitus idem Pater, huiusmodi rei causam tradit in Moralibus. *Omnes namque homines natura æquales sumus. Si igitur hoc à mente deprimimus, quod temporaliter accessit, inuenimus citius, quid naturaliter sumus. Manu ergo humillimæ considerationis deprimendus est tumor elationis. Si enim apud semetipsum mens descendit de vertice culminis, citiùs planitiem inueniet naturalis æqualitatis.* Quæ omnia magis vrgent religiosos omnes, qui non solum æquales sunt natura, sed professione, regula habitu, conuictuque communi. Adhuc tamen congruentius proposito nostro hæc habet in epistola quadam. *Si in rebus sæcularibus suum cuique ius, & proprius ordo seruandus est, quanto magis in Ecclesiasticis dispositionibus, nulla debet esse confusio, ne ibi discordia locum inueniat, vnde pacis debet bona procedere. Quod hac ratione seruabitur, si nihil potestati sed totum æquitati tribuitur.* In quibus non modo æquitatem, quoad fieri potest in Ecclesiasticis personis obseruari petit, sed & hoc congruere dicit, *ne ob id discordia locum inueniat.*

Audiatur præterea Seraphicus Bonauentura, qui sicut nostro sæculo nunquam proximior fuit: sic quoq; cæteris clarius hoc vitiũ à religionibus extirpare contendit. Primò enim in pharetra sua verba D. Gregorij superius adducta repetit, & approbat: *Si peculiaritas* (inquit) *à monachis habetur, nec concordia, nec charitas in congregatione eadem poterit permanere.* Ecce singularia priuilegia, exemptionesque monachorum à Bonauentura reprobari, vt nociua charitati, & concordiæ religionis. Contra tamen, monachi perfectionem in communibus obseruantiis sitam esse, alibi sic docet. *Optima religiosi perfectio est perfectè communia quæque conuentualia seruare.* Et in alphabeto spirituali sic. *Qui communia sectatur, & singularia vitat, magis diligetur, & citius ad bonum finem perueniet.* Hinc etiam idem pater alibi monachum monet. *Sequi conuentum sine murmure destructi corporis, & communem Ordinis rigorem cum cæteris tenere.* Rationem sic subiungit. *Quia qui post te ad Ordinem veniunt, non attendunt, quid ante eos laboraueris, sed solum accipiunt, quale eis exemplum præferas in præsenti, in laboribus, vigiliis, in cibis, & aliis obseruantiis Ordinis; in quibus vellent sibi seniores suos præire. Alioquin, aut scandaliZantur de ipsis, aut imitari eos incipiunt, parcendo corpori plusquam expediat.* Ecce monachi; qualiter, nec propter antiquitatem in Ordine, nec propterea, quod plurimum in eo laboris perpessi sitis, vos à communibus obseruantiis velit Bonauentura excusatos. 9

Iungatur his Patribus sactus Ignatius nostri sæculi decus, & Iesuiticæ familiæ orbi celeberrimæ, antesignanus, qui feruenti zelo obseruantiæ regularis cupiens suos vigere, inter ea, quæ illis commendata reliquit, hoc vnum est: vt penitus singularitates, priuilegiaque in religione abiiciant. Vnde ingredientem Societatem interrogare præcipit. *An contentus fuerit eodem, atque alij modo in collegio agere, nullisque priuilegijs, aut prærogatiuis minimum omnium, quin in eo fuerint anteire.* Non ergo rectis oculis aspicere visus est Sanctus hic Pater priuilegia, exemptionesque multorum regularium, à communibus, & ordinariis regularis disciplinæ documentis. 10

Nec iure omitti potest Ecclesiæ iubar, nostræque religionis singulare ornamentum, sancta Virgo Teresia de Iesu. Quæ inter cœlestia alia documenta, fratribus & monialibus Carmelicolis tradita, hoc vnum de singularitate priuilegiorum, & exemptionum fugienda, sæpius inculcauit. In documentis sic habet. *Huia siempre la singularidad, quanto le fuere possible; que es gran mal de la communidad.* In libro quoque ab ipsa conscripto 11

de

de itinere perfectionis, solicitè curat passiones huiusmodi quibus religiosi appetunt peculiares exemptiones honoris, & reuerentiæ, vel ratione antiquitatis, vel maioris laboris in religione, reprimendas, & coërcendas esse. Postea sic cōcludit. *Estos pensamientos, si vinieren, es menester atajarlos con presteza: que si se detinen en ellos, o los ponen en platica, es pestilencia de donde nazen grandes males en los Monasterios.* Tandemque leges istas graduum, dignitatum, & exemptionum in religione; diabolicum inuentum compellat, dicens. *El Demonio inuenta las honras en los Monasterios, y pone sus leies, que suban, y baien en dignidades, como los del mundo.* Hæc Hispano sermone à tanta Virgine conscripta referre malui, quam si latina redderem spiritu sapientiæ, quo redolent, orbarem. Ex his tamen, luce clarius infertur; quam prauè, sinistréque de priuilegiis, exemptionibusque inordinatis regularium, ex mente sanctæ Virginis, aliorumque Patrum sentiendum sit.

12 Ast præsidium magnum sibi forsan putant amatores huiuscemodi immunitatum in religionibus habere, eo quod à plurimis, sanctissimis, religiosissimisque familiis regularium, vsu, consuetudine, legeque approbari dicant. Hinc plures Magistri, Doctores, Præsentati, Licentiati, Baccalaurei, Iubilati, Lectores, Emeriti, similesque, istis, vel aliis nominibus decorati, in multis religionibus cernuntur. Quod non contingeret si priuilegia, exemptionesve regularium religioso statui, vel leuiter derogarent: Nec id rationi, & æquitati dissonum vllatenus æstimari debet. Vt enim prudens quidam, grauis, doctus, & disertus. *Nihil æqualitate ipsa inæqualius.* Quorsum ergo inæquales meritis religiosi, æqua lance præmiorum decorandi erunt? Ad idem Antistenes Reipublicæ ruinam dicit. *Probos, & malos sine discrimine degere.* Optimè etiam Socrates rogatus. *Quænam ciuitas rectè gubernari possit.* Respondit. *Ea, in qua inuitantur boni præmiis.* Præclarè etiam Cicero. *In homines moderatio profecto nulla est, si in ea discrimen nullum est bonorum, ac malorum.* Alexander quoque rogatus. *Quam rempublicam maximè probaret: eam* (inquit) *in qua fortibus viris, ac meticulosis congrua vtriusque redduntur.* Denique Theophrastus rogatus. *Quidnam vitam humanam conseruaret.* Responsum dedit. *Beneficentia, honor, & pœna.* Quæ omnia, aliaque, tum ex humanioribus, cum sacris litteris deprompta facilia, æquum & consentaneum rationi esse huiusmodi singularia priuilegia singularibus concedere, suadere videntur.

13 Verumtamen hæc, & his similia, probant quidem aliquando, & aliquibus occasionibus, summum ius regularis obseruantiæ seruandum non esse. Neque enim omnia possumus omnes, neque pares viribus natura cunctos effecit. Ergo hæc omnia duo satis suadent. Primum est: quod vbi infirmitas, debilitas, senectus, vel similis alia necessitas vrget, ab obseruantia regulari aliqualiter discedere Monacho liceat. *Necessitas enim caret lege.* Et optimè Hugo Victorinus. *Non negat religio, quod requirit necessitas naturæ; prohibet tamen, quod appetit superfluitas.* Et benè Cassianus. *Diuersum esse refectionis tempus, modum, & qualitatem pro impari corporum statu, vel ætate, vel sexu.* Et Sanctus Basilius. *Ita amplectenda à nobis continentia est, vt eā cum viribus corporis commetiamur.* Et infrà. *Quamobrem conuenit vnumquemque, nec naturæ ordinem, neque præscriptos, à naturæ opifice limites transilire, potiusque in his continere se, & corpus in actione aliqua occupatum tenere, illudque prouidere, ne ipsum, dum grauius, quam par est, premit, opprimat.* Secundum est: quod in eis rebus, quæ, vel ab Ordinis obseruantias, vel ad regularem disciplinam tuendam, non spectant, inæqualitas aliqua exemptionum, priuilegiorumque regularibus permitti possit. Vt enim benè D. Laurentius Iustinianus. *Sciat pastoris prudentia singulis impertiri, quod cuique magis proficuum est; alioquin non sine suo præerit damno. Curet quoque solerter qui præsidet, æqua discretionis lance, & non propria affectione, vel passione, singulorum diiudicare itinera.* Rationem subiungit eodem capite. *Non enim omnia vno medicaminis genere sanantur corpora, neque cunctæ animæ, pari institutitione purgantur. Propterea inæquali modo, sicut expedire censetur, dirigendæ sunt, vt in virtutibus crescant.* Ad quod deseruit illud D. Hieron. in regula Monachorum. *Tantum tibi ieiuniorum assume, quantum ferre potes: diuersus est enim hominum stomachus, alij amaris, alij dulcibus, alij austerioribus, alij leuibus delectantur cibis.* His ergo præmissis, quoad cætera, quæ, vel obseruantiam regularem, redolent, vel necessitas spiritualis, vel corporalis non contradicit, generalis regula ex patribus deducta habeatur; æqualitatem in omnibus, regulares cunctos habere, adstrictos esse, alioquin (vt Patres innuunt) & charitas violatur, & iusta querimoniæ causa fratribus conceditur.

Cum hæc ergo sic se gerant, lamentabilis profecto earum religionum abusus esset, in quibus plures religiosi, nulla necessitate corporis, vel spiritus, perurgente, immunitatibus, & priuilegiis huiuscemodi fruerentur, quoad communes Ordinis institutiones: vel si ad similes exemptiones sectandas, totis cordibus inhiarent religiosi. Apud istos non ordo, sed inferorum more, sempiternus horror adesset, dum alij hisce cibis, alij diuersis vterentur. Abūdaret vnus, egeret alius: vnus extolleretur: deiiceretur alius: quidam choro, capitulo, & refectorio cogerentur adesse, alij verò ab istis omnibus immunem, & exemptam ducerent vitam. Diabolicum hoc esse inuentum ex hist. S. Franc. narratum vidimus. Dum enim Franciscani sanctissimi in primordiis Ordinis, Comitiis generalibus assisterent; diaboli quoque comitia inierunt, vt Ordinem sanctè pullulantem perimerent. Ex quibus vnus, cœteris callidior, destructionem Ordinis promisit, propterea quod plures futuri essent, qui huiusmodi immunitates à regularibus institutis imposterum sectarentur. Magnum quoque suarum animarum dispendium perpeti istos, ex reuelationibus Sanctæ Brigittæ habetur. Apparuit illi cuiusdam religiosi anima scapulari quodam induta, & mirabiliter in omnibus membris deformata, & (vt videbatur) æternis suppliciis destinata: causam verò tradidit Christus S. Brigittæ. *Quia superbiendo præfert se cæteris.* Satis per hoc innuens, propter huiusmodi irrationabilia priuilegia, religiosum illum æternis pœnis addictum fore. Nec mirum, quia, vt bene Ioannes Niderus, de similibus priuilgiatis, qui communem obseruantiam chori, & refectorij fugiunt, proprias cameras, tamquam sæcularium domos habentes, dicit. *In talibus priuatis habitaculis fiunt comessationum ebrietates, & rerum communitatis dispendia, vbi quilibet non communia propriis, sed propria communibus anteponit. Ibi inepta solatia, chorus neglectus, ibi detractiones, & contra prælatum murmura, seminaria ibi inchoantur discordiæ, & conspirationum vitia.* Hæc Niderus. Quæ si vera sunt, non mirum religiosos tales inferni tartara descendere, si talia facere audeant. 14

Placet

15 Placet præterea, quæ Ioannes Rusbrochius de aliquibus istorum dixit, in medium adducere. *Inueniuntur solo nomine religiosi, quorum Prior, aut alius, vbi ad refectorium pulsat, tres, aut quatuor ex iunioribus veniunt: tametsi vnius Ordinis sint omnes. Dominus Abbas cum sua familia manet in domo sua, alij malè habent, & edendis carnibus, ac alijs lautitiis, si quas habere possunt, sua curant corpora.* Et infrà. *Bona temporalia, & mundanos honores per plures eorum non mediocriter ambiunt. Et licet quidam ex eis, exiguam dent virtutibus operam, veruntamen, & de ipsis virtutibus spirituales honores expetunt. Edere quoque, & bibere delicatè, & curiosum, & comptum ferre habitum libet: nec vlla apud eos, vel esculenta, vel poculenta, vel vestimenta, plus nimio pretiosa habentur quæ obtinere possint.* Adhuc inferiùs. *Nemini istos corrigere licet: quippe, qui præ superbia, sui reprehensionem indignè ferunt. Quod si ob peccata sua quopiam relegandi essent, potentum hominum implorant opem, & si nummos habent, facile etiam, quibuscunque inuitis, à superioribus suis permanendi impetrant facultatem. Si quis inter eos sit pietati deditus simplex, & timens Deum, & qui Patrum instituta, ac canonem monasticum seruare velit, illum habent contemptui.* Hæc Rusbrochius de quibusdam regularibus huiusmodi priuilegiis prauè fruentibus. Vnde non mirum, vt quemadmodum ex reuelationibus Sanctæ Brigittæ habetur, isti tales ad æterna tartara tradantur. Quod etiam roborari posset ex visione relata capite 5. huius operis, vbi habetur omnes illos religiosos, qui, vt apparet, damnati cernebantur, ex huiusmodi exemptis, & priuilegiatis fuisse. Sic enim ille, qui pro omnibus responsum dabat dixit. *Quod omnes fuerant eiusdem Ordinis religiosi, & pro maiori parte Magistri, Priores, Superiores, Baccalaurei, Lectores, & aliis officiis donati.* Ex quibus si vera sunt iam habetur, in quanto animæ suæ periculo versentur illi, qui sine iusta, & rationabili causa, importuna priuilegia in religionibus appetent, ambient, & quærent.

16 Nec possum non aliquot istorum regularium, qui specialibus prærogatiuis, priuilegiisque in religionibus, sine causa consentanea, & æquissima ratione expensa, perfruentur, vitia speciatim recensere: quibus aliquandiu, quidam forsan, irretiri noscentur vel saltem quibus crebrius expositi manent: vt, vel sic ruinam sibi imminere timeant. Primum illud est, quod illorum plures, sub prætextu alicuius infirmitatis. diuersis cibis, alimentisve, ac cæteri ex cōmunitate, vtentur. Hos bene notauit Rusbrochius vbi supra. Optimè etiam notat Bernardus, dum talem priuilegiatum monachum, sic alloquitur. *Puta te quæso monachum, esse, non medicum, nec de complexione iudicandum, sed de professione. Parce obsecro, primum quidem quieti tuæ, parce deinde labori ministrantium, parce grauamini domus, parce conscientiæ.* Et infrà. *Scandalizatur in tua singularitate frater, iudicans te superstitiosum, tanquam superflua quæritantem.* Carpit optimè quoque istos Hugo Victorinus sic loquens. *Ecce fratres, Diabolus physicam docet. Ecce medicus factus est. De complexionibus loquitur, infirmitates diuersas, si teneatur religio, generari prædicat. Sed quare hoc? non vt mederi velit, sed vt occidere possit: non vt ægritudines curet, sed vt securius inferat mortem.* Quibus sanè denotat religiosos istos, priuilegiis ineptis abutentes perperam sub prætextu infirmitatis, vel debilitatis prætensæ, religionibus importunos, & sibimet noxios esse. Cum tamen potius obseruantiæ regulari, quam propriæ commoditati addicti esse deberent. Bernardi consilium sibi assumentes, qui ad Fratres de sancto Anastasio in regione infirma habitantes, sic loquitur. *Scio equidem quod in regione habitatis infirma, & multis aliqui ex vobis laborant infirmitatibus; sed mementote quis dixerit: Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Christi: Et cum infirmor, tunc fortior sum. Compatior vtique, & multum ego compatior infirmitati corporum, sed timenda multo magis, ampliusque cauenda infirmitas animarum. Propterea minimè competit religioni vestræ medicinas quærere corporales, sed nec expedit saluti.* Et infra. *Hæc omnia gentes inquirunt. Scimus autem, quod qui in carne viuunt, Deo placere non possunt. Spiritualia proinde spiritualibus comparanda, & quærenda potiò humilitatis, & clamandum in toto corde: Sana animam meam Domine, quia peccaui tibi. Huic sanitati, fratres dilectissimi, operam date, hanc sectamini, hanc seruate, quia vana salus hominum.* Ecce sanctè religiose, qualiter imprudentem regularem, qui exquisita, & contra suam religionem priuilegia anhelat istis verbis carpat dulcifluus Bernardus.

Placuit ad hoc intentum tremendum casum, à Ioanne Rusbrochio viro piissimo relatum, in medium afferre, vt qui sub prætextu immunitatis, & priuilegiatæ conditionis, contra regularem institutionem à communibus obseruantiis, præsertim quoad cibum, & potum, (si qui tales sunt) separantur, sciant sibi reseruatam vindictam. En verba Rusbrochij. *Tres gulosi Monachi circa Rhenum in quodam degebant Cœnobio, qui non contenti cibis communibus, escas singulares sibi ministrari volentes, seorsum à fratribus aliis semper edebant. Quorum duo subitanea, ac improuisa abrepti sunt morte; vno præfocato; altero dum se lauaret, submerso in aquis. Vnus autem ex eis socio tertio videlicet superstiti apparens, ait: se damnatum esse. Interrogatus ab illo si magna pateretur tormenta; extensa manu guttam vnam sudoris sui in candelabrum stanneum, vel æneum, quod ibi forte erat cadere permisit: quod momento celerius, perinde, vt suum, vel cera in ardenti fornace, liquefactum est. Tantusque inde extitit fœtor, vt illius loci monachi tribus diebus à cœnobio abesse cogerentur. Ille autem frater, qui hæc vidit, relicto eo monasterio, Franciscanus effectus est.* Videant ergo hæc, & contremiscant, qui vana priuilegia, in religionibus affectantes, cibaria extra communem mensam quærerent. 17

Alterum istorum regularium, qui priuilegia inordinata in ordinibus quærunt, crimen, satisque commune abs dubiè erit, quod ipsi soli; seipsos, tumidi, & elati aliis præferentes, prælaturas, superioritates, similiaue officia in Ordine ambient; ita vt simplicioribus aliis, qui tales gradus exemptionesque non sunt assecuti, quamuis ipsis digniores, & meliores sint omnino præponi studeant. De illis optimè Laurentius Iustinianus hæc prædicat. *Attendunt huiusmodi præsentia, nec futura prospiciunt. Magni æstimant, si præponantur cæteris, si aliis imperent, si honoribus extollantur. Gaudent, iuxta Domini sententiam, vocari ab hominibus Rabbi, & à subditis, vt patres venerari: attendunt quid æstimentur, non quid sint; nec considerat ipsi elatione tumidi, mente fucati, intentione corrupti, & moribus perditi, quam sit breue ipsorum gaudium, quam formidabilis status, quam fugitiui honores.* Istorum etiam mores criminosos sic prodit Ioannes Rusbrochius. 18

Nonnulli sunt in religiosis Ordinibus nequam, astuti, & duplices, & simulant se quod non sunt, & hos sæpius contingit in sublime tolli, aliisque præponi, ac præfici. Tunc verò ipsi se produnt. Haud secus enim, quam si in mundo agant, bonaque cœnobiorum, & honor ab antecessoribus ad ipsos iure, ac successione hæreditaria deuoluta sint, super alios sese efferunt, moxque sanctitatis obliti, bona temporalia administrant, summque exercent dominatum. De talibus præterea sic loquitur Dominicanus Nider. *Veniunt ad monasterium de sæculo, vt possint honorari, quia in sua domo, non nisi contemptibiles potuerunt esse. Tales autem laborant, vt postmodum ad loca mittantur ditiora, aut murmurant contra dispensatores rerum temporalium; vt lautiora quærentes. Proprio nomine vocari erubescunt gaudentes Abbates, Priores, nuncupari, vel similibus titulis insigniri.* Tandemque, vt sciamus quantum sibi detrimenti acquirant isti (si qui fuerint) ineptas exemptiones, immunitatesque sub fine superbiæ, & tumiditatis affectantes, sic concludit. *Huiusmodi pauperibus non Christus promittit regnum, sed infernum.*

19 Quis tandem, vt vera colligam, istorum, qui contra sui ordinis instituta, improba priuilegia affectarent (si qui erunt) crimina recenseat? Cum magna ex parte difformatæ religionis duces conspicerentur. Barbas nutrient sæcularium hominum more, quia hoc decet, inquient eorum authoritatem, quantumuis iuxta canonem monasticum, eas radi oporteret. Famulos in suis cameris, vel cellis, etiam ex sæcularibus quærent, nesciẽtes Esaiæ Abbatis doctrinã. *Si in monasterio es, & seruum habes in quem imperium exerceas, habitum afficis contumelia.* Ipsas cameras, & cellas sic ornari curabunt picturis, imaginibusque capsulis, repositoriis, vt Duci, vel Marchioni, quantauis fulgeat dignitate, suscipiendo, aptæ iudicentur. Cum Choro assistent, quod rarum erit, canere sicut cęteri spernent. Inclinationes etiam, aliasque cæremonias religionis, canone intimatas, vel prorsus emittent, vel saltem magna ceruicis elatione facient. Optimè Dacrianus Abbas modum istorum sic prophetat. *Libertatem laxioris vitæ desiderant; à diuino officio, cæterisque actionibus conuentualibus abesse gaudent, delicatum, superfluumque cibum, aut potum, percipere gestiunt; opportunitates nugandi exquirunt; inordinati risus solatia affectant; sæcularia audire, vana videre, curiosa in suos particulares vsus accipere ardent; propriam complacentiam, ineptam lætitiam, otium, vaniloquia, fabulas, gestus incompositos, cæteraque huiusmodi vitia aut non esse vitia, iudicant: sine scrupulo conscientiæ ea admittunt.* Deinde illorum habitus sic depingit Hugo Victorinus. *Alij iactando, & ventilando pannos suos, leuitatem mentis suæ ex ipsa habitus sui mobilitate ostendunt. Alij incedentes sinuoso syrmate terram verrunt, & lymbis dependentibus, imo retro consequentibus, caudis in similitudinem vulpium, vestigia sua obducunt. Bene profectò, vt postquam transierint, pereat memoria eorum, ne sint amplius in recordationem in terra viuentium.* Hæc Hugo. Ex quibus aliisque, quæ omitto, liquidò, manifesteque istorum, qui ineptis, & contra ordinem immunitatibus extraordinariis vtentur, si, quod Deus auertat, aliqui fuerint, crimina patefiunt; simulque, quantum religioso statui contraueniant, innotescit.

20 Hæc verò omnia, singulaque, quæ ex Patribus, aliisque authoribus in præsenti capite diximus; solum de illis, qui priuilegia, exemptiones, immunitatesque contra sui Ordinis canonem suscipere affectarent intelligi velim. Aliorum autem regularium, qui iuxta sui instituti leges, similia priuilegia adepti sunt, vitam, mores, conditionemque nec leuiter tangam. Scio etenim plures inter illos esse, quorum vita exemplaris, modesta, religiosa, & humilis, suadet sanè illorum immunitates, non obesse sed prodesse religionibus. Illa namque non ad propriam commoditatem, sed ad religionum authoritatem accipiunt. Dignitates istas, non ad honorem proprium, sed ad decorem suæ familiæ quæritant. Non proprium lucrum, sed sui instituti profectum affectant. Minoribus aliis, non superbiæ, tumiditatisue signa, sed veræ obseruantiæ radios præostentant. Suntque suæ familiæ lux, sal, ciuitas, refugium, firmamentum, & bonorum omnium, firmissimum promptuarium. Vnde gloria, laude, corona potius, quam pœna, reprehensioneque digni habendi sunt.

SVMMARIVM.


Quis sit scopus huius capitis. n. 1.
Religiosorum ambitio, quasi pestis diabolica, à D. Basilio reprobatur. n. 2.
Grauissimis verbis Monachorum ambitionem taxat S. Ephrem. n. 3.
Sanctu Isidorus adducitur ad idem intentum, numero 4.
Idem crimen in Monachis detestatur D. Bernardus. n. 5.
Nemo potest hoc sæculo Monasterium sine sui capitis periculo regere. n. 6.
Primum Monachi rudimentum fugere prælaturas. num. 7.
Quàm longè distent à veritate perfectionis Monasticæ, omnes ambitiosi. n. 8.
Quantum damnationis incurrunt, qui officia dignitatesque appetunt. n. 9.
Afferuntur motiua, quibus Patres tantopere ambitionem Monachis prohibent. n. 10.
Casus ex Marulo deprómptus ad propositum, numero 11.
Quæ Ioannes Eusebius pro huius rei confirmatione scripta reliquerit. ibid.
Infelix exitus cuiusdam Episcopi Regularis Episcopatum ambitione obtinentis. ibid.
Casus terribilis, siue apparitio quorumdam Religiosorum, qui fuerant Primates & præcipui in quodam monasterio. n. 12.
Festiuus circa hoc simiæ & vulpis Apologus. ibid.
Non sibi solis, sed etiam religioni perniciosissimi sunt ambitiosi. n. 13.
Tota vitiorum colluuies ambitiosi regularis animum inuadère solet. n. 14.
Ambitiosi sunt detractores, & aliorum bona denigrare conantur. n. 15.
Lepida descriptio ambitiosi Regularis. n. 16.
Nihil mali non perpetrabunt ambitiosi vt concupitam dignitatem consequantur. n. 17.
Religiosorum dignitates contemnentium humilitas commendatur. n. 18.
Monachorum sanctissimi dignitates refugiebant, numero 19.
Occasione Pontificatus incurritur à Regularibus sanctitatis dispendium. n. 20.
Hirci & Ericij Apologus vel recreationis gratia, in hac causa refertur. n. 21.

CAPVT



Capvt XIII.

Religiosorum ambitio Religionem destruit, humilitas autem ædificat.

1 Nter præcipua damna, quæ ex regularibus inordinatè, priuilegiatis, & exemptis, à pluribus animaduersum est religionibus obuenire posse; illud est satis compertum, quod illorum plures, pestifero ambitionis morbo allecti, officia, & Prælaturas tam in Ordine, quam extra, solicitè anhelent, Tantum reipublicæ damnum, vt nullum maius corruptæ religionis, & familiæ sit signum. Vt enim optimè Plato dixit. *Si bonorum virorum extaret ciuitas, in ea haud aliter non imperandi gratia pugnaretur, quam nunc certetur imperandi cupiditate.* Hinc postquam caput præcedens, quam nociui sint similes exempti in religionibus comprobauit, nunc præsens, dinumerat mala, quæ ex ambitione, & superbia religiosis adueniant, quæ vero maxima commoda, ex ipsorum humilitate oriantur, narrare intendit. Audiamus ergo, quid Patres de regularium ambitione sentiendum dicant.

2 Primus D. Basil. monachorum pater sic loquitur in constitutionibus monasticis capite decimo. Cuius titulus est. *Quod ab omni prorsus cleri, aut præsidentiæ inter fratres appetitione abesse monachus debet.* Deinde subiungit. *Inter fratres principatum nullo modo appetere monachus debet. Siquidem Diabolica ista pestis est, & libidinis dominandi labes.* Cap. quoque 25. cuius titulus est. *Quod honores, siue vllam præter cæteros prærogatiuam appetere monachus non debet*, sic etiam loquitur. *Prorsus autem ab omni ambitione alienum habere animum, monachus debet.* Et infra. *Caueat igitur omni ratione pietatis cultor ne honores consectetur, cæterisue se præponi velit. Omnis enim, qui seipsum exaltat humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur.* Hæc, & alia, quæ infra adducentur, magnus Basilius his capitibus expressit, reprobans sanè diabolicam pestem, vt ipse dixit ambitionis.

3 Sed, & S. Ephrem. Syrus, amicum, coætaneum sanctũ Basilium sequitur: Ergo opusculum quoddam confecit sub hoc titulo. *Ad correctionem eorum, qui vitiosè viuunt, & honores appetunt.* In eo autem grauissimis verbis monachorum ambitionẽ taxat, luget, carpit. Inter alia sic. *Hei mihi, quis non suspiret? Quis non lugeat? non adsunt opes, sed non abest superbia. Nuptias spreuimus, & ab inani cupiditate non recedimus. Exterius humilitatem simulamus, & animo honores repetimus.* Et post alia sic. *Sæpè, qui ante renunciationem domi suæ opifex fuerat, ignorabatque prius, quæ ipsius esset dextera, quæue sinistra, in monasterio litterarum studiosus, & interpres, doctorque incedit. Frater ille altioribus intentus est, & ego sublimiora spectare debeo. Frater ille honoribus ornatus est, quare non ego? Frater Magistratum assequutus est, quare non ego? illi auctoritas commissa est, nonne, & ego dignus sum, cui hoc, atque illud credatur, & committatur?* Post alia quoque sic. *Os illud terribile, & incomprehensibile, ac formidandum locutum est. Qui vult inquiens inter vos maior fieri, sit omnium nouissimus, & omnium seruus. At nos cum nondum, vel à limine religionem salutauerimus, insolescimus, & vnus aduersus alium extollimur. Cuncti volumus esse duces, cuncti cum auctoritate, cuncti cum imperio, cuncti reprehendere, cuncti præcipere, cuncti domini, cuncti curatores, cuncti œconomi, cuncti primi.* Concludit autem inferius sic, *Ne quæso, fratres charissimis, nos carnis perturbationibus superari patiamur, vt per eas æternæ felicitatis iacturam faciamus. Ne propter caducum, ac momentaneum honorem gloria priuemur æterna. Ne propter contentiones, & ambulationes, atque rancores horribili, condemnemur gehenna.* Hæc, & plura sanctus Ephrem contra monachorum ambitionem disseruit, & vellem ab omnibus excipi, vt sic horrendum vitium fugarent.

Sanctus quoque Isidorus ambitionem in monachis tertio libro sentent. capite decimonono 4
cui titulus est. *De professione monachorum*, sic reprobat. *Qui ad hoc conuersionem sanctitatis prætendit, vt aliis quandoque præesse desideret, iste non discipulus Christi, sed prauitatis sectator existit: quia non pro Deo, sed pro sæculi honore portare studet crucis Christi laborem.* Et capite sequenti. *Summa Virtus monachi, Humilitas; summum vitium eius superbia est; à tunc autem se quisque monachum iudicet, quando se minimum existimauerit.* Et infrà. *Omnis Dei seruus de suis meritis non debet extolli, dum posse videat ex inferioribus sibi prælatiores alios fieri. Nouerit autem se alterius non præponere sanctitati.* Hæc Isidorus commendans clarè religiosis humilitatem, damnansque eorum superbiam, extollentiamque supra alios.

Sanctus etiam Bernardus totis viribus sæpius 5
impium ambitionis crimen in monachis detestatur. Primo in sermone quodam sic loquitur. *Vnde tantus prælationis ardor? Vnde ambitionis imprudentia tanta? Vnde vesania tanta præsumptionis humanæ?* Et rursus. *Audeat ne aliquis vestrum terreni cuiuslibet reguli, non præcipiente, aut etiam prohibente eo, occupare ministeria, percipere beneficia, negotia dispensare?* Ac si dicat: si nemo ita audax reperitur, quod cuiuslibet Domini temporalis officia aut ministeria, ipso non vocante, aut præcipiente, audeat vsurpare, quomodo virtuosus monachus spiritualia officia, prælaturas, dignitatesue à solo Deo concedendas, sibi procurare non timet? Clarius in epistola ad Henricum Senonensem Archiepiscopum sic sentit de ambitione monachorum. *Sanè si attenditur rerum dignitas, hanc monachi abhorreat professio.* Et infra. *Quo ista, ô monachi? Vbi timor mentis? Vbi rubor frontis? Quis vnquam probatorum monachorum, tale aliquid, aut verbo docuit, aut reliquit exemplo? Duodecim humilitatis gradus Magister vester edisserit, propriisque distinguit descriptionibus. In quo quæso illorum docetur, aut continetur, vt hoc fastu delectari monachus, has quærere debeat dignitates? Labor, & latebræ, & voluntaria paupertas, hæc sunt monachorum insignia, hæc vitam solent nobilitare monasticam.* Adhuc clarius sororem quamdam sic monet, *Caue ergo ne velis aliis te præferre, quanto maior es, tanto te humilia in omnibus.* Attendant hoc monachi, videantque quantum à recto tramite veræ religionis aberrent, dignitates, officia, prælaturasque si ambiant.

Loquatur Eminentissimus Cardinalis Petrus 6
Damianus, qui Marinum suum patruelem monachum Classensem sic instruit, in quadam epistola. *Ad locum porrò regiminis nunquam ambitiosus anheles; dum in proximo digressurus, diem propriæ vocationis*

tionis ignoros. Insuper epistola quadam monachum quendam, quod se Abbatis dignitate abdicasset, vt prudentem nimis sic commendat. *Nunc verè meus Abbas esse cœpisti, cũ praeesse aliis desiisti. Ecce de iugo multigenæ seruitutis ereptus, ingenuæ libertati, es per Dei misericordiam restitutus.* Et infra. *Dic pater, dic anquam, videlicet, vt expertus; quis potest hoc ferreo sæculo monasterium, sine sui capitis periculo regere? imo quis potest simul cum Abbate, & monachum possidere. Mox enim, vt quis Abbas fieri incipit; monachus esse desistit, & quicunque abbatizandi culmen efflagitat, nihil est aliud, nisi quod monachum, velut importabile pondus quærit abiicere, & ne apostata videatur, sub fucato se vult colore regiminis palliare.* Lege alia in eadem epistola, quibus satis ostendit quantum malum monacho sit ambitiosa Prælatio.

7 Hos Patres imitatur, vt solet, sanctus Bonauentura, qui in Alphabeto monachi, quasi pro primis rudimentis supponit, monachum omnino fugacem fore cuiuscumque prælationis gradus, sic inquiens. *Magna superbia altum petere gradum, ad alta semper Diabolus suadet, honores ambire, fugere despectum vt cadat ascensor eius retrorsum, cum ad breue dominatus fuerit.* Et in apologia pauperum sic. *Est status prælationis simul excelsus, & periculosus, & ideo ipsum appetere, simul est periculosum, & stultum. Propter quod ait Augustinus. Locus superior, sine quo populus regi non potest, etsi ita administretur, vt decet, tamen indecenter appetitur.* Et infra, quasi intentum concludens. *Ex his aperte colligitur, quod locus prælationis pro sublimitate quidem gradus, & multiformitate periculi, à viris iam probatæ virtutis potest coactione, & formidine suscipi: à peccatoribus verò, & infirmis, tota debet intentione vitari, & à nullis prorsus appeti.* Ecce iam religiose regulam tibi in prælaturis accipiendis à Bonauentura præscriptam, quam si seruaueris, ambitionis morbum fugabis.

8 Præterea piissimus author Dionysius Carthusianus ser. 6. in Dominica prima Quadragesimæ monachorum ambitionem sic reprobat. *Cum ad monachum spectet nihil honoris, & delectationis in mundo quærere, sed abiectione, & subiectione gaudere, & quantum in se est velle ab omnibus despici, conculcari, vituperari, seque omnium vtilissimum reputare; constat, quam longe, & infinite distent à veritate perfectionis monasticæ omnes superbi, & ambitiosi. Rursus cum monachorum sit in omni conuersatione, actione, & intentione ad Deum directè conuerti, & nequaquam ad seipsum inordinate reflecti, intendendo propria commoda, aut honores. Omnis elatio, & ambitio debent à monachis in infinitum contemni, quia elati, & ambitiosi, quasi in cunctis, quæ agunt, etiam quæ bona videntur, atque ex genere, bona sunt, ad seipsos reflectuntur inordinatè, suntque valdè obliqui, iniusti, distorti, non plani, recti & iusti.* Deinde ser. 5. de Dom. Palm. sic habet. *O quam turpissimum, & coram Deo monstrum, est superbus & ambitiosus religiosus: cum ad religiosos specialissimè spectet omnis humilitas, plena subiectio, & omnium mundanorum contemptus, &c.* Item in serm. 7. de Dom. secunda post Trinitatem, cum multa de religiosorum ambitione dixisset, concludit. *Si ergo, ô religiose cupis verè proficere, tuæ professioni satisfacere, puram, & rectam coram Deo intentionem habere, fuge hoc infernale venenum, & in sincera, ac stabili humilitate te inuiolabiliter funda.*

9 Ad hæc Sanctissimus Laurentius Iustinianus innumera ferè in suis scriptis protulit, quibus ambitionem monachorum omnino abscidit. Ergo in libro de regimine prælatorum, postquam multa de ambitione dixerat, sic concludit. *Nemo igitur primatum cupiat, nullusque aliis praeesse desideret.* Rationem subiungit. *Si quis pro se ipso rationem reddere nequaquam sufficit, quanto minus pro se, sibique commissis.* Deinde. *Iudicium durissimum inquit sapiens, fiet his, qui præsunt. Nempe si hoc homines considerarent, minime ambirent praeesse, nec Ecclesiasticæ dignitatis cathedram, tanto cum studio quæritarent.* Præterea. *Quamobrem quicumque humilitatis celsitudinem adipisci desiderat, prælationis fugiat cathedram, & ambitionem imperandi corde perhorrescat.* Cap. quoque sequenti, sic habet. *Saluberrimum itaque consilium hoc est, vt summo cum studio omne prælationis desiderium resecetur, à quocumque Deo placere cupienti, siue doctus, siue bonus, siue sit prudens.* Rursus infrà. *Quamobrem nullus sibi percipere præsumat honorem hunc, neque precibus, neque adulatione, vel pretio, gubernandæ plebis onus quærat assumere. Solicitè custodiat quisque cor suum ab omni tumore superbiæ, atque præsidendi amore; sibique metipsi cum silentio vacet.* Rursus inferius. *O quantæ redargutionis, quantorumve suppliciorum esse censendi sunt rei, qui nullo eos quærente, nemineque vocante, primatum pontificalis officij ambiunt, & præsulatus honores adipisci peroptant.* Hæc, & alia in S. Iustiniano attendant religiosi, quantumque damnationis incurrant, considerent, si officia, dignitatesque appetunt.

Iam ergo motiua, quibus Patres isti tantoperè 10
ambitionem officiorum, dignitatemve monachis prohibent, simulque inconuenientia maxima, quæ ex tali regularium ambitione sequuntur, accuratius expendamus. Illud primum est, maximeque præ oculis habendum, nullo alio vitio maius periculum damnationis æternæ incurrere posse, quam superba appetitione officiorum. Id clarè habetur ex Patribus allatis. Quo sensu Ioannes ille Climacus nuncupatus merito dixit. *Cœnodoxia, id est inanis gloria pro honore, ministrauit ignominiam; suis enim discipulis irata, confusionem illis maximam indicit.* Hoc etiam sensu D. Bonauentura in apologia dixit. *Officium prælationis non est vera sublimatio, sed deiectio, non gloriosa excellentia, sed periculosa ruina, pro eo, quod potentes tormenta patientur, & durissimum iudicium his, qui præsunt fiet.* Vnde Christus ad B. Brigittam. *Qui ambiunt honores, & prælationes, erunt participes omnium pœnarum, & peccatorum eorum, quos susceperunt regere, & confusio eorum erit sine fine.* Bone Deus, quot ex Prælatis, ambitionis causa, forsan ad inferos truduntur, qui si humiliter vita communi degerent, ad cælestia regna euolarent. De Antheo gigante fabula finxit, quod cum in terra iaceret, vires resumebat, cum autem in sublime leuatur, strangulatur ab Hercule. Sic pluribus istorum fortè euenisse, dubium non est.

Placuit ad hoc intentum, casum ex verbis Marci 11
Maruli depromptum afferre, per ipsius verba ex D. Hieronymo mendicata. *In quanto salutis suæ discrimine versentur hi, qui cæteris præsunt, venusto admodum exemplo D. Hieronymus docere aggressus est. Senex quidam eremi cultor, & spiritu sancto plenus, nepotem suum quærentem, vtrum Episcopus electus munus accipere deberet, super disco satis alte à terra erecto diu fecit volutari. Cumque ille postremo casum se timere dixisset, iussit vt descenderet, atque itidem super latam mollioris soli planitiem, sese agita-*

ret,

ret. Ex multa volutatione sudanti, ac defesso surge inquit, & tam facere perge, quod tibi tutius factu putas. Itaque edoctus de praeminentiæ periculo iuuenis, electioni renunciauit, ætatis vitio delirasse senem dicere possent improbi cauillatores, nisi rem saluberrimi consilij plenam, miracula confirmarent. Constat enim iuuenem illum postea vita defunctum seni apparuisse, & postquam gratias egisset dixisse. Scio quia nunc essem de numero damnatorum, si fuissem de numero Episcoporum. Ecce casum, & mentem nostram satis comprobari.

Pro ipsius autem confirmatione inserere hic placuit, quæ Ioannes Eusebius *in doctrinis Asceticis lib.3. cap.20.* scripta reliquit. *Quædam anima serua, & sponsa Christi Franciscani Ordinis, sanctimonia, miraculis, & cœlestibus visitationibus perillustris, cum à Domino postularet, an cuidam Religioso expediret honorificis prælationum officiis se miscere. Hæc diuinitus oracula accepit. Mea voluntas est, ne seruus meus vllum ambiat officium imò nec vllam eius habendi voluntatem significet, nec vllam cogitationem toleret, aut desiderium; si tamen obedientia maiorum, dispositioque Superiorum ad aliquod officium eum adegerit, pareat iubenti; & vt obligationi suæ satisfaciat, me in oratione consulat, ego illi lumen impertiam, adeoque cum gratia mea, vt in omnibus sciat meam exequi voluntatem. Ne pro amicis meis officia hæc à me petatis. Petite potius gratiam, & misericordiam; pauci habent officia ex voluntate mea, pauci propter illa salui fiunt, & multi sanctorum, qui ea habuerunt, non proinde plus sancti fuerunt. Inuidus Dæmon boni illius, quod amici mei possident, cum officiis carent, solicitat, qui ad officia assumat illos, & nonnunquam mediis, quæ sanctitudinis speciem præseferant. Multæ quippe fraudes in hoc possunt accidere. Dicunt à me in officiis collocatos, quod minimè ita est; imò potius meos ab hac occupatione remoueo propter eius ingens periculum. Plus enim placet mihi in angulo domus possidere eos tanquam meos, quàm si miracula perpetrassent, vbi cupiditas propria illos constituit. Relinquit vos vt à me ducamini, ego enim dabo vobis quod magis expediat; quandocumque enim voluero, facillimè corda moueo, vt ibi vos statuam, vbi vobis magis expediet absque vestris diligentiis. Imo quanto magis obliti, & negligentes vos metipsi fueritis tanto magis memor, & solicitus ero vtilitatis vestræ, & Ecclesiæ meæ. Illos qui mei sunt humiliare soleo, abigens illos ab officiis quæ appetunt; nec enim attendo eorum inclinationi sed desiderio, & vtilitati, vt integrè mei sint. Memores estote, & grati filio meo, quoniam humilio vos; qui autem largiri cupit quod plus est, nequaquam vult auferre quod minus est, cùm vobis expedierit. Multis, quia probi sunt, conferuntur officia, quibus carere, & caruisse præstaret illis, magnum quippe priuilegium est necessarium regendis animabus. Sæpè permitto malos præesse aliis, iisdemque munia conferri, siue vt hoc pacto remunerem paruula eorum obsequia, siue ne desperatione tententur, si semper se despectos, derelictosque videant, siue vt illos occupem in rebus terrestribus, & mei filij expediti, & liberi sint, vt orationi vacent, suoque profectui, & saluti insistant, siue vt ij ipsi malint qui officia, gubernacalaque possident, exerceant, humilient, & purificent eos, qui mei sunt, siue vt filij mei agnoscant quantum bonum ipsis prouiserim, & quot culpis illos liberauerim, dum sine officiorum onere illos conseruauerim. Quæ officia multos, qui antea videbantur sensati vanitate sua infatuarunt. His officiis multi annectuntur labores, vituperia, inhonorationes, curæ, multaque alia onera, è quibus omnibus eripio ego meos, amouens illos ab officiis. Vnicum dumtaxat munus volo, vt meos occupet, imitari scilicet filium meum* IESVM CHRISTVM *in vita, & morte. Et ego prouidebo quidquid illis vtile, & salutare erit. Confidant de me qui sum Pater omnia potens, & ex corde diligo illos, atque præstabo eis officia, & quidquid spiritualiter, & temporaliter salutarius erit. Sufficiens bellum habent filij mei in cellis suis cum carne sua, & dæmone absque eo quòd voluntate sua in mundi discrimina se immergant per gubernandi curam. Docta quoque cœlitus illa fœmina Prælatum sui Ordinis ob gestam præfecturam damnatum, exclamauit. Proh! quot in tartara detrusit hæc præsidendi passio. Quam immensa cæcitas. Quanta Dei misericordia est, cum per sanctam suam voluntatem, & per intercedentes creaturas officia ab aliquo semouet, priuans appetitum sua superficiali dulcedine, vt vtiliora tribuat. Quis hanc veritatem cæcis hominibus intimaret, quoniam qui sanctissimus est, & prudentissimus, quique rectam intentionem habet, nec ambiuit munus, satis negotij habet constitutus in aliquo officio, vt absque conscientiæ detrimento gubernacula administret. Deus protegat nos, atque eneruet, aut debilitet hanc pessimam ambitionis feram, & omnem tollat cupiditatem iubendi, & excellendi in mundo.* Hæc omnia Author iste congrua valde, ac pietate plena, ex prædicta reuelatione.

Rem comprobat infelix exitus cuiusdam Episcopi Regularis Episcopatum ambitiosè obtinentis, quia apud sanctam Brigittam *libro tertio reuelation capite vigesimo octauo* sic miserrimè conquerebatur. *O, ô, ô, ablata est myrrha, & ecce apparet quod latebat subtus. Vbi est nunc honorabilis Episcopus? certè abest Episcopus, qui vnctus fuit oleo in officium Apostolicum, & in puritatem vitæ. Remanet verò seruus sterquilinij pinguedine maculatus. Abest etiam sacerdos, qui consecratus fuit verbis sanctis, vt mutaret inanimatum, & mortuum panem in viuificantem Deum. Remanet verò proditor fallax, qui vendidit eum propter cupiditatem, qui redemit omnes ex charitate. Abest quoque pauper frater, qui cum iuramento abnegauit mundum, sed nunc pro superbia, & ostentatione mea sum iudicatus. Verumtamen nunc compellor dicere, veritatem, quod ille iustus iudex, qui iudicauit me, magis voluisset liberare me tam amara morte sicut tūc patiebatur, cum staret in ligno crucis, sed iustitia, cui obuiare non poterat, contradicebat, quam quod taliter fuissem, sicut nunc experior iudicatus.* Hæc ibi alta consideratione digna.

Extat etiam de hoc casus terribilis, quem vt historiam notam, refert Adrianus Mangotius. In quodam monasterio, religiosi quidam olim mortui, qui fuerant præcipui, & Primates, viris aliis religiosis apparuerunt dicentes. *Ambitio, & crapula, duxerunt nos ad tartara.* Ecce visionem. Similis illi est alia, quam cap.5. & etiam præcedenti attulimus, de quibusdam aliis, qui ad inferos dānati apparuerunt dicētes. *Quoniā ambitio multa superbia, inuidia, & alia huius generis vitia, eos fecerant damnatione dignos.* Huic quoque similis casus est, quem Petrus Damianus per hæc verba scriptum reliquit in epistola quadā iam relata. *In eodem Classensi cœnobio, quod nunc incolis, ætate nostra quidam monachus vicem Prioris obtinuit, qui Abbas ibidem fieri ardentissimè concupiuit, sed dum satagit,* 12

dum conciliabula cogit, dum fabricat, & versutiæ malleos infatigabiliter versat, quod sciens mens conceperat, ore nesciens effluebat. Ecce inquit, in proximo comprehendam, mihi dabitur monasterium: adest virga, accipiam, & praualebo. Inter hæc igitur, verba defunctus, sinistram de se fratribus spem reliquit. Ecce patres, quam malum exitum ambitiosi regulares obtineant, quamque iustum sit, à tanto periculo animas nostras liberare.

Audiatur circa hoc vel honestæ recreationis gratia festiuus simiæ, & vulpis Apologus apud S.Cyrillum *l.2. Apologorum Moralium cap.6.* cui titulus: *Contra superbos qui volunt æquiparari Deo: Simia*, inquit, *videns agilem nautam velociter ascendentem, cum eum imitari niteretur, coruus id animaduertens dixit ei. Sta in loco tuo charissima, ne in regionem extraneam eleuata, graui ruina corporis depereas. At illa verbis eius spretis ascendens, statim profunditatis alta contuitu debilis cerebri imaginatione confusa in præceps ruebat, & ceruice fracta nunquam de cætero vultum potuit eleuare. Denique cum Regem solio sedentem conspexisset, cœpit idem ipsa cupere, & eo absente quasi princeps alter in throno consedit. Quo viso vulpecula venit ad solium, & salutato sophistico Rege tanquam ministra prouida ironicè flagitauit mandatum. Cui Simia dixit, hoc tantum præcipio vt læta gloriam meam cernas. At illa; ego autem consulo tibi, vt hinc quàm citissimè descendas. Quod cum negligeret vana similitudinis sitibunda, statim inde deiecta est caninis dentibus laceranda. Tunc ad se reuersa doloribus: væ mihi*, inquit, *quia spreui consilia sapientum. Nesciebam quod vbi non est consilium desit salus. Quæ cum audisset vulpes appropinquauit, & dixit: Amodo quippe te video vexatione sensui restitutam: Verum cur cæteris animalibus. Adæ naturæ subiectis, tu sola commune iugum refugiens, eidem æquiparari conaris? At illa respondit: monet me ad hoc innata cupido. Nonne cunctis brutis humano corpori sum plasmata conformior? tunc vulpes arguens inquit. Quanquam certè secundum figuram plus omnibus homini sis conformis, tamen quia hæc in te similitudo peruertitur, hinc tua forma difformior inuenitur. Quid enim simo naso turpius? aut bracca digitali deformius?*

13 Secundum damnum, maximumque incommodum ex regularium ambitione proueniens, illud est, quod tales, non modo sibi solis, sed, & religioni ipsi perniciosissimi existāt. Quæ quondam de Caio Cæsare, Seneca dixit, dicere, & nos de ambitiosis possumus. *In sua fata, pariter, ac publica immisit gloria, & ambitio, & nullus super cæteros eminendi modus.* Nec mirum, quia vt benè Plato in sua republica dixit. *Vbi de Principatu contenditur, cum proprium hoc sit, & intestinum bellum, tùm eos, qui ita pugnant, tùm reliquam ciuitatem perdit.* Quod etiam D. Leo Papa satius expressit dicens. *Principatus, quem, aut seditio extorsit, aut ambitus occupauit, ipsius initij est perniciosus exemplo, & difficile est, vt bono peragantur exitu, quæ malo sunt inchoata principio.* Idem ergo de ambitiosis regularibus fari possumus, quod non sibi solis, sed, & aliis etiam perniciem afferent. Vnde de illis apud Beatæ Brigittæ reuelationes habetur. *Prælati, qui ambiunt honores similiores sunt meretricibus, quam Prælatis: quia decipiunt animas malis exemplis suis* De illis Cyprianus Martyr hæc habet. *Si ad munus aliquod Ecclesiasticum vocentur, vid...s quosdam ex illis facillime vinci deliciis, impatientiores iniuriarum, appetentiores vindictæ, quam quiuis alius sit ex media plebe.* De his quoque grauis, & extaticus auctor Ioannes Rusbrochus sic loquitur. *Nonnulli sunt in religionibus nequam, astuti, ac duplices, & simulant se, quod non sunt; & hos sæpius contingit in sublime tolli; aliisque præponi, ac præfici. Tum vere ipsi se produnt. Haud secus enim, quam si in mundo agant bonaque cœnobiorum, & honor ab antecessoribus ad ipsos iure, ac successione hæreditaria deuoluta sint, supra alios sese efferunt; moxque sanctitatis suæ obliti, bona temporalia administrant suumque exercent dominatum.* Optimè etiam Innocentius. *Ambitiosus statim, vt est ad honorem promotus, in superbiam extollitur, in iactantiam effrænatur, non curat prodesse, sed gloriatur præesse.* Ecce habemus iam ambitiosos regulares (si qui sunt) dum ad dignitatum fastigia extolluntur, nec sibi, nec aliis vtilitatem, sed incommodum afferre.

Tertium, & maximum ex ambitiosa superbia religiosorum inconueniens exoriri potens, satisque notum, illud est, quod, vt vno verbo dicam, tota ferè vitiorum colluuies ambitiosi regularis animum inuadere soleat. Id non modo experientia testis, comprobat, sed, & Patres etiam diuino spiritu acti, cognouerunt. ex quibus D.Basilius postquam monachos ambitionis labe notatos reprehendit, sic loquitur. *Qui autem ab hoc vitio captiui tenentur, eos inuidos, contentiosos, insimulatores, impudentes, calumniatores, assentatores, veteratores, humiles vbi non conuenit, illiberales gloriosos sexcentis denique aliis huiuscemodi turbis, refertos existere, necesse est.* Verissima sanè, sed non minus vera, quæ de monacho ambitioso inferius idem Pater subiunxit. *Illorum etiam interitum exoptabit, quo videlicet, sublatis de medio, in deferendis muneribus, necessario suffragia ad ipsum deueniunt. Atque ex hoc etiam aliud sequetur, quod iis, penes quos illa deferendi potestas erit, adulabitur, atque ita multa illiberaliter, ac seruiliter aget. Aduersus inferiores vero, si aduersentur, superbè, ac præfidenter se geret. Dolos consciens commachinabitur, perturbationesque innumerabiles, ac suspiciones sibi accerset; à se qui animi tranquillitatem fugabit, & Deus pacis expelletur, vtpote cui locus in eo non sit, vbi acquiescat.* Et totam vitiorum colluuiem ambitiosi animum possidere, expressit Basilius. Concinit Cassianus affirmans, eos, qui fratribus præesse student, nec Prælatis suis, nec Deo obedire solitos. *Dum fratribus præesse festinant, nunquam senioribus ipsi subiiciuntur, & à superbia inchoantes, dum instituere cupiunt, nec discere ipsi, nec agere ea, quæ sunt Deo agenda merentur.* Optimè etiam Ambrosius asseruit, ambitionem facere homines criminosos. Sic enim loquitur super Lucam. *Hoc ipso perniciosior est ambitio, quod blanda quædam est conciliatricula dignitatum, & sæpè, quos vitia nulla delectant, quos nulla potuit mouere luxuria, nulla auaritia subruere, facit ambitio criminosos.* D. quoque Bernardus breuiter rem totam peregit. *Ambitio*, inquit, *facile malum, secretum virus, pestis occulta, doli artifex, mater hypocrisis, liuoris parens, vitiorum origo, tinea sanctitatis, excæcatrix cordium, ex remediis, morbos creans, ex medicina languorem.* Pulchrè etiam, eleganter, & facete Petrus Rauennas ambitionem descripsit. *Ambitio*, inquit, *est quædā simia charitas charitas enim patiens est pro æternis, ambitio pro caducis, charitas benigna est pauperibus, ambitio diuitibus, charitas omnia suffert pro veritate, ambitio pro vanitate: vtraque omnia credit, omnia sperat, sed longe*

ge dissimili modo. Habes ergo sancte religiose ex Patribus antiquioribus, totam feré vitiorum turbam, ambitiosi regularis animam inuadere solitam.

15 Iunge ex recentioribus pium, & S. Dionysium Carthusianum serm. 7. de Dom. 2. post. Trinit. sic dicentem. *Fugiat omnis religiosus malum tam enorme, & inquietum* (loquitur de ambitione;) *cupiat subesse, & obedire, nesciri, & paruipendi, non præesse, apparere, aut dominari, &c.* Et post pauca. *Quoties hominibus præesse desidero, toties Deum meum praire contendo. Nonne ex ambitione nascuntur viles adulationes, adulatoriæ attractiones, pœnales, ac stolidæ suspiciones, debitæ correptionis, ac correctionis omissio, personarum acceptio, inuidia, simulatio, falsitas, & multa prorsus similia vitia æternaliter detestanda, omnique religioso in infinitum odienda, ac fugienda, atque (vt breui concludam compendio) in omni pene, quod agitur, inordinata ad se ipsum reflexio.* Item serm. 5. de S. Michaele. *Idcircò summè vitanda est omnis ambitio, ac inuidentia, quia ambitiosi, & inuidi virtuti, & gratiæ, atque extollentiæ inuident proximorum. Veretur enim ambitiosus, ne cum præcedat in honore, aut prælatione, qui eum præcedit in prudentia, gratia, & virtute. Hinc ambitiosi sunt detractores, & aliorum bona denigrare conantur, ac eos deprimere, intantum, vt crebro facta illorum veraciter virtuosa, ac dona Spiritus sancti illis collata, trahant in prius, attribuantque dæmonibus.* Hæc, & alia pius hic author in hoc, & aliis sermonibus.

16 Nec silentio inuolui potest, quod grauis author Innocentius circa intentum nostrum, ambitiosi monachi crimina recensens cæteris enucleatius dixit per hæc verba. *Ambitiosus semper est pauidus, semper attentus quid dicat, vel faciat, quod in oculis hominum valeat displicere. Humilitatem simulat, honestatem mentitur, affabilitatem exhibet, benignitatem ostendit; subsequitur, & obsequitur, cunctos honorat, vniuersis inclinat, frequentat curias visitat, optimates, assurgit, & amplexatur, applaudit, & adulatur. Bene nouit illud poeticum.*

Et si nullus erit puluis, tamen extutit illum.

Promptus, & feruidus vbi placere cognouit, remissus, & tepidus vbi putauerit displicere. Improbat mala, detestatur iniqua, alia comprobat, & improbat, vt iudicetur idoneus, vt reputetur acceptus, vt laudetur ab hominibus, vt à singulis approbetur. Et ecce grauem intra se sustinet pugnam, difficilemque conflictum dum iniquitas pulsat animum, & ambitio continet manum, & quod illa suggerit faciendum, hæc fieri non permittit. Hæc doctus, grauisque magister ambitiosi regularis vitia graphicè, lepide, eleganterque describens;

17 Sed quid malignam ambitiosorum indolem describam si ipsi nihil mali non perpetrabunt, vt concupitam dignitatem, prælaturamque consequantur? Cui crimini colla non subdent? Loquitur Laurentius Iustinianus. *Pecuniarum pretio, adulatione verborum, simulationibus vanis, mercenariorum commercio, & amicitiis fictis, & etiam cum corporis periculo, & interitu animæ, honoris primatum adipisci desudant.* Lege quendam Tartarorum Principem: Chan vocant, cum Stephanus Poloniæ Rex obiisset populusque in Comitiis de rege creando deliberaret, ad Comitia, mediis legatis, hæc dixisse. *Potentem se esse, & posse Myriades equitum educere è suis terris, Poloniæ tuendæ, vel augendæ. Item frugalem se esse, ac continentem, & sine vllis ciborum deliciis, sola equina, in fame contentum. Tertio, quod ad religionem attinet tuus inquiebat, Pontifex, meus Pontifex esto, tuus Lutherus, meus Lutherus esto.* En quid non suadeat male suada ambitio, in quot crimina non detrudit, quæ barathra non descendit? Meritò ergo tantum à sanctissimis religiosis propulsare curemus, quod, & possessori ipsi, simulque clientibus, & nocumentum affert, & singulis vitiis ostia pandit.

E contra tamen sanctissimam humilitatem monachi, qui solum Deo contentus dignitatum fastigia, honorumque celsitudines non quærit, quis non commendat, quis non summopere laudibus extollit? Loquantur Patres. Sanctus Ephrem Syrus, sic habet. *Monachus, qui non insolescit, sed submittit sese, fidelissimam pacis mercedem accipiet, & altissimi filius vocabitur, mediator factus. Suauiter verba sua cum humilitate depromens monachus, etiam ex lapideo corde lacrymas excitabit.* Rursum alibi, humilitatem monachi commendat exemplo cuiusdam, qui propter eam, à Dæmonis vexatione liberatum fuisse quendam alium, tradit. Alibi quoque. *Magna, inquit, fœlicitas, & gloria est humilitas, & non est in ea lapsus, atque ruina.* Et inferius. *Sicut piscibus aqua; ita monacho vita quieta in humilitate, & charitate.* Isidorus etiam hæc scripsit. *Summa monachi virtus humilitas est. Tunc autem se monachum quisque iudicet, quando se minimum æstimauerit.* De hac etiam monachi humilitate loquens Bernardus hæc habet. *Sponsæ humilitas, tanquam Nardus spargit odorem suum, amore calens, deuotione vigens, opinione redolens. Voluntaria est, perpetua est, fructifera est. Odor eius nec reprehensione exterminatur, nec laude.* Sanctus quoque Laurentius Iustinianus, humilitatem religiosam, sic commendat. *Hæc humilitas sancta est religionis stabilimentum, condimentum orationis, fomentum charitatis, salutis medium, compunctionis incentiuum, ornamentum prælationis, & totius forma virtutis.* Adhuc melius in eodem libro sic. *Pacatissimus ergo, atque securus est humilitatis locus, quoniam habitatorem suum à casu protegit, disponit ad gratiam, & quamquam in præsidentiæ sublimitate constitutum, prorsus periclitari non sinit.* Sanctus etiam Doctor Dionysius Carthusiensis hæc dicit serm. 5. de Dominic. 5. post Trinitatem. *Elatus monachus est monstrum turpissimum coram Deo, humilitas autem facit religiosum Deo, & suis confratribus valde amabilem.* Claudit agmen venerabilis Thomas Campensis monachi humilis sic mores commendans. *Humilis frater prælatum suum non iudicat, ne Deum Iudicem offendat, Socium non contristat, seniorem honorat, imperfectum tolerat, pro tentato orat, succurrit indigenti.* Et infra. *Humilis subditus magno præmio coronabitur in cœlis.* Vnde concludit caput. *Sola humilitas vniuersos diaboli laqueos euadit, potentiamque prosternit. Quotquot decepti sunt, & eiecti, per mentis elationem, inflati ceciderunt. Esto ergo humilis, & vilis in oculis tuis, ne Deo displiceas, & cum Diabolo corruas. Nam cœlum non suscipit, nisi humiles, nec Deus elegit, nisi humiles, nec iustos approbat, nisi sint humiles.* Ecce iam religiose frater, superbam ambitionem officiorum, & dignitatum tibi reprobatam, veramque humilitatem, quæ te in humilis subiectionis statu conseruat, magnis encomiis à Patribus tibi etiam commendatam. 18

19 Hinc monachorum sanctissimi antesignani humili monachorum statu contenti, totis præcordiis officiorum fastigia refugiebant. D. Bernadus à tribus opulentis ciuitatibus in Episcopum à duabus in Archiepiscopum, electus numquam adduci potuit,

tuit, vt eam dignitatem admitteret. Beatum quoque Dominicum quatuor Episcopatus vario tempore oblatos, recusasse legimus. Ipsum imitati Sanctus Thomas Aquinas, & Vincentius Ferrerius; Neapolitanam cathedram ille; & iste Valentinam, Illerdensem, & Cardinalatum reiicere, Bernardinus etiã Senensis à tribus populensis Senensi, Vrbinatæ, Ferrariensique postulatus, nulli assensit: quin Eugenio Papæ sibi supra caput mitram imponenti, humiliter restitit, Alij autem Patres, & monachi sanctissimi, si Deo instigante dignitates aliquas susceperunt, eas nihilominus non propria voluntate, sed à Deo vocatos suscepisse, tanquam à crimine ambitionis se purgantes, ipsi testati sunt. Diuus Chrysostomus sic de se ipso mitram detrectante, loquitur. *Vbi exitum imminet, non nauis, sed animæ, quo non in maris aquas sed in ignis æterni abyssum corruendum est; vbi etiam mors manet, non corporis solum, sed cum ipso corpore, etiam animi, quis admiretur, si me tanto discrimini exponere detrectem.* Legatur Anselmus, qui in epistola ad Falconem Episcopum Beluacensem, sic habet. *Sciant ergo omnes sicut mea conscientia dicit coram Deo, quem inuocare testem mendacij nefas esse scio, quia nõ me rapit, aut alligat ad Archiepiscopatum Angelorum cupiditas alicuius rei, sed timor Dei me cogit, pati, vt quamuis dolens, & timens ab Ecclesia Dei trahar.* Legatur etiam, & Gregorius, qui in epist. ad Episcopos quosdam hoc in primis eorum animis suadere contendit, quod non nisi inuitus ad Pastoralis curæ culmen euectus sit. Sic vero loquitur. *Impar meritis, ac toto animo renitens pastoralis curæ pondera portare compulsus sum.* Adiungam, & alios, de quibus Marcus Marulus mira egisse narrat, ne oblatam sibi dignitatem acciperent. Isaac monachus de Scythia transmigrauit in Ægyptum, vastæ solitudinis secessum quæritans vt prælationem sibi oblatam recusaret. Lamon monachus deuotissima oratione Deum precatus est, vt se ex hac vita migrare iuberet, quem importunæ preces aliquorum ad dignitatem acceptandam cogebant. Exauditus est pro sua reuerentia, & inuentus in oratione efflasse animam. Amonium Origenis discipulum aurem sibi præcidisse ferunt, ne idoneus Episcopali officio haberetur, & cum nihilominus ad eam dignitatem suscipiendam vrgeretur ab omnibus, etiam linguam sibi amputaturum, nisi missum facerent, protestatus est. Hæc, & alia Marcus Marulus. Sanctus quoque Hugo Carthusiensis, & Lincolniensis Episcopus, teste Dionysio serm. 2. de eodem cum ad Prioratum postularetur, sapientissimè respondit. *Numquam per vnum diem potui custodire me ipsum.* Concludam ergo intentum Sancti Gregorij verbis in suo Pastorali. *Hinc ergo præcipites colligant, cum quanta culpa, ex appetitu proprio, cæteris præferri non metuunt, si sancti Viri plebium Ducatum suscipere, Deo etiam iubente, timuerunt.*

20 Tibi ergo consulens, sancte religiose officiorum dignitatumve fastigia, siue intra, siue extra, omnino refugias, memineris Christum petentibus sedes respondisse. *Nescitis quid petatis.* Laqueos Diaboli officia, ministeriaque reputa. *Date mihi* (inquit Abbas quidam Cisterciensis) *Vnum de monachis in sacerdotium promotis, qui per occasionem Pontificatus non tulerit dispendium sanctitatis. An nescitis, quia honores mutant mores? Beatus Martinus dicebat maiorem se habuisse gratiam ante Episcopatum quam post Episcopatum. Beatus Gregorius Papa conqueritur in primo Dialogorum libro, & deplorat se cecidisse à priori conuersatione sua.* Grauius tibi sit aliorum humeris superponi, quam vni prælato summitti. Teste enim D. Bernardo. *Stupenda est insania animarum turbas custodiendas colligere, & vnum super propriam grauari habere Pastorem.* Etiam si videas officia, Prælaturasque appeti ab aliis, renuas, fugias, & obnixè repellas. Vt enim optimè Seneca. *Nulla res nos maioribus malis implicat, quam quod ad rumorem componimur; optima rati ea, quæ magno assensu recepta sunt, quorumque exempla multa sunt.* Dicque cum Platone, & Homero ab ipso relato. *Malle in alieno rure, apud alium virum exiguæ sortis mancipium effici, & quidlibet perpeti; opinionibus istis illudi, & in ea miseria versari* Scias cum Seneca. *Regnum esse nolle regnare cum possis.* Et cum Lypsio. *Qui rectè facit, non qui dominatur, erit Rex.* Aluarez de Paz Iesuitam audi sic loquentem. *Si quid habueris, cui laus, & honor debeatur, illud si potueris, prudenter abscondas. Periculosum est talentum ad laborandum abscondere & in sudario ligare, at valde tutum est, causas accipiendi, honoris & laudis occulere, & quemque se ab occasionibus elationis subtrahere.* Et infra. *Occulta bona tua, ne ea fures, siue fauores humani deprædentur. Si Deo placitum fuerit, ipse te manifestabit, ipse te à latebris extrahet, & super candelabrum ponet. Si autem ipse non dixerit, ascende superius, caue ne ascendas, ne honores, & laudationes inquiras, quia eas fortasse Diabolus tibi suppeditabit, vt pereas.* Hæc ille, si tibi tamen forsan non displicueris Prælaturæ onus, vt aliis spiritualiter prosis, virtute potius, sanctæque obseruantia religionis, quam fautoribus tale munus tibi adquirendum putes. Vt enim bene Plautus.

Virtute ambire oportet, non fautoribus,
Sat habet fautorem semper, qui rectè facit.

Consultius tamen tibi erit si nec sub prætextu vtilitatis aliorum onera officiorum inhies, considerans vix esse aliquem qui Deo, subditorumque voluntati, satisfacere queat. En Petrum Damianum Cardinalem sic loquentem. *Quis valeat sola monachorum tædia sustinere? Quis tot, & tam variis voluntatibus satisfaciat? Quis semetipsum per tam diuersa formarum monstra componat.* Et infra. *Si delinquentium vitia districtæ animaduersionis iudicio corrigit, impius, si circa eos remissius agit, Zelo Dei creditur alienus.* Tandem, pie, sanctèque religiose, D. Gregorij verba velim attendas. *Quid sequendum est, & quid tenendum? nisi vt virtutibus pollens coactus ad regimen veniat; virtutibus vacuus, nec coactus accedat.* Hoc tibi dictum putes.

Et festiuum hirci, & ericij Apologum apud Cyrillum *lib. 2. Apolog. Moral. cap. 3.* vel recreationis 21
gratia audias. *Hircus,* inquit, *ad fontem accedens vt ardentia siti viscera refrigeraret, oculis in laticem nitore fulgentem coniectis similitudinem vultus sui quam in eum emiserat, reuerberantibus riui speculis, mox suscepit. Cumque videret caput altis cornibus ornatum, atque protensam faciem pendente barba insignem, corde hilari vocem exultationis emisit, atque se in maximis magnificare cœpit, dicens: Quam decenter staret eminens in cornuto capite corona pauonica, torquata ceruix quam conuenienter descenderet facie subtus barbata. Hunc cum audisset Ericius stans & ipse in fonte derisit amentem, & dixit: O si post tergum oculos haberes, te de corona, & torque nullo modo dignificares, Nimirum videres caudulam pudendam tuam, & mox humiliatus de fastuoso capite deponeres iactantiam. Vt quid dignificas te de maximis, & magnipendis miseriam tuam?*

Pone te in libera iustitiæ, tunc videbis qualis sis. Nempe pugillus es terræ, & quid te extendit in regna? ô fauilla ignis quare te erigis super stellas? Porro si te magni æstimas cum sis parui, tentabis maiora, & sufficientem mox te confundent maxima: Sed si te ipsum paruipendis, vbique tutus eris; quoniam humilitas parit timorem, & timor procurat securitatem, & hæc custodit salutem. Verum, si teipsum in altis dignificas, iam te ipsum extra mensuram iudicas. Quæso igitur vt in iudicio non credatur vni, nec alicui minus, quam sibi de bonis. Crede mihi, quia maximè se vilificat, qui se magnis dignificat. Sicut qui se iudicat sapientem, fit amens. Lux quidem luce confunditur, & altitudo altitudine curuatur, sed altior stella mentitur aspectibus, & cunctis inferior Luna super omnia decoratur. Vbi ergo est profunda humilitas, ibi excelsa est dignitas; & vbi ex temetipso est deiectio magna, ibi ex virtute tibi est dignificatio maxima. Nam dum mundanis honoribus nos iudicamus indignos, tum nos humilitas sempiternis atque cœlestibus reddit dignos. Quibus auditis; hircus eruditus quia se deificauerat, erubuit. Iucundos alios Apologos ad intentum reperiet Lector apud eundem Cyrillum quos si legerit vtilitatem non paruam delectabilitati coniunctam experietur. Legat præsertim *libro secundo capite vndecimo.* Apologum vrsi, ceruæ, & vulpis, & capite 4. eiusdem libri Apologum struthionis, & gallinæ; ac cap. 12. Apologum nubium, & terræ.

SVMMARIVM.

Ex praua Regularium ambitione maximæ partialitates exoriuntur. n. 1.
Vt in Religionibus seruetur concordia, partialitates procul amandentur. n. 2.
Monachorum discordia multorum vitiorum radix. num. 3.
Monachis absque charitate & concordia nec prosunt obseruantiæ regulares. n. 4.
Monachorum contentiones & rixæ damnantur ab Augustino. n. 5.
Quantum malum Religionibus afferant discordiæ. num. 6.
Aureæ D. Bernardi pro hoc intento sententiæ. numero 7.
Quisquis se à cæteris segregat, similis aui quæ è loco proprio euolauit. n. 8.
Religiosorum dissensiones quanto mœrore prosequatur Richardus de S. Victore. n. 9.
D. Antonij Paduani, verba Monachorum diuisiones deplorantis. n. 10.
Profertur Dionysius Carthusianus ad intentum. num. 11.
Euitandas Sanctimonialibus amicitias, & conuentiones singulares suadet sancta Virgo Teresa. numero 12.
Indigni nomine Monachi sunt ij apud quos vigent partialitates. n. 13.
Quam difficile sit recensere scelera quæ partialitates regularium sequi possunt. n. 14.
Vbi dissensiones, nec boni Religiosi præmiis afficientur, nec improbi pœnas debitas luent. numero 15.
A Monachis seditiosis regularis obseruantia vilipenditur. n. 16.
Vbi dissentio est, ibi chorus non est. n. 17.
Tremendum exemplum de quodam Monacho, ad rem. num. 18.
Visio ad idem propositum. ibid.
Parænesis ad charitatem, & concordiam. numero 19.
In Prælatis huiusmodi diuisiones intolerabile malum. num. 20.
Curent Prælati commissum sibi gregem illæsum à discordiis custodire. n. 21.
Qualiter Religiosi charitatem & vnionem conseruare, & sectas diuisionesque euitare possint. numero 22.



CAPVT XIV.

Sectæ, diuisiones, partialitates, contentionesque Religiones euertunt, regularique obseruantiæ maximè obsunt.

NVllum maius malum, nocumentumve ex praua Regularium ambitione exoriri potest, quam, si (quod absit) in aliquam religionem semel propter Diaboli malitiam ingrediatur, maximas quoque in ipsa, ipsorum Regularium diuisiones, partialitatesque conspici, fere necessarium sit. Testatur id S. Basilius *cap. 31. Constit.* sic dicens: *Is satis se à charitate, humilitateque disiunctum declarat, qui primas desiderat.* Antea sic Plato. *Ciuitas in qua ciues ad expetendos Magistratus minime ambitiosi sunt optimè, & procul à seditionibus permanet: contra vero, quæ aliter affectos habet ciues.* Sequitur Platonem discipulus Aristot. *Minores, vt fiant æquales; æquales verò vt fiant maiores, seditionem faciunt.* Testatur, & id Sanctus Laurentius Iustinianus. *Vbi oro componuntur fraudes, iurgia fiunt, iustitia deprauatur, pietas perit, opprimitur innocens, supplantatur sanctus, peccator laudatur, &c. Nonne in ciuitatibus, in quibus vnusquisque cæteris appetit esse potentior, facultatibus locupletior, opinione vulgi famosior.* Bene etiam Thomas Campensis. *Si omnes in claustris regere volunt, erit confusio magna, & turbatio frequens, peribit disciplina, &c.* Merito proinde postquam caput præcedens religiosorum ambitionem damnauit, præsens iam partialitates, sectas, & diuisiones animorum, quæ ex ipsa exoriri possunt, abominabiles esse ostendat. Loquantur ergo Patres, & quid de tanto malo sentiendum sit proferant. 1

Magnus Basilius multus est in præsenti negocio. In sermone etenim de institutione monachorum, illud in primis stabiliendum contendit, vt summa pax, summaque concordia inter eos habeatur. Ad quod tenendum prorsus necessarium censuit, sectas, contentiones, singularesque sodalitates à à conuentibus abesse. Hæc sunt verba Basilij. *Quoniam autem æquali prorsus inter se vicissim charitate complecti omnes debent, iustitia violatur quotiescumque in communi conuentu priuatæ aliquæ coitiones reperiuntur, aut sodalitates. Qui enim vnum aliquem, magis quam cæteros diligit, is, quod non perfecte cæteros diligat, de se ipso indicio est. Quocirca similiter ex conuentu reiicienda sunt turpis, & indecora contentio, atque amor iste singularis, siquidem ex contentione inimicitiæ, ex amore autem singulari, sodalitateque, suspiciones, inuidiæque oriuntur.* Rursus quoque sic. *In hoc communi contubernio neutiquam patitur charitatis lex, aliquas coiri, aut amicitias, aut sodalitates. Si quidem nullo* 2

nullo modo fieri potest, quin affectiones istæ, quæ in hanc magis quam in illam cohærent partem, plurimum incōmodent communi omnium concordiæ. In constitutionibus etiam monasticis, perfectissimam communionem religiosis necessariam appellat illam. *A qua priuata omnis rei cuiusque exclusa possessio est & eliminata; Itemque, vnde dissensio omnis, ac perturbatio omnis, contentio omnis, abest, & rixæ. Contraque, vniuersa communia, animi, mentes, corpora, communis Deus, communis pietatis mercatura, communis salus, communia certamina, communes labores, communia præmia, & certaminum coronæ, vbi multi vnus, & vnus non solus, sed in pluribus.* Eodem quoque libro sic loquitur idem Basilius ad intentum. *Charitatem quidem habere inter se mutuam fratres debent, non ita tamen, vt duo, tresve seorsum à cæteris sodalitatem inter se coëant. Quando quidem hoc non charitas est sed seditio, & eorum, qui sic coeunt improbitatis indicium. Si enim commune decus disciplinæ charum haberent qui tales sunt, sine dubio communem, æqualemque aduersus omnes charitatem tenerent. Si vero ipsi à reliquis sua sponte abscissi, disiunctique in cœtu, cœtum efficiant, vitiosa huiusmodi amicitiæ conciliatio est, atque hoc profecto nihil est aliud, quam contra veterem disciplinæ stabilitatem, constantiamque innouatio. Quocirca danda studiosè opera est, ne vllus omnino in conuentibus, sodalitatibus, istiusmodi locus detur.* Hæc Basilius, qui solus sufficeret pro præsentis causa patronus.

3 Basilio adhæret, Sanctus Ephrem coætaneus, inter celeberrimos Ecclesiæ Patres iure numerandus, qui improborum Regularium sui temporis mores detestans, quos vocat *Crudeles, inhumanos, pestiferos, sceleratos, exitiosos, inimicos, ignauos, prædones, vagabūdos, arrogantes, contumeliosos, obtrectatores, perniciosos, proditores,* dum similium vitiorum radicem quærit, non aliam, nisi monachorum discordiam, prauāque ac contentiosam æmulationem esse tradit, dicens. *Vnde quæso accidit tales non esse, nisi inde, quod mutuam inter nos dilectionem non habeamus? Nisi quia in nobis vera humilitas non est?* Paulo ante, Angelicam monachorū vitam in diabolicā, & mundanā translatam ex simili sectarum radice in cœnobiis, elicit. *Cum Angelicum feramus habitum, vna cum Diabolo militiam gerimus, habitus quidem est Angelicus, at vita mundana. Nunquid inter Angelos in Cœlis contentiones vigent, & æmulationes, sicut nunc inter monachos videmus? Radices quippe egit inter eos æmulatio, & inuidia.* Rursus ad idem de tanto vitio remouere monachos conans, sic dicit. *Ne in contentionibus fortes sitis, & in psalmodiis imbecilles. Nolite in cogitationibus esse vigiles, & ferarum instar, contueri inuicem, in precationibus autem dormitare. Ne sitis in nugis adferendis valentes tanquam tauri, & in laudando, ac glorificando Deum debiles, vt vulpes. Ne in verborum contentionibus sitis inuicti, & in rebus spiritualibus oscitabundi.* Parænesi quoque prima, rixas, & contentiones ex monachorum superbia oriri affirmat. *Monachus (inquit) superbus excitat rixas, & contentiones, in Monasterio.* Et infra. *Monachus cum aliis colluctans abominationi erit, & coram honoratis viris dedecorabitur.* Hæc, & alia Sanctus iste Pater de sectis, & diuisionibus Monachorum disseruit, quibus quantum mali religionibus afferāt, satis ostendit.

4 Adstipulatur etiam Diuus Hieronymus, qui adeo necessariam putat in monachis charitatem, quæ eorum partialitatibus opponitur, vt sine ipsa, nec monachos, nec religiosos esse, nec aliquid illis obseruantias regulares prodesse, dicat. Hæc Hieronymus. *Charitas religiosos, charitas monachos facit: sine hac monasteria sunt Tartara, habitatores sunt dæmones, cum hac vero sunt paradisus in terris & in eis degentes sunt Angeli. Ideoque licet vos longa macerent ieiunia, abiecta, & nigra vestis deformet; longa officiorum, & operum texatur series; si intus desit charitas, ad infimum nondum religionis gradum peruentum est.* Ecce religiose, quantum detestetur Hieronymus monachorum dissentiones, & sectas.

D. quoque Augustinus in sermone de pace, inter sermones ad fratres in Eremo, si Augustiniani sunt, multa dicit, quibus, & concordia Monachorum commendatur, & illorum rixæ, & contentiones maximè damnantur. *O Pax,* inquit, *Eremitarum mater, Cœnobitarum pater Monachorum soror, tu patriarcharum vinculum, tu Prophetarum vehiculum; tu Apostolorum refugium. tu Martyrum solatium, tu Confessorum baltheum, tu Virginum tripudium, tu Viduarum speculum, tu Coniugatorum spectaculum, tu Tyrannorum odium, tu Latronum suspendium.* Infra quoque Monachis concordiam suadens sic loquitur. *O monache habeto pacem in cunctis: nam si fratri irasceris, si proximum odis, tibi contradicis in oratione Dominica: clamat enim monachus. Dimitte nobis debita nostra, sicut, & nos dimittimus debitoribus nostris. O monache, si pacem non diligis, si proximum odis, quo iure, quo pacto, qua fronte, quid tibi petis dimitti, qui proximo rancorem non dimittis? Habeto ergo pacem cum omnibus.* Concludit vlterius. *Vos autem fratres ad inuicem pacem amate, quæ quidem pax custodiat corda vestra, & intelligentias vestras, quæ exsuperat omnem sensum, Amen.* Ecce monache, pacem satis commendatam, rixasue & contentiones, si quas habes, non obscurè authoris istius verbis, reprehensione damnatas. 5

Liceat post hos Patres antiquiorem Origenem recensere, qui quantum malum religionibus afferant dissensiones, & discordiæ, hisce adstruit verbis. *Discenda igitur nobis magnopere est consonantia disciplinæ, quia tanquam in musicis, si harmonia chordarum fuerit consonanter aptata, sonum suauem modulati carminis reddit; si vero sit aliqua in fidibus dissonantia, ingratissimus sonus redditur, & carminis dulcedo corrumpitur: ita & iis, qui Deo militant si dissensiones, & discordias inter se habeant, ingrata erunt omnia, & nihil acceptum Deo videbitur, etiamsi multa bella cōficiant, etiam si spolia multa deferant, & multa munera offerant Deo.* Eleganter sane, & aptissimo exemplo declarat Origenes, obseruantiam regularem penitus abesse, vbi dissensiones, & sectæ regularium adsunt. 6

Audiatur præterea mellifluus Pater Bernardus, ex quo paucas, & breues, sed aureas, pro hoc intento sententias excerpsimus. In sermone quodam ex paruis, sic habet. *Nihil tam horrendum, & horribile est, sicut murmur, & dissensio in congregatione.* Deinde in tractatu de ordine Vitæ sic alloquitur monachum. *Detestare superbiam, fuge contentionem. Rectores Monasterij dilige, vt parentes, time vt Dominos, crede esse salutare, quod iniungunt.* Dixerat autem superius. *Superbiendo, contendendo, dimicando, murmurando, detrahendo, susurrando, negligendo, contemnendo, & proprias voluntates faciendo, infinitas Monachi, qui nunc sunt, culpas incurrunt. Hinc est, quod ex horum magna multitudine, qui sæculum deserunt, rari valde inueniuntur, qui mortificatis vitiis ascendere contendant ad perfectionem virtutum.* Specialius tamen idem Pater in tractatu de modo viuendi ad sororem mirè veritatem 7

hanc

hanc confirmat. *Volo* inquit, *quod cognoscas, quia nihil est turpius, quam lites inter religiosos, qui debent per concordiam, & dilectionem lucere in mundo sicut luminaria in cælo.* Et infra. *Si detractio, & iurgia sunt in claustro; vbi est taciturnisas Regularis? Vbi sanctitas Religionis? Vbi silentium Ordinis? Vbi religiositas Monasterij? Vbi vinculum Charitatis? Vbi pax Vnitatis? Vbi concordia Fraternitatis? Vbi amor socialis? Heu proh dolor! Periit taciturnitas regularis, ablata est sanctitas religionis, defecit silentium ordinis, ad nihilum deuenit religiositas Monasterij, annullata est charitas fraternitatis.* Et inferius. *Si illi qui in pace debent viuere, incipiunt contendere, litigare, detrahere, vbi est vita tranquilla, vbi quieta, vbi vita pacifica, vbi vita honesta, vbi vita modesta, vbi vita casta, vbi vita contemplatiua, vbi Angelica.* Adhuc inferius. *Tu ergo cum consilio vanitatis non sedeas, & cum mala loquentibus non commisscearis, non contendas, in nulla causa decertare studeas. Contentio lites parit. Contentio pacem cordis extinguit. Contentio rixas gignit. Contentio iurgia seminat. Contentio fasces odiorum accendit. Contentio concordiam rumpit. Contentio conturbat oculum mentis, &c.* Tandem sic concludit caput & intentum. *Igitur charissima sicut superius dixi, in nulla causa decertare studeas, nisi vt soli Deo placeas.* Hæc inter alia sanctus Bernardus, satis clarè, monachis pacem commendans, iurgiaque damnans.

8 Apposite etiam venerandus Antiochus *in Pandectis Sacræ Scripturæ Homilia 80. Tametsi sumus multiplici varietate membrorum distincti; eadem sit, & sententia, & par voluntas, quum vnum, idemque simus corpus. Quemadmodum enim examen apum, fauum sibi conficit mellis; ita fratrum congregatio, regnum repræsentat Dei. Sicut tubarum clangor bellantium promouet, & excitat alacritatem, ita est practicæ virtutis doctrina, studia discipulorum mirè exacuit. Nam quisquis se à cæteris segregat, & in totum auellit; nihil differre videtur ab aui, quæ è nido proprio euolauit, eoque cogitur è loco permutare. Auicula quæ talis est, nihil difficile capitur per aucupes, aut venatoris insidias. Omni enim ex parte aucupes illi, & spirituales captores, laqueos, ac scandala iniquitatis præstruunt, & agglomerant illi vago coruique rapaces istiusmodi excauant, & terebrant oculos. Decora prorsus, & apte per omnia congruens, fraternæ est vnionis consensio cum animorum concordia; id quod locum habet, vel maximè vbi solida, ac perfecta charitas radices suas fixius impressit.*

9 Sed & grauis Auctor Richardus de sancto Victore, cœtus religiosos, in quibus dissensiones, discordiæque inueniuntur, non sine lamentis, & mœrore deplorat sic. *Heu in quos fines, imo fœces sæculorum, homines deuenerunt. Cum ipsa religionis electio, nostro miserabili tempore, tanta diuisione spargatur, vt vix vnus alteri conueniat in vnum, nisi forte aduersus Dominum, & aduersus Christum eius. Vbique apparent scissuræ Ciuitatis Dauid, & in tantum iam hiant. vt vicinam ruinam omnino minentur. Seruatur sub tunica vna, & veste simili cor varium, & omnino dissimile; itavt de religione antiqua vix signa seruentur.* Hæc de sui temporis monachis plangit Richardus, faxit Deus de nostri sæculi regularibus nihil tale dicere possimus.

10 Iunge his Patribus sanctum Antonium Patauinum, Minoritarum ornamentum, qui in sermone de sexagesima hæc habet. *Heu quantæ scissuræ, quanta schismata, quantæ diuisiones, & dissensiones sunt in petra, scilicet religione. Super quam si ceciderit Diuini Verbi semen, non fructificat, quia non habet humorem gratiæ Spiritus sancti; qui non in scissuris discordiæ, sed in veritatis habitat mansione.* Et infra sic. *Vbi scissuræ, ibi lis in capitulu, dissolutio in Choro, murmuratio in Claustro, gula in Refectorio, carnis petulantia in Dormitorio.* Inferius quoque sic. *Talis religio est camera apothecaria. Postquam enim dissident interius, laudes quærunt exterius, In foro enim communi, tanquam quidam Apothecarij; falsi religiosi, sophisticas species vendunt, Sancti videri volunt, sed esse nolunt.* Hæc Antonius, satis magna excussione, & ponderatione digna ad intentum.

Ad hæc Dionysius Carthusianus sermone sexto de Pentecoste ad religiosos, sic habet. *Studeamus semper pacificè pariter conuersari, imo, & cum his qui odiunt pacem pacati, & tranquilli consistere, discordantes pacificare. Beati namque pacifici quoniam filij Dei vocabuntur. Turbatores verò, contentiosi, detractores, seminatores discordiæ, litigatores, pungitiui, mordaces, cuius, nisi filij Diaboli comprobantur. Nam sicut in pace factus est locus Dei, ita in perturbatione, contentione, & diuisione est locus Diaboli.* 11

Vltimo audiatur nostri sæculi decus Sancta Virgo Teresia, quæ dum in conuentu Abulensi Sancti Iosephi in Vespera Pentecostes moraretur, in extasi, & raptu à Deo illuminata quatuor ab ipso verba suscepit, Patribus discalceatis commendanda, quibus in dies, magis; & magis eorum noua planta religionis succresceret: Quorum primum illud erat; quod prælati conformitatem voluntatum semper haberent. *La primera que las cabeças estuuieran siempre conformes.* Ne vero putaretur documentum hoc, solum pro prælatis, non tamen pro subditis, necessarium esse, ea propter ipsamet Virgo, alibi, maxima solicitudine euitandas esse amicitias, & conuentiones singulares sanctimonialium suadet. Inter alia sic. *Estas amistades grandes, pocas veces van ordenadas, à ayudarse à amar mas à Dios; antes creo las haze commenzar vandos en las religiones.* Et infra. *Todas han de ser amigas, todas se han de ayudar; y guardense, por amor de Dios de estas particularidades.* Adhuc inferius magnam curam adhibendam esse, in obuiandis huiusmodi partialitatibus in sui initio, sic docet *En atajar estas parcialidades, es menester gran cuidado, desde el principio.* Tota hæc sanctissimæ Virginis doctrina euidenter satis exponit, partiales diuisiones, & contentiones regularium, totius ruinæ religiosæ causam esse. 12

Nec mirum hos Patres iam solerti cura, & solicitudine, huiusmodi contentiosas partialitates reprobasse, quia re bene perpensa, nec monachi, apud quos illæ vigent (si aliqui sunt) monachi nomine digni erunt, nec multitudo scelerum ab illis abesse poterit. Primum optimè Dacrianus Abbas in suo speculo monachorum sic expressit. *Si inuidiam, odium, amarulentiam, indignationem, à te pro viribus non repellis, si suspiciones temerarias, querimonias pueriles, murmurationes sceleratas non reiicis, monachus non es. Si contentioso, acrique dissidio, inter te, & alterum forte exorto, non mox de reconconciliatione tractas, & quauis iniuria affectus, non statim condonas, sed vindictam expetis, aut voluntariam simultatem, minusque sinceram affectionem in corde retines, monachus non es, Christianus non es, abominabilis coram Deo es.* Hæc Dacrianus quoad primum 13

Quoad

14 Quoad secundum verò, adeo difficile est, scelera criminosa, quæ partialitates regularium sequi possunt; recensere, vt non mirum omittantur plura. *Magna è dissensionibus incommoda oriri solet*, dixit quondam Iulius Cæsar. Sanctus quoque Ephrem Syrus sic. *Familiaritates ac colloquia eiusmodi haud exiguum detrimentum pariunt animæ.* Ergo primum illud erit, dispendium scilicet veræ charitatis, inter tales partiales necessario reperiri, exprimunt id S. Basilius, Ephrem,& Bernardus iam adducti. Ex quibus Ephrem pro eodem reputat, quod inter monachos non sit pura concordia, ac quod inter illos, non si mutua dilectio. Clarius Basilius. Ideo enim coitiones, vt ipse loquitur, sodalitates, & partialitates in monachis detestatur. *Quoniam* (inquit) *æquali prorsus inter se vicissim charitate complecti omnes debent.* Et rursus inquit. *Quia charitatem habere inter se mutuam fratres debent.* Et inferius. *Quando quidem hoc non charitas est, sed seditio.* Et rursus. *Qui vnum aliquem magis quam cæteros diligit hic, quod non perfectè cæteros diligat, de se ipso indicium est.* Habent id quoque Hieronymus, author apud Augustinum, & Origenes relati: specialiter. S. Virgo Teresia per hæc verba. *Haze danos à la communidad muy notorios, porque de aqui viene el no se amar tanto todas.* Ecce ex his Patribus habetur, charitatem cum diuisionibus, & partialitatibus monachorum, stare non posse. Charitate vero à religiosis cætibus detracta, necesse est vitam regularem deperdi, simulque statum perfectionis extingui. Optimè enim Seneca. *Concordia paruæ res crescunt, discordia maximæ dilabuntur.* Melius Basilius *Possibile non est Ecclesiam in altum crescere, vinculis non colligatam pacis, ac charitatis. Quia* (vti ibidem loquitur) *facti sumus velut arena, non coniuncti inter nos, sed singuli per se diuisi.* Ad quod bene Mantuanus noster.

Sydera pace vigent, consistunt terrea pace.
Nil placidi est sine pace Deo, nec munus ad aram.

Proinde ergo elici merito valet, cœtum illum religiosum, in quo partialitates vigent, cum charitas necessario absit, ruinam certissimam minari,

15 Præterea incommodum aliud ex partialibus dissensionibus regularium procedere potens, silentio non concludam. Illud vero est: quod nec boni religiosi præmiis afficientur, nec improbi pœnas debitas luent. Seditio namque, sic sectarios, & rixosos excæcat, vt sæpius in maledictum illud propheticum cadant, dicentes. *Malum bonum, & bonum malum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras, ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum.* Quapropter merito Nazianzenus dixit. *Malos & bonos, apud nos, non constituunt mores, sed dissidium, & in opinione consensus.* Vnde subiungit. *Quæ hodie laudamus cras, vituperamus, ac quæ apud alios vituperantur, apud nos admirationi habentur.* Congruit ad id etiam illud magni Gregorij in moralibus. *Peruersæ mentes, si semel ad studium contrarietatis eruperint, siue prauum, siue rectum quid à contradicentibus audiant, aduersus hoc responsionibus impugnant.* Rationemque eleganter subdit. *Quia cum persona per contrarietatem displicet, nec recta quæ protulerit, placent.* Fiunt tales vulturibus similes, de quibus Plinius. *Ad extincta corpora odore feruntur, sana non sentiunt, sic inimicus, si quid est delicti statim olfacit, atque eo statim accurrit, ad rectè facta stupidus.* Clarissime tandem id pius, & modernus religiosus sic expressit. *Detracta à viris religiosis charitate, virtutes aliorum spernuntur, & vitia videntur. Mansuetudo apparet, insensibilitas, silentium, singularitas, feruor iudicatur imprudentia, & deuotio sancta, muliercularum, vel puerorum lachrymæ.* Ecce magnum nocumentum ex sectis diuisionibusque regularium manans.

Regulæ quoque, sacrarumque constitutionum regularem obseruantiam, à monachis seditiosis, & partialibus vilipendi facilius comprobatur. Habet id clarissimè sanctus Bernardus adductus, itaut alius desiderandus non esse. Richardus quoque iam allatus de istis, qui in religionibus, *cor varium, & omnino dissimile* ferunt merito subiungit: *Ita vt de religione antiqua vix signa seruentur.* Verissimè etiam Cassiodorus rem totam expressit dicens. *Conspiratio apud spiritualiter viuentes, contra Ordinis disciplinam, & maiorum instituta confæderatio est.* Pulchrè etiam Antonius Paduanus iam relatus. *Vbi scissura, ibi lis in Capitulo, dissolutio in Choro, murmuratio in Claustro, gula in Refectorio, carnis petulantia in Dormitorio.* Osfecisse videtur id Persius. Postquam enim dixit. 16

Mille hominum species, & rerum discolor vsus,
Cum hoc coniungit postea.
Velle suum cuique est, nec voto viuitur vno.

Melius Christianus Poeta Mantuanus noster in Egloga, cui titulus est Benbus, vbi de religiosis cœtibus agit, his versibus expressit.

Qui veteres audent ritus mutare, suoque
Arbitrio & nullis ducunt sub legibus æuum.
Hi sunt, ò, Mirmix, qui bella domestica gignunt.

Vbi clarè præclarus Poeta, nostræque quondam religionis Antistes, bella domestica gigni ab illis, qui regularem disciplinam spernunt docet. Id tandem Aluarez de Paz optime intellexit, dicens, *Væ cœtibus religiosis, qui habenas discordiæ, & dissidiis laxarunt, quia ad horum ingressum, egreditur Sanctitas, fugit mentis puritas, & studium virtutum procul abigitur.* Et rursus. *Si religiosi se auersione mutua, & dissensionibus separant, si se mordeant detractionibus, & contumeliis lacerent, & mala voluntate consumant, hinc religionum pernicies, hinc sanctitatis exitium, & calamitas, &c.* Habeat ergo ex iis testimoniis Lector, sectas & diuisiones in communitatibus regularibus, religiosam, obseruantemque vitam penitus euertere.

Insuper quomodo, aut qualiter seditiosi, discordesque religiosi, Dei laudibus insistere poterunt? Teste enim August. *In discordia nemo benedicit Deum.* Vel saltem, si Deum laudant, non in choro laudare promerentur. Dicente Hieronymo. *Quisquis concordiam deserit, Deum quidem laudat in tympano, sed non laudat in choro. Vbi dissensio est, ibi chorus non est.* Optimè quoque Gregorius in suo Pastorali, *qui abstinentiam à concordia separat, quid admoneat Psalmista, perpendat: Laudate eum in tympano, & choro. In tympano namque sicca, & percussa pellis resonat. In choro autem voces societate concordant. Quisquis itaque corpus affligit, sed concordiam deserit, Deum quidem laudat in tympano, sed tamen eum non laudat in choro.* Rursus quoque idem Pater. *Discordes, tamdiu nullum bonum operis sacrificium immolant Deo, quamdiu à proximorum charitate discordant.* Ecce iam religiosi Patres, damna, incommodaque aliqua ex innumeris aliis selecta, quæ prauas dissensiones, & diuisiones communitatum, vel comitantur, vel subsequuntur. 17

Vt verò quantum sibi damnum, in spirituali vita quoque adquirant monachi, sectis, diuisionibusque dediti, ex tremendo exemplo, quod de 18

de quodam Monacho narrat Illustrissimus Petrus Damianus facile innotescet: Verba ipsius Damiani hæc sunt. *In Perusino Monasterio, sancti videlicet Saluatoris, cui nuper, & ipse præfui, quidam Monachus paulo ante fuerat, nomine Guinizæ, astutus nimis, & callidus, sæcularibus argumentis, ac litigiosis contentionibus vehementer intentus. Hic itaque, dum in mutandis Abbatibus, & fratribus perturbandis, æstuans non quiesceret, ad hoc vsque peruenit, vt diaboli ad superandos æmulos patrocinium quæreret, & eius ditioni, se etiam corporaliter manciparet. Cui tamen seductor spiritus exigenti ante promisit, quod tertio priusquam moreretur die, suum sibi exitum nunciaret. Credidit infælix, & diu postmodum viuens, ita sub hac deceptoria securitate permansit. Tandem in ægritudinem lapso, adest fideiussor iniquus, & perendianum, sicut spoponderat, obitum, innotescit. Protinus, aduocatis ille fratribus, cuncta hæc, quæ cum nequissimo pepigerat, per ordinem narrat. Cumque illi instarent dicentes: esto confessus, age pœuitentiam; repente ille obdormiebat, & siue pulsantibus, siue clamantibus, euigilare non poterat, si non illi obticescerent, vel aliud quid, præter pœnitentiam, loqui vellent. Mox ille expergefactus inuicem loquebatur; sed rursus, audito nomine pœnitentiæ, obrigescebat in sensibus, sopore correptus, donec horrendæ morti traditus, ad eum, cui deditionem fecerat, est infœliciter deuolutus. Postmodum verò per plures noctes nigra canum turba non cessabat sepulturæ eius assistere, & quasi depositum custodire; ita vt non minimo videntes horrore concuterent.* Horribilis hic casus à grauissimo, & fidelissimo authore relatus, conuincit manifestè, quàm in proximo sibi æternam damnationem pariant Monachi litigiosi, & partiales in religionibus. Vnde ipse Damianus sic subdit. *Heu quam perniciosa res spiritus contumax; & litigiosus in Monacho!*

Item confirmat visio de qua in Historia Germaniæ in Annalibus Dominicanorum Colmariensium ad an. Dom. 1292. sic habetur. *In Lombardia apparuerunt in aëre duo Monachi parui albus, & niger bonam horam se mutuo impugnabant, & postea in vallem seu vastam solitudinem descenderunt.* Hæc vallis absdubiè infernus est, locus sanè rixantibus Monachis aptus.

19 Omninò ergo, Deo dicati Patres, sectas istas, partialesque diuisiones in nostris cœtibus fugiamus, dicamus omnes, nos esse Iesu Christi, non autem Cephæ, vel Apollo. Schismata charitati aduersantia omnino pellamus. Antiquorum Monachorum vestigia sectemur, in quibus nihil tale repertum fuit, quin potius Chrysostomo teste. *Non est illis tumultus, non morbus, non ira, omnia tranquillitas, omnia pax.* Et infrà. *Propterea hos præsertim laudo, & admiror, tum propter alia, tum propter hanc dilectionem.* Audiamus Salomonem in prouerbiis. *Homo peruersus suscitat lites, & verbosus separat Principes.* Et rursus. *Labia stulti immiscent se rixis, & os eius iurgia prouocat.* Et Paulum dicentem. *Non est dissensionis Deus, sed pacis.* Et rursus alibi. *Si inuicem mordetis, & comeditis, videte ne ab inuicem consumamini.* Audiatur præterea Cassiod. *Summopere iurgia fuge. Nam contra parem contendere anceps est; cum superiore furiosum; cum inferiori sordidum.* Cum spiritui, & non carni Monachi seruire debeamus, ideò schismata, diuisionesque non patiamur. Testatur enim Aug. *In Ecclesia carnales diuiduntur, spirituales omnino non diuiduntur, quia illis est cor vnum, anima vna, vnum velle, & nolle.* Porrò regulares non posse spirituales euadere, quantumlibet virtutibus polleant, si discordes sint, clarè habet Gregorius vbi supra dicens. *Discordes admonendi sunt, quia quantislibet virtutibus polleant, spirituales fieri nullatenus possunt, si vniri per concordiam proximis negligunt. Scriptum quippe est: fructus autem spiritus est charitas, gaudium, pax. Qui ergo seruare pacem non curat, ferre fructum spiritus recusat.* Ergo cum D. Bonauentura, mutuatis verbis ex Bernardo, loquar. *Iungant se animi, qui iuncti sunt institutiis, inuicem se foueant, inuicem se defendant, inuicem onera sua portent.* Quia vt ipse alibi loquitur. *Quid pace honestius? Quid vnitate iucundius? Aut commodius socialitate? Quid charitate melius, aut pretiosius inuenitur? Gloriosissimum quidem, & potissimum liberalis animi, & conscientiæ bonæ indicium, pacem proximi custodire.*

Quamuis tamen in subditis, & inferioribus regularibus huiusmodi diuisiones, contentionesque partiales minus malæ forent, in prælatis tamen superioribusque religionum, tale crimen admittere, horrendum esset, & intolerabile malum. 20
Testatur hoc sanctus Ephrem Syrus dicens. *Nefas est maiores scandalo esse inferioribus, ipsisque exemplo esse improbæ conuersationis. Quoniam scriptum est: Væ qui potat proximum suum subuersione turbida.* Habet, & id dulcis Pater Bernardus in quodam sermone, *Si subditi quandoque turbantur, prælatorum est in mente composita perdurare.* Id ipsum sancta Virgo Teresia superius adducta sentiebat, dicens; huiusmodi dissensiones pessimas esse in subditis, in superioribus verò pestiferas. *Si, que es malissima cosa en todas las monias, y en las Preladas seria pestilencia.* Quorum omnium ratio est, quia prælatorum dissidium in totius communitatis dispendium redundat. Vt enim Chrysostomus concinnè disseruit. *Quemadmodum certantibus ventis mare concutitur, sic Regibus aduersantibus sibi, populus regni vexatur.* Congruit Horatianum illud.

Quidquid delirant Reges plectuntur Achiui.

Concinitque Cicero. *Neque ciuitas in seditione potest esse beata, nec in discordia dominorum domus.* Eò præsertim, quod tales prælatorum seditiones, vt plurimum validiores sunt cæteris. Testatur enim Aristoteles. *Tunc potissimum paruæ seditiones inualescunt, cum inter Reipublicæ Principes agitantur.* Vnde merito subiungit. *Itaque talibus malis initio occurrere, & Principum, potentiumque discordias, protinus dirimere oportet.* Occurrant igitur sacrarum communitatum Rectores tanto incommodo, quale ex illorum partialitatibus oriri posse constat.

Curent etiam prælati, superioresque omnes à tali labe commissum sibi gregem illæsum custodire; totis præcordiis in id anhelent. *Vt enim* (Plutarchus loquitur) *macula statim eruenda, ne inhæreścat, & difficilius eximatur, ita dissensio fratrum illico tollenda, ne gignat odium.* Id ipsum Gregorius admonet his verbis in Epistola ad Subdiaconum Rauennæ. *Prædicto fratri, & Coepiscopo nostro dicere stude, vt peculiaritatem à quatuor, aut quinque monasterij Monachis, in quibus corrigi hactenus minimè potuit, studiosissimè compescat. Et hoc ipsum Monasterium à tali peste mundari festinet. Quia si illic peculiaritas à Monachis habetur, nec concordia, nec charitas in Congregatione eadem poterunt permanere.* Id ipsum quoque D. Orisiesius antiquissimus Monachus in bibliotheca relatus, Prælatis consilium dabat, dicens. *Cauete ne alios diligatis, alios oderitis, nec hunc sustentetis, & illum negligatis & cassus inueniatur labor vester.* Imo hoc esse boni, rectique 21

Prælati officium testatur Laurentius Iustinianus talem dum vocans. *Qui dirimit lites, fugit iurgia, tollit odia, pacem sectatur.* Quæ tandem Episcopus Pacensis Simancas ad aliud intentum dixit; huic proposito accomodare libet. *Si forte Ciuitas, vel Prouincia factionibus diuisa sit, neutri parti præfectus Vrbis faueat: id enim scelus maximum esset; imò verò summa ope, ac diligentia curet, vt vtrosque ad amicitiam ducat, vel certè ad concordiam trahat.* Faxit Deus, vt ex his, quæ hoc capite diximus, Monachi omnes sectis, diuisionibusque omninò contradicant, in id quoque Prælati præcipuè incumbant.

Sed placet vltimò modum præscribere quo sancti Religiosi charitatem, & vnionem conseruare, & sectas, ac diuisiones euitare possint. Pro quo Patres sic loquuntur: D. Gregorius Homilia 39. super Euang. *Omne quod odis tibi fieri, ne ipse alteri facias. Sic enim & quod impendi nobis rectè volumus, hoc aliis impertiamur, & quod nobis fieri nolumus, hoc aliis facere ipsi deuitamus, charitatis iura illæsa seruamus. Charitas autem vera est, cum & in Deo diligitur amicus, & propter Deum diligitur inimicus.* Disertè etiam Antiochus Monachus hortatur ad innocentiam vitæ, vt pax & vnio Religioligiosa seruetur, dicens: *Vbi timor Domini, illic charitas, & fratrum cordia; vbi nullus relinquitur timori Dei locus, ibi contentio, ac Zelus; vbi reuerentia, ac pietas erga Deum, & amabilis erga proximum affectus; illic intermedius horum habitat Deus; vbi autem inuidia, ac malè morigera, & inobsequens subiectio; illic è regione, ambitio regnat gloriæ inanis.* Tria super hoc consulit Isaias Abbas oratione septima sic dicens: *Tres sunt virtutes, quæ menti lucem præbent assiduè. Non nosse cuiuscumque hominis malitiam, & benefacere iis à quibus affecti sumus iniuria, & ferre quæcumque accidunt sine perturbatione, hæ tres virtutes, tres alias pariunt se ipsis meliores. Non nosse hominis malitiam beneuolentiam gignit. Benefacere illis à quibus afficimur iniuria, pacem generat. Ferre sine perturbatione quæcumque accidunt parit mansuetudinem.* Ad vnionem quoque fraternam conseruandam optimè deseruit quæ S. Bonauentura *in informatione Nouitiorum cap.* 14. hoc vnco verbo: *Dilige fideliter, & aliorum certam dilectionem relinque illorum arbitrio, & diuinæ voluntati:* Magnopere etiam expendenda, & ruminanda ad intentum, quæ Iesuitarum Princeps 10. *part. constitutionum* tradit, & refertur. *Regula* 30. inter communes: *Caueant*, inquit, *sibi omnes ab illo affectu, quo aliæ de aliis nationibus sinistrè sentire, aut loqui solent: quin potius, & bene sentiant, peculiari affectu diuersas à sua nationes prosequantur in Domino; ac proinde nemo bella, contentionesvè, inter Christianos Principes in colloquium inducat. Vsque adeò planè abhorreat ab hoc malo, vt ne eos quidem sermones suis licere vellet, quibus aut de Principum agatur simultatibus, aut aliis aliæ nationes obloquantur. Nequid igitur inter nos inimicum concordiæ, siue id ex studio nationum, siue ex aliis redundet fontibus summè amarissimis, cum ad latiores progressus omne nobis iter, atque aditum intercludant.* Plura alia in Patribus curiosus Lector reperiet.

SVMMARIVM.

Improbi Regulares, improbos etiam sibi superiores præfici curant. num. 1.

D. Gregorij Magni aliquot testimonia de damno, quod improbi Prælati Religionibus inferunt, in medium proferuntur. num. 2.

Improborum Prælatorum vitam valde nociuam religiosis fore comprobat S. Ephrem Syrus. num. 3.

S. Bernardus veritatem hanc sæpius inculcat. ibid.

Graues sententiæ pro hac parte ex S. Isidoro producuntur. num. 4.

Improbi Rectores improbos subditos gignunt. numero 5.

Eandem veritatem confirmat Laurentius Iustinianus num. 6.

Dionysius item Carthusianus ruinam subditorum, in Prælatorum negligentiam refundit. num. 7.

Præcipua Religionis lapsæ causa prælatorum indignitas. num. 8.

Aduersus negligentes Prælatos qualiter insurgeret B. Magdena de Pazzi. ibid.

Quantum emolumenti religiosis cœtibus probi superiores afferant. num. 9.

Probi Religionum Prælati mille benedictionibus cumulantur. num. 10.

Piorum prælatorum præcipua documenta, quibus subditos suos instruunt, describuntur. ibid.

Incommoda, quæ ex difformatis prælatis eueniunt. num. 11.

Improbi superiores quantas pœnas subituri. numero. 12.

Subditorum vitia corripere non audent peruersi Regularium Superiores. num. 13.

Prælati negligentes in suorum subditorum correctione quomodo in altera vita puniantur. ibid.

Etsi misericordia præsuli necessaria sit, iustitiæ tamen Zelus nequaquam omitti potest. num. 14.

Damna, quæ ex inordinata vita Rectorum obuenire possunt Religionibus, coaceruatim recensentur. numero 15.

Multis opprobriis Sancti Pates, difformatos Pastores prosequuntur. num. 16.

Quanta cura studendum vt sancti Prælati religiosis cœtibus præficiantur. num. 17.

Aduersus eos, qui indignos ad Prælaturæ dignitatem assumunt. num. 18.

Boni Prælati conditiones, & qualitates. num. 19.

Bonus Prælatus plus opere quàm sermone agendum æstimare debet. ibid.

Imperiti, & inepti Prælati notæ. num. 20.

Singularis & eximia nota sancti Prælati, quòd sit vir orationi deditus. num. 21.

Dionysius & Lanspergius Carthusienses adducuntur ad intentum. num. 22.

Boni & vtiles Prælati, ij solum, qui ad regimen Religionis inuiti assumuntur. num. 23.

Quæ Hugo Victorinus circa præsentem causam. numero 24.

Dignitas nec sollicitè quærenda, nec proteruè repellenda. num. 25.



CAPVT XV.

Sancti, rectique Prælati Religiones in suo nitore conseruant, improbi verò regularem disciplinam naufragari faciunt.

1 INTER ea incommoda, quæ ex partialibus Monachorum factionibus pullulare possunt, illud imprimis recenseri debet, quod sæpius mali, depraua

deprauatique regulares ad officia ordinis administranda eligantur. Cum enim partiales regulares (si qui sunt) improbi quoque sint, improbos etiam sibi superiores præfici curant. Hac de causa cum præcedens caput, rixas, & seditiones regularium damnarit, præsens nunc Prælatos improbos totius Religiosi status osores esse sicut, & bonos Rectores, veræ quoque Religionis patronos iure vocari ex Patribus comprobabit. Iam ergo ipsi, vt iudices recti nostro more sententiam dicant.

2 Ad quod vnus pro mille sufficeret D. Gregorius Magnus qui sicut prælationis munere maximopere excelluit, sic quoque sæpius in suis scriptis boni, malique prælati mores recenset. Libeat ergo aliquot ipsius specialiora testimonia, circa nostrum intentum, de damno, quod improbi prælati religionibus inferunt, in medium proferre. Primo ergo super Euangelia, de infructuoso Pastore sic loquitur. *Si fructus non habet operationis bonæ, etiam impedimentum præstat cæteris, quia quicumque sub ipso sunt, exemplo prauitatis illius, quasi vmbra peruersitatis eius premuntur.* Ad idem in suo Pastorali, celebrem hanc sententiam protulit. *Cum Pastor per abrupta graditur, ad præcipitium grex sequitur.* Et rursus ibidem. *Nemo amplius in Ecclesia nocet, quam qui peruersè agens, nomen, vel ordinem sanctitatis habet.* Rursusque. *Necesse est, vt esse munda studeat manus, quæ diluere aliorum sordes curat: ne tacta quæque deterius inquinet, si sordida in se lutum tenet.* Deinde sic habet. *Discant Prælati, quomodo etiam commissis sibi exempla bene viuendi exterius præbeant. Scire enim debent, quod si peruersa vnquam perpetrant, tot moribus digni sunt, quot ad subditos suæ perditionis exempla transmittunt. Vnde necesse est, vt tanto se cautius à culpa custodiant, quanto per praua, quæ faciunt non soli moriuntur, sed aliorum animarum, quas prauis exemplis destruxerunt, rei sunt.* Alibi quoque sic idem Pater. *Ita sibi regentium merita connectuntur, & plebium, vt sæpe ex culpa præsidentium deterior fiat vita subiectorum.* Idem tangit in epistola ad Leonardum Hispalensem dicens. *Sentio, quod negligente me crescat sentina vitiorum.* Alia ex Gregorio prætermitto, quæ, & in ipso non difficile reperiantur; quia & hæc satis indicant intentum, proclamantque satis qualiter mali prælati, superioresque religionum, vitam sibi subditorum peruertant.

3 Ante D. Gregorium Sanctus Ephrem Syrus parenes. 15. improborum prælatorum vitam valde nociuam religiosis fore, hisce verbis comprobauit. *Oportet maiores minoribus formam præbere, atque exemplum ad omnem virtutem, vt non demus occasionem quærentibus occasionem. Nam si nos inobedientes simus, quomodo cæteris obedientiam demonstrabimus? Si gulosi, aut ebriosi, aut auari, quomodo inferiores nobis temperantiam, aut patientiam docere poterimus? Si nos temerarij, aut multiloqui, instabilesve fuerimus, quo pacto iuniores nobis grauitatem morum, ac tolerantiam, constantiamque docebimus.* Post hæc, reiicit futilem improbi prælati excusationem, sic. *Sed dices mihi: Tametsi ego non faciam: dico tamen quod expedit fratri meo. Et quid prodest nobis charissime, alios admonere, si ipsi contraria agamus?* Ex quibus liquido satis innotescit, plurima vitia inuadere religiosum cœtum, si illis improbus prælatus præficitur, nec excusari, quod bene moneat, si benè monendo suæ rectæ vitæ specimen non præbeat.

3 Accinit, & Sanctus Bernardus, qui non obscurè veritatem hanc sæpius inculcat. Audiatur in expositione super Cantica. *Parum est nostris vigilibus quod non seruant nos, nisi, & perdant, alto quippe demersi obliuionis somno, ad nullum Dominicæ comminationis tonitruum expergiscuntur, vt suum ipsorum periculū expauescant. Inde est, vt non parcant suis, qui non parcunt sibi, perimentes pariter, & pereuntes.* Ecce subditorum ruinam à Vigilum negligentia exortam ex mente Bernardi. Vnde in sententiis sic habet. *Tria prælatis necessaria sunt, viua fidei, & doctrinæ sinceritas, vt inhabitent in eadem regione; studiosa bene operandi sedulitas, vt vigilias cum pastoribus celebrent, de salute subditorum diligens curiositas, vt custodiant gregem suum.* Quid diceret Bernardus de Prælatis contraria facientibus, facile innotescet.

Graues quoque sententias pro hac parte, grauis quoque Doctor Sanctus Isidorus profert. Sic ergo loquitur ad intentum de improbis prælatis. Sent. cap. 38. *Sæpe per quos iustitia docetur, per ipsos peccati morbus irrepit, & mors ad plebem pertransit, scilicet, vel dum mala docent, vel dum praua faciunt. Plerique Sacerdotes, & Clerici, prauè viuentes forma cæteris in malum existunt, qui in bonis exemplum esse debuerunt.* Et infra. *Ex carnalium præpositorum exemplo, plerumque fit vita deterior subditorum.* Rursus. *Capite languente, cætera corporis membra inficiuntur. Vnde scriptum est: Omne caput languidum, & omne cor mœrens, à planta pedis, vsque ad verticem, non est in eo sanitas. Caput enim languidum, est doctor agens peccatum, cuius malum ad corpus peruenit, dum eo, vel peccante, vel prauè docente, pestifer languor ad plebem subditam transit.* Eodem quoque libro sic. *Exemplis suis vitam bonorum corrumpunt.* Hæc Sanctus hic Pater proposito nostro deseruientia protulit. 4

Præterea Seraphicus Bonauentura, inter causas quare religiones, ab antiquo feruore defecerint, eam statuit q. 19. circa reg. *Quod cum regimen Ordinis deuoluitur ad Iuuenes, tales nutriunt, quales ipsi sunt.* Quod est dicere: Improbos Rectores, improbos subditos gignere. Hinc idem Sanctus Doctor in soliloquio inquit. *Semper timeo, quod dicit Gregorius in registro. Ita sibi regentium, & subditorum merita connectuntur, vt sæpè ex culpa præsidentium, fiat deterior vita subditorum. Et sæpe ex merito plebium, delinquat vita Pastorum.* In sua quoque pharetra ex Augustino sic habet. *Omnis qui malè viuit in conspectu eorum, quibus præpositus, est quantum in ipso est, omnes occidit.* Rursus ibidem ex diuo Gregorio. *Cum maiores ipsi voluptati deseruiant; minoribus lasciuiæ fræna laxantur.* Hæc ex Bonauentura excerpsi, forsan curiosius inquisitus, maiora dabit. Sed hæc sufficiant. 5

Deuotissimus quoque Venetorum decor sanctus Laurentius Iustinianus, de discip. monast. conuer. cap. 9 grauissimè veritatem hanc confirmat dicens. *Persæpe ex admonitione inexperti ducis, in barathrum deductus est subditus desperationis. Nonnunquam etiā ex imprudentia Pastoris, qui ad summam virtutum arcem, & perfectionis fastigium facile conscendissent, euanuerunt, nihil de fuga proficientes, conuersatione. Et quod deterius est, à sancto proposito resiliunt. Terra etenim, quæ sagaci excolitur agricultoris manu, vberem producit ex se fructum, si autem hæc eadem negligenti tradatur, ac nescienti operario, repente vrticis repletur, & vepribus.* Ecce damnum ex improbis prælatis non raro veniens subditis, à sancto prælato descriptum. Ex libro quoque de institutione, & regimine prælatorum, multa pro hoc intento confirmando, lector studiosis excipere valeat, nunc autem 6

autem pauca recipiat. Capite 4. de prælato curam subditorum negligenti, sic loquitur. *Curam quicunque, prout decet, administrare neglexerit, malus est, & pene innumerabilium criminum esse censendus est reus; quoniam pretiosum domini thesaurum, nedum multiplicare despexit, verum etiam illum dispersit, atque furibus, homicidis, & ipsius domini inimicis, quantum in ipso fuit, diripiendum exposuit. Accepit, inquam, vineam, vt vepres ex eadem euelleret, infructuosas arbores eradicaret, illam coleret, sepibus, propter spiritualium incursus ferarum, circumdaret, in illa plantaret vineas fructuosas, insereret arbores, & semen Verbi Dei spargeret, vt produceret spirituale germen delectabile Domino. Sed proh dolor, ex ipsius iniuria, delictorum sentes profert, inculta manens, & latronibus diripientibus patet.* Et infrà sic. *Perdit, qui talis est animam suam, & suorum, quantum in ipso est, animas subiectorum, negligentia vtique sua, exemploque suo.* Rursus quoque capite sexto sic habet. *Indignum est, vt qui ad eruditionem, correctionemque institutus est aliorum, habeat ipse reprehẽsibile aliquid, vnde sit merito corripiendus. Nam, quonam quæso modo, poterit sibi creditos ad mundi hortari contemptum, à lenociniis abstrahere vitiorum, atque à cupiditate temporalium?* Hæc inter alia, Sanctus hic Patriarcha, satis monens, quantum malum religionibus obueniat, ex irreligiosis prælatis.

7 Diuus quoque Dionysius Carthusianus in opusculo de professione monastica cap. 5. cæteris clarius ruinam subditorum in negligentiam prælatorum refundit. *Ecclesiast. 10. legitur: Secundum Iudicem populi sic & ministri eius, & qualis est rector ciuitatis, tales, & habitantes in ea. Ex his verbis Patres concludunt; quod præcipua causa ruinæ subditorum, est negligentia, atque peruersitas prælatorum, sub quorum præsidentia, vel virtuosa subditorum conuersatio cadit & perit; vel eorum, qui dudum iam lapsi sunt, deformatio, ac ruina durat, ac perseuerat.* Ecce clarè nostrum intentum à Dionysio confirmatum.

8 Ioannes quoque Niderus in opusc. de religione, causas lapsæ religionis referens, in primo loco, & ante alias prælatorum indignitatem, & malitiam constituit sic. *Causa distractionis regularis obseruantiæ quoad capita, indignorum & malorum prælatio, correctionis omissio, officialium inutilium multiplicatio, & larga in professione dispensatio. Quoad subditos vero; prælatis exhibita rebellio, priuata temporalium appropriatio, incauta cum exteris conuersatio, & study religiosi omissio.* Ecce relaxationis causas, & inter eas primarium locum tenens improborum superiorum vita; quod abunde satis ex Patribus adductis confirmatum manet.

Contra hos etiam negligentes Prælatos sic insurgebat in Raptu quodam B. Virgo Magdelena de Pazzis, prout in eius vita, cap. 100. habetur: *Quanti veggo, che sotto mantello di misericordia lasciano andar impuniti i difetti proprij, e quei de' loro sudditi, & inferiori! e per questo s'espongono di gran pericolo d'andar all' Inferno: E riuolta à Dio soggiunse. Ma che maggior immisericordia può essere, che hauer misericordia dell' offesse, che son fatte à te, senza vsarem ezzi, di far conoscere la grauezza delle medesime offese, e che ne sortisca in loro pentimento, & emendatione.* Et vltra. *Ancora i miei Christi non attendono à quello, che sono obligati di fare, e non aprono gli occhi à vedere quello s'appartiene à loro di correggere, e d'emendare, lasciano scorrere le pouere anime in difetti, peccati e cecità, si che precipitano nel profondo d'ogni miseria, & infelicità.*

E contra vero, quantum emolumenti religiosis cœtibus, Sancti, probi, reformatique Superiores afferant, & ipsa ratio suadet, & comprobat experientia, & Patres testantur. Ex quibus D. Gregorij celebris extat sententia lib. 9. ep. in disp 4. cap. 8. *Præpositorum solicitudo subditorum est cautela.* Sermo erat ad Abbatem Lirinensem: inde infrà. *Study tui cautelam. & tibi ad vtilitatis exemplum prodesse non dubium est.* Ad idem D. Isidorus sen. cap. 37. *Sacerdos, qui digne agit, vt Sacerdotem decet, ministerium eius, & ipsi, & aliis vtile est.* Quantum vero vtile sit, elaganter id recenset Sanctus ctus Laurentius Iustinianus his verbis. *Præsul amator Iustitiæ, obtemperat legi Dei, præcepta custodit, proximum diligit, nemini nocet, cunctis prodesse quærit; dirimit lites, fugit iurgia, tollit odia, afflictis compatitur, largitur propria, aliena non diripit, simpliciter graditur, pacem sectatur, loquitur veritatem, hominis personam non accipit, rem alterius non concupiscit, Deum colit, honorat Sanctos, veneratur iustos, parentibus defert, vniuersisque humanitatis præstat obsequium.* Demum, ne actum erigere videar, cœtus ille religiosus, qui sanctum, rectumque prælatum, (quales innumeri sunt) assequitur, optimus, & felicissimus euadet. Refert Plutarchus in conuiuio septem sapientum, eos inter se mutuo disputasse. *Quænam respublica foret optima, & fælicissima.* Respondisseque Pittacum. *Vbi magistratum gerere, non licet malis, licet bonis.* Sic ergo, pium illum religiosorum cætum, cui sanctus superior præficitur, simili encomio decantare possumus. Nec mirum, quia vt bene Seneca epist. 114. *Æquitas Principis omnia seruat in æquitate, & pace.*

Hinc talibus piis, sanctisque prælatis, qui in 10
religionibus, subditos, doctrina, exemploque pascunt, mille benedictiones imprecari possumus. Christus ad Sanctam Brigittam de sancto prælato hæc dixit. *Prælatus bonus, qui propter amorem Dei, & pro salute animarum, suscipit onus regiminis, non curans de honore, duplicem mercedem habebit. Primo, quod particeps erit omnium bonorum eorum, quotquot perduxit ad portum. Secundo, quod gloria eius augebitur sine fine.* Hæc bonus Pastor, Christus pro bonis pastoribus dixit. Iunge bonum alium pastorem D. Isidorum sic loquentem. 3. sent. cap. 48. *Qui in hoc sæculo bene imperat, sine fine in perpetuum regnat, & de gloria sæculi huius, ad æternam transmeat gloriam.* Adde sanctum alium pastorẽ Laurentium Iustinianum de discipl. monastic. conf. cap. 9. sic dicentem. *Qui pastoris veri fungens officio, animas, quas vitiorum labe fœdatas amisit de sæculo spiritualium studiorum dealbatas lauacro, laborat largiri Deo; hic corona redimitus immortalitatis, inter choros Angelorum magnificè sublimabitur.* Et infrà. *Dignus sempiterna fit gloria, qui non solum se, sed etiam plurimos secum Christo propriis laboribus lucratus est. Tantorum prorsus erit particeps meritorum, quantorum salutis extiterit causa.* Alia ex Patribus adduci possent, quæ plurimis obuia erunt ad intentum. Legatur tamen Climacus, qui de sancto Myna præposito cœnobij verba agens, refert, sanctum eius corpus, è pedibus duos fontes vnguenti optimi emanasse, ita vt totus Mochorum chorus suauissimo repleretur odore. Quod sanctitati huius sancti prælati, piisque sudoribus, & laboribus pedum attributum est.

Horum porro piorum Prælatorum præcipua documen

documenta, quibus subditos suos religiosè instruunt sic descripsit pius quoque auctor Ricardus Halius Theologus Flander. *in libro de proprietate Monachorum in epistola dedicatoria*, vbi hæc expressit. Primum. *Vt hi, qui aliis præsint omnem operam daturi sint, vt quas Leges, & constitutiones suæ fidei commissas acceperunt, eas curent quam accurratissimè à suis subditis obseruari; frustra enim esset bonas leges sancitas fuisse, nisi sint, & magistratus, qui eas in vsum atque praxim hominum deducant.* Secundum. *Quod vitium peculiaritatis, vt Legislator in Regula sua Benedictus præcipit, ante omnia radicitus ex Monasteriis extirpent, & euellant. Ex quo & castitas, & obedientia Monachorum in summum discrimen adducuntur, omniumque aliorum malorum colluuies nasci; & profundi solet.* Tertium. *Abbates ipsos vt aliorum ductores, & arietes gregis versatissimos esse oportet, ne aut quicquam aliis præcipiant in huiusmodi, quod non ipsimet prius parati sint facere, aut in quibus non fuerint ante probè exercitati, & edocti.* Quartum. *Prouideant præterea, & summo studio procurent, vt quibus rebus Religio Carthusiana hactenus viguisse dicitur, solitudine videlicet, silentio, & visitatione perpetua, quæ hac dictione* (So si vi) *comprehendi solent, easdem iam postliminio in integrum restituant. Quod de frequenti visitatione propterea admonui, qui ea in re maximum esse monumentum, & ad serendos bonos mores, & ad eosdem confirmandos, ac stabiliendos esse noui.* Quintum. *Qui si, & hoc diligenter curent, vt contemplandi, & mentaliter orandi modus in Monasteria reuocetur, nihil erit, quod ab eis hac in parte desideretur amplius.* Sextum. *Vt sit mens sana in corpore sano proprij illorum Abbates operam dabunt, vt ad laborem aliquem corporeum, quamuis Monasterium eorum sit ditissimum, fratres suos exerceant, ne quod plerumque accidit ex humore cellarum, & sedentariæ vitæ incommodis in morbos quosdam melancholicos incidant, ad quos pellendos magis eis opus erit Hippocratis fomentis, quam præceptorum documentis, & labor, & latebræ, & voluntaria paupertas, sunt, vt ait Bernard. insignia Monachorum.* Septimum. *Vt haberent singuli ad manum libros suæ professioni aptos, & accommodatos, in quibus ad petram, ex qua excisi sunt, respicere possent communibus monasteriorum sumptibus. Pulcherrimis typis excuderetur liber ille quem vulgo.* Vitas Patrum *appellant, vna cum Cassiano, Climaco, Prato spirituali, Palladio, & cæteris id genus innumeris opusculis. Neque enim dici potest quantopere appetitum hominum spiritualium varietas rerum, quæ in his libris continentur delectet, in quibus Euangelij, & doctrinæ Apostolicæ ipsam quasi praxim licet cernere.* Hæc hic author magnum emolumentum Regularium Superioribus allatura, si ea opere expleant.

11 E conuerso tamen incommoda, quæ ex difformatis prælatis, subditis religiosis eueniant, quis recensebit? Primum illud sit, quod malorum superiorum exemplum non solum subditos, sed & superiores ipsos ad gehennam perducit. Hoc dæmones ipsi, veritate coacti, testati sunt. Vt enim viri docti affirmant: Cum prælati quidam comitiis quibusdam assisterent, principes quoque tenebrarum simile concilium coëgere, & ad illos epistolam hæc continentem transmittunt, *Principes gehennarum, principibus Ecclesiarum, id, quod nobis ipsis, & Gratias vobis referimus, quia propter vestram negligentiam, & mala exempla, quot vobis commissi, tot ad nos missi.* Horrendus casus, & timendus valde à superioribus religionum, si prauo exemplo, aut negligentia familiam sibi creditam gubernent. Ad idem quoque similiter induci posset casus ille, quem ex Antonio Senensi, & Martino Delrio, capite quinto retulimus. Illi enim religiosi, qui in visione illa post mortem, & ad inferorum pœnas traditi apparebant, vere fuerant in religione Superiores. Sic enim ipsi confessi sunt dicentes. *Quod ipsi omnes fuerant eiusdem Ordinis religiosi, & pro maiori parte, Magistri, Priores, Superiores, &c.* Similiter, qui, vt ex alia visione ab eodem Martino relata, constat, dixerunt post mortem & damnationem æternam: *Ambitio, & crapula duxerunt nos ad Tartara.* Absdubiè quoque in religione illa prælationis munere decorati fuerant. Ex quo iam liquet, gehennæ damnationem certissime incursuros improbos, & negligentes prælatos religionum. De illis merito etiam intelligi potest os aureum Ecclesiæ Chrysostomus, dum super epistolam ad Hebræos dixit. *Miror an fieri possit, vt aliquis ex Rectoribus sit saluus, cum videam post minas, & præsentem socordiam, aliquos adhuc accurrentes, & se coniicientes in tantam molem Rectionis, & administrationis. Nam si ij, qui necessitate trahuntur, non habent quo confugiant, & quo se excusent, si rem male administrent, & sint negligentes (Nam & Aaron tractus est necessitate, & venit in periculum, & Moyses rursus venit in periculum, cum sæpe recusasset, & Saul cui fuerat creditum aliud imperium, postquam recusauit, vocatus est in periculum quoniam ipsum malè administrauerat quanto magis iis, qui in hoc suum studium ponunt, & in id irruunt? Qui est autem talis longe magis se omni priuabit venia. Timere enim oportet, & contremiscere, & propter conscientiam, & propter molem imperij, & neque, si semel trahantur, recusare, neque si trahuntur in ipsum irruere: imo vero etiam fugere, præuidentes magnitudinem dignitatis.* De istis etiam loquitur pius, & deuotus Ioannes Rusbrochius, dum inquit. *Tales pastores, vel in tartara relegantur vel pœnitentes, ad immanes purgatorij pœnas.* Forsan propter illos D. Augustinus dixit, & habetur distinctione 40. can. ante omnia. *Nihil apud Deum miserabilius, & damnabilius esse, quam officium mali pastoris in Ecclesia.*

Nec credi difficile erit improbos illos superiores, acriores pœnas subituros, quam si superioritatis officio priuati, soli sibi vixissent. Quod D. Gregorij verbis in suo pastorali confirmare licet. *Qui ad sanctitatis speciem deductus, vel verbo cæteros destruit, vel exemplo, melius profecto fuerat, vt hunc ad mortem sub exteriore habitu terrena acta constringerent, quam sacra officia cæteris in culpa imitabilem demonstrarent: quia nimirum si solus caderet, tolerabilior inferni pœna cruciaret.* Clarè indicans Gregorius, improbum prælatum suæ malignitatis maiores pœnas subiturum. 12

Secundum quoque maximum que incommodum ex inordinata Præpositorum vita prouenire potens, illud est, quod tales, nec possint, nec audeant, subditorum vitia, defectusque corripere: Sicque, tam ipsi, quam ordo in suo semper difformationis, & relaxationis statu perseueret. Hoc exprimit. S. Ephrem superius adductus, inquiens. *Si nos Prælati inobedientes simus, quomodo cæteris obedientiam demonstrabimus? Si gulosi, aut ebriosi, aut auari quomodo inferiores nobis, temperantiam, aut patientiam docere poterimus? Si non temerarij, aut multiloqui, instabilesve fuerimus, quo pacto iuniores, grauitatem morum, ac tolerantiam, constantiamque docebimus?* Hinc etiam D. Hieron. in 13

stola quadam. *Quomodo potest præses Ecclesiæ auferre malum de medio eius, qui in delictum simile corruit. Aut qua libertate, peccantem corripere potest, cum tacitus ipse sibi respondeat, eadem se admisisse, quæ corripit?* Sanctus quoque Laurentius Iustinianus sic etiam ad intentum. *Si Prælatus habet aliquid reprehensibile, quomodo quæso poterit sibi creditos ad mundi adhortari contemptum, à lenociniis abstrahere vitiorum, atque à cupiditate temporalium?* Alibi quoque sic. *Quonam quæso animo, qua fronte, qua authoritate, audebit peccantium redarguere vitia, vitiorum amator? Aut de spiritualibus loqui, cupiditatem carnalium ipse sectator?* Optimè tandem D. Isidorus, dum causam tradit, quare mali præsules subditos corripere metuant, sic loquitur. *Proh dolor inde metuunt, quia, vel amore rerum sæcularium implicantur, vel quia aliquo facinoris onere confunduntur.* Vnde de istis inquit Dionysius Carthusien. sermone 5. de SS. Simone, & Iuda, intelligi illud. *Errore Balaam mercede effusi sunt.* Quia scilicet. *Sibi commissos debitè increpare, atque corrigere negligunt, ne forte illos offendendo, ingratitudinem, molestiamque incurrant, aut suis per illorum machinationem priuentur officiis, fauoribus, siue honoribus, in quibus regnat affectio, commodi potius, quam honesti.*

Quomodo autē Prælati isti negligentes in suorum subditorum correctione à Deo in altera vita puniantur ex vnius Prælati post obitum apparitione relata in Chronicis Ordinis S. Hieronymi facile elicitur. Etenim, vt ibi habetur Ferdinandus Iañez vnus ex primis eius Ordinis fundatoribus vitæ sanctimonia clarus, post mortem apparuit fratri cuidam, habitu Monachali vestitus, sed lacerato, & detrito, vultu tristi, & nigricanti, miserandus sacrificia aliqua postulans, quoniam in Purgatorio detineretur non ob peccata vitæ sæcularis, neque vitæ Religiosæ, sed eo dumtaxat, quod præ mansuetudine, & benignitate noluit videri nimis scrupulosus, & minutus in corripiendis fratribus, quibus præerat, ne grauis illis esset; quod tamen non credebat culpam fuisse, imò prudenter egisse putabat.

14 Si autem religiosus Prælatus crimine proprio impeditus, contra delinquentium vitia, iustitiæ virgam, puniendo, exercere non potest, quo modo prælati iure, nomine censebitur? Teste enim Gregorio. *Prælatus debet esse contra delinquentium vitia, per zelum iustitiæ erectus, vt & bonis in nullo se præferat: & cum prauorum culpa exigit, potestatem sui Prioratus agnoscat.* Etsi enim compassio, & misericordia præsuli religioso necessaria sit, iustitiæ tamē zelus omitti nequaquā potest, sed vtrumque admisceri. Optimè ad hoc Laurentius Iustinianus. *hic itaque se habere debet in cunctis, vt nec iustitia compassionem repellat, neque compassio iustitiæ regulas prætermittat. Nam iustitia sine compassione crudelitas est, & compassio absque iustitiæ rectitudine, ignauia, & pusillanimitas iudicanda.* Quando ergo superior regularis subditorum vitiis irretitus manet, absdubiè ea punire non potest, ac perinde hoc magnum incommodum ex difformatis prælatis, sanctæ Religiones sibi reportant.

15 Denique, quia longum valde esset, damna, quæ ex inordinata vita Rectorum obuenire possunt religionibus, sigillatim recensere, ea quasi coaceruatim ex Laurentio Iustiniano accipiat lector. *Si homo* (inquit) *in regimine positus, suam transgreditur professionem, aut delinquit publicè, notorium infert Ecclesiæ scandalum, honorandæ derogat dignitati, cæterorum præsulum denigrat famam, adimit authoritatem regimini, vilem reddit cathedram sanctitatis, &c.* Inferius quoque, notabilem hanc statuit sententiam. *Non potest non peccare grauiter, qui ad aliorum institutionem deditus, palam offendit.* Doctissimus quoque Trithemius vnico verbo rem totam declarat. *Quoties* (inquit) *homo inquietus, turbulentus, & imperitus, Abbas Monachorum præficitur, mox regularis disciplinæ integritas naufragatur.* Nescio si idem D. Bernardus suspicatus est, dum de improbis prælatis loquens: *Quorum zelus est,* inquit, *pro dignitate tuenda, Dignitati datur totum, sanctitati parum, vel nihil.* Rursus quærens de illorum subditis. *Quid interim faciunt oues?* Respondet. *Hoc quippe fateor, & pascua sunt dæmonum, non hominum.* Ac si diceret nihil non dæmonicum, nihil non diabolicum, nihil humanum in subditis improborum præsulum inuenitur.

Merito proinde sancti Patres, multis opprobriis, 16
maledictis, ac conuitiis, improbos, & difformatos pastores prosequuti sunt: ex quibus D. Isidorus sic. *Deteriores sunt his, qui substantias aliorum, prædiaque diripiunt.* D. Bonauentura de illis sic sentit ex mente Bernardi. *Fures sunt, & latrones, non custodes; neque cultores in vineis.* Optimè quoque Laurentius Iustinianus. *Tales non proprie domini, sed Tiryanni, & raptores sunt; dum non subditorum, sed propria quærunt commoda, diuitiarum videlicet, voluptatis, honoris, & famæ.* Alibi quoque sic. *Negligens pastor, & sola temporalia concupiscens, sua quærens, & subditorum commoda paruipendens, vti fœtidum cadauer, in profundum demergetur abyssi. Ibi cum tenebrarum Principe vltricibus traditur flammis æternis damnabitur cruciatibus.* Pius quoque author Rusbrochius de eis loquens, quos vel in Tartara relegari, vel pœnitentes ad immanes purgatorij cruciatus damnari dicit, sic habet. *Tales vtique veri pastores non sunt, sed lupi rapaces, non parcentes cuiquam, sed communia Dei bona male consumentes.* Et alibi. *Tales semper, vbi rerum temporalium lucra sperant, versuti, rigidi, ac crudeles sunt.* O bella pulchraque encomia à Patribus, improbis prælatis concessa?

Quis iam ignoret, quanta cura, solertique sol- 17
licitudine studendum sit, vt Sancti, recti, reformatique Prælati religionis cœtibus præficiantur? *Pensandum valde est* (inquit D. Gregorius) *ad culmen regiminis, qualiter quisque veniat: atque ad hoc rite perueniens, qualiter viuat; & benè viuens, qualiter doceat; & rectè docens, infirmitatem suam quanta consideratione cognoscat.* Ac si dicat, nihil magis Sanctæ obseruantiæ zelatoribus incumbere debet; quam, quod semper pios, & sanctos pastores, reformatosque regulares, monasteriis præficiant. Vnde in quadam Epistola sic loquitur idem Gregorius. *Omni curà vigilandum est, vt Rector cogitatione sit mundus, operatione præcipuus, discretus in silentio, vtilis in verbo, singulis compassione proximus, præ cunctis contemplatione suspensus, bene agentibus per humilitatem socius, contra delinquentiū vitia per zelum Iustitiæ erectus.* Eleganter quoque idem prosequitur intentum mellifluus Bernardus sic. *Necessaria est nauis ista Prælatis, tribus compacta lateribus, vt sit charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta. Puritatem quidem cordis in eo prælatus habeat, vt prodesse desideret, non præesse; vt proprium commodum, & honorem sæculi, & aliud quidpiam suum in prælatione non quærat, præter solum beneplacitum Dei, & animarum salutem. Sed cum intentione pura Irreprehensibilis quoque necessaria est conuersatio, vt forma factus gregis, incipiat facere, & docere,* ne

ne docens audiat à fratre: medice cura te ipsum. Talis enim occasio plurima damnatio prælati, plurima subditorum perditio est: oportet enim irreprehensibilem esse eum, qui præest; quoniam ea, quæ arguit in discipulis, oportet summopere vitare magistrum. Nec minus eleganter, quid in bono prælato quærendum semper sit, adstruit Sanctus Laurentius his verbis. *Hoc præsidentibus necessarium est, qui amore iustitiæ, & ardore dilectionis proximi, debent opus, non dignitatem quærere; laborem, non delicias, non crescere fastigio, sed humilitate decrescere; vt fiant serui, & ministri hominum propter Christum.* Rursus quoque alibi. *Qui præsunt regimini, non pro accepto glorientur beneficio, sed ex eo quærant fructum, non temporalem, & perfunctorium, sed verum, sed iucundum, sed imprædabilem, sed æternum. Omni insuper, qua valent, industria, à se abdicent, quæ sibi aduersantur, altum videlicet sapere, æstimationem sui, proximi contemptum, mentis hebetudinem, delectationem præsentis vitæ, metum mortis, immoderatamque terrenarum rerum curam.*

18 Porrò in eos, qui indignos ad prælaturæ dignitatem assumunt, optimè inuehitur Riccardus de secur.consc.cap.17. per hæc verba. *Quid quæso est, quod facitis, qui eiusmodi bruta, & bestialia corda in sublime attollitis, & velut in aëre suspenditis? Si verè eos diligitis, cur eis non parcitis? quid quæso, eis aliquid aliud, quam ruinam paratis, dum eos ad alta suspenditis; & quasi in ramis portatis? Quid aliquis quisque suo sublimatori, vel potius subuersori dicturus est in fine, in ipso confinio ruinæ, nisi quia eleuans allisisti me? Conuersentur volucres cœli in ramis, locumque teneant in summis, quos subleuat penna Sanctitatis. Bestiæ sub ramis locum teneant, in imis; & qui pronos vultus habent per appetitum carnis, districtionem sentiant, piæ seueritatis, & iustæ humiliationis.* Caue ergo à simili conuitio, ô Monache, nec patiaris vnquam, quoad potueris, improbum aliquem, aut discolum, prælatum communitati præfici; & multo minus illi suffragium prælaturæ præstes; sciens quod (Aluarez de Paz sic loquitur.) *Veniet Princeps Pastorum, & suarum ouium stragem ab istis præfectis allatam, de manu illorum, qui eos præfecerunt, requiret.* Immo D.Gregorius nobis testatum relinquit. *Peccata reliqua singularis pœnæ meritum obtinent, qui verò carnalem præpositum constituit, tot incurrit pœnarum merita, quot ille fidelibus subditis præbet prauitatis exempla.* Satius ergo erit, si Laurentij Iustiniani consilium accipias, qui prælatum in religione præficere debes: Sic autem monet Iustinianus. *Non petentis personam, non claram progeniem, non amicorum preces, non supplicantis adulationes attendas, sed litteratorum sufficientiam, honestatem vitæ, bonorum testimonium, conscientiæ rectitudinem, ac morum probitatem: Ista profecto sunt, quæ reddunt virum Ecclesiastica idoneum dignitate, non quidem ad plenum, sed quantum patitur humana fragilitas.* Hæc Iustinianus, quæ si feceris, non indignum aliquem, aliorumque pedibus merito calcandum (quod intolerabile religionis malum est) ad thronum prælaturæ, euehes, aut attolles.

19 Si tamen boni prælati conditiones, simulque qualitates scire desideras, vt vel illi, in religiosis cœtibus prælationis suffragium præstes, vel ad talem dignitatem, si potes, attollas, accipe ex Patribus. Ex quibus Gregorius, talibus notis sanctum, perfectumque prælatum subindicat. *Qui nulla illicita perpetrat, sed per petrata ab aliis, vt propria deplorat, qui ex affectu cordis alienæ infirmitati compatitur, sicque in bonis proximi, sicut in suis profectibus, lætatur. Qui ita se imitabilem cæteris, in cunctis, quæ agit insinuat, vt inter eos non habeat quod saltem de transactis mens erubescat. Qui sic studet viuere, vt proximorum corda carentia doctrinæ valeat fluentis irrigare. Qui orationis, vsu, & experimento, iam didicit quid obtinere à Domino, quid poscere possit.* Audi quoque D.Bernardum, qui vt bene expertus huiuscemodi conditiones bono prælato præscribit. *Nec præceps erit in sententia, nec vehemens in vindicta, non in corrigendis remissior, non in parcendis seuerior, non pusillaminis in expectandis, non superfluus in victu, non notabilis in vestitu, non citus ad promittendum, non tardus ad reddendum, non prodigus dator, non tenax ad largiendum.* Pius quoque Dionysius Carthusiensis hæc habet. *Omnino oportet, vt præsidens tantæ sit perfectionis, vt sua bonitate, aliorum malitiam sua humilitate, patientia, charitate, & sapientia, sibi subditorum superbiam, iram, impatientiam, auersionem, imprudentiam, possit vincere. Alioquin non bonus, neque idoneus est medicus animarum.* Hæc, & alia sermone quinto de Dominica 15. post Trinitatem. Eleganter etiam, vt solet, mores boni prælati, Sanctus Laurentius Iustinianus nobis depictos reliquit. Ipsum ergo appellat. *Constantem in opere, latum in corde, in sermone eruditum, compositum in moribus, in se pacificum, iucundum in facie, in regimine prouidum, & in omni sua actione discretum.* Alibi etiam qualiter futurus sit prælatus sic describit. *Sit discretione prouidus, experientia probatus, ordinatus moribus, grauitate maturus, decoratus honestate, sanctarum scripturarum gnarus, austerus in se, proximo compatiens, orationi assiduus corde mitis, eloquio verax, & in omni, si possibile est, spirituali disciplina prouectus.* Demum alia ex Patrius ad hoc intentum libens omittens, & quæ Abbas Trithemius vir satis expertus de regulari disciplina monachorum scripsit, hic subscribam. *Non puer, non indoctus, non carnalis non indigens discretione, nec animo leuis, vel in expertus spiritualium certaminum, in Abbatem ordinandus; sed moribus canus, in diuinis scripturis eruditus, spiritu ambulans in vera conuersatione sanctitatis, pius, mansuetus, mente tranquillus, atque quietus, qui & improbis iudicium, & beneuolis nouerit exhibere miserationem.* Hæc Trithemius: ex quo Patribusque relatis, boni superioris qualitates accipere licet.

Iure etiam inter boni Prælati notas ea recenseri debet quod ipse plus agere quam loqui, & plus opere, quam sermone agendum æstimare debeat Illud Ecclesiastici 4. semper præ mente habens: *Noli citatus esse in lingua tua, & inutilis, & remissus in operibus tuis.* Seu vt Arabicus textus habet: *Ne sis tumidus in lingua tua, & iners & negligens in operibus tuis.* Quasi dicat; Noli esse celer in mandando, tardus in operando, vt multa aliis ordines, & mandes; sed nolis ipse manum operi admouere. Verus enim familiæ, cœtus, & belli, dux non dicet suis. Ite facite hoc milites. Sed, Eamus, faciamus, commilitones, primusque suis anteibit, & manum operi admouebit, vti dicebat, faciebat Iulius Cæsar. Ad quod valde deseruit Apologus Leonis, & asini apud S.Cyrillum *lib.1. Apologorum Moralium. cap.16.* cuius titulus est: *Dic voce tenui, & age actu grandi. Leonem,* inquit, *socius asinus antecedens, cum de longè Luporum turmam aspiceret, eminus cœpit vocem emittere, vt eius granditate venesa grex inimicus discederet perculsus. At verò cùm hostes à clamore hunc esse asinum cognoscerent, fixi stantes cœperunt ridere, scientes tantum sonitum pectoris minime respondere virtuti cordis. Tunc leo percepta voce*

statim cucurrit ad socium, atque dixit: Amice quid tibi est, quod clamasti? cui ille: Mi frater, grex luporum apparuit, quem grandi voce perterrui, nec se mouet: Sed mox ad odorem tuum, non sine mea admiratione disparuit. Ad hæc Leo prudenter subridens: Si nosti, inquit, nequam, lupus est callidus, clamorem deridet, ac virtutem tantum timet, latratum canis subsannat, dummodo morsum effugiat. Nimirum expertus miles tubam bellicam non pauescit, sed gladium: & eruditus Philosophus nubis tonitruum non veretur, sed fulgur. Quid enim est clamor nisi pectoris euacuati, & oris sonus effusus? Nempe vacua magis sonant, ventosaque concrepant. Quapropter charissime, qui clamoribus vtitur, à sapiente minime timetur. Quoniam ventosus, & vacuus sine virtutis soliditate fore cognoscitur. Clamore siquidem iracundiæ flamina in clibano cordis accenditur de qua statim fumus exoritur, & obfuscata ratione, virtutis splendor fuscatur. Ex lumine namque rationis oritur virtus. Quare magis prudenter id efficitur, quod inanis apparentiæ spreta voce, rei granditate finitur. Sic regularis cœli motus cum sit actus virtuosus, grandi virtute sine sono completur. Quo dicto de clamorosa voce confusus asinus, à Leonis societate discessit. Hæc si rectè expendantur quamuis festiua, & ludicra appareant contra Prælatos, tamen multa clamantes, & parum, aut nihil operantes manifestè sunt.

20 E conuerso tamen, imperiti, & inepti prælati notas, præter adductas, alias quoque ex Bernardo transcribimus. Hæ ergo sunt. *Gradus summus, & animus infimus, status supremus, & gressus minimus, sedes prima & vita ima, lingua magniloqua, & manus otiosa, sermo multus, & fructus nullus, vultus grauis, & actus leuis, ingens authoritas, & nutans stabilitas.* Hæc Bernardus. Vt verò vno verbo loquar, & quod expertus dicam, nullum maius indicium inepti, & imperiti prælati esse potest, quam si solum rebus temporalibus transitoriis, & terrenis deditus conspiciatur, rebus autem spiritualibus, æternis, & animarum saluti pertinentibus, parum, aut nihil addictus videatur. Quæ prauitas quantum nocumentum religionibus afferat, expressit sanè verissimè Guillermus de Peraldo Dominicanus in tractatu de professione Monachorum, sic loquens. *Hæc negligentia multa Monasteria, in quibus omnia honestè, & secundum ordinem fieri debuerunt, in tantam inordinationem, & confusionem induxit: quod in eis est terra sursum, & cœlum deorsum, pedes sunt supra, caput infra, facies est retro, inferiora effusa sunt extra. Deus ibi conculcatur, & terra deificatur, diabolus honorificè recipitur, Deus verò, & contumeliosè repellitur, vel ignominiosè recipitur.* Et rursum. *Si populum peccantem viderint, obticent; omnes de suo honore solliciti sunt, de honore autem Dei nullus. Cadit asina, & est qui subleuet, perit anima, & non est qui cogitet. Pedes sunt supra caput, vbi viri spirituales despiciuntur, homines verò terrena sapientes, ad regimen vtiles, & in honore, habentur:* Hæc Peraldus.

21 Si verò vnicam, singularemque notam à me quispiam exposcere velit qua bonus, rectus, sanctusque Prælatus palam dignoscatur, & cui merito prælationis onus imponi debeat, illud dicam, quod sit vir orationi vacans, orationi intendens, orationique deditus: hoc enim vnico pharmaco, & suæ domui, cui præponitur mederi, sibique, veri bonique Pastoris nomenclaturam conciliare poterit. E contra tamen si orationis præsidio destitutus sit, regularis prælatus nec sibi, nec aliis, vtilis esse poterit. Audiatur Gregorius, qui sæpius hanc veritatem nobis scriptam relinquit. In Pastorali ergo cap. 10. dum quærit, *qualis quisque ad regimen debet venire.* Sic respondet. *Qui orationis vsu, & experimento iam didicit, quod obtinere à Domino possit, cui prophetica voce iam quasi specialiter dicitur: adhuc loquente te, dicam, ecce adsum.* Rursus alibi. *Qui de rebus dubiis semper ad tabernaculum recurrit, coram testamenti arca, Dominum consulit, exemplum proculdubio rectoriaus præbens, vt cum foris ambigunt quid disponant, ad mentem semper, quasi ad tabernaculum redeant, & velut coram testamenti arca, Dominum consulant.* Inferius quoque, quærens quantum Rector sacræ legis meditationibus esse debet intenrus? Respondet. *Omne hoc.* (id est totum suum munus, & officium) *rite à Rectore agitur, si supernæ formidinis, & dilectionis spiritu afflatus, studiosè quotidie sacri eloquij præcepta meditetur.* Sanctus quoque Bernardus in epistola quadam Prælatum quendam de sui officij munere instruens, orationis exercitium illi præcipue his Verbis commendat. *In his duobus mandatis, verbi scilicet, atque exempli, summam tui officij, ad conscientiæ securitatem, pendere intellige. Tu tamen si sapis, iunges, & tertium studium videlicet orationis, ad complementum vtique trinæ illius repetitionis in Euangelio, de pascendis ouibus Ioann. 21. Manent itaque tria hæc, verbum, exemplum, oratio; maior autem his est oratio.* Hæc Bernardus. Ad idem Abbas Ioachim super Apocalypsim, p. 1. expendens, quod Eliseus iubeatur respicere in cœlum in ascensu patris Eliæ dicit. *Necesse est, vt iugiter intueatur in cœlum, vt sine intermissione memor sit Dei sui quicunque prælatus, &c.* Iunge quoque D. Laurentium Iustinianum in lib. de institutione prælatorum c. 10. ad nostrum intentum, sic loquentem. *Prælatus sit in oratione assiduus, & postulet pro se ipso à Deo. Consilij donum exquirat, ad apprehendendum insinuandumque, quid perniciosum, quidue proficuum sit, tam sibi, quam cæteris ad se accedentibus; ne petra efficiatur scandali, &c.* Itemque rursus. *Quoties populus spiritualiter, seu corporaliter fatigatur in prælio, si quando diuina præcepta grauiter peccando transgreditur, quandiu æquissima animadursione percutitur, ad orationis debet prælatus aduolare præsidium: ibique corde compunctus, prostratus corpore compassione plenus, ignitus charitate, deprecari Dominum, &c.* Rursusque clarius. *Expedit illi, qui pastorale gerit officium, Dei iugiter orando astare conspectui, & nunc piè interuenire pro populo, nunc humiliter supplicare pro se.* Et infrà. *Quis enim valet per se ipsum persoluere debitum pastoralis officij, nisi introrsus sit imbutus, in spiritu roboratus, atque directus.* Adhuc inferius. *Fallitur profecto, quisquis opus hoc periculosum, & grande, absque deuotionis pabulo, & orationis præsidio, prout decet, co summare se putat.* Hæc Iustinianus, pulcherrima sane ad intentum, quod quærimus.

Placuit præterea duos Carthusienses Patres intentum nostrum docentes in medium proferre. Ex quibus D. Dionysius, de modo, quo Abbas, vel superior in religionibus reformandis se gerere debeat, sic loquitur. *Quo maior res est reformatio communitatis, eo amplius dependet à Deo, & tanto plus necessarium est speciale subsidium directionis, & cooperationis Spiritus sancti. Abbas ergo, siue superior ad reformationem suorum subditorum, verè, ac ordinate volens procedere, imprimis humiliet se profundissimè coram Deo, propriam insufficientiam, totis præcordiis confitens, adiutoriumque diuinum lachrymosè, affectuosissimè, & indesinenter exorans, vt se illuminet,* 22

luminet, dirigat, & confortet, ad exhortandum salubriter, ad agendum exemplariter, ad consummandum feliciter, subditorumque corda dignetur misericordissimè intueri, mollificare, & aperire, ad audiendum, consentiendum, ad perficiendum, quod eis suadetur, & ad quod tenentur. Hæc Dionysius. Pius quoque & grauis author Ioannes Lanspergius Carthusianus etiam, dum Priores, aliosque superiores religionum instruit; qualiter se circa curam domus gerere debeant, sic piissimè monet. *Ipsi quidem cuncta regant, magis tamen oratione, quam discursu, & occupatione. Ipsi oratione fruges serant, & arbores. Ipsi oratione tueantur pecudes. Ipsi oratione totam familiam, atque omne prorsus monasterium gubernent, foueant, ac protegant. Felicius, fortiusque olim in Amalechitas Moyses oratione, quam Iosue armis pugnauit; imo, vt vinceret, ille oratione impetrauit. Pari modo hoc faciunt Priores, orationum suarum vbertate, quod cæteri exequuntur discursu, & solicitudine. Omnibus intersint officinis, omnibus assistant fratribus: nulli domus negotio desint, orationum protectione. Oratione pericula abigant: Oratione animas sibi creditas muniant, & sentient, facto periculo, plus sese oratione in quiete proficere, quam illa neglecta, corpore, & animo moueri.* Hæc pius auctor pie sane, orationis exercitium prælatis Religionum commendans. Si ita fiat, vt par est, crederem absdubie sanctos, rectosque prælatos omnes euasuros.

23 Hoc tandem in calce annotare libet, dum boni prælati conditiones quærimus, eos solum regulariter loquendo, bonos, & vtiles futuros prælatos, qui ad regimen religionis inuiti, coacti, penitusque renuentes subuehuntur. Hoc Philosophi, & Patres sæpius clamant. Plato de repub. aiebat: *Turpe est, vt quis sponte ad imperandum accedat.* Lex quoque Valentiniani, & Marciani sic habet. *Felicem fore rempublicam, si à nolentibus, & actus publicos recusantibus, gubernetur.* Alexander quoque Seuerus dicere solitus erat: *Inuitos, non ambientes, in rempublicam collocandos.* Quos imitatur Episcopus Pacensis dicens: *Magistratus dandi sunt hominibus Imperij minime cupidis.* Ex Patribus, satis hoc habet D. Gregorius, quærens enim, cur Moyses tantumdem recusaret Ducatum populi: Paulus autem non ita aduentum in Hierosolymam, respondet; *Quia prosperis huius sæculi, ex sola iussione, aduersis autem etiam ex deuotione militemus.* Optimè Ioannes Rusbrochius in libro de contemplatione capite 50. dixit. *Qui præ alio honorari appetit, nullo dignus honore est.* Et capite 55. *Qui ad dignitates spirituales electi sunt, & vocati tanquam Aaron, hi veri sunt Prælati, & placent Deo. Qui autem ipsi se eligunt, ac ingerunt, eos plane reiicit, reprobatque Deus.* Alia ex Patribus omitto.


24 Sed quod Hugo Victorinus celebris author circa præsentem causam, qualiter scilicet Religiosi circa prælaturas accipiendas, vel non, se gerere debeant simulque aliorum Patrum circa hoc sensum non pætermittam. Hugo sic habet, claustr. lib. 2. cap. 12. *Sunt quidam, qui sciunt, & possunt, & volunt præesse; quidam qui sciunt, & possunt, sed nolunt: quidam qui nec sciunt, nec possunt, sed volunt: quidam, qui nec sciunt, nec possunt, nec volunt. Scire, & posse, & velle, charitatis est, vel superbiæ: scire, & posse, & nolle humilitatis, vel inertiæ: nec scire, nec posse, sed velle cupiditatis, & stultitiæ: nec scire, nec velle, discretionis, & prouidentiæ. Qui enim sciunt, & possunt & volunt præesse, si volunt prodesse, charitatis est: alioquin superbia. Qui verò sciunt, & possunt, sed nolunt, humilitatis est, quod renuunt, inertiæ vero cum sciunt si omni desistunt. Qui autem nec sciunt, nec possunt, sed volunt, ambitionis videtur esse, quod volunt: stultitiæ si velint, quod nec sciunt, nec possunt. Illi siquidem, qui nec sciunt, nec possunt, nec volunt, prudenter agunt.* Hæc Hugo Vict. Diui Isidori sensus libro tertio de summo bono cap. 33. hic est. *Multis intercipit Satanas fraudibus eos, qui vita, & sensus cupiditate, vtilitate præstantes præesse, & prodesse aliis nolunt.* Sancti Bernardi mens epistola 86. hæc est. *Nec præesse refuge, dum prodesse potes, quia væ tibi si præes, & non prodes, sed væ grauius, si quia præesse metuis, prodesse refuges.* Abbatis, quoque Ioachim, in cap. 3. Apocalypsis hæc est sententia ad hoc propositum. *Non est parui pendendi muneris habere materiam profitiendi in populo, pro quo passus est Christus nec quasi humilitatis gratia, dum quis vocatur à Deo, nolle conseruis suis fructuosam impendere seruitutem. Quia sicut ambitiosa voluntas detestabilis est, ita amor proficiendi remuneratione condignus.* Sancti Thomæ sensus 2. 2. quæst. 185. art. 12. & quolibet 5. hic est per huiusmodi sententias expressus. *Primatum Ecclesiæ concupiscere, neque iustum est, neque vtile. Quis enim sapiens vult vltra se subiicere seruituti, & periculo tali, vt det rationem pro Ecclesia, nisi forte, qui non timet Dei indicium?* Rursusque; *Potest aliquis laudabiliter considerans proprium defectum, ex humilitate officium prælationis recusare.* Præterea sic habet *Melior est intentio prælationem fugientium secundum proprium desiderium, dummodo non adsit necessitas ex parte imponentis hoc onus:* Tandem sic habet. *Quia ergo valde difficile est, purgatum se quemlibet posse cognoscere, prælationis officium tutius declinatur.*

Ecce sancti Religiosi modum vobis à patribus præscriptum, quo prælationum dignitates accipiendæ, vel reiiciendæ erunt. Humilitatis pedibus prouoluti dignitatum fastigia fugite. Obedientiæ tamen nexibus ligati, quæ vestris humeris impossibilia non sunt, subite, vt enim quidam. Prudens dixit. *Ambienda dignitas non est, nec sollicitè quærenda, nec proteruè repellenda.* Faxit Deus in omnibus Dei honorem, & gloriam quæramus. 25

SVMMARIVM.

Auaritia non modò sæculares, sed & Religiosos plures suo veneno inficit num. 1.
D. Basilius omnem bonorum temporalium possessionem à Monachis ablegandam esse docet. num. 2.
Non pauca contra auaritiam Monachorum ex Sancto Ephrem eliciuntur. num. 3.
Hieronymus totus eò contendit, vt Heliodorum à diuitiarum amore abducat. num. 4.
Quàm prauè sentiendum de Monachis, qui congregandis pecuniis dediti sunt. num. 5.
S. Nilus de cupiditate fugienda qualiter Monachos admoneat. num. 6.
Antiochus non minus cæteris cupiditatem Monachorum aspernatur. num. 7.
In quanto damnationis periculo versentur cupidi Regulares. num. 8.
Auari Monachi indoles exprimitur. num. 9.
Pia Hug. Victorini verba ad intentum num. 10.
Auaritia quasi pestis à Monachis detestanda. n. 11.
Causam relaxationis plurium Regularium, rerum temporalium abundantiam censet Dio. Carthusianus. num. 12.
Quàm terribilia contra auaros Religiosos protulerit Laurentius Iustinianus. num. 13.
Quædam ex S. Brigittæ reuelationib. ad propositū. n. 14

Quanto zelo vanam bonorum temporalium curam in Monachis detestetur Ioannes Rusbrochius.num.15.
Superfluam Regularium supellectilem quanto odio prosecuta sit B. Magdalena de Pazzi. ibidem.
Salutare monitum Hieronymi Sauanarolæ. numero.16.
Quot laudibus extollant S. Patres Religiosam paupertatem. num.17.
Grauissimis Sanctorum Patrum exemplis Religiosa paupertas comprobatur. num.18.
Singularis deprecatio S.Paulini cum Barbari Nolam vastarent, adducitur. num.19.
Priscorum item Monachorum exempla pecunias sibi oblatas respuentium ibid.
Omnia fermè vitia inuadunt animum Religiosi auari. num.20.
Alia auaritiæ Monachorum incommoda recensentur. num.21.
Iunguntur vitia, quæ ex peculio Religiosorum procedere possunt. num.22.
Quam charitati aduersetur cupiditas temporalium. ibid.
Item quantum contrarietur paupertati Religiosæ. numero 23.
Auari Religiosi etiam actiones sacras vtputa confessiones, &c. turpis lucri gratia exequuntur. numero. 24.
Horrendum aliud malum annumeratur. numero 25. & 26.
Quàm certum sit æterno supplicio dignum Regularem gulæ ventrique deditum. 27.
Religiosi propter pecuniæ possessionem habitu exteriori religioso statui contrariò vtuntur. num. 28.
Quale detrimentum suæ salutis æternæ patiantur Religiosi vestium culturæ nimium dediti. numero. 29.
Præcluditur ementita quædam excusatio. n. 30.
Vitiosæ cupiditatis prætextu necessitatis nihil concedi debet. num. 31.
Pecuniis congestis miserè priuantur Regulares auari. num. 32.
Æternam sibi præparant gehennam. ibid.
D. Cyrilli Apologus in præsenti causa. numero 33.



Capvt XVI.

Nimia bonorum temporalium cupiditas Religiosos deformat.

1 Pestilens adeo est auaritia, nimiaque bonorum temporalium cupiditas, seu appetentia, vt non modo sæculares fere omnes, sed & Religiosos plures, veneno suo forsan inficere, sauciare, & perdere possit. *Certè multis nomen pauperum* (dicebat Sanctus Hilarion) *occasio auaritiæ fuit*. Nec mirum sane, dicente Propheta. *Omnes auaritiæ student*. Et Chrysost. *Omnium corda possidet, & tyrannica dominatione deuincit*. Tale ergo, ac tantum malum procul, à religionibus abigendum Patrum, antiquorumque Monachorum verbis & exemplis comprobemus.

2 Accedat primus Sanctus Basilius egregius monasticæ perfectionis instructor qui in constitutionibus suis monasticis clarissimè omnē bonorum tēporaliū possessionem à Monachis ablegandam esse docet. Cap. ergo 35. sic habet. *Debet autem pietatis cultor qui eam, quam supra exposuimus in Vita communitatem amplexus est, ab omni priuata rerum possessione, liber esse*. Et infra. *Omnimodè fugiendum nobis est, ne priuatim omnino quidquam possideamus præter ea, quæ promiscuè omnibus simul comparantur.* Alibi quoque sic. *In societate fratrum nihil priuatim haberi debet, qui enim dicit suum aliquid esse, is seipsum alienum reddit ab Ecclesia Dei*. Ecce tibi religiose, consultor adest Basilius, & temporalium bonorum possessionem priuatam abdicare conatur. Hoc vero tibi ad perfectionem tui status conducera idem Basilius sic docuit. *Perfectissimam ego vitæ rationem illam appello, à qua priuata omnis rei cuiusque exclusa possessio est, & eliminata*. Satis indicans, numquam religiosum ad sui status perfectionem debitam peruenire posse, nisi omnem rerum priuatam possessionem à se abiiciat.

Sequitur vt solet sanctus Ephrem Syrus ex quo non pauca contra auaram cupiditatem Monachorum, diuitias, bonaque temporalia sectantium elici possunt. Primo ergo in Parænesi prima sic loquitur. *Diuitias ne consecteris monache, angusta enim & stricta via*. Ac si dicat; quod monachus temporalibus diuitiis onustus, ianuam regni cœlestis ingredi non possit. Vnde subiūgit. *Diuitias manibus contrectans non intromitettetur in portas regni cœlorum.* Rursusque. *Mala est monachis auaritia, eos regno Dei priuans*. In tractatu quoque de monacho, & turture sic habetur. *Monachus auarus, & diues, mundanus professor*. Et infra. *Neque monasticum habitum ferre possunt, qui sæcularibus diuitijs sunt dediti. Non enim possibile est, Deo seruire & mammonæ*. Et inferius. *Si videris monachum diuitem, & auarum, opes caducas sectantem, deplange illum; quoniam in nocte, ac tenebris talis ambulat*. Rursusque. *Cur igitur lætiferas tibi diuitias consciscis, ô monache?* Rursusque sic concludit. *Tu vero ô monache, hasce diuitias ne appetas, nec possideas, neque congreges, nam monachi primum, & magnum mandatum secundum Deum est paupertas*. Tandem alibi, tentationem Satanæ esse dicit, monachis superflua quærere, etiam sub prætextu egestatis. *Sic monachum* (inquit) *inimicus tentat, vt qui large ac liberaliter suas opes in pauperes disperserit, vilissima deinde quæque, egestatis prætextu, iniustè persequatur*. Hæc Ephrem, qui solus sufficeret, vt improbam Monachorum auaritiam retunderet. 3

Accedit magnus Pater Hieronymus, qui in epistola ad Heliodorum, totus eo contendit, vt illum, vt pote monachismi studiosum, à diuitiarum amore abducat. Hinc ferè in principio epistolæ, sic habet. *Qui in Christum credis, & eius crede sermonibus. Quærite primum regnum Dei, & hæc omnia ponentur vobis. Non pera tibi sumenda est, non virga est. Affatim diues est, qui cum Christo pauper est*. Et infra circa medium. *Perfectus seruus Christi, nihil præter Christum habet, aut si quid præter Christum habet, perfectus non est. Et si perfectus non est, cum se perfectum fore Deo pollicitus sit, mentitus est. Os autem, quod mentitur, occidit animam. Igitur, vt concludam, si perfectus es. Cur bona paterna desideras? Dominum fefellisti, si perfectus non es. Dominicis Euangelij vocibus consonat, non potestis duobus dominis seruire: & audet quisquam mendacem Deum facere, mammonæ, & Domino seruiendo. Vociferatur ille sæpe: si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me, & ego onustus auro arbitror Christum me sequi*. Alibi quoque sic. *Monachum, quem senseris tibi aut semper, aut crebrius de nummis loquentem* 4

quentem, excepta eleemosyna, quæ indifferenter omnibus patet, institorem habeto, potius quam monachum. In regula quoque hæc animaduertit, pro suppellectili religiosa. *Neque opus sit clauibus, vt iam ipsis monstretur exteriorum indiciis, quod nihil habetur extrinsecum præter Iesum.* Grauissima hæc verba Sanctus Hieronymus scripsit: Ille verò satis eleganter auaram cupiditatem quorundam religiosorum (nescio cuius æui) reprehendit. Audiant, & perlegant, sciantque quantum à perfectionis tramite absint, qui semper pecuniis, bonisque temporariis congregandis inhiabunt. Vnde alio loco religiosos quosdam cupiditati, auaritiæque deditos, solum habitu, & voce, non reipsa sæculo renunciasse, sic docet. *Vidi quosdam, qui postquam renunciauere sæculo, vestimentis dumtaxat, & vocis professione non rebus; nihil de pristina conuersatione mutarunt, res familiaris, magis aucta, quam imminuta. Eadem ministeria seruulorum, idem apparatus, &c.* Timeant ergo religiosi nostri, ne de illis, sicut de antiquis hæc Hieronymi verba sumantur, si infami auaritiæ vitio deseruiant.

5 Ioannes quoque Cassianus antiquus monasticæ reformationis defensor, quam prauè sentiendum sit de regularibus, qui congregandis pecuniis, bonisve terrenis dediti sunt habet his verbis. *Quod pudet dicere, ita plerosque abrenunciasse conspicimus, vt nihil amplius immutasse de anterioribus vitiis, comprobentur, nisi ordinem tantummodo, atque habitum sæcularem. Nam, & adquirere pecunias gestiunt, quas ante possederunt, vel certè, quas habuerant retinere non desinunt, aut quod est lugubrius, etiam amplificare desiderant.* Indicat sanè his verbis solum habitu, non reipsa monachum esse, qui bonis temporalibus adquirendis studet. Rursusque idem author. *Vitium cupiditatis, & auaritiæ, quod erga species pretiosas exercere non possunt, circa viliores materias retinentes, non abscidisse, sed mutasse probant. Eadem, qua antea, libidine detinentur, quasi differentia tantummodo metallorum, & non ipsa passio cupiditatis, habeantur in noxa* In opere quoque de institutis monachorum lib. 7. contra hoc vitium auaritiæ, quod ipse græco nomine phylargyriam appellat, conscribit. Vbi inter alia sic loquitur. *Vitium hoc non aliunde in monacho sumit principium, quam de corruptæ, ac torpidæ mentis ignauia, & plerumque initio abrenunciationis male arrepto, & erga Deum tepido amore fundato.* Vt inde non temerè iudicare censeamur, si monachum cupidum, corruptæ conscientiæ, deprauatique Spiritus dicamus. Capite quoque septimo eiusdem libri futilem esse, & inanem eorum monachorum excusationem, qui sub falso prætextu necessitatis corporalis, pecunias congregant, grauissimis verbis ostendit. Ea verò nos commodius infra adducemus.

6 Ad hæc Sanctus Nilus antiquus, & grauis monachus, sæpius de cupiditate fugienda monachos admonet. In parænesibus, sic habet. *Ne appetas bona, quorum vsus præterit, & possessio perit.* In oratione etiam de auaritia sic. *Monachus, qui multa possidet, est velut nauis onerata, quæ in fluctuum tempestate facile submergitur; quemadmodum enim illa singulis vndis aspergitur, sic opulentus sollicitudinibus opprimitur.* Et rursus. *Monachus auarus laborat vehementer. Monachus auarus auro studet arcam implere. Execrabilis est, qui facit Idolum: huic similis est, qui auaritiæ vitio laborat.* Hæc, & alia ex sancto monacho Nilo excipi valent.

7 Accedit Antiochus monachus inter Bibliothecæ authores iure relatus, qui non minus cæteris, cupiditatem monachorum aspernatur, *Monachus* (inquit) *inhians cumulandæ pecuniæ, enixissimè intendit operi, qui autem nullum quærit possidere peculium, nunc orationi strenuam dat operam, nunc in lectione est totus. Monachus pecuniæ studiosus thesaurum corradit, & indit marsupio.* Dixerat autem in antecedentibus. *Impossibile est, eum, qui congerendæ pecuniæ sit cupientior, secundum Deum vitam, vt instituat suam.* Hæc ex Antiocho excipere valui.

Sanctus quoque Theodorus Studites inter Bibliothecæ Patres Venerabilis, de auaritia à monachis fugienda, sic illos monet in Epistola quadam. 8
Contenti præsentibus auersemur cupiditatem congerendæ pecuniæ, nec vllum possideamus peculium. Et infrà post aliqua. *Equidem, si ad hanc viuendi formulam conuersabimur, in nobis glorificabitur Deus. Professio nostri huius propositi magni æstimabitur, & aduersarij quanticumque fuerint, suppudescent: denique ad conuersionem inuitabuntur. Quod si non ad eum modum vixerimus, male nobis metuo, ne prosperata beatitudine, æternam reportemus condemnationem.* Audiant hæc regulares cupidi, & auari (si qui sunt) videantque, in quanto suæ damnationis periculo versentur.

Ex eadem quoque Bibliotheca Abbas Marcus in consultatione quadam, seu colloquio cum anima sua, sic arguit monachos, qui rerum caducarum possessioni, multum sunt addicti. *Et nos, inquies, anima chara, nec aurum cumulamus, nec prædia possidemus, & ego respondebo tibi, nec aurum, nec prædia per se detrimentum afferre, sed præposterum illorum vsum. Quidam enim diuites, cum diuitiarum amore minime tenerentur, Deo placuerunt, vt sanctus Abraham, & Dauid. Nos verò sine diuitiis auaritiæ vitium in materia abiectissima nutrimus, non cumulamus aurum, sed res vilissimas congerimus. Principatus, & Dignitates non accipimus, sed omni ratione gloriam, & laudem aucupamur.* Hæc Marcus satis verè auari monachi indolem exprimens. 9

Pius quoque author Victorinus, pia etiam verba pro hoc intento habet lib. 1. Miscellan. tit. 10
198. *Vt enim (inquit) nimio onere cumulata nauis, vndarum ictu obruitur, sic multa possidens monachus, in via impeditur; nihil possidens quasi Aquila ad celsitudinem peruolat, tuncque solum descendit ad escas quando compellit necessitas. Nihilque possidens, vt cursor leuis, velociter ad brauium supernæ vocationis Dei perueniet. Nihil possidens monachus thesaurizat in cœlo, & canit Deo laudes die, ac nocte in timore Dei. Gloriatio monachi cum nullas res præsentis vitæ possidere desiderat.* Hæc, & alia Victorinus.

Sanctus quoque Bernardus plura pro pio in- 11
tento piissimus Pater suppeditat, in tractatu de ordine vitæ auaritiam, vt pestem detestandam monachis, sic describit. *Est, & tertium genus pestis huius, quando monachus ex ipsis necessariis, sine quibus viuere non potest, plus desiderat habere, quam necesse sit; aut ea volumus in monasterio possidere, quæ si essemus in sæculo, minime habere valeremus.* Hinc alibi ipse pater sic habet. *Clericus, qui partem habet in terra, non habebit partem in cœlo. Clericus, si quippiam habuerit præter dominum, pars eius non erit dominus. Verbi gratia, si aurum, si argentum, si possessiones si variam suppellectilem cum istis pars eius dominus fieri non dignatur.* Hinc etiam in Psalm. Qui habitat; Monachorum auidè lucra captantium, bonaque temporalia sollicitè exquiren

exquirentium, sic sortem deplorat. *Videas fratres quosdam, tam auidè lucra captare præsentia, tam sæculariter transitoriis vtilitatibus adgaudere, ad terrenarum damna, vel minima facultatum, tam pusillanimiter turbari, tam carnaliter super his decretare, discurrere tam impudenter, tam irreligiosè secularibus sese implicare negociis, ac si hoc esset tota eorum portio, hæc vniuersa substantia.* Belle miseram conditionem cupidorum regularium describit, & quantum malum sit terrenis diuitiis inhiare docet; vt à tãto vitio religiosi omnes procul simus. Optimè etiam idem Bernardus ad monachos S. Bertini scribens, contra religiosos, qui magnis rebus contemptis, in paruis nimium delectantur, hæc habet. *Miserabiliores sumus omnibus hominibus nos Monachi, si pro tam exiguis tanta patimur detrimenta. Quid enim insipientiæ, imo quid insaniæ est, vt qui maiora reliquimus, minora cum tanto discrimine teneamus? Si mundum contempsimus vniuersum, si abrenunciauimus affectibus propinquorum: si monasteriorum carceri mancipauimus nosmetipsos, si denique non venimus voluntatem nostram facere, sed imposuimus homines super capita nostra, quid non oportet fieri, ne forte contingat hæc omnia nobis in insipientia nostra; & negligentia deperire?* Attendant hoc Monachi omnes, videantque quid sentiat Bernardus de iis, qui quantumuis modicis rebus, animo, voluntateque adhærescunt.

12 Clarissime quoque Dionysius Carthusianus ser. 6. de Dominica decima post Trinitatem, causam relaxationis plurium regularium rerum temporalium abundantiam censet, dicens. *Sic, multis heu religiosis causa dissolutionis, & negligentiæ, ac quotidianæ ruinæ, seu defectionis, est temporalium abundantia rerum, paxque carnalis. Dum enim temporalibus rebus abundant, seipsos superfluè, ac lautè reficiunt, nec necessariis sunt contenti, sed curiosa requirunt. Lautè autem, & immoderanter refectos magis delectat confabulari, iocari, ridere, ludere, quam orationibus, meditationibusque vacare, compunctioni, & discussioni propriæ conscientiæ insudare, seu lectioni, aut alteri exercitio virtuoso, vtilive labori insistere. Et ita mente infrigidantur, vanitatibus dissoluuntur, & noxiis cogitationibus immorantur, non formidantes, &c.* Item serm. 12. de natiuitate Domini, inter alia hæc habet. *Per quid adeo periit monastica omnis sacra religio, sicut per temporalium affluentiam rerum? Ex qua, immoderantia, & exquisitio ciborum, ac potuum, multaque alia vitia gulam*
13 *consequentia oriuntur.*

Adstipulatur ad idem intentum Sanctus Laurentius Iustinianus sæpius docens, cupiditatem temporalium bonorum nullatenus regularibus sectandam esse. In sermone de ramis sic habet. *Quicumque renunciantes sæculo, sanctæ religionis, ac paupertatis voluntariæ, se voto strinxerunt, nihil omninò possidere valent in terra; quippe cum illis cœlestis hæreditas spondeatur.* Et infrà. *Disce itaque, ô religiose, nihil proprium habere in sæculo, vt cœlestem hæreditatem consequi merearis in cœlo. Disce inquam, nedum temporalium facultatum reiicere sarcinam, verum etiam illarum à te abdicare affectum, ne irrita censeatur esse professio tua. Sat tibi sit Monasterij communis substantia de qua vnicuique necessaria ministrantur abundè. Ditior prorsus eris, si contempseris omnia, quam si pecuniarum, & gemmarum millia possidebis.* Adhuc inferius. *Minime religioso congruit quidquam dicere suum, vbi omnia omnibus censentur esse cõmunia.* In ligno quoque vitæ sic habet. *O pestis maligna, ô detestanda auaritiæ obedientia, & semper bonis animis exhorrenda, quid illæsum, quid inconcussum dimittis?* In libro etiam de obedientia, terribilia hæc contra auaros religiosos, eorumque cœnobia protulit. *Sunt multa cœnobia, quæ non sanctorum habitacula, sed latronum sunt dicendæ speluncæ, spectacula dæmonum, & officinæ vitiorum.* Hæc vero opprobria, & conuitia in auaritiam monachorum refundit dicens. *Vbi enim quisque priuata quærit commoda, pecunias cumulare non desinit, &c. ibi proculdubio religionis destructus est cultus.* Ecce quantum malum sanctis cœnobiis comparabunt regulares cupidi, vt propter auaritiam eorum, latronum speluncas, spectacula dæmonum, & officinas vitiorum, ea compellet piissimus Iustinianus. 14

Fauent quoque nostro proposito aliqua, quæ in sanctæ Brigittæ reuelationibus habentur, contra impiam cupiditatem, si in regularibus reperiatur. Primo enim tam ipsi, quam clerici sic reprehenduntur à Christo. *Receperunt decem mandata mea, & composuerunt in vnum verbum? Quid est hoc vnum verbum? Porrige manum, & da pecuniam.* Et rursus. *Ipsi denique pro muneribus libenter eis patientur peccantes, in peccatis.* Rursus quoque de conqueritur Deus, *quod nunquam contentantur de obtentis.* In sexto quoque libro reuelationum introducitur anima cuiusdã religiosi scapulari induta, & miserabiliter in omnibus mẽbris deformata, de qua Christus ad S. Brigittam. *Multi religiosi simulantes, quod non sunt, & seruientes mundo sub habitu religionis excluduntur ab illa æterna hæreditate. De talibus est iste, cuius animam Diabolus nouem iuribus possidet.* Inter alia verò hæc recenset. *Secundum est, quia desiderat illa, quæ videt, necessariis non contentus. Sextum est, quia gloriatur in superfluis, & habitu peregrino, cuius proprium deberet esse, ipsa vera paupertas.* Iam inde quid sentiendum sit de tua cupiditate, & auaritia Religiose, si forsan tibi cumulare non desinis pecunias, bonaque temporalia, tu iudex esto, libro quoque septimo quidam monachus, & Beato Francisco aduersarius introducitur, sic dicens. *Ego secundum regulam non possum licite pecuniam tangere, neque aurum, vel argentum possidere, & ideo aliquem specialem amicum habere volo, qui pecuniam, & aurum meum teneat secretè, vt illa pecunia vtar ego, ad voluntatem meam.* De quo fratre, & similibus sic loquitur Christus. *Illi, qui sunt de regula fratris aduersarij, iudicabuntur ad pœnas æternales in profundo inferni, si ante mortem se noluerint corrigere.* Vnde liquido satis innotescit, quantum sibi detrimentum, æternæque pœnæ periculum, Monachi pecuniæ negotiatores adquirãt. 15

Ad hæc piissimus contemplator Ioannes Rusbrochius multa habet in suis operibus, quibus superbam, & vanam bonorum temporalium curam, in Monachis detestatur. In tabernaculo fœderis sic habet inter alia, in quibus, excessisse videtur plus æquo, forsan nimio zelo ductus. *Quæ primi illi fratres deserebant, & respuebant, hodie à plerisque quæruntur, & appetuntur. Si quidem bona temporalia perplures eorum non mediocriter ambiunt.* Et infrà. *Edere quoque, & bibere delicatè, ac curiosum, & comptum ferre habitum libet; nec vlla apud eos, vel esculenta, vel poculenta, vel vestimenta plus nimio pretiosa habentur, quæ obtinere possint.* Et deinde. *Mendici, & pauperes dici volunt, & suam semper quæri inopiam; & tamen omnibus abundare rebus. Inter eos sanè, & diuites, & pauperes reperire Monachos licet, quasi in mundo versentur; & alios videat quatuor aut quinque tunicas habere, alios vix vnam obtinere.* Inferius sic. *Quidam ex eis lanam*

potius, quam oues, id est, suum magis lucrum, quam animarum salutem quærunt: & sunt inter eos cupidi quidam, & vani, quos nihil explere queat. Siue enim frumentum, siue semen, siue oua, siue casei, siue nummi, siue alia quælibet, quæ homines præstare queant, offerantur, omnibus his indigere se aiunt. Tandem sic inquit. *Qui inter eos multa adquirere, & quæstum facere nouit, charus in primis habetur, & hilariter accipitur.* Hæc pius author seuerè satis cupitatem Monachorum sui æui reprehendens. In opere etiam de vera contemplatione sic habet. *Iam verò per plures inuenire licet in monastica, ac religiosa vita, qui Dei consilia polliciti sunt exequi; & tamen, ne dum consiliis, sed ne præceptis quidem morem gerant. Polliciti enim sunt paupertatem, nec quidquam se habituros proprij, &c. sed reditus libentibus accipiuntur animis.* Et infrà, alia quoque habet contra Monachorum reditus, quæ nos inferius afferemus. Rursum quoque. *In plerisque cœnobiis, & congregationibus, diuites, ac inopes, haud secus, quam in mundo, visuntur: & diuites quidem, quidquid libet, edunt, ac bibunt, cultis teguntur vestibus, opes sibi accumulant, &c.* Videant religiosi, quid sentiat Rusbroch. de vana cupiditate, & superbia.

Istis porrò Patribus, ac Doctoribus iure annumerari debet huius sæculi, ac nostri Ordinis inter Virgines splendidissimum Sydus B. Magdalena de Pazzi, de qua quanto odio prosecuta fuerit superfluam regularium suppellectilem, quantove amore ipsorum simplicitatem amplexata ex eius vita, cap. 124. sic habemus. *Come quella, che penetraua l'importanza, e' l bene della pouerta religiosa, e come dall'osseruanza di questa ne dipende ogni bene, e perfezione della Religione, nell'istessa maniera, che essa suisceratamente amaua la sua Religione, così desideraua, che in essa risplendesse perpetuamente la pouertà, e semplicità religiosa, sì nel vitto, e vestito, come in tutte l'altre cose ancorche minime. Aueua vna sua Nouizia fatto alcune figure più ornate che non era solito per donarle fuora à parenti: la bona Madre la riprese, e non volle che vscissero fuori, acciò non fussero vedute. V n'altra Monaca auea fatto per la Sacrestia alcuni lauori, quali eccedeuano la solita semplicità; essendo la Beata Madre Maria Maddalena vna volta in ratto, gli prese, e gli stracciò. Così quando vedeua alcuna cosa, che tendesse ad allargare vn minimo chè, questa pouertà, e semplicità, ricorreua con gran zelo alle Superiore, & à Padri spirituali, e gli auuisaua, acciò non si lasciasse pullulare cose, che offendesse questa semplice pouertà. & in vn ratto, che hebbe, nel quale intese quanto piaceua à Dio questa semplicità religiosa, e come questa à guisa di cagnuolo scuopriua i ladri, enimici della Religione, e tenena lontani i secolari, e faceua la Religione abitatione di Dio, alla fine concluse:* Guardasi ciascuna, è ponga cua di non indurre, sotto colore di compassione, in se la maledizione di qualche vanità. Guai, guai, e per mille volte guai à chi indurrà tal maledizione di vanita nella Religione; e massimamente doue regna vn poco di lume di semplicità. *E vn altra volta disse.* Chi non ama la pouertà, sia schisata come lebrosa, e come tale tenuta. *Non poteua soffrire di sentir biasimare le cose della Religione semplici, e pouere, sì nel vitto, come nel vestito, e in tutte l'altre cose, diceua, che quanto più le cose della Religione sono pouere, & abbiette, tanto si debbono più stimare, e cercare dalle Religiose, perche hanno professato pouertà, & i poueri apprezzano ogni cosa, sapendo, che non si conuiene loro cose pregiate, e di valore: e soleua dire.* Chi ama l'humiltà, e pouertà, non ispende mai parole in dolersi di cosa alcuna. *Altra volta diceua.* Chi è possessore della pouerta, sempre pensa al pouero Christo; e tanto fa stima del corpo suo, quanto fa il Re della tela del ragno. *E quello, che ella diceua, lo conferma con l'esempio, per che stimaua, & apprezzaua ogni cosa, che dalla Religione l'era data, ancorche minima: e quanto erano più pouere più se ne gloriaua.* Aurea hæc pro paupertatis Regularis commendatione è tantæ Virginis penu libens hausi.

Placuit vltimo Hieronymi Sauanorolæ verba referre, quibus religiosos omnes de paupertate sectanda, auaritiaque fugienda sic monet. *Ita debet religiosus paupertatem, diligere in particulari, & in communi; vt statuat firmiter in corde suo, nullo modo se velle aliquid possidere, nec aliquid ad vsum habere, nisi quod ei summopere necessarium fuerit, in tantum, vt odio habeat omnes diuitias magnas, & paruas, etiam ipsa vestimenta, sine quibus honestè viuere non potest, gaudeatque de Monasterij paupertate, & doleat de eius abundantia, cum desiderio, vt pauperimè viuat, vsque ad extremam necessitatem: quia verè pauper in paupertate gaudet.* Inferius quoque, Monachos oppositum agentes innumeris vitiis deditos esse affirmat; cuius verba, capite quarto huius operis adduximus. 16

Quis tamen è contrario, vel leuiter, recensere poterit, quæ sancti Patres, & Doctores de paupertate religiosorum dicant? quot laudibus extollant, quoque prædicent encomiis? ex multis aliqua succinctè referam. Sanctus Ephrem Syrus sic. *Thesaurus Monachi paupertas voluntaria. Diuinissimus est Monachus in hac exercitatus.* Et rursus. *Immortalis virtus Monachi est paupertas.* Rursusque. *Fidelissimus regni cœlorum præco est Monachus, ab omni auaritia alienus: male autem peribit, qui auaritiæ morbo laborat.* Rursus tandem. *Lumen in terris purum est Monachus, in quo non est reperta cupiditas!* Ioannes Climacus pauperem Monachum dominum esse mundi dixit. Saluianus quoque, beatiores omnibus, censet religiosos pauperes. Venerabilis Beda eos vocat. *Possessionem Dei decantatam à Dauid Psalm. 2. possessionem tuam terminos terræ.* Dicit enim. *Terminos terræ accipere possumus solos perfectos, qui vera possessio Dei dicuntur, quia adeò se à terrenis elongauerunt, quod nihil in eis retinuerint, nisi quantum ad supplendam necessitatem vix sufficit.* Diuus quoque Laurentius Iustinianus miris his encomiis religiosum voluntariè pauperem extollit, dicens. *Voluntaria paupertas reddit animum à curis sæcularibus liberum, ad se cognoscendum, secumque habitandum aptissimum, ad vacandum orationi paratum, in parcitate lætum, in communicatione hilarem, in periculis securum, & omni virtutum exercitationi dispositum.* Et infrà. *Nemo proculdubio explicare valet, quantum expleatur gaudio, quanta potiatur pace, quibus spiritualibus reficiatur deliciis, quantis sæpissimè internis recreetur consolationibus, & quot diuinis quotidie illustretur splendoribus, qui deliberato animo, renunciat sponte seculo, militat Deo, nihil terrenum ambiens, nihil temporale possidens, nihilque, quod amorem suum vendicare queat, omnino reseruans.* Sed de hoc puncto mira Sanctus hic Pater, mira etiam alij quoque Patres, ita vt vanum sit omnia recensere, vnico tamen verbo sanctus Ignatius Iesuitarum Patriarcha rem complectitur dum *in Regulis Summarij 24.* paupertatem, *vt matrem*, à Religiosis diligendam esse dixit. Quo vnico epitheto 17

quidquid alij de paupertate dixerunt complexus videtur.

18 Id quoque ipsum grauissimis Patrum exemplis paupertatem sectantium, auaramque cupiditatem bonorum temporalium reiicientium, luce clarius innotescet. Sanctus Hilarion monachus, monachorumque Pater, Constantio Imperatori sibi decem auri libras offerenti, hordeaceum panem obtulit dicens. *Qui tali cibo aluntur, non maioris æstimant aurum, quam lutum.* Orioni quoque cuidam, à quo legionem dæmonum expulerat, dona non modica secum allata porrigenti, ait. *Non legisti, quid Giezi, quid Simon passi sunt?* Cumque Orion flens diceret: *Accipe, & da pauperibus.* Respondit. *Tu melius potes tua distribuere; qui per vrbes ambulas, & nosti pauperes, ego, qui mea reliqui, cur aliena appetam?* Sanctus quoque Basilius etiam monachorum Princeps, cum Cæsareæ præfectus opes promitteret, recusauit dicens. *Hæc homini Christiano non conueniunt, sed adolescentulis, iisque, qui talibus promissis capiuntur.* De Abbate Arsenio hoc extat exemplum, verbis Sauaronolæ. *Cum esset magnus, & potens in curia Imperatoris sicut nullus in curia induebatur magis splendide, quam ipse, ita postea factus monachus in eremo, omnibus aliis pauperius vestiebatur. In tantum; quod cæteri monachi considerantes, quam longe inferioris conditionis in sæculo fuissent, erubescebant, si aliquando contingebat illis habere vestem alicuius momenti.*

19 Præterea Sanctus Paulinus, ex opulento diuite voluntarius pauper effectus est. Et teste Augustino, cum barbari Nolam vastarent, sic in corde suo deprecabatur. *Domine, non excrucier propter aurum: vbi enim sunt omnia mea, tu scis. Ibi enim* (inquit Augustinus) *habebat omnia sua Paulinus vbi eum condere, & thesaurizare, Christus monuerat.* Sanctus quoque Ephrem Syrus in suo testamento sic. *Nec crumena, nec baculus, nec pera mihi vnquam fuit: numquam aurum, aut argentum, aut vllam rem aliquam possedi: nam bonum regem ad suos discipulos audiui dicentem: Nihil in terra possederitis.* Vnde moriens Idem Ephrem adiurauit suos, ne se veste pretiosa inuoluerent, ac sepelirent. Cum vero quidam in eius venerationem propensior, secus fecisset, mox à Dæmone correptus est, licet ipsius Ephrem precibus liberatus, vt narrat Nyssenus in eius vita Abraham Ægyptius permultam hæreditatem à parentibus relictam sic contempsit, vt nullus descendens in solitudinem, ibi cellam sibi construxerit, venditis paternis bonis, & mendicis liberaliter donatis. Nicardus Bernardi Clareualensis frater (teste Marulo) cum à fratribus audisset. *Nicarde frater, nunc te solum totius summa respicit patrimonij; nos namque ius omne vni tibi cedentes, Christum sequimur.* Tunc ipse. *Cœlum vos ergo possidebitis* (inquit) *ego terram.* Nihilque moratus, post eos adiit Monasterium.

Patrum vero, & priscorum Monachorum exempla amplissimas hæreditates, & pecuniæ summas sibi oblatas respuentium, ex Ricardo Hallo *in libro de proprietate monachorum cap.* 12. sic damus, *Beatus Arsenius filiorum Theodosij Magni, Arcadij, & Honorij Imperatorum olim præceptor, cum aulæ vale dixisset, vt vitam solitariam, atque eremiticam ageret, eique diuitis cuiusdam Senatoris mortui testamentum esset allatum, in quo hæres ex asse scriptus esset, illud primum voluit conscindere, dicēs.* Ego prius mortuus sum, quam ille, ipse autem, qui modo mortuus est, quomodo me fecit hæredem? *Tum remisit testamentum nihil accipiens. Et alius quidam senior pecuniam sibi oblatam cum negasset, ipsi esse necessariam, ne eam quidem accipere voluit, vt egentibus distribueret.* Duplex enim, *inquit*, mihi erit opprobriū, qui & cū non indigeo, eam accipio, & aliena tribuens vanam gloriam colligo. *Quidam vero cum grauissima lepra affligeretur, & quispiam eius misertus, non nihil ei nūmorum attulisset, vnde infirmitatem suam, ac senectutem sustentare posset, noluit accipere, sed his verbis refutauit, dicens.* Tu post sexaginta annos venisti ad me auferre nutritorem meum, ecce tantum tempus habens in infirmitate mea nulla re indigui, Deo tribuente, & pascente me. *Et non acquieuit accipere. Sed & alius cum nihil haberet præter librum Euangelij, ipsum vendidit in pauperum nutrimentum dicens.* Se verbum illud vendere, quod iubet, vende omnia quæ habes, & da pauperibus. *Barlaam denique monachus, cuius vitam Ioannes Damascenus accuratissime conscripsit, pecuniam sibi vltro à Iosaphat Regis filio pro se, ac fratribus suis oblatam respuit, eique causam cur illam recusaret percontanti respōdit.* Quoniam pecuniarum professionem exitiosam esse scio, nec illos, nec me ita huiusmodi laqueo implicabo. Quis autem non videt totum huius authoris discursum intentum nostrum comprobare.

Oportet iam aliqua ex multis, quæ ex auaritia, cupiditateque monachorum oriri possunt, recensere; vt exinde religiosi omnes, eam, vt pestem abiiciant, Christique paupertatem certatim amplectantur. Et primo, vt vno verbo dicam, omnia ferme vitia, inuadere necesse est animum religiosi auari, pecuniarumque cupidi. Adstruunt id Patres, S. Ephrem sic. *Lumen in terris purum est monachus, in quo non est reperta cupiditas; cum ex radix sit omnium malorum, & non producat fructus bonos.* Ecce omnia vitia in radice, in anima tua ô Religiose, si solā auaritiam comulasti. Ex verbis quoque Cassiani in lib. de spiritu philargyriæ, seu amoris pecuniarum, sæpius id accipere possumus capite secūdo sic: *Hic morbus malorū omnium efficitur, radix, multiplices fructificans fomites vitiorum.* Et capite sexto sic. *Nulli vilis despectusque videatur hic morbu: receptaculum nempe vitiorum malorumque omnium radix; & inextricabilis nequitiæ fomes efficitur, dicente Apostolo, radix omnium malorum est philargyria, id est amor pecuniæ.* Quænam vero sint hæc vitia, quæ cupiditatem monachi comitantur, inferius sic recenset. *Pro hac non mendacij, non periurij, non furti facinus admittere perhorrescit: non fidem frangere, iracundiæ furore noxio suppleri, si quaquam à spe quæstus deciderit, non honestatis, non humilitatis modum transcendere pertimescit, fitque ei per omnia, vt aliis venter, ita huic aurum, & spes lucri pro Deo.* Clarius in sequenti capite, in quot vitiorum præcipitia cadat monachus cupidus, & auarus, sic describit. *Nullam deinceps humilitatis, nullam charitatis, nullam obedientiæ, non dicam virtutem, sed ne vmbram quidem virtutis retinere contentus, indignatur ad omnia & ad singula opera murmurat, atque suspirat. Nulla iam reuerentia seruata, velut equus durissimus, id præcipitium fertur infrænis.* Demum capite decimo sic. *Pecuniæ possessæ numquam monachum in monasterio residere, vel viuere sub regulæ institutione permittunt.* Abunde satis in his demonstrat Cassianus, totam turbam vitiorum irruere in animum Monachi cupidi, pecuniarum possessoris. Nec dissentit D. Gregorius Magnus per hæc verba. *De auaritia proditio, fraus, fallacia, periuria, inquietudo violentiæ, & contra misericordiam obdurationes cordis, oriuntur.* En satis habes religiose sancte, ex Patribus

tribus istis; quomodo tota vitiorum vorago cupidos regulares absorbeat. Ac proinde mirabitur nullus, vt commune prouerbium, de quo Dionysius Carthusianus serm. sexto de Dominica palmarum dicat. *Monachus habens obulum, non valet obulum.*

21 Placuit quoque incommoda alia, ex priuata possessione monachorum manantia, ex D. Basilio recensere *Primum* (inquit) *Societatis exactam disciplinam priuata possessione corrumpit, cum etiam ipse, magnopere de se indicio est vt qui Deum perpetuo iis alimenta supeditaturum diffidat, qui nomine ipsius congregati sunt.* Et infra. *Porro incommodum, quod istiusmodi possessione nascitur; nequaquam hic tantum sistit, sed vlterius etiam progreditur. Etenim, qui proprium habere aliquid studet, is sine dubio, nihil aliud quam disiunctionem, ac defectionem à cæteris meditatur.* Inferius quoque, recenset mala ex bonorum temporalium peculiari possessione orta, dicens *Impuris, ac prauis cogitationibus sua intemperie exagitant, & conturbant. Idque contingit à dolo simulatione, inuidentia, contentione, quæ vitia, & charitatem radicitus euellunt, & Deum ex eorum animis, in quibus sunt fugat.* Ecce damna, quæ tibi religiose, ex inordinata cupiditate bonorum temporalium aduenire, admonet Basilius.

22 Placuit præterea, quæ Dionysius Carthusianus. ex mente cuiusdam doctoris Coloniensis, in opusculo de reformatione Claustralium dixit; vitia quæ ex proprietate, seu peculio religosorum procedere possunt recensens, hic adiungere. Hæc sunt ipsius verba. *Si scire delectat, quare proprietas, siue peculium tam rigorosè prohibetur in Monasterio, attendite vitia, quæ inde sequuntur: quæ prudentissimi ac deuotissimi viri, qui religiones instituerunt, considerauerunt, & per experientiam etiam didicerunt. Considerauerunt enim quod ex proprietate seu peculio, tanquam ex venenosa radice, multa peccata proueniunt vt puta contumacia, superbia, contentio partialitas, auaritia, vana gloria inuidia, mendacium, luxuria, occupatio infructuosa, multiplex dissolutio, varia mentis distractio, acedia, negligensque diuini officij persolutio, atque similia. Quoniam abundantes in peculio ad resistendum suis superioribus fiunt audaces, nec disciplinam, nec correptionem patienter suscipiunt, partialitates efficiunt, & interdum commessationibus, & ebrietatibus vacant: ex quibus ad vitia carnis labuntur, & votum suum de castitate seruanda, sceleratissimè frangunt. Sicque ad Diuina fiunt pigri, & acediosi, opusque Dei negligenter persoluunt; atque innumerabiles defectuositates damnabiliter incidunt non obseruantes silentium, & sæpe neque ieiunium, nec ad commune refectorium veniunt: sicque quotidie magis excæcantur, & obdurantur.* Vnde infra sic concludit. *Cum ergo tot vitiorum peculium, sit origo, iustissimum, valdeque necessarium est, vt religiosis, secundum decreta Conciliorum, & Decretales Summorum Pontificum, Sanctorumque Patrum Regulas, penitus auferatur. Et si religiosi libenter permitterent, se à corporali purgari veneno, incomparabiliter libentius debent habere, vt ab hoc spirituali veneno, æternam damnationẽ inducente purgarentur.* Hoc obsecro, religiosi attendant, legant sæpius, sæpiusque ruminent, vt incommoda proprietatis, auaritiæque bene perpendant.

Quam vero charitati aduersetur cupiditas ista temporalium bonorum, ac proinde quanta cura, & vigilantia à monachis fugienda, Richardus Hallus in suo *de propriet. monachorum opusc. cap.* 10. Ex Patribus, & Philosophis graphice sic describit nostro intento congrua satis. *Non dubitamus cum Augustino asserere, præcipuum venenum charitatis esse cupiditatem siue spem rerum temporalium adipiscendarum, atque retinendarum, augmentum vero charitatis cupiditatis diminutionem, perfectionem, nullam cupiditatem. Hoc est enim quod alibi ad Deum loquens ait.* Minus te amat, qui aliquid tecum amat, quod non propter te amat. *Ex qua vna cupiditatis radice, quot mala pullulent; enumerare vix possum, cum Apostolus Paulus auaritiam dicat esse* radicem omnium malorum, *& Christus Dominus facilius esse:* Camelum intrare per foramen acus quam diuitem intrare in Regnum Cœlorum. *Quare non sine causa, & Apostolus diuitibus præcepit non superbire, neque sperare in incerto diuitiarum: est enim, vt ait Augustinus:* Primus vermis diuitiarum superbia, ex quibus deinde rixæ, contentiones, & innumera alia incommoda consequuntur. *Diuitiarum enim,* inquit Chrysostomus, *sequela est luxuria, ira, intemperans, furor iniustus, arrogantia, superbia, omnisque irrationabilis motus. Et alio in loco, quod omnia peruertit, & perturbat, meum est, & tuum. Idem diuitias fugitiuas, & homicidas appellare solet. Quare, & Seneca recte, conuenientissime, ait homines victuros si hæc duo pronomina meum & tuum tollerentur. Hoc morbo cupiditatis periit Balaam, cuius animum turpi lucro deditum asina brutum animal attritu pedis sui redarguit, cum illectus promissis muneribus conatus est maledicere Israëli Propter hunc eundem morbum, Achab lapidatus est, quod abstulisset quædam de anathemate Hiericho. Hac etiam de causa tota domus Achab extincta est, quod vineam Naboth, simul, ac vitam ei contra omnia iura diuina, & humana, sustulisset. Giezi ideo percussus est lepra, quod clam Helisæo pecuniam, & vestes, à Naaman Syro petiisset. Iudas laqueo suspendit se, non solum, quia cum fur esset, & loculos penes se haberet, de pecuniis sibi commissis, in sui vsus peculiares aliquid detraxerat, sed multo etiam magis eo, quod Christum Dominum triginta argenteis vendiderat. Ananias denique & Saphira ad pedes Diui Petri ceciderunt mortui, postquam de pretio agri, quod in commune conferre vouebant, defraudauissent. Harum diuitiarum tantus est æstus, & tam inexplebilis sitis, vt Chrysostomus appetitione diuitiarum maiorem accendi flammam, & vehementiorem multo fieri cupiditatem asserat. Gregorius auaritiam desideratis rebus non expleri sed augeri sentiat, nam more ignis, cum ligno, quæ consumit, acceperit, excrescit, & vnde videtur ad momentum flamma comprimi, inde cernitur paulo post dilatari. Hoc incommodum. Plutarchus ita amplificat, vt tantum abesse aiat, vt à cæteris malis homines liberet, vt ne hoc quidem ipsum malum adimat sui cupiditatem. Cum enim potus sedet sitim, cibus famem sanet & ille, qui dicit, da pallium Hypponacti, vehementer enim algeo, pluribus impositis palliis offenditur, ac deficit, at argenti cupidinem non extinguit argentum, nec aurum auri, neque si plura possideas, coercetur plura possidendi cupiditas, quin idem dicas diuitiis licebit, quod in medicum competit impostorem: Pharmacum tuum morbum auget. Denique, & illud Solonis eleganter in auaros dictum commemorat. Haud est finis opum fixus mortalibus vllus. Venio nunc ad angustias, & curas animi, quibus tamquam spinis punguntur, qui harum rerum cupiditate tenentur. Nam qui ad res terrenas aspirant, non sine labore quærunt, nec sine difficultate inueniunt, sine cura non seruant, sine anxia delectatione non possident, sine dolore non perdunt. Quod & post D. Prosperum Gregorius affirmat, sed aliis* verbis,

verbis, nimirum. Si ad terrena concupiscenda cor inhiet, securum, tranquillumque esse nullatenus potest, quia aut non habita concupiscit, vt habeat, aut adepta metuit, ne amittat, & dum in aduersis sperat prospera, in prosperis formidat aduersa, huc illucque quasi quibusdam fluctibus voluitur, ac per modos varios rerum alternantium mutabilitate versatur. Beatus vero Nilus eum, qui auaritiæ morbo laborat, numquam à cura, & sollicitudine liberum esse vult, nec auaritiam cum charitate vllum fœdus esse posse. *Charitas enim æquo, & libenti animo se fraudari patitur, facultates suas sola impartit, atque interdum etiam magno animo abijcit, auaritia autem contrarium omnino efficere consueuit, numquam sine fluctibus est mare nec auarus sine ira, & mœrore. Auarus in Cœlum contendens, huic similis est, qui pedibus suis vinculo constrictis currere conatur. Ex hac siti diuitiarum fit etiam, vt Monachus in manuum laboribus sit diligentissimus, eosque pro seria opera habeat, propter functoria precationem, & lectionem, & si quid aliud spirituale est. Qui ad huiusmodi affectus patrocinium illud quoque Apostoli dictum ostendit; qui non laborat, non manducet; cum tamen è contra illa, quæ ex animæ virtute sunt, pro serio opere habere debeat, pro leuiore autem, atque perfunctorio ea, quæ manibus conficiuntur. Hæc Nilus. Hunc vero hominem ita cupiditatibus malis irretitum, multis curis districtum, animi anxium, & omni perturbationum generi obnoxium, Dei, ac proximi charitate flagrare quisnam dixerit? Est igitur harum rerum maximum impedimentum monacho, quo minus ad charitatis perfectionem possit peruenire.* Hæc etsi aliquantulum prolixa, quia tamen vtilia intento prætermittenda non censui.

23 Specialiora tamen aliqua recensebo, quæ ex inordinata cupiditate bonorũ temporalium monachis oriri possunt. Et in primis occurrit; quod sæpius illi, qui bonorum temporalium possessione in religionibus gaudebunt, vsualibus, mobilibus, fluentibusque bonis non contenti, etiam perpetuos, stabiles, & immobiles redditus, annuosque census, sibi, exquisitis modis procurent. Hæc autem, num religiosæ paupertati contradicant, num Decretis Pontificum, & Conciliorum, maximè Trident. nouæque reformationi Clementis Octaui nouissimè à Sanctissimo Domino Vrbano Papa Octauo approbatæ, & confirmatæ contrauenjant, aliorum iudicio relinquo, alij iudices sunto. Theologi viderint, quam difficilè cum illis cohæreant. Mihi tamen hoc solum dicere incumbit; perfectioni videlicet paupertatis regularis omnino contrariari, Quod quidem, præter adducta Patrum testimonia, confirmant alia. D. Anselmus in Carmine de contemptu mundi, sic monet monachos de huiusmodi censibus respuendis.

Quærebat census aliquis, captabat honores:
At nunc vilescant census, honorque sibi.

Sanctus quoque Laurentius Iustinianus identidem monachum monet, de huiuscemodi redditibus, immobilibusque bonis aspernandis, dicens. *Sat tibi sit, ò monache, Monasterij communis substantia, de qua vnicuique necessaria ministrantur.* Abbas quoque Trithemius adeo perniciosos huiusmodi census Monachis censet, vt totam ipsorum perditionem ex illis pullulare videatur asserere, sic loquitur. *Posteaquam census monachi habere cœperunt, & redditus, pristina mox simplicitatis studia defecerunt, creuitque paulatim cum diuitiis, rerum temporalium superbia.* Præterea pius Ioannes Rusbrochius multus est in hac parte. Primo enim, vt vidimus, hos redditus, annuosque census, monachosque illos habentes damnat. Alibi rursum acerrimè, vt solet, in illos sic inuehitur, *Est, & aliud quoddam in multigeno religionis monasticæ statu inuenire vitium, plane diabolicum, puta quod res terrenæ* (Sic corrigo authorem) *communes non sunt, siue eas res inter sese non communicent. Enim vero ex bonis communibus, alij inopes, alij locupletes, alij domini, alij serui sunt.* Et infra. *Qui multum habent peculij, aut de rebus communibus iis liberiores facere sumptus, aut plura sibi coaceruare, aut reponere licet.* Inferius quoque. *Cœnobia huiusmodi superbia, infidelitate, auaritia, indignatione, ira, odio laborant.* Tandemque propter illam causam sic concludit. *Christus hodie à multis nescitur, vita, institutiones, actusque illius, cunctis illis inuisa sunt, qui vitiis seruiunt, & propriæ sunt dediti voluntati.* Hæc Rusbrochius. De Beata quoque nostra Florentina Magdalena de Pazzi hæc scripta videntur in vita ipsius, *cap. 126. Vn altra volta parlando con le sorelle disse. O sorelle, io non intendo, come i Religiosi possino con buena conscientia auere entrate particolari, e chegli officij del Monasteros abbino à mantenere con l'entrate, e lauori particolari, talche bene spesso soltisce, che piu sono attaccati alle cose del mondo i Religiosi che i sacular.* E soggiuge. *O Gesù mio fatemi patire ogni pena, perche tante spose à voi consegrate si dispongono all'osseruanza del viuer commune, perche voi mi fate vedere con mio gran trauaglio molto di quelle meschine descendere nell'Inferno.* Alias quoque ex aliis auctoribus prætermittam; hoc vnum solum recensens; quod nec in antiquioribus vitæ monasticæ professoribus, tales redditus, aut census annui, exemplo, vel doctrina approbari inueniuntur, nec video qualiter cum illis paupertatis Religiosæ perfectio (forsan nec substantia) consistere possit.

Ad hæc secundo forsan malum aliud, ipsumque grauissimum ex inordinata cupiditate pecuniarum, temporalisque supellectilis, Monachis continget, quod ex seipso, quantum vitium sit illorum cupiditas, satis ostendit. Hoc vero malum in eo situm est, vt religiosi cupidi, & auari, actiones sacras illas, quas ob amorem Dei, & proximi facere tenebantur, vt puta confessiones audire, conciones, &c. non nisi turpis lucri gratia forsan exerceant. Pestis hæc adeo detestari debet, vt propter eam solam fugiendam; cupiditatem pecuniarum detestari quoque debeant monachi, De ea sic loquitur Laurentius Iustinianus. *Vbi impellente cupiditate fiunt sacramenta venalia, &c. ibi prorsus deest timor Dei, zelus animarum, charitatis bonum, proficiendi desiderium, contemptus sui, orationis gustus, religionis delectatio, dulcedo virtutum, conscientiæ pax, æternorum spes, & futuri iudicij metus.* Vocat Iustinianus sacramenta fieri venalia, quando, siue illa, siue quascũque alias actiones sacras, quas regulares exercent, non ob Dei laudem, proximique vtilitatẽ spiritualem, sed, vt sibi temporalia bona adquirant, exequantur. Apud istos animarum zelus vigere non potest, eodem Iustiniano dicente: *Cumulandi amor, aggregandique diuitias, contrarius est saluti fidelium.* Rupertus quoque cap. 21. in Iosue affirmat Achan istum, de quo habetur, sacrilega rapina pallij coccinei, siclorum argenti, & regulæ aureæ scandalizasse populum, figuram esse cupidorum regularium si sub specie pietatis, militiæq; spiritualis sacra sua venalia faciant. Ruperti do verba: *Dum enim sub specie pietatis pulchri incedentes, atque religiosi, auaritiæ student, quæ est simulachrorum seruitus & cuncta militiæ spiritualis faciunt venalia quid aliud, quam anathema* 24

anathema furantur, & *mentiuntur*, & *abscondunt inter vasa sua, imo inter conscientias suas*? Vnde concludit? hoc vitium causam esse, quare sæcularium vitia non sanentur. Erunt illi similes quibusdam antiquis (Sarrabayte, vel Renuyte nuncupabantur) quos Diuus Isidorus appellat circumcelliones, qui eodem Isidoro teste, *per mundum vagabantur venalem circumferentes hypocrisim*. Et infra eorum cupiditatem recensens. *Fimbrias*, & *philacteria sua magnificant, gloriam captantes ab hominibus*. Et inferius. *Omnes petunt, ab omnibus exigunt, aut sumptum lucrosum egestatis, aut simulatæ pretium sanctitatis*. Inferiusque. *Certatim in operibus laborantes, non vt indigentibus distribuant, sed vt adquirant pecunias, quas recondant*. Tandemque. *Faciunt bona, sed propter famam, non propter vitam æternam; scilicet, vt aut affectent gloriam laudis, aut perueniant ad fastigium desiderati honoris. In his sæpius amor temporalium rerum grassatur; sequentes terrenas concupiscentias, tanto inaniter, quanto sæpius*. Quæ omnia imitari necesse est improbos monachos, si qui sunt, qui propter lucrum temporale, & peculiarium, similemue inhonestum finem, actiones sacras sacramentorum, concionum, & missarum, exerceant. Vnde de illis quæ D. Isidorus de antiquioribus dixit, dicere, & nos possumus. *Tales nequaquam monachi vocitandi sunt qui Deo sola professione, non actione coniunguntur*. De illis bene Bernardus super Cantica. *Christi opprobria, sputa, flagella, clauos, lanceam, crucem; hæc omnia in fornace auaritiæ conflant, in acquisitione turpis quæstus, & pretium vniuersitatis suis marsupiis includere festinant*. Bene etiam de illis Abbas Ioachimus Apocalyps. cap. 18. dixit. *Quod vendunt orationes, & missas pro denariis, facientes domum orationis apothecam negociationis, facientes inquam forum publicum, & speluncam latronum*. Et post aliqua. *Ecce hi omnes sunt negociatores terræ qui commutant dona Dei pro rebus temporalibus, & caducis*. Similes quoque erunt isti rerum spiritualium male tractatores Ioanni Bugen Hagio impostori Luterano, qui ad Daniam se conferens, vt hæresis zizania seminaret, dicebat sic. *Tu meum habeas, Dania, Euangelium, ego tuos nummos, Vale*. Pari passu, isti Euangelium dabunt, sed nummos accipient. *Quidam ex eis lanam potius, quam oues, id est suum magis lucrum, quam animarum salutem quærunt*. Dicebat Rusbrochius; Satius illis foret, quod S. Thadæus quondam cuidam Regi sibi ob Euangelij prædicationem aurum offerenti respondisse ferunt, dicerent. *Si nostra reliquimus; quomodo accipiemus aliena?* Hinc Seraphicus Doctor Bonauentura in epist. ad Prouincialem quendam transmissa, inter alia præcipit. *Vt toti sæculo clarescat, quod non commoda rerum, sed lucra quærimus animarum*. Quod fiet religiose sancte si vt decet, actiones sacras, quas exerces, solum ob Dei laudem, proximorumque salutem exequaris. Quod erit, si auaram, torpidamque cupiditatem pecuniarum à corde tuo omnino abscindas.

25 Astat quoque horrendum aliud malum, quod ex inordinata cupiditate bonorum temporalium, pecuniæ præsertim, monachis accidere posset, quod vnum sufficeret, vt cupiditatis vitium iure detestarentur. Illud vero est, gulæ vitium; ad quod sæpius cupidi, & auari religiosi, procliues esse possunt, plus æquo, cibo, potui, commessationibusque superfluis, vacantes. Contra hoc vitiū in monachis præsertim, multa Patres ediderunt. Ex quibus Hugo Victorin. & ipse monachus, sic loquitur. *Cum legas deliquisse Ionatham in gustu mellis, Esau in Edulio lentis, Sodomitas in saturitate panis, putasne, sine periculo esse, tot carnium ferculis, tot piscium generibus, tot frixurarum diuersitatibus delectari? Nonne sic differt Palatium à refectorio; sicut Ægyptus à deserto? Si igitur in deserto sumus, mirandum est, si ollas carnium suspiramus*. Hæc Hugo: D. quoque Bernardus eleganter sine concinit. *Quid prodest, ciborum varietatibus exquirendis quotidianam expendere curam? Legumina, inquit, ventosa sunt, caseus stomacum grauat, lac capiti nocet, potum aquæ non sustinet pectus, caules nutriunt melancholiam coleram porri accendunt, pisces de stagno aut de lutosa aqua, meæ penitus complexioni non congruunt. Quale est hoc, vt in totis fluuiis, agris, hortis, cellariisve, reperiri vix possit, quod comedas? Puta te, quæso, monachum esse, non medicum, &c.* Hæc, & alia sanctus hic Pater contra monachos illos, qui vulgaribus, & communibus cibariis non contenti, exquisita lautitia expetant. Quod abſdubiè ex magna pecuniæ cupiditate sæpius originem ducet. Istos similes esse vult Lyran. Israelitis *Qui tentauerunt Deum in cordibus suis, vt peterent escas animabus suis*. Vnde de illis sic loquitur *Per istos, qui flagrarunt desiderio carnium significantur religiosi mendicantes, qui post factam professionem in paupercula religione, in qua nihil eis permittitur quantum ad vitam præsentem, nisi austeritas & paupertas: tamen volunt nimis lautè viuere, ac delicatè, & frequenter hoc contingit illis qui in sæculo minus habuerunt & acriter murmurant contra illos, qui pro victu illorum procurando fideliter laborant*. Hæc Lyranus. Damna porro, quæ ex ingluuie, gulaque religiosorum illis obuenient expressit bene Sanctus Laurentius Iustinianus per hæc verba. *Hebetatur intellectus, dormitat ratio, mens dissoluitur, negligitur cordis custodia, noxiæ cogitationes ebulliunt, desideria voluptuosa inficiunt, lasciuit caro, abundat risus, contentiones fiunt, & rixæ, scurrilia verba proferuntur, & vana, detractoria, atque elata. Tunc quippe nequaquam delectat legere, non orare, non meditari, non scribere, sed neque placet, quod sit commendationis, quod virtutis, quod meriti. Efficitur profecto ex hoc homo contrarius sibi, inutilis proximo, legi inobediens, inimicus Dei, contemptor gratiæ, corruptor naturæ, pudicitiæ hostis, pelagus vitiorum, reus mortis, æternoque supplicio dignus*. Hæc Iustinianus. En tibi mala, quæ comparasti tibi, religiose sancte, si quod absit, per inordinatam gulam, ex cupiditate pecuniæ tibi pullulantem, pecces; fuge ergo matrem, ne tales soboles ex ea suscipias.

Ad idem quoque valent, quæ Dionysius Carthusianus serm. 7. de Dominica secunda aduentus, gulosos reprehendens, dixit, *Nos miseri, qui etiam nunc post religionis ingressum, post voluptatum abnegationem, post pœnitentialis vitæ professionem, volumus in omnibus abundare vsque ad satietatem, exquisitis refici alimentis, & corporaliter, atque superflue repausare: Quod si paruum quid videatur deesse, protinus murmuramus, indignamur, obloquimur, etiam præsidenti, spiritualique Patri Vicario Christi. Insuper carnalitatem, teporem, defectum nostrum, impudenter, ne dicam mendaciter, excusamus, impotentiam allegantes, quasi experientia non demonstret, ac doceat huius oppositum, cum vsque in præsens, sint quidam verè deuoti, ac feruidi notabilem abstinentiam, magnasque corporis afflictiones strenuè exercentes* Et rursus. *Idcirco manemus in fæcibus nostris, & rudes, incircumcisi, carnales, irrefor-* 26

erreformati, passionatique sumus. Et quod summe periculosum censetur, quo in religione diutius viuimus eo pene tepidiores, & negligentiores efficimur. Inferius quoque. *Non ita nos cibo repleamus, ac potu, vt ad dissolutiones, cachinnos, loquacitates, contentiones, animositates, pigritias, somnolentias dilabamur, sed ad Dei obsequium fortiores reddamur.* Gulæ propterea definitio à prudenti vulpecula apud Cyrillum. *lib. 4. Apolog. Moral. capite* 4. tradita optima est. *Gula infirmitatis est fons, pœna libidinis, desipientiæ semita, mortis ianua, & numquam vllis epulis contenta.*

26 *Contraria satis his gulosis B. Magdalena de Pazzi nostri Ordinis decus erat. De ipsa enim in vita eiusdem* cap. 123. *sic legitur.* Oltre al cibarsi parcissimamente gustaua auere cibi grossi, e di vil prezzo, e diceua, che questi erano secondo lo stato di pouertà, che le monache professauano; e se per mancanza di condimento erano insipide, non si doleua mai, mà diceua, che la pouertà religiosa le condiua, e glie ne faceua parer saporiti. Se tal volta li dauano à mensa, per straordinario, cibi delicati, gli lasciaua, e diceua, che non erano buoni per il suo stomaco, e che non erano cosa da lei. Medesimamente se gli erano mandati di fuori, gli rassegnaua alla Superiora, acciò li distribuisse all'altre, ò di sua licenza li distribuiua essa; e tanto gustaua d'hauer cose da poueri, che tra l'altre mortificationi, che le daua la Superiora, le apportaua molta consolatione quando era mandata in refettorio alle mēse à chiedere, per l'amor di Dio, vn poco di pane alle sorelle, e poi mangiarlo in terra in mezzo del refettorio; e da se stessa molte volte, quando non era potuta interuenire alla prima mensa con le monache, andaua alla cucina, e si faceua fare vna scudella di quello che era auanzato nelle scudelle dell'altre, dicendo, che la voleua per vna pouerina; e fattagliela, se la portaua à mangiarla in refertorio, e diceua, che la pouerina era lei; e simili altre inuentioni d'amore di pouertà inuentaua per osseruarla più perfettamente, e rendersi più simile che poteua à Gesù Crocefisso.

27 Quam certum tamen sit, æterno supplicio dignum, esse Regularem gulæ, ventrique deditum, vt Iustinianus asseruit, ex vero exemplo, quod pius deuotusque Ioannes Rusbrochius retulit, coniici potest. *Tres*, inquit, *gulosi monachi circa Rhenū, in quodam degebant cœnobio; qui non contenti communibus, sed escas singulares sibi ministrari volentes, seorsum à fratribus aliis semper edebant. Quorum duo subitanea, ac improuisa arrepti sunt morte, vno præfocato, dum se lauaret, submerso in aquis, vnus autem ex eis socio tertio superstiti apparens ait, se damnatum esse. Interrogatus ab illo, cui apparuit, si magna pateretur tormenta, extensa manu guttam vnam sudoris sui in candelabrum stanneum, vel æneum, quod ibi forte erat cadere permisit; quod momento celerius, perinde vt seuum, vel cera in ardenti fornace liquefactum est. Tantusque inde extitit fœtor, vt illius loci monachi tribus diebus à cœnobio abesse cogerentur.* Hæc Rusbrochius. Ex quibus liquido innotescet, quæ per inordinatam ingluuiem monachis nocumenta sequantur meliusque illis fore, parsimoniam potius in cibo, & potu, antiquorum sequi monachorum (quos Marcus Marulus refert) quam tali vulnere animas suas perimere. Ac perinde consultum satis illis erit, si pecuniarum possessionem fugiant, quæ tanti mali initium, radixque est.

28 Huic quoque vitio affine aliud est, ex eadem radice improbæ cupiditatis contingenter eueniens, quod scilicet religiosi sæpius propter bonorum temporalium, pecuniæ præsertim, possessionem, habitu, ornatuque exteriori, religioso statui contrario, vtantur. Contra hoc vitium sic loquitur Diuus Basilius. *Si in eo studendum est nobis, vt omnium infimi simus, sine dubio, & quod in hoc genere indumentorum infimum est, id summopere est nobis amplectendum: vt enim gloriæ cupidi, gloriam, & inanitatem ex vestium cultu ac splendore aucupantur; sic videlicet humilis, & religiosæ vitæ studiosi, ex vestimenti quoque vilitate debent venari humilitatem, & eam consectari.* S. quoque Ephrem Syrus ad monachum quendam sic loquitur. *Vestium ornatu ne delecteris.* Et in doctrina varia sic: *Superfluus vestium ornatus mortem conciliat.* Legatur D. Paulinus Epistola septima ad Seuerum, vbi monachos, molliora vestimenta quærentes multo cum felle carpit, & arguit. Legatur, & Benedictus in reg. sic habens. *Ne monachi causentur de vestimentorum colore, aut grossitudine sed quales inueniri possunt in prouincia, qua degunt, aut quod vilius comparari potest.* Optimè etiam Hugo Victorinus sic monachos instruit. *Debent amatores religionis, opere demonstrare, quantum ipsi terrena despiciant, nec carnem, quæ moritura est, cultu superstitioso excolere, sed pompæ indumentorum, morum ornamenta anteferre. Vestimenta plus vilia, quam pretiosa, plus grossa quam subtilia, plus aspera, quam mollia, plus fusca, quam nitida, plus neglecta, quam accurate composita.* Vnde Bern. hoc vitium in monachis sui temporis sic deplorat. *In hoc habitu non iam calor, sed color requiritur; magisque cultui vestium, quam virtutum insistitur. Pudet dicere, vincuntur in suo studio mulierculæ, quando à monachis pretium affectatur in vestibus, non necessitate, nec saltem forma religionis retenta, in habitu ornari, appetunt milites Christi: qui dum se præparare ad prælium, & contra aëreas potestattes, prætedere paupertatis insigne debuerant, quod vtique aduersarij valde formidant: in mollitie vestimentorum pacis potius prætendentes indicium, vltro se hostibus, sine sanguine tradunt inermes.* Ioannes quoque Rusbrochius iam adductus, religiosos iure carpit. *Quod curiosum, & comptum ferre habitum licet, nec vlla apud eos vestimenta plus nimio pretiosa habentur, quæ obtinere possint.* Alibi etiam deplorat. *Quod ipse etiam externus habitus quantum maxime fieri potest, ad hominum mundanorum consuetudinem formatur, nec quicquam ferme ab eorum habitu distat colore.* Deplorat & illud B. Thomas de Villanoua, verbis relatis à nobis c. 1. huius libri.

De quo & Sorethius *in Regul. text.* 10. *cap.* 5. sic conqueritur. *In ipso quoque fratrum habitu, iam non calor, sed color quæritur magisque cultui, vestium, quam virtutum insistitur. Pudet dicere, vincuntur in suo studio mulierculæ, cum à fratribus pretium affectatur in vestibus, cum sine necessitate, nec saltem forma Religionis retenta, in habitu ornari, non amari appetunt milites Christi, qui dum se præparare ad prælium contra aëreas potestates, prætedere paupertatis insigne debuerant, quod vtique aduersarij valde formidant, in mollitie vestimentorum potius præferentes indicium vanitatis, vltro se hostibus, sine sanguine tradunt inermes. Hodie quæritur ad induendum non quod vtilius, sed quod subtilius inueniri potest, non quod frigus expellat, sed quod superbire compellat: non denique iuxta Basilij regulam, quod vilius comparari potest sed quod venustius, imo vanius, ostentari.* Deinde sic lachrymatur. *Heu me miserum! cur adhuc viuo, videre Ordinem nostrum,*

nostrum, scilicet qui primus fuit in Ecclesia, quo nullus in terra similior Angelicis Ordinibus, nullus vicinior ei, quæ in cælis est Ierusalem, mater nostra siue ob decorem castitatis, siue propter charitatis ardorem, cuius Prophetæ institutores, cuius hi, quos Paulus toties sanctos appellat, inchoatores extiterunt. Fusi sumus nunc exterius, & de Regno Dei, quod intra nos est, relictis veris, ac perennibus bonis, foris quærimus vanam consolationem, & vanitatibus, & insaniis falsis, ac iam religionis antiquæ non solum virtutem amisimus, sed nec speciem retinemus. Ecce enim habitus noster (quod & dolens dico) qui humilitatis esse solebat, indignè à fratribus nostris temporis in signum gestatur superbiæ. Vix iam in nostris Prouinciis inuenitur, quo vestri dignemur. Miles cum fratre ex eodem panno partitur sibi cappam, & chlamidem, omnis de sæculo quantumcumque honoratus, etiam si Rex, etiam si Imperator fuerit, ille tamen nostra non horrebit indumenta, si suo sibi modo præparata fuerint, & aptata. Vanum cor vanitatis notam ingerit corpori, & exterior superfluitas interioris vanitatis indicium est, mollia indumenta animi mollitiem indicant. Non tanto studio curaretur corporis cultus, nisi prius neglecta fuisset mens inculta virtutibus. Operiuntur huiusmodi impietate, & iniquitate sua. Hæc ille, etsi dura satis, eatenus vero æstimanda, quatenus non omnes, sed aliquos infirmioris notæ fratres tangere credendum sit.

29 Quale tamen suæ detrimentum salutis æternæ patiantur religiosi, si vestium culturæ sint nimium dediti, habetur ex reuelatione Sanctæ Brigittæ facta. Ex qua liquet animam cuiusdam religiosi, inter alia damnari. *Quia gloriabatur in superfluis, & habitu peregrino.* Extat quoque visio, & reuelatio cœlestis, quam B. Odo Abbas Benedictinus retulit, ex qua liquet, quantum Deo displiceat monachorum inhonestus, & nimium comptus ornatus. *Cum apud Turones in Ecclesia Beati Martini, monachi degerent, cœperunt desciscere à moribus, & institutis monasticis, propriamque sectando voluptatem, vitam professionemque suam corrumpere. Abiecto enim monachorum solito habitu, fucatos atque fluxas, & pallio ornatos induerunt cucullos, & tunicas; calceis vtebantur adeo rotūdis, & nitidis, vt vitrei videri possent. Quibus, cum vellet Deus finem imponere, nocte quadam omnibus somno correptis, vnus ex eis vigilans, duos viros vidit in dormitorium ingredi; vnum manu tenentem gladium; alterum imperantem ei, vt quos ipse digito demonstraret gladio percuteret. Cumque ille etiam eum, qui videbat, cadere vellet, adiuro te, inquit per Deum viuentem, ne me interficias. Illico retraxit ille gladium, & hic solus ex omnibus euasit.* Hæc Sanctus Odo: ex quibus elici valet quantum Dei iræ sibi asciscant regulares, nimium ornatum in vestibus affectantes. Alia quoque visio cuidam monacho contigit, in qua vidit B. Benedictum pro monacho moribundo compellatum, qui spreta simplicitate vestis religiosæ, habitum inhonestum assumpserat, respondisse. *Hominem quidem se videre, sed habitum non agnoscere, itaque alterius instituti hominem, eiusque causam discutere se non debere, nec in eius vitam inquirere.* Hæc & alia Surius ex quibus, & adductis, constare liquido potest, magnum malum regularibus esse vestibus inordinatis ornari, ac perinde fugiendum auaritiæ, cupiditatisque vitium, ex quo, & pecuniarum possessione, tantum detrimentum nascetur.

30 Præcludere tandem oportet ementitam quandam, simulatamque excusationem, qua sibi regulares quidam, pecunias, bonaque temporalia, plus æquo procurare dicent. Est autem excusatio hæc sub prætextu indigentiæ, necessitatisque futuræ obiecta. Dicent enim fortè, cœnobia, aut conuentus, non sibi in necessariis prouidere, vel si aliquatenus prouident, talem tamen morbum, oblongum inter senectutem, similemve indigentiam, accidere posse, vt nisi propriis diligentiis adiuuentur, miserè sint perituri, ob quod vitandum damnum sibi putabunt licere, pecuniæ copiam, librorum, aliorumque temporalium bonorum supellectilem reseruare. Sed, gaudeo, gaudeo sanè, quia nec noua est, sed antiqua, prætensa hæc, & palliata cupiditatis monasticæ excusatio. Eam enim similibus verbis Ioannes Cassianus antiquus Eremita, loquens de monachis cupiditatis vitio infectis, exaratam reliquit. Sic verò loquitur. *Philargyria, seu cupiditas pecuniarum, cum remissam tepidamque possederit monachi mentem, iustos quosdam, & velut rationabiles ei colores, ob quos reseruare sibi aliquid pecuniæ debeat, vel parare, describit. Nam, & ea, quæ præbentur in monasterio, queritur non esse sufficientia, & sano, robustoque corpore, vix posse tolerari. Quid faciendum, si valetudo mala corporis emerserit, & conditum non fuerit aliquid peculiare, quo sustentetur infirmitas? Præstitionem monasterij esse pertenuem, & negligentiam erga ægrotantes maximam. Si proprium aliquid non fuerit quo cura corpori valeat adhiberi, miserè moriendum. Ipsum etiam vestimentum, quod præbetur, non sufficere, nisi procurauerit, vnde sibi aliud valeat exhiberi. Postremo, nec diu posse in eodem loco, vel monasterio commorari, & nisi parauerit sibi viatici sumptus euictionisque transmarinæ mercedem non posse cum voluerit transmigrare, &c.* Et infra. *Tunc deinde vita longæua promittitur, senectus incurua, infirmitates diuersæ, atque prolixæ, quæ tolerari in senecta non possint.* Hæc Cassianus. Ecce eandem excusationem, quam nescio si aliqui religiosi nostri temporis, auaritiæ forsan, & cupiditatis morbo infecti, sibi vsurpant, ab hinc 1200. annis ab improbis fuisse monachis traditam.

Idem intentum piissimus Ioannes Soreth in 31
expositione Regulæ Carmelitar. cap. 9. circa illa verba. *Abdicatione proprietatis*, his verbis prosequitur. *Auaritiæ morbus posterius superueniens, & extrinsecus animæ accedens, quanto facilius caueri potest, ac respui, tanto neglectus, & intromissus semel cordi fit pernicior, & cunctis vitiis difficilius propellitur, malorumque omnium radix est. Igitur si remissam, tepidamque possideat viri Religiosi mentem, per quosdam velut rationales illi colores licet obliquos, vel reseruare aliquid pecuniæ, vel comparari describet; nam ea, quæ præbentur, in monasterio queretur non esse sufficientia, etiam sano, robustoque corpore vix posse tolerare negligentiam erga ægrotantes maximam. Itaque cum eiuscemodi cogitationibus laqueauerit mentem, qualiter saltem vnum denarium acquirere possit excogitat. Cumque ei ad votum cesserit, fames excrescit, & sic pecuniæ incremeneo rabies cupiditatis augetur: deinde vita longæua promittitur, senectutis incuruatio, infirmitates diuersæ, ac prolixæ, quæ nisi maior summa fuerit in iuuentute præparata, tolerari in senectute non possunt.*

Sed quis non videat frigidam hanc excusatio- 32
nem, ipsamet testante comprobari. Etsi enim aliquid naturæ fragilitati concedi queat, vitiosæ tamen cupiditati, sub vero naturalis necessitatis

obiectæ, nihil concedi debet. Hoc est ipsismet Cassiani verbis clarescit, dum monachum tali excusatione munitum, *remissum, tepidamque mentem*, possidere asseruit. Indicat id quoque Diuus Gregorius dicens. *Sæpè quod auaritia, ex appetitu suggerit, necessitatem putat, & cum minora sufficiant, docet maiora deesse.* Præsertim id verum habet, quia si naturæ necessitati consulitur, vt isti simulant, certè *natura paucis contenta redditur.* Indicat hanc rationem, solo ipso rationis ductu Seneca epistola septima ad Lucillum dicens. *Frugalitas autem paupertas voluntaria est. At necessaria deerunt? Deesse non poterunt, quia natura minimum petit.* Ecce monachi excusationem vestram ab ethnico quoque reiectam. Sed esto, nobis aliqua in corporeis necessitatibus desint, nunquid ideo infamiæ auaritiæ serui erimus? Cupiditatis mancipia vocabimur? Non ideo, Patres, paupertatem professi sumus, vt nihil omnino nobis desit. *Fœdum enim est*, (inquit Bonauentura) *profanumque mendacium satanæ paupertatis voluntarium professorem se asserere, & rerum penuriam pati nolle.* De his quoque sic loquitur Bernardus. *Vidimus pauperes aliquos qui si veram paupertatem haberent, non adeo pusillanimes inuenirentur, & tristes. Sed hi sunt, qui pauperes esse volunt, eo tamen pacto, vt nihil eis desit, & sic diligunt paupertatem, vt nullam inopiam patiantur.* Indicat sanè his verbis Bernardus istos tales non veros, & perfectos pauperes esse. Deinde: ignoro prorsus, quantum valeat apud istos illud Christi. *Primum quærite regnum Dei, & hæc omnia adiicientur vobis.* Et illud. *Nolite solliciti esse in crastinum.* Prorsus etiam ignoro, qualiter apud istos firma, roborataque spes permaneat, cum (verbis D. Basilij vtar) *Deum iis alimenta suppeditaturum diffidant, qui in nomine ipsius congregati sunt.* Nec video, quomodo religiosi isti, totos se Deo animo, corde, & corpore tradiderint; cum sic rebus caducis inhiantes, suam professionem relinquant. *Similis esse debet monachus* (loquitur Ephrem) *Viro ex alto demisso, qui funem excelso interuallo pendentem arripit; & indesinenter pro auxilio ad dominum clamat, sciens se, si defecerit vtriusque manus perdiderit, præcipitem illico ruiturum, & moriturum.* Si ergo religiosus omnis indesinenter, à Dei auxilio, potestateque, pendens esse debet, quorsum pro temporalibus angitur, pro caducis torquetur, & pro terrenis, cœlestem paupertatem commutat? Hoc docet Euangelica Veritas, patres astruunt, veri, perfe-
32 ctique monachi status hoc requirit.

Addiderim præterea, sæpius, diuina prouidentia disponente, istos, qui sub futuræ necessitatis, vel indigentiæ prætextu, propriæ professionis, & paupertatis religiosæ limites transgrediuntur, his etiam pecuniis, quas sibi confoderant, misere priuari. Forsan expertus loquar. Sed extat de hoc memorabile exemplum, quod refert Guillelmus de Peraldo in tractatu de professione monachorum, de hortulano quodam, qui simili spiritu cupiditatis ductus, pecuniam sibi indebitè reseruauit, quam tamen sibi nihil profuisse, ex angelica reuelatione innotuit, simulque cupiditatis eius vitium reprehensione dignum fuisse probatur. Hæc sunt Peraldi verba. *Suggestum est ei inspiratione spiritus maligni, vt colligeret aliquam pecuniam, quam, cum senesceret, vel ægrotaret, posset expendere. Et fecit sic: Contigit autem eum infirmare in pede, & expendit quidquid habebat in medicis; curarique non potuit. Tandem vnus ex peritis medicis dixit, eum non posse curari, nisi per pedis abscissionem. Et cum quadam die, medicus esset allaturus instrumenta sua ad pedem abscindendum, nocte præcedenti hortulanus pœnituit de nummis collectis, & quod non dederat eos pauperibus. Et statim Angelus Domini astitit ei dicens. Vbi sunt nummi, quos collegisti, & vbi est pes, quem tractasti? Qui cum pœniteret, & misericordiam peteret, Angelus Domini tetigit pedem eius, & sanatus est. In mane vero medicus veniens, inuenit hortulanum in agro sanatum, & operantem. Et glorificauit Deum.* Ecce casum; ex quo liquido innotescit, Deo maxime displicere monachum, qui sub vmbra necessitatis venturæ, contra regularem paupertatem peculium congregat. Ipsoque facto ostendisse, in Deo plus sanctum religiosum, Deique prouidentiæ quam pecuniis fidere oportere. Ac perinde euanescere, vt futilem, & inanem eorum excusationem, qui præ timore necessitatis futuræ, præsentem profes- 33
sionem prætermittent.

Sed, quod horribilius est, cupidos Religiosos æternam proinde sibi præparare gehennam, non temerè formidari potest. De quo noster Gratianus *in sua disciplina Regulari c.9.§.1.* notabilem hunc casum sic refert. *Stauasi morendo vn frate di più di settant'anni di età, evedendo, che più non v'era speranza di vita, chiamò il compagno, che lo seruiua, è dissegli, che discusisse certa parte del suo giubbone, e ne cauasse diciassette dopponi d'oro, e prendesse vn coltello, egli aprisse la carne sua propria in vn fianco, & iuiglie li ponesse, e ritornasse à cusire. Il frate suo compagno si rise della sciocchezza del vecchio, vennelo à dire à i Superiori, i quali viddero i diopponi, ma il vecchio si morì co'l suo desiderio,* 34
e Dio sa doue andò quell'anima.

Restat tandem duas alias euasiones retundere, quibus frigidi aliqui regulares forte putabunt, magnam bonorum temporalium copiam sibi illicitam non esse. Nec propriam sententiam proferam; sed quid sentiant grauiores alij dicam. Prima est, quia dicent tales, etsi habeant plurium bonorum temporalium copiam, affectionem tamen internam ad res ipsas temporales non habere. Sed hanc reiicit Hieronymus Sauoranola ad Comitem Mirandulanum sic dicens. *Nec permittas te seduci ab aliquibus, qui dicunt, quod paupertas non consistit in hoc, quod non habeamus res exteriores, sed in hoc, quod non habeamus affectionem, & amorem ad illas: quia quanquam hoc verum sit, tamen, & difficillimum, & fere impossibile est, possidere res exteriores, & non habere amorem, & affectum ad illas: propter quod Sancti, etsi habebant totum amorem suum in Christo, nihilominus spoliabant se huiusmodi rebus, scientes, quod possessio illarum est multorum peccatorum occasio, & hoc apertissimè apparet, in religiosis, qui in monasterio, & in cella habent abundanter ea, quibus opus habent; quia sunt tepidi in diuino amore, vagi, rari in oratione, sensuales, loquaces, murmuratores, iracundi, impatientes, insatiabiles, inquieti, inuidi, otiosi, superbi, & inobedientes. Et hoc euenit illis, quia dereliquerunt primum religionis fundamentum, quod est ipsa paupertas, non considerantes necessarium esse omni volenti seruire Christo in religione, vt sit pauper non solum corde, sed opere, in omnibus huius mundi rebus.* Secunda euasio est quorumdam, qui dicent se posse plura bona temporalia, & pecunias possidere, quia non habent dominium, sed vsum illorum. Hoc tamen sic reiicit D. Dionysius Carthus. ex graui quodam Doctore.

ctore. *Magis nocet religioso habere vsum peculij sine proprietate ciuili, quam habere proprietatem sine vsu. Proprietas neque in se non est peccatum neque ad peccandum inducit, nisi per vsum rei. Eius exemplum est, quod puero, vel furioso non noceret proprium habere cultellum, dummodo non haberet libertatem vtendi illo. Habere tamen libertatem vtendi ad placitum communi cultello esset furioso, seu puero valdè periculosum. Quemadmodum ergo stultum, & derisibile esset, si quis paterfamilias prohiberet filio suo habere proprium cultellum, ne cum illo se læderet; nihilominus daret illi licentiam vtendi ad placitum communi cultello domus, sic stultum videtur, & derisibile, si pater spiritualis filio suo spirituali prohibeat possidere aliquid proprium, & nihilominus assignat ei aliquam portionem de communibus bonis conuentus, conceditque vsum illius. Quia libertas vtendi illa portione est sibi magis periculosa quàm esset ei proprietas eiusdem sine vtendi licentia.* Et infra. *Quantum ad progressum de malo in bonum parum, aut nihil refert, an habeatur vsus, sine proprietate, vel cum proprietate.* Hæc iste author. Quæ, obsecro, attendant regulares omnes, nulloque palliato colore, cupidam sibi, auaramque bonorum temporalium possessionem prætendant, *ad excusandas excusationes in peccatis.* Sed propriæ professioni attendentes, sciant cum S. Hyppolito martyre. *Consummationis mundi, & extremæ ætatis illius signum esse si monachi expetuntq, uæ sunt mundi.* Sed de hoc etiam capite sequenti.

34 Interim tamen, vel vt sic aliquantulum lectoris animum recreemus, illustrem Cyrilli Apologum corui, & vulpis, quo auaritiæ incommoda graphicè describuntur, hic placuit inserere, ex *lib. 3. Apolog. Moral. cap. 1.* Coruus ergo optans ditari modum quæsiuit à vulpe. Cui illa: *totum,* inquit, *officium ditescendi in tribus assiduis vitiis, & in vno continuo tormento consistit, videlicet in insatiabili cupiditate, in inquieta rapacitate, in illiberalitate continua, & in timore perpetuo. Hæc enim sunt instrumenta artis ditescendi, scilicet, semper cupere; cum enim cupiditas deerit, mundanæ diuitiæ minorantur, sed vbi semper hæc aderit, augentur. Minorato siquidem appetitu, caro macrescit; & eo addito, mox resarcita pinguescit. Nam ob hoc excessiua oneratur pinguedine porcus, quia inextinguibilem patitur appetitum. Alterum verò eius officium est vndecumque & quomodocumque rapere: propter hoc enim æstiuo tempore cum plurimi fluuij deficiant, Nilus auctus fines suos transgreditur. Quoniam vndecumque contingit humiditas, vi caloris rabientis hauritur. Tertium est, nihil vnquam donare. Ex quo namque sursum altissimæ arbores rapiuntur; nisi quia foris minimè in fructum effunduntur? Atque ideo intestinum cauum semper est vacuum & quod chili, mox cum susceperit, fit effusinum. Vltimum verò est, timore sollicito semper parta seruare. Plures & si non datis, negligentia, tamen perditis diuitiis caruerunt. Audax enim pauo caudam auream perdidit, & pauidus lepus propriam pellem custodiuit. Hæc igitur frater mi oportet diligenter seruare, si mūdi huius diuitias cupis acquirere. Scilicet, vt sis semper cupidus illas affectando, violentus in rapiendo, auarus in tenendo, timidus in seruando. Vbi hæc coruus audiuit, digestam sententiam protulit. O certè infelicissimæ paupertatis fallaces diuitias mundiales, & omni cum studio sapienti detestandas? vtpote quarum dilectio cupiditas est, acquisitio rapacitas, possessio illiberalitas, & conseruatio timiditas est horrenda. Sed quid cupiditate scelestius? quid rapacitate iniquius? quid illiberalitate deformius? & timeditate molestius? Sperno de cætero immoderatas diuitias Crœsi; & Assueri opum magnalia, & aurea scuta repudio Salomonis. Meæ verò diuitiæ sint, sine cupiditate quietum, sine rapacitate iustum, sine illiberalitate benignum, absque timiditate securum me possidere.*

SVMMARIVM.

Auaritia non solum à Regularibus personis, sed etiam à communitatibus Regularium est ableganda, numero 1.

Adducuntur verba D. Basilij in præsenti causa, numero 2.

Lugendus Religiosorum status, qui cum in sæculo possessiones reliquerint, in religione tamen ad diuitias anhelent. n. 3.

Sanctus Gregorius Nazianzenus, qualis Monachorum vita suo tempore, qualis nostro futura sit describit. n. 4.

Eusebius cupidam quorumdam Monachorum auaritiam grauissimis verbis carpit. n. 5.

Monachus, qui in terris possessiones quærit, Monachus non est. n. 6.

Superfluas Monasteriorum diuitias acriter damnat Bernardus. n. 7.

Aduersus quosdam Monachos Eremitas inuehitur Petrus Damianus, quod superflua monasterio bona acquirenda inhiarent. n. 8.

Quæ iustus Abbas Cisterciensis circa copiosam temporalium supellectilem scripta reliquerit. n. 9.

Iunguntur quæ Abbas Ioachim ad hoc protulit intentum. n. 10.

Inter causas difformationis Religionum hanc recenset Bonauentura. n. 11.

Idem comprobatur ex quadam reuelatione sanctæ Brigittæ. n. 12.

Quam seuerè idipsum in communitatibus Religiosis reprehendat Ioannes Rusbrochius. n. 13.

Profertur testimonium Ioannis Trithemij ad propositum. n. 14.

Inter radices cur Religio perit & deformatur hanc recenset Isidorus. n. 15.

Quænam sint causæ quare tam accurate sancti Patres superfluam bonorum temporalium possessionem Religiosis communitatibus interdixerint. n. 16.

Odium & inuidia sæcularium aduersus communitates Regularium inde ampliùs augetur. n. 17.

Exinde magis communitates religiosæ in ruinam temporalem tendunt. n. 18.

Exemplo confirmatur. n 19.

Inconueniens aliud. n. 20.

Afferuntur ad idem intentum quæ dixit venerabilis P Ioannes Soreth. n. 21.

Cælestis item reuelatio. ibid.

Magnum aliud incommodum ex superflua bonorum temporalium possessione Monasteriis ipsis quandoueniens. n. 22.

Cupiditatis vitium semel admissum difficillimè amque proputatur. n 23.

Paupertatis religiosæ commendatio; & è contra proprietatis abominatio. ibid.

Opum damna ex Apologo. n. 24.

CAPVT

Caput XVII.

Superfluitas bonorum temporalium etiam in ipsis communitatibus, religiosorum reformationi est contraria.

1 Abundè satis caput præcedens cupiditatem, & auaritiam à regularibus personis, Patribus testantibus, relegauit; præsens vero etiam à communitatibus ipsorum regularium, monasteriis scilicet, conuentibus, aut collegiis, abigendam fore specialius comprobabit. Ansam hinc tollemus aliquibus, si superfluam bonorum temporalium possessionem priuatis personis, & regularibus nolint permittere; Ipsorum tamen cœnobiis, magnam copiam istorum bonorum tolerandam esse, verbis, aut factis conentur defendere. Hoc ergo contra perfectam reformationem religiosorum militare accuratius ostendamus. Ad quod in primis omnia quæ capite præcedenti adduximus deseruire poterunt: si enim superflua bonorum temporalium possessio religiosos non decet, nec decebit etiam communitatem ipsam religiosam: quæ ex pluribus particularibus componitur. Nihilominus specialiter de communitatibus regularium loquemur.

2 Ergo primus, vt solet, loquatur D. Basilius, magnus, & egregius reformationis monasticæ defensor. In sermone ergo de institutione monachorum sic loquitur. *Conuenit igitur, vt quemadmodum; qui in balneum ingrediuntur, vestimentis se omnibus denudant, ita & qui colendæ pietatis causa ad solitariam vitam accedunt, omni rerum vitæ huius materia exuti, genus vitæ, quod est secundum philosophiam, ingrediantur.* Loqui autem Basilium, non modo de specialibus religiosis, sed etiam de ipsis cœnobiis, conuentibusve, in quibus degunt, ex sequentibus elicio. *Si quidem earum rerum, quæ sunt cum materia coniunctæ solicitudo, procuratioque magnopere mentem, atque animum distrahunt.* Quæ ratio non minus in communitatibus religiosis, quam in ipsis regularibus personis vim habet.

3 Adstipulatur S. Ephrem Syrus, qui in opusculo quodam aduersus quosdam religiosos edito, eorum statum eo maximè luget, quod cum in mundo possessiones, diuitiasque reliquerint, in religione tamen, pro ipsorum possessione multum anhelent. Eius verba, paucis dispunctis, sic habent. *Hei mihi, magis delectat confabulari, iocari, ridere, ludere, quis non suspiret? quis non lugeat? quo pacto Angelicum hoc institutum, ac Ordinem confundimus? Reliquimus mundum, & quæ mundi sunt sapimus. Reliquimus domos, & earum cura, atque solicitudine quotidie absumimur. Videmur quidē paupertatis amatores; & habendi cupiditate detinemur, atque absorbemur. Ore quidem, ac verbo paupertatem colimus, mente autem auaritiæ morbo laboramus. Quis igitur nostram conditionem, atque institutum nō doleat?* In ser. quoq. ascetico de vita relig. sic habet. *Attendamus nobis ipsis, ne duplicio pœna in iudici mulctemur; maximè si post sæculi abdicationē adhuc ea, quæ mundi sunt sapiamus. si post pecuniarum, opumque contemptum, de iis adhuc sollicit sumus, &c.* Attendant hoc religiosi, & videant qualiter illis etiam pro communi conuentu, sollicita pecuniarum inquisitio interdicatur, oppositumque conantibus, duplex pœna comminata sit ab Ephremo.

Accedit S. Gregorius Nazianzi. Episcopus, qui, 4
& ipse monachus, monachorum quoque, & cœnobitarum vitam describens, qualis nam suo tempore fuerit, qualisue nostro futura sit, sic docet. *Vita eorum sunt opes in egestate: possessio in peregrinatione, gloria in contemptu; patientia in infirmitate, proles egregia in cœlibatu: Qui delicias aspernari pro deliciis habent: qui regni cœlestis causa, humilitatem amplectuntur, qui in mundo nihil habent, & mundo superiores sunt, qui cum in carne sunt, extra carnem tamen viuunt: qui pro portione Deum habent; qui propter regni spem inopia laborant, & propter inopiam regnant;* Hæc sanctus hic Pater, quæ si attendant aliqui ex religiosis, non magno conatu bona temporalia, pecuniarumque abundantiam, sibi, suisve cœnobiis coacceruabunt, cum opes nostras in egestate, possessionesque in peregrinatione sitas esse, Nazianzenus moneat.

Eusebius quoque author epistolæ ad Damasum 5
de morte D. Hieronymi, & habetur 4. tom. Operum ipsius, cupidam auaritiam quorumdam monachorum grauissimis verbis, carpit, & reprehendit. Primo ergo nihil peius in mundo esse, quam malus monachus, affirmauit, inquiens. *Nulla certè in mundo tam crudelis bestia, quam malus monachus.* Causam subiungit. *Nam corrigi non patitur, nec veritatem vnquam audire potest. Et vt breuiter dicam, omnes præeminent malitia.* Vt autem præcipuam causam tradat, cur tam malignus, incorrigibilis, & crudelis bestia, monachus prauus sit, totum hoc in auaritiam refundit, hisce verbis. *Heu quantum in quibusdam spiritualibus, habitu, & nomine, creuit cupiditas: qui certe sunt lupi rapaces in vestimentis ouium.* Concludit tandem. *Vbi sacerdos, & monachus cupidus est, ab eodem plusquam à serpente fuge.* Ne autem putaretur, solum loqui de monachis, qui priuatim sibi nummos, & bona temporalia congregant; sed etiam de illis, si superfluè, & auarè nimis monasteria ipsa supra modum ditare contendant, hæc addit. *Sunt nonnulli, qui totum suum fructum existimant, Ecclesias, & monasteria miro modo, & opere, ex pauperum mercede ædificare, in quibus tanta viget cupiditas, vt terram sibi, & omnia deficere putent. Ibi cor, ibi mens, ibi semper sua est cogitatio, vt aliena possint expoliare marsupia.* Neutiquam author hic improbare valet religiosam eorum monachorum, regulariumque, curam Deo, sanctisque templa, Ecclesias, monasteriaque extruentibus: hoc enim pium, & laudabile est. Improbat tamen eorum solicitudinem, & cupiditatem, qui sub horum prætextu, pauperum bona, nobiliumve hæreditates sibi asciscunt, vel superfluas, impertinentes, vanasque diuitias sub prætextu sustentationis acquirent: hi enim reprehensibiles valde essent, & vitio auaritiæ notabiliter infecti.

Ad hæc D. Gregorius Magnus in suo 3. lib. Dia- 6
logorum sanctissimi cuiusdam Isaac serui Dei virtutes, & miracula referens, inter alia in hoc maximè ipsum commendat. *Quod cum eum crebro discipuli humiliter admonerent, vt pro vsu monasterij, possessiones, quæ offerebantur, acciperet. Ille solicitus suæ paupertatis custos, fortem sententiam tenebat dicens. Monachus, qui in terris possessiones quærit, monachus non est.* Hæc Sanctus Gregorius de hoc eximio viro, satis superque laudans eius factum, & dictum: *Monachus, qui in terra possessiones quærit, monachus non est.* Quod, si plures, vt æquum est, ruminent, non nimis solicite, auide, & cupide exquisitas diuitias, possessiones, hæreditatesque sibi quærent, cum sanctus hic vir à D. Gregorio commendatus, neque pro vsu monasterij, possessiones, quæ offerebantur acciperet.

acciperet. Fauet quoque in epistola quadam. *Si peculiaritas* (inquit) *à monachis habetur, nec concordia, nec charitas in congregatione poterit permanere.* Alibi quoque sic habet idem Gregorius. *Quid est habitus monachi, nisi despectus mundi, quomodo ergo mundum despiciunt, qui in monachali habitu positi, aurum quærunt?* Hæc, & alia Magnus Gregorius, satis exosam habere indicans, cupidam auaritiam monachorum, etiam sub prætextu communitatis augendæ.

7 Nec minus fauet D. Bernardus, qui in sua illa celebri apologia ad Guillelmum Abbatem, sæpius, meo videri, à monachis perlegenda, vanas, superfluasque monasteriorum diuitias damnans, superfluam quoque monachorum in illis acquirendis solicitudinem condemnat: sic vero loquitur. *Absit vt credam, tantas sanctos Patres, quantas video in plerisque monasteriis vanitates, ac superfluitates præcepisse, vel concessisse. Miror etenim, vnde inter monachos tanta intemperantia in commessationibus, & potationibus, in vestimentis, & lectisterniis, & equitaturis, & constituendis ædificiis inolescere potuit, quatenus, vbi hæc studiosius, voluptuosius, atque effusius fiunt, ibi Ordo melius teneri dicatur, ibi maior putetur religio. Ecce enim parcitas putatur auaritia, sobrietas, austeritas creditur; silentium tristitia reputatur. E contra remissio discretio dicitur, effusio liberalitas, loquacitas, affabilitas: chachinnatio iucunditas: mollities vestimentorum, & equorum fastus honestas: lectorum superfluus cultus munditia.* Et infra. *Quis in principio, cum Ordo cœpit monasticus, ad tantam crederet inertiam monachorum deuenire? O quantum distamus ab his, qui in diebus Antonij extitere monachi?* Et inferius. *Quæritur ad induendum, non quod vtilius, sed quod subtilius inuenitur, non quod repellat frigus, sed quod superbire compellat: non denique iuxta regulam, quod vtilius comparari potest, sed quod venustius, imo vanius ostentari.* Multa alia S. hic Pater in dicta apologia, contra superfluam solicitudinem monachorum in diuitiis, delitiis, temporalibusque bonis habendis, scripsit; quæ transcripsimus, sufficiant, vt quantum ex mente Bernardi à vero religionis tramite isti aberrent, notum sit. Quia tamen superfluam, vanamque hanc bonorum possessionem, solis priuatis religiosis, non autem monasteriis eorum interdici, aliquis forsan putabit, ex sermone ad fratres de monte Dei, etiam de ipsis domibus religiosis loqui manifestè liquescet, sic vero loquitur. *Iam enim subintrauit de ære alieno sumptuosa, & quantum pudor sinit, ambitiosa ædificatio & abiecta sancta simplicitate, & rusticitate, sicut Salomon dicit ab Altissimo creata, quasi religiosas quasdam nobis creamus habitationum honestates; in quibus tantum compassum est à talibus, vt pene omnes in hoc effecti simus animales. Dimissam enim nobis à patribus nostris iure hæreditario formam paupertatis, & sanctæ simplicitatis speciem. Verum decorem domus Dei alienantes à nobis, & à cellis nostris, per manus artificum exquisitorum cellas, non tam eremiticas, quam aromaticas ædificamus nobis de eleemosynis pauperum.* Et infra. *Ergo obsecro, in peregrinatione sæculi huius, in militia hac super terram ædificamus nobis non domos ad habitandum, sed tabernacula ad deserendum.* Optimè etiam sermone quarto super missus est, hæc habet. *Video, & alios, quod non sine dolore videri debet post aggressam Christi militiam, rursus sæcularibus implicari negotiis; rursus cupiditatibus terrenis immergi: Cum magna cura erigere muros, & negligere mores: sub prætextu quoque communis vtilitatis verba vendere diuitibus, & matronis salutationes, &c.* Alia sãctus hic Pater, ex quibus liquido innotescit, quam male sentiat de auara cupiditate aliquorum monachorũ, si sibi nimis amplas magnificas, pretiosasq; cellas, aut domos ædificent ad habitandũ in hac peregrinatione, etiã *sub prætextu cõmuni vtilitatis*, vt dicit.

8 Grauissimus quoque author Card. Petrus Damianus in epistola ad quosdã Monachos eremitas, cõtra illos, quod superflua monasterio bona adquirenda inhiarent, sæpius inuehitur. *Hoc etiam* (inquit) *me non leuius mouet, quia prætergresso nihilominus inobedientiæ limite, eleemosynas à sæcularibus indifferenter accipitis, possessionis iræ funiculos inhianter extenditis; & vt (cuncta breuis sermo concludat, in occulto simul, & publico, fieri diuites festinatis.* Et infrà. *Porro autem ad quid diuitiarum lucra congerimus? an quia hæc in nostros vsus expendere, natura modico contenta prohibente, non possumus: quod prodigi valeant, anxia semper sollicitudine perquirimus.* Vnde inferius concludit, *Spernite diuitias, ne perpetuo mendicetis, estote voluntariè pauperes, vt sine fine regnetis.* Ex quibus non incongruè elici valet Illustrissimum Monachum Damianum, toto animo, cordeque reprobare nimiam bonorum temporalium cupiditatem, etiam sub prætextu communitatis monasterij ampliandæ.

9 Nec omittam, quæ Iustus Abbas Cisterciensis in sermone quodam ad Cistercienses Monachos, circa copiosam bonorum temporalium supellectilem scripta reliquit. *Noster* (inquit) *ordo bonum habuit fundamentũ humilitatis, & spõtaneæ paupertatis, Super hoc fundamentum nostri priores ædificauerunt consimilem structuram, scilicet humiles domos priuata laboris habitacula, tenuissima temporalis vitæ subsidia. Nos vero sicut iudicibus nostris videtur, transiuimus terminos, quos posuerunt patres nostri. Nos iam non humiles domos, sed spatiosas, & speciosas aulas instruimus. Ipsa nostra habitacula vrbibus similia sunt, & iam, vt vulgo dicitur, in chimino posita, commeantibus quadriuiatim patent.* Et inferius. *Primi Cistercienses diuitias fugerunt, nos quærimus; paupertatem quæsierunt, nos fugimus.* Inferius quoque. *Prouideamus famæ nostræ, propter nimiam libertatem nostram iam valde periclitanti. Caueamus, ne nomen Dei per nos blasphemetur inter gentes. Diuitias congregare, dignitates ambire, negociationes exercere, vrbana fora frequentare, sine præuaricatione nostri Ordinis non possumus.* Hæc Iustus Abbas, re, & nomine iustus, vt temporalium bonorum cupiditatem à Cisterciensi familia (alioquin grauissima, & religiosissima) procul abigeret, scripta mandauit. Vtinam religiosi omnes sibi hæc dicta intelligant, opereque exequantur.

10 Iungam quoque libenter, quæ Abbas Ioachim super Apocalypsi. capitulo tertio ad nostrum protulit intentum. Dum enim grauissimæ cuiusdam religionis interitum lamentatur, in eam causam refundit. *Quia dum diuites esse voluerunt, sub regula paupertatis facti sunt delicati, & teneri; facti sunt inualidi, & infirmi; facti sunt, quibus lacte opus sit, non solido cibo. Nec mirum: Quis enim vnquam inter diuitias, & delitias potuit tenere inopem vitam, & castitatis propositum vbi multi sunt cibi? Taceo, quod intra vrbes, & vicos plura monasteria sita sunt, & præsto sunt, quæ monachorum mentes alliciant, & nonnullis, proh dolor, captiuitatis, oculos eruant, & in Gazam ducant.* Taceo, & ego etiam alia, quæ ibi grauis isteaut hor, & p alutibus Propheta reputatus non tacet. Eaque ex magna copia diuitiarum religiosis nasci, asseuerat.

Omnium

11 Omnium tamen Patrum clarissimè huic nostro instituto fauet Seraphicus Doctor S.Bonauentura. Primò enim in quæstionibus circa regulam cum quæsisset. *Cum secundum Patres laudentur Monachi in casellis, & in vilibus habitaculis habitasse, quid est quod altas, & magnas domos erigitis, oratoria sumptuosa, & areas latas magno pretio comparatas, cum sitis pauperes, & mendici, & contemptores mundanorum esse debeatis?* Causasque assignasset, cur religiosis ædificare domos, templa, oratoriaque liceat; subiungit tamen. *Non tamen intendo in his excusare nisi quæ valdè necessaria sunt: Vbi autem superfluitas, curiositas, & irreligiositas, & regulæ, & paupertati nostræ derogantes essent structuræ reprehendo tecum. Quintuplicis enim peccati rei sunt qui superflua in ædificiis, & aliis quibus vtimur, procurant, & acquirunt. Primo propter transgressionem professionis quia pompis renunciantes sæculi, in proprietate, & humilitate vera promiserunt Deo famulari. Secundo, propter malum exemplum, quo alij discunt ab eis similia facere; vel scandalizantur, quando vident eos, qui huiusmodi pro Christo spernere deberent, quærere, vel sectari. Tertio propter iniquietudinem fratrum, propter huiusmodi ædificia, & procurationes: quia, & deuotio extinguitur, & disciplina religionis plurimum dissipatur. Quarto, propter spoliationem aliorum pauperum, quibus sæpè eleemosynæ præcipiuntur, & huiusmodi structuræ fiunt, ex quibus illi deberent vestiri, & pasci; dum quod istis datur, eis negatur; quia ad dandum vtrique sæpè deficit dantis largitas & facultas. Quinto, quia quando nimis vrgemus homines ad dandum, perdunt deuotionem ad nos prius habitam, quod nec de prædicatione, nec exemplis, nec aliis, quæ facimus, ædificantur; Vnde cum vident nos accedere, terrentur, & timent, quod aliquid velimus ab eis expetere, quod graue sit eis dare, & erubescant negare, &c.* Hæc, & alia tam piè, quam verè aduersus auaram cupiditatem monachorum, bona temporalia, etiam communia, supra modum augere conantium scripsit. Inferius etiam inter causas difformationis religionum recenset. *Nimias opes, ex quibus fiunt carnales, superbi, & multipliciter vitiosi.* In epistola quoque quadam ad sui ordinis Prouincialem quēdam, sic loquitur. *Quoniam paupertas est nostris religiosis prærogatiua, &c. Sumptuositatem ædificiorum, librorumque, vestium, ac ciborum, sic studeas amputare quod à professionis excellentia vitæ obseruantia non discordet.* In alia quoque epistola ad ministros prouinciales sui Ordinis transmissa, inter causas relaxationis religiosæ, superfluam bonorum temporalium abundantiam, etiam in communitatibus recenset, sic loquitur. *Occurrit ædificiorum constructio sumptuosa, & curiosa, quæ pacem fratrum inquietat, amicos grauat, & hominum peruersis iudiciis multipliciter nos exponit.* Solus hic sanctus Doctor religiosus, religiosorumque superior, causam, quam intendimus, abunde confirmaret; ex eoque elicere omnes possumus, quam contrarium sit reformatis religiosis pluribus bonis temporalibus, etiam in communitatibus abundare.

12 Porrò bonorum temporalium abundantiam etiam in communitatibus, & sub prætextu bonorum operum reformationi religiosæ contraire, ex quadam diuina reuelatione B. Brigittæ fœminæ sanctissimæ facta, liquido innotescet, Reuelationis en verba, *Videbatur æthiops teterrimus in quodam monasterio, inter velatas moniales existere, cum nigro velo, & habitu monachali, de quo, admirante sponsa* (scilicet B.Brigitta) *Christus loquebatur dicens. Scriptum est in Euangelio meo, quod cauendum est de illis, qui ambulant in vestimento ouium, intus autem sunt lupi rapaces. Si nunc dico tibi, quod ille æthiops, qui apparebat inter moniales cum habitu monialium, ipse est Dæmon cupiditatis, qui suadet eis aggregare possessiones, & castra, & plures diuitias, vt ex illis lautius viuant, & distribuant largas eleemosynas, vt sub tali religiosa spe recedentes à paupertate mihi grata, dissoluantur paulatim, donec præuaricantes regulam, & priorem obseruantiam, perdant animas. Ideo scito, quod nisi vigilanter caueant ab isto lupo cupiditatis, contentando se de his quæ habent, & nihil plus volendo accrescere in possessionibus, & terrenis diuitiis, inficientur ab eo, etiam sanæ oues istius gregis damnabiliter, & postea à lupis dilaniabuntur immisericorditer. Magis enim mihi placet, quod in paupertate quieta, & sancta, quam profitebantur viuant, & contententur, quam quod terrena cura regiminis temporalis implicantes se, de distributione eleemosynarum bonorum aliorum inaniter glorientur.* Hæc Christus, cuius verba si religiosi cœtus attenderent, nequaquam multo conatu in congregandis diuitis insisterent; cum etiam sub prætextu eleemosynæ elargiendæ hoc Christo prohibitum sit.

Similiter, quod nec sub prætextu Diuini cultus (intellige vani, & ambitiosi) superflua bonorum possessio religiosis expediat Christus Dominus ad S.Brigittam in sancta Ciuitate Ierusalem orantem. *lib.7. reuelat. cap.20.* sic affatus, satis manifestauit. *Certissimè sciant dicti fratres, quod tam ipsi, quam cæteri religiosi, quibus Regula prohibet habere proprium, & tamen habent aliquod proprium contra Regulam suam, volentes per hoc me placare, quod inde aliquam partem mihi conferūt, eorum munera abominabilia sunt mihi, & exosa, nec aliqua remuneratione bona sunt digna. Magis enim mihi gratum, & placitum est, quod paupertatem beatam quam professi sunt, secundum Regulas suas diligenter obseruent, quam quod totum aurum, & argentum, ac etiam omnia metalla, quæ in mundo sunt, mihi præsentarent.*

His iungitur pius auctor Ioannes Rusbrochius 13
hic enim, vt capite præcedenti vidimus, auaritiam monachorum seuerè satis reprehendit; vt vero non solum de particularibus religiosis, sed de communitatibus etiam ipsis loqui innotesceret, multa subdit. Inter alia hæc. *Ædes quidem sacras, & cœnobia magnificè extruunt, hominesque rebus locupletes sibi potius alliciunt, & adiungunt quam vel ad Deum, vel ad virtutum studia cohortentur.* Et infra. *Licet septem milliaria non nisi vnum complectatur cœnobium; quidquid inter ea vndecumque colligitur, id facilè in illius vsus cesserit.* His autem verbis manifestum est damnare hunc sanctum auctorem, vanam, & auaram cupiditatem monachorum, si suis cœnobiis superflua, & superabundantia bona temporalia, non contenti necessariis, exquirant. Neque enim censendus est damnare eos, qui sibi modesta claustra, ædes, & Ecclesias etiam eleemosynis congregatis, extruunt, quia isti potius laudandi sunt.

Omnium tamen clarissimè grauis author Ioan- 14
nes Trithemius, vanam, & superfluam bonorum temporalium possessionem reformationi monasteriorum contrariam esse testatur. Homil.7. ad monachos sic loquitur. *Posteaquam census monachi habere cœperunt, & redditus, pristina mox simplicitatis studia defecerunt, creuitque paulatim cum diuitiis, rerum temporalium superbia. Quamdiu fuerunt pauperes monachi, Deū in veritate coluerūt; postea verò quam*

quum diuitiis abundasse cœperunt, simplicitatem fugauit duplicitas. Integritas namque obseruantiæ regularis abundantiam peperit rerum temporalium, sed paulatim diuitiæ monachorum puritatem Ordinis funditus extinxerunt. Ecce clarè insignis Benedictinus casum religionis, in magnam copiam bonorum temporalium refundit; vt vel sic falsi testes inueniantur, qui oppositum, verbis, vel factis docuerint. Adhuc clarius sermone secundo ad monachos. Cum enim grauissimum suum Benedictinum Ordinem adeo illustrasse orbem dixerit, vt quindecim, & sexcentos Diuos cœlo dederit, à suoque splendore tam sanctum Ordinem paulatim decidisse causam assignans sic habet. *Contulit monachis religio sancta diuitias, donec matrem filia suffocauit. Nam vt scriptura dicit: omnes, qui volunt diuites fieri incidunt in tentationes Diaboli, incrassatus est dilectus, & recalcitrauit, impinguatus, & dilatatus terrenis possessionibus, dereliquit institutionis primæ sancta studia; abiit post vanitates falsas, quem copia rerum temporalium, diuitiis spiritualibus inopem, & miserum fecit.* Nihil clarius, aut verius expectari potest, vt inde eliciatur, ex abundanti copia diuitiarum, religiones, religiosasque communitates à vero tramite obseruantiæ deficere.

15 Demum Ioannes Niderus in tractatu de radicibus cur religio perit & deformatur, vnam ex illis cupiditatem monachorum recenset, visioneque ex cœlo facta in quodam monasterio suum, & nostrum intẽtum corroborat. Sic verò loquitur. *Quartadecima radix est diuitiarum improportionata augmẽtatio, per quã videmus hodie grauissimè collapsa in religione monasteria, nec mirũ, quod abiicitur paupertatis votum per diuitiarum inordinatum appetitum. Ex radice hac monasterium S. Martini Turonis, in moribus adeo collapsum fuit, tempore magni Caroli, ita vt ibi monachi viuerent nimis deliciosè, induerentur sericis vestibus, & calceamenta aurei coloris. Vnde duo Angeli ingressi sunt dormitorium, & vno digitum extendente, alios monachos indicatos percutiebat. Vigilans hoc videns, fugit, & Angelum ne se occideret, per nomen Dei adiuratum emolliuit, vt refert Sanctus Odo Abbas, & Vincentius in speculo historiali, lib. 24.* Hæc iste author, quibus non incongruè fulcitur intentum.

16 Iam ergo, quænam sint causæ inspiciamus, quare tam accuratè Patres isti, sanctique Doctores, superfluam, & copiosam bonorum temporalium possessionem, religiosis cœtibus interdixerint. In quo in primis ratio occurrit; ex eo communitates regularium à superabundanti bonorum possessione abstinere debere; quod ob eam causam, sæculares ægrè id ferentes, inuidia, detractatione, odio, murmurationibusque aduersus religiosos insurgant. Cum enim videant ipsos, sub prætextu paupertatis Christianæ, rerumque temporalium contemptus, omnia sibi coaceruatim cumulare, aduersus illos indignantur, & fremunt. Hoc videre licet in deuota illa, piaque disputatione inter mundum, & religionem habita, & S. Bernardini Senensis concionibus tom. 1. inserta. In qua sic loquitur mundus. *Antiquis temporibus regularis vita mirandis virtutibus erat insignita, contenta radicibus, & pilis vestita, sed vt patet omnibus modo non est ita. Degebant in abditis suis primitiui, erant pleni meritis, cordis excessiui: planè nunc aduertis, quod deriuatiui ab eorum semitis sunt valdè decliui. Monachi antiquitus se legi diuinæ subiecere penitus, sed hos paulatiuè cæcauerunt redditus, & bursæ vicinæ, & sic acres primitus fracti sunt in fine*, Inferius quoque sic. *Iamiam vellus ouium vertunt in lupinum, cellam in palatium, solem in caminum, olus in conuiuium, melotes in linum: lac in esum carnium, & aquam in vinum mutant, nec officium recitant diuinum. Si prodire videris abbates istorum vadunt cum tot faleris, & turmis equorum, & cum tot armigeris, & turba cursorum Principes hos dixeris, & duces Castrorum, non patres putaueris monasteriorum.* Hæc, & alia obiicit mũdus contra religionem in dicta disputatione. Huius etiam Spiritus fuit quidam hæreticus miles apud Ioannem Lanspergium in dialogo habito cum monacho. Sic enim de similibus religiosis loquebatur iste. *Quod ad paupertatem voluntariam attinet, quam eos colere oporteret, vndequaque corradunt, atque coaceruant sibi bona temporalia, vt nedum nullam patiantur inopiam, vel defectum, sed interim etiam multa habeant superflua.* Hæc impius Lutheranus ex ore, menteque sæcularium loquens. Porrò scandalum non solum ab impio Lutherano, sed etiam ab Ecclesiasticis Patribus cognitum esse, Seraphicus D. Bonauentura testatur in epistola ad quendam Prouincialem sui Ordinis, sic loquens. *Cum Euangelici culminis obseruata perfectio, hactenus spectabiles, & amabiles nos mundo reddiderit, omnique fauore, ac reuerentia dignos: Ecce iam nunc multitudine in procliua tendente & remissius agentibus his qui præsunt, vitiorum quædam sentes cernuntur succrescere, quæ dum sacrum hoc, Venerandumque collegium despicabile, & onerosum reddunt populis; conuertunt in scandalum, quod cunctis debuerat esse in exemplum:* Et post hæc recensens causas, sic loquitur. *Nam frequentia discursus, & importunitas quæstus, viles nos & graues efficiunt; pro eo videlicet, quod dum paruis nolumus esse contenti, & ædificia sumptuosa conamur erigere, vilia summo studio quæritantes, nobilia per incuriam perdimus.* Hæc Bonauentura adeò clarè, vt solus sufficiat, pro re quam intendimus.

Nec vnum omittam, quod nec Patres omiserunt silentio scilicet odium hoc, & inuidiam sæcularium, aduersus prædiuites, copiososque cœtus religionum, eo magis augeri, si fortè in ipsis cernantur, qui in sæculo, aut tanta copia non potirentur bonorum, aut magna potius inopia laborarent. Etenim si aduersus omnes monachos, etiam qui in sæculo diuites, magnates potentesque fuerunt, inuidia, odioque sæculares, cum eos in religiosis cœtibus plus æquo abundare cernunt, exardescunt: *Quid cẽsendum* (loquitur Cassianus) *de his, qui nunquam possessas pecunias cupiunt congregare*; Certè incomparabile ex hoc gignitur odium erga religionem, inuidia cõtra tam sanctũ statum, grauisque murmuratio sæcularium aduersus religiosos. Hinc de illis queritur D. Hieronymus. *Quod in illis res familiaris magis aucta, quam diminuta.* Hinc optimè Cassianus. *Si Paupertate præuentus, nihil quod dimitteres habuisti, multo magis adquirere non debes, quod antea non possedisti.* Ac si clarius diceret: verearis, ô monache, tot diuitiis in conuentu abundare, cum in sæculo vix pane sustentari possis. Alibi quoque, pudendum dicit, aliquos sic abrenunciasse sæculo, vt tamen, *Acquirere pecunias gestiant, quas nec antea possederunt.* Huc iam congruet illud Bernardi, *Ita ne mundum sibi, & se mundo crucifixerunt, vt qui antea vix in suo vico, vel oppido cogniti fuerunt, modo Regum notitias, Principumque familiaritates assecuti sunt?* Rursusque, *Plerique in domo Dei non patiuntur haberi contemptui, qui in sua, non nisi contemptibiles esse potuerunt.* Alibi quoq; tertiũ genus auaritiæ monachorũ, quã pestem 17

pestem ibi vocat, in eo positã esse dicit. *Quod ea volumus in monasterio possidere, quæ si essemus in sæculo, minimè habere valeremus.* De his etiam Hug. Victor. *Qui ante conuersionem lectulum proprium nusquam habebant, nunc si forte voluntas eis fuerit eundi aliquo, ornamenta lectuli secum portant.* Ecce religiosi, qualiter ne in hanc sæcularium contumeliam cadatis, necesse vobis superflua, à vestris communitatibus etiam abdicare.

18 Præterea secundò, ex hac superflua temporalium bonorum copia in communitatibus regularium ortum ducet, vt illæ, quo magis illis coaceruandis student, eo magis in ruinam temporalem tendant, & in miserum casum procliuiores sint. Hoc quidem experientia testis in Ecclesiæ religionibus docuit, de quo Historiæ Ecclesiasticæ. Antiquitus etiam monachi peruersi quidam, quos Ægyptiorum lingua Sarabaytas, siue Venuytas appellatos fuisse, testatur D. Isidorus, iam omninò exinaniti defecerunt; eos autem cupidos, aggregatoresque pecuniarum fuisse, tradit idem Isidorus affirmans; *Ab Anania, & Saphira in exordio Ecclesiæ pullulasse, & certatim in operibus laborasse, non vt indigentibus distribuerent, sed vt adquirerent pecunias, quas reconderent.* Vnde fas est suspicari, propter hoc vitium extinctos, & exinanitos fuisse, vt innotescat inde bonorum temporalium copiam superfluam religiones euertere. Vnde meritò Timotheus inter bibliothecarios numeratus lib. 2. ad Ecclesiam Catholicam, sic monet de præsenti causa. *Non est itaque, quod competere quisquam, aut non obesse diuitias religioni putet. Impedimenta hæc sunt, non adiumenta, onera non subsidia, possessione enim, & vsu opum non suffulcitur religio, sed euertitur, secundum illud, quod Dominus ipse dicit: Sollicitudo istius sæculi, & fallacia diuitiarum suffocant verbum Dei.* Hinc etiam præclarissima Virgo S. Clara Seraphici Ordinis, & totius Ecclesiæ lumen solita dicere erat monialibus suis. *Tum Collegium firmum, ac stabile futurum, si propugnaculis, ac manibus paupertatis muniretur.* Haud dubiè damnans vulgarium opinionem, quæ non nisi opulentum cœnobium stabile, ac firmum credit. Rationem verò tradit Dionysius Carthusiensis sermone sexto de Dominica decimaquinta post Trinitatem, dicens. *Iusto Dei moderante, ac permittente iudicio, magna multoties damna religiosis contingunt, à quibus, si ab omni auaritia se arcerent, Deus bonus, Iustus, & sapiens eos vtique præseruaret. Et tunc essent hominibus cunctis magis amabiles, exemplares, honorabiles, & præclari, nec dubium quin, & plura in eleemosynas eis darentur, nunc autem contemnuntur, & blasphemantur à multis.* Ad idem Sanctus Pater Ignatius in suis constitutionibus. *Paupertas* (inquit) *vt murus religionis firmus diligenda, & in sua puritare conseruanda est.* Indicans sane, quod è contra diuitiarum opulentia, auaraque monachorum cupiditas, etiam pro communitatibus ampliandis, religionem euertat.

19 Hoc etiam, quod dicimus de euersione temporali cœnobiorum ex inordinata cupiditate regularium orta, exemplo quodam, quod ex Cyrillo refert Marcus Marulus in suo opusculo de exemplis, placuit confirmare per eius verba. *Fuit monasterium quoddam in Thebaidis partibus ducentarum fere fæminarum, sanctarum vtique; si non auaritiæ fælicitate, sanctitatis decorem polluissent. Consuetudo pessima apud illas inoleuerat, nullam in collegium admittendi, quæ certum pecuniæ numerum non offerret. Quidam ex iis, cuius Deo deuotus animus, à tam prophana negociatione abhorrebat, apparuit in somnis D. Hieronymus iubens, vt cæteris pergeret nunciare, nisi ab ea exactione destiterint, vltionem à Deo paratam, iam ipsarum capitibus imminere. Cumque hæc in conuentu omnium narrata essent, ridiculè excepta sunt, existimantibus deliramentum esse mulierculæ. Altera deinceps, item tertia nocte, eadem visa rursum replicantem, iam odio habitam probris agitantes eiecere, Deo pro illa prouidente, ne scilicet sicut Loth cum Sodomis disperiret, iustus cum impiis. Vix etenim mulier septa monasterij egressa fuerat, cum monasterium ipsum terribili fragore funditus concussum, reliquas oppressit ruina, vt ex tanto numero, nec vna quidem saltem, post casum illum sit inuenta; Itaque concussis mirabiliter artubus, vna omnes tam paruo temporis momento extinctæ tunc demum auaritiæ cum vita finem fecere.* Hæc Marulus. Casus iste suadet satis intentum, nimisque exemplariter monet, qualiter auaracupiditas regularium, ipsorum cœnobia sæpius euertat.

Nec omitti debet inconueniens aliud, quod ex magna temporalium bonorum copia communitatis Religiosorum sæpius contingere queat. Quod scilicet, dum diuitiarum, pecuniarumque opulentia abundant, sollicitè nimis, magna, sumptuosaque ædificia, amplissimas domos, magnifica claustra (nè dicam Palatia) amplissimasque cellas; sibi ad habitandum, viuendumque construant. Et si enim religiosis cunctis iure, meritoque concedatur, vt sibi honestas domos, honesta claustra, honestasque cellas ædificent, istorum tamen superfluam ambitionem, sumptuositatem, & opulentiam Patres meritò, Iureque condemnant. E quibus Sanctus Ephrem Syrus sic istorum sortem luget. *Reliquimus domos, & earum cura, atque sollicitudine absumimur.* Eusebius etiam, vt vidimus, iam dixit. *Sunt nonnulli, qui totum suum fructum existimant, Ecclesias, & monasteria, miro modo, & opere ex pauperum mercede ædificare: in quibus tanta viget cupiditas, vt terram sibi, & omnia deficere putent.* Quibus verbis clare satis ambitiosam sumptuositatem, ex pauperum mercede damnat. D. Gregorius etiam iam adductus, merito huc inseritur, dum dixit. *Monachus, qui in terra possessiones quærit, monachus non est.* Ex Diuo Bernardo iam etiam constat in hoc capite ex epistola ad Guillermum, & ex sermone ad fratres de monte Dei, quam praue de ambitiosa cellarum ædificatione sentiat. Alibi quoque de talibus regularibus plorat, quod, *cum magna cura contendant erigere muros, & negligere mores.* Hugo quoque celebris author sic loquitur ad intentum. *Ædificia fratrum non superflua sint, sed humilia, non voluptuosa, sed honesta, vtilis est lapis in structura, sed quid prodest in lapide cælatura?* Et de monachis ad oppositum conantibus, sic loquitur. *Monachi sibi claustra faciunt, quibus homo exterior teneri possit, vtinam claustra facerent, quibus homo interior ordinate teneretur.* Prætereà, quæ pius Rusbrochius, Iustusque Abbas Cisterciensis de hoc dicant, ex Superioribus innotescunt. Optimè tamen Seraphicus Sanctus Bonauentura in Epistola sæpiùs adductus ad quemdam sui ordinis Prouincialem, fauet ad intentum. Inter alia etenim, quæ illi ad obseruantiam Ordinis in suo nitore conseruandam præcipit, illud est, vt sumptuositatem ædificiorum, à suis religiosis studeat amputare. *Quoniam* (inquit) *paupertas est nostra religionis prærogatiua sublimis, ne nobilis hæc margarita conculcanda porcis viliter exponatur, discursuum causam, & quæstuum, sumptuositatem ædificiorum, &c. sic studeas amputare, quod à professionis excellentia vitæ obseruantia non discordet.* 20

Vnde

Vnde tandem pulchrè satis Venerabilis Thomas de Campis, qualiter religiosus circa huiusmodi sumptuosa ædificia monasteriorum, se gerere debeat, sic monet. *Non optes, vt monasterium tuum abundet diuitiis, & altis ædificiis, sed vt floreant omnes fratres bonis moribus, & virtutibus sanctis. Etsi alicubi pulchra, & sumptuosa videas, excusare potes, & tolerare pro honore Dei, & reuerentia loci, sed non debes similia affectare.* Optimum sanè consilium, & paupertati religiosæ, Euangelicæque perfectioni consentaneum satis.

21 Placuit ac idem intentum, quæ Venerabilis Pater Ioannes Soreth nostræ religionis quondam Generalis, vitæque religiosissimæ exemplar, regulam nostram Carmeliticam exponens dixit, huc afferre. Igitur in expositione parænetica Regulæ expendit caput illud ipsius. *Iuxta situm loci quem inhabitare proposueritis, singuli vestrum singulas habeant cellulas separatas*, dicens, *non dixit palatia, quæ sunt amplæ domus, in quibus vagari possunt, sed cellulas diminutiuum à cella, quasi diceret habeant singuli paruas cellulas.* Rursus quoque dum illud, *oratorium prout commodius fieri poterit, &c.* Sic dicit. *Non dixit templũ, quod est amplũ tectum, sed oratorium, quia religiosa loca decet esse moderata.* Infr. *Cur pauperes & mendici quærimus oratorium immensas altitudines, immoderatas longitudines, supernacuas latitudines, sumptuosas depositiones, curiosas depictiones habens, quæ dum in se orantium retorquent aspectum, impediunt mentis affectum. Alia ratione hoc faciunt sæculares qui sapiẽtibus sũt debitores, & carnalis populi rectores. Hi enim hebetis plebis, cuius nõ valent spiritualibus documentis excitare deuotionem, corporalibus excitant ornamentis. Nos vero, qui de populo exiuimus, qui mundi quæque speciosa, ac pretiosa pro Christo reliquimus, qui omnia pulchra, lucentia canore mulcentia, suaue olentia, dulce sapientia, tactu placentia, cuncta denique oblectamenta corporea arbitrati sumus, vt stercora, vt Christum lucri faciamus, quorum quæso, in his deuotionem intendimus? quem quæso ex his fructum inquirimus? stultorum admirationem, an simplicium oblationem? & vt aptius loquar, an totum facit hoc auaritia: & non quærimus fructum, sed donum. Sed quæris quomodo? miro inquam modo, tali quadam arte dispergitur æs, vt multiplicetur, expenditur, vt augeatur, & sic effusio copiam parit: ipso quippe sumptuosarum rerum visu sed & mirandarum vanitatum accenduntur magis ad offerendum quam ad orãdum. Opes opibus hauriuntur, sic pecunia pecuniam trahit, quia vbi amplius copia cernitur, ibi offertur libentius.* Et inferius. *Quid putas in his omnibus quæritur. An pœnitentium compunctio? an intuentium admiratio? Quæritur nitor in parietibus, & non decor veritatis in spiritibus.* Hæc, & alia magnus hic Pater nostræ religionis antistes; quæ omitti non potuerunt, quia vtiliter satis proposito nostro deseruiunt.

22 Maximè ad intentum deseruit cœlestis quædam reuelatio, in qua de sacrorum Templorum ædificiis Beatissima Dei genitrix ad sanctam Brigittam. *lib. 3. reuelat. cap. 18.* sic habet. *Quando Ecclesia in tantum lata est, quod capit ingredientes, quando muri tantum in altum excreuerint, quod non coarctant introeuntes, quando murorum spissitudo tam fortis est, quod non à quolibet vento dissoluatur, quando tectura tam firmiter compacta est, quod non stillat, sufficit eis ædificasse. Nã placet Deo magis cor humile in humili Ecclesia, quam alti muri, in quibus corpora sunt intra sed corda ad extra. Propterea non habent necesse arcas auro, & argento implere propter ædificia, quia non profuit Salomoni ædificasse tam sumptuosa ædificia, ex quo neglexit eum diligere, propter quem ædificabantur.* His autem, & si magnificas, & illustres Deo ædes consecrari non prohibeatur, Religiosis tamen ambitiosa ædificia, & à sancta simplicitate aliena non conuenire, proculdubio monemur.

Tertio quoque magnum aliud incommodum ex nimia bonorum, superfluaque possessione, monasteriis ipsis quandoque proueniet, vt scilicet tam communitates ipsæ, quam priuati religiosi, negociationibus, sollicitudinibus, litigiis, aliisque secularibus curis plus æquo distendantur. Quæ quidem maximopere pacem religiosam, vitamque regularem perturbare Patres docent. Ex quibus Basilius sic. *Earum rerum, quæ sunt cum materia coniuncta sollicitudo, procuratioque, magnopere mentem, atque animum distrahunt.* Alibi quoque sic. *Hoc vno pauperes à diuitibus differimus, quod securi sumus, atque eos vigilantes, nos dormientes ridemus. Præterea in magna quiete agentes eos in magna rerũ perturbatione constitutos, aspicimus.* Hæc Basilius, ex quibus elicitur, cœtus, conuentusque regularium, si diuitiarum copiam affectent necessario *in magna rerum perturbatione constitutos* esse, quod testatur Basil. D. etiam Bernardus pari modo sentit, & loquitur ad intentum dicens. *Video alios, quod non sine dolore videri debet, post aggressam Christi militiam, rursus sæcularibus implicari negotiis, rursus cupiditatibus terrenis immergi, cum magna cura erigere muros, & negligere mores. Sed, & contra Imperatoris sui edictum, & concupiscere aliena, & sua cum lite repetere, non audientes Apostolum ex Imperio Regis tubicinantem, hoc ipsum delictum est in vobis, quod causas habetis.* Ecce quam prauè de religiosorum cupidis negociationibus sentiat Bernardus. Forsan ex ipso mutuauit Eugenius Papa dicens. *Nullus monachorum pro lucro terreno de monasterio nefandissimo ausu præsumat exire, nec quibuscunque negociis se implicare* Nec mirum hoc apparebit, qui religiosi status institutum perspexerit, quod non ad litigia, solicitudines, inutilesque negociationes, ordinatur, sed (loquitur Laurentius Iustinianus) *Vt diuinis commodius valeant vacare obsequiis, interesse laudibus, orationibus instare, curis sæcularibus omnino semotis.* Pulchrè tandem Cardinalis Petrus Damianus; postquam, vt vidimus, cupiditatem religiosorum damnauit, pro damnationis causa sollicitudines istas, curasque sæculares proposuit dicens. *Hæc facientes, amarissimis nos terræ concupiscentiæ motibus laceratis, non solum vobis, sed, & posteris; dulcitudinem quietis adimitis, curarum sæcularium vos laqueis innodatis, & quod detrimentum est, pugnandi semper cum sæcularibus, vel potius materiã seruiendi constituitis nõ considerantes illud egregij prædicatoris, quod veris abrenunciatoribus ait. Habentes alimenta, & ex quibus tegamur iis contenti sumus. Nam qui volunt diuites fieri, incidunt in laqueos diaboli, & tentationes, ac desideria multa inutilia, quæ mergunt hominem, in interitum, & perditionem.* Hæc Damianus, ex quibus, & adductis liquescit sane, ex eo magnã diuitiarum copiam etiam religiosis ipsis communitatibus nociuam esse, quod inde pluribus litigiis, negociationibus, sollicitudinibus aliisque sæcularibus curis, plus æquo intermisceri fere necessarium sit.

Caueant igitur Cõmunitates omnes Regulariũ à tanta labe, tantoque vitio, quod, & in sæcularibus odium; & in ipsis religionibus perditionis causas gignit. Studeant paupertati religiosæ, quæ anima est totius perfectionis. Parce, & limitatè bona tempo 24

temporalia pro religiosorum necessitatibus prouideant; superfluam tamen & superfluëtem ipsorum bonorum copiam penitus fugiant. Sciant prætereà, cupiditatis vitium semel admissum, difficillimè amputari. Est enim vitium hoc ex illis (teste Cassiano) *Quæ vix ad sanitatis concedunt remedia peruenire, siue quod à Domino non merentur curari celeri medicina, qui ab his sauciati sunt, vel certè, quod male fundati virtutum structuram, & perfectionis culmen suscipere indigni sunt.* Communitatem quoque religiosam, non ex eo fœlicem putent monachi, quod temporalibus diuitiis abundet, sed ex eo potius, quod in paupertate fundata, ad frugalem sufficientiam necessaria possideat. Sic refert Plutarchus in conuiuio septem sapientum eos disputasse. *Qui populus, quænamue respublica foret optima, & fœlicissima?* Ad quod benè Thales. *Vbi neque diuites nimis, neque pauperes, sunt ciues.* Optimè quoque Pittacus ad similem quæsitum respondit. *In qua, neque requiruntur superuacanea, neque desiderantur necessaria.* Paucis contenti vitam suam cœtus religiosi agant, si enim paucioribus contenti viuant, vitam Angelicam ducent. *Nam* (inquit Chrysostomus) *in hoc ab Angelis differimus, quod ipsi non egent, vt nos? Igitur quanto paucioribus indigemus, tanto magis Angelis appropinquamus quanto pluribus, tanto magis ad hanc caducam vitam deflectimus.* E contra vero, rebus temporalibus plus iusto inhiantes monachi, male sentire de cœlesti vita comprobantur. Hinc Ephrem Syrus ad eosdem. *Bene sentite de Regno, ac Paradiso, & mox res terrenas contemnetis.* Congruit bene Laurentius Iustinianus, sic loquens. *Quid oro, locupletius, quam nihil habere, & omnia possidere, carere rebus superfluis, & vti necessariis; proprium spernere patrimonium, & Christi esse hæredem.* Quod quidem assequentur Communitates omnes, si ad naturam limitatamque indigentiam vixerint, nihil superfluum admittentes. Audiant quoque ipsummet Iustinianum sic monentem monachos de paupertate promissa seruanda. *Abiicite quæso, tenebrarum opera quamdiu dies est, deponite onus grauissimum proprietatis. Spopondistis paupertatem, exoluite: sufficiat vobis habere ad necessitatem indumenta, & victus. Fiduciam vestram erigite in eo, qui pollicitus est dicens: nolite solliciti esse animæ vestræ, quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini. Scit enim Pater vester, quia iis omnibus indigetis. Primum igitur quærite regnum Dei, & iustitiam eius; & hæc omnia adiicientur vobis. Nam quemadmodum est liberalis promissor, æque est fidelis redditor. Fiet iuxta ipsius sponsionem, si tamen verbis illius adhibeatis fidem* Tandem, quæ Ethnicus, & gentilis Seneca, Christianè certè quondam dixit, communitatibus religiosis, regularibusque cunctis libens dicam. *Indixistis pecuniæ odium, hoc professi estis, hanc personam induistis, agenda est. Iniquissimum enim est, vos pecuniam sub gloria egestatis adquirere.* Hæc Seneca.

Sed pro paupertatis Religiosæ commendatione infamisque proprietatis abominatione exclamantem piissimam Virginem Magdalenam de Pazzi in extasi quadam quam anno 1585. in quinta die Octauæ Pentecostes habuit, prout ex ipsius vita, c. 122. elicitur sic audiamus. *Felicissimi quelli, che puramente vanno seguitando te senza possedere cosa alcuna transitoria, sendo che haueranno per premio te, che sei ricchezza d'ogni ricchezza, tesoro d'ogni tesoro, è la richezza infinita del Paradiso. Ma chi comprarà il Paradiso? Oue si trouarà danaro, che questa agguagli? Che si può dare in prezzo di bene sì grande? O chi lo crederebbe? il nulla, il nulla, Per l'amor di Dio non posseder nulla, non bramar nulla di questo mondo, non volere altro, che Dio.* Dominus pars hæreditatis meæ. *Dico di più: Anzi non voler Dio, se non per Dio: ô altissima, è ricchissima pouertà. Di questa sorte hanno prezzo in mano da comprar'il Cielo quelli, che son poueri: perche questi tesori si comprano con vna somma pouertà; è quanto più l'anima è pouera, tanto più Iddio infonde in lei i suo i tesori, con quali può comprare il Paradiso. Chi non amarà la pouertà, poiche è cagione, che Dio ci dia tanti gran doni?* Beati pauperes spiritu, &c. Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum. Concupiscit, & deficit anima mea *Dico del desiderio della possessione del Cielo, ô del desiderio della possessione della pouertà tua, che mi vale quanto il Cielo poiche con quella vuoi, che mi compri il Cielo, & è il prezzo bosteuole per così gran Regno.* Et vltrà. *O felici Religiosi, che sono tanto honorati da Dio, che la lor parte vuol essere egli stesso, poiche per amor suo con voto solenne hanno lasciato tuttelle altre cose: ô ricca pouertà che ne fai possessore del sommo bene Ma per il contrario guai à quei Religiosi, che con atto proprietario si ritengano alcuna cosa trafficando con quella, comi chi non hà tale obligo: ohimè, che in tal modo vergono à rifiutare la lor parte, che è Dio, volendo è tenendo altre cose fuori di lui, contro alle promesse fattegli Ma Dio voglia che poi alla morte, quando si verrà alla discussione non siano rifiutati dallo stesso Iddio, separati da lui sommo bene. O poueri Religiosi tanto ciechi dello stato loro. O semplicità, ô pouertà tanto scaduta nelle Religooni, è tanto poco conusciuta, & osseruata da chi ti professa. Dio sà se meriterà scusa tal cecità in quella discussione diuina, doue non solo i difetti, ma ancora molte cose, che noi stimiamo virtù, apparianno diffetti, è vitij.* Spiritum efflantia hæc prætermittenda non erant in præsenti.

24 Opum demum damna Simia rogata à Vulpe apud Cyrillum *lib. 3. Apolog. c. 5.* sic recenset. *Non sunt nisi pœnalitates naturæ. Nam cum sic possessores suos illudant & ad huiusmodi calamitates adducant, quid nisi virus putandæ sunt? Hunc si quidem edentant, illum exoculant, huic cerebrum vastant, illi vitalia perforant, isti genitalia vorant, alterum excoriant, alterum decaudant. Nonne sic auaritiæ ingeniosa via viris imprudentibus collectæ diuitiæ, possessores suos plurimis vitiis lacerant, amatores deprauant, dum os lingua magniloqua, contuitum inuidentia, caput ignauia, vẽtrem gula, libidine genitalia, corpus infamia, & virtutum inopia totum vastant? O malum bonum, tam odiosum! O beata paupertas! O stultè dilectum malum! O infelix opulentia! De cætero paupercula pellis, ditissima mihi est, & vilis magis mihi placet, quam pretiosa. Malo certè iam esse Simia sine cauda, quam Pauo cum cauda.* Alia ibi de vulpe, hyena, Gallo, & Castore idem Cyrillus lectu quidem gratiosa, & ad intentum congrua reperiet pius lector.

SVMMARIVM.

Magnum Religionum detrimentum, quod in eis Tyrones non rectè disciplina regulari in primoribus annis imbuantur. n. 1.

Libri speciales singularesue tractatus de nouitiorum instructione scripserunt Patres. n. 2.

Nouitius si non instruatur, nequam & inutilis euadet. num. 3.

Quantum intersit nouitiorum instructio; & quam culpabilis circa hoc negligentia. n. 4.

Qui disciplinam in nouæ conuersationis initio negligit ad eam postmodum difficilè applicatur. n. 5.

Gra ues



CAPVT XVIII.

Iuniorum, & tyronum recta educatio religiones reformat, educatio autem praua destruit.

1 QVæ quondam Aristoteles in suis Politis scripta reliquit, videlicet, *Iuuentutis disciplina neglecta facit magnum Reipublicæ detrimentum:* Mihi in mentem attulere, præcipuam causam, quare si Religionum aliquæ ab antiquo forsan feruore desciuerint, eam fore, quod in eis iuniores, tyrones, seu nouitij, non rectè disciplina regulari in primoribus annis imbuantur. *Puer enim* (inquit Bonauentura) *qui dimittitur voluntati suæ, confundit matrem suam religionem.* Rursusque. *Peruersus, & insolens, in onus religionis, & dissolutionem admittitur.* E contra vero sanctæ religiones, quæ in suo antiquo nitore, splendoreque persistunt: Ideo esse, quia adolescentum animos regulari disciplina educandos, & informandos curant. Teste enim Diotogene in libro de sanctitate. *Adolescentium educatio, fundamentum est totius Reipublicæ.* Hanc ob causam caput hoc, opusculi nostri vltimum, eo tendet, vt reformationem religionum in eo maxime sitam esse probemus, quod nouitij, & alij iuuenes rectè instituantur, sicut, & difformationem, eo fonte manare, quod parua aut nulla cura circa iuuenes instruendos adhibeatur.

Id quidem Patres non obscure indicarunt, cum tam solerti cura, & sollicitudine libros speciales, singularesve tractatus, de nouitiorum instructione scripserunt S. Ephrem Syrus multus in hac parte extitit, adhortationes enim, & parænenses plures ad nouitios monachos, de eorum instructione scripsit. S. Basilius Ephremo coëtaneus, non solum de institutionibus monachorum sermones, constitutiones, monasticas regulas, fusius, & breuius disputatas, sed, & admonitiones ad iuniores monachos tradidit. Ioannes etiam Cassianus antiquissimus author, & monachus, de institutis renunciantium librum ad monachos edidit, qui est quartus inter ipsius opera. Iunge S. Linum Abbatem, qui prout in 5. to. Bibliothecæ habetur, institutionem vnam ad monachos, alterã ad Iuniores monachos cõposuit. Esayas Abbas author inter Bibliothecæ Patres relatus, ad fratres Iuniores institutionem fecit. Ad hæc etiam Hugo Victorinus celebris author, de institutione nouitiorum tractatum edidit. Sanctus quoque, & pius author Dionysius Carthusianus dialogum, seu exhortatorium nouitiorum innata sibi pietate composuit. Venerabilis quoque Thomæ de Campis dialogus nouitiorum, manuale Iuuenum, & plures sermones ad nouitios de eorum institutione extant. Ex quibus, & aliis Patribus flosculos quosdam, instructioni tyronum, sed Iuniorum proficuos, eorumque rectæ educationi deseruientes, more nostro carpemus. 2

Primus S. Ephrem Syrus in suis adhortationibus ad monachos rem hanc non obscurè subindicat. Parænesi 16. sic habet. *Si puero onus supra vires imposueris nocebis ipsi, & si instruere eum omiseris, nequam, & inutilis euadet. Sic quoque nouitium monachum cum iudicio, & discretione gubernare oportet.* Quibus verbis clarè satis indicat, nouum monachũ non instructum religiosa disciplina, nequam sibi, & religioni inutilem, prorsus euadere. Alibi quoq; sic. *Si acciderit fratrem aliquem ad monasticam, ac solitariam vitam quacumque occasione venire, & non se sobrium, vigilantemque præbuerit, protinus deuorabit eum diabolus.* Ecce diadolo traditum ab Ephremo nouum religiosum, qui in primoribus annis, bona disciplinæ instructione non regitur. 3

Secundus adstat Dorotheus Abbas inter Patres Bibliothecæ iure venerandus, qui sicut totus cernitur in erudiendis monachis, sic etiam quantum intersit, illorum; iuniorum præsertim, instructio, quamque nociua sit, & culpabilis negligentia, quoad hoc, exprimit hisce verbis. *Inter prouerbia dicitur quibus non est gubernatio decident, vt folia: salus autem est in multo consilio. Contemplamini sententiæ vim fratres. Opus enim nobis est auxilio præter Deum, opus coadiutoribus. Nihil est miserabilius, nihilque quod citius expugnari queat, his, qui nullos duces, nullos authores habent ad viam Dei. Ait enim: quibus* 4

bus non est gubernatio, decident vt folia. Folium à principio semper virens, semper germinans, semper delectabile est, non multo post arescit, & languet, cadens contemnitur, & conculcatur. Talis homo est, qui à nemine regitur. A principio feruentissimus ad ieiunia ad vigilias, ad quietem, ad obedientiam, & ad quacumque cætera bona, paulo post, extincto eo feruore, si nullum habuerit sui gubernatorem, aut fautorem, qui extinctum ignem suscitet, & accendat, desiccatur & cadit, & ac demum destitutus, ab hostibus suis captiuus trahitur, qui vt voluerint, in ipsum grassantur. Hæc, & alia Dorotheus, vt ostendat, quantum sibi nanciscantur mali monachi, Iuniores præcipuè, si sine recta instructione, disciplina regulari imbuantur, absdubiè contrarium dicturus, si eos sancta, religiosaque instructione confirmatos agnosceret.

5 Hos Patres sequitur Seraphicus D. Bonauentura. Ex quo in primis celebrem illam sententiam in speculo disciplinæ habemus. *Formam, quam primum quis recipit, vix deponit, & qui disciplinam in nouæ conuersationis initio negligit, ad eam post modum difficilè applicatur.* In tractatu quoque de informatione nouitiorum, totam causam ruinæ quarundam religionum, in prauam puerorum, nouitiorum, & iuuenum educationem refundit, his verbis. *Ideo tot ordines confunduntur, quia pueriles mentes sibimet dimittuntur sine fræno retrahente à noxiis, & sine virga ad salubria compellente, aut ex negligentia seniorum, aut ex nociua condescensione. Sicut imprudens medicus, qui ne contristet ægrum, quem curare deberet, patitur eum nociua comedere; ex quibus grauius, & diutius infirmatur.* In tractatu quoque de processu religionis, processum, & progressum illius, *in feruore nouitiatus constituit.* Absdubiè indicans, quod sicut difformatæ religionis est causa, & origo parua iuuenum educatio; sic quoque perfectæ religionis progressus, in recta illorum instructione constitui debet.

6 Accedit sanctus Laurentius Iustinianus, ex quo graues sententias pro præsenti causa elicere valemus. Ex libro de obedientia hæc excepi. *Sunt* (inquit) *nouitij in via Dei, tanquam arbuscularum virgæ tenerrimæ quæ ad possidentis libitum huc, illucque absque contradictione flectuntur; at verò si indurerint, nequeunt se emollire.* Et infra, *Vinea quippe spiritualis Domini Sabaoth est inchoantium noua plantatio, quæ vt fructum afferat, solerti est excolenda peritia. Nam si inculta remanserit, dilatat quidem palmites suos, sed nulla vtique bonorum vbertate fœcundos. Proinde omni sedulitate exercendi sunt in religione rudes, ne pereffluant, ne torpeant, ne obdurescant.* Ad idem intentum in libro de disciplina monastica religionis hæc habet inter alia. *Pastores solerter vigilent, cum primum susceperint nouum militem recenter positum in monasterio, ipsum spirituali reficere exhortationis pabulo, & salutari recreare poculo, antequam mentis patiatur ariditatem, & immundorum spirituum experiatur insultus. Qui autem hoc agere neglexerit sibi ipsi iudicium, & subdito graue inducit dispendium. O quot ex incuria Pastorum, ignorantes, quæ Dei sunt, & quæ sancto congruunt statui à sancto retrocedunt proposito? Heu quanti, ariditate spiritus confecti, & deuotionis gustu alieni, quia sicut oportuit, in primordio conuersionis spiritualis, non fuerunt imbuti, vocationis gratiam, quam habere, meruerunt, perdiderunt.* Hæc, & alia sanctus Laurentius Iustinianus, satis innuens, rectam educationem nouitiorum maximos progressus efficere, instructionis verò defectum, omni illorum perditioni viam aperire. Quod tandem innuit capite sequenti, simulque superioris doctrinæ rationem reddit, dicens. *Terra etenim, quæ sagaci excolitur agricultoris manu, vberem producit ex se fructum si autem hæc eadem negligenti tradatur, ac nescienti operario, repente vrticis repletur, & vepribus.* Ecce rem totam, quam intendimus, vnico verbo S. Laurentij Iustiniani comprobatam.

Plurium aliorum Patrum testimonia, quæ Iulius Nigronius, *in tractatu de necessitate, & vtilitate magistri spiritualis*, congerit, hic placuit in medium proferre, vtpote valdè proposito nostro vtilia. Ex iis est vnus sanctus Basilius *in tractatu de abdicatione rerum.* Vbi sic. *Acerrima in omnes partes animi circumspectione operam dato, vt aliquem tibi virum inuenias, quem in omnibus deinceps delectæ tibi vitæ studiis certissimum ducem sequare, eiusmodique, qui rectum iter ad Deum volentibus pergere sciat commostrare.* Alius est Gregorius Nyssenus, *in libro de Virginitate cap. 23.* sic scribens. *Vt qui alicuius nationis sermonem discere instituit, minimè per se satis est, vt à se ipse erudiatur, sed ab iis, qui illius sermonis periti sunt, instituitur, atque hoc pacto breui ex audiendi consuetudine progressus peregrini sermoni particeps efficitur, sic opinor, si hæc vita non naturæ via progreditur, sed nouo quodam instituto aberrat, eam perfectè à nemine posse percipi, nisi optimo viro duce vtatur, atque alia omnia quæcumque huic vitæ studia proposita sunt rectius ab eo perficerentur, qui illis deditus est, si à Doctoribus, magistrisque scientiam illarum rerum perciperet, quorum studio tenetur, quam si per se ad rem aggrederetur. Non enim in principiis institutio hæc est; vt ex necessitate quis res an vtiles sint ad suum iudicium deferat quando quidem rerum incognitarum periculum facere audere, non extra discrimen positum est.* Item sanctus Isidorus Pelusiota *lib. 1. epist. 2.* sic monens. *Si probus monachus fieri studes, ne eam rationem in eas, vt tuo ipsius arbitrio viuas, ac mores tuos tibi vni probatos esse velis: quin potius iis mentem tuam, & consilium submitte, qui & vita, & tempore diuinam vineam iam ante foderunt, & coluerunt, à quibus munus istud facilè perdisces.* Maximè vero sanctus Hieronymus *epist. 4. ad Rusticum*, hoc pacto eum instituens. *Mihi quidem placet, vt habeas Sanctorum contubernium: nec ipse te doceas; & absque Doctore ingrediaris vitam, quam nunquam ingressus es: statimque in alteram partem declinandum sit, & errori pateas, plusque, aut minus ambules, quam necesse est: ne aut currens lasseris, aut moram faciens obdormias.* Et paulò pòst, vbi probasset necessarium esse magistrum aliquem vnum in omni arte discenda, ex politia apum, gruum, hominum, ex gubernatione Ecclesiæ ac nauis subiicit hæc. *Et ne plures replicando fastidium legenti faciam per hæc omnia ad illud tendit oratio, vt doceam te, non tuo arbitrio dimittendum, sed viuere debere in monasterio, sub vnius disciplina patris, consortioque multorum.* Præterea Ioannes Cassianus *collat. 2. cap. 11.* vbi discretionis virtutem in eo constituit. *Si seniorum vestigia subsequentes, neq; agere quidquam noui, neq; discernere nostro iudicio præsumamus, sed queadmodũ nos, vel traditio illorũ, vel vitæ probitas informarit, gradiamur.* qua institutione formatus, non modo ad perfectam discretionis rationẽ quisque peruenit, verum etiam munitus à cunctis insidiis inimici tutissimus permanebit. Hoc etiam idem Author, ex aliis magistris spiritualibus recentioribus, videlicet, Io. Gersone, Io. Auila, Didaco Perez, Smaragdo, Ioanne Trithemio, Vmberto, Turrecremata, & aliis in sequentibus probat intentum. 2

Placuit

7 Placuit vltimo ad idem intentum, quæ Summus Pontifex Clemens Octauus super receptionem, & educationem nouitiorum dixit, simulque noster sanctissimus Vrbanus Octauus promulgari, & executioni mandari, præcepit; vt vel sic quantum detrimenti religionis ex inculta iuuentute nouitiorum, proueniat, quantumque è contrario emolumentum ex religiosa illorum instructione nascatur, innotescat, in propatulo ponere. Sic ergo loquitur Pontifex. *Cum ad regularem disciplinam in singulis religionum Monasteriis propagandam, Nouitiorum institutio maximè vtilis sit, ac necessaria; & nihil ad grauem illam, ac laudatissimam priscorum Patrum viuendi rationem relaxandam maiorem vim habuisse compertum sit, quam vel nimiam in recipiendes Nouitiis facilitatem supra numerum quem capere, atque alere Monasteria ipsa possint, vel negligentiam in probando, & examinando eorum spiritu, an vere esset ex Deo, atque ex præcipuo desiderio illi inseruiendi: vel denique incuriam in eis educandis, atque instituendis. Idcirco, vt huiusmodi incommodo deinceps occurreretur, præcipitur omnibus, & singulis ad quos spectat, vt in recipiendis Nouitiis, & in eorum institutione, atque educatione, nec non in magistri, & aliorum ministrorum electione, præter alia quæ in sacris Canonibus, ac decretis, præsertim Sacri Concilij Tridentini, Pontificiis, & cuiuscumque Ordinis, aut instituti constitutionibus continentur, tam in alias designatis, quam nunc, & in posterum ad hoc designandis Monasteriis, & conuentibus, hæc quæ sequuntur inuiolatè obseruari, & exequi perpetuo curent.* Post hæc, varia, & diuersa documenta circa nouitiorum instructionem opponit Pontifex, quibus, & sanctum zelum reformationis religiosæ præsefert, simulque intentum nostri capitis grauissimè confirmat.

8 Ex quibus omnibus luce iam clarius innotescit, quanta cura, sollicitudineque Pastores, & Prælati Religionum intendere debeant, vt nouitij, aliique Tyrones, & adolescentuli, regulari disciplina imbuantur. Neque enim alia ratione, optima religionis œconomia consistere valet, neque ipsi Tyrones aliter, perfectionis apicem pertingere possunt. Vtrumque in simili forma, conclusit Episcopus Pacensis. *Cum ea sit optima Reipublicæ gubernatio quem ciues meliores facit, hoc primum curæ esse debet omnibus magistratibus, vt pueri, & adolescentuli rectè educentur, & instruantur optimè. Nec enim alia ratione meliores homines euadere possunt, quam recta educatione. Nam vt Seneca inquit, educatio mores facit.* Et verè sanè; sunt namque Nouitiorum ingenia, dum ad religionis doctrinam accedunt, tanquam agri, aut fundi ipsarum religionum, ex quibus suos prouentus inpostetum percepturæ sunt; si prudenti cultura à Dominis excolatur, optimè certè fructū referēt, sin autē spinas, & tribulos germinabūt; *Puerorū ingenia* (inquit Biessius) *tanquā agri, ex quibus Respublica suos omnes fructus perceptura est, diligentissimè colantur, & rebus optimis serantur. Prohibeantur inseri quæcumque Reipublicæ noxia sunt, & insita confestim à Magistratibus euellantur: nam semina Virtutis admodum rara sunt.* Hoc ipsum (Plutarcho teste) Lycurgus ille legum lator exemplo confirmauit. Duos namque educauit catulos, ex eisdem parentibus natos, quorum alterum gulæ assuefecit, domesticis deliciis nutriens: alterum autem ad venationem exercuit. Vt verò ostenderet quantum educatio paruulorum proficeret, adductis ciuibis in concionem, gulæ irritamenta apposuit, leporemque dimisit. Ergo catulus ad venationem edoctus, leporem sequutus est; catulus verò domi enutritus, cibaria quæsiuit. Tuncque dixit. *Videte, ô Ciues, cum ex eodem sint genere, quam dissimiles ob educationem inter se euaserint.* Pari ergo passu adolescentes, seu iuuenculi religionum, quamuis ætate, moribus, genereque sint similes, si tamen illorum alter à maioribus rectè instruatur, egregius euadet, & alter vero non rectè educatus, tepidus, otiosus, vitiisque omnibus deditus procedet. Vnde non immerito totius religionis lapsum, ex praua iuuenum, seu tyronum educatione, originē trahere, diximus. Quod & in simili forma odoratus est Cicero dicēs. *Si legere, & audire voletis externa, maximas Respublicas per adolescentulos labefactatas reperietis.*

Prouideant ergo Superiores, & Prælati Religionum, iuuenum, seu Tyronum, tales magistros, seu pædagogos, quales tantæ necessitati subueniendæ, iuuentutique erudiendæ congruos esse prudentia dictauerit. De quo optimè sanctus Laurentius Iustinianus, præscribens simul quibus virtutibus ornatus esse debeat, qui tale munus subire dignus sit. *Quemadmodum* (inquit) *in itinere quis pergens ignoto, ne erret à recto calle, eget doctore; ægroto, ne diuturno languore fatigatus, à vita deficiat, opus est medico; adolescenti idiotæ, ne in sua perseueret ignorantia accommodandus est pædagogus; ita in via Dei nouiter imbuendo, ne fallaciis satanæ seducatur, & pereat, spiritualis ei adhibendus est pater, qui discretione sit prouidus, experientia probatus, ordinatus moribus, grauitate maturus, decoratus honestate, sanctarum scripturarum gnarus, austerus in se, proximo compatiens, orationi assiduus, corde mitis, eloquio verax, & in omni, si possibile est spirituali disciplina prouectus.* Et infra. *Ab vno quilibet incipiens est erudiendus magistro, quem oportet illius, qui instruendus est habere notitiam, pristinæ conuersationis, corporalis valetudinis, naturalis complexionis, & quotidiani exercitij. Ipsum præterea latere non debet quales ipsius sint cogitationes, quibus tentationum stimulis agitetur, quibusve deuotionibus reficiatur, & ita de vniuersis interioris, & exterioris hominis actibus, gestibus, sermonibus, & affectibus illius imbutus existat, ac si essent propria. Horum etenim, si spiritualis pater neglexerit habere notitiam prorsus superuacuè laborabit.* 9 Qualiter tamen se gerere debeant magistri nouitiorum in religionibus, ipse Iustinianus alibi scriptum reliquit. *Circa profectum* (inquit) *animarum, reformationem morum, vitæque emendationem, eorum quibus spiritualiter præsunt, inuigilent: nunc minis terrendo, nunc demulcendo sermonibus blandis, interdum ratione persuadendo, interdum authoritate mandando, aliquando puniendo, nonnunquam parcendo, ministerium suum perficiant.* Et infra. *Primo quidem moneant, deinde terreant, postremo verò puniant.* Optimè quoque D. Bonauentura ex D. Gregorio hæc habet. *Quisquis diuina inspiratione compunctus, relictis sæculi huius actionibus, ad Deum conuerti festinat, ita cum charitate suscipiendus est, & blandis per omnia consolationibus refouendus, vt in ea, quam elegit, Deo adiuuante, conuersatione, delectetur persistere.* Grauiter etiam Aluarez de Paz modum, quo magistri nouitios religiosos instruere debeant, sic delineat. Inter alia hoc vnum commendans, vt magno cum discrimine, tyrones, & veterani, in religione tractentur. *Nouitius* (inquit) *est velut infans recens natus, cuius teneritas maiorem curam nutricis, id est spiritualis magistri, cuius infirmitas delicatiorem cibum, hoc est mitiora onera petit, cuius pusillanimitas acrem reprehensionem non sustinet, sed si aliquo delin*

delinquat, mel, & lac blandioris sermonis, & mansuetissimæ correptionis exposcit. Antiquus vero est veluti adolescens, aut vir, qui sine tanta magistri spiritualis cura religiosè viuit; qui duriora laborum onera portat & pro leui etiam culpa acerrimas increpationes præfert Nouitius, vt arbuscula nunc sata, assidua irrigatione indiget, & aut nimium solis ardorem, aut nimium noctis gelicidium non sustinet, & si fere quotidiana præfecti admonitio deficiat, aut insurgat magna tentatio, statim arescit. Professus quasi arbor procera, & optimè radicata sine aqua continuæ exhortationis perseuerat. Hæc ille.

10 Sed operæ pretium duxi, breuem institutionem, quam S. Nilus ad iuniores monachos scripsit, eorum quoque magistris, & pedagogis intimare, vt ex mente huius Patris agnoscant, qualiter iuuenes in religionibus enutriri debeant. *Iuuenis* (inquit Nilus) *colat quietem in corpore, modestiam in vultu, moderationem, atque ordinem in voce. Ad cibum, & potum accedat sine tumultu, cum vrget necessitas. Sileat inter seniores, æquales diligat, minoribus amanter consulat ab improbis, carnique deditis, & curiosis recedat, pauca loquatur, plus cogitet: in sermone caueat arrogantiam, in mutua consuetudine se nemini anteponat Ne sit promptus ad risum, pudore se ornet, colloquia mulierum vitet, vultu terram aspiciat, cœlum animo fugiat, contentiones docendi, ne ambiat dignitatem hominum honores ne admiretur, eorum præsertim, qui verum honorem ignorant. Virorum prudentium vtatur familiaritate, quæ honorum est causa pulcherrima. Dum rectè agit, & in virtute proficit, laudem à Deo tantum requirat. Quod si alios docet, & iuuet, repositam apud Deum mercedem expectet, & tanquam debitum Deo opus persoluens, remunerationem à Deo speret in muneribus sempiternis.* Hæc Nilus. In quibus si religiosorum nouæ plantulæ instituantur, & religiones ipsæ maximopere succrescent, & magistri, aut Pædagogi suo muneri satisfacient.

11 Oportet etiam specialiora aliquot documenta magistris morum in religionibus ex Patrum sententia intimare, vt eorum labor fructu desiderato non orbetur. Illud primum sit, vt nouitij religiosi, in orationis exercitio instruantur, informentur, actuentur. Adstruit id Seraphicus Doctor Bonauentura de tyronibus, & nouitiis loquens, sic inquiens *Instent orationi feruenter, quæ nouam in horto Domini plantulam fouet, prouehit, & confirmat.* Innuens clarè sine orationis exercitio consumi, deficere, & siccari. Vnde addit. *Frustra profectus virtutum sine oratione speratur.* Speciale tamen tempus ad id munus, illi designat dicens. *Discant ergo, vnam saltem diei, vel noctis hora, tempus, & otium vendicare, quando ad se reuersi, mentisque cubiculum introgessi, orent in abscondito Patrem suũ.* Si vero talis hora ad somni requiem exposcatur à natura, *surripienda erit* (inquit) *carni* Ne tamen hac vna sola hora contenti videantur, subiungit. *Hæc, & aliæ quietis, & temporis opportunitates, quæ occurrunt, minimè negligendæ sunt.* Absdubiè indicans, tota die, totaque nocte, si per naturam liceret, orationis exercitio, assuescendos esse tyrones. Optimè quoque de hac instructione, sic loquitur sanctus Laurentius Iustinianus. *A pædagogo erudiantur nouitij, qualiter, quando, & vbi orare debeant, quid meditari, quid legere.* Alibi clarius. *Quoniam rudis nouitius, quasi cœcus de tenebris mundialis conuersationis procedens, ad lumen fulgentis veritatis reuerberatur, manu ducendus est prudenter, donec assuetus mentali exercitationi, valeat percipere per se ipsum, quod absque præceptore non poterat. Diligentissimè igitur redire ad se doceatur, & per iugem meditationem commorari secum.* Et infra. Quasi materiam ostendens, de qua nouitiis, iugis, & continua futura est orationis meditatio, sic loquitur. *Proponatur itaque illi ad sedulo meditandum Domini* Iesv *humana conuersatio. Nihil autem, ita fructuosè ad meditandum inexperto offertur nouitio sicut Christi vita, & potissimum ipsius passio gloriosa.* Inferius quoque in idem sic habet. *Sedeant quippe secus pedes* Iesv, *non tamen ante Iesum. Sedeant humiliter, & deuote, ac pure, &c. Nullus enim alius locus debetur nouitio quam vbi sunt pedes Iesu.* Et post alia, vtilitates, quas ex hac iugi oratione, meditationeque in vita Iésv Christi hauriat nouitius, sic exponit. *His cogitationibus refectus, ac lacte spirituali nutritus, nimio iucundatur gaudio, obliuiscitur, quæ reliquit in sæculo, & omnibus se priuat exterioribus delectationibus.* Vt vero hoc orationis exercitium primum fundamentum nouitiatus reputetur, hæc subdit sanctus hic Pater. *Hæc fundamenta in principio conuersationis cuiuscumque nouitij iacienda sunt. Hæc nempè sunt, rudimenta, quibus imbuendus est nouus miles Christi, &c.* Tandem totum ferme caput in instruendis nouitiis in huiusmodi interiori orationis exercitio consumit.

Ad idem intentum Aluarez de Paz in suo opere de vita spirituali, sic loquitur. *Nouitius orationis, & sanctæ meditationis tenax, frequentissimè Christum Crucifixum habeat. Ipsi suas miserias, & tribulationes aperiat, necessaria ad vitæ reformationem petat, vitiorum extinctionem, ac omnium virtutum acquisitionem postulet: recogitet serio peccati fœditatem; sæculi vanitatem, &c.* Et infra rationem huius documenti sic assignat. *Nam sancta oratio, ac meditatio est magistra scientiæ, quam nouitius nescit, dux viæ, quam ignorat, medicamentum vitiorum, quibus ægrotat, fœnum tentationum, munditia peccatorum.* Vt vero moneat, hoc esse primitus iniungendum nouitio, addit. *Ab oratione ergo, nouus Christi miles nouam militiam incipiat.* Tandemque. *Si enim in vita spiritualis initio, orationi, meditationique non vacat, nunquam meditationis consuetudinem capiet, qua sublata, nescio sanè quo pacto proficiet.* Hæc, & alia Religiosus hic author ad intentum nostrum de necessitate orationis Tyronibus, & nouitiis religionum scripsit. 12

Maximè quoque secundo nouellæ plantationes in religionibus à suis magistris admonendi sunt, vt otiositatem fugientes, sacrarum litterarum studiis, vel aliis exercitiis semper, semperque vacent. Ad hoc deseruiunt, quæ in capite de otiositate deuitanda adduximus; specialiora tamen in medium proferamus. Magnus ergo Basilius in suis regulis interrogans. *Nunquid expediat his, qui nouitij accedunt, ea quæ de sacris scripturis sunt, confestim ediscere?* Respondet. *Quæ ad vsum namque pertinentia sunt, ea vt vnusquisque ex diuinis litteris ediscat, & rectum est, & necessarium: cum ad maiorem animi expletionem in pietate, tum etiam vt ne humanis constitutionibus assuefiat.* Clarius D. Bonauentura in suo speculo disciplinæ nouos religiosos, sic instruit. *Nunquam otio torpeant, sed semper, aut lectioni, aut orationi, vel officio addiscendo, aut aliis, non quæ ipsi elegerint, sed quæ iniuncta fuerint, facienda intendant.* Optimè quoque Dionysius Carthusianus in suo nouitiorum Dialogo, sic instruit nouitium. *Nunquam in te des otio locum, indesinenter fructuosè te occupa, orando, psallendo, seu meditando* 13

quocunque

quocumque perrexeris, &c. Alia ex Patribus facilè ad intentum elici possunt.

14 Tertio quoque solerti cura, sollicitudineque animaduerti debet Tyronibus, seu nouitiis religionum, vt omni singularitate postposita, semper communia sectentur. Ad hoc multa, quæ adduximus cap. 12. deseruiunt; sed D. Bonauentura benè loquitur ad intentum nostrum in suo speculo disciplinæ inquiens. *Optima religiosi perfectio est, perfectè communia quæque conuentualia seruare.* Et rursus. *Turpis omnis pars vniuerso suo non congruens. Caueat vir constans, & honestus ne consuetudinum Ordinis temerarius violator existat; alias in victu, & moribus nouitatis nota, & singularitatis erit diuersitas fugienda.* Optimè etiam ante Bonauenturam D. Bernardus, singularitatem istam in monachis sic reprehendit in expositione super Cantica. *Non vultis esse contenti vita communi, non sufficit vobis regulare ieiunium, non solemnes vigiliæ, non imposita disciplina, non mensura, quam vobis partimur in vestimentis, & alimentis; priuata præfertis communibus. Qui vestri curam semel nobis credidistis, quid rursum de vobis vos intromittitis? Nam illam, qua toties Deũ conscientiis vestris testibus, offendistis, propriam scilicet voluntatem vestram, ecce nunc iterum magistram habetis. Nonne illa vos natura docet non parcere, rationi non acquiescere, non obtemperare seniorum consilio, vel exemplo, non obedire nobis? An ignoratis, quia melior est obedientia quam victimæ?* Inferius quoque, quantum malum hoc sit, sic exponit. *Non habet callidus hostis machinamentum efficacius ad tollendam de corde dilectionem, quam si efficere posset vt in ea incaute, & non cum ratione ambuletur.* De hoc etiam puncto sufficiant hæc ex his Patribus adducta.

Sed ne in re tanti ponderis solum priscos Patres audire videamur, non tamen recentiores magistros, pro multis audiendus Iulius Nigronius Genuensis vir pius, & doctus in tractatu ascetico *de peculiaribus paucorum amicitiis è quolibet cœnobio, præcipuè Religiosorum, exterminandis cap. 3.* Vbi è pluribus vitæ spiritualis, & instructionis nouitiorum magistris hæc scripsit pro eorundem institutione valdè necessaria. *Ad tertium caput deuenimus, quo demonstrabitur, quam multis nominibus vniuersæ Communitati cœnobij perniciosæ, ac detestandæ sint, cum omnes enumeratæ amicitiarum species, tum potissimum quinta iuniorum ob frequentiam, & pericula, non ab omnibus expensa. Grauiter admodum Iacobus Aluarus noster locutus est, cum eas euertere disputatione aggrederetur, dicens:* Quæ amicitia, & familiaritas, si ad nimietatem declinet, non minus ipsismet Religiosis, ac sanctæ Religionis domibus perniciosa est, quam essent inimicitiæ, ac manifesta diffidia: nisi quod ista palam, & sine vllo fuco Religionis destruunt. *Sed quid Aluarum produco? Communis est Magistrorum spiritualium vox, & sententia. Veteres, ac mediæ ætatis magistros obseruet lector in decursu disputationis: recentiores nonnullos recensebo, atque locos indicabo, vnde plura, si velit, possit exhortator, & instructor excerpere. Ioannes à Capistrano Ordinis Minorum de obseruantia, vir magnæ probitatis, & experientiæ, præcipiens vitari à suis suspecta consortia, & familiaritatem cum mulieribus, addit hæc verba notatu dignissima:* Intelliguntur autem suspecta consortia non solum de mulieribus, sed autem de suspectis familiaritaribus quibuscumque siue cum sæcularibus personis, siue etiam cum fratribus ipsis nostri Ordinis nouitiis, siue professis. Et ideo tam Vicarij, quam Guardiani sint solliciti diligenter, & attenti. *Bernardinus Schotus Clericus regularis (qui mortuus est Cardinalis) functus officio Præpositi salutaribus documentis epistolam plenissimam scripsit ad Ordinem suum: quam dedit in lucem Antonius Caracciolus ex eadem Religione. In ea monens suos, ne laxari morum disciplinam patiantur, inter cætera hæc habet.* Itaque, qui relaxationem quærunt, primum sibi ipsis, deinde aliis quam plurimis nocent. Hinc enim peculiares amicitiæ, & societates quædam prohibitæ in Congregationibus fiunt, quibus nihil esse potest perniciosius. Hinc dissensiones, & contentiones oriuntur, hinc odia, & susurrationes, & conatus quidam occulti ad suadendum aptissimi eam vitam, quam sibi delegerunt, videlicet laxiorem, dum aliis quoque pro regula tradere, & approbare nituntur, &c. *Clerici regulares sancti Pauli de nouitiis constituentes, in quibus propter ætatem maius est periculum sic magistro eorum præcipiunt.* Solutam quandam inter eos consuetudinem, & libera colloquia ne permittat: præcipuas inter aliquos amicitias prudenter disiungat: in familiaritatem professorum venire prohibeat. *Ioannes à Iesu Maria Carmelita discalceatus, in instructione Magistri nouitiorum, inter maximè cauenda illis, & ipsi obseruanda in eorum educatione, locat singularem familiaritatem eorum:* Qui vel ob ingenij similitudinem, vel aliam quamuis ob causam, non sine aliorum nota, occasionibus oblatis, vel quæsitis simul versari assuescunt. *Ioannes Trullus ex Ordine Canonicorum Regularium sancti Augustini, reducit ad carnalem dilectionem, ab eo sancto Doctore merito damnatam, affectum priuatum erga paucos. Canonici sancti Saluatoris sub eodem vexillo militantes, constituunt.* Ne sub specie fraternæ charitatis, habeatur aliqua frequens conuersatio singularis. *Seruatius Ordinis Præmonstratensis sub eiusdem Augustini Regula, monet Prælatos, vt magno studio, & industria dissocient eos, qui conspirant in malum, & concordant inter se. Beatus Ignatius nostræ familiæ architectus instituit quandam vtilissimam animæ aperitionem, in qua quisque Superior tanquam patri, ac magistro cor patefacit, & rationem conscientiæ secreto reddit. In ea illud est in rem præsentem, vt subditus significet: An alicui plus sit familiaris, quam aliis. Iam tunc vir sanctus, ac prudens obstruere cœpit aditum huiusmodi peculiaribus amicitiis, ne in suum Ordinem irreperent. Præstiterunt id alij postea. Iulius Pacius in libello Italice edito de mortificatione, suadens indifferentiam in conuersando, dissuasit priuatas amicitias. Secutus est Lucas Pinellus in libro, quem Italice item scripsit de Religiosa perfectione ad imitationem aurei libelli Thomæ Kempis de imitatione Christi, caput habet, quo Christum inducit Religiosos à nimia familiaritate paucorum sodalium reuocantem. Sub idem tempus Claudius Aquauiua, regens quinto loco societatem vniuersam, monuit primum suos, ne huic generi familiaritatum fenestram vllam aperirent; deinde in libro industriarum ad curandum animi morbos, caput scripsit pro curanda inclinatione ad amicitias: tum ad gubernandos alios non eligebat eos, qui peculiares affectiones ad particulares personas in gubernatione cum aliorum offensione retenturi viderentur. Bernardinus Rosignolius opere latino de disciplina Christianæ perfectionis, monuit potissimum adolescentes Sancti Basilij testimoniis, vt priuatas sodalitates, amoremque singularem defugerent. Prodiit in Hispania Alphonsus Rodricus qui prima parte suorum exercitiorum de perfectione, virtutibusque Christianis Hispanicè primum scripta, deinde*

deinde in alias linguas etiam Latinam translata collegit in tractatu quarto varias species huius perniciosæ amicitiæ, quas optimis rationibus suadet ab ordine quocumque Religioso, quam longissimè arceri oportere, atque ego proximo capite recensui, & explicaui. Caput integrum, & amplius Iacobus Aluarus de Paz in tomo primo de vita spirituali eiusque perfectione impendit in detestationem nimiæ familiaritatis, quæ primarius partus est huius detestabilis amicitiæ: Ludouicus Pontanus in vita Balthasaris Aluarez; viri valde spiritualis, atque experti refert illius sensum de his amicitiis, qui dicebat ingens detrimentum inde prouenire, etiam si aliàs bonæ videantur: Præterea in rebus valde fugiendis ob perniciem collocabat primo loco strictam, & particularem cum aliquo amicitiam, præcipuè, quam tota Communitas notet. Idem Pontanus ex suo sensu disputans de perfectione charitatis docet eos qui hac ratione amant, ex motiuis mundanis carnalibus, cuiusmodi est vtilitas, & voluptas, excedere limites communis amoris, cum non exiguis damnis, & inordinatione propriæ perfectionis, ac impingere in vitium, quod dicitur acceptio personarum. Ioannes Busæus in Germania dedit in lucem Pananon, hoc est Arcam medicam: in qua sub nomine eiusdem nimiæ familiaritatis, huic morbo facit medicinam, remedia multa præscribens è Sanctorum Patrum de prompta narthecijs. E Belgio prodiit Medicus Religiosus Caroli Scribani, qui capite integro exagitat nimias cum vno, alterove familiaritates, & eidem morbo applicat medicamēta salutaria. Verū ne sine methodo aliqua gradiamur; damna, quæ Communitati afferuntur ab his amicitiis ad quatuor capita reuoco, diminutionem charitatis, violationem iustitiæ, disciplinæ Regularis euersionem, offensionem, & scandalum domesticorum & extraneorum. Hæc, & alia pius iste author ex suo, & aliorum sensu.

15 Adiicio etiam quartum documentum pro magistris nouitiorum apprimè necessarium. Illud verò est, vt clientulos suos ad amorem Regulæ, Constitutionum, cæremoniarumque Ordinis maximè inclinent. De hoc multa cap. 5. & 6. dicta manent. Sed ex Cassiano, quanta cura, & sollicitudine antiqui monachi nouitios, & iuniores instituerint, vt inde nos idem exemplum accipiamus, hæc excepi. *Tanta* (inquit) *obseruantia obedientiæ regula custoditur, vt iuniores absque præpositi sui scientia, vel permissu, non solum non audeant cella progredi, sed ne ipsi quidem communi, ac naturali necessitati satisfacere, sua authoritate præsumant. Sicque vniuersa complere, quæcumque fuerint ab eo præcepta, tanquam si à Deo sint cælitus edita sine vlla discussione festinant. Vt nonnunquam, etiam impossibilia sibimet imperata fide, ac deuotione suscipiant, &c.* Ecce mores, quibus antiquiores monachi iuniores Tyrones circa regulæ, & institutionum regularium amorem instituebant. Nec mirum sanè, vt enim optimè S. Cyprianus. *Sicut in senibus sobrietas, & morum perfectio requiritur; ita in adolescentibus, & iuuenibus obsequium, & subiectio, & obedientia ritè debetur.* Quare Seraphicus Bonauentura sic instituit nouitios de re proposita. *Religionem sanctam ad quam eos Dominus sua miseratione vocauit feruentissimo, ac fidelissimo studeant amore diligere, eique tanquam speciosissimæ, ac Deo dilectissimæ sponsæ, fide inuiolabili adhærere.* Rursus quoque. *Communem Ordinis obseruantiam sequantur, perfectioni in silentio & in aliis institutis, plenius obtinendis, insistant.* Clarius Aluarez de Paz, sic loquitur ad propositum. *Regulam, & instituta suæ religionis assiduè legant, quæ legerint, intelligant, quæ intellexerint, ament, & cupiant, quæ concupiuerint, opere præstare contendant.* Alia ex variis authoribus huic themati deseruientia facile legentibus obuia erunt.

Nec omittam quinto, in eo quoque præcipuè magistros morum discipulos suos, nouellasque 16
plantas religionum instruere debere, vt scilicet non propter ignauiam defectusve aliorum, quos imperfectè in religione incedere viderint, ipsi à recto tramite, & itinere incæpto, desistant. Hoc ipsum accuratè nimis aduertisse noui sanctum Ephrem Syrum in suis abhortationibus ad Nouitios; Parænesi namque quarta sic habet. *Clarissimè, si sæculo renuncians ad fratres ingressus sis, incideris que in cœnobium complurium fratrum, cum his viuere, & Domino nostro Iesu Christo seruire cupiens: conspexerisque ibi fratres quosdam immodestè, atque incomposite incedentes, aut quæ non placent Deo loquentes; tu caue, ipsis, aut eorum sermonibus attendas.* Et infrà. *Tu autem Deum præ oculis habe. Scriptum quippe est in psalmo: Prouidebam Dominum in conspectu meo semper quoniam à dextris est mihi, commouear. Et, ne te Diabolus callidus dicere doceat, quod si senes isti improbæ sint conuersationis, ego qui sum minor quid agam? Sed Dominum audi dicentem multi sunt vocati, pauci vero electi. Saluari igitur exopta, vt sis vnus inter electos.* Rursus quoque sic habet idem Ephrem, simul breuem admonitionem ad mores nouitij spectantē adducens. *Toto corde tuo attente psalmodiis, & lectioni diuinarum scripturarum, & vtilitatem ex his manentem in anima tua combibe; sicut infans matris sugit vbera. Ex his quippe virtutum disces præmia. Mansuetum te præbe, & morigerum, atque prudentem. Mansuetum quidem, vt si te, vel puer compulerit, sequaris ipsum, & opere tuo confecto tacens reuertere in cellam tuam, ac labris silens, corde ora. Obedientiam vero, & castitatem tui corporis, tanquam pretiosam margaritam conserues in Domino. Vestium ornatu non delecteris, & parentum diuitiis non efferaris. Oculos in terram defixos habe, animam verò in cœlos.* Hæc inter alia S. Ephrem nostro proposito subseruientia. D. quoque Bonauentura, sic instruit nouitios, de eo, quod intendimus. *Ab obseruantia Ordinis, non exemplari leuium, vel negligentium aliquorum dissolutione, diuertantur.* Prætereà Venerabilis Thomas de Campis in suo dialogo nouitiorum, circa præsentem causam nouitium quendam sic instruit. *Si videris quosdam à via veritatis aberrare, & retro post Satanam abire, noli pereuntes imitari sed bonos, & feruentes studeas semper æmulari. Quare cum paucis saluari, qui per angustam portam intrant ad vitam. Nam Christo teste, lata, & spatiosa est via, quæ ducit ad perditionem, & multi sunt, qui intrant per eam.* Hæc Thomas, quibus perbelle satis munitur nostrum intentum.

Ad hæc vltimo iungendum est in hoc præcipuè 17
magistros morum, seu nouitiatuum in Religionibus intentos esse oportere, vt non omnes qui habitum religionis suscipiunt, indiscriminatim ad professionem admittant; sed eos dumtaxat, quos bona indole, ingenij docilitate præditos, religiosæ œconomiæ aptos, & bene morigeratos aspexerint; cæteros autem, charitatis ordine seruato, ab Ordine expellant, & repudient. Docet hoc magnus Basilius in suis regulis monens eos, quos in sæculi vitiosa vita degisse visi fuerint, maximopere probandos esse. *Qui ipsorum mores sint, num consilio instabili, & ad constituendum quiduis præcipiti, ad religionem veniāt? Et si quid* (inquit) *inesse in ipsis stabilitatis cognouerimus, eos tuto admittamus; sin minus repudiemus.* Rationem

Rationem subdit dicens. *Siquidem in iis, qui istiusmodi sunt magnopere suspecta haberi inconstantia debet, qui præter id, quod nullam ipsi vtilitatem inueniunt, cæteris etiam sunt detrimento, quod institutum nostrum falsis probris, & nequissimis maledictis magnopere infament.* Idem Basilij intentum grauissimis verbis prosequitur D. Bernardinus Senensis Minoritarum decus; sermone enim de Sacra Religione hortamur religiosos, ne ad Societatem omnes indiscriminatim habitum postulantes admittant. *Non sicut quidam* (inquit) *qui inconsiderate recipiunt omnes, quorum fructus est infamia, & scandalum suæ religionis.* Rursusque. *Plerosque temporibus nostris sub pallio Charitatis, vel potius vanitatis deceptos vidi, passim & inconsiderate omnes ad religionem recipientes. Quorum finis, & fructus fuit fumus, & fœtor, & impeditiuum obstaculum eorum qui cum Dei honore, & sui, ac proximorum salute ingressi fuissent religionem.* Ideo autem magnam in cautelam seruari vult Bernardinus, quia, vt ipse loquitur. *Experientia teste, quidam ad religionem venientes in principio videntur agni, & modico elapso tempore reperiuntur lupi.* Quantum vero damnum religiosis communitatibus pariat, qui indiscriminatim discolos, & male morigeratos ad habitum religionis admittit, exprimit idem Bernardinus. *Pudet enim, & iuste prudentem virum, assumere religionem, & statum, in quo ante se præcedere videt multos homines infames, & sceleratos, & tamen in breui tempore apostantes, & deteriores effectos.* Merito ergo S. Bonauentura rebellem, contumacem, & contentiosum iuuenem, tanquam ouem morbidam à grege Religionis segregandum docet. *Si quis* (inquit) *sufficienter ex pectatus, & monitus mores corrigere, ac religionis formam induere negligit, præsertim si rebellis, aut contentiosus extiterit, non est proficientium numero aggregandus. Infidelis si discedit, ne vna ouis morbida contagione mortifera totum gregem contaminet.* Et rursus. *Peruersus, & insolens, in onus Religionis, & dissolutionem admittitur.* Prudentissima etiam Virgo Theresia de Iesv sollicite nimis in libro de itinere perfectionis, religiosas nouitias stricto examine discutiendas esse, & ineptas ab Ordine eiiciendas monet; dicens. *E: menester gran information para receuirlas, y larga probacion para hazerlas professas.* Et postea. *Entienda vna vez el mundo; que teneis libertad parahecharlas.* Quod ipsum grauissimis verbis per totum caput prosequitur, clare monens, non omnes, sed selectiores fœminas, probatique spiritus ad religionem admittendas fore. Superioresque religionum, qui sæculari pietate moti, id non faciunt, post mortem pœnis puniendos prædicit.

18 Dixit tamen, charitatis Ordine seruato, male morigeratos nouitios ab Ordine expellendos esse, quia quandoque Magistri, seu præceptoris patientia, pietas, & charitas solet peruersum iuuenem ad Deum conuertere; vt exemplo cuiusdam è vita S. Pachomij, probat S. Dionysius Carthusiensis, ser. 6. de Dom. 13. post Trinitatem his verbis. *In vita S. Pachomij legitur, quod fuit in cœnobio illo Pachomij quidam iuuenis monachus, nomine Syluanus, multum inordinatè se habens, & leuis, alios quoque quosdam iuniores sibi alliciens, atque inficiens. Propter quod seniores voluerunt fratrem illum expellere, & de hoc sæpè loquebantur Pachomio: qui Beatissimus pater & vir Apostolicæ Sanctitatis rogauit fratres illos patientiam ad tempus habere cum iuuene illo, & orare pro ipso, & ipse Pachomius pro eodem instanter orauit. Paulò post Deus omnipotens, & benignus, tanta compunctione, & gratia, tanto deuotionis feruore, tam profundissima humilitate impleuit mentem Syluani, quod iugiter in omni bono plorauit nec tempore refectionis à lachrymis potuit se refrenare; ita vt S. P. Pachomius testaretur de illo, quod nullus in toto suo monasterio, sic suam esset humilitatem secutus, vt frater Syluanus. Quo post paucos annos moriente, dixit Pachomius animam eius cum gaudio ab Angelis sanctis esse susceptam.* Hoc ergo sibi exemplum Magistri Nouitiorum præ oculis ponant, vt priusquam aliquem à religiosa Societate repellant, pietatis, charitatisque cum illo modum obseruent.

Placuit ad idem intentum, quæ Guillermus de Peraldo in tract. de conuersione monachorum dixit, dum de variis causis temeræ, & infructuosæ professionis quorumdam religiosorum ageret, hinc transferre. Sic ergo loquitur. *Aliquando accidit ex superbia recipientium, qui verecundantur, quod aliquis, qui ad eos ingrediatur, ad sæculum reuertatur. Qui videntur tali fatuitate laborare, quasi laboraret ille, qui verecundaretur de hoc quod in messe sua palea non inueniretur. In his, qui in religione ad probationem recipiuntur, ventus tentationis indicat; quis palea, quis granum existat: ad impetum enim huiusmodi venti palea discedit, granum vero locum minimè dimittit. Superuacaneum esset tempus probationis, si omnes, qui probantur, in cellario approbarentur, cum de multis à Deo vocatis pauci sint electi. Non est mirum si non omnes, qui probantur, ad professionem admittantur. Qui vult vineam habere bonam, cum diligentia palmites, ex quibus plantanda est, eligit sic qui veritatem religionis diligit, probatos cum diligenti electione ad professionē recipit.* Et infra, *Oportet, vt religio despumetur, ad hoc, vt in puritate sua seruetur. Vbi deest despumatio, ibi impuritas multa.* Et infra. *Aliquando hoc accidit ex recipientium carnalitate, qui cum Dei ordinatione filios non habeant, Diaboli procuratione nepotulos sibi aggregant, quos in religione recipi faciunt, non vt soluentur, sed vt ditentur.* Inferius quoque. *Aliquando hoc accidit, quod parentes carnales filios suos in religione ponunt, vt ab eis se expediant, potius intendentes corporalem eorum prouidentiam quam animarum salutem. Hi in ingressu nihil spirituale intendentes, nec ea intelligentes, quæ in regula continentur, post ingressum, Crucis Christi inueniuntur inimici, ventri suo, non Domino* Iesv Christo *in monasterio seruientes.* Hæc, & alia religiosus hic author; manifestè comprobans, non omnes nouitios in religione receptos, ad professionem admittendos fore, & quanta cura sollicitudoque in eorum instructione adhibenda sit. 19

Vt autem Religionum Superiores in re tam necessaria, qualis est educatio puerorum, non segniter, aut oscitanter: sed sollicite nimis se gerant, audiant tandem, quæ aliqui Patres, & Religiosi, de indisciplinatis, maleque instructis adolescentibus, & nouitiis Religionum sentiant, vt vel sic accuratius in tanti ponderis negotium erigantur, vel saltem agnoscant rectè Diogenem dixisse. *Filij malè educati summi hostes Patribus in senectute sunt.* Ergo D. Bernardus super Cantica, exponens illud: *Capite nobis vulpeculas, quæ demoliuntur vineas.* Vitia, quæ irrepere solent Nouitiorum animos, qui, ceu nouellæ plantationes in domo Domini sunt plantati, si rectè non sint disciplina regulari imbuti, sic recenset. *Mox, vt in corpore solet euenire febricitantibus, subit quidam animi rigor, & vigor lentescit, languor fingitur virium, horror austeritatis intenditur, timor sollicitas* 20

sollicitat paupertatis, contrahitur animus, subtrahitur gratia, protrahitur longitudo vitæ, sopitur ratio, spiritus extinguitur, deferuescit nouitius feruor, ingrauescit tepor fastidiosus, refrigescit fraterna charitas, blanditur voluptas, fallit securitas, reuocat consuetudo. Quid plura? Dissimulatur lex, abdicatur ius, fas præscribitur, derelinquitur timor Domini. Dantur postremo imprudentiæ manus, præsumitur ille temerarius, ille pudendus, ille turpissimus, plenus ille ignominia, & confusione. Saltus de excelso in abyssum, & de pauimento in sterquilinium, de solio in cloacam, de cœlo in cœnum, de claustro in sæculum, de Paradiso in infernũ. Hæc D. Bernardus, diuino certo numine flatus, de iis, qui in nouitiatibus religionum, non rectè obseruantia (prout decet) religiosa, disciplinaque regulari sunt imbuti, dixit. D. quoque, & Seraphicus Bonauentura in suo speculo disciplinæ, postquam rectè instructorum tyronum virtutes recensuit, quos inter alia vocat. *Altissimi filios, fideles sanctæ religionis propagines, fratrum lætitiam, consociorum solatium, sui instructoris gloriam.* Male quoque imbutos disciplina regulari, prauéque moribus religiosis instructos, sic appellat. *Duræ ceruicis, disciplinæ mansuescere nescientes, tepidos, curiosos, superbos, qui quam suauis est Dominus non gustantes, sæculari dumtaxat deposito habitu, non affectu, adhuc in moribus, in verbis, in gestibus, & propriarum voluntatum pertinacia sæculo fidem seruant, vt monstro mirabilius, sed religiosa veste, hominem videas sæcularem. Hi sunt filij diffidentiæ, adulterina plantatio, fructus inutiles, & acerbi, sociorum onus, & scandalum, sui afflictio, & confusio instructoris.*

Porrò signa, & mores, quibus male instructus nouitius, vel digito demonstrari possit, inter alia hæc statuit. *Tepidus in conuersatione, remissus publicos mores, & doctorum monita negligit; ea, quæ Dei sunt, languidè operatur, si quod inchoat bonum, vix perficit, tarde ad diuinum officium, & quæcunque conuentualia occurrit, otio gaudet, labore, vel modico læditur, & facile se infirmum, vel ad modicum se fatigatum prætendit; sed amore priuato se diligens, quæ carnis sunt, sapit, & prosequitur ex affectu. Aliorum quoque defectibus, non virtutibus, hærens, si quid minus, vel negligenter actum inspexerit, illud in exemplum ad suæ velamen tepiditatis, assumit. Ficta ei, & indeuota confessio, rara, & breuis compunctio, insipida & sine intentione oratio, incircumspecta, & sine ædificatione lectio, obedientia morosa, & sine deuotionis affectu vix aliqualis impletio.* Hæc Bonauentura; tremenda sanè, & horribilia, de nouitiis prauè educatis, & instructis: vt vel sic contremiscant superiores, qui negligentes in eorum instructione inueniúntur. Demum Gullermus de Peraldo de talibus sic loquitur. *Deteriores furibus, & latronibus esse videntur, qui religionem intrant, & se non emendant. Qui malus est in religione, est quasi malis latro Christum in cruce blasphemans, opere licet non sermone. Qui de cruce claustri transiturus est ad cruciatum inferni, talis valdè infelix est; quia in Dei vinario moritur, in eius seruatorio corrumpitur, in loco salutis damnationem suam operatur, quod alij esset aurum, hoc ei est plumbum, &c.* Hæc velim, religiosi omnes placide auscultemus, & nostri muneris finem inspicientes, rectè, sanctè, reformatè que nostri instituti modum impleamus.

21 Addere hic tandem placet exempla aliqua, quæ Laurentius Beyerlinck *in Theatro vitæ humanæ littera R. verbo Religiosus Religio*, pro Nouitiis, qui Religionem semel ceptam deserere tentantur descripsit, & verbis ipsius. Huius generis illustre exemplum est apud Antonium de Hugone Abbate Bonæuallis Ordinis Cistercienfis, qui sub Clemente III. claruit circa annum Domini 1186. Hic sæculum cum reliquisset, cœpit religiosè admodum conuersari in Monasterio: tentatus tamen valdè fuit de egressu Religionis. Hæc cogitans intrauit Templum, & orans deuotè cum lachrymis, vidit supra altare Matrem misericordiæ vestitam lumine sicut vestimento. Et visum est ei, quod videret Iesum filium eius iuxta eam, & quomodo annunciatus fuerat ab Angelo, & Virgine natus, & pastoribus nunciatus, circumcisus, & à Iudæis postea captus, flagellatus, illusus, & crucifixus, & exinde resurgentem intuetur, & ascendentem in cœlum. Hæc eo aspiciente, dixit ei Domina nostra; Viriliter age, & confortetur cor tuum in Domino, & certus esto talibus tentationibus te modò non pulsandum. Antonin. 2. *par. Chron. tit.* 17. *c.* 2. §. 14.

Sub hoc eodem sancto, & venerabili viro Hugone Abbate Bonæuallensi factus est Religiosus quidam iuuenis valdè feruens in principio, qui postea valdè tentatus cogitabat ad sæculum redire. Cui cum Abbas, qui audierat eius tentationem in confessione, multum ei suaderet de remanendo, & nihil proficeret, dixit Abbas: Fili miserere animæ tuæ placẽs Deo, ne perdas gloriã tibi paratam. Ego enim spondeo tibi, & fideiussorem tui in hoc me constituo, quod si tu remanseris, sanctorum Angelorum Socius æternus eris. Ad quæ verba cõfortatus permansit, & optimè conuersatus est. Qui duobus annis ante mortem grauissima infirmitate laborauit, sed ad eum consolandum missus est Sanctus Iob cum magna claritate, qua totum infirmatorium repletum est. Ego sum inquit Iob, quem Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis misit ad consolandum te: sicut ego in tali infirmitate patiens fui: sic & tu. Et ideo florebis mecum in gloria, & cras eris mecum, & metes quod seminasti. Quod & factum est. Et non multo post apparuit ei in gloria gratias agens Abbati per cuius admonitionem permanserat in Ordine. *Idem ibidem.* 22

Cœlestis gloriæ magnitudo, quæ Religiosos manet post hanc vitam, tentatos de egressu retinendi vim habet; vti Franciscano cuidam Nouitio contigisse legimus. Is enim cum Religionis oneribus premeretur, & præterea ita à Dæmone oppugnaretur, vt iam vix sustineret, & de sæculo repetendo indignas aleret cogitationes, hoc vno cœlesti remedio sanatus est. Nocte quadam dum in templo ante venerabilem Eucharistiam pertransiens, adorandi causa, genu, corpusque inflectit, illo ipso momento raptus, ac defixus est in eiusmodi visione. Aspiciebat longum agmen multorum hominum ordine procedentium, eodem habitu, eademque forma. Omnibus vestes erant candidæ: vultus autem, & manus, & pedes, quæ corporis partes è veste eminebant, ita splendidæ, ac radiantes, vt cum ipsa Solis luce certarent. Omnes autem nescio, cui tanquam hospiti recens aduenienti obuiam ire, eumque cum festiua gratulatione amplecti, atque etiam cum honore deducere videbantur. Quæ ille cum timore, & horrore perfusus spectaret, ab vno illorum inquirens, quidnam id esset, cognouit Franciscanam esse Familiam, quæ ad suum quendam, qui tunc è vita migrarat, in cœlum comitãdum prodisset. Viuere autem omnes in cœlo lætissimos, & felicissimos, atque honorem illum candidarum vestium, quas videret, datum eis esse pro Religioso, quem in terris gestarant, habitu fulgorem 23

rem autem corporis pro carnis incommodis: ac ipsum quoque eiusdem gloriæ participem futurum, si in suscepto consilio fortem se, & constantem præstitisset. Atque id quidem ille deinceps facile effecit, ita enim confirmatus est, vt numquam amplius vacillarit. *Platus libro secundo, capite* 18.

24 In vita Laurentij Iustiniani scribitur de quodam Fratre, qui importunis dæmonis tentationibus victus ad sæculum redire proponebat: prius tamen vltimum salutis suæ refugium Laurentij opem, & consilium explorare statuit. Ad Laurentium ergo se conferens, Ecce, Pater, inquit, nisi adiuues me, ad sæculum redeo. Tum Laurentius acceptum aqua decoctum lauri ramusculum Fratri tradidit; Accipe, inquiens, & in horto planta; & si quidem reuirescet, securus esto de perseuerantia tua. Abiit ille, & plantauit, & reuiruit. Et de miraculo gaudens memoriam Vergæ Aaron, & palmæ Macarij reuocauit. Bern. Iustinianus *in vita cap.* 4.

25 Quodam tempore dum in die natalitio S. Andreæ Apostoli iam meridianis horis Fratres quiescerent, subito quidam frater apertis oculis cæcatus cœpit tremere, voces ingentes emittere, quibus vocibus testabatur, ferre se non posse, quod patiebatur. Concurrentes fratres viderunt cæcum apertis oculis trementem & clamantem, & à præsentibus alienum, nihil quod foris agi poterat, sentientem. Eumque In manibus leuauerunt, atque ante altare Sancti Andreæ Apostoli proiecerunt, ipsique pro eo in oratione prostrati sunt. Qui statim ad se reuersus, quid passus fuerat, confessus est: quia senex quidam ei apparuit, & canem nigrum ad eum dilaniandum dimisit dicens: Quare fugere voluisti de Monasterio? Cumque euadere de canis morsibus nullo modo potuissem venerunt quidam Monachi, & eundem senem pro me rogarunt. Qui statim iussit canem abscedere, & ipse ad me reuersus sum. Qui etiam confessus est, quia eo die, quo ista pertuli, consilium habuerat de eodem Monasterio fugere. D. Greg. *lib. 9. Regist. c.* 38.

26 Alius quoque Monachus discedere de eodem Monasterio S. Andreæ latenter voluit. Cumque hoc mente tractasset, voluit oratorium ingredi, sed statim dæmonio traditus vehementissimè vexatus est. Relinquebatur vero à dæmonio, si extra oratorium stetisset, & nihil patiebatur aduersi. Si verò conatus fuisset ingredi, statim maligno spiritui traditus vexabatur. Cumque hoc sæpius fieret, culpam suam confessus est, quia egredi de Monasterio cogitabat. Tunc collecti pro eo Fratres, se se per triduum in precibus astrinxerunt, atque ita curatus est, vt ad eum post modum numquam spiritus malignus accederet. Dicebat autem se eumdem beatum Apostolum, dum vexaretur vidisse, se que ab eo increpatum esse, cur voluisset abscedere.

27 Ad hæc accidit, quod refert Ioannes Euiratus in Prato spirituali. Accessimus, inquit, ad Eunuchorum Monasterium iuxta Sanctum Iordanem, ego & frater meus Sophronius. Narrauitque nobis Abbas Nicolaus ipsius Monasterij Presbyter, dicens: In regione mea (erat autem ex Lycia) Monasterium Virginum est ferme quadraginta. In hoc ergo Monasterio quinque Virgines sibi inuicem condixerunt, vt noctu de Monasterio fugerent, & acciperent viros. Nocte vero quadam cum dormirent sanctimoniales omnes illis consultantibus, vt vestimenta sua acciperent, & fugerent, continuò quinque omnes à dæmonio correptæ sunt. Quo facto, non amplius exierunt è Monasterio, sed confessæ peccata sua, gratias egerunt Deo dicentes: Gratias agimus magnorum indultori munerum Deo, qui flagellum hoc nobis induxit, vt animæ nostræ perirent. Pratum spirituale, *capite* 13.

In historiis Sanctorum Patrum refertur de quodam fratre, qui cum incidisset in tentationem, oppugnationis molestia victus, disciplinam Monasticam perdidit; & cum iterum vellet obseruantiæ Regularis principia resumere, illa animi tribulatione impediebatur, & dicebat in se ipso: Quando eo me in statu inueniam, quo aliquando fui? Deficiensque animo, ne aggredi quidem Monachi vllum opus valebat. Veniens ad quendam senem, narrauit ei quæ circa se agerentur. Senex audita defectionis causa, adhibuit ei tale exemplum. Homo quidam habuit possessionem, & eius negligentia in sentes redacta est, ac repleta tribulis, & spinis. Visum est autem ei postea, vt eam excoleret, dicitque filio suo: Vade & purga agrum possessionis illius. Venit filius, vt purgaret: Sed cum respexisset vidit multitudinem tribulorum, & spinarum in eo excreuisse, & animo deficiens sibi, ipse sic locutus est: Et quando hæc omnia euellere, & expurgare potero? & proiiciens se in terram dormiuit. Hoc autem fecit multis diebus. Post hæc venit visum pater eius quod fecerat, inuenitque ipsum nihil efficisse; & dixit ei, Quare vsque modo nihil fecisti? Respondit iuuenis patri suo: Mox vt operi appropinquaui, visa tribulorum, ac spinarum tanta copia, deterrebar à susceptione laboris, & præ animi angustia prostratus in terra dormiebam. Cui pater. Ad mensuram latitudinis, fili, quam iacens in terrà occupas, per singulos dies operare, & ita paulatim proficiet opus tuum, nec tu pusillanimis efficieris. Quod cum audisset iuuenis consilium patris secutus est, & paruo tempore purgata, & exculta possessio est. Tu verò ita Frater paulatim operare, & non deficies. Quo audito Frater ille abiit, & cum omni patientia sedens faciebat sicut edoctus fuerat à sene, & requiē inueniens promouebatur per Christum Dominum. *In vitis Patrum, lib. de patientia.* 28

Olim Ecclesia Cathedralis Gratianopolitana Canonicum habuit, qui corde compunctus maiorem Carthusiam est ingressus. Hic post aliquantos menses, cum nouus ille feruor iam penè intepuisset, cœpit de vomitu cogitare. Semper enim tepor non longe distat à vomitu. Huic tepori importuna se diaboli tentatio sociabat, & tam frequens, tamque continua, vt nouella plantatio, & parum adhuc gratiarum fluentis irrigata, tempestates tam assiduas ferre non posset. Non enim recurrebat ad orationis suffragia, nec piorum Patrum monita capiebat; Victor igitur Diabolus miserum eo perduxit, vt nocte iam instante clam turpem fuga mmeditaretur. Sedente igitur illo super murum, qui cœnobium cingit, horto suo proximum, cum vellet se deorsum mittere vidit magistrum suum qui illum in nouitiatu iam pridem instruxerat, quique iam obierat mortem. Hūc vidit è cœlis ad se venientem multa luce conspicuum, & magna circundatum gloria dicentem sibi: Quorsum, inquit, ô fili, tu fugere maturas in perditionis tuæ periculum? Mane, inquit, mane, & in Ordine perseuera, & ego tibi promitto perpetuæ felicitatis regnum, quod ipse percipies, si in Ordine in finem vsque laudabili 29

bili conuersatione duraueris. Ille territus primum deinde apprimè animatus, se se ad mentem reduxit saniorem, cellam suam introit, habitum resumpsit, & virtute, ac longanimitate proficiens felicissimo est fine consummatus. Dion. Carthus. *in exhortat, nouitiorum.*

30 In hac ipsa domo Carthusiæ, quæ est mater nostra, (inquiunt ijdem Dorlandus, & Dionysius Carthusiani) fuit ante nos nouitius quidam, qui suadente diabolo, ac iam etiam possidente, sub nocturno silentio fugere ad sæculum moliebatur, cumque per cœmeterium claustri transitum haberet audiuit de sepulchro, cuiusdam nuper defuncti patris vocem manifestam dicentem sibi: Quo fugis ô miser? quo fugis? Prædico tibi si hinc abieris, filius gehennæ, & perditionis alumnus eris. In hac voce correptus, ac stupefactus resipuit, & ad se reuersus cellam repetiit, & in ea vsque in finem laudabiliter perseuerauit. Idem *ibidem.*

31 Nouitius quidam in superiori Alemania, cum Carthusiensem esset Ordinem ingressus, nec satis firmasset mentem in obsequium Dei, cœpit de vomitu cogitare. Et iam in liquidum resolutns, O, inquit, si nunc haberem ad manus aureos decem, nequaquam hic vltra perdurarem, sed statim me sæculo redderem quod reliqui. Odi enim hunc Ordinis rigorem, odi pisa, & fabas, & durissimam Ordinis disciplinam. Sine pecunia tamen nusquam tuta, nusquam honesta professio est. Cum vndique per cellam circumspiceret, vidit, (mirabile dictu) illos ipsos aureos iacere sibi sub oculis, probatæ monetæ & publicæ. Tunc ille stupidus nimium, Vnde hi nummi tam subito prouenerunt, hoc præsertim in loco, vbi numquam pecunia consueta est inueniri? Certè hoc artificium Zabule tuum est, hi doli sunt tui, quo me ab Ordine eiicias faciasque extorrem. Nunc magis ipse manebo, & vt tibi crepent oculi, me perseuerantem videbis, & quæ sancta sunt æmulantem. Pecunia vero tua tecum abeat in perditionem. Ita *ibid.*

Hæc omnia, vt dixi, exempla pro Nouitiis 32
in Ordine semel suscepto retinendis ex Laurentio Beyerlinck *in Theatro vit. human.* loco relato, ad intentum nostrum congrua, mutuatis ex ipso verbis excerpsi; vt ex eisdem magis, ac magis tyrones in Religionibus confirmentur, ad maiorem Dei gloriam, suarumque animarum securiorem salutem. Qui præsentis operis finis, & scopus est.



SVMMA



SVMMA QVÆSTIONVM REGVLARIVM, SEV DE CASIBVS CONSCIENTIÆ

ad personas Religiosas vtriusque sexus spectantibus.

Tomi primi Pars secunda.

SVMMARIVM.



CAPVT I.

De specialibus obligationibus, iuribus & priuilegiis Regularium Mendicantium.

1 Endicantes Regulares à Mendicitate sic dicti ij dicuntur, quorum Cœnobiis ex Regula, vel Constitutionibus nequaquam est permissum bona stabilia, seu immobilia (qualia sunt fundi, prædia possessiones, annui redditus,&c.) etiã in communi habere, sed eorum Religiosi ex eleemosynis sibi datis, vel ostiatim quæsitis, victum, & alimenta comparant. Glossa *in c. ex eo verb. Mendicantes, de excessibus Prælatorum in 6.* Glossa *in c. quorumdam de elect. in 6 verb. Mendicantes*, Ioannes Azor. *tom.1. Instit. Moral. lib.12. c.23.* Vnde fit primò Mendicantes alios esse ex Regula, ex alios Cõstitutionibus. Mendicantes ex regula (inquit Azorius vt sup.) sunt Franciscani de Obseruantia: Dominicanos enim, Augustinianos, & Carmelitas solum vocat Mendicantes ex Constitutionibus, nam Regula S. Augustini sub qua Dominicani, & Augustiniani viuunt, & Regula S. Basilij, sub qua, vt ipse inquit) Carmelitæ, permittunt fundos, prædia & alia bona stabilia. Sed quod ad Carmelitas attinet non bene dicit Azorius sub Regula S. Basilij viuere, cũ luce clarius sit regula à B. Alberto Patriarcha Hierosolymitano tradita degere. Malè etiam affirmat Carmelitas non esse Mendicantes ex Regula. Ipsorum namque Regula ab Innoc. IV. correcta, & explicata nihil de permissione bonorum stabilium continet imo, expresse habet cap.13. *Et quia vos oportet frequenter mendicare, &c.* Abbas Lapus, *Allegat* 45. Thomas de Iesu *in exposit. Regulæ Carmelitar. part. 3. dub. 6.* Vide etiam Annales nostros. Infertur etiam secundò non esse dicendos Ordines Mendicantes eos qui tametsi pane mendicato viuant, ex Regula tamen, & Constitutionibus bona immobilia habere possunt: sicut è contra, eos esse dicendos Mendicantes qui quamuis ex priuilegio stabilia bona in communi possideant, ex Regula tamen, vel Constitutionibus ea habere nequeunt, quia vt dictum est, ratio Mendicantis Ordinis in eo sita est, vt ex Regula, vel Constitutionibus hoc illis non sit permissum. Azorius vt supra §. *ex his perspicuè.* Rursus Mendicantes alij sunt à iure, alij ex Constitutionibus Summorum Pontificum. Priores sunt tantum quatuor, videlicet Dominicani, Franciscani, Augustiniani, Carmelitæ. Hi enim & hoc ordine numerantur in *cap. Religionum de Relig. Domib. in 6. §. sanè*, & à Pio V. in Constitutione *Romanus Pontifex* anno 1567. Posteriores vero sunt Seruitæ quos in prædicta Constitutione comprehendit idem Pontifex, Minimi, quos etiam tales declarat in alia Constitutione *Apostolicæ Sedis.* eodem anno: fratres Iesuati S. Hieronymi, vt idem Pontifex habet in alia Constitutione *Romanus Pontifex*, & Iesuitæ ex alia etiam Constitutione eiusdem Pij V. *Dum indefesse* sub anno 1571. Azor. *vt supra §. 2. Quæritur.* De Ordine autem, siue antiquitate inter ipsos Mendicantes non est locus disputandi, Solum enim eo ordine quo à iure, & Pontificibus referuntur, illo referre volui.

His tamen non obstantibus, vt dixi *tom. 1. c. 6. num. 5.* licitum est Mendicantibus in domibus suis tam virorum quam mulierum, exceptis domibus Fratrum S. Francisci Capuccinorum, eorum, qui Minores de Obseruantia vocantur, bona immobilia in communi possidere. Ita enim decernitur in Concil. Trident. *sess. 25. cap. 4.* illis verbis: [Concedit S. Synodus omnibus Monasteriis, & domibus tam virorum, quam mulierum, & Mendicantium exceptis domibus Fratrum S. Francisci Capuccinorum, & eorum qui Minores de Obseruantia vocantur, etiam quibus aut ex Constitutionibus suis erat prohibitum; aut priuilegio Apostolico non erat concessum, vt deinceps bona immobilia eis possidere liceat.] Vnde cẽsendum est Concilium authoritate quia pollebat dispensasse in possessione communi bonorum immobilium cum omnibus Mendicantibus, siue iis ex Regula, Constitutionibus, aut alio modo interdicta prius fuisset. Hoc enim sonant verba illa vniuersalia *omnibus Monasteriis*, & indefinita illa vox vniuersali æquiualens *Mendicantium* & exceptio illa *exceptis, &c.* quæ firmat regulam in omnibus aliis. Azorius *tom.1. lib. 12. cap. 23. § 8. Quæritur.* Propter quam causam comprehenduntur etiam sub hoc priuilegio nostri PP. Discalceati Carmelitæ; cum Concilium generaliter loquatur de omnibus Mendicantibus, & Monasteriis exceptis Minoribus. Nec obstat quod obiicit Thomas de Iesu *in exposit. Regulæ Carmel. part. 3. cap. 8. dub. 6.* quod Concilium solum loquatur de iis quibus ex Constitutionibus erat prohibitum habere bona immobilia, Carmelitis autem ex Regula illis hoc prohibebatur. Dicendum enim est, Concilium nomine Constitutionis intelligere etiam Regulam, dicunt Rodrig. *tom.2. quæst. Regul. quæst. 62. art. 14.* & Sanchez *lib.7. in Decalog. cap.12. num. 2.* & ratio id suadet, quia si nomine Constitutionum non intelligeret Regulam, frustra fecisset exceptionem de fratribus Minoribus, & Capuccinis, cum illis ex vi Regulæ prohibitum sit habere prædicta bona immobilia. Vide Suarez *tom.3. de. Relig. lib.8. c.47. n.2.* Et nota ex peculiaribus Cõstitutionibus eorumdem PP. Discalceatorum prohibitum esse Conuentibus illorum bona immobilia possidere, vt patet ex Constitutionbus Hispan. *part.1. c.7. n.11.* Quod sine dubio propter strictiorem obseruantiam paupertatis statutum fuit. 2

Vnde non est aliqua lex aut præceptum quibus teneantur ex mendicato viuere Mendicantes. Eo enim ipso quod à Sede Apostolica dispensati sunt in possessione bonorum stabilium dispensatur in possessione tot bonorum stabilium quot sufficiant ad eorum sustentationem, ac per consequent deobligantur ab onere Mendicandi, ne obligentur ad superflua quærenda, vel tenenda, quæ nulla 3

nullatenus habere possunt, iuxta dicta *tom.1.c.6.n.13.* Vide ibi dicta *n.43.* Imò in casu quo Mendicantes essent in sua puritate non possidendi bona stabilia non erant obligati ad viuendum ex eleemosynis ostiatim mendicatis, sed poterant viuere ex sibi vltro oblatis, & datis, vel aliquo alio modo quæsitis. Ex vi enim mendicitatis solum obligabantur ad non habendum bona stabilia. Azorius *vt sup.§.9.quaritur.*

4 Possunt nihilominus siue habeant, siue non, prædicta bona viuere ex mendicitate, quando scilicet adhuc desunt illis necessaria ad vitam. Vt latè dixi *tom.1.c.6.n.33.& 44.* Quibus iungitur Pius V. in Constitutione *Etsi mendicantium* anno 1567. edita, & de qua inferius dicetur, ac S. Congregationis declaratio anno 1587. qua dicitur: *Fratres Mendicantes nullatenus à quæstuatione, quæ de licentia suorum Superiorum fit & in dies fieri contingit, prohibetur.* Hanc porrò licentiam debent ostendere Ordinariis, si ipsi eam videre velint, declarauit enim Sacra Congregatio Concilij: Regulares mendicantes teneri ad ostendendum Ordinario licentiam quærendi eleemosynas à suis Superioribus sibi datam. Quæ etiam Sacra Congregatio ad Rectores Ecclesiæ Bononiensis respondens declarauit: Non esse prohibitum Regularibus colligere frumẽtum, vuas, ligna, & similia antequam Curatus habuerit suas primitias. Vnde ad huiusmodi quæstuationes non requiritur licentia Episcopi, cum Mendicantes sic quæstuantes vtantur iure suo. Prohibentes autem eos mendicare incidunt secundum aliquos in excommunicationem latę sententiæ. Ad minus tamen ex priuilegio Sixti IV. Carmelitis concesso in Bulla *Dum attenta*, quæ est mare magnum Ordinis contra Ordinarios impedientes dari nobis eleemosynas propter lites, & processus inter illos, & nostros exortos acerrimè procedendum dixit iis verbis: [quod si per quoscumque processus lites, & controuersias quomodolibet inter ipsos fratres prę nominatos, & Ecclesiarum Rectores, & Ordinarios emergentes Ordinarij ipsi, seu quicumque alij inhibitionem Eleemosynarum per Christifideles fratribus ipsis faciendam quocumque modo fuerint prolapsi, volumus, & præsentium parrocinio decernimus quod omnes, & singuli tales inhibentes ipso facto excommunicationis incurrant sententiam, & contra tales ipsi Carmelitarum, Prædicatorum, Minorum, Eremitarum S. Augustini Protectores, & Auditor Cameræ Apostolicæ, qui sunt, & pro tempore erunt, & Inquisitores hæreticæ prauitatis ad prædictorum Fratrum requisitionem possint, & debeant quilibet eorumdem per se sicut contra hæreticos procedere.] Nec his obstat Concilium Trident. dum *sess.21.capit.9.& sess.25.capit.2.* quæstorum nomen, & officium omnino abolendum statuit. Non enim id ad Mendicantium Ordines referri debet vt declarauit Pius V. in constitut. supra relati: intentum enim Concilij solum est tollere illos, qui Eleemosynas quærunt publicando Indulgentias eis concessas, vel prædicando. Rodriguez *tom.2. quæst. Regular. quæst.57. artic.7.* Peirinis *tom.1. priuileg. Minim. in constit.4. Sixti IV. §.8. à n.40.*

Hinc S. Congregatio Episcoporum & Regulariũ de anno 1640. pro 27. Ianuarij in fauorem fratrum Minorum Conuentualium hoc edidit decretum. *Sacris inhærens declarationibus alias desuper editis censuit fratres Conuentuales S. Francisci tanquam Mendicantes nequaquam posse ab Ordinariis locorum, seu aliis Regularibus prohiberi, quominus per seipsos in locis vbi habent Conuentus eleemosynas quærant, sed tantum si extra loca vbi Conuentus existunt quæritare voluerint teneri suorum Superiorum licentiam Ordinario ostendere* Idem etiam habetur ex alia declaratione eiusdem S. Congregationis 13. Iulij 1646.

Hic notandum aliquos esse, qui volunt posse Ordinarios impedire ne Mendicantes superfluas eleemosynas petant. Lauretus de Franchis *in Controuers. Episcopor. & Regular. pag. mihi. 39.* Sed licet Mendicantes ita facientes peccent, & propterea à suis Superioribus debeant coerceri, iuxta dicta *tom.1.c.6. num.43.* non video tamen qualiter competat ordinariis iudicare an eleemosynæ, quas petunt, sint vel non sint superfluæ: Cum non sint iudices ipsorum. 5

Minores autem de Obseruantia, siue Capuccini, cum non solum in particulari, sed neque in communi habere possint bona stabilia, & bonorum quæ possident dominium pertineat, vel ad Papam, vel ad eos, qui ipsa contulerunt, vt diximus *tom.1.c.6. n.5.* Ideo solum eorum quæ possident habent vsum facti, non dominium, aut vsum iuris. Quia solum habent facultatem vtendi illis instar seruorum ad nutum eorum ad quos pertinet dominium, vel vsus iuris, quod est vsus facti, (Azorius *tom.1. instit. moral. lib.12, cap.24.*) Nihilominus possunt recipere legata non quidem bonorum stabilium cum illorum non sint capaces ratione mendicitatis non dispensatæ, sicut est in aliis Mendicantium Ordinibus, sed aliarum rerum, & bonorum ad proprios dumtaxat necessarios vsus (qua ratione domos ad habitandum iure possident) v. gr. pecuniarum, librorum, suppellectilium ad cultum diuinum, litterarum studium, vel alias impensas, iuxta modum illis præscriptum à Nicolao III. *in cap. exiit de verbor. significat. in 6.* Azor. *vt supra.* Sorbus *in additionibus ad Compendium priuilegiorum Mendicantium verbo legata.* Vide dicenda *capite 19. num.45.* 6

Similiter Domus Professæ Societatis Iesu bona immobilia etiam in communi possidere non possunt, quamuis à Concilio Tridentino non excipiantur. Ratio est, quia ipsa Societas in secunda Congregatione Generali anno 1565. can. 2. cessit iuri suo prouenienti ex dicta concessione Concilij. Quod rectè potuit facere, cum ea concessio non fuerit fauor aliquis Religionum cuius renunciatio cedat in dedecus, & iniuriam status Religiosi, quale est priuilegium fori Ordini Clericali concessum. Aliqui etiam credunt ad hanc faciendam renunciationem accessisse auctoritatem Pontificiam, & saltem generalis approbatio habetur à Gregorio XIII. in Extrauaganti. *Ascendente Domino* anno 1584. Sanchez *lib.6. in decalog. cap.18. à num.11.* Collegia autem eiusdem Societatis bona immobilia possident, & sine illis fundari non possunt, alias enim vix possent in eis studentes, ali, aut conseruari, seu bona studia florere, cum temporalium rerum solicitudo quietem ad studium necessariam impediat. Suarez *4. tom. de Religione tract.9. lib.4. c.11.* Iure tamen succedendi in bona suorum Religiosorum carent, vt constat ex Greg. XIII. in Bulla *Quanto fructuosius*, & in Bulla *Ascendente* ac ex Congregat. General. 3. can. 4. Sanchez *lib.7. in Decalogum c.12. num.1.* Vide dicenda *cap.19. num.13.* Pariter etiam RR. PP. Discalceati Carmelitæ etiamsi in Collegiis pro ipsorum sustentatione annuos redditus possideant, non tamen in Conuentibus, quia illis quæcumque bonorum immobilium possessio denegatur. Collegia quoque ipsorum iure succedendi in bona fratrum sunt priuata. 7

Consti

Constitutiones PP. Discalceatorum Hispan. ex Capitulo Geneli Pastranæ 1604.*part.1.cap.7.num.11. & 13.*

8 Moniales autem Ordinum Mendicantium prædicta bona immobilia in communi possidere possunt. Concilium enim loco adducto generaliter dispensat in hoc cum *omnibus Monasteriis, & domibus tam virorum quàm Mulierum etiam quibus, aut ex Constitutionibus suis erat prohibitum.* In quo etiam comprenheduntur Moniales S. Claræ, tam quæ primæ Regulæ, quam quæ secundæ, & Vrbanæ Regulæ nuncupantur. Cum Tridentinum in eo Decreto in concessione habendi bona in communi expresserit omnia virorum, & Monialium Monasteria, & solùm exceperit Fratres Minores de obseruantia seu Capuccinos, non autem Moniales ipsorum. Sic etiam dicitur à Sac. Congregat. Cardinalium declaratum. Rodriguez *tom.3. quæst. Regular. quæst. 29.art.14.* Sanchez *de præceptis Decalogi lib.7.c.12. num.2.* Barbosa *in Collectan. Bullar. verb. Moniales S. Claræ* afferens duas declarationes S. Congregationis quoad hoc.

9 Error est asserere Mendicantes non posse docere, concionari, confessiones audire, & Sacramenta administrare, ac debere suis manibus laborare ad quærendum sibi victum, & vestitum. Ita enim determinauit Alexander IV. in Bulla *Non sine multa.* Pontificat. anno 3. edita contra Gulielmum, Giraldum, Odonem; & alios Parisienses. Vide Bullam in Bzouio *tom.13. Annal. sub anno. 1257. à num.5.* Guillelmus propterea à Papa Romam euocatus damnatus est, omni Ecclesiastici ordinis functione, & redditibus exutus, & liber quo talia asserebat igni traditus fuit. Bzou. *num.4.* Decens etiam est Mendicantes Religiosos prædictis muneribus attendere. Quia ipsi instituti sunt non tanquam Monastici Ordines ad solitariam vitam agendam tantummodo, sed ad salutem animarum procurandam, conseruandam, & augendam, ad quæ prædicta munia valdè conducunt. S. Thomas *opusc.10.* Azor. *tom.1. instit. moral. lib.13 cap.1.*

10 Finis proprius Mendicantium Regularium, & per quem à Monachis distinguuntur est profiteri statum vitæ mixtæ ex contemplatione, & actione, Magdalenam, Mattham imitantium, & præsertim erga proximi salutem procurandam: Monachi autem finis contemplatio, & solitudo est. Id constat ex eorum institutione, sicut enim Monachi ad vacandum Deo, silentio, solitudini, & orationi instituti sunt ex primæua sui origine (sic enim de illis loquimur) sic & Mendicantes, quatuor præsertim Ordines, quibus hoc nomen primum tributum est, instituti sunt ad vacandum tum vitæ contemplatiuæ in Choro, & diuinis Officiis, tum actiuæ erga salutem proximorum procurandam, confessionibus, prædicationibus, doctrina, & ministerio Sacramentorum. Panormit. *in capitulo causam, el primo de iudic. num.2.* Suarez 4. *tom. de Relig. tract.6. lib.1. cap.8.*

11 Hinc iuxta dicta *tom.1. cap.1. num.17.* tenentur ex præcepto charitatis saluti proximorum subuenire, confessionibus prædicationibus, lectionibus, &c. & vt ibidem etiam dictum, sunt coadiutores Episcoporum. Insuper propterea, vt aliqui probabiliter dicunt, possunt ex vi voti obedientiæ, quod emiserunt, à Papa obligari ad eundum in terras infidelium ad prædicandum Euangelium. Sotus 7. *de iust. quæst.2. art.1.* Suarez 4. *tom. de Relig. tract.10. lib.6. cap.4. num.22.* Etsi Iesuitarum obligatio ratione specialis voti, quod emittunt, multò maior sit quoad hoc, vt idem Suarez *ibidem.* & constabit ex dicendis. *cap.4 num.10.*

12 Pro priuilegiis autem Mendicantium maximè discutienda sunt ea quæ Pius V. in Bulla. *Etsi Mendicantium Ordines* anno 1567. edita (quæ habetur in 2. tomo Bullarij inter Bullas huius Pontificis *num.41.* & apud Peirinis *tom.2. priuileg. Minim. inter Constit. huius Pont. num.7.*) recensuit. Cum enim is Pontifex re & nomine Pius considerasset grauamina ab Ordinariis, & Ecclesiarum Prælatis ipsis Mendicantibus illata sub prætextu præsertim Concilij Tridentini decretorum volens ab iis molestiis ipsos liberare. 26. ex prædictis grauaminibus relatis, motu proprio, & ex certa scientia, sic illis obuiando decernit. [Nos igitur motu proprio, non ad alicuius instantiam, sed de mera deliberatione, & ex certa scientia nostris, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine declaramus, Canonem *sess.4. cap.4.* per quem omnibus Regularibus etiam in suorum Ordinum Ecclesiis, contradicente Episcopo, prædicationis officium interdicitur, Mendicantium Ordinum fratres huiusmodi quando à suis Generalibus, vel eorum ministris Prouincialibus ad id deputati fuerint, non comprehendere, neque eos afficere posse, imò volumus, quòd in suis Ecclesiis, quando eis placuerit, licitè & absque vllo impedimento, vel contradictione, etiam Episcopi, nisi ipse prædicauerit, prædicare possint. Quòd verò in *sess.23. c.15.* circa confessiones à Regularibus non audiendas statuitur hoc etiã dictorũ Ordinum Fratres à præfatis suis Generalibus, vel Ministris Prouincialibus ad audiendas Cõfessiones vtriusque sexus Christi fidelium approbatos, vt præmittitur, minimè comprehendat, ita vt à Confessionibus audiendis tam intra eorum Ecclesias, domos quàm extra minimè prohibeantur, super hoc litteras fel. rec. Pauli Papæ IV. etiam prædecessoris nostri, concedentes eisdem Fratribus Mendicantibus Regularis obseruantiæ posse Confessiones Secularium personarum, etiam extra domos, & Monasteria sua, & vbilibet audire, approbando & de nouo concededo Statuimus etiã, quod ille qui semel in vna Diœcesi admissus per Episcopum fuerit, semper in eadem Diœcesi habeatur pro admisso, nec amplius examinari, vel præsentari in dicta Diœcesi debeat, tam quoad prædicationes faciendas, quàm quoad Confessiones audiendas: nec aliquid pro prædictis exigi, vel recipi debeat. Confessores verò Monialium, quæ degunt sub cura Regularium ab Ordinario examinari nolumus, quemadmodum neque etiam Fratres si debeant audire Confessiones aliorum Fratrum examinari debent. Lectores insuper ex eisdem Fratribus, & in Theologia graduati, qui cum licentia suorum Superiorum ad gradum admissi fuerint, cum de ipsorum doctrina ambigendum non sit, tam Confessiones audituri, quàm prædicationis munus subituri ab Episcopis minimè examinentur. Ipsique Christi fideles Sacramentum Eucharistiæ, Resurrectionis Dominicæ festiuitatis dumtaxat excepta, sumere, eisque illud per Fratres huiusmodi administrari valeat, nec ad illud faciendum per locorum ordinarios aut Ecclesiarum Rectores præfatos, seu alios quoscumque (illorum licentia minimè requisita etiam sub censuris Ecclesiasticis, & aliis pœnis cogi vel compelli possint, seu debeant, etiam decernimus, & declaramus. Et licet in *sess.25. cap.12.* caueatur quòd censuræ, & interdicta Ecclesiastica etiam à locorum ordinariis promulgata mandante Episcopo à regularibus in eorum Ecclesiis publica-

ri debeant, tamen si tempore celebrationis alicuius ex festis Sanctorum ordinum eorumdem, ac aliis festiuitatibus, iuxta eorumdem ordinum priuilegia Apostolica, interdictum huiusmodi emanauerit, illud in præfatis festiuitatibus, & earum octauis suspendimus. Cumque inhonestum sit quemlibet in alienam messem falcem iniicere, cumque Monialium Monasteria non nisi de episcopi, vel superioris licentia, & in casibus necessariis aliquis ingredi præsumat, in *ses.c.5.* prohibetur, hoc tantum in illis Monasteriis locum habere volumus, quæ Ordinariis ipsis pleno iure subsũt, in quibus in casibus necessariis ipsis dare licentiã possint, & nõ in aliis Monasteriis. Ita vt in præfatis Monasteriis, quæ Ordinariis ipsis pleno iure non subsunt, ipsi Ordinarij illa ingredi non possint pro vt in Regulis earum, seu de iure statuitur; & in eis aliquos processus aduersus Moniales ipsas, seu fratres huiusmodi propterea, seu alias ipsorum Ordinum Superioribus irrequisitis, quoquo modo formare, aut facere posse omnino prohibemus, ita vt aliquam iurisdictionem seu aliquod quodcumque dominium in Moniales, & Fratres huiusmodi respectiuè habere, exercere, aut exequi nullatenus possint, aut debeant, immo illas, & illos omnes ab eorum superioritate, dominio, & iurisdictione, & potestate eximimus, & liberamus, pro vt eis concessum est per sua priuilegia à Sede præfata obtenta. Et ita præfatæ Moniales, ac Fratres sint exclusi à superioritate, & iurisdictione Ordinariorum respectiuè huiusmodi, vt etiam in illarum, vel illorum syndicis, aut Procuratoribus deputandis, vel in disponendis illorum facultatibus, vel ad alia sibi non competentia facienda vllatenus non se intromittant. Nec etiam Ordinarij ipsos Regulares præfatos citare, & iurisdictioni suæ subiicere, ac eorum conuentus occupare, ipsos ab eis expellendo, ac in ipsos iurisdictionem aliquam, & potestatem exercere, vt præmittitur, aut ipsos carceribus mancipare, & contra eos aliud facere possint, vt suæ ditioni subiiciantur. Volumus etiam puellarum Deo dicandarum an scilicet, coactæ, vel seductæ fuerint, examen faciendum, non nisi infra quindecim dies postquam iuxta Concilium Trident. Episcopi, vel eorum Vicarij requisiti fuerint, fieri possit. Quibus elapsis amplius in hoc illis se intromittere non liceat. Cuius occasione nec Episcopus nec eius Vicarius intra septa Monasteriorum ingrediantur, sed stent ante cratem ferream, & interrogationes alias quam eas, quas præfatum Concil. Trid. iubet eis fieri omnino prohibemus, ac similiter volumus quod puellæ, seu nouitiæ ipsæ ad alias interrogationes respondere minimè teneantur. *Sessione verò 23. cap.8.* Neminem nisi à proprio Episcopo ordinari posse statuens, in Regularibus locum non habere omnino declaramus. Ita quod fratres huiusmodi præfatos etiam Sacros Ordines à quolibet Antistite gratiam, & communionem Apostolicæ Sedis habente, Ordinarij loci minimè r quisita licentia, in locis seu domibus Fratrum huiusmodi, aut alibi recipere possint. Et insuper sess. 22. decretum, per quod populum sæpe ad suas Ecclesias saltem Dominicis, & maioribus festiuis diebus conuenire debere monet, insequendo volumus quod fratribus Mendicantibus huiusmodi non solùm prohiberi non possit, ne Missas, & alia Diuina Officia faciant in eorum Ecclesiis: verum etiam in quibuscumque aliis vbi celebrare Missas solitum est, etiam ipsis non vocatis, seu ad id requisitis, celebrare valeant; ac etiam quod Conciones, & lectiones Sacræ Scripturæ, & Sermones pro mortuis etiam in Ecclesiis facere, ac eleemosynas pro celebrandis huiusmodi Missis, & aliis diuinis Officiis peragendis, si eis illas donari, seu relinqui contingat, recipere. Nec non Missas, & Diuina Officia huiusmodi etiam in diebus Dominicis, vel festiuis, etiam antequam Rector Parochialis Ecclesiæ celebrauerit, celebrare, & facere, & quando eis videtur, etiam si tunc in Ecclesia Cathedrali prædicetur, prædicare, ac etiam quicumque vtriusque sexus, Christi fideles totius anni tempore illas, & illa in Ecclesiis fratrum huiusmodi audire possint, ipsique Christi fideles vllatenus desuper molestari, aut impediri per locorum Ordinarios, seu Rectores Parochialium Ecclesiarum, aut alios quoscumque vllo pacto, causa, vel occasione non valeant seu debeant, sed præfati Christi fideles audiendo Missas, & alia diuina Officia in Ecclesiis fratrum huiusmodi diebus Dominicis, aut festiuis, præcepto Ecclesiæ de illis audiendis satisfecisse censeantur. Controuersias autem omnes de præcedentia, quæ eadem *sess. 25. c.verò 13.* per Episcopum terminari mandantur, non nisi durantes per illum dirimi; finitas autem nullo pacto innouari posse statuimus. Cumque licet *cap. 11. sess. 25.* statuat quod in domibus Virorum, seu Mulierum quibus animarum personarum sæculariũ cura imminet, nulli etiã ad nutum amouibiles inibi deputentur, nisi de Ordinarij consensu, à præuio examine huiusmodi præcedente, ad curam huiusmodi admitti posse omnino volumus præfatos regulares. Quartam autem funeralium de qua *sess.25.c.13.* nequaquam soluere teneantur Monasteria, quæ à quadraginta annis citra fundata existunt, postquam Concilium ipsum loquitur tantum de Monasteriis ante annos quadraginta fundatis, quæ ipsam quartam soluere consueuerunt, & vbi solui consueuit id tantùm ceræ, & aliorum quæ in aliquibus partibus deferri contigerit tempore quo defunctorum corpora ad sepulturam deferuntur, non autem de Missis, seu Legatis, vel aliis Fratribus ipsis, seu Monialibus huiusmodi relictis, aut alias quomodolibet donatis, solui debet, sicque intelligi Concilij decretum quoad quartam huiusmodi soluendam debere decernimus. Vbi verò non est consuetudo soluendi quartam huiusmodi de nullo suprascriptorum solui debere declaramus: Nec ad quartam, seu aliam partem omnium, quæ etiam pro ornamento Ecclesiæ, palliorum, planetarum, cortinarum, pannorum, aliorum quæ dictis Ecclesiis relinqui, vel dari contigerit, etiamsi pro victu fratrum, aut aliàs relinquantur, aliquid contribuere teneantur. Ac etiam ius sepulturæ solui tantùm consuetum Curatis, & non aliquid aliud eis solui debeat, quamuis partes ad earum libitum Ecclesiis Ordinum huiusmodi, seu eorum Fratribus alia quæcumque tribuant, seu eleemosynas elargiantur quando sepeliuntur ibidem corpora mortuorum huiusmodi. Nec propterea impediri debeant quin possint Defunctorum corpora præfata ad eorum Ecclesias tumulanda deferri facere. Inhonestum quoque esse censentes Mendicantium Ordines ad aliquorum onerum contributionem teneri, illos, illorumque loca, etiamsi curam animarum habeant, ac quæcumque beneficia illis vnita ad contributionem pro Seminario, aut decimarum aliquarum solutionem, immo illos, & eorum domos, Monasteria, beneficia, & loca quæcumque & ab illis quomodolibet dependentia, eorumque possessiones, vineas, agros, & prata, ac alia bona quæcumque tam ad ipsos, quàm ad Moniales præfatas,

fatas, etiam largitione fidelium, seu aliàs iustis de causis ab eis acquisita, ac pecuniis empta, vel aliàs quomodolibet pertinentia minimè teneri, illosque & illas à quibuscumque decimis, primitiis, quartis mediis, & aliis fructuum partibus, necnon subsidiis charitatiuis, etiam per nos concessis ad quorumcumque etiam Regum, Principum, & dominorum temporalium instantiam, quacumque etiam vrgentissima, & de necessitate exprimenda causa, ac etiam aliis quibuscumque oneribus, tam ordinariis, quàm extraordinariis, etiam ratione fructuum, olerum, virgultorum, lignorum beneficiorum, & aliarum quarumcumque rerum, tam pro victu, quam vestitu, aut aliàs sibi necessariarum quomodolibet etiam auctoritate Apostolica nunc, & pro tempore impositis, ita vt penitus, & omnino ad alicuius rei contributionem minimè teneantur, omnino eximimus, & liberamus, illosque & illa ad illos & illa, etiamsi sæculares, & aliæ personæ quæcumque in eas exigendi possessione fuerint minimè teneri debere volumus. Nec sub *cap.* 12. *sess.* 25. comprehendi posse, vel debere decernimus. Quod verò de vsu quæstorum eleemosynarum auferendo loquitur *sess.* 23. *cap.* 8. id ad Mendicantium ordines nullo modo referri posse, vel debere etiam decernimus, quin potiùs cum eleemosynis huiusmodi viuere cogatur, eis id facere liberum omnino esse declaramus. Quoniam verò ex nimia Episcoporum sibi arrogata auctoritate ipsi personas regulares suæ iurisdictioni subiicere omnino student, ac decreto Concilij præfati *sess.* 25. *cap.* 14. edito, quo cauetur quòd si regularis intra claustra existens, & extra ea ita notoriè deliquerit, vt populo scandalosus sit, termino ab Episcopo præfigendo à suo Superiore omnino puniatur; sin minus ab Ordinario delinquens puniri possit, confisi, variis, indebitisque grauaminibus regulares afficiunt: Ordinarios præfatos aliquid contra regulares in Claustris degentes huiusmodi quouis prætextu, occasione vel causa innouare non posse, vel debere, nec aliquos processus contra ipsas personas regulares formare, aut facere posse volumus nisi propter manifestum scandalum, & suorum ordinum Superioribus prius consultis, & negligentibus, alioquin omnia, & singula contra præmissa facta, & gesta ac facienda in futurum, pro nullis, & infectis habeantur. Neque etiam se intromittant vllo pacto, aut aliqua ratione in gubernatione Conuentuum, tam Fratrum, quàm Monialium huiusmodi & illorum correctionibus, sed omnia ista, & alia necessaria ad correctionem, & gubernationem fratrum, aut Monialium huiusmodi, eorum Generalibus, ac Ministris, seu Prouincialibus vel aliis eorum, aut earum respectiuè Superioribus etiā ratione cōputata faciendi cum syndicis Conuentuum huiusmodi omnino relinquatur, nec vllo modo in prædictis per se, vel alios se intromittant. Fratres quoque si contigerit eos ad huiusmodi Ordinarios recursum habere à præfatis Generalibus, Ministris, seu Prouincialibus, Prioribus, Guardianis, & aliis Superioribus castigari, & puniri posse, & debere: neque ipsos Ordinarios præfatis Superioribus ordinum huiusmodi vllatenus inhibere quinimo præfatos Superioris processus contra Fratres suos, & Moniales huiusmodi quando opus fuerit circa delictorum inquisitionem, vel castigationem facere posse decernimus, inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis. Inhibemus etiam ipsis Ordinariis, ne Fratres extra claustra degentes sub eorum protectione recipiant, eosque inuitis suis Superioribus detineant. Prohibemus quoque eisdem Ordinariis, ne aliquo modo se intromittant in bonis dictorum Fratrum extra claustra suorum Monasteriorum pro tempore degentium, siue decedentium, & quamuis in habitu, siue absque habitu moriantur, volumus quòd eorum bona mobilia, & immobilia ad Ordinem quem professi sunt pertineant, disponenda iuxta Constitutiones, seu Ordinationes præfatorum Ordinum, neque illa Ordinarij præfati occupare præsumant, imò huiusmodi ad habitum Religionis reuertentium bona omnia Monasteriis ipsis, cum ea quæ acquirit Monachus, de iure Monasterio acquirantur, pertinere etiam decernimus. Ac ipsi Ordinariis ne quascumque vniones etiam perpetuas à Sede prædicta, vel aliàs vt præfertur hactenus factas, & pro tempore faciendas de beneficiis Ecclesiasticis, seu illorum Fratribus quin suum sortiantur effectum, impediant, omnino etiam prohibemus, & censuras Ecclesiasticas, & alias pœnas per eos in contradictores pro tempore latas, nullius esse roboris, vel momenti, similiter decernimus, & declaramus. Insuper volumus, quod præfati Regulares, quibus cura animarum est, possint per seipsos iuxta suorum Superiorum Ordinationem, aut alios Vicarios, seu Capellanos sæculares, ipsorum Regularium nutu amouibiles, ab eis deputatos, & ab Ordinario pro idoneis nominatos, & approbatos præfatam curam exercere, neque in eorum deputatione, vel amotione, neque alicuius partis fructuum consignatione pro præfatis Capellanis, seu Vicariis sæcularibus, si per tales curam exerceri contigerit, Episcopi vllo pacto se intromittant. Prohibemus insuper eisdem Ordinariis, ac aliis quibuscumque personis, ne impediant ipsos Fratres, quando eis placuerit tam in diebus Dominicis, seu festiuis, aut aliis totius anni temporibus campanas pulsare, & etiam tempore quo ipsi celebrauerint Missas celebrare, necnon mortuorum corpora associare, & illa per fratres ipsos quando in Ecclesiis suis præfatis delata fuerint absque præsentia Rectorum Ecclesiarum huiusmodi sepelire facere & Officia mortuorum, huiusmodi peragi posse, necessariamque præsentiam Rectorum, aut aliorum Clericorum, qui infirmi libere sua possint concedere testamenta minime esse ac ipsos Regulares legata, aut quæuis alia sibi in testamentis relicta exigere, & obtinere posse; neque aliquod ius in contrarium esse decernimus, & declaramus. Licentias vero pro construendis domibus Regularibus quæst. 3. cap. sess. 25. nisi de Ordinarij licentia construi prohibentur, gratis omnino dari, & non nisi legitima subsistente causa Superioribus explicanda illas recusari posse. Necnon Fratres præfatos etiam solos mortuorum corpora associare ac mandatum in die Cœnæ Domini fieri solitum in Ecclesiis seu domibus Fratrum cuiuslibet Ordinis prædictorum solemniter facere, & prædicta die prædicare, hora qua eis videbitur, nec per locorum Ordinarios, aut Rectores Ecclesiarum, seu alios quoscumque prohiberi posse etiam decernimus, & declaramus. Mandantes etiam vniuersis locorum Ordinariis ne mortuorū Officia agere Rectores Parochialium in Ecclesiis ipsorum fratrum contra illorum voluntatem permittant. Ac moniales dictis Fratribus subditas, vel personas sepulturam in eorum Ecclesiis eligentes, nulla soluta Parocho portione sepelire, vel si Fratres ad mortuorum corpora associanda vocati fuerint, illa absque Fratrum huiusmodi præsentia sepeliri facere audeant, vel præsumant. Cumque maxime deceat, liberam

liberam esse cuiusuis testantis voluntatem, prauum illum vsum paruo adhuc tempore, vt præfertur, introductum, per quem testamenta absque Presbyterorum præsentia fieri interdicuntur omnino abrogamus. Postremò quod *cap.13.sess.25*.cautum fuit, quòd omnes scilicet tam Clerici, quàm Regulares quicumque ad publicas processiones vocati, accedere compellantur, id quod ad Fratres præfatos, de illis tantum processionibus intelligi volumus, ad quas secundum consuetudinem antiquam locorum soliti sunt accedere, vel quæ pro bono pacis Ecclesiæ, vel pro victoria contra Infideles inducuntur. Quod etiam de illis Conuentibus, qui collegia nuncupantur minimè intelligi volumus, in quibus Fratres sub arctiori clausura degunt, ita vt nec in Choro cantent, nec ad mortuos accedant, sed tantùm studiis, & lectionibus vacent.]

13 Circa quam Constitutionem, vel Bullam id primò notandum, plurium sententiam esse; imò & communiter teneri eam reuocatam esse à Gregor. XIII. in alia Constitutione, quæ incipit. *In tanta*, quæ habetur in 2. tomo Bullarij inter Constitutiones illius *num.9.* vbi de prædicta Constitutione, & aliis quæ à præd. Pio V. prædecessore manauerant sic habet. Nos hac tanta varietate cognita quæ etiam ex multiplici Litterarum, & Constitutionum editione procedit, præsentibus, & futuris discriminibus occurrere volētes de nobis attributæ potestatis plenitudine statuimus, & ordinamus de prædictis, & aliis omnibus Litteris, & Constitutionibus, quæ ab eodem Prædecessore eisdem de rebus pro quorūcumque Regularium, & Mendicantium Ordinibus, & Congregationibus quomodolibet emanarūnt, ac omnibus, & quibuscumque in eis contentis eam deinceps dispositionem atque decisionem pro subiecta materia futuram esse quæ siue ex iure veteri, siue ex sacris dictis Concilij decretis, siuè alias legitimè ante dictarum Litterarum, & Constitutionum editionem erat, etsi ipsæ non emanassent futura fuissent. Ad quam dispositionem, & decisionem, suumque pristinum, & integrum statum, ac terminum illa omnia reducimus. Quin etiam tollimus, & abrogamus omnia irritantia, & alia decreta, necnon prohibitiones, declarationes, mandata, & quæcumque alia ipsis Litteris, & Constitutionibus apposita, & aliàs eorum occasione, &c. Hæc Gregor. Decimus tertius.

14 Nihilominus plures tenent hanc Gregor. Constitut. non obligare ex defectu legitimæ publicationis, cum enim edita fuerit sub anno Incarnationis Dominicæ 1573. dicunt publicatam non esse, nisi post annum 1588. Vide Llamas 1. *p. Methodi. cap.7.§.6.* Peirinis *tom.2.priuileg. Minim. Constit.7. Pij V. num.2.* qui referunt Nauarrum. *Man. cap.27. in fine & cap.2.num.5*.quatenus dicere videtur non fuisse publicatam hanc Gregorij Constitutionem. Sed errant in hoc. Nauarrus enim non loquitur de hac Constitutione Gregorij, sed de alia moderatione dictæ Constitutionis Pij V. ab ipso Pio V. edita, imò ipse tam in dicto *cap.27. in fine*, quàm *cap.25. num.68.* supponit esse publicatam hanc Gregorij Constitutionem. Quorsum enim eam referret si publicata non esset? Adde quòd in præd. 2. tomo Bullarij in fine huius Constitutionis Gregorij loco citato dicitur publicata locis solitis in Curia die 23. Martij 1573. non ergo ex defectu publicationis infirmatur eius auctoritas.

15 Alij videntur dicere apud dictum Peirinis non esse praxi receptam. Sed nec id probare possunt, nec video aliquod fundamentum ad id asserendum, imo potiùs ad dicendum contrarium, cum praxis Ecclesiarum, & Religionum eam obseruet. Nisi dicatur eam non esse receptam in alio præterquam quoad reuocationem priuilegiorum contrariorum Conc. Trident. iuxta dicenda numero sequenti. Quo sensu videntur intelligi Henriquez, & Thomas de Iesu relati *tom.1.* huius Summæ *cap.3.n.12.*

Dicendum ergo est Gregorium XIII. in dicta Constitutione *In tanta.* Solùm reuocasse præfatam Constitutionem Pij V. quatenus per ipsam conceditur aliquid contrarium decretis Concilij Tridentini, non tamen quatenus conceditur aliquid non contrarium ipsis decretis. Ita enim dicitur à Sacra Congregatione declaratum. Rodriguez *tom. 1. quæst. Regular. quæst.8. artic.9. quæst.43. artic.7. & quæst.39. artic.2.* Sorbus *in annotat. ad compend. priuileg. Mendic. verb. priuilegia Fratrum §. Et licet Greg. XIII.* Molfetus 2. *part. summæ tract.13.cap.9. num.30.* Quod etiam habetur in quadam decisione Rotæ coram Decano, & est *Licensis Quartæ funeralium 15. Ianua.* 1618. apud Barbosam *de officio, & potest. Episc. alleg.86.num.17.* & Tamburinus *de Iure Abbat. tom.1. disp.15.quæst.17.*] Nec etiam est reuocata quantum ad ea quæ dictus Pontifex Pius in dicta Constitutione dixerat non aliquid de nouo concedendo, sed explicando Concilium Tridentinum. Miranda *2.to. Manual. quæst.48.art.8.* Peirinis *tom.2. priuileg. Minim. in Const.7. Pij V. num.3.* Restat ergo videre quænam ex dictis Priuilegiis à Pio V. concessis, aut quomodo hoc tempore robur habeant. 16

Et primo facultas concessa Mendicantibus prædicandi in Ecclesiis suorum Ordinum etiam contradicente Episcopo limitanda est iuxta dicta *tom.1. cap. 20. num. 2. & 3.* ita scilicet vt non requiratur ad hoc licentia Episcopi, bene tamen ipsius benedictio saltem petita, vt habetur ex Conc. Trid. *sess. 5. cap. 2.* Fauent litteræ in forma Breuis à SS. D. N. Vrbano missæ ad Eminentissimi Cardin. Sandoual, quas refert Barbosa *in Collectan. Bullar. verb. Episcopus prædicator, & circa prædicatores 11.* 17

Deinde facultas concessa Mendicantibus ab hoc Pontifice ad audiendas confessiones sæcularium solum cum approbatione Generalium, vel Prouincialium, cum sit contraria decreto Concilij Tridentini *sess. 23. cap. 15.* Nullo modo subsistit, valet tamen quantum ad hoc quod idem Pontifex subiungit, quod scilicet ille qui semel est in vna Diœcesi ab Episcopo admissus, amplius præsentari ibidem non debeat, aut examinari ab eodem Episcopo, bene tamen à successore, vt declarauit Sacra Congregatio apud Quarantam *in summa Bullarij verbo confessor.* Vide dicta *tom. 1. cap. 19. num. 7.* illud autem quod subiungit Pontifex de non exigendo, vel recipiendo aliquid pro examine ad confessiones audiendas (intellige ab Episcopo, vel eius officialibus) manet omnino in sua vi. 18

Illud de Confessoribus Monialium, quæ sub cura Regularium degunt non examinandis ab Ordinario, vacat in Italia, & aliis partibus, vbi Constitutio Gregorij XV. *de exemptor. priuilegiis* viget, cum in illa præcipiatur quod prædicti Monialium Confessarij approbati ab Episcopo esse debeant, iuxta dicta *tom. 1. cap. 25. num. 45. & 46.* in partibus autem, seu Regnis Hispaniarum, vbi illa Constitutio suspensa est, iuxta dicta *tom. 1. capite 19. num. 35.* valet dicta concessio, vel declaratio Pij V. quòd scilicet Confessarij Monialium non debeant ab Episcopis examinari. Declarationes 19

nes autem quædam S. Congregat. quas refert Barbosa in Collectan. Bullar. verb. Confessarius Monialium 2. & ego dicto *cap. 25. num. 46.* quæ videntur contrariæ huic doctrinæ; cum sint factæ pro explicatione dictæ Constitut. Gregor. XV. solum habent vim sicut ipsa extra Hispaniam. Pariter etiam illud de Fratribus pro Confessionibus aliorum Fratrum audiendis non examinandis ab Episcopis vbique valet iuxta dicta *tom. 1. cap. 18. n. 27.* Illud autem de lectoribus, seu graduatis non examinandis ab Episcopis, reuocatum est ab eodem Pio V. iuxta dicta *tom. 1. cap. 19. n. 6.* & ita modo non subsistit.

20 Facultas porrò administrandi Sacramentum Eucharistiæ fidelibus præterquam in festiuitate Paschatis, quam hic Pontifex concedit Mendicantibus cum in Concilio Tridentino nihil de hoc habeatur, manet in sua vi iuxta priuilegia antiquiora ipsorum Mendicantium de quo 1. *tom. capit. 21. num. 8.* Vide etiam Nauarrum *in summa cap. 21. n. 52.* Azorium *tom. 1. lib. 7. cap. vlt. quæst. 7.* Suarez *tomo 3. in 3. part. disp. 72. sect. 2. dub. 2.* Qualiter verò id non liceat in die Paschatis vide declarationem Sacr. Congregat. in Barbosa *de Collectan. Bullar. verb. Eucharistia.*

21 Similiter facultaté suspendendi interdicta Ecclesiastica in festiuitatibus. SS. Ordinum Mendicantiũ, ac aliis festiuitatibus iuxta eorum priuilegia, cum probabile sit non esse contrarium Concilio iuxta dicta *tomo 1. cap. 21. num. 19.* probabile etiam erit manere in sua vi his temporibus. De quo bene Peirinis *tomo 1. priuileg. Minim. in Constitut. 2. Sixti IV. à num. 50.* plures alios referens. Nec obstat probabilitati huius opinionis declaratio quædam S. Congregationis, quam referunt Garzia, Armendariz, & Barbosa *in Collectam. Bullar. verb. Priuilegium*, in qua oppositum declaratur. Tum quia de illa mihi authenticè non constat, tum propter concessionem Clem. VIII. factam Minoribus, quam referunt Rodriguez *tom. 2. quæstio. Regul. quæstio 112. artic. 2.* & Peirinis, *vt supra num. 51.* Ad minus tamen videtur standum consuetudini legitimè præscriptæ, & ea vtendum, excluso scandalo. Nota tamen hanc concessionem Clem. VIII. solùm esse pro festiuitatibus Sanctorum Ordinis.

22 Id quod etiam habetur in dicta Constitutione Pij V. de licentia pro ingrediendo Monasteria Monialium pleno iure subditarum Mendicantibus in casibus necessariis, non concedenda ab Episcopo, sed à Prælatis Religionum, etiam videtur in sua vi, cum non sit contrarium Concilio Tridentino, quia solùm petit *sess. 25. capit. 5.* quòd talis ingressus non fiat *sine Episcopi, vel superioris licentia.* Quod debet intelligi cum paritione accommoda, id est, Episcopi in Monasteriis Episcopo subiectis, vel *Superioris*, intellige Regularis, in Monasteriis Regularibus subiectis. Neque obstat declaratio Sacr. Congregationis adducta *tomo 1. cap. 25. n. 26.* vbi habetur, quòd si fuerit consuetudo introducta quòd talis licentia concedatur ab Ordinario, vel quòd ipse habeat aliquam superintendentiam super concessione ipsius obseruanda sit. Hoc inquam non obstat, quia etsi verum sit, quod vbi fuerit talis consuetudo obseruari debeat, tamen id non erit ex vi Concilij sed ex vi talis consuetudinis quæ habet vim legis. Non stante tamen tali consuetudine priuilegium Pij V. videtur subsistere, cum id non sit contrarium, sed potius conforme Concilio Tridentino Suarez 4. *tomo de Religio. tractat. 8. libro primo capit. 10. num. 15.* Magis tamen obstare videntur duæ aliæ declarationes Sacr. Congregationis apud Barbosam *in Collect. Bullar. verb. Monialium clausura circa ingressum*, in quibus dicitur, tales licentias obtineri debere non solùm ab Episcopis vbi esset talis consuetudo. Quare iis declarationibus standum videtur, si authenticè de illis constet, aliàs consuetudini legitimè præscriptæ, non obstantibus iis quæ dixi dicto *cap. 25. num. 25.* antequam huiusmodi declarationes vidissem.

Quoad illud quòd Episcopi non possint se intromittere circa administrationem bonorum Monialium, seu aliquod dominium, aut iurisdictionem exercere, vide limitationem à Gregor. XV. factam in Constitut. *de exemptor. Priuilegiis* de qua dicto *tom. 1. cap. 25. num. 45.* quam etiam suspensam dixi pro Regnis Hispaniarum eodem *tom. 1. cap. 19. num. 35.* vnde extra Hispaniam obseruari debet. 23

Circa puellarum Deo dicandarum examen faciendum ab Episcopo non nisi infra quindecim dies postquam requisitus fuerit, & illis transactis non se in hoc intromittendum, & alias circumstantias dicti examinis faciendi priuilegium adductum Pij V. videtur in suo robore manere cum nullo modo contrarium appareat, sed conforme decreto Concilij Tridentini *sessio. 25. cap. 17.* Solùm aduertendum Sacr. Congregationem, vt dicitur, declarasse posse Episcopum ob iustam causam, vel suspicionem quòd stando puella intra Monasterium non liberè suam voluntatem manifestabit; illam examinare in Ecclesia Monasterij exteriori, vel in alia proxima, præsentibus duabus matronis, ætate grauibus, & honestis, non consanguineis, vel coniunctis puellæ. Vide dicta *tom. 1. cap. 25. num. 12.* Zerolam 1. *part. praxis verb. Monialis.* Peirinis *to. 2. priuileg. in Constit. 7. Pij V. §. 8. num. 10* & circa illud de examine faciendo ad cratem ferream Gauantum *in Manual. Episcop. Monialium professio n. 14. & 15.* 24

Priuilegium autem illud seu potiùs confirmatio priuilegij antiqui Mendicantium quòd possent Sacros Ordines suscipere à quolibet Antistite, gratiam, & communionem Apostolicæ Sedis habente, Ordinarij loci minimè requisita licentia in locis, seu domibus Fratrum omnino vacare videtur, quia contrarium decreto Concilij Tridentini *sess. 6. capit. 5. & sess. 23. cap. 8.* ac decreto Sac. Congregationis sub Clem. VIII. iuxta dicta *tom. 1. cap. 14. num. 11. & 12.* 25

Id verò quod de Missis, seu Officiis diuinis à Mendicantibus celebrandis, concionibus, lectionibus, & sermonibus pro mortuis in Ecclesiis eorum faciendis, eleemosynis, Missis, & Officiis diuinis recipiendis, & prædictis Missis, & Officiis diuinis quacumque die, & tempore dicendis, & audiendis à Christi fidelibus subiunxit idem Pontifex Pius V. omnino manet in sua vi, & robore, tum quia nullo modo contrariatur Concilio Trident. tum quia ita vsu, & praxi in Ecclesia Dei receptum. Vide dicta *tom. 1. cap. 12. num. 41. cap. 21. num. 12. &* Peireinis *tom. 1. Priuileg. Minim. in Constit. 21. Leonis 10. num. 1. & in tom. 2 super hanc Constitutionem Pij V. §. 10. num. 11.* Hic tamen obiter notandum sæpius declaratum esse à S. Congregat. Episcopor. & Regular. non posse Regulares exponere Sanctiss. Sacramentum publicè adorandum sine causa ab Ordinario approbata. Barbosa *in collect. Bullar. verb. Regulares 1.* Gauantus *in Man. Episcop. verb. Eucharist. num. 53. & 54. & verbo Regular. iura sub Episcop. num. 19. & 20.* Vbi etiam qualis futura sit 26

hæc

hæc causa, & qualis modus, quo exponi debeat. Quæ decreta obseruari debent, nisi forsan publicata non sint, & consuetudine legitima oppositum alicubi habeatur.

Video tamen S. Congregationem episcoporum & Regularium 21. Iunij 1605. scripsisse episcopo Tertonensi non sibi placere quod frequenter & sine licentia ipsius Episcopi Regulares illius diœcesis exponerent sanctissimum Sacramentum ad ipsorum libitum.

27 Id etiam quod additur ab eodem Pontifice de controuersiis super præcedentia per Episcopum terminandis, sed non postquam sopitæ sunt, sed quamdiu durant cum non aduersetur Concilio Tridentino *sess.25.cap.13.* Sed potius sit declaratio ipsius omnino subsistit. Pro quo vide Rodriguez *tom.3.quæst. Regular. quæst.37. artic.3.* Peirinis *tomo primo, Priuilegiorum Minimorum in Constt.2. Sixti IV. num.58.*

28 Id quoque de Regularibus Mendicantium admittendis ad curam animarum personarum sæcularium in domibus Religiosis virorum, seu mulierum, quibus talis cura imminet, manet etiam in suo robore, cum contrarium non sit Concilio Trident. *sess.25. cap.11.* vbi de hac re agitur. Obseruari tamen debent, quæ ibi à Concilio præscribuntur iuxta dicta *tom.1. cap.11. num.9.* Quibus adde ex Constitutione Gregorij XV. *de exemptor. Priuilegiis*, prædictos Regulares, siue animarum curam personarum sæcularium Monasteriis seu domibus Regularibus, aut quibusuis aliis Ecclesiis, vel beneficiis, siue Regularibus, siue sæcularibus incumbentem exerceant, siue aliàs Ecclesiastica Sacramenta, aut vnum ex illis ministrent præuia Episcopi licentia, & approbatione, siue quoquomodo in dictæ curæ exercitio, aut in eorumdem Sacramentorum, vel alicuius ex illis administratione de facto absque vlla auctoritate se ingerant, in iis, quæ eiusmodi curam seu administrationem concernunt omnimodæ iurisdictioni, visitationi, & correctioni Diœcesani Episcopi tamquam Sedis Apostolicæ delegati plenè in omnibus subiiciantur, & infra. Ita vt Episcopi in suprascriptis casibus, & in prænominatas personas in præmissis omnibus, & singulis, aut circa ea quoquomodo delinquentes quoties, & quando opus fuerit, etiam extra visitationem, per censuras Ecclesiasticas, aliasque pœnas vti eiusdem Sedis Delegati procedere, omnemque iurisdictionem exercere, liberè, & licitè valeant. Peirinis *tom.1. Priuileg. Minim. in Constitut.2. Sixti IV. §.11. num.27.* Nota etiam id quod sæpius dictum maximè *tom.2. cap.19. num.35.* quòd scilicet in Regno Hispaniarum huiusmodi Constitutio suspensa est, ac proinde in illis iudicandum, secundum ius commune Concilij Tridentini.

29 Pariter id quod Pontifex decernit, de quarta funerali non soluenda à Monasteriis, quæ à 40. annis citra fundata existunt, etiam manet in suo robore, cum Concil. Trident. non contradicat. Concilium enim *sess.25. cap.13.* solùm iubet illam solui à quibuscumque Monasteriis quæ illam soluere essent solita ante annos 40. Vide dicta *tom.1. cap.3. n.13.* Peirinis *super hanc Constitutionem in tom.2. Priuileg. Minim. §.13. num.14. & tom.1. in Constitut, Pyrrhi num.54.*

30 Idem dico de quarta relictorum pro ornamentis Ecclesiæ, palliis, planetis, cortinis, pannis, victu Fratrum, &c. cum nihil circa hoc in Concil. Trid. reperiatur, & conforme sit Priuilegiis antiquis Mendicantium specialiter Sixti IV. pro Carmelitis, qui in Bulla. *Dum attenta*, quæ est mare magnum sic habet [Etsi fortè per nos aut Sedem Apostolicam de piè legatis, dispositis, & relictis in genere vel specie decima, vel alia portio, seu quarta alteri piæ, vel non piæ causæ ex quauis causa hactenus concessa foret, aut in posterum, concedi, & solui aut dari vel mandari continget, Fratres prædictos, & illorum domos ac eis legata, & relicta, aut aliàs in eorum fauorem disposita in concessione, & mandatis huiusmodi decernimus, & volumus non includi, nisi de ipsis Fratribus & præsenti decreto, & voluntate nostra non per generales clausulas, quæ etiam specialem mentionem importare viderentur, sed vera & specificata mentio fiat in eisdem.] Declaratum etiam est à S. Congregat. Episcoporum & Regularium non posse Ordinarium exigere à Regularibus quartam legatorum piorum, nisi eam soluere essent soliti, aut à quadraginta annis citra eam exegerint. Barbosa *in Collect. Bullar. verb. quarta.*

Pariter etiam id quod Pontifex dicit de libera sepultura sæcularibus in Ecclesiis Mendicantium tribuenda, cum non aduersetur vllo modo Concilio Trident. etiam manet in suo vigore, maximè cum conforme sit priuilegiis antiquis Mendicantium specialiter Sixti IV. in mari magno pro Carmelitis, & aliorum Summorum Pontificum apud Rodriguez *tom.3. quæst. Regular. quæst.58. art.3.* Circa modum autem quo se gerere debeant Regulares cum Parochis circa sepelienda corpora sæcularium in suis Ecclesiis, & Crucem portandam, omissis variis priuilegiis, extat decretum Sacræ Congregationis Eminentiss. Cardinal. negotiis Episcoporum, & Regularium Præposit. in quo conformiter ad decretum Lateranensis Concilij, vbi statutum, & ordinatum erat vt Fratres Ordinum Mendicantium, cæterique Religiosi Regulares non possent intrare Parochias cum Cruce ad leuanda funera eorum, qui apud Ecclesias domorum, & locorum eorumdem suam elegerint sepulturam, nisi prius præmonito, & requisito, ac recusante Parochiano Presbytero, & tunc sine eius, & Ordinarij præiudicio obuiare volens quorumdam Regularium vsui, quo prætextu cuiusdam consuetudinis concontendebant, sibi licere defunctorum funera, proprio eorum Parocho absente, eoque irrequisito, afferre, & leuare, maximè cum hoc non leues controuersias, & altercationes aliquibus in locis non sine populi scandalo, & Dei offensione excitasset. Omnem eiusmodi dissensionem, & scandalorum materiam, & occasionem præcidere, atque in futurum prouidere desiderans, & vt tam Parochi, quàm Fratres ipsi vnanimi inter se voluntate, & ea qua par est, charitate vltima hæc Christianæ pietatis officia defunctis præstent, statuit, & declarauit. [Quibusuis Regularibus quorumcumque Ordinum, & Congregationum, tam Mendicantium, quàm non Mendicantium existant nullo modo licere, etiam specialis alicuius consuetudinis prætextu, Parochias cum Cruce processionaliter, aut aliàs ad efferenda, & leuanda Defunctorum funera intrare, vel illa leuare, & efferre, nisi vocato, & expectato proprio Defuncti Parocho, eoque ibidem præsente, si tamen ipse aliter fieri non consentiat, & permittat: vel nisi requisitus venire expressè omnino recuset.] Atque ita obseruari mandauit, & districtè præcipit; firmis de cætero, & in suo robore permanentibus iis omnibus, quæ super quarta funerum & canonica portione, aliisque iuribus ad sepulturas pertinentibus, à sacris canonibus

nonibus, & Conciliorum decretis, Summorumque Pontificum Constitutionibus hactenus sancita, & ordinata erant, vel alias ex particulari consuetudine, vel alio iure obseruabantur. Stephanus. Quaranta *in Summa Bullarij verb. Priuilegia Regularium*, Peirinis *tom.1. Priuileg. Minim. in Constit. 26. Leonis X. §. 16. num.* 20. Barbosa *de Officio Paroch. cap. 26. num. 66.* Extat etiam alia Congregationis declaratio apud eumdem Barbosam *in Collectan. Bullar. verb. cadauer.* in qua dicitur: *Cadauera defunctorum leuare de domo propria nullo modo licet Regularibus, & Presbyteris sæcularibus, nisi de licentia, & consensu proprij Parochi.*

32 Similiter id quod additur ab eodem Pontifice de Mendicantibus non obligandis ad contributionem quorumcumque onerum etiam manet in sua vi, cum Concilium Tridentinum non contrarietur, & conforme sit multis priuilegiis ipsorum Mendicantium, de quibus Casarubius *in Compend. priuileg. Mendic. verb. decimæ.* Rodriguez *tom. 2. quæst. regular. quæst. 44. artic. 4. & 5.* maximè Sixto IV. in Bulla *Dum attenta* pro Carmelitis illis verbis: [Primò litteras Innoc. IV. & Clem. IV. & etiam Innoc. IV. & Alex. IV. per quas dicti Ord. B. Dei Genitricis Mariæ de Monte Carmeli professoribus conceditur: quòd ad solutionem collectarum, seu exactionum quorumlibet, vel vicesimæ, cogi à nemine valeant, & in præfatis Clem. IV. & Alexand. IV. Rom. Pontificum præfatorum, etiam prædecessorum nostrorum litteras prædictas in ea parte in qua concedunt dictis Fratribus, vt de noualibus eorum quæ propriis manibus, aut sumptibus, colunt, ac de hortis, virgultis, & piscationibus eorum nullus ab eis decimas exigere præsumat, ad quæcumque bona dictorum Fratrum, & quæcumque opera, quæ etiam sub censuris alterius quotæ, vel subsidij etiam charitatiui, aut datij, vel pedagij, vel gabellæ, seu alio quouis nomine indicerentur etiam per Apostolicæ Sedis Legatos; locorum ordinarios, vel Clerum, aut Populum, vel seculares principes, & Dominos temporales, & alios quoscumque exigerentur, quamuis etiam Apostolica auctoritate, necnon ad quascumque decimas etiam quas vulgus Papales appellat, & Apostolica Sedes pro Christianæ fidei defensione, aut aliis imminentibus ei persæpè necessitatibus indicit, extendimus, ac decernimus dicti Ordinis Professores, etiamsi decimæ, & onera huiusmodi per quoscumque exemptos etiam Mendicantium Ordinum professores solui mandarentur cum quibusuis etiã derogatoriarum derogatoriis, ac fortioribus, & efficacioribus clausulis ad decimarum, & onerum huiusmodi solutionem non teneri, & in illorum solutione cessando censuras, & pœnas aliquas non incurrere, nisi præsentibus, & non per generales, aut alias clausulas specialem mentionem importantes, sed alias sit derogatum specificè earum de verbo ad verbum inserto tenore. & infra Innocentij VI. & Clementis IV. Clementis VI. prædecessorum nostrorum indulta de decimis non soluendis de hortis, virgultis, noualibus ad eorum vsum pertinentibus, & quæ propriis manibus, & sumptibus coluntur speciali priuilegio, vt eorum vtamur, verbis. Ea propter dilecti in Domino filij vestris iustis postulationibus clementer annuimus, & domos vestras, in quibus diuino mancipati estis obsequio sub B. Petri, & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti priuilegio communimus, & quæ de nominatis rebus præfati prædecessores priuilegia concesserunt ad singula bona dictorum Fratrum extendimus, videlicet quoscumque hortos, & siluas, & quæcumque alia bona prædictæ domus, & Ordinis quæ in præsentiarum iustè, & canonicè possident, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum, vel Principum oblatione, aut fidelium donatione, siue hæreditaria successione quam in sæculo existentes, tam de iure, quàm de consuetudine ad succedendum fuissent habiles, seu aliis quibuscumque iustis modis, præstante Domino, poteritis adipisci, firma vobis vestrisque successoribus, & illibata permaneant, in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Loca ipsa in quibus præfatæ domus sitæ sunt cum pertinentiis suis. Videlicet cum Ecclesiis, hortis, pratis, nemoribus, vsuagiis, pascuis in bosco, & plano, in aquis, & molendinis, in viis, & semitis, ac omnibus aliis libertatibus, & immunitatibus suis, sanè noualium vestrorumque propriis manibus, aut sumptibus colitis, siue de hortis, virgultis, vineis, & piscationibus vestris nullus à vobis decimas exigere, vel extorquere præsumat.] Hæc Sixt. IV. Vide dicta *tom. 1. cap. 2. num. 14. & 15.*

Circa id tamen quod ibidem subiunxit Pontifex de exemptione Mendicantium à contributione pro seminario pro beneficiis Monasteriis illorum vnitis notandæ sunt declarationes quædam Sacr. Congregationis apud Barbosam *in Collect. Bullar. verb. Mendicantes*, in quibus oppositum declaratur. Nihilominus dum de illis an sint, vel non autenticæ, aut de sensu, in quo accipiendæ sint non constiterit, standum est consuetudini Religionum. [Maximè pro illis videnda sunt quæ dico *tom. 4. verb. Seminarium.* Et quia Pius V. in præfata Bulla eximit Mendicantes à charitatiuis subsidiis etiam à Sede Apostolica impositis: & Sixtus IV. Carmelitas in Bulla *Dum attenta* relata, ideo tam pro ipso charitatiuo subsidio, quàm pro personis, à quibus sit exigendum & priuilegiis Regularium eos ab isto onere eximentibus, consulendi sunt. Azor. *tom. 2. instit. moral. lib. 9. cap. 14.* Barbosa *de offic. & potest. Episcop. alleg. 87. part. 3.* Tamburinus *de Iure Abbatum tom. 3. disp. 10.* & alij apud ipsos.] 33

Idem quod dictum est de exemptione Mendicantium ab oneribus realibus ratione suorum bonorum dici debet de oneribus personalibus ratione suarum personarum, cum etiam illæ sint exemptæ. Vnde non possunt obligari ad custodiam Ciuitatis portarum, aut murorum tempore pestis, nisi quando esset magna penuria virorum, qui id facere possint. Lauretus de Francis *in Controuers. Episcopor. & Regular. in quæst. quæst. 94.* Neque ad custodiam murorum Ciuitatis tempore belli, nisi quãdo adest magna necessitas. Lauretus *ibid. quæst. 95.* Vtrumque verò elicitur ex *c. peruenit de immun. Eccles.* Multò minus obligari possunt ad pugnandum contra hostes pro defensione Reipublicæ, cum id sit eis prohibitũ *cap. petitio tua de homicid. vol. c. clerici de vit. & honest. cleric.* nisi quando magna necessitas esset ad defendendum Rempublicam, vel consequendam insignem victoriam contra iniustè bellantes. Laur. *vt sup.* Bonacina *de irreg. disp. 7. quæst. 4. part. 4. num. 11.* An verò tunc occidentes, vel mutilantes fiant irregulares, tractant prædicti Lauretus, & Bonacina post Molinam *de iustit. tract. 2. disp. 109.* 34

Illud insuper de libera facultate Mendicantium ad eleemosynas quærendas manere in sua vi, vt potè quia conforme priuilegiis ipsorum, & declaratio

rationibus Sac. Congregationis, nec contrarium Concil. Trid. constat ex dictis in hoc capite *num*.4.

36 Quantum ad illud de Ordinariis non intromittendis in delictis Regularium Mendicantium nisi quando ea fuerint notoria, & scandalosa, & tunc monitis Superioribus ipsorum, & negligentibus illos punire, etiam manet in suo robore, & vigore iuxta dicta *tom*.1. *cap*.16. *num*.26 *&* 27. cum limitatione tamen à Clemente VIII. posita, & ibidem relata. Pro quo etiam extat declaratio Sacræ Congregationis apud Quarantam *in summa Bullarij verb. confessor*. Lecto enim memoriali oblato nomine Fratrum Mendicantium Regni Neapolitani conquerentium qualiter ab Ordinariis grauarentur contra sua priuilegia, & sacros Canones Concil. Trident. Respondit Sacr. Congregatio, *Ordinarij in cognitionibus causarum Fratrum Mendicantium tam ciuilium, quam criminalium minimè sese ingerant, pariter nec in visitatione eorumdem Fratrum, vel Ecclesiarum suarum, nisi quatenus eis per Concilij Tridentini decreta conceditur.*

37 Quod etiam dico de eo quod subiungit idem Pontifex Pius de Episcopis non se intromittendis in gubernatione Mendicantium, illud enim etiam manet in sua vi, iuxta declarationem Sacræ Congregationis adductam, limitandum tamen est propter Constitutionem Gregorij XV. *de exemptor. priuilegiis*, quæ vt dixi *tom*.1. *cap*.19. *num*.35. pro Regnis Hispaniarum suspensa est, ita vt in aliis Regnis extra Hispaniam possint Ordinarij cognoscere de delictis eorum, qui curam animarum exercent, iuxta dicta *supra num*.28. aut si deliquerint circa personas intra septa degentes, aut circa clausuram, vel administrationem bonorum Monialium, iuxta dicta *tom*. 1. *cap*.25. *num*.45. & etiam petere rationem ab administrantibus bona prædictarum Monialium adhibitis etiam Superioribus Regularium, eosque, & confessarios amouere si admoniti Superiores id facere neglexerint, iuxta ibidem dicta.

38 Idem pariter dicendum de facultate concessa ab eodem Pio V. Prælatis Mendicantium ad castigandum, seu puniendum Fratres, qui ad Ordinarios confugerint, manet enim in suo vigore, cum tam iure communi, quam propter priuilegia Mendicantium illis maximè interdictum sit à correctione suorum Superiorum appellare ad Iudices extraneos, iuxta dicta *tom*.1. *cap*.9. *à num*.4.

39 De illo etiam quod subiungitur, videlicet de non recipiendis ab Ordinariis Fratribus nostris extra claustra degentibus sub eorum protectione, nec eis inuitis Superioribus, detinendis, clarum est manere etiam in suo vigore. Vide dicta *to*.1. *cap*.16. *num*.15. & multa priuilegia Mendicantium apud Casarubium *in compend. Priuileg. Mendicant. verb. apostatæ ab Ordine* cum annotationibus Cordubæ, & Sorbi *ibidem*, & præsertim magnum priuilegium Sixti IV. pro Carmelitis, circa quod Sorbus notauit se credere quòd non reperiatur alibi, eo enim pro capiendis, excommunicandis, & incarcerandis nostri Ordinis apostatis Fratres nostri constituuntur Ordinarij etiam in Curia illis verbis: *Apostatas quoque vestri Ordinis iuxta Alexandri IV. Constitutionem, & nostram præsentem concessionem excommunicare, capere, incarcerare, & alias subdere disciplinæ rigori possitis per vos, ac etiam alios à vobis deputatos in quocumque habitu, & loco, etiamsi in Curia nostra eos contigerit inueniri, in qua sicut extra nos* (alibi habetur *extra vos*) *super vestros subditos ratione professionis tam tacitè, quam expressè emissæ Ordinarios proprio motu, & scientia similibus authoritate apostolica deputamus, inuocato ad hoc, si opus fuerit, brachij sæcularis auxilio.* Ex quo videtur, etiamsi apud quoscumque Reuer. Episcopos inueniantur, eadem auctoritate vti posse Prælatos nostros.

Id verò quod subiungit Pontifex de bonis Regularium extra claustra decedentium moderatum est à Greg. XIII. iuxta dicta *tom*.1. *cap*.26. *num*. 20. 21. *&* 31. Quatenus autem decernit quòd si ad Religionem reuertantur, bona ipsorum ad Religionem pertineant, non video immutatum, & ideo videtur manere in sua vi. Peirinis *tom*.2. *Priuileg. Minim. super hanc Constitutionem Pij V*. §.22. *num*. 22. 40

Circa id quod addit Pontifex de vnionibus Ecclesiarum notandum, Concilium Tridentinum *sess*. 7. *cap*. 6. hæc statuisse, *Vniones perpetuæ à quadraginta annis citra factæ examinari, ab Ordinariis, tamquam à Sede Apostolica delegatis possint, & quæ per subreptionem, vel obreptionem obtentæ fuerint, irritæ declarentur. Illæ verò quæ à dicto tempore citra concessæ nondum in toto, vel in parte sortitæ sunt effectum, & quæ deinceps ad cuiusuis instantiam fient, nisi eas ex legitimis, aut aliàs rationalibus causis eorum loco Ordinario vocatis, quorum interest, verificandis, factas fuisse constiterit, per subreptionem obtentæ præsumantur: ac propterea nisi aliter à Sede Apostolica declaratum fuerit viribus omnino careant.* Et conformiter ad ista *sess*. 24. *cap*. 13. etiam dicitur de huiusmodi Ecclesiis vnitis, *& quæ vnitæ sunt reuideantur, ab Ordinariis.* Quorum decretorum prætextu cum aliqui Domini Ordinarij grauarent Mendicantes qui Ecclesias Parochiales, seu alia beneficia suis Ecclesiis habeant vnita. Propterea Pontifex Pius decernit quod non possint Episcopi dictas vniones factas, vel faciendas impedire, declarans censuras, & pœnas pro eo latas nullius esse roboris, & momenti. Quod eatenus valere hoc tempore poterit quatenus contrarium non fuerit repertum Concilij decretis. 41

Decernit etiam ibidem Pontifex quòd in prædictis Ecclesiis possint Mendicantes curam animarũ exercere, vel per seipsos, vel per alios sæculares ab ipsis amouibiles, approbatos tamen ab Ordinario, absque eo quòd Episcopi in hoc, aut in salario prædictorum, assignando se vllo modo intromittant. Quod etiam eatenus manet in suo vigore, quatenus non contrarietur, vel Concilio Tridentino, vel Constitutioni Gregorij XV. iuxta dicta *supra num*.28. Vide dicenda *cap*.18. *num*.8. *& seqq.* 42

Id quoque de non impediendis Mendicantibus, à pulsatione Campanæ, celebratione Missarum, mortuorum associatione, sepltura, & Officiis ipsorum faciendis absque præsentia Parochorum, legatorum receptione, & obtentione, etiam manet in sua vi, cum nihil, quod sciã, in Conc. Trid. contrarium habeatur, & vsu receptum, & vt decernit Pontifex, nullum ius in contrarium sit. Vide dicta supra *num*. 26. 30. *&* 31. Nota etiam declarationem Sacræ Congregationis apud Quarantam *in Summ. Bullar. verb. confess.* in qua præcipitur quòd Ordinarij non impediant Fratres pulsare Campanas, ad matutinum, ad horas, & ad Missam antequam pulsetur Campana maioris Ecclesiæ, præterquam in die Sabbati Sancti. Insuper Sacra Congregatio Episcoporum, & Regularium declarasse dicitur Defunctorum hæredes pro defuncto ad sepulturam associando numerum 43

Sacer

Sacerdotum sibi bene visum conuocare posse, & numerum ceræ sibi etiam bene visum ad cadauer sepulturæ associandum, quolibet contrario prætextu per Parochum deducto non obstante. Barbosa *de Offic. Paroch. cap. 26. à num. 57.* vbi etiam alia ad intentum.

44 Circa pulsationem tamen Campanarum plures aliæ extant declarationes Sacræ Congregationis apud Barbosam *in Collectan. Bullar. verb. Campana.* Prima est. Campanæ in Sabbato Sancto non possint in aliqua Ecclesia pulsari ante pulsationem in Ecclesia Cathedrali, vel matrice, tam in Ecclesiis secularibus, quàm Regularibus etiam Sancti Ioannis Hierosolymitani etiam propè, & extra muros existentibus, & etiam in Ecclesiis Confratrum, & etiamsi adsit Ecclesia Collegiata, quæ habeat omnimodam præcedentiam supra matricem. Secunda est. Campanæ in aliis diebus præter Sabbatum Sanctum pulsari possunt ante Salutationem Angelicam indifferenter ante, vel post pulsationem in Ecclesia Cathedrali, vel matrice, nisi forte adesset consuetudo vt non pulsetur antea.

45 Illud de licentiis pro construendis domibus Regularibus gratis dandis, nec sine legitima causa recusandis non video vllo modo reuocatum, aut contrarium Concil. Trident. ac propterea in sua etiam manet vi, iuxta decreta tamen posteriora Clem. VIII. & Greg. XV. ac SS. Domini Nostri Vrbani, de quibus *tom. 1. cap. 9. num. 34. & 35.*

46 Sicut, & illud de associatione corporum Defunctorum, mandato in die Cœnæ Domini fieri solito, prædicatione ea die facienda, iuxta decretum tamen Sacræ Congregationis de quo supra *num. 31.* Maximè tamen standum est in hoc consuetudini legitimè receptæ. Notandũ etiam Parochum nullatenus excludendum quamuis ad sepeliendum cadauer soli Fratres à defuncto accersiri iubeantur. Ita enim decretum est à Sacra Congregatione Episcoporum, & Regularium, Barbosa *de offic. Parochi cap. 26. num. 62.*

47 Id quoque de Officiis mortuorum non faciendis à Rectoribus Parochialium in Ecclesiis Fratrum contra ipsorum voluntatem, libera sepultura ibidem habenda, & non sepeliendis corporibus defunctorum ad quæ associanda vocati Fratres fuerint sine ipsis, cum Concilio contrarium non sit in sua vi, & vigore subsistet, nec video derogatum. Potius declarasse dicitur Sac. Congregationem, quòd quoties cadauera ad Ecclesias Fratrũ Mendicantium deferuntur, Officia mortuorum, ac reliqua munera, quæ in huiusmodi Monasteriis fieri solent, non à Canonicis, neque à Clero, sed ab eisdem Fratribus obiri, ac peragi debere. Peregrinus *2. par. sui Compend. tit. sepultura in scholio §. 3.* Peirinis *tom. 1. Priuileg. Minim. in Constit. 2. Iul. II. §. 22. num. 57.* Vide tamen dicta *tom. 1. cap. 12. num. 41.* qualiter scilicet quando Regulares vocantur ad sepeliendum aliquod cadauer, debent accedere ad Parochialem Ecclesiam, vbi Clerus Congregari consueuit, iuxta declarationem Sac. Congregat. ibidem adductam. Cui etiam consonant aliæ SS. Congregationum declarationes apud Barbosam *de Offic. Parochi cap. 26. num. 63. 64. & 65.* [Et vna quam vidi pro Min. Conuent. sub die 4. Maij 1641.] Quia tamen sæpius video fieri oppositum multis in locis, ideo legitimæ consuetudini standum est.

48 Obiter circa huiusmodi funera defunctorum obseruandũ, primò, de candelis quæ Fratribus dantur nullam deberi portionem Canonicam. Ita enim concessit Sixt. IV. Minoribus. Casarubius *in Compen. priuileg. Mendican. verbo Canonica portio n. 6.* Secundò, candelas, & intortitia quæ per viam deferuntur circa cadauera in quibuscumque priuatis Ecclesiis diuidenda esse pro æquali portione inter Parochos, & ministros aliarum Ecclesiarum, ac propterea quando huiusmodi intortitia, seu candelæ in præfatis Ecclesiis pro celebrandis Diuinis Officiis præsente corpore accenduntur, finito officio extinguenda, & cuiquam medietatem consignandam. Ita decisum est à Congreg. RR. Præfectorum Vrbis, approbante SS. D. N. Vrbano. Barbosa *de Officio Parochi cap. 25. num. 42.* Patriæ tamen consuetudo extra Romam consulenda est.

Abrogat prætereà Pontifex vsum non faciendi testamenta sine Parocho, quia hoc auaritiam redolet, quæ procul abesse debet ab Ecclesiasticis; de quo Peirinis *tom. 1. Priuil. Minim. in Constit. 10. Leonis X. §. 2.* licet acrius quam par est de hoc puncto ibi loquatur. 49

Demum circa id quod disponit Pontifex de accessu Regularium ad processiones, cum S. Congregatio, vt visum est *tom. 1. cap. 9. num. 47.* conformiter huiusmodi decretum Pontificium loquatur, dicendum est illud manere in suo vigore, imò ex eo quòd in præfato decreto Sac. Congregationis ipse se referat ad huiusmodi Bullam Pij V. apertè constat eam non esse reuocatam à Greg. XIII. vt dictum est supra *num. 16.* nisi quatenus statuit aliquid quod sit contra Concilium Tridentinum. Peirinis *tom. 2. Priuileg. Minim. in Constit. hac Pij V. §. 29. num. 25.* Declaratum est etiam à S. Congregat. per publicas processiones intelligi etiam eas, quæ pro bono publico indicuntur. Quaranta *in Summ. Bullar. verb. Præcedentia vers. de præcedentia in processionibus.* [Item declarauit Regulares illorum Conuentuum qui collectanei nuncupantur, in quibus videlicet, fratres in arctiori clausura degunt, ita vt nec in Choro cantent, nec ad mortuos accedant, non teneri ad processiones. Hanc declarationem referunt Sorbus *in addit. ad Compend. priuileg. Mendicant. verbo Processione §. Ac tenentur*, & Portell. *in respons. moral. tom. 2. casu 107.*] 50

Hic obiter notandum nullo iure prohibitum esse Regularibus præsertim Mendicantibus, processiones facere, seu instituere in suis Ecclesiis, imò id supponitur in declaratione Sac. Congregat. quam retuli *tom. 1. cap. 12. num. 41.* & in hac Bulla Pij V. dum illis conceditur facere, seu celebrare diuina officia, processiones enim partes quædam sunt Officij diuini, cum ad cultum Dei, & Sanctorum ordinentur. Cæterum circa spatium, per quod fieri debent huiusmodi processiones declaratum dicitur à S. Congreg. Regularibus habentibus claustra non licere facere pocessiones extra illa; claustra verò non habentibus non nisi intra ambitum hoc est, propè muros Ecclesiarum, extra ambitum, autem Ecclesiarum, non nisi de licentia, consensu, aut cum Cruce Parochiali. Barbosa *in Collect. Bull. v. processio & v. regul. 1.* Gauant. *in Man. Episc. v. processio numero 46. 47. & 48.* Vbi etiam animaduertitur id intelligendum seclusis particularibus priuilegiis, qualia Dominicanis pro processionibus Sanctis Sacramenti, & Rosarij in quibusdam locis dicuntur concessa. Festus *in Constitut. sui Ordin. partic. 1. cap. 23.* Barbosa *de Offic. & potest. Parochi capit. 12. num. 14.* [Circa horam faciendi dictas processiones declaratum video à Sacra Congregatione Episc. & Regularium 15. Septembris 1634. non licere Curato 51

Curato facere processionem alicuius Confraternitatis ea hora, qua Patres Dominicani faciunt suam Sacri Rosarij, posito quod confraternitas Rosarij sit antea instituta in eo loco. Quod de aliis similibus confraternitatibus religionum videtur intelligendum.] Pro præcedentia autem, quam debent obseruare Regulares in processionibus cum Regularibus alterius Ordinis, & aliis Monasteriis eiusdem, vide declarationes S. Congregat. apud dictum Barbosam *ver. Regulares quoad processiones* 4. *& ver. Regulares quoad præcedent.* 5. & Gregor. XIII. Constitutionem 84. *Exposcit.* in 2. tom. Bullar. vbi decernit præcedentiam inter Mendicantes sumendam esse ex quasi possessione, quando verò de illa non constat, antiquiores in loco debere præcedere, Lauretus de Franchis *in Controuersiis Episcopor. & Regular. super dict. Constitu. Gregorij pag. mihi* 17. 18. 19. 20. *&* 21.

52 Gaudent Mendicantes communicatione priuilegiorum, ita vt priuilegia vni ipsorum Religioni concessa etiam aliis communia sint. Etenim præter dicta *tom. 1. cap. 3. num.* 17. Leo X. in Constit. *Dudum per nos* anno 1519. edita quæ habetur in 1. *tom. Bull. num.* 32. inter Bullas huius Pontificis omnia prilegia, & indulta Mendicantibus concessa, & concedenda singulis ipsorum ordinibus communicauit, & Pius V. in Bulla *Romanus Pontifex* anno 1567. omnes, & singulos Ordines Mendicantes omnibus & singulis priuilegiis Mendicantium eisdem concessis gaudere posse, & debere declarauit, Rodriguez. *tom.* 1. *quæst. Regular. quæst.* 55. *art.* 1. Confettius *in summa priuilegiorum Maris Magni cap.* 5. Non tamen propterea in pœnis, & censuris impositis vni Ordini Mendicantium alij communicant. Non solùm quia iuxta Regulam iuris in 6. *odia debent restringi, & fauores ampliari*, sed etiam quia Summi Pontifices communicationem priuilegiorum concedentes, nihil (quod viderim) de pœnis aut censuris communicandis dixere. Confettius, *vt supra.* Sorbus *in additionib. ad Compend. priuileg. Mendicant. ver. commun. priuil. §. notandum autem.* Qui etiam bene subiungit, quod in pœnis laicorum est talis communicatio, id est, quòd quando priuilegium aliquod conceditur vni Religioni, cum pœnis aliquot contra seculares illud non admittentes, vel reprobantes, &c. tale priuilegium aliis Religionibus habentibus cum illa communionem communicetur. Priuilegia autem vni domui vel Conuentui alicuius Religionis concessa, communicari etiam aliis domibus eiusdem Religionis, ac per consequens etiam aliis domibus aliarum Religionum, quæ cum illa communicant in priuilegiis, tenent aliqui auctores, quia quamuis Leo X. declarauerit communicationem priuilegiorum solùm intelligendam esse de priuilegiis generaliter concessis Congregationibus, personis, & locis, & non concessis domibus, vel personis particularibus. Nihilominus Pius IV. ipso Leone posterior ad instantiam Catholici Monarchæ Philippi II. concessit Ordini S. Hieronymi in Hispania, quòd concessa vni, aut quibusdam Monasteriis eiusdem Ordinis censeantur concessa aliis eiusdem Ordinis Monasteriis, quod etiam postea Sixt. V. confirmauit. Rodrig. *to.* 1. *q. regul. q.* 55. *art.* 9. *&* 18. Portel. *in dub. regul. verb. communicat. priuileg. num.* 6. *& verb. priuil. n.* 20. Nihilominus quia hoc valdè exorbitat à iure communi, & ipsius metas maximè excedit, limitandum est, vt solùm verum sit quando in aliis Conuentibus, siue eiusdem, siue alterius Religionis participantis eadem priuilegia militat eadem ratio, vel saltem similis, vel æquiualens, propter quam Pontifex illo concessit priuilegium. Si enim talis ratio eadem, similis, vel æquiualens non militat, incongruum videtur Pontifices talis priuilegij communicationem intendisse. Quis enim credat quòd priuilegium concessum vni Monasterio ratione paupertatis ipsius, concessum credatur alij diuiti, vel opulento? Aut quòd priuilegium concessum alicui Monasterio propter numerositatem Fratrum illius, aut magnam populi deuotionem, quæ erga illud est ratione alicuius Imaginis, verbi gratia deuotissimæ in eo existentis, communicatum credatur à Pontifice alij Conuentui paucos Fratres habenti, aut in quo nulla talis, vel similis deuotionis Imago reperitur? Ad quod expendo verba priuilegij Pij IV. adducti, dicit enim se extendere priuilegia vni domui dicti Ordinis Hieronymianorum concessa ad *omnia, & singula Monasteria Ordinis quibus in specie concessa non sunt, & in quibus alia causa concessionis, & indultorum prædictorum aliàs, quàm, vt præfertur, suberant.* Quò sanè denotat aliquam causam, eamdem scilicet, similem, vel æquiualentem subesse debere in aliis Monasteriis, vt priuilegia vni concessa ad illa extendantur, quo etiam sensu intelligo priuilegium simile Iulij II. & Clem. VII. Minimorum Ordini concessum.

Priuilegia quoque vni Fratri Mendicantium, vt personæ priuatæ concessa nullo modo aliis communicantur. Tum quia ita declarauit Leo X. supra relatus, tum quia oppositum non solùm maximè iuris communis metas excederet, sed multa ex eo absurda sequerentur, & tota Religionum obseruantia funditus euerteretur, vt per se patet. Rodrig *to.* 1. *quæst. regul. quæst.* 55. *art.* 18. Portellus *in Dub. regular. verb. priu. communic. num.* 21. Dixi vni Fratri, *vt persona priuata*, quia priuilegia concessa alicui Fratri Mendicantium non, vt priuata persona, sed ratione officij, Generalatus videlicet, vel Prouincialatus, in ordine scilicet, ad suos subditos, videntur communicari aliis in quibus eadem, similis, vel æquiualens ratio procedit. Sic enim priuilegium concessum priori domus Sancti Stephani Dominicanorum Salmanticæ circa modum faciendi informationes pro receptione nouitiorum de quo *to.* 1. *cap.* 24. *num.* 14. dixi, communicari posse videtur aliis, vbi eadem, similis, vel æquiualens causa conspiciatur. Portel. *in Dub. regul. verb. priuileg. communicat. num.* 20. *&* 21. 53

Quando autem priuilegium vni Fratri concessum inutile esset si alij non communicaretur, communicari illud posset. Exemplum commune est de eo qui habet priuilegium dicendi Missam tempore interdicti, quam tamen dicere non potest sine ministro. Similiter si alicui concessa esset facultas recitandi matutinum diei sequentis immediatè post meridiem, quod sine socio commodè facere non posset, probabile est tale priuilegium socio communicari quia priuilegium aliquid debet operari, & esse vtile, *cap. in his de priuil. l.* 1. *C. de Thesauris l.* 10. *lib.* 1. *ff. ad municipalem, & de incolis leg. si quando ff. de legatis*, quod non haberent ista priuilegia, si non communicarentur. Suarez *de legib. l.* 8. *c.* 11. *num.* 7. *&* 8. Portelius *in Dub. Regul. verb. priuil. commmunicat. num.* 19. 54

Priuilegiorum Mendicantium communicatio intelligenda est respectiuè ad Religionem cui communicantur, ita scilicet, vt quæ conceduntur pro Generalibus, Prouincialibus, Prioribus, Vicariis, &c. intelligantur communicata illis, qui etsi non

eodem

eodem nomine, eodem tamen munere fruuntur. Similiter priuilegia pro festiuitatibus Sanctorum vnius Ordinis concessa censentur etiam concessa pro Festiuitatibus Sanctorum alterius Ordinis, Casarubius *in Compend. priuileg. Mendic. verb. festiuitas, num.* 14. Rodrig. *tom.* 1. *q. regul. q.* 55. *art.* 20. Portel. *in Dub. regul. verbo communic. priuil. num.* 7.

56 Quando priuilegium vni Ordini Mendicanti concessum repugnat obseruantiæ alterius, iste Ordo cui repugnat non potest illo priuilegio vti, neque enim æquum est credere Pontifices concedere Religioni alicui quod in dissipationem, & destructionem illius cederet. Rodriguez *tom.* 1. *quæst. regul. quæst.* 55. *art.* 22. Portellus *in Dub. regul. verb. communicat. priuileg. num.* 8.

57 Cum per communicationem Priuilegiorum Mendicantium adinuicem ita fiant priuilegia propria illius Religionis cui communicantur, ac illius cui primò erant concessa. ideo Religio cui communicantur potest se illis defendere contra ea, cui primò erant concessa. Vnde si aliqua Religio ex Mendicantibus velit fundare Monasterium circa Monasterium alterius Religionis ex eisdē Mendicantibus, potest hæc Religio defendere se contra illam, priuilegio concesso à Summis Pontificibus de non fundando Monasterio alterius Ordinis iuxta Monasterium ipsius intra spatium tot cannarum, etiamsi casus esset, quòd illud priuilegium primò esset concessum illi alteri Religioni, & sibi solùm per communicationem. Ratio est, quia per communicationem fiunt priuilegia propria Religionis cui cōmunicantur, & tā independentia ab alia, ac si ipsi essent specialiter concessa. Corduba *in Annotationib. ad priuileg. Mendic. v. communicat. priuileg.* §. *tamdem*, Portellus *Dub. regul. verb. priuileg. communicat. num.* 24. Secùs autem philosophandum de familiaribus, quia ipsis non communicantur priuilegia Fratrum vt propria, & independentia, sed vt dependentia ab illis, vt dicetur cap. 16. num. 34. Corduba, *vt suprà*. Confetrius *in Summ. priu. Maris magni cap.* 5.

58 Prædicta & alia quæcumque priuilegia Mendicantium reuocata censentur à Concil. Triden. toties quoties in ipso aliquid decernitur cum derogatione saltem generali priuilegiorum, vt si dicat *non obstantibus, &c.* vel similia verba. Cuius exempla plura affert Ioannes de Cruce *de statu Relig. lib.* 2. *cap.* 3. *dub.* 6. Talis autem derogatio priuilegiorum aliquando ponitur in fine capitis, vel decreti, vt patet ex *sess.* 5. *cap.* 2. *sess.* 23. *cap.* 12. & aliis locis, aliquando verò ponitur in fine sessionis in qua multa capita seu decreta comprehenduntur, vt patet ex *sess.* 25. *de Regular. cap.* 22. Portellus *in dub. Regular. verb. Concil. Tridentin.* Quando autem decernitur, seu præcipitur aliquid à Conc. sine derogatione priuilegiorum, tunc etiamsi illud sit contrarium dictis priuilegiis, nihilominus probabile est quòd non censeantur propterea reuocata. Exempli gratia *in sess.* 22. *cap.* 4. præcipitur quod nullus habeat vocem in Capitulis nisi sit in Subdiaconatus Ordine constitutus, quia ergo ibi non reuocantur priuilegia Regularium, ideo qui hoc priuilegium habuerint, possunt illo vti, prout declaratum dicitur à Sacr. Congreg. Nec obstat quòd in eodem Concil. *sess.* 25. *cap. vltim.* dicatur. *Hæc omnia, & singula in superioribus decretis contenta obseruari S. Synod. præcipit in omnibus Cœnobiis, ac Monasteriis, Collegiis ac domibus quorumcumque Monachorum, ac Regularium, &c. non obstantibus eorum omnium, & singulorum priuilegiis sub quibuscumque, &c.* Hæc enim reuocatio priuilegiorum solùm cadit supra priuilegia contraria decretis illius sessionis 25. non supra priuilegia contraria decretis aliarum sessionum Concilij. Nec enim sine causa credendum est Concilium dixisse in *superioribus decretis contenta*, non verò *in superioribus sessionibus*. Nec etiam obstat Bulla Pij V. pro obseruantia eiusdem Concilij, qua etiam reuocantur omnia, & quæcumque priuilegia prædictis decretis Concilij contraria. Hæc enim reuocatio regulanda, & intelligenda est ad terminos decretorum ipsius Concilij, ita scilicet, vt intelligatur solùm de iis quæ statuuntur à Concilio cum derogatione priuilegiorum, non de iis, quæ ab illo ordinantur sine tali derogatione. Tum quia finis prædictæ Bullæ solùm est obseruantia decretorum Concilij, iuxta ipsorum qualitatem, tum quia Constitutio quæ fit ad roborandum aliam debet intelligi secundùm eam, & cōcludendam in terminis ipsius, vt habetur ex *Auth. Constitutio quæ in noua* §. *inde ver. in illis*. Rodriguez *to.* 1. *quæst. Regul. q.* 8. *artic.* 6. *& to.* 3. *q.* 23. *art.* 5. Thomas de Iesu *de procuranda omnium salute lib.* 12. *cap.* 8. *tit. sequitur collectio, vers. Illud tamen* referens etiam Nauarrum *in Manual. cap.* 27. *num.* 190. & Sà in Summa *verb. gratia*, etsi non ita clarè loquantur. Ioannes de Cruce *de statu religios. lib.* 2. *cap.* 3. *dub.* 6. Hæc autem solùm probabiliter, & in terminis opinionis probabilis dicta sunt. Oppositum enim videlicet dicto *cap.* 22. *sess.* 25. reuocata esse omnia priuilegia Religionum etiam contraria decretis aliarum sessionum quibus non apponitur derogatio priuilegiorum, est etiam satis probabile, & securius, maximè propter dictam Bullam Pij IV. & ita id secutus sum *tom.* 1. *cap.* 14. *num.* 19. post Mirandam *in Man. tom.* 1. *q.* 38. *arti.* 4. & alios.

In Regnis vbi publicatur Bulla Cruciatæ non suspenduntur per illam priuilegia Mendicantium, & aliorum Regularium, nisi ea solum quæ impedire possent, vel retardare expeditionem ipsius Bullæ, quia scilicet sunt circa easdem materias in ea contentas, verbi gratia absoluendi à reseruatis, commutandi vota, &c. quia intentum Summi Pontificis in tali suspensione priuilegiorum id solùm videtur esse, ne propter alia priuilegia circa easdem materias impediatur finis prætensus ab ipso, qui est contributio certæ pecuniæ pro bello contra infideles. Casarub. *in Comp. priuil. Mendic. ver. priuil. Fratr. quæst.* 2. *&* 3. Miranda *in Man. tom.* 2. *quæst.* 45. *art.* 7. Nec prædicta priuilegia concessa Superioribus Mendicantium quantum ad suos Fratres suspenduntur. Ita enim declaratur in ipsa Bulla. Casarubius, & Miranda *ibidem*. Sorbus *in Compend. verb. Cruciata* §. *quoad alind.* Suspendi tamen prædicta priuilegia quoad sæculares multorum est opinio, specialiter Nauarri *lib.* 5. *consil.* 16. *num.* 1. *de Priuileg.* eo quod in dicta Bulla à tali suspensione solùm excipiant concessa Superioribus Mendicantium quoad eorum Fratres tantùm, exceptio enim firmat Regulam in contrarium. Sed valde probabile est non suspendi dicta priuilegia Mendicantium quoad sæculares. Ratio est non solùm quia illa cum sint maximè fauorabilia non debent censeri suspensa nisi de illis specifica mentio fiat, sed etiam quia per Bullam non suspenduntur gratiæ aut priuilegia Ordinibus concessa, sed solùm Monasteriis, Ecclesiis Hospitalibus, locis piis, &c. hæc autem priuilegia absoluendi à reseruatis, commutandi vota, &c. concessa sunt Ordinibus ipsis, & Religionibus. Vnde exceptio illa de Superiorib Mendicantiū quantum, ad suos Fratres, intelligitur iuxta subie

subiectam materiam videlicet de concessionibus factis Monasteriis, Ecclesiis, locis piis, &c. pro visitantibus illa: his enim priuilegis non fruentur sæculares saltem carentes Bulla. Rodriquez *tom.1. quæst. Regular. quæst.61. artic.14.* Sanchez *lib.4. de præcept. decalog.cap.54.num.62.* Diana *de Bulla Cruciatæ resol.* 100.

60 Nec etiam suspendi dicta priuilegia in anno Iubilæi centesimi tenent plures, specialiter Henriq. *lib.3.de Indulg.cap.28.num.7.& cap.21.num.3.* Sanchez *lib.4. in Decalog. cap.54. num.62.* Diana *de Bulla Cruciatæ resolut.* 100. contrarium aliis opinantibus. Sed meo videri attendendum ad verba Bullæ Iubilæi, quæ mutari, & alterari possunt voluntate Pontif. Si enim in illa solùm sit reuocatio generalis priuilegiorum nulla facta mentione priuilegiorum Mendicantium, cum nulla sint valdè fauorabilia, & ad bonum commune fidelium ordinata, & per consequens speciali nota digna, vera erit prima opinio, si autem specialis mentio, & reuocatio fiat priuilegiorum Mendicantium, vera erit secunda.

61 Gaudent etiam Mendicantes priuilegiis quoque aliorum quorumcumque Ordinum etiam non Mẽdicantium. Ita enim concessit Carmelitis Clement. VII. in Bulla, quam retuli *tom.1.cap.3.n.17.* quam etiam refert Confettius *in Collectan. Litterar. Apostolicar. in Clemen.VII. num.5.* & Minoribus idem Clemens VII. vt referunt Casarubius *Compend. priuileg. Mendicant. verb. communicat. priuil. n.19.* & Miranda *tom.2.man.q.46.artic.1.* Fauent etiam aliæ concessiones Gregorij XIII. & Sixti V. pro eisdem Minoribus, quas refert Confettius, *vt supra in Greg. XIII. num.6. & in Sixto V. num.5.* Pro Eremitis etiam S. Augustini fauet ad intentum priuilegium Alex. VI. quod referunt Casarubius, *vt sup. num.21.* & Miranda etiam, *vt supra art.3.* Vnde hac communicatione priuilegiorum quarumcumque aliarum Religionum gaudent non solùm Mendicantes, sed & quicumque etiam alij, quibus Mendicantium priuilegia communicata sunt. Rodriguez *tom.1. quæst. Regul. quæst.55.art.17.*

62 Extenditur id quoque ad priuilegia concedenda etiam Ordinibus quibuscumque non Mendicantibus, illis enim perfruuntur ipsi Mendicantes iuxta dicta *tom.1.cap.3.n.17.* Colligitur id ex priuilegio Clem. VII. pro Minoribus numero præcedenti relato. Maximè tamen, & clariùs ex priuilegio eiusdem Clement. VII. pro Carmelitis etiam numer. præcedenti relato. Vide Mirandam *in 2. tom. man. quæst.46. artic.5.* & nota pro huiusmodi communicatione priuilegiorum, quæ dicta sunt numeris præcedentibus, videlicet. 52. 53. 54. 55. 57. & præsertim num. 60. Quod confirmat id quod habetur in priuilegio adducto Clement. VII. pro Minoribus, & Carmelitis, vbi dum illis communicat priuilegia etiam concedenda quibuscumque aliis Religionibus dicit id intelligi debere de priuilegiis *suæ professioni non contrariis*; neque enim Pontifices Regularis obseruantiæ maximi zelatores concedere volunt Religionibus ea, quæ ipsarum professioni contraria sunt.

63 Tenentur Mendicantes obseruare decreta generalia pro reformatione Regularium edita à Clem. VIII. anno 1599. & 1604. quæ habentur in 3. tom. Bullar. inter Constitut. Clem. VIII. num.60. & postea fuerunt innouata à S. Congregatione Concil. *in decretis, de Apostatis, & eiectis* sub SS. D. N. Vrb. VIII. inter Constitutiones ipsius *4.tom.Bullar.num.26.* Etenim titulus illis præfixus est *pro Reformatione Regularium tam Monachorum, quàm mendicantium cuiuscumque Ordinis, &c.*

Mendicantes nulla beneficia obtinere posse quidam affirmant, quos sequitur Rodriguez *to.1.quæst. Regul.q.34.artic.3.* quia cum emittant votum abdicationis proprietatis incapaces sunt reddit/uum, & prouentuum annualium. Horum tamen doctrina nullo modo placet, nam vel loquuntur de beneficiis sæcularibus, vel de Regularibus; si de prioribus constat ex dictis *tom.1.cap.2.num.17.* & ex dicendis hoc 2. *tom. cap.2.num.11.& 12.* Religiosos etsi Mendicantes capaces esse illorum, licet de facto sine dispensatione Papæ, illa habere non possint. Si verò sermo sit de beneficiis Regularibus ex toto *cap.18.* constabit illorum capaces esse omnes Religiosos etiam Mendicantes, & vsu constat plura ab illis obtineri. Nec hoc repugnat voto paupertatis ipsorum, sicut nec Monachorum, Hospitalariorum, aut Canonicorum Regularium, qui similia beneficia possident, nam licet non possint iure communi annuos redditus, vel prouentus habere in particulari, ex concessione tamen tacita, vel expressa Ecclesiæ, quando tales beneficiati viuunt extra Monasteria, vel Conuentus, vt rectè, & commodè prædictis beneficiis inseruire queant, possunt illos habere non vt sibi proprios, sed quoad vsum, & administrationem. Suarez *4.tom.de Relig.tract.8. lib.3.cap.19.num.1.* Quomodo autem in Indiis officiũ Parochorũ exercere possint diximus *c.18.n.32.* 64

Limitant aliqui doctrinam de capacitate Mendicantium ad beneficia, vt non procedat in Fratribus Minoribus, sed illis sit prohibitum iure communi beneficia curata habere. Corduba *in Reg. S. Franc. cap.2. q.20. punct. 2.* Verumtamen etsi tam Minores, quàm alij quicumque Mendicantes iuxta dicta non possint de facto sine licentia Sedis Apostolicæ prædicta beneficia curata habere, iure tamen communi non est aliqua differentia inter Minores, & alios Regulares, quoad hoc. Clementina enim *exiui, de verb. significat.* quæ ad hoc intentum adduci solet, solùm illis prohibet habere redditus annuos, quæ prohibitio commodè satis intelligitur dum intra Monasteria viuunt, secus verò si ad beneficia curata promouerentur. Sicut nec propterea illis interdicitur promotio ad Episcopatus, cum tamen Episcopi facti ampliores redditus habeant. Sanchez *lib.7. in decalog.cap.29.num.37.* 65

Melius limitatur prædicta doctrina de capacitate Mendicantium ad beneficia curata, vt non procedat in Mendicantibus transeuntibus ad non Mẽdicantes. Propterea quod in Clem.I. *de Regularib.* talibus transeuntibus etiam auctoritate Apostolica interdicitur exercere pro se, vel pro aliis, curam seu regimen animarum. Ex quo infertur interdici illis beneficia curata quæcumque possidere, cum illis annexa sit talis cura. Vide dicta *tom.1. cap.22.num. 20.& 21.* & dicenda inferius. Imò generaliter loquendo quicumque Regularis etiamsi Canonicus Regularis fuerit ad aliam quamcumque Religionem translatus incapax est ad beneficia sæcularia etiam curata, iuxta dicta *eo cap.22.num.20.* ex Concil.Trid. *sess.14. cap.11.* 66

Mendicantes ergo ad non Mendicantes transeuntes etiam auctoritate Apostolica vocem, & locum in Capitulo non habent etiamsi hoc *sibi* ab aliis liberè concedatur: nec possunt ad Prioratus, administrationes, aut quæcumque Officia etiam tanquam Vicarij, vel ministri, vel locum aliorum tenentes assumi, aut curam, & regimen animarum exercere. Ita enim decernitur in *Clement. 1. de* 67

Regu

Regularibus. Circa quæ præter dicta *tom. 1. cap. 22. num. 21.* aduertendum primo prædictos Mendicantes transeuntes priuari loco, & voce solum in Capitulo, non in Choro, aut Refectorio, quia textus solum loquitur de Capitulo. Rebuffus *Prax. benefic. tit. de dispens. cum Regular. num.* 54. Bonacina *Tract. de clausura quæst. 2. punct. 9. §. 5. diff. 1. num.* 3. Rursus hæc priuatio vocis, & loci videtur intelligenda, tam in Religione ad quam transeunt quam extra illam, si contingeret tales habere aliquam administrationem in Ecclesia sæculari. Quia textus generaliter loquitur, & interpunctio illius id indicat, Bonacina *ibidem num.* 2. Rursus prædictos transeuntes inhabiles effici ad munera prædicta non solum intra Religionem, sed etiam extra illam. Quia textus generaliter loquitur, & vtitur particula *quæcumque*, quæ est vniuersalis. Sanchez *lib. 6. in Decalogum cap. 7. num.* 126. Præterea nomine officiorum, ad quæ inhabiles redduntur, intelligi videri omnia, & quæcumque munia per Religiosos fieri solita, vt sunt Sacristæ. Oeconomia, Ostiarij, Prædicatoris, Lectoris Theologiæ, vel aliarum facultatum, quia textus interdicit quæcumque officia; hæc vero munia sunt talia. Nauarr. *Commen. 4. de Regularib. num.* 24. Azor. *libr. 12. Institut. moral. cap. 14. quæst. 12. vers. quæres.* Idem dicendum videtur de Vicariatu Episcopi (cuius muneris gerendi capaces esse Mendicantes inferius dicetur) quia interdicuntur illis officia quæcumque, etiam vt Vicariis. Sanchez *vt supra num.* 130. Cum tamen gradus præsentatus, vel Doctoratus non sint officia, seu administrationes, non videntur illis prohiberi. Sanchez *num.* 132. Bonacina *vt sup. num.* 4.

68 Mendicantes autem ad alios Mendicantes transeuntes, seu non Mendicantes transeuntes ad Mendicantes non afficiuntur dictis pœnis prædictæ Clement. I. *de Regularibus*, quia illa expresse loquitur solum de Mendicantibus ad non Mendicantes transeuntibus Nauarrus *lib. 3. consil.* 57. *in prima editione, & consil. 66. in 2.* Azor. *lib. 12. institut. moral. cap. 14. quæst.* 12. imo si mendicans illegitime professus transeat ad non Mendicantes, aut legitime professus transeat, & postea reuertatur non videtur affici prædictis pœnis, quia Clement. solum loquitur de transitu legitimi professi, & videtur intelligenda solum pro tempore quo manserit extra suum ordinem Mendicantem. Bonacina *vt supra num.* 5. Incapaces tamen erunt omnes illi beneficiorum sæcularium, etiam Curatorum iuxta dicta *num.* 66. ex decreto Concilij.

69 Mendicantes non possunt etiam suorum Prælatorum licentia obtenta consentire electioni postulationi, vocationi, seu prouisioni de se in discordia factis ad aliquam extra suum ordinem prælaturam. Ita enim deciditur *in cap. quorumdam de elect. in 6.* & ratio decisionis est, vt abstineant à litibus quæ possent suboriri ex eligentium discordia. Lambertinus *de iure patronatus lib. 2. part. 1. quæst. 7. artic. 20. num. penult.* Rodriguez *tom. 2. quæstionum Regular. quæst. 55. art.* 2. Nomine autem prælaturæ quidam volunt intelligi etiam beneficium Parochiale, forsan quia Parochi etiam vocantur Prælati. Quia tamen decisio huius capitis exorbitans est à iure antiquiori, ideo non est extendenda vltra verborum proprietatem. Parochi autem solum dicuntur large, & improprie Prælati, quia Prælati proprie illi dicuntur, qui in vtroque foro iurisdictionem habent, vt docent Angelus, Syluester, & alij Summistæ. Quare non videtur comprehendi hac decisione munus Parochi. *lib. 7. in Decalog. cap. 29. num.* 56. Comprehenduntur tamen Episcopatus, Abbatiæ, & aliæ Prælaturæ extra Ordinē. Idem Sanchez *num.* 49. Qualiter autem per prædictam electionem, prouisionem, seu vocationem in discordia factam nullum ius adquiratur prædictis Mendicantibus sic habetur ex dicto capit. *Quorumdam. Præsenti Constitutione facimus, vt nulli Religioso Prædicatorum, Minorum, Eremitarum S. Augustini, aut quorumlibet Mendicantium Ordinum, ex electione, postulatione, prouisione, seu vocatione ad aliquam extra administrationem sui ordinis Prælaturam in discordia de se facta ius de cætero adquiratur, nec eorum aliquis talis electioni, postulationi, prouisioni, aut vocationi quoquo modo valeat consentire: etiamsi magistri, aut ministri, vel Prioris Generalium eorumdem ad id accesserit licentia, vel consensus.*

Possunt etiam Mendicantes iure communi esse Vicarij Episcoporum, vt diximus de Religiosis *tom. 1 cap. 9. num.* 14. Ratio est, quia nullum ius commune extat hoc illis prohibens, etenim Clemen. I. *de Regularibus* quæ adduci solet in contrarium, solum loquitur de Mendicantibus qui ad non Mendicantes transierunt, quare potius supponit non transeuntes posse esse Episcoporum Vicarios, omitto etiam non ita clarè etiam transeuntibus hoc interdici. Clement. *in plerisque de elect.* nihil loquitur ad intentum. Vnde videtur contrarium asseuerantes non benè legisse prædictas Clementinas. Melius eas legit, & intellexit Sanchez *lib. 6. in Decalog. cap. 13. num.* 88. *&* 83. Cum tamen munus Vicarij sit officium ad iudicia pertinens, & Religiosi non possint talia officia recipere nisi de licentia Superioris, & cum vtilitate Conuentus, vt ibidem diximus; ideo has duas conditiones pro Vicariatu exercendo necessarias esse etiam ibidem diximus: sufficit autem licentia immediati Prælati, vel alterius Superioris, cum omnes ij sint verè Prælati, & pro vtilitate Monasterij sufficiens ea est quæ Monasterio contingit, ex eo quod aliquis Frater ipsius in tam honesto obsequio Ecclesiæ, & Episcopo inseruiat. Sanchez *vt supra num.* 91. *&* 92. Fratres autem Minores nullo modo possunt esse Vicarij Episcoporum, propter abdicationem omnium secularium negotiorum illis commendatam in Clement. *exiui de verbor. significat.* Sbrozius *de Vic. Episcop. lib. 1. quæst.* 38. *num* 5. Portellus *in Dub. Regular. verb. Religiosus num.* 5. Religiosis etiam Societatis Iesu id prohibitum sine licentia Generalis. Sanchez *lib. 6. in Decalog. cap. 13. numero* 95. 70

Multo magis possunt Mendicantes exercere munus prouisoris Episcopi, quod diuersum esse solet à Vicario, non solum quia nullum extat ius illis hoc prohibens, sed etiam quia hoc officium non est ita litibus, ac forensibus strepitibus expositum, sicut munus Vicarij Episcopi. Vnde multo maiori ratione licebit Mendicantibus. Portellus *in Dub. Regular. verb. Religiosus, seu Regularis num.* 5. 71

Coadiutorias autem Episcoporum, & aliorum Prælatorum eas suscipere possunt quarum munera, vt principales exercere possunt sola licentia Prælatorum, sicut è contra nequeunt absque dispensatione creari Coadiutores in eis prælaturis, vel beneficiis quibus vt principales absque eadem dispensatione præesse nequeunt, iuxta dicenda de Monachis *cap. seq n.* 10. Azor. *tom. 2. instit. moral. lib. 3. cap. 2. q.* 8. 72

73 Pro aliis autem beneficiis, seu pensionibus, seu requisitis pro obtentione beneficiorum, ac capacitate nouitiorum ad ipsa, vide dicenda *cap. 5. seq. à num. 11.*

74 Quoad exemptionem Mendicantium à iurisdictione Ordinariorum, præter dicta *tom. 1. cap. 11.* notandum, quod quamuis ibidem *num. 15.* dictum sit, Regularem ab Episcopo citatum vt compareat decens esse vt compareat, & coram eo priuilegium exemptionis allegando, postea discedere, nihilominus loquendo de Mendicantibus, asserendum est eos non teneri ad comparendum, aut exhibendum coram Ordinariis priuilegium suæ exemptionis. Ratio est, quia licet quando exemptio non est notoria ita debeat fieri, vt colligitur *ex cap. cum personæ de priuileg. in 6.* quando tamen notoria est non est id necessarium, vt elicitur ex *Clem. Pastoralis de sentent. & re iudic. §. notorium quippe.* Nauarrus *cap. cum contingat de rescript. caus. 6. num. 6.* Henriquez *lib. 7. de indulgent. cap. 25. num. 6.* Quia ergo exemptio Mendicantium clara est, & notoria, cum à multis annis sint in possessione illius, ideo citati ab Episcopis non tenentur comparere, nec coram eis exhibere suæ exemptionis priuilegium. Syluester *in Summ. ver. exemptio quæst. 7.* Sanchez *2. tom. consil. mor. lib. 6. cap. 9. dub. 4.* Id etiam declarauit Sixt. IV. in mari magno Carmelitarum vers. *Exemptionem quoque Ordinis*, & ita id notauit Corduba *in annotat. ad priuileg. Mendicant. verb. priuileg. Fratrum §. quoad §. 10.* Quare cum Mendicantes coram Ordinariis conuenirentur, nullatenus debent ostendere priuilegium suæ exemptionis coram ipsis, quia hoc esset constituere illos iudices, quod intendunt, sed respondere (intelligo humiliter & modeste) se illos audire, vel se exemptos esse ab ipsorum iurisdictione, & propterea declinare ab illa. Quo facto, statim recurrant ad Conseruatores, vt Ordinarios inhibeant, & illos ab ipsis defendant, iuxta modum præscriptum in Bullis Conseruatoriis, & Conseruatorum auctoritatem de quo *cap. 10.* Sanchez *vt supra dub. 5.*

75 In calce huius capitis congruum videtur apponere ea quæ respondi ad dubia aliquot mihi proposita circa processiones faciendas à Regularibus in suis Ecclesiis conformiter ad dicta *supra numero 51.*

Primum Dubium.

76 *De quodam Monasterio Ordinis prædicatorum quod solitum erat facere processiones SS. Rosarij per vnum Claustrum monasterij, & postea propter aliquas rationabiles causas voluit illas facere per secundum claustrum de quo quæritur, an stante priuilegio eiusdem Religionis, quod scilicet cum faciunt processiones in suis Monasteriis possint mulieres ingredi claustrum per quod fiunt possit etiam idem fieri quando processiones solitæ fieri in vno claustro mutantur ad aliud illi contiguum, in quo nec sunt officinæ publicæ, nec cellulæ fratrum.*

Responsio.

77 Tale priuilegium videtur competere Ordini Prædicatorum. Ratio est quia Pius V. in Bulla *Decet Romanum* anno 1570. quam refert Confectius *in collect. lit. Apostol. in Pio V. num. 6.* Sorbus *in addit. ad Compend. priuil. mend. verb. Ingredi Monasteria 8. Item est ponderandum*, Peirinis *tom. 1. priuil. Minim. in const. 6. Iulij II. §. 3. num. 5.* & ego *tom. 1. cap. 10. num. 12.* declarauit pro Congregatione Montis Virginis (quo etiam priuilegio fruuntur Mendicantes) per prohibitionem factam Religiosis non admittendi fœminas intra sua Monasteria non tolli quominus possint ipsæ ingredi claustra Religiosorum quando in eis processiones fiunt, dummodo ingrediantur cum aliis personis fidelibus. Cum enim ibi indefinite id concedatur pro processionibus, & indefinita æquiualeant vniuersali, vt colligitur ex Glossa *in cap. Actor. de dol. & contum. verb. Ad terminum*, ideo de omnibus 78 processionibus siue in primo siue in secundo claustro factis intelligi debet. Præsertim quia iuxta communem Regulam vbi lex non distinguit nec nos distinguere debemus: in hoc autem priuilegio, nulla fuit distinctio de processionibus in primo vel secundo claustro. Ad quod accedit quod fauores & priuilegia ampliari debent, idque confirmatur vsu vt credo omnium Religionum.

Idem confirmari potest ex declaratione eiusdem 79 Pij V. viuæ vocis oraculo facta, quam referunt Rodriguez *tom. 1. quæstionum Regularium quæst. 48. artic. 3.* Quaranta *in summ. Bullar. Monasteria & Conuentus*, Sanchez *lib. 6. in Decal. cap. 17. numero 22.* & Bonacina *de Clausur. quæst. 5. pun. 4. in 3. propos.* qua declarauit quod per litteras suas, illas scilicet quibus prohibuerat ingressum mulieribus in Monasteria Religiosorum non intelligit quod mulieribus præcludatur aditus accedendi ad Monasteria & loca Regularium, ac eorum claustra quando in eis Missæ & alia diuina officia celebrantur, ac quando processiones fiunt, & si enim Oracula omnia viuæ vocis reuocata sint his temporibus 80 à Summis Pontificibus Gregorio XV. & Vrbano VIII. id tamen iuxta dicta à me *tom. 1. cap. 3. num. 21.* non videtur intelligendum de illis viuæ vocis oraculis quæ sunt meræ declarationes & non concessiones, quale est præsens.

Nec obstat contra dicta quod hoc priuilegium 81 videatur cessasse in dicto Conuentu Ordinis Prædicatorum ob non vsum illius vsque ad hæc tempora. Nam potest dici primo quod quamuis dictum priuilegium non fuerit in vsu formaliter & expresse, vt dicam quantum ad secundum clau- 82 strum sed solum quantum ad primum; nihilominus æquiualenter & vniuersaliter etiam dici potest fuisse in vsu quantum ad dictum secundum claustrum: siquidem primum & secundum claustrum eiusdem rationis sunt quoad præsens, ac per consequens non posse dici cessasse dictum priuilegium ob non vsum. Dici etiam potest non vsos fuisse vs- 83 que modo Religiosos dicti Monasterij dicto priuilegio pro secundo claustro ipsius, sed tantum pro primo, propter incommoditatem quæ tūc erat ad id faciendum, quia facilius erat facere dictas processiones per primum, quam per secundum claustrum. 84 Non cessare autem priuilegium per non vsum priuatiuum nisi quando adest commoditas ad illo vtendum. Est communis sententia Doctorum, vt docet Portellus *in dub. regul. verbor. Priuilegij cessatio per non vsum numero 57.* de quo etiam aliqua dicam *capite 15. numero 17.* ex aliis authoribus.

Dvbivm

Dubium Secundum.

85 *An fratres Carmelitani Congregationis Mantuanæ Ecclesiæ S. Chrysogoni possint facere processionem solemnem gloriosissimæ Virginis Mariæ de Monte Carmelo, cuius confraternitas in ea Ecclesia canonice & legitime instituta est, in Dominica proxima festo Commemorationis solemnis eiusdem in mense Iulij si hoc illis specialiter non prohibeatur à superioribus.*

Responsio.

86 Affirmatiue respondendum ex multis. Primo quidem ex Bullis Pontificiis Pauli V. fel. record. in quibus id non tam de nouo conceditur quam supponitur: etenim in Bulla. Quia certas. sub datum Romæ 30. Octobris 1606. sic dicitur: *Necnon ipsis confratribus & consororibus qui similiter pœnitentes & confessi ac Sacra communione refecti processioni in vna Dominica cuiuslibet mensis per dictam Confraternitatem de Ordinarij loci licentia faciendæ deuote interfuerint, & ibi vt præfertur, orauerint, septem annos & totidem quadragenas* scilicet *concedimus.* Et in alia eiusdem Pontificis quæ incipit: *Piorum hominum* sub datis 31. Augusti 1609. vbi similiter Indulgentiam plenariam cōcedit confratribus *qui* (inquit Pontifex) *sicut accepimus in vna ex dominicis mēsis cuiuslibet pro cuiuslibet loci instituto Christi fidelium frequentia celebrem ac solemnem processionem in eorum Ecclesiis, Capellis, vel Oratoriis ad Virginis eiusdem commemorationem pie peragere solent, speciali aliquo munere decorare omnibus & confratribus & consororibus dictarum Confraternitatum vere pœnitentibus & confessis ac sacra communione refectis, qui prædictæ processioni in vna ex Dominicis cuiuslibet mensis in qualibet ex prædictis Ecclesiis, Capellis vel Oratoriis peragendæ interfuerint.* Et post alia: *Volumus autem quod si alias dictis confratribus & consororibus dictæ processioni interessentibus, &c.* Ac in alia eiusdem Pontificis, quæ incipit *Alias volentes* sub datis 19. Iulij 1614. vbi præfatam Indulgentiam ad confraternitates eiusmodi *in posterum perpetuis futuris temporibus erigendas*, extendit: ibi: *Sicut tunc accepimus in vna ex Dominicis cuiuslibet mensis pro cuiuslibet loci instituto Christi fidelium frequentia celebrem ac solemnem processionem in eorum Ecclesiis, Capellis, vel Oratoriis ad Virginis eiusdem commemorationem pie peragere solebant.*

87

88 Maxime fauet Clemens VIII. in alia Bulla quæ incipit *de salute Dominici* sub datum Romæ die 17. Iunij 1595. vbi pia opera exerceri solita per confratres Confraternitatis B. Mariæ de Monte Carmeli referens, ait: Et inter alia in vna Dominica cuiusque mensis *& in singulis festiuitatibus B. Mariæ Virginis, & nominatim die 16. Iulij quo Religio fratrum Carmelitarum solemnem commemorationem ipsius B. Mariæ Virginis facere solet, necnon in secundo Festo Pentecostes solemnem processionem frequenti aliorum etiam Christi fidelium concursu facere consueuerint.* Et infra interessentibus *processionibus per dictas Confraternitates, vt præfertur, faciendis die videlicet secundo Pentecostes, & die 16. mensis Iulij, vel quia aliquibus in locis processio huiusmodi Dominico die post dictum diem 16. Iulij fieri solet, dicto Dominico die singulis annis*, &c. plenariam Indulgentiam concedit.

Secundo ratione consuetudinis faciendi talem processionem. Consuetudo enim parem vim habet cum lege, *lib. de quibus ff. de legibus §. ex non scripto Instit. de ver. natur. gent. Cap. fin. de consuet. &* aliis iuribus. Est enim quasi alterum ius naturale, ac proinde omnia potest. Baldus *cons.* 433. *lib.* 3. Surdus *de alim. tit.* 1. *num.* 7. Maxime quando est immemorabilis, qualis ista videtur. Siquidem saltem instituta credi potest de anno 1543. ante 100. annos à præsenti. Eo namque anno huiusmodi Confraternitas vnita fuit cum alia de Sanctissimo Sacramento, prout ex Cam. Fan. *lib.* 3. *cap.* 25. refert Octauius Panzirolus in libro cui titulus *Tesori nascosti dellii alma Citta di Roma*, loquens de Ecclesia S. Chrysogoni. 89 90

91 Nec obstat quod in prædictis Pontificiis Diplomatibus non habeatur quod dicta processio fieri soleat extra Ecclesiam ipsam vel ambitum ipsius. Primo enim quia eo ipso quod tales processiones vocantur *celebres* & *solemnes* à Paulo V. in dictis Bullis *Piorum hominum*, & *Alias volentes*, ac à Clemente VIII. vocentur *solemnes* supponi videtur eas fieri extra ambitum Ecclesiæ. Processiones enim factæ solum intra Ecclesiam, vel ambitum ipsius potius *priuatæ* quam *solemnes* dici possunt. Secundo, quia si consuetudo est optima interpres. *l. minima ff. de legibus lib. si de interpr. ff. eod. tit. cap. Cum dilectus de consuet.* DD. communiter, cum consuetudo sit talis non solum dicta Ecclesia, sed etiam in Vrbe in Ecclesia S. Syluestri & Martini in Montibus, & in pluribus aliis per Orbem Christianum dispersis; in Regnis præsertim Hispaniarum, prout refert. Villalobos *in sum. tom.* 2. *tract.* 35. *diffic.* 5. *num.* 9. ex Portello *in dub. regular. verb. Processiones num* 8. in quibus similes processiones extra Ecclesias etiam ad magnam distantiam fieri solent, dicendum videtur ita fieri posse. Vnde propter eandem causam scilicet consuetudinis; declarauit Sacra Congregatio Concilij teste Peyrinis *in constit. sui Ordin. Minim. tom.* 2. *const.* 7. *Pij V. num.* 13. quem refert Barbosa *de offic. & potest. Episc. part.* 3. *alleg.* 78. *num.* 7. quod processiones Rosarij possunt fieri per totam Ciuitatem si ita habeat consuetudo ad decem retro annis seruata, & in quatuor festiuitatibus B. Mariæ, nimirum Natiuitatis, Annunciationis, Purificationis & Assumptionis. Quanto ergo magis id dicendum de consuetudine valde antiquiori? 92

Ad quod tertio accedit, quod cum facere processiones per Parochiam spectet ad Curatos, vt habet Barbosa *de offic. & potest. Parochi quæst.* 1. *capite* 12. *numero* 13. cum dicta Ecclesia S. Chrysogoni sit Parochialis, vtique poterit etiam de iure communi facere dictam processionem per totam Parochiam. Præsertim quia processiones fieri posse extra ambitum Ecclesiæ de licentia & consensu Parochi cum Cruce Parochiali declarauit S. Congregatio Rituum in vna Hispalen. sub die 26. Februarij 1628. quam referunt Sellius *in select. Canonic. capite* 110. *num.* 32. Nouarius *in lucern. regular. verb. Processiones num.* 24. & Barbosa *supra*; vbi etiam de alia declaratione eiusdem Sacræ Congregationis pro 15. Decembris 1632. quæ fere similis est præcedenti. 93

Vrget tamen valde declaratio hæc Sacræ Congregationis Rituum in Hispalensi modo relata, & de qua relati authores. In ea enim expresse dicitur: *Extra vero ambitum Ecclesiæ non licere neque Regularibus* 94

laribus neque Confraternitatibus facere processiones nisi de licentia, consensu, aut cruce Parochi. Quod etiam habetur in alia Limanensi relata pro 15. Decembris 1632. apud eundem Barbosam. Ex eis enim desumitur argumentum quod DD. vocant à contrario sensu quod esse validum sumitur ex *lib. 1. §. huius rei ff. de offic. eius cui, &c. lib. qui de testamento §. mulier*, & pluribus aliis iuribus, & DD. Imo & aliqui eorum vocant hoc argumentum fortissimum. Riminald. *cons.* 485. *numero* 25. *vol.* 5. Farinac. *in prax. crim. part.* 4. *cons.* 30. *num.* 219. Rota *decis.* 445. *n.* 55. apud Barbosam *in loc. commun. argum. iur. loc.* 27. *n.* 1. dicit quod hoc argumentum est fortissimum, & quod per illud probatur, dicitur probari per textum, & casum legis. Argumentum porro sic formatur: Ex prædictis Sacræ Congregationis Rituum declarationibus clarè habetur quod neque Regulares, neque Confraternitates possunt facere processiones extra ambitum Ecclesiarum, *nisi de licentia, consensu, aut cum cruce Parochi*. Ergo cum ad fuerit *licentia* & consensus Parochi, ac crux ipsius Parochi, poterunt fieri dictæ processiones *extra ambitum Ecclesiarum*. In hoc autem casu hæc adsunt. Ergo.

95 Quod etiam roboratur ex vi & energia dictionis *nisi*. est enim *limitatiua* iuxta notata per Flamin. Parif. *de resignat. lib.* 5. *quæst.* 6. *num.* 183. & *exceptiua*, vt *in leg. actione C. de transact. & in regul. peccatum de regulis Iur. in* 6. & ibi tradunt DD. ex quibus innumeros affert Barbosa *in tract. de dict. dict.* 217. *num.* 2. & 14. Cum ergo Sacra Congregatio in dictis declarationibus negauerit Regulares seu Confraternitates posse facere processiones extra ambitum Ecclesiæ, cum postea adiungit, *nisi de licentia, consensu*, &c. profecto censeri debet limitasse, & exceptuasse suas declarationes, vt non intelligantur quando ad est talis licentia, consensus, &c. prout in præsenti casu contingit; siquidem Prior dicti Conuentus est principalis Parochus eius Ecclesiæ Parochialis, & ipse facit processionem cum cruce illius.

96 Nec refert si contra prædicta omnia dicatur in dictis Bullis non haberi quod Monasteria & Ecclesiæ vbi institutæ sunt tales Confraternitates soleant facere dictas processiones, sed solum quod ipsæ Confraternitates soleant facere illas. Tum quia consuetudo dd. processiones faciendi maxime est pro ipsis Ecclesiis & Monasteriis, quæ illas facere solent. Tum quia dictæ Ecclesiæ & Monasteria sunt capita dictarum Confraternitatum, & veluti patroni ipsarum, quippe quod illas erexerunt, & fundum ac Capellan. eidem assignarunt, vbi se possent congregare & pietatis opera exercere. Monasterium autem vel alium assignantem fundum vbi Oratorium vel Capella construi debet acquirere ius patronatus illius & eligendi ac præsentandi potestatem, elicitur ex Rocho Curt. *in rubr. de Iurepatr. in verb. Ecclesiam fundauit numero* 2. 3. & 18. & Triuisano *decis.* 55. *numero* 9. *libro* 2. Tum denique quia ipsæ Confraternitates gubernari debent per Regulares in processionibus quas faciunt, prout supponunt Sacra Congregatio Rituum & Sacra Congregatio Episcoporum quas refert Gauantus *sup. n.* 49. optime etiam ad intentum Rota coram Coccino in Bononien. Capellæ 25. Maij 1609. *decis.* 472. *num.* 6. inquit quod *possessio Confraternitatum præsumitur iure familiaritatis, & propterea nullius considerationis.* Et sane absurdum videtur quod Confraternitas aliqua à Regularibus in suis Ecclesiis erecta possit facere processionem extra Ecclesiam, non vero ipsum Monasterium. Cæterum valde notandum vt dixi hæc omnia solum procedere posse casu quo à Superioribus, Summi Pontificis videlicet ministris, vel aliis huiusmodi prohibitum non fuerit, etiam oretenus, ob aliquam rationabilem causam talem processionem facere. Stantes enim tali prohibitioni, humiliter obsequendum, nec vllo modo eidem contraueniendum. Quod non animaduertentes aliqui & oppositum facientes, de ordine Sanctissimi puniti fuerunt.

SVMMARIVM.

Monachi nomen dupliciter sumitur. n. 1.
Monachi nomine in iure omnes Religiosi veniunt. numero 2.
Etiam Canonici Regulares. ibid.
Vnde Constitutio aliquid statuens de Monachis ad omnes Religiosos trahitur, nisi, &c. ibid.
Quoad obligationem votorum, Regulæ, Constitutionum, tendentiæ ad perfectionem, & similium, qualiter de illis philosophandum. n. 3.
Possunt ad quamcumque dignitatem supremam promoueri. n. 4.
Etiam Episcopalem. ibid.
Cum licentia sui Superioris. ibid.
Quid autem si eam neget? ibid.
Etiam ad Papatum. n. 5.
An ad id requiratur licentia Abbatis. ibid.
Non possunt promoueri ad dignitates sæculares non curatas. n. 6
Quid de præfectura alicuius Collegij? n. 7.
Quid de regimine Hospitalis & in quibus Casibus. num. 8.
Possunt exercere munus Vicarij Episcopi. n. 9.
An esse Coadiutores? n. 10.
Possunt iure communi habere beneficia curata. numero 11.
Secus hodie. n. 12.
An requiratur necessitas, vel vtilitas Ecclesiæ? num. 13.
An requiratur aptitudo ad concionandum? n. 14.
An in loco vbi Monasterium habet populum sibi subiectum. n. 15.
Requiritur licentia Abbatis, & qualis ea sit? numero 16.
An possint præstare consensum electionibus, & postulationibus de se factis? n. 17.
Non sunt capaces Monachi Beneficiorum simplicium iure communi. n. 18.
Cui subiiciantur beneficiis seruientes. n. 19.
Nequeunt habere pensiones sine dispensatione Papæ. num. 20.
Qualis debeat esse hæc dispensatio. ibid.
Quid de Beneficiis Nouitiorum? n. 21.
Tempore Nouitiatus sunt capaces beneficiorum. numero 22.
Per professionem vacant quæcumque beneficia. numero 23.
Monachi Basiliani quomodo reformati, & quibus priuilegiis ornati. n. 24.
Benedictini plurimis gaudent priuilegiis, & quomodo intelligenda. n. 25.
Cistercienses, quoque, quomodo etiam intelligenda, num. 26.
Quibus Monachis prohibitum est Confessorem eligere virtute Cruciatæ, aut aliorum priuilegiorum



CAPVT II.

De specialibus obligationibus, muneribus, & priuilegiis Monachorum.

1 MOnachi nomen quod à voce græca μονος, id est, vnus solus, aut solitarius, deriuatur dupliciter sumitur, primo latè pro quocumque Religioso cuiuscumque Ordinis sit, secundò strictè pro illis, qui tribus votis astricti bona stabilia, in communi possident, & in vitæ solitariæ studio, quieti, silentio, orationi, & contemplationi incumbunt. Abbas *in cap. ex parte de postulando*, Azorius *tom. 1. instit. moral. lib. 12. capite 19.* In præsenti loquimur de Monachis in hac secunda acceptione, quales sunt Basiliani, Benedictini, & Carthusienses. Ex Benedictinis autem prodierunt postea Cistercienses, & alij. Suarez 4. *tom. de Relig. tract. 9. lib. 2. cap. 3.*

2 Nihilominus nomine Monachi in iure canonico omnes Religiosi veniunt, etiam Canonici Regulares, præsertim in fauorabilibus, nisi aliud ex dispositione manifestè constet, & nisi aliqua specialis ratio diuersitatis appareat. Abbas *in cap ex parte de postulando* Glossa *in cap. Canonica de sent. excommunicat.* Peirinis *tom. 1. priuil. Minim. in Const. 12. Iulij II. num. 2.* ac proinde Constitutio Pontificia, siue canonica aliquid de Monachis statuens ad omnes religiosos trahitur, nisi aliud ibi exprimatur vel manifesta diuersitatis ratio conspiciatur. Azorius *tomo primo instit moral. lib. 12. cap. 19. §. 10. Quæritur* Laurentius de Franchis *in controuers. Episcop. & Regularium in quæstione quæst. 3.*

Quoad obligationem votorum, Regulæ Constitutionum seu statutorum Ordinis, philosophandum de illis est, sicut de aliis Regularibus, iuxta dicta *tom. 1. cap. 4. 5. 6. 7. & 8.* Et quoad obligationem tendendi ad perfectionem, seu procurandi illam, iuxta dicta *ibidem cap. 1.* Quoad obligationem autem obseruandi ea, quæ in iure, vel Conciliis habentur attendendum est ad dicta *ibidem cap. 9.* præsertim cum sæpius in iure sub Monachorum nomine expresse illis aliquid præcipiatur, vel interdicatur, vt patet ex *cap. 2. ne Clerici, vel Monachi, cap. Monachi el 2. 16. quæst. 1. cap. cum ad Monasterium de stat. Monachor. Clem. ne in agro, & de stat. Monachor.* & aliis iuribus dicto *cap. 9.* relatis. Cum etiam Monachi veri Religiosi sint ob trium votorum essentialium Religionis professionem nomine Religiosorum veniunt, ac per consequens comprehenduntur in iuribus, & decretis Summorum Pontificum, Conciliorum, & S. Congregationum, quæ adducta sunt dicto *cap. 9. & 10.* Tenentur etiam obseruare decreta Generalia Clem. VIII. approbata, & innouata à Sacr. Congregat. Concilij sub SS. D. N. Vrbano VIII. de quibus cap. præcedenti n. 63. vt patet titulo illis præfixo, scilicet *pro reformatione Regularium tam Monachorum, &c.* 3

Monachi possunt ad quamcumque dignitatem supremam promoueri, siue dignitas illa sit Episcopalis, vt patet 18. *quæst. 1. cap. vnico cap. nullus de elect. lib. 6.* Iacobus Graffis *in decisionibus part. 2. lib. 3. cap. 20. num. 1.* Sanchez *lib. 7. in Decalog. cap. 29. num. 32.* Cum licentia tamen sui Superioris *ex cap. Religiosus in princip. de elect. in 6. & cap. 1. disp. 58. quod est D. Grrgorij lib. 7. epist. 8.* dicentis: *Nullus ad Ecclesiasticum officium ex Monasterio producatur monachus, nisi quem Abbas loci admonitus propria voluntate obtulit Episcopo.* Et ratio est, quia Monachus non habet velle, aut nolle *cap. si Religiosus, vt supra.* Sanchez *vt supra num. 57* Vide infra *num. 16.* Quam si nollet concedere posset compelli propter bonum publicum ad consentiendum. Ad quod facit *cap. nullus de iure patron.* Abbas *in cap. quod Dei de statu monach. numero 12.* Syluester. *verb. Religio. 7. quæstione 9.* Iacobus Graffis *in decision. part. secunda lib. 3. capite 20. numero 1.* 4

Siue etiam dignitas illa sit Papalis, vt notat Gloss. *cap. quam sit 18. quæst. 2.* Iacobus Graffis *in decision. part. 2. libr. 3. cap. 20. num. 1.* Ad quod etiam plures volunt requiri licentiam Superioris, ita vt sine illa nullum ius in Pontificatum adquirere dicant. Quibus non assentior, quia eo ipso quo est in Papam legitimè electus nulli superiori creato sub est. Syluester *in Summ. ver. votum 3.* Rossella *ver. votum 2. ad finem.* Quare bene Glossa relata dicit quod si Monachus factus est Papa renuente Abbate, ipsemet debet se compellere redire quasi dicat non posse ad id ab alio compelli, cum nullum habeat super se Superiorem. 5

Non possunt autem promoueri ad dignitates sæculares quæ non sunt curatæ, vt sunt Decanatus, Præpositurę, Canonicatus. Ratio sumitur, tum ex 6

cap.

cap. in uona actione 16. quæst. 7. vbi præscribitur homines diuersæ professionis in vno officio non esse sociandos, tum ex *cap. quod Dei timorem de statu Monachorum* vbi in curæ animarum fauorem traditur posse regulares ad beneficium Parochiale assumi: ergo non ad istas dignitates, quæ non sunt beneficia parochialia, tum propter dicenda inferius de beneficiis simplicibus, Sunt etenim huiusmodi dignitates quasi beneficia simplicia, cum non importent curam animarum. Fauet etiam *cap. cum de beneficio de Præbendis in 6.* Hostiensis *in cap. quod Dei de stat. Monach,* Graffis *in decisionibus p. 2. lib. 3. cap. 20. n. 4.* Sanchez *lib. 8. in Decalog. c. 29. n. 72. & 75.*

7 Possunt tamen stando iure in cōmuni promoueri ad præfecturam alicuius Collegij cui non incumbit propriè, sed tantum impropriè animarum cura. Tum à simili de dignitate Episcopali ad quam in omnium sententia promoueri possunt, tum etiam à simili de Ecclesia Parochiali, ad quam etiam, vt dicetur inferius, assumi possunt. Videtur enim suo modo procedere eadem ratio, sicut enim ad Parochiam promoueri Monachi possunt propter vtilitatem quæ speratur futura ex ipsis in animabus illius Parochiæ; sic etiam eodem modo in præsenti. Azorius *tom. 1. institut. moral. lib. 12. cap. 19. quæst. 13.* Rodriguez *tom. 3. quæst. Regul. quæst. 53. art. 2.* Dixi stando in iure communi, quia propter declarationem S. Congregationis sub Gregorio XIII. afferendam infra *n. 12.* aliqui putant esse derogatum. In illa tamen nihil video clarum circa hoc, sed tantum circa beneficia habentia curam animarum. Huiusmodi autem præfecturæ non includunt propriè curam animarum, sed impropriè tantum, scilicet in pertinentibus ad Collegium. Vide Sanchez *lib. 7. in Decalog. c. 29. n. 73.*

8 Possunt etiam Monachi promoueri ad regimen Hospitalium in aliquibus casibus. Primus quando Hospitalia spectant ad Religionem quæ fundatur super Hospitalitate, vt Cruciferorum, S. Antonij Viennen, & similium. Ex quo enim illa Religio est fundata super Hospitalitate, & hoc principale studium per quod operibus pietatis ad seruiendum Deo se dedicauit, nihil Religiosis ipsis obstat quo minus plura Hospitalia erigant, & in illis Hospitalitatem seruent, & Religiosos suos ibi deputent ad Hospitalitatem ibi seruandam, & ipsa Hospitalia regenda. Secundus, quando Hospitale est annexum Ecclesiæ Curatę ita quod Rector vnius sit Rector alterius, iuxta *cap. quod Dei de stat. Monachor.* iuncto *cap. super eo de præbendis in 6.* Tertius quando Hospitale est annexum Religioni, vel quia de mensa Monasterij, vel in proprietatem ipsi concessum, tunc enim possunt poni Monachi ad regendum illud Hospitale. Si enim pro vtilitate Monasterij mitti possunt Religiosi ad litigandum, multo magis ad curandum infirmos. Quartus, quando Hospitale ipsum est Collegiatum Religiosorum. Iacobus de Graffis *in Decisionibus part. 2. libro tertio, cap. 20. n. 13.*

9 Possunt Monachi exercere munus Vicarij Episcopalis, cum nullibi id interdicatur. Et patet ex eo quod dixi *capite præcedenti numero 70.* de Mendicantibus. Si enim Mendicantes admitti possunt ad hoc munus, multo magis Monachi, cum minor sit in his difficultas. Azor. *tom. 2. instit. moral. lib. 3. cap. 43. quæst. 10.* & alij quos refert, & sequitur Sbrozius *de Vicario Episcopali libro primo quæstione 38. num. 4.* Qui num. 11. aliis relatis dicit idem esse dicendum de Vicario Capituli Sede vacante, vel locum tenente Vicarij, propter similitudinem rationis.

Etiam possunt constitui Coadiutores Episcoporum, sola Abbatis licentia. Cum enim possint Episcopatum assumere veluti principales, multo melius vt Coadiutores. Azor. *tom. 2. instit. moral. lib. 3. cap. 2. q. 8.* Idem dico propter eamdem rationem de Coadiutoriis beneficiorum, quæ Monachi recipere possunt sicut è contra, quod eis beneficiis, quæ vt principales obtinere non possunt, neque etiam poterunt vt Coadiutores. Sanchez *lib. 7. Decal. cap. 29. num. 84.* 10

De beneficiis autem Curatis sæcularibus loquendo (nam de beneficiis Regularibus latè dicetur cap. 18.) dicendum est, iure communi posse Monachos ad illa promoueri absque vlla dispēsatione. Probatur ex *cap. quod Dei timorem de stat Monach.* vbi id expresse habetur illis verbis *Per antiquos canones etiam Monachi possunt ad Ecclesiarum Parochialium regimen in Presbyteros ordinari*, & colligitur ex *cap. in Parochia 16. quæst. 1.* Nec obstat Bulla Pauli IV. *Postquam diuina bonitas* anno 1558. qua omnes Regulares priuat beneficiis sæcularibus, quia ad ius commune redacta est postea per Pium IV. in Bulla *Sedis Apostolicæ solertia* anno 1560. Selua *de benefic. 3. p. q. 11. n. 133. & q. 70. n. 6. & 7.* Graffis *in decision. part. 2. lib. 3. c. 20. n. 6.* Azorius *tom. 1. instit. moral. lib. 12. cap. 19. quæst. 13. & tom. 2. lib. 3. c. 2. q. 8.* 11

Dixi iure communi loquendo, nam hodie nullus Regularis est capax beneficij curati absque Pontificis dispensatione. Tum quia ita praxis obseruat, tum propter declarationem Sacræ Congregationis tempore Gregorij XIII. per hæc verba *SS. D. N. Gregorius XIII. noluit licere Canonicis Regularibus etiam de licentia sui Generalis absque permissu Summi Pontificis assumere curam animarum etiam ad tempus, multoque minus beneficium curatum ad tempus.* Sanchez *libro 7. in Decalog. capite 29. num. 71.* 12

Videtur tamen requiri necessitas, vel vtilitas Ecclesiæ curatæ sæcularis vt ipsi Monachi præfici possint. Quia hæc iuris concessio dimanauit fauore boni animarum cui prospicere Monachorum munus est, si ergo ad hoc necessarij, vel vtiles non fuerint, cessabit concessio. Lessius *2. de iust. cap. 41. dub. 12. n. 99.* Azorius *tom. 1. instit. moral. lib. 12. c. 19. q. 13. ad fin.* 13

Hinc plures volunt Monachum ineptum ad prædicandum, ineptum quoque esse, vt assumatur ad beneficium curatum sæculare, quia *in cap. quod Dei timorem* hoc indicari videatur. Rossella *verb. Monachus n. 4.* Syluester *verb. Relig. 7. q. 4.* Sed valde probabile est id non requiri, dummodo Monachus aptus sit animarum curæ, & doctrinæ, etiamsi non concionetur. Quia nomine prædicationis *in d. cap. quod Dei timorem* commode intelligi potest prædicta cura, & doctrina animarum, Angles *in Summ. verb. dispensatio n. 3.* Sanchez *lib. 7. in Decalog. c. 29. num. 40.* 14

Plures quoque volunt Monachum non posse præfici curæ animarum in loco, vbi Monasterium habet populum sibi subiectum. Quia ita expresse habetur *in cap. 1. de capellis Monachor.* Angelus *verb. Monachus num. 5.* Syluester *verb Religio. 7. q. 7.* Rodriguez *tom. 1. q. Regular. quæst. 34. art. 4.* Verumtamen quia rationi dissonum videtur, vt cum Monasterium non habet populum subiectum ibi possit præfici Monachus, non autem quando ille populus est subiectus Monasterio, ideo videtur dicendum, 15

dicendum, textum solùm prohibere quòd Monachus ibi præficiatur si non adsit necessitas, vel sine consensu Episcopi; nam, vt dictum est, sine necessitate non debet monachus præfici Ecclesiæ seculari, nec sine consensu Episcopi. Abbas *cap. dicto de capellis Monachor* Sanch. *libro septimo in decalog. c.29. n.42.*

16 Requiritur etiam ad hoc vt Monachus præfici possit Ecclesiæ seculari curatæ Abbatis sui licentia. Idem enim constat ex cap. si Religiosus in princip. de elect. in 6. vbi sic: *Si Religiosus* [cuius arbitrium, non ex sua, cum velle, vel nolle non habeat, sed ex illius quem vice Dei supra caput suum posuit, & cuius imperio se subiecit, voluntate dependet] electione de se ad prælationem aliquam extra suum Monasterium vel suam Ecclesiam celebratæ sui Superioris qui dare ipsam valeat, non petita licentia, & obtenta præsumpserit consentire, consensus sic præstitus non teneat, & in pœnam præsumptionis illius electio eadem ipso facto iuribus vacuetur omnino. Quamuis autem textus solùm loquatur de electione ad prælaturam, attamen ratio in ipso explicata, scilicet *quod velle, vel nolle non habeat*, etiam procedit in ordine ad quodcumque beneficium. Rodrig. *to.1. q. Regul. q.35. ar.5.* Adeo etiam vt quidam vt dictum est *num.5.* extendant hoc ad casum in quo Monachus ad Papatum assumeretur. Nec sufficit licentia generalis concessa per Superiorem, vt consentiat suæ electioni quandocumque electus fuerit, quia licet in prædicto *cap si Religiosus* nihil de hoc exprimatur, attamen in *Clement. 1. de elect.* id habetur expressè iis verbis. [Cum concessa Religioso à Superiore suo licentia, vt electioni vel prouisioni (si quam de ipso contigerit fieri) suum dare possit assensum, ambitionis vitio viam paret, nullius eam existere volumus firmitatis.] Sanchez *lib.7. in Decalog. capite 29. num.59.* Cum autem in dicto *cap. si Religiosus* nihil dicatur circa Superiorem Religiosi à quo obtinenda est licentia, videtur dicendum quemcumque Superiorem, videlicet, vel supremum scilicet, Generalem, vel etiam Prouincialem, aut immediatum. Prælaturam ad hoc sufficere, nisi aliud in Religionis Constitutionibus statuatur, cum quilibet eorum sit verus Superior, & cuilibet etiam subiiciatur Monachus. Ioannes Andreas *in cap. si Religiosus num. 2.* Sanchez *vt suprà num.65.* Ex priuilegio tamen Eugenij IV. pro Monachis Congregationis S. Iustinæ in Bulla *Regularem vitam* apud Rodriguez *tom.1. Bullarij inter Bullas Eugenij num.10.* habetur, nullum Monachum eiusdem Congregationis posse beneficium aliquod extra dictam Congregationem impetrare, aut acceptare sine licentia Capituli dictæ Congregationis, vel Præsidentis cum maiori parte visitatorum sub magnis pœnis ibi contentis. [Ex dictis autem colligitur ad hoc quod Iure communi Monachus præfici possit beneficio sæculari Curato requiri tum necessitatem, vel vtilitatem Ecclesiæ cui præficitur, tum licentiam sui Superioris. Adde etiam requiri vlterius, ne id sit prohibitum illis per Statuta suæ Religionis, qualiter Societatis Iesv Religiosis prohibitum est vt habet Sanchez *suprà num.36.* Imò etiam videtur requiri quod Ecclesia illa sit actualiter curata, non habitualiter tantum; hoc enim priuilegium concessum est Regularibus in fauorem curæ animarum quod cessaret si actualiter Ecclesia non esset Curata Sanch. *suprà n.41.* Tamburin. *de Iure Abbat. to.3. disp.9 quæsit.8. n.8.* Adde etiam videtur requiri quod Ecclesia

præscriptione quadragennaria non sit solita regi per sæculares cum exclusione Regularium. Selua *de benefic. 3. par. q. 11. num.133.* Sanchez suprà *n.41.* Tamburinus *suprà n.9.*]

Generaliter etiam præcipitur Monachis, & quibuscumque Religiosis non mendicantibus, ne [electionibus, postulationibus, prouisionibus, aut vocationibus à minori parte numero ad prælationes quaslibet de se factis (hoc ipso quòd à minori parte processerint, nullum prorsus tribuant ius eisdem) suum audeant præstare consensum, etiamsi super hoc assensus, vel licentia suorum interuenit Prælatorum.] Ita enim deciditur *cap. quorumdam de elect. in 6.* Vbi etiam irritum, & inane, quidquid secus factum fuerit, declaratur. Videtur autem loqui textum tam de Prælaturis intra Ordinem, quàm extra, cum dicat ad *Prælationes quaslibet*, per quod denotantur Prælaturæ intra, & extra Ordinem, præsertim quia in priori parte capitis cum loqueretur de mendicantibus in alia prohibitione expressit solùm prælaturas extra Ordinem. Rodriguez *tom.2. qq. Regular. quæst.55. art.2.* Sanchez *libro septimo in Decal. cap.29. n.49.* Vbi etiam alia ad intentum. 17

Loquendo autem de beneficiis simplicibus secularibus inter ea connumerando Canonicatum Ecclesiæ secularis, verissima sententia est monachum iure communi esse illorum incapacem. Primò ex *cap. in nona actione 16. q.7.* vbi habetur *in vno eodemque officio non debet dispar esse professio*, quasi dicatur, quòd in Ecclesia sæculari, vbi sæculares sunt beneficiati non debent esse Monachi qui sunt disparis professionis. Secundò ex *cap. super eo de Regularibus* vbi de eis dicitur, *nec amplius in Ecclesiis sæcularibus debent assumi.* Tertiò ex cap. *Quòd Dei timorem*, vbi solùm in curæ animarum fauorem statuitur, quòd Monachus assumi possit ad beneficium curatum sæculare. Fauent etiam *cap. cum de beneficio de præbend. in 6. & Clem. vnica de supplend. negligent. Prælator.* Nauarrus *Comment. 4. num.23. init. de Regularibus*, Azorius *tom.1. instit. moral. lib.12. cap.19. q.13. & tom.2. lib.6. cap.4. q.22.* Nec potest Episcopus in hoc dispensare, quia nullibi id illi conceditur. Rosella *verb. Monachus num 4.* Azor. *tom.1. instit. moral. vt suprà in fine quæstio.13.* Sed solus Papa, iuxta dicta *tomo primo, cap.2. num.17.* Sanchez *lib.7. in Decalog. cap.29. numero 76.* 18

Tam Monachi, quàm quicumque alij Regulares beneficiis huiusmodi curam animarum habentibus inseruientes, aut Ecclesiastica Sacramenta, aut vnum ex illis ministrantes, in his quæ huiusmodi curam, seu administrationem concernunt, omnimodæ iurisdictioni, visitationi, & correctioni Diœcesani Episcopi, tanquam Sedis Apostolicæ delegati subiiciuntur. Ita enim colligitur ex declaratione S. Congregationis Episcop. & Regul. apud Barbosam in Collectan. Bullar. verbo Regulares 1. & ex Constitutione Gregorij XV. verbis adductis *cap.1. n.28.* 19

Incapax etiam est Monachus pensionis obtinendæ super beneficio sæculari, siue simplici, siue Curato, absque Romani Pontificis dispensatione Ratio est, loquendo de beneficio simplici, quia cum Monachus sit incapax illius, vt dictum est, sic etiam pensionis super illo, quæ est quasi pars vel accessorium illius. Loquendo verò de beneficio curato, ratio est, quia licet illud concedatur Monacho à iure communi, vt dictum est ex indulgentia, & in fauorem curæ animarum, cum hæc ratio

non procedat in pensione non erit capax illius. Ratio autem vtriusque præcipuè sumitur ex eo quòd (quidquid sit de iure antiquo) attento tamen Romanæ Curiæ vsu propriæ, & veræ pensiones, quibus beneficia onerantur ad certam redditum partem alteri dandam sola auctoritate Pontificia concedi possunt. Sotus 9. *de iust. quæst.*7. *art.*2.*columm.*2.*vers.*2.*conclusio*, Aragon.2.2. *q.*100. *artic.*4. Imò etiamsi Papa talem pensionem Religioso concederet, si constaret legitimam deesse causam concessionis, tutus non esset in conscientia Religiosus. Ratio est, quia quicquid sit de pensionibus concessit sęcularibus, de quibus inualidas etiam esse si sine causa concedantur, tenent aliqui, vt Toletus *lib.*5. *Summ. cap.*83. cum obtinere Religiosum pensionem sit relaxatio, quædam voti paupertatis iure diuino, & naturali obligantis, & ad minus sit dispensatio quædam in decretis Concilij Tridentini, & Summorum Pontificum circa paupertatem Religiosam, si sine causa legitima concederetur, nulla esset. Azorius *to.*1.*instit.moral. lib.*12.*cap.*9.*q.*9. Sanchez *l.*7. *in Decalog.c.*29.*n.*98. Iusta autem causa huius concessionis erit si Religiosus ille vir sit, cuius opera Romanus Pontifex egeat, aut de Ecclesia bene meritus, aut senio confectus, aut graui valetudine grauatus, aut talis indigentiæ quòd Monasterium illi non subueniret in necessariis. Azorius *ibid.* Toletus etiam *ibid.* An verò Monachus, vel Regularis capax sit pensionis super beneficium Regulare dicetur *cap.*18. *nu.*37. [Hæc porrò omnia quæ diximus de incapacitate Monachorum ad beneficia simplicia sæcularia, seu pensionem super beneficia sæcularia, conueniunt etiam aliis Regularibus (exceptis forsan Canonicis Regularibus propter dicenda inferius *cap.*3. de ipsis) Iura enim & rationes adductæ id conuincunt, & ita tenent præter relatos Authores Rodriguez *to.*1.*q. Regul.q.*33.*art.*4. Sà *in Summa verb. Religio, n.*32. Tamburinus *de Iure Abbat.to.*3.*disp.*9.*quæsit.*15. post alios.

21 Ex dictis autem fit beneficia Nouitiorum Monachorum, quæ antea in seculo habebant, & quorum Monachi capaces sunt, iuxta dicta, videlicet beneficium curatum, non vacare probationis anno, non solùm quia cum Monachi non sint incapaces illorum, nec Nouitij per nouitiatum incapaces erunt, sed etiam quia in *cap. beneficium de Regularib. in* 6. sic dicitur: *Beneficium illius, qui Religionem ingreditur non est intra probationis annum alicui conferendum, nisi ad id ipsius accedat assensus, aut constet quòd vitam voluerit absolutè mutare, vel professionem expressam fecerit, seu scienter habitum receperit Professorum. Sed interim eidem beneficio per alium deseruiri debebit, assignata sibi congrua de ipsius prouentibus portione.* Saytus *in Claui regia lib.*6.*cap.*5.*num.*25.*vers.possunt etiam.* Sanchez *lib.*7. *in decalog. c.*4. *à num.*2. Imò etiam ea beneficia, quorum, iuxta dicta, Monachi incapaces sunt, vt sunt verbi gratia Canonicatus (idem dico de pensionibus propter paritatem rationis) non vacant toto probationis tempore, nisi adsint ea quæ in prædicto *cap. Beneficium* designantur, Textus enim vniuersaliter loquitur de beneficiis ac proinde intelligendus de quibuscumque beneficiis siue illorum sint capaces Monachi siue non. Quare Canonicus nouitius habet ius eligendi, quòd cæteri Canonici habent. Azorius *to.*1. *instit. moral. lib.*12. *cap.*3. *quæst.*1. Sanchez *lib.*7. *in Decalog. capite quarto numero vndecimo & *13. Non tamē propterea vocari necessariò debet ad electionem, sed potest censeri vt legitimè absens. Syluester *verb.Religio* 5.*q.*11. Azorius *vt suprà*. Fructus autem beneficij nouitij diuidendi sunt, itaut pars illorum assignetur Vicario ministraturo beneficio, iuxta dictum *c. Beneficium*, pars autem alia cadat ipsi Nouitio, quia est verus Dominus illius, & beneficiarius. Sanchez *vt suprà n.*18.

Tempore etiam Nouitiatus capaces sunt Nouitij Monachorum beneficiorum, iuxta dicta, *tom.*1. *c.*24.*n.*37. Quod non solùm intelligo de illis beneficiis, quæ Monachis professis concedi possunt, sed etiam de illis, quæ solis sæcularibus, cum nouitij sint sui iuris, & simpliciter sæculares. Non debent tamen ista illis concedi, ne ansa detur deserendi Religionem ad fruendum beneficiis. Angelus *verbo Nouitius n.*23. Tabiena *ibi quæst. vlt.* An verò sint capaces beneficiorum Regularium dixi *to.*1.*c.*24.*n.*37. relato, & dicam *c.*18.*n.*4. 22

Quæcumque autem beneficia, siue pensiones vacant, per professionem, iuxta dicta *to.*1.*c.*2.*n.*17. ita enim supponitur in *c.beneficium n.*21. relato, & ratio decisionis ea est, quia per professionem Religiosus moritur mundo, & seculo. Vacant ergo illa quæ in mundo, & sæculo habebat. An autem idem sit dicendum de professione Equitum militarium S.Ioannis, S.Iacobi, Calatrauæ, Alcantaræ, &c. dicetur *cap.*5.*n.*42. 23

Gaudent præterea Monachi variis, & diuersis priuilegiis à Summis Pontificib. illis concessis, quorum aliqua hic adducenda sunt: Primò enim Monachi S.Basilij à Greg.XIII. in Bulla *benedictus Dominus* in 2.tom Bullarij Laërtij inter Bullas huius Papæ *n.*58. in vnam Congregationem, & sub regimine vnius Abbatis redacti, certisq; Constitutionibus reformati, multis priuilegiis ab ipso decorati sunt, videlicet Congregationis Cassinensis Ordinis S. Benedicti, exemptione à iurisdictione Ordinariorū & Commendatariorum, ac sub protectione S. Petri immediatè constituti. Idem etiam Gregor.XIII. in alia Bulla *Cogit muneris* in eodē to.2. Bullarij *n.*46. Eremitoria del Tardon, & alia in Hispania existentia in Monasteria S.Basilij erexit, Ordini eidem adiunxit, & aliquibus statutis eis concessis, priuilegia quoque Ordinis S.Basilij, & Congregationis Cassinensis S.Benedicti illis tribuit. Postea Clem.VIII. in Bulla *quæ ad restituendos* in 3. tom.Bullar.n.14. facta à Gregor.XIII. approbauit, & in alia quæ est *n.*103. vnionem à Greg.XIII. factam reuocauit, & duo Monasteria in Hispania, scilicet Eremi del Tardon, & S. Antonij de Galogillos in Monasteria reformationi constituit, & separauit, ac illis nouitios recipiendi facultatem concessit. Ac tandem Paulus V. in Bulla *Iniunctum nobis* 3. tom. Bullarij Laërtij *n.*17. separationes factas approbans priuilegia illis concessa confirmauit. Ante quæ tempora Alex.III. in Bulla Apostolicæ Sedis in 1.to.Bullar. Laërtij n. 6. Ordinem, & Regulam S.Basilij approbauit, ipsi donata à Rege Siciliæ rata fecit, exemptionem à decimis concessit, ac facultatem quæcumque bona acquirendi. Insuper Calixt.III. in Bulla *Vrget nos* in eodem tomo 1.Bullarij *n.*4. Monasterium sancti Saluatoris de lingua huius Ordinis pluribus immunitatibus præsertim à iurisdictione Ordinariorum, collectis, & exactionibus decorauit, & sub S. Petri protectione suscepit. Qualiter autem hæc priuilegia modò subsistant, ex dictis, tum hoc primo tomo, tum etiam ex inferius dicendis constabit. 24

Monachi etiam Benedictini quam plurimis gratiis, priuilegiis, & immunitatibus à Sede Apostolica 25

stolica concessis gaudent, quorum aliqua relata in Bullario Rodrig. hic referenda sunt. Primò enim Vrban. II. anno 1092. in Bulla *cum vniuersis*. Cauensæ Cœnobium Ordinis S. Benedicti multis priuilegiis decorauit,& inter alia quòd ab omni tã sæcularis, quàm Ecclesiasticæ personæ iugo liberum esset decreuit, quod qualiter recipiendum *tom.1. cap.3.* est dictum. Item Gregor. IX. in Bulla *Apostolicæ Sedis benignitas* Abbati S. Facundi. Ordinis S. Benedicti concessit, quòd ipse, & eius successores indumenta Sacerdotalia Monasterij benedicere, ac Monachos, & Clericos sæculares Monasterio ipsi pleno iure subiectos vsque ad Acolytathus Ordinem promouere posset. Circa quod vide dicta *tom.1. cap.14. num.14. & cap.18. num.65.* Deinde Nicolaus III. in Bulla *Deuotionis vestræ* eidem Abbati S. Facundi concessit,vt possessiones,& alia bona mobilia, & immobilia, quæ essent Religiosorum antequam Religionem professi essent, feudalibus dumtaxat exceptis,possent petere, recipere, & retinere. De qua materia infrà cap.18. Eidem etiam Abbati S. Facundi Benedictus XII. in Bulla *Deuotionis vestræ* Cœlestini III. Bullam confirmando indulget, vt non liceret, alicui personæ præter Romanum Pontificem, aut Legatum, Cardinalem eos ex communicare, aut interdicere, & quod tempore interdicti generalis eis liceret in Ecclesiis suis, exclusis excommunicatis, & interdictis, clausis ianuis, non pulsatis campanis, suppressa voce, Clericis, & familiæ ipsorum diuina officia celebrare, & debita peragere sepulturæ, & quod liberi essent à decimis certis soluendis,nec aliquis ædificaret infra Parochias Ecclesiarum ad dictum Monasterium pertinentium absque Abbatis consensu. Item Martinus V. in Bulla *In decore* Conuentui S. Benedicti Vallisoletani concessit exemptionem à cognitione, siue executione quorumcumque negotiorum, seu commissionum, dummodo ad fidem Catholicam non pertinerent. Maximè Eugenius IV. eidem Monasterio S. Benedicti Vallisoletani magna priuilegia concessit circa absolutionem Monachorum, & dispensationem cum eisdem, quæ tamen prætermitto, quia solum viuæ vocis oraculo concessa videntur,& concessiones huiusmodi hoc tempore vacant, iuxta dicta *tom.1.cap.3.num.21.* Item in Bulla *Iniunctum nobis* facultatem tribuit recipiendi reliquias à quibuscumque personis : Item in Bulla *Dispositione diuina* Congregationi S. Iustinæ facultatem tribuit recipiendi quascumque donationes, seu legata; multa etiam eidem Ordini S. Benedicti idem Pontifex statuta dedit, & priuilegia magna concessit, patet vt ex pluribus eiusdem Pontificis diplomatibus in eodem Bullario Rodriguez in Eugen. IV. item Calixtus III. eidem Conuentui Vallisoletano indulta dedit circa contributiones de bonis ipsius in Bulla *Speciali gratia*. Alexand. VI. Monasterio Montisserrati priuilegium concessit in Bulla *Sanè merita, &c.* vt in dicto Monasterio immediatè post duas horas post mediam noctem Missam celebrare possent. Hoc tamen priuilegium vacare videtur hoc tempore propter declarationem Sacr. Cõgregationis adducta *to.1.c.21.n.2.* Cle. VII. eidem Congregationi Vallisoletanæ in Bulla *Deuotionis augmentum* priuilegia indulsit circa contributiones, & partitiones decimarum ipsis Monachis non auditis non faciendas. Paulus III. in Bulla *Exponi nobis* Congregationi eidem magnum etiam priuilegium concessit circa absolutionem, & dispensationem faciendam cum subditis prima die lunæ Quadragesimæ. Pius V. in Bulla *Decet ex benigno, &c.* Facultatem concessit Congregationi Cassinensi alienandi eius bona. Quod tamen priuilegium hoc tempore vacat, propter dicta *tomo primo capite decimo à numero primo.* Deinde Sixtus V. in Bulla *Iniunctum nobis* amplam communicationem priuilegiorum Congregationum Cassinensis, & Vallisoletanæ, & Ordinum sancti Hieronymi, & Cisterciensium Congregationi sancti Benedicti in Lusitania concessit, extendit etiam hoc priuilegium idem Pontifex ad litteras conseruatorias dictarum Congregationum, & Religionum in alia Bulla *Alias siquidem.* Pariter Clement. Septimus in Bulla Romanus Pontifex Congregationi sancti Benedicti Vallisoleti communicauit priuilegia Ordini concessa. Vide etiam alia priuilegia Abbatibus horum monachorum concessa apud Barbosam *in Collectan. Bullar. ver. Abbas 3.*

Pariter etiam pro Ordine Cisterciensi Innocentius Quartus in Bulla *Cum à nobis petitur, &c.* 26
Illis concessit ne quisquam in familiares, seruientes, ac benefactores Ordinis illius seu in eos, qui molunt in molendinis Monasteriorum vel coquunt in furnis illorum, seu alias cum Monachis communicant excommunicationis sententiam promulgaret, & si talis excommunicatio proferatur, irrita sit, & inanis. Loquitur autem Pontifex de illis qui in fraudem priuilegiorum dicti Ordinis à Sede Apostolica concessorum id faciunt. Vide dicenda *capite decimosexto* de familiaribus Regularium. Item idem Pontifex Innocentius Quartus in Bulla *Cum nuper dixerimus* declarat decretalem ab ipso editam de exemptis ratione delicti, seu contractus, aut rei de qua contra ipsos agitur ritè posse coram Ordinariis conueniri intelligendam esse sine præiudicio libertatum, & immunitatum Ordinis Cisterciensis. De qua materia dictum est *tomo primo capite tertio numero octauo & capite vndecimo à numero secundo præsertim numero decimo.* Concessit etiam eisdem Cisterciensibus idem Pontifex, & postea id ipsum confirmauit Pius Secundus vt possessiones, & alia bona mobilia exceptis feudalibus quæ personas Fratrum professionem facientium si remansissent in sæculo ratione successionis, vel quocumque alio iusto titulo contigissent, petere, ac retinere libere valerent. De quo etiam capitulo decimooctauo dicetur. Postea Alexander Quarti in Bulla *Deuotionis vestræ*, ipsismet Cisterciensibus concessit, quod in grangiis, & locis, quæ adeò distant ab Ecclesiis Parochialibus, quod ad eas pro audiendis diuinis Officiis non possent commodè habere recursum, liceret illis dummodò Parochiani earumdem Ecclesiarum non interessent, diuina celebrare sine præiudicio iuris alieni, de quo vide dicta *tom.2. cap.21.num.15.* Item idem Pontifex in Bulla *Præclara Religionis*, vt nullus ipsorum possit alij alterius Religionis, vel Presbytero sæculari confiteri absque sui Abbatis licentia. De quo *tom.1. cap.18. numer.26.* Præterea ipse Pontifex eisdem Cisterciensibus concessit in Bulla *Circa sacrum*, ne tenerentur quibuscumque Nunciis, Archiepiscopis, vel Episcopis quascumq; procurationes pecuniarias soluere. Prohibuit etiam iisdem idem Pontifex in Bulla *Virtutum meritis* appellationem extra Ordinem, de quo etiam *tomo primo capite nono* est dictum. Insuper Vrbanus Quartus in Bulla *Deuotionis augmentum* eisdem Cisterciensibus concessit, quod tempore interdicti possent,

possent, excommunicatis, & interdictis exclusis, diuina officia etiam alta voce, apertis ianuis, & pulsatis campanis in Monasteriis, quæ à sæcularium habitationibns remota sunt celebrare. De quo dictum est *tom.1.capit.21.num.19. & 20.* Item Gregor. Decimus ann. 1275. in Bulla. *In vestitu deaurato* post egregiam Ordinis Cisterciensium commendationem eum à decimarum extraordinariarum, & exactionum onere liberauit. Vide dicta *tom.1.cap.3. num.14.& 15.* Præterea Nicolaus III. in Bulla *Honestis desideriis*, ipsis indulsit, vt possent audire confessiones pauperum infirmorum, qui ad Hospitalia infra septa Monasteriorum deputata confluunt per aliquem, vel aliquos idoneos Monachos deputandos, eisdemque Ecclesiastica Sacramenta, ministrare. Vide dicenda hoc 2. tomo capit.6. de Hospitalariis. Item Bonifac. Octauus in Bulla *Series oblatæ* inhibuit ne aliqui Prælati, cum ipsos in Ecclesiis Monasteriorum Cisterciensium solemnia celebrare contigisset, possent oblationes factas à Monasteriis ipsis asportare, sed eas ibi dimittere. Item bulla *ad augmentum* concessit, vt Prælati ipsorum possent ad correctionem monialium procedere, rimulis, & apicibus iuris postpositis, appellatione interdicta *tomo primo capitul.18. numer.16.* & in Bulla *In Ecclesiæ fundamento* eos à decimis, & primitiis soluendis exemit. Item Clemen. Sextus in Bulla *Militanti Ecclesiæ*, tres Abbates, Iudices, Conseruatores deputauit pro defensione rerum mobilium, & immobilium iurisdictionum, & possessionum eorumdem Cisterciensium. De qua materia infrà c.10. Vrban. V. in Bulla *Sacræ vestræ* illis indulsit, quod in castris, & fortalitiis, ad quæ tempore belli recurrerent in locis tamen congruis, & honestis, erigere possent Altare portatile, & ibi Missas, & diuina Officia celebrare. Vide dicta *tom.1.cap.21. num.14.* Item Martinus V. in Bulla *Militanti Ecclesiæ* amplum priuilegium illis concessit circa exemptionem à decimis soluendis Ioannes XXIII. in Bulla *etsi quibuslibet*, priuilegia à Summis Pontificibus Prædecessoribus eisdem concessa confirmauit. Eugenius IV. in Bulla *Iniunctum nobis.* Reformatori Ordinis Toleti, & successoribus magnam etiam facultatem concessit circa absolutionem, & dispensationem dandam Religiosis. Quibus etiam in aliis Bullis magna quoque priuilegia indulsit, statutaque dedit Sixtus IV. in Bulla *Sacrosancta* magnum etiam priuilegium eisdem Cisterciensibus; eorumque familiaribus continuis, Procuratoribus, &c. Concessit circa absolutionem eorum in mortis articulo. Præcipuè Gregorius XIII. in Bulla *Superna dispositione* circa ipsorum reformationem plura statuta fecit, priuilegiaque concessit. Item Gregorius XIV. in Bulla *Romanus Pontifex*, amplissimam extensionem priuilegiorum aliarum Congregationum Congregationi S. Bernardi Hispaniarum communicauit. Bullarium Rodriguez *to.1. & 2.* in præfatis Pontificibus.

27 Prohibitum tamen illis est in Regnis Castellæ, & Legionis ab Alexandro VI. in Bulla *Romanus Pontifex* in Bullario Rodriguez *tom.1. Bullar.14.* inter Bullas huius Pontificis ne prætextu Cruciaciatæ, aut aliarum quarumcumque litterarum Apostolicarum confessorem eligere absque licentia Superiorum suorum possent. Vnde comprehenduntur in doctrina tradita *tom.1.nostræ summæ c.19. n.29.* Idem ordinatum esse videtur à Iulio III. pro Congregatione S. Benedicti Vallisoletani in Bulla *Suadet*, in Bullario Rodriquez *tom.1. num.5.* in Iulio III. Quibus adde decretum S. Congregationis in causa Castellæ, & Portugalliæ, vbi id decernitur de Bulla Cruciatæ generaliter pro omnib. Regularibus vtriusque sexus quoad casus reseruatos; apud Barbosa *in Collect. Bull. verbo Cruciata.*

Carthusiani ab Allexandro III. in Bulla *Cum vos* in 1. tomo Bullarij Laërtij Cherubini num.7. approbati sunt, sub protectione Sedis Apostolicæ suscepti, & in possessionibus quas habebant confirmati. Prohibuit etiam Pontifex sub anathematis pœna, ne quis intra terminos ipsorum hominem capere, furtum, seu rapinam committere, vel homicidium facere auderet, aut homines ad domos illorum venientes, vel ab eis redeuntes quomodolibet perturbare. Quod priuilegium quantum ad capturam hominum, si intelligatur de delinquentibus, correctum à Gregor. Decimoquinto videtur, iuxta dicta *tomo primo cap.18. numero 83.* concessit etiam eisdem, vt infra dimidiam leucam à terminis possessionum quas habent nullus Religiosus quodlibet ædificium constituere, vel possessiones adquirere posset. Contrarium tamen apparet Romæ vbi multa Cœnobia Regularium intra dictam mediam leucam reperiuntur. Item Honor. III. in Bulla *Cum dilecti*, in eodem tom.1. Bullarij Laërtij *num.3.* ne ab aliquibus temerè molestarentur ad calumniæ iuramentum, vel ferendum testimonium cogerentur præcepit. Vide dicta *tom.1. capite 11. num.24.* Gregor. IX. in Bulla *quoties à nobis* in eodem 1. tom. Bullar. num.3. oblatos Carthusinensis Ordinis etiam sub protectione S. Petri. Suscepit, & eisdem libertatibus, & immunitatibus quibus ipsi gaudent gaudere decreuit. Pro quo vide dicenda hoc 2. *tomo capite octuao.* Item Vrbanus V. in Bulla *Sinceræ* in eodem 1. *tomo* Bullarij *numero secundo* facultatem tribuit vtendi Altari portatili pro celebratione missarum in locis ad Ordinem spectantibus. Pro quo indulto, vide dicta *tom.1.cap.21.num.14.* Præterea Bonifac. IX. in Bulla *Sacrosancta* eodem tom.1. Bullarij num.3. ipsos exemit à iurisdictione, visitatione, & correctione Episcoporum, & aliorum omnium. Pro quo etiam, vide dicta *tom.1.cap.3. num.8. & cap.11. à num.2.* Martinus V. in Bulla *fons paruulus* in eodem tomo 1 Bullarij num.4. illos à solutione primitiarum, & decimarum exemit. De quo, vide dicta tomo 1. cap.3. num.15. Greg. XI. concessit eisdem, vt omnia priuilegia Domui Carthusiæ Grationopolitanæ, & aliis domibus concessa ad alias domos in posterum ædificandas extenderentur. Quam etiam extensionem, & expressionem concessit illis Pius II. Casarubius *in Compend. priuileg. Mendicant. verb. communicat. priuil. numero 36. & 37.* 28

Aliarum Congregationum monachorum priuilegia non refero, quia etsi illas magna veneratione dignas æstimem, ipsorum tamen priuilegia fere similia sunt iis, quæ ex Basilianis, Benedictinis, Cisterciensibus, & Carthusianis sunt relata. 29

Non potest monachus locum habere in duobus monasteriis. Ita enim deciditur *in cap. ne nimia de Religios. domibus.* Tunc autem dicitur habere locum in duobus monasteriis quando in vtroque habet vocem in Capitulo, & sedem in Choro. Azorius *tom.1. instit. moral. libro 12. capite 19. §. 12. Quæritur.* Nec quando monachus eligitur in Abbatem alterius monasterij potest in suo habere vocem, & locũ nisi illa Monasteria sint annexa. 29

Abbas

Abbas *in capite primo de priuilegiis.* Azorium *vt supra.*

31 Is qui præest Monachis debet per se, vel per alium vulgari sermone Regulam exponere in Capitulo. Ita enim habetur in Clement. Ne in agro de statu Monachorum illis verbis *Regula quoque cum in capitulo legitur ab illo qui præest, ipsi Capitulo; vel alio cui hoc ipse iniunxerit propter iuniores vulgariter exponatur.* Vbi vnum supponitur videlicet Regulam legi in capitulo, aliud verò præcipitur, scilicet eam exponi debere in vulgari sermone propter iuniores.

32 Tenentur ad silentium seruandum Monachi in Oratorio, Dormitorio, & Refectorio; in claustro verò ad certas temporum horas. Ita enim habet Innocentius III. *in cap. cum ad Monasterium de statu Monachorum. In Oratorio verò, Refectorio, & Dormitorio continuum semper silentium obseruetur, in claustro quoque certis horis, & locis.* Hanc verò obligationem non esse sub mortali cetum est, cum nunquam tam rigorosè sit recepta, Graffis *in 2. part. decis. lib. 3. cap. 22. num. 1.* An verò sit sub veniali, licet in rigore iuris ita sit dicendum, cum sit præceptum Pontificium, ad communem tamen acceptionem Religionum attendendum est, iuxta dicta *to. 1. c. 7. à n. 10.* Hæc autem obseruantia maiorem obligationem inducere videtur Carthusianis, quàm aliis Monachis.

33 Prohibitum est Monachis in iure carnes comedere sine causa rationabili, & assensu Abbatis, *ex cap. carnem de consecrat. d. 5. & cap cum ad Monasterium de statu Monachorum.* Graffis 1. *part. decisionum lib. 3. cap. 5.* non tamen videtur hoc præceptum obligare ad mortale nisi quando quis carnes edit ex contemptu Regulæ, vel contra speciale Superioris præceptum. Syluester *verb. Religio 7. quæst. 14.* Graffis *vt supra.* secus dicendum de Carthusiensibus propter magnum rigorem, quo hæc obseruantia apud illos habetur. In Monasteriis autem aliorum Monachorum, in quibus consuetudo habet quod comedantur carnes, scientibus Superioribus, & patientibus sine vllo peccato id fit. Censetur enim consuetudine immutatam esse iuris dispositionem, Graffis *vt supra num. 10.* De vsu lineorum Vide dicta *tom. 1. c. 9. n. 21.* Et nota illud præceptum præcipuè dirigi ad Monachos in prædicto *cap. cum ad Monasterium.* Similiter de obligatione confitendi semel in mense, vide *ibid. n. 22.*

34 Tenentur Monachi prima Dominica cuiuslibet mensis in Monasteriis venerabile Sacramentum sumere, nisi ex causa (quam Abbati, aut Priori, aut Pœnitentiariis monasteriorum aperiant) abstineant ad eorum arbitrium. Ita enim decernitur. *in Clem. ne in agro de statu Monachorum.* Azor. *tom. 1. institut. moral. lib. 12. cap. 19.* Aduertens etiam hanc legem cum sit humana, consuetudine abrogari posse. Vbi autem consuetudine abrogata non fuerit, obligat ad culpam cum sit præceptum Papale in illa Clementina. Addit esse mortale Iacobus Graffis *in 1 part decis. lib. 2. cap. 38 num. 36.* Sed non credo cum tanto rigore acceptam esse hanc legem saltem apud omnes. Ipsi tamen viderint.

35 Teneri accedere ad processiones publicas, & generales, imò ad id compelli posse ab Episcopo monachos quantumuis exemptos, habetur ex declarationibus S. Congregationis apud Barbosam in Collectan. Bullar. verbo Monachus I. Veruntamen, si de illis, aut earum sensu certò non constat poterunt monachi, vti consuetudine legitimè præscripta.

Monachorum Abbates non omnes consecrandi, 36
aut benedicendi, sed ij tantum qui suæ Ecclesiæ more, consecrari, aut benedici solent, *ex c. alienationes 12. q. 2.* Sunt enim Abbates quidam benedicti, alij non benedicti, vt ex vsu constat, & colligitur, ex *cap. 1. de supplend. neglig. Prælat.* Suarez *4. tom. de Relig. tract. 8. lib. 2. cap. 29. num. 2.* Hæc porrò benedictio, seu consecratio, etsi decentius die Dominica dari debeat, aliis tamen diebus in quibus Minores Ordines conferuntur dari potest, cum non sit tanta quanta Episcopi, nec maior quam Ecclesiæ, vel altaris consecratio, quæ tamen aliis diebus quam Dominicis fit, *capitulo tua de consecrat. Ecclesiæ, vel Altaris.* Azorius *tom. 1. instit. moral. lib. 12. cap. 20.* Non reiteratur hæc benedictio, quia etsi characterem non imprimat, æquiparatur tamen in hoc benedictioni nuptiali, & aliis benedictionibus Ecclesiasticis, quæ circa eamdem rem permanentem non iterantur. Nauarrus *consil. 2. de stat. Monachorum.* Suarez *vt supra.* Vnde à Sac. Congregatione declaratum est, quod Abbas semel benedictus cum vsu birreti si transferatur ad aliam Abbatiã habentem vsum mitræ, non indiget alia benedictione, sed potest per seipsum mitram capere. Barbosa *in collect. Bullar. verb. Abbas 1.* Fit hæc benedictio Abbatis post electionem, & confirmationem ipsius, sicut consecratio Episcopi quæ etiam fit post electionem, seu designationem & confirmationem. Azorius *vt supra.* Vnde Abbas non constituitur per benedictionem sed per electionem, & confirmationem; benedictio enim se habet, vt quoddam ornamentum, seu consecratio personæ in ea dignitate constitutæ. Suarez *vt supra.* Fit benedictio Abbatis ab Episcopo, duobus assistentibus Abbatibus, vel sine Episcopo à tribus ad minimum Abbatibus, vt consuetudine habetur. Syluester *verb. Abbas quæst. 1.* Layman. *in Theolog. moral. lib. 5. tract. 9. c. 13. §. vnico num. 17.* Video tamen declaratum dici à S. Congr. quod solùm ab Episcopo recipere debeat benedictionem. Barbosa *in collectan Bullar. verb. Abbas 1.* ideo cautè procedendum. Possunt autem illi solemnem benedictionem impertiri populo in Ecclesiis ad ipsos pleno iure spectantibus post Missarum perfecta sacrificia, post vespertinas preces, aut matutinas decantatas, non autem alibi publicè, aut per vias, Ciuitates, aut Castella, vel Villas. *ex cap. Abbates de priuileg. in 6.* pro quo video priuilegium Cœlestini V. & Eugenij IV. Cœlestinis concessum, vt Abbas de Sulmona, eiusque successores ad Missas in Conuentibus benedictionem solemnem facere possent, dummodo ibi non sit præsens aliquis Episcopus, vel Superioris status persona. Bullarium Rodriguez *tom. 1.* Bulla 18. in Eugen. IV. Vide etiam priuilegium Innocent. VIII. pro aliquibus Abbatibus Cistercij, de quo infra. Azorius *tom. 1. inst. moral. lib. 12. cap. 20.*

Possunt etiam aliqui ipsorum, tonsuram, & mi- 37
nores Ordines conferre, iuxtà dicta, & cum conditionibus assignatis, præsertim ex decreto Sacræ Congregationis *tom. 1. nostra Summa cap. 18. numer. 64. & 65.* De quo etiam Suarez *4. tom. de Relig. tract. 8. lib. 2. c. 29.* Barbosa *in Collectan. Bullarij verb. Abbas 1.* Extat etiam concessio Innocentij VIII. pro Abbate Cistercij, & quatuor primis Coabbatibus eius in *exposcit* in Bullario Rodriguez tom. 1. inter Bullas Innocent. VIII. num. 5. qua illis concedit facultatem dandi quatuor minores Ordines suis subditis, & quod magis est Subdiaconatus, & Diaconatus Ordines. Sed hæc facultas à

Concilio Trident. *sess.* 23. *cap.* 8. & 10. maximè 12. sublata videtur. Rodr. *t.* 1. *q. Reg. q.* 18. *art.* 3. & 4. Declaratum etiam est à S. Cong. Conc. Abbatem habentem priuilegium faciendi ea omnia, quæ spectant ad Episcopum non posse chrisma conficere, nec sacros Ordines conferre. Barbosa *in Collectan. Bullar. verb. Abbas.* 1.

38 Possunt item Abbates iura Episcoporum præscribere legitima consuetudine quantum ad iurisdictionem, non quantum ad potestatem Ordinis *ex cap. aqua de consecra. Eccles.* Azorius *tom.* 1. *instit. moral. lib.* 12. *c.* 20. Non tamen teneri Monachos associare, & reassociare eorum Abbates sicut tenentur facere Canonici cum Episcopis, dum ad Ecclesiam veniunt solemniter celebraturi, habetur ex declaratione S. Congregationis apud Barbosam *in Collectan. Bullar. verb. Monachus* 1.

39 Abbas Cistercij, & quatuor primi Coabbates eiusdem Ordinis habent priuilegium ad vtendum mitra, & annulo, & aliis Pontificalibus insigniis. Ita enim supponitur in Bulla Innocent. VIII. *exposcit* in Bullario Rodrigu. t. 1. Bulla 5. Innocent. VIII. quamuis hic Pontifex nihil circa hoc illis concedat. Vnde Abbates alij infulati, alij non infulati dicuntur, de quibus Layman *in Theolog. moral. lib.* 5. *tract.* 9. *cap.* 13. §. *vnico num.* 14. Nota tamen ex decisione S. Congregationis apud Barbosam vt supra, Abbatem licet exemptum, & habentem priuilegium vsus pontificalium, non posse illis vti extra Monasterium nisi de licentia Ordinarij. Insuper Abbatem in processionibus extra suam Ecclesiam, & Conuentum non posse vti Mitra, & baculo, nec etiam ante se deferri facere. In vsu tandem huius priuilegij attendendum maximè consuetudini legitimæ.

40 Abbates qui priuilegio, vel consuetudine deferre solent Episcoporum insignia cæteros Abbates cis insignibus carentes præcedere debent. *ex cap. vt Apostolicæ de priuileg. in* 6. Nauarr. *consil.* 1. *num.* 5. *de maiorat. & obedient.*

41 Abbas cuius abbatia ad nullam pertinet Diœcesim, & propria Episcoporum habet iura, Ordinarij nomine gaudet. Quia in iure nomen Ordinarij nisi aliud exprimatur non solum Episcopis, sed etiam inferioribus Clericis competit. Glossa *in cap. Ordinarij de Offic. Ord.* 1. *in* 6. Nauarrus *consil.* 5. *de spons.* Nomine autem Diœcesani non venit Quia hæc vox tantum Episcopos significat. Glossa *in Clement.* 1. *de iure patron. in verb. Diœcesan.* Nauarrus *vt supra.*

42 Possunt etiam Abbates, iuxta dicta *to.* 1. *cap.* 18 *num.* 57. benedicere vestes sacras, & ornamenta Altaris in quibus chrisma non interuenit Suarez *tom.* 4. *de Relig. lib.* 2. *n.* 30. Barbosa *in Collectan. Bullar. verb. Abbas* 1. Sed huiusmodi facultas, quantum ad paramenta pro extraneis benedicenda ablata est, iuxta dicta *præd. num.* 57. Vide etiam, Barbosam loco relato.

43 Abbates Regulares habentes iurisdictionem criminalem in Clericos etiam sæculares non comprehenduntur decreto Conc. Trid. *sess.* 24. *cap* 20. *vers. ad hæc* vbi est sermo de causis criminalibus ab Episcopis tractandis. Ita enim decisum refertur à S. Congreg. Barbosa vt supra.

44 Abbates, Præpositi, & Abbatissæ, vitam Regularem, ducentes non tenentur Episcopo rationem reddere. Ita enim decisum etiam refertur à Sacr. Congregat. teste Armendariz *in addit. ad recopilat. leg. Nauarræ leg.* 1. *tit.* 18. *lib.* 8. *num.* 79. Attendenda tamen in hoc est Constitutio Gregor. XV. *de exemptor. priuileg.* de qua *tom.* 1. *cap.* 25. *num.* 45. quam pro Regnis Hispaniarum suspensam esse, ibidem dixi.

Abbates Abbatiæ carentis cura, & Conuentu non sunt cogendi residere. Ex declaratione S. Congregat. testibus Garzia *de benefic. par.* 3. *cap.* 2. *num.* 176. *in* 9. *declarat.* Armendariz *in addit. ad recopilat. leg. Nauarræ lib.* 2. *tit.* 23. 45

SVMMARIVM.

Canonici Regulares vnde dicti. num. 1.
Dicuntur etiam à canonia. num. 2.
Habet eorum Religio beneficia Ecclesiastica, simplicia, Canonicatus, Abbatias, Præposituras, Personatus, Prioratus, officia administrationes, &c. n. 3.
Sunt eiusdem Religionis ij qui Ecclesiis inseruiunt, & qui Monasteriis assistunt. num. 4.
Sunt verè, & essentialiter Religiosi, propter tria vota, quæ emittunt. num. 5.
Eorum tamen Religio laxior habetur quam Monachorum. ibid.
Nomine Monachorum comprehenduntur in fauorabilibus, non autem in odiosis, & pœnalibus n. 6.
Item quoad ea, quæ per se solum respiciunt substantiam, vel decentiam status Religiosi. n. 6.
Institutum eorum per quod à Monachis distinguntur est vacare officiis, & ministeriis diuinis. n. 7.
Sunt enim verè Clerici. num. ibid.
Monachorum porrò institutum est vacare vita solitariæ, quieti, silentio & c. ibidem.
Monachorum Religio est austerior. ibid.
Canonicorum verò perfectiorem habet finem. ibid.
Quomodo differant à Mendicantibus. ibid.
Quomodo à Clericis Regularibus. ibid.
Licitus est transitus Regulariter loquendo, ex Canonicis ad Monachos. n. 8.
Præcedunt monachos. n. 9.
Gaudent pluribus priuilegiis à Sede Apostolica illis concessis. num. 10.
Prohibentur medicinam, vel leges audire. n. 11.
Prohibentur etiam munus Aduocati exercere. n. 12.
Si non adsint duæ conditiones, scilicet præceptum Superioris, & vtilitas Monasterij. ibid.
Iubentur in vna domo habitare, ad mensam communem edere, & sub eodem tecto dormire. n. 13.
An obligentur ad confessionem saltem semel in mense, communionem prima Dominica mensis, legendum, & exponendum vulgari sermone Regulam in capitulo. num. 14.
Non est illis interdictum comedere carnes sicut Monachis. num. 15.
Possunt habere beneficia Regularia, & qualia, aut quomodo. num. 16.
Accipientes, vel retinentes aliquod beneficium requirens residentiam tenentur residere. n. 17.
Canonici Ecclesiæ Cathedralis Regularis capaces sunt, vt sint delegati ad exequendas litteras Pontificias, quæ à personis in dignitate constitutis exequendæ necessariò sunt. n. 18.
Possunt ad eas dignitates extra Ordinem promoueri, ad quas Monachi. n. 19.
Ad beneficia autem curata requiritur Sedis Apostolicæ licentia. ibid.
Si sine illa sint poterunt ab Episcopis remoueri. ibid.
Tenentur Canonici Regulares Ecclesiarum Cathedralium professionem fidei facere. n. 20.
Alioquin fructus non faciunt suos. ibid.
Nequeunt esse compatrini. num. 21.
Nec possũt admitere fœminas intra Monasteria. n. 21.

An

An verò in priuatis domibus. ibid.
An prohibitio de non assistendo agitationibus taurorum illos tangat. n.23.
An prohibitio non tenendi arma intra septa monasterij. n.24.
Munus Procuratoris exercere non possunt, nisi duabus conditionibus concurrentibus, scilicet Superioris licentia, & vtilitate monasterij. n.25.
Nec etiam possunt procuratorem constituere, aut substituere. num.26.
Subornatio pro electionibus prohibita est Canonis S. Saluatoris. n.27.
De qua subornatione id intelligatur. ibid.
An puniantur ab Episcopis seruientes Parochialibus Ecclesiis vnitis suis monasteriis si delictum non concernens curam animarum non committant. n.28.
An prædicti teneantur interesse diuinis officiis, quæ diebus Sanctorum Patronorum Ciuitatis in Ecclesia Cathedrali celebrantur. ibid.
An Episcopus possit Ecclesias Parochiales illis vnitas visitare, etiamsi Generalis ibi sedem habeat. n.29.



CAPVT III.

De Regularium Canonicorum specialibus iuribus, priuilegiis, & obligationibus.

1 CANONICI Regulares sic dicuntur quia non solùm Apostolorum Canonem, seu Regulam in commune sua bona conferendo sequuntur, propter quod vocantur Canonici, sed etiam quia instar Monachorum, & aliorum Regularium tria vota emittunt, & se Deo arctiùs obligant, propter quod Regulares nuncupantur, & coniunctim Canonici regulares appellantur, vt distinguantur ab aliis Canonicis non regularibus, sed secularibus. Couarr. *in Clem. si furiosus de homicidio, p.1. n.1. Azor. to.1. instit. mor. l.12. c.22.*

2 Dicuntur etiam canonici à canonia, quæ est spirituale ius ratione cuius aliquis habet stallum in choro alicuius Ecclesiæ, & locum in Capitulo, vt colligitur *ex c. dilecto de præbendis.* Suar. *to.4. de Relig. tr.9. l.1. c.9. n.6.*

3 Habet hæc Religio beneficia Ecclesiastica, simplicia, Canonicatus, Abbatias, Præposituras, Personatus, Prioratus, officia, administrationes, &c. Azor. *to.1. instit. moral. l.12. c.22. §.7. quæritur.* Lauretus de Franchis *in controuers. Episcopor. & Regular. in quæ. q.87.* De quibus aliqua dicemus tùm in hoc capite, tum in c.18.

4 Sunt eiusdem Ordinis, & Religionis, ij qui Cathedralibus Ecclesiis inseruiunt, ac ij, qui Monasteriis assistunt. Cum eumdem habitum gerant, & eamdem professionem emittant. Augustin. Ticiniensis *in propugnaculo Canonici Ordinis par.3. c.5. Rodrigu. to.3. q. regul. q.49. art.3.*

5 Sunt verè propriè, & essentialiter Religiosi, si quidem promittunt tria vota essentialia Religionis sicut alij Regulares, sub approbata regula, S. Augustini videlicet, & constitutionibus. Rodrig. *tom.1. q. Regul. q.1. art.3.* Quamuis intra genus religionis laxior habeatur hæc Religio, quam monachorum, vt habetur *in cap. quod Dei timorem de statu monachi.* Azor. *to.1. instit. moral. l.12. c.22.*

6 Quamuis dubium sit an nomine monachorum comprehendantur, probabilius tamen est, quod in pœnalibus, & odiosis non comprehendantur, cum lex pœnalis, & odiosa strictè sit explicanda, bene tamen in fauorabilibus, propter oppositam rationem. Rodrig. *to.1. q. Regul. q.1. art.3.* Azor. *to.1. instit. moral. l.12. c.22.* Idem dico de iis quæ per se solùm respiciunt substantiam, vel decentiam status Religiosi, in iis enim nomen Monachi etiam extenditur ad canonicos regulares, vt constat *ex c. ex parte de postulando.* Nauarrus *comment. 3. de Regul. num.4. & 41.* Suarez *4. to. de Relig. tr.9. l.1. c.7. n.10.*

Institutum proprium Canonicorum regularium per quod à monachis distinguitur est vacare officiis, & ministeriis diuinis. Sunt enim, iuxta doctrinam S. Augustini, huiusmodi canonici, clerici, quorum proprium munus, id est, Monachorum enim institutum est vitæ solitariæ, quieti, silentio, & orationi incumbere, vt dixi *suprà c.1. n.10.* Suarez *4. to. de relig. tr.9. l.1. c.7. à n.6.* Sanchez *l.5. in decalog. c.7. n.20.* Etsi enim tam monachi, quam canonici vitam contemplatiuam profiteantur, Canonici tamen sunt instituti ad cōtemplatiuam circa ministeria Ecclesiastica publica, monachi autem ad contemplatiuam priuatam. Vnde Canonicis Regularibus per se inest Clericatus; Monachis autem quasi per accidens. Nauarrus *comment. 4. de regular. n.1.* Hinc oritur quòd vita monachorum regulariter, seu ex suo genere sit austerior, quàm canonicorum, in his quæ pertinent ad corporis tractationem vt sunt victus, vestitus, lectus, & similia. Suarez *ibid. n.9.* licet quoad essentiam, & substantiam suam religio canonicorum videatur perfectior quam monachorum, ratione perfectioris finis iam assignati. Idem Suarez *4. to. de relig. tr.8. l.3. c.10. n.7.* Differt autem illorum institutum à Mendicantium, quod mendicantium Ordinum finis, vt dixi *c.1. n.10.* est vacare tam actiuæ, quàm contemplatiuæ vitæ sub exercitiis vtriusque; Canonicorum verò finis non videtur includere aliquid de actiua vita, vel si illam includit, solùm est secundario, & minus principaliter. Differt autem eorum finis, seu scopus à scopo, & fine clericorum regularium, quia etiamsi isti ad diuinum quoque cultum in diuinis ministeriis, & officiis detineantur, sed id est ad modum simplicium clericorum, & in simplici Ecclesia, vel simplici Superiori, non ad modum dignitatum, vel quasi dignitatum in Ecclesiis Cathedralibus, & sub Superioribus dignitatem specialem habentibus, prout contingit in canonicis. Suarez *4. to. de relig. tr.9. l.1. c.8. n.10.* 7

Hinc etiam regulariter loquendo licitus est trāsitus ex canonicis regularibus ad Monachos, seruatis tamen iis de quibus egimus, *to.1. c.22.* est enim vt diximus Religio Monachorum austerior, & strictior quàm canonicorum, vt etiam habetur *in c. quod Dei timorem ad finem de statu monach.* Nec obstat quod *in c. mandamus 19. q.3.* prohibeantur canonici professi transire ad monachos. Quoniam vt Glossa explicat, id locum habet in iis Canonicis qui leuitate animi, aut temeritate, aut facultate non petita transire volunt. Azor. *to.1. instit. moral. l.12. c.22. §.6. quæritur.* Sanch. *lib.6. in Decalog. c.7. n.21.* Nisi dicatur cum aliis, id o prohibitum in illo c. transitum canonicorum ad monachos, quia eorum religio videatur perfectior, & habere perfectiorem finem, qui est ministeriis diuinis vacare, vt diximus, etiam si sit minus stricta, & austera. v. Nicolaum à IESV in sua Apologia proposit. 61. & Laym. *in Theolog. moral. l.4. tr.5. c.6. n.11.* 8

Ordo Canonicum Regularium præcedit Monachis 9

chis, tum quia sunt Clerici, qui Monachis præcedunt, tum ex sententia Romæ à DD. Cardinalibus super hac controuersia data, & à Pio IV. confirmata Nauar. *in comment. 4. de regul.* Barbosa *in Collect. Bull. ver. Canonici regul.* 15.

10 Gaudent pluribus priuilegiis à sede Apostolica illis concessis. Primo enim Sixt. IV. in Bulla *Dum ad vniuersos* in 1. tom. Bullar. *n.* 10. omnia priuilegia illis à prædecessoribus Summis Pontificibus, Imperatoribus, Regibus, & Principibus concessa confirmauit, & approbauit, aliis etiam de nouo concessis, de exemptione à iurisdictione quorumcumque, subsidij, & exactionum præstatione, & aliis immunitatibus. Specialiter eisdem concessit, vt contra bona ipsorum præscribi non possit, nisi spatio 60. annorum. De his, & aliis ipsorum priuilegiis Barbosa *in Collect. Bullar. verb. canonici regulares* 15. Deinde Canonici Regulares Lateranenses à Greg. XV. in Bulla *iniuncti nobis* 4. tomo Bullar. *num.* 33. Omnium priuilegiorum à prædecessoribus illis concessorum confirmationem obtinuerunt, dummodo tamen, &c. Et communionem gratiarum, & priuilegiorum Congregationis Cassinensis, & Congregationis Canonicorum regularium S. Saluatoris Bononiensis. Barbosa *vt supr. ver. Canonici regulares Lateranenses* 16. Item Canonici regulares Præmonstratenses à Ioanne XXII. in Bulla *in Apostolicæ* in 1. tom. Bull. Rodriguez inter Bullas Ioannis XXII. *num.* 4. à solutione decimarum exempti sunt, & à Greg. XIII. in Bulla *Romanus Pontifex* in 2. tom. Bullarij eiusdem Rodriguez Bulla XV. Confirmationem priuilegiorum Ordini concessorum obtinuerunt, quatenus tamen, &c. Insuper à Clem. VIII. in Bulla *Romanus Pontifex* in 2. tom. Bullarij prædicti Rodriguez *num.* 20. Confirmationem priuilegiorum Ordinis, & communicationem priuilegiorum Ordinis Cistercienſium habuerunt. Præterea Canonici regulares S. Saluatoris à Greg. XII. in Bulla *Excitat nostra* in 1. tom. Bullar. *num.* 2. priuilegiis Ordinis Eremitarum S. Augustini, & Canonicorum regularium decorati sunt. Alia etiam priuilegia habuerunt à Iulio II. Constitut. XXX. Quibus etiam postmodum à S. Congregatione concessum est vti posse birreto nigro loco albi. Barbosa *in collect. Bullar. verb. Canonici Regulares S. Saluatoris n.* 18. Demum Canonici Regulares S. Crucis Conimbricensis præter alia priuilegia id specialiter habent, vt veniant appellatione eorum, qui in stricta clausura viuunt ad effectum ne ad publicas processiones accedere cogantur. Ob decretum S. Congregationis Concilij Armendariz *in additionibus ad recopilat. legum Nauarræ l.* 1. *tit.* 14. *l.* 24. §. 31. *de processiòn. n.* 6. Barb. *in collect. Bullar. verb. Canonici regulares S. Crucis Conimbricensis* 19. vbi etiam alia de ipsis.

11 Prohibentur hi canonici medicinam, vel leges audire, iuxta dicta *to.* 1. *c.* 9. *n.* 3. Hoc enim ius, vt testatur Glossa *in cap. quod Dei timorem in verbo laxiori, de stat. Monac.* locum habet in canonicis regularibus perinde ac Monachis. Azor. *tom.* 1. *instit. moral. l.* 12. *c.* 22 §. 5. *quæritur.*

12 Prohibentur etiam munus aduocati exercere, iuxta dicta *to.* 1. *c.* 9. *n.* 2. *ex c. ex parte de postulando*, præsertim quia tam indecens hoc apparet respectu canonicorum Regularium, quàm respectu Monachorum. Azorius *tom.* 1. *instit. moral. lib.* 12. *cap.* 22. §. 5. *quæritur.* Hoc tamen intellige, si non adsint duæ conditiones, scilicet, præceptum Superioris, & vtilitas Monasterij, illis enim concurrentibus poterunt canonici munus Aduocati exercere, vt colligitur *ex d. cap. ex parte de postulando.* Sanchez *libro sexto in decalog. capite* 13. *à numero primo cum seqq.*

Iubentur in vna domo habitare, ad mensam communem edere, & sub eodem tecto dormire. Colligitur *ex c. quoniam de vita, & honestate Clericorum*, Glossa *ibi.* Azorius *to.* 1. *instit. moral. l.* 12. *cap.* 22. §. *quinto quæritur.* 13

Obligantur etiam secundũ quosdam sicut Monachi ea parte Clementinę ne in agro de statu Monachorum §. *sanè singulis*, quę sic habet[sanè singulis mensibus tam in Monasteriis, quàm extra sublata occasione quacumque ad confessionem saltem semel accedant omnes, & singuli Monachi, & in prima Dominica mensis cuiuslibet in Monasteriis semper communicent nisi ex causa forte, quam Abbati, Priori, aut Pœnitentiariis Monasteriorum non differant intimare, eorumque iudicio, vel abstineant, vel accedant. Regula quoque cum in Capitulo legitur ab illo qui præest, vel ab alio cui hoc ipse iniunxerit, propter iuniores vulgariter exponatur. Nouitiis etiam fidelis deputetur instructor, tam in diuinis officiis, quam in obseruantia Regulari.] Hæc omnia vim, & locum habere in Canonicis Regularibus ait Oldradus *consil.* 222. quem sequitur Azorius *tom.* 2. *instit. moral. lib.* 12. *cap.* 22. §. 5. *quæritur.* Non videntur autem ad id maiori obligatione, quam ipsi Monachi astringi, sed æquali, vel simili, ac proinde eodem modo philosophandum de illis, ac cap. præc. num. 34. dictum manet. 14

Non est huiusmodi Canonicis interdictum comedere carnes, neque etiam eo modo, quo de Monachis dixi *capite præced. numero trigesimotertio* Quia Canonicorum Religio non petit istas austeritates. Azorius *tom.* 1. *instit. moral. lib.* 12. *cap.* 22. §. 6. *quæritur.* 15

Possunt habere, & de facto habent huiusmodi Regulares Canonici beneficia Regularia à Prælatis sui Ordinis concessa. De quibus qualiter conferantur, an sint vel non manualia, an in titulum, an duo simul eidem dari possint, & alia huiusmodi, dicimus in cap. 2. loquendo de Monachis, & dicemus *cap.* 18. Nota tamen prohibitionem Sac. Congregationis sub Gregor. XIII. quam affero ibidem *num.* 12. specialiter loqui de Canonicis Regularibus, ita scilicet, vt illis non liceat habere curam animarum, aut beneficium curatum etiam ad tempus sine licentia Papæ. Lauretus de Franchis *in controuers. Episcop. & Regul. in quæst. q.* 86. [Nihilominus valdè animaduertendum Gabrielem Pennotum *lib.* 2. *Histor. Tripart. Canonic. Regular. cap.* 72. contendere non obstante relata declaratione Sacræ Congregationis sub Gregorio XIII. posse Canonicos Regulares assumi ad beneficia sæcularia Curata cum sola licentia suorum Superiorum. Eo quod præfata declaratio Sacræ Congregationis sub Gregorio non fuit promulgata, aut inter præfatos Canonicos fuit practicata. Vnde Rota *in vna Papiensi Iuris patronatus 6. Martij* 1598. *coram Seraphino*, determinauit oppositum: similiter sanctus Carolus Borromeus Canonicum quendam Regularem post dictam declarationem ad Ecclesiam quandam Parochialem sæcularem assumpsit, & Sacra Congregatio de anno 1602. declarauit: *Canonicum Regularem non prohiberi obtinere beneficia curata sæcularia, nisi fuerint ex iis translatis, de quibus in capite vndecimo sess. decimaquarta Concilij Tridentini.* Hæc & alia præfatus 16

Pennotus

Pennotus & Tamburinus *de Iure Abbatum tom.3. disp. 9. quæst.8.* afferens etiam consilium Vicentij Parentij Iuris consulti super hac re. Audio etiam plures ex istis Canonicis in varijs Italiæ locis huiusmodi beneficijs sæcularibus seruire ab Episcopis in hoc munere constitutos.

17 Accipientes autem, vel tenentes aliquod beneficium requirens residentiam in eo residere tenentur, vt ex multis Canonibus elicitur *cap. 1. 18. q. 1. c. licet olim de priuileg. c. ne pro cuiuslibet 16. q. 1. c. si quis iam translatus c. 25. q. 2. Clement. ne in agro §. sanè de stat. Monach.* Rodrig. *tom.3. q. Regul. q. 53. artic. 3.*

18 Religiosi canonici Ecclesiæ Cathedralis regularis capaces sunt vt sint delegati ad exequendas litteras Pontificis, vel eius Legati quæ à personis in dignitate constitutis, vel Canonicis Ecclesiæ Cathedralis sunt necessariò exequendæ, iuxta *cap. statutum in principio de rescriptis in 6.* Ratio est, quia cum ipsi sint veri Canonici, nomine canonicorum veniunt maximè in fauorabilibus, aliàs ratione religionis eorum conditio deterior esset. Abbas *capite causam quæ num.9. de iudic.* Sanch. *libro 6. in decalog. c. 13. n. 83.* Quod etiam intelligit casu quo Monachus ex legitima dispensatione esset canonicus Ecclesiæ Cathedralis sæcularis, propter eamdem rationem.

19 Possunt etiam ad eas dignitates extra Ordinem promoueri, ad quas, & Monachi, iuxta dicta *c. præc. à n.4.* Id tamen maximè notandum, quod licet iure antiquo *cap. quod Dei timorem*, secularia beneficia curata obtinere possent, dummodò si commodè fieri posset, socium regularem secum haberent, Syluester *verb. Religio 7. quæst. 3. & 4.* Lessius *lib. 2. cap. 41. num. 98.* propter dicta tamen cap præcedenti *num. 12.* ex decreto Sac. Congregationis, & praxi Curiæ Romanæ ad id requiritur Sedis Apostolicæ licentia. Vide pro hac praxi Gonzalez *de mensib. & alternatiua Episcop. gloss. 7. à num. 53.* Iuxta quæ Episcopus Monachos, & regulares canonicos, si absque tali licentia ad Parochias seculares suo monasterio non vnitas promoti sint, inde remouere potest. Layman *in Theolog. moral. lib. 4. tract. 2. cap. 3. num. 11.* Possunt tamen isti Canonici sicut, & monachi, iuxta dicta dicto cap. præcedenti, de licentia suorum Superiorum, promoueri ad quamcumque dignitatem supremam siue Episcopalem, siue etiam Papalem, præfecturam Collegij, regimen Hospitalium, munus Vicarij Episcopalis, & Episcopi coadiutoriam. Neque enim video rationem cur Monachis id liceat, non autem canonicis regularibus, præsertim cum isti minus austeram vitam profiteantur quam Monachi.

90 Canonici regulares Ecclesiarum Cathedralium professionem fidei facere debent, iuxta decretum Concilij Tridentini *sess. 24. c. 12.* alioquin fructus non faciant suos nec illis possessio suffragetur, prout in eodem Concilio ibidem dicitur. Barbosa *de Offic. & potest. Episcopi allegat. 61. n. 6.* Forma autem huiusmodi professionis assignata fuit à Pio IV. in Bulla *Iniunctum nobis*, quam affert Sorbus *in fine Compendij priuileg. Mendic.*

21 Prohibitio illa compaternitatis, seu compatrinatus de qua *tom. 1. cap. 9. num. 31.* etiam extenditur ad Canonicos regulares, ita vt illi (sicut nec alij religiosi) non possunt esse compatrini. Etsi enim hoc munus solùm interdicatur monachis *cap. non licet, & cap. Monachi de consecrat. distinct. 4. & cap. peruenit 18. quæstio 2.* tamen quia quoties leges disponentes de Monachis fundantur in Religione, & non continent aliqua verba, quibus excludantur canonici, comprehenduntur ipsi canonici, ideo in hac etiam prohibitione comprehenduntur. Nauarrus *Commentar. 4. de Regul. n. 65.* Rodrigu. *to. 1. q. Regul. q. 12. art. 2.*

Comprehenduntur etiam in communi illa prohibitione religiosis facta de non admittendo fœminas intra monasteria, de qua *tom. 1. cap. 10. n. 9.* Lex enim, finis, & ratio legis illos comprehendit. Nauar. *Comment. 4. de regular. n. 65.* Rodrig. *tom. 1. quæst. Regul. quæst. 48. art. 4.* Sanch. *lib. 6. in Decalog. cap. 17. n. 31.* Si tamen canonicus aliquis regularis in domo aliqua priuata etiam monasterio contingua habitaret, tunc mulier honesta, ac suspicione carens illi posset in ea domo inseruire, quia nullus est textus id interdicens, nec illa domus est verè Monasterium. Nauarrus, Rodrig. & Sanchez relati. 22

Pari etiam ratione comprehendi videntur in prohibitione de non assistendo agitationibus taurorum fieri solitis, maximè in Hispaniarum Regnis, de qua *tom. 1. c. 10. n. 7.* præsertim propter illa verba Clement. VIII. *Cæterisque cuiuscumque Ordinis, & instituti Regularibus*, quæ etiam tangunt canonicos istos, cum verè Regulares sint. Rodrig. *to. 3. q. Regul. q. 68. art. 3.* 23

Quamuis autem propter eamdem rationem videretur ipsis prohibitum arma tenere sine licentia Abbatis intra septa Monasterij, & incidere in excommunicationem Clement. *ne in agro*, de qua *tom. 1. cap. 9. num. 27.* Nihilominus graues Doctores asserunt ipsos hac prohibitione non comprehendi, forsã quia non ita illis hoc indecens videtur sicut monachis. Glossa *in dict. Clem.* Nauarr. *in Man. c. 27. n. 139.* Toletus *in summa lib. 1. cap. 39. n 6.* 24

Expressius tamen est illis prohibitum munus Procuratoris obire, nisi duabus conditionibus concurrentibus, scilicet Superioris licentia, & vtilitate monasterij. Cùm enim *cap. Monachi el. 2. 16. quæst. 1.* Monachis id prohibitum esset, & aliqui Canonici Regulares non de illis, sed tantum de Monachis id intelligi deberent dicere, Innocentius III. *in cap. 2. de postulando*, expressè determinat idem iudicium habendum esse de Canonicis, ac de Monachis quantum ad præsens. Idem enim constat ex Clement. *Religiosus.* Sylu. *verb. aduocatus q. 6.* Sanchez *lib. 6. in Decalog. c. 13. num. 1.* Illis autem conditionibus concurrentibus poterunt procurare nedum in foro Ecclesiastico, sed etiam in seculari, vt colligitur *ex c. 1. & 2. de postulando.* Sanch. *vt suprà n. 4.* 25

Nec tantum non possunt huiusmodi Canonici munus Procuratorum exercere, nisi concurrentibus dictis conditionibus, sed neque possunt, *Procuratorem constituere, aut substituere, etiamsi per constituentem hoc sibi expressè fuerit commissum.* Ita n. deciditur in Clement. *Religiosus.* Fundatur hæc decisio in eo quod Religiosus non habet velle, aut nolle, substituere autem est actus substituentis. Si autem adsit Superioris licentia possunt prædicti canonici Procuratorem constituere. Ita enim colligitur ex prædicta Clement. Cum autem ibi nihil dicatur de vtilitate Monasterij sicut dicitur in prohibitione num. præcedenti adducta de munere Procuratoris non obeundo, videtur non requiri, & ita sine illa solùm cum licentia Superioris posse id fieri. Glossa *in Clement. Religiosus verbo substituere.* Sanchez *l. 6. in Decalog. c. 13. n. 12.* 26

Canonicis

27 Canonicis Congregationis S. Saluatoris præceptum est à Pio V. in sua Constitutione, quam confirmauit Greg. XIII. sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, ac priuationis perpetuæ vocis actiuæ,& passiuæ ne per sex menses ante electionem aliquis audeat pro se,vel pro aliquo quemquam subornare, vt refert Castellinus *de elect. ca. Prælat.c.6. n.9.* De qua autem subornatione id sit intelligendum,vide dicta *to.1.c.15.n.24.*& dicenda hoc *to.2.c.12.n.31.32.& 35.*Quod dixerim,quia si in hac constitutione solum prohibeatur huiusmodi canonicis subornatio, potest intelligi de subornatione praua, & iniqua de qua dictis locis; non autem de bona, & honesta, de qua etiam ibidem. Si autem prohibeatur aliquis alius sermo, tractatus, aut ratiocinatio de electione futura, etiam comprehenduntur bona, & honesta subornatio, quia ante prædictos sex menses non credatur conueniens. Mihi autem legere non licuit prædictam Constitutionem, & ideo sub hac distinctione loquor.

28 Declaratum est à Sac. Congregat. Eminentiss. DD.Cardinalium, Canonicum regularem iussu sui Superioris degentem in ædibus Parochialis Ecclesiæ Congregationi vnitæ, in qua curam animarum exercet, & Sacramenta administrat, si delictum non concernens curam animarum, nec administrationem Sacramentorum commiserit,non posse ab Episcopo puniri vigore decreti Concilij *cap.3. sess.6. de reformat.* quasi extra Monasterium degat. Item, canonicos regulares curam animarum exercentes in Ecclesiis vnitis eorum Monasteriis, non posse ab Episcopo compelli ad interessendum diuinis Officiis, quæ diebus Sanctorum Patronorum Ciuitatis in Ecclesia Cathedrali celebrantur. Item Canonicos regulares non teneri associare, & excipere Abbatem ex eius domo, dum ad Ecclesiam venit solemniter celebraturus. Barbosa *in Collectan. Bullar. verb. Canonici Regul.15.*

29 Præterea declaratum est à S.Congregatione posse Episcopum ex decreto Concil. Trident. *sess.7. cap.7. de reformatione* Ecclesias Parochiales vnitas Monasterio canonicorum regularium visitare, tametsi Generalis in eo sedem ordinariam principalem habeat. Armendariz *in additionibus ad recopil. leg. Nau. l.1. tit.6. l.7. §.2. n.2.* Barb. *in collect. Bullar. verb. visitare Episcopus quando possit Ecclesias, & loca Regul.2.* Per quod videtur limitata, vel moderata doctrina generalis tradita tom.1. cap.11. num.9.

SVMMARIVM.

Clericorum Regularium nomine qui intelligendi. num.1.
Plures ipsorum Ordines. ibid.
Sunt verè,& essentialiter Religiosi.n.2.
Eorum institutum quale.ibid.
Qualiter differant à Monachis, & Mendicantibus. ibidem.
Eorum Religio ex parte finis perfectior videtur fine Monachorum.n.3.
Nihilominus,quia Monachismus austerior est,ideo ad illum transire possunt Clerici Regulares iure communi.ibid.
Non comprehenduntur in iure quoad odiosa, & pœnalia, nomine monachi, aut Fratrum, bene tamen nomine Religiosorum, seu Regularium, seu Clericorum.n.4.
An ea, quæ de Canonicis Regularibus dicuntur eis accommodentur.ibid.
Non tenentur iure communi abstinere à lineis indumentis.n.5.
Nec etiam carnibus.n.6.
Abstinere tamen debent ab officio aduocandi, & quomodo.n.7.
A mercatura etiam, & similibus negociationibus.numero 8.
Hæc obligatio videtur sub mortali.ibid.
Quid de negociationibus per alios.ibid.
Aliqui illorum obligantur specialibus votis.n.9.
Clerici Societatis IESV *sex alia emittunt.ibid.*
Clerici Regulares Minores quartum votum emittunt. ibidem.
Clerici Regulares ministrantes infirmis alia etiam vota emittunt.ibid.
Votum Iesuitarum de obediendo Summo Pontifici qualiter intelligendum.n.10.
Votum de non permittenda relaxatione paupertatis in Societate quomodo accipiendum.n.11.
Item votum de non prætendenda prælatione, aut dignitate in Societate quomodo obliget.n.12.
Similiter de voto non procurandi dignitatem extra Societatem.n.13.
Votum de denunciando ambientes ad quid extendatur. n.14.
Votum de audiendo Generali etiam extra Societatem.n.15.
Votum Clericorum Minorum de non petenda Prælatur quomodo sumendum.n.16.
Votum Clericorum ministrantium infirmis de perenni ministerio ægrotorum qualiter intelligendum. num.17.
De aliis votis huius Religionis.n.18.
Gaudent Clerici Regulares multis priuilegiis.n.19.
Theatini quibus priuilegiis decorentur ibid.
Iesuitæ quibus etiam priuilegiis decorati sint.n.20.
Quomodo intelligenda.ibid.
Exempti sunt ab aliquibus obligationibus aliorum Regularium.n.21.
Comprehenduntur tamen in aliis.ibid.
Clericorum Regularium S.Pauli decollati approbatio, & priuilegia.n.22.
Quomodo ea intelligenda.ibid.
Clericorum Regularium de Somascha approbatio, & priuilegia.n.23.
Clericorum Regularium ministrantium infirmis priuilegia.n.24.
Clericorum Regularium Minorum priuilegia, quæ sint.n.25.
Clericorum Regularium Matris Dei Lucæ approbatio,& priuilegia.n.26.
Clericorum Regularium Scholarum piarum institutum,& priuilegia.n.27.



CAPVT IV.

De Regularium Clericorum iuribus priuilegiis, & obligationibus.

CLERICORVM Regularium nomine intelligimus eos quorum institutum est diuinis ministeriis vacare non solum in communi viuendo,sed etiam tria vota essentialia Religionis emittendo sub habitu tamen clericali. Suarez *tom.4.de Relig. tract.9. lib.1. cap.7.* Hi dicuntur à tempore 1

Apostolo

Apostolorum instituti, & vsque ad hæc tempora propagati maximè per Canonicos Regulares, qui etiam sunt Clerici Regulares, Ioannes Trullus *libro 1. de Ordine Canon. Regul. cap. 2. & 3.* Nauarrus *in Comment. 4. de Regul. n. 3.* illorum plures species his temporibus magna cum Ecclesiæ vtilitate institutæ, vt sunt, Theatinorum, Iesuitarum, sancti Pauli Decollati, Somaschorum, Ministrorum infirmorum, Clericorum minorum, Clericorum Matris Dei Lucæ, & Scholarum piarum.

2 Sunt verè propriè, & essentialiter Religiosi, cum omnes tria vota essentialia Religioso statui emittant, & sub aliqua regula, vel saltem constitutionibus ab Ecclesia approbatis. Eorum institutum qua Clerici Regulares sunt est, vacare diuinis ministeriis, seu officiis. Per quod differt à Monachismo, cuius scopus solùm, est, iuxta dicta capite præcedenti numero septimo vacare quieti, silentio, solitudini, & orationi. Vnde Clericatus per se conuenit huiusmodi instituto, monachismo autem, non nisi per accidens, iuxta ibid. dicta. S.Th. *2. q. 189. art. 8.* Suar. *4. tom. de relig. tr. 9. lib. 1. c. 7. à n. 5.* Mendicantium autem ab instituto differunt, quod mendicantes ex fine proprio ad vitam contemplatiuam, & actiuam ordinantur, Clerici autem Regulares, qua Clerici sunt, solùm ad contemplatiuam, quæ est in vacando diuinis ministeriis, etsi prout de facto contingit, vtramque rationem, seu vitam amplectantur, propter diuisa eorum instituta particularia, de quibus infra.

3 Eorum Religio licet ex se perfectior videatur religione Monachorum, cum illi ad altiorem, & diuiniorem finem ordinentur, quam isti, si quidem Clerici Regulares ex vi sui generis ad diuinum cultum, monachi autem, ad solitudinem, silentium, &c. Nihilominus, austerior, & strictior est Religio Monachorum, quàm Regularium Clericorum Suarez *tom. 4. de Relig. tract. 9. lib. 1. cap. 7.* Vnde si iuxta dicta secundùm probabilem sententiam *tom. 1. cap. 22. n. 5.* eo ipso quod vna Religio est strictior alia, est etiam illa perfectior, admitti posset transitus ex Religionibus Clericalibus ad monachales saltem iure communi, & seclusis priuilegiis, & prohibitionib. particularium Ordinum, seruatis tamen conditionibus eo loco assignatis. Vide ibi dicta præsertim *n. 6.* Maximè notandum, quod cum in Religionibus monachalibus prout hodie sunt in Ecclesia, reperiatur etiam Clericatus, & vacare diuinis ministeriis in Choro, & Ecclesia, & ex alia parte etiam maiores austeritates, quam in Clericalibus, certius videtur posse, vt dixi, iure communi, & seclusis priuilegiis, & prohibitionibus particularibus, transitum esse ex iis ad illas.

4 Vnde Clerici Regulares non censentur in iure comprehendi nomine Monachorum, saltem quantum ad pœnalia, & odiosa, imò ab illis distinguuntur, vt patet 16. q. 1. præsertim *can. 16.* vt dicitur, *Alia causa est monachi, alia Clerici.* Idem dico de nomine Fratrum, quia illud Monachis vulgò accommodatur, non Clericis. Suar. *4. tom. de Relig. tract. 9. l. 1. c. 7. n. 10.* Comprehenduntur autem nomine Religiosorum, seu Regularium, cùm verè Religiosi, & Regulares sint. Imò cum Clerici sint, etsi Regulares, comprehenduntur sub dispositionibus factis in iure pro Clericis, quia esse Regulares non est additum diminuens, sed potius augens obligationes Clericorum. In fauorabilibus, autem, & in his quæ respiciunt substantiam, vel decentiam status Religiosi, nomen monachorum extenditur etiam ad illos, sicut dictum est de Canonicis Regularibus capite præcedenti num. 6. S. Thom. *opuscul. 19. cap. 2.* Suarez *vt supra.* Ea etiam, quæ in Iure de Canonicis Regularibus dicuntur, non videntur extendenda ad Clericos Regulares, nisi quatenus disponunt de re, quæ solùm fundatur in Religioso statu clericali, quatenus talis est, vel continet fauorem Religionis, vt sic. Suarez *vt suprà cap. 9. n. 13.*

Hinc huiusmodi Clerici Regulares non tenentur sicut Monachi abstinere à lineis indumentis, 5
etiamsi in Iure hoc præcipiatur Monachis. *capite cum ad monasterium de statu monachorum.* Etenim huiusmodi austeritas non est ita expediens Clericis sicut Monachis, iuxta dicta capite præcedenti n. 7. & 15. Quod etiam supponit S.Th. *opusc. 19. c. 3.* Suar. *4. to. de Relig. tr. 9. l. 1. c. 7. n. 9.*

Similiter nec tenentur abstinere à carnibus 6
etiam si hoc quoque præcipiatur Monachis dicto *capite cum ad Monasterium de statu monachorum.* Etenim nec huiusmodi austeritas viuendi necessaria est Clericis quantumuis Regularibus. Cuius signum est, quòd nec in Regula sancti Augustini, nec in alia Regularium Clericorum (quod sciam) talis abstinentia præcipitur. Suarez *4. to. de Relig. tr. 9. l. 1. c. 7. n. 9.* Vide dicta de Canonicis Regul. c præc. n. 15.

Abstinere tamen debent ab officio aduocandi, 7
iuxta dicta de eisdem Canonicis Regularibus *cap. præcedenti num.* 12. & ita id habet expressè de eisdem Canonicis S.Thom. *opusc. 19. cap. 2.* & ratio esse potest, quia huiusmodi prohibitio fundatur in decentia status Religiosi Clericalis, ac proinde etiam expressè solùm detur de Canonicis *in cap. ex parte de postulando,* extendi etiam debet ad Clericos Regulares. Hac enim ratione hæc eadem prohibitio, quæ solùm data erat pro Monachis *16 q. 1. cap. Monachi el. 2.* extensa fuit à Papa ad Canonicos Regulares in dicto *cap. ex parte.* Hoc tamen intellige si non adsint, duæ conditiones ibi assignatæ, & *to. 1. c. 9. n. 12.* videlicet vtilitas Monasterij, & Abbatis imperium.

A mercatura etiam, & similibus negotiationibus 8
omnino abstinere debent, iuxta dicta *tom. 1. cap. 9. numero* 39. & præter ibi dicta, quòd hæc obligatio sit sub peccato mortali, nisi paruitas materiæ aliquando excuset, constat ex verbis Papæ *in cap. consequens distinct. 88.* vbi postquam aliquos Clericos huic vitio deditos esse narrauit subiunxit. [Proinde huiusmodi, aut ab indignis post hac quæstibus nouerint abstinendum, & ab omni cuiuslibet negotiationis ingenio, cupiditateque cessandum, aut in quocumque gradu sint positi, mox à Clericalibus officiis cogantur abstinere, quoniam domus Dei domus orationis, & esse, & dici debet, ne per officia negotiationis potius sit latronum spelunca.] Quibus acribus verbis, & pœna graui depositionis quam imponit, satis insinuat hoc esse peccatum mortale. Quod idem dico de pœna excommunicationis, vel simili, quæ in aliis Canonibus imposita est propter hoc crimen, præcipuè de pœna degradationis quæ imponi videtur propter idem *in c. Clericus dist. 91.* huiusmodi enim pœnæ etiamsi solùm dicantur infligendæ, solum propter peccatum mortale designari solent. Negotiantes autem, seu mercaturam exercentes per alios, excusari poterunt probabiliter cessante scandalo, à peccato mortali, cum lux non videatur esse contra illos. Quo sensu accipiendi sunt aliqui Auctores id docentes

apud

apud Dianam *tractatu octauo de contract. & cambiis resol.72.* Licet à veniali peccato, propter indecentiam, distractionem, periculum cupiditatis, & peccandi contra paupertatem, quæ in tali exercitio quasi necessariò reperiuntur, excusari vix possint, etiamsi per alios negotientur.

9 Obligantur præterea quidam illorum specialibus votis, quæ vltra tria communia aliis Religiosis in professione emittunt. Etenim professi Societatis IESV, sex alia vota emittunt, videlicet obedientiæ specialis erga Summum Pontificem, non permittendæ relaxationis paupertatis, non prætendendi directè, vel indirectè dignitatem, vel prælationem in Societate, non procurandi dignitatem extra Societatem, denunciandi ambientes, & audiendi consilium Generalis, vel alterius ad id deputati, si in Episcopos, vel Præsides alicuius Ecclesiæ eligantur. Clerici etiam Regulares minores quartum votum emittunt, vt dicitur, de non petendo prælaturam extra Religionem. Clerici autem Regulares ministrantes infirmis plura etiam vota, & inter ea vnum præcipuum emittunt, de perenni ministerio ægrotantibus exhibendo. Quorum votorum obligatio, quamuis præcipuè ex modo quo in istis Religionibus accipiantur, & ex eorum Statutis, seu constitutionibus, pensanda sit, ex generalibus tamen principiis discutienda est.

10 Et primò votum Religiosorum Societatis de obedientia Summo Pontifici intelligitur circa missiones ad partes infidelium, vt habetur in Bullis Pontificijs. Ex constitutionibus Societatis. Suar.4. *tom.de Relig.tract.10. lib.6. cap.4. num.4.* Sanch. *de precept.decalog. lib.6. cap.18. num.1.* Continet autem nouam obligationem extensiuam vltra communem omnium fidelium, nam reliqui fideles non tenentur obedire Papæ mittenti eos ad seminandum Euangelium inter fideles, & ad partes valdè remotas, nisi in casu raro, & speciali, in quo necessitas boni communis id postularet. Sanchez *vt suprà num.5.* Dato etiam quòd in illo casu tenerentur seculares obedire Pontifici id præcipienti, hoc non esset ex vi voti obedientiæ quémadmodum Religiosi Societatis, sed ratione iurisdictionis, quam Pontifex in illos habet. Suarez *vt suprà num.22.* Continet etiam hoc votum nouam obligationem vltra communem, quam habent alij religiosi ratione voti obedientiæ ab ipsis emissi, quia etsi omnes religiosi teneantur ex vi voti obedientiæ quod emittunt in professione obedire Papæ, tanquam supremo Generali omnium religionum, iuxta dicta *tom.1. cap.4. num.31.* id tamen intelligitur, vt ibidem dictum est, in iis, quæ concernunt Regulam, ire autem ad partes infidelium ad conuertendos illos, non concernit, saltem regulariter, Regulam, iuxta dicta eo *cap.4.n.15.* Ludouicus Lopez *1.part.instructor. cap.56.* Rodriguez *2. tom.Summ.c.9.n.5.& tom.3.quæst.Regul.q.19.art.7.* Dato etiam quod ad id tenerentur Mendicantes ex vi suæ institutionis quia ex institutione sua ordinantur ad actiones circa proximos, iuxta dicta suprà *cap.1. n.11.* non tamen eo modo & cum illis circumstantiis quibus Religiosi Societatis, qui id promittunt se facturos, *sine excusatione, non petito viatico, quocumque gentium, &c.* Suarez *vt suprà n.22.* Sanchez *etiam vt suprà n.5.* apud quos plura alia ad intentum.

11 Deinde votum illud de non permittenda relaxatione paupertatis obligat ad non permittendam relaxationem circa paupertatem in Societate institutam, quia hæc exprimitur in verbis quibus hoc votum emittunt. Sanch. *lib.6.in decalog.c.19. n.7.* Circa materiam autem illius dissidium video inter Doctores Societatis. Suarez enim *4. to.de relig.tr.10.l.6.c.9.n.18.* eam extendi dicit ad totam materiam paupertatis, prout cadit sub votum in Societate factum etiam circa collegia, & domos probationis. Sanchez verò *vt supra n.8.* solùm dicit intelligi de paupertate quoad redditus, & bona stabilia domorum professarum. Conueniunt autem, quod si casus esset, attentis circumstantiis temporum, & locorum quòd esset vtilius Societati talem modum paupertatis relaxare, licitè id fieri posset, quia tunc cessaret hoc votum, quia desineret esse melioris boni, imò esset impeditiuum maioris. Suarez *num. 11.* Sanchez *num. 10.* Quando autem Pontifex præciperet dictæ paupertatis relaxationem absdubie admitti deberet, non solùm quia tunc vtilior, & conuenientior æstimari deberet. Sed quia Societas non se obligauit ad resistendum Pontifici, sed ad non permittendum quantum est ex parte sua prædictam relaxationem. Sanchez *num.9.* Si verò Pontifex non præcipiendo, sed indulgendo prædictam relaxationem inducere vellet motu proprio, probabilius est non posse acceptari à Societate, nam ex vi huius voti videtur se obligasse non solùm ad illam non procurandam, sed etiam ad eam vltrò oblatam non acceptandam. Sanchez *ibidem* contra Suar. *n.16.* Apud quos alia circa hoc.

Item votum illud non prætendendi prælationem aliquam, aut dignitatem in Societate obligat hos Religiosos ad nihil faciendum, ea intentione vt prælatio, vel dignitas sic facientibus conferatur: hoc enim exprimunt verba quibus id votum emittunt, videlicet. *Promitto nunquam acturum, vel pratensurum nec indirectè quidem, vt in aliquam prælationem, vel dignitatem in Societate eligar, vel promouear.* Sanchez *lib.6.in decalog.c.18.n.16.* Vnde non obligat illos ad non desiderandum prælationes, vel dignitates. Quia votum tantùm est de non agendo, vel procurando, non est de non desiderando. Vasquez *1.2. quæst.74. art.8.disp.115.c.13.* Suarez *4.tom.de relig.tr.10.lib.6.c.7.n.9.* Nec etiam ad non faciendum aliquid quo reddantur capaciores, vel digniores dignitatum, vel prælationum nisi hoc proueniat ex animo inducendi eum qui possit prælationem dare. Quia nisi hoc animo fiat non videtur ibi esse nec indirecta prætensio dignitatis, vel prælationis. Suarez *n.10.* Sanchez *n.19.* etiam obligat ad non auferenda impedimenta quæ obuiare possunt collationi dignitatis, vel prælationis nisi fiat modo dicto, propter eamdem rationem Sanchez *n.21.* Obligantur tamen ex vi huius voti religiosi Societatis non solum ad fugiendam prætensionem illicitam, & ambitiosam prælationum, seu dignitatum, qualis esset illa qua prætenderentur propter excellentiam, & potestatem, sed etiam ad licitam, & aliàs honestam, qualis esset illa qua prætenderentur v. g. propter fructum aliorum. Id enim exprimi videtur ex generalibus verbis quib. votum emittitur, & est conforme intentioni Societatis, vt scilicet ambitioni aditus præcluderetur. Suar. *n.6.* Quid verò per dignitates, & prælationes in hoc voto intelligitur constabit ex dicendis, *c.13 n.2.* & de eo Sanchez *vt suprà num.25.* Suar. *etiam vt suprà n.14.* 12

Præterea votum illud de non procurandis prælatione, aut dignitate extra Societatem, imò nec consentiendi in electionem nisi obedientia cogéte (ita enim emittitur hoc votú in hac religione) habet 13

pro

pro materia omnem prælationem, seu dignitatem extra Societatem, id est Episcopatum, Abbatiam, Vicariatum generalem Episcopi, & similia quæ important prælationem, & iurisdictionem in foro externo, Cardinalatum etiam, & similia quæ important dignitatem, vel in tota Ecclesia, vel in aliqua particulari. Suar. 4. *tom. de relig. tr.* 10. *lib.* 6. *c.* 8. *n.* 1. Sanch. *lib.* 6. *in decal. c.* 18. *n.* 28. apud quos multa circa hoc votum. Vide dicenda *c.* 13. *post n.* 4.

14 Similiter votum illud de denunciando ambientes prælationes, & dignitates habet pro materia omnes ambientes dictas prælationes, & dignitates siue in societate, siue extra illam. Ita enim docet praxis, & vsus huius Religionis, Suarez 4. *tom. de Relig. tract.* 10. *lib.* 6. *c.* 10. *n.* 2. Sanchez *lib.* 6. *in decalog. c.* 18. *n.* 54. Obligat tantum quando est moralis certitudo de ambitione socij: non solum quia in forma voti dicitur, *si quem sciam*, quæ verba certitudinem moralem important, sed etiam quia sine illa iniuria fiet proximo ipsum propalando. Suar. *n.* 11. Sanchez *n.* 55. Etiam si delictum sit occultum. Quia bonum commune præponi debet particulari, ambitio autem est graue Religionis de trimentum. Sanchez *n.* 56. Eo autem casu, quo delictum sit occultum non est deferendum Prælato tamquam Iudici, sed tamquam Patri, iuxta dicta *tom.* 1. *c.* 27. Si autem constat religiosum esse emendatum, ita vt nullum recidiui periculum subsit, non obligat hoc votum denunciandi, iuxta dicta in simili dicto *cap.* 27. *n.* 2. Quia tunc cessat finis denũciationis. S. Thom. *quodlib.* 11. *art.* 13. Syluest. *verb. denunciatio q.* 1. Sotus *de secreto membr.* 2. *q.* 4. *post dub.* 3. *conclus.* 4. Multa etiam de hoc votum tangentibus apud Suar. & Sanchez, *vt supra.*

15 Vltimum votum in Societate Iesu emissum explicatur his verbis. Promitto si quando acciderit, vt hac ratione in Præsidem alicuius Ecclesiæ promouear, pro cura quam de animæ meę salute, ac muneris mihi impositi administratione gerere debeo, me eo numero, ac loco habiturum Præpositum Societatis Generalem, vt numquam consilium audire detrectem, quod vel ipse per se, vel quiuis alius de Societate quem ad id ipse sibi substituerit dare mihi dignabitur. Consiliis vero huiusmodi ita me pariturum semper esse promitto, si ea meliora esse quam quæ mihi in mentem venerint, iudicabo.] Sanchez *lib.* 6. *in decalog. cap.* 18. *n.* 61. Intelligitur autem hoc votum non tantum circa administrationem redituum, & aliarum rerum ad prædictam dignitatem pertinentium, sed etiam circa spiritualem propriæ personæ progressum. Hoc enim totum includi videtur verbis adductis. Sanchez *n.* 63. Non tamen videtur ex vi huius voti necessarium petere tale consilium, sed solum vt in verbis allatis exprimitur, audire illud, & sequi, &c. Qualiter autem promoti ad dignitatem extra Religionem non subiiciantur Superioribus illis dictum est *tom.* 1. *c.* 17. *n.* 2.

16 Circa votum Clericorum Regularium minorum, videlicet non petendi Prælaturam extra Religionem, id solum videtur notandum pro obligatione ipsius, attendendum esse tum ad verba quibus votum emittitur, tum ad vsum, & praxim Religionis inter probiores, & doctiores, tũ ad particulares Constitutiones, & statuta illius. Forsan etiam ad imitationem Societatis hoc votum emittitur, & ita pari ratione respectiuè de ipso loquendum. Vide dicenda *c.* 13. *post n.* 4.

17 Demum votum illud Clericorum Regularium ministrantium infirmis, videlicet, de perenni ministerio ægrotantibus exhibendo, explicandum videtur iuxta normam approbatam à Clem. VIII. in Bulla *Superna dispositione* anno 1600. inter Bullas huius Pontificis *num.* 75. vbi ponitur forma professionis ipsorum quæ quoad præsens votum est, *perpetuo inseruiendi pauperibus infirmis, quos etiam pestis incesserit, secundum formam viuendi contentam in litteris Apostolicis Religionis, & eius Constitutionibus.* Cum autem in Constitutionibus ab eodem Pontifice in dicta Bulla approbatis modus inseruiendi tam spiritualiter, quam corporaliter illis præscribatur, ad illum obseruandum tenentur sub mortali, vel veniali, iuxta quantitatem materiæ, & communem acceptionem Religionis, iuxta dicta *to.* 1. *c.* 7.

Emittunt etiam isti Religiosi quatuor alia vota simplicia videlicet numquam agendi, vel assentiendi vt mutetur, vel alteretur modus ipsis præscriptus inseruiendi ægrotis, numquam dandi operam, aut consentiendi, vt administrationem redituum, aut Nosocomiorum dominium habeant, non procurandi prælaturas in Religione, aut extra, & manifestandi ambientes illas. Quorum tria similia sunt iis quæ Societatis Religiosi emittunt, de quibus supra dixi. Aliud vero secundum Generales regulas metiri debet, attendendo tum ad formalia verba, quibus emittitur, tum ad modum, quo eius obseruantia inter probiores, & doctiores sumitur. Pro hac autem obligatione manifestandi ambitiosos deseruire possunt dicta *tom.* 1. *c.* 19. *n.* 34. *&* *c.* 27. *n.* 19. 18

Decorati sunt ab Ecclesia multis, variisque priuilegiis huiusmodi Clericorum Regularium Ordines. Primo enim Theatini approbati sunt à Clemente VII. in Bulla *Exponi nobis* anno 1524. cum facultate Præpositum eligendi, alios ad Religionem recipiendi, necnon statuta edendi, & corrigendi, ac priuilegiis, exemptionibus, immunitatibus Canonicorum Lateranensium donati. Extat Bulla in 1. tomo Bullarij Laertij Cherubini inter Constitutiones Clementis VII. *num.* 11. Item idem Pontifex in alia Bulla *Dudum pro parte* in eodem tomo 1. Bullarij inter Constitut. ipsius *numero* 38. alia priuilegia eisdem concessit, videlicet Præpositis ipsorum, vt cum Clericis subditis occupatis prædicationi verbi Dei, audientiæ confessionum, & Theologiæ, ac Canonum studiis, aut infirmitate, vel infirmorum curatione impeditis, possent dispensare in officio diuino recitando, certum psalmorum, & orationum numerum solum dicendo. De quo priuilegio dixi *tom.* 1. *cap.* 12. *num.* 32. Item super ieiuniis etiam quadragesimalibus, licet in hoc non videam specialem gratiam, propter dicta *tom.* 1. *cap.* 18. *num.* 55. Insuper omnia priuilegia omnium ordinum Fratrum tam Mendicantium, quam non Mendicantium concessa, & concedenda illis communicauit. Postea Pius V. in Bulla *Ad immarcessibilem* anno 1567. plura ipsorum priuilegia confirmans, alia etiam elargitus est, & inter ea quod ad processiones cogi non possent instar aliorum qui in strictiori clausura viuunt. De quo dixi *tom.* 1. *cap.* 1. *num.* 47. *&* *in hoc* 2. *tom. cap.* 1. *numer.* 50. Declaratum etiam dicitur à Sacr. Congregat. Concilij quod ipsorum Religio quamdiu bona stabilia non possidet, non comprehenditur decreto de non alienandis bonis Regularium, de quo *tom.* 1. *c.* 10. *n.* 2. Sed cum in illo decreto non solum prohibeatur alienatio bonorum stabilium, sed etiam mobilium pretiosorum, si predicta declaratio extenditur ad bona mobilia pretiosa specialem gratiam continet, si autem solum ad stabilia, cum illi ipsa non possi

possideant, nihil gratiæ continere videtur. Dicitur etiam à S. Congregatione approbatam istorum Patrum consuetudinem de non accipiendo pluuiali à principio Vesperarum, sed solum à Capitulo, sed non illam de non faciendo commemorationem de Patrono Ecclesiæ. De illis Rodrig. *tom.1.q.3.Reg.q.3.art* 14.*&* Barbosa *in Collectan. Bullar.verb. Clerici Regulares, Theatini.*

20 Clerici Regulares Societatis Iesu, seu Patres Iesuitæ, approbati primum fuerunt à Paulo III. in Constitut. *Regimini* anno 1540. in 1. tomo Bullar. inter Constitut.huius Pontificis *numero* 25. Deinde à Iulio III. in Constitut. *Exposcit debitum.* Amplissimis priuilegiis decorati sunt à Paulo III. anno 1545. in Bulla *Cum inter cunctas* in Bullario Rodriguez *tom.* 2. inter Bullas huius Pontificis *numero* 7. videlicet circa facultatem concionandi in quibusuis Ecclesiis, locis, ac plateis communibus seu publicis, de qua vide dicta *tom.* 1. *cap.* 20. *numero* 5. Sed aduerte hanc facultatem solum concedi deputatis ad id munus per Generalem pro tempore existentem, non autem deputatis per alios prælatos. Circa facultatem audiendi confessiones. De qua eodem *tom.*1. *cap.* 19. *numero* 2. dictum est non subsistere nisi præmissa approbatione Ordinarij, & sic etiam declaratum dicitur à Sacra Congregatione Concilij. Barbosa *in Collectan. Bullar. verbo Clericis Regulares Societatis Iesu.* Circa facultatem absoluendi ab omnibus casibus, exceptis contentis in Bulla Cœnæ Domini. De qua etiam dicto *cap.* 19. *à num.* 15. dixi, qualiter moderata sit iis temporibus. Item circa facultatem commutandi vota, de quo dixi eodem *cap.* 19. *numero* 23. Præterea circa facultatem dicendi Missas ante diem, circa tamen diuinam lucem, & infra horam post meridiem. De qua etiam *tom.*1.*c.*21.*num.*2. dixi & nunc dico reuocatam propter decretum Sacræ Congregationis ibi adductum, si tamen, aliquid priuilegij contineat, prout dicunt aliqui de simili concessione illis à Gregor. XIII. facta, de qua infra, hanc autem concessionem non facit Pontifex Paulus absolutè nisi *quando, & quoties stante legitimo impedimento, moderno, & pro tempore existenti Præposito vestro, id necessarium, vel alias in Domino expedire visum fuerit.* Maximè idem Pontifex Paulus III. in Bulla *Licet debitum* in 1. tomo Bullar. Laertij inter Bullas huius Pontificis *numero* 48. & in Bullario Rodriguez *tom.* 2. *Bulla* 8. diuersa priuilegia, & indulta S. Ignatio Loyola eo tempore Generali, suisque successoribus, ac aliis eiusdem Religionis alumnis concessit. Postea Pius V. in Bulla *Dum indefessæ* anno 1571. in 2. tomo Bullar. Laertij *numero* 131. & in Bullar. Rodriguez *tom.* 2. *numero* 5. declarauit Societatem Iesu, seu ipsorum Ordinem vnum ex Mendicantibus esse, eorumque gratiis, & priuilegiis concessis, & concedendis perfrui. Item Gregor. XIII. præcipuus huius Religionis promotor in Bulla *quacumque* anno 1576. in 2. tomo Bullar. *numero trigesimosexto* ipsos exemit ab onere accedendi ad processiones, & Bulla *Saluatoris* eodem anno, & in eodem *secundo tomo numero.* 39. vbique Ecclesias, & domos ædificare permisit, non obstante priuilegio aliis Ordinibus concesso, & concedendo quod prope eorum loca noua Monasteria construi nequeant. A solutione, & [...]statione decimarum, & onerum illos etiam [...]t idem Pontifex Gregor. in Bulla *Pastoralis of[...]* secundo tomo Bullar. *numero* 51. Aduer[...] Barbosa *in Collectan. Bullar. verb. Cle[...] Societatis Iesu.* Leonem X I. modificasse hanc concessionem circa decimas provt de Iure, & Gregorius XV. reduxisse ad terminos Constitutionis Gregor. XIII. ac tandem SS. Dominum Nostrum Vrbanum VIII. Constitutionem Leonis seruari voluisse nisi quatenus de Iure, vel consuetudine exempti reperirentur. Item idem Gregor. XIII. in Bulla *Æquum reputamus* inter Constitutiones ipsius *numero* 1. & in 2. tomo Bullar. Rodriguez *num.* 18. amplissimam facultatem illis concessit circa Iudices Conseruatores, de qua latè in hoc 2. *tom. cap.* 10. dicetur. Item in Bulla *Vnigeniti Dei, &c.* in secundo tomo Bullar. Rodriguez *numero* 19. facultatem illis tribuit medendi citra adustionem, & incisionem per seipsos faciendam, de suorum Superiorum licentia, quando Medici sæculares commmodè haberi non possunt. De quo dixi *tom.* 1. *cap.* 9. *num.* 15. Sed aduerte ibi errorem, non enim debes legere *citra adustionem & combustionem,* vt ibidem ex Sanchez transcripsi, sed *citra adustionem, & incisionem,* vt habet Bulla. Item in Bulla *Apostolicæ Sedis* in 2. tom. Bullar. Rodriguez *numero* 20. facultatem eisdem concessit alienandi bona ipsorum. Sed tu vide decreta Sacræ Congregationis Concilij, & adducta *tom.* 1. *capit.* 10. *numero* 2. & sequentibus, & adducenda *hoc* 2. *tom. cap.* 19. Præterea in Bulla *Quanta in vnica* in 2. tom. Bullar. Rodriguez *num.* 22. facultatem illis tribuit celebrandi per horam ante auroram, & infra horam post meridiem, itineris, vel alterius legitimi impedimenti causa, de licentia Generalis, vel cuiuslibet alterius ad id ab eo deputati. Hoc tamen priuilegium, quoad id quod habet de facultate celebrandi infra horam post meridiem aliqua causa legitima subeunte, parum, aut nihil continere priuilegij habet Rodriguez *tom.* 1. *quæstionum Regul. quæst.* 43. *artic.* 2. Insuper in alia Bulla *Exponi nobis* in Bullario Rodrig. *tom.* 2. *num.* 23. facultatem aperiendi litteras sacræ pœnitentiariæ illis concessit. De quo priuilegio *tom.*1. *cap.* 19. *numero* 38. egi. Præterea in Bulla *Cum alias* in 1. tom. Bullar. Rodriguez *num.* 24. & in alia *Exponi nobis* in eodem *tom.* 2. *num.* 27. circa transitum ipsorum ad alias Religiones, qualiter, vel quomodo permissum disponit Pontifex. Vide dicta *tom.* 1. *cap.* 22. Ad hæc in Bulla *Pium, & vtile* in dicto Bullario Rodrig. *num.* 25. facultatem eisdem concessit suscipiendi Ordines etiam extra tempora, & non seruatis interstitiis, nec quibusdam aliis. Quam concessionem aliis Religiosis habentibus communicationem in priuilegiis cum illis prohibet communicari. Vide dicta *tom.* 1. *cap.* 14. *num.* 19. Nota etiam decretum S. Congregationis *ibid. n.* 12. adductum quatenùs videtur contrarium huic Priuilegio. Demum idem Gregorius XIII in Bulla *Vigore priuilegij* in eodem tomo 2. Bullar. Rodrig. *n.* 28. declarauit facultatem concessam à Paulo III. prædicandi verbum Dei illis qui à Generali Proposito deputati fuerint intelligendam esse etiamsi illi nondum ad sacros Ordines promoti essent. Hãc tamen concessionem priuilegium non esse aduertit Rodriguez in marg. huius Bullæ eo quod iure communi id licitum sit. vt habet Nauarrus *Consil. lib.* 1. *consil.* 2. *de temporibus Ordinandorum numero primo* & idem Rodriguez *tom.* 2. *Summæ verb. Prædicatores.*

Similiter à SS. Congregationib. Eminentiss. DD. Cardinalium exempti sunt ab obligationibus communibus aliorum: etenim excepti sunt à decreto Concilij Tridentin. *sessione* 25. *de Regul. cap.* 16. non solum quoad emittendam professionem, sed 21

[...] Pra[...] exem[...] *ficij* in[...] tit tamen *rici Regula[...]*

etiam

etiam quoad obligationes, & renunnciationes, adeo vt hæc etiam ab eorum nouitiis quandocumque, & sine cuiusuis licentia factæ nullitati dicti decreti minimè subiaceant. Sic enim dicit à Congregatione Conc. declaratum Barbosa *in Collectan. Bullar. verb. Clerici Regulares Societatis Iesu.* Quia tamē hanc declarationē non vidi, ideo nequeo circailiam iudicium ferre. Excepti etiam dicuntur à S. Congregatione Episcoporum, & Regularium sub die 25. April. 1586. ab obligatione ferendi superpelliceum dum audiunt cōfessiones, Barbosa *vt sup.* Insuper tam ipsi, quam alij Clerici Regulares Theatini, S. Pauli decollati, Somaschi, & Ministrantes infirmis exempti sunt à Clemente VIII. in decretis pro reformatione Regularium ab obligatione non recipiendi nouitios nisi in Conuentibus à Sede Apostolica designandis. Comprehenduntur tamen in decreto Sacræ Congregationis Concilij sub SS. D. N. Vrbano de non recipiendis Conuentibus nisi in eis saltem duodecim sustentari, commodè possint. Sic enim fuit declaratum ab eadem S. Congregatione *super decretis de celebratione Missarum dub.* 18. De his, & aliis Barbosa *in Collectan. Bullar. verb. Clerici Regulares Societatis Iesu.*

22 Clerici Regulares S. Pauli decollati approbati fuerunt à Clemente VII. in Bulla *Vota* inter Constitutiones huius Pontificis tom. 1. Bullar. Laertij, *num.* 37. Quatenus illis concessit facultatem emittendi tria vota, & à Paulo III. in Constit. *Dudum* in eodem tom. 1. Bullar. Laertij *numero* 5. cum aliquibus ordinationibus, & concessione priuilegiorum Canonicorum Regularium Lateranensium, & facultate etiam Sacramenta administrandi, ac eorum Superiori, vt posset dispensare in officij diuini recitatione cum Sociis infirmitate grauatis, aut circa infirmorum curationem impeditis, cum certis conditionibus in dicta Bulla designatis. Præscriptus est illis modus transeundi ad alias Religiones Gregor. XIII. in Constit. 48. *in specula* 2. tomo Bullar. Non coguntur accedere ad processiones ex Sixto V. in Constit. 5. *Rationi congruit.* Insuper Paul. V. in Constit. *Ecclesiæ militantis* in 3. tomo Bullar. *numero* 64. facultatem illis concessit vbique noua Monasteria recipiendi, seruatis sacrorum canonum, & Conc. Trident. decretis, de sola licentia Ordinariorum, nullo aliarum personarum requisito consensu. Sed hæc concessio vacat his temporibus propter dicta *tom.* 1. *cap.* 9. *n.* 34. Barbosa *in Collectan. Bullarij verbo Clerici Regulares Sancti Pauli.*

23 Clerici Regulares de Somascha nuncupati sub Paulo III. sub nomine Societatis ad erigenda Hospitalia pro subuentione pauperum orphanorum, & mulierum conuertitarum approbati, postea sub Pio V. vt patet ex Constit. ipsius *tom.* 2. *Bullar. numer.* 78. facultatem emittendi tria vota, & bona etiam stabilia recipiendi, & possidendi habuerunt. Deinde Sixtus V. in Bulla *Æquum reputauimus* in 2. tomo Bullar. inter Bullas ipsius *num.* 4. litteras Gregor. XIII. prædecessoris, quæ ob eius obitum expeditæ non fuerant confirmans, eis plura priuilegia concessit, videlicet exemptionem ab omni iurisdictione quorumcumque iudicum Ecclesiasticorum, & sæcularium, facultatem celebrandi, & audiendi confessiones fidelium, & quod die professionis emissæ absolui possent ab aliquo dictæ Congregationis Presbytero, ab omnibus peccatis, & censuris, etiam reseruatis in Bulla Cœnæ Domini. Videtur tamen hoc priuilegium vacare propoer annuam publicationem huius Bullæ, iuxta dicta *tom.* 1. *c.* 18. *n.* 38. Prohibuit etiam illis Pontifex iste transitum ad alium ordinem etiam arctiorem, Capuccinorum, & Carthusianorum Ordinibus exceptis Vide dicta *tom.* 1. *cap.* 22. Postea Clem. VIII. in Bulla *Decet ex Benignitate* in 3. tom. Bullar. *num.* 22. priuilegia à prædecessoribus illis concessa confirmauit, & vlterius concessit Præposito Generali huius Congregationis, vt cum voto consiliariorum à Capitulo generali deputatorum, posset dispensare super defectu natalium cum subditis ad Ordines, & officia. Quod est magnum priuilegium. Demum Paulus V. in Bulla *Ex quo diuina* in 3. tomo Bullar. *num.* 56. magnam priuilegiorum Mendicantium communicationem cum certis tamen limitationibus illis tribuit, & in alia Bulla *Ex iniuncto nobis* in Appendic. ad 3. tomo Bullar. *num.* 8. *alias* 96. Congregationem Clericorum doctrinæ Christianæ in Ciuitate Auenionis institutam ipsis vniuit. De his, & aliis Barbosa *in Collect. Bull. verb. Clerici Regulares Somaschæ.*

Clerici Regulares ministrantes infirmis approbati sunt à Sixto V. in Constitut. *Ex omnibus* in 2. 24
tomo Bullarij *num.* 25. vbi etiam licentiam illis concessit eleemosynas colligēdi. Maximè à Gregor. XIV. Constitutione *Illius, qui* anno 1591. edita approbationem Regulæ obtinuerunt, sub Sedis Apostolicæ protectione suscepti sunt, priuilegiis aliorum Ordinum ipsis communicatis, cum ampla facultate circa absolutionem subditorum Superioribus concessa, de qua *tom.* 1. *cap.* 18. *numero* 35. dictum manet. Deinde Clemens VIII. in Bulla *Superna* anno 1600. edita inter Bullas huius Pontificis *num.* 75. Regulam illorum reformauit iuxta formam ab ipsis stabilitam. Et Paulus V. in Bulla *Romanum* anno 1606. *num.* 20. ipsis prohibuit transitum ad alias Religiones etiam Carthusiensium sine Sedis Apostolicæ licentia. Ac demum Sanctissimus Dominus Noster Vrbanus VIII. in Bulla *Sacrosanctæ* anno 1623. in 4. tomo Bullar. *numero* 10. circa illos statuit, quod professi ad Sacerdotium destinati in domibus Nouitiatuum, vel aliis distinctis ex illarum perpetuis redditibus viuere possent. Ac in alia Bulla *Romanus Pontifex* anno 1628. quæ est *numero* 85. modum illis præscripsit circa electionem Præfecti Generalis Consultorum, & Arbitri Congregationis. Rodriguez *tom.* 1. *quæst. Regul. quæst.* 3. *artic.* 15. Barbosa *in Collect. Bullarij verb. Clerici Regulares ministrantes Infirmis.*

Clerici Regulares minores gaudent priuilegiis 25
Clericorum Regularium Theatinorum, ex Gregorij XIV. concessione in Constitut. *Romanus* anno 1591. in 2. tomo Bullar. inter Bullas huius Pontificis *num.* 2. Et ex Sixto V. in Bulla *Sacræ Religionis* anno 1588. eodem 2. tomo Bullar. inter Bullas Sixti *num.* 81. non solum Congregationis approbationem, sed etiam facultatem habuerunt statuta pro eius bono regimine condendi, tria vota emittendi, alios ad religionem recipiendi, officium secundum Rom. Eccles. vsum recitandi, Sacramenta ministrandi, & domos construendi, quæ qualiter intelligēda sint ex dictis, & dicendis constabit. Barbosa *in Collectan. Bullar. verb. Clerici regulares minores.* Aduertit etiam Laertius Cherubinus in annotationibus ad prædictam Bullam Sixti V. emittere hos Patres etiam quartum votum de non petendo prælaturam extra Religionem. Pro quo vide *c.* 13. *post n.* 4.

Præterea Clerici Regulares Congregationis 26
Matris

Matris Dei Lucæ sub Gregor. XV. de consilio S. Congregationis Cardinalium in Religiosos approbati fuere. Variis etiam primum à Clem. VIII. gratiis, & priuilegiis honestati sunt. Quæ refert Barbosa *in Collectan. Bullar. verb. Cleric. Congregationis Matris Dei Lucæ.* Specialiter ab eodem Gregor. XV. in Bulla *Ad vberes* sub die 4 Ianuarij 1623. habent omnia & singula priuilegia, immunitates, libertates, facultates, exceptiones, & alias gratias, ac indulta tam spiritualia, quam temporalia cōcessa aliis Congregationibus Clericorum Regularium Mendicantium (non tamen Societatis Iesu) necnon Ecclesiis, & locis Regularibus quibuscumque, etiam per viam communicationis, &c. Huius Religionis fundator fuit Ioannes Leonardius Diœcesis Lucensis multis virtutibus, signisque Sanctitatis clarus, vt propterea Gregor. XV. de ipsius vita confici processum, vt posset in Beatorum numerum adscribi, iusserit.

27 Tandem Clerici Regulares Scholarum piarum nuncupati, quorum institutum est, vt colligitur ex Paulo V. in Bulla *Ad ea.* anno 1617. edita in 4. tomo Bullar. *num.* 3. gratis, & nullo stipendio, mercede, salario, aut honorario, pueros in primis elementis, grammatica, computo, ac præcipuè in fidei Catholicæ rudimentis, erudire bonis, atque piis operibus imbuere, ac Christiano more educare, à Gregor. XV. in Bulla *Ad vberes fructus* anno 1622. edita in 4. tomo Bullar. *n.* 14. priuilegiis Mendicantium decorati fuerunt, & postea à S. D. N. Vrbano VIII. exempti à processionibus, & aliis actibus publicis. Barbosa *in Collectan. Bullar. verb. Clerici pauperes Congregat. Matris Dei Scholarum piarum.*

SVMMARIVM.

Militares, seu milites regulares qui vocentur. n. 1.
Tria hominum genera in eis reperiuntur. ibid.
Clerici professi horum Ordinum sunt veri, & indubitati Religiosi. n. 2.
Idem de Monialibus Cruciatis. ibid.
Aliquid notabile ab huiusmodi Clericis ludo lucrantes tenentur ad restitutionem. n. 3.
An Conuersi illorum sint verè Religiosi. n. 4.
Milites S. Ioannis veri religiosi sunt. n. 5.
Alij etiam Milites, qui tria vota emittunt sunt veri religiosi. n. 6.
Per solemne votum militum S. Ioannis dissoluitur matrimonium ratum. n. 7.
Secus de voto aliorum militum. ibid.
Per vota religionis S. Ioannis dissoluitur matrimonium sequens. num. 8.
Secus per vota aliorum. ibid.
An vota istorum sint simpliciter solemnia. n. 9.
In quo consistat eorum obedientia, paupertas, & castitas. n. 10.
Venereos actus exercentes quomodo peccent. n 11.
Ratione voti obedientiæ ad quid obligentur. n. 12.
Ad quid ratione voti paupertatis. num. 13.
Sunt personæ Ecclesiasticæ, n. 14.
Status eorum venit in Iure sub nomine Regulæ, & religionis approbatæ. n. 15.
Simonia committitur in venditione, vel emptione habitus militiarum. n. 16.
Non comprehenduntur decreto Conc. Trid. sess. 25. cap. 15. *n.* 17.
De militibus tamen S. Ioannis dicitur oppositum declaratum. ibid.
Et quod comprehendantur sub prohibitione de non accedendo ad Monasteria monialium. ibid.
An comprehendantur decreto eiusdem Conc. sess. 6. c. 3. num. 18.
Milites S. Ioannis eximuntur à contributione pro seminariis. n. 19.
Comprehenduntur tamen decreto eiusdem Conc. sess. 25. cap. 19. ibid.
Eximuntur omnes huiusmodi milites sacris Ordinibus non initiati à constitutione Pij V. de agitationibus taurorum. ibid.
Secus de clericis horum Ordinum dicendum. ibid.
Excluduntur milites isti à constitutione Clem. VIII. de largitione munerum. num. 20.
Non comprehenduntur Religiosorum nomine quoties in institutione maioratuum apponitur clausula exclusiua religiosorum. n. 21.
Quid dicendum de militibus S. Ioannis. ibid.
Milites commendatarij non sunt dicendi habere titulum redditu um annuorum. n. 22.
Habent illos in administrationem, & commendam ibidem.
Et quoad vsum æquiparantur iis, qui habent dominium, vel quasi. ibid.
Idem dicendum de bonis patrimonialibus. n. 23.
Non sunt domini prædictorum. n. 24.
Iura redditu um, quæ commendatariis competunt non sunt beneficia Ecclesiastica. n. 25.
Secus de illis, quæ Clericis ob ministerium Ecclesiasticum conferuntur. ibid.
Sed neque illa sunt simpliciter beneficia Ecclesiastica. ibidem.
An commendæ sint materia simoniæ. num. 26.
Quomodo peccet qui illas vendiderit. ibid.
An ad id requiratur assensus Sedis Apost. ibid.
An possint fructus, & redditus huiusmodi commendarum tuta conscientia percipi ab iis, qui actu non militant, sed otiosè viuunt. n. 27.
Quomodocumque si carent dominio istorum. n. 28.
Solum habent vsum in ordinem ad licita, & honesta. ibidem.
Quid si ea ludo, aut alio modo inutili perdant? ibid.
Quantum ludere possint. ibid.
An possint donare concubinis. ibid.
An ipsæ teneantur ad restitutionem eorum quæ acceperunt. ibid.
An possint hi Milites instituere maioratus. n. 29.
Peccant aliquid expendentes contra voluntatem suorum Superiorum. n 30.
Maxime peccabunt contra paupertatem si tempore visitationis infideliter se gesserint. n. 31.
Clerici harum Militiarum, & Moniales ad officium diuinum tenentur. n. 32.
Secus de ipsis Militibus dicendum. ibid.
Tenentur tamen certas Orationes recitare. ibid.
Sub qua culpa. ibid.
An possint de bonis quæ habent testari. n. 33.
Quid de Clericis horum Ordinum. n. 34.
Commendatariis perpetuis ipsorum quænam competant. n. 35.
Tenentur de redditibus commendarum eleemosynas facere. n. 36.
Tenentur etiam habitum suarum Religionum semper portare. n. 37.
An sub censura. ibid.
Gaudent priuilegio canonis. n. 38.
Item priuilegio fori. n. 39.
Quid vero de nouitiis, & iis, qui in ordine S. Ioannis portant mediam Crucem. ibid.
Item immunitate à gabellis. n. 40.
An filij Militum S. Ioannis, & militum aliorum Ordinum



CAPVT V.

De Regularium Militarium Iuribus, & obligationibus.

1 Militares Regulares ij vocantur qui tribus Religionis votis adstricti ad militandum cōtra infideles sunt instituti, & obligati. Quales sunt Ordinum S. Iacobi, S. Ioannis. Calatrauæ, Alcantaræ, &c. Inter quos tria hominum genera reperiuntur. Alij sunt viri nobiles qui tanquam quidam Sacri milites instar Machabæorum pro fide ac lege Christi cum Turcis, & Sarracenis fortiter dimicant. Alij sunt Clerici, qui ad diuina ministeria obeunda recepti in ipsorum Ordinum Domibus in Choro cantant diuinas laudes, Missas dicunt, Confessiones audiunt, & solent Ecclesiis ipsis Ordinibus subiectis præfici. Alij vero sunt, qui ad modum Conuersorum Religionum Mendicantium, seu Monachalium, tum Clericis, tum Militibus in obsequiis domesticis inseruiunt. Azorius *tom. 1. instit. moral. lib. 13. c. 3. §. 1. quæritur.* Sunt quoque alij Ordines Militares, qui tantum duo vota Religiosa emittere videntur, videlicet, obedientiæ, & castitatis coniugalis, quales sunt S. Mauritij, & S. Stephani, de quibus etiam dicendum est.

Et quidem loquendo de Clericis Professis horum militarium Ordinum, certum, & indubitatum est, eos esse verè, & simpliciter Religiosos. Eo quod castitatem simpliciter vna cum paupertate, & obedientia solemniter sub Regula, vel formula ab Ecclesia approbata profitentur. Rodriguez *tom. 1. q. Regul. q. 1. art. 6.* Azorius *tom. instit. moral. lib. 13. c. 3. §. sciendum.* Idem dico de Monialibus Cruciatis horum Ordinum. Propter eamdem rationem. Rodriguez *vt supra.* De Nouitiis autem tam virorum quam fœminarum philosophandum eodem modo, ac de Nouitiis viris, seu fœminis aliarum Religionum, de quibus *tom. 1. capite 24. & 25.* diximus. 2

Vnde male Alcozer. *lib. de ludo cap. 39.* affirmat quod si prædicti extra claustra viuentes aliquid ludo amittant non teneri ad restitutionem id lucrantes. Cum enim isti Clerici sint veri, & indubitati Religiosi non possunt ludo perdere aliquid nisi de licentia suorum Superiorum, quæ non est præsumenda nisi in aliqua re moderata, iuxta harum Religionum vsum, Sanchez *lib. 7. in decalog. cap. 8. num. 38.* 3

Loquendo etiam de illis qui ad modum Conuersorum Religionum Mendicantium, & Monachalium, Clericis, & militibus inseruiunt, dicendum est, quod si aliqui illorum tria vota sicut Clerici, vel milites ipsi profiteantur sub Regula approbata, vt veri Religiosi censendi sunt, sicut de ipsis Clericis diximus, & de militibus dicemus. Si autem prædicta vota non emittant, nec sub Regula viuant, nullatenus Religiosi censendi erunt. Huiusmodi videtur esse Fratres Ordinis D. Ioannis portantes mediā Crucem albam, qui vt merè sæculares reputantur, viuunt enim sine Regula, & cum suis bonis, & vxoribus, & propterea isti nec priuilegio fori gaudent, neque à tributis sunt exempti. Rodriguez *tom. 2. q. Regul. q. 62. art. 18.* Bobadilla *in politica tom. 1. lib. 2. can. 18. n. 233.* Licet alij putent etiam istos fori priuilegio gaudere, eo quod militant sub Religione habente hoc priuilegium. Aloysius Riccius *in praxi tom. 4. resol. 177. n. 3.* Vide Dianam *Tract. 1. de immunit. Ecclesiast. resolut. 51.* 4

De Militibus vero S. Ioannis pro comperto est veros religiosos esse ex vi suæ institutionis. Quia habent verum, & totale votum castitatis, verum etiam votum paupertatis, cum sint incapaces dominij, imò & vsus sine superiorum facultate, & verum votum obedientiæ etiam in re tam ardua, & difficili, qualis est aggredi quæcumque pericula belli propter fidei defensionem. Rodriguez *tom. 1. q. Regul. q. 1. art. 6.* Suarez *4. tom. de Relig. tract. 9. lib. 1. c. 4. n. 5.* [Vnde ipsis Declaratum video à Sacra Congregatione Episcoporum & Regularium 10. Maij 1641. verè exemptos esse à iurisdictione Ordinarij.]. 5

De aliis porro Militibus horum Militarium Ordinum quamuis multi negent esse veros Religiosos; nihilominus communior, & probabilior sententia docet oppositum. Supponitur autem eos tria vota Religionis, obedientiam scilicet castitatem, & paupertatem vouere. Qui enim solum duo ex istis, videlicet obedientiam, & castitatem promittunt, quales videntur esse Milites S. Mauritij, & S. Stephani, vt inferius *num. 57. & 58.* dicetur, absdubiè verè Religiosi non sunt. De aliis autem id probatur. Primò, quia ita supponi videtur in Bullis Pontificiis quas refert Didacus de Motta in speciali opere de hac re, *lib. 1. & 2.* Secundò, quia emittunt vota obedientiæ, castitatis, & paupertatis, quatenus 6

quatenus conducunt ad finem qui est vitam exponere pro fidei, & Ecclesiæ defensione. Tertiò, quia status illorum est status perfectionis, cum non sit status vitæ ordinariæ, sed obseruantiæ consiliorum Euangelij cum traditione perpetua in obsequium Dei, & ad prædictum finem. Nauarrus *consil. 11. de Regularibus quod incipit, quidam eruditissimus.* Suarez *tomo 4. de Relig. tractat. 9. lib. 1. cap. 4. num. 9.* & alij.

7 Hinc per solemne votum Religionis quod faciunt milites S. Ioannis dissoluitur matrimonium ratum non consummatum præcedens, quia re vera est solemne votum religionis approbatæ, atque ita gaudere debet priuilegiis talis. Nauarrus *cons. 1. de Conuers. coniug.* Azorius *tom. 1. instit. moral. lib. 13. cap. 6. §. quarto quæritur.* Loquendo autem de votis quod alij Equites militarium Ordinum faciunt, non dissoluitur per illa Matrimonium ratum. Impossibile enim est, vt Matrimonij vinculum dissoluatur per illud votum quod simul stare potest cum Matrimonio, quale est horum Equitum, Suarez 4. *tom. de Relig. tract. 9. lib. 1. c. 4. n. 28.*

8 Similiter licet per vota Religionis S. Ioannis dirimatur Matrimonium subsequens, cum verè sit votum solemne, & omnimodæ castitatis, per vota tamen aliorum militarium Ordinum non dirimitur. Motta *lib. 2. c. 2. §. 19. n. 18.* Diana *tract. 2. de Dub. Regul. resol. 30.*

9 Propterea quidam etsi appellet solemne votum Ordinis S. Ioannis, vota tamen aliorum Ordinum militarium non appellant simpliciter solemnia, sed solum quoad aliqua, videlicet quoad perpetuitatem Suarez 4. *tomo de Relig. tractat. 9. libro primo capite 4. numero 29.* De quo non multum curandum dummodo talia vota sufficientia dicantur ad constituendam veram Religionem, iuxta dicta *num. 6.*

10 Consistit autem generaliter loquendo, & præscindendo à particularibus obligationibus horum Ordinum, eorum obedientia, in hoc quod debeant obedire Magistris, & Superioribus in iis, quæ ad externa opera vitæ actiuæ spectant & ad militiã ordinantur. Paupertas, quod non habeant dominiũ omnino liberum bonorum quæ possident, sed dependens à voluntate, & licentia suæ Religionis. Castitas autem in militibus S. Ioannis in omnimoda abstinentia à venereis etiam per actum coniugalem, in aliis verò militibus in abstinentia ab eisdem venereis extra Matrimonium, & etiam in Matrimonio quando, & eo modo qui fuerit necessarius ad finem illorum, qui est defensio fidei, & Ecclesiæ in bello, & ipsis præceptus à Superioribus, Suar. 4. *tom. de Relig. tract. 9. lib. 1. c. 4. n. 16.* De variis modis quibus professionem emittunt milites tractat Azorius *tom. 1 lib. 13. c. 5.*

11 Hinc consequenter tam milites S. Ioannis quomodocumque venereos actus exercentes quam aliorum Ordinum Milites extra Matrimonium peccantes tenentur confiteri prædictam circumstantiam voti castitatis emissi. Eorum namque peccata carnis duplici constant malitia specie diuersa, scilicet contra castitatem. vel temperantiam, & contra virtutem Religionis, seu votum, quæ est sacrilegij, Ayala *in libello Ordinis S. Iacobi.* Rodriguez *tomo 1. quæst. Regular. q. 13. art. 2.* Diana *tractat. 2. de Dub. Regul. resolut. 30.*

12 Ratione etiam voti obedientiæ, quod emittunt, videntur obligari ad non disponendum de suis personis, nisi de licentia expressa, vel saltem implicita suorum Superiorum, Magistrorum videlicet, &c. cum ratione talis voti quodammodo non sint sui sed Religionis. Vnde non licet illis se homagio, confœderatione, aut iuramẽto astringere alicui personæ, obligare se alicui feudo, maxime iuramento præstito, loquendo de feudo per quod obligentur ad aliquod seruitium reale, siue personale, quod dedeceat ipsorum personas, implicare se bellis Christianorum, sine Superiorum licentia, &c. Rodrig. *tom. 2. q. Regul. q. 71. art. 2.*

Ad quid autem teneantur ratione voti paupertatis, quod etiam emittunt, & quæ possint facere non obstante prædicto voto, in sequentibus dicetur. 13

Sunt etiam simpliciter dicendi Ecclesiasticæ personæ, cum sint veri Religiosi, vt diximus. Nauarrus *in tract. de redditibus Eccles. q. 1. monit. 55. & q. 3. monit. 27. & 29. & consil. 20. & 23. de Regularib.* Et esto Religiosi non essent, adhuc dici posse videtur esse personas Ecclesiasticas, cum sint speciali modo Deo dicatæ, & sub Regula Religiosa viuentes. Quæ ratio etiam probat idem de illis militibus, qui non tria, sed tantùm duo vota emittunt. 14

Item eorum status venit in Iure sub nomine Regulæ, & Religionis approbatæ. Tum quia id videntur probare testimonia Pontificum eos approbantium, tum etiam quia professio in his Ordinibus valida est, ergo Religio ipsa approbata in Iure, cum ex cap. vlt. de Relig. Domib. Omnis professio facta in Religione non approbata non est valida. Suarez *tomo 4. de Religio tractat. 9. lib. 1. capite 4. num. 27.* 15

Vnde simoniæ peccatum committitur in venditione, vel emptione habituum horum Ordinum. Tum quia sunt veræ Religiones, vt diximus, tum quia esto tales non essent nihilominus habitus ipsi dant ius ad multa priuilegia Ecclesiastica, ac per consequens habent annexionem cum re spirituali Azor. *tom. 1. moral. lib. 13. cap. 6. §. At verior.* Nihilominus, si pecunia vel aliquid aliud daretur pro prædictorum Ordinum habitu, non vt pretium, sed alio titulo, non esset ibi simonia, quæ solum committitur dum datur, vel promittitur temporale pro spirituali tanquam pretium illius. Diana *tract. 2. de Dub. Regular. 64.* Quid vero dicendum de Commendis quæ huiusmodi militibus dari solent, an scilicet sint, vel non materia simoniæ constabit inferius *n. 26.* 16

Non comprehenduntur in decreto Conc. Trid. *sess. 25. de Regularib. cap. 15.* vbi statuitur, vt in quacumque Religione tam virorum, quam mulierum professio non fiat ante 16. annum, nec in minori tempore quam post annum approbationis. Ratio est, quia etsi verba Concilij generalia sint, nihilominus Sacra Congregatio Cardinalium declarauit non comprehendere *Ordines Regulares militares,* absdubiè, quia respectu illorum talis obseruantia necessaria, aut accommodata non est. Azorius *tom. 1. instit. moral. lib. 13. cap. 4. §. 2. quæritur.* Suarez *tom. 4. de Relig. tract. 9. lib. 1. capite 4.* Barbosa *in Collectan. Bullar. verb. miles Regularis 2.* Dicitur tamen milites S. Ioannis Hierosolymitani comprehendi in prædicto decreto ex peculiari ipsorum statuto, & declaratione S. Congregationis. Armendariz *lib. 7. de Relig. num. 16.* Barbosa *in Collectan. Bullar. verb. milites S. Ioannis Hierosolymitani.* Vbi etiam de illis refert idem Barbosa declaratum esse ab eadem Sacra Congregatione comprehendi decretis Concilij, etiam vbi de eis non fit expressa mẽtio: nisi specialiter priuilegiis post Concilium muniantur. De qua declaratione, vel saltem de ipsius intelli 17

intelligentia multum dubio; cum isti milites S. Ioannis valde priuilegiati sint, & exempti, vt colligitur ex Pio IV. *in Bulla Romani interest*, quæ est 29. inter Bullas huius Pontificis in 2. tomo Bullar. Dicitur etiam declaratum à Sacr. Congregat. Episcop. & Regular. præfatos milites S. Ioannis comprehendi sub decreto, quo Regularibus prohibetur accessus ad Monasteria Monialium. Barbosa *in Collect. Bullar. verb. Eques Hierosolymitanus.*

18 Nec etiam comprehenduntur in decreto eiusdem Concilij *sess. 6. cap. 3.* vbi habetur, quod nemo sæcularis Clericus vel Regularis cuiusuis priuilegij prætextu tutus censeatur, quominus si deliquerit extra Monasterium degens, ab Ordinario loci visitari, puniri & corrigi valeat. Quoniam pœna, & odia iure, vel statuto contra Religiosos constituta non trahuntur ad eos. Vnde Pontifices sæpius illos expresè à communibus statutis odiosis excipiendos declararunt, vt constabit inferius de Greg. XIII. in statuto de spectatoribus agitationis taurorum & de Clem. VIII. in prohibitione de largitione munerum. Azorius *tom. 1. lib. 13. cap. 4.*

19 Specialiter milites S. Ioannis excipiuntur à Concil. Trident. *sess. 23. cap. 18.* ne teneantur contribuere pro seminariis. Rodriguez *tom. 1. quæst. Regul. quæst. 1. artic. 6.* Comprehenduntur tamen decreto eiusdem Concilij *sess. 25. cap. 19.* vbi agitur de Regularibus prætendentibus se per metum ingressos religionem, aut per vim, vt refert ex declaratione S. Congregationis Barbosa *in Collectan. Bullar. verb. Eques Hierosolymitanus, & verbo milites S. Ioannis Hierosolymitani*, citans etiam Armendariz. Similiter Gregor. XIII. exemit omnes huiusmodi milites sacris Ordinibus non initiatos à Constitutione Pij V & pœnis in ea contentis contra eos qui agitationibus taurorum assistunt, vt dictum est *tom. 1. cap. 10. num. 7.* & docet Rodriguez *tom. 3. quæst. Regul. quæst. 68. art. 2.* Nec comprehenduntur in Constitutione Clementis VIII. de qua *ibidem*. Esto enim prædicta Constitutio Pij V. Monachos, & Fratres, ac cuiuscumque Ordinis, & instituti Regulares comprehendere voluerit, non tamen huiusmodi odiis, nisi exprimantur. Rodriguez, *vt sup. art. 2.* Includuntur tamen in hac prohibitione Clerici horum Ordinum militarium sicut omnes alij Regulares, cum communibus legibus aliorum Regularium comprehendantur. Rodriguez, *vt supra.*

20 Excluduntur etiam à Clemente VIII. in constitutione *de largitione munerum* Regularibus interdicta, vt patet illis verbis (*non tamen militiæ*) & ita tenet Diana *tract. de paupert. Regligios. resolut. 23.* Imò ex eo quod Pontifex in hac Constitutione omnes Religiosos comprehendat, excipiat autem hos milites, colligitur eos esse veros Religiosos, iuxta dicta *supra num. 6.* cum exceptio firmet regulam in contrarium. Diana *ibidem.*

21 Nec etiam comprehenduntur Religiosorum nomine, quoties in institutione maioratuum apponitur clausula exclusiua Religiosorum. Etsi enim Religiosi sint, viuunt tamen sæculari modo, imò splendidè, & paupertas, quam profitentur est amplissima, nec in eis procedunt rationes, quæ in aliis Religiosis, & ita capaces sunt obtinendi maioratus. Molina *tom. 3. de iust. disp. 623. num. 5.* Sanchez *lib. 7. in decalog. cap. 15. num. 5. 47. & 49.* Quod intellige nisi Constitutiones Ordinum obstent, & quoad milites S. Ioannis, nisi in institutione maioratus apposita sit aliqua clausula, qua denotetur possessorem illius debere ducere vxorem, quia hoc repugnat his militibus. Maioratuum ergo institutores rectè, & prudenter in ipsa institutione adiicere solent clausulas, quibus id explicetur. Molina *de Hispanor. primogen. lib. 1. cap. 13. num. 98. & 99.*

Cum autem ratione voti paupertatis quod emittunt dominij incapaces sint, ideo milites Commendatarij reddituum annuorum, quos habent, non sunt dicendi habere titulum propriè loquendo, nam appellatione tituli in hac parte intelligitur dominium, vel quasi dominium. Habent ergo prædicta in administrationem, & commendam: Propter hanc enim causam Commendatarij vocantur. Quoad vsum tamen æquiparantur iis, qui dominium, vel quasi dominium, id est titulum habent, quia scilicet illis bonis fruuntur Superiorum permissu, soluendo aliquam pensionem Religioni, vel saltem aliqua faciendo quo denotetur vsum illorum bonorum à voluntate Superiorum pendere. Azorius *tom. 1. lib. 13. cap. 4.* 22

Idem, & propter easdem rationes dicendum de bonis patrimonialibus, quæ scilicet, hæreditate, aut propria opera, aut donatione acquisierint milites isti, siue ante professionem, siue post illam, eorum scilicet non habere proprietatem, aut dominium, sed solùm vsum ad voluntatem Superiorum. Nauarrus *comment. 2. de Regularib. num. 56. & apolog. ad lib. de redditib. quæst. 3. monito 12.* Motta *tract. de confirmat. Ordin. milit. S. Iacobi lib. 2. cap. 2. & in lib. instruct. vt Commendatarij tendant ad perfect. cap. 4. §. 4. num. 49.* 23

Neque audiendi sunt quidam etsi alias docti qui admittunt huiusmodi Commendatarios (eos scilicet quibus permissum est contrahere Matrimonium) esse veros dominos prædictorum bonorum. Molina *tom. 1. de iust. disput. 141.* Sanchez *lib. 7. in decalog. cap. 8. num. 28.* Hi enim Theologi dum mites, & suaues esse volunt in huiusmodi milites, acres tamen, & acerbi sunt in illos, eis tollentes veram rationem Religiosorum, impossibile enim est veram rationem Religiosi cum proprietate, & dominio præsertim expedito componere. Vnum ergo de duobus affirmare debent, vel prædictos milites Religiosos non esse, quod non est dicendum, vt constat ex dictis, vel dicendum eos non habere bonorum suorum proprietatem, aut dominium, saltem liberum, & expeditum, quia hoc est de essentia veri Religiosi. Alias solùm Religiosi. ligiosos de nomine, & eorum, quorum vana est, & lubrica Religio eos appellare liceret. 24

Iura etiam annuorum reddituum, quæ huiusmodi equitibus commendata ad vitam conferuntur, & Commendæ vocantur non sunt verè, & simpliciter beneficia Ecclesiastica. Ratio est, quia etsi ex decimis Ecclesiasticis colligantur, & personis Ecclesiasticis dentur, & à Magistro Ordinis nihilominus non dantur ob munus aliquod Ecclesiasticum, seu administrationem sacram, sed ob militiam in qua se debent exercere, ac proinde non sunt propriè beneficia Ecclesiastica. Præsertim quia beneficia Ecclesiastica habent annexam obligationem officij diuini persoluendi, tonsuram, & Clerici vestem portandi, quod deficit in huiusmodi Equitibus. Mandosius *comment. super regul. 3. Cancellar. quæst. 11. num. 4.* Azorius *tom. 1. institut. moral. l. 13. cap. 3.* Iura autem redditunm qui in huiusmodi militaribus ordinibus Clericis conferuntur ob ministerium Ecclesiasticum, quo ipsi Clerici inseruiunt Ordinum Ecclesiis sunt vera beneficia Regularia. Cum nihil illis ad rationem beneficij neces- 25

sarium deficiat. Azorius *vt supra*. Nihilominus adhuc illa non dicenda simpliciter beneficia Ecclesiastica, quia non sunt, perpetua, sed amobilia, & dependentia à voluntate Superiorum. Sanchez *lib.7. in decalog. cap.29.à n.104.* Vide dicenda *c.18.n.6.*

26 Ex quo fit quod etsi Commendæ Clericales, illæ scilicet, quæ dantur propter spiritualem administrationem, vel spirituale ministerium, curam videlicet animarum sint materia simoniæ, ita vt si vendantur, vel emantur simonia committatur, Commendæ verò aliæ quæ huiusmodi militibus dantur non propter spiritualem administrationem, aut functionem, sed titulo mere laico, scilicet ob militiam gerendam, vt subsidia videlicet, vel stipendium ipsius, non sunt materia simoniæ, cum sint res temporales. Suarez *tom.1.de simonia cap.27.* Bonacina *de simonia quæst.4.* Nihilominus si vendantur siue à Rege, Principe, vel Magistro Ordinis, qui illas distribuunt, graue peccatum committitur. Tum quia prædicti non sunt Domini, sed dispensatores illarum, tum quia sic dabuntur indignis quod est intrinsecè malum, vt potè contra finem institutionis illarum. Suarez, & Bonacina, *vt supra.* Cum autem sint bona Ecclesiastica videtur casu quo aliquando vendantur, vendi, aut alienari non posse sine assensu Sedis Apostolicæ, propter Extrauag. *Ambitiosæ*, vbi bonorum Ecclesiasticorum alienationes prohibentur. Couarruu. *2. var.cap.16. num.3.* Riccius *in prax.fori Ecclesiast.decis.76.& 79.* Bonacina *de alienat. bonor. Ecclesiast. disp.2. quæst.vnica punct.2.num.13.*

27 An verò huiusmodi fructus aut redditus, quos habent isti milites Commendati possint tuta conscientia percipere, actu non militantes, nec arma capientes, sed otiosè, vel vitiosè in Curiis Princip. & vrbibus degentes, meritò dubitant plures. Multi volunt eos non posse tales fructus, aut redditus tuta conscientia recipere. Quia ipsis sunt concessi, vt contra Sarracenos, & alios Ecclesiæ hostes prælientur, & quod datur ob aliquam causam, ea non subsistente, nihil valet. Aliis autem dicta opinio duriuscula videtur, & fundamentum ipsius infirmum, eo quod licet prædicta bona militibus istis dentur causa militiæ, sed non ea conditione, & lege, vt actu militent. Ad hoc inclinare videtur. Azorius *tom.1.instit. moral. lib.13. cap.4. §.7. quæritur.* Verumtamen mihi videtur huius decisionem pendere, tum ex statutis horum Ordinum, tum ex modo quo ipsis prædicta bona conferuntur. Si enim, vel ex prædictis statutis, vel ex modo quo ipsis dicta bona conceduntur habetur eos teneri actu militare, vt illis potiantur, sine dubio non possunt actu non militantes, sed otiosè, vel vitiosè sine vllo militiæ exercitio viuentes illis potiri. Si autem ex statutis Ordinum vel modo quo prædicta bona ipsis conceduntur, nihil tale habeatur, etsi non teneantur actu militare, tenentur tamen esse in præparatione animi ad militandum quoties ipsis iniunctum fuerit, vel occasio, aut necessitas postulauerit. Alias omnino nugatoriè, & vanè militum nomine, & præmio gaudere possent.

28 Sed siue actu militent, siue non huiusmodi Equites, prædictorum bonorum, & quorumcumque aliorum sibi ex patrimonio, vel alio modo competentium dominio carent, ratione voti paupertatis quod emiserunt, vt dictum est, vnde solùm habent vsum illorum in ordine ad licita, & honesta non tanquam suorum, sed tanquam sibi commissorum, ac commendatorum, nutu, & voluntate Superiorum prout alij Religiosi, quia hoc solùm permittit votum paupertatis. Azor. *tom.1.instit. moral.lib.13. cap.4. §. octauo quæritur & §. nono quæritur.* Rodriguez *tom.2. quæst. Regul. quæst.58. art.5.* Nauarrus *lib.de redditibus quæst.1.num.95. & 96. & quæst.3. num.30. & 31. & Apolog. ad lib. de redditib.num.6.* Quidquid dicat in contrarium Sanchez *lib.7.in decalog. cap.8. num. 29.* Vnde si fructus, aut redditus huiusmodi ludendo, aut alio vano inutili, seu futili modo impendendo perdant, non solùm peccant grauiter, vel leuiter, iuxta capacitatem materiæ sicut alij Religiosi contra votum paupertatis, sed etiam ij, in quos ipsi prædicta bona transferunt ad restitutionem tenentur, vt docent aliqui apud Azorium, *vt supra §. decimo quæritur*, quia talia bona non ipsis concessa nisi in ordine ad honestos, & licitos vsus, nec voluntas Superiorum est, aut potest esse, vt in vanos, & inutiles ea expendant. Verum est huiusmodi Equitibus militaribus, tum ratione nobilitatis, tum ratione finis Religionis militaris qui non est strictam obseruantiam seruare, sed militiam pro Christo quando opus fuerit sectari, licere sæpius ludere ludis honestis aliquam pecuniæ quantitatem, & facere aliquas, & plures expensas quæ aliis Religiosis non licent, quod, iuxta prudentis arbitrium, tum ex vsu inter timoratos, tum ex concessu Prælatorum metiendum est. Donare tamen concubinis non possunt, ita vt illorum donatio etiam iuramento firmata, sit irrita, vt docent multi, quos sequitur Rodriguez *tom.1. quæst. Regular. quæst.27. artic.12. in fine.* Cæterum probabiliter, vt credo, excusari possunt à restitutione facienda eorum quæ ab illis acceperunt, tam prædictæ concubinæ, quam alij cum quibus illicitè luserunt, eo quod Religiones istæ vsu, & praxi nihil de istis rebus malè donatis curare videantur, ita vt eas quasi remittere censendæ sint.

Hinc etiam valdè probabile est posse hos milites etiam Commendatarios, siue de bonis patrimonialibus, siue de redditibus Commendarum maioratus instituere non secus atque alios sæculares si hoc illis specialiter non sit prohibitum. Non quidem quia prædictorum bonorum dominium habeant, vt malè quidam putant, sed quia Religiones istæ militares, & Prælati supremi ipsarum hoc videntur permittere. Molina *tom.3. de iust. disp.604. fin.* Sanchez *lib.7. in decalog.cap.8.num.31.* 29

Peccabunt tamen mortaliter contra votum paupertatis, si in his, aut aliis vsibus expendant prædicta bona contra suorum Superiorum beneplacitum. Hoc enim ad minus est necessarium pro voto paupertatis, quod emiserunt. Isla *in Confessionario in interrogationibus circa votum.* Motta *in lib. instructionis, vt Commendatarij tendant ad perfectionem*, & Sanchez *lib.7. in decalog. cap.8. num.35.* 30

Peccabunt etiam mortaliter contra votum paupertatis, si tempore, & occasione quibus Religiones ipsæ, ipsorum Prælati, vel visitatores, iusserint, non præsentauerint inuentaria rerum, quas possident, aut in eis conficiendis infideliter se gesserint aliqua occultando, quia paupertas ab eis promissa hoc ad minus requirit. Isla *in Regula Commendatariorum D. Iacobi in procemio, & in confessionario in interrogationibus circa votum.* Quod tamen benè intelligit Sanchez *lib.7. in decalog. cap.7. num.34.* Quando notabilis esset mora in inuentario conficiendo, & quando occultatio esset rei notabilis, aliàs solùm peccatum veniale committent, magis, vel minus leue, iuxta maiorem, vel minorem grauitatem materiæ. 31

Ex

32 Ex alumnis horum militarium Ordinum tenentur ad Officium diuinum, seu horas Canonicas Clerici in sacris Constituti, & Moniales, iuxta dicta *tom.1. cap.12. num.2. & 3. &c.25. num.13.* De clericis autem non in Sacris constitutis, sed ad Chori seruitium deputatis Philosophandum videtur eodem modo, ac de aliis Religiosis, iuxta dicta eodem *cap.12. num.3.* Milites autem horum Ordinum, non sunt obligati ad Officium diuinum, quia etsi sint Religiosi, iuxta dicta, non tamen sunt addicti Choro, cultui diuino, aut Ecclesiasticis ministeriis, sed militiæ. Azorius *tom.1. instit. moral. lib.13. cap.4. §. quinto quæritur.* Suarez *tom.2. de Relig. lib.4. de horis canonicis cap. 19.* Quod etiam verum puto de militibus commendatis, seu Commendatariis horum Ordinum, cum nec ratione Religionis militaris, ad id obligentur, vt dictum est, nec ratione Ordinis sacri, cum illo careant, nec ratione beneficij Ecclesiastici, cum Commenda beneficium Ecclesiasticum non sit, nec consuetudinis, quæ non extat, vt credo. Quod dixerim contra Bonacinam *de horis canonicis disp.1. quæst.2. punct.4. num.3.* Clerici autem horum Ordinum militarium beneficia Regularia quantumuis manualia habentes ad Officium diuinum tenentur; tum ratione Ordinis sacri; tum ratione beneficij. Bonacina *ibidem num. 2.* Imò milites ipsi tenentur recitare eas Orationes, quas loco Horarum Canonicarum Regula ipsis præscribit. Isla *super Regulam Commendat. D. Iacobi cap.6.* Qui licet dicat hanc obligationem esse sub mortali, alij tamen id negant. Nauarrus *cap. quando cap.7. num.23.* Sanchez *2. tom. conf. moral. lib. 7. cap. 2. dub.5.* Consulenda sunt tum verba Regulæ, tum dicta *tom.1. cap.7.* de obligatione Regularium, ratione Regulæ sui Ordinis.

33 Probabile est posse huiusmodi Equites Ordinum militarium de suorum reddituum fructibus, & de aliis bonis ipsorum testari, si vsu, consuetudine, vel Constitutionibus particularibus non sit illis hoc interdictum, sed permissum. Ratio est, quia etsi ratione voti paupertatis id non ipsis liceret, si tamen talis vsus, consuetudo, aut Constitutio hoc illis prohibens non existat, videtur illis à Religione permitti, ac per consequens licitè fieri. Nec obstat Constitutio Pij V. *Sacrosanctum* anno 1568. edita, quæ est inter Constitutiones huius Pontificis 2. tom. Bullar. 73. quia in ea solùm reuocat omnes, & quascumque licentias, seu facultates testandi his Equitibus concessas, non tamen Ordinis Constitutiones, vel vsum, aut consuetudinem legitimè præscriptas. Azorius *tom.1. instit. moral. lib.13. c.5.* Adde Gregor. XIII. reuocasse prædictam Constitutionem Pij V. concedendo ills facultatem testandi, iuxta pristinam eorum consuetudinem. Sanchez *lib.7. in Decalog. cap.8. num. 30.* Vide dicenda *infra à num. 54.*

34 Clericos etiam horum Ordinum Militarium extra claustra viuentes de licentia Superiorum posse testari cum quibusdam conditionibus, asserunt Isla *in Reg. horum Commendatariorum cap.20.* Motta *in lib. instruct. vt Commendatarij tendant ad perfectionem cap.4. §. 4. num. 52.* Cum tamen isti simpliciter veri, & indubitati sint Religiosi, testari autem prohibitum Religiosis sit, iuxta dicta *tom.1. cap. 9. num.19.* ideo ad priuilegia, Constitutiones, & legitimas eorum consuetudines attendere oportet, Sanchez *lib.7. in decalog. cap.8. num.37.*

35 Commendatariis perpetuis Ordinum militarium competunt ea quæ veris Prælatis competere possunt. Rodriguez *tom.1. quæst. Regular. quæst. 27. artic. 12.* Quod intellige quantum ad dispositionē redditu um suarum Commendarum, seruato iure Ordinis, & voto paupertatis, non tamen possunt alienare, nec locare nisi seruatis seruandis. [Hinc etiam declarauit Sacra Congregatio Episcoporum & Regularium 5. Iulij 1640. pro Cisterciens. quod gubernatio ipsorum spectaret ad eorum Superiores; non verò commendatarios.]

Tenentur de redditibus Commendarum eleemosynas elargiri, & suarum Ecclesiarum necessitatibus succurrere, eo quod prædicti redditus sunt bona Ecclesiastica ex decimis, vel primitiis Ecclesiasticis deducta, etsi illis applicata pro bello contra infideles gerendo, atque adeo dum tale bellum non instat tenentur pauperibus, & Ecclesiarum indigentiis subuenire, aliàs defraudatores, & vsurpatores erunt bonorum Ecclesiasticorum. Martinus de Ayala *in Compend. Ordin. milit. D. Iacobi* Rodriguez *tom.2. quæst. Regul. quæst.75. artic.5.* Specialiter de Commendatoribus, quibus commissa sunt, vel commendata Hospitalia, vel Hospitalitas sic scribunt graues Auctores. *Notandum est illud quod traditur à Rebuffo, scilicet aduersus Commendatarios Hospitalitas (inquit) debita non seruatur, sed tota amittitur; nam quoties quisque commendatarius, Hospitalem se exhibeat, aliorum sit iudicium, quæ tamen plurimum est commendata, vt Glossa, & Doctores scribunt. Hodie quidem Commendatarij tantùm absunt ab hac Hospitalitate, vt quæ possunt à pauperibus eripiant, vnde quia Hospitalitas decessit, successit indictio fisci, Decimarum, & aliorum onerum præstatio, vt in sacris Canonibus habetur, hoc tollit fiscus quod non accipit Christus.* Azor. *tom. 1 lib.2. cap.22. §. vndecimo quæritur.* Rodriguez *to.2. quæst. Regul. quæst.84. art. 2.* 36

Tenentur etiam habitum suarum Religionum semper portare. Tum propter particulares ipsarum Constitutiones, tum etiam quia non est certum comprehensos non esse in lege communi *cap.2. ne Clerici, vel Monachi in 6.* vbi excommunicatione maiori innodantur Religiosi habitum suæ Religionis temere dimittentes, de qua diximus *tom.1. cap.13.* Cum enim sint verè Religiosi dubitari iure potest an in prædicta lege comprehendantur, etsi ex alia parte, cum ipsi quoad odia, & rigores nomine Religiosorum non veniant, probabile satis sit non comprehendi. Pro his etiam militibus beneficia Ecclesiastica obtinentibus extant duæ Constitutiones Sixti V. in 2. tomo Bullarij *num.92.* circa habitum quem portare debent. Rodriguez *to.2. quæst. Regul. quæst.76. art.1.* Declaratum autem est à S. Congregatione Militem Regularem si fuerit Canonicus non posse supra habitum Canonicalem deferre Crucem Ordinis militaris. Barbosa *in Collectan. Bullar. verb. miles Regularis 2. & verbo Canonicus Protonotarius.* 37

Gaudent priuilegio canonis, ita vt illos percutiens incidat in excommunicationē latæ sententiæ *can. si quis* cū sint verè Religiosi, & personæ Ecclesiasticæ. Garzia *de Benefic. 1. part. cap.4.* Diana *Tract. de immunit. Ecclesiast. resol.72.* Portellus *in Dub. Regul. verbo manus violentæ num.7.* Nec id negari potest nisi ab opinantibus non esse verè Religiosos. Vnde etiam videtur extendendū hoc priuilegium ad Nouitios eorum, cum etiam tempore Nouitiatus personæ Ecclesiasticæ sint, & in fauorabilibus Nouitij æquiparentur professis iuxta dicta *tom.1. cap.3. num.16.* 38

Pariter etiam fori priuilegio gaudent hi milites, propter easdem rationes, vt post multos Auctores 39

tenet

tenet Barbosa *de Offic. & potest. Episcop. alleg.*12. *num.*45. Quorum aliqui etiam hoc extendunt ad Nouitios. Vide Mottam *de Confirmat. Ord. D. Iacobi lib.*2. *cap.*1. §.9. Dianam *Tract. de immunit. Ecclesiast. resol.*72. *& tract. de paupert. Religios. resol.*23. Quid verò dicendum de Equite Hierosolymitano, qui percussit aliquem Clericum, qualiter scilicet Episcopus se gerere debeat circa illum, habetur ex declaratione S. Congregat. apud Aldanum *in Compend. Canon. resolut. lib.*2. *tit.*3. *num.*3. & Barbosam *in Collect. Bullar. verb. Eques Hierosolymitanus.* Quid etiam dicendum de iis qui in Ordine S. Ioannis mediam Crucem portant, constat ex dictis *supra num.* 4.

40 Idem etiam affirmandum de immunitate à gabellis, esse scilicet prædictos Milites ab illis immunes. Propter dicta, nempe quia sunt verè Religiosi, vel saltem Ecclesiasticæ personæ. Flores de Mena *lib.*2. *quæst.*21. *num.* 205. Diana *in tract. de immunit. Ecclesiastica resolut.*49. Barbosa *de Offic. & potest. Episcop. allegat.*14. qui etiam *num.*15. id priuilegium extendendum dicit ad vxores viduas horum Militum.

41 Eorum filij, videlicet quomodocumque habiti à Militibus S. Ioannis, & ab aliis Militibus Ordinum extra matrimonium, sunt illegitimi, cum sint filij religiosorum, & ita habetur *in lib.* 11. *Tauri* Rodriguez *tom.*1. *quæst. Regular. quæst.* 13. *art.*2. Vnde consequenter dicendum filios horum militum ante matrimonium habitos etiamsi ex copula cum soluta non esse naturales, cum sint sacrilegi contra votum castitatis, nec legitimari per subsequens matrimonium, propter eamdem rationem. Rodriguez *ibid.* Diana *tract.* 2. *de Dub. Regul. resolut.* 30.

42 Per ipsorum professionem non vacant beneficia aut pensiones quæ antea habebant. Ratio est, quia *cap. Beneficium de Regularibus in 6.* decernens beneficia (idem dico de pensionibus) vacare per professionem Religiosorum, cum sit odiosum non videtur intelligendum de huiusmodi Militibus, qui etsi, vt dictum sit essentialiter Religiosi sint, modum tamen Religiosorum non seruant: propterea enim à similibus odiis, vt dictum est, eximuntur Sanchez *lib.*7. *in decalog. cap.*29. *num.*5. *&* 9. aliter tamen loquens de Militibus S. Ioannis, sed mihi videtur æquales esse quoad hoc omnes hos milites, propter rationem allatam, nisi pro ipsis sit aliqua specialiter.

43 Probabile etiam est capaces esse eorum beneficiorum, & pensionum quibus alij Religiosi, iuxta dicta *cap.*2. capaces non sunt. Tum quia non comprehenduntur in odiosis spectantibus ad Regulares, tum quia, etsi Religiosi sint, modum tamen religiosum non tenent, cum non omnino mutent statum, & redditus quasi proprios obtineant. Sanchez *lib.*7. *in decalog. cap.* 29. *num.* 103. & fauet Azor. *tom.*1. *instit. mor. lib.*13. *cap.*3. *quæst.*2. *ad finem* Vide tamen declarationem S. Congregat. adducendam infra num. 54. Et nota dictis non obstare quod sæpius à Sede Apostolica concedatur aliquibus militibus horum Ordinum facultas ad habendum pensiones, vt dicetur infra *num.* 58. *&* 60. hoc enim fieri potuit ob maiorem securitatem conscientiæ.

44 Quamuis autem veri Religiosi sint, vt dictum manet, nihilominus illi qui votum emiserunt ingrediendi Religionem, non determinando religionem, non satisfaciunt assumpto habitu istorum militum. Nam eorum religio in genere religionis adeo laxa est, vt potius modum viuendi sæcularem habeat, illi autem qui religionem ingredi promittunt, intendunt profiteri statum arctiorem, & Cœnobiticum intra claustra, & magis separatum à fastu, & curis sæcularibus. Corduba *in Summ. quæst.*148. Sanchez *lib.*4. *de præceptis decalog. c.*16. *num.*11. *&* 12. Qui etiam benè addunt eos qui emiserunt tale votum sufficienter satisfacere ingrediendo Religionem Clericorum horum Ordinum Militarium, sicut & Canonicorum Regularium, cum illi veram vitam Regularem in Cœnobiis instar aliorum Religiosorum ducant. Addo non esse improbabile quod qui votum emisit Religionis nullam determinando, satisfaciat voto, ingrediendo Religionem S. Ioannis, quia illa inter militares, est strictior, vt potè, cum milites illius votum simpliciter castitatis emittant, & non solùm coniugalem, vt alij Ordines Militares. Aragon. 2. 2. *quæst.*88. *artic.*11. Diana *tract.*16. *Miscellan. resolut.* 38. Declaratum autem dicitur à Sacr. Congregatione, per licentias claustralibus concessas ad ingrediendum quamcumque Religionem non licere transire ad non claustrales, quales sunt Militares, & Hospitalarij. Quaranta *in Summ. Bullar. ver. Monasteria, & Conuentus vers. quoad transitum.*

Licet aliqui credant hos milites gaudere priuilegio aliorum Regularium, de quo *tom.*1. *cap.*18. *num.* 27. quod scilicet, possint confiteri peccata sua Confessario etiam non approbato ab Ordinario (Ioannes Sanctius *in selectis disput.*49. *num.*10. cui annuere videtur Diana *tract.* 2. *de Dub. Regul. resolut.*30.) Nihilominus quia in hoc attendenda est consuetudo tam ea quæ fuit inter hos milites ante Conc. Tridentin. quam post illud, & hæc sit in contrarium, vt ipse Diana testatur, nullatenus assentiendum est huic sententiæ, sed vt falsa reiicienda. 45

Apostasiæ crimen incurrent si Religionem quam professi sunt derelinquant. Motta *lib.*2. *cap.*1. §.6. *num.* 5. Diana *tract.* 2. *de Dub. Regular. res.* 30. Quando autem sint Apostatæ dicendi constat ex dictis *tom.*1. *cap.*16. 46

Possunt etiam transire de Religione in qua sunt ad aliam, sed dicunt id fieri debere cum licentia magni Magistri Religionis. Motta *l.*2. *cap.*1. §.6. Diana *tract.*2. *de Dub. Regular. resolut.* 30. Verumtamen attendenda sunt quoad hoc tum Iura, & priuilegia particularium Religionum militarium, tum circa conditiones huius transitus ea quæ dicta sunt *tom.*1. *cap.*22. 47

Non peccant isti Milites accedentes ad Sacramentum Pœnitentiæ, & Communionis ense, & pugione accincti, si hoc sit consuetudine introductum in eorum Religionibus, talis enim consuetudo nihil habet indecentiæ, posito quod status quem profitentur est, præparatos esse ad bellum gerendum pro fide Catholica quod rectè ense, & pugione denotatur. Ioannes Sancius *in selectis disput.* 45. *num.*3. Diana *tract.*2. *de Dub. Regul. resol.*30. 48

Quoad visitationem Ecclesiarum Ordinum Militiarum applicanda videtur doctrina tradita *tom.*1. *cap.*11. *num.*7. *&* 9. quod scilicet Episcopi, aut alij locorum Ordinarij nullam habeant facultatem visitandi Ecclesias, aut Monasteria quibus non imminet cura animarum, benè tamen illa, vel illas, quibus talis imminet cura, in eis quæ ad dictam curam, & Sacramentorum administrationem pertinent, propter ibidem adducta ex Concil. Trid. & declarationibus Sac. Congregationis. Quibus iungitur Constitutio Pij V. pro Ecclesiis Militum 49

S. Ioan

S. Ioannis Hierosolymitani. Barbosa *de Offic. & potest. Episcop. alleg.* 74. *num.* 26. Accedit etiam alia declaratio Sac. Congregationis apud eumdem Barbosam *in Collect. Bullar. verb. excommunicatio*, in qua declaratur posse Episcopum excommunicare Fratrem Capellanum Religionis Hierosolymitanæ, qui cum administrasset redditus Parochialis sæcularis, & citatus ab Episcopo ad reddendam rationem, noluit comparere. Vide etiam aliam declarationem Sac. Congregat. Regular. apud eumdem Barbosa, *vt sup. verb. visitare Episcopus quando possit, & cap.* 2. Quia tamen aliquæ Ecclesiæ istorum Ordinum dicuntur esse nullius Diœcesis, & Magistri illorum in illis habere iurisdictionem non solùm Episcopalem, sed etiam temporalem (de quo Rodriguez *tom.* 1. *quæst. Regul. quæst.* 36. *art.* 3. & 4.) ac per consequens non includi in decretis Concil. Tridentini, ideo consulenda sunt tum priuilegia illorum, tum vsus, & praxis. Constitutio autem Gregor. XV. quæ huiusmodi priuilegiis aduersari videtur pro Hispaniæ Regnis suspensa est, iuxta dicta *tom.* 1. *cap.* 19. *num.* 35. De priuilegiis autem ipsorum dicetur infra à *num.* 52.

50 Priores Ecclesiarum Ordinum Militarium dicuntur posse exercere munera aliqua Episcopalia, scicet Benedicere ornamenta, & concedere Reuerendas sæcularibus suorum Prioratuum. Rodriguez *tom.* 1. *quæst.* 36. *art.* 6. Vide tamen dicta *tom.* 1. *cap.* 14. *num.* 13. & *cap.* 18. *num.* 57.

51 De Monialibus aliorum Ordinum Militariũ eodem modo Philosophandum, ac de aliis, iuxta dicta *tom.* 1. *cap.* 25. Specialiter quoad obligationem obseruandæ clausuræ absque dubio ea ligari (quidquid immerito quidam dubitarint) constat ex Tridentin. *sess.* 25. *cap.* 22. illis verbis. *Quarumcumque sanctimonialium, etiamsi illæ sub guberno militiarum, etiam Hierosolymitanæ viuant, & quocumque nomine appellentur*, & ex Constitutione *Circa pastoralis*, Pij V. illis verbis, *Cuiuscumque Ordinis, vel militiarum, etiamsi Hierosolymitanæ sint:* verbum enim illud *etiam Hierosolymitanæ* in vtroque decreto positum significat à fortiori comprehendi Moniales aliarum militiarum. Nauarrus *Comment.* 4. *num.* 44. *vers.* 5. *nota de Regularibus.* Sanchez *lib.* 6. *in Decalog. cap.* 15. *num.* 10. Etiamsi, dato casu, ante Concilium, & Pium V. consuetudo fuisset clausuram non obseruare. Quia Concilium dicta *sess.* 25. *c.* 22. iubet obseruari decreta illius sessionis inter, quæ vnum est de huiusmodi clausura, non obstantibus *etiam consuetudinibus immemorabilibus*, & Pius V. in sua illa Constitut. *Circa pastoralis* præscribit eamdem clausuram, etiamsi *nec vmquam in earum Monasteriis, seu Domibus etiam ab immemorabili tempore ea seruata fuerit.* Nauarrus, *vt supra num.* 4. *versic. octauo nota*, Rodriguez *tom.* 1. *quæst. Regul. q.* 44. *artic.* 2. & 3. Sanchez *lib.* 6. *in decalog. cap.* 15. *n.* 12.

52 Gaudent præterea huiusmodi militares Ordines variis priuilegiis à Sede Apostolica concessis. Specialiter milites S. Ioannis Hierosolymitani ab Anastasio IV. in Bulla *Christianæ* in 1. tom. Bullar. inter Bullas huius Pontificis *num.* 2. sub Sedis Apostolicæ potectione suscepti priuilegiis quoque bona etiam stabilia possidendi, Hospitalia construendi, Decimas non soluendi, tempore generalis interdicti celebrandi, & aliis, decorati sunt. Deinde Pius IV. in Bulla *Circumspecta* tomo 2. Bullar. *num.* 9. priuilegia ab antiquioribus Pontificibus illis concessa confirmans alia de nouo concessit. Exempti etiam sunt ab eodem Pio IV. in Bulla *Romani interest. num.* 20. à Constitutione illa de bonis ex illicita negotiatione acquisitis, vt dictum est *tom.* 1. *c.* 10. *num.* 5. Item SS. D. N. Vrban. VIII. in Constitutione *Vniuersalis Ecclesiæ* 4. tom. Bullar. *num.* 15. priuilegia, indulta, facultates, & exemptiones illis concessa à Romanis Pontificibus prædecessoribus confirmauit, & approbauit. A visitatione Episcoporum exemptæ sunt eorum Ecclesiæ ex priuilegio Summorum Pontificum, præter quam si sint curatæ, vt declarauit Sacr. Congregatio Concilij apud Armendariz *in addit. ad recopilat. legum Nauarræ lib.* 1. *titul.* 6. *de visitat. lib.* 5. §. 2 *num.* 6. & Barbosam *in Collectan. Bullar. verb. milites S. Ioannis.* Insuper vbi habent iurisdictionem spiritualem, & temporalem non possunt Ordinarij se interponere ad visitandum, ex declaratione S. Congregationis, testibus eodem Armendariz *lib.* 2. §. 2. *num.* 94. & eodem Barbosa, *vt supra verb. Eques Hierosolymitanus.* Insuper ex decreto Sac. Congregationis Concilij confirmato à SS. D. N. Vrbano VIII. in Bulla *Exponi nobis* tomo 4. Bullar. *num.* 78. Constitutio Gregor. XV. de conseruatoribus, de qua latè *c.* 10. non afficit hos Equites Hierosolymitanos, nisi quoad Iudices Conseruatores, eidemque Religioni adhuc ius eiusmodi Iudices conseruatores eligendi competit. Extat etiam Bulla Pij V. in Bullario Rodriguez *tom.* 2. *num.* 24. vbi priuilegia, & exemptiones huius Religionis confirmantur, & declarantur, & alia Gregorij XIII. in eodem *tom.* 2. Bullar. Rodriguez *num.* 14. circa idem intentum, & alia Sixti V. in eodem Bull. *num.* 18. de eadem re.

Specialiter ex declarationibus S. Congregationis, quas affert Barbosa *in Collectan. Bullar. verb. Fratres S. Ioannis Hierosolymitani*, huius Religionis Fratres, siue eorum Vicarij in Parochialibus Religioni vnitis, & ab ea dependentibus non tenentur, neque compelli possunt ad contributionem seminarij, solutionem Cathedratici, Synodatici, siue charitatiui subsidij. Tenentur tamen ad processiones accedere, & capellani ipsorum, qui administrarunt redditus Parochiæ sæcularis citari ab Episcopo in visitatione ad reddendam rationem, si non compareant possunt ab Episcopo excommunicari. Refertur etiam ab eodem Barbosa ibidem *verbo Vicarius perpetuus Parochialis* 8. & *verbo Vicarius amouibilis.* 9. declaratum esse à Sac. Congregatione Vicarios etiam amouibiles Ecclesiarum Parochialium vnitatum, & dependentium à Religione Hierosolymttana posse ab Episcopo examinari, & approbari, simpliciter scilicet, non autem ad tempus, nec posse eos pro libito subiicere nouo examini, nisi superueniente rationabili causa & suspicione ignorantiæ. Refert etiam idem auctor *dicto verbo fratres S. Ioannis Hierosolymitani, vt supra.* Pium V. in Bulla *Circumspecta* anno 1561. concessisse prædictis Fratribus Capellanis Hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, quod possent à quocumque Catholico Antistite sub Romanæ Sedis obedientia constituto sacros Ordines etiam extra tempora à Iure statuta, tribus diebus festiuis suscipere, & in quibuscumque tam sæcularium, quam Regularium Ecclesijs absque alicuius licentia etiam Altari portatili celebrare. Verumtamen hæc Bulla non est Pij V. sed Pij IV. cum contineat priuilegium contrarium Concil. Trident. & Bullæ ipsius Pij IV. reuocatoriæ priuilegiorum Concilio contrariorum, ideo cautè procedendum, etiamsi à posterioribus Pontificibus hoc, & alia priuilegia huius Religionis confirmata dicantur, cum Pontifices non confirmare soleant dicta priuilegia, nisi quatenus contraria non fuerint dicto Concilio.

Milites

54 Milites S. Iacobi vulgo de Spatha, instante Catholico Monarcha Philippo II. à Gregor. XIII. in Bulla *Romani Pontificis num.* 30. obtinuerunt, vt non obstante Constitutione Pij V. qua illis sublatæ erant licentiæ, & facultates ad testandum, nihilominus testari possent ex vi, prædictarum facultatum. Declaratum etiam dicitur à Sac. Congregatione non emittentes inter illos omnia tria vota substantialia Religionis minimè incapaces esse Beneficiorum sæcularium siue simplicium, siue Curatorum, nec etiam pensionum. Garzia *in additionibus ad suum tractatum de benefic. part.* 1. *cap.* 4. *num.* 22. Barbosa *in Collect. Bullar. verb. milites S. Iacobi de Spatha.* De aliis etiam, qui prædicta tria vota emittunt idem etiam probabile esse, dictum est *supra num.* 43.

55 Milites prætereà S. Iacobi de Alcantara, & Sanctæ Mariæ de Calatraua fruuntur gratiis, & priuilegiis ordinis Cisterciensis. Illi quidem ex priuilegio Leonis X. Constitut. 44. tom. 1. Bullar. isti autem ex Iulio II. Constitut. 16. in eodem tom. 1. Bullar. Insuper ex Greg. XIII. in Constitut. *Romani Pontificis* eodem modo, ac milites S. Iacobi de Spatha obtinuerunt posse, vti licentiis, & facultatibus ad testandum per Pium V. reuocatas.

56 Milites item S. Benedicti de Auis in Regno Portugalliæ perfruuntur omnibus priuilegiis concessis & concedendis Militibus S. Iacobi de Spatha, de Calatraua, & Alcantara, ex Gregor. XIII. in Constit. *Ex Apostolica num.* 32. De his Rodriguez *tom.* 1. *quæst. Reg. in fine.*

57 Milites S. Lazari multis, magnisque priuilegiis, & gratiis, decorati sunt à Pio IV. in Bulla. *Inter assiduas num.* 94. quæ tamen postea Pius V. successor declarauit, reformauit, seu reuocauit in Bulla *Sicuti bonus num.* 28. Huic porrò militiæ alia sub S. Mauritij nomine vnita est à Greg. XIII. in Bulla *Pro commissa num.* 7. cui etiam priuilegia quædam concedit in Bulla *Christiani populi num.* 6. Ex ea autem habetur hos milites S. Mauritij solùm duo vota, castitatis scilicet, coniugalis, & obedientiæ emittere, ac perinde veros Religiosos non esse.

58 Ordinis quoque militaris S. Stephani Milites charitatem, castitatem coniugalem, & obedientiam expresè promittunt, vt constat ex Bulla Pij IV. *His quæ tom.* 2. Bullar. *num.* 60. Cum autem ibi nihil habeatur de voto paupertatis, ideo videtur essentialiter religiosos non esse, quamuis ob professionem Regulæ S. Benedicti religiosi in dicta Bulla à Pontifice appellentur. Variis etiam priuilegiis, videlicet exemptionis à iurisdictione ordinariorum, disponendi de acquisitis, dummodo quintam illorum partem Conuentui relinquant, retinendi, & transferendi pensiones vsque ad certam quantitatem, & aliis ab eodem Pio IV. in dicta decorati sunt.

59 Pro militibus etiam S. Spiritus in Regno Galliæ extant duæ Constitutiones Pauli V. inter Constitutiones ipsius *num.* 42. & 44. in quarum vna Pontifex dispensat in duobus statutis huius ordinis voto, & iuramento firmatis, altero de Communione S. Eucharistiæ facienda die Congregationis generalis dicti Ordinis, & admissionis ad habitum alicuius, altero de exteris non admittendis in milites; in alia verò facultatem Henrico IV. Regi concedit statuta pro illius prospero regimine necessaria, & vtilia edendi, corrigendi, & immutandi. Nihil tamen de priuilegiis huic militari Ordini concessis ibi inuenio.

60 Ordo tamen militaris sub titulo, habitu, & Regula Ordinis nostri B. Mariæ de Monte Carmelo ab eodem Paulo V. in Bulla *Romanus Pontifex ex num.* 41. institutus postulante eodem Henrico IV. Gallarum Rege, priuilegia plura ab ipso Pontifice habet, videlicet facultatem pensiones habendi, exemptionem ab impositionibus, & grauaminibus, ac superioritate quorumcumque Ordinariorum, & gratiam indulgentiæ plenariæ tam in die, quàm in ordine recepti fuerint Milites, quam singulis annis die 16. Iulij, qua festum B. Mariæ Virg. de Monte Carmelo solemniter celebratur, ac in articulo mortis. Quas indulgentias non contineri sub generali reuocatione indulgentiarum ab eodem Paulo V. facta constat, tum quia illa reuocatio facta fuit anno 1606. hæc autem concessio anno 1607. vel 1608. tum quia prædicta reuocatione solùm videntur comprehendi indulgentiæ concessæ aliis Ordinibus non militaribus.

Demum sub SS. D. N. Vrbano VIII. Ordo mili- 61
litiæ Christianæ sub titulo Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis Immaculatæ, & Regula S. Francisci institutus, plura etiam ab ipso priuilegia concessa habet, videlicet exemptionis ab Ordinariorum iurisdictione, facultatis ad habendum pensiones certæ quantitatis pecuniæ, potestatis condendi statuta, & indulgentiarum. Constant hæc, & alia ad hanc militiam pertinentia ex duabus constitutionibus eiusdem Vrbani in 4. tom. Bull. *num.* 11.

SVMMARIVM.

Regulares Hospitalarij qui sint. num. 1.
Plures Religiones habent, & habuerunt Hospitalia. ibidem.
Veri Religiosi sunt omnes si emittant tria vota essentialia. num. 2.
Qui ea emittant. ibid.
Aliqui etiam quartum votum faciunt. num. 3.
Gaudent variis priuilegiis à Sede Apostolica. num. 4.
Cruciferi quibus gaudent. ibid.
Fratres S. Antonij Viennensis. ibid.
S. Spiritus in Saxia. ibid.
Fratres B. Ioannis de Deo. ibid.
Prouident aliqui ipsorum aliqua beneficia. num. 5.
Hospitalia regularia subire debent conditiones Beneficij regularis. num. 6.
Quæ illis præcipiantur in Concil. Vienn. & à Clem. V. num. 7. & 8.
Quæ à Conc. Trid. num. 9. & 10.
An Hospitalia Regularia exempta sint ab Ordinariorum iurisdictione. num. 11.
Quid circa ipsa declaratum. ibid.
Quoad regularem obseruantiam eorum qui Hospitalibus assistunt, non subiiciuntur Ordinariis. numero 12.
Quid determinatum sit pro Fratribus B. Ioannis de Deo. num. 13.
Quid etiam pro habitu ab ipsis deferendo. num. 14.
An sint vel non materia simoniæ Administrationes, seu Rectoriæ Hospitalium. num. 15.
Bona ipsorum an alienari possint sine solemnitate requisita. num. 16.
An Rectores Hospitalium gaudeant priuilegio fori. num. 17.
Quid de Rectoribus Hospitalium non Regularium. ibidem.
An ad illos transire possint aliæ Religiones. num. 18.



Caput VI.

De Regularibus Hospitalariis, eorumque Iuribus, priuilegiis, & obligationibus.

1 Regulares Hospitalarij ij sunt in præsenti, quorum Ordines super Hospitalitatem fundati sunt, vel saltem Hospitalia habent, & in eis curam infirmorum, vel Peregrinorum exercent, eos charitatiuè medicando, vel suscipiendo, quales sunt Cruciferi, Fratres Sancti Antonij Viennensis, S. Spiritus in Saxia. S. Ioannis de Deo, &c. de quibus sigillatim hoc capite dicendum. Miranda *in Manual. Prælat. tom.* 1. *quæst.* 4. *artic.* 14. Obiter etiam de aliis, qui etsi inter Mendicantes, Monachales, seu militares computentur, Hospitalium tamen quorumdam curam habent, hac enim ratione de illis modo agendum. Inter quos etiam recensentur Fratres Ordinis SS. Trinitatis, quibus Hospitalitas competere videtur ex Regula, cum in ea, quam ab Innocentio III. acceperunt in Bulla *Operante* anno 1198. in tomo Bullar. *num.* 1. bonorum suorum partem operibus misericordiæ applicandam præcipiatur. Hinc plura habent Hospitalia. Ordinis etiam grauissimi Prædicatorum Fratres Hospitalia habuisse constat ex Bullis Martini V. & Bonifacij VIII. quas refert Rodriguez *tom.* 2. *quæst. Regul. quæst.* 62. *art.* 3. aliorum etiam Ordinum Fratres Hospitalia habere pro comperto est.

2 De iis id primò certum, & indubitatum, verè, & essentialiter Religiosos esse, si emittant saltem tria vota essentialia Religiois, videlicet obedientiam, castitatem, paupertatem, prout Mendicantes, Monachos, & Canonicos Regulares emittere superioribus capitibus dictum est. Horum enim trium votorum emissio statum Religiosum constituit, iuxta sæpius dicta tam in primo, quam in hoc secundo tomo Summæ. Illa autem emittere Cruciferos supponit Pius V. in Bulla *Nihil in Ecclesia* anno 1568. edita, in 2. tomo Bullar. *num.* 59. Fratres S. Antonij Viennensis Bonifac. VIII. in Bulla *Sanè inter dilectos* anno 3. sui Pontificatus, & Fratres S. Spiritus in Saxia Innoc. III. in Bulla *Inter opera* in 1. tomo Bullar. *num.* 7. Ac demum Fratres B. Ioannis de Deo Paul. V. in Bulla *Romanus Pontifex* anno 1611. edita in 3. tomo Bullar. *num.* 69. vbi tria vota obedientiæ, castitatis, & paupertatis, & quartum seruiendi infirmis emittentes, verè, & propriè Religiosos, & Regulares esse, ac pro talibus habendos declarauit.

3 Emittunt etiam aliqui ipsorum videlicet Fratres B. Ioannis de Deo ex Clement. VIII. in Bulla *Romani Pontificis* anno 1566, in 3. tomo Bullar. *num.* 44. & Paulo V. in Bulla superius relata, votum inseruiendi infirmis. Sin autem ex voto, siue ex Regula, vel Constitutionibus particularibus, tam hi, quam alij dicto ministerio, vel simili de Peregrinorum susceptione incumbant, iuxta regulas generales, de quibus *tom.* 1. *cap.* 7. & 8. dictum est, quanta sit obligatio ad id faciendum, pensari debet.

4 Gaudent variis priuilegiis à Sede Apostolica illis concessis, etenim Cruciferi ab Vrbano III. anno 1187. in Bulla *Cum Antecessor.* in 1. *tomo* Bullar. exemptionem à certis decimis, facultatem recipiendi ad Religionem, & fabricandi Cæmeteria, ac Oratoria habuerunt. Deinde Gregor. XIV. in Bulla *Romanus Pontifex* 2. *tom.* Bullar. *num.* 13. priuilegia alias illis concessa confirmauit, ac omnia, & singula priuilegia Mendicantium, & non Mendicantium Ordinum concessit. Similiter Fratres S. Antonij Viennensis à Sanctiss. D. N. Vrbano VIII. anno 1624. omnium Regularium Mendicantium, & non Mendicantium priuilegiorum communicatio concessa est, teste Barbosa *in Collectan. Bullar. verb. Fratres Sancti Antonij Viennensis.* Item Fratres S. Spiritus in Saxia à Sixto IV. in Bulla *Religionis zelus* anno 1483. *in* 2. *tomo* Bullar. *numero* 22. sub Sancti Petri protectione suscepti ab omni Ordinariorum iurisdictione exempti, & priuilegiis Monachorum Sanctæ Iustinæ decorati sunt. Fratres autem Beati Ioannis de Deo exempti sunt ab Ordinariorum iurisdictione per Paulum Quintum Constitutione *Romanus* 1619. Barbosa *in Collectan. Bullar. verb. Fratres B. Ioannis Dei.*

Habent aliqui ipsorum facultatem prouidendi non solum Hospitalia Religionis, sed etiam beneficia aliqua Regularia annexa. Id enim supponitur de Cruciferis à Pio V. in Bulla *Nihil in Ecclesia*, de qua *supra num.* 2. quibus tamen Pontifex ipse præscribit modum, & formam id faciendi. De Fratribus etiam S. Antonij Viennensis id etiam supponi videtur à Summis Pontificibus Greg. XV. & Vrbano VIII. in Constitutionibus relatis à Barbosa *in Collectan. Bullar. verb. Fratres S. Antonij Viennen.* & de Fratribus S. Spiritus in Saxia ex Sixto IV. in Bulla *Etsi vniuersis in* 1. *tomo.* Bullar. inter Bullas huius Pontificis *num.* 12. & vt dicitur ex Paulo IV. Pio IV. Pio V. De huiusmodi autem Regularium beneficiorum natura conditionibus, & alia ad ipsa spectantibus, lege dicenda *cap.* 18. 5

Huiusmodi autem Hospitalia Regularia Regularibus concessa subire debent conditiones beneficij Regularis, maximè quoad amouibilitatem, & inconstantem naturam ipsorum, ita scilicet, vt ij quibus conceduntur amoueri possint à Superioribus Religionis, iuxta dicenda *cap.* 18. Hoc enim necessarium est, tum propter vota paupertatis, & obedientiæ, quæ emittunt Religiosi, etiam Hospitalarij, tum propter naturam beneficiorum Regularium, quibus assimilantur. Rodriguez *tom.* 2. *quæst. Regul. quæst.* 84. *artic.* 1. 6

Præ oculis habenda semper est Hospitalariis Regularibus, Hospitalium præcipuè Rectoribus Constitutio Clem. V. seu Concilij Viennensis quæ incipit. *Quia contingit lib.* 3. *Clement. de Religiosis domibus cap.* 2. vbi sic habetur. Quia contingit interdum quod Xenodochiorum, Leprossariorum, Eleemosynariorum, seu Hospitalium Rectores locorum ipsorum cura postposita, bona res, & iura ipsorum interdum ab occupatorum, & vsurpatorum manibus excutere negligunt, quinimo ea collabi, & deperdi, domos, & ædificia ruinis deformari permittunt, & non attento quod loca ipsa ad hoc fundata, & fidelium erogationibus dotata fuerunt, vt pauperes infectique lepra reciperentur inibi, & ex prouentibus sustentarentur illorum, id renuunt inhumaniter facere: prouentus eosdem in vsus suos damnabiliter conuertentes: cum tamen ea, quæ ad certum vsum largitione sunt destinata fidelium, ad illum debeant non ad alium 7

(salua quidem Sedis Apostolicæ auctoritate) conuerti! Nos autem incuriam, & abusum huiusmodi detestantes hoc Sacro Concilio approbante sancimus, vt ij ad quos id de iure, vel statuto in ipsorum fundatione locorum apposito, aut ex consuetudine præscripta legitimè, vel priuilegio Sedis Apostolicæ pertinet, loca ipsa studeant in prædictis omnibus salubriter reformare, ac occupata, deperdita, & alienata indebitè in statum reduci debitum faciant, & ad ipsarum miserabilium personarum receptionem, & sustentationem debitam iuxta facultates, & prouentus locorum ipsorum Rectores prædictos compellere non omittant. In quo si forte commiserint negligentiam, vel defectum, Ordinariis locorum iniungimus, vt etiam si pia loca prædicta exemptionis priuilegio munita consistant: per seipsos, vel alios impleant omnia præmissa, & singula, & Rectores eosdem, vtique non exemptos propria, exemptos verò, & alios priuilegiatos Apostolica ad id auctoritate compellant, contradictoses cuiuscumque status, aut conditionis existant, ac præbentes eisdem circa præmissa consilium, auxilium, vel fauorem, per censuram Ecclesiasticam, & aliis Iuris remediis compescendo, nullum tamen per hoc exemptionibus, seu priuilegiis ipsis, quoad alia præiudicium generando. Hæc in dicta Constitutione.

8 Subdit alia Concilium, quæ quia solùm pro Hospitalibus sæcularibus dicta videntur, vt notat Glossa *in hac Clement. verb. præmissa*, & Rodriguez *tom. 2. quæstio. Regul. quæst.* 84. *artic.* 2. ideo prætermittuntur. Sequentia tamen ad Regulares Hospitalarios diriguntur: *Præmissa verò ad Hospitalia militarium Ordinum, aut Religiosorum etiam aliorum extendi minimè volumus: quorum tamen Hospitalium Rectoribus in sancta Obedientiæ virtute mandamus, vt in illis secundum suorum Ordinum instituta, & antiquas obseruantias prouidere pauperibus, & Hospitalitatem debitam in illis tenere procurent: ad quod per Superiores eorum, arcta districtione cogantur statutis; aut consuetudinibus quibuslibet non obstantibus in præmissis.* Rodriguez, *vt supra* §. *notandum.*

9 Notanda etiam sunt verba Concilij Trident. *sess.* 7. *cap.* 15. quibus etiam prædicta Clementina innouatur, videlicet: Curent Ordinarij, vt Hospitalia quæcumque à suis administratoribus quocumque illi nomine censeantur; etiam quomodolibet exemptis fideliter, & diligenter gubernentur, Constitutionis Concilij Viennensis, quæ incipit. *Quia contingit*, forma seruata, quam quidem Constitutionem eadem Sancta Synodus innouandam duxit, & innouat cum derogationibus in ea contentis. Et etiam *sess.* 22. *cap.* 8. vbi hæc habentur. Episcopi etiam tanquam Sedis Apostolicæ delegati, in casibus à Iure concessis, omnium piarum dispositionum tam in vltima voluntate, quam inter viuos, sint executores, habeant Ius visitandi Hospitalia, Collegia quæcumque, ac confraternitates laicorum etiam quas scholas, siue quocumque alio nomine vocant, non tamen quæ sub Regum immediata protectione sunt, sine eorum licentia, Eleemosynas Montis pietatis, siue Charitatis, & pia loca omnia quomodocumque nuncupentur, etiamsi prædictorum locorum cura ad laicos petineat, atque eadem pia loca exemptionis priuilegio sint munita, ac omnia, quæ ad Dei cultum, aut animarum salutem, seu pauperes sustentandos instituta sunt, ipsi ex officio suo, iuxta Sacrorum Canonum statuta cognoscant, & exequantur, non obstantibus quacumque consuetudine, etiam immemorabili, priuilegio, aut statuto. Et eadem *sess. c.* 9. vbi sic. Administratores tam Ecclesiastici quam laici fabricæ cuiusuis Ecclesiæ etiam Cathedralis, Hospitalis, Confraternitatis, Eleemosynæ Montis, pietatis & quorumcumque piorum locorum, singulis annis teneantur reddere rationem administrationis Ordinario, consuetudinibus, & priuilegiis: quibuscumque in contrarium sublatis, nisi secus fortè in institutione, & ordinatione talis Ecclesiæ, seu fabricæ expresè cautum esset. Quod si ex consuetudine, aut priuilegio, aut ex constitutione aliqua loci, aliis ad id deputatis ratio reddenda esset: tunc cum iis adhibeatur etiam Ordinarius, & aliter factæ liberationes dictis administratoribus minimè suffragentur. Hæc Concilium.

Et similiter *sess.* 25. *capit.* 8. vbi post commen- 10
datam Hospitalitatem omnibus beneficiariis tam sæcularibus, quam Regularibus subiungit. [Illis verò qui Hospitalia vulgo nuncupata, seu alia pia loca ad Peregrinorum, infirmorum, senum, pauperumvè vsum præcipuè instituta in commendam, administrationem, aut quemcumque titulum, aut etiam Ecclesiis suis vnita obtinent, vel si Ecclesiæ Parochiales hospitalibus fortè vnitæ, aut in Hospitalia erectæ, earumque patronis in administrationem concessæ sint; præcipit omnino, vt impositum illis onus, officiumvè administrent, atque Hospitalitatem quam debent, ex fructibus ad id deputatis actu exerceant, iuxta Constitutionem Concilij Viennensis, alias in hac eadem Synodo sub fel. record. Paulo III. innouatam, quæ incipit. Quia contingit. Quod si Hospitalia hæc ad certum peregrinorum, aut infirmorum, aut aliarum personarum genus suscipiendum fuerint instituta; nec in loco vbi sunt dicta Hospitalia, similes personæ, aut perpaucæ reperiantur, mandat adhuc, vt fructus illorum in alium pium vsum, qui eorum institutioni proximior sit, ac pro loco, & tempore vtilior conuertantur, prout Ordinario cum duobus de Capitulo, qui rerum vsu peritiores sint, per ipsum deligendis, magis expediri visum fuerit, nisi aliter forte, etiam in hunc euentum in eorum fundatione, aut institutione fuerit expressum, quo casu, quod ordinatum fuit, obseruari curet Episcopus, aut si id non possit, ipse, prout supra, vtiliter prouideat. Itaque si prædicti omnes & singuli cuiuscumque Ordinis, & Religionis, & dignitatis etiamsi laici fuerint qui administrationem Hospitalium habent, non tamen Regularibus subiecti, vbi viget Regularis Obseruantia ab Ordinario moniti, Hospitalitatis munus, adhibitis omnibus ad quæ tenentur, necessariis, re ipsa obire cessauerint; non solùm per Ecclesiasticas censuras, & alia Iuris remedia ad id compelli possint: sed etiam Hospitalis ipsius administratione, curauè perpetuò priuari possint; aliique eorum loco ab iis ad quos spectabit substituantur. Et prædicti nihilominus, etiam ad fructuum restitutionem quos contra ipsorum Hospitalium institutionem perceperunt, quæ nulla eis remissione, aut compositione indulgeantur, in foro conscientiæ teneantur, nec administratio, seu gubernatio huiusmodi locorum vni, & eidem personæ vltra triennium deinceps committatur, nisi aliter in fundatione cautum reperiatur, non obstante, quoad omnia supradicta, quacũque vnione, & exẽptione, & consuetudine in contrarium, etiã immemorabili, seu priuilegiis, aut indultis quibuscũque. Super quæ

Rodri

Rodriguez, vt supra sic habet: Vnde Prælati Regulares debent curare, vt in Hospitalitate non is, habeatur delectus personarum, vt diuites potissimum inuitentur, qui cum fœnore reddant quod acceperunt. Sed cum Regularium personarum domus nemini quantum per facultates licuerit clausas esse deceat, profectò illis maximè patere debent qui Dei voce, Sanctorum Patrum cohortationibus, exemplis, Sacrorum Conciliorum præcepto, & auctoritate nobis commendati sunt. Qua in re, ne vlla fraus fieri possit, ineatur aliqua ratio Prælato Regulari probanda, qua ei constare possit, in quas personas fructus illi erogati fuerint. Quos autem compererit Prælatus, vel iniquè distribuendo, vel in suorum commodum conuertendo, vel inutilibus, & superuacaneis sumptibus faciendis malè in administratione versari, eos pro modo culpæ puniat, & ad restitutionem legitimè compellat, & ab officio etiamsi ei videbitur amoueat.] Hæc ibi.

11 Ex quo fit quod quamuis Hospitalia Regularium propter priuilegia quorumdam ex ipsis exépta essent omnino ab Ordinariorũ iurisdictione, sicut & alia loca ipsorum, modo tamen post Concilium Tridentinum standum est prædictis decretis ipsius, pro quo etiam Armendariz *in addit. ad recopilationem legum Nauarræ lib. 1. titul. 6. de visitat.* & Barbosa *in Collect. Bullar. verbo Hospitalarius*, has referunt declarationes Sacræ Congregationis Concilij, Prima, Hospitalia omnia, & pia loca quocumque nomine nuncupentur, etiamsi sint priuata laicorum, potest Episcopus visitare, corrigere, & reformare in casibus à Iure concessis, scilicet ob negligentiam, vel ob dilapidationem bonorum, vtque testatoris voluntas seruetur. Secunda, Hospitale aliquod visitare volenti si opponatur exceptio quod sub immediata Regum protectione existat, non ad sæcularem Iudicem, sed ad Episcopum talis exceptionis cognitio, & definitio pertinet. Tertia, Hospitalium sub immediata Regum protectione existentium nomine non comprehenduntur, nisi ea quæ expresè reperiuntur sub immediata Regum protectione. Quarta, Hospitalia etiam vnita in quibus Ecclesiæ sunt, vbi assiduè diuina Officia celebrantur, & bona eorum non sunt distincta, debent ab Ordinariis visitari. Quinta, Hospitalia, & cætera loca pia visitat Episcopus vigore Concilij *sess. 22. cap. 8. de reform.* Sexta, Hospitalis computa, stante consuetudine, Episcopus vna cum Magistro prædicti hospitalis recognoscere tenetur. Aliam etiam eiusdem Sacræ Congregationis declarationem, refert Barbosa super Concil. Trident. *sess. 22. cap. 8.* qua constat declaratum fuisse Episcopum Abulensem posse visitare quoddam Hospitale de Olmedo, non obstante quod administratio illius ad religiosos S. Hieronymi spectabat. Vide etiam aliàs Sacr. Congregationis declarationes apud eumdem Barbosam *in Collect. Bullar. verb. Administratores* circa obligationem, quam habent administratores hospitalium ad reddendam rationem Episcopis.

12 Quoad regularem tamen obseuantiam eorum Regularium qui hospitalibus assistunt, non subiiciuntur Ordinariis. Ideo enim declaratum fuisse videtur ab eadem Sac. Congregatione hospitalia administrata à Fratribus S. Ioannis de Deo non esse exempta à iurisdictione Ordinarij, nisi solùm quoad regularem obseruantiam. Barbosa *in Collect. Bullar. verbo Hospitalarius.*

13 Pro prædictis autem Fratribus B. Ioannis de Deo extat decretum Sacr. Congreg. Episcop. & Regular. quo decernitur, non posse per Ciuitates, & oppida deferre pallium, sed in itinere dumtaxat, cum pileo nigro, dummodo pallium huiusmodi sit coloris habitus cum bauaro nigri coloris, & latitudinis sex digitorum, eique sporta semper feratur. Barbosa *in Collectan. Bullar. verb. Fratres Beati Ioannis de Deo.*

Pro habitu etiam ab ipsis deferendo extant decreta Summorum Pontificum Pij V. Sixti V. Gregor. XIV. S. Congreg. & executoria quædam in Hispaniæ supremo Consilio Matriti obtenta, de quibus Rodriguez *tom. 1. quæst. Regul. q. 76. art. 4.* 14

Hospitalium administrationes, siue Rectoriæ si habeant spirituales functiones, curam scilicet, animarum, Sacramentorum administrationem, &c. materia sunt simoniæ, & si vendantur, aut emantur, peccatum simoniæ committetur. Quia sunt res spirituales. Si autem tantùm habeant temporales functiones, curam videlicet infirmorum, vel gubernationem œconomicam domus, vel familiæ, quamuis non sint materia simoniæ iuris naturalis, aut diuini, cum nullam spiritualem functionem includant, vt supponitur, videtur tamen esse materia simoniæ iuris Ecclesiastici, *ex cap. Saluator 1. quæst. 3.* vbi videtur prohiberi venditio officij administratoris rerum Ecclesiasticarum, qualia sunt bona hospitalium Religiosorum, de quibus in præsenti. Suarez *tom. 1. de Religio. lib. 4. de Simonia cap. 27. à num. 11.* 15

Bona hospitalia pertinentium ad Regulares alienari non possunt, nisi loquendo de bonis mobilibus non pretiosis, & eo modo, quo dictum est *tom. 1. cap. 10. à num. 1.* & in hoc *2. tom. cap. 19 à num. 54.* Sunt etenim bona Ecclesiastica, & Regularium, vnde de illis eodem modo philosophandum est, ac de aliis bonis Regularium. Imò & bona cuiuscumque hospitalis auctoritate Episcopi fundati, & erecti alienari nequeunt sine solemnitate à Iure requisita. Sunt enim, vel censentur esse Bona Ecclesiastica piorum locorum. Quaranta *in Summ. Bullar. verb. Alienatio num. 28. & 41.* Bonacina *de contractib. disp. 3. quæst. 8. punct. 4. num. 21.* 16

Rectores hospitalium Regularium, imò etiam aliorum hospitalium auctoritate Ordinarij erectorum gaudent priuilegio fori, non solùm si illi Regulares sint, sed etiam si tales non fuerint, quia censentur personæ Ecclesiasticæ, sicut, & ipsa hospitalia Ecclesiastica sunt. Barbosa *de offic. & potest. Episcopi alleg. 12. num. 40.* Diana *tractat. 1. de immunit. Ecclesiast. resol. 66.* 17

Declaratum est à Sac. Congregatione apud Quarantam *in Summ. Bullar. verb. Monasteria, & Conuentus §. quoad transitum*, & Barbosam *in Collectan. Bullar. verb. Claustrales*, non licere Regularibus Claustralibus transire ad non Claustrales hospitalarios ex vi licentiarum generalium transeundi ad quamlibet Religionem. Si tamen Hospitalarij fuerint claustrales credo non comprehendi hoc decreto, quod solùm loqui videtur de non claustralibus. 18

SVMMARIVM.

Eremitæ nomen vnde sumptum. num. 1.
Tria personarum genera comprehendit. ibid.
Quia tria vota substantialia Religionis non emittunt, Religiosi non sunt. num. 2.
Possunt tamen analogicè, & aliquo modo Religiosi nuncupari. ibid.
Vnde nec sunt inhabiles ad matrimonium num. 3.



Caput VII.

De Eremitis, eorumque obligationibus, & priuilegiis.

1 Eremitarum nomen quod ab Eremo, seu solitudine sumptum est (idem enim est Eremita, ac Eremicola) tria personarum genera in præsenti denotare potest. Primum Religiosorum qui vel propter vitam Eremiticam, quam in prima sui institutione gerunt, vel quia etiam modo in locis desertis degunt, Eremitæ vocantur, quales sunt non solùm Carmelitæ, qui Eremitæ Montis Carmeli ob talis Montis habitationem in Bullis Pontificum nuncupantur, & modo aliqui ipsorum (Patres videlicet Discalceati) magna cum populi Christiani ædificatione in quibusdam Eremis commorantur, Augustiniani, qui etiam Eremitæ dicuntur, Camaldulenses, Eremitæ S.Hieronymi, B. Petri de Pisis, Montis Senatorij, & alij huiusmodi. Secundum, eorum qui etsi tria vota substantialia Religionis non emittant, tamen sub speciali obedientia alicuius Superioris Ecclesiastici, verbi gratia, Episcopi, ex voto, vel pacto alicui Ecclesiæ, Eremitorio, vel loco sacro deputati deseruiunt, vel in communitate, vel separatim. Tertium, eorum qui neque sub obedientia speciali alicuius Superioris Ecclesiastici, neque ex professione alicuius Regulæ, vel Religionis institutione, sed ex mera voluntate in Eremis, aut locis desertis morantur. De hoc secundo, & tertio genere Eremitarum loquimur in præsenti, eo quod aliquam specietenus Religiosorum formam seruent, nam de primo cum verè Religiosi sint sub Monachis, vel Mendicantibus comprehensi, satis est dictum in superioribus. Syluester *verb. Eremitæ*, Suarez 4. *tomo de Relig. tract. 9. lib.1. cap.2.*

2 Non sunt prædicti Eremitæ verè, & propriè Religiosi. Cum tria vota Religiosi substantialia non emittant, nec profiteantur aliquam Regulam approbatam, vel dato quod castitatem, aut aliquod genus paupertatis, vel obedientiæ promittant, id est mere priuatè, & non solemniter, sed per modum, voti simplicis. Suarez 4. *tomo de Religio. tract. 9. lib.1. cap.2.* Possunt tamen secundum, quid, analogicè, & lato modo Religiosi nuncupari si aliquod, vel aliqua ex votis essentialibus Religionis emittant quatenus imperfectè, & incompleté rationem status Religiosi participant. Idem Suarez *tomo 3. de Relig. lib.2. cap.2 num.18.*

Vnde etiam nec sunt inhabiles ad Matrimonium contrahendum, nec modus ille viuendi irritat Matrimonium ratum: cum hæc sint solùm priuilegia votorum solemnium, quæ in Religione approbata emittuntur. Si tamen votum simplex castitatis emiserunt, illicitè matrimonium contrahent, sicut generaliter per votum simplex castitatis non dirimitur, sed impeditur Matrimonij contractus. Cornexo *tom.2. in 3. part. tract.6. de impedim. Matrim. dub.40.* Hinc etiam testamentum condere possunt, seu testari, cum non sint Religiosi, nec tribus substantialibus votis Religionis ligati. Syluester *verb. testament.1. quæst.3.* Molina *tom. 1. de iust. disp.141. colum.1.* Sanchez *lib.7. in decalog. cap.8. num.40.* 3

Eremitæ tertij generis assignati non sunt dicendi personæ Ecclesiasticæ, nisi alias sint sacris initiati, cum nec Religiosi, nec Clerici sint, nec specialiter Deo dicati, aut alicui ministerio Ecclesiastico addicti. Rodriguez *tom. 2. quæst. Regular. quæst. 62. artic.20. & tom.3. quæst.74. art.11.* Eremitas autem secundi generis existimo inter personas Ecclesiasticas numerari debere, cum sub obedientia speciali Superioris Ecclesiastici specialiter Deo dicati, & ministerio Ecclesiastico destinati viuant, vt propterea ab aliquibus, *infra num. 6.* referendis priuilegio etiam Canonis perfrui dicantur. Layman. in *Theolog. moral. lib.1. tract.5. part.2. cap.5. num.4.* Lauretus de Franchis *in controuers. Episc. & Regul in quæst. quæst 41.* vbi etiam idem videtur dicere de Eremitis secundi generis. 4

Nec gaudent priuilegio fori, sed subiecti manent potestati sæcularis prædicti Eremitæ tertij generis, nisi forsan in sacris constituti sint, propter dicta supra, quia scilicet, non sunt personæ Ecclesiasticæ, aut sub obedientia Ecclesiastici Superioris, aut Deo specialiter dicati, vel alicui ministerio Ecclesiastico addicti viuant. Rodriguez *tomo 2. quæst. Regul. quæst.62. art.20.* Eremitas autem secundi generis probabile est, propter oppositam rationem, priuilegio fori gaudere, sicut etiam priuilegio Canonis, vt infra dicetur. Fauent Barbosa *de offic. & potest. Episcop. allegat.12. num.43.* Lauretus de Franchis *num. præced.* relatus. 5

Eodem etiam modo de priuilegio Canonis philosophari potest, ita scilicet, vt Eremitæ tertij generis assignati illo non fruantur, nec illos percutientes in sententiam excommunicationis incidant, nisi forsan in sacris constituti fuerint. Eremitas autem secundi generis prædicto priuilegio potiri. Ratio est ex dictis, quia isti, & non illi sunt personæ Ecclesiasticæ Deo specialiter dicatæ, & Ecclesiastico obsequio addicti. Suarez *tom.5. in 3. par. disp.22. sess.1. num.22.* Nauarrus *in Manual. cap.22. num.79.* Layman. *in Theolog. moral. lib.1. tract.5. part. 2. cap.5. num.4.* 6

Pari modo de exemptione à gabellis, collectis, & tributis videtur dicendum, ita vt Eremitæ secundi generis, sicut priuilegio Canonis, & fori potiuntur eo quòd sint personæ Ecclesiasticæ, sic etiam propter eamdem rationem, exemptione hac à gabellis, & tributis gaudeant, Eremitæ autem tertij generis, propter oppositam rationem, non fruantur hac exemptione. Fauet Barbosa *de offic. & potest. Episcop. alleg.12. num.42. & 43.* 7

Ex quo fit declarationem Sacræ Congregationis Episcoporum, & Regularium quam affert Barbosa *in Collect. Bullar. verb. Eremitæ* qua dicitur, Eremitas tam fœminas quam viros Eremiticam vitam inducentes non esse tolerandos ab Ordinariis, intelligi debere de Eremitis tertij generis, eorum 8

namque

namque modus viuendi multis periculis expositus est, & inter eos multi reperti sunt scelerate viuentes. Eremitæ autem secundi generis, cum eorum viuendi modus laudabilis sit, & honestus non videntur comprehendi hoc decreto. Vide dicenda *num seq.*

9 Ex quo etiam fit quod illi qui voto promiserunt vitam Eremiticam gerere, si de vita quam gerunt Eremitæ secundi generis intelligatur, votum validum est, & obligatorium, cum sit de re honesta, & laudabili. Si autem de vita quam gerunt Eremitæ tertij generis intelligatur, votum videtur nullum, quia est de re non solùm periculosissima sed etiam quæ videtur ab Ecclesia reprobata, vt patet ex decreto Sacræ Congregationis Episcoporum, & Regularium adducto. Fateor quidem quod si aliquis in orationis, & aliarum virtutum exercitio satis versatus amore vitæ solitariæ, & contemplationis in ipsa exercendæ tale votum emisisset, accedente Ordinarij cõsensu, teneretur illud adimplere. Quia in tali persona modus ille viuendi melior esset, & accedente consensu Ordinarij videretur permissus. Sanchez *lib.4. operis moral. cap.16. num.* 10. Præsertim quia vita Eremitica commendata videtur iure communi, vt patet 16. *quæst.1. cap. qui verè*, vbi sic: *Qui verè, puréque soliariam eligunt vitam, digni sunt conuenienti honore.* Videtur tamen ad hoc requiri viuere sub obedientia Episcopi, vel Ordinarij, vt colligitur ex 11. *quæst.3. cap. si autem, & ex dist.99. cap. nulla ratione.* Vide Lauretum de Franchis *in Controu. Episcopum & Regularior. in quæst. quæst.41.*

SVMMARIVM.

Conuersi, Laici, Donati, Oblati, seu Commissi qui sint. num.1.
Qui tria vota substantialia emittunt sunt verè Religiosi num.2.
Qui ea non emittunt, etiamsi vnum, vel duo, non sunt veri Religiosi. num.3.
Requiritur etiam quod tria vota sub approbata regula emittant. num. 4.
Dicuntur personæ Ecclesiasticæ simpliciter, vel aliquo modo, iuxta ipsorum conditionem. num.5.
An gaudeant priuilegio canonis. num.6.
An priuilegio fori. num.7.
An exemptione à gabellis, & tributis, & quæ conditiones ad id requirantur. num.8.
Qui sint illi qui non sunt veri Religiosi. num.9.
Vxorati an possint esse oblati. num.10.
Quid exigatur, vt fruantur priuilegiis fori, & immunitatis à gabellis. num.11.
An sint capaces proprij. num.12.
Conditiones ad eos ex Concilio Tridentino requisitæ. num.13.
Cui adquirant. num.14.
Qui censentur bona etiam futura Monasterio dedicasse. num.15.
An possint testari. num.16.
Ad quem deueniant bona Oblati grauati onere quòd transeant ad aliquem trium si sine filiis decesserint. num.17.
An possint ad Prælatias, seu dignitates Ordinum assumi. num.18.
Quid si statuta Religionis id permittant ibidem.
An possint esse socij, aut discreti, habere vocem actiuam num. 19.
Quæ officia possint habere. num.20.
An possint ad alias Religiones transire. num.21.
An debeat permitti ad sacros Ordines promoueri n.22.
Quid si aliquis oppositum fecerit. ibidem.
Tenentur ad certas Orationes recitandas. num.23.
Decreta Clem. VIII. & Vrban. VIII. pro ipsorum receptione, educatione, &c. num.24.
Quomodo intelligenda. ibid.
Non possint Conuersi recipi, aut professionem emittere nisi in Conuentibus approbatis à Sacr. Congregat. num.25.
Quid si aliqui contra formam prædicti decreti fuerint recepti, aut professi. ibid.
Pœna contra transgressores. num.26.
Gratiæ concessæ per SS. D. N. Vrbanum Carmelitis. num.27.
Quomodo intelligenda prædicta decreta. num.28.
Circa fœminas Oblatas, seu Donatas, quid declaratum num.29.
Quibus priuilegiis gaudeant Conuersi. num.30.
Quibus gaudeant Oblati, seu Donati maximè Carmelitarum. ibidem.
Quid de aliorum Ordinum Oblatis, & Donatis. numero 31.
Quid de fœminis, seu Nouitiis. ibidem.
Quomodo intelligatur priuilegium Gregor. IX. pro Oblatis Cartusiensium, & Sixti Quarti pro Oblatis Carmelitarum, & Eremitarum Sancti Augustini. num. 32.
Concessio Calixti III. pro Conuersis. num.33.
Item alia Leonis X. ibidem.
An valeant hoc tempore. ibid.
Concessio Sixti Quarti pro Conuersis Augustinianis. ibidem.
An iure communi possint Conuersi tangere sacra vasa, & vestes, &c. num.34.
Concessio pro Conuersis Bigamis, aut homicidis. n.35.
Quid de illa sentiendum ibid.
De quodam conuerso suscipiente Ordines sacros. n.36.
Impetratio Breuis pro hoc casu fuit subreptitia. n. 37.
Huius rationes. num. 38. & 39.
Declaratio S. Congregationis. num. 40.
Breue illud irritum, & inualidum. num.41.
Amplia primo, num.42.
Amplia secundo. num.43.
An incurrerit aliquam censuram. num.44.
Censuræ an incurrantur ab operante bona fide. numero 45.
An incurrerit irregularitatem. num.46.
Celebrans an peccauit mortaliter num.47.
An saltem incurrerit aliquam suspensionem mala fide celebrando. num.48.
Facultas obtenta pro quo foro deseruiat. num.49.
Dubium de quodam oblato. num. 50.
An poterit valide contrahere Matrimonium. n.51.
Forma professionis talis oblati an includat tria vota substantialia. num.52.
Solum votum obedientiæ an sufficiat ad veram professionem religiosam. num 53.
Discrimen inter votum obedientiæ huius oblati, & aliorum plurium religiosorum. num. 54.
Modus committendi oblatorum mere sæcularium. n.55.
Declaratio S. Congregationis. num.56.
Verba impropria & inusitata formæ professionis religiosæ quid indicent num.57.
Obiectio num. 58.
Oblati non emittentes tria vota, nec profitentes aliquam Regulam non sunt veri religiosi. num.59.
Ampliatio. num.60.
An obstent, verba statuti num.61.
Concluditur validè potuisse hunc Oblatum matrimonium contrahere. num.62.

Obiicitur quædam prætenta Bulla Martini V. n.63. Soluitur obiectio, approbatur talem Bullam non extare num. 64.



Caput VIII.

De Conuersis, Laicis, Oblatis, Donatis, seu Commissis Regularibus, eorumque Iuribus, Obligationibus, & priuilegiis.

1 Conversi siue Laici illi dicuntur, qui se, & sua Religioni obtulerunt, habitu mutato, professione emissa, extra Chorum tamen, & obsequiis humilioribus Monasteriorum sunt addicti. Oblati verò, seu Donati, aut Commissi, qui etiam apud nostros vocantur Semifratres, ij sunt qui se, & sua dicarunt Monasterio, habitu tamen non mutato saltem simpliciter. Abbas *in cap. non est de Regul.* Rodriguez *tom 3. quæst. Regul. quæst. 21. art. 1.* Sanchez *lib. 6. in decalog. cap. 7. num. 9.* Rursus huiusmodi Oblati, seu Donati in aliquibus Religionibus, seu locis, tria vota essentialia Religionis emittunt, in aliis verò non nisi duo tantum, vnum, vel nullum. Ij etiam, qui professionem emittunt aliquando id faciunt expleto anno Nouitiatus, vt inter nostros in Prouinciis Hispaniarum, aliquando non nisi post multum tempus ad arbitrium Superiorum, vt in Congregatione RR. PP. Discalceatorum Ordinis nostri, inter quos ad professionem solemnem post sex annos, & ad simplicem post duos admittuntur. Ex *2. par. Constitut. cap. 3. n. 2. & 5.* De omnibus iis sigillatim est modo dicendum.

2 Et primò certum tam Conuersos, seu Laicos, quàm Oblatos, Donatos, seu Commissos, esse, & fore verè censendos Religiosos, si tria vota Religionis essentialia, obedientiam scilicet castitatem, & paupertatem promittant, horum enim votorum emissio essentiam Religiosi status constituit, vt sæpe visum est tam in hoc quam in 1. tomo huius Summæ. Specialiter cum Gregor. XIII. anno 1575. pro Congregatione S. Benedicti Vallisoletani declarauerit eos qui in præfata Congregatione sub habitu Donatorum tria prædicta vota emittunt esse verè Religiosos. Rodriguez *tom. 3. quæst. Regul. quæst. 69. art. 8. & quæst. 52. art. 7.*

3 Sic etiam secundò certum eos ex prædictis qui tria prædicta Religionis vota non emittunt, etiam si vnum, aut duo emittant vota, habitum ordinis deferant, & sub obedientia sint Prælatorum illius, verè Religiosos non esse, cum in eo quod est essentiale statui Religioso deficiant. Id enim constat ex toto operis huius discursu.

4 Nec sufficit ad hoc quod prædicti Conuersi, Laici, Oblati, Donati, &c. sint, & dicantur verè Religiosi, quod prædicta tria vota emittant, nisi etiam promittant illa sub Regula aliqua, & Religione approbata, iuxta dicta *tom. 1. cap. 2. num. 1.* & colligitur *ex cap. vnico de voto, & voti redemp. in 6.* Vnde si aliquis voueret hoc modo: *Promitto obedientiam, castitatem, & paupertatem*, nisi adderet *secundùm regulam* huius, vel illius Ordinis, &c. non esset verè Religiosus. Nauarrus *lib. 3. consil. tit. de Regul. consil. 49.* Rodriquez *tomo 3. quæst. Regul. quæst. 21. art. 1. & quæst. 78. art. 2. in fine.* Vbi supponit aliquarum Religionum Oblatos ita profiteri, quod mihi incertum est.

5 Nihilominus tam prædicti Conuersi, Laici, Oblati, Donati, seu Commissi veram professionem dicto modo emittentes quam alij qui non eam emittunt, si tamen se, & sua Religioni perpetuo offerant, & in Monasteriis viuant habitu aliqualiter mutato sunt dicendi personæ Ecclesiasticæ. Et quidem loquendo de prioribus res est indubitata, cum illi sint verè Religiosi, Religiosi autem Ecclesiasticæ personæ sint. Barbosa *de offic. & potest. Episc. allegat. 12. num. 38.* & alij quos citat. De posterioribus autem id constat, quia sunt personæ Deo dicatæ, & deuotæ, habitu, & habitatione Religiosis similes, multaque de ipsis participanes. Couarruuias *in capit. Alma mater 2. partic. §. 2. num. 8.* Rodiguez *tom. 2. quæst. Regul. quæstio. 123. artic. 1. & tomo 3. quæst. 1. art. 8.* Si autem huiusmodi Oblati in Monasteriis non viuant, aut habitum aliquo modo non mutent, solùm secundum quid, & largo modo personæ Ecclesiasticæ dici poterunt, cum censeantur personæ Deo simpliciter dicatæ. Glossa *verbo mutato habitu*, & alij Canonistæ quos sequitur Rodriguez, *vt supra.*

Hinc non solùm prædicti Conuersi, Laici, Oblati, seu Donati qui veram professionem emittunt (cum sint verè Religiosi) sed etiam ij qui, vt dictum est, se, & sua Monasterio tradiderunt, & in ipso viuunt, habitu aliqualiter mutato gaudent priuilegio Canonis. *Si quis suadente*, ita vt illos percutientes in excommunicationem incidant. Sunt enim, vt dictum est personæ Ecclesiasticæ. Quod secus videtur dicendum de iis qui in domo sua manent. Hostiensis *in cap. non est dubium de sent. excommunic.* Rodriguez *tomo 3. quæst. Regul. quæst. 21. art. 4.* 6

Idem dico, & propter eamdem rationē, de priuilegio fori, ita scilicet, vt eo potiantur non solùm ij qui verè professionem emittunt, sed & illi quoque, qui etsi illam non emittant, se tamen & sua Monasterio tradiderunt, & in eo viuunt habitu saltem aliqualiter mutato. Barbosa *de offic. & potest. Episc. alleg. 12. num. 39.* & alij apud ipsum. Vide tamen conditiones à S. Congregatione ad hoc requisitas de quibus *infra num. seq.* 7

Pariter etiam de exemptione à gabellis, & tributis secularibus exempti sunt Conuersi, & Oblati prædicti qui veram professionem trium votorum emittunt, cum sint verè Religiosi, & Ecclesiasticæ personæ. Flores de Mena *variar. lib. 1. quæst. 21. num. 199.* Barbosa *de offic. & potest. Episcop. allegat. 12. num. 38.* Illi etiam Oblati qui etsi veram professionem non emittant, se tamen & sua Monasterio tradiderunt, & in eo degunt habitu aliquo modo mutato, vt dictum est, cum sint vere personæ Ecclesiasticæ, iuxta superius dicta, etiam gaudent eodem priuilegio. Vt autem tam ipso, quam priuilegio fori potiantur animaduertendæ sunt declarationes Sacræ Congregationis Concilij circa hoc, quas referunt Aldan. *in Compend. Canon. resol. l. 1. titul. 10. num. 14. & 15.* Barbosa *in Collectan. Bullar. verb. Oblati.* Prima est, Oblati alicuius Religionis priuilegio, ac exemptione ita demum debent potiri, si in forma iuris valida perpetuo, irreuocabiliter, plenè, & cum effectu se ipsos, & bona sua omnia præsentia, & futura, nulla prorsus, quamuis minima eorum portione neque in proprietatem, neque in vsum fructum sibi reseruata Religioni obtulerint, & habitum aliqualiter mutauerint. Quod si omnia prædicta simul non concurrant, neque fori priuilegio, neque immunitate à sæcularib. exactionibus frui posse, vt in sequentibus 8

casibus

casibus. Primo, cum quis obtulit personam cum reseruatione bonorum. Secundò cum obtulit personam nulla bonorum facta mentione, quippe quæ non includuntur in simplici oblatione personæ. Tertiò, cum obtulit personam, & aliquam tantum partem bonorum quamuis maiorem. Quartò, cum obtulit bona omnia præsentia, & personam reseruato vsufructu. Quintò, cum obtulit personam, & bona omnia, præsentia tantum. Sextò, cum obtulit personam, & bona omnia, præsentia, & futura, sed postea à Superiore Religionis aliquam eorum partem quamuis minimam, in emphyteusim recepit. Septimò, cum obtulit bona, vel partem eorum absque persona, quo casu persona offerens fori priuilegio non gaudet, sed bona in Religione cum effectu translata sunt immunia à vectigalibus, dummodo offerens vsumfructum eorum sibi non retineat, eo namque casu bona immunia non sunt, etiam quoad proprietatem. His tamen omnibus casibus quibus Oblati à priuilegio, & exemptione à iure communi excluduntur, seruanda est eiusque Religionis consuetudo cuius vigore ipsi tale ius priuilegij, vel exemptionis acquisiuissent. Secunda, Oblati, qui omnia supradicta adimpleuerint fori priuilegio, & supradicta exemptione gaudent, siue ante, siue post de licentia Superioris Religionis Matrimonium contraxerint. Tertia, Oblati etiam quoad delicta ante oblationem commissa fori priuilegio gaudent, & à iurisdictione Iudicis laici liberati sunt, punirique debent à Iudice Ecclesiastico, si modo absque fraude, idest, non animo effugiendi sæcularis Iudicis punitionem, se, & sua obtulerint; quod si fraus subsit, possunt à Iudice laico puniri pœna confiscationis bonorum, & alia pecuniaria, sed non corporali, illique remanent subiecti, quoad causam, & bona, sed non quoad personam; debet tamen Iudex Ecclesiasticus, si delicti qualitas id exposcat, tradere tales in fraudem Oblatos Iudici sæculari corporaliter puniendos. Aldana, & Barbosa, *vt supra*.

9 Ex huiusmodi autem declarationibus habetur primò id quod supra *num*. 1. dictum est, esse scilicet, aliquos ex huiusmodi Oblatis, seu Donatis qui non sunt verè Religiosi, nec tria vota essentialia Religionis emittunt, si quidem supponitur à S. Congregatione aliquos illorum proprium habere, & vxorem ducere posse, quæ repugnant verè Religioso.

10 Sequitur secundò posse vxoratos admitti in Oblatos Religionum professionem non emittentes, imo post oblationem factam, posse de licentia Superioris Religionis Matrimonium contrahere. Intellige tamen si forte votum castitatis non emiserunt. Ita enim supponitur in secunda declaratione adducta. De quo Couarruuias *in cap. Alma mater 2. part. §. num*. 8. Rodrig. *tom*. 3. *q. Regul. q*. 2. *art*. 8. & alij apud ipsum,

11 Sequitur tertiò quod ad fruendum priuilegio fori, & immunitatis à gabellis, & sæcularibus exactionibus requiritur, vt oblatio prædictorum sit perpetua & irreuocabilis, provt habetur in prima declaratione adducta. Estque id iuri communi conforme *cap. per exemptionem de priuileg. lib. 6. cap. cum plantare §. vltim. c. tuarum*. Vt ex communi Doctorum affert Rodriguez *tom*. 3. *quæst. Regul. quæst*. 1. *artic*. 8.

12 Sequitur quartò, quod licet tam Conuersi quam Oblati veram professionem emittentes capaces non sint proprij cum sint veri Religiosi, quibus repugnat proprium habere, iuxta dicta *tom*. 1. *cap*. 6. Sanchez *lib*. 7. *in decalog. cap*. 34. *num*. 1. Illi tamen Oblati, seu Donati qui professionem non emittunt, proprij capaces sunt, vt supponitur in prima declaratione S. Congregationis supra adducta. Sanchez *vt sup*. Priuantur tamen ab eadem S. Congreg. priuilegio fori, & immunitate à gabellis, & exactionibus sæcularibus, vt in dicta declaratione habetur.

Quia verò in Concilio Trident. *sess*. 24. *cap*. 11. priuilegia, & exemptiones Oblatis concessa, vel concedenda limitantur solum ad eos qui intra septa Monasteriorum, & sub eorum Obedientia viuunt, ideo ad hoc quod prædicti, Oblati his priuilegiis fruantur prædicta conditio necessaria est. 13

Similiter licet prædicti tam conuersi, quam Oblati, seu Donati qui professionem trium votorum faciunt non adquirant sibi, sed Religioni, cum quidquid Religiosus acquirit Monasterio adquirat, iuxta dicta *tom*. 1. *cap*. 6. nihilominus alij Oblati, seu Donati, qui professionem non emittunt sibi adquirere possunt, quando scilicet non tradiderunt Religioni siue Monasterio nisi solum bona præsentia, non futura, & in eorum bona legitimi ipsorum hæredes succedunt, in ea videlicet quæ Monasterio non obtulerunt. Sanchez *lib*. 7. *in decalog. cap*. 34. *num*. 1. Priuantur tamen à Sacra Congregatione verbis adductis *num*. 8. priuilegio fori, & immunitate à gabellis, & exactionibus sæcularibus. 14

Oblati qui tantum simpliciter bona sua Monasterio dedicarunt non censentur dedicasse bona futura, quia in simplici dedicatione bonorum non comprehenduntur, nisi præsentia. Tapia *Auth. ingressi verb. sua cap*. 10. *num*. 14. Sanchez *lib*. 7. *in decalog. c*. 34. *n*. 1. 15

Quamuis tam conuersi, quam Oblati, seu Donati qui veram professionem trium votorum faciunt non possint testari, quia isti sunt veri Religiosi, quibus testari est prohibitum, iuxta dicta *tomo* 1. *cap*. 9. Nauarrus *comment*. 2. *num*. 45. Sanchez *lib*. 7. *in decalog. cap*. 8. *num* 41. & communiter omnes. Oblati autem, seu Donati non emittentes professionem, si aliqua bona sibi reseruarunt, de illis testari possunt, cum sint veri Domini ipsorum, secus autem si se, & omnia sua præsentia, & futura Monasterio tradiderunt, cum isti nihil habeant proprium, de quo testari possint. Rodrig. *tom*. 3. *quæst. Regular. quæst*. 69. *art*. 8. Nec video quomodo Sanchez, vt supra *num*. 42. oppositum dicere possit. 16

Si aliquis fiat Oblatus (ex iis, qui vt dictum est, veram professionem non emittunt) grauatus eo onere vt illius bona transeant ad aliquem tertium si sine filiis decesserit, talia bona non veniunt ad Monasterium. Tum quia adhuc facta tali oblatione potest vxorem ducere, & habere filios, tum quia esto id non esset, priuilegium tamen *authent. de Sanctiss. Episcop. §. sed & hoc præsenti*, vbi deciditur, tali grauato profitente Religionem illa bona pertinere ad Monasterium, solum loquitur de Religiosis. Angelus *verb. hæres n*. 16. Tabiena *q*. 12. *n*. 13. Sanchez *lib*. 7. *in decalog. cap*. 16. *numer*. 28. Quid autem sit dicendum si talis Oblatus veram professionem emisisset, constabit ex dicendis c. vlt. num. 28. 17

Non possunt præfati Conuersi, seu Oblati quamuis professionem in Religionibus emiserint ad Prælatias, seu dignitates illatum assumi, seu eligi. Quia ad hæc munera non possunt assumi nisi in Sacris 18

constituti, iuxta dicta *tom.* 1. *capit.* 18. *num.* 5. & *cap.* 1. *de ætat. & qualit.* & Conc. Trident. *sess.* 24. *capit.* 12. Vnde merito Minores, inter quos prædicti ad dicta munera assumebantur hunc vsum reliquerunt in Capitulo quodam Generali, præsente, vt dicitur Gregor. IX. Cæsarubius *in Compend. priuileg. Mendicant. verb. Laici Fratres.* Si tamen casu aliquo, siue in hac, siue in alia Religione ad prælatias aliquis conuersus assumatur, de illo philosophandum eodem modo, ac de Abbatissis dictum est *tom.* 1. *cap.* 26. quod scilicet exercere non posse actus veræ iurisdictionis spiritualis, cuius capax non est laicus, vt sunt imponere censuras suis subditis, dispensare in votis illorum, aut illa commutare, bene tamen imponere illis præcepta etiam obligantia ad culpam, iuxta grauitatem, vel leuitatem materiæ cogere ad obseruantiam Regulæ, vel Constitutionum, punire illos propter transgressionem, irritare vota, &c. quia hæc pertinent ad potestatem dominatiuam cuius capax est laicus & Cōuersus. Suarez 4. *tom. de Relig. tract.* 8. *lib.* 2. *c.* 3. *n.* 20. Cornexo *tom.* 2. *in* 3. *par tr.* 5. *de excommunicat. disp.*
19 2. *dub.* 5.

Nec possunt in Religionibus prædicti Conuersi, Laici, aut Oblati quamtumuis professi, esse socij, aut discreti pro Capitulis Generalibus, aut Prouincialibus, seu esse Definitores, aut illa munera exercere, quibus annexum est habere vocem actiuam, aut passiuam pro electionibus Prælatorum, qualia sunt esse, socios, seu assistentes Generalium, vel Prouincialium. Ratio sumitur ex *Clement. vt ij qui, de ætate, & qual.* ac ex Concilij Tridentini *sessio* 22. *cap.* 4. vbi habetur, nullum habere vocem in Capitulis nisi in Subiaconatus Ordine ad minus constitutus sit, etiam si hoc sibi ab aliis libere concedatur. Cum ergo prædicta munera important facultatem habendi vocem in Capitulis pro electionibus Prælatorum non poterunt competere Laicis Conuersis, seu Oblatis prædictis. Rodriguez *tomo primo quæstionum Regularium quæstione* 15. *articulo secundo* Vide dicta *tomo primo*, *capite* 15. *numero tertio, & quarto.* Pro electionibus autem aliorum Officialium Conuentuum facilius tolerari potest consuetudo si legitimè præscripta sit in aliquibus Religionibus, quod prædicti ad illas vocentur, & in illis habeant vocem.

20 Possunt nihilominus prædicti Laici, Conuersi, Oblati, &c. habere in Religionibus officia alia manualia, quibus nec competit cura animarum, nec est annexum habere vocem actiuam, vel passiuam pro electionibus Prælatorum, vt sunt esse Procuratores Monasteriorum, Sacristas, Oeconomos, &c. Cum enim hæc nullo iure prohibeatur illis concedi, aut præcipiatur solum in Sacris constitutis conferri, ideo si particularia statuta Religionum non contradicant poterunt ipsis concedi. An vero Laici, vel Conuersi Sacristæ munus gerentes possint tangere Sacra Vasa, corporalia, aut vestes dicetur inferius n. 33. & 34.

21 Conuersi, Laici, seu Oblati, &c. professi possunt ad alias Religiones transire, sicut, & alij Religiosi, iuxta dicta *tom.* 1. *cap.* 22. & cum conditionibus ibidem assignatis. 4. *tom. de Relig. tract.* 8. *lib.* 3. *cap.* 10. *n.* 1. De Oblatis autem, seu Donatis non emittentibus professionem trium votorum, sed se & sua Monasterio donantibus, aliqui dicunt non posse hunc transitum facere, quia sunt quasi serui Monasteriorum quibus se donarunt. Verumtamen sicut fundamentum eorum est falsum, sic & doctrina. Nec enim sunt serui Monasteriorum, sed pij. & deuoti oblatores sui, & suorum bonorum ad pias actiones exercendas, & quamuis hoc faciant per pactum. seu donationem irreuocabilem, habent tamen illam conditionem tacitè imbibitam nisi ad meliorem, seu strictiorem Religionis frugem se recipere voluerint, sicut idem cōtingere dicitur in quacumque obligatione cum homine facta. Suarez *vt supra num.* 2. Sanchez *lib.* 6. *in Decalog. cap.* 7. *num.* 9. Addit etiam Suarez posse ad quamcumque Religionem ipsos transire, cum enim vere Religiosi non sint, quæcumque Religio erit perfectior statu quem habent.

Non debent permitti Conuersi, seu Oblati etiam 22
professi ad sacros Ordines promoueri, tum vt sequantur suam vocationem, iuxta præscriptum Apostoli 1. *Corinthior.* 7. tum vt auferatur ansa vel occasio ambitionis, quæ vt plurimum ad talem promotionem desiderandam eos solet impellere. Vnde in decretis Clementis Octaui pro institutione Nouitiorum in Monasteriis designatis, vel designandis, quæ etiam approbata sunt à Sacra Congregatione Concilij sub Sanctissimo Domino Nostro Vrbano, & habentur simul cum decretis de Apostatis, & eiectis dicitur. *Qui ad Conuersorum habitum recepti fuerint, ad Clericorum statum transire, etiam durante tempore probationis non possint.* [Vnde à S. Congregatione Regularium 10. Februarij 1634. permissa fuit translatio cuiusdam conuersi ad statum Clericalem solum pro casu quo in statu laicali non fecisset professionem tacitam, vel expressam.) Credo etiam circa hoc omnes Religiones laudabilia statuta habere. Casu autem quo aliquis Conuersus tonsura Clericali fecerit se tonsurari, aut ad Sacros Ordines sine legitima facultate promoueri, his omnibus iure priuandus est. Tum quia inobediens, & rebellis non debet esse potioris conditionis quam obediens, ac per consequens iste non debet esse potioris conditionis, quam alij quieti, & obedientes Conuersi, qui sua professione contenti talia non ambiunt. Tum quia in eo in quo quis deliquit, in eo debet puniri, cum ergo iste peccaurit Ordinibus male susceptis, prædicto modo debet puniri. De quo Cæsarubius *in Compend priu. Mendic. verb. Laici Fratres.* Rodrig. *tom.* 2. *q. Regul. q.* 123. *artic.* 3. In eo etiam casu talis Conuersus illegitimè ordinatur cui non permittitur tonsura Clericali vti, aut exercere Ordines susceptos, nec tenentur ad Officium diuinum more Clericorum recitandum, iuxta dicta *tom.* 1. *cap.* 12. *num.* 4. cum solum ad illud teneantur Religiosi Choro addicti, aut pro Ordinatis admissi. Cæsarubius *vt supra.* [Addo vlterius congruenter satis dici conuersum sic ordinatum non debere permitti Canonicum officium persoluere. Peyrinis *tom.* 2. *de Prælato quæst.* 3. *cap.* 7. *num.* 27. post alios, quos refert. Casu vero quo conuersus ad statum Clericorum transeat siue licitè, siue illicitè id factum fuerit, non requiritur reiteratio Nouitiatus proportionati Clericatui, vt exprese tenet Tamburinus *de Iure Abbat. tom.* 4. *disput.* 6. *quæsit.* 17. *n.* 8. conformiter ad doctrinam Rodriguez, Suarez, Sanchez, Bartholomæi à S. Fausto, & Peyrinis asserentium non requiri pro legitimo anno Nouitiatus quod Nouitius experiatur omnes asperitates Religionis, nisi solum in genere manendo sub obedientia Prælati pro eo anno.]

Adde quod S. Congregatio Episcoporum & Regularium de anno 1645. pro 29. Septembris de quodam Conuerso, qui bona fide transierat ad statum Clericalem sine licentia Sedis Apostolicæ, dum 23
suppli

supplicaret pro rehabilitatione rescripsit Generali eiusdem Ordinis & duobus Definitoribus, vt constito ipsi quod idem Orator non fraudulenter & dolose sed bona fide minores & Sacros Ordines suscepisset & probata idoneitate eiusdem coram Ordinario loci, præuio rigoroso examine eundem Oratorem ad exercitium præfatorum Ordinum restituerent. Similiter de alio Converso bona fide etiam Ordinato & postea suspenso, statuit de anno 1648. pro 17. seu 19 Iunij rehabilitari posse præuio rigoroso examine. De quadam etiam Conuersa moniali quod transferri posset ad Choristarum gradum, vidi litteras eiusdem Sacræ Congregationis de anno 1647. pro die 8. Nouembris ad Episcopum transmissas. Vidi alia in fine huius Capitis in casus contingentia.

23 Teneatur conuersi, Laici, Oblati, seu Donati ad certas orationes Pater noster, & Aue Maria, iuxta institutum Regulæ vel constitutionem suorum Ordinum, iuxta dicta *tom.* 1. *cap.* 12. *num.* 4. Quanta autem, aut qualis sit obligatio illas recitandi, qualeve peccatum illas omittere, ex dictis eodem *tom.* 1. *cap.* 7. & 8. vbi agitur de obligationibus Religiosorum ratione Regulæ & constitutionum pensari debet.

24 Pro receptione, educatione, seu institutione conuersorum, Oblatorum, seu Donatorum qui professionem veram trium votorum emittunt, animaduertendæ sunt Institutiones Clem. VIII. approbatæ à Sacra Congregatione Concilij sub Sanctissimo Domino Nostro Vrbano VIII. & habentur cum decretis eiusdem Sacræ Congregationis de *Apostatis & eiectis*, quæ sunt huiusmodi, præter alias ibi assignatas pro omnibus Nouitiis, siue Clericis, siue Conuersis. Prima, si quis annum 25. excedens ad habitum regularem admitti postulauerit, & talis eruditionis expers iuuentus fuerit, in Conuersorum tantum, quibus litterarum scientia non est necessaria numerum referatur: ipsi autem Conuersi non recipiantur ante 20. ætatis suæ annum; & nisi saltem præcipua doctrinæ Christianæ capita nouerint. Secunda, quia quarumdam Religionum mos est nedum Conuersos ad professionem admittendos, verum, & Oblatos, vt vocant, recipere circa ipsorum Oblatorum receptionem vnaquæque Religio suas peculiares Constitutiones; specialiaque instituta obseruare teneatur. Tertia, cum autem, licet Clericorum bene instruendorum cura debeat esse præcipua, Conuersorum tamen religiosa instructio sit prætermittenda, quin potius æquanimiter amplexanda, quandoquidem satis exploratum est istorum etiam, cum Regulam profiteantur eamdem, perfectam educationem, tum religioni decorem, & ornamentum, tum aliis Christi fidelibus ædificationem, exemplum, atque vtilitatem afferre. Conuersis ipsis à Clericorum nouitiatu separatus ad dormiendum locus (quantum commodè fieri poterit) assignari præcipitur. Illi tamen hac separatione non obstante Magistro Nouitiorum, seu Superioribus Monasteriorum, & conuentuum, iuxta cuiusque Ordinis statuta, & Constitutiones subditi esse, & obedientiam præstare debebunt, à quo non tantum circa corporalia obsequia probandi & exercendi, verum etiam, pro eorum capacitate, & commoditate, de spiritualibus, præsertim de modo mentaliter orandi, diligenter instruendi erunt, quod vt commodius fiat ad Capitula & spirituales conciones, quæ per Magistros Nouitiis fieri solent, accersiri debeant, & in Ecclesiis statutis horis conueniant, nisi tunc in suis officiis actualiter occupati fuerint. Tempore verò probationis elapso, ij tantum qui non solum religiosæ perfectionis capaces, sed ad laborem corporalem apti nouo ac diligenti examine reperti fuerint (dummodo ætatis suæ annum quoad clericos decimum sextum, quo verò ad conuersos vigesimum primum excesserint) ad professionem admittantur. Sed qui ad conuersorum habitum recepti fuerint, ad clericorum statum transire, etiam durante tempore probationis, non possint. Superior cuiuslibet conuentus in quo Nouitiatus fuerit constitutus, particularem librum habeat in quo vniuscuiusque Nouitij professio registretur, illamque Nouitius professus propria manu, & duo testes qui præsentes fuerint subscribant. Conuersus verò litterarum ignarus professus in eorumdem testium qui se subscripserint præsentia, propria manu signum Crucis, apponat, asserueturque liber, & custodiatur in Archiuio, vbi scripturæ ad Monasterium, seu conuentum pertinentes reponi consueuerunt. Circa quæ decreta, seu Institutiones illud generaliter animaduertendum duxi, illa non videri obligare nisi solùm pro conuentibus designatis, seu designandis à Sede Apostolica pro Nouitiatibus, vt patet, tum ex titulo illis præfixo, tum ex §. 1. & 2. vbi videtur solùm sermonem esse de prædictis conuentibus. Quare cum decretum Clem. VIII. de non recipiendis Nouitiis nisi solum pro conuentibus designatis, non obliget nisi in Italia, & insulis adiacentibus, solum ibi obseruandæ erunt prædictæ Institutiones. Similiter cum ab obseruatione talis decreti Clemen. VIII. excipiantur Carthusiani, Minores strictioris obseruantiæ, Capuccini S. Francisci, Reformati S. Dominici, Discalceati Carmelitarum, Fulienses, Eremitæ Eremi Camaldulensis, & Montis Coronæ. Clerici Regulares Theatini, Societatis Iesu, S. Pauli decollati, Somaschi, & Ministri infirmorum, ideo etiam exempti videntur ab obligatione harum Institutionum, cum illæ vt dixi, solum pro Conuentibus à Sede Apostolica designatis, seu designandis pro Nouitiatibus editæ videantur.

Non possunt Conuersi, etiamsi imperfectum habitum aut sine capuccio gerant in Religionibus 25
quibuscumque siue Mendicantibus, siue non Mendicantibus (præter assignatas num. præcedenti) in Italia & Insulis adiacentibus recipi nisi in Conuentibus assignatis pro Nouitiatibus à Sede Apostolica, & receptiones, ac professiones illorum extra dictos Conuentus factæ irritæ sunt, & nullæ iuxta dicta *tom.* 1. *cap.* 24. *num.* 23. Quia tamen vt ibidem *n.* 24. dictum Sanctissimus Dominus Noster Vrbanus VIII. pro remedio illorum qui illegitimè, & inualidè professionem fecerant non habito Nouitiatu in prædictis locis designatis Motu proprio prouidit, vt de nouo ad professionem admitterentur; & cum huius rei occasione multi professi ad sæculum redire vellent, nouissimè Sacra Congregatio Concilij anno 1636. huic malo prouidere volens statuit. Quod si aliqui contra formam præfatorum decretorum recepti, & professi è Religione infra quinquennium exire, vel Superiores extra eam respectiue illos eiicere, voluerint, eadem Sanctitas sua decreuit, vt tam ipsi professi quam Superiores respectiuè teneantur, Iura, quæ sibi fauere visa fuerint, prius deducere coram eadem Sacra Congregatione, quæ ex speciali etiam suæ Sanctitatis facultate super hoc concessa prouidebit Inhiben. propterea Primatibus,

Patriar-

Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, & Prælatis inferioribus iurisdictionem exercentibus, ac quibuscumque Iudicibus Ordinariis, & delegatis etiam causarum Palatij Apostolici Auditoribus, & Sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, etiam de Latere Legatis, Sedisque Apostolicæ Nunciis, ne in posterum in hoc quoquomodo se ingerant absque speciali eiusdem Sãctitatis commissione, sub pœna ipso facto incurrenda, quoad Episcopos, Archiepiscopos, Patriarchas, & Primates interdicti ab ingressu Ecclesiæ, quoad Abbates, Prælatos inferiores, ac alios Iudices prædictos excommunicationis latæ sententiæ, quo vero ad Nuncios, & ad Sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de latere Legatos indignationis suæ Sanctitatis, & pœnarum arbitrio eiusdem imponendarum. Hæc ibi.

26 Item ibidem pro maiori cautela contra delinquentes statuit, ac decreuit quod si ijdem, vt supra, recepti, & professi iuribus suis minimè deductis coram Sacra Congregatione Concilij, & sine illius expressa licentia è Religione exire, vel Superiores Religionis eos eiicere ausi fuerint, ipsi recepti, & professi, tanquam Apostatæ puniantur, & pro talibus habeantur, nec non contra eosdem, iuxta formam decreti de Regularibus Apostatis, & eiectis, eiusdem Sanctitatis suæ iussu ab eadem S. Congregatione sub die XXI. Septembris 1634. editi procedatur, & Superiores, qui eiecerint pœnam suspensionis à diuinis; nec non priuationis omnium Officiorum quæ tunc obtinebunt, ac perpetuæ inhabilitatis ad ea in posterum obtinenda vocisque actiuæ, & passiuæ ipso facto absque alia declaratione incurrant. Hæc ibi. Circa quæ decreta id maximè notandum, quod licet stando, in rigore illorum verborum *recepti, & professi* per ea non videantur comprehendi nisi ij solum, qui in locis, seu Conuentibus non designatis pro Nouitiatibus recepti, aut professi fuerint, non verò ij qui etsi recepti, & professi fuerint in dictis locis, seu Conuentibus designatis, nihilominus cursum Nouitiatus peregerunt in aliis locis non designatis (quod idem dico de decretis Clem. VIII. adductis tom. 1. cap. 24. num. 23. quia in eis, stando in rigore verborum solum videtur prohiberi admissio ad habitum, receptio seu professio in Conuentibus non designatis, non vero Nouitiatum agere, aut habere, ita vt qui in Conuentu deputato fuit receptus, etiamsi in non deputato Nouitiatum peregerit, validè professus videatur) attendendo tamen ad Motum proprium Sanctissimi Domini Nostri Vrbani VIII. quod dicto cap. 24. numero 24. attulimus, & per quod explicantur dicta decreta Clem. VIII. dicendum tam per ipsum, quam per decreta prædicta comprehendi non solum eos, qui recepti, & professi fuerint in locis non designatis, sed etiam illos, qui in talibus locis non designatis Nouitiatum peregerunt, etiamsi alias in locis designatis recepti, & professi fuerint. Quod constat tum ex illis verbis dicto numero 24. relatis *Anno probationis in Monasteriis, seu domibus Regularium ad id designatis minime fecerunt*, tum ex aliis, quæ sunt in principio illius Motus proprij, quibus suam, & Clem. VIII. mentem declarat, quæ sunt huiusmodi. *Cum itaque sicut accepimus quamplures Ordinum, Congregationum, & Institutorum Regularium professores ad habitum Regularem recepti, probationis annum in Monasteriis, seu domibus Regularibus ad id designatis, vel ab Apost. Sede approbatis minime fecerint, proindeque iuxta Constit. fel. record. Clement. Papæ VIII. prædecessoris nostri desuper editam professio per eos deinde emissa inualida existat. Nos Religiosos prædictos &c.* Tum denique ex titulo præfixo ipsi Motui proprio, qui est, *super professionibus per Regulares emissis, non facto in locis designatis Nouitiatu.* Quare dicendum, iuxta mentem tum Sanctissimi Domini Nostri Vrbani, tum Clem. VIII. eos qui in locis non designatis Nouitiatum peregerunt, etiamsi in eisdem habitum susceperint, aut professionem emiserint, dictis decretis comprehendi.

Non obstante etiam tali decreto de non admittendis ad professionem Nouitiis etiam Conuersis, nisi in locis à Sede Apostolica designatis pro nostro Ordine obtentum à Sanctissimo Domino Nostro Vrbano per Breue speciale anno 1634. negotio prius commisso S. Congregationi Regulari, & Eminentissimo Cardinali Ginetto, vt alij Conuentus designarentur videlicet. In Prouincia S. Alberti in Sicilia Conuentus Placiæ, Melacij, Sicli, Siracusæ, Mazarini; In Prouincia Romana Conuentus Transpontinæ, S. Martini in Montibus, Præneste, Velitrarum, Roncilionis, in Prouincia Lombardiæ Conuentus Mediolani, Cremonæ, Nouariæ, Montis Calerij, Nouarum; In Prouincia Venetiarum Conuentus Vicentiæ, Roboreti, Dezensani; In Prouincia Thusciæ, Conuentus Pisarum, Prati, Montis Politiani, Emporij; In Prouincia Romandiolæ, Conuentus Anconæ, Cæsenæ, Arimini, Senogalliæ; In Prouincia Neapolis, Capuæ, Nuceriæ, Apuliæ, Beneuenti, Salerni, Auersæ; In Prouincia Apuliæ Conuentus Licij, Bitunti, Neriti, Batuli, Monopolis; In Prouincia S. Angeli in Sicilia, Conuentus Marsale, Alcami, S. Nicolai de Bononia Calatanixete, Racalbuti; In Prouincia Calabriæ Conuentus Cosentiæ, Rhegij, Caroleotum, Catanzarij; In Prouincia Aprutij Conuentus Terami, Oetone, Bilantis; In Granciis Conuentus Neapolis, Conuentus Summæ, Surrenti, & Concordiæ. In quibus possint recipi, & admitti ad habitum, & expleto probationis anno ad professionem Fratres Conuersi, seu Laici, seruata forma decreti Sanctiss. D. N. super receptione, & educatione Nouitiorum vltimo loco editi, necnon felicis record. Sixti V. ac aliarum Constitutionum Apostolicarum, & decretorum pariter similis memoriæ Clementis VIII. Institutionumque generalium super receptione, & educatione eiusdem Clementis, nec non sanct. mem. Pauli V. auctoritate editarum. Hæc ibi. 27

Cum autem in supradictis omnibus decretis solum fiat sermo de iis qui professionem emissuri sunt, ideo quod attinet ad Conuersos, Oblatos, seu Donatos, solum intelligenda erunt de illis qui vt diximus veram professionem trium votorum emittunt, non de Oblatis, seu Donatis, qui se, & sua Religioni tradunt nulla facta professione, quare nulla est lex, vel prohibitio quo minus isti Oblati, seu Donati qui professionem non emittunt ad Religionem admitti possint, etiam in Monasteriis, vbi non sunt prædicti Nouitiatus à Sede Apostolica approbati. 28

De fœminis illis, quæ in Monasteriis Monialium Oblatæ, seu Donatæ nuncupantur eodem modo loquendum videtur, ac de viris Oblatis, seu Donatis, respectiue tamen ad earum sexum. Præter ea autem quæ de ipsis dicta sunt *tom. 1. cap. 25. numero 17.* notandæ sunt aliquæ declarationes Sacræ Congregationis Episcoporum, & Regularium 29

quas

quas refert Barbosa in Collectan. Bullar verbo *Conuersæ*, Prima, Conuersas non habent regulariter Moniales Sanctæ Claræ. Secunda, Conuersæ quæ ad Monasteriorum pauperum subleuamen ad conquæritandas eleemosynas mittuntur, 45. ætatis annum excedant, & extra clausuram minimè pernoctent, nisi in casu necessitatis, & tunc hospitio excipientur in ædibus proximorum consanguineorum, aut aliarum piarum matronarum. Tertia, Conuersæ Moniales ad quæstuandum mitti possunt, si aliter Moniales sustentari non possint, dummodo ad minus 40. ætatis annum excedant, non sint pulchræ, nec modo aliquo extra Monasterij clausuram pernoctent, & in illis Monasteriis quæ nisi dictas Conuersas ad quæstuandum mittunt, manuteneri non possunt, deinceps puellis Monasticum habitum non tradi, nec educationis causa illæ in eis introduci possũt absque Sedis Apost. speciali licentia. Quarta, Conuersæ non debet permitti vt exeant, aut videri se sinant ad effectum claudendi, vel aperiendi, ianuam Monasterij sed id munus alteri extra clausuram, degenti committatur. Quinta, Conuersa supernumeraria debet prædictis qualitatibus necessariis capitulariter, votisque secretis Monialium admitti, & dotem duplicatam soluere à Conuersis persolui solitam, ac tempore debito professionem emittere. Barbosa vt supra. Pro istis etiam fœminis Oblatis, seu Conuersis vide Rodriguez *tom. 1. quæstionum Regularium quæstio. 44. artic. 4.*

30 Gaudent Prædicti Conuersi Priuilegiis suarum Religionum, iuxta dicta *tom 1. cap. 3. num. 18.* vbi etiam idem dictum est de Oblatis professionem emittentibus, quia sunt verè Religiosi, specialiter tamen Gregor. IX. in Bulla, *Quoties à nobis*, quæ habetur in 1 tom. Bullar. Laertij inter Bullas huius Pontificis *numero* 3. Oblatis Carthusianorum concessit vt eisdem libertatibus, & immunitatibus gauderent quibus ipsi Fratres gaudebant Deinde Sixtus IV. in Bulla *Dum attenta*, quæ est Mare magnum Carmelitarum eorum Oblatis copiosam concessionem fecit omnium priuilegiorum Fratribus concessorum illis verbis. *Et ne Oblati, & Oblatæ eiusdem Ordinis suorum iure deuotionis ad Ordinem ipsum frustrentur effectum, omnia, & singula circa Fratres, & Sorores, & Mantellatas, seu Pinzocheras nuncupatas personas prædicta in præsentibus litteris statuta concessa, & ordinata, aut illis, & Fratribus prædictis in eorum commodum, & fauorem indulta, ad easdem dicto Ordini nunc, & pro tempore Oblatas, & commissas vtriusque sexus personas eisdem scientia, & motu, & auctoritate extendimus, & ampliamus, ac in eis locum habere debere proinde ac si pro eisdem Oblatis, & Commissis personis, & circa illas emanassent decernimus, volumus, & ordinamus.* Vide pro vsu huius priuilegij, dicta tom. 1. cap. 21. num. 19. & 20. & in hoc secundo tomo cap. 1. num. 21. vbi constabit an sit vel non reuocatum. Similiter pro tempore interdicti hanc illis concessionem fecit. *Et quia ex concessione continetur dictorum Innocentij IV. Alexandri IV. & Gregor. XI. prædecessorum quod liceat eis cum interdictum generale terræ fuerit, dummodo causam non dederint interdicto, clausis ianuis, excommunicatis, & interdictis exclusis, submissa voce Missas, & alia diuina officia celebrare; eorumdem Fratrum deuotioni non plene consulitur, concessionem eamdem extendendo eisdem Fratribus, vt liceat eis habere Altare portatile cum debita reuerentia, & honore, super quo in locis ad hoc conuenientibus, & honestis præterquam in Ecclesiis ab Ordinarij obedientia non exemptis, quoties id eis contigerit interdici, possint Missas & alia diuina Officia in quorumcumque præsentia celebrare, & interdicti tempore ad diuina huiusmodi cum eis mantellatas, & Pinzocheras, ac Oblatas Commissasque personas, & ipsorum Fratrum, ac Monasteriorum Monialium Ordinis prædicti Procuratores, Aduocatos prædictos, & negocia gerentes vtriusque sexus admittere præfatis scientia, motu, & auctoritate indulgemus.* Pro quo priuilegio seu vsu ipsius, & an sit reuocatum, vide dicta tom. 2. cap. 21. numero 14. 19. & 20. Præterea idem Sixtus IV. in Bulla *Dum fructus vberes*, quæ etiam est Mare magnum Eremitarum S. Augustini, Oblatis eiusdem Ordinis ferè similia videtur concessisse. Meminerunt autem vtriusque concessionis Casarubius *in Compend. priuilegior. Mendicant, verbo Oblati Fratrum*, & Rodriguez *tom 3. quæst. Regul. quæst. 21. art. 3.* Meminit etiam vterque alterius concessionis Eugenij IV. circa absolutionem istorum, quam tamen omitto, quia viuæ vocis oraculo fuit facta, & per consequens iis temporibus inutilis, vt sæpe dixi, nisi de nouo concedatur.

Quia tamen Leo X. in Constit. *Dudum* quæ est in 1. tom. Bullar. Laertij *num. 32.* omnia priuilegia Conuersis, & Oblatis Ordinum Mendicantium concessa communia esse voluit omnibus prædictis cuiuscumque prædictorum Ordinum Conuersis, & Oblatis. Ideo his priuilegiis concessis Oblatis Carmelitarum, & Eremitarum S. Augustini gaudere possunt ratione communicationis Priuilegiorum Oblati Prædicatorum, & Minorum, vt in specie de Oblatis Minorum habet Casarub. *Compend. priuil. Mendicant. ver. Oblati Fratrum, vel Monialium num. 3.* quod idem credo de Oblatis fœminis, cum illæ etiam nominentur à Sixto in priuilegio pro Carmelitis *numero præcedenti* adducto. Imo etiã idem videtur dicendum de Nouitiis, tam Oblatorum, quam Oblatarum (professionem videlicet trium votorum emittentium) saltem in multis Religionibus, & quoad ea quæ spectant ad bonum spirituale animæ: præsertim cum Nouitij in fauorabilibus pro veris Religiosis habeantur. Vide dicta *tom. 1. c. 24.* præsertim *n. 8.* 31

Dubitari tamen potest an priuilegia illa Gregor. IX. pro Oblatis Carthusiensium, & Sixti IV. pro Oblatis Carmelitarum, & Eremitarum Sancti Augustini intelligantur solum de Oblatis illis, qui professionem trium votorum emittunt, an verò etiam, de illis, qui sine tali professione se, & sua Monasteriis obtulerunt modo superius num. 27. dicto. Et quidem cum priuilegum Gregorij IX. expressè loquatur solum de Oblatis qui trium votorum professionem emittunt in Ordine Carthusiensium, vt patet ex ipsa Bulla, ideo non potest extendi ad eos qui talia vota non faciunt. Cum autem priuilegia Sixti IV. indistinctè loquantur de Oblatis Carmelitarum, & Eremitarum Sancti Augustini non determinando pro illis qui professionem emittunt, vel non emittunt, imo comparent illos cum Tertiariis Fratribus de Pœnitentia, seu Pinzocheris, qui neque tria prædicta vota emittunt, ideo probabile est ad vtrumque genus Oblatorum extendi. Verumtamen quia adhuc inter istos qui veram professionem trium votorum non faciunt, possunt esse aliqui qui non seruent conditiones à Sacra Congregatione Concilij supra numero 8 assignatas, quia scilicet non omnino bona 32

sua

sua Monasteriis obtulerint, alij vero qui illas seruent, ideo prædicta priuilegia extendenda solum credo ad hos posteriores, non ad illos. Nam eo ipso quod Sacra Congregatio solum istos potiri vult priuilegio fori, & immunitatis à sæcularibus exactionibus, etiam velle videtur eos solum potiri posse aliis priuilegiis Religionibus concessis ac eos solum esse vere, & simpliciter Donatos, seu Oblatos. Etsi hoc non sit omnino certum, cum Sixtus IV. in prædictis priuilegiis vniuersaliter loquatur de Oblatis, seu Donatis, & posset dici Sacram Congregationem solum excludere prædictos à priuilegio fori, & immunitatis ab exactionibus sæcularibus, non ab aliis priuilegiis maximè concernentibus animæ vtilitatem. Pro vsu tamen horum priuilegiorum, & an sint, vel non reuocata vide, vt dixi, *tom.* 1. *c.* 22. *n.* 14. 19. *&* 20. *& in hoc* 2. *tom. c.* 1. *n.* 21.

33 Concessit Calixtus III. Conuersis Fratrum Minorum, vt possent tangere Calices, & lauare corporalia, & alia Ecclesiastica, cum expedierit. Item Leo X. concessit eisdem Conuersis sociis Generalium, vel Prouincialium, vt eo tantum tempore quo socij sunt, & extra loca, & Conuentus cum inseruiunt Missis prædictis Prælatis possint propriis manibus tractare vasa sacri ministerij scilicet Calices, & corporalia explicando, & plicando post Missam sicut Clerici in sacris constituti. In conuentibus autem vbi sunt alij Fratres id concedere recusauit. Casarubius *in Compend. priuileg. Mendicant. verb. Laici Fratres num.* 1. *&* 3. Rodriguez *tom.* 2. *quæstionum Regularium quæst.* 127. *art.* 2. Portellus *in Dub. Regular. verbo Laici Fratres num.* 1. Verumtamen cum istæ concessiones sint viuæ vocis oracula, vt Casarubius notat, iis temporibus post reuocationem similium concessionum factam à Sanctissimo Domino Nostro Vrbano VIII. nullæ sunt nisi de nouo concedantur, vt sæpe dictum est. Extat tamen alia concessio Sixti IV. pro Fratribus professis Conuersis Ordinis S. Augustini Congregationis Lombardiæ qua illis concessit quod dum Sacristiæ curam gererent, scilicet, dum Sacristarum officium exercerent possent tangere Calices, Patenas, & Purificatoria, cum necesse esset. Quæ concessio, quamuis neque per Bullam, neque per Breue facta sit, quia tamen ab ipso Papa videtur subscripta, ideo non apparet viuæ vocis oraculum, ac per consequens hoc tempore subsistere. Eam refert Confettius. *in collectanea litterarum Apostolicarum inter priuilegia Sixti Quarti numero* 9.

34 Pro quo notandum quod, secluso priuilegio, sacra vasa, & vestes dum in eis continetur Corpus, vel Sanguis Christi, tangi, præterquam à Sacerdote, vel Diacono, graue peccatum est. *Ex cap. non oportet d.* 23. Palud. *in* 4. *dist.* 13. *quæst.* 1. *articulo quarto* Suarez *in* 3. *par. tom.* 3. *disp.* 81. *sect.* 8. Tangere autem illa cum in eis non continetur Corpus, aut Sanguis Christi, etiam est illicitum *ex cap. in sancta distinctione prima de Consecrat. cap. sacratas*, aliisque iuribus *distinctione vigesimatertia*. Huius tamen præcepti transgressio, secluso contemptu, solum est venialis, quia pro leui irreuerentia communiter æstimatur. Suarez *vt supra*. Imò si rationabilis causa, vel moralis necessitas adsit, nulla erit culpa id facere. Sotus *in* 4. *dist.* 13. *quæstione secunda articulo tertio, ad tertium* Layman. *in Theolog. moral. libro* 5. *tract.* 5. *capite* 6. *numero* 18. *&* 19. Ad tollendos tamen scrupulos solet ad id peti licentia à S. Congregatione Rituum, vt patet ex Barbosa *in Collectan. Bullar. verb. licentia*.

Affertur etiam alia concessio facta Laicis Fratribus etiam olim homicidis, & bigamis, vt possent ministrare Sacerdotibus celebrantibus, etiam vestiti superpelliceo lineo. Ita Portellus *in Dub. Regul. verbo Laici Fratres num.* 2. ex Compend. D. Hieron. Hispan. *verb. Laici Fratres* §. 2. Verumtamen scire non potui an hæc concessio sit viuæ vocis oraculum, & per consequens his temporibus inualida, aut non. Deinde dico, cum irregularitas non priuet exercitio Ordinum, nisi vt ordines sunt, id est, eo modo, quo à Clericis exerceri solent, vt habet. Cornexo *tomo secundo tract. de irregularit. disput.* 5. *dub.* 4. ideo quicumque irregulares, etsi homicidæ, & bigami possunt ministrare Sacerdotibus celebrantibus non eo modo quo Clerici, sed vt Laici. Quia vero ministrare cum superpelliceo lineo indicare videtur id fieri ad modum Clericorum, ideo forsan obtenta est talis concessio. Cuius tamen qualitatem, vt dixi, ignoro. 35

Libet pro capitis coronide adiungere resolutionem casus mihi propositi de quodam Conuerso Ordinis Sanctæ Mariæ de Mercede, qui impetrauit Breue à Sanctiss. vt posset suscipere Ordines sacros, non exponendo quod esset laicus, & postea bona fide suscipiendo illos, & in ipsis ministrando; super quo concessa est facultas Eminentissimo Cardina de la Queua ad absoluendum & dispensandum ipsum. Et quidem impetratio talis Breuis, seu Indulti à Sanctissimo sine dubio fuit surreptitia. Tum quia impetrans tacuit id quod secundum stylum Curiæ exprimi deberet, scilicet postulantem esse laicum seu Couersum, in quo consistit ratio surreptionis. Couarruuias *resol.* 1. *cap.* 20. *num.* 5. Sanchez *lib.* 8. *de matrim. disp.* 21. *num.* 13. *& seqq.* Layman. *libro primo tract.* 4. *cap.* 22. *num.* 18. & ego *tom.* 4. *verb. litteræ Apostolicæ numero tertio*. Tum etiam quia rescripta gratiæ tunc censentur surreptitia quando tacetur veritas per se & intrinsece ad rem pertinens, & quæ si exprimeretur gratia non concederetur à Principe, vel non eodem modo, *capite Postulasti & capite super litteras de rescript.* Couarruuias *supra*, Vasquez *tract. de benef. capite tertio* §. 4. *dub.* 3. Sanchez *supra num.* 17. Layman. *supra numero* 19. quod contingit in proposito: siquidem Papa non concederet dictum Breue seu Indultum suscipiendi sacros Ordines si sciret postulantem esse laicum & conuersum, vel saltem si concederet, non absolute id faceret sed sub aliquo onere aut conditione. Vnde video Sacram Congregationem Episcoporum & Regularium 10. Februarij an. millesimo sexcentesimo trigesimo quarto. permisisse translationem cuiusdam Conuersi ad statum Clericalem, supposito solum quod in statu laicali non fecisset professionem tacitam vel expressam denotans se id non permissuram, si talis fuisset verè professus, prout supponitur iste de quo in casu. Consequenter etiam tale breue seu indultum irritum est & inualidum, vt constat ex *capite. Ad aures*; *capite. Constitutus*, *cap. super litteris de rescript. & cap. vlt. de fil. præsbyt. in* 6. Italius 1. *part. dicis. lib.* 4. *cap.* 6. *num.* 89. Layman. *supra capite* 22. *num.* 17. Barbosa *in collect. DD. in d. cap. super litteris numero* 6. etiamsi surreptio vel obreptio per ignorantiam & bonam fidem contingat, quia hoc non est pœna sed prouenit ex defectu voluntatis vel intentionis Papæ. *d. cap. super litteris, & cap. constitutus de rescript.* Sanchez *supra num.* 14.

36 37 38 39 40 41 42

56. &

& seq. Layman. *etiam supra num.* 18. Thesaurus *in prax. part.* 2. *verb. Gratia cap.* 8. §. *Amplia quod sur-*
43 *reptio*, & ego *supra numero* 4. etiamsi huiusmodi ignorantia non fuerit nisi in curiali vel sollicitatores talis Breuis seu Indulti, prout supponitur in præsenti, quia etiam in hoc casu procedit ratio adducta, scilicet defectus intentionis conferentis. *capite Si motu proprio de præbend. in sexto.* Corduba *in sum. quæst.* 45. *opin.* 1. *punct.* 1. *rat.* 1. Sanchez *sup. num.* 57.

44 Quamuis autem ordinatus ex vi præfati Breuis, seu Indulti Apostolici initi & inualidi incurrere deberet censuram suspensionis impositam à Pio II. in Bulla *Cum ex Sacrorum in primo tom. Bullarij* in hoc Pontifice *numero* 6. & Sixto V. in Bulla *Sanctum & Salutare num.* 19. eo quod ibi imponitur hæc censura contra illos qui ad sacros Ordines se fecerunt promoueri sine legitima licentia, prout dixi *tom.* 1. *cap.* 14. *num.* 3. tale autem Breue seu Indultum Papæ non est legitima licentia cum, vt dixi, sit irritum & nullum, nihilominus credo non incurrisse suspensionem, aut aliquam censuram Religiosum istum Ordines sacros suscipiendo. Ratio est quia vt constat ex memoriali ipsius ad Sacram
45 Congregationem porrecto ipse bona fide suscepit præfatos Ordines sacros: censura autem suspensionis, aut qualibet alia similis, non incurritur nisi ab operante ex mala fide & cum peccato. Non enim incurritur censura nisi propter contumaciam: contumacia vero non est cum adest ignorantia probabilis, seu bona fides. Suarez *de Censur. disp.* 4. *quæstione* 8. Corneus *tom.* 2. *in* 3. *part. tract.* 5. *de censur. disp.* 13. *dub.* 2. Bonacina *de Censur. disp.* 1. *q.* 2. *punct.* 1. *præsertim n.* 6. post alios. Et in specie quod suscipiens sacros Ordines illegitime bona fide, aut sine dolo non incurrat hanc suspensionem tenent. Nauarrus *in cap. Accepta de rest. spol. oppos.* 8. *& lib.* 1. *cons. de temp. Ordin. cons.* 9. Quaranta *in sum.*
46 *Bullar. verb. Ordo vers. quibus sic*, Rodriguez *tom.* 3. *quæstionum regul. quæst.* 23. *art.* 11. & alij plures. Nec etiam incurrit præfatus Religiosus aliquam irregularitatem suscipiendo præfatos sacros Ordines. Tum quia bona fide illos suscepit; irregularitas autem ex delicto qualis est ista non incurritur, nisi propter peccatum, iuxta dicenda *tom.* 3. *verb. Irregularitas num.* 4. post Nauarrum, Sanchez, Coninch, Bonacinam & Dianam. Tum etiam quia nulla irregularitas est in iure imposita contra eos qui sine legitima licentia se faciunt ad Ordines promoueri. Est autem certum, & communis sententia Doctorum *ex cap. Is qui de sent. excom. in* 6. nullam esse irregularitatem quæ in iure non sit expressa: quamuis etiam postea celebrando in prædictis Ordinibus illegiti-
47 me susceptis, & constito illi quod Breue illud seu Indultum Papæ irritum esset & nullum sine dubio peccaret mortaliter, siquidem sciens & prudens id faceret contra Ecclesiæ prohibitionem, qua
48 prohibentur celebrare legitime non ordinati, nihilominus sic celebrando etiam mala fide non incurreret aliquam suspensionem, cum nulla suspensio sit à prædictis Pontificibus, aut iure communi imposita contra eos qui celebrant cum legitime ordinati non sint, nec etiam irregularitatem quia hæc solum incurri posset, propterea quod affectus censura suspensionis celebraret, iste autem Religiosus vt supponitur propter susceptionem Ordinum ex bona fide non incurrit suspensionem. Ita à simili Rodriguez *tom.* 3. *quæst. Regul. quæst.* 23. *articulo quarto*, Quaranta *in summa Bullar. verb. Ordo* §. *notandum quod*, Peyrinis *tomo primo priuileg. Minim. in Constit.* 1. *Iulij II.* §. 16. *num.* 29. *&* 30.

Ex quo colligo facultatem concessam Eminentiss. & Reuerendis. D. Card. à S. Congregatione so- 49
lum deseruire posse pro foro externo; siquidem cum Orator dicat se bona fide suscepisse Ordines, non videtur vt dictum est, aliquam censuram, aut irregularitatem in foro interno contraxisse. Animaduertat etiam Eminentissimus non sibi videri concedi tam amplam facultatem quantam Orator petit, prout constat ex verbis memorialis & rescripti S. Congregationis.

Dubium aliud.

De quodam commisso seu Oblato Ordinis Sancti Hieronymi qui post professionem ab Or- 50
dine dimissus matrimonium contraxit.

Responsio.

Hunc Commissum seu Oblatum ab Ordine suo 51
dimissum per superiores ipsius post professionem in eo Ordine emissam, potuisse valide matrimonium contrahere, elici videtur ex eo quod non erat verus religiosus.

Primo quidem, quia Oblati seu Commissi huius Religionis non gestant habitum proprium illius sed valde diuersum non solum ab eo quem gestant Clerici, sed ab eo quoque quem gestant fratres Conuersi. Etenim vt constat ex Ordinario eius Religionis cap. 40. Religiosi monachi portant cucullam albam & scapulare griseum: conuersi autem portant scapulare & mantellum; Commissi autem solum mantellum griseum: atqui etsi habitus non faciat monachum seu religiosum iuxta Concilium Tridentinum *sess.* 14. *de reform. capite sexto*, nihilominus est tessera, symbolum & nota status, quem vnusquisque profitetur. Concil. Aquisgran. *cap.* 125. Tanta ergo differentia habitus Commissorum huius Religionis ab aliis monachis seu fratribus, satis arguit eos non esse veros Religiosos.

Secundo & principaliter quia non promittunt 52
in professione tria vota essentialia Religionis, scilicet obedientiam, paupertatem & castitatem. Quod patet manifeste ex forma professionis illorum extracta ex statutis huius Religonis *c.* 14. *n.* 70. vbi post relatam formam professionis monachorum & Conuersorum quæ est huiusmodi: *In nomine Domini amen. Anno à Natiuitate eiusdem, &c. Indictione, &c. die, &c. mensis, &c. Ego Don (si sit monachus) vel frater (si sit Conuersus) N. de tali loco promitto obedientiã Deo omnipotenti, B. Mariæ Virgini, Sanctissimo Patri nostro Hieronymo, ac tibi Patri Don N. de tali loco Priori huius Monasterij N. talis Diœcesis, tuisque successoribus (salua semper obedientia Capituli generalis, ac Præpositi) & de viuendo sine proprio in castitate secundum Regulam S. Augustini, ac morum meorum conformationẽ iuxta statuta Apost. Ordinis vsque ad obitũ meũ. Actũ, &c.* Postea ponitur hæc valde diuersa pro forma professionis Commissorum. *In Christi nomine amen. Ego frater N. de tali loco pro amore Dei & remedio animæ meæ committo & dono me ipsum & omnia bona mea præsentia & futura, actiones & iura quæ mihi competunt, vel competere poterunt quomodolibet in futurum Deo Omnipotenti, & Beatæ Mariæ Virgini & Sanctissimo Patri nostro Hieronymo,*

Hieronymo, & tibi Patri Don. N. de tali loco, Priori huius Monasterij Sancti N. Ordinis monachorum Eremitarum S. P. Hieronymi nomine dicti Monasterij, & Ordinis hanc commissionem & donationem recipienti, & promitto obedientiam tibi & successoribus (tuis salua semper obedientia Capituli generalis & Præpositi) quod si aliquo tempore (quod Deus auertat) hinc abire sine licentia tentauero, liceat seruis Dei eiusdem Ordinis, qui hic fuerint me plena sui iuris authoritate inquirere, & coacte ac violenter in suum seruitium reuocare. Actum, &c. Cum ergo in ista forma professionis Commissorum non fiat aliquod votum Deo, nec exprimantur vota castitatis & paupertatis sicut in forma professionis monachorum & Conuersorum, sane denotatur Commissos huius Religionis non haberi pro veris Religiosis quales sunt monachi & Conuersi.

53 Nec refert si dicatur, præfatos commissos seu Oblatos emittere saltem in sua professione votum obedientiæ, vt patet illis verbis formæ professionis recitatæ: *Et promitto obedientiam tibi & successoribus tuis, &c.* solum autem votum obedientiæ sufficere ad veram professionem Religiosorum; eo quod in illo includantur vota paupertatis & castitatis est communis sententia DD. specialiter Azor. *libro duodecimo Instit. moral. cap. 4. quæst. 2.* Rodriguez *tomo secundo, sum. capite 8. numero 13.* Sa *in sum. verb. Religio num. 18.* Sanchez *lib. 5. in decalog. cap. 3. num. 3.* & Bordoni *resolut. quæstione prima numero primo, & seq.* quibus ego adhæreo *tomo primo capite quarto numero primo* conformiter ad doctrinam D. Thom. 2. 2. *quæstione 186. art. 8. & quæstione 104. articulo tertio*, & constat ex eo quod plures veræ Religiones solum in professionis forma exprimunt votum obedientiæ, non verò castitatis, aut paupertatis: vt patet in Canonicis Regularibus S. Saluatoris, Camaldulensibus, Cassinensibus, Basilianis, Prædicatoribus, Oliuetanis, Cisterciensibus & Reformatis S. Bernardi relatis ab eodem Bordono supra. Non ergo excludi potest hic Commissus seu Oblatus à vera ratione Religiosi, eo quod solum votum obedientiæ in sua professione videatur emisisse.

54 Respondeo enim latissimum discrimen esse inter votum obedientiæ quod huius Ordinis Commissi emittunt, ac illud quod prædictarum Religionum Religiosi emittere solent. Primo quidem quia vt patet ex formis professionis illorum adductis, Canonici Regulares S. Saluatoris promittunt obedientiam *Deo & B. Mariæ & B. Augustino*, Basiliani etiam promittunt obedientiam *Deo B. Mariæ & B. Basilio.* Prædicatores similiter promittunt obedientiam *Deo, B. Mariæ & D. Dominico.* Votum autem huiusmodi Commissorum non est votum obediendi *Deo*, sed solum obediendi Priori huius Conuentus & suis successoribus. Et ita non est votum obedientiæ religiosæ, quæ solum est respectu Dei, qui est obiectum virtutis religiosæ; sed solum obedientiæ quasi politicæ, & œconomicæ; ac propterea non includit vota paupertatis, sicut includit votum aliorum Religiosorum Præterea dicti Canonici Regulares & Basiliani promittunt suam obedientiam secundum Regulam B. P. Augustini; & Cassinenses, Cistercienses Reformati ipsorũ, Oliuetani, & Camaldulen. secundum Regulam S. Bened. At verò Commissi huius Religionis non promittunt obedientiam secundum aliquam regulam siue eiusdem Religionis, siue aliam approbatam ab Ecclesia. Ac propterea tale votum non includit alia duo, quemadmodum includit illa votum obedien- di secundum Regulas; eo quod in Regulis continentur; prout ex Rodriguez, Azorio & Sa habet Sanchez superius relatus & tenet Bordonus supra circa professionem Oliuetanorum. Est igitur latissimum discrimen inter votum obedientiæ Commissorum huius Religionis, & votum obedientiæ Religiosorum aliarum Religionum, in quarum professione solum exprimitur votum obedientiæ; ac proinde in voto obedientiæ illarum includi poterunt duo alia vota castitatis & paupertatis, non vero in voto obedientiæ istorum Comissorum.

Propterea ex verbis illis professionis horum 55 Commissorum: *Committo & dono me ipsum & omnia bona mea præsentia & futura, actiones & iura, quæ mihi competunt, vel competere poterunt quomodolibet in futurum Deo omnipotenti, &c.* liquido etiam elicitur esse Oblatos mere sæculares, & non religiosos. Etenim hic modus se committendi est proprius Oblatorum mere secularium, eorum videlicet qui ante vel post oblationem possunt contrahere matrimonium, quod proprium est secularium. Hoc autem colligitur ex declaratione Sacræ Congregationis Concilij quam 56 referunt Aldana *in compend. Canon. resol. libro primo titulo decimo numero 14.* Barbosa *in collect. Bullar. verb. Oblati & in collect. Apostol. decis. collect. septnagesimonono*, & Ioannes Maria Nouarius *in luc. Regular. verb. Oblati*, & ego *supra num. 8.* quatenus ibi præscribitur eadem fere forma se offerendi Religioni: & additur *Oblati qui omnia supradicta adimpleuerint fori priuilegio & supradicta exemptione gaudent siue ante siue post de licentia Superiorum Religionis matrimonium contraxerint.* Sunt ergo mere seculares: siquidem matrimonium contrahere possunt. Vnde in declaratione eiusdem Sacræ Congregationis Concilij de anno 1627. quam refert Peirinis *tom. 3. priuil. min. in addit. ad Const. Iulij 2. numero 34.* de quodam simili oblato dicitur: *quamuis matrimonio copulatum gaudere priuilegio fori, &c.*

Ad hæc, verba illa *Comitto me ipsum, & omnia* 57 *bona mea, &c.* cum prorsus inusitata sint in professione vera Religiosorum, & includantur alias in votis obedientiæ & paupertatis, satis indicant non pertinere ad formam professionis religiosæ; sed solum ad formam donationis, seu oblationis personæ mere secularis & laicæ. Similiter illa: *Si aliquo tempore hinc abire sine licentia tentauero liceat &c. me inquirere & coacte, ac violenter in suum seruitium reuocare*, cum similiter sint inusitata & insolita pro formis professionis Regularium, ac id totum includatur in voto obedientiæ Religiosæ cum per illam vouens desinat esse sui iuris, & fiat Religionis, liquido etiam ostendunt non denotare religiosam professionem. Quod etiam colligitur ex verbo illo *ad suum seruitium*, quod similiter indicat Oblatos, seu Commissos istos potius esse quasi seruos Religionis quam veros Religiosos. Vnde Syluester in sum. verb. Oblatus de illis dicit, *quod efficiuntur quasi serui Monasterij.*

Nec obstat quod isti Commissi, seu oblati per suā 58 donationem seu commissionem mutent institutum vitæ, prout colligitur ex illis verbis *pro amore Dei & remedio animæ meæ*; mutent quoque habitum & dent sua bona Religioni. Quia hæc omnia non inducere professionem bene docent Ananias *cap. statuimus num. 6. de Regular.* & Sanchez *lib. 7. in Decal. cap. 1. n. 15.* & fauet *lib. 9. de matrim. disp. 33. num. 19.*

Hinc

59 Hinc generaliter loquendo, Oblatos seu commissos non emittentes tria vota Religionis, scilicet obedientiam, paupertatem & castitatem seu non profitentes Regulam alicuius Religionis non esse veros Religiosos habetur ex Rodriguez *tom.3.qq. Regular. q.21. art.1.* Nauarro *lib.3. consf.49. tit. de Regular.* Graffio *in decis. aur. lib. 3. cap. 5. numero* 87. ex Panormitano & aliis, Suarez 4. *tom. de Relig. tract. 8. lib. 3. cap. 10. num. 1.* altero Rodriguez *in compend. resolut.* 104. *numero* 1. Pelizario *in man. Regul. tom. 1. tract. 1. capit. 3. num. quadrasimoprimo*, & sequor ego supra, & *tom.4. verb. Oblati.* Imo addunt Nauarrus, Rodriguez ac Graffius relati quod etiamsi Oblati seu commissi emit-
60 terent tria vota Religionis, si tamen non emitterent illa secundum aliquam Regulam approbatam ab Ecclesia, sed illam excludendo non esse veros Religiosos. Cum ergo Oblati istius Religionis de qua in præsenti non profiteantur aliquam Regulam, sed eam veluti excludant, vt patet ex forma professionis illorum, nullatenus possunt Religiosi censeri.

61 Nec obstat quod in statutis huius Religionis *c.* 14. relato *n.66.* dicatur debere habere annum probationis. Et in Ordinario *c.39.n.356.* dicitur debere instrui eo anno probationis de principalibus in Regula & constitutionibus contentis nam hic approbationis annus & exercitatio in Regula & constitutionibus prudenter requiri potuerunt ab hac Religione, tum vt probentur eorum mores, & possint & ipsi resilire & à Religione dimitti si ipsis placuerit, tum etiam vt interim pie & religiose viuant & conformiter religiosis cum quibus cohabitant.

62 Ex dictis porro elicitur, Oblatum seu Commissum de quo in præsenti casu agitur, valide saltẽ potuisse contrahere matrimonium, eo quod, vt probatum manet, verus Religiosus non erat, & quia ita supponitur in declarationibus S. Congregat. relatis & colligitur ex Rodriguez *tom. 3. qq. Regul. q.1. art.8.* Couarruuia ab ipso citato Graffio *sup. n.* 87. id referente ex Glossa *in c. vt lex.27.q.1.* Pelizario etiam *sup.*

63 Si demum obiiciatur contra prædicta, quod vt dicitur ab aliquibus Martinus V. in quadam Bulla vocasset huiusmodi Oblatos *Religiosos*. Respondeo me non vidisse talem Bullam etsi magna cum diligentia illam quæsiuissem. Potius vidi aliam eiusdem Martini V. quæ incipit *Etsi cunctorum* & habetur *in tom.9. oper. D. Hieronymi* cum Regula eiusdem S. Doctoris, & apud Tamburinum *de Iur. Abb. tom.2. disp.24 q.7.n.2.* in qua Pontifex statuit quod omnes professores huius Ordinis profiteantur tria sua vota principalia Religionis. Ex quo sequitur huiusmodi Oblatos qui non profitentur tria vota Religionis, vt patet ex forma professionis ipsorum relata non esse *veros professores huius Religionis* ac proinde nec veros religiosos. Pontificis hæc sunt verba: *Statuentes nihilominus harum serie & etiam ordinantes quod de cetero Lupus ipse, eiusque successores Præpositi generales, Priores, monachi, fratres & professores ac Conuentus & Monasteria dicti Ordinis monachorum Eremitarum S. Hieronymi, quæ nunc sunt & erunt in posterum profiteantur vota sua tria principalia Religionis.* Deinde dato nec concesso quod tempore Martini V. præfati Commissi seu Oblati tria illa vota profiterentur, ac per consequens veri Religiosi dici possent nihilominus à tempore Pauli V. qui de anno millesimo sexcentesimo vndecimo, pro decimo die Maij approbauit & confirmauit dictum modum profitendi Commissorum, Oblatorum, seu Donatorum huius Religionis, vbi nihil prorsus habetur de professione trium votorum, dicendum erit iuxta dicta & probata non posse vocari veros Religiosos: ac per consequens valide contrahere posse verum matrimonium. Imo etiam licite si à Prælatis Ordinis fuerint dimissi, vt contigit in casu præsenti.

SVMMARIVM.

Eminentissimorum, DD. Cardinalium prærogatiua maxima. n.1.
Ipsorum varia epitheta. ibid.
Prouinciis, Regnis, Nationibus, & Religionibus Protectores assignantur. ibid.
Dati sunt Religionibus ad earum defensionem. numero 2.
Visio S. Francisci circa illos. ibid.
Ipsorum auctoritas varia pro varietate temporum. numero 3.
An sint iudicandi vt veri Prælati Religiosorum. numero 4.
Quid circa hoc decreuit Greg. XI. ibid.
Possunt DD. Protectores dici aliquo modo Superiores Ordinum quibus præficiuntur. n.5.
Sunt Commissarij Apostolici, Vicarij, Delegati, & Locumtenentes Papæ in his quæ pertinent ad bonum regimen, & gubernium Religionis. ibid.
Maximo honore, amore, & reuerentia prosequendi à Religiosis quos protegunt. n.6.
Illis iure credendum cum dicunt se habere viuæ vocis oraculum à Papa. n.7.
Quando, & quomodo fides adhibenda Cardinalibus in Iure. ibid.
Eorum præcipuum munus est Superiorum auctoritatem conseruare. n.8.
Non debent se immiscere quando Superiores sui Officij debito satisfecerint. ibid.
Possunt suam auctoritatem interponere quando à Superioribus Ordinum requisiti fuerint. numero 9.
Pro conseruatione scilicet auctoritatis Superiorum, coercenda subditorum peruicacia, aut introducenda vita regulari. ibid.
Possunt etiam suam auctoritatem in negotiis Ordinum interponere quando id necessarium fore cognouerint. num. 10.
Ad conseruandum tamen auctoritatem Superiorum, Ordinesque protegendos. ibid.
Monentur adhibere in negotiis Ordinum loco Notarij aliquem ex Regularibus ipsorum. numero 11.
Quibus facultatibus vtantur. n.12.
Protector Carmelitarum amplissimam facultatem habet. n.13.
Etiam Protectores aliorum Mendicantium ea facultate vti possunt. n.14.
Sunt Protectores Mendicantium conseruatores illorum pro omnibus causis quæ contingere possunt. ibidem.
Quando, aut quomodo admittere possint appellationes Fratrum. n.15.
Faciendæ sunt huiusmodi appellationes gradatim. num. 16.
An ex DD. Protectoribus appellari possit ad Sacram Congregationem Regularium. n.17.
An possit licentiam concedere Fratribus veniendi Romam n.18.
An Protectores Mendicantium procedere possint contra

contra asserentes confessos Mendicantibus iterum teneri confiteri Rectori Parochiali. n.19.


An contra illos qui negauerint illis eleemosynam non esse faciendam. ibid.

An hæc potius pertineant ad DD. Inquisitores. ibidem.

Auctoritas Protectorum videtur delegabilis in casibus necessitatis quibus ipsi personaliter assistere non possunt. n.20.

Si autem huiusmodi causæ concernerent visitationem, vel reformationem Religiosorum Religiosis eiusdem Ordinis delegandæ sunt. ibid.

Qualiter beneficia à DD. Protectoribus collata compensari debeant. n.21.



CAPVT IX.

De Dominis Cardinalibus Regularium Protectoribus, eorumque facultatibus, iuribus, & priuilegiis.

1 Eminentiss. DD. Cardinalium prærogatiua maxima est in Ecclesia Dei, vt potè qui summæ dignitatis, videlicet Pontificiæ, *Collaterales* sunt, *& Coadiutores.* S. Bernardus *lib. 4. de considerat. Cardinales Orbis.* Ioann. de Lignan. *in tract. de bello pag.9. Pars corporis Papæ.* Gigas *de pens. quæst.7. num. 12. & 13. Principes terræ.* Canonistæ *in cap. Pastorali 12. quæst. 1. Columnæ Ecclesiæ* Marcus Mantuan. *lib. de Con. num. 64. Lumina Ecclesiæ.* Idem Mantua *ibid. Stellæ Ecclesiæ* Alban. Cardinal. *libro de Cardinalatu quæst. 8. Ecclesiæ Senatores.* Azor. tomo secundo instit. moral. *lib.4.cap.3. quæst. 20. Reges*, vel pro Regibus habendi, Paris de Puteo *in tract. de Syndic. in §. an si Iudex n. 2.* Vnde variis, & honorificentissimis titulis nuncupati nouissimè à SS. D. N. Vrbano titulo *Eminentissimorum* decorati sunt. Quemadmodum autem ex cœlesti Hierarchia administratorij illi Spiritus nedum hominibus, sed Regnis, & Prouinciis Tutelares à Deo conceduntur, vt docent S. Basilius *lib. 4. contra Eunomium.* Theodoretus *orat. 10. in Danielem*, Nazianzenus *orat. secunda de Theologia*, & alij, sic etiam ex terrestri, & Ecclesiastica Hierarchia Cardinales à Papa, prouinciis, Regnis, Nationibus, & Religionibus protectores assignantur.

2 Dati ergo sunt Religionibus à Summis Pontificibus ad earum defensionem, conseruationem, dilatationem, tutelam, & protectionem, vt vel ex nomine ipso Protectorum conspicitur, contra aduersantes præcipuè. Peirinis *de subdito Religioso tom. 1. de obedientia quæst. 1. cap. 18. §. 21. & 3.* Quod belle confirmat S. Francisci Minorum Patriarchæ cœlestis visio qua monitus à Deo est petere sui Ordinis Cardinalem Protectorem à Papa Honorio III. *Vidit* enim *in somnis gallinam pullos plurimos sub alis congregare, à supervolitantibus miluis defendere volentem, nec tamen omnes potuisse, plures que proinde patuisse rapinæ, magnæ vero alterius volucris sub alis pericula subterfugisse.* Expergefactus autem vir Sanctus dum somnij interpretationem peteret à Domino eam ita accepit, *vt intellexerit se per gallinam, Discipulos per pullos, & Cardinalem in Protectorem assumendum per volucrem magnarum alarum demonstrari.* Sic Lucas Vadingus *in annalibus Minor. anno 1217. numero secundo 2. ex legenda trium Sociorum.* Hoc autem munus rectè in eodem Ordine Minorum primus obiuit Cardinalis Hugolinus, postea Pontifex Greg. IX. qui super Minores constitutus factus est, quasi vnus ex eis, nihil tam curans, quam vt à molestiis, & iniuriis vbique terrarum defenderentur, ab Ecclesiarum Prælatis fouerentur, amicè reciperentur, & per vniuersas Orbis Prouincias ad omnium salutem distenderentur. Vadingus *vt supra numero 8.*

Ipsorum auctoritas varia pro varietate temporum, iuxta Pontificum decreta, ipsorum DD. Card. affectum, seu conditionem, rerumque indigentiam fuit, aliquando amplior, aliquando strictior. Prædictus enim Cardinalis Hugolinus primus Minorum Protector quasi summam in Ordinem potestatem exercuit tempore Honorij III. postea tamen Pontifex factus, & Gregorius IX. vocatus eam valde restrinxit, prout etiam fecit Gregorius XI. in Bulla inferius referenda, quod, & postea approbarunt Sixtus IV. & Iulius II. Item Vrbanus IV. amplissimam auctoritatem Protectoribus concessit, illis immediatè Moniales subiiciens, quam etiam postea moderati sunt Martinus V. & Iulius II. De quo Casarubius *in Compend. priuileg. Mendicant. verbo. Protector Ordinis.* Rodriguez *tom. 3. quæst. Regular. quæst. 42. art. 1. & 2.* His autem temporibus standum est tum consuetudini legitimè præscriptæ, tum variis decretis Summorum Pontificum, & Sacrarum Congregationum, quibus eorum auctoritas aliquando declaratur, tum præcipuè litteris quibus Summus Pontifex hoc munus Protectorum eisdem DD. Cardinalibus tribuit, & secundum illa iudicandum in præsenti. 3

Primò ergo videtur dicendum prædictos Cardinales Ordinum Protectores non esse vocandos Prælatos Religiosorum stricto modo, quales sunt Priores, Prouinciales, & Generales, & alij similibus nominibus vocati. Colligitur ex Bulla Gregor. IX. vbi Card. protectori Ordinis Minorũ districtè inhibuit ne se intromitteret in pertinentibus ad officia, & gubernationem, seu correctionem Fratrum dicti Ordinis nisi in certis casibus, & quod Fratres prædicti ad protectorem tamquam ad prælatum pro licentiis, vel aliis similibus gratiis recurrentes punirentur, Casarubius *in Compend. priuil. Mendic. n.1.* Secundò ex Greg. XI. in Bulla *Cunctos Christi*, quæ habetur in 1. tom. Bullarij Cherubini inter Bullas Gregorij *n.4.* quam etiam approbauit, & inseruit Sixtus IV. in alia Bulla *Sacra Minorum* in Bulla. Rodriguez tomo primo in Sixto IV. *numero quinto*, in qua etiam prædictis DD. protectoribus prohibuit statuta Ordinis corrigere, dispensare, seu immutare, prælatos, seu Officiales ponere, aut deponere; ad lecturam, vel gradũ aliquos promouere, aut ab eisdem remouere, de loco ad locum aliquem Fratrem mutare, aut licentiam aliquo eundi impartiri, quemquam punire, aut à pœna liberare, res Ordinis alicui concedere, concessas amouere, de rebus, aut correctione Fratrum, nisi in quibusdã casibus, se aliquatenus intromittere, quæ omnia indicant eos non esse veros Ordinum Prælatos, stricto modo loquendo, quia si tales essent, prædicta negari ipsis non deberent. Nec obstat has limitationes solum pro Protectoribus Ordinis Minorum factas fuisse non pro aliis Ordinum protectoribus. Non solum quia cum prædictæ limitationes factæ sint à Summis Pontificibus in gratiam, & fauorem Minorum, vt ex ipsis Bullis constat, 4

constat & Mendicantes omnes communicatione gratiarum, & priuilegiorum potiantur, saltem omnes Mendicantes, & quicumque alij eorum priuilegiis fruentes, hac etiam gratia frui debent. Sed etiam quia, vt bene Laertius Cherub. 1. tom. Bull. inter Bullas Greg. X I. *num.* 4. notauit aliorum Ordinum protectores maiores his facultates non habent. Tertio id etiam constabit ex litteris protectionis sub Paulo V. & Sanctiss. D. N. Vrbano aliis DD. Protectoribus concessis, de quibus infra, in quibus non nisi ad determinatos casus eorum auctoritatem, & potestatem extendi declaratur. Id denique quarto constat quia is solum stricto modo dicitur Prælatus qui habet ordinariam iurisdictionem in subditos, vt docet Abbas *capite decernimus de iudiciis summ.* 16. *& capite tua nos de cleric. ægrotante.*

5 Possunt nihilominus prædicti DD. Protectores dici Superiores Ordinum quibus præficiuntur, & largo modo Prælati quatenus sunt Commissarij Apostolici Vicarij delegati, & Locumtenentes Papæ in his quæ pertinent ad bonum regimen, & gubernium Religionum modo inferius explicando, pro conseruanda scilicet prælatorum auctoritate, & quando ab ipsis requisiti fuerint, vel ipsi Domini Protectores id necesse esse cognouerint, iuxta inferius dicenda. Omnis enim habens curam animarum aliorum, etsi delegatam, dici potest Prælatus. Glossa *in cap. tua nos de cleric. ægrotante.* Sylvester *in summ. verb. Prælat. n.* 1. [Vnde video Sacram Congregationem Episcoporum & Regularium 22. Februarij, 1636. præcepisse Syluestrinis, vt ordinationes D. Protectoris proponerentur in Capitulo Generali, & quod si sine iusta causa illæ quæ spectarent ad bonum regimen Religionis non acceptarentur, eadem S. Congreg. de remedio opportuno prouisura esset.]

6 Propterea maximo honore, amore, & reuerentia prosequendi sunt à Religiosis quos protegunt, vt pote qui ipsorum tutelæ, patrocinio, & conseruationi à Papa destinati sunt. Hinc in litteris protectionis sub SS. D. N. Vrbano concessis sic habetur. *Mandantes propterea Priori Generali, ac aliis superioribus, necnon vniuersis religiosis personis quibuscumque dicti Ordinis in virtute S. Obedientiæ vt te in eorum Protectorem iuxta tenorem præsentium recipientes, ea qua debent reuerentia prosequantur.*

7 Hinc illis iure credendum, & fides adhibenda quando dicunt se habere viuæ vocis oraculum à Papa. Hoc enim conueniens est muneri quod gerunt, & eorum dignitati, ac auctoritati. Maximè, quia in causis Cardinalibus commissis, & demandatis eorum dicto fides adhibetur. Card. Alban. *tract. de Cardin quæst.* 41. ex Lupo, Baldo, Saliceto, Azor. *tom.* 2. *instit. moral. lib.* 4. *cap.* 3. *dub.* 20. Præsertim tertiò, quia aliis etiam Cardinalibus de stylo Curiæ credendum est, vt tradit Tuschus *v. Cardinalis conclus.* 103. *numer.* 2. De quo Nauarrus *lib.* 1. *consil. de offic. Iud. delegat. cons.* 9. *numero* 7. Farinac. 2. *part. decis. part.* 1. *decis.* 339. Bellamera *conclus.* 635. Mascard. *de probat. conclus.* 269. Peirinis *tom.* 2. *priuileg. Minim. in Constit.* 3. *Gregor. X I I I. num.* 4. Quod limitant plures nisi sit in præiudicium tertij. Abbas *part.* 2. *consil.* 18. *num.* 2. *& cap. quod super de fid. instrum. num.* 5. *& cap. sicut nobis de sent. excommunic. in* 6. Tuschus *vt supra num.* 3. Glossa *in cap. sicut nobis de sent. excommunicat. verbo alio modo*, & alij. Nec obstant dicta *tom.* 1. *capite* 3. *numero* 21. videlicet, quod quamuis Gregor. XV. per suam constitutionem *Romanus Pontifex* anno 1622. reuocauerit omnia viuæ vocis oracula præterquam à DD. Cardinalibus firmata, nihilominus SS. D. N. Vrbanus anno 1631. omnia prædicta viuæ vocis oracula etiam à Cardinalibus firmata cassauit, & abrogauit. Nam in primis hæc reuocatio oraculorum viuæ vocis solum est de illis quæ priuilegia, facultates, licentias, & gratias continent, non de aliis, vt eodem loco dictum est. Quare respectu aliorum integra manet auctoritas Cardinalium, & illis fides adhibenda. Deinde, in prædictis litteris solum est sermo de gratiis, indultis & priuilegiis viuæ vocis oraculo à Sede Apostolica præteritis temporibus concessis, non de iis, quæ in posterum, & in futurum à Summis Pontificibus concedi possunt. Quare saltem respectu istorum procedit tradita doctrina, quod videlicet credendum sit DD. Cardinalibus, præsertim Ordinum Protectoribus, cum dixerint se habere viuæ vocis oraculum à Sanctissimo.

Eorum præcipuum munus in eo situm est, vt Superiorum Ordinum auctoritatem conseruare curent, adeo vt in negotiis eorumdem Religiosorum se non debeant immiscere, quando Superiores ipsorum sui officij debito satisfecerint, ac gubernio, & regimini subditorum sufficienter incubuerint. 8
Sic enim habetur in litteris protectionis sub Paulo V. quas affert Laertius Cherubinus tertio tomo Bull. in Paulo V. *num.* 53. *alias* 34. & sub SS. D. N. Vrbano. [Volumus autem, ac tibi in virtute S. Obedientiæ mandamus, vt Superiorum dicti Ordinis auctoritatem quantum fieri poterit conseruare cures & propterea cum ipsi Superiores eorũ officij debito satisfecerint, ac gubernio, & regimini subditorum sufficienter incubuerint, tu in negotiis eorumdem Religiosorum te non immisceas.] Ex quo à contrario elici videtur, quod cum prædictis DD. Cardinalibus certò constiterit Ordinum Superiores sui Officij debito non satisfacere, aut gubernio, & regimini subditorum sufficienter non incumbere, posse se in negotiis Religiosorum immiscere.

Possunt similiter suam auctoritatem interponere quando à Superioribus Ordinum requisiti fuerint. 6
Sic enim habetur in prædictis litteris protectioni sub Paulo V. & Sanctiss. D. N. Vrbano. Quod intelligo pro conseruatione auctoritatis & iurisdictionis Prælatorum, iuxta dicta, & pro reprimenda, aut coercenda subditorum peruicacia, aut, superbia erga prælatos, aut pro introducenda in Monasteriis vera vitæ Regularis obseruantia, eradicandisuè, aut submouendis abusibus contrariis reformationi.

Item possunt suam auctoritatem in negotiis Ordinum interponere, etiam à Superioribus non requisiti, quando, id necessarium fore cognouerint. 10
Sic enim habetur in dictis litteris protectionis sub Paulo V. & SS. D. N. Vrbano: quo etsi facultas valdè ampla ipsis concedi videatur, limitanda tamen iuxta supradicta, & finem muneris protectoris, qui est conseruare auctoritatem superiorum ordinum, ipsosque Ordines defendere, conseruare, & protegere.

Monentur tamen prædicti DD. Protectores, vt quoties in negotiis Ordinum se immiscuerint, siue à Superioribus requisiti, siue quia id viderint ipsi esse necessarium, per seipsos, quoad fieri poterit, id facere curet adhibito ad scribendum quando opus fuerit in eisdem negotiis, seu causis loco notarij aliquo ex Regularibus dictorum Ordinum. 11

Sic enim habetur in litteris protectoris relatis sub Paul. V. & SS.D.N.Vrb. Quod iure præscribunt Sũmi Pontifices boni nominis Religiosorum zelatores, ne si prædicti DD. Protectores in causis, & negotiis Regularium gerendis, aut scribendis familiaribus propriis, aut aliis sæcularibus pro Notariis, Secretariis, aut Scribis vtantur bona fama Religiosorum denigretur, & Sacri Regulares Ordines apud seculares vilipendantur.

12 Conceditur etiam prædictis DD. protectoribus in dictis litteris sub Paulo V. & SS.D.N.Vrb. concessis vti omnibus facultatibus, iurisdictionibus, honoribus, & oneribus solitis & consuetis, ac quibus alij Protectores vsi sũt, ac vti quomodolibet potuerunt, seu etiam debuerunt. Quæ auctoritas, & facultas licet limitanda sit iuxta dicta, & contenta in prædictis litteris, scilicet pro conseruanda auctoritate superiorum Religionis, & in casu quo ab ipsis requisiti fuerint, vel ipsi protectores cognouerint id esse necessarium, nihilominus postulat, vt explicemus ad quæ extendi possit iure, vel consuetudine.

13 Et primo Cardinalis Protector Ordin. Carmelit. amplissimam facultatem habet circa publicationem priuilegiorum eiusdem Ordinis quæ habentur in Mari magno, & defensionem eorumdem Fratrum, in quibuscumque causis, & contra quoscumque quantumcumque qualificatos, vt patet illis verbis Sixti IV. in Bulla *Dum attenta*, quæ est Mare magnum Carmelitarum, & extat authenticè apud ipsos, & Rodriguez *tom. 1. Bullar. inter Bullas Sixti IV. numero* 37. illis verbis: [Et nihilominus dicti Ordinis Protectori qui pro tempore erit, & cuilibet in dignitate Ecclesiastica constituto, & Metropolitanæ, vel alterius Cathedralis Ecclesiæ Canonico per vniuersum Orbem qui desuper prædicti Ordinis Gloriosissimæ Dei Genetricis semperque Virginis Mariæ de Mõte Carmeli Priores, & Fratres, ac illorum seu ad commodum eorum Romanæ Ecclesiæ syndicos desuper requisitus fuerit per Apostolica scripta insolidum mandamus quatenus per se vel alium, seu alios præmissa, vbi & quando opus fuerit solemniter publicantes, ac eisdem Fratrum Gloriosissimæ Dei Genitricis semperque Virginis Mariæ de Monte Carmeli Ordini, illiusque domibus & professoribus in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes faciant eos pacifica possessione, vel quasi priuilegiorum, & concessionum huiusmodi gaudere, non permittentes eos, seu testamentorum executores, & hæredes prædictos contra illorum tenorem per Ordinarios, & Rectores prædictos, aut quoscumque alios indebitè molestari, aut eis grauamina, iniurias, atque damna inferri, seu quomodolibet irrogari, ac etiam summariè, & de plano sine strepitu, & figura iudicij, sola facti veritate inspecta, contra quoscumque cuiuscumque qualitatis, vel conditionis existant, & quacumque Ecclesiastica etiam Patriarchali, Archiepiscopali, aut Episcopali, aut mundana forent dignitate, & exemptione muniti in quibuscumque causis per eos mouendis, quacumque ratione, vel causa quæ excogitari posset eis ministrent iustitiæ complementum: exequentes quod per eos fuerit ordinatum, & illos quos censuras, & pœnas prædictas incurrisse constiterit illis irretitos esse declarent, & faciant, & mandent interdictos suspensos, & excommunicatos publicè nunciari, & ab omnibus arctius euitari, ac legitimis super his habendis seruatis processibus illos quoties opus fuerit iteratis vicibus aggrauare procurent. Contradictores auctoritate Apostolica, appellatione postposita, compescendo, inuocato ad hoc si opus fuerit auxilio brachij sæcularis. Non obstantibus prædicti Bonifacij VIII. quibus cauetur ne quis extra suam Ciuitatem, & Diœcesim nisi in certis exceptis casibus, & in illis vltra vnam dietam à fine suæ Diœcesis ad iudicium euocetur, seu ne Iudices à Sede Apostolica deputati extra Ciuitatem, & Diœcesim in quibus deputati fuerint contra quoscumque procedere, aut alij, vel aliis vices suas committere præsumant, & de duabus dietis in Concilio generali, necnon quæ incipit Super Cathedram Bonifacij præfati, & dudum Vienn. Concilij, ac recolendæ memoriæ Calixti Papæ III. etiam prædecessoris nostri litteris, aliisque Apostolicis ac etiam in Prouincialibus, & Synodalibus Conciliis editis specialibus, & generalibus, &c.

Circa quæ id primo notandum quod quamuis prædicta facultas solum protectori Carmelitarum concedatur, nec similis reperiatur in aliis litteris, seu Bullis Mare magnum appellatis aliorum Mendicantium, nihilominus etiam protectores aliorum Ordinum Mendicantium, propter communicationem priuilegiorum, dicta facultate vti possunt. Secundò in prædicta concessione protectores constitui Conseruatores Ordinis pro omnibus causis quæ Ordini contingere possunt, vt patet illis verbis, *in quibuscunque causis per eos mouendis quacumque ratione, vel causa quæ excogitari posset eis, ministrent iustitiæ complementum.* Et ideo quæ c. 10. dicentur de facultatibus conseruatorum Religionum etiam suo modo applicari debent ad protectorem. Imo etiam probabile mihi est, quod quamuis auctoritas, & facultas aliorum Iudicum conseruatorum restricta valde, & limitata sit his temporibus propter decretum Sacræ Congregationis Concilij sub Greg. XIII. & constitut. Clem. VIII. & Greg. XV. de quibus cap. 10. auctoritati tamen protectori concessæ in iis litteris nullatenus per illa derogetur, ac proinde in sua vi manere. Ratio est, quia per præfatum decretum Sacræ Congregationis, & constitutiones Clemen. VIII. & Gregor. XV. solum limitatur facultas, & auctoritas concessa Iudicibus conseruatoribus modo communi, & & ordinario à Religiosis designatis, aut deputatis in vim litterarum conseruatoriarum, seu priuilegiorum ipsorum non illa quæ à Papa immediatè sine vlla designatione, deputatione, aut instantia Religionis, protectori conceditur, qualis est ista in præsenti. Præsertim quia cum Cardinalis protector persona sit specialissima nota digna, cum agitur de limitanda ipsius auctoritate, specialis de ipso mentio fieri deberet, quæ non fit in prædictis decreto, & constitutionibus. Imo in constitutione Gregorij XV. pœna suspensionis ponitur conseruatoribus limites suæ auctoritatis excedentibus, quam tamen non incurrere Cardinales nisi de ipsis specialis mentio fiat tradunt Cardinalis Alban. *de Cardinalatu quæstione quadragesimasecunda*, ex Ioan. Andr. Azor. *tom. 2. institut. moral. lib. 4. capite 3. quæst.* 10. 14

15 Possunt etiam prædicti DD. Protectores admittere appellationes Fratrum, qui à suis Superioribus grauati ad illos recurrunt, iuxta dicta *tom. 1. capite 9. numero 4.* Ratio est. quia à Sede Apostolica concessa est Religiosis huiusmodi appellatio, ac per consequens ipsis DD. Protectoribus conceditur eam admittere. Primò enim Gregor. XIII. in Bulla *Quoniam nostro* apud Confettium *in Collectan. litter.*

litter. Apostolic. & priuileg. in Greg. XIII. num. 1. & apud Cherub. *in* 2. *tom* Bullar. Gregor. XIII. *num.* 27. expresse concedit Fratribus Minoribus de Obseruantia, quod *si à Prælatis suis grauati prætendent ad Generalem Ministrum ipsius Ordinis, seu illius Protectorem, aut viceprotectorem in Romana Curia, vel ad Nos, siue Romanum Pontificem successorem nostrum supremum in Ecclesia Dei Iudicem, sicut antiquitus semper consuetum fuit recursum habeant.* Insuper Sixtus V. in Bulla, seu Constitut. *Ad Roman. spectat. in* 2. *tom.* Bullar sub *num.* 71. id supponit dum de Regularibus Romam venientibus, sub prætextu grauaminum dicit: *In alma verò Vrbe nostra Religiosi aduenæ & peregrini de grauaminibus sibi illatis conquerentes nullibi sine huiusmodi litteris, aut licentia recipiendi erunt nisi prius ad Congregationem dictorum Cardinalium super negotiis Regularium à nobis deputatorum, vel ad suos Protectores remittantur, vbi ipsis auditis pro rerum, & personarum qualitate quid agendum sit statuetur.* Clarius à Sacra Congregatione Episcoporum, & Regularium declaratum id est, prout ex Confettio *in Summa priuileg. Maris magni tit.* 6. *de foro competenti* his verbis habetur, [Quoniam nonnulli Regulares vagandi studio, siue dum imminentem admissorum criminum pœnam ex suis constitutionibus, aut alias debitam sibi metuunt, falsa, & commentitia grauamina causati nõ ad immediatè sui Ordinis Superiores, sed à grauamine Prioris ad Prouincialem, à Prouinciali ad Generalem, à Generali ad Protectorem prout cuiusque Religionis constitutionibus disponitur, sed ad hanc Romanam Curiam absque licentia sæpius fugiunt, potius quam recurrant ex quo Ordinum disciplina relaxatur, Prælati contemnuntur, & ipsi in dies audaciores euadunt, placuit Sac. Regularium Congregationi ex ord. Sanctitatis suæ statuere, vt si quis Regularium in posterum temerè, leuivè ex causa hanc almam Vrbem, seu Curiam absque sui Superioris licentia, & supradicta forma prætermissa adire præsumpserit, ad suos eosdem Superiores seueriori pœna plectendus remmittatur.] Maximè pro Carmelitis id declarauit Clem. VIII. in Bulla 110. *in* 3. *tom.* Bullar. illis verbis. *Si se à Prælatis grauari prætendant ad Priorem Generalem ipsius Ordinis, seu illius Protectorem, aut Viceprotectorem in Romana Curia, vel ad Nos siue Romanum Pontificem pro tempore existentem supremum in Ecclesia Dei Iudicem sicut antiquitus semper facere consueuerunt, recursum habeant.* Et idem Pontifex in Bulla *Quoniam noster* ann. 1604. edita, & pro Seruitis in alia Bulla eiusdem initij anno 1593. eisdem verbis. Sorb. *in Compend. priuil. Men. v. appel.* Thomas de Iesu *de visitat. Regul. tract.* 3. *cap.* 17. Peir. *tom.* 1. *de subdito quæst.* 1. *de obedientia cap.* 20. Vbi etiam alia ad intentum.

16 Circa quæ illud aduertendum appellationem hanc ad D. Cardinalem Protectorem faciendam esse gradatim, id est, à Priore, Guardiano, seu immediato Prælato ad Prouincialem, à Prouinciali ad Generalem, & à Generali ad protectorem, tum quia id est, iuri conforme, tum quia ita colligitur ex declaratione S. Congregationis ex Confettio adducta *num. præcedenti*, quod etiam refert Sorbus *in compend. priuileg. Mendicant. verbo appellare*, & Barbosa *in Collectan. Bullar. verb. Religiosus prope finem.* Qualiter autem, aut quomodo permissa sit Regularibus huiusmodi appellatio dicto *tom.* 1. *c.* 9. *à num.* 4. manet dictum.

17 Dubiæ autem quæstionis est, an ex Protectore appellari possit ad S. Congregationem Regularium, cum enim Protector Iudex sit à Papa constitutus in causis Regularium suæ protectionis, videtur quod ex ipso non admittatur appellatio nisi ad Papam. Verumtamen probabilius apparet contrarium, scilicet, à Domino Protectore appellari posse ad S. Congregationem Regularium. Ratio est, non solùm quia, ita dicitur, declaratum à S. Congregatione prout refert Sorbus *in Compend. priuileg. Mendic. verb. appellare.* sed etiam quia Tribunal S. Congregationis institutum est à Sixto V. ad prædictorum Regularium causas nomine Papæ definiendas, & terminandas. Quare quemadmodum ex Protectore ad Papam appellari potest, sic ad eamdem S. Congregationem, quæ eumdem Papam repræsentat. Fauet Thomas de Iesu *de visitat. Regular. tract.* 3. *cap.* 17. *num.* 3. & 7. & pro eo affet declarationem S. Congreg. Regul. Barbosa *in Collectan. Bullar. ver. Religiosus.*

Possunt præterea præfati DD. Protectores concedere, licentiam veniendi Romam Fratribus suæ 18
protectionis. Ita enim concessit Clem. VIII. in decretis pro reformatione Regularium *in* 3. *tomo* Bullar. *num.* 60. quæ etiam edita sunt iussu Pauli V. anno 1607. & confirmata à S. Congregatione Concilij sub SS. D. N. Vrbano in decretis de Apostatis, & eiectis, ibi [Nullos Fratres Romam venire Superiores permittant, nisi prius à Generali, vel Protectore dumtaxat licentiam in scriptis impetrauerint. Si quis autem sine huiusmodi facultate Romam venire præsumpserit, voce actiua, & passiua biennio priuatus existat, subiturum etiam alias arbitratu Superiorum infligendas pœnas, quæ item omnia aduersus eos qui supradictos admiserint, & receperint sine vlla exceptione locum habeant. Vbi etiam adiungitur postea, Decretum illud quo Fratres Romam petere cum Generalis Protectoris licentia dumtaxat permissum est, Sanctitas sua extendi ad Prouincialem decreuit, ita ut Prouincialis ipse ex causa communi totius Prouinciæ dumtaxat facultatem eiusmodi facere valeat, declarauitque pœnam priuationis vocis actiuæ, & passiuæ contra facientibus inflictam, Sanctitati suæ reseruatam esse, interdicta omnino eorum Superioribus singulis, etiam Generali, ac Protectori facultate illam moderandi, ac relaxandi.] Decet autem DD. Protectores, vti hac facultate nisi in casu raro, & Fratres ab ipsis facultatem Romam veniendi postulantes ad Generales remittere, qui ob notitiam quam de Fratribus sui habent melius discernere poterunt an conueniens sit talem facultatem ipsis elargiri.

Item possunt DD. Protectores Carmelitarum, 19
& aliorum Mendicantium procedere contra asserentes quòd confessi Mendicantibus, iterum eadem peccata Rectoris Parochialis Ecclesiæ teneantur confiteri, veluti contra de hæresi suspectos, & contra prædictos Ecclesiarum Rectores, & Ordinarios, qui propter processus, lites, & controuersias inter ipsos, & Fratres Mendicantes exortos, inhibitionem fecerint eleemosynarum illis faciendarum, sicut contra hæreticos. Ita enim habetur ex Sixto IV. in Bulla *Dum attenta*, quæ est Mare magnum Carmelitarum, & extat in 1. tomo Bullarij Rodriguez inter Bullas Sixti IV. *num.* 37. Hæc tamen intelligenda veniunt ex vi prædicti Priuilegij Sixti IV. Si enim in commissione Inquisitorum similes causæ illis sint applicatæ cum reuocatione priuilegiorum Mendicantium, ad Inquisitores prædictos pertinebit de iis iudicare.

20 Auctoritas quam habent Domini Protectores videtur delegabilis in casibus necessitatis, quibus ipsi personaliter assistere non possunt. Colligitur ex litteris protectionis sub Paulo V. & SS. Domino Nostro Vrbano VIII. illis verbis: [Quando autem ab ipsis Superioribus requisitus fueris, vt in eisdem negotiis auctoritatem tuam interponas, vel necesse fore cognoueris, vt eamdem auctoritatem in eisdem negotiis exerceas, tunc id liberè facere possis, sed quoad poteris per te ipsum hoc facere cures.] Expendo enim *quoad poteris per teipsum*, quo sanè denotatur per alium, vel alios id facere posse. Et ratio est, quia, vel prædicta auctoritas est ordinaria, vel delegata, si ordinaria, delegabilis est, quia omnis iurisdictio ordinaria est delegabilis si autem sit solùm delegata, quia illam habent solùm per nominationem, vel delegationem à Papa factam cũ sit non ad causam determinatam, sed ad vniuersitatem causarũ, scilicet, toties, quoties fuerint à Superioribus requisiti, vel id cognouerint ipsi esse necessarium, absdubiè delegabilis etiã erit, quia delegati ad vniuersitatem causarum subdelegare possunt, vt tradunt Glossa *in cap. cum causam de appellat.* Syluester *verbo delegatus num.* 12. In quo id solùm aduertendum quod si huiusmodi causæ concernerent visitationem, vel reformationem alicuius Prouinciæ, vel Monasterij tunc non possunt DD. protectores suas vices delegare aliis quam eiusdem Ordinis Religiosis. Primò quia visitator, seu reformator aliquorum Religiosorum debet esse instructus in Regula ipsorum, vt colligitur *ex cap. Officij de elect.* Concil. Trident. *sess.* 25. *cap.* 21. *de reformat. & Clem.* 1. *de elect.* Secundò, quia sic araretur in boue, & asino contra id quod habetur Deuteron. 22. & expendit Glossa *in dicto capit. Officij de elect. verbo incontinenti.* Tertiò, ex priuilegio Innocent. VIII. pro Cisterciensibus. Rodriguez *tom.* 3. *quæst. Regul. quæst.* 77. *art.* 9. Peirinis *to.* 1. *de subdito Religioso quæst.* 1. *de obedientia cap.* 18. §. 2. vbi plura ad intentum.

21 Quamuis autem in beneficiorum compensationem quæ à DD. Protectoribus Regulares suscipiunt, defensionis scilicet, conseruationis, protectionis, & tutelæ, sacrificia, orationes, & opera satisfactoria pro ipsis offerre Deo debeant, gratitudinis, & obseruantiæ debitæ causa, vt iure propterea in Ordine nostro quotidie in Oratione quadam, quæ post Completorium dicitur pro ipsis totus Ordo Dominum deprecetur. Verumtamen Clem. VIII. in Constitutione de largitione munerum strictè, & sub grauissimis pœnis prohibet Regularibus aliqua ipsis donare, aut pro ipsis excipiendis aliquas pecunias erogare, & illis etiam talia recipere, præcipiens quoque, vt quæ receperint, siue ab aliquo Religioso particulari, siue à prælato, siue à Conuentu, aut toto Ordine sua non faciant, sed ad restitutionem illorum in vtroque foro teneantur, adeo, vt restitutione ipsa realiter non facta, neque etiam in foro conscientiæ absolui possint. Quæ quidem etsi cum grano salis, & epicheia accipienda sint, maximè quia prædicta Constitutio non multum vsu recepta est, laudabilis tamen est modestia plurium prædictorum DD. Protectorum qui eam quasi ad vnguem obseruant, & à propriis familiaribus obseruari faciunt, vt sic enim Religiosis proprietatis, & ambitionis occasio omnino præcluditur.

SVMMARIVM.

Conseruator quis sit, aut dicatur. num. 1.
Est Iudex delegatus à Papa datus ad defendendum aliquos contra manifestas iniurias iudiciali non vtens indagine. ibid.
Aliquando dantur specialiter contra raptores, & prædones. num. 2.
In præsenti autem ad defensionem Regularium. ibidem.
Habent plurimi Regulares facultatem nominandi, seu designandi illos. num. 3.
Priuilegium Sixti IV. pro Carmelitis. ibid.
Priuilegium Pij V. pro Prædicatoribus. num. 4.
An sit reuocatum. ibid.
Priuilegium Iulij II. & Clemen. VII. pro Minimis. num. 5.
Priuilegium Greg. XIII. pro Iesuitis. ibid.
Conseruatores Religionum non sunt ablati per Concil. Trident. num. 6.
Quis sit Iudex ex Trid. sess. 7. *cap.* 14. *num.* 7.
Quid de ipsis Conseruatoribus sentiendum. num. 8.
Possunt ex priuilegiis eligi ad id munus quæcumque personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ. num. 9.
Qui sunt illi, qui habent talem dignitatem. num. 10.
Episcopi, & eorum Superiores eligi possent ex vi dictorum priuilegiorum. num. 11.
Etiam DD. Cardinales. num. 12.
Maximè Protectores Ordinis Carmel. ibid.
Vicarij Generales Episcoporum quoque. num. 13.
Item Prælati, seu Superiores etiam immediati Regularium. num. 14.
Quid tamen de Guardianis Ordinis Minorum. ibidem.
Quid declaratum à Sacra Congregatione pro Superioribus Regularium. ibid.
De aliis, qui nomine dignitatis comprehenduntur. num. 15.
An Canonici etiam. num. 16.
An personatus habentes. num. 17.
Tenentur Conseruatores electi acceptare tale munus. num. 18.
Designato vno Conseruatore pro vna causa non potest alius pro ea nominari. num. 19.
Nec habere pro Conseruatore eum qui est sub eius iurisdictione, Regibus, & Reginis exceptis num. 21.
Conseruatores solùm possunt iure communi contra manifestas iniurias, & violentias procedere. num. 22.
Quæ dicatur manifesta iniuria, aut violentia. ibidem.
Per priuilegia tamen amplior facultas conceditur conseruatoribus. ibid.
An sit hoc tempore id derogatum. ibid.
An extendatur hoc etiam ad iniurias non solùm illatas, sed etiam quæ probabiliter inferendæ timentur. num. 23.
An ad ea, quæ iudicialem requirunt indaginem. n. 24.
An sint ex priuilegiis Iudices Ordinarij. num. 25.
An possint Subdelegatos creare. num. 26.
Quo loco possint exercere suam iurisdictionem. numero 27.
An possint procedere contra Clericos, & Laicos. numero 28.
De quibus causis cognoscere possint. num. 29.
An quando sunt rei, vel etiam actores. num. 30.
An possint cogere Apostatas, & subtrahentes se à iugo Ordinis. num. 31.
Procedantne criminaliter, ciuiliter, vel mixtè. numero 32.

Possunt

Possuntne vti censuris. num. 33.

Conseruatorum auctoritas an impediri possit ab Ordinariis, Legatis à latere. num. 34.

Coarctata est à Sacra Congregatione Concilij iussu Gregorij XIII. facultas Regularium ad eligendum conseruatores. num. 35.

A Clem. VIII. etiam in constitutione Sanctissimus. *num.* 36.

Maximè à Gregor. XV. in Constit. etiam Sanctissimus. *num.* 37. 38. 39. 40. 41. 42. 43. 44. 45. *&* 46.

Quomodo declarata est prædicta moderatio à Sac. Congregatione. num. 47.

Quid Leo X. in Conc. Lateranensi statuerit. num. 48.

Quid tenendum est his temporibus. num. 49.

Eligendi in conseruatores debent esse in dignitate Ecclesiastica constituti. num. 50.

Quid si illam primò habuerunt. ibid.

Vel personatus obtinentes. num. 51.

Canonici Ecclesiarum Cathedralium. num. 52.

Præcipuè tamen ad hoc quod eligantur debent esse prius electi in Iudices Synodales in Conciliis Prouincialibus, aut Diœcesanis. num. 53. *&* 54.

Quas qualitates habere debent hi Iudices. num. 54.

Quamplures Iudices Synodales designandi. num. 55.

Quid si aliquis ex illis moriatur. num. 56.

Quousque duret Iudicis Synodalis officium. ibid.

Quid si absentetur. ibid.

An conseruatores possint suam auctoritatem delegare. num. 57.

Possint facere citationes, & denuntiationes per alios. ibidem.

Quid tenebantur Regulares facere post editam Constitut. Greg. num. 58.

An eo tempore elapso possint etiam conseruatores eligere. ibid.

Non possunt semel legitimè electi durante quinquennio amoueri. num. 59.

Nisi ex causa approbanda à Sede Apostolica, vel Ordinariis. ibid.

Quomodo auctoritas conseruatorum hoc tempore sit coarctata. num. 60.

Non possunt hoc tempore procedere cum Regulares sunt actores in causis ciuilibus. num. 61.

Nec possunt procedere nisi in manifestis iniuriis, seu violentiis. num. 62.

Quare debet apparere primùm iniuriam, seu violentiam esse manifestam. ibid.

Quid si de hoc dubitent. ibid.

Nec possunt procedere iudiciali indagine. num. 64.

Intra quem terminum, seu spatium loci. num. 64.

An procedere possint ad defensionem seruitorum, seu familiarium. num. 65.

Quid de Procuratoribus, & Syndicis Minorum. num. 66.

Quid de defensione bonorum. num. 67.

Pro defensione priuilegiorum. num. 68.

Controuersia inter conseruatores, & Ordinarios quomodo decidenda. num. 69.

Conseruatores excedentes limites suæ iurisdictionis qualiter puniantur. num. 70.

Pars quæ id procurauerit excommunicationem incurrit. num. 71.

Impedientes, vel molestantes conseruatores quam pœnam incurrant. num. 72.

Non est prohibitum Regularibus petere Iudicem à Principibus sæcularibus. num. 73.

Concurrentibus quibusdam conditionibus. ibid.

Potest conseruator recusari, vt suspectus. num. 74.

Appellari potest ab eius sententia. num. 75.

Quomodo munera ab eis non accipienda, & expensæ vitandæ. num. 76.

Quid de Assessoribus, Notariis, & illis personis, quæ vocantur à conseruatoribus ad testimonium perhibendum. num. 77.

De Conseruatorum priuilegiis. num. 78.

Quid declaratum à S. Congregatione circa electionem conseruatorum. num. 79.

Dubia quædam circa præsentem materiam. num. 80.

Responsio ad primum. num. 81.

Ac secundum. num. 82.

Ad tertium. num. 83.

Ad quartum. num. 84.

Ad quintum. num. 85.

Ad sextum. num. 86.

Notandum. num. 87.

Breue SS. D. N. Innocentij PP. X. num. 88.

Præfatio ad ipsum num. 89.

Breue. num. 90.

Monitorium Auditoris Cameræ. num. 91.

Qui monendi. num. 92.

Responsio Reuerendis. P. Generalis Iesuitarum. numero 93.

CAPVT X.

De Conseruatoribus Religionum, seu Regularium personarum.

1 CONSERVATOR secundùm Ius commune est Iudex delegatus à Papa ad defendendos aliquos contra manifestas iniurias, iudiciali non vtens indagine. Ita habetur *in cap. statuimus de offic. Iudic. deleg. in* 6. Azor. *tom.* 2. *lib.* 5. *cap.* 35. *quæst.* 1. Sorbus *in Compend. priuileg. Mendicant. verb. Conseruator. vers. sunt autem.* Dicitur Iudex delegatus, quia Conseruator non est Ordinarius, cum iurisdictio illi concessa non competat ratione officij, sed delegationis. Molina *de iustit. tom.* 6. *disp.* 29. *num.* 1. Barbosa *de offic. & potest. Episcopi alleg.* 76. *num.* 2. Cum quibus aduerte id esse intelligendum nisi in Bulla conseruatoria expressè concedatur, vt conseruator sit Iudex Ordinarius. Dicitur à Papa datus, quia solùm Papæ est hos Iudices Conseruatores designare. Rodriquez *tom.* 1. *quæst. Regular. quæst.* 65 *artic.* 2. Peirinis *tom.* 2. *priuil. Minim. in Constitut.* 5 *Gregorij XV.* §. 1. *num.* 7. Dicitur ad defendendos aliquos contra manifestas iniurias, quia hic est finis per se intentus à iure communi in institutione Conseruatorum, & propterea Defensores etiam vocantur. Sorbus, *vt suprà.* Dicitur verò *iudiciali non vtens indagine* ad denotandum modum quo debet procedere talis Iudex Conseruator in iure communi stando, de quo dicitur in sequentibus, Peirinis, *vt supra* §. 6. *num.* 40.

2 Quamuis autem secundum Ius commune conseruator solùm sit Iudex, vt dictum est, ad defenfendendos aliquos contra manifestas iniurias, nihilominus aliquando datur specialiter, vt defendat aliquos contra raptores, & prædones, aliquando etiam specialiter contra eos qui aliquorum priuilegia infringunt. Innocentius *cap. statuimus de offic. deleg. in* 6. Erasmus Chokier *in tract. de Iurisd. Ordin. in exempt. p.* 1. *quæst.* 39. *num.* 1. Aliquando autem, vt in præsenti materia, item specialiter ad tuendos Regulares ab iniuriis illis illatis, eorum iura, bona, & priuilegia defendendo. Sorbus, *vt supra* §. *tamen Conseruator.* Peirinis, *vt supra* § 1.

§. 1. *num.* 2. Conseruatores ergo prout in præsenti illi dicentur qui dati sunt Regularibus, vt eorum iura, bona, & priuilegia ab iniuriis defendant.

3 Habent enim plurimi Regulares à Summis Pontificibus facultatem nominandi, & designandi Conseruatores, qui ipsorum priuilegia publicent, ac eisdem efficacis defensionis præsidio assistentes faciant eos pacifica possessione priuilegiorum gaudere, non permittentes per quoscumque indebitè molestari. Sic enim concessit Sixtus IV. quatuor Ordinibus Mendicantium. Casarubius *in Compend. priuileg. Mendic. verbo conseruatores Ordinum num.* 1. Rodriguez *tom.* 1. *quæst. Regul. quæst.* 65. *artic.* 3. Verba autem nostri Maris magni, seu eiusdem Sixti IV. Bullæ quibus etiam quid aliis Mendicantibus concessum sit habetur, post relata priuilegia, & indulta Ordini concessa sunt huiusmodi, [Et nihilominus dicti Ordinis Protectori qui pro tempore erit, & cuilibet in dignitate Ecclesiastica constituto, & Metropolitanæ, vel alterius Cathedralis Ecclesiæ Canonico, per vniuersum Orbem qui desuper prædicti Ordinis Gloriosissimæ Dei Genitricis, semperque Virginis Mariæ de Monte Carmeli Priores, & Fratres, ac illorum, seu ad commodum eorum Romanæ Ecclesiæ syndicos desuper requisitus fuerit, per Apostolica scripta insolidum mandamus quatenus per se, vel alium, seu alios præmissa, vbi, & quando opus fuerit solemniter publicantes, ac eisdem Fratrum Gloriosissimæ Dei Genitricis semperque Virginis Mariæ de Monte Carmeli Ordini, illiusque domibus, & professoribus in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes faciant eos pacifica possessione, vel quasi priuilegiorum, & concessionum huiusmodi gaudere, non permittentes eos, seu testamentorum executores, & hæredes prædictos contra illorum tenorem per Ordinarios, & Rectores prædictos, aut quoscumque alios indebitè molestari, aut eis grauamina, iniurias, atque damna inferri, seu quomodolibet irrogari, etiam summariè, & de plano sine strepitu, & figura iudicij, sola facti veritate inspecta, contra quoscumque cuiuscumque qualitatis, vel conditionis existant, & quacumque Ecclesiastica etiam Patriarchali, Archiepiscopali, aut mundana forent dignitate, & exemptione muniri in quibuscumque causis per eos mouendis, quacumque ratione, vel causa quæ excogitari posset eis ministrent iustitiæ complementum: exequentes quod per eos fuerit ordinatum, & illos quos censuras, & pœnas prædictas incurrisse constiterit illis irretitos esse declarent, ac faciant, & mandent interdictos suspensos, & excommunicatos publicè nunciari, & ab omnibus arctius euitari, ac legitimis super his habendis seruatis processibus illos quoties opus fuerit iteratis vicibus aggrauare procurent. Contradictores auctoritate Apostolica, appellatione postposita, compescendo, inuocato ad hoc si opus fuerit auxilio brachij sæcularis. Non obstantibus prædicti Bonifacij VIII. &c.]

4 Specialiter etiam Patres Dominicani à Pio V. in Bulla *Ad hoc nos Deus*, quæ est inter Bullas huius Pontificis *sub numero* 41. priuilegium habent, quo Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, ac aliis personis in dignitate Ecclesiastica constitutis, necnon Metropolitanarum, & aliarum Ecclesiarum Cathedralium Canonicis, & eorumdem Patriarcharum, Archiepiscoporum, & Episcoporum, Officialibus, seu Vicariis hæc scribit. [Et vt Fratres, & Moniales à præmissis, molestiis, & perturbationibus subleuati, quietius Altissimo famulari, & vberiores fructus quotidie in agro Domini, pro Christianæ Religionis defensione, & ampliatione proferre possint, tam vos omnes, & singulos supradictos quam quascumque alias personas in dignitate Ecclesiastica vbilibet, & in quibusuis mundi partibus constitutas, quoscumque locorum Ordinarios, ac eorum Vicarios, & Officiales, necnon Canonicos Metropolitanarum, & aliarum Cathedralium Ecclesiarum per eosdem Fratres, seu Moniales, ac dicti Ordinis Fratrum Prædicatorum Superiores, & domorum Priores, ac eorum singulos pro tempore eligendos, in eorum, & dictorum eorumdem priuilegiorum, indultorum, concessionum, & gratiarum, & singulorum aliorum præmissorum Conseruatores, & Iudices vnicos, qui quamdiu dictum officium exercueritis, & ipsi exercuerint à nemine quo minus illud exerceatis, & exerceant sub aliquo prætextu, ac sub excommunicationis, siue suspensionis à diuinis latæ sententiæ, quam eo ipso incurrere volumus, & declaramus respectiuè pœna impediri, vel molestari possitis, & possint dicta auctoritate deputamus. Ita quod vos, seu alij quicumque sic electi sub excommunicationis, seu suspensionis latæ sententiæ pœna huiusmodi, quam statim quod munus, siue officium Conseruatoris huiusmodi, acceptare, & debitè, ac plenariè exequi neglexeritis, & neglexerint absque alterius declarationis ministerio incurrere volumus, nec ab aliquo quam à Nobis, & pro tempore existente Romano Pontifice (præterquam in mortis articulo) absolui posse, eosdem Priores, Superiores, & Fratres, ac Moniales, etiam tertij habitus oblatos, & alios præfatos, ac eorum singulis aduersus inferentes eis, aut eorum Procuratoribus Agentibus, Seruitoribus, & familiaribus in præmissis, & eorumdem aliquo, molestias, siue perturbationes aliquas, seu iniurias, grauamina, vel damna in personis, rebus, & bonis, seu exigendo ab eis vectigalia, datia, pedagia, gabellas, aut alia onera defendere, perseuerare,] legendum videtur *præseruare, ac omnem eorum iurisdictionem exercere. Necnon sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas contra rebelles, & inobedientes cum effectu promulgare, ac omnibus facultatibus Conseruatoribus dicti Ordinis Fratrum Prædicatorum, illiusque Fratribus, & personis per quascumque litteras Apostolicas, quomodolibet concessas, vti, ac priuilegia Superioribus, Prioribus, & Fratribus, ac Monialibus præfatis pro tempore concessa eis obseruari facere debeatis, & debeant.* Circa quam Constitutionem nota, quod licet videatur reuocata à Gregorio XIII. in Bulla *In tanta*, quæ est 9. inter Constitutiones Gregorij, vt expresse asserit Lauretus de Franchis in Controuersiis Episcop. & Regular *sup. dictam Bullam Gregorij pag. mihi* 14. cum ibi reuocet Pontifex quascumque Constitutiones à Pio V. editas in fauorem quorumcumque Regularium etiam Mendicantium, nihilominus quia forsan hæc reuocatio à Gregorio facta solùm est accipienda quoad ea, quæ contra Concilium Tridentinum concesserat Pius, iuxta dicta *num.* 16. vel saltem non alio modo est recepta, ideo hanc concessionem Pij V. quoad Iudices Conseruatores non omittendam duxi.

Item Iulius II. Minimis concessit in Bulla *Alias venerabilem* anno 1507. edita, quæ est apud Peirinis *tom.* 1. *priuileg. Minim. inter Constit. Iulij II. num.* 4. *Quod Fratres, dicti Ordinis Conseruatores Minimorum etiam Canonicos Cathedralium Ecclesiarum, & Officiales, ac Vicarios ipsorum* 5

eligere

eligere, & quod tales in Conseruatores taliter per eos electi, ex nunc per nos deputati censeantur, possint, que contradictores quoscumque excommunicare, & censuras iteratis vicibus, aggrauare, ac loca quacumque Ecclesiastico subiicere interdicto, ac omnia alia quæ possunt Conseruatores, ab aliis Fratribus aliorum Ordinum Mendicantium, iuxta priuilegia eis super hoc concessa electi. Et Clemens VII. in Bulla *Conquestionem* anno 1524. edita, apud eumdem Peirinis *tom.* 1 *priuil. Minim. inter Constitutiones Clem. VII. num.* 1. magnam etiam concessionem eisdem Minimis fecit. De aliis etiam Priuilegiis circa hoc Religionibus concessis, Barbosa *de offic. & potest. Episcopi allegat.* 106. *num.* 52. Ac tandem Gregorius XIII. in Bulla *Æquum reputantes*, quæ est inter Bullas huius Pontificis *in* 2. *tom. Bullar. num.* 1. amplam valdè circa hoc Societati Iesu concessionem fecit, de qua minutatim plura in sequentibus dicetur aduertendo Religiones habentes communicationem priuilegiorum omnium aliorum Ordinum frui priuilegiis Societatis quamuis tempore posterior ipsis sit, iuxta dicta *tom.* 1. *cap.* 3. *num.* 17. Imò specialiter Religiones non habentes Conseruatores posse illos eligere, si habeant communicationem priuilegiorum cum aliis Conseruatores habentibus declaratum dicitur à Sac. Congregatione, Barbosa *in Collectan. Bullar. verb. Conseruator.*

6 Nec conseruatores Religionum, aut ipsorum priuilegia per Concil. Trid. ablata sunt. Constat enim Concilium *sess.* 7. *cap.* 14. supponere quòd Regulares extra Monasterium degentes, etiamsi in partibus Iudicem habeant, conueniri debeant in ciuilibus causis mercedum, & miserabilium personarum coram Ordinariis, in aliis tamen locis coram Iudice (Conseruatorem intellige secundum quosdam) si illum habuerint. Clarius *sess.* 14. *cap.* 5. vbi cum magnam limitationem adhibuisset circa conseruatores, & eorum facultatem, postea declarat se non loqui de locis, aut personis Regularibus. Similiter cum *sess.* 14. *cap.* 20. voluisset causas omnes ad forum Ecclesiasticum quomodolibet pertinentes in prima instantia coram Ordinariis locorum cognoscendas, nihilominus S. Congregatio Concilij declarauit non propterea sublatos esse conseruatores. Peirinis *tom.* 2. *priuil. Minim. in constit.* 5. *Greg. XV.* §. 1. *num.* 4. Barbosa *de officio, & potestat. Episcop. alleg.* 106. *num.* 42. & 43. & alij apud ipsos.

7 Dixi autem per Iudicem de quo sermo est in Conc. Triden. *sess.* 7. *cap.* 14. intelligi (secundùm quosdam) conseruatorem quia re vera conformius textui est ibi non loqui Concilium de Iudice conseruatore, sed de alio Iudice Apostolico designato pro Religiosis extra claustra degentibus, ac proinde ex mente Concilij Regulares extra claustra degentes conueniri debere coram Ordinariis in causis ibi designatis. Rodriguez *tom.* 1. *quæst. Regul. quæst.* 65. *artic.* 13. §. *secundo est notandum.* Barbosa *de offic. & potest. Episcop. allegat.* 106. *num.* 43. Vide dicta *tom.* 1. *cap.* 11. *num.* 10.

8 Ex harum igitur Religionum priuilegiis inferri potest doctrina circa materiam horum conseruatorum, earumdem, & aliarum, quæ cum ipsis communicationem priuilegiorum habent. In qua primum dicetur de eo quod tum iure communi, tum ex priuilegij Regularium conseruatoribus ipsi competit. Postea verò de eo in quo moderatio facta est maximè post Gregor. XV. Constitutionem *Sanctissimus* de qua infra.

9 Primo igitur circa qualitatem horum in Iudices conseruatores eligendorũ constat ex prædictis priuilegiis posse tale munus exercere quamcũque personam in Ecclesiastica dignitate constitutam. Sic enim habetur in prædicta Bulla Sixti IV. verbis allatis *num.* 3. & in Bulla Pij V. verbis relatis *n.* 4. ac Clement. VII. pro Minimis, ac demum Gregor. XIII. pro Iesuitis. Qualiter autem hoc non sufficiat post Constit. Greg. XV. editam inferius dicetur.

Cum autem iuxta dicenda *cap.* 13. *num.* 2. dignitas sit administratio (intellige rerum Ecclesiasticarum) cum iurisdictione, in hoc enim distinguitur à personatu, quod personatus, vt ibidem dicetur, est præeminentia, seu præcedentia sine iurisdictione. Ideo omnes illi qui talem administrationem, cum iurisdictione habuerint eligi poterunt in Conseruatores. Moneta *de conseruatoribus cap.* 5. *quæst.* 7. *num.* 84. Peirinis *tom.* 8. *priuileg. Minim. in constitut.* 5. *Gregor. XV.* §. 2. *num.* 8. 10

Ex quo sequitur Episcopos, & ipsorum Superiores, scilicet Archiepiscopos, Primates, & Patriarchas, & etiam Abbates posse eligi ex vi prædictorum priuilegiorum Religionum in Iudices Conseruatores, non solùm quia sunt personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ sed etiam, quia ad illos diriguntur aliquæ ex prædictis literis conseruatoriis, videlicet illæ Clem. VII. pro Minimis, & Pij Quinti pro Dominicanis, in litteris autem Gregor. XIII. pro Iesuitis expresse fit mentio de Episcopis, & Archiepiscopis Moneta *de conseruatoribus cap.* 5. *quæst.* 6. *num.* 79. & 80. [Id etiam quod attinet ad Episcopos constat ex quadam declaratione Sacræ Congregationis Episcoporum & Regularium pro 2. Decembris 1642 quam vidi, & de iis omnibus id tenet Tamburinus de Iure Abbatum *tom.* 3. *disp.* 17. *quæst.* 1. *num.* 11.] 11

Imò etiam DD. Cardinales ex vi prædictorum priuilegiorum in Iudices Conseruatores eligi possunt. Quia etsi expresse non nominentur in illis, cum tamen maximam habeant dignitatem necesse est inter dignitates habentes comprehendi. Moneta *de conseruatoribus cap.* 5. *quæst.* 3. *à num.* 3?. Peirinis *tom.* 2. *priuileg. Minimor. in constitut.* 5. *Gregor. XV.* §. 2. *num.* 12. Imò Cardinales Protectores Carmelitarum, & eorum, qui cum ipsis communicationem priuilegiorum habent, sunt ipsorum conseruatores Ordinariis, iuxta dicta cap. præced. *num.* 13. & 14. 12

Sequitur etiam Vicarios Generales Episcoporum posse esse ex vi iuris communis, & prædictorum priuilegiorum Iudices conseruatores, cum sunt personæ in dignitate constitutæ, & ad illos dirigantur litteræ conseruatoriæ Clem. VII. relatæ pro Minimis, dum dicitur: *Necnon eorumdem Archiepiscoporum, & Episcoporum Officialibus, seu Vicariis in spiritualibus Generalibus*, pariter etiam nominentur in litteris Pij Quinti pro Dominicanis dum dicitur: *Et quoscumque locorum Ordinarios, ac eorum Vicarios, & Officiales*, ac in Bulla Gregor. XIII. pro Iesuitis. Rodriguez *tom.* 1. *quæst. Regular. quæst.* 65. *artic.* 3. & alij apud Barbosam *de offic. & potest. Episcopi allegat.* 106. *num.* 13. Esto autem hoc non esset verum ex vi iuris communis, vt plures auctores apud ipsum Barbosam relati satis probabiliter defendunt, ex vi tamen priuilegiorum, quæ adducta sunt, id est certum. 13

Similiter, ex vi iuris communis, & prædictorum priuilegiorum, eligi possunt in Conseruatores Regularium Prælati, seu Superiores etiam immediati ipsorum Regularium, v. g. Priores, Guardiani, 14

ni, &c. Ratio est, quia etiam illi sunt personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ, eorum enim munus est dignitas, iuxta dicenda *capit.* 13. *num.* 2. Accedit quod prædictæ litteræ conseruatoriæ Clementis VII. pro Minimis diriguntur etiam ad Priores, quo etiam videntur denotari Superiores immediati conuentuum religiosorum. Rodriquez *tomo* 1. *quæst. Regul. quæst.* 65. *art.* 3. Peirinis *tom.* 2. *priuileg. Minimor. in constitut.* 5. *Gregorij XV.* §. 2. *num.* 11. [Tamburinus *supra quæst.* 4. addens ad id non requiri licentiam alterius superioris, nec vtilitatem aliam Monasterij, præter eam quæ est communis omnium, quod ipsorum conseruatores potius sint Regulares, quàm sæculares.] Dixi tamen ex vi iuris communis, & prædictorum priuilegiorum, primò quia forsan Guardianis, seu Prælatis Minorum, id est prohibitum à Clemente V. in Clement. *Exiuit de Paradiso*, vt tractat Rodriguez *ibid.* Secundò quia à Sacra Congregatione Cardinalium negotiis Episcoporum, & Regularium præpositorum Archiepiscopo Turritano interroganti an Regulares vnius Conuentus, Monasterij, vel domus aliquem Priorem, seu Guardianum, vel quemuis alium quauis dignitate Regulari fulgentem in suum Conseruatorem eligere, vel deputare possent, responsum est, non posse, Barbosa *de offic. & potest. Episcop. alleg.* 106. *num.* 15. (Vbi nota falsò referri hanc declarationem ab eodem Barbosa *in Collectan. Bullar. verb. Conseruator*, vt credo errore Typographi.) Gauantus *in Manual. Episcoporum verbo Conseruatores.* Erasmus Cokier *de iurisdict. Ordinarior. in exempt. par.* 1. *quæst.* 39. *num.* 5. Video tamen Abbati Ordinis Oliuetani concessum esse à Sac. Congregatione posse eligi in conseruatorem si Episcopus in Synodo eum deputauit Iudicem synodalem. Barbosa *in Collec. Bullar. verb. Abbas Oliuetanus* 6. *& v. conseruator.*

15 Infertur etiam Archidiaconum, Archipresbyterum, Primicerium, Præpositum, & Decanum Ecclesiarum, imò etiam Vicecancellarium Papæ, Camerarium, Summum Pœnitentiarium, Clericos Cameræ, Auditorem Curiæ causarum dictæ Cameræ, Auditores Rotæ, Referendarios, & Protonotarios eligi posse, tum iure communi, tum ratione prædictorum priuilegiorum, in conseruatores, si quidem hi omnes habent dignitatem Ecclesiasticam. Moneta *de Conseruatoribus cap.* 5. *quæst.* 7. Peirinis *tomo secundo priuileg. Minim. in constitut. Gregor. XV.* §. 2. *num* 15. & 17. Barbosa *de offic. & potestat. Episcopi allegat.* 106. *num.* 3.

16 Canonici etiam saltem, ex vi prædictorum priuilegiorum eligi possunt in conseruatores, esto canonicatus nec dignitas, nec personatus esset, de quo alias. Nam in prædicta Bulla Sixti IV. pro Carmelitis verbis *supra num.* 3. relatis dicitur: *Et Metropolitanæ, vel alterius Cathedralis Ecclesiæ Canonico, &c.* & Bulla Clement. VII. pro Minimis dirigitur etiam ad Metropolitanarum, & aliarum Cathedralium Ecclesiarum Canonicos, quod idem habetur in Bullis Pij V. pro Dominicanis, & Greg. XIII. pro Iesuitis, Rodriguez *tom.* 1. *quæst. Regular. quæst.* 65. *art.* 2. Barbosa *de offic. & potest. Episcopi alleg.* 106. *num.* 11. De quibus autem canonicis, id sit intelligendum, maximè post constitutiones Clement. VIII. & Greg. XV. ex dicendis *num.* 52. constabit.

17 Quamuis autem in dignitate Ecclesiastica constituti eligi valeant in conseruatores Religionum, tum iure communi, tum propter priuilegia adducta, personatus autem, seu personatus habentes non videtur posse eligi in conseruatores à Regularibus ex priuilegiis ipsorum. Ratio est, quia etsi iure communi *cap. vltim. de offic. & potest. Iudic. delegat. in* 6. id fieri possit, nullum tamen ex priuilegiis adductis, nec alia, quæ viderim mentionem de ipsis facit, quo denotari videtur excludi ab hoc munere à Summis Pontificibus respectu Regularium. Quid tamen dicendum sit post tempora Clement. VIII. & Gregor. XV. dicetur inferius. [Illi etiam Regulares, qui Superiores, Vicarij, seu Priores Claustrales vocantur, qui videlicet in suis Monasteriis habent supra se alium superiorem localem, cum non sint personæ in dignitate constitutæ eligi nequeunt in conseruatores, Tamburinus *supra quæst.* 4. *num.* 7. ex Rodriguez, Miranda, Passarello, Moneta, & Peirinis.]

Tenentur conseruatores electi à Regularibus acceptare tale munus non solùm ex charitate ad euitandas iniurias, & violentias illis illatas, seu inferendas, sed etiam ex speciali mandato Summorum Pontificum, qui id ipsis præcipiunt, & aliquando sub grauibus pœnis. Etenim Iulius II. id præcipit sub pœna excommunicationis personis requisitis à Fratribus Minoribus. Similiter Leo X. in fauorem Mendicantium districtè id præcipit conseruatoribus ab ipsis requisitis. Clarius Pius V. in conseruatoria Dominicanorum relata conseruatoribus ab ipsis electis, idem præcipit sub excommunicationis, & suspensionis latæ sententiæ pœna, soli Papæ reseruata. Quare rei erunt peccati mortalis, nisi aliqua graui causa excusentur, non acceptantes tales conseruatorias. Rodriguez *tom.* 1. *quæst. Regular. quæst.* 65. *artic.* 4. Peirinis *tom.* 1. *priuil. Minim. in Constit.* 4. *Iulij II. num.* 30. Nota tamen conseruatorias has litteras Pij V. pro Dominicanis non esse certæ auctoritatis propter dicta *supra num.* 4. 18

Designato autem vno conseruatore pro vna causa non potest pro ea alius nominari, quia iam talis persona nominata auctoritatem habet ad illam causam à Sede Apostolica; & propterea non potest illa priuari (intellige sine graui ratione de nouo vrgenti.) Rodriguez *tom.* 1. *quæst. Regular. quæst.* 65. *artic.* 5. Nauarrus *lib.* 1. *consil. de Offic. Iudic. delegati.* 19

Licet aliqui credant conseruatoris officium extingui, & expirare per obitum concedentis, quoad negotia non cepta, Chokier *de iurisdict. Ordinar. in exempt. punct.* 1. *quæst.* 39. *num.* 14. Barbosa *de offic. & potest. Episcop. allegat.* 106. *num.* 50. In Religionibus tamen, ad earum priuilegia attendendo, non cessat munus conseruatorum ob mortem Papæ concedentis, quia eliguntur virtute concessionis factæ Religioni, quæ est perpetua, vnde tale priuilegium est reale non personale, & ita vsus obtinuit. Rodriguez *tom.* 1. *quæst. Regul. quæst.* 65. *art.* 6. Miranda *in Man. tom.* 2. *quæst.* 47. *artic.* 6. Nota tamen etiam quoad hoc derogata videri priuilegia Religionum his temporibus post constitutionem Greg. XV. de qua inferius, eo quod per illam innouetur Constitutio Bonif. VIII. quæ incipit. *Hac Constitutione* seu *cap. fin. de offic. & potest. Iudic. delegati in* 6. vbi habetur [officium quorumcumque conseruatorum quoad non cepta negotia per obitum concedentis, expirare.] Nihilominus tamen dici potest in hoc cap. solùm esse sermonem de Conseruatoriis personalibus concessis priuatis personis, non de realibus concessis Religionibus, hæc enim censentur perpetuæ, (Miranda, *vt supra*) ac per consequens non esse hoc reuocatum per dictam 20

ctam constitutionem Gregor. XV. præsertim quia in illa supponitur Regulares sibi eligere, seu assumere Conseruatores, & præcipitur, vt durante quinquennio à die deputationis amoueri, aut mutari non possint, nulla facta mentione de obitu Papæ concedentis priuilegia ad tales electiones faciendas.

21 Nemo potest iure communi esse conseruator sui conseruatoris, nec habere pro conseruatore eum qui est sub eius iurisdictione, dominio, vel districtu Ecclesiastico, vel temporali. Regibus, & Reginis exceptis. Ita enim deciditur expressè *in dict. cap. vltim. de offic. & potest. delegat. in 6.* Erasmus Cochier *de iurisdict. Ordin. in exempt. punct.* 1. *quæst* 39. *num.* 3. Barbosa *de offic. & potest. Episcop. allegat.* 105. *num.* 14. Vnde mirum mihi est in Hispania (vbi absque vllius nationis iniuria sapientissimi vigent Doctores) vidisse quosdam Prælatos Regulares qui ad inuicem munus conseruatorum exercebant. Etsi enim priuilegia admittant electionem cuiuscumque personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ, intelligi tamen id debet, iuxta conditiones à iure communi requisitas, quarum vna est quod vnus non sit Conseruator sui Conseruatoris.

22 Prædicti Conseruatores attento iure communi, & seclusis particularibus priuilegiis solùm possunt procedere contra manifestas iniurias, & violentias. Ita enim deciditur *cap.* 1. *& vltim. de offic. & potest. delegat. in 6.* Dicitur autem manifesta iniuria illa, quæ per facti euidentiam ita notoria est, vt examinatione non egeat, vel si egeat, probari tamen potest clarè, & certitudinaliter per multos testes, ita vt negari non possit. Tuschus. v. manifestum *conclus.* 75 *num.* 7. Ioann. Monach. *cap.* 1. *n.* 3. *de iudic. deleg.* Violentia verò dicitur, iniuria cum vi, & impetu personis, vel rebus facta. De qua, & quod quintuplex sit vide Menoch. *in prælud. de recuperand. possess. à num.* 38. Vide *etiam* Tuschum v. vis, & violentia *conclus.* 214. Nihilominus amplior, & extensior facultas conceditur conseruatoribus Religionum per priuilegia adducta. Verbis enim Sixti IV. pro Carmelitis adductis mandatur ipsis conseruatoribus *ne permittant eos indebitè molestari, aut eis grauamina, iniurias atque damna inferri, seu quomodolibet irrogari.* Similiter in Bulla Conseruatoria Clementis VII. pro Minimis dicitur. *Ne permittatis eosdem super libertatibus, priuilegiis, indultis, rebus, & bonis prædictis, ab eisdem, & quibuslibet aliis indebitè molestari, vel eis grauamina, vel damna, seu iniurias irrogari, aut coram quibuscumque Iudicibus Ordinariis, vel delegatis, etiam Apostolicis, quauis occasione, vel causa etiam criminali eosdem Fratres trahi, &c.* Item in Bulla Pij V. pro Dominicanis supra etiam relata (etsi eam certæ auctoritatis non esse dictum sit *supra numero* 4.) prædictis Conseruatoribus præcipitur, vt eos defendant aduersus inferentes eis *molestias siue perturbationes aliquas, seu iniurias, grauamina, vel damna in personis, rebus, & bonis, &c.* In Bulla etiam Greg. XIII. pro Iesuitis relata amplissima facultas eisdem Conseruatoribus conceditur, videlicet *de quibuslibet molestiis, iniuriis, damnis nunc præsentibus, & futuris.* Ex quibus habetur eos posse cognoscere de omnibus causis tam manifestis, quam non manifestis. Farinacius 2. *part. decis.* 616. *num.* 3. & 4. Peirinis *tom.* 2. *priuileg. Minim. in Const.* 5. *Greg. XV.* §. 6. *num.* 34. & 48. Constabit autem ex dicendis *n.* 62. qualiter id his temporibus moderatum sit.

Extenditur hoc ad iniurias non solùm illatas, sed etiam ad illas, quæ probabiliter inferendæ timentur. Quia defensoris munus vtrasque respicit. Et ita in priuilegio illo Sixti IV. pro Carmelitis vniuersaliter, & indefinitè dicitur non permittendum eos *indebitè molestari, aut eis grauamina inferri* quod tam de futuris, quam de præteritis iniuriis verificatur. Clarius in conseruatoria Clem. VII. pro Minim. est sermo de *damnis præsentibus, & futuris.* Quod idem habetur in conseruatoria Gregor. XIII. pro Iesuitis. Molina *tom.* 6. *disp.* 29. *num.* 2. Miranda *tom.* 2. *Manual. Prælat. quæst* 47. *artic.* 7. Vnde potest conseruator si videat aliquos paratos cum armis ad damnificandum aliquod Monasterium in illos excommunicationem ferre, vt desistant. Azor *tom.* 2. *lib.* 5. *cap.* 34. *quæst.* 7 Barbosa *de offic. & potestat. Episcop. allegat.* 106. *num.* 34. 23

Similiter quamuis prædicti conseruatores stando in iure communi non possint cognoscere de iis quæ iudicialem requirunt indaginem (id est quæ requirunt causæ cognitionem, & examinationem propter eius dubietatem. Glossa *in cap.* 1. referendo,) vt habetur expressè, *cap.* 1. *& vltim. de offic. & potest iudic. delegat. in* 6. vt propterea dicto capit. vltim. pœna suspensionis per annum puniantur, qui oppositum fecerint, & colligitur ex dictis: si enim ius cōmune solùm permittit quod conseruatores iudicent de manifestis iniuriis, & violentiis, cum manifestum non indigeat iudiciali indagine, seu examinatione, ideo consequenter non permittit illos cognoscere de iis, quæ iudicialem requirunt indaginem, quia hæc non sunt manifesta, sed dubia. Nihilominus ex priuilegiis aliquorum Regularium maior, & amplior auctoritas aliquibus conseruatoribus conceditur. Specialiter ex illo Clem. VII. pro Minimis vbi dicitur debere illos facere iustitiæ complementum prædictis Minimis *in illis videlicet, quæ iudicialem requirunt indaginem summarie, simpliciter, & de plano sine strepitu, & figura iudicij, in aliis verò prout qualitas eorum exegerit.* Similiaque habentur in Bulla conseruatoria Iesuitarum à Greg. XIII. data de qua *supra num.* 5. Vbi manifestè supponit conseruatores procedere posse iudiciali indagine, & quocumque alio modo necessariò. Nec incongruè idem etiam elicitur ex illis verbis Sixti IV. pro Carmelitis relatis *num.* 3. *ac etiam summariè, & de plano, sine strepitu, & figura Iudicij.* Verbum enim illud *ac etiam* denotare videtur conseruatoribus tribui facultatem procedendi in defensione Carmelitarum prout qualitas causæ exegerit, *ac etiam de plano, &c.* Esto autem hæc verba alium habere possent sensum, tamen propter communicationem priuilegiorum qua gaudet prædicti Carmelitæ concessione Clem. VII. & Gregor. XIII vti valerent. Sorbus *in compend. priuil. Mendicant. verbo Conseruatores* §. *tamen Conseruator.* Quo modo autem etiam circa hoc moderata sit conseruatorum iurisdictio his temporibus infra *num.* 63. dicetur. 24

Pariter etiam quamuis communi iure conseruatores sint solùm Iudices delegati, iuxta dicta *supra num.* 1. ex priuilegiis tamen aliquorum Regularium sunt Iudices Ordinarij. Primò, quia in repetita Bulla Greg. XIII. pro Iesuitis tales expressè vocantur. Secundò, quia in prædictis priuilegiis conceditur conseruatoribus facultas ad delegandum suam auctoritatem, ille autem qui delegare potest Ordinarius vel quasi est. Id verò patet in illis verbis Sixti IV. pro Carmelitis in Bulla sæpius relata *per se, vel alium, vel alios.* Et in Bulla Clem. VII. 25

pro Minimis illis verbis, *per vos, vel alium, seu alios.* Ac in conseruatoria Greg. XIII. pro Iesuitis verbis illis, *per se, vel alium, seu alios.* Tertiò quia aliqui saltem illorum dantur ad vniuersitatem causarum. Iudex autem ad vniuersitatem causarum designatus Ordinarius est, iuxta dicenda *capit.* 13. *numero* 16. At verò Iudices conseruatores aliquorum Regularium ad vniuersitatem causarum designatos esse, constat ex illis verbis Sixti Quarti pro Carmelitis *in quibuscumque causis per eos mouendis quacumque ratione, vel causa quæ excogitari posset eis ministrent iustitiæ complementum.* Idem etiam colligitur ex conseruatoria Clem. VII. pro Minimis, & Pij V. pro Dominicanis, ac Gregor. XIII. pro Iesuitis. Moneta *de conseruatoribus capit.* 1. *num.* 11. *& cap.* 7. *num.* 40. Barbosa *de offic. & potest Episcop. allegat.* 106. *num.* 2. *&* 3. Vnde non erit necesse quod in citationibus inserant litteras Conseruatorias, sed sufficiet instar aliorum Iudicium Ordinariorum, quod de eis constet in actis Notarij Curiæ Ordinarij. Peirinis *tomo* 2. *priuileg. Minim. in Constitut.* 5. *Gregor. I V.* §. 1. *num.* 2.

26 Præterea, quod ex dictis sequitur, quamuis conseruatores secundùm ius commune Subdelegatos creare non possint, conseruatores tamen quorumdam Regularium, quorum priuilegia *num. præced.* sunt relata, & aliorum, qui cum ipsis communicationem in priuilegiis habent, Subconseruatores instituere possunt. Tum ex dictis priuilegiis, tum ex eo quod, vt ibidem dictum est, sunt Ordinarij. Vnde *in cap. final. de offic. & potestat. iudic. delegat. in* 6. expressè dicitur. *Vices suas nulli alij committere possint, nisi hoc eis competierit ex beneficio litterarum.* Moneta *de Conseruatoribus cap.* 7. *quæst.* 2. *num.* 58. Rodriguez *tom.* 1. *quæst. Regular. quæst.* 65. *art.* 10. Huiusmodi autem Subconseruatores debent habere omnes conditiones pro Conseruatoribus requisitas. Ita enim colligitur *ex cap. statutum* §. *in nullo de rescript. in* 6. Glossa *ibidem verb. designatis*, & Glossa *in cap. fin. de offic. & potest. iudic. delegat. in* 6. *verbo superius*, vbi inquit, *subdelegatus talis esse debet, qui possit delegari.* Peirinis *tom.* 2. *priuil. Minim. in Constit.* 5. *Gregor. X V.* §. 2. *num.* 5. [Nota tamen me vidisse declarationem Sacræ Congregationis Episcoporum, & Regularium pro 2. Decembris 1642. qua declarauit non potuisse conseruatorem PP. Cœlestinorum elegisse pro sui absentia quendam Subconseruatorem. Sed quia non constat an, id declaratum sit à Sacra Congregatione propterea quod ille Subconseruator non habuerit prædictas conditiones, aut quia PP. Cœlestini non potiantur tali priuilegio, ideo dum de eiusdem Sacræ Congregationis mente non constiterit, sustineri debet sententia quam adduximus, scilicet, Conseruatores quorumdam Regularium posse Subdelegatos constituere. Prout tenent non solùm Authores relati, sed etiam Miranda, Sorbus, & Passarellus, quos refert & sequitur Tamburinus *supra quæsit.* 1. *num.* 6.]

27 Insuper licet stando in eodem iure communi conseruatores nequeant suum munus exercere, nisi *intra Ciuitates, seu Diœceses in quibus deputati fuerint.* Quia ita habetur *in cap. vltim. de offic. & potest. iudic. delegat. in* 6. nihilominus ex dicta conseruatoria Gregor. XIII. pro Iesuitis, & Clem. VII. pro Minimis colligitur posse extra dictas Ciuitates, & Diœceses contra delinquentes procedere. Ponitur autem in eis terminus, dummodò, id non sit vltra tres dietas Sorbus *in Compend. priuileg. Mendicant. verb. Conseruatores Ordinis* §. *item Conseruator.* Peirinis *tom.* 2. *priuileg. Minim. in Const.* 5. *Gregor. X V.* §. 6. *num.* 48. Est autem vna dieta iter vnius diei, id est, viginti miliaria. Portellus *in Dub. Regular. verb. conseruatores num.* 5. A quo autem spatio computandæ sunt istæ dietæ, vide Rodriguez *tom.* 1. *quæstionum Regular. quæst.* 65. *artic.* 7. Qualiter etiam hoc limitatum sit Constit. Gregor. X V. inferius *num.* 64. dicetur.

Neque solùm possunt in prædictis causis conseruatores contra Clericos procedere, sed etiam contra laicos. Verba enim illa Sixti I V. *cuiuscumque qualitatis, & conditionis*, & illa Clementis V I I. *ab eisdem, & quibuslibet aliis*; ac illa Gregor. X I I I. *à quibuscumque personis tam Regularibus, quam Ecclesiasticis*, valde vniuersalia sunt, etiam laicos comprehendentia. Rodriguez *tom.* 1. *quæst. Regular. quæst.* 65. *artic.* 11. Miranda *tom.* 2. *quæst.* 47. *artic.* 7. *conclus.* 3. 28

Item possunt ex vi prædictorum priuilegiorum cognoscere de omnibus causis tam criminalibus, quam mixtis atque ciuilibus. Propter vniuersalitatem illorum verborum Sixti I V. pro Carmelitis, *In quibuscumque causis per eos mouendis, & quacumque ratione, vel causa*, & illorum Clement. V I I. pro Minimis, *de quibuslibet molestiis, iniuriis, &c.* ac illorum Greg. X I I I. pro Iesuitis, *vt in quibuscumque causis tam ciuilibus, quam criminalibus, ac mixtis.* Rodriquez *tom.* 1. *quæst. Regul. quæst.* 65. *artic.* 12. Peirinis *tom.* 2. *priuileg. Minim. in Constit.* 5. *Greg. X V.* §. 6. *num.* 48. An verò hoc limitatum, & coarctatum sit quoad debita ciuilia dicetur *infra n.* 61. & de aliis limitationibus *n.* 60. & sequentibus. 29

Insuper possunt conseruatores cognoscere de prædictis causis, siue Regulares sint rei, vel actores etiam stando in iure communi. Nam *in cap. fin. de offic. & potest. iudic. delegat. in* 6. expressè præcipitur conseruatoribus *ne aliquos vltra vnam dietam à fine diœcesum eorumdem trahere præsumat*, in quo supponitur posse trahere intra vnam dietam. Verbum autem trahere proprium est actoris reum ad iudicium trahentis. Ioannes Andreas *dict. cap. fin. n.* 2. Moneta *de Conseruatorib. cap.* 7. *quæst.* 6. *n* 338. Posse autem defendere eos quando sunt rei manifestum est apud omnes, & constabit ex dicendis. Ex priuilegiis autem posse cognoscere dictos conseruatores de causis Regularium vtroque modo constat ex conseruatoria Greg X I I I. pro Iesuitis (qua concessione tam ipsi, quam alij qui cum ipsis communicant in priuilegiis fruuntur) illis verbis, *etiam in eis, in quibus actores, vel conuenti rei forent.* Qualiter autem hæc limitata sint post Constitutionem Greg. X V. infra dicetur *à num.* 60. 30

Possunt quoque Apostatas, & subtrahentes se ab obedientia Ordinis, censuris Ecclesiasticis ad Religionem reuocare, propter conseruatoriam Clem. V I I. pro dictis Minimis, vbi habetur. Item articulum ab aliis inchoatum prosequi. Ita enim habetur in conseruatoria Clem. V I I. pro Minimis, & Gregor. X I I I. pro Iesuitis, citare per edictum vbi tutus non patet accessus ad personaliter citandum. Ex prædictis conseruatorijs Clem. V I I. pro Minimis, & Greg. X I I I. pro Iesuitis. Peirinis *tom.* 2. *priuileg. Minim. in Constit.* 5. *Gregorij X V.* §. 6. *num.* 48. Hæc tamen regulanda iuxta dicenda inferius circa Constitut. Clem. V I I I. & Gregor. X V. ac decreta S. Congregationis. 31

Circa modum autem quo Conseruatores procedere debeant, an scilicet criminaliter, ciuiliter, vel 32

mixtè, dicendum videtur iure communi non posse procedere criminaliter, aut mixtè, sed solùm ciuiliter. Ratio est, quia procedere criminaliter est cognoscere de delicto propter vtilitatem publicam, & mixtè est cognoscere de illo tum propter vtilitatem publicam, tum propter priuatam, procedere verò ciuiliter est cognoscere de delicto propter priuatam vtilitatem. Nauarr. *in Rubric. de iudiciis num.*31. Moneta *de Conseruatoribus cap.*7. *quæst.*2. *à num.*208. Cum autem conseruatores instituantur propter priuatam eorum vtilitatem, quibus assignantur ad defensionem, ideo solùm videtur posse procedere, saltem iure communi, ciuiliter, non criminaliter, aut mixtè. Moneta, *vt sup. num.*253. *&* 267. Peirinis *tom.*2. *priuil. Minim. in Constit.*5. *Gregorij XV.* §. 6. *num.* 43. *&* 44. An verò stando in vi priuilegiorum Ordinum possint alio modo procedere, attendendum est ad verba formalia conseruatoriarum, in eis autem quas mihi videre permissum est nihil reperi, quo colligi possit eos alio modo quam ciuiliter posse procedere. Verbum enim illud, *inuocato ad hoc si opus fuerit auxilio brachij secularis*, quod in multis huiusmodi conseruatoriis reperitur non cogit, vt dicamus oppositum, cum sufficienter exponi possit de auxilio necessario intra limites modi procedendi ciuiliter.

33 Pro prædictis verò causis etiam ciuiliter tractandis, poterunt censuris Ecclesiasticis vti. Iure quidem communi *ex cap. sanè el.*2. *de potest. indic. deleg.* & supponitur *in cap. auctoritate, de priuileg. in* 6. & etiam, quia quoties mandatur alicui negotium, mandatur etiam id sine quo illud impleri non potest, præsertim quia frustra datur iurisdictio, quæ non est cum coactiua coniuncta. Azor. *tom.*2. *lib.*5. *cap.*35. *quæst.*10. Moneta *de Conseruatoribus cap.*7. *num.*279. Iure quoque speciali, propter priuilegia Conseruatoria Religionum, vt patet in Bulla Sixti pro Carmelitis. Clem. VII. pro Minimis, Pij V. pro Dominicanis, & Greg. XIII. pro Iesuitis. Cum autem contra Episcopos procedent adhibere debent diligentiam, vt modestè, patienter, & reuerenter se gerant, vt colligitur ex dicto *cap. sanè*, Peirinis *tom.* 2. *priuil. Minim. in constit.*5. *Gregor. XV.* §. 6. *num.*45.

34 Conseruatorum auctoritas tanta est, vt impediri non possit ab Ordinariis, nec à Legatis de latere in eorum iurisdictione, sed in causis eisdem commissis maiores sint prædictis Ordinariis, & Legatis. Ita enim videtur colligi *ex cap.*2. *de potest. indic. deleg. in* 6. & tradit Sanch. *tom.* 2. *Consil. moral. lib.*6. *cap.*9. *dub.*6. *num.*4. post Ancharanum, Ruinum, & Mandosium ab eo relatos. Quare contra prædictos, & etiam Nuncios Apostolicos, tueri se poterunt Regulares per suos Conseruatores, si ad hoc se extenderint eorum Conseruatoriæ, & iuxta limitationes afferendas.

53 Quamuis autem hæc quæ dicta sunt vera sint spectando, vel ius commune loquens de Conseruatoribus, vel iura particularia Religionum, iuxta priuilegia illis concessa, nihilominus variè postea à Sede Apostolica alterata, immutata, vel reuocata fuerunt. Primò enim Sacra Congregatio Concilij iussu Gregorij XIII. vt dictum est in *tom.*1. *cap* 3. *num.*11. declarauit quod Regulares *in Ciuitatibus Italiæ existentes sibi Conseruatores eligerent coram quibus conuenirentur, ac semel electos non nisi in Capitulis Prouincialibus mutarent, eorumque nomina intra mensem à die electionis Episcopis locorum Ordinariis indicarent, alioquin coram ipsis Ordinariis conueniri possent.* Quaranta in Summ. Bullar. verb. *Priuilegia Regular.* Quibus limitata est, & coarctata facultas Regularium in Italia existentium ad eligendum Conseruatores, ita scilicet, vt semel electos non nisi in Capitulis prædictis mutarent; astrictique essent ad indicandum intra mensem nomina ipsorum Ordinariis, quod si non fecissent possent, coram ipsis Ordinariis conueniri. Limitata etiam videbatur in hac declaratione auctoritas ipsorum Conseruatorum, quatenus in illa supponi videtur eos solùm eligendos pro causis in quibus Regulares sunt rei. *Coram quibus conuenirentur*, non autem quando sunt actores.

Postea tamen Clem. VIII. in Constitutione *Sanct.* 1592. quæ habetur in 3. tomo Bullar. inter Constitutiones huius Pontificis *num.* 3. & apud Erasmum Cokier *in tract. de iurisd. Ordinar. in exemp. punct.* 1. *quæst.* 39. *num.* 5. & apud Barbosam *de offic. & potest. Episcop. alleg.*106. *num.*54. in primis reuocauit, & declarauit nullas, omnes, & quascumque Iudicum conseruatorum deputationes qui qualitates non haberent requisitas à Bonifac. VIII. in const. quæ incipit, *Statutum*, & habetur *in cap.*11. *de rescrip. in* 6. vbi sic habet idem Bonifacius, *Sancimus igitur, vt nullis nisi dignitate præditis, aut Personatum obtinentibus, seu Ecclesiarum Cathedralium Canonicis causæ auctoritate litterarum Sedis Apostolicæ, vel legatorum eiusdem de cætero committantur.* Deinde declarauit prædictos conseruatores debere esse electos, & designatos in Conciliis Prouincialibus, aut Diœcesanis, iuxta decretum Concilij Tridentini. Quod est dicere, necessarium esse quod hi qui eliguntur in conseruatores, electi prius, & designati sint in prædictis Conciliis. Quo sensu intelligendum est, id quod dixi *to.*1. *c.*3. *num.*11. Decretum autem Conc. Trident. de quo hic loquitur Pontifex est *sess.*25. *c.*10. *de reformatione* vbi *statuit S. Synodus in singulis Conciliis Prouincialibus, aut Diœcesan. aliquot personas quæ qualitates habeant, iuxta Constitut. Bonifac. VIII. quæ incipit*, Statutum, *& alioquin ad id aptas designari, vt præter Ordinarios locorum, iis etiam posthac causæ Ecclesiasticæ, ac spirituales, & ad forum Ecclesiasticum pertinentes in partibus delegandæ committantur.* Hæc Concilium. Pontifex autem vult, vt ex huiusmodi personis eligantur Conseruatores pro Regularibus. Quoad negotia tamen incepta, vel quoad ea, in quibus illæ Conseruatoriæ, seu Conseruatoriarum deputationes suum sortitæ erant effectum, seu executionem, nihil innouauit Pontifex. Voluit tamen, vt Conseruatoriæ per Sedem Apostolicam imposterum concedendæ solùm ad Conseruatores, & Iudices qui qualitates à Bonifacio VIII. requisitas habuerint, & in præfatis Conciliis electi, & designati sint, & non aliis dirigantur, aliter verò expeditæ litteræ nullius sint roboris, & momenti. Hæc Clem. VIII. in dicta Constitutione. Per quam quid derogatum sit iuri communi, & priuilegiis Regularium circa Conseruatores, inferius videbitur post Gregorij XV. Constitutionem. 36

Prædictus enim Gregor. XV. in Constitutione *Sanctissimus* anno 1621. edita quæ habetur in 4. tomo Bullar. inter Constitutiones huius Pontificis *num.*9. & apud Peirinis *tom.*2. *priuileg. Minim. inter constit. huius Papæ n.* 5. & apud Barbosam *de offic. & potest. Episcop. n.*55. vestigiis Clem. VIII. inhærendo in primis reuocauit, ac nullas, & inualidas decreuit omnes Iudicum Conseruatorum electiones vsque ad id tempus factas, illi verbis, SS. in Christo 37

Christo P. & D. N. D. Gregorius diuina prouidentia Papa XV. ex certis rationabilibus causis animum suum mouen. & de voto venerabilium Fratrũ suorum S. R. E. Cardinalium Concilij Triden. Interpretum partim fælicis recordationis Clem. Papæ VIII. prædecessoris sui, vestigiis inhærendo reuocauit, ac nullas, & inualidas decreuit omnes, & quascumque Iudicum Conseruatorum electiones, nominationes, seu deputationes, tam in vim litterarum Conseruatoriarum, iuxta formam in quinterno Cancellariæ descriptam, quam in vim quorumcumque priuilegiorum perpetuò, vel ad tempus nondum elapsum Apostolica auctoritate concessorum, seu alias quocumque iure, vel titulo hactenus factis pro quibuscumque Conuentibus, Capitulis, Militiis, etiam S. Ioannis Hierosolymit. Congregationibus, Collegiis, Ordinibus, Monasteriis, Hospitalibus, aut aliis quibusuis piis tam sæcularibus, quàm cuiusuis Ordinis, etiam Mendicantium, seu instituti, vel Societatis Regularibus locis, quantumuis exemptis, etiam de necessitate exprimendis, seu illorum personis cuiusuis qualitatis, seu conditionis existant.

38 Deinde qualitates pro futuris Conseruatoribus sic designauit. In futurum verò Sanctitas sua, hac generali, & perpetuò valitura Constit. statuit, & decreuit, vt Iudices Conseruatores huiusmodi, siue principales, siue subrogati, eligi, nominari, aut deputari non possint, nisi non solùm habeant qualitates requisitas, & descriptas in Const. similis record. Bonif. Papæ VIII. etiam prædecessoris sui, quæ incipit. *Statutum*, ita vt vel dignitate Ecclesiastica præditi, vel Personarum obtinentes, vel Ecclesiarum Cathedralium Canonici existant, sed etiam in Conciliis Prouincialibus, aut Diœcesanis iuxta decretum Concilij prædicti Iudices electi, seu designati sint. Quodque deinceps litteræ Conseruatoriæ per Sedem Apostolicam concedendæ, suprascriptis tantum dirigantur, & si quæ litteræ aliter expedientur, illæ, ac deputationes huiusmodi, omniaque exinde sequenda nullius sint roboris, vel momenti.

39 Postea pœnas contra eligentes Conseruatores secus quam iuxta formam præscriptam sic assignat. Et nihilominus qui secus quam iuxta formam superius præscriptam Conseruatores huiusmodi cum effectu eligere, nominare, seu deputare, aut electis, nominatis, seu deputatis, vti ausi fuerint, Regulares quidem voce actiua, & passiua sint ipso iure priuati, adeo, vt habilitationem à nemine præterquam à Romano Pontifice consequi valeant. Reliqui verò aliis pœnis arbitrio Sanctitatis suæ coerceantur, & prædictorum omnium Conuentus, Monasteria, ac loca huiusmodi, eorumque personæ, ac bona careant conseruatore ad annum, ita vt illorum causæ interea coram locorum Ordinariis dumtaxat cognosci, ac definiri debeant.

40 Admonitos præterea volens locorum Ordinarios, vt in Synodis eligant quã plures personas aptas ad id munus, de eo, & quid faciendum sit si aliquis interim ex designatis mori contigerit, sic definit. Cæterum, vt latius pateat conseruatorum huiusmodi deligendorum facultas, Sanctitas sua admonitos voluit omnes locorum Ordinarios, vt in Synodis Prouincialibus, aut Diœcesenis, quamplures personas ex habentibus qualitates in prædicta Constit. eiusdem Bonif. prædecessoris contentas, & alioquin ad id aptas designari procurent, & si aliquem interim ex designatis mori contigerit, substituat Ordinarius loci cum consilio Capituli alium in eius locum vsque ad futuram Prouincialem, aut Diœcesanam Synodum.

Qualiter autem Regulares se gerere debeant post electos Conseruatores, & quid illis interdicatur, sic describit Pontifex. Insuper Sanctitas sua, inhærendo hac in partie decreto similis recordationis Gregor. XIII. etiam prædecessoris sui, statuit, & ordinauit, vt Regulares, ac personæ huiusmodi in Italia infra duos, extra Italiam verò infra sex menses à die publicationis in Vrbe præsentis Constit. inchoandos, debeant sibi eligere, seu assumere conseruatores, iuxta formam superius propositam, eiusque electionis, seu assumptionis documentum, infra tempus huiusmodi penes acta Curiæ Ordinariorum exhibere, & dimittere teneantur, alioquin eo termino elapso, quandiu conseruatores secundum formam præsentis Constitutionis non elegerint, coram eisdem Ordinariis conueniantur. Quodque conseruatores huiusmodi semel legitimè deputati, nisi ex legitima causa à Sede Apostolica, aut locorum Ordinariis, prout iisdem Regularibus, & aliis supradictis libuerit, approbanda, durante quinquennio à die deputationis amoueri, aut mutari nullatenus possint, aut valeant. 41

Circa auctoritatem verò prædictorum Conseruatorum & ipsius limitationem, & coarctationem hæc decernit. Ad hæc statuit Sanctitas sua, vt coram ipsis Conseruatoribus Regulares, ac personæ suprascriptæ conueniri quidem, aut trahi debeant, sed alios conuenire, aut trahere non possint, ita vt memorati conseruatores in causis in quibus Regulares, & alij actores fuerint, nullam prorsus iurisdictionem habeant, sed iis tantum in quibus rei extiterint. Neque extra ciuitates, seu Diœceses in quibus fuerint deputati contra quoscumque procedere præsumant. 42

Qualiter etiam lites, & controuersiæ inter Conseruatores, & Ordinarios exoriendæ dirimi debeant sic præscribit. Si qua verò inter Iudices conseruatores huiusmodi, & locorum Ordinarios controuersia super competentia iurisdictionis orta fuerit, nequaquam in causa procedatur, donec per arbitros in forma iuris electos super iurisdictionis competentia fuerit iudicatum. 43

Pro pœnis autem Conseruatorum in suo officio excedentium, & innouatione alterius Constitutionis eiusdem Bonifac. VIII. sic habet. Quod si qui conseruatores siue in hac parte, siue alias quomodolibet suos limites excesserint per annum ab officio conseruatoris huiusmodi suspensi sint, & pars quæ hoc fieri procurauit sententiam excommunicationis incurrat, iuxta formam alterius Constitutionis eiusdem Bonifac. prædecessoris, quæ incipit, *Hac Constitutione*, quam Sanctitas sua in his omnibus, quæ præsenti Constitutioni non aduersantur, innouauit, & innouat. 44

Qualiter quoque, & cum quibus Conditionibus possint Regulares à Principibus, seu Magistratibus sæcularibus Iudices alios habere sic decernit. Per hoc tamen non intendit Sanctitas sua prohibere, quominus Regulares, & alij supradicti, in casibus à iure permissis petant Iudicem non suspectum à Principibus, seu Magistratibus sæcularibus, dum tamen hæc tria copulatiuè concurrant, videlicet, vt Regulares, & alij prædicti sint actores, non autem rei; vtque agant contra laicum, non autem contra Ecclesiasticum, vel alias à iurisdictione sæculari exemptum; atque, vt causa, in qua Iudex deputatur, fuerit profana, non autem Ecclesiastica, & in ea iuxta Sacrorum Canonum dispositionem 45

nem

nem, laicus, vt præfertur eligendus, Iudex competens existat.

46 Demum derogat contrariis, priuilegia omnia in contrarium tollit, & omnes litteras conseruatorias ad formam præsentis Constitutionis reducit, vt videre est locis relatis.

47 Post hanc Constitutionem editam, cum dura videretur maximè quoad illam clausulam in qua ordinabatur, vt Regulares coram prædictis conseruatoribus conueniri, aut trahi deberent, ipsi autem non possent alios trahere, aut conuenire, ita vt memorati conseruatores in quibus Regulares, & alij actores fuissent, nullam prorsus iurisdictionem haberent, sed in iis tantum in quibus rei extitissent, ad Sacram Congregationem Concilij recurrerunt dubitando, *An per hæc verba sublata sit facultas quam habent conseruatores defendendi Regulares, & alios à manifestis iniuriis, & violentiis quæ illis de facto inferuntur, dum à suis possessionibus deiiciuntur, & propriis bonis frui, aut vti impediuntur.* Ad quod eadem Sacra Congregatio anno 1624. respondit. Eiusmodi verbis minimè sublatam esse facultatem quam habent conseruatores defendendi Regulares à manifestis iniuriis, ac violentiis, dummodo obseruent formam præscriptam Constitutionibus Innoc. IV. & Bonifac. VIII. relatis in cap. 1. & fin. de offic. delegati in 6. Habetur hæc decisio in 4. tomo Bullar. inter Constit. Greg. XV. post nonam, & apud Peirinis, & Barbosam relatos.

48 Prætermitto Leonem X in Concilio Lateranensi aliqualiter etiam suorum prædecessorum circa Conseruatores Regularium priuilegia moderasse, dum in Bulla *Dum intra* anno 1516. edita declarauit Conseruatores pro tempore Regularibus à Sede Apostolica deputandos, doctrina, & probitate præstantes, & in Ecclesiastica dignitate constitutos esse debere, & coram eis nullum trahi posse vltra duas dietas à loco suæ solitæ habitationis. Hoc inquam prætermitto, quia totum hoc magis declaratum est in prædictis Clem. VIII. Greg. XV. & S. Congregationis decretis, & ideo illis standum.

49 Ex huiusmodi autem tum Summorum Pontificum Clem. VIII. & Gregorij XV. tum Sacrarum S. Congregationum decretis elici potest quid his temporibus tenendum sit circa huiusmodi Conseruatores, & qualiter moderanda, vel intelligenda ea quæ superius dicta sunt illis competere iure communi, & propter priuilegia Regularium, ac quomodo faciendæ in posterum electiones talium Conseruatorum, cum antea factæ irritæ, & nullæ declarentur.

50 Primò enim quoad qualitates personæ eligendæ in Iudicem Conseruatorem sicut iure communi, & propter priuilegia Religionum dictum est *supra num 9.* posse etiam quancumque personam in dignitate Ecclesiastica constitutam eligi, sic etiam modo post prædicta decreta est dicendum. Etenim Constitutio Bonifac. VIII. quæ incipit, *Statutum* de qua Clemens VIII. & Gregor. XV. in prædictis Constitutionibus id exprimunt. Videtur autem requiri, vt prædicti actus habeant talem dignitatem; si enim illam dimiserint non sunt ad id munus eligibiles. Massobius *de Synod. Diœces. cap. 3. dub. 13.* Peirinis *tom. 2. priuileg. Minim. in const. 5. Gregor. XV. §. 2. num. 20.*

51 Quamuis autem supra *num. 17.* dictum sit obtinentes Personatum non posse eligi in conseruatores, vi priuilegiorum Religionum, ex vi tamen Constitutionum Bonifac. VIII. Clem. VIII. & Gregor. XV. eligi possunt, vt constat ex ipsis, in quibus expresse nominantur. *Personatum obtinentes.*

Similiter quamuis Canonici Ecclesiarum Collegiatarum forsan possent olim propter aliqua Regularium priuilegia in conseruatores eligi, modo tamen post prædictas Constitutiones Clem. VIII. & Greg. XV. id fieri non potest, sed necesse est tales Canonicos Ecclesiarum Cathedralium existere, quia ita habetur in dicto *cap. statutum*, & constitutionibus Clementis, & Gregorij. Vide Monetam *de conseruatoribus cap. 5. quæst. 8. à num. 118.* Peirinis *tom. 2. priuileg. Minim. in Const. 5. Greg. XV. § 2. num. 10.* Barbosa *de offic. & potest. Episc. alleg. 106. num. 12.* de quo etiam infra dicitur. 52

Præcipuè tamen post Constitutiones prædictas Clem. & Greg. ad hoc quod aliqui eligantur in conseruatores requiritur quod prius fuerint electi in Iudices, (vt vocant) Synodales in Conciliis Prouincialibus, aut Diœcesanis. Ita enim decernitur à Clem. VIII. & Greg. XV. in prædictis constitutionibus. Quia verò in illis mentio fit de Conc. Triden. notandum hoc Concilium *sess. 25.* de reformatione cap. 10. hæc statuere. [Quoniam ob malitiosam petentium suggestionem, & quandoque ob locorum longinquitatem personarum notitia quibus causæ mandantur, vsque adeo haberi non potest, hincque interdum Iudicibus non vndequaque idoneis, causæ in partibus delegantur: statuit Sancta Synodus, in singulis Conciliis Prouincialibus, aut Diœcesanis aliquot personas, quæ qualitates habeant, iuxta Constitutionem Bonif. VIII. quæ incipit, Statutum, & alioquin ad id aptas designari, vt præter Ordinarios locorum, iis etiam posthac causæ Ecclesiasticæ, & spirituales, & ad forum Ecclesiasticum pertinentes in partibus delegandæ committantur, & si aliquem interim ex designatis mori contingerit: substituat Ordinarius loci cum consilio Capituli alium in eius locum vsque ad futuram Prouincialem, aut Diœcesanam Synodum: ita vt habeat quæque Diœcesis quatuor saltem, aut etiam plures probatas personas, ac vt supra qualificatas; quibus huiusmodi causæ à quolibet legato, vel nuncio, atque etiam à Sede Apost. committantur. 53

Huic ergo Concilij decreto innitentes Clemens VIII. & Gregor. XV. Pontifices statuerunt in præfatis Constitutionibus, nullum eligi posse in Conseruatorem Regularium, nisi aliquem ex prædictis Iudicibus in Conciliis Prouincialibus, aut Diœcesanis designatis. Voluit autem Concilium, vt prædicti habeant qualitates pro conseruatoribus requisitas à Bonif. VIII. in Const. *Statutum*, quæ adductæ sunt *num. 36.* & prætetea quod sint personæ alioquin aptæ, id est secundum scientiam, ætatem, & mores, iuxta *cap. cum in cunctis de elect.* Peirinis *tom. 2. priuileg. Minim. in Constit. 5. Gregorij XV. §. 2. n. 18.* Cum autem in dicto cap. seu Constit. *Statutum* solùm admittantur Canonici Ecclesiarum Cathedralium, manifestius fit id quod supra dictum est, quod scilicet Canonici Ecclesiarum Collegiatarum his temporibus eligi non possint in conseruatores, cum nec possint eligi in Iudices Synodales, prout etiam declaratum dicunt à S. Congregatione Massobius *de Synod. diœces. cap. 4.* & Peirinis *to. 2. priuil. Min. in Const. 5. Greg. XV. §. 2 n. 19.* 54

Quia tamen contingens est, vt propter paucitatem Iudicum Synodalium in Conciliis Prouincialibus, aut Diœcesanis designatorum, & multitudinē Religionum in ea Diœcesi consistentium, illi non possint 55

possint attendere negotiis dictarum religionum, & propterea pati cogantur aliquod detrimentum, seu iacturam, ideo Pontifex verbis relatis *num.* 40. admonitos esse vult Ordinarios, *vt in Synodis Prouincialibus, aut Diœcesanis quamplures personas ex habentibus qualitates in prædicta Constitutione Bonifacij contentas, & alioquin ad id aptas designari procurent.* Nec incongruè dici potest verbum illud *Admonitos voluit* denotare præceptum, tum propter grauitatem negotij, tum quia videtur per illud significare obligationem saltem ex charitate, & vt credo, ex iustitia, ad id faciendum, Peirinis *tom.* 2. *priu. Minim. in Const.* 5. *Greg. X V.* §. 4. *num.* 22.

56 Ad maiorem etiam cautelam ordinat Pontifex, vt si aliquem ex designatis Iudicibus mori contigerit, substituat Ordinarius cum consilio Capituli alium in eius locum vsque ad futuram Prouincialem, aut Diœcesanam Synodum. Ex quo habetur primò huiusmodi Iudicum Synodalium Officium vsque ad aliam futuram Synodum durare. Ita enim colligi videtur, tum ex decreto Concilij, tum ex huiusmodi constitutione. Secundò, quòd si Iudex Synodalis non moriatur, sed per longum tempus absentetur, idem faciendum esse ac si mortuus esset, prout dicitur declaratum à S. Congreg. De quibus, & aliis concernentibus Peirinis *tom.* 2. *priuileg. Minim. in Constitut.* 5. *Greg. X V.* §. 4. *num.* 22.

57 Deinde cum in hac constitutione Gregorij verbis relatis *num.* 38. manifestè distinguatur inter conseruatores principales, & subrogatos & *num.* 44. innouetur constitutio Bonifac. V I I I. quæ incipit, *Hac constitutione* quæ est *in cap. fin. de offic. & potest. Iudic. delegat. in* 6. vbi expressè habetur, posse eos conseruatores, quibus *hoc eis competierit, ex beneficio litterarum*, vices suas aliis committere, ideo Conseruatores Regularium quibus ex priuilegiis competit aliis suas vices delegare, id facere etiam possunt post Constitutionem istam Gregor. XV. cum in illa nihil quoad hoc derogetur. Quidquid in contrarium dicat Lauretus de Franchis in controuers. Episcopor. & Regul. supra hanc Constitutionem Gregor. pag. mihi 177. Aduerte tamen, iure communi, & secluso quocumque priuilegio licere Conseruatori citationes, & sententiarum denunciationes per alios facere. Ita enim habetur in prædicto *cap. fin. de offic. & potest. Iudic. deleg. in* 6. Barbosa post alios *de offic. & potest. Episc. alleg.* 106. *num.* 45.

58 Post editam huiusmodi Constitutionem tenebantur Regulares in Italia *infra* duos menses, extra Italiam verò infra sex eligere sibi Conseruatores, iuxta formam in illa descriptam, eiusque electionis instrumentum infra idem tempus penes acta Curiæ Ordinariorum exhibere, alioquin eo temino elapso, quandiu Conseruatores iuxta prædictam formam elegissent, coram ipsis Ordinariis conuenirentur. Ita enim decernitur in prædicta Constitutione verbis relatis *num.* 41. inhærendo decreto S. Congregationis sub Gregor. X I I I. de quo *num.* 35. Hoc autem absdubiè statum à Papa fuit, vt certò constare posset de Conseruatore à Regularibus electo, tum ad tollendas fraudes, quæ in hoc possent accidere, Peirinis *tom.* 2. *priuil. Minim. in Constitut.* 5. *Gregorij XV.* §. 5. *num.* 31. Postea nihilominus declaratum est à S. Congreg. Regulares, qui in tempore eis à Gregor. X V. præfixo Conseruatores eligere non curauerunt, dicto tempore elapso quandocumque eis libuerit, eos eligere posse. Barbosa, *in Collectan. Bullarij verbo Regulares* 1.

59 Non possunt Regulares semel legitimè deputatos Conseruatores amouere, durante quinquennio à die deputationis, nisi ex causa approbanda à Sede Apostolica, vel Ordinariis. Ita enim decernitur in prædicta Constitutione verbis relatis *n.* 41. Dixi legitimè deputatos, quia non legitimè deputatos mutare poterunt. Causa autem amotionis poterit esse negligentia, impotentia, inimicitia, vel similis. Peirinis *tom.* 2. *priuil. Minim. in Const.* 5. *Greg. X V.* §. 5. *num.* 32.

Loquendo autem de auctoritate, seu iurisdictione huiusmodi Iudicum Conseruatorum Regularium in multis videtur coarctata per decreta relata Summorum Pontificum, & SS. Congregationum. Cum enim iuxta dicta supra numeris 22. 23. 24 29. & 30 possent cognoscere de omnibus causis, tam ciuilibus, quam criminalibus, seu mixtis, tam in eis, in quibus rei, quam in quibus actores Regulares erant, & de quibuscumque iniuriis, molestiis, violentiis, tam manifestis, quam non manifestis sine iudiciali indagine, vel cum illa, prout causa requireret, modo tamen, iuxta præscriptum Constit. X V. solùm possunt cognoscere de illis causis in quibus Regulares sunt rei, non actores, & iuxta præscriptum prædictæ S. Congregat. etiam in his in quibus actores fuerint, quoad iniurias tantùm manifestas, & violentias, secundùm formam *cap. fin de offic. & potest. Iud. delegat. in* 6. quod incipit, *Hac Constitutione*, & innouatur à Greg. X V. in eis quæ Constitutioni ipsius non aduersantur. 60

61 Ex quo sequitur primò non posse procedere hoc tempore Conseruatores Regularium cum ipsi Regulares sunt actores in causis ciuilibus eorum qui aliquam pecuniæ summam, vel aliquam rem ipsis debent ex locationibus, legatis, testamentis, &c. petentes, vt eam soluant. Ratio est, quia exceptio illa posita à Greg. X V. in prædicta Constitutione, sed alios conuenire, aut trahere non possunt, seu illa, ita vt memorati Conseruatores in causis in quibus Regulares actores fuerint nullam prorsus iurisdictionem habeant, nullum alium congruentiorem sensum potest habere præter istum. Cum enim Sac. Congregatio, vt visum est decreuerit non esse per hæc verba sublatam facultatem quam habebant conseruatores defendendi Regulares à manifestis iniuriis, seu violentiis, &c. quo illos posse, vt actores agere coram Conseruatoribus suis permittit, ne dicatur glossam esse contrariam textui, dicendum videtur Gregorium in sua Constitutione solùm negasse Conseruatoribus facultatem procedendi in huiusmodi causis ciuilibus debitorum quando Regulares sunt actores non tamen in aliis causis. Maximè quia hoc est conforme tum iuri cõmuni quo statuitur, quod *Actor sequatur forum rei*, tum Concil. Trid. *sess.* 14. *cap.* 5. Moneta *de Conseruator. cap.* 7. *quæst.* 6. *num.* 343. Peirinis *tom.* 2. *priuil. Minim. in Constit.* 5. *Greg. XV.* §. 6. *num.* 50. [Nota tamen quod si in solutione prædictorum debitorum manifesta iniuria, seu violentia fiat ipsis Regularibus, prout sæpe contingere poterit, poterunt dicti Conseruatores contra tales debitores procedere. Ratio est, quia vt constat ex verbis Sacræ Congregationis adductis *supra num.* 47. Conseruatores possunt defendere Regulares & alios *à manifestis iniuriis, & violentiis quæ illis de facto inferuntur, dum à suis possessionibus deiiciuntur, & propriis bonis frui, aut vti impediuntur*, quod contingit quando debitor non soluit, id quod tenetur,

tenetur, quia tunc impedit ne creditor fruatur, aut vtatur propriis bonis. Et ita hanc partem defendunt vterque Rodriguez, Portellus, & Ioannes de Cruce, quos refert & sequitur Diana 3. *part. tractatu* 1. *ref.* 20. licet aliqui ipsorum videre non potuerint Constitutionem Gregorij X V. relatam.]

62 Sequitur secundò nec posse procedere hoc tempore prædictos Conseruatores, siue in ciuilibus, siue in criminalibus, siue quando Regulares sunt rei, siue quando actores, nisi in manifestis iniuriis, & violentiis, ita enim habetur in præfata Constitutione Gregorij adiuncta declaratione S. Congregationis, & similiter Constitutione Bonifacij VIII. quæ incipit. *Hac Constitutione*, & est *cap. fin de offic. & potest. iudic. deleg. in* 6. quæ per prædictam Constitutionem Gregorij innouatur, & in qua id expresse habetur. Quare necessarium est ad effectum, vt procedere valeat conseruator, quod ante omnia appareat, iniuriam seu violentiam fuisse manifestam, & notoriam, vbicumque enim iurisdictio competit alicui respectu certæ qualitatis, debet ante omnia eidem de illa qualitate constare. Miranda 2. *tom. quæst.* 47. *art.* 8. Barbosa *de offic. & potest. Episcop. alleg.* 106. *num.* 18. Si autem Conseruator dubitet de illa notorij qualitate, vel clare de ea non appareat, poterit ante omnia examinare summariè an violentia, seu iniuria de qua agitur, notoria sit, & super eam probationes recipere ad fundandam suam iurisdictionem, itaut si inueniat eam notoriam, procedat, alias se incompetentem pronunciet. Barbosa *ibidem num.* 20. vbi etiam sequentibus numeris alia affert ad intentum. Generaliter etiam conseruator potest eam adhibere indaginem quæ in notoriis adhiberi solet, & debetur. Quia cum committitur iurisdictio committitur quoque id sine quo illa exerceri non potest. Moneta *de Conseruatoribus c.7.quæst.3.num.*90.& 93. Molina *tom.6.disput.*29.*num.*2.

63 Ex quo etiam sequitur tertiò, nec posse hoc tempore Conseruatores in causis Regularium maximè cum ipsi Regulares actores fuerint iudiciali indagine procedere. Ratio est, tum quia in manifestis de quibus solum, vt dictum est, iudicare possunt prædicti Conseruatores, non requiritur, aut admittitur iudicialis indago, tum quia Sacra Congregatio in decreto adducto *num.*47. dum admittit Regulares, vt actores agere posse coram suis Conseruatoribus, subdit, *Dummodo obseruent formam præscriptam Constitutionibus Innoc. IV. & Bonifac. VIII. relatis in cap.* 1. *& fin. de offic. deleg. in* 6. Constat autem in prædicto *cap.* 1. quod est Constitutio Innoc. IV. prohiberi expresè ne conseruatores ad illa *quæ iudicialem indaginem exgunt, suam possint extendere potestatem.*

94 Similiter loquendo de termino, seu spatio intra quod exerceri potest auctoritas Conseruatorum, licet secundum priuilegia aliquarum Religionum, iuxta dicta supra *n.*27. execeri posset extra Ciuitates, & Diœceses, in quibus deputati fuissent, hoc tamen tempore nullatenus extra Ciuitates, seu Diœceses in quibus deputati sunt procedere possunt. Ita enim habetur in dicta Constitutione Gregor. XV. verbis relatis *n.*42. & in altera Constitutiona Bonifac. VIII. quæ incipit. *Hac constitutione*, & est *cap. fin de offic. iudic. deleg. in* 6. quod innouatur dicta Constitutione Gregorij. Qualiter autem id sit intelligendum, vide Monetam *de conseruatoribus cap.*7.*q.*2.*n.*61. Peirin. *tom.*2. *priuileg. Minim. in const.*5. *Greg. XV.* §.6.*n.*57.

Videtur etiam posse procedere Conseruatores ad defensionem seruitorum, seu familiarium aliquorum Religiosorum in manifestis iniuriis, seu violentiis modo tamen assignato, seu iuxta præscriptum dictæ Constitutionis Greg. XV. & decreti S. Congregationis. Ita .n. sumi videtur ex priuilegio Pij V. pro Dominicanis superius relato num. 4. illis verbis, *aduersus inferentes eis, aut eorum Procuratoribus agentibus, seruitoribus, & familiaribus in præmissis, eorumdem aliquo molestias, & iniurias, grauamina, &c.* Quod intellige nisi hæc Constitutio Pij V. concedenda sit reuocata à Greg. XIII. propter dicta ibidem. Quo casu iuuare potest eiusdem Gregor. XIII. pro Iesuitis Bulla superius *num.* 6. relata, vbi etiam fit mentio de familiaribus ipsorum (*Clericis tamen charactere insignitis.*) Limitari videntur hæc priuilegia ex doctrina Concil. Trident. *sess.* 24. *cap.* 11. ad seruitores qui Monasteriis *actu seruiunt & intra eorum septa, ac domos resident, subque eorum obedientia viuunt*, vt ibi dicitur. Rodriguez *tom.* 1. *quæstionum Regularium quæstione* 65. *articulo* 17. Forsan dici possit huiusmodi concessiones, vt potè post Concilium factas ipsi derogare. Vide etiam priuilegium Pij IV. pro Militibus Sancti Ioannis apud eumdem Rodriguez, vt supra *art.* 12. & cautè procede in re satis incerta, & raro visitata, maximè quia non video pro illa clarum priuilegium. 65

Specialiter etiam Procuratores, & Syndici Fratra Minorum habent à Clement. VII. in Bulla *Dum consideramus*, apud Casarubium *in Compend. priuileg. Mendic. verbo Procuratores Fratrum numero* 13. Rodriguez *tom.*3. *quæstionum Regularium quæstione* 39. *artic.* 4. priuilegium, [vt in quibusuis causis, & rebus ipsos Syndicum, & Procuratorem concernentibus, ciuilibus, criminalibus, & mixtis, non nisi coram Iudicibus Conseruatoribus domorum illarum quarum ipse Syndicus, & Procurator fuerit de iustitia respondere teneatur, &c. Inhibendo sub excommunicationis latæ sententiæ pœna vniuersis, & singulis Iudicibus Commissariis Ecclesiasticis, sæcularibus quacumque auctoritate fulgentibus ne de causis contra dictos Syndicos, & Procuratores, motis, & mouendis, directè vel indirectè quouis quæsito colore, seu prætextu se intromittere quomodolibet audeant, &c.] Videtur tamen hoc intelligendum de causis spectantibus ad istos non vt singulares personæ sunt, sed quatenus Syndici, & Procuratores, & cum sit magnum priuilegium videndum, an sit, vel non consuetudine abrogatum. Portellus *in Dub. Regul. verb. Syndicus Minorum num.* 5. 66

Similiter procedere possunt Conseruatores Regularium in manifestis tamen iniuriis, & violentiis, ac iuxta præscriptum Constitut. Gregor. XV. & Sacræ Congregationis ad defensionem quorumcumque bonorum mobilium, seu immobilium, iurium, seu possessionum Regularium sibi ad defensionem commissorum ex priuilegio Eugenij IV. pro Hieronymianis Monasterij S. Mariæ Guadalupæ, quod refert. Rodriguez *tomo primo quæstionum Regularium quæstione* 65. *articulo duodecimo*, & dicit extendendum esse ad omnia Ordinis D. Hieronymi Monasteria, Clem. VII. pro Minimis Pij V. pro Dominicanis, & Gregor. XIII. pro Iesuitis, de quibus supra. [Pro quo video Sacram Congregationem Episcoporum Regularium 1. Iunij 1635. declarasse in fauorem cuiusdam Archipresbyteri qui cum Conseruator esset Regularium, ipsorum bona defenderat.] 67

68 Maximè tamen pro defensione priuilegiorum seu indultorum eorumdem, iuxta præscriptum modum à Gregor X V. & Sacræ Congregationis procedere possunt ex priuilegiis Sixti I V. pro Carmelitis, Clem. XII. pro Minimis, & Greg. XIII. pro Iesuitis, de quibus supra.

69 Controuersiæ ortæ inter conseruatores, & Ordinarios super competentia iurisdictionis per arbitros in forma iuris electos decidendæ, & interim in causa non procedendum. Sic enim habetur in præfara Constit. Greg. XV. verbis relatis *numero* 43. idemque statuitur in Conc. Trid. *sess.* 14. *cap.* 5. Peirinis *tom.* 2. *priuileg. Minim in Const.* 5. *Greg. XV.* §. 7. *num* 58.

70 Conseruatores limites suæ iurisdictionis excedentes per annum sunt suspensi ab officio Conseruatoris. Ita enim habetur in prædicta Constitutione Gregor. X V. verbis relatis *numero* 44. conformiter ad prædictum *cap. fin de offic. deleg. in* 6. vbi declarantur suspensi per vnum annum ab officio. Moneta *de Conseruatoribus cap.* 7. *quæst.* 12. *num.* 60. Mirauda *in secundo tomo man. Prælat. quæst.* 47. *articulo* 9. Denotatur autem in prædicto *cap. fin.* requiri quod *Sciēter* de aliis quā quàm manifestis iniuriis, & violentiis se intromiserint ad incurrendam talem suspensionem. Ex quo videtur sequi illam non incurri ab iis qui ex ignorantia etiam crassa id fecerint, iuxta dicta *tomo primo capite decimo numero* 33. Licet autem in Constitutione Gregorij non apponatur illa particula, cum tamen in eo §. se remittat Pontifex ad formam Constitutionis Bonifac. VIII. dicendum videtur quod iuxta eamdem formam incurratur suspensio. Cum vero hæc suspensio sit temporalis scilicet per vnum annum, eo transacto statim absque alia absolutione cessat, iuxta communia principia de suspensione. Suarez *tomo quinto de censur. disputatione* 26. *sectione* 1. *num.* 14. Bonacina *disp.* 3. *de suspensione punct.* 3. *num.* 1.

71 Pars quæ procurauerit quod Iudices Conseruatores excedant limites suæ auctoritatis, excommunicationis sententiam incurrit; à qua non potest absolui, *nisi ei, quem sic fatigauit indebitè, primo satisfaciat integraliter de expensis.* Ita enim habetur in dicto *cap. fin de offic. iudic. delegat. in* 6. quod innouat Gregor. X V. Constit. relata. Vbi notandum hanc excommunicationem non incurri nisi à parte procurante, id est ab eo qui est pars in iudicio, reus scilicet, vel actor, non à tertia persona. Quia in textu dicitur, *pars vero hæc procurabit.* Nauarrus *in Manual. cap.* 27. *numero* 125. Rodriguez *tomo primo quæstionum Regularium quæst.* 65. *artic. vlt.* Nec incurritur hæc excommunicatio ex sola procuratione, nisi sequatur effectus procuratus. Cum solum propter illum prohibeatur, & illo non posito non censeatur consummata. Suarez 5. *tom. in* 3. *part. disputatione* 23. *sectio.* 4. *num.* 10. Barbosa *de offic. & potest. Episcop. alleg.* 106. *numero* 49. Ab ea autem ante compensationem expensarum nemo potest absoluere nisi solus Papa, post compensationem vero Episcopus poterit. Moneta *de Conseruator. cap.* 7. *numer.* 591. Barbosa *vt supra.*

72 Impedientes, vel molestantes Conseruatores Regularium ne suum officium exerceant incidere videntur in excommunicationem, seu suspensionem à diuinis latæ sententiæ, ex concessione Pij Quinti pro Dominicanis verbis relatis *numero quarto.* Sed quia hæc Bulla dubiæ auctoritatis est propter dicta supra ibidem, ideo ad alia priuilegia Religionum, si quæ fuerint, attendendum est.

Non est prohibitum Regularibus in casibus à iure permissis petere Iudicem non suspectum à Principibus, seu Magistratibus sæcularibus, dum tamen hæc tria copulatiuè concurrant, videlicet, vt ipsi sint actores, non rei, vtque agant contra laicum non contra Ecclesiasticum, aut alias à iurisdictiune sæculari exemptum, & vt causa sit profana, non Ecclesiastica, & in ea iuxta Sacrorum Canonum dispositionem laicus eligendus Iudex competens existat. Ita enim decernitur in prædicta Constitut. Gregor. X V. 73

Potest Conseruator recusari vt suspectus, si causa de qua agitur talis sit, in qua ipse valeat reum grauare, nam in his terminis, & similibus recusatio admittitur, etiā in notoriis, vt si verbi gratia, maiorem pœnam imponat delicto quam iure mereatur Panorm. *in cap. si quis contra Clericum de foro competenti num.* 11. Farinac. 1. *part. prax. crimin. quæst.* 21. *numero* 130. Per arbitros autem in forma iuris electos super suspicione iudicandum est, iuxta doctrinam Concil. Trident. *sess.* 14. *cap.* 5. Barbosa *de offic. & potest. Episcop. alleg.* 106. *num.* 32. [Si vero Conseruatores exequantur pœnam à Iure impositam, nequeunt vt suspecti recusari. Quia tunc se habent vt meri executores. Azor. *tom.* 2. *instit. moral. lib.* 5. *cap.* 34. *quæst.* 11. Erasmus Cochier. *de iurisdict. Ordin. in exempt. part.* 1. *quæst.* 39. *numero* 33. consequenter etiam quod ad Regulares propius spectat, si præfati Conseruatores contra eos procedant limites suæ facultatis excedendo recusari possunt per text. *in cap. Si quis, contra Clericum de foro competenti cap. Secundò requiris.* §. 3. *de appellat.* Tambur. *sup. quæsit.* 3. 74

Potest etiam ab eiusdem sententia appellari. 75 Tum quia ita praxi receptum est, tum quia etsi in notoriis admittatur appellatio, quia tamen in infligenda pœna potest Conseruator excedere, & procedere in causa dubia, ideo admittitur appellatio. Farinac. *in prax. crim. quæst.* 21. *num.* 118. *vsque ad* 128. Barbosa *de offic. & potest. Episcop. alleg.* 106. *num.* 33 Appellandum autem est ad solum Papam, quia Conseruator est Iudex à Papa delegatus. Tuscus *verbo Conseruatores concl.* 760. *num.* 6. Ancharan. *consil.* 72. *num.* 1. Barbosa *de offic. & potest. Episc. alleg.* 106. *num.* 4. Quando autem ab ipsis appellari potest, aut debet, vide Monetam *de Conseruatoribus c.* 9. *n.* 180.

Circa munera ab huiusmodi Conseruatoribus 76 nō accipienda, & expensas euitandas Bonif. VIII. in Constitut. quæ incipit. *Hac Constitutione*, quæ est *fin. de offic. & potest. iudic. deleg. in.* 6. & innouatur in prædicta constit. Gregor. XV. præcipit obseruandum, quod ipse alias præceperat in alia constitutione Iudicibus deleg. quæ habetur *in cap. statutum de rescriptis in* 6. §. *insuper*, vbi sic. [Insuper vt gratis, & cum omni puritate iudicium coram ipso procedat nullum munus, vel quicquid aliud nisi forsan esculentum, vel poculentum mera liberrate oblatum, quod paucis consumi possit diebus, vel nisi cum ipsum propter causam sibi commissam contigerit extra suum domicilium proficisci, moderatas expensas recipere ab eisdem partibus qualitercumque præsumat. Prouisurus attentè quod in ipsis expensis modum nequaquam excedat, nec plus ab vna parte, quam ab alia exigat, cum commune gerat negotium vtriusque: quandoque (vbi causæ sibi commissæ vtilitas, vel necessitas non exegerit) occasionem propter habendas expensas pro si

proficiscendi extra domicilium non assumat: sed & vbi notabiliter fuerint pauperes litigantes etiam nil prorsus exigat ab eisdem.]

77 Circa assessores autem, & notarios prædictorum conseruatorum, & illas personas, quæ testimonij causa vocantur ab eis idem Bonifac. VIII. in dicto cap. fin. quod innouatur per Constitutionem Gregor. XV. præcipit obseruandum id quod ipse alias præceperat de Iudicibus delegatis in illa constitutione, seu *cap. statutum de rescriptis in 6.* vbi sic habetur. Assessorem autem, vt quandoque faciunt aliqui fraudulenter, nisi eo indigeat, quod conscientiæ relinquatur eiusdem, sibi nequaquam adiungat; alioqui de suo proprio prouidere teneatur eidem. Si autem indigeat, ipsum neutri parti suspectum assumens, ei de cōpetenti salario, prouide moderando ab eo faciat à partib. communiter prouideri. Notarium vero, vel Notarios in causa sibi commissa scribentes qui vt plurimum in exigendo salario, metas rationis excedunt, (vt ad ipsius spectat officium) prouidenter refrenet. Nec cum ipsis, aut cum assessore præfato lucrum participet vllo modo. Si quid autem contra Constitutionem præsentem receperit, ad ipsius restitutionem integram teneatur, nulla eorum quibus restitutio facienda fuerit, remissione vllatenus profutura eidem Pro ferendo quoque testimonio, (prætextu cuius, aliqui alios fraudulenter interdum à Iudicibus vocari procurant, vt eos laboribus, & expensis fatigent, aut extorqueant aliquid ab eisdem) nullum vllatenus conuocet, nisi quando conditio, & status causæ requirent. Sed nec tunc (nisi à producente) competenter vocato pro testimonio veniendo, & redeundo faciat ministrari expensas. Quicquid autem contra præmissa, vel eorum aliquod contigerit attentari, sit ipso iure irritum & inane.]

78 Horum conseruatorum priuilegia sunt primum, quod omnium ieiuniorum, orationum, ac sacrificiorum, ac quorumcumque aliorum bonorum, in Religione faciendorum, & recitandorum participes sint, illis communicata sunt, & esse debent, sic enim concessit Iulius II. Conseruatoribus Minimorum in Bulla *Alias venerabilem* apud Peirinis *tom. 1. priuileg. Minimor. in Iulio II. Constitut. 4.* Sorbus *in Compend. priuileg. Mendicant. verbo Conseruatores Ordin. §. Clemens VII.* Secundum, quod Conseruatores per prædictos Minimos capitulariter pro tempore electi semel in vita, & in morte plenariam omnium peccatorum Indulgentiam consequuntur: [Ac quinquies orationem Dominicam, & toties salutationem Angelicam recitando, omnes, ac singulas Indulgentias quas diebus Indulgentiarum omnium Ecclesiarum dictæ Vrbis, & extra illius muros pro stationibus deputatarum consequuntur Ecclesias Vrbis, & extra muros huiusmodi visitantes plenè, ac integrè consequantur, & consequi possint, ac si indulgentiarum huiusmodi diebus Ecclesias Vrbis, & extra muros huiusmodi, & earum quamlibet personaliter visitarent] Sic enim concessit idem Iulius II. in alia Bulla apud eumdem Peirinis *tom. 1. priuileg. Minim. in Iulio II. num. 1.* Similiter Clemen. VII. concessit moderno, & pro tempore Generali Minimorum, vt Conseruatoribus plenariam omnium suorum peccatorum Indulgentiarum semel dumtaxat singulo quoque triennio elargiri posset, ipsisque conseruatoribus, vt de licentia dicti Generalis eligere possent Confessarium idoneum eiusdem Ordinis, qui eos ab omnibus casibus etiam Episcopalibus, & censuris Ecclesiasticis absoluere posset, pœnitentia salutari iniuncta. Ita habetur inter priuilegia Minimorum apud Peirinis *tom. 1. inter Constitutiones Clem. VII. num. 9.* Sed quia hæc concessio non fuit nisi per viuæ vocis oraculum facta, ideo hoc tempore quo omnes tales concessiones reuocatæ sunt à Sanctissimo Domino Nostro Vrbano: nihil valet. Si autem innouetur ab aliquo Pontifice, Confessarius ille approbatus debet esse ab Ordinario iuxta doctrinam Concilij *sessione 23. capite 15.* Rursus quantum ad absolutionem à casibus Episcopalibus cauenda est transgressio decreti Sac. Congregationis sub Clem. VIII. & SS. D. N. Vrbano de quo tom. 1. cap. 19. num. 17. Vide Peirinis *tom. 1. priuileg. Minim. in Constitut. 9. Clemen. VII. §. 2.* 79

Extat tandem decretum Sacræ Congregationis Concilij, vel declaratio ab ipsa facta apud Barbosam *in Collectan. Bullar. verbo Conseruator*, vbi habetur debere Regulares conseruatores eligere in singulis Diœcesibus, in quibus Monasteria, Conuentus, seu domos Regulares habent. Cum autem hæc decisio Sacræ Congregationis facta fuerit anno 1628 & 1633. videtur inferri per illam (si certa est) declarari Constitutionem Greg. XV. & quod nō sufficiat vnus cōseruator pro multis Diœcesib.

Hic adiungam quorumdam dubiorum resolutiones circa hanc materiam Conseruatorum quæ mihi proposita sunt. Primum ad quem pertinet illos nominare an ad Prælatum, an etiam ad Monasterium. Secundum, an possint eligi duo Conseruatores, vel necessarium sit vnum solum eligere, alio reuocato. Tertium an si Prælatus nominat Conseruatorem, possit in albo relinquere nomen in patentibus litteris, vt alius nomine ipsius ponat nomen eius quem voluerit designare. Quartum an possit eligi in Conseruatorem qui non fuerit ex Iudicibus diœcesanis. Quintum an electus in Conseruatorem teneatur ostendere Ordinario facultatem. Sextum an possit excommunicare Episcopum, vel eius Vicarium generalem. 80

Respondeo ad primum quod licet stando in iure communi nominatio Conseruatorum pertineat ad Prælatum cum communitate, eo quod res hæc grauis valde sit, & quā talis spectant ad Prælatum & communitatem, nihilominus quia priuilegia Regularium quantum ad hoc (quorum aliqua retuli *sup. n. 3. 4. & 5.*) valde ampla sunt posse id facere Prouinciales & alios Prælatos, vel saltem consuetudini standum esse. 81

Ad secundum respondeo, quod quantum est ex vi prædictorum priuilegiorum possunt simul plures eligi quia verba quibus hanc facultatem concedunt Pontifices Regularibus ampla valde sunt, vt dixi, & ita stādo in dictis priuilegiis possūt Regulares vno conseruatore electo alium etiam nominare. Non tamen possunt mutare eum vel eos quem vel quos prius elegerunt, nisi ex legitima causa à Sede Apostolica, vel Ordinariis approbāda & post quinquennium. Ita enim declarauit Gregorius XV. in Constitutione *Sanctissimus* anno millesimo sexcentesimo vigesimo primo, quam retuli *tomo primo capite tertio numero vndecimo, & supra numero 37.* per hæc verba. *Quodque Conseruatores huiusmodi semel legitime deputati, nisi ex legitima causa à Sede Apostolica aut locorum Ordinariis, prout iisdem Regularibus, & aliis supradictis libuerit approbanda, durante quinquennio a die deputationis amoueri, aut mutari nullatenus possint aut valeant.* 82

Ad tertium respondeo id fieri posse, si tamen data litterarum nominationis prædictæ falsa fuisse comprobetur 83

comprobetur

comprobetur (prout in relatione huius casus refertur) credo tales litteras pro falsis exputandas, ac per consequens nullius vigoris esse saltem quoad forum externum.

84 Ad quartum respondeo negatiue. Ita enim habetur expresse in dicta Constitutione Gregorij XV. illis verbis. *In futurum vero Sanctitas sua hac generali & perpetuo valitura Constitutione statuit & decreuit vt Iudices Conseruatores huiusmodi siue principales siue subrogati, eligi, nominari, aut deputari non possint, nisi non solum habeant qualitates requisitas & descriptas in Constitutione similis record. Bonifacij Papæ VIII. etiam prædecessoris sui, quæ incipit statutum, itaut vel dignitate Ecclesiastica prædicti, vel personatum obtinentes. vel Ecclesiarum Cathedralium Canonici existant, sed etiam in Conciliis Prouincialibus aut diœcesanis iuxta decretum Concilij prædicti Iudices electi seu designati sint.* Idem etiam statuerat Clemens VIII. in Constitutione *Sanctissimus* anno millesimo quingentesimo nonagesimo secundo, *in 3. tom. Bullar. n. 3.*

85 Ad quintum respondeo affirmatiue. Ita enim declarauit S. Congregatio sub Gregorio XIII. pro Regularibus in Italia existentibus, prout retuli *supra num.* 35. & generaliter pro omnibus Gregorius XV. in dicta Constitutione illis verbis: *Eiusque electionis, seu assumptionis documentum penes acta Curiæ Ordinariorum exhibere & dimittere teneantur.* De quo Peirinis *tom. 2. priuileg. Minim. constit. 5. Gregorij XV. n. 31.*

86 Ad sextum respondeo etiam affirmatiue propter dicta etiam supra n. 33. ex priuilegiis Sixti IV. pro Carmelitis Clementis VII. pro Minimis, Pij V. pro Dominicanis, & Gregorij XIII. pro Iesuitis. De quo etiam Azor. Moneta, & Peyrinis ibidem relati, quibus addo Barbosam *de offic. & potest. Ep. alleg.* 106. *num.* 36. Procedere tamen debent contra Ordinarios modeste, patienter, & reuerenter, prout dixi ex *numero* 33. *ex capite Sane el. 2. de potest. Iud. deleg. & capite Authoritate de priuileg. in sexto* & tenet Barbosa *ibidem num.* 37. *& capite Quia Pontificali de offic. deleg. in 6.* Addo cum ipso ibidem ex Miranda *in man. Prælat. q. 47. art. 8. concl. 5. §. aduerto*, Episcopos non irrogare iniuriam Conseruatoribus postulantes ab eis, vt ostendant suas litteras, nec teneri eis obedire nisi eas ostenderint, imo si eas non ostenderint non posse dictos Conseruatores excommunicare Episcopos, quod est valde notandum pro casu præsenti. Vide alia in Barbosa *ibidem.*

87 Permaxime tamen animaduertendum, quod cum in meis Consultis Venetiis apud Babam an. 1651. editis *in consul.* 40. late egerim de quadam grauissima controuersia acerrime in Vrbe agitata inter Illustrissimum & Reuerendissimum D. Don. Ioannem de Palafox & Mendozam Episcopum Angelopolitanum in Indiis Occidentalibus per suum Procuratorem diligentissimum, licentiatum Maganum ex vna parte, & ex alia admodum RR. PP. Iesuitas grauissimæ Prouinciæ Mexicanæ, & pro ipsius decisione plures Congregationes ab Eminentissimis Cardinalibus & aliis Prælatis iussu Sanctiss. D. N. Innocentij Papæ X. habitæ fuissent, tandem vt huic controuersiæ finem imponeret idem Sanctissimus litteras dedit in forma Breuis 27. Maij anni currentis 1653. quas hoc loco apponere operæ pretium est, eo quod in ipsis contineantur multa spectantia ad Iudices Conseruatores, de quibus in hoc capite agitur. Eo etiam, vt si aliqua in dicto Consulto, aliisve meis Scriptis reperiantur contraria menti eiusdem Sanctissimi, censeantur à me retractata & correcta conformiter ad litteras eiusdem, quas à Reuerendissimo Patre Generali Societatis video reuerentissime & religiosissime susceptas. Quæ omnia continentur in Breui Romæ apud Typographiam R. Cameræ Apostolicæ impresso, huius tenoris.

BREVE SANCTISSIMI D. N. INNOCENTII PAPÆ X.

In nomine Domini Amen.



PRæsenti publico Instrumento cunctis vbique pateat euidenter, & sit notum, quod anno à Natiuitate Domini millesimo sexcentesimo quinquagesimo tertio, Indictione sexta, die vero vigesima tertia mensis Augusti, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. Innocentij diuina prouidentia Papæ Decimi anno eius nono, Pro Illustrissimo, & Reuerendissimo D. Don Ioanne de Palafox, & Mendoza Episcopo Angelopolitano in Indijs Occidentalibus; Contra Reuerendissimum Patrem Cassuuinum Nichiel Præpositum Generalem, nec non Adm. A. P. Pirrum Gherardum Procuratorem generalem Societatis Iesu, & alios Clericos Regulares eiusdem Societatis in dicta Angelopolitana Diœcesi commorantes, & eorum quemlibet, tàm coniunctim, quam diuisim, & alias omni &c. In officio Ioannes Radica Sanctissimi D. N. Papæ Cursor, & retulit in scriptis se die decima sexta huius intimasse, & exequutum fuisse personaliter monitorium in Actis expeditum super paritione, exequutione, obseruantia plurium litterarum Apostolicarum in eo præinsertarum tradita copia collationata dicto Reuerendissimo Patri Generali, & Procuratori generali, prout in dicto monitorio originali, quod facto reproduxit prout in octo foliis, quæ facto dedit tenoris sequentis, videlicet. Innocentius Papa Decimus. Ad futuram rei memoriam. Aliàs à Nobis emanarunt litteræ in simili forma Breuis tenoris sequentis, videlicet, Innocentius Papa Decimus. Ad futuram rei memoriam. Cum sicut accepimus aliquæ fuerint ortæ differentiæ inter Ven. Fratrem Ioannem Episcopum Angelopolitanum, siue Populi sanctorum Angelorum in Indiis Occidentalibus ex vna, & Dilectos filios Clericos Regulares Sociatatis Iesu partibus ex altera de & super munere prædicationis Verbi Dei, tàm in propriis eorumdem Clericorum Regularium petita solum Episcopi Benedictione, quam in alienis Ecclesiis, petita, & obtenta ab eodem Episcopo Diœcesano licentia exercendi, nec non super Confessionibus Laicorum audiendis præuio examine, siuè approbatione eiusdem Episcopi Diœcesani, quæ dicti Clerici Regulares in vim priuilegiorum prædictæ Societati Apostolica auctoritate concessorum sibi proprio iure, licere prætendebant & desuper in partibus fuerit deuentum ad plures actus iudiciales, & pro parte Clericorum Regularium huiusmodi ad electionem Conseruatorum priuilegiorum huiusmodi: Nobisque tam dicti Ioannis Episcopi, quam eorumdem Cle-

ricorum

ricorum Regularium nomine pro sopiendis differentiis huiusmodi, quædam dubia decisionem differentiarum prædictarum, nec non Iurisdictionem ordinariorum in exemptos, & ipsorum Clericorum Regularium exemptionem à iurisdictione ordinarij concernentia fuerint proposita, ad quæ ambæ partes responderi, & quid desuper obseruandum sit auctoritate nostra Apostolica statui, & stabiliri desiderabant; Nos qui omnium fidelium, & præsertim Ecclesiasticorum quieti libenter incumbimus differentias prædictas, totumque negotium particulari Congregationi aliquorum Ven. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, & dilectorum filiorum Romanæ Curiæ Prælatorum examinan. commisimus. qui auditis sæpius Procuratoribus prædictis Ioan. Episcopi. nec non Procuratore generali Societatis prædictæ negocio mature discusso omnibus dubijs, & petitionibus hincinde propositis responderunt, prout sequitur videlicet. Sacra Congregatio à Sanctissimo Domino Nostro deputatata super controuersiis vertentibus inter Episcopum Angelorum in Indiis occidentalibus, & Religiosos Societatis Iesu sæpius auditis Procuratoribus ab eodem Episcopo ad Vrbem allegatis; nec non ipsius Societatis Procuratore generali, negocioque accurate discusso censuit prædictos Religiosos nequaquam posse in Ciuitate, & Diœcesi Angelopolitana personarum secularium confessiones audire sine approbatione Episcopi Diœcesani, nec verbum Dei prædicare in Ecclesiis sui ordinis, non petita ipsius Benedictione, nec in aliis Ecclesiis sine eius licentia, nec in Ecclesiis etiam sui ordinis ipso contradicente, & contrauenientes ab Episcopo tanquam Sedis Apostolicæ Delegato coerceri, & puniri posse etiam censuris Ecclesiasticis in vim Constitutionis san. mem. Gregorij XV. quæ incipit Dei prouidentia; Ac proinde memoratis Religiosis qui huiusmodi approbationem, ac licentiam se obtinuisse non docuerint, potuisse Episcopum, seu eius generalem Vicarium præcipere sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, vt à Confessionibus audiendis, & verbi Dei prædicatione abstinerent, nec ob eam causam licuisse dictis Religiosis quasi à manifestis iniuriis, & violentiis eligere Conseruatores, eosque vt prædicitur electos in Episcopum eiusque Vicarium generalem indebitè, ac nulliter excommunicationem fulminasse. Cæterum Sacra Congregatio serio in Domino hortatur, ac monet Episcopum, vt Christianæ mansuetudinis memor erga Societatem Iesu, quæ laudabili suo Instituto in Ecclesia Dei tam fructuose laborauit, ac sine intermissione laborat paterno se gerat affectu, eamque in regimine Ecclesiæ suæ per vtilem Adiutricem agnoscens benigne foueat, ac pristinæ suæ beneuolentiæ restituat quemadmodum Sacra Congregatio ipsum facturum confidit, sibique certò pollicetur, cum eius zelum, pietatem, ac pastoralem sollicitudinem compertam habeat. Datum Romæ die 16. Aprilis anno 1648. & præmissorum occasione pro parte prædicti Ioannis Episcopi; nec non Religiosorum Societatis Iesu in eadem Congregatione proposita fuerunt diuersa dubia de mādato Sanctissimi resoluenda, quæ quidem Sac. Congregatio sæpius auditis, vt in præmissis ab eodem Episcopo ad Vrbem missis, nec non Procuratore Generali ipsius Societatis, negocioque maturè perpenso ad singula dubia ab vtraque parte proposita, respondit, ordine quo sequitur. Primo an in casu quo Episcopus præcipiat decreta aliqua Concilij Tridentini à Regularibus obseruari, & executioni demandari Regulares quicumque etiam Societatis Iesu sub prætextu, quod huiusmodi Præcepta infringant sua priuilegia possint eligere Conseruatores? Congregatio respondit, si Episcopus præcipiat Regularibus etiam Societatis Iesu, vt decreta aliqua Concilij Tridentini obseruent, ac exequantur in illis casibus, in quibus per ipsum Concilium, vel Constitutiones Apostolicas Regulares exempti subiiciuntur iurisdictioni, & correctioni Episcopi minime licere ipsis Regularibus ob eam causam Conseruatores eligere. Secundo, An quando Ordinarius procedit iuris ordine seruato aduersus Regulares prædictos in casibus, in quibus per Concilium Tridentinum, vel Constitutiones Apostolicas ipsi subiiciuntur, possint Conseruatores Iudices assignare? Respondit, vt ad proximum non posse. Tertio, an Regularibus etiam Societatis Iesu asserentibus se, habere priuilegia, quo minus obediant Episcopo in executione decretorum iuris communis Concilij Tridentini, & Constitutionum Apostolicarum, ordinarij debeant ipsis adhibere fidem, absque exhibitione huiusmodi priuilegiorum? Respondit, ordinarios non teneri huiusmodi assertioni fidem adhibere absque integrali priuilegiorum exhibitione. Quarto an in casu quo Regulares quicumque etiam Societatis Iesu exhibeant aliqua priuilegia, & ordinarij iudicent ea non suffragari casui, de quo agitur, & ad rem non facere Regulares prædicti possint, & debeant prouocari ad Summum Pontificem; vel in partibus Indiarum remotissimis ad Metropolitanum, siuè ordinarium viciniorem, vel potius possint hoc casu eligere Iudices Conseruatores? Respondit, si verba priuilegiorum sint obscura, & ambigua, non licere recurrere ad Metropolitanum, vel Viciniorem Episcopum, nec Conseruatores eligere sed Summum Pontificem pro interpretatione esse adeundum. Quintò, Vtrum Constitutio fel. rec. Gregorij XV. circa Conseruatores Regularium publicata anno 1621. cum declarationibus Eminentissimorum Sac. Congregationis Concilij Tridentini interpretum desuper editis æquè afficiat, & comprehendat Religiosos Societatis Iesu, ac reliquos Regulares, ita vt omnia alia prædicta Societatis priuilegia fuerint reducta ad terminos dictæ Constitutionis, & sic imposterum debeant ab iis, eligi Conseruatores, iuxta formam, & tenorem prædictæ Constitutionis? Respondit, huiusmodi Constitutionem cum declarationibus, vt præfertur, editis æquè afficere Religiosos Societatis Iesu, atque aliorum ordinum & Conseruatores ad illius præscriptum esse eligendos, non obstantibus quibusuis priuilegiis; quippè quæ omnia sunt redacta ad terminos ipsius Constitutionis. Sextò, an Regulares prædicti grauati ære alieno, vel ad ratiocinia, vel Testamentorum, exequutores possint conueniri coram ordinario, si Conseruatores non nominauerint intra tempus habile ab Ordinario præscriptum? Respondit, Regulares in causis præfatis coram Ordinario loci esse conueniendos, si ad præscriptum Constit. san. mem. Greg. XV. Conseruatores non elegerint, Ipsiusque electionis documentū intra præfinitum tempus in actis Curiæ ipsius Ordinarij non exhibuerint ac dimiserint. Septimò, an dicti Regulares Conseruatores siuè ad priuilegia tuenda assumentes teneantur ante exercitium commissionis præstare cautionem coram Ordinario, siuè alio Iudice Competenti de Iudicio sisti, & iudicatum soluendo, casu quo in lite siue Causa succubuerint? Respondit, non teneri. Octauò, an quando

quando Epiſcopi iura, vel decimas Cathedralium aduerſus Regulares prædictos dote ſua ſpoliantes Eccleſias coram Iudice competente tuentur, libroſque memorialia, & allegationes producunt Ius Eccleſiarum Cathedralium exprimentes, & acquiſitiones Religioſorum, aliaque id generis adnumerantes, huiuſmodi ſcriptorum occaſione poſſint Regulares nominare Conſeruatores prætendentes iniuriam ſibi inferri in referendo immoderatas acquiſitiones? Reſpondit, ſi Epiſcopi pro tuendis Iuribus Cathedralium Eccleſiarum coram Iudice Competenti huiuſmodi ſcripta producant, & Regularium immoderatas acquiſitiones veraciter, & modeſtè referant, non licere Regularibus ob eam cauſam ad Conſeruatores recurrere. IX. Vtrum Regulares quicumque etiam Societatis Ieſu poſſint adminiſtrare Sacramentum pœnitentiæ ſecularibus abſque licentia Epiſcopi diœceſani, etiam ſi in aliena diœceſi approbatus ſit? Reſpondit, Regulares etiam Societatis Ieſu in vna diœceſi ab Epiſcopo approbatos ad Confeſſiones perſonarum ſecularium audiendas nequaquam poſſe in aliena diœceſi huiuſmodi Confeſſiones audire, ſine approbatione Epiſcopi Diœceſani. X. An Epiſcopus contra dictos Regulares audientes in ſua diœceſi Confeſſione ſecularium abſque ſua approbationes, vel Concionatores abſque licentia Epiſcopi intra & extra proprias Eccleſias poſſit procedere, eos à talibus miniſteriis remouendo, ſiue præceptis, & aliis Iuris remediis coercendo? Reſpondit, eiſdem Regularibus, qui Confeſſiones perſonarum ſecularium audiunt ſine approbatione Epiſcopi loci, vel, prædicant, in Eccleſiis ſui Ordinis non petita illius benedictione, aut in aliis Eccleſiis abſque ipſius licentia, vel in Eccleſiis etiam ſui ordinis ipſo contradicente poſſe Epiſcopum in vim Conſtitutionis felic. record. Gregorij XV. quæ incipit, Inſcrutabili Dei prouidentia, tanquam Sedis Apoſtolicæ Delegatum adminiſtrationem Sacramenti pœnitentiæ, ac munus prædicationis interdicere, eoſque iuris remediis coercere, & punire. XI. An quando Epiſcopo conſtat dictas licẽtias obtentas non fuiſſe, ipſe poſſit præcipere, vt donec licentiam intra præſcriptum tempus exhibeant à tali miniſterio abſtineant, & An requirendus ſit per Epiſcopum pro his exhibendis Prouincialis in alia diœceſi, vel longiſſimè exiſtens vel ipſi Regulares Confeſſarij, vel eorum ſuperiores eiuſdem Diœceſis, in qua prædicta exercent? Reſpondit, poſſe Epiſcopum ſic præcipere, nec pro huiuſmodi licentiis requirendum eſſe Prouincialem, ſed ſatis eſſe ipſos Religioſos requirere, aut eorum ſuperiores in diœceſi Epiſcopi exiſtentes. XII. An ſi contingat, vt aliquis prædictorum Regularium inſurgat contra Epiſcopum in propria diœceſi, maledictis cum ſcripto, vel dicto Populum ſcandalizando poſſit ab Epiſcopo puniri, & qua animaduerſione, & quid ſi huiuſmodi delinquens tranſiuerit ad aliam diœceſim hoc caſu ſeruandum ſit? & qua pœna puniendus ſit Regularis, qui commorans in vna Diœceſi ſpargat famoſos libellos contra Ordinarium alterius diœceſis? Reſpondit, ſi Regularis intra Clauſtra degens extra ea in caſibus in dubio expreſſis ita notorie deliquerit, vt Populo ſcandalo ſit Epiſcopo inſtante teneri ſuperiorem Regularem infra tempus ab Epiſcopo præfigendum ſeuere illum punire, ac de punitione Epiſcopum certiorem facere; alioquin ſic delinquentem ab Epiſcopo puniri poſſe ad præſcriptum Concilij Tridentini capite 14. ſeſſ. 25. de Regul. quod ſi delinquẽs ad aliam diœceſim migrauerit, ſeruandum eſſe quod præcipitur in Conſtitutione ſan. me. Clementis Octaui incipien. *Suſcepti muneris ratio.* XIII. An Conſeruatores nominati, & electi à Regularibus prædictis ante exercitium ſuæ Religionis teneantur electionis authenticum documentum exhibere coram Ordinario ſub pœna nullitatis actuum? Reſpondit, vtique teneri. XIV. An priuilegia, quæ ſunt contra iuriſdictionem Ordinarij, & quibus gaudent, & gaudere prætendunt Regulares prædicti debeant Epiſcopis notificari, ſiuè inſinuari? Reſpondit, Regulares teneri huiuſmodi priuilegia Epiſcopo exhibere, ſi eis vti voluerint. XV. An prædicta ruſtica metallorum, fodinæ, ſacchari, opificinæ à Regularibus Societatis, vel aliis poſſeſſa, vel aliæ Domus ſeculares, in quibus, videlicet vnus, vel duo Regulares tantum commorantur, gaudeant priuilegio Collegiorum, ſeu Conuentuum? Reſpondit, non gaudere. XVI. Vtrum Regulares prædicti Apothecas quarumcumque mercium, macella, & ſimilia præſertim propè Collegia, ſiue Conuentus exercentes poſſint ab Ordinario ſub cenſuris inhiberi, ne huiuſmodi exerceant? Reſpondit, non poſſe Epiſcopum hoc prohibere Regularibus exemptis, ſed ſi in præmiſſis ita notoriè delinquant extra clauſtra, vt Populo ſcandalo ſint, ſeruandum eſſe, quod dictum eſt ſupra in reſponſione ad duodecimum. XVII. Vtrum Regulares, etiam Patres Ieſuitæ in ſuis prædiis, opificinis, aliiſque ſuis Domibus ſæcularibus ſitis intra limites Parochialium ad ſe non ſpectantium, poſſint adminiſtrare Sacramentum Baptiſmatis, ſolemnis Matrimonij, extremæ Vnctionis, & Euchariſtiæ in feſto Paſchatis famulis, mercenariis Ruſticis? ſiue aliis id genus Hominibus ſecularibus abſque Ordinarij, vel Parochi licentia? Reſpondit, non poſſe. XVIII. Vtrum Patres Societatis in Ciuitate, & Diœceſi Angelorum poſſint conſecrare vaſa ſacra, altaria, & ſimilia, in quibus Vnctio requiritur? Reſpondit, itidem non poſſe. Pro parte vero Religioſorum Societatis Ieſu propoſita fuerunt infraſcripta dubia. Primo, An, Epiſcopi in partibus Indiarum poſſint ex integro totum vnum Monaſterium vel Collegium ab audiendis Confeſſionibus ſuſpendere? Reſpondit, Epiſcopus Indiarum poſſe quidem omnibus ſimul vnius Monaſterij, vel Collegij Confeſſariis adimere facultatem audiendi Confeſſiones perſonarum ſecularium, etiam inconſulta Sacra Congregatione Epiſcoporum, & Regularium negotiis præpoſita, cum decretum ab ea, editum ſub die 20. Nouembris 1615. ex intentionis defectu, & conuenientia, morali, non extendatur ad Regiones illas tam longè ab Vrbe diſſitas. Verum ab hac generali ſuſpenſione, quæ vix ſine ſcandalo, & animarum pernicie contingere poteſt, abſtinendum eſſe Epiſcopis, niſi grauiſſima ſubſiſtente cauſa ſuper quo Sacra Congregatio illorum conſcientias grauiter voluit eſſe oneratas. Secundo An Epiſcopus Regularem pro confeſſionibus ſemel approbatum ſine noua cauſa ſuſpendere poſſit ab ipſis confeſſionibus audiendis? Reſpondit, Regulares alias liberè ab Epiſcopo præuio examine approbatos ad audiendas confeſſiones perſonarum ſecularium ab eodem Epiſcopo ſuſpendi non poſſe ſiue noua cauſa, eaque ad confeſſiones ipſas pertinente. Tertio An Bulla Pij Quinti trigeſimaquarta in ordine tomo ſecundo, Bullarij conceſſa

inſtante,

instante, & supplicante Serenissimo Rege Catholico, non ad petitionem Regularium sit reuocata in Bullis Summorum Pontificum, in quibus exemptiones Regularium mitigantur? Respondit, agendum cum Sanctissimo, an velit declarare Bullam non esse reuocatam, illam tamen non suffragari, nisi in locis, vbi est defectus Parochorum. Quarto An Episcopus possit cum censuris procedere contra Regulares exemptos, si inobedientes fuerint in confessionibus audiendis, vel prædicatione verbi Dei, & hoc, An vigore Concilij Tridentini, vel per quem Canonem? Respondit, posse procedere non quidem in vim Concilij Tridentini, sed in vim Constitutionis Gregorij XV. quæ incipit Inscrutabili Dei prouidentia. Quinto, An licentia audiendi confessiones, & prædicandi ab Episcopo per litteras missiuas; An solum per litteras patentes Cancellariæ concedi possit? Respondit, posse concedi etiam per litteras missiuas, vel oretenus si ita Episcopo videbitur. Sexto An talis licentia oretenus sine scriptis concedi possit? Respondit, vt, ad proximum. Septimo An facultas eligendi conseruatores concessa Societati à Gregorio XIII. suffragetur illis in locis, in quibus non adsunt Iudices synodales? Respondit, vbi non adsunt Iudices synodales priuilegium Gregorij XIII. non suffragari, quo ad hoc, vt Societas non teneatur ex illis eligere Conseruatores, dummodo tamen in reliquis seruetur forma Constitutionis Greg. XV. hac de re editæ. Octauo An Conseruatores Societatis Vicarios Generales Episcoporum auctoritate Apostolica per sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas compellere possint virtute Bullæ Gregorij XIII. incipien. æquum reputamus. Dat. vltima Februarij 1573. Respondit, posse à manifestis iniuriis, & violentiis eos compescere etiam censuris, & pœnis Ecclesiasticis. Datum Romæ die 16. Aprilis 1648. Quapropter, vt præmissa firmius subsistant, & inuiolabiliter obseruentur. Nobis pro parte Ioannis Episcopi huiusmodi fuit humiliter supplicatum, vt illa auctoritate Apostolica confirmare de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur D. Ioannis Episcopi votis hac in re annuere, illumque specialibus fauoribus, & gratiis prosequi volentes, & eumdem Ioannem Episcopum à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à iure, vel ab homine quauis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequen. harum serie absoluentes, & absolutum fore censentes huiusmodi supplicationibus inclinati præinserta responsa, seu resolutiones auctoritate prædicta tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque Apostolicæ firmitatis vim, & robur adiicimus, & inuiolabiliter obseruari mandamus, salua tamen semper in præmissis auctoritate dictæ Congregationis, decernentes sic, & non aliter in præmissis per quoscumque Iudices ordinarios, etiam Delegatos, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos iudicari, ac diffiniri debere, ac irritum & inane si secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Apostolicis, ac in vniuersalibus, prouincialibusque & synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus & ordinationibus, nec non Ecclesiæ Angelopolitanæ, ac Societatis prædictæ, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel alia quauis firmitate roboratis, statutis, consuetudinibus, priuilegiis quoque indultis, & litteris Apostolicis eidem Ecclesiæ, & Societati, sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusuis etiã derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus & insolitis clausulis, ac decretis etiam irritantibus etiam motu proprio, ac etiam consistorialiter, & alias quomodolibet in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus & singulis etiam si pro sufficienti illorum derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret illorum omnium, & singulorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad effectum præmissorũ specialiter, & expresè derogamus cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud S. Mariam Maiorem sub Anulo Piscatoris die 14. Maij 1648. Pontificatus nostri anno 4. Et subinde cum Clerici Regulares Societatis prædictæ prætendentes ex pluribus capitibus præinsertas nostras litteras non esse iustificatas, nouam desuper à Nobis audientiam obtinuissent. Nos negocium huiusmodi particulari Congregationi nonnullorum Ven. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, ac dilectorum filiorum Rom. Curiæ Prælatorum examinan. & definien. cõmisimus, qui partibus etiam in contradictorio plùries auditis earumque oppositionibus maturè perpensis, easdem præinsertas nostras litteras esse iustificatas, ac proinde illarum executionem nullatenus esse impedien. aut retardandam decreuerunt. Nosque deinde decretum huiusmodi, ac omnia, & singula in eo confirmauimus. Postmodum vero petita etiam ab ipsis Clericis Regularibus dictæ Societatis noua audientia super eorum Conseruatorum electione, & deputatione emanauit, itidem, à particulari Congregatione nonnullorum Ven. fratrum nostrorum eiusdem S. R. E. Cardinalium, ac dilectorum filiorum D. Rom. Curiæ Prælatorum à nobis super hoc specialiter deputatorum Decretum tenoris sequentis videlicet. Proposito dubio in causa vertente inter Episcopum Angelopolitanum, & PP. Societatis Iesv; An ex aliis causis, quã in breui expressis fuerit locus electioni Conseruatorum. Congregatio particularis nonnullorum S. R. E. Cardinalium, & Rom. Curiæ Prælatorum à S. D. N. super hoc specialiter deputata repetito mandato, vt pareatur Breui in eo, in quo non fuerit paritum, censuit non fuisse locum electioni talium Conseruatorum, & in hac causa perpetuum silentium esse imponend. prout præsenti decreto imponit. Datum Romæ die 17. Decembris 1652. Cum autem sicut eiusdem Ioannis Episcopi nomine nobis nuper expositum fuit ipse decretum præinsertum, quo firmius subsistat, Apostolicæ nostræ confirmationis robore communiri summopere desideret. Nos eiusdem Ioannis Episcopi votis hac in re benignè annuere, ac illum specialibus fauoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à iure, vel ab homine quauis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequen. harum serie absoluentes, & absolutum fore censentes supplicationibus eius

nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati Decretum præinsertum, ac omnia, & singula in eo contenta Apostolica auctoritate ten. præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inuiolabilis Apostolicæ firmitatis robur adiicimus, ac illa inuiolabiliter obseruari mandamus. Decernentes sic, & non aliter in præmissis per quoscumque Iudices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, ac S.R.E. Cardinales etiam de Latere Legatos iudicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus omnibus illis, quæ in eisdem præinsertis nostris literis voluimus non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud S. Mariam Maiorem sub Anulo Piscatoris die 27. Maij 1653. Pontificatus nostri anno 9.

G. Gualterius.

Loco † sigilli.

De mandato Illustriss. & Reuerendiss. A. C. siue R. P. D. Baranzoni eius in Ciuilibus causis Locum tenentis, & ad instantiam Illustriss. & Reuerendiss. D. Don Ioannis de Palafox, & Mendoza Episcopi Angelopolitan. Ciuitatis, siue Populi Sanctorum Angelorum in Indiis Occidentalibus.

Intimetur Reuerendiss. Patri Cassuuino Nichiel Præposito Generali Societatis IESV, omnibusque & alia, & singulis, etiam Clericis Regularibus Ministris, Assistentibus, Procuratoribus, & Officialibus, eiusdem Societatis in executione præsẽtium nominan. & cognominan. qualiter S. D. N. Innocentius Papa Decimus suis Apostolicis litteris in forma Breuis, ac sub Anulo Piscatoris expeditis prius sub die 14. Maij 1648. seu, &c. deinde confirmatis cum alio simili Breui expedito die vigesimoseptimo Maij 1653. seu, &c. decidit, resoluit, ac determinauit, plures differentias, controuersias, & causas inter ipsum Illustriss. D. instantem ex vna, & R R. Clericos Regulares Societatis IESV Prouinciæ Mexicanæ in prædictis Indiis Occidentalibus suscitatas, & olim pendentes, & sic semel, & iterum seruari, & exequi mandauit, vt in præinsertis litteris Apostolicis in actis, & processu causæ suis loco, & tempore exhiben. latius continetur.

Ideo moneantur iidem Reuerendiss. Pater Cassuuinus Nichiel Præpositus Generalis dictæ Societatis IESV omnesque alij etiam Clerici Regulares, Ministri, Assistentes, Procuratores, & Officiales eiusdem Societatis, & eorum quilibet in executione præsentium nominan. & cognominan. & sua quomodolibet, tam coniunctim, quam diuisim, & alias omni, &c. interesse putan. sibique in totum, vel in parte contentorum in prædictis litteris Apostolicis quouis modo tangen. & incumben. etiam omni, &c. quatenus infra triduum proximum sub pœna ducatorum mille auri de Camera ipsi Cameræ Apostolicæ applican. & pro illis mandati executiui, ac in iuris subsidium excommunicationis, suspensionis à Diuinis, Interdicti ab ingressu Ecclesiæ aliarumque censurarum, & sententiarum, nec non sub eisdem excommunicatione, suspensione, interdicto, & aliis censuris, & pœnis arbitrio Illustriss. & Reuerendiss. D. A. C. siue dicti, aut alterius pro tempore existen. eius in Ciuilibus causis Locum tenentis etiam omni meliori modo & debeant, & eorum quilibet debeat verè, realiter & vim effectu litteras Apostolicas prædictas, omniaque & singula in eis contenta quæcumque obseruasse, adimpleuisse, & totali executioni demandasse, illisque in omnibus, & per omnia iuxta eorum formam & tenorem omnino paruisse, & obediuisse, & pro paritione, & executione prædictis viden. & audien. fieri, ferri, & promulgari quascumque sententias declaratorias, & diffinitiuas de, & super præmissis omnibus, & singulis, & eorum quomodolibet necessarias, & opportunas, decernique, & relaxari quodcumque mandatum de manutenendo, & quatenus opus sit, & non alias, &c. de quo, &c. omni, &c. de immittendo, ac de reintegrando executiuum ad factum, & quodcumque aliud desuper necessarium, & opportunum, & alias prout quando, & quoties opus fuerit, & facti necessitas, & indigentia rei exigat, ac iuris ordo dictabit, eidemque D. A. C. siue dicto eius D. Locum tenenti videbitur, & placuerit expedire, & cum eodem Illustriss. D. Instante deducen. circa præmissa omne ius suum, omnemque actionem sibi de iure quomodolibet competen. iuri stetisse, iusque, & iustitiam fieri, & administrari vidisse præmisso, & omni alio meliori modo, præsentibusque omnino paruisse, & si quis, &c. compareat, &c. alioquin, &c. Et insuper supradictis omnibus, & singulis monitis, vel monendis, vt supra in executione præsentium nominan. & cognominan. inhibeatur, ne visis, receptis, aut exequutis præsentibus sub iam dictis sententiis, censuris, & pœnis audeant, nec præsumant, nec eorum aliquis audeat, vel præsumat in præiudicium dicti Illustriss. D. Episcopi Instantis, & contra formam seriem, & tenorem præinsertarum litterarum Apostolicarum, & contentorum in eis quicquam attentare, nec innouare, minusque attentari, nec innouari facere per se, nec per alios, sub quouis prætextu causa, ingenio, vel quæsito colore quoniam in vim earumdem litterarum Illustriss. Dominus ita mandauit & nihilominus si quis, &c. compareat, &c. alioquin. &c. Datum Romæ ex ædibus nostris die 8. Augusti 1653. Præinsertæ litteræ Apostolicæ cum suo originali reuisæ concordant Ioachinus Valtrinus officialis deputatus, &c. Hi. Datarius. Loco † sigilli D. Datarij. Franciscus Iacobus Belgius Notarius. Loco † sigilli. Eisdem anno, indictione, mense, & Pontificatus quibus supra, die vero decimanona Augusti pro Reuerendiss. Patre Generali Ven. Societatis IESV; Contra quoscumque legitimè comparituros pro Illustriss. & Reuerendiss. D. Episcopo Angelorum in Indiis Occidentalibus. In officio Adm. R. P. Pirrus Gherardus Procurator Generalis dictæ Societatis in termino eiusdem Monitorij, cum præinserta copia duarum litterarum Apostolicarum expeditarum in forma Breuis sub diebus 14. Maij anni 1648. & 27. Maij 1653. seu, &c. emanatarum super terminatione certarum differentiarum, seu controuersiarum, alias verten. inter dictum Illustriss. & Reuerendiss. D. Episcopum ex vna, & RR. Clericos Regulares dictæ Societatis cõmorantes in Diœcesi Angelopolitana pro Animarum salute expediti per acta mei de præsenti mense Augusti, ac dicto Reuerendiss. P. Generali per vnum ex Sanctiss. Domini Cursoribus intimati continen. quatenus sub certis in eo contentis pœnis debeat verè, realiter, & cum effectu litteras Apostolicas prædictas, omniaque & singula in eis contenta quæcumq; obseruasse, adimpleuisse, & totali executioni demandasse, illisque in omnibus, & per omnia iuxta eorum formam, & tenorem omnino paruisse, & obediuisse, & alias latius, vt in copia dicti

Monitorij

Monitorij ad quod, &c. dixit dictum Reuerendiss. Patrem Generalem, ipsumque comparentem omnes litteras Apostolicas, quarum executio ipsis dirigatur, seu ad ipsos quomodolibet spectare dignoscatur ab initio earum expeditionis suprà caput reuerentissimè prout tenentur recipere, seque prōptos, & paratos, & promptissimos, & paratissimos pro illis omnimodè obseruandis animo, & corde, ac verbis, & facto semper, & omni tempore exhibuisse, & exhibere proindeque pro illarum obseruantia opus non fuisse, nec esse compulsu litterarum Monitorialium, in reliquis si quid aliud vltra prædicta ex aduerso prætendatur, quod non creditur, citra consensum in iurisdictionem, nisi si & quatenus opus sit, & non alias dixit ad illa non teneri, nec obligatos existere, ac in illis, & quoad illa nihil fieri, nisi docto de legitimo mandato ex aduerso comparentis, seu comparentium, & ser. ser. ver. verb. aliàs, &c. omni, &c. modo, &c. Super quibus omnibus, & singulis præmissis petitum fuit à me Notario publico infra scripto, vt vnum, vel plura publicum, seu publica conficerem, & traderem Instrumentum, & Instrumenta. Actum Romæ in officio mei Notarij infra scripti diebus, & anno prædictis præsentibus D D. Dominico Buratto, & Mutio Gallo Connotariis Testibusad præmissa vocatis habitis, atque rogatis.

Loco † signi.

Ego Franciscus Jacobus Belgius Virdunen. Cur. Caus. Cam. Apost. Not. de præmissis rogat. præsens Instrumentum subscripsi, & publicaui req.

SVMMARIVM.

Ius patronatus est potestas alicui concessa præsentandi ad beneficium in aliqua Ecclesia. n. 1.
Patronus est ille qui habet tale ius. ibid.
Duplex est ius patronatus, Ecclesiasticum, & laicum ibidem.
Quid vtrumque. ibid.
Vt aliquis sit Patronus aliquot conditiones sunt necessariæ. n. 2.
Interueniente etiam auctoritate, & consensu Ordinarij. n. 3.
Quid autem si Ordinarius non consenserit. ibid.
Potest ius patronatus præscriptione acquiri. n. 4.
Non sic respectu electionis Prælatorum. ibid.
Est honorificum, vtile, & onerosum. n. 5.
Ecclesia quæ est iuris patronatus vniri non potest sine consensu Patroni. n. 6.
An sit materia simoniæ, & quomodo. n. 7.
Quid de actu istius iuris, scilicet præsentatione ad beneficia. ibid.
Transire tamen potest cum re vendita. n. 8.
Dummodo ratione illius res carius non vendantur. ibi.
Non potest Patronus ius patronatus in alios transferre, nisi modo, & casibus à iure expressis. n. 9.
Tribus modis potest ex vno ad alium transire. n. 10.
An transeat in Monasterium si patronus fiat Religiosus. n. 11.
Quæ Monasteria sint capacia. ibid.
An tunc debeat præsentare Religiosus, vel potius Monasterium, vel Superior. ibid.
Nouitius Patronus per se ipsum debet id facere. n. 12.
Quid si Monachus fundaret, construeret, vel dotaret Ecclesiam. n. 13.
Quis debeat præsentare, Superior, vel Monasterium. num. 14.
Præsentatio beneficij facta à Religioso sine licentia an sit irrita. n. 15.
Quid quando Religiosus præsentat vt procurator. numero 16.
Catholici Reges Hispaniarum Patroni sunt in illis partibus. n. 17.
Prætεrea in illis præsentant. ibid.
An debeant præsentare digniores. ibid.
An possit quis de bonis incertis fundare Ecclesiam reseruando sibi ius patronatus. n. 18.
Quid dicendum de fundatoribus Capellarum. numero 19.
An habentes facultatem nominandi Capellanos sint patroni. ibid.
Tenentur Patroni ad beneficia præsentare digniores. num. 20.
An idem de patronis laicis. ibid.
Præsentare indignum semper est peccatum mortale. num. 21.
Quas pœnas incurrat sic faciens. ibid.
Patroni an possint variare. n. 22.
Conditiones appositæ à fundatore iuris patronatus qualiter obseruandæ. n. 23.
Insignia non auferenda. ibid.
Quid de aliis benefactoribus, qui solum ius sepulturæ habent. ibid.
Conditiones appositæ contra ius naturale, vel diuinum non obseruandæ. n. 24.
Quid si eæ sint contra ius positiuum. ibid.
Num possint Patroni se ipsos præsentare. n. 25.
An pater filium. ibid.
An quando plures sunt compatroni. ibid.
An possint exigere aliquod seruitium, vel tributum. num. 26.
Quid si consuetudo sit in contrarium. ibid.
An requiratur quod concordent omnes Patroni in præsentando. n. 27.
Quid si dissentiant. ibid.
Præsentantes aliquem Apostatam quam pœnam incurrunt. n. 28.
Quando faciendus est concursus inter præsentatos. numero 29.
Quæ declarata sint circa Patronos. n. 30.



CAPVT XI.

De Patronis Monasteriorum, seu Ecclesiarum Regularium, eorumque facultatibus.

IVs Patronatus est potestas alicui concessa præsentandi instituendum ad beneficium Ecclesiasticum in Ecclesia pro eo quod eam fundauit, construxit, vel dotauit Rodriguez *tom. 2. quæst. Regul. q. 12 2. art. 1.* Vnde patronus erit ille qui habuerit tale ius, & Patronus Monasteriorum Regularium ille qui habuerit tale ius in Monasteriis, seu Ecclesiis Regularium, de quo in præsenti. Non enim loquimur de iure patronatus ciuili, scilicet, quod iure ciuili introductum fuit, & conuenit Patrono respectu liberti, seu bonorum eius, sed de iure patronatus Canonico. Hoc autem ius patronatus est duplex Ecclesiasticum scilicet, & laicum. Ius patronatus Ecclesiasticū est, quod cōpetit personæ Ecclesiæ, vel ratione dignitatis, aut beneficij 1

neficij sui: putà, quia est Episcopus, Præpositus, Decanus, vel ratione fundationis, constructionis, vel dotationis à se factæ ex bonis Ecclesiasticis. Laicum est, quod conuenit, alicui, seu laicæ, seu Ecclesiasticæ personæ, ratione fundationis, constructionis, vel dotationis ex bonis propriis, siue patrimonialibus. Couarruuias *cap.* 36. *pract. qq. num.* 2. Layman. *in Theolog. moral. libro* 2. *tract.* 2. *capite* 13. *numero* 4.

2 Ad hoc quod aliquis sit Patronus, seu, vt habeat prædictum ius patronatus in prædictis Monasteriis, seu Ecclesiis Regularium requiritur primò quod illud acquisierit vno ex tribus modis supra assignatis, scilicet fundatione, constructione, vel dotatione. Franciscus Leo *in Thesaur. fori Eccles. par.* 2. *c.* 6. *n.* 25. Barbosa *de offic. & potest. Episcop. allegat.* 70. *num.* 1. Fundatione quidem quando assignauit fundum vbi construi deberet, *cap. nobis de iure patronatus.* Iulianus Viuianus *in praxi iuris patronatus par.* 1. *lib.* 1. *cap.* 1. *à num.* 32. Barbosa *vt suprà num.* 2. Constructione, quando fecit expensas pro construenda de nouo Ecclesia. Azorius *in institut. moral. par.* 2. *lib.* 6. *cap.* 11. *quæst.* 10. Zerola *in praxi Episc. verbo ius patronatus pag.* 179. Dotatione autem quando eam fundatam, & constructam dotauit sufficiente arbitrio Ordinarij. Viuian. *dict. part.* 1. *l.* 1. *c.* 1. *à n.* 51. Barbosa *vt suprà à n.* 9. Hinc versus.

Patronum faciunt dos, ædificatio, fundus.

Rodriguez *tom.* 2. *quæst. Regul. quæst.* 49. *art.* 7. Layman. *in Theolog. moral. lib.* 4. *tract.* 2. *cap.* 13. *num.* 1. Dotans autem insufficienter ad arbitrium Ordinarij non adquirit ius patronatus, sed dicitur benefactor. Declaratio Sac. Congregat. apud Garziam *de Benefic. p.* 5. *c.* 9. *n.* 52.

3 Ex prædictis tribus causis acquiritur ius patronatus, interueniente tamen auctoritate, & consensu Ordinarij, & non aliter, *ex cap. nobis de iure patronat.* Iulianus Viuianus *part.* 1. *lib.* 1. *cap.* 1. *num.* 24 Barbosa vt suprà *num.* 20. Ordinarij videlicet illius loci, in quo fundatur Ecclesia. Viuianus *num.* 30. Barbosa *num.* 23. Si autem suum consensum præstare noluerit, potest ad eum præstandum compelli à Superiori, Archiepiscopo scilicet, vel Primate. Viuianus *in praxi iuris patronatus lib.* 2. *c.* 1. *n.* 19. *&* 20. *alias* 22. *in* 2. *edit.* Azorius *instit. moral. part.* 2. *lib.* 9. *c.* 3. *q.* 10.

4 Potest item ius patronatus etiam à laicis præscriptione, vel consuetudine acquiri, *ex cap. querelam de elect. & ex cap. generali* 13. Barbosa *vt suprà num.* 17 post alios. Quod tamen limitandum videtur vt non verificetur respectu electionis Prælatorum, ita vt nulla consuetudine, aut præscriptione iuuari possit patronus ad habendum suffragium in aliqua electione Prælati Regularis. Ratio est, nam id est expresse contra Canones Ecclesiasticos, Ecclesiasticam vtilitatem, & disciplinam Nauarr. *comment.* 3. *de Regular. num.* 60. Suarez 4. *tom. de Relig. tract.* 8. *l.* 2. *c.* 6. *n.* 19. Quod sic confirmatur, nam Ius eligendi prælatum Regularem competit solùm eis qui sunt de collegio, *cap. Quia propter* de elect. & cap. *ex eo*, siue ergo sæcularis sit, siue etiam Clericus patronus non potest hoc ius habere. Suarez *vt supr. n.* 9. Barbosa etiam *vt sup. n.* 19.

5 Hoc Ius patronatus habet multa ex iure Canonico ratione quorum honorificum, vtile, & onerosum dicitur. Honorificum quidem, quia Patrono conuenientia obsequia præstari debent, & præsertim illi conceditur honorificus locus in sua Ecclesia. Vtile, quia si patronatus ad egestatem deueniat, Ecclesia debet ei succurrere maiori cura, & obligatione quam aliis pauperibus, capite. *Quicumque*, cum sequentibus. Cui adiungitur saltem ex consuetudine Religionum, quòd pro huiusmodi patronis tùm viuis, tùm defunctis Orationes, suffragia, & sacrificia fieri soleant, prout debent fieri ad minus titulo gratitudinis, cum sint insignes benefactores Monasteriorum. Onerosum autem, quia patronus licitè potest defendere suam Ecclesiam ne bona eius dilapidentur, modo præscripto in cap. *filiis* 16. *q.* 7. Quæ omnia veluti ex natura rei sequuntur ex beneficio quod Patronus fecit Ecclesiæ eam fundando, construendo, vel dotando. Innoc. *in cap. præterea* 2. *de iure patronat.* Suarez *tom.* 1. *de Relig. lib.* 4. *de Simonia cap.* 28. *n.* 1. Layman. *in Theolog. moral. lib.* 4. *tractat.* 2. *capit.* 13. *num.* 8.

Insuper Ecclesia quæ est iuris patronatus, vniri non potest alij Ecclesiæ sine consensu patroni. 6
Quippe præiudicium fit iuri præsentandi quod habet in illa, cum vel tollitur omnino, vel minuitur, vel saltem notabiliter mutatur. Et ideo vt rata sit talis vnio requiritur consensus patroni, Constat ex *cap. suggestum de iure patronatus.* Nauar. *lib.* 3. *consil. in* 1. *edit. tit. de iure patronatus cons.* 3. *num.* 2. Azor. *tom.* 2. *instit. moral. lib.* 6. *cap.* 28. *q.* 12. Quod est verum siue patronus sit sæcularis, siue Ecclesiasticus. Sanchez *libro septimo in decalog. capite.* 29. *nnmero* 168.

Quamuis autem Ius patronatus ratione horum 7
fauorum scilicet, honoris, vtilitatis, & defensionis, non sit materia Simoniæ, cum sint res temporales. Suarez *tom.* 1. *de Relig. lib.* 4. *de Simonia cap.* 28. *n.* 3. Nihilominus sumptum quatenus est ius præsentandi ad Ecclesiastica beneficia in Ecclesia fundata, constructa, vel dotata, materia Simoniæ est, ac subinde peccatum Simoniæ illud vendere *ex cap. de iure, & ex cap. præterea*, vbi id habetur expressè est enim aliquid spirituale beneficium ad quod conferendum ordinatur. Suarez *vt suprà n.* 5. Bonacina *de Simonia q.* 41 1. *num.* 3. Qui etiam satis probabiliter dicunt nō solùm committi Simoniam iure humano introductam in venditione Iuris patronatus, propter prædicta iura, sed etiam iuris diuini. Nam posita institutione Ecclesiæ ius hoc est aliquid spirituale. Specificatur enim ad modum potentiæ à suo obiecto, quod est beneficium Ecclesiasticum, quod etiam est quid spirituale. Idem dicendum de actu illius iuris, scilicet præsentationem ad beneficium, materiam esse Simoniæ. Est enim spirituale, quia per ipsum res spiritualis, scilicet beneficium, confertur, & procedit à principio spirituali, scilicet iure patronatus. Redoanus *de Simonia* 3. *par. c.* 13. *à n.* 22. *& c.* 14. *per totum.* Suarez *vt suprà num.* 11. Vnde præsentans non potest ob præsentationem imponere aliquod onus præsentato ad quod alias non teneretur, vt si obliget illum ad tuendum ius præsentantis, & ad litem pro ipso prosequendam. Cum enim præsentatio sit res spiritualis gratis debet dari, non ob mercedem. Vgolinus *Tab. prima capite* 49. Suarez *vt suprà numero* 14.

Sed quamuis Ius patronatus vendi non possit, 8
transire tamen potest cum re vendita, dummodo ratione illius res illa carius non vendatur. Ratio primæ partis est, quia ius Canonicum quod hanc gratiam patrono fecit, vt præsentaret beneficia in Ecclesia propter fundationem, constructionem, aut donationem ipsius, similiter illam concessit pro hæredibus, & successoribus, *cap. ex litteris, cap. cum*

sæculum

sæculum de iure patron. Ratio verò secundæ est, quia alias iam venderetur illo maiori pretio ipsum ius patronatus. Tabiena *verbo ius patronat. à num. 7.* Suarez *tom. 1. de Relig. lib. 4. de Simon. cap. 28. n. 12. & 13.*

9 Non potest Patronus ius patronatus in alios transferre nisi modo, & casibus à iure expressis. Ratio est, non solùm quia in spiritualibus non possunt laici nisi quod eis à iure permittitur, sed etiam quia ipsa natura Iuris patronatus pendet ab institutione iuris Canonici, & ita ad nihil extendi potest, nisi quod illi à iure conceditur. Menochius *cons. 90. n. 79.* Suar. *to. 1. de Religio l. 4. de Simon. c. 28 numero 15.*

10 Hinc tantum tribus modis, aut casibus potest ius patronatus ex vno ad alium transire. Quia in his tantum hæc facultas Patrono conceditur à iure. Primus est, hæreditario ad hæredes, siue necessario, siue voluntario, *cap. considerandum, & c. si plures 16. q. 7.* Secundus est, per liberalem donationem, quia vnusquisque potest in alium transferre ius suum, *c. Circa de iure patronat.* Requiritur autem ad hoc Episcopi consensus, nisi in casu quo donatio fiat loco Religioso, vt colligitur *ex c. vnico de iure patronat. in 6. & cap. illud.* Tertius est, quando transfertur ius patronatus cum re vendita, iuxta cap. *ex litteris*, & cap. *Cum sæculum, de iure patronat.* De quibus, & aliis ad intentum Suar. *to. 1. de Relig. l. 4. de Simon. c. 8. à n. 15. & deinceps.*

11 Si ius patronatus conueniat alicui iure personæ si fiat Religiosus transit in Monasterium, quia Monasterium succedit in omnia iura Religiosi. Rodriguez *to. 2. q. Regul. q. 122. art. 2. §. At contrarium.* Sanchez *lib. 7. in Decalog. c. 14. n. 2.* Si autem ius patronatus conueniat alicui non ratione personæ, sed ratione bonorum suorum quibus est annexum, tunc si fiat Religiosus tale ius pertinebit ad quem pertinent bona, scilicet vel ad Monasterium, si est capax succedendi, vel ad illum ad quem bona illa transferuntur. Accessorium enim sequitur principale. Rodriguez *vt suprà §. quantum ad primum.* Sanchez etiam *vt suprà num. 5.* Quæ autem Monasteria capacia sint succedendi in bona Religiosi, maximè in ius patronatus dicetur capit. vltimo *num. 11. & 22.* Si verò ius patronatus conueniat alicui, ita vt industria personæ sit electa ad tale munus, tunc si fiat Religiosus, etsi secundum decentiam, & æquitatem, Monasterium, seu Superior non debeant præsentare saltem sine consilio talis Religiosi, vt de se patet, tamen ius præsentandi non Religioso sed Monasterio, vel Superiori competit, quia Religiosus non habet velle, neque nolle, vt habetur in iure. Adeo vt si fundator iuris patronatus dixisset tale ius competere debere Petro ver. gr. ita vt si fiat Religiosus nominet inuito Prælato, talis conditio reiici debeat, ac si non fuisset adiecta, quia scilicet est contra ius commune, vt Religiosus aliquid agat inuito Prælato, vt in simili dictum est *to. 1. c. 6. n. 34.* Rodrig. vt suprà §. *Quantum ad tertium.* Vide infrà *n. 15.*

12 Nouitius autem patronus habens ius præsentandi ad aliquod beneficium per se ipsum debet id facere, cum simpliciter non sit Religiosus, nec suum ius in Monasterium transtulerit. Glossa *in c. Beneficium verbo conferendum in fin.* Sylu. *verbo Religio 5 q. 11.* Sanch. *l. 7. in decalog. c. 4. n. 12.*

13 Si Monachus fundaret, construeret, vel dotaret Ecclesiam, ius patronatus quod inde resultaret Monasterio suo acquireret. Ex generali regula, quod quid quid Monachus acquirit, Monasterio acquirit. Lambertinus *de iure patronatus l. 1. part. 1. quæst. 8. art. 9. num. 7.* Sanchez *lib. 7. in decalog. c. 14. numero 4.*

Quoties ius patronatus transit in Monasterium, neque solus Abbas, seu Superior præsentare potest nisi hoc habeat ex præscripta consuetudine, vel priuilegio, sed id est totius Conuentus, cuius maior pars consentire debet, vt præsentatio legitima sit. Habetur *ex c. Nouit. & c. Quanto, & cap. ea noscitur de his quæ fiunt à Prælato.* Lambertinus *de iure patronat. l. 2. par. 1. q. 2. art. 12. n. 2. & 3.* Sanch. *l. 7. in decalog. c. 14. num. 7.* Quod si præsentatio fiat à solo prælato absque maioris partis consensu, probabilius est irritam esse. Quia etsi *in c. ea noscitur* solùm dicatur, *Institutiones huiusmodi conuenit euacuari*, quod solùm denotat præsentationem esse irritandam, attamen in *cap. Nouit. de his quæ fiunt à Prælat.* absolutè decernitur *carere robore firmitatis.* Lambertin. *vt suprà num. 8.* Sanchez etiam *vt suprà numero 8.* 14

Præsentatio beneficij facta à Religioso ratione iuris patronatus quod illi competebat dum esset sæcularis non solùm est illicita, si fiat sine licentia Prælati, quia vt dictum est Religiosus non habet velle, vel nolle, sed etiam est inualida, quia per professionem ius patronatus iam non est suum, sed Monasterij Lambertin. *de iure patron. l. 2. par. 1. q. 2. art. 11. num. vltim.* Sanchez 7. *in Decalog. cap. 14. numero 10.* 15

Quando autem præsentatio, vel electio non competit Religioso ratione iuris patronatus, sed ex eo quod constitutus est à vero patrono, aut veris electoribus procurator ad præsentandum, aut eligendum, tunc, etsi præsentatio, aut electio ab ipso facta sine licentia prælati illicita sit, quia Religiosus, vt dictum manet, non habet velle, aut nolle, probabile tamen est validam esse, non solùm quia nullo iure irritatur, sed etiam, quia cum tunc non faciat Religiosus nomine suo, sed vt procurator nomine alterius non consideratur ad validitatem actus persona ipsius Religiosi, sed illius qui illi suas vices commisit. Sanch. 7. *in decalog c. 14. à n. 11.* 16

Catholici Reges Hispaniarum patroni sunt in illis partibus Ecclesiarum Collegiatarum sæcularium, & Regularium, multarum scilicet, & ita in illis præsentant Abbates, & alios Præpositos, ex concessione Adriani VI. Nauarrus *in cap. Nullam d. 18. quæstio secunda* Rodriguez *tomo secundo quæst. Regular. quæstio 122. articulo quarto.* Præsentare tamen debent suæ Regiæ Maiestates dignos, iuxta *cap. Monasterium 16. q. 1.* Nauarrus, & Rodriguez *ibidem.* An verò digniores debeant esse ij, qui præsentandi sunt, constabit ex n. 20. 17

Posse aliquem de bonis incertis, quæ pauperibus sunt restituenda, fundare Ecclesiam reseruando sibi, suisque successoribus ius patronatus, etsi aliqui negent, alij probabiliter affirmant. Quia etsi illa bona non sint simpliciter ipsorum, cum possint tamen illa in pia opera distribuere, si ex eis fundent, vel dotent aliquam Ecclesiam sibi, & successoribus prædictum ius patronatus reseruando, nulli faciunt iniuriam. Henriquez 1. *par. lib. 7. de Indulgentiis 33. num. 5.* Rodrigu. *to. 2. q. Regul. q 122. articul. 5.* 18

Præter dictos patronos, habentes scilicet facultatem præsentandi in Ecclesiis à se fundatis, constructis, vel dotatis ad beneficia, sunt alij qui patroni etiam vocantur, eo quod etiam aliquam Ecclesiã, Conuentum, vel Capellam Regularium fundarunt, 19

construxerunt, vel dotarunt, & tamen prædictam facultatem præsentandi non habent, sed à principio fundationis, constructionis, vel dotationis, Missarum aliquarum, vel officiorum diuinorum solemnia in dictis locis quotannis celebrari instituerunt. Et hi non propriè, prout in præsenti patroni dicuntur. Isti autem, qui facultatem habent nominandi Capellanos in aliqua Ecclesia vel Capella, ratione fundationis, constructionis, vel dotationis proprius merentur nomen patronorum, maximè cum Capellaniæ Episcopi auctoritate institutæ sint. Tales namque Capellaniæ, etsi amouibiles sint ad nutum Episcopi, vel patroni, hoc tamen non obstat quominus beneficia Ecclesiastica, vel quasi beneficia dicantur, ad instar beneficiorum Regularium, quæ etiam, vt dictum sæpius est, reuocabilia, & manualia sunt. De hoc Azorius *tom.1. instit. moral. lib.10. cap.4. quæst.4.* Suarez *tom.2. de Relig. lib.4. de orat. cap.22. num.11.* Layman. *in Theolog. moral. lib.4. tract.2. cap.4. num.6.* [Pro quo nota quod huiusmodi Capellaniæ si in Monasteriis sint fundatæ, præsumuntur esse beneficia Regularia nisi aliàs per sæculares solitæ sint regi. Rebuffus *in praxi beneficiorum, in proœmio tit. quotuplex sit beneficium num.6.* & Sanchez *lib.7. in decalog. c.29. num.29.* De iis autem Capellanis plura dico 4. *tom. verb. Missa n.43*]

20 Tenentur patroni quicumque illi sint ad beneficia præsentare digniores. Colligitur ex Concil. Trid. *sess.24. cap.18.* illis verbis: *Si verò Iurispatronatus Ecclesiastici erit, ac institutio ad Episcopum, & non ad alium pertineat, is, quem patronus digniorem inter probatos ab examinatoribus iudicabit, Episcopo præsentare teneatur.* Et ratio est, quia licet beneficia primò, & per se instituta sint in vtilitatem Ecclesiæ, nihilominus sunt etiam præmia illorum, qui in Ecclesia virtute, & doctrina proficiunt, sicut ergo propter hanc rationem electores ad beneficia tenentur eligere digniores, sic etiam Patroni præsentantes, qui succedunt prædictis electoribus. Molina *lib.2. de primogen. c.5. num.69.* Aragon. *2.2. q.63. art.2. & quæst.62. art.2.* Sanchez *lib.2. consil. moral. cap.1. dub.5.* Sunt autem aliqui, qui probabiliter credunt patronos laicos, eos scilicet, quibus competit ius patronatus ratione fundationis, constructionis, vel dotationis factæ ex bonis propriis, seu patrimonialibus satisfacere plerumque obligationi suæ, si libero præsentandi iure præditi, solùm dignos, & idoneos, non autem digniores præsentent. Si quidem hac gratia, vel fauore ab Ecclesia decorati videntur ob obsequia præstita ipsi fundatione, constructione, vel dotatione, vt possint quos voluerint præsentare, dummodo positiuè cognoscant eos dignos, & idoneos esse, & periculum nullum Ecclesiam subituram ex illorum prouisione. Ita etiam videtur colligi ex loco Tridentini adducto, vbi solùm est sermo de patrono Ecclesiastico non de laico. Imò posteà sermonem faciens de patrono laico dicit: *Si ius patronatus laicorum fuerit, debeat, qui à Patrono præsentatus erit, ab eisdem deputatis vt supra, examinari, & non nisi idoneus repertus fuerit, admitti.* Quo denotare videtur Concilium posse Patronum laicum præsentare solummodo dignum, & idoneum. Garzias *l.7. c.16. num.19.* Rodriguez *tom.1. Summ. cap.106. concl.6.* Layman. *in Theolog. moral. lib.4. tract 2. cap.15. num.7.* Addens benè aliam rationem esse de Prælatis, & patronis Ecclesiasticis, nam illis ex officio incumbit Ecclesiæ meliori modo prospicere, ac per consequens beneficia ex bonis Ecclesiasticis fundata, sine vlla personarum acceptione dignioribus conferre.

Præsentare autem indignum, si dignus haberi potest, semper est mortale peccatum. 21 Tum ex grauitate pœnarum, quæ Canonico iure indigni electioni, & collationi decretæ sunt *cap. cum in cunctis de elect. cap. graue nimis de præbend.* Tum ex incommodis, quæ exinde Ecclesiæ accidere solent. Petrus Nauarrus *lib.2. cap.2. num.119.* Layman. *in Theolog. moral. lib.4. tract.2. cap.15. n.1.* Pro pœnis autem quas incurrunt patroni indignos præsentantes, vide Syluestrum *in Sum. verb. ius patronatus q.7.* & Sanchez *tom.1. consil. moral. lib.2. c.1. dub.6. à n.15.*

Patroni iuris patronatus laici possunt variare id est, postquam vnum præsentarũt, præsentare etiam alterũ, quo casu iudicio Episcopi relinquitur, vter eorum tamquam magis idoneus preferri debeat. 22 Ita enim supponitur *in c. quod autem de iure patronatus.* In patronatu autem Ecclesiastico qui primo præsentatus est, si idoneus sit, institui debet. Propter decisionem *cap. cum autem eodem tit.* Layman. *in Theolog. moral l.4. tr.2. c.13. n.6.*

Conditiones appositæ à fundatoris Iuris patronatus, ob cultum scilicet diuinum, sui memoriam, commodum, vel honorem suæ familiæ nullatenus mutari possunt. 23 Tum quia piæ, & honestæ voluntates defunctorum obseruari debent *L.1. C. de SS. Eccles. cap. vltima voluntas 13. quæst.2.* Tum etiam quia fundatorem erexisse ius patronatus illis conditionibus arguit inter ipsum, & præfectos Ecclesiæ illas admittentes intercessisse pactum de illis non alterandis, ac perinde contra iustitiam peccare aliter facientes. Vnde insignia fundatoris posita in Ecclesia, vel Capella, quam fundauit, construxit, vel dotauit, sepulchrum pro se, & descendentibus, seu hæredibus in ea positum, & similia nullatenus auferri possunt, etiamsi familia extincta sit, ad conseruandam memoriam fundatoris, & ne alij pij homines ab huiusmodi piis operibus arceantur Lambertin. *de iure patronat. q.5. principali art.4.* Layman. *in Theolog. moral. lib.4. tr.2. cap.13. num.14. & 15.* Secus videtur dicendum de aliis benefactoribus; qui Ecclesiam, vel Capellam non fundarunt, construxerunt, aut dotarunt, sed solùm ibi ius sepulturæ sibi compararunt, & suis hæredibus. Et si enim his, & eorum hæredibus inuitis alios ibi sepelire non liceat, quia talia sepulchra instar hospitia, & fundi ipsorum censentur; postquam tamen tota ipsorum progenies est extincta, probabile est posse ibi sepulturam aliis concedi. Tum quia sicuti morte vsufructuarij eiusque descendentium redit vsufructus ad proprietarium, iuxta *L. corruptione C. de vsufructu*, ita etiam ius sepulturæ, mortuo benefactore, & eius hæredibus, redeat ad Ecclesiam. Tum etiam, quia alioquin impedirentur alij quominus Ecclesiã ornare, & beneficiis augere possint. Angelus *in Sum. verb. sepultura num.41.* Armilla *num.24.* Rodriguez *tom.3. quæst. Regular. quæst.58. art.10.* Declaratum tamen dicitur à S. Congregatione in causa RR. PP. Discalceatorum nostri Ordinis fundatorem alicuius Monasterij non posse hanc legem imponere Fratribus, vt in Collecta quæ pro Rege dicitur etiam ipsius fundatoris nomen exprimeretur. Barbosa *in Collect. Bullar. verb. fundatio.*

Conditiones autem aliæ assignatæ à fundatore iuris patronatus, quæ fuerint contra ius natura- 24

le,

le, aut diuinum, inualidæ sunt, nec obseruandæ: cum naturale, & diuinum indispensabilia sint, nec vllo modo contra ea aliquid effici possit. Maior *in 4. d.24 q.9. & q.3. ad 4.* Lambertinus *de iure patronatus lib.1. p.1. quæst.9. princip. art.1. num.37. & 38.* Hinc si fundator poneret pro conditione quod ad beneficium admittatur indignus, talis conditio obseruanda non est, vtpote contra ius diuinum, & naturale. Aragon. 2.2. *q.63. art.2.* Sotus 3. *de iustit. quæst.6. art.2. ante 10. conclus.* Si autem pro conditione poneret quod posset præsentari dignus, omisso digniori, valida esset, & obseruanda, quia talis conditio non est contra ius naturale, aut diuinum in casu, quo beneficium fundatum est non ex bonis communibus Ecclesiæ (quia vt sic digniori dari debet) sed ex bonis ipsius Patroni, seu fundatoris. Maior *in 4.d.24. q.3. ad 4.* Sanchez *tom.1. consil. moral. lib.2. cap.1. dub.10. num.18.* Similiter si apposita conditio sit de non præsentando nisi de sua familia, aut progenie, valida etiam erit, & obseruanda, cum non sit contra ius naturale, aut diuinum, eo quod fundatio talis beneficij non est ex bonis communibus Ecclesiæ, quæ omnibus debentur, sed de bonis particularibus, quæ potest quisque dare cui voluerit. Couarruuias *Reg. peccatum 2. p. §.7. num.5.* Sanchez *vt suprà num.14.* Semper tamen supponenda est dignitas personæ præsentandæ, & ideo indignus quantumuis de illa familia præsentari non potest, nec conditio de illo præsentando valida erit, iuxta dicta, & præsertim, quia indignus semper est, aut præsumitur Ecclesiæ nociuus. Nauar. *Miscellan.43. num.76.* Ledesma 2. *par.4. q.18. art.2.* Si autem conditiones appositæ à fundatore Iuris patronatus solùm sint contra ius positiuum, pensandum est an Ordinarius, de cuius consensu fundatur, iuxta dicta suprà *num.3.* possit in prædictis conditionibus dispensare, vel non, si enim dispensare potest, censetur dispensasse, & ita validæ erunt, si autem non potest in eis dispensare, nec censetur dispensasse, nec ipsæ conditiones valere possunt. Vide Sanch. vt suprà *à n.4.*

25 Non possunt Patroni seipsos præsentare ad beneficia curata. Ratio sumitur ex decisione *cap. per nostras de iure patronat.* vbi quamuis solùm sit sermo de personatibus, tamen quia ratio textus, scilicet *quod nullus se ingerere debeat Ecclesiasticæ prælationis officiis* etiam se extendit ad prædicta beneficia, ideo ad illa non se poterunt præsentare patroni, etsi alias idonei sint. Syluester *in Summ. verb. Ius patronatus q.7.* Angelus etiam *in Summ. eodem verb. n.19.* Potest tamen pater patronus præsentare filium aliàs idoneum, nullo enim iure id prohibetur. Lambertinus *de iure patronat. l.2. par.1. q.8. art.12.* plures referens, Sanchez *tom.1. consil. moral. lib.2. c.3. dub.74. num.4.* Ad beneficia tamen simplicia potest se patronatus præsentare, quia textus dicti *cap. per nostras* non loquitur de simplicibus beneficiis, nec ratio ipsius ad ea se extendit. Lambertinus *vt suprà art.2. dicta q.8.* Sanchez etiam *vt suprà num.16.* Imò etiam quando plures fuerint compatroni potest vnus ipsorum ab aliis præsentari ad beneficia etiam curata, quia iam cessat ratio dicti *c. per nostras* cum talis non se ingerat. Lambert. *d.q.8. art.5.* Molin. *l.2. de primog c.4. n.61.*

26 Nec possunt patroni vltra alimenta illis debita, si ad egestatem deueniant, iuxta dicta suprà *num.5.* exigere aliquod seruitium, vel aliquid temporale, censum scilicet, vel tributum, nisi concurrant duæ conditiones, altera, quod in limine fundationis id sit appositum, & altera, vt interuenerit licentia Diœcesani. Constat hoc *ex c. præterea el.2. de iure patron.* Lambertinus *de iure patron. l.1. p.1. q.9. art.1. n.81. vsque ad 85.* Syluester *in Summ. verb. ius patronatus quæst.3.* Angelus *ibidem num.23.* Limitatur tamen ab aliquibus, si consuetudo sit immemorabilis in contrarium. Tum quia consuetudo immemorialis arguit quod in ipsa fundatione sit factum legitimè. Tum quia Concil. Trid. *sess.25. c.9.* vbi id prohibet, solùm reprobat consuetudinem non immemorialem, & *sess.24. c.14.* vbi id etiam reprobat, solùm loquitur cum Episcopis, ipsis præcipiens vt consuetudines in hoc non laudabiles reiiciant, & aboleant. Lambertinus *de iure patron. l.3. q.3. art.6.* Sanch. *to.1. cons. mor. l.2. c.3. dub.52. num.6. & 7.*

Quando sunt plures patroni eiusdem iuris patronatus, vel quia omnes simul fundarunt, construxerunt, vel dotarunt Ecclesiam, vel quia ad omnes æquè peruenit ius præsentandi ad beneficia, non requiritur quòd omnes concordent in vnum præsentandum. Sed eligi debet præsentatus à maiori parte ipsorum. Ita enim habetur *ex c. quoniam de iure patronat.* Lambertin. *de iure patron. lib.2. part.3. quæst.4. art.1.* Syluest. *verbo ius patronatus quæst.12.* Quod sic est accipiendum. Si illi plures patroni præsentant non per modum Collegij, aut Communitatis, sed vt dicitur, vt singuli, satis est quod maior pars ipsorum non simpliciter, sed respectu alterius compartis præsentent, id est, si sunt septem, & tres præsentarunt Petrum, duo Ioannem, & alij duo Franciscum, sufficiunt illi tres quia licet non sint maior pars illius numeri absolutè, sunt tamen maior pars respectu aliorum. Si autem præsentant per modum Collegij, vel vniuersitatis, tunc requiritur maior pars absolutè. Lambertinus *vt suprà art.2.* Syluest. *etiam vt suprà q.13.* Si verò patroni diuidant vota sua æqualiter, ita vt si sint quatuor, duo præsentent vnum, & duo alterum, datur optio instituenti, Episcopo scilicet, vel Prælato. Lambert. *vt suprà q.5. art.1.* Sanch. *to.1. consil. mor. l.2. c.3. dub.101.* 27

Patroni Beneficiorum Ecclesiasticorum, siue laici, siue Clerici, qui aliquem apostatam ad beneficium de eorum iure patronatus existens tunc vacans præsentauerint, iure præsentandi alios ad eadem beneficia pro ea vice priuantur, & præsentationes sunt eo ipso irritæ, & inanes. Ex Paulo IV. in Bulla *Postquam in to.1. Bullar. n.14.* 28

Patroni laici si plures Clericos præsentauerint, concursus fieri debet inter ipsos præsentatos tantum, & ex idoneis ab examinatoribus approbatis idoneus ab Episcopo est eligendus. Ex declaratione Sac. Congregat. apud Gonzalez *ad regul.8. Cancell. glos.6. n.138.* Barbosam *in Collect. Bullar. verb. Patronat.* Idem dicendum respectiuè de Prælato Regulari si ipsum quemadmodum ad Episcopum spectauerit eligere ad beneficia ex præsentatis à patronis laicis Monasterij. 29

Pro variis declarationibus Sact. Congregationis circa ius patronatus videndi inter alios Garzia *de benefic. par.5 cap.9. & part.12. cap.2.* Gonzalez *ad Regul.8. Cancell. glos.18. num.46.* & Barbosa *in Collectan. Bullar verb. ius patronatus per totum verb Patronus ac verb. Præsentatus.* [De Patronis Monasteriorum Regularium habentibus ius ad præsentandum in illis aliquam personam pro habitu Religionis suscipiendo, Philosophandum est, sicut in superioribus diximus respectiuè tamen ad præfatum munus patroni. Si tamen casus esset quod 30

aliquis patronus præfatorum Monasteriorum præsentaret aliquam personam vt fieret Religiosa in dictis Monasteriis, & Religiosi, seu Religiosæ illorum nollent illi dare suffragium pro receptione iuxta morem solitum Religionis, eo quod persona illa non esset apta, aut idonea, tunc talis præsentatio inutilis est, & tenetur patronus aliam personam dignam præsentare. Tum quia patroni nequeunt præsentare indignos iuxta dicta *suprà num.*21. Tum etiam quia ius quod habent patroni ad præsentandum aliquam personam ad aliquam Religionem non tollit ius quod habet Religio ad examinandum probandum, imò & reprobandum talem personam si idonea non fuerit, vt constat à simili ex Conc. Trid. *sess.*25.*c.*9.*de reform.* Portell. *in Responsf. moral. to.*2.*casu* 105.

Demum nota posse Prælatos Regulares assensum præbere ad acquisitionem iuris patronatus in eorum Ecclesiis, seruatis tamen conditionibus ad ius patronatus requisitis, de quibus in superioribus est dictum. Ita enim decisum est à rota *diuers.par.*2. *decis.*85. quam ad hoc intentum afferunt Garzia *de benef. par.*5. *cap.*9. *num.*71. Barbosa *de officio & potestat. Episcop. part.*3. *allegat.*70. *num.*31. & Tamburinus *de iure Abbat. tom.*3. *disp.*9. *quæsit.*21. Possunt etiam instituere in Ecclesiis, & Capellis sibi pleno iure subiectis præsentatos à patronis. *Clem.* §. *Quidam præterea, &* §. *Quidam de excessibus Prælat.* Erasmus Chochier *de iurisdict. ordin. in exempt. par.*4. *q.*80. Tambur. *de iure Abbat. tom.*3. *disp.*9. *q.*22. Secus dic de Ecclesiis seu Capellis ad ipsos non pleno iure subiectis: quia tunc institutio spectet etiam ad Episcopum. Tamburinus *suprà* ex Cochiero, Barbosa, & aliis.]

SVMMARIVM.

*Capitulum, Dieta, seu Congregatio Regularium quid sit. n.*1.
Quotuplex sit. ibid.
*Cuiuscumque auctoritas consistit in maiori, & saniori parte. n.*2.
Quæ vocetur maior, & sanior pars. ibid.
*Non possunt Capitula statuere aliquid contra ius commune. n.*3.
Possunt tamen ea omnia facere respectiuè, quæ tota Religio, tota Prouincia, vel totus Conuentus. numero 4.
*Debent celebrari tempore, & loco statutis. n.*5.
Qua hora. ibid.
*Capitulum Generale omnimodam habet auctoritatem. num.*6.
Condere potest leges obligantes totam Religionem. ibidem.
Quomodo comparetur cum Præside, vel Generali. ibidem.
Non potest statuere aliquid contra ius commune. ibidem.
An possit illud declarare. ibid.
*Potest Generalem deponere, eligere, punire, & eius auctoritatem immutare. n.*7.
An exercere omnes actus iurisdictionis quos Generalis. ibidem.
*Pertinet ad ipsum sex Patres eligere pro eiiciendis incorrigibilibus. n.*8.
An sine illis fieri possit eiectio. ibid.
*Non potest noua statuta supra Regulam imponere. num.*9.
*Potest tamen Regulam collapsam restituere ad eam obligando subditos. n.*10.
*Restringere, limitare, & tollere priuilegia. n.*11.
*Reseruare casus aliquos, iuxta decretum Clem. VIII. num.*12.
*Debent Capitula Generalia sæpius celebrari. n.*13.
Si tamen in eis agatur de reformatione Ordinum, non de aliis negotiis. ibid.
*Quid de Congregationibus intermediis dicendum. num.*14.
*Intimari debent in quocumque Capitulo, seu Congregatione litteræ Apostolicæ ad S. Officium Inquisitionis spectantes. n.*15.
Sub pœnas. ibid.
*Gremiales Capitulorum quas debent habere conditiones. n.*16.
*Specialiter Socij quibus qualitatibus ornati esse debeant. n.*17.
*Capitula Prouincialia, seu Congregationes Prouinciales quando celebrandæ. n.*18.
Quæ facere possint. ibid.
*An eiicere incorrigibiles. n.*19.
*Quam auctoritatem habent in Indiis. n.*20.
*An in Capitulis Prouincialibus, vel saltem Generalibus dispensari possit cum illegitimis. n.*21.
Qualiter, aut quibus conditionibus. ibid.
*De Congregationibus Prouincialibus intermediis. num.*22.
*De intimatione litterarum Apostolicarum ad S. Inquisitionem pertinentium facienda in singulis Capitulis, seu Congregationibus sub pœnis, &c. n.*23.
*De Capitulo Conuentuali, & eius auctoritate. n.*24.
De aliis ad ipsum spectantibus. ibid.
*De electionibus quæ fieri solent in capitulis. n.*25.
Textus c. Quia propter de elect. *n.*26.
Quot conditiones requirantur ad electionem Prælatorum iuxta dictum c. Quia propter. *n.*27.
*Notanda circa illas. n.*28.
De habilitate eligentium, seu suffragatorum. numero 29.
Quid si inhabiles aliqui admittantur. ibid.
*An inhabilis eiici debeat antequam talis sententialiter sit declaratus. n.*30.
Quid faciendum dum tempore electionis ad interrogationem Præsidis opponitur alicui electori aliqua inhabilitas. ibid.
Peccat inhabilis in electione dans suffragium. ibid.
*Spectat ad Præsidem Capituli dirigere ad electiones faciendas iuxta decreta Summorum Pontificum. num.*31.
*An possit suadere electores de eligenda certa persona num.*32.
*In electionibus quæ obseruanda iuxta decreta Summorum Pontificum. n.*33.
Debent esse secretæ sine publicatione votorum etiam post electiones. 34.
*Omnino liberæ à coactione, pactis, seu promissionibus. num.*35.
*An illis debeant assistere Præsides magnæ auctoritatis. num.*36.
*Non debet præsides eligi ad aliquod Officium. n.*37.
*Quid debeant facere circa fugitiuos, aut eiectos ab Ordine. n.*38.
*De confirmatore, & eius munere. n.*39.
*Electio non legitimè facta confirmari non debet nec potest. n.*40.
Priuilegium Ordinis prædicatorum circa hoc. numero 41.
*Intra quod spatium temporis debeat electio confirmari. n.*42.
*Electio illius qui requisitus ante electionem consensit illi antequam fieret, cassanda est. n.*43.

Quid



CAPVT XII.

De Capitulis, Dietis, seu Congregationibus personarum Regularium, eorumque obligationibus,& priuilegiis.

CAPITVLVM, Dieta, seu Congregatio Regularium prout ad præsens attinet est adunatio ipsorum Regularium pro aliqua re, seu negotio ad Religionis ipsorum statum pertinenti. Diuiditur in Generale, Prouinciale,& Conuentuale. Generale Capitulum est pro negotiis totius Ordinis, Prouinciale pro negotiis Prouinciæ, & Conuentuale pro negotiis conuentuum. Quibus accedunt Congregationes intermediæ, quæ aliquando sunt Generales pro negotiis totius Religionis,& aliquando prouinciales solùm pro negotiis vnius Prouinciæ. De his sigillatim dicendum, primò scilicet de iis quæ Capitulo competunt etiam Regularium in communi, deinde de iis quæ capitulo generali, tertio de ijs quæ capitulo Prouinciali, ac quarto de iis quæ capitulo conuentuali conueniunt. [In primis supponendum celebrationem capitulorum, quantum est ex parte sua, valdè congruentem esse vt diligentius Reformationi attendatur. Secundò Religionibus. Primò vt defectus corrigantur. Tertiò vt legitimè Superiores ab illis qui ipsis subiici debent, eligantur *cap. in singulis de stat. Monachor. Concil. Trid. in sess.* 15.*c.*20.& 22. Tamburinus *de iure Abbat. to.*3.*disp.*1.*quæsit.*1.]

Cuiuscunque capituli auctoritas,& potestas cõsistit in maiori,& saniori parte, ita quod totum capitulum facere dicatur quod maior, & sanior ipsius pars fecerit; *ex cap. Cum in cunctis de his quæ fiunt, & cet.* Syluest. *in Summa verbo capitulum n.*1. Rodriguez *tom.*1.*quæst.*41.*art.*1. afferens circa hoc in *art.*2. priuilegia Clementis III. & Celest. III. pro Carthusiensibus. Quæ regula in eo quod ad Regulares attinet, deficit, quod quando maior pars capituli delinquit, & propterea est sua auctoritate priuata, tunc tota capituli potestas residet in minori parte, quæ non deliquit, prout notat Panormitanus *in capite primo de his quæ fiunt*, Syluester, & Rodriguez, vt suprà, iuxta id etiam quod diximus *tom.*5. *cap.*15. *num.*6. Maior, & sanior pars ea vocatur quæ innititur maiori rationi, & pietati. Syluester *loco citato* §.1.*quæritur.* Rodrigu. *tom.*3.*q. Reg.q.*13.*art.*9. Vnde videtur ad disquirẽdum quæ sit maior, vel sanior pars, inquirere rationes,& motiua quæ habuerunt suffragatores ad aliquid faciendum. Hoc tamen solùm verum in gestis publicis capituli,

pituli, in occultis tamen prout sunt electiones, cum Concil. Trident. *sess.* 25. *cap.* 6. præcipiat vt fiant secreto, & vt eligentium nomina numquam publicentur, consequenter prohibet disquisitionem quæ antiquitus fiebat ad sciendum si sanior pars elegerit, ac perinde in electionibus maior pars erit sanior pars, iuxta dicta *to.* 1. *c.* 15. *n.* 10. & habent Tabiena *in Summ. verb. electio* 1. *num.* 19. Castellinus *de elect. Canon. pral. c.* 5. *n.* 49.

3 Non possunt Capitula quæcumque illa sint statuere aliquid quod sit contra ius commune, vel Sacros Canones. Tum quia ita id habetur *in cap. quod super his tit. de maior. & obed.* Tum quia cum quæcumque capitula inferiora sint Papæ non poterunt aliquid statuere contra prædictum Ius commune, aut Canonicum, quod conditum est pro omnibus à Papa. Nauarrus *tom.* 1. *consil. tit. de Constit. cons.* 9. *n.* 14. Suarez *de legibus lib.* 4. *c.* 19. Castellinus *de elect. Canon. prælat. c.* 1. *num.* 3. Vide infrà *n.* 6. [Et nota quod casu quod capitulum aliquod siue generale, siue prouinciale statuta aliqua conderet contra ius commune, illa eo ipso essent nulla, & irrita, nisi ex speciali priuilegio Sedis Apostolicæ facta fuissent. Cum solùm Sedes Apostolica possit iuri communi derogare. Ita sumitur ex Panorm. & Decio *in cap. Si duobus de appellat.* Duardo *in Bulla Cœnæ lib.* 1. *cap.* 1. *q.* 1. *num.* 2. & Tamburino *de iure Abbat. tom.* 3. *disp.* 3. *quæst.* 2. Et est decisum à Rota coram Ludouisio *decis.* 267. & aliis ab eo allegatis, & *in dec.* 103. *n.* 7. *par.* 2. *diuers.* Secus verò dicendum si hæc statuta confirmata essent à Papa. Nec sufficit à legato, vt volunt Gratianus *disceptat. forens. cap.* 9. *n.* 10. *in fin.* & Tamburinus *suprà* propter aliquas decisiones Rotæ. Addit etiam ex præfata Rotæ decisione coram Ludouisio, quod hæc confirmatio Papæ debet esse in forma speciali, non in forma communi.]

4 Possunt tamen ea omnia facere respectiuè, quæ tota Religio, tota Prouincia, vel totus Conuentus facere possunt. Ita scilicet vt capitula Generalia facere possint quæ totus Ordo, Prouincialia, quæ tota Prouincia, Conuentualia, quæ Conuentus ipsi. Hoc enim conforme est tùm iuri naturali, cum Capitula generalia constent ex supremo capite, & pręcipuis membris totius Religionis, Prouincialia ex Capite, & præcipuis membris Prouinciæ, & Conuentualia ex Capite, & præcipuis membris Monasterij: tùm iuri positiuo communi: tùm speciali quorumcumque Ordinum.

5 Debent celebrari tempore, & loco à Regula, & constitutionibus. Ordinum designatis. Pro quo vide dicta *tom.* 1. *cap.* 15. *num.* 19. Quoad horam tamen, quia fieri debent, extant duæ declarationes Sacr. Congregationis, quæ licet ad congregationes capitulares Ecclesiarum Cathedralium, vel collegiatarum directæ videantur, comprehendunt tamen ob identitatem rationis Capitula Regularium. Prima est *Congregationes capitulares debent fieri peractis diuinis Officiis, & præsertim Missa maiori.* Barbosa *in collect. Bullar. verb. Congregationes capitulares.* Secunda est ferè ad idem, explicatiua tamen prioris. *Congregationes capitulares habendæ non sunt eo tempore, quo diuina officia celebrantur, nisi causa vrgens in aliud tempus differri non pateretur.* Barbosa *ibidem.*

6 Capitulum Generale in Religionibus, Dieta, seu Congregatio generalis omnimodam, & plenam auctoritatem habet. Tum ex iure communi quia repræsentat totam religionem, tum ex Priuilegiis Summorum Pontificum diuersis Religionibus concessis, præsertim Innocentij VIII. Cisterciensibus, Martini V. Eugenij IV. & Leonis X. Camaldulensibus, Rodriguez *tomo primo quæst. Regular. quæstio quadragesimaprima articulo secundo* Suarez *quarto tomo de Relig. tractatu decimo libro decimonono capite primo.* Hinc primo condere potest leges, seu constitutiones totam Religionem obligantes, iuxta dicta *to.* 1. *c.* 18. *n.* 90. Cum enim hæc potestas sit in Religionibus absdubiè erit in capitulis, Dietis, seu congregationibus generalibus, quæ vt dixi ipsas Religiones repræsentant. Residet etiam hæc auctoritas in capitulo generali etiam ante electionem generalis, vt eo *cap.* 18. *num.* 90. diximus, quia Regulariter supponitur capitulum cum Præside, vel Vicario Generali, ac per consequens cum capite. Si autem casus esset quod capitulum acephalū, seu sine capite esset, Præside scilicet, aut Vicario, tunc nec totam Religionem repræsentaret, nec leges condere posset. Suarez 4. *to. de Relig. tract.* 8. *l.* 2. *c.* 8. *num.* 8. Quando autem capitulum cum generali præsenti sit, si maior pars capituli concordet in lege ferenda, quamuis generalis dissentiat, præualet sententia capituli, & lex tenet, quia potestas adæquata est in capitulo, seu maiori illius parte, & generalis solùm est vnus ex habentibus suffragium. In quo differt capitulum generale comparatum cum suo generali à concilio generali comparato ad Papam, nam cum generalis sit subditus capitulo, etiamsi ipse nolit tenebit lex à capitulo facta, at verò cum Papa non sit subditus concilio generali, sed supra illud, non tenebit lex à concilio facta, Papa renuente. Suarez 4. *tom. de Relig. tract.* 8. *lib.* 2. *c.* 8. *num.* 4. Legibus autem, siue statutis factis in capitulis generalibus parere debent omnes, etiam ipsi generales, non solùm propter dicta tom. 1. capite 8. n. 21. sed etiam quia vt modo dictum est generales sunt subditi capituli generalis, & ita ipsi obedire tenentur. Suarez 4. *to. de Relig. tract.* 8. *lib.* 2. *c.* 8. *n.* 18. Non tamen possunt capitula generalia statuere aliquid contra ius commune, iuxta dicta de capitulis in communi suprà *num.* 3. cum Ius commune sit à Papa, & capitula omnia Regularium inferiora Papæ sint. Rodriguez *tom.* 3. *q. Regul. q.* 17. *art.* 20. §. *nec contra hoc obstat.* Peyrinis *tom.* 1. *priuileg. Minim. in Constitut. Pyrrhi* §. 4. Possunt tamen constitutiones Iuris communis declarare, & innouare, & vbi pœna deficit apponere, vel augere. Quia hoc potius est adiuuare ius commune quod licitum esse dicitur *in c.* 1. *de nou. oper. nunciat.* Peirinis *vt suprà.*

Potest item capitulum generale eligere generalem, ipsum deponere, punire, illius auctoritatem minuere, & augere. Hoc enim colligitur ex summa auctoritate capituli, & ex subiectione generali erga ipsum. Suarez 4. *to. tract.* 10. *lib.* 10. *cap.* 4. Hinc etiam valdè probabile mihi est posse tempore quo durat, omnes actus iurisdictionis exercere quos generalis efficere potest, quod planè sequitur ex suprema potestate generalis capituli, & de congregatione generali Societatis IESV docet idem Suarez 4. *tom. de Relig. tract.* 10. *lib.* 10. *c.* 4. *num.* 15. licet vt idem Suarez *ibidem num.* 16. in vsu huius potestatis debeat capitulum conformare se constitutionibus Ordinum. Idem etiam mihi probabile est de quacumque etiam facultate, seu auctoritate generalibus, & priuilegis competenti, posse scilicet illum exercere capitulum, cum sit superius ipso generali, & vt dixi *tom.* 1. *c.* 18. *n.* 3. sit priuilegium conceditur prælato inferiori censetur etiam concessum Superiori. [Electio autem generalis confirmatur à Summo Pontifice, vel specialiter, vel propter priuilegia 7

priuilegia Religionum, vt colligitur ex nostris constitutionibus *par.4.c.6.n.3.* & habet Sigismundus de Bononia *de elect. dub.101.n.3.*

8 Pertinet etiam ad capitulum, seu congregationem generalem eligere sex Patres ex grauioribus Religionis, de quorum consilio, & assensu eiici possint professi eiiciendi à Religione, ita enim decernitur à Sacra Congregatione Concilij in decretis *de Apostatis, & eiectis* sub SS. D. N. Vrbano VIII. anno 1624. editis, quæ habentur 4. tom. Bull. inter constitutiones Vrbani *num.26.* & de quibus diximus *tom.1.c.23 n.3.* Neque enim licet Generali se solo professos incorrigibiles eiicere, vt habetur in prædictis decretis cum reuocatione quorumcumque priuilegiorum. Aduertit tamen Peirinis *tom.2. priuil. Minim. in constit.10. Vrban.VIII. §.4. num.1.* quod cum difficile valdè existimatum fuisset generalem secum ducere semper prædictos Patres pro expulsione facienda, quando casus occurrisset, supplicatum esse Sacr. Congregationi pro remedio, ipsamque respondisse, posse generalem, vel Visitatorem generalem in qualibet prouincia in qua id opus fuerit assumere sibi sex ex Diffinitoribus illius, de quorum consilio, & assensu posset prædictos incorrigibiles eiicere, ita etiam nos idem diximus *tom.1. cap.23. num.5.* Verumtamen cum ipse non afferat huiusmodi decretum declaratum, sed solùm dicat id audiuisse à Religiosis fide dignis qui tamen falli possent, non videtur ipsi credendum, præsertim quia anno 1635. proximè præcedenti cum Constitutiones quædam cuiusdam grauis Religionis SS. D. N. pro approbatione Apostolica oblatæ essent, Eminentiss. quidam Cardinalis, & Reuerendiss. alij Prælati quibus cura eas examinandi à sua Sanctit. commissa fuit, noluerunt similem explicationem admittere, aut approbare, quo suspecta valdè redditur declaratio illa Sac. Congreg. à Peirinis relata, & quæ habetur in nostris constitutionibus *par.4. c.21. §.14.* nec ea vti nos posse credo, dum clarius de ea non constiterit. Rectè ergo in congregatione nostrorum PP. Discalceatorum Hispaniæ cautum est, vt huiusmodi expulsio non fiat nisi à Generali cum sex Diffinitoribus. Constitut. PP. Discalceat. *par.3.c.7.n.11. & 13. adiuncto num.1.*

9 Non potest capitulum etiam generale noua statuta arctiora quæ simpliciter sint supra Regulam Ordinis imponere. Quia vt dictum est *tom.1. c.4. num.13.* votum Obedientiæ Religiosorum solùm obligat illos ad ea quæ concernunt Regulam siue explicitè, siue implicitè, quare ea quæ sunt simpliciter supra Regulam, cum illam non concernant (hoc enim est esse supra illam concernunt non sunt supra illam) non possunt præcipi à Prælatis Religionum. Angelus *verb. Religiosus n 29* Syluester *verb. Religio, 6. q.6.* Peirinis *tom.1. de subdito Religioso q.1. de obedientia §.1.* Excipe quando Regula præcipiat (vt dicitur de Regula Minorum & constit. Societatis IESV) obediendum esse Superioribus etiamsi supra Regulam aliqua præcipiant. Eo enim casu id quod præcipitur est conforme Regulæ, iuxta dicta præd. *to.c.4.n.13.*

10 Potest tamen generale capitulum Regulam iam collapsam, & relaxatam ad pristinum statum restituere obligando subditos ad obseruantiam illius sic restitutæ. Ratio est, quia hæc restitutio, seu redintegratio Regulæ concernit ipsam, nec est supra ipsam, imò maximè concernens ipsam, iuxta dicta *to.1. c.7. num.19. & 20.* Syluester *verbo Religio 6. quæst.6.* Corduba *in exposit. Regulæ S. Francisci c.10. q.2. punct.6.* Peirinis *to.1. de Religioso subdito q.1. de obedientia §.3.*

Auctoritatem etiam habet capitulum generale restringendi, & limitandi, imò etiam omnino tollendi in Religione vsum quorumcumque priuilegiorum Apostolicorum. Si enim, iuxta dicta *tom.1. c.18.n.56.* Prælati ipsi, generales maximè, id possunt facere, multò melius id etiam facere poterit capitulum generale quod est supra omnes Prælatos, præcipuè, quia horum priuilegiorum restrictio, moderatio, & ablatio conducere valdè potest potest ad Ordinis reformationem. Rodriguez *tom.1. q. Regul. q.17. art.5.* 11

Possunt etiam capitula generalia natura discussione præmissa reseruare in Religionibus casus aliquos graues pro Religionis conseruatione, aut conscientiæ puritate. Ratio est, quia etsi Cle. VIII. in decreto pro reformatione casuum anno 1593. prohibuerit ne Superiores Religionum possent alios casus reseruare præter quosdam specialiter relatos *to.1.c.18.n.20.* tamen ipsemet Pontifex in eodem decreto permittit hanc facultatem, reseruandi alios præter dictos capitulis generalibus, & Prouincialibus, non quidem dando nouam potestatem capitulis ad id faciendum, sed non auferendo eam quam iure communi, vel iuxta sua priuilegia habebant. Suarez 4. *tom. de Relig. tract.8. lib.2. cap.18. numero 15.* 12

Debent Capitula generalia sæpius celebrari, & licet in hoc seruari debeant constitutiones Ordinum maximè auctoritate Apostolica confirmatæ, stando tamen in iure communi videtur dicendum, generalia capitula celebrari debere de triennio in triennium, tum à simili de Conciliis Prouincialibus, quæ à Concilio Lateranensi *sess.10. cap.10.* & Trident. *sess.24. cap.2.* quolibet triennio præcipiuntur celebrari, tum vt crebrius quam fieri posset agatur de reformatione Ordinis, Regulæ obseruantia, morum correctione, & controuersiarum decisione, hic enim præcipuus est finis celebrandorum Generalium Comitiorum. Rodriguez *tomo tertio quæst. Regul. quæst.47. artic.2. & 3.* Vbi piè deplorat quod in capitulis generalibus, & prouincialibus omne tempus in electionibus, & prouisionibus Prælatorum, & Officialium expendatur, & parum in iis quæ pertinent ad morum reformationem. Affirmans vlterius Generales, & Prouinciales in hoc negligentes non liberari à peccato mortali. Capitula autem generalia, in quibus parum, aut nihil de Ordinis reformatione agitur, sed aliis negotiis, prætensionibus scilicet Officiorum, graduum, & dignitatum, vix deberent celebrari. Neque enim pro eiusmodi rebus graues expensas fieri, aut longa itinera peragi conuenit Religiosis. 13

Ad generalia Capitula accedunt Congregationes aliquæ intermediæ, quæ aliquo modo generales dici possunt, vel quia constant ex eisdem Gremialibus, vel saltem ex Definitoribus, seu Assistétibus generalibus. De iis autem nihil particulare dici potest, nisi quod, cum secundum ordinum statuta habeant dictæ Congregationes eamdem auctoritatem, ac generalia Capitula, eodem modo de illis philosophandum est, si autem habeant minorem auctoritatem (quia maiorem habere non possunt) ex prædictis statutis pendet notitia eorum ad quæ se possunt extendere. 14

Debent in quocumque generali Capitulo, Congregatione, Dieta, seu Conuentu prælati Religionũ monere suos subditos de iniuncta omnibus obseruantia, & executione litterarum Apostolicarum Constitutio 15

Constitutionum, & decretorum ad Sanctum Officium Inquisitionis pertinentium, prout habetur ex decreto S S.D.N.Vrbani VIII.in generali Congregatione S.R.Inquisitionis 24. April.1633. Vbi prædictæ litteræ, Apostolicæ Constitutiones, & decreta continentur. Quod præcipitur ipsis Superioribus sub pœna priuationis Officij ac vocis actiuæ, & passiuæ ipso facto incurrendæ, ac aliis arbitrio S. suæ infligendis pœnis. Vide *tom.1.c.18. numero* 100.

16 Gremiales seu Capitulares Patres Capitulorum, seu Congregationum generalium, qui vt in plurimum solent esse capita Prouinciarum, Prouinciales scilicet, Procuratores, vel alij similibus nominibus vocati, eorumque Socij, seu Discreti debent habere conditiones assignatas *tom.1 .cap.15 .num.4. & 5.* videlicet quod sint clerici in sacris constituti, liberi à censura, impedimento canonico, priuatione vocis, aut inhabilitate ad munus eligendi, non excommunicati maiori excommunicatione suspensi ab officio, interdicti, aut regulares. Nota tamen declaratum dici à Sacr. Congregat. pro Minimis Regularem suspensum à diuinis posse eligere, quia electio non pendet ab ordine, sed à regularitate. Barbosa *in Collect.Bullar.verb.Regul.*1.Item eligentes indignum priuantur potestate eligendi, *cap. cum in cunctis de elect.* Præterea illi, qui per abusum potestatis sæcularis aliquem elegerunt priuati sunt ea etiam vice potestate eligendi, *cap.quisquis de elect* Syluester *in summa verbo electio* 1.*quæst.*4. Qui autem dicantur elegisse per abusum sæcularis potestatis inferius declarabitur *n.*47. dum de electionibus quæ confirmandæ non veniunt sermo erit.

17 Specialiter Socij, seu Discreti, qui simul cum Prouincialibus, aut Prouinciarum Superioribus Capitulorum generalium Gremiales sunt, debent etiam prædictas conditiones habere. Item cum habere dignitates, vel personatus, quibus animarum cura non subest ad minus requirat ætatem 22. annorum, vt docet Concilium Triden. *sess.*24.*cap.*12. huiusmodi autem Socij, seu Discreti personatus quidam sint, ideo prædicta ætas pro ipsis ad munus necessaria, maximè cum habeant vocem actiuam in electionibus, quæ ex eodem Trident. *sess.*22.*cap.*4. Ordinem Subdiaconatus requirit qui ante prædictam ætatem non conceditur. Rodriguez *tom.* 1. *quæst.Regul.quæst.*15. *art.*2. Non possunt illegitimi non habita prius dispensatione eligi in Socios, seu Discretos pro Capitulis generalibus. Ratio est non solùm quia sunt personatus, qui illegitimis concedi non possunt iuxta *cap.fin.de filiis persbyterorum*, sed etiam quia prædicti Socij, vel Discreti etiam debent habere vocem passiuam ad prælaturas, dignitates, & personatus Ordinis, quorum sunt incapaces illegitimi, iuxta *cap.1.& fin.de filiis presbyterorum* Rodriguez *tomo* 1.*qu.Regular.quæst.*13.*art.*19. Peirinis *tomo 1.priuileg. Minim. in Constitut.2. Iulij* §.29.*num.*91. Generaliter etiam prædicti Socij, seu Discreti eas habere debent conditiones ad id munus, quas singulorum Ordinum statuta requirunt, quæ cum sint diuersæ nequeunt omnes dilucidari, sufficiant ergo conditiones iure communi pro illis designatas recensere. [Nota tamen huiusmodi Socios Priorum, Guardianorum, &c. in aliquibus Religionibus sublatos esse, vel propter inconuenientia, quæ oriri solent in Conuentibus circa ipsorum electionem. Vnde Sacra Congregatio Episcoporum, & Regularium 5.Maij 1634 concessit Patribus Dominicanis Prouinciæ Sanctæ Catherinæ facultatem celebrandi Capitulum Prouinciale sine prædictis Sociis. Apud plures etiam Religiones huiusmodi Socij eliguntur per sortes ex concessione Apostolica, prout fit in Congregatione Cisterciensium in Italia ex Gregor. XIII. & in Religione Canonicorum Regularium S. Saluatoris ex Sixto V. Sigismundus de Bononia *de elect. dub.*27. *num.*5. *& 6. & dub.*113. *num.*2. Qui modus eligendi socios mihi valdè placet si à Sede Apostolica approbatur, ad euitandum rumores qui in electionibus aliis contingere solent. Circa officium, seu munus horum sociorum consulenda sunt statuta Religionum, & Sigismundus *dicto dub.*113.]

Capitula prouincialia, seu Congregat. Prouinciales, eodem modo celebranda sæpius sunt pro Ordinis reformatione, regulæ, ac regularium obseruantiarum perfectiori custodia, morum reformatione, ac controuersiarum decisione, sicut diximus de generalibus capitulis, iure quidem communi de triennio in triennium, iure tamen particularium Religionum, iuxta earum statuta, & constitutiones. Vnde pari modo de illis respectiuè, ac de Capitulis, seu Congregat. Generalibus philosophandum est. Possunt ergo condere leges, statuta, & decreta perpetuò duratura pro Prouincia, obligantia Fratres omnes Prouinciæ, Prouincialem quoque ipsum Prouincialem eligere, deponere, punire, ipsius auctoritatem minuere, & augere, omniaque facere, quæ ipse prouincialis facere posset. Quæcumque priuilegia etiam Apostolica Fratribus concessa limitare, restringere, & etiam omnino tollere, reseruare casus aliquos propter grauia crimina. Non tamen imponere noua statuta arctiora, quæ simpliciter sint supra Regulam. Nec præcipere, aut ordinare aliquid contra ius commune, bene tamen illud declarare & innouare, ac pœnas adiungere. Quæ omnia à simili constant ex dictis de auctoritate capitulorum generalium. 18

Eiicere autem professos etiam incorrigibiles, aut designare Patres de quorum consilio eiiciantur non est munus prouincialis capituli, nec ad hoc pertingit eius auctoritas. Etsi enim propter varia Religionum priuilegia id olim facere posset, modo tamen omnia prædicta priuilegia reuocata, & annullata sunt à Sac. Congreg. Concilij in decretis de Apostatis, & eiectis supra relatis, vbi totum hoc negotium remittitur soli Generali de consilio, & assensu sex Patrum ex grauioribus Religionis eligendis in singulis capitulis, vel Congreg. generalibus, iuxta dicta suprà *n.*8. 19

Habent item capitula prouincialia Religionum in Indiis auctoritatem dandi licentiam suis Fratribus, vt officium Parochi exerceant, Sacramenta ministrando, &c. in quo etiam includitur facultas prædicandi, sepeliendi Indos, asportandi eorum corpora cruce alta, & habendi scholas puerorum. Sic.n. concessit Pius V. ad instantiam Philippi XI. Hispaniarum Regis. Rodriguez *tom.*1. *quæst. Regul.q.*35. *art.*1. & *q.*41. *art.*1. Vbi etiam de aliis priuilegiis Capitulorum Prouincialium Mendicantium in illis Indiarum partibus, quæ non refero, quia dubium mihi est, an ea sint viuæ vocis oraculo concessa, quia si talia sint nihil hoc tempore valent. 20

Possunt etiam generalis; & prouincialis cum capitulis generalibus, prouincialibus, seu intermediis iuxta tenores priuilegiorum suis Ordinibus concessorum, si talia illis fuerint ante tempora Gregor. XIV. concessa, vsu recepta, nec reuocata, cum illegitimis dispensare ad honores, gradus, & dignitates obtinendas, cum illis tamen quos suffragantibus 21

metiris

meritis dignos iudicauerint. Ita enim concessit ipse Gregor. XIV. anno 1591. in Bulla *Circumspecta* in 2. tom. Bullar. inter Bullas huius Pontificis *num.*3. Cum enim Sixtus V. Constitutione *Cum de omnibus* anno 1587. edita quam aliquatenus moderatus est sequenti anno alia Constitutione *ad Romanum* illegitimos ad gradus, honores, & dignitates inhabiles declarauerit, nec posse cum eis dispensari nisi à sola Sede Apostolica non obstantibus quibuscumque priuilegiis Religionibus concessis, postea Gregor. XIV. has Sixti Constitutiones modo dicto moderatus est, vt etiam dictum manet *tom.*1 *capite* 18. *numero* 60. Rodriguez *tom.*1 .*quæst. Regular. quæst.*13. *artic.*6. *&* 9. [Fauet Sigismundus de Bononia *de elect. dub.* 76.*num.*4. vbi etiam *num.*5. quid intelligatur nomine intermedij capituli.] Nomine autem capituli generalis, prouincialis, seu intermedij capituli probabile est non intelligi totum capituli corpus, seu omnes Gremiales, sed solum Definitorium tum quia quod Definitorium agit à toto capitulo actum dicitur, tum quia cum dispensatio cum illegitimis negotium sit requirens secretum, cum eius reuelatio aliquando infamiam, & scandalum parturire soleat, credi oportet nomine capituli cum quo generalem, vel prouincialem dispensare posse cum illegitimis vult Pontifex, intelligi posse solum Definitorium. Rodriguez *tom.* 1. *quæst. Regul. quæst.* 13.*art.*9. Electo autem aliquo illegitimo in Prælatum, vel simile officium in aliquo capitulo generali, prouinciali, vel intermedio, si ibi sit generalis, vel prouinciales potentes illum habilitare, habilis, & dispensatus saltem in foro conscientiæ debet reputari ipsa electione, si eligentes sciant eum esse illegitimum. Ratio est, quia cum eligere illegitimum in Prælatum non præmissa dispensatione sit peccatum mortale credendum est electores cum illum eligunt, cum ipso dispensare in tali impedimento, ne dicamus ipsos peccasse mortaliter, Rodriguez *tom.* 1. *quæst Reg.q.*13. *art.*6. Port. *in dub. Regul. v. illegitimus num.*7. In foro autem externo nec illegitimum istum manere dispensatum, nec electionem validam esse, tenent plures, propter differentiam quæ est inter Papam, & Prælatos inferiores, nam Papa præbens aliquid ei quem scit iure humano ad id inhabilem ipso facto sine expressione dispensationis censetur habilis non sic Prælati inferiores. Nauarr. *in Man. cap.*25. *num.* 74. Rodriguez *tom. quæst. Regul. quæst.*13. *art.* 16. Rem tamen aliorum iudicio relinquo, inclinor enim valdè ad credendum prædictum illegitimum etiam in foro externo mansisse dispensatum tacita, & virtuali dispensatione, alias dicere cogeremur in foro externo peccasse mortaliter electores qui eum scientes esse illegitimum in Prælatum elegerunt. Quomodocumque autem dispensatio fiat cum illegitimo requiritur causa rationabilis, puta, quod sit nobilis, litteratus, bonus Religiosus, vtilis Religioni, &c. Tum ex verbis Gregor. XIV. adductis *suffragantibus meritis*, quo denotat sine meritis cum eo dispensari non posse, tum ex generali regula, quod ad dispensationem semper requiritur causa, vt dictum est *tom.* 1. Videtur etiam requiri quod ipse illegitimus explicet qualitatem illegitimitatis, si videlicet sit spurius, naturalis, sacrilegus, incestuosus, quia istæ conditiones possunt faciliorem, & difficiliorem reddere dispensationem. Rodriguez *tomo* 1. *quæst. Regul. quæst.*13. *art.*17. Portel. *in dub. Regul. verbo illegitimus num.*11. referens etiam Mirandam. An vero ipsi Prælati sine Capitulis prædictis possint cum illegitimis dispensare, vide dicta *tom.* 1. *cap.*18. *num.*60. & notat Portellum *in Dub. Regul. verb. illegitimus num.*9.*&* 10. afferre aliqua priuilegia pro parte affirmatiua. Sed de illis parum curandum, quia forsã sunt viuæ vocis oracula quæ his temporibus nihil valent, tum quia esto non essent talia, reuocata sunt à Sixto V. in prædictis Constitutionibus, & moderata à Gregor. XIV. in Constitutione allata, quatenus solum permittit vsum illorum in Capitulis, & cum Capitulis, vt dictum est. Vide Rodriguez *tom* 1. *quæst. Regul. quæst.*13. *art.* 6.

De Congregationibus Prouincialibus intermediis iudicandum est, ac de Congregationibus generalibus etiam intermediis, & habent eamdem, similem, maiorem, vel minorem auctoritatem, cum Prouincialibus capitulis, iuxta diuersorum Ordinum diuersa statuta, & Constitutiones. 22

Debent in quocumque Capitulo Prouinciali Congregatione, Dieta, vel Conuentu prælati Religionum monere suos subditos de obseruantia, & executione literarum Apostolicarum, & constitutionum, seu Decretorum ad S. Officium Inquisitionis pertinentium, sub penis supra *num.*15. assignatis, prout habetur ex decreto SS.D. N. Vrbani ibidem relato.] 23

Capitulum etiam conuentuale, illud scilicet quod celebratur ab immediato Prælato Monasteriorum cum Fratribus illius eam auctoritatem, & potestatem habet, quam ipsi concedunt Constitutiones, & consuetudines Religionum. Iure tamen communi loquendo hæc competunt illi. Primò, confunditur cum nomine Conuentus, ita vt quandoque promiscuè nominentur, quamuis rigorose loquendo Conuentus dicatur Religiosorum, Capitulum vero sæcularium. Cardin. *de rebus Eccles. non alien.* *&* *in Clem.*1.§.1. Ioan. Bertachinus 1. *part. Repert. verb. Conuentus.* Ex quo infertur posse id totum facere Capitulum conuentuale quod facit conuentus, præsertim cum constet ex nobiliori parte Monasterij. Deinde, Capitulum hoc congregare pertinet ad Superiorem, Priorem scilicet, vel digniorem, aut antiquiorem Bertachinus *vt supra verb. Capitulum.* Potest fieri ex duobus vel tribus tantum Fratribus. Glossa 10. *quæst.* 1. *cap.*1. *verb. Congregatio*, Bertachinus *vt supra. verb. Collegium num.*70. Sine Prioris sui consensu contrahere, vel aliud facere non potest. Ioan. Andr. *in cap. cum omnes de Const.* Paulus de Castro *in lib.* 1. §. *in filij ff. ad Trebel.* Succedit Prælato in administratione, & est illius successor. Ioannes de Imola *super Clem. de procuratoribus num.* 12. Spectat ad Præsidem Capituli Conuentualis legere, & exponere Regulam Ordinis etiam vulgari sermone propter iuniores. Ita enim supponitur in *Clement. ne in agro de statu Monachor.* verbis adductis *c.* 2. *n.* 31. De aliis autem circumstantiis, loco scilicet, vel tempore celebrandi Capitulum hoc Conuentuale, qui possint vel non eidem interesse, culpis Fratrum in ipso disquirendis, & animaduertendis, tum ex dictis, & dicendis de Capitulis Generali, & Prouinciali, tum ex particularibus Religionum Regulis, Statutis, & Constitutionibus, seu etiam legitimis consuetudinibus ipsorum desumi potest quid dicendum. 24

Pro electionibus quæ regulariter fieri solent in Capitulis, seu Congregationibus Generalibus, Prouincialibus, seu localibus, attendenda sunt quæ *tom. primo capite* 15. dicta manent, quia tamen 25

electiones per scrutinium quasi communes sunt in omnibus Religionibus maximè post Conc. Trid. & huiusmodi electionum conditiones assignatæ sunt *in cap. Quia propter de elect.* ideo accuratius illas habet expendere, & quæ ex illis substantiales sint enucleate. Maximè quia, quæ iure Pontificio decernuntur in Titulo de *electione, & electi potestate* circa electionem Canonicam Prælatorum Ecclesiasticorum veniunt obseruanda in electionibus prælatorum Regularium. Suarez *tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 2. c. 5. n. 1.* Castellinus *de elect. canon. Prælat. c. 1. n. 1.*

26 Textus autem dicti *c. quia propter de elect.* sic se habet. [Quia propter diuersas electionum formas, quas quidam inuenire conantur, & multa impedimenta proueniunt, & magna pericula imminent Ecclesiis viduatis, statuimus, vt cum electio fuerit celebranda præsentibus omnibus qui debent, & volunt, & possunt cōmodè interesse, assumantur tres de Collegio fide digni, qui secreto, & sigillatim vota cunctorum diligenter exquirant, & in scriptis redacta mox publicent in communi, nullo prorsus appellationis obstaculo interiecto, vt is collatione habita eligatur in quem omnes, vel maior, & sanior, pars Capituli consenserit.

27 Ex quo habetur ad electionem per Scrutinium de qua in præd. *cap. Quia propter* multa esse necessaria. Primum, quod fiat per congregatos in vnum, neque enim sufficit, vt quolibet in sua camera existente fiat electio. Colligitur ex illis verbis *præsentibus omnibus.* Secundum quod Scrutatores assumantur per Collegium, non enim debent se ingerere, quia sic redderentur suspecti. Colligitur ex illis verbis *Assumantur tres de Collegio.* Tertium, quod Scrutatores assumantur tres, & non pauciores. Quia in textu dicitur *Assumantur tres.* Quartum, vt dicti Scrutatores sint de Collegio. Id enim exprimitur in textu *de Collegio.* Quintum, vt singulorum electorum vota exquirantur secretè. Id enim etiam exprimitur illis verbis. *Qui secreto, & sigillatim vota cunctorum diligenter exquirant.* Sextum, vt inquisitio fiat *sigillatim*, ita scilicet vt non accedant suffragatores bini, aut terni, sigillatim quia hoc verbum *sigillatim* habetur in textu. Septimum, vt vota omnium exquirantur. Id enim denotat verbum illud textus *vota cunctorum.* Octauum vt vota exquisita redigantur in scriptis publicis aut priuatis. Hoc enim denotatur illis verbis, *& in scriptis redacta.* Nonum, vt vota scripta in cōmuni, id est, in Capitulo publicentur. Sic enim dicitur in textu, *mox publicent in communi.* Decimum vt ista publicatio votorum fiat *mox*, id est in continenti, nullo actu contrario interueniente post scripturam, & postquam vota fuerint redacta in scriptis, si quidem illa particula *mox* habetur in textu. Vndecimum, quod facta votorum, & suffragiorum publicatione statim fiat collatio suffragiorum respectu numeri, meriti, & zeli, ad inquirendum quisnam haberet maiorem, atque saniorem suffragiorum partem, quia dicitur in textu, *vt is collatione habita.* Duodecimum, vt dicta collatio fiat mox post suffragiorum publicationem, nullo actu extraneo intermisso, vt vult Glossa in dicto capite *Quia propter.* Tertiumdecimum, vt collatione facta fiat electio per vnum nomine Capituli. Hoc enim indicatur in textu dum dicitur, *vt is collatione facta eligatur.* Quartumdecimum, vt electio supradicta statim post collationem fiat nullo actu extraneo interueniente. Sic enim videntur intelligi verba illa *is collatione facta eligatur.* Quintumdecimum, vt electio fiat de eo, in quem maior, & sanior pars totius Capituli consenserit, vt exprimitur in textu. Decimum sextum, vt electio sit verbalis, neque enim alio modo videtur posse intelligi textus. Decimumseptimum, vt dicta electio solemniter publicetur. Hoc enim etiam insinuant verba textus. Decimumoctauum, vt seruetur ordo prædictorum successiuè per ordinem vt numerata sunt, alias non valeat electio. Neque enim sine causa textus prædicti omnia modo prædicto describit. Ita habet Panormitanus in dicto *capite Quia propter*, quem sequitur. Syluester *in Summ. verb. electio 2. numero duodecimo*, & recentiores, præsertim Miranda *tomo 2. manual. Prælator. quæst. 23. artic. 29.* Qui omnes Panormitanus præsertim, & Syluester, volunt has omnes conditiones substantiales esse etsi assignent alias non substantiales, scilicet primam, quod electioni præfigatur, dies, secundam, quod Scrutatores sint fide digni, tertiam, fiat quod electio in Ecclesia de cuius Prælato fit electio, quartam, quod fiat post sepulturam prædecessoris.

Circa quæ aliqua animaduertenda sunt, primum, dispositionem huius capitis comprehendere etiam electionem omnium Prælatorum Regularium, vt dictum est, eis enim mortuis, vel deficientibus Ecclesiæ illorum dicuntur viduatæ, & sine pastore *capite ne pro defectu de elect.* Deinde circa illam conditionem de assumptione trium, sufficienter saluari si tribus antiquioribus Capituli hoc munus committatur, vsu, & consuetudine Religionis, non designatione, aut nominatione, prout in nostra Religione in praxi seruatur. Item circa illa de tribus tantum Scrutatoribus assumendis, non videri de substantia electionis quod sint tantum tres, sed posse esse quatuor, cum per hoc nihil fiat contra finem legis; cui sententiæ fauent duæ declarationes Sacræ Congregationis Cardinalium, quas affert Suarez *quarto tomo de Religio. tractatu octauo libro secundo capite quinto numero decimo.* Item circa illas conditiones de votis singulorum secretè exquirendis, & scribendis, notandum duobus modis accipi posse, primo vt electores coram Scrutatoribus voce proferant, quem eligunt, & ipsi Scrutatores, vel aliquis illorum id scribat, secundo, vt vnusquisque eligentium secreto scribat, vel scriptum deferat suum votum ad Scrutatores. Licet autem prior modus conformior sit decisioni *capitis. Quia propter*, verba enim illa, *vota cunctorum diligenter exquirant & in scriptis redacta mox publicent* eum denotare videntur, & per consequens in praxi obseruari possit, nihilominus posterior modus conformior est decreto Concilij Tridentinj *sessione vigesimaquinta cap. 6.* vbi electionem Prælatorum dicit fieri debere *per vota secreta, ita vt singulorum eligentium nomina numquam publicentur*, magis enim secretè, & minus publicationis periculo exposita erunt vota, si vnusquisque suum votum scribat charactere aliquantulum immutato. Vnde iste modus etiam in praxi obseruari potest, prout in aliquibus Religionibus fit. Præterea circa publicationem votorum, debere fieri ab ipsis Scrutatoribus vel ab vno aliis consentientibus. Circa conditionem de collatione ad sciendum quæ sit maior, vel sanior pars, notandum quod cum Concil. Trident. vt supra requirat, *vt nomina eligentium numquam publicentur*, & collatio de saniori parte non possit fieri sine publicatione eligentium, ideo semper maiorem, partem præsumendam saniorem. Circa 13. de

de electione facienda per vnum nomine Capituli, cum non exprimatur quis debeat esse ille vnus, quidam dicunt, esse scribam, alij vnum de Scrutatoribus, alij verò quod probabilius est, Capituli Præsidem, vel primam vocem habentem, etenim veluti ex natura rei ad illum videtur hoc munus spectare. Debet autem is dicere: *Ego nomine omnium eligentium eligo te N. in Prouincialem, Priorem, &c.* hoc enim est conformius textui, & ita præceptum obseruari in Capitulis Prouincialibus Ordinis nostri à Reuerendiss. Generali Theodoro Stratio. Vbi autem legitima consuetudine id non fuerit in vsu, licet ratione talis & legitimæ consuetudinis permitti possit, introduci tamen debet propter decisionem prædicti capitis *quia propter*, & etiam capitulo *sicut de elect.* De his omnibus Suarez 4. *tom. de Religio tractat. 8. lib. 2. cap. 5.* Quibus addendum quod cum in prædicto capit. *Quia propter* nihil dicatur de modo, quo Scrutatores debean t ferre suffragia, credendum est eodem modo, ac alios suffragatores id facturos, ita tamen, vt ad inuicem munus Scrutatorum exerceant.

29 Ideo autem in prædicto capite mentio non fit de habilitate, seu capacitate eorum qui suffragia habent in Capitulo, quia ex aliis iuribus constat eos debere esse habiles, & liberos ab omni impedimento, censura, vel inhabilitate, de quo *tom. 1. capite 15.* Pro cuius maiori luce, & quia circa hoc sæpius controuersiæ, & contentiones in electionibus oriri solent, notandum primò, quod quando siue vnus, siue plures inhabiles ad electiones admittuntur ignoranter, valida est electio, etiamsi post illam constet de eorum inhabilitate, in hoc enim tenet regula illa *vtile per inutile non vitiatur*, & altera, *factum legitime retractari non debet, licet casu postea eueniat à quo non potuit inchoari* de Regul. iuris Regul. 73. præsertim quia cum in negotiis vniuersitatis tota potestas resideat in his qui habiles sunt, ideo quamuis alij inhabiles ignoranter admisceantur, ij qui habiles sunt totum Capitulum, & legitimum repræsentare poterunt. Innoc. *in capite illa numero secundo de elect.* Imola *numero quinto.* Hostiens. *colum. prima* Suarez *quarto tomo de Religio. tractatu octauo libro secundo capite quarto numero nono.* Similiter quando admittuntur prædicti inhabiles maiori parte Capituli illorum inhabilitatem sciente, sed est potestas in Capitulo ad dispensandum cum illis, etiam est valida electio, quia censendi sunt virtualiter dispensati ab ipso capitulo, ac per consequens validè elegisse. Ad quod deseruit doctrina tradita *tom. 1. cap. 18. n 63.* de Prælato conferente alicui illegitimo aliquod officium; sciens enim subditum habere tale impedimentum, & conferens officium, censetur super illo dispensare, si potest. Sic enim videtur dicendum in præsenti. Quando verò à maiori parte Capituli inhabilitatem sciente nec potente ipso Capitulo super inhabilitate dispensare admittuntur isti inhabiles, tunc irrita est electio, quia tunc habiles non cēsentur voluisse eligere sine dictis inhabilibus. Innocentius, Imola, Hostiensis allati, Siluester *verb. electio 1. num. 17. in fine.* Scio aliquos velle hoc solum verificari in casibus à iure expressis, scilicet de excommunicato in *cap. fin. de procur.* & de laico *in cap. Massana de electionibus.* Sed verior, & communior sententia est, quod in omni casu electio in qua scienter admittuntur inhabiles modo dicto est irrita, & nulla.

30 Nullus tamen elector potest, aut debet excludi ab electione sub prætextu alicuius inhabilitatis, delicti, aut censuræ, etiam causa pendente, nisi prius fuerit sententialiter condemnatus. Ante sententiam enim in foro externo pro habili habetur. Hostiensis, Ioannes Andreas, & Felinus *cap. minime de accusat.* Castellinus *de elect. canon. Prælator. capite quinto numero primo* [Nec Præses Capituli, aut quicumque alius superior potest id facere propter causam sibi soli cognitam. Propter eamdem rationem. Rodriguez *tom. 2. quæst. 21. art. 11.* Sigismundus *dub. 95. num. 8.*] Peccabit tamen elector qui inhabilitate aliqua quantumuis occulta affectus accedit ad electionem ab illa inhabilitate non dispensatus, iuxta dicta *tom 1. cap 15. num. 5.* Quare si dum tempore faciendæ electionis, interrogante Præside electores an sciant aliquem ex illis habere aliquem defectum, vel impedimentum, propter quod nequeat esse de gremio Capituli, aliquis opponat alij aliquam inhabilitatem, debet, quantum tempus permiserit, fieri inquisitio de ea, & si confessione, vel euidenti probatione constaret veram esse oppositionem, statim debet eiici à Capitulo talis inhabilis, si sine scandalo fieri potest. Si autem constaret certo inhabilitatem illi electori oppositam, falsam, vel nullam esse, retinendus est in gremio sic accusatus. Quando verò res est dubia, cum in dubiis iuuet possessio, & fauendum potius sit reo, quam actori, admitti potest, & debet cum protestatione tamen facta illi, quod scilicet admittitur ad eligendum, si & in quantum appareat postmodum eum debuisse admitti. Panormitanus *in cap. Cumana de elect.* Syluester *in Summ. verb. electio 1. q. 15.* Peirinis *tom. 1. de subdito q. 1. de Obedientia c. 31. §. 6. concl. 2.* plures alios referens. Idem dicendum quando inhabilitas obiecta est certa, sed est scandalum si eiiciatur talis inhabilis, tunc enim admitti potest cum simili potestatione, vt habent præfati auctores; non tamen sine illa, ne videatur scienter admissus, & sic corruat tota electio. Syluest. *ibid.* Vide dicta *tom. 1. c. 15. n. 7.*

De Præside tam Capitulorum quam electionum, quæ in ipsis fieri solent præter dicta *tom. 1. cap. 15.* illud addendum, ad ipsum tanquam caput, & Superiorem in Capitulo spectare dirigere Gremiales ad electiones legitimè faciendas maximè iuxta decreta Clementis VIII. confirmata à Sacra Congregatione Concilij sub Sanctissimo Domino Nostro Vrbano Octauo, quæ sunt huiusmodi. [Vt omnis officiorum ambitus occasio præcludatur caueant omnes à directa vel indirecta vocum, seu suffragiorum procuratione tam pro se ipsis, quam pro aliis, cum in Capitulis locorum tum in cæteris, præsertim Generalibus Capitulis, aut Congregationibus, seu alibi. Quicumque secus fecerint præter alias pœnas, & censuras hactenus contra huiusmodi ambientes inflictas quas in suo robore permanere volumus in pœnam priuationis officiorum quæ obtinent eo ipso incidant, & ad futura quæcumque pariter inhabiles habeantur, super quo cum eis dispensari à nemine possit nisi à nobis, vel successoribus nostris, pro qualitate culparum grauius etiam plectantur. Porro supradictas omnes pœnas ad complices, ac simpliciter scientes, & non reuelantes extendimus. 31

32 Hoc tamen decreto, & aliis similibus non obstantibus, iuxta dicta *d. c. 15. n 24.* expediens erit, & sæpius necessarium pro bona directione electionis, ad quam procurandam Præsides præcipuè tenentur, vt electores instruant, moneant, & hortentur,

hortentur, modestè, charitatiuè, & religiosè, eos etiam suauiter suadendo, & inducendo ad eligendum personam digniorem Capituli, ipsius virtutes veras, & regimini necessarias ostendendo, hoc enim facientes rem Deo gratam, & valde vtilem Religionibus nec cōtrariam prædictis decretis, aut aliis similibus, facient. Castellinus *de elect. c.3. num. 6.* [Nota tamen quod quamuis electores non teneantur stare attestationi, siue testimonio Præsidis quantum ad maiorem, vel minorem idoneitatem eligendorum, maximè si eis constat contrarium, vel credunt illum ignorantia, vel passione duci; in re tamen dubia possunt cum ipso conformari, vt pote personæ qualificatæ & melius informatæ de eligendorum qualitatibus, & quia quoad hoc punctum de maiori idoneitate sufficiunt leues probationes, & suspiciones. Ita Sigismundus *supra dub. 95.* ex Rotæ decisionibus.]

33 Item ibidem [in Superiorum, & officialium omnium electionibus forma præscripta à Sacro Concilio Tridentino, & Ordinis Constitutionibus inuiolabiliter seruetur, iurentque electores secundùm veritatem cuiusque conscientiæ probiores, ac magis idoneos se electuros, ac propterea priusquam ad electionem deueniatur, in primis, & ante omnia prælegantur Constitutiones de qualitate, & requisitis eligendorum. Ad officia, gradus, & prælaturas illi præcipuè eligantur qui possint, & consueuerint Regulas Ordinis, & Constitutiones obseruare, præsertim, quæ pertinent ad seruitium Chori, ac vestitum, & victum commune. Eligantur in Capitulo Generali, vel prouinciali aliquot graues, & periti ex Fratribus cuius libet Prouinciæ saltem tres qui admittendos ad prædicationem verbi Dei, vel ad audiendas confessiones etiam ipsorum Fratrum ac lectores publicos diligenter simul examinent, priusquam probentur, & ad huiusmodi ministeria admittantur. Horum etiam curæ sit examinare, & probare tam quoad doctrinam, quam mores promouendos ad quoscumque Ordines, in quo seruetur decretum Congreg. interpretum S. Concilij Tridentini hac de causa nuper editum, & promulgatum.

34 Similiter quia iuxta Conc. Trid. decretum *sess. 25. cap. 6.* electiones fieri debent *per vota secreta, ita vt singulorum eligentium nomina numquam publicentur.* Præsidis munus est curare vt electio omnino secretè fiat. Vt enim præd. *tom. 1. cap. 15. num. 17.* dictum manet, ipsi suffragatores astringuntur præcepto numquam publicandi sua vota etiam electione finita, &, si consentiente Capitulo, vel vnus electorum publicè suum votum manifestaret, electio irrita redderetur. Vnde prudenter in aliquibus Religionibus, vt in nostra (præcipiente Reuerendissimo Theodoro Stratio Generali) cautum est, vt electione finita schedulæ votorum statim comburātur, ne ex charactere cognosci possit ille qui votum dedit: imò etiam conditio hæc comburendi schedulas post factum scrutinium videtur esse tam necessario requisita, vt defectus illius irritet electionem, propter declarationem Pij V. apud Rodrig. *tom. 2. Bullar. post Bullas Pij V. inter viuæ vocis oracula ipsius num. 4.* Castellinus *de elect. canon. Prælat. c. 4. num. 62.*

35 Præcipuè tamen Præsidis munus est curare, vt electiones omnino liberè fiant, de quo *tom. 1. cap. 15. num. 21.* Vnde Præses qui post vota recepta credens electum esse aliquem qui sibi non placet, iubet, vt ad aliam electionem, procedatur, peccat grauiter mortaliter, contra decisionem *cap. Quia propter,* relati, vbi præcipitur, vt facta collatione suffragiorum fiat electio, id est, vt statim post suffragiorum collationem vnus nomine Capituli eligat illum in quem omnes, vel maior pars suffragatorum conuenerunt. Nauar. *lib. 1. consil. titul. de elect. consil. 5.* Portell. *in responsionibus moralibus par. 2 cas. 16.* Imo in tali casu tenetur Præses ad restitutionem damni illati electo, cum ratione suffragiorum haberet ius ad illam degnitatem, seu officium, de quo fiebat electio. Rebellus *de oblig. iustit. 1. par. lib. 3. quæst. 2.* Portellus *vt supra.* Similiter grauiter peccabit Præses qui ante electionem dixerit ne dentur suffragia tali Religioso, quia non esset illum confirmaturus. Hoc enim manifestè est contra libertatem electionis. Portell. *etiam vt supra* Pariter Præses qui in electione aliqua vtitur precibus importunis, promissionibus, aut verbis asperis, vt eligatur ver. gr. Petrus, grauiter peccabit, & electio nulla erit. Quia preces inportunæ maximè Superioris, promissiones, & similia causant inuoluntariam electionem, Sanch. *lib. 4. de matrimonio disput. 10. num. 2. & disput. 7. num. 5. 6. & seq.* Portellus *etiam vt supra.* Item si paciscatur cum electoribus quod si eligatur Petrus ver. gr. præses condonabit & non puniet culpas quorumdam qui puniri debebant, peccatum simoniæ committet, quia est promissio rei temporalis, scilicet remissionis pœnæ, pro re spirituali, scilicet, voto, vel suffragio. Suarez *tom. 1. de Relig. lib. 4. cap. 37.* Lessius *de iust. lib. 2. c. 35. dub. 21. num. 19.* Portellus *vt supra.* Præterea si faciat pactum cum aliquo dicendo, da tu huic suffragium, & ego illud tibi dabo, simoniam committit: fit enim clara pactio, seu conuentio in materia beneficiorum, seu quasi beneficiorum, qualia sunt Prælatiæ in Religionibus, quod iure Canonico, veluti simoniacum est prohibitum, iuxta dicta *tom. 1. cap. 15. num. 29.* Excusari tamen potest si illa solum dicantur non per modum pacti, sed per modum demonstrationis rei futuræ faciendæ gratiosè, & non ex conuentione. Rodriguez *tom. 3. quæst. Regul. q. 63. art. 4.* Portellus *in Dub. Regul. verbo simonia, num 1.* Quo sensu, & non alio intelligi potest id quod docent aliqui in contrarium. Quos tacito nomine refert, & sequitur Sanchez *tom. 1 consil. moral. lib 2. cap. 3. dub. 44.* Sed neque huiusmodi oblationes rei futuræ admitti debent, tum quia simoniam sapiunt, tum quia subornationis speciem præseferunt, illis enim alliciuntur Religiosi ad dandum suffragium alijs, quod alias non facerent. Villalobos *in Summ. tomo primo tractatu trigesimoseptimo different. vigesimaprima numero primo.* Diana *tractatu secundo de Dub. Regul. resolut.* 126. Facilius tamen permitti possunt in præsidentibus capitulorum, si fiant non per modum pacti, vt dictum est, nec per modum subornationis, sed ad sedandos animos quorumdam, & procurandum quietè, & pacificè digniorum electiones. Vt si prædicti præsides ad quos spectat dirigere electores ad digniorum electionem alicui renuenti dare suffragium digniori dicant, da huic votum pro hoc officio, quia in alia occasione tibi prouidebitur, vel tui cura habebitur, &c.

Propter prædictam causam, videlicet conseruandæ omnimodæ libertatis in electionibus dubitant 36
aliqui an licita sit consuetudo quarumdam Religionum, quod scilicet Generales, vel eorum Commissarij assistant electionibus prælatorum inferiorum. Nam electores ob timorem reuerentialem Generalium, vel Commissariorum ipsius suffragia

fragia dabant non ad suam, sed ad prædictorum supremorum prælatorum voluntatem. Castellinus *de elect. can. cap.* 14. *num.* 61. Verumtamen si prædicti præsidentes sinant electores liberè omnino suffragia dare prout debent facere iuxta dicta, conueniens satis est, vt sint ex grauioribus patribus Religionum, vt auctoritate qua pollent dirigant dictos electores ad faciendum electiones canonicè, pacificè, & iuxta Ordinum statuta.

37 Non decet præsidem Capituli in eo eligi ad aliquod officium. Tum quia ob timorem, & reuerentiam ipsius electio non erit omnino libera. Tum quia præsumeretur fraus, & dolus. Miranda in *manuali. tom.* 2. *quæst.* 22. *art.* 7. Castellinus *de elect. canon cap.* 13. *à num.* 30.

48 Tenetur præsidens Capitulorum Regularium quærere annuatim suos Religiosos fugitiuos, aut eiectos. Ita enim deciditur *in cap. fin. de Regularibus* quod esto vsu receptum non fuerit prius, quia tamen à Sacræ Congregationis Concilio sub Sanctiss. Domino Nostro Vrbano Octauo innouatum est in decreto *de Apostatis, & eiectis*, ideo obligat ad sui obseruantiam, iuxta dicta, *tomo primo capite* 23. *num.* 7. Imò in iure naturali stando, & secluso quocumque positiuo, tenentur tam prædicti præsides in Capitulis cum in illis præcipuè agendum sit de profectu spirituali Religiosorum quam alij prælati præfatos fugitiuos quærere, & iuxta Regulæ, & Constitutionum præscriptum corrigere, & punire, & reuocare eiectos si spes emendationis in illis subsit. Vide Sanch. *lib.* 6. *in decal. c.* 9. *num.* 18.

39 Circa Confirmatorem etiam electionum id notandum, præter dicta *tom.* 1. *cap.* 15. *num.* 35. & 36. quod etiam quando electores iurarunt se electuros digniorem (prout debent iurare, iuxta dicta eodem *cap.* 15. *num.* 15. (si tamen dignum, etsi minus dignum, elegerunt, tenetur Confirmator illum Confirmare. Ratio est, quia talis electio in foro externo valida est (esto electores fuerint periuri in illa) ergo confirmanda, quia confirmatio cum sit actus externus electioni in foro externo validæ conformari debet. Couarruuias *Reg peccatum* 2. *part.* §. 7. *num.* 4. Sanchez *tom.* 1 *consil. moral. lib.* 2. *cap.* 1 *dub.* 6. *num.* 3. Quod intellige secundum ius commune, si enim iura particularia Religionum statuant Confirmatorem posse cassare electionem digni, si viderit dimissum esse digniorem, prout dicitur esse in Ordine Prædicatorum, poterit id fieri. Salon. 2. 2. *quæstio.* 63. *art.* 2. *ad* 3. *controuers.* 3. Sanchez *vt supra num.* 4. Hoc tamen intelligo si euidenter constaret relictum esse digniorem, alias enim ad euitandas lites, & contentiones melius esset confirmare electionem digni, sicut iure communi est licitum, & conformare se Confirmatorem electoribus. Confirmare autem indignum nullo pacto licet Confirmatori, iuxta dicta eodem *cap.* 15. *num.* 36. & videtur à simili de Episcopo confirmante indignum incidere in pœnas *c. cum in cunctis de elect.* §. *fin.* Sanchez *vt supra numero* 27.

40 Electio quæ non fuit ritè, & legitimè facta confirmari nequit, quia vt habetur *ex cap. inter dilectos dilectos de fide instrument.* §. *cum ergo*, cum Principale non tenet nec accessorium tenet, Confirmatio autem est iuris prius habiti per electionem corroboratio, vnde est quasi accessorium. Peirinis *tom.* 1. *de subdito quæst.* 1. *de obedientia cap.* 21. §. 11. *in* 2. *probat.* 8. *concl.* Castellinus *de elect. Canonica Prælator. cap.* 14. *num.* 5. Vnde talis confirmatio irrita est, sicut & ipsa electio, propter eamdem rationem. Peirinis *ibid. conclus.* 8. Quare Confirmatoris munus est considerare processum siue formam electionis, & modum in ea seruatum, disquirere an aliquis defectus in electione fuerit ratione cuius irrita sit, & nulla, ac per consequens non confirmanda. Castellinus *vt supra n.* 6.

Extat tamen quoad hoc notabile priuilegium Ordini Prædicatorum concessum ab Alexandro IV. & Sixto IV. quod scilicet quando electio facta de Prouinciali, aut Priore ex aliqua causa non contingeret confirmari, posset Superior ad quam confirmatio talis electionis pertinebat, id est Confirmator eligere aliquem de illis Fratribus quos ipsi electores, vel maior pars eorum per litteras suas ab eo petierint quando ad ipsum pro electi confirmatione transmitterent. Castellinus *de elect. Canonic. Prælator. capite* 2. *numero sexto, &* 12. Quo priuilegio tam Prædicatores quam alij Mendicantes, & cæteri, qui cum ipsis communicationem priuilegiorum habent potiri poterunt. Nisi obstent Constitutiones, & statuta particularia illorum, aut tali priuilegio scienter renunciauerint, aut eo vsi non sint illius habita scientia, iuxta dicenda *cap.* 15. *num.* 17. 41

Tempus trium mensium conceditur iure communi confirmatori ad disquirendum de validitate electionis *c. quam sit de elect. & electi potest in* 6. Castellinus *de elect. Canonic. Prælator. c.* 14. *n.* 11 Quando autem interponitur in forma debita appellatio, ne ordinarius confirmator procedat ad confirmationem iam secutæ electionis, ad Papam, nequit ordinarius confirmator confirmare durante præd. appellatione *c. si postquam eodem tit.* Castellinus *vt sup. num.* 4. 42

Electio illius qui requisitus ante electionem consentit electioni de sua persona facienda priusquam fiat, est cassanda. Ita enim colligitur ex *capite cum post petitam de elect. & elect. potestate*, & ratio decisionis est quia talis præsumitur enormiter ambitiosus. Syluester *in Summ. verb. electio* 1. *numero vndecimo* Castellinus *de electione canon. Prælator. cap.* 4. *num.* 6. post alios. [Electio etiam per dolum, aut fraudem qualis contingeret in casu quo Præses electionis paulo ante ipsam abstulerit aliquos Gremiales de Conuentu, vel posuerit in ipso alios de nouo ad dandum suffragia, non debet confirmari. Quia fraus & dolus nulli debet patrocinari, *cap. Sedes Apostolica, de rescript. & cap. Ex litteris, de dolo & contumacia.* Portellus *in Responsionibus moral. tomo secundo casu* 74. addens à tali electione antequam fieret potuisse appellare quemcumque Religiosum cui interesset talis electio. *canon. Non solent, quæstio.* 6. Vide quæ dico 3 *tom. verbo Appellatio & Appellare numero* 22. & 4. *tom. in Relectione circa validitatem cuiusdam capituli dubio primo.*] 43

Similiter electio facta per sortes Confirmari non potest. Quia est irrita, & nulla. Tum ex *capite finali de sortilegiis*, vbi dicitur *Sortis vsum in electionibus perpetua prohibitione damnantes.* Tum quia esto quod ex vi prædicti *capitis fin.* electio non sit irrita, prout aliqui probabiliter tenent, tamen quia est contra formam *capite, Quia propter de electio.* vbi assignatis duobus modis electionis, scilicet per scrutinium, & per compromissum de quibus *tomo primo capite* 15. *numero vndecimo* dictum manet, subiungitur, *Aliter electio facta non valeat.* Tum denique quia ita credo, esse receptum in omnibus Religionibus maximè post 44

decretum Concil. Tridentin. *sess.* 25. *capit.* 6. Suarez *tom.* 1. *de Religio. libro* 2. *de superstit. capit.* 12. *num.* 9. Castellinus *de elect.* canon. *Prælator. cap.* 4. *numero septimo.* An autem quando electio non fuit facta per sortes, sed per suffragia secreta, nihilominus electores ante ipsam conuenerunt vt is postea eligeretur, in quem sors ceciderit, & missis sortibus illum elegerunt super quem sors cecidit, an inquam hæc electio sit irrita, vel irritanda, vel non confirmanda maius dubium est. In quo credo dicendum talem electionem in se irritam non esse. Ratio est, quia ipsa in se formaliter, vt ita dicam, sine sortibus facta est, sortes enim antecesserunt illam, si ergo alias nullo alio defectu vitiata fuit, irrita non erit. Confirmatur, quia Pontifex in dicto *cap. fin. de sortileg.* dicit se confirmare electionem pariter factam per sortes antecedentes ipsam, quod autem confimatur supponitur non esse irritum, aut nullum. Fauet Suarez *vt supra num.* 10. dum inquit non omnem actionem ordinatam ad electionem factam per sortes esse irritam. Nihilominus puto irritandam prædictam electionem, nec à Confirmatore confirmandam. Tum quia esto in se libera fuerit, & sine sortibus, ab illis tamen dependens fuit, & illis innixa. Tum quia fuit ex pacto, & conuentione hac facta inter electores, si sors ceciderit super te, dabo tibi suffragium meum, si super me dabis mihi suffragium tuum, quæ aliquo saltem modo simoniam redolent, iuxta dicta *tom.* 1. *cap.* 15. *num.* 29. Fauet ad intentum glossa in *d. cap. fin. de sortileg. verbo ad gratiam*, vbi inquit electionem de qua in præd. cap. quæ vt dixi facta est sortibus antecedenter missis, debere cassari, & propterea Pontificem dixisse *electionem factam de ipso ad gratiam confirmationis admittimus.* Maximè tamen fauet Castellinus vt supra dum asserit quamcumque electionem prælatorum in qua, siue ante, siue post, siue in ipso actu electionis admittitur vsus sortis esse ipso iure nullam. Adminus tamen prædicti electores sunt grauiter puniendi, tum propter dicta, tum quia faciunt electionem vt minimum dubiam, tum quia sorti committunt quod ipsi magna discretione deberent facere.

45 Electio facta ex vi renunciationis alicuius prælaturæ antequam fuerit acceptata à Superiore illius qui renunciauit, nulla est atque irrita, ac per consequens nullatenus confirmanda. Ratio est, quia prælatura non vacat ex vi solius renunciationis antequam acceptetur. Riccius *in praxi rer. quotidianarum tom.* 3. *resolut.* 399 Castellinus *de elect. canon. Prælat. c.* 4. *n.* 60. post multos alios.

46 Electio in qua est electus, qui causam scandali præbiturus est in populo illius loci cui præficiendus est in prælatum venit annullanda, & cassanda. Ex decisionibus Sacræ Rotæ quas refert Castellinus *de elect. canon. cap.* 4. *n.* 67. Qui etiam *n.* 58. asserit electionem vsurarij, publici aleatoris esse ipso iure nullam. Vnde talium electio confirmari non debet.

47 Electio facta per abusum sæcularis potestatis irrita est, & nulla, ac per consequens non confirmanda, & consentiens tali electioni intelligibilis est, nec absque dispensatione ad aliquam dignitatem eligi valet. Electores quoque ab officiis, & beneficiis suspenduntur per triennium, eligendi potestate priuati. Ita enim habetur *cap. quisquis de elect.* Ea porro electio dicitur per abusum sæcularis potestatis facta, quæ fuit facta per interuentum Principis, seu potestatis sæcularis siue ad instantiam sæcularis potestatis. Bellamera 1. *part. p. lib. decretal. sup. hoc capite.* Castellinus *de elect. canon. capit.* 5. *num.* 33. *&* 34. [Nota etiam videri electionem fieri per abusum sæcularis potestatis, cum electores Principis, aut sæcularis potestatis præsentiam requirerent, vel eius consensũ super eligendis certis personis, vel vt aliquod munus in ea exerceret. Ita Sigismundus de Bononia *de elect. dub.* 53. *num.* 1. post Innocentium, Panormitanum, Suarez, Alterium, & alios. Vbi etiam alia ad intentum.]

Potest electus canonicè in Prælatum confirmationem à confirmatore petere siue nota ambitionis. Quia habet ius ad Prælatiam ad quam est legitimè electus. Io. Andr. *in cap. publicato de elect.* Mandagot. 2. *part. sui tractat. de elect. cap.* 59. Si tamen importunè, & affectuosè instet pro confirmatione non effugiet saltem apud homines ambitiosi notam, cum onus humeris Angelicis impar subire tam obnixè procuret. Castellinus *de elect. canon. Prælator. c.* 14. *num.* 65. 48

Decretum electionis, quod ab aliquibus vocatur scrutinium, ab aliis vero acta Capituli, & est scriptum continens seriem, siue formam electionis celebratæ cum expressione nominis electi, & numeri eligentium, mittendum est ad Confirmatorem, si sit absens, vt videat an electio Confirmanda necne. Est enim adminus de solemnitate electionis. Mandagotus *de elect.* 1. *par. cap.* 38. Castellinus *de elect. canon. Prælat. cap.* 12. *num.* 30. Prædictum autem decretum siue testimonium authenticum, litteræ testimoniales, aut fide digni testes de prædictis dici possunt de necessitate electionis prout confirmandæ. Quomodo.n. Confirmator confirmare potest electionem absens nisi aliquo ex prædictis modis illi constet fuisse ritè & legitimè factam? Quando autem. Confirmator præsens est, neutrum illorum est de substantia electionis, aut confirmationis, cum sine illorum aliquo possit Confirmatori constare electionem esse legitimè factam, Syluester *in Summ. verb. electio* 1. *n.* 21. 49

In gratiam quorumdam Regularium, in quorum Capitulis aliquando creantur Prelati solum per postulationem, notandum ex Abbate *in Rubr. de postulatione*, quod postulatio est *quædam gratiæ petitio facta Superiori de promouendo aliquem ad Prælaturam, ad quam iure communi propter defectum aliquem eligi seu promoueri non poterat.* Vnde licet electio latè sumpta comprehendat postulatiouem, vt colligitur ex *cap. vn. de postul. Prælat. in* 6. & sub nomine electionis generaliter sumptæ cadat postulatio (Panormit. *in cap. in causis de elect. num.* 2.) nihilominus differunt primo quod per postulationem potest postulari aliquis qui per electionem eligi non potest, v.g. illegitimus. Constat hoc ex *cap. innotuit nobis de elect. & electi potest.* Castellinus *de elect. canon. Prælator. capit.* 1. *num.* 12. Differunt secundo quod per electionem Canonicè factam consentiunt electores in electum tamquam in sponsum Ecclesiæ, ad quam eligitur, per postulationem verò solum dirigunt vota sua ad Superiorem, vt ex gratia postulatum admittat. Panormit. *in titulo de postul. prælat. in princip.* Syluest. *in Summ. verb. elect.* 2. *num.* 3. Tertiò differunt quod postulatus ex vi postulationis nullum ius adquirit ad Prælaturam, bene tamen electus. Panormit. *capite postulationem de postul.* Castellinus *vt supra numero* 16. *&* 17. Requiruntur ad postulationem multa. Primum, quod fiat ab iis, qui postulare possunt. Secundum, vt porrigatur illi, qui eam admittere potest. 50

Tertium, quod fiat de eo, qui promoueri potest. Quartum, quòd sit concors id est, ab omnibus Gremialibus Capituli, vel saltem à duabus partibus. Syluester *in Summ. verb. postulatio prælat. num.* 2. Angelus *in Summ. eodem verb.* Illi postulare possunt, qui possunt eligere. Syluester *ibid. num.* 4. Angelus *ibidem num.* 2. post Hostiensem. Cui postulatio fieri potest est ille, qui potest dispensare in defectu, vel impedimento, quod habet postulatus, vt si is est illegitimus, vel carens perfecta ætate ab eo porrigi debet postulatio pro ipso, qui potuerit in huiusmodi defectibus dispensare. Syluester *num.* 5. Angelus *num.* 1. Illi autem promoueri, seu postulari possunt, qui non habent aliquem defectum indispensabilem ab eo cui porrigitur supplicatio. Quare indigni postulari non possunt. Mandagotus *in tractat. de elect. Prælat.* 1. *part. cap.* 53. Castellinus *de elect. can. Prælat. cap.* 1. *num.* 9. Nec irregulares, aut homicidæ, nisi pœnitentiam egerint. Mandagotus *ibidem.* Idem dico de criminosis, puta periuris, & inobedientibus. Syluester *num.* 3. Angelus *dicto v. postulatio.* Postulari etiam non possunt, qui non fuerint in Religione professi, nisi necessitate cogente, & casu quo essent instructi in Regula Ordinis. Syluester, *vt supra* Tabiena *in Summ. verb. postulatio num* 3. Apud quos etiam de aliis, qui postulari nequeunt.

51 Ex postulatione autem ij effectus nascuntur. Primus, quod postulatus admissa postulatione ab eo cui porrigitur cum conditionibus assignatis, statim consequitur ius ad Prælatiam, ac si fuisset electus, & confirmatus. Panorm. *in cap.* 1. *de postulat.* Angelus *in Summ. verb. postulatio num.* 4. Tab. *in Sum. eodem verb. num.* 6. Vnde non indiget alia electione, vel confirmatione. Angelus, & Tabiena *ibid.* Syluest. *in Summ. verb. postulatio num.* 6. Secundus effectus est, quod casu quo postulatio cum electione concurrat, licet cæteris paribus electio præponenda sit postulationi, si tamen postulatio habet duas tertias, seu duas partes ex tribus Capituli, electio autem non nisi maiorem partem, tunc postulatio præponitur. Ita enim colligitur *ex cap. scriptum est de elect.* Glossa *ibid. verb. maiorem,* Tab. *in Sum. vt supra num.* 2. Similiter postulatio facta concorditer ab omnibus, vel saltem à duabus partibus ex tribus non potest reiici à Superiore, nulla legitima electione existente. Panomit. *titulo de postul. capit. postulationem num.* 2. Castellinus *de elect. canon. prælat. cap.* 2 *num.* 3.

52 Cum autem, vt dictum est, iure communi permissus, & licitus sit modus creandi prælatos per postulationem, ideo non solùm in Religionibus vbi is vsus introductus est, sed etiam in aliis vbi non est introductus, recipi potest, nisi obstent Constitutiones à Sede Apostolica approbatæ, quæ hunc modum instituendi Prælatos reprobent.

53 Est etiam alius modus creandi, seu instituendi prælatos, qui vocatur Nominatio, quæ etiam largo modo potest dici electio, quia qui nominat alium prius ipsum mente elegit. Panorm. *in cap. quod sicut de elect. in notab.* Tab. *in Summ. verb. postulatio n.* 7.

Quamuis autem triplex vocetur huiusmodi Nominatio, illa tamen quæ dicitur solemnis, & est propriè Nominatio, est quando duo, vel plures nominantur Principi, vt ex eis eligatur vnus. Tabiena *ibidem.* Similiter est Nominatio quando omnes concordant in aliquo eligibili assumendo, & vadunt ad eum, à quo petendus est consensus, scilicet ad Superiorem, & requirunt eius consensum, vt cum ipso dispenset. Glossa 7. *in cap. bonæ memoriæ de postulat. Prælator.* Castellinus *de elect. canon. prælat. cap.* 2. *num.* 14. Sed Syluester *in Summ. verb. Nominatio*, eam esse dicit, quando duo, vel tres, qui sunt solemniores in Capitulo, vel alibi, nominantur Superiori, & petitur, vt de aliquo eorum prouideat. De hac autem Nominatione loquendo videtur aliquod ius per illam adquiri nominatis. Syluester *ibid.* Vel adminus non posse nominantes variare postquam Superiori est præsentata Nominatio. Tabiena, & Syluester, *vt supra.* Qualiter differat, vel conueniat, is modus creandi Prælatos cum electione, vel postulatione ex dictis facilè coniicitur. Similiter an possit, vel non esse in vsu Religionum, constat etiam ex dictis, cum iure communi sit permissus, & in vsu aliquorum Regularium.

54 Pro praxi autem celebrandi Capituli Prouincialis in nostro Ordine Reuerendiss. Generalis Theodorus Stratius formam hanc breuem ex Sacris Canonibus, & Ordinis constitutionibus compilatam fecit, quam etiam Præsidentibus Capitulorum obseruandam transmisit, & in posterum transmittendam curabit. Hanc ergo hic placuit adiungere, etsi enim pro nostris solùm edita sit, aliis tamen Religionibus inutilis non erit.

Modus celebrandi Capitulum Prouinciale in Ordine Carmelitarum.

55 PRimo loco sciendum, quòd ad patrem Prouincialem pertinet tertio suæ functionis anno conuocare capitulum prouinciale Dominica 3. post Pascha Resurrectionis celebrandum, nisi P. Ordinis disposuerit de præsidente, cum expressa facultate conuocandi Capitulum. Celebrandum est autem capitulum ex Prioribus, & Vicariis Conuentuum electis, vel legitimè institutis, & eorum Sociis ritè à Conuentibus electis, cum Prouinciali officium depositurо, & suo Socio visitationis, nec non cum præsidente, & socio per eum eligendo, qui vnus tantùm esse potest, quamuis præses à patre Generali fuerit institutus etiam cum Compræsidente. Quod pariter intelligi debet de Præside auctoritate Apostolica in forma communi confirmato, quia confirmatio in forma communi nullum ius nouum tribuit, cum non sit ampliatio, sed corroboratio iuris quæsiti, faciatque rem confirmatam auctoritatis maioris, & quòd magis timeatur.

Possunt etiam interesse Capitulo Prouinciali Magistri in Sac. Theolog. qui promotionem tenuerunt per Ordinem sibi factam, complendo cursus suos secundum statuta Ordinis in prouincia, in qua collocati fuerint. Socij quoque prouincialis, qui electi fuerint pro Comitiis Generalibus celebrandis locum habent, & vocem in capitulo prouinciali ipsa Comitia Generalia sequenti, esto, quòd illis non interfuerint, modo ostendant, quòd legitimo impedimento non valuerint interesse. Et similiter P. Prouincialis aut Vicarius Prouincialis absolutus in Comitiis Generalibus immediatè præcedentibus, necnon Vicarius electus in custodiam Prouinciæ pro absentia Prouincialis ituri ad Comitia Generalia, quamuis ipse prouincialis non accesserit, sed prouinciam custodierit. Est etiam de gremio capituli prouincialis electus quoad ea, quæ post eius legitimam, & canonicam electionem fieri contigerit.

Et quia in Congregationibus, in quibus non est ordo, plerumque multa tumultuosè fiunt, & dissensiones suboriuntur, ne in Capitulis Prouincialibus

cialibus sit inter Gremiales vlla confusio, & contentio, primum in sessionibus locum tenebit P. Præses, secundùm prouincialis ab officio absoluendus, etiam postquam absolutus fuerit, & prouincialis electus post publicatam eius electionem, qui prouincialem ab officio absolutum præcedet: tertium Diffinitores, & si admissi fuerint aliqui ex gratia in Diffinitorio, vel ob longam consuetudinem, vel ob aliquod statutum particulare prouinciæ, isti cedent locum Diffinitoribus ordinariis, quartum magistri in Theologia, quintum priores locales non magistri: sextum socius præsidentis, & post eum Socius Prouincialis officium depositurі, nisi fuerint magistri, & vltimum locum socij priorum, si similiter non fuerint magistri.

Vigilia vigiliæ, scilicet die Veneris, si nondum constiterit de præsidente cum facultate conuocandi, & celebrandi Capitulum à patre Ordinis constituto, de mandato prouincialis statim post decantatas Vesperas per sonum campanellæ ter pulsatæ, fiat signum Congregandi Capitulum, quo audito omnes Fratres conuenient ad locum deputatum, & eis consedentibus, prouincialis verbum habebit opportunum, quo expleto, præsentabuntur, & publicabuntur litteræ patris Ordinis, si quæ datæ fuerint, virtute quarum aliquis sit institutus præses, qui statim pro tali ab omnibus est habendus, illique debita præstanda Obedientia, primò à prouinciali, deinde ab aliis successiuè. Qui præsidens deinceps suo fungetur officio. Ante publicationem autem litterarum Generalis, nullo modo rebus ad Capitulum pertinentibus se immiscere, vel vllam præeminentiam prætendere poterit. Quod si nullæ fuerint litteræ patris Ordinis præsentatæ prouincialis pro nunciabit, & declarabit præsidentem primum, & maiorem ex Diffinitoribus præcedentis Capituli si fuerit Magister; nullo Diffinitore existente magistro, antiquiorem magistrum in prouincia.

Post hæc P. Præsidens eliget sibi socium, quem maluerit, non habentem Canonicum impedimentum; qui tamen prius non dederit suffragium in electione Socij alicuius prioris ituri ad idem Capitulum. Qui Socius poterit etiam deseruire pro Secretario Capituli, licet P. Præsidens facultatem habeat nominandi alium Secretarium, quem magis idoneum ad tale munus iudicauerit. Qui tamen, nisi aliàs fuerit de Gremio, n on habebit locum, & vocem in Capitulo; cum enim eius officium sit nudum Ministerium, potest esse extraneus, & etiam laicus. Præstabit, iuramentum Secretarius de officio suo fideliter peragendo. Deinde P. Præsidens notificabit Gremio nouæ electionis prouincialis die crastina futuræ causam, vel ex completo officio, vel ex assumptione, vel morte, vel ex priuatione, vel ex renunciatione, vel ex quacumque alia, & quòd ad implorandum diuinum auxilium pro negotio tam graui ritè peragendo pernecessarium, præcantanda est Missa de Spiritu Sancto, omnesque Gremiales debent, & tenentur Sacrum facere, vel saltem Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento refici.

Deinde cum consilio Diffinitorum faciet officialiũ Capituli tabulam, instituendo, scilicet & nominando Priorem ipsius Capituli, Superiorem, seu moderatorem chori, Concionatores, publicarum conclusionum defensores, causarum criminalium, & ciuilium Auditores, admittendorum ad Confessiones, & ad studia, promouendorum ad gradus, & ad Ordines, & recipiendorum ad habitum Religionis examinatores, liborum reuisores, & cursorem Capituli. Qua coram gremialibus lecta, vnumquemque officialem ad munus sibi impositum perficiendum adhortabitur, eamque in loco publico affigi curabit.

Poterit etiam eadem die, si gremio placuerit, pro prima sessione, & actione capitulari, vna cum Diffinitoribus examinare litteras Sociorum Priorum, necnon eorumdem priorum culpas audire, atque accusationes, & informationes contra eos captas, & præsentatas recipere, & si quæ ab eis culpæ fuerint confessæ, vel per tam sufficientem testium depositionem probatæ, quòd eis nulla competat apparens defensio, propter quas culpas secundum statuta Ordinis, seu sacros Canones, aut Pontificias Constitutiones, vocem amiserint, statim, nulla alia assignata pœna, excludentur à capitulo.

Quod si culpæ non fuerint confessæ, nec sufficienter probatæ, vel contra aliquos alios Gremiales facta fuerit oppositio de aliquo impedimento canonico, propter quod admittendi non sint in capitulo, de quo tamen non sufficiens exhibebitur probatio, quia tunc non datur tempus faciendi defensiones, nec sumendi nouas informationes, Gremiales contra quos factæ fuerint tales oppositiones, non poterunt excludi à capitulo; sed erunt admittendi cum protestatione quod admittantur si, & quatenus de iure admitti poterunt.

Antequam Gremiales procedant ad aliquam electionem præparetur in loco pro electionibus faciendis deputato Altare cum Crucifixo, & vrna, in qua recipienda sint suffragia, necnon tot schedulæ de eadem charta, eiusdemque longitudinis, & latitudinis, & sine vllo puncto, vlloue signo notatæ, quot erunt necessariæ pro omnibus electionibus, in quibus ex vna parte sit eadem manu scriptum iuramentum de eligendo meliore, mandato Clementis VIII. præstandum, sub hac forma. Ego N. testem inuoco IESVM Christum, qui me iudicatus est, quod eligo, quem secundùm dictamen meæ conscientiæ censeo probiorem, & magis idoneum. Ex altera verò parte scripta sint hæc verba; *Ego eligo in N. Patrem N.* ita vt nihil desit scribendum, nisi nomen electi.

Aduertendum etiam est, quod de mandato eiusdem Clementis VIII. prius quam deueniatur ad aliquam electionem, prælegendæ sunt Constitutiones de qualitatibus, & requisitis eligendorum, & quod ad prælaturas illi præcipuè sunt eligendi, qui possint, & consueuerint Regulas, & Constitiones Ordinis obseruare, præsertim, quæ pertinent ad seruitium Chori, ad vestitum, & ad vitam communem.

Die Sabbati, non obstante cuiuscumque absentia, valde manè, cantata Missa solemni de Spiritu Sancto, habito sermone, & commendatis Fratribus, benefactoribus, familiaribus, patronis, ac litteris confraternitatis habentibus, defunctis singulorum Conuentuum circa capitulum Prouinciale vltimò celebratum, accedent ad locum pro electionibus faciendis præparatum omnes Gremiales, cum aliis Fratribus, cantando Hymnum, *Veni creator Spiritus.* Quò vbi peruenerint, exclusis omnibus, qui non habent locum in capitulo, consedentibus Præsidente, prouinciali, Diffinitoribus, & aliis de Gremio, pater Secretarius capituli surgens dicat. Hi sunt Reuerendi patres, qui in electionibus huius capituli vocem, & locum habebunt. Ad R. P. M. Fr. N. Præsidens Capituli, Ad R. P. Mag. Fr. N. Prouincialis P. M. Fr. N. primus Diffinitor, nominando

mando singulos electores per ordinem, quibus ex commissione Patris Præsidenris præcipiet, ne vllus in virtute sanctæ Obedientiæ ante completas omnes sessiones, & actiones Capitulares, & absolutas gratiarum actiones, è loco Capituli, absque expressa eiusdem Præsidentis licentia, discedat.

Pronunciatis per Secretarium, & publicatis patribus vocalibus, ter eos alta voce interrogabit P. præsidens, an sciant in aliquo esse defectum, vel impedimentum, propter quod non debeat esse de Gremio, & si in aliquo repertum fuerit aliquod impedimentum, confessum, vel sufficienter probatum, iste eiicietur statim antequam vltra procedatur.

Deinde pro maiori electionum, quæ in capitulo faciendæ sunt, firmitate, & conscientiæ Gremialium tranquillitate, esto nihil fuerit oppositum, eos absoluet, & cum eis dispensabit, in hunc modum. Omnes gremiales genuflexi dicent *Confiteor, &c.* & pater præsidens subiungit; *Misereatur vestri, &c. Indulgentiam, &c.* Ego N. in quantum Regularium priuilegia se extendunt, absoluo vos à quauis sententia excommunicationis, suspensionis, & interdicti, & à quibusuis sententiis, pœnis, & quatenus opus sit dispenso vobiscum super quauis irregularitate, (exceptis censuris, sententiis, pœnis, & irregularitatibus ob defectus ad electiones faciendas in isto capitulo pertinentes contractis, vel ad forum contentiosum deductis) ad effectum legitimæ electionis, vosque legitimos vocales declaro. In Nomine Patris, &c.

Sic absolutis, dispensatis, & legitimatis vocalibus procedendum est primò ad electionem quatuor Diffinitorum. Quare vnusquisque gremialis de manu præsidis, vel Secetarij capituli accipiet vnam ex præparatis schedulis, & in ea propria manu scribet nomina quatuor patrum de Gremio, quos eligat in Diffinitores, immutato quantùm fieri poterit caractere, ne agnoscatur à patribus, qui visuri sunt, & lecturi suffragia.

Et licèt secundùm nostras Constitutiones omnes simplices Sacerdotes, qui habent quinque annos expletos professionis, & sunt in ætate triginta, annorum, esse possint Diffinitores; nihilominus non omnes ad tantum munus apti sunt; ad eos enim spectat, vna cum P. Præsidente, singulis Prouinciæ Conuentibus de idoneis prælatis prouidere, de delictis, & excessibus patris etiam Prouincialis cognoscere, illumque cogere ad reddendam rationem de receptis, & datis pro Prouincia: statuta facere pro regimine Prouinciæ, & in toto triennio, futuro prouinciali in grauioribus negotiis assistere. Quare curabunt patres Gremiales eligere in Diffinitores patres magis insignes prudentia, vsuque rerum spectabiles, & quod præsertim sint in Sacra Theologia graduati, vel, quod saltem in aliquibus Conuentibus Superioris munus laudabiliter gesserint.

Cum autem de iure communi in electionibus per scrutinium faciendis, tres sint assumendi Scrutatores de Colligio, tot ex electoribus capituli P. Præsidens de assensu veterum Diffinitorum contra quos nihil opponat aliquis ex gremialibus assument, & si quis recusatus fuerit, P. Presidens, de assensu pariter Diffinitorum illius loco alium nemini suspectum assumet. Horum Scrutatorũ munus (vbi genuflexi ante præsidem iurauerint, se fideliter accepturos, & publicaturos suffragia, & quia ad officium suum pertinent, sincera cum mente præstituros, ad mensamque præparatam accesserint) erit, singula vota eligentium complicata in vrna recipere, eadem extrahere, enumerare, aperire, legere, & publicare.

Declaratis igitur scrutatoribus, P. Secretarius Capituli surgens dicat; RR. Patres in nomine Domini ad danda suffragia accedite. Et in continenti primus omnium pater præsidens accedens ad Altare, genuflectat coram Crucifixo, & genuflexus signans se Cruce in nomine Patris, &c. legat iuramentum à tergo schedulæ scriptum, deinde surgens, & duobus digitis clausum suum suffragium ostendens in vrnam mittet, factaque inclinatione Altari, ad suum locum redibit. Quod idem faciant successiuè alij Gremiales. Et hic modus, hæcve forma dandi suffragia in omnibus aliis electionibus seruanda est

Cum autem secundum nostras Constitutiones, & secundùm ius commune, non possit fieri electio, nisi per præsentes; sciendum, quod si aliquis ex Gremialibus tempore electionis fuerit in Conuentu, vel in oppido, aut in Ciuitate, in qua celebrabitur electio; sed ita ægrotans, vt non valeat personaliter ad locum electionis accedere, pro præsenti nihilominus habendus est, & patres Scrutatores ad eum pro recipiendo eius suffragio se conferre debent.

Receptis omnibus suffragiis in vrna, vnus ex Scrutatoribus illa extrahet, numerabit, & euoluet, eaque visa, & aliis duobus ostensa leget, & publicabit, & interim dum schedulæ perlegentur, Secretarius Capituli vnumquodque suffragium in scriptis excipiet, electorum nomina prænotando, quod etiam à diuersis aliis Gremialibus saltem tribus à præsidente designandis, pariter fiet.

Post singulorum publicationem suffragiorum, si plures quam quatuor nominati fuerint Diffinitores, facienda est à Scrutatoribus collatio numeri ad numerum, vt appareat, quinam iuxta nostras Constitutiones remanserint legitimè electi, illi, scilicet, in quos plures quàm in alios consenserint gremiales; quamuis non solùm isti; sed etiam omnes alij, qui pauciora habuerint vota adnotandi sint in libro Prouinciæ per ordinem secundùm numerum maiorem suffragiorum, vt ex eis possit suppleri numerus Diffinitorum, si casus euenerit faciendi supplementum.

Publicatis suffragiis Diffinitorum, P. Præsidens ter alta voce interrogabit Gremiales, vt moris est in Religione; An habeant illam electionem pro legitima, & canonica. Licet enim supposita præfata absolutione, & legitimatione vocalium, & dispensatione, nihil (saluis exceptionibus, de quibus supra) possit illis obiici, propter quod non sint habendi legitimi vocales; potest tamen opponi contra ipsam electionem, quòd non fuerit Canonicè facta, & propterea nulla, vel annullanda. Hic autem est aduertendum, quòd qui interrogati à præsidente nihil dixerint contra electionem; sed in eam, vel expresè, vel tacitè consenserint, illam postea secundùm sacros Canones impugnare nequeunt, nisi ex noua causa, vel veteri, sed nouiter eis manifestata.

Si aliquid igitur oppositum fuerit contra electionem Diffinitorum, P. Præsidens oppositionem cum antiquis Diffinitoribus statim summariè examinabit, determinabitque, an electio sit firmanda, & ad aliam procedendum. Si autem nulla fiet oppositio, dicet; Ego N. nomine meo, & nomine omnium istorum Gremialium eligo in Diffinitores præsentis Capituli nostræ Prouinciæ N. RR. Patres

Fra,

Fra. N. & Fra. N. &c. Et incontinenti, hi quatuor patres electi accedent ad patrem præſidentem, & coram illo genuflectent, & ipſe eos confirmabit, dicens; Ego N. auctoritate qua fungor, confirmo vos in Diffinitores præſentis Capituli dans vobis omnem auctoritatem, & poteſtatem, quam cæteri Diffinitores huiuſmodi Capitulorum ſecundùm ſtatuta noſtri Ordinis habere ſolent. In nomine Patris, &c. Qui ſic confirmati, deoſculata manu præſidentis, ſedebunt iuxta prouincialem, ordinem inter ſeipſos conſuetum ſeruantes. Antiqui autem Diffinitores recedant tunc à Capitulo, niſi alio titulo ſint de gremio.

Sic electis, & confirmatis nouis Diffinitoribus, & in ſuo loco conſedentibus ad dexteram, & ſiniſtram præſidentis, prouincialis officium depoſiturus coram præſidente, & toto Gremio dicet culpas ſuas, & humiliter, ac manſuetè audiet reprehenſiones, correctiones, & accuſationes Fratrum, & ſi compertus fuerit reus talis culpæ, propter quam ſecundùm ſtatuta Ordinis amiſerit vocem, expellendus erit; nulla tamen ei iniungenda pœnitentia, donec fuerint eius culpæ in Diffinitorio viſæ, & diligenter diſcuſſæ.

Et quia extat decretum in multis Capitulis Generalibus noſtri Ordinis, factum videlicet in Capitulo Patauij celebrato anno 1532. in celebrato Vincentiæ 1539. in celebrato Romæ anno 1564. in celebrato Placentiæ anno. 1575. & in celebrato Romæ anno 1580. vt videre eſt in libro Ordinis, in vſuque poſitum in tota Religione, quòd nullus poſſit eligi in prouincialem, qui non ſit ex nominatis, & præſentatis à patre Ordinis; procurabit præſidens legi, & publicari Gremialibus litteras Patris Generalis de ab eo nominatis, & præſentatis, vt vnum ex eis eligant in Prouincialem.

Deinde prælectis Conſtitutionibus de requiſitis eligendi in prouincialem, procedent patres Gremiales ad eius electionem per ſecreta ſuffragia, ſeruata forma, de qua ſupra in electione Diffinitorum, & eos aduertet P. Præſidens, ne in ſcribendo nomine electi addant aliquod verbum; alioquin eorum ſuffragium erit nullum, & nullius valoris, & ſi lectis, publicatiſque per Scrutatores ſuffragiis, & facta, (ſi plures fuerint nominati) collatione numeri ad numerum, conſtiterit aliquem habuiſſe plura vota quàm omnes alij ſimul, iſte, ſi ad interrogationem præſidentis contra electionem nulla facta fuerit obiectio, erit prouincialis. Si vero in primo ſcrutinio nullus habuerit plura vota quam omnes alij ſimul, tentandum erit ſecundum ſcrutinium, & ſi neque in iſto creabitur prouincialis, tertium erit tentandum, & hac tertia vice. etiamſi nullus plura habuerit ſuffragia quam omnes alij ſimul; qui tamen plura habuerit quam alij ſingulatim, prouincialis erit, & ſi plures in ſuffragiis æquales fuerint, ille præponetur, qui primum locum tenebit in Ordine, attenta tamen antiquitate profeſſionis, vel gradus.

Et quia in electione prouincialis omnia ſunt ſeruanda quæ pro electione Generalis noſtræ Conſtitutiones diſponunt, & in electione Generalis, facta votorum, publicatione, & collatione, & conſtito in quem maior pars conſenſerit, habens primam vocem, ſuo & omnium eligentium nomine, decretum electionis interponit, quod vtique Sacis Canonibus conſonum eſt, ſic etiam ſtatim ac in electione prouincialis publicata fuerint vota, & facta eorum collatione apparuerit in quem maior pars conſenſerit, & ad interrogationem præſidentis iteratam nulla fiet obiectio, P. Præſidens interponet decretum electionis, in hanc formam. Ego N. nomine meo, & nomine omnium eligentium eligo, & denuncio Patrem Magiſtrum N. Prouincialem huius Prouinciæ.

Et iſtud decretum nullatenus eſt omittendum, quia D D. dicunt, in eo eſſentialiter conſiſtere electionem. Quamobrem referunt, quod in electione Petri Barbi Veneti in Pontificem, qui vocatus fuit Paulus ſecundus, Cardinalis Beſſarion Tuſchulanus Epiſcopus primum in Collegio locum habens vnumquemque ordine interrogans: Num ea placeret electio? Et cum ab omnibus prona aſſenſione placere reſponſum eſſet, conuerſus ad Petrum dixit. Patres hi te in Pontificem elegerunt, & ego omnium nominibus te eligo. Idque fecit, vt quæ ſunt neceſſaria ad electionem legitimam viderentur in ea conueniſſe. Quamobrem electio quæ fit per ſecreta vocalium ſuffragia, videtur ſolum eſſe quoddam electionis præambulum neceſſarium ad inueſtigandam Gremialium voluntatem, & ad cognoſcendum in quem ipſi conſenſerint. Quare illud decretum deſcribendum eſt inter acta Capituli.

Pronuntiato prædicto decreto, abſoluta eſt vtique, & completa. Prouincialis electio. Aduertendum tamen quod quamuis Prouinciales extra Italiam, dum in ea commoratur Generalis, ſtatim ac ſunt electi ſuum officium exercere poſſint, licet cum obligatione obtinendi à Generali confirmationem infra quatuor, vel ſex menſes ad ſummum. Prouinciales tamen Italiæ nequeunt exercere ſuum officium, niſi habita prius confirmatione à Generali. Quare interim prouincia regenda eſt per priorem Conuentus, vbi celebratum fuerit Capitulum, ſi erit Magiſter. Sin minus, per antiquiorem Magiſtrum, qui tamquam Vicarius prouinciam adminiſtrabit. Niſi Pater Generalis fuerit extra Italiam, tunc enim prouinciales electi in Italia poterunt exercere officium cum eadem obligatione obtinendi confirmationem à Generali infra quatuor, vel ſex menſes. Quod ſi electus in natione, in qua fuerit Generalis, ante confirmationem per ſe, vel per alium, in totum, vel in partem, ea quæ ſunt ſui officij exercuerit, ſecundum ius commune eo ipſo priuatus eſt, vel priuandus iure, quod ei per electionem quæſitum fuerat. At ſi prouincialis electus fuerit extra Europam, cum ob nimiam diſtantiam, itinerisque difficultatem, ac incertitudinem nequeat illi præſcribi determinatum tempus ad procurandam confirmationem officij à Generali, poterit ſeruatis ſeruandis, confirmari à præſidente Capituli, obligatus tamen erit obtinere quam primum poterit aliam confirmationem à Generali.

Prouinciali electo, ſtatim præſidens, etſi infra futurum proximum triennium non ſit celebrandum Capitulum Generale, procedet ad electionem Sociorum Prouincialis, & Diffinitoris pro ipſo capitulo Generali, ac etiam Vicariæ prouinciæ pro abſentia prouincialis ituri ad Capitulum Generale, & omnes iſtæ electiones fieri debent per vota ſecreta, & ſeruata forma, de qua ſupra. Electo prouinciæ Vicario, alium ad cuſtodiam prouinciæ pro caſibus fortuitis ſua auctoritate ſubſtituet prouincialis electus, qui primi per mortem, vel aliter deficientis, vel à prouincia abſentis vices ſuppleat & auctoritatem habeat ad quæcumque.

tenda.

Circa electionem Sociorum duo sunt aduertenda. Alterum, quod nullus Gremialis, siue Generalis, siue Prouincialis, siue quisquis alius habiturus vocem in Capitulo Generali, in electione Sociorum vocem habet actiuam, & si in ea suffragium dederit, vocem actiuam amittet in Capitulo Generali. Alterum, quòd cum omnes quatuor, Diffinitores accedere teneantur ad Congregationem intermediam faciendam in Dominica 3. post Pascha Resurrectionis, & contingere possit, vt tunc temporis Socij accedant ad Capitulum Generale, & ita non valeant interuenire dictæ Congregationi, nullus Diffinitor potest eligi in Socium Prouincialis pro Capitulo Generali.

Electus Prouincialis tenetur in ipso Capitulo vnum Socium Prouinciæ eligere, quem semel electum, sine iusta causa mutare non potest, & Socius electus in eodem Capitulo debet Prouinciali fidelitatem iurare. Quamuis autem sit in Prouincialis potestate eligere Socium, quem ipse maluerit, nihilominus quia talis Socius debet semper supradictæ Congregationi intermediæ cum quatuor Diffinitoribus interesse etiamsi Prouincialis cum suis Sociis accesserit ad Capitulum Generale, consequens est, vt Socius Prouinciæ non possit eligi aliquis, qui fuerit electus Socius Prouincialis pro Capitulo Generali, vel qui sit vnus ex quatuor Diffinitoribus. Debet etiam Prouincialis cauere, ne sibi Socium visitationis eligat Magistrum, aliquem de quo probabilem habeat suspicionem, quod post eum ad Prouincialatus officium aspiret, quia Socius talem habens prætensionem, tempore visitationis facilè, per fas, & nefas, studebit Priores sibi reddere beneuolos, minusque sincerè tractabit negotia Prouinciæ.

Absolutis præfatis electionibus coram toto gremio, comburendæ sunt schedulæ suffragiorum, deinde intonato per Præsidem hymno, *Te Deum laudamus*, illum aliosuè prosequentes, Gremiales ducent Pruincialem electum ad Ecclesiam, vbi ante Altare maius tapetis appositis se prosternet, & prosternatus manebit, donec præfatus Hymnus percantetur, & dicantur à præside consuetæ Orationes. Quibus absolutis, cum Pius quartus in quadam sua Constitutione decreuerit, vt perquoscumque quibus de Monasteriis, Conuentibus, Domibus, & aliis quibuscumque locis Regularium quorumcumque Ordinum, quocumque nomine, vel titulo, prouidebitur, publica Orthodoxæ fidei professio fiat: etsi quoad prælatos Regulares ista fidei professio non sit in vsu, nihilominus censemus illam à prælatis nostri Ordinis faciendam esse. Quare prouincialis electus, statim ambabus manibus super Missale extensis, in manibus præsidentis Capituli professionem fidei genuflexus, cum iuramento, alta, & intelligibili voce sequenti forma emittet.

Ego F. N. prouincialis electus prouinciæ N. Ordinis B. Mariæ Virg. de Monte Carmeli Regularis obseruantiæ firma fide credo, & profiteor omnia, & singula, quæ continentur in Symbolo fidei, quo Sancta Romana Ecclesia vtitur, videlicet. Credo in vnum Deum patrem omnipotentem, factorem cœli, & terræ: visibilium omnium, & inuisibilium. Et in vnum Dominum Iesum Christum Flium Dei vnigenitum. Et ex patre natum ante omnia sæcula: Deum de Deo: lumen de lumine: Deum verum de Deo vero, Genitum non factum, consubstantialem patri: per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis. Et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, & homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus, & sepultus est. Et resurrexit tertia die secundum scripturas. Et ascendit in Cœlum, sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria iudicare viuos, & mortuos, cuius regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum Dominum, & viuificantem, qui ex Patre, Filioque procedit. Qui cum Patre, & Filio simul adoratur, & conglorificatur, qui loquutus est per Prophetas. Et vnam Sanctam Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam. Confiteor vnum Baptisma in remissionem peccatorum. Et expecto resurrectionem mortuorum. Et vitam venturi sæculi. Amen. Apostolicas, & Ecclesiasticas traditiones, reliquasque eiusdem Ecclesiæ obseruationes, & Constitutiones firmissimè admitto, & amplector. Item Sacram Scripturam iuxta eum sensum, quem tenuit, & tenet Sancta Mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu, & interpretatione Sacrarum Scripturarum admitto, nec eam vnquam, nisi iuxta vnanimem consensum Patrum accipiam, & interpretabor.

Profiteor quoque septem esse verè, & propriè Sacramenta nouæ legis à Iesu Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis necessaria, Baptismum, confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, extremam vnctionem, Ordinem, & matrimonium, illaque gratiam conferre, & ex his Baptismum, Confirmationem, & Ordinem, sine sacrilegio reiterari non posse. Receptos quoque, & approbatos Catholicæ Ecclesiæ ritus in supradictorum omnium Sacramentorum administratione recipio, & admitto. Omnia, & singula, quæ de peccato originali, & de iustificatione in sacrosancta Tridentina Synodo definita fuerunt, amplector, & recipio. Profiteor pariter in Missa offerri Deo verum, proprium, & propitiatorium Sacrificium pro viuis, atque defunctis atque in Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento esse verè, realiter, & substantialiter corpus, & sanguinem vna cum anima, & diuinitate Domini nostri Iesu Christi, fierique conuersionem totius substantiæ panis in corpus, & totius substantiæ vini in sanguinem, quam conuersionem Catholica Ecclesia transubstantiationem appellat. Fateor etiam sub altera tantum specie totum, atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi. Constanter teneo Purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis iuuari. Similiter, & Sanctos vna cum Christo regnantes venerandos atque inuocandos esse, eosque Orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias esse venerandas firmissimè assero.

Imagines Christi, & Deiparæ semper Virginis, necnon aliorum Sanctorum habendas, & retinendas esse atque eis debitum honorem, & venerationem impertiendam. Indulgentiarum etiam potestatem à Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque vsum Christiano populo maximè salutarem esse affirmo. Sanctam Catholicam Apostolicam Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum Matrem, magistram agnosco, Romanoque Pontifici B. Petri Apostolorum Principis Successori, ac Iesu Christi Vicario, veram obedientiam spondeo, & iuro. Cætera item omnia à Sacris Canonibus, Oecumenicis Conciliis ac præcipuè à Sacrosancta Tridentina Synodo tradita, definita, & declarata, indubitanter recipio, atque profiteor simulque contraria omnia, atque hæreses quascumque ab Eccle-

sia damnatas, reiectas, & anathematizatas, ego pariter damno, reiicio, & anathematizo. Hanc veram Catholicam fidem extra quam nemo saluus esse potest, quam in præsenti sponte profiteor, & veraciter teneo, eandem integram, & inuiolatam vsque ad extremum vitæ spiritum constantissimè Deo dante, retinere, & confiteri, atque à meis subditis, vel illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri, & prædicari quantum in me erit, curaturum.

Ita ego Fr. N. spondeo, voueo, & iuro. Sic me Deus adiuuet, & hæc sancta Dei Euangelia.

Emissa hac fidei professione, surgens Prouincialis, accedet ad Altare, illudque osculabitur reuerenter. Postmodum præsentato, ei aspersorio, ipse primo se, deinde alios Fratres asperget, & facta aspersione, in loco sibi ante Altare præparato sedebit ad manum sinistram Præsidentis, & singuli Fratres ad eum accedent, & flexis genibus, manus eius humiliter, & reuerenter in obedientiæ signum osculabuntur.

Præstita obedientia Prouinciali electo, P. Præsidens incipiet cum Diffinitorio tractare de regimine Prouinciæ.

Sunt autem, si respiciamus id, quod habemus expressum in nostris Constitutionibus, quinque tantum Patres de corpore Diffinitorij cum voto decisiuo videlicet P. Præsidens, & quatuor Diffinitores, & vnus cum voto consultiuo, prouincialis, scilicet absolutus; nihilominus vsu receptum etiam in Religione, quod cum voto decisiuo ingrediantur Diffinitorium Socius P. Præsidentis, & prouincialis electus, etiam ante confirmationem, & in nonnullis Prouinciis, etiam Socius visitationis electus in Capitulo à Prouinciali electo.

Locus pro Diffinitorio deputatus, decens sit, & secretus, & in eo paratum Altariolum cum Crucifixo, vrna, & tot schedulis, quot sufficiant pro electionibus omnium Priorum, scriptis cum iuramento, & electione, modo quo supra, ita, vt solùm desideretur nomen eligendi, licet sufficiet semel tantùm præstare iuramentum in principio de eligendis omnibus, singulis prioribus probioribus, & magis idoneis.

Dictum locum ingressus P. Præsidens cæteris de corpore Diffinitorij, omnibus genuflexis ante Altare ad inuocandum Spiritus sancti adiutorium, incipiet sine nota *Veni creator spiritus*, & alternatim totum recitabunt. Præsidens. *Emitte spritum tuum, &c. Domine exaudi, &c. Dominus vobiscum, &c. Oremus. Deus, qui corda fidelium, &c.* Deinde surgentes accedant ad mensam ibi paratam, super qua commodè scribere possunt, & in qua sint omnia pro actionibus Diffinitorij necessaria, & per ordinem consedebunt.

Omnibus consedentibus, singuli iurabunt, quod absque licentia totius Diffinitorij nihil in eo tractatum, vel prolatum, alicui extraneo reuelabunt, & primus omnium iurabit P. Præsidens, & si prædictum silentium non seruauerint priuationem vtriusque vocis ad sexennium incurrent. Deinde prælectis Constitutionibus de requisitis eligendorum procedent in nomine Domini ad electiones per vota secreta faciendas.

Et quia Prioribus incumbit cura animarum, quæ est ars artium, & scientiarum, & nihil magis officit Religioni, quam ad regimen animarum indignos, vel minus idoneos assumi, antequam aggrediantur electiones Priorum, patres de diffinitorio seriò discurrent, & tractabunt de singulis Conuentibus, quibus de Superioribus fuerit prouidendum, & de Patribus ad regimen magis idoneis. Quare examinabunt inuentaria status Conuentum, quæ secum deferre debent Priores ad Capitulum præsentibus Sociis, vt ex eorum inspectione aliquo modo coniicere possint Diffinitores, quinam Priores benè, & malè se gesserint in suorum Conuentuum regimine, & quinam digni sint, vt in eodem Conuentu confirmentur, vel in aliis instituantur.

Curabit P. Præsidens, ne vllus eligatur in Priorem, qui non habeat omnia secundum statuta Ordinis requisita, & præsertim, qui ob aliquam infirmitatem habitualem nequeat in diebus per nostras Constitutiones prohibitis à carnibus abstinere, ieiunia Ordinis seruare, vitam communem in Refectorio sequi, & Officio diuino de die, & de nocte in Choro interesse. Per habitualem autem infirmitatem, non debemus intelligere senectutem, imò cum senes, vt plurimum iudicio, prudentia, & dexteritate polleant, magis quam iuuenes, si in aliquo peculiaris obseruantiæ, & reformationis zelus effulserit, ei poterit alicuius Conuentus regimen committi, modò non sit adeo confectus senio, quod ad tale munus prorsus inhabilis reddatur. Cæterum si Diffinitores censuerint aliquem habituali infirmitate affectum esse valde præstantem in administratione, & Conuentibus proficuum, poterunt illum à Patre Ordinis postulare, illi causas notificando, propter quas cum illo supra Constitutionibus fuerit dispensandum.

Cætera, quæ facere debent Diffinitores videri possunt in nostris Constitutionibus *punct*. 4. *c*. 19. *à num*. 4. Sed de vno præsertim eos admonitos esse volumus, vt scilicet non obstante quacumque consuetudine in contrarium cogant Prouincialem absolutum ab officio ad reddendam rationem de receptis à Prouincia, & de expensis tempore sui Prouincialatus, tam ordinariis, quam extraordinariis.

Debent etiam de mandato Clementis VIII. eligere tres saltem Patres graues, & peritos, qui admittendos ad prædicationem verbi Dei, vel ad audiendas confessiones etiam ipsorum Fratrum ac lectores publicos diligenter simul examinent, priusquam probentur, & ad huiusmodi ministeria admittantur. Horum etiam cura erit examinare, & probare, tam quoad doctrinam, quam quoad mores promouendos ad quoscumque Ordines, in quo seruandum erit decretum Congregationis Interpretum Sacr. Concil. Trident. hac de causa editum, & promulgatum.

Dispositis omnibus per Diffinitorium, finaliter acta Capituli conscribentur in libro Prouinciæ, & ad pulsum nolæ Capitularis congregabuntur omnes Fratres in vnum locum, & ibi auctoritate Præsidis, ac Diffinitorum absoluentur omnes Priores, qui statim sigilla officiorum suorum suorum præsidenti, & Diffinitoribus reddent. Deinde præsidens vocabit sigillatim per Secretarium nominibus propriis omnes Priores instituendos, qui vocati coram eo genuflectent, & ipse singulis tradendo sigillum Prioratus dicat. Auctoritate nostra, & de vnanimi consensu Diffinitorum præsentis Capituli facimus, & ordinamus te N. Priorem nostri Conuentus N. dantes tibi curam animarum, &c. Et Prior institutus cum humilitate, & reuerentia sigillum recipiet, manum præsidentis osculando, & dicendo. Deo gratias. Et si ille fuerit absens, dicet præsidens in tertia persona. Facimus, & Ordinamus Patrem N. Priorem Conuentus N. Deinde dandæ erunt vnicuique litteræ testimoniales

niales de iniuncto illi officio, præsidentis sigillo munitæ.

Vbi priores sic fuerint instituti, omnes genuflexi in manu præsidis facient professionem fidei, vnus quidem alta, alij submissa voce in hanc formam. Ego Fr. N. Ordinis Carmelitarum Prior institutus Conuentus N. firma fide credo; & profiteor omnia, &c. vt habetur supra in professione emittenda à Prouinciali. Deinde vnusquisque alta voce, vnus post alterum iuramentum præstabit his verbis Ego idem Fr. N. spondeo, voueo, & iuro. Sic me Deus adiuuet, & hæc sancta Dei Euangelia. Et finaliter conscribantur acta Capituli in libro Prouinciæ.

Vnum aliud etiam in Capitulo prouinciali tanquam necessarium pro legitima receptione Nouitiorum aduertendum est, quod scilicet quando nostræ Constitutiones tribuunt soli Generali, vel prouinciali posse sine consensu cuiuscumque iuuenes ex sæculo ad Nouitiatum, & ad professionem recipere, sunt intelligendæ de minoribus sexdecim annis, maiores enim extra Capitulum Generale, vel prouinciale, siue Clerici sint, siue Laici non sunt recipiendi, nisi fiat, iuxta duas Constitutiones Sixti V. diligens inquisitio de eorum patre, patria, & anteacta vita, & ex accurata informatione, & fide digna relatione constiterit, eos non esse aliquorum criminum, &c. reos, nec suspectos, neque grauatos ære alieno, &c. nec reddendis ratiociniis obnoxios, &c. quodque non humana aliqua ratione, &c. Religionem eligunt. Deinde notificata ista informatione duorum, vel trium, vel plurium, si commodè fieri poterit, Monasteriorum, quæ deputata fuerit in Prouincia, Superioribus, ab eis approbentur, & recipiantur ad habitum regularem. Quare P. Præsidens curabit in ipso Capitulo deputari duo, vel tria, vel plura, si commodè fieri poterit, Monasteria, quorum Superiores, saltem semel in anno ad dictam approbationem, & admissionem faciendam simul congregentur.

Vbi autem Congregatio intermedia Diffinitorialis Dominica 3. post Pascha Resurrectionis, iuxta dispositionem nostrarum Constitutionum, pro aliis negotiis celebrabitur, in ea etiam à P. Prouinciali cum consensu Diffinitorum, & sui Socij, prædicta nouitiorum approbatio, & admissio fieri poterit, perinde enim erit, ac si in Capitulo prouinciali fieret.

Quod si paucitas Monasteriorum, aut nimia eorum distantia in aliqua prouincia, vel Vicaria, vt in Brasilica, tot Monasteria deputari non patiatur, Capitulum prouinciale saltem tribus ex antiquioribus Patribus vnius Monasterij dictam facultatem approbandi, & admittendi ad habitum præfatos Nouitios demandare poterit.

Cæterum exteri ex longinquis partibus, vel ex locis hæreticorum, seu infidelium aduenientes, etiamsi de præfatis omnibus liquidò non constiterit, tamen si diligentia adhibita nihil apparuerit, quod eos impediat, ex declaratione eiusdem Sixti V. habiles reputandi sunt ad Religionem.

Professionem autem eorum, qui non seruata dicta forma recepti fuerint, Sixt. V. irritam, & nullam declarauit, & Superioribus inobedientibus inhabiles recipientibus nonnullas pœnas imposuit in prima Constitutione, quam tamen quoad nullitatem professionis Clementis VIII. in alia sua Constit. moderatus est, & ad terminos iuris communis reduxit, saluis pœnis contra Superiores inobedientes.

Post hæc facienda est commemoratio Fratrum, familiarium, Patronorum, & litteras Confraternitatis habentium virorum, & mulierum per singulos Conuentus, & specialiter illorum qui capitulum prouinciale eleemosyna notabili adiuuerint, & illis recommendatis, recitabitur Psalmus, *Ad te leuaui oculos meos*, cùm aliis precibus consuetis. Post quas P. Præsidens incipiet alta voce, *Te Deũ laudamus* quẽ prosequentes Fratres accedent ad Chorũ, vbi terminato dicto hymno, P. Præsidens solitas orationes recitabit. Deinde coram toto gremio publicabuntur acta Capituli, quorum copiam P. Præsidens ex papiro prouinciæ de verbo ad verbum fideliter extractam, & ab ipso præside, prouinciali electo, & Diffinitoribus subscriptam, curabit transmitti ad Patrem Ordinis pro confirmatione.

Publicatis actis Capituli, omnes Fratres coram Præsidente prostrati dicent, *Confiteor Deo, &c.* & ipse subiunget, *Misereatur vestri, &c. Indulgentiam, &c.* eosque absoluet, & dispensabit prout in Breuiario, & in fine dicet *Benedictio Dei omnipotentis Patris, &c.*

Vnum tantum aduertendum est; quod scilicet, in quouis capitulo prouinciali debet publicari tum constitutio Clem. VIII. de largitione munerum Regularibus interdicta, tum decretum Congregationis generalis Sanctæ Romanæ, & vniuersalis Inquisitionis habitæ in Palatio Apostolico coram Sanctiss. D. N. Vrb. VIII. ac Eminentissimis, & Reuerendiss. Dominis S. R. E. Cardinalibus aduersus hæreticam prauitatem Inquisitoribus Generalibus à S. Sede Apostolica specialiter, & commonendi sunt omnes de obseruantia, & executione Apostolicarum constitutionum, & decretorum ad sanctum Officium Inquisitionis aduersus hæreticam prauitatem pertinentium, & præsertim constitutionum Apostolicarum, quæ in prædicto decreto referuntur.

Vt sciant Fratres nostri, ad quid absolutio, & dispensatio vocalium à P. Præsidente Capituli ante electiones facta, prosit. Notandum est, quòd plures Prælati Regulares virtute diuersorum priuilegiorum, quæ sibi à Sede Apostolica sunt concessa, & præsertim indulti cuiusdam Pij V. qui eis, quoad suos Fratres eamdem absoluendi, & dispensandi facultatem impartitus est, quam Episcòpis dedit in quoscumque sibi subditos in foro conscientiæ Conc. Trid. *sess. 24. cap. 6. de reform.* possunt absoluere Fratres, & alias quascumque personas ratione professionis, & habitus eis subditas, à quibusuis maioris excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à iure, vel ab homine quauis occasione latis, etiam Sedis Apost. reseruatis, exceptis contentis in Bulla Cœnæ Domini, ac etiam cum eis dispensare super quibuscumque irregularitatibus, ex quauis occasione prouenientibus, præterquam ex homicidio voluntario, & bigamia, & membrorum mutilatione.

Et hæc facultas extendi potest, nedum ad censuras, sententias, & pœnas ante dicta priuilegia reseruatas; sed etiam ad reseruatas post, dummodo reseruatio non fuerit facta cum expressa priuilegiorum Regularium derogatione, sicut reseruata fuit à Sixto V. absolutio ab excommunicatione contra simoniacos in susceptione Ordinum lata.

Licet autem præfata facultas absoluendi, & dispensandi, si respiciamus priuilegiũ Pij V. & nonnulla alia, sit limitata ad forum conscientiæ; nihilominus, quia in nonnullis aliis priuilegiis conceditur, nulla addita limitatione, & nullo expresso foro, est valdè probabilis sententia multorũ DD. qui affirmãt

Superiores prædictos Regulares ea in vtroque foro vti posse.

Est etiam aduertendum, quod etsi Prælati prædicti Regulares facultatem absoluendi, & dispensandi à Pio V. concessam aliis committere, & delegare non valeant, quia dictus Pontifex expresse concedit eis, vt per seipsos absoluant, & dispensent; quia tamen per alia priuilegia eadem facultas eisdem absolute concessa est, & est communis DD. sententia quod Commissarius perpetuus potest alteri vices suas committere, hæc autem potestas data est Prælatis per priuilegia perpetua, eisque propriè dicitur competere ea ex officio, quia ratione officij, & dignitatis conuenit, possunt eam aliis committere, & delegare, nec desunt priuilegia, quæ illis hanc delegandi potestatem concedunt, idque est in vsu apud Religiones

Cæterum Religiosi omnes suam debent respicere Regulam, & suas Constitutiones, an per eas dicta facultas in aliquo fuerit pro bono regimine suæ Religionis limitata, & coarctata. Potest namque vnaquæque Religio priuilegia in sui fauorem concessa non recipere, vel limitare, & coarctare, secundum quod magis sibi expedire iudicauerit. Quare in nostris Constitutionibus sublata est Prioribus localibus facultas absoluendi in foro fori suos subditos incurrentes in excommunicationem Canonis. Si quis suadente diabolo, etiam ob percussionem leuem.

Quoniam autem in forma absolutionis vocalium, extat ista clausula. Exceptis censuris, sententiis, pœnis, & irregularitatibus ob defectus ad electiones faciẽdas in isto Capitulo pertinentes cõtractis. Pro illius intelligentia sciendum, quod si quis in Ordine ad aliquam electionem, in Capitulo faciendam, obtinuisset litteras commendatitias extra Religionem, vel subornasset, aliquid dedisset, aut promisisset, vel quid aliud fecisset, propter quæ in aliquam censuram, sententiamque, &c. incurrisset, nequaquam absolutus esset.

56 Quamuis autem plura dubia circa capitula, & electiones in ipsis celebratas variis in locis resoluã, præsertim *tom.1. cap.15. & tom. 3. verb. Electio*, placuit nihilominus tria alia dubia mihi proposita circa quædam capitula quarundam grauium Religionum hic apponere.

Primvm Dvbivm.

57 *Est de electione cuiusdam Prouincialis facta in quodam capitulo absentibus aliquibus Gremialibus, qui ante tempus electionis protestati sunt contra illam Præsidi si admitteret ad suffragia ferenda quosdam Diffinitores, qui tamen ad illa admissi fuerunt.*

Responsio.

58 Et teneo validam ac canonicam esse prædictam electionem. Primò, ex generali principio, quod in dubio de validitate actus potius, vt validus quàm vt irritus pronunciari debet secundum Glossam receptam *lib. In contrahenda ff. de regul. Iur.* quod
59 maxime procedit cum talis electio facta sit sub Præside grauissimo Religionis, pro quo stare debet præsumptio quod legitime se gesserit arg. *cap. quid culpatur 23. quæst.1.* Secundò, specialiter quia
60 facta est non solum iuxta statuta Religionis, sed etiam iuxta ius commune, cap. Quia propter de elect. Eo enim loco solùm petitur (quod ad præsens dubium attinet) quod electio celebretur *præsentibus omnibus qui debent & volunt & possunt commode interesse.* Prædicti enim Diffinitores non solum, vt suppono, volebant interesse, sed etiam poterant, imo & debebant id facere, vtpote quia erant legitimi electores, vt tales approbati in capitulo Generali Toletano anni 1633. & à Præside illius capituli Prouincialis, quo volente & iudicante admissi fuerunt.

Neque abstat absentia prædictorum Gremialium 61
nolentium adesse electioni, quia cum illi qui abfuerunt sit maior pars capituli, potuerunt ad electionem procedere: stari enim debet iudicio partis maioris & sanioris, præsertim cum alij vocati fuerint & citati, & sine necessitate vrgenti noluerint interesse. *c.1. de his quæ fiunt à maiori. part. cap.* Glossa *in cap. Cum inter 21. verb. capituli*, Abbas *cap. Cum nobis 19.n.10. de elect.* Layman *in qq. Canon. de Prælat. elect. quæst.24.* Vnde tales absentes non debent numerari inter Capitulares, Layman *ibid.*

Nec etiam obstat protestatio illa facta, quæ vi- 62
detur esse quædam virtualis appellatio à capituli celebratione. Tum quia censeri potuit friuola propter dicta. Tum quia esto friuola non fuerit, cum à Præside iudicatum fuerit contra illam, potuit ad electionem procedere: siquidem talis appellatio extra iudicialis fuit, quæ effectum suspensium non parit, Layman, *supra quæst. 115. ex aliis.*

Similiter nec obstat quod illud statutum To- 63
letani capituli in quo concedebatur prodictis definitoribus vox in capitulo acceptatum non fuerit à dicta Prouincia. Quia etiam hoc admisso potuit de nouo illud acceptare, & facto ipso illud accptauit, ipsa Prouincia repræsentata per capitulum, cui aderat maior pars Gremialium. Vt enim dicam 4. *tom. verb. leges Regularium num.17.* 64
lex quæ antea non fuit acceptata potest de nouo subsequenti tempore acceptari, cum per illam non acceptationem non fuerit extincta, sed solum suspensa. Suarez *de legib. lib. 4. cap. 16. num.13.* Bonacina *de legib. disp.1. quæst.1. punct.4. num.37. & 38.* ex Nauarro, Salas & aliis. Quin & debuit acceptari, vtpotè honesta & rationabilis facta à Capitulo generali & intimata à Præside capituli, veluti generali Commissario Ordinis.

Pariter non obstat quod per non vsum dicti sta- 65
tuti illa Prouincia videatur cessasse. Et enim ad hoc quod per non vsum tollatur obligatio legis requiritur quod contra illam præscriptum fuerit per longum tempus, quod saltem est decennium. *leg. vlt. C. de præscript. long. temp.* prout ex Suarez, Molina, Azor, Reginaldo, & aliis firmat Bonacina *supra punct. vlt. §. 3. n.51.* tempore autem talis statuti facti vsque ad præsens non præterierunt decem anni.

Addo quod cum illud statutum contineat priui- 66
legium Definitorum, vt possent habere vocem in capitulis Prouincialibus, & priuilegium quod non cedit in aliorum grauamen, quale est illud, non cesset per non vsum ipsius etiam per longissimum tempus, ptout ex doctrina Abbatis *in cap. Ioannes de Cler. coniug.* & Suarez *de legib. lib.8. & cap.34. n.16. & 17. ac aliorum dicam. 4. tom. verb. Priuilegia Regularium*, ideo hoc priuilegium, aut lex illud continens nunquam cessabit.

Quod additur de confirmatione dicti statuti fa- 67
cta limitate solum à S. D. N. Vrbano parum vrget; quia certũ est capitula generalia Religionum posse

se ipsis

se ipsis facere statuta obligantia Religiosos suos & confirmationem illorum à summo Pontifice solum esse necessariam pro maiori ipsorum statutorum firmitate & perpetuitate.

Secundum Dubium.

68 *De electione cuiusdam Prouincialis in quodam Capitulo celebrata, quam Generalis ad quem spectabat confirmatio approbauit dicendo* pergratam illi fuisse, &c. *Cæterum eius confirmationem distulit usque ad aduentum ipsius in Prouinciam, postea tamen ipsam cassauit.*

Responsio.

69 Dicendum primo, non videri per prædicta simpliciter & absolute confirmatam præfatam electionem. Ratio est quia licet pro confirmatione non requirantur determinata verba, aut determinata forma, sed sufficiat aliquod dictum, vel factum quo confirmatur voluntatem confirmandi declaret, vt bene Archid. *cap. vt quis duas in fin. de elect. in 6.* Innocent. *de sent. & re iud. cap. cum Bertholdus*, Sigismundus de Bononia *in tract. de elect. & potest Præl. dub.* 94. *n.* 4. Tamburinus *de iure Abbat. tom.* 1. *disp.* 6. *q.* 3. *n.* 1. *&* 2. & alij: nihilominus cum confirmatio sit iuris adquisiti per electionem corroboratio Hostiens. *in sum. lib.* 2. *tit. de confirm. utili vel inutil.* §. *Quid sit*, Castellinus *de elect. can. c.* 14. *num.* 4. itaut illa nullum ius nouum tribuat, sed antiquum conseruet. Felynus *cap. inter dilectos n.* 14. *de fid. instrum.* Sanchez *lib.* 6. *de pracep. moral. cap.* 1. *num.* 26. Ideo vt aliqua sit simpliciter & absolute confirmatio necesse est quod simpliciter & corroboret & conseruet totum ius adquisitum electo per electionem. Cum autem ius adquisitum per electionem prædicto N. fuerit ad officium Prouincialatus exercendum simpliciter & illimitate per totum triennium, quia hoc tempus est secundum ius & consuetudinem Religionis illius (vt suppono) præscriptum pro tali munere, & hoc non corroboretur aut conseruetur verbis relatis, nisi solum ad tempus *pro interim* scilicet & vsque ad accessum Generalis ad illam Prouinciam vt patet ex litteris patentibus, ideo non potest simpliciter & absolute dici confirmata præfata electio.

71 Dicendū secundo, satis probabile esse præfatam electionem censeri debere veluti tacitè & implicitè confirmatam, non solum quia per biennium se gesserit vt Prouincialis dictus N. sciente & consentiente & facto ipso approbante Generali, sed etiam ex dictis litteris patentibus. Primo quia

72 clausula illa. *Id quod nobis pergratum fuit* respicit omnia antecedentia, nempe *nobis significatum fuit statuta ex Regula nostra præmissis præmittendis ritè & canonice, ac tanquam electos fuisse in Prouincialem R. P. Fr. N.* siquidem est clausula in fine quæ respicit præcedentia; denotat ergo Generalis sibi per gratum fuisse quod prædictus electus esset rite & canonice, & tanquam idoneus in Prouincialem quod sine dubio signum est approbationis & confirmationis saltem tacitè & implicitè. Accedit quod

73 ibi dicitur *Mandamus vt pro talibus habeantur*, scilicet dictus N. vt Prouincialis, & alij ibi numerantur vt collegæ, quo etiam præceptum illud sanctæ obedientiæ quæ præcipit dictæ Prouinciæ fratribus, vt prædicto N. sic electo (id est ritè & 74
canonice electo prout dictum erat) *debitam de iure & ex Regularibus nostris institutis reuerentiam, & obedientiam exhibeant*; quo idem pariter insinuatur. Iuuat etiam quod ex vi prædictarum litterarum præfatus Pater per biennium se gesserit vt 75
Prouincialis, ab ipso Generali Prouincialis appellatus fuerit, & ipso præsente Prouincialis locum tenuerit, quo etiam denotatur pro legitime electo, & confirmato Prouinciali habitum fuisse semper.

Nec obstant verba illa *nihilominus liberam illis* 76
pro interim suorum officiorum administrationem concedimus, quibus indicatur authoritatem illi & aliis collegis solum ad tempus & *limitatè* à Generali concedi, ac per consequens nullo pacto confirmari eorum electiones per quas electi erant ad illa officia *illimitatè* & per totum triennium exercenda. Responderi enim potest huiusmodi limitationem esse vitiosam, seu impertinentem, ac per consequens haberi pro non adiecta, ad instar con- 77
ditionum turpium appositarum contractui, quæ habentur pro non adiectis, *cap. fin. de condit. appos.* Vnde similiter turpes conditiones adiectæ legatis non vitiant, sed vitiantur, ac proinde iis reiectis valet legatum *l.* 1. *leg. si qui ita, l. si quis ita constitutus, leg. Quæ sub conditione, l. conditiones quæ, & leg. conditiones contra ff. de cond. inst. & leg.* 3. *tit.* 4. *p.* 6. Ergo idem dicendum esse in hoc casu constat tum ex dictis, scilicet probabile esse dictas litteras patentes confirmatorias esse officij Prouincialatus; tum ex dicendis, scilicet non potuisse Generalem 78
differre confirmationem per tanti temporis spatium, biennium scilicet donec veniret in Hispaniam. Ex hoc enim rectè sequitur prædictam limitationem fuisse impertinentem & vitiosam ac per consequens habendam pro non adiecta. Præsertim quia impropprietates sunt restringendæ ad consequentias; *leg. quod verò contra ff. de legibus l.* 1. *c. de dot. promis.*

Dico tertio, nullatenus potuisse Generalem per 79
tanti temporis spatium detinere confirmationem prædictam, sed debuisse quam primum ad ipsius notitiam peruenit electio, eam prout de iure cassare vel confirmare. Ratio est, quia eo ipso quo 80
electio illi præsentata est cum testimonio capituli quod fuerit legitime facta & ritè & canonice electus prædictus N. tanquam idoneus, vt colligitur ex ipsis litteris patentibus Generalis, ibi: *rite & canonicè & tanquam idoneos electos*, &c. Et sine appositione alicuius statim tenebatur eam confirmare, *capite postquam de elect.* & ibi Abbas *in princip.* vbi dicit id fieri debere *sine dilatione*, Tamburinus *de iur. Abbat. tomo primo disput. sexta quæstio secunda numero sexto* ibi: *debet sine dilatione confirmari*, rota coram Papa Gregorio *decis.* 240. *numero duodecimo.* Secundo quia licet electio 81
sit voluntatis, confirmatio tamen est necessitatis Io. Andr. *in d. capite postquam de elect.* Butrius *ibidem numero quinto* Decius *numero primo*, id est tenetur confirmatus ex debito confirmare electum communi testimonio pro idoneo approbatum, qualis fuit D. Pater N. testimonio capituli in quo electus est. Debitum autem quodcunque quam primum solui debet. Tertio ex *capite quam sit de elect. in sexto*, vbi electo assignatur spatium trium mensium ad pe- 82
tendam confirmationem, quo virtualiter Ecclesia manifestat nolle quod confirmatio differatur

vltra trimestre, quia vt ibi in principio capitis dicitur: *quam sit Ecclesiis, ipsarum dispendiosa vacatio quam periculosa etiam esse soleat animabus non solum iura testantur, sed etiam magistra rerum efficax experiẽtia manifestat.* Sentit ergo Ecclesia debere confirmatorem quamprimum saltem intra trimestre confirmare electionem: vnde Castellinus *de elect. cap.* 14. *num.* 11. expresse ait: *Ideo iure assignatur illi* (scilicet confirmatori) *ad confirmandum tempus trium mensium*, quod ipsum ego asserui *sup. num.* 42.

83 Quarto quia posita electione personæ dignæ, & quod nullus ipsi opponatur, vt supponitur in præsenti, iniuria fit tum electo, tum electoribus, si non confirmetur electio, vt habet Layman *in suis quæst. can. de Præs. elect. cap.* 10. *in princ.* Debebat ergo Generalis quamprimum electionem confirmare, nec differre ab biennium, prout fecit. Tandem

84 quinto, quia oppositum est contra bonum regimen Religionis propter multa incommoda quæ ex tali modo procedendi sequi possunt. Primum quia aperitur via tyrannidi Generalis supra Pro-

85 uinciales, & Religionem, si ipse posset differre confirmationem Prouincialium quo ad vsque voluerit. Secundum, quia hac via possunt Generales sibi voces pro capitulis generalibus procurare, confirmando eos qui sibi sunt beneuoli, & differendo confirmare illos quos existimant aduersarios. Tertium, quia etiam datur locus auaritiæ: si enim semel concedatur quod possit differri confirmatio electionis personæ dignæ, id facient Generales & electi procurabunt eos pecunia emollire. Tandem quartum, quia feruor & obseruantia Religionis paulatim decresceret, cum certum sit fratres non ita prompte obedientiam præstituros Prouincialibus non confirmatis, & quorum confirmatio differtur ab tam longum tempus.

86 Dico quarto, nullatenus potuisse Generalem prædictum P. deponere ab officio, nisi iudicialiter & seruata iuris forma. Eo modo quo inter Regulares seruari debet, apicibus iuris postpositis, &c. Colligitur primo ex Glossa *in dict. cap. Quam sit*

87 *de elect. in* 6. *verb. vacuetur*, vbi cum decerneretur quod electio illius qui intra trimestre confirmationem non postulauit, eo ipso vacuetur, Glossa dicit, *per sententiam:* ex hoc enim à minori ad maius sumitur argumentum in præsenti: si enim, vt vacuetur electio illius, qui non postulauit confirmationem intra illud tempus requiritur sententia, multo magis requiritur, vt vacuetur electio eius qui illam postulauit, virtualiter obtinuit; per biennium possedit, & interim pro legitimo posses-

88 sore habebatur, qualis fuit prædictus N. si autem requiritur sententia, requiritur etiam forma iudicialis per processum quæ correlatiua sunt. Baldus *in capite Ad audientiam de consuet.* Castr. *cons.* 401. *numero tertio libro primo.* Colligo secundo ex Portello *in respons. cas. moral. punct. secundo cas. quarto numero tertio* vbi expresse nostram sententiam tenet, quia (inquit) est de iure naturali diuino & humano, &c. vsque ad & audiatur. Item ex eodem Portello *in dub. Regul. verb. Electio in addit. ad addit. num.* 5. vbi expresse, ait

89 in casu etiam quod electus esset indignus non posse illum Præsidem, seu confirmatorem excludere nisi prius audiatur, & probetur eius insufficientia, quod probat ex *cap. Indemnitatibus in* 6. & *cap. Venerabilem*, & *c. Nihil de elect.* Colligo tertio ex Rodriguez 2. *tom. qq. regul. quæst.* 51. *art.* 12. vbi probat neminem priuari posse voce passiua ad electionem nisi vocatum, auditum, & conuictum de culpis sufficientibus, & seruato ordine iuris; quod à fortiori magis procedit in præsenti cum præfatus electus non solùm habuerit vocem passiuam, sed etiam per electionem maius ius, ad Prouincialatum quam alij concurrentibus præsertim circumstantiis, quæ de facto concurrerunt concordis & vnanimis electionis sine oppositione tacitæ confirmationis, &c. Colligi etiam quarto potest 90
ex legibus municipalibus huius Religionis *cap.* 1. *num.* 9. 10. & 11. vbi depositio Prælati committitur capitulo & sociis, vbi scilicet Prælatus tali depositione, *sese dignum inuenerit*, scilicet per confessionem delicti, vel per totalem probationem, vt iu- 91
ris est. Ratio etiam est, quia electus canonice ante suam confirmationem, ex vi solius electionis habet ius ad rem, ad officium, scilicet ad quod est electus, vt colligitur ex Extrauag. *Sedes Apostolica*, & censet ex DD. specialiter Azor. *tom.* 1. *lib.* 6. *c.* 14. 92
Ius autem ad rem non potest ab aliquo nisi per indignitatem, inhabilitatem, aut culpam tolli iuridice, & formato processu probatur, vt communiter recipitur à Theologis & Canonistis & de se patet. Ergo. Ex hoc autem manifeste fit non potuisse præfatum P. Generalem dictum N. spoliare officio Prouincialatus, nisi iudicialiter & modo dicto. 93
Et sane vt vno verbo dicam, prorsus irrationabile videtur quod vir grauis, doctus, qualificatus, electus legitimè & concorditer, ad Prouincialatum, tacite confirmatus, biennali possessione roboratus, pro Prouinciali communiter habitus, & reputatus, ab officio deponatur ex causa irrogante infamiam, scilicet propter delicta, non auditus, vocatus, aut citatus, & in forma iuris iudicatus.

Dubium Tertium.

94

Propositum mihi etiam est aliud dubium circa confirmationem electioniis, Vicarij Generalis PP. Discalceatorum Ordinis S. Mariæ de Mercede faciendam per Reuerendissimum P. Generalem eiusdem Ordinis. Ad quod sic respondi.

Responsio.

Posito, quod Reuerendis. P. Generalis Ordinis S. Mariæ de Mercede habeat facultatem confirmandi electionem Vicarij generalis PP. Discalceatorum eiusdem Ordinis, consequenter etiam habet authoritatem faciendi ea omnia quæ ad confirmaiorem electionum Regularium sunt requisita. Quæ retuli *tom.* 1. *sum. cap.* 25. *num.* 35. & 36. & *sup. num.* 39. & *seqq.* Sunt enim illa omnia accessoria tali muneri. Accessorium autem sequitur naturam sui principalis, *lib. etiam Cod. de Iure dot.* Regula Accessorium *de regul. iur. in* 6. Et ibi Doctor. Etiam si accessorium esset dignius quam principale. Roman. *cons.* 330. *numero decimotertio in fin.* Tuschus *concl.* 76. *numero* 26. Multo magis quando accessorium venit in necessariam consequentiam principalis. *libro secundo ff. de iurisdict. omn. Iud.* Federicus de sen. *cons.* 163. & *cons.* 186. Aym. *part. secunda in princip. numero sexagesimoquarto.* Quia ergo in necessariam consequentiam Confirmatoris venit quod electus à subditis pro legitimo Prælato habeatur, ideo potest confir-

confirmator illos sub censuris obligare, vt pareant,
98 ipsi; quia concesso fine censentur concessa media per quæ peruenitur ab finem ex *cap. cum infirmitas*
99 *de pœnit. & cap. Quoniam de sent. excom. in 6.* Et concessa iurisdictione censentur concessa omnia quæ ad eam exercendam sunt necessaria, ex *d. lib. 2.*
100 *ff. de iurid. omn. iud.* Et quia impositio censuræ est actus iurisdictionis Ecclesiasticæ externæ. *cap. cum ab Ecclesiar. de offic. Ordin.* Laym. *lib. 1. tract. 5. p. 1. cap. 3. num. 1.* Cum igitur. P. Generalis verus, & legitimus confirmator similium electionum sit, poterit absque dubio, vti hac potestate imponendi
101 censuras, vt subditi obediant Prælato electo. Tanto magis quod separatio PP. Discalceatorum à corpore Religionis cum fuerit odiosa & pœnalis Gerali, & corpori Religionis, cui erat antea vnita debet restringi, vt minus quoad fieri potest lædat aut restringat authoritatem Generalis, qui de iure communi Institutionis Religionis est supremum caput illius, iuxta communes regulas, quod odia sunt restringenda, *lib. cum quidam ff. de lib. & posth. cap. Renouantes 22. dict. cap. Odia de reg. Iur. in 6.* Cum ergo ante separationem haberet hanc authoritatem, etiam post illam censendus est habere. Eo quoque quod res de facili reuertitur ad suam pri-
102 mæuam naturam *l. filio quem Pater ff. de lib. & posth. cap. Ab exordio 3.* Seraphin. *de priuil. Iuram. priuil. 58. num. 8.* Stephanus Grat. *discep. for. cap. 544. num. 31.*
103 Subscripsit etiam huic meo voto grauissimus, & doctissimus Pater Diana his verbis. *Idem ego censeo Antoninus Diana Clericus Regularis; nam si in concordatis inter PP. Calceatos & Discalceatos euidēter habetur quod Reuerendiss. Generalis Calceatorum debeat confirmare electionem Reuerēdiss. Generalis Discalceatorum, si valida tamen fuerit eius electio, sequitur consequenter ex hoc quod possit præcipere etiam sub censuris ea omnia quæ necessaria sunt ad cognitionem validitatis supradictæ electionis; nec enim aliquis potest peruenire ad finem nisi per media. Ita sentio, saluo, &c. Romæ in Domo S. Syluestri Montis Quirinalis die 19. Martij 1653.*

SVMMARIVM.

Prædicta, vt distincta nominantur sæpius in Constitutionibus Summorum Pontificum. num. 1.
Dignitas est administratio cum Iurisdictione. n. 2.
Personatus est præeminentia, seu præcedentia sine iurisdictione. ibid.
Officium est administratio sine præeminentia, aut iurisdictione. ibid.
Præpositura secundum alios est munus præcedendi, sed communius accipitur pro prælatione. num. 3.
Prælatura coincidit cum dignitate, estque munus habendi administrationem cum iurisdictione. num. 4.
Quid decreuerit SS. Dom. N. Vrbanus circa Religiosos promittentes non procurare, &c. huiusmodi dignitates. ibid.
Prælati possunt esse delegati ad litteras Pontificias exequendas. ibid.
Honorum nomine quid intelligatur. num. 5.
Graduum nomine quæ intelligenda. num. 6.
Officia, administrationes, & functiones pro eodem sumuntur, & important munus sine præeminentia, aut iurisdictione. num. 7.
Confundi solent cum Prælatiis, seu dignitatibus ibidem.
Hierarchia Religiosa assimilatur Ecclesiasticæ. numero 8.
Constat ex quasi similibus personis. ibid.
Ex Prælatis alij sunt habentes iurisdictionem ordinariam, alij delegatam. num. 9.
Generalis dignitas quæ aliquo modo correspondet Patriarchali per legitimam electionem creatur. numero 10.
Nisi incommoda, & inconuenientia oppositum suadeant. ibidem.
Quæ ætas requiratur pro Generali eligendo numero 11.
Requiritur quod sit professus professione expressa in ipsa Religione. ibid.
Requiritur etiam conditio Sacerdotij. ibid.
Non videtur necessaria iure communi aliqua antiquitas in ordine ibid.
Habent Generales in Religionibus supremam auctoritatem. num. 12.
An dicenda sit hæc potestas immediatè pendens à Papa, an verò à Capitulo generali. ibid.
Habent auctoritatem prouidendi officia, seu beneficia Religionum iuxta Regulam tamen, & constitutiones illarum. num. 13.
Debent eligere digniores. ibid.
Quid de electione digni reiecto digniori. ibid.
An Generalibus competat facultas condendi leges, aut constitutiones perpetuò duraturas. num. 14.
Possunt condere decreta, seu statuta duratura tempore Generalatus. ibid.
Declarare Leges, & Constitutiones Ordinis. ibidem.
An mortaliter peccantes saltem publicè teneantur explicare circumstantias Generalatus. num. 15.
Commissarij Generales Ordinum regulariter loquendo solum habent auctoritatem delegatam. numero 16.
Quando fiunt per electionem constitutionum, aut iura Ordinum, habent auctoritatem ordinariam. ibidem.
Qui ex illis, & quomodo amoueri possint. ibid.
Qui etiam possint delegare suam iurisdictionem. ibidem.
Pari modo de Vicariis Generalibus philosophandum est. num. 17.
Quando expirat eorum auctoritas morte Generalis. num. 18.
De Visitationibus quid dicendum. ibidem & numero 19.
Assistentium, Consiliariorum, Diffinitorum, & Sociorum auctoritas quanta sit. num. 20.
Quidam habent solum votum consultiuum, alij etiam decisiuum. num. 21.
Quid sit habere votum consultiuum, seu decisiuum. ibidem.
Conuenientius est, vt iuniores prius loquantur. n. 22.
An teneantur detegere defectus promouendorum. ibidem.
Quando maior pars illorum aliquid decreuerit tenentur omnes subscribere. ibid.
An reuelare possint secreta Diffinitorij. ibid.
An Generales possint sine illis negotia grauia decidere. num. 23.
Tenentur iuxta eorum conscientiam respondere, numero 24.
Quid quando hoc sciunt esse contra voluntatem Generalis, vel nihil effecturos. ibid.
Procuratoris Generalis munus magna præeminentia est. num. 25.
Aliquando fit per electionem, aliquando sine illa, aliquando habet munus prælatiæ adiunctum, aliquando non. ibidem.

Prouinciales sunt præfecti Prouinciarum habentes supremam iurisdictionem in illis. num. 26.
Eorum munus dignitas est. ibid.
Quomodo creentur. ibid.
Habent iurisdictionem quasi Episcopalem. ibid.
Possunt suam auctoritatem delegare. ibid.
Quid de Commissariis, seu Vicariis Prouincialibus dicendum. num. 27.
Quid de Visitatoribus Generalibus, vel Prouincialibus, num. 28.
Tempore actualis visitationis ad quem pertineat regimen Conuentus, vel prouinciæ. ibid.
Duplex est iurisdictio, alia contentiosa, alia voluntaria. ibid.
Apostatæ, vel excommunicati à quo absoluendi tempore visitationis. num. 29.
Auctoritas visitatorum pendet ex litteris patentibus commissionis. num. 30.
Quando dantur cum clausula plenitudinis potestatis, quid possint facere. ibid.
Quando possunt delegare suam iurisdictionem. n. 31.
Rebellantes contra illos, aut illis contradicentes quas pœnas incurrunt. num. 32.
Gesta à visitatoribus quanto tempore durare debeant. num. 33.
Non debent formare processus contra Prælatos in rebus minimis. num. 34.
Secus in Religionibus arctioribus. ibid.
Quando procedere debeant via inquisitionis generalis, aut specialis. num. 35.
De Assistentibus, Diffinitoribus, Consiliariis, seu Sociis Prouincialium quid dicendum. num. 36.
Superiores immediati Conuentuum sunt verè Prælati habentes iurisdictionem quasi Episcopalem. numero 37.
Eorum munus dignitas appellari potest. ibid.
Habent iurisdictionem ordinariam delegabilem. ibidem.
Quæ conditiones ad illos requirantur. ibid.
Quam etiam facultatem habeant. ibid.
An sæculares præfici possint Monasteriis Regularium. num. 38.
Quid de Vicariis in cap. te conuentuum. num. 39.
Quid de Vicariis, seu Superioribus qui in ipsis Conuentibus Superiorem agnoscunt. num. 40.
An eorum munus dicendum sit personatus, vel officium. ibid.
Quæ possint facere in absentia Prælatorum à Conuentibus. num. 41.
An gradus possint conferri Religiosis. num. 42.
Tenentur graduati sequi chorum non obstante quocumque priuilegio. ibid.
Non possunt, vti aliquo priuilegio sui gradus nisi actu legant, vel prædicent. ibid.
Quid intelligatur pro actu legere. ibid.
Inepti, & idiotæ peccant grauiter gradus prædictos petentes, aut retinentes. ibid.
Procuratoris munus quid sit. num. 43.
Spectat ad illum bona Monasterij solum exigere, non autem conseruare, aut expendere. ibid.
Ad quos id spectat. ibid.
Administratores bonorum Monasterij amouibiles sunt. num. 44.
Sacristæ munus, seu officium in quo versetur. num. 45.
Quas obligationes habeat. ibid.
De Sacristis Conuersis. num. 46.
De Magistro Nouitiorum, & eius obligationibus. numero 47.
Quid circa illum decreuerit Clem. VIII. ibid.
Quomodo id intelligendum veniat. num. 48.
Non possunt Prælati, aut officiales Religionum excusari ignorantia in iis, quæ pertinent ad eorum munera. num. 49.
Illegitimi quas dignitates, personatus, beneficia, seu officia habere non possint. num. 50.
Quæ officia habere possint. ibid.
Quid faciendum cum alicui constat se esse electum ab vno qui erat inhabilis ad eligendum. num. 51.
Quid quando electo constat se fuisse inhabilem, vt eligeretur pro tempore quo electus fuit. num. 52.
Prælato intruso qualiter sit, vel non obediendum. numero 53.
Prælatis prohibitum est testari. num. 54.
Professio fidei facienda est à prouisis de Prælaturis. numero 55.
Quid de Prælaturis non electiuis dicendum. num. 56.
Sintne manuales, & amouibiles. ibid.



CAPVT XIII.

De Prælaturis, gradibus, honoribus, dignitatibus, personatibus, præpositu-ris, officiis, & administrationibus Regularium personarum, illorumque obligationibus.

CONTINGIT sæpius, vt in constitutionibus Summorum Pontificum, & specialibus Religionum, prædicta omnia etiam, vt distincta nominentur, ideo de singulis agendum in hoc capite, etsi enim sæpissimè confundantur, cum tamen in Bullis Pontificum sigillatim censeantur, valdè probabile est ea distingui, & accipienda esse in propria & primæua significatione. Portellus *in dub. Regul. v. Officia Ordin. in addit. num. 2.* 1

Hæc tria *Dignitas, Personatus, Officium* sic distinguntur. *Dignitas* propriè est administratio cum iurisdictione, cuiusmodi sunt omnes prælatiæ Religionum, v. g. Generalatus, Prouincialatus, Prioratus, Abbatia, Guardianatus, &c. Omnes enim prælati habent administrationem cum iurisdictione tam in foro interno, quam externo, iuxta dicta *to. 1. cap. 18. Personatus* est præeminentia, seu præcedentia sine iurisdictione, qualis est ea quæ repetitur in aliquibus Clericis qui præcedunt Canonicos in Ecclesiis Cathedralibus, seu Collegialibus, & in Religionibus in Diffinitoribus, & aliis huiusmodi. *Officium* autem propriè est in administratione sine præeminentia, aut iurisdictione, qualis reperitur in Sacrista, Procuratore, Vicario Conuentus, seu Superiore in præsentia prælati. Syluester *verb. Dignitas.* Rodriguez *tom. 1. quæst. Regul. quæst. 23. art. 9. & quæst. 13. artic. 18.* 2

Præpositura secundum aliquos est munus præcedendi. Ita Rodriguez *to. 1. quæst. Regular. quæst. 23. art. 9.* Sed communi vsu potius videtur importare munus prælationis, iuxta illud ad Heb. 13. *Obedite Præpositis vestris.* Si autem solùm munus præcedendi denotat coincidet cum personatu. 3

Prælatura, vt diximus coincidit cum dignitate, & est munus habendi administrationem cum iurisdictione, qualis competit in Religionibus omnibus Superioribus, Generalibus scilicet, Prouincialibus, Prioribus, Guardianis, Abbatibus, & similib. diuersis nominibus vocatis: omnes enim huiusmodi sunt in 4

in dignitate constituti. Sanchez *lib. 6. in decalog. capite 3. num.* 38. Hinc huiusmodi prælati possunt esse delegati ad litteras Pontificis, vel eius Legati exequendas, quod munus conuenire non potest nisi in personis in dignitate constitutis, iuxta *cap. statutum in principio de rescriptis in 6.* Sanchez *ibidem* post alios. An vero id liceat prælatis Ordinis Minorum tractant. Rodriguez *tom. 1. quæst. Regul. quæst. 65. art. 3. in fine, & Sanchez lib. 6. in decalog. c. 13. num.* 81.

Hic notandum Sanctissimum Dominum Nostrum Vrbanum VIII. Motu proprio edito 21. Maij 1635. publicato tamen 20. Nouemb. 1636. declarasse quoscumque Regulares cuiusuis Ordinis, Congregationis, & instituti etiam S Societatis Iesu per quamcumque translationem ad aliam Religionem, etiam hactenus factam, & per quamcumque expulsionem, seu habitus Regularis dimissionem, non esse liberos à voto, promissione, seu iuramento ab eis emisso, de non petenda, nec procuranda, minusve acceptanda aliqua dignitate, aut superioritate extra eorum Religionem, sed eos hactenus, & pro tempore, vt præfertur, translatos, expulsos, ac à delatione habitus Regularis absolutos, vel priuatos, quarumcumque dignitatum huiusmodi proinde incapaces, & ad illas petendas, acceptandas, & obtinendas, inhabiles remanere in omnibus, & per omnia, perinde, ac si translati, expulsi, seu à delatione habitus liberati non fuissent. Quæ placuit hic animaduertere (etsi non in proprio loco, quia huius Motus proprij notitia non nisi postquam typis mandabatur hæc secunda pars Summæ ad me peruenit) propter aliquot Regulares tale, vel simile votum emittentes, quorum aliquos retuli sup. *c. 4. num. 13. & 16. & 25.*

5 *Honorum* nomine, vix aliud potest intelligi quam personatus, qui vt diximus, important honorifica in Religionibus. Vnde leges priuantes honoribus intelligendæ videntur de istis. Portellus *in dub. Regular. verb. officia ordinis num.* 2.

6 *Gradus* sunt titulis honorarij, in vniuersitatibus, vel Collegiis studiorum causa concessi, cuiusmodi sunt Doctoratus, Magisterium, Baccalaureatus, &c. Vnde vel coincidunt cum Personatibus, & honoribus, vel pro iisdem communiter accipiuntur.

7 Officia etiam, administrationes, & functiones pro eodem sumuntur, & important, vt diximus, munus sine præeminentia, aut iurisdictione. Maxime autem confunduntur cum Prælatiis, seu Dignitatibus, adeo vt communi vsu plurium Religionum, & etiam aliquarum Constitutionum, seu decretorum Summorum Pontificum illorum nomine, officiorum præsertim, veniant etiam Prælatiæ, seu dignitates, dum ponitur pœna priuationis officiorum, &c. Portellus *in dubiis Regular. verb. officia Ordinis in addit num.* 2.

8 Pro Prælatis autem notandum, Hierarchiam Religiosam assimilari Ecclesiasticæ, quemadmodum enim Hierarchia Ecclesiastica constat ex Parochis, Episcopis, Archiepiscopis, Patriarchis, & Primatibus, qui omnes Summo Pontifici subduntur, sic Hierarchia Religiosa constat Confessoribus, qui sunt veluti Parochi habentes solum iurisdictionem in foro interno conscientiæ, Prioribus, Guardianis, Rectoribus, &c. qui sunt quasi Episcopi, quia habent iurisdictionem etiam externam quam Episcopalem, iuxta dicta *tom. 1. cap. 18. numero* 2. Prouincialibus, qui sunt veluti Archiepiscopi habentes sub se Superiores immediatos Monasteriorum, qui vt diximus quasi Episcopalem auctoritatem habent, & Generalibus qui sunt veluti Primates, & Patriarchæ, cum sub se contineant Prouinciales, & hi omnes sub Summo Pontifice tanquam Pastore vniuersali. Rodriguez *tom. 1. q. Regul. q. 12. art. 5.*

Item pro eisdem Prælatis, dignitatibus, seu præpositis Religionum notandum, quod alij sunt habentes iurisdictionem Ordinariam, vt sunt Generales, Prouinciales, Priores, Abbates, & alij similes, etsi diuersis nominibus vocati, alij vero delegatam, vt sunt Commissarij vel Visitatores Generales, vel Prouinciales. Rodriguez *tom. 1. quæstionum Regularium quæstione* 13. *articulo.* 20. Vicarij autem istorum aliquando habent iurisdictionem Ordinariam aliquando delegatam, Ordinariam quidem quando non ex delegatione, sed vel electione, vel Constitutione, consuetudine, aut iure Ordinis eis competit Vicariatus, delegatam vero quando à prædictis nominantur, & delegantur. Vide dicta *tom. 1. cap. 18. num.* 3. 9

Supremum caput intra Religionem qui regulariter Generalis nuncupatur, cuius dignitas, vt dictum est Patriarchali, seu Primatiali in Hierarchia Ecclesiastica correspondet, per legitimam electionem creandum est, hoc enim probat vsus, & institutio Religionum, & est consentaneum tum iuri Canonico dum de huiusmodi prælatorum electionibus agit, tum iuri naturali vt Religio in Pastore sibi eligendo consensum præbens maiori cum amore ipsum suscipiat, & obediat, de cuius sufficientia publicum dedit per electionem testimonium. Suarez *quarto tomo de Relig. tractatu* 8. *lib. 2. cap. 3. num.* 2. Quo non obstante, quando incommoda, vel inconuenientia cernentur ex Capituli celebratione propter bella, pestem, vel similia mala, & ad euitandas Ordinis expensas prudenter à maioribus Ordinis supplicari deberet Papa pro digniori, & magis benemerito Religioso in Generalem ab ipso instituendo, & ipse Pontifex annuere, prout fecit SS. D. N. Vrbanus VIII. anno 1632. Reuerendiss. Mag. Theodorum Stratium in Generalem nostri Ordinis creando, quem digniorem, & probatiorem à grauioribus Ordinis Patribus nouerat. 10

Probabile etiam est, iuxta dicta *tom. 1. capite 18. numero* 5. requiri pro Generali eligendo ætatem 30. annorum, cum hæc ætas requiratur pro Episcopis *cap. cum in cunctis de elect.* Dignitas autem Generalis sit quasi Episcopalis, imo sæpius maioris oneris, & laboris propter subditos diuersarum nationum, & regionum. Requiritur etiam quod sit professus ex *cap. cum ad nostram de elect. capitulo cum causa & capitulo cum in magistrum eodem titulo.* Professione expressa ex *capitulo nullus de elect. in sexto*, & in ipsa Religione in qua eligitur in Generalem ex *Clemen. 1. de elect.* & Concilij Tridentini *sessione 14. capite decimo, & sessione vigesimaquinta capite vigesimoprimo.* Requiritur item ex vi iuris communis conditio Sacerdotij ad Generalem ex *capite primo de ætate, & qualitate.* Non tamen videtur necessaria ex eodem iure communi aliqua antiquitas in Ordine pro prædicta Generalatus prælatione. De quibus, & aliis conditionibus egimus dicto *tom. 1. capite 18. numero 5. & 9.* Suarez 4. *tom. de Religion. tractatu 8. lib. 2. capite 3.* Qualiter etiam illegitimi, irregulares, excommunicati, & similibus censuris, aut pœnis obstricti non possint in prælatos eligi, quod maximè procedit de Generalatus 11

ralatus officio, bene tamen saltem iure communi ex radice, aut genere infectis orti, dictum est eodem *tom.1.c.15.n.25.*

12 Habent prædicti Generales in Religionibus supremam auctoritatem, & iurisdictionem Ordinariam, tum internam in foro conscientiæ, tum externam in foro contentioso iuxta Regulam tamen, & Ordinum Constitutiones, & iuxta dicta *tom. 1. capite 18. fermè per tot.* An autem dicenda sit potestas immediate pendens à Papa, ita vt Capitulum Generale solum designet personam, an vero immediatè ab ipso Capitulo, probabilius videtur, dicendum regulariter loquendo hanc potestatem immediatè esse à Capitulis Generalibus, quæ illam à Papa acceperunt. Ratio est, quia regulariter loquendo Capitula Generalia superiora sunt Generalibus, cum Generales à Capitulis eligantur, & deponantur, & decretis ipsorum obedire teneantur, imo possit eorum auctoritas ab ipsis restringi, & limitari, ergo mediis ipsis Capitulis hæc auctoritas à Papa communicatur Generalibus. Idemque suadetur ex differentia quæ est inter Papam, & Concilium generale ex vna parte, ac Generalem, & Capitulum generale ex alia, quod Papa est supra Concilium generale, & ita ab ipso nihil accipit, sed solum immediate à Christo, Generalis autem est subditus Capituli, & ita ab ipso potest immediatè auctoritatem recipere. Suarez 4. *tom. de Relig. tr.* 10. *lib.*10.*c.*4.

13 Habent etiam prædicti Generales auctoritatem officia, seu etiam beneficia Religionum, iuxta earum tamen statuta, & leges prouidendi. In quo maximè notandum iuxta communem sententiam, teneri prædictos eligere ad præfata officia, seu beneficia digniores, & meliores attentis circumstantiis. Tum propter dicta *tom.* 1. *cap.* 15. *à numero duodecimo* tum etiam quia cum sint dispensatores, & non domini bonorum Religionum tenentur de ipsis disponere, prout melius, & vtilius eisdem Religionibus fore iudicauerint, alias iniqui dispensatores erunt, & contra iustitiam grauiter peccabunt. Rebellus *part.*1. *lib.*3. *quæst.* 4. *concl.*5. Turrianus *tom.* 2. *in* 2.2. *disput.* 22. *dub.* 4. *num.* 1. Portellus *in Dub. Regul. verb. electio numero sexto.* Electio autem digni, relicto digniori bona solum est in foro externo quoad homines, non in interno, & quoad Deum, iuxta dicta *eo c.*15. *n.*12. Diana *tr.*15. *resol.*61.

14 Quamuis leges, aut Constitutiones perpetuo duraturas condere pro Ordinibus non competat iure communi Generalibus, iuxta dicta *tomo primo capite* 18. *numero* 90. iure tamen particulari Religionum id habent aliqui illorum, iuxta ibidem dicta de generali Carmelitarum, quod etiam de generali patrum Iesuitarum affirmat. Suarez 4. *tom. de Relig. tract.* 10. *lib.* 10. *capite* 13. *numero* 14. Possunt etiam condere Decreta, seu Statuta duratura tempore Generalatus. Cum id pertineat ad munus prælatorum quod gerunt, & ad obedientiam à subditis illis promissam. Suarez *quarto tomo de Relig. tractatu* 8. *lib.* 2. *capite* 8. *numero* 4. Insuper possunt iure communi leges, & Constitutiones Ordinis, & Capitulorum generalium, ac dubia circa ipsas interpretari, & declarare. Quia hoc etiam spectat, & est necessarium ad eorum munus pro bono Ordinum regimine. Portellus *in Dub. Regul. verb. Generalis Ordinis.* [Circa durationem Generalatus officij consule dicta *tomo primo capite* 18. *numero decimo.* Pro casibus autem in quibus potest deponi generalis, attendantur Constitutiones Religionum, sicut pro nostra, Ordinis Constitutiones *part.* 4. *capite* 5. *numero primo.* In iure autem communi stando generalis qui insufficiens est suo muneri deponi debet. *l. Si quos Iudices. C. de offic. Præfect. prat. Orient. vel Illir.* Glossa *in capite* 1. *verb. insufficientem de renunciat. in sexto* Doctores *in cap. Si pro debilitate. de offic. delegat. & in lib.* 1. *ff. de offic. eius cui, & in lib. Si longius ff. de iud.* Mascardus *conclus.* 593. Sigismundus de Bononia *de elect. dub.*102. Huiusmodi autem insufficientia insurgere potest ex multis capitibus. Primo si sit notorius suæ Regulæ transgressor. *cap. Cum ad Monasterium vers. quod si præuaricator. de stat. Monach.* Secundo si sit notoriè criminosus *cap. Si quis Abbas* 14. *q.* 2. Tertiò si notabiliter negligens in officio suo *cap. dictum distinct.* 81. *cap.* 1. *distinct.* 86. *cap. Quoniam in fin. distinct.* 100. *cap. Si quis Episcopi.* §. *Ecce cum honoris* 1. *quæst.* 1. *cap. Placuit* 11. *quæstione* 3. quæ maximè procedunt si sit incorrigibilis in præfatis defectibus. Quarto si sit ita senio confectus vt non possit attendere suo officio. *can.* 1. *distinct.* 85. vel ita ægrotus vt ad id sit inhabilis. *cap. Alius* 15. *q.*6. De his Panormitanus *in cap. Monach. num.* 5. *de Stat. Monach.* Glossa *in d. cap.* 1. *de renunciat. in* 6. Sigismundus de Bonon. *de lect. dub.* 102. vbi plura ad intentum.]

Sunt qui credant Generales Ordinum mortaliter peccantes teneri in confessione explicare hanc circumstantiam Generalatus. Eo quod ipsi præcipuè sint quasi Episcopi, qui cum ratione status specialiter vitæ perfectionem sequi teneantur, tenentur Episcopatus circumstantiam in omni peccato mortali confiteri. Fagundez *præcept.* 2. *lib.* 4. *cap.* 3. *num.* 8. Nugnus *in addit. ad tertiam partem tomo* 2. *quæst.* 9. *art.* 2. *dub.* 3. *conclus.* 2. & 3. Hoc tamen solum verum puto in peccatis publicis, propter circumstantiam scandali, & obligationem quam prædicti Episcopi, & Generales habent pascendi subditos verbo, & exemplo. Filiuccius *in tract.* 30. *tomo secundo capite septimo numero* 125. Diana post alios, quos refert, *tractatu de circumst. aggrauantibus res.* 6. Idem respectiuè, & suo modo dicendum est de aliis prælatis, propter eandem, vel similem rationem. 15

Commissarij Generales Ordinum regulariter loquendò solum habent auctoritatem delegatam circa ea quæ illis committuntur, cum solum illam habeant per delegationem, vel nominationem factam à Generalibus, iuxta dicta supra. [Vnde tales non se debent ingerere in iurisdictionem ordinariam Prælatorum nisi in gradu appellationis. Prout declarauit Sacra Congregatio Episcoporum & Regulariũ 5. Octob. 1626. & 16. Ianu. 1643. quod notandum duxi propter aliquos Commissarios, qui in Ordine nostro in aliquibus Conuentibus constituuntur.] Quando autem Commissarij fuerint tales per electionem, Constitutionem, aut Iura Ordinum, vt contingit in Ordine Minorum, qui auctoritate Apostolica quando Generalis est ex familia cismontana eligunt ex vltramontanis vnum in Commissarium, vel è contra quando generalis vltramontanus eligunt ipsum ex Cismontanis, tunc tales habebunt, auctoritatem Ordinariam, iuxta dicta etiam supra. Hinc priores amoueri possunt à Generalibus, cum auctoritas ab illis pendeat in esse, fieri, & conseruari. Posteriores vero non nisi ex culpa, quia ipsa non existente, iniuria illis fiet si spolientur à Generali Commissariatu, quem iure Ordinis, vel per electionem possident. Similiter priores non possunt subdelegare, 16

re, cum habentes iurisdictionem delegatam subdelegare non possint. Nisi quando in commissione id eis committeretur, quia tunc nomine Generalis subdelegarent, vel ipsi essent Delegati ad vniuersitatem causarum, & non pro causa aliqua determinata; quia Delegatus ad vniuersitatem causarum subdelegare potest, vt tradunt Glossa *in cap. cum causam de appell.* Syluest. *verbo delegat. numero duodecimo* Rodriguez *tomo primo quæstionum Regular. quæst.* 51. *art.* 3. & 4. Posteriores vero cum sint verè Ordinarij suam auctoritatem delegare possent.

17 Pari etiam modo de Vicariis generalibus philosophandum est; si enim solum per nominationem à Generali factam fiant, solum habebunt iurisdictionem delegatam amouibilem à generalibus, nec poterunt illam subdelegare nisi in casibus assignatis pro Commissariis, si autem iure Ordinis, vel electione facti fuerunt, vt contingit in Vicario Generali Congreg. Mantuanæ Ordinis nostri, tales iurisdictionem habent ordinariam aliis subdelegabilem, nec amouibilem, nisi propter culpas, iuxta dicta de Commissariis.

18 Prædictorum autem Commissariorum, seu Vicariorum generalium auctoritas, quando ipsi iurisdictionem ordinariam habent non expirat morte generalis, Ordinaria enim iurisdictio non expirat morte siue concedentis, siue alius cuiusquam. Quando tamen isti solum delegatam iurisdictionem habent, expirat morte Generalis concedentis. Rodriguez post alios. *tom.* 1. *quæstionum Regularium quæst.* 9. *artic.* 1. Portellus *in dubiis Regularibus verbo Generalis.* Subiungens quod si Visitatores inceperunt suum munus exercere debent illud finire etiam Generali mortuo. Hoc tamen potius videtur ius particulare Ordinis Minorum quam commune.

19 De Visitatoribus Generalibus inferius dicetur loquendo de Visitatoribus Prouincialibus.

20 Generalibus proximè accedere videntur ij qui ipsis assistunt pro regimine Religionum, variis nominibus nuncupati, videlicet, Assistentes, Consiliarij, Difinitores, Socij, &c. cum quibus prædicti Generales grauiores Religionis causas decidere debent. Et quamuis eorum auctoritas iuxta Religionum diuersitatem diuersa etiam sit, aliqua tamen, quæ magis communia videntur tangemus.

21 Eorum ergo quidam cum Generalibus in prædictis causis habent votum decisiuum, alij verò solum consultiuum. Assistentes enim Patrum Societatis solum votum consultiuum habent (nisi casu aliquo) Suarez *tom.* 4. *de Relig. tract.* 10. *lib.* 10. *c.* 1. *n.* 6. Alij vero etiam decisiuum, vt nostrorum PP. Discalceatorum Diffinitores ex Bulla *Pastoralis officij* Clem. VIII. anno millesimo quingentesimo nonagesimo tertio, quæ habetur inter priuilegia ipsorum, & tertio tomo Bullar. inter Bullas huius Pontif. fol. mihi 32. Habere votum consultiuum cum Generali, est quod tota rei decisio, & iudicium à Generali fiat, consultis tamen, & auditis assistentibus, habere autem votum decisiuum, quod rei decisio pendeat etiam à sententia, & assensu Assistentium. Assistentes porro, siue consultiuum, siue decisiuum suffragium habentes non sunt dicendi assessores, quia assessorum munus solum est assistere Iudici ipsum instruendo pro decisione causæ, hi autem assistentes non instruunt Iudicem, sed vel cum ipso causam, decidunt, vel consilium præbent pro decisione.

Hi Assistentes, Diffinitores, vel Socij, si voce tenus suffragium, vel consilium præbeant, licet vsus Regionis obseruari debeat, conuenientius est, vt à minoribus, seu iunioribus incipiatur, quemadmodum fit in multis Tribunalibus, nam maioribus, vel senioribus incipientibus, periculum est, vt illorum auctoritate minores mori loquantur, non secundum propriam sententiam, sed iuxta maiorum, & seniorum placitum: Rodriguez *tomo secundo quæstionum Regularium quæstione quadragesimoquinto articulo tertio.* Portellus *in Dubiis Regularium verborum Diffinitores, seu consiliarij numero primo.* Tenentur detegere Præsidi, seu Generali defectus publicos, si eos ignoret, eorum qui proponuntur ad dignitates, & officia Ordinum ne indigi admittantur. Bonum enim publicum Religionis id requirit. D. Thom. 2. 2. *quæstione* 69. *art.* 2. Palud. *in* 4. *distinct.* 29. *quæst. vlt.* Imo etiam defectus occultos non emendatos. Quia bonum publicum Religionis præponderare debet bono priuato famæ Religiosi. Quod intellige quando aliter obuiari non posset illius defectuosi electio, & talis defectus nociuus esset communitati. Ludouicus Beia *in respons. moral. part.* 3. *casu* 38. Portellus *in Dub. Regular. verb. Diffinitores, seu Consiliarij numero secundo, & tertio.* Licet autem non teneantur subscribere nisi propriæ sententiæ, quando tamen maior pars illorum aliquid decreuit, possunt, & debent ij, qui dissenserunt cum illis subscribere. Tum ne pax Religiosa turbetur, tum quia humilitas præscribit, vt eo casu vnus alij se summittat, tum quia quod maior pars decernit, à toto corpore dicitur decisum, ac per consequens omnes tunc debent subscribere. Rodriguez *tomo secundo quæstionum Regularium quæstione* 45. *articulo decimo* Portellus *in Dub. Regular. verb. Diffinitores, seu Consiliarij numero quarto.* Reuelantes secreta Diffinitorij contra præceptum præsidis, & etiam præcepto non existente, cum res ipsa id postulat, grauiter puniendi. Quia peccant contra bonum commune Ordinis. Rodriguez *tom.* 2. *q Regul. quæst.* 36. *artic.* 3. 22

In Religionibus vbi hi Assistentes, Diffinitores, Consiliarij, vel Socij habent votum decisiuum ad res graues decidendas non possunt Generales sententiam aliquam grauem contra delinquentes Regulares ferre sine consensu illorum, & sententia ab eis lata sine maioris partis consensu nullius est valoris, & momenti. Sunt enim prædicti Assistentes coniudices cum Generali in prædictis causis grauibus, & ita sine ipsis nihil fit. Rodriguez *tomo secundo quæstionum Regularium quæstione* 45. *artic.* 2. In Religionibus autem vbi prædicti solum habent votum consultiuum licet peccent Generales sine illorum consilio grauia aliqua decernentes, quia operantur contra finem intentum ab illis Religionibus in institutione talium Assistentium, reuera tamen sententia illorum valida erit, quia non petitio consilij non videtur esse contra formam substantialem sententiæ. Rodrig. *vt sup.* Consulenda nihilominus sunt particularia iura Religionum, quæ si non fuerint, prædicta obseruanda sunt. 23

Tenentur prædicti Assistentes, &c. iuxta eorum conscientiam respondere, alias infideles erunt muneri quod gerunt, etiamsi existiment Generales velle eos consentaneè ipsorum voluntati assentiri, aut tacere, aut nihil effecturos suam sententiam proferendo, vel solum ceremoniæ causa interrogari; propter eamdem rationem. Rodriguez *tomo secundo* 24

cundo quæstionum Regularium quæstione 45. *articulo quarto*, *& sexto*. Subiungit teneri tacere, si eis à Generalibus ita præcipiatur. Sed hoc est verum in dubiis, & probabilibus, tunc enim præcepto Superiorum standum. Quando tamen certum & euidens fuerit illos posse, & debere circa rem propositam suum sensum aperire, tunc non tenentur Superiorum præcepto stare, quia tale præceptum iniquum est, & non obligat, iuxta dicta *tom.* 1. *cap.* 4. *à num.* 2. Si vero Generalis diceret se habere iustas causas ad aliquid faciendum, vel illis silentium imponendum, cum res sit dubia, & incomperta credendum illi est. [Vide circa hæc Sigismundum *supra dub.* 112. *per totum*, ac Tamburinum *de iure Abbat. disput.* 1. *quæsit.* 2. vbi de illis hæc maximè notanda scribit: *Cum maxima igitur spiritus liberalitate*, *modestia*, *humilitate*, *& grauitate*, *& vrbanitate qua decet viros graues doctos & Religiosos suarum Religionum Principatum repræsentantes in prædictis Congressibus & Capitulis incolumi atque inuiolata semper manente veritate sententiam suam proferant cum vero Dei Zelo & communis boni vtilitate*, *cogitantes se de tali sententia rationem reddituros esse in tremendo Dei iudicio*. Nota etiam propterea necessarium esse vt præfati non sigillatim, sed collegialiter vniti votum suum præbeant, ita vt aliàs facientes eorum assensus, vel dissensus nulli & inualidi sint. *cap. in Genes. de elect. & lib.* 1. *C. de decim. lib.* 10. Rota *in recent. p.* 2. *decis.* 382. *n.* 3. Decius, Panormitanus, Felinus, & alij apud eundem Tamburinum.

25 Procuratoris Generalis munus magnæ præeminentiæ est in Religionibus, Mendicantibus præsertim, in quibus ad eum pertinet orare in Capella Domini Papæ, & eidem Capellæ debito tempore interesse, quasi totius Ordinis, vel Generalis personam repræsentando. Rodriguez *tomo primo quæstionum Regularium quæstione* 53. *articulo* 2. Instituitur, vel per electionem, vel per nominationem à Generalibus factam. Aliquando habet adiunctum munus prælatiæ, vel Superioritatis respectu aliquorum, hospitum scilicet, vel aliorum, & tales nominari possunt inter dignitates, quia vt diximus, in principio huius capitis, dignitas est administratio cum iurisdictione, quando autem tale munus prælatiæ, vel Superioritatis non habuerit, vt contingit in Ordine nostro, munus Procuratoris Generalis erit solum personatus, nō dignitas, iuxta dicta ibidem. An illegitimi possint hoc munus subire inferius dicemus.

26 Prouinciales sunt Præfecti Prouinciarum Religionum habentes in illis supremam iurisdictionem, & potestatem iuxta Regulam, & Constitutionum statuta. Eorum munus dignitas appellanda est, cum sit administratio cum iurisdictione, iuxta dicta supra *numero secundo*. Fiunt vel per electionem Prouinciarum, vt in nostra, & aliis pluribus Religionibus, vel per nominationem à Generali, vt in Societate Iesu, qui posterior modus instituendi illos commodior satis est ad euitanda incommoda, quæ ambitio parturire solet. Suarez 4. *tomo de Relig. tract.* 10. *lib.* 10. *capite*. 3. Quomodocumque autem fiant, scilicet, vel per electionem vel per nominationem à supremo prælato Ordinis habent iurisdictionem ordinariam, & non tantum delegatam Quia sunt Ordinarij Pastores, & veri prælati Prouinciarum, & regularium in eis existentium, Suarez 4. *tomo de Relig. tract.* 10. *lib.* 10. *cap.* 5. Habent iurisdictionem quasi Episcopalem in subditos, iuxta dicta *tomo* 1. *cap.* 18. *num.* 2. S. Thom. 2. 2. *quæst.* 33. *artic.* 7. Portellus *in Dub. Regular. verbo Prælati iurisdictio*. Imò assimilantur Archiepiscopis, iuxta dicta supra *num.* 8. cum habeant sub se Superiores immediatos Conuentuum qui habent etiam quasi Episcopalem iurisdictionem. Rodriguez *tomo primo quæstionum Regular. quæst* 12. *articul.* 5. Possunt suam auctoritatem delegare iuxta instituta tamen suorum Ordinum, omnis enim qui habet iurisdictionem Ordinariam eam delegare potest, cum eo ipso quod habeat illam ordinariam, habeat vt propriam, ac per consequens aliis eam dare possit. Portellus *in Dub. Regul. verbo Prælati potestas in addit. num.* 6.

De Commissariis, seu Vicariis Prouincialibus eodem modo philosophandum est respectiue, ac de Commissariis, & Vicariis Generalibus de quibus supra. 27

Circa Visitatores tam Generales, illos scilicet qui ad visitandas Prouincias veniunt, quam Prouinciales, eos videlicet qui intra eamdem prouinciam Conuentus visitant, dicendum est eos esse Iudices Ordinarios, vel Delegatos, amouibiles, vel inamouibiles censendos iuxta dicta de Commissariis, & Vicariis Generalibus, & Prouincialibus. Similiter de eorum auctoritate, an sit vel non sit delegabilis, expiret, vel non expiret morte concedentis, eodem modo, ac de prædictis Commissariis, & Vicariis philosophandum, cum re ipsa Visitatores isti, Commissarij quidam, & Vicarij sint. Addendum quod tempore actualis Visitationis stando in iure communi, & præscindendo à particularibus statutis Religionum totum regimen externum contentiosum Prouinciæ, vel Conuentus pertinet ad Visitatorem, non ad Prouincialem, aut prælatum. Conuentus. Ratio est, quia Visitatori committuntur omnes causæ, & lites Prouinciæ, vel Conuentus, ergo pro illo tempore non pertinet ad Superiorem prædictæ Prouinciæ, vel Conuentus, alias esset inordinata confusio inter Religiosos dum vnus, vni Prouinciali scilicet, vel Priori, obedire vellet, alius Visitatori. Portellus *in Dub. Regular. verb. prouincialis in addition. ad addit.* Pro quo notandum duplicem esse iurisdictionem, aliam contentiosam, aliam voluntariam, contentiosa est, quæ inter contradictores, actorem scilicet, & reum exercetur: voluntaria est quæ exercetur in volentes, & non contendentes cum aliquo. Exemplum prioris est, facere processus, examinare testes, proferre sententiam, &c. Posterioris autem absolutio Sacramentalis, dispensatio voti irregularitatis, &c. Dico ergo, tempore actualis Visitationis possunt Prouinciales, vel Priores, quorum prouincia, vel Conuentus visitantur exercere actus iurisdictionis voluntariæ, non autem contentiosæ. Ratio primæ partis est, non solum quia per visitationem non priuantur Prouincialis, aut prior verbi gratia, suis officiis, cum adhuc maneant prouincialis, & prior, & habeant sigilla illorum, sed etiam quia per exercitium talis iurisdictionis voluntariæ non impeditur, aut turbatur officium Visitatoris, potest ergo illam exercere. Ratio verò secundæ, quia alias iniuria fieret Visitatori intromittendo se in pertinentibus ad ipsius officium, quod est vt dicimus, causas, & lites iudicare. Vide Sanchez *lib.* 3. *de Matrimonio disputat.* 8. Portellum *in Dub. Regular. verb. Prouincialis in additione ad additionem.* 28

Hinc possunt prælati prædicti tempore quo prouinciæ, vel Conuentus ipsorum à Visitatoribus visitantur absoluere apostatas, vel excommunicatos etiam in foro externo, dum modo non sit hoc in causa 29

causa litigiosa, quia per hoc non fiet iniuria Visitatori. Non tamen poterunt facere aliqua quibus impediatur Visitatoris auctoritas, videlicet transferre, vel mutare aliquem Fratrem de vno loco ad alium, ne adsit visitationi, aut ne proferat testimonium, &c. Portell. *vt sup.*

30 Auctoritas horum Visitatorum pendet maximè ex litteris patentibus Commissionis, si enim in illis sit restricta, & limitata non possunt vltra illam aliquid agere, si autem sit cum plena potestate poterunt facere quidquid iure vel consuetudine Religionis receptum est. Vnde facere non poterunt etiam posita prædicta clausula plenitudinis potestatis, ea, quæ vel iure, vel consuetudine Ordinum solis Generalibus, vel Prouincialibus personaliter competunt. Hæc enim cum sint speciali nota digna in concessione generali non veniunt, iuxta communem iuris regulam inter regulas iuris *num.* 81. Vnde nec poterunt facere quæ ad solum Generale, vel Prouinciale Capitulum spectant, propter easdem rationes. Rodrig. *tom.* 1. *qq. Regul. q.* 54. *artic.* 1. *&* 4.

31 Cum mittuntur ad visitandam totam vnam Prouinciam cum plenitudine potestatis, possunt subdelegare, quia etsi sint Delegati, cum tamen sint Delegati ad vniuersitatem causarum maximè cum plenitudine potestatis, videtur concessa potestas ad subdelegandum, iuxta dicta supra. Rodriguez *to. secundo quæstionum Regularium quæstione* 4. *art.* 3. Subiungens id non procedere quando committitur facultas, vt personaliter visitent aliquod Monasterium. Tunc enim videtur electa industria personæ, ac perinde eorum auctoritas aliis delegari non potest. Felinus *in cap. quoniam §. his autem de offic. delegati.*

32 Rebellantes in Visitatores, aut illis contradicentes, ipso iure sunt excommunicati in Ordine Minorũ excommunicatione Papæ reseruata, & priuati officiis quæ actu habent, voce actiua, & inhabiles ad officia, &c. prout ordinauit Gregorius XIII. Rodriguez *tomo primo quæstione Regul. quæstione* 54. *articulo quarto.* Quo priuilegio etiam frui possunt aliæ Religiones communicantes cum Minoribus in priuilegiis. Non tamen incident in prædictas pœnas qui Visitatoribus contradixerint in iis, in quibus excedunt auctoritatem quam habent. Rodrig. *vt sup. art.* 4.

33 Gesta à Visitatoribus rescindi, mutari aut alterari non possunt ab inferioribus finita visitatione, nam licet potestas eorum extinguatur tempore visitationis completo, durat tamen auctoritas eorum à quibus missi, & quorum virtute sunt facta. Vnde saltem iis perseuerantibus in officiis suis, gesta à Visitatoribus debent permanere. Rodriguez *tom.* 1. *quæstionum Regularium quæstione* 54. *artic.* 4. afferens ad hoc Bullam Gregor. XIII. pro Minoribus. Non tamen debent perpetuo durare, nisi ipsi, vel ij à quibus missi sunt potestatem haberent condendi leges, quia tunc decreta, & gesta ab ipsis vim legis habere possent, & per consequens perpetuo durare.

34 Non debent prædicti Visitatores formare processus, seu querelas contra prælatos pro rebus minimis. Alias auctoritas Prælatorum valde minueretur, & contemneretur. Portellus *in Dub. Regular. verbo Prouincialis in addit. ad addit. num.* 7. In Religionibus aut arctioribus de leuioribus culpis potest formari processus, quia si in talibus Religionibus hæ culpæ dissimularentur, perfectus rigor, & obseruantia illarum paulatim decideret. Portellus *ibidem.* Nec etiam debent prædicti prælati puniri propter culpas sine dolo, aut malitia commissas ne fiat odiosum, & contemptibile munus prælatorum. Rodriguez *in addit. ad Sum. verb. delictos c.* 103. Portellus *vt sup. n.* 7.

Quando autem debeant procedere via inquisitionis generalis, aut specialis, & de aliis obseruandis à Iudice Regulari in Regularium causis. Vide dicta *tom.* 1. *c.* 27. 35

De Assistentibus, Diffinitoribus, Consiliariis, seu Sociis Prouincialium videtur eodem modo philosophandum respectiuè, ac de assistentibus, Definitoribus, Consiliariis, seu Sociis Generalium de quibus supra diximus à n. 20. Vide dicta num. & sequentibus, 36

Superiores immediati Conuentuum, vel Monasteriorum, qui Abbates, Priores, Guardiani, Rectores, vel similibus nominibus nominantur sunt verè Prælati. Angelus, & Syluester *verbo Prælatus.* Suarez *quarto tom. de Relig. tractatu* 8. *lib.* 2. *cap.* 2. *num.* 2 Habent iurisdictionem quasi Episcopalem, iuxta dicta *tom.* 1. *cap.* 18 *n.* 2. de quo etiam Suarez relatus *præd. cap.* 2. *num.* 9. Eorum munus dignitas appellari potest, cum sit administratio cum iurisdictione, iuxta dicta in cap. num. 2. Angelus *tit. delegatus* §. 3 Habent iurisdictionem ordinariam delegabile, iuxta dictam *num.* 9. Eo quod habeant iurisdictionem ex officio, seu lege Canonica. Nauarr. *in cap. non dicatis num.* 95 *in Dub. Regular. verbo Prælati potestas in addit. num* 2. Vnde quando siue in Regulis, siue in Constitutionibus Ordinum, siue in Bullis, aut Priuilegiis Summorum Pontificum nominantur indistinctè prælati, etiam illi intelliguntur, Portellus *in Dub. Regul. verbo Guardianus num.* 1. Requiritur ad minus ætas 25. annorum pro illis: etenim ex Concilio Tridentino *sess.* 24. *cap.* 12. nemo ad dignitates quascumque quibus animarum cura subest promoueri debet nisi qui saltem prædictum 25. annum attigerit. Colligitur etiam ex eo quod debent esse Sacerdotes, qui etiam talem ætatem exigunt. Rodriguez. *tom.* 1. *quæst. Regul. quæst.* 15. *artic.* 2. Circa potestatem quam illi habent absoluendi etiam à casibus reseruatis, dispensandi, irritandi vota, &c. Vide dicta *tom.* 1. *cap.* 18. Maximè quam habent isti prælati immediati Dominicanorum, & aliorum Ordinum qui cum ipsis communicant in priuilegiis ex Pio V. Possunt enim circa suos subditos per seipsos omnem auctoritatem exercere quam Episcopi habent à Concilio erga suos, quantum ad absoluendi, & dispensandi facultatem, vt diximus præd. *cap.* 18. *num.* 31. Cum autem ex Conc. Trid. *sess.* 24. *cap.* 6. concedatur Episcopis facultas dispensandi in irregularitatibus, & suspensionibus ex delicto occulto prouenientibus poterunt prædicti prælati vti hac facultate, quæ vere magna est, per seipsos tamen solos, & in casibus occultis, vt diximus dicto *cap.* 18. *num.* 31. Vide Portellum *in Dub. Regul. verb. Abbas num.* 6. *& in additionbus num.* 3. Possunt etiam seipsos licentiare, seu vti omnibus illis licentijs, seu quasi dispensationibus, quas possunt concedere subditis, non enim sunt peioris conditionis illis. Miranda *to.* 2. *Manual. Prælat. q.* 19. *artic.* 7. ex Corduba, Caietano, & Sanch. *l.* 8. *de Matri. disp.* 3. *concl.* 4. Portellus *in Dub. Regul. verb. Abbas num.* 9. 37

Possunt præfici Conuentibus Regularibus, Papæ auctoritate intercedente, etiam Clerici sæculares ob Summam Pontificis auctoritatem. Id tamen prohibitum est fieri à Conc. Trid. *sess.* 25. *c.* 21. 38

&

& meritò sanè, non solùm quia alias iniuria quodammodo fieret Religiosis, sed etiam quia vix possent talia Monasteria prudenter, & pacificè gubernari. Rodrig. *tom.2. quæst.52. artic.7. & 9.* [Huiusmodi prælati immediati Monasteriorum, scilicet, Priores, Guardiani, &c. non possunt esse perpetui in dictis officijs, sed triennales, aut quadriennales iuxta diuersa Statuta Religionum. Ratio sumitur, ex *cap. Cum ad Monasterium, §. tales de stat. Monach.* Panormitanus ibi, & *cap. Cum inter 1. num.2. de elect.* Sigismundus *de elect. dub. 114. num.7.* Quod firmat Rota *decis.302. num.1. in fin. in 2. par. recent.* Addit Sigismundus quod si in aliqua Religione ex Apost. sanctione, Statuto, aut consuetudine haberetur contrarium adhuc possent tales prælati ex rationabili causa amoueri à suis Superioribus, quia nunquam Sedes Apostolica consueuit talia officia approbare. *cap. Ad nostram. & cap. Porrecta. de confirm. vtil. vel inutil.* Addit secundò quod si Pontifex ex certa scientia, & cum causæ cognitione, specialique derogatione *d. cap. Ad nostram, & cap. Porrecta.* confirmaret alicui personaliter aliquã ex prædictis Prælaturis in perpetuum, tunc profectò ille non posset deponi propter *cap.1. & 2. eod. tit.* Glossam, Innocentium, & Rotæ decisionem, quæ ibi, & *dub.39. num.6.* refert. Nota verba illa specialique derogatione *d. cap. Ad nostram, &c.* quibus denotare videtur talem Papæ confirmationem debere esse non solum ex certa scientia, & cum causæ cognitione, sed cum speciali etiam derogatione Iuris communis in prædictis capitibus.]

39 Inter Superiores immediatos Conuentuum iure veniunt connumerandi ij qui Vicarij Conuentuum, & Vicarij in Capite appellari solent, illi scilicet, qui in Conuentibus ipsis non habent Superiorem. Sunt n. verè prælati, *vt tom.1. cap.18. num.3.* diximus Rodriguez *tomo primo quæstionum Regularium quæstione 12. art.6.* Vnde etiam sunt dicendi habere dignitatem Ecclesiasticam. Rodrig. *ibid.* Cum autem sint vere prælati omnia illa poterunt facere, quæ alij prælati immediati Conuentus, Priores, Abbates, Guardiani, &c. nuncupati facere possunt. Portellus *in Dub. Regul. verbo Vicarius in c.*

40 Illi autem Vicarij Conuentuum qui in ipsis Conuentibus Superiorem agnoscunt, qui inter nostros Carmelitas Superiores vocantur, non sunt vere prælati, sed solum instituti vt prælatos adiuuent in eorum munere, vt diximus dicto *cap.18. num.3.* Vnde nec sunt dicendi habere dignitatem Ecclesiasticam, cum nullam habeant iurisdictionem, nec possint facere quæ alij prælati Ordinis facere possunt. Dubitari tamen potest an huiusmodi Vicariatus, vel Superioratus dicendi sint personatus, an vero officia, seu administrationes, & quia hoc valdè pendet ex diuersis statutis Religionum dicendũ mihi videtur, quod si tales iuxta suatũ Religionũ, statuta præter administrationẽ qua fungũtur habeant aliquam præeminentiam, vel præcedentiam vltra eam, quæ ipsis competit ratione suæ professionis, dicendi erunt personatus, vt enim vidimus supra *num.2.* personatus est præeminentia, seu præcedentia sine iurisdictione. Si autem non habeant illam, eorum munus dici debet officium, seu administratio, propter ibidem dicta. Credo tamen prædictos in Ordne nostro dicendos esse personatus, quia scilicet habent præeminentiam, seu præcedentiam sine iurisdictione, præcedunt enim omnes simplices Sacerdotes etiam ipsis in Ordine antiquiores, regunt Monasteria Priore extra Conuentum in Ciuitate, vel Oppido existente, & iure Ordinis tempore Capituli Prouincialis, si non eligantur pro Sociis, manent Vicarij Conuentuum. Quæ omnia præeminentiam denotant.

Circa ea autem, quæ possunt facere isti Vicarij Conuentuum, vel Superiores tempore absentiæ à Conuentibus Priorum, Guardianorum, &c. quando scilicet sunt in ciuitate, vel Oppidis, licet in hoc attendendũ sit ad particularia statuta, & consuetudines Religionum, mihi videtur dicendum saluo doctiorum iudicio, posse ea facere in casibus occurrentibus quæ ipsi Priores, Guardiani, &c. si essent præsentes facere possent. Ratio mihi est, quia eo tempore prædicti Præsidentes Monasteriorum vel sunt prælati, vel quasi prælati, vel gerentes munus prælati, non enim pro tempore illo Monasteria sine capite sunt, ergo omnia quæ facere possunt prælati facere possunt ipsi. Vnde Sixtus IV. in Bulla *Dum attenta.* quæ est Mare magnum Ordinis nostri dum facultatem concedit absoluendi venientes ad Ordinem à censuris ipsam tribuit §.6. Generalibus, Prouincialibus, & Prioribus. ac vices eorum gerentibus, & similis concessio quoad absolutionem Fratrum à censuris reperitur in Mari magno Prædicatorum pro Prioribus, & vices eorum gerentibus in Conuentibus, vt habet Casarubius *in Compend. priuil. Mendicant. verb. absolut. Ordinar. quoad Fratres §. aduertendum.* Ex hoc autem videtur sequi supponere Pontifices huiusmodi Vices gerentes prælatorum Conuentuum in eorum absentia auctoritate prælatorum fulgere. Sed vt dixi, obseruandæ sunt Constitutiones, & consuetudines Religionum. [Nota autem quod cum Priores sint in duplici differentia alij, qui vocantur Conuentuales, alij qui solum dicuntur claustrales. Ex quibus Priores Conuentuales sunt, qui conuentibus, vel Monasteriis vti veri Prælati præficiuntur. Claustrales verò illi qui post Prælatos Monasteriorum in illis institui solent ad administrationem & regimen Conuentuum. De quibus *Clem. Ne in agro. §. Cæterum. de stat. Monach. cap. Cum ad Monasterium. de stat. Monachor. & can. Nullam. 18. quæst.2.* Nauarrus ibidem *num.4.* Gonzalez *in reg.8. Cancellariæ, gloss.8. n.113. & 118.* Tamburinus *de Iure Abbat. tom.3. disput.9 quæsit.3.* Ideo prædicti Priores Claustrales idem videntur esse, ac subpriores, seu Vicarij Conuentuum habentes supra se in eisdem Conuentibus alios Superiores, de quibus diximus.] 41

Pro graduatis Religiosis, Magistris, Baccalaureis, vel similibus dicendum falsò asseruisse Rebuffum *tit. dispens. cum irregular. num.27.* titulum doctoratus in Theologia, vel iure Canonico non debere tribui Religiosis, contrarium enim praxi, & vsu Ecclesiæ, & plurium Religionum constat. Rodriguez *tom.2. quæst. Regular. quæst.74. artic.1.* Pro quo extant priuilegia Bonifac. IX. & Innoc. VIII. pro Prædicatoribus. Rodriguez *ibid.* Tenentur sequi Chorum non obstante quocumque priuilegio eis concesso, iuxta dicta *tom.1. cap.18. numero 70. & capite.10. numero.* 20. Non possunt vti aliquo gradus sui priuilegio nisi actu legant, vel prædicent, propter decretum Clementis VIII. & SS.D.N. Vrbani, de quo *tomo primo. capite octauo num.25.* Vbi etiam quid intelligatur per actu legere. Ex quo videtur dicendum quod Magistri in Religionibus non possunt habere vocem actiuam, vel passiuam in Capitulis nisi actu legant, vel prædicent, habere enim talem vocem est priuilegium 42

quoddam

quoddam, non ius commune, cum non sint prælati. Excusari tamen poterunt à legendo, vel prædicando si valdè senes, infirmi, vel impediti sint, iuxta dicta eodem *cap.* 10. *num.* 20. Similiter illud actu legere, vel prædicare trahi potest ad similes casus quales sunt libros edere, casus conscientiæ resoluere, & similia. Dictio enim taxat in decretis non excludit casus similes, vel vrgentiores, vt diximus *tom.* 1. *cap.* 25. *num.* 20. Maximè cum intentum Pontificum in illo decreto videatur esse quod Magistri, & graduati Religionum exerceantur semper in aliquo litterario exercitio si volunt vti graduum suorum priuilegiis. Notandum præterea id quod dicto *cap.* 8. *num.* 25. videlicet ineptos, & idiotas peccare mortaliter gradus prædictos petentes, aut retinentes. Contrarij enim sunt intentioni Ecclesiæ, & Religionum in huiusmodi graduum institutione, quæ est vt illi declarent, & defendant mysteria fidei contra infideles, & dubiis inter fideles emergentes satisfacere possint, quod nequeunt facere prædicti inhabiles. Syluester *verb. Doctor. q.* 4. Emanuel Sà *in Summ. verbo docere num.* 2. Sanchez *tom.* 1. *consil. moral. lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 57. [Nota tamen quod licet, vt dictum est, Regulares possint ad Doctoratum Theologiæ, & Iuris Canonici promoueri, de licentia suorum Prælatorum; quia nullibi interdicitur harum facultatum studium, aut talium graduum assumptio, prout tenent Caietanus, Syluester, Tabiena, Armilla, Nauarrus, & alij quos referunt, & sequuntur Sanchez *tom.* 2 *in decalog. li* 6. *cap.* 14. *num* 44. & Tamburinus *de iure Abbat. to.* 3. *disp.* 3. *quæsit.* 6. *num.* 39. Nihilominus ipse Tamburinus ibid. dicit non posse promoueri ad gradus Doctoratus in Iure Ciuili, aut medicina, eo quod *in cap. Non magnopere, est cap. Super specula, ne Clerici vel Monachi*, interdicatur ipsis Iuri Ciuili, aut medicinæ studere. Ex quo colligi videtur etiam esse illis interdictum talium facultatum gradus suscipere. Pro quo refert Sanch. *suprà num.* 43. Sed Sanchez eo loco solum loquitur ex sententia Rebuffi, non ex propria. Ex propria enim sententia dici infrà *n.* 45. & 46. quod Religiosus qui licitè, id est existens in sæculo, vel illicitè, id est postquam est Religiosus his facultatibus operam dedit, poterit suscipere gradus illarum eo quod nullibi id prohibeatur, & in præfatis capitibus *Non magnopere, & super specula.* Solùm ipsis interdicatur auditio Iuris Ciuilis, aut medicinæ, non promotio ad gradus harum facultatum. Pro quo refert Calderinum, Felinum, Nauarrum, Salzedo, & Rodriguez.]

43 Procuratoris munus officium est, non dignitas aut personatus, cum meram administrationem sine iurisdictione, aut præeminentia importet, in quo ratio officij consistit, vt suprà *num.* 2. & 7 diximus. Ad Procuratorem spectat solum bonorum, ac redituum Monasteriorum exigendorum cura. Vnde ipse pecunias, aut res collectas conseruare, aut expendere non potest. Sic enim statuit Clem. VIII. in decretis *pro Reformat. Regular.* quæ habentur inter Bullas huius Pontificis 3. tom. Bullar. nu. 60. & postea confirmata sunt à Sac. Congregatione Concilij iussu SS. D. N. Vrbani in decreto de Regularibus Apostatis, & eiectis, vbi sic habetur. *Nullus ex Superioribus locorum administrationem bonorum, aut aliarum rerum, dispensationemque pecuniarum, & redditum sui Conuentus, etiam nomine Conuentus, per se ipsum habere siue exercere possit, sed vniuersum id onus tribus Fratribus eiusdem Conuentus à Generali ita demandetur, vt vnus rerum, & bonorum reddituumque colligendorum, ac exigendorum curam habeat alter tanquam Depositarius pecunias, ac cætera ab illo collecta, & exacta fideliter asseruet; alius de pecuniis; & rebus à Depositario acceptis, Priori, & Fratribus, ac Conuentui vniuerso de necessariis, mandante tamen ipso Priore, non secundum proprium affectum, sed iuxta charitatis Regulam veluti bonus dispensator prouideat, officiorum huiusmodi confusione penitus interdicta.* Ex quo habetur nullum ex Superioribus locorum posse exercere munus Procuratoris, aut habere per se ipsum administrationem bonorum Monasterij, quia hoc spectat ad ipsum Procuratorem. In Ordine autem Minorum non possunt Fratres esse Procuratores Monialium suarum. Id enim est illis prohibitum. Portellus *in Dub. Regular. verb. Procurator. Monialium.*

Huiusmodi autem administratores bonorum Monasteriorum amoueri possunt ad nutum Superiorum. 44
Tum ex Concil. *sess.* 25. *capite secundo* tum ex Sac. Congreg. apud Barbosam *in Collect. Bullar. verb. officiales.* Illorum electio spectat ad Superiores Monasterij, etiam in casu, quo Monasterium subiectum sit Episcopo. Sic colligo ex declaratione Sacræ Congregationis apud Lauretum de Franchis *in Controuers. Episcop. & Regular. pag. mihi* 164.

Sacristæ munus (quod etiam officium dici 45
debet, non dignitas aut personatus, cum non importet iurisdictionem, aut præeminentiam) consistit in attendendo rebus pertinentibus ad cultum diuinum, & celebrationem Missarum iuxta varias Ordinum Regularium Constitutiones. Videtur ad ipsum spectare, vt decreta Sac. Congregationis Rituum edita die octauo Aprilis millesimo sexcentesimo vigesimo octauo de quibus *tomo primo capite duodecimo numero trigesimotertio & capite vigesimoprimo numero vigesimoprimo* diximus, affixa habeantur, & conseruentur in Sacristia, præcipitur enim à Sac. Congregatione ibidem, vt affigantur in Sacristiis omnium Ecclesiarum, tam Regularium, quam sæcularium ibique perpetuo affixa seruentur. Adiuncta sunt postea prædicta decreta Missali, ac Breuiario Romano, quo sufficienter adimpleta videtur intentio Sac. Congregat. respectu talibus Missali, & Breuiario vtentium, non tamen respectu illarum Religionum, seu Ecclesiarum, quæ proprijs Breuiarijs, & Missalibus vtuntur, vt sunt Carmelitæ, & ita istis videtur necessarium prædicta decreta in Sacristijs perpetuò conseruare. Præcipitur etiam à Pio Quinto, in Bulla *Cum primum.* Anno millesimo quingentesimo sextengesimo sexto, edita quæ est in secundo tomo Bullarij *numero quinto*, vt vidimus *tom.* 1. *capite* 10. *num.* 6. in virtute S. Obedientiæ Religiosis (quod spectare videtur ad Sacristas) vt in Ecclesijs deputent aliquem qui pauperes mendicantes siue eleemosynam petentes tempore Missarum, prædicationum, aliorumque diuinorum Officiorum foras eiiciant. Peyrinis *to.* 1. *priuil. Minim. in Constit.* 4. *Iuly II.* §. 1. *n.* 2.

Habent Sacristæ Conuersi professi facultatem 46
tangendi Calices, & Patenas, & Purificatoria in necessitate à Sixto IV. vt refert Confettius in Collectan. litterar. Apostol. Mendic. in Sixto IV. n. 9. id priuilegium concedente Fratribus Augustinianis Prouinciæ Lombardiæ pro tempore quo Sacristiæ gerunt curam. Vide dicta *c.* 8. *n.* 33. & 34.

Magistri Nouitiorum officium (neque enim 47
dignitas,

dignitas, aut personatus appellari potest propter dicta in Superioribus) valdè necessarium in Religionibus est propter nouitiorum instructionem, & educationem iuxta decreta Clem. VIII. approbata; & confirmata à Sacra Congregatione Concilij sub Sanctissimo Domino Nostro Papa Vrbano. Debet talis Magister Nouitiorum habere Socium, & cum ipsis in Nouitiatu commorari, Nouitios instruere, docere, & curare, ne cum Nouitiis vllam alij Fratres communicationem habeant aut ad locum vbi sunt ingrediantur, loci clauem habere, eorum confessiones audire, ipsis semper assistere, & alia facere quæ in prædictis decretis continentur specialiter sequentia, quæ tam ad ipsum Magistrum Nouitiorum quam ad eius Socium spectant. Nouitiorum Magistro Socius si per Nouitiorum instruendorum multitudinem necessarius fuerit, vita, & moribus quoad fieri poterit consimilis deputetur, qui in his quæ ad Nouitiatus regimen spectant dicto Magistro immediate subiectus existat, eliganturque tam Magister quam Socius, per Prouinciale Capitulum per triennium ad minus onus huiusmodi subituri. Quod si aliquo casu extra tempus capitulare noua loca Nouitiatus concedi contingat, tunc electionem Magistri Nouitiorum, & socij huiusmodi in his nouis locis per Generalem, vel Prouincialem seu Ministrum, aut eorum Visitatores, seu Vicarios, de Definitorum, tamen vel grauiorum aliorum Patrum consensu fieri permittatur; idemque seruetur, si intra triennium, alterum, vel vtrumque vrgenti aliqua de causa ex illis loci amoueri, vel mori contigerit, in cuius, vel quorum locum alij consimiles subrogari debeant. Tam Nouitiorum Magister, quam Socius ab iis omnibus officiis, oneribusque vacationem habeant, quæ Nouitiorum curam, & regimen impedire valeant. Ipse Magister Sacerdotali Ordine sit initiatus, ac in quinto saltem supra trigesimum ætatis suæ anno constitutus, & per decennium à professione emissa in religione perstiterit. Socius vero trigesimum annum excedat sintque ambo doctrina, & quantum per Superiorum diligentiam, & vires fieri poterit, vitæ etiam ante actæ exemplo præstantes, orationis præterea, & mortificationis operibus addicti, prudentia, charitateque referti, non sine affabilitate graues, zelum Dei cum mansuetudine præseferentes, ab omni cordis, ac animi perturbatione, ira præsertim, & indignatione, quæ in se, & erga alios charitatem impedire consueuerunt, quam longissimè alieni; & tales demum, qui in omnibus se ipsos bonorum operum exemplum præbeant; vt ij qui eorum curæ subsunt, non tam metuant, quam reuereantur. Nec illis vmquam detrahere quicquam possint. Habeat etiam Magister plenam, & absolutam potestatem circa Nouitiorum institutionem, ac Nouitiatus regimen, ita vt in illis nemini (Visitatoribus, ac Superioribus maioribus, vel etiam localibus exceptis) quouis colore se ingerere liceat. Curam adhibeat diligentem, vt Nouitij omnes in Regulari disciplina sedulo exerceantur, agnoscanque præcipuè diuinæ qua digni facti sunt vocattonis præstantiam, & excellentiam, quæ vera sit, atque perfecta votorum solemnium, & quam necessaria cuiusque Ordinis Constitutionum obseruantia, modum in Oratione, tum vocali, tum mentali fructuosè persistendi, illicitas passiones, & vitia, (ad quæ natura per peccatū labefactata omni tempore prona est atque procliuis) per sensuum custodiam, & mortificationem cohibendi, austeritatem, ieiunia, cilicia, disciplinas, conscientiæ, puritatem, crebram illius discussionem, Sacramentorum frequentiam, confessionis præsertim, quæ bis saltem singulis mensibus fiat per apertitionem quotidianam motuum internorum cordis, & tentationum manifestationem, per exercitium humilitatis circa viliora ministeria, per modestiam in omnibus actionibus, diuturnumque silentium. Hæc ibi.

Circa illa tamen verba *Habeat etiam Magister plenam, & absolutam potestatem circa Nouitiorum institutionem, &c.* aduertendum hic non concedi ipsis potestatem aliquam iurisdictionis in foro externo, hæc enim solum competit veris Prælitis. Vnde nec possunt censuras Nouitiis imponere cum hoc sit actus iurisdictionis. Habent tamen in illos iurisdictionem in foro interno conscientiæ, cū iuxta prædicta decreta illorum confessiones audire debeant. Neque ad hoc munus Confessarij Nouitiorum requiritur, vt puto, approbatio Ordinarij, aut Episcopi, sed sufficit approbatio Superioris Ordinis sicut ad audiendas confessiones aliorum Religiosorum, iuxta dicta *tomo primo capite* 18. *numero vigesimoseptimo.* Cum enim Nouitij tempore Nouitiatus maneant sub cura, & iurisdictione prælatorum, Religionis, iuxta dicta eodem *tomo primo, capite vigesimoquarto, numero* 4. *&* 5. sicut prælati Religionum possunt concedere facultatem simplici Sacerdoti ad audiendas Confessiones Professorum, sic & Nouitiorum. Nullatenus tamen admittendum est id quod aliqui (Portellus *in Dub. Regul. verb. Nouitij annus n.* 35.) dicunt, videlicet, Magistrum Nouitiorum negare posse suffragium Nouitio indigno ob defectum solum cognitum in confessione. Hoc enim absdubiè est contra reuerentiam, & sigillum Sacramenti, si enim semel admittatur vti posse confessarium scientia habita in confessione quantumuis occultè in damnum pœnitentis, retrahentur multi à confessione integra suorum peccatorum facienda. Vide in simili dicta *to.*1.*c.*15.*n.*14. 48

Non possunt prædicti de quibus in præsenti capite loquuti sumus siue Prælatias, siue officia, vel administrationes in Religionibus habentes sint, excusari ignorantia in iis, quæ spectant ad eorum officia rectè gerenda. Tenentur (inquit Rodriguez *tom.*2.*q. Regul.q.* 72. *art.*2.) *in his quæ suam gubernationem, officium, & regimen, & administrationem respiciunt diligentissime se informare de omnibus decretis, & constitutionibus, & reformationibus quæ in diem à Sede Apostolica manabunt, alioquin ignorantia non excusaret eos.* Portellus *in Dub. Regul. verb. Prælat. n.*17. Quod maximè procedit in foro externo, nam quoad internum: ratione tum humanæ infirmitatis, tum multitudinis legum, & Decretorum, ipsorumque confusione quandoque excusari poterunt. Portellus *ibid.* 49

Illegitimi nō possunt habere sine dispensatione in Religionibus prælatias, dignitates, aut personatus, aut beneficia curam animarū habentia. Ita enim habetur *c.*1.*& fin. de filiis Præsbyt.* Etenim præd. *c.* 1. est sermo de prælatiis in *c. autem finali* est sermo de dignitatibus, personatibus, & aliis beneficiis curam animarum habentibus. Vnde nec possunt esse Generales, Prouinciales, Priores, Guardiani, aut similes Superiores etiam locorum curam animarum habentes, quia ista sunt prælatiæ, & dignitates à quibus arcentur in prædictis capitibus. Nec Commissarij, Vicarij, aut Visitatores generales, vel Prouinciales, quia isti etiam sunt prælati tempore 50

pore

pore quo durant, & esto non habeant aliqui illorum nisi iurisdictionem delegatam, ea tamen est Superior iurisdictione ordinaria Prouincialium, vel Prælatorum conuentualium. Nec etiam possunt esse Procuratores Generales, Diffinitores, Assistentes, Socij, vel Consultores generalium, vel prouincialium, quia isti sunt personatus cum eorum munus importet præeminentiam, seu præcedentiam sine iurisdictione. [Licet quod attinet ad diffinitores oppositum teneat Sigismundus de Bononia *de elect. dub* 72. propter Constitutionem quamdam Sixti V. Sed tu vide quæ dixi *tom.* 1. *cap.* 10. *num.* 33. circa verba illius Constitutionis.] Item nec possunt esse Superiores saltem in Ordine nostro, aut Vicarij conuentuum in illis Religionibus in quibus habent aliquam præeminentiam, quia tunc erunt personatus, & etiamsi nullam habeant præeminentiam, quando in absentia prælatorum conuentuum ipsi sunt præsidentes, quia hoc est esse prælatos. Possunt tamen illegitimi esse Procuratores conuentuum, Magistri Nouitiorum, Sacristæ, & habere alia officia manualia, illa scilicet, quæ nec prælatiam, nec dignitatem, personatum, aut curam animarum important, hoc enim modo intelligendum est id quod diximus *tom.* 1. *cap.* 18. *numero* 62. Pro quo etiam, vide Syluestrum *Summ. verb. Prælator. num.* 3. Rodrig. *tom.* 1. *q. Regul. quæst.* 13. *art.* 18. 19. *&* 20. Portellum *in Dub. Regul. verb. illegitimi.* Qualiter hi illegitimi dispensari possint esse socij, seu discreti pro Capitulis diximus *c.* 12. *num.* 17. Nota etiam declaratum esse à Sacra Congregatione Regularem illegitimum, sed ad instantiam Patris legitimatum in infantia per legitimationem amplissimam vigore facultatum Dominorum de Campegiis non posse eligi generalem in sua Religione. Barb. *in Collectan. Bullar. verb. Regulares* 1.

51 Quando alicui prælato constat se esse electum ab vno qui erat inhabilis, & priuatus voce actiua, si sciente maiori parte Capituli illum defectum admissus est, tenetur renunciare, quia electio illa fuit nulla iuxta dicta. *capite* 12. *numero* 19. si vero admissus est ignoranter, ignorante scilicet maiori parte capituli illum defectum non tenetur renunciare quia illa electio valida fuit iuxta *ibidem* dicta. Maximè quia ille elector tolerandus erat, ac per consequens gesta ab ipso valida. *L. Barbarius ff. de officio Prætoris.* Suarez *tom.* 1. *de legibus lib.* 5. *cap.* 9. *numero* 5. Portellus *in Dub. Regul. verb. electio numero* 17.

52 Quando autem alicui prælato constat se tempore electionis non habuisse vocem passiuam, quia scilicet erat excommunicatus excommunicatione maiori quamuis occulta, tenetur quamprimum petere absolutionem ab excommunicatione, qua est irretitus, & postea curare, vt officium sibi de nouo conferatur ab eo, qui potest illud conferre. Ratio est quia prior collatio fuit inualida, & perinde ac si facta non fuisset. Nauarrus *capite* 27. *numero* 21. & alij apud Bonacinam *disputatione* 2. *de excommunicat. quæst.* 2. *punct.* 4. §. 1. *num.* 11. Quod tenet verum etiam si ignoraret inuincibiliter se esse excommunicatum, quia quamuis illa ignorantia eum excusare possint à culpa, non potest tamen facere illum habilem ad id ad quod inhabilis erat. Lessius *lib.* 1. *de iustit. cap.* 34. *dub.* 22. *n.* 127. & alii quos sequitur Bonacina, *vt supra numero* 2. Quamuis tamen hæc sententia probabilior, & securior sit, contraria tamen probabilirer practicari potest, quod scilicet sufficiat auferre impedimentum, & secrete acceptare officium absque alia noua collatione, sed ex vi præteritæ, conualescens, ita tamen vt impedimentum sit omnio occultum, & vt id in nullius cedat præiudicium (prout contingeret in casu quo illud officium alteri tribui deberet qui in electione illius habuit pauciora vota) & quod impetretur dispensatio non solum illius impedimenti, sed etiam intrusionis per quod etiam fuit inhabilis ad idem officium. Sanchez *lib. octauo de Matrimon. disputatione septima numero duodecimo.* Portellus *in responsion. cas. moral. par.* 1. *cas.* 1.

Prælato intruso, & non canonieè electo si res sit dubia obediendum est, quia in dubiis possessio illi fauet, iuxta dicta *tom.* 1. *cap.* 4. *num.* 25. Sanchez *lib.* 6. *in decalog. cap.* 3. *num.* 4. 29. & 30. Prælato tamen prædicto cum certo, & publice constat ille defectus, non est obediendum, cum careat iurisdictione, iuxta dicta etiam eodem *tom.* 1. *cap.* 4. *num.* 38. Si autem defectus ille sit occultus, & subdito constet certo de prædicto defectu tenetur in publico obedire illi propter vitandum scandalum, in secreto tamen non tenetur ipsius mandatis obtemperare, quia verè caret auctoritate præcipiendi. Syluester *verbo beneficium* 3. *post principium.* Portell. *in responsion. cas. moral. parte secunda cas.* 16. *num.* 7. 53

Prohibitum est prælatis Regularibus, sicut & aliis Religiosis testari, seu testamentum condere. Quia prohibitio generalis testandi omnes Religiosos comprehendit, & ratio qua particulares in hac prohibitione comprehenduntur procedit etiam in prælatis, nempè quia non habent dominium, aut proprium. Graffis 1. *par. decision. lib.* 3. *cap.* 5. *n.* 59. Lessius 2. *de iustit. c.* 19. *dub.* 4. *n.* 40. *& cap.* 41. *dub.* 8. *numero* 73. Vide dicta *tomo* 1. *capite* 9. *numero* 19. 54

Professio fidei facienda est à quibuscúque prouisis de prælaturis quorumcumque Monasteriorum, seu domorum Regularium etiam militiarum, ex Pio IV. in Bulla *Iniunctum nobis*, quæ habetur in 2. tom. Bullar. inter Bullas ipsius num. 89. vbi decretum Concil. Tridentin. *sess* 24. *cap.* 12. etiam ad prælatos Regulares extendit. Quia tamen hoc non est vsu receptum in multis Religionibus, ideo in illis non est obligatio ad id faciendum. Vt habent Sorbus *in annotat. ad compend. priuil. Mendic. verb. professio fidei* §. *& est primo notandum.* vbi etiam refert Cardinales, & alios doctissimos ita consuluisse, Tamburinus *de iure Abbatum tom.* 1. *disp.* 8. *quæst.* 3. *num.* 3. Portellus *in Dub. Regular. verbo professio fidei*, & alij apud Dianam *tract.* 2. *de Dub. Regular. resol.* 78. Nihilominus de mandanto Reuerendiss. Generalis Ordin. nostri Theodori Stratij introducta est obseruantia prædictæ Bullæ, cum qua etiam est modus faciendi talem professionem, qui habetur cap. præcedent. in formula celebrandi capitula in Ordine nostro. 55

Prælaturæ non electiuæ, quæ scilicet non dantur per electionem, sed per nominationem Superioris, Generalis scilicet, vel prouincialis, sunt manuales, ita vt mutari possint, etiam sine causa, quando Superioribus bene visum fuerit. Ita enim colligitur *ex capite cum ad Monasterium de stat. Monachor.* Nec ipsi prælati amoti conqueri iure possunt siue agere quidquam contra spoliatores Superiores. Cum isti nullam illis iniuriam faciant eos amouendo à dictis prælaturis, sed vtantur iure suo. Riccius *in praxi tomo quarto resolutione* 51. *numero quarto.* 56

Sigismundus de Bononia *in tract. de elect. p.1. c.7. dub.49. num. 6. & 14.* Diana *tract. 2. de Dub. Regul. resol. 117.* Consulendum tamen est famæ tum Religionis, tum Religiosi amoti, alias iniusta esset talis remotio. Diana *ibid.* Dixi loquendo de prælaturis non electiuis, quia in aliis prælaturis obseruanda sunt statuta Religionum, earumque legitimæ consuetudines. Stando autem in Iure communi nullus prælatus amoueri potest à sua prælatura nisi iusta & rationabili causa existente. Ratio est quia quamuis Religiosi nihil habeant proprium, nec etiam velle aut nolle; nihilominus quia iniuriosum videtur auferre ab aliquo id quod possidet sine rationabili causa, & quia talis spoliatio occasionem præbet malè iudicandi de persona spoliata, ideo non possunt prælati Regulares ad beneplacitum superiorū solum amoueri. Id etiam colligitur ex *c. Nullam potestatem.* 18. *q.2. & c. Monachi, in fin. de stat. Monachor.* vbi Glossa *verbo Non mutentur*, & Panormitanus *n.8. vers. In glos. penult.* ibi: *Qui per electionem.* Azor. *p.2. lib.3. c.26. q.15.* Sigismundus *supra.*

Ex dictis autem in toto hoc c. elici potest quod quia principatuum seu regiminum tres sunt formæ vt docent Aristeles *D. Ethicor. cap.10. & 3. politicor. cap. 5.* & Plato *lib. 16.* de Regno ac D. Thomas *de regimine principum c.1.* & alij plures scilicet *Monarchia*, quæ est regimen per vnum commune caput, & *Aristocratia* quæ est per paucos, & optimates, & *Democratia* quæ est per multos & populares; ideo Religiones omnes iuxta earum institutum aliquo ex tribus modis regiminum vel vno cum mixtione aliorum gubernantur; Et quidem militantes sub Regula S. Benedicti ex sua primæua institutione Monarchia regebantur, vt constat ex *cap.3.* Regulæ, & ex *cap.65.* & ita habent Perez *in Regulam S. Benedicti cap.65. num.2* Peirinis *tom 2. de Prælato q.1. c. 2. n.3.* Tamburinus *tom. 3. de Iure Abbat. disput.1. q.2 num.1.* quamuis prout de facto contingit non gubernentur nisi Aristocratia, vt notat *num.4.* Basiliani etiam seu viuentes sub Regula Diui Basilij etiam Aristocratia gubernantur, prout colligitur ex Regula *cap.45. & 48. & 54.* & ex Regula Breuiori *cap.112.* Peirinis *supra num.1.* Tamburinus *n.5.* Augustiniani etiam, seu viuentes sub Augustini Regula Aristocratia quoque gubernari videntur. Peir. *n. 5.* Tambur. *n.6.* Militantes autem sub Regula S. Francisci quantum est ex vi Regulæ Democratia regi videntur, prout colligitur ex *c.7.* Regulæ, & tradunt Peirinis supra *n.8.* & Tamburinus *n. 7.* quamuis de facto potius Monarchia mixta gubernari videantur, prout habet Corduba *in cap.8. Regulæ.* Ordo autem noster Carmelitarum, licet ex vi Regulæ primitiuæ B. Alberti Democratia fuerit, eo quod *in c.2.* Regulæ assignatio cellularum dicatur fieri debere per dispositionem Prioris, *& de assensu aliorum Fratrum, vel sanioris partis*, idemque colligi videatur ex eadem Regula, prout ab Innocentio IV. declarata, correcta, & mitigata fuit. Siquidem *c.2.* dicitur, posse habere Religionē loca in Eremis vel vbi donata fuerint, *secundum quod Priori, & Fratribus videbitur expedire:* nihilominus in præsenti Religionis regimen Aristocraticum est sicut, & Congregationum Patrum Discalceatorum, siquidem ex antiquo Ordinis vsu Generalis regit Religionem cum Sociis sibi assistentibus, Prouincialis cum Diffinitoribus, & Priores Conuentuum cum Clauariis. Et ita Aristocratiam esse modum regiminis nostræ Religionis tenent Thomas à Iesu *super Regulam Carmelitarum.* Peirinis *supra numero septimo* licet addat se audire accedere ad Monarchiam. Sed nescio à quo id audiuit, nec quo fundamento id dici possit. De regimine porro aliarum Religionum agunt Auctores relati, & ex dictis elici potest qualis sit. Si enim ab vno solo Prælato sine consilio aut consortio aliorum gubernentur, erit Monarchia; si vero cum consilio, aut consortio paucorum & principaliorum erit Aristocratia; si multorum, & vulgarium erit Democratia.

SVMMARIVM.

Tertiariorum quotuplex genus? n. 1.
Alij sunt in Religione viuentes cum tribus votis essentialibus. ibid
Alij etiam tria vota faciunt, sed non in Religione, aut sub Regula approbata. n. 2.
Alij neque in Religione viuunt, neque tria vota emittunt, sed Regulam aliquam approbatam obseruant. num. 3.
Sunt inter eos viri, & fœminæ diuersis nominibus appellati. n.4.
Tertiarij primi generis sunt vere, & proprie Religiosi. num. 5.
Gaudentque multis priuilegiis. ibid.
Tertiarij secundi generis non sunt vere Religiosi. numero 6.
An debeant tolerari. ibid.
Tertiarij quoque tertij generis non sunt verè Religiosi num.7.
Nec modus viuendi ipsorum potest appellari Religio. ibidem.
Bene tamen Ordo approbatus. ibid.
An latè, & analogicè Religio. ibid.
Habent facultatem recipiendi suos Tertiarios Minores S. Francisci. n.8
Dominicani. n.9.
Augustiniani. n.10.
Carmelitani. n.11.
Seruitæ. n.12.
Minimi. n.13.
Possunt huiusmodi Tertiarij Fratres, aut Sorores tertij Ordinis dici. n.14.
Profitentur Tertiarij aliquam Regulam approbatam num. 15.
Gestant habitum Ordinum, quorum sunt Tertiarij. num. 16.
Qualis sit futurus talis habitus. ibid.
Proprium etiam modum profitendi habent. n.17.
Qualis is sit. ibid.
An emittant aliqua vota. n.18.
Qualiter peccent transgressores suæ professionis. numero 19.
An peccent transgredientes Regulam. n.20.
Quomodo facienda sit illorum professio. n.21.
Ante illam debet pracedere aliquod tempus probationis. n.22.
An sint Apostatæ recedentes ab hoc statu. n.23.
Differt valde hoc institutum Tertiariorum à Confraternitatibus. n.24.
An sint dicendi personæ Ecclesiasticæ. n.25.
Concessa illis sunt multa priuilegia. n.26.
Moderata tamen à Leone X. in Concilio Lateranen. num. 27.
Qualiter hæc moderatio accipienda. n. 28.
Quomodo id declaratum à S. Congre. Episc. & Regul. num. 29.
Tertiarij tripliciter viuere possunt. n.30.

Diuersi



CAPVT XIV.

De Tertiariis Regularium, eorumque obligationibus, & Priuilegiis.

1 TErtiarij fuerunt, & sunt in multiplici differentia, licet ad triplex genus reduci possint. Aliqui enim sunt Tertiarij in Religione viuentes, & tria vota Religionis essentialia emittentes sub prælatorum obedientia. Hi sunt illi quibus Leo X. anno millesimo quingentesimo vigesimo primo. Bulla *Inter cætera*, quæ in primo tomo Bull. inter Bullas huius Pontificis est 42. Regulam S. Francisci aptauit, & accommodauit, & quos postea Pius V. anno 1568. in Bulla *Ea est officij*, quæ est in secundo tomo Bullar. inter Bullas huius Pontificis 63. reformauit, ac Generali, & Prouincialibus Minorum de obseruantia subiecit, licet postea hanc Pij V. Constitutionem moderatus fuerit Sixtus V. in Constitut. *Roman. Pontificis* anno 1586. in eodem secundo tom. Bullar. inter Constitutiones Sixti numero vigesimo octauo Casarubius *in Compend. priuileg. Mendic. v. Tertiarij num.* 24. Peirinis *tomo primo priuileg. Minimor. in Constitut. 4. Sixti IV. §. 7. num.* 31.

2 Alij erant, & forsan modo sunt Tertiarij, qui etsi tria vota essentialia facerent, aut fecerint, sed non emiserunt illa sub aliqua Religione, aut determinata Regula à Sede Apostolica approbata, quorum aliqui in Congregatione viuũt, seu viuebant, alij vero non in Congregatione, aut Communitate sed in Eremitoriis, & separatim cum habitu tamen Religioso ab aliquo Regulari accepto, vel quem ipsi propria auctoritate acceperunt. Casarubius *vt supra §. Tertius insuper.* Sosa *in tract. de Profess. Tertiarior. pag.* 201. Miranda *in manual. Prælator. tom. 1. q. 36. artic.* 3.

3 Alij sunt Tertiarij qui neque tria vota essentialia Religionis emittunt, nec in Communitate aut Collegialiter viuunt, sed Regulam Carmelitarum, S. Dominici, S. Francisci, vel alterius Religionis approbatæ seruant in propriis domibus, & quandoque, maxime fæminæ, in communi aliqua domo habitantes, quorum aliqui emittunt votum simplex castitatis, vel obedientiæ, alij nullum nisi forsan obedientiæ. Casarubus *vt supra §. ex prædictis omnibus.* Peirinis etiam *vt supra numero trigesimoquinto.*

Sunt autem inter istos Tertiarios maximè primi, & tertij generis, viri, & fæminæ, & sicut viri vocantur Fratres Tertiarij de pœnitentia, Mantellati, Corrigiati, sic fœminæ vocantur Sorores Tertiariæ, de Pœnitentia, Mantellatæ, Corrigiatæ, Pinzocheræ, Beatæ, &c. Casarubius *vt supra à §. Aliter breuius, & §. sciendum est vlterius* Peirinis etiam *vt sup. numero trigesimoquinto & trigesimosexto.* De quibus sigillatim dicendum est, maximè quod hæc materia intricatè satis, & confusè à quibusdam tractetur. 4

Et primo, loquendo de Tertiariis primi generis, seu de quibus primo loco dixi, illi sunt verè, & propriè Religiosi, cum tria vota essentialia Religionis emittant, & sub obedientia, & iurisdictione Prælatorum viuant, Ita etiam declarasse videtur Leo X. in Bulla relata dum illis Regulam, modum profitendi, & recipiendi Nouitios, seu Nouitias, ieiunia, orationes, & similia præscribit, & Pius V. etiam in prædicta Bulla vbi illorum statutum Religionem appellat, ac Sixt. V. in Bul. quoque relata, Vnde illi vt verè personæ Ecclesiasticæ, & Religiosæ exempti sunt ab omni iurisdictione Sæculari, & Ecclesiastica Episcoporum, & gaudent priuilegio Canonis, & fori habentque multa priuilegia, quæ Clemens VIII. in Bulla *Ratio Pastoralis* anno 1597. edita in 3. tom. Bullar. inter Bullas huius Pontificis *num.* 51. innouat, & confirmat. Casarub. *in Compend. priuileg. mendicant. v. Tertiarij num. 24. §. Quoad secundum gradum Tertiariorum*, Peirinis *tom. 1. priuileg. minim. in Constitut. 4. Sixti IV. §. 7. num.* 31. Portell. *in Dub. Regul. verb. Tertiarij num.* 1. 5

Tertiarij autem secundi generis tria vota essentialia Religionis emittentes, sed non sub aliqua Regula, aut Religione approbata, siue in Communitate, siue priuatim, aut seorsim in Eremitoriis, non sunt verè Religiosi, nec vmquam tales fuerunt. Ratio est, quia ad hoc, quod tria vota essentialia Religionis constituant aliquem Religiosum requiritur quod illa fiant secundum certam, & determinatam Regulam, & sub Religione aliqua à Sede Apostolica approbata, vt colligitur *ex c. vnico de voto, & voti Redempt. in 6.* vt dictum est *tom. 1. c. 2. n. 1.* Cum ergo isti non emiserint prædicta vota sub aliqua Regula, aut Religione approbata nullo pacto erunt veri Religiosi. Nauar. *Comment. 1. de Regul. super c. Cui portio n. 18. & in Consiliis lib. 3. de Regul. consil. mihi* 12. Miranda *in Man. Prælat. tom. 1 quæst. 36. artic. 3. prima conclus.* Quod etiam est verum quamuis isti emisissent prædicta vota in manibus Episcopi. Quia essentialiter requiritur, ad professionem veræ Religionis, quod sub determinata Regula, & Religione approbatis fiat. Sanchez *libro quinto in decalog. capite 4. num.* 74. Portellus *in respons. cas. mor. part. 1. cas. 16. n.* 8. Addunt aliquis hos esse sublatos à Leone X. in Bulla *Dum intra mentis.* Peirinis *num.* 32. Sed nihil tale in dicta Bulla inuenire potui. Alij volunt non esse huiusmodi homines permittendos. Casarub. *in Compend. priuileg. Mendic. verb. Tertiarij num.* 24. 6

num. 24. §. *tertius insuper.* Rodrig. *tom.* 3. *q. Regul. quæst.* 72. *artic.* 1. §. 2. *conclusio.* Verumtamen nisi scandalosè viuant, aut habitum alicuius Religionis portent, cum tria illa vota quæ emiserunt pia sint, & honesta, & illos obligent, etsi non vt solemnia, saltem vt simplicia non video cur permitti non possint. Fatendum tamen est post tempora Pij V. huiusmodi Congregationes virorum Regularium formam præseferentium sine solemni professione sub aliqua ex Regulis approbatis abolitas, & sublatas esse, vt patet ex Bulla *Lubricum vitæ* anno 1568. edita quæ est in 2. tomo Bullar. inter Bullas huius Pontificis *num.* 76. Portellus *in Dub. Regul. v. Tertiarij in addit. num.* 4. aduertens bene hanc Pij V. Constit. solum de Congregationibus virorũ, non de congregationibus fœminarum loqui.

7 Tertiarij autem tertij generis (de quibus principaliter hic est sermo) non sunt veri Religiosi, tam de viris, quam de fœminis loquendo. Ratio euidens; est quia non promittunt tria vota essentialia Religionis, & sine quibus Religio non stat, iuxta dicta *tom.* 1. *cap.* 2. *num.* 1. Casarubius *in Compend. verbo Tertiarij.* Rodriguez *tom.* 3. *quæst. Regul. q.* 72. *art.* 2. Glossa *in Clement. de sent. excommunicat. cap. ex eo &* Glossa *in Clement. de Religiosis domibus in 6. ver. obedientia*, & alij.] Et ita sibi, & non congregationibus, in quibus sunt, acquirere possunt. Angelus *verb. Religiosus num.* 53. Syluester *verb. Religio* 6. *q.* 1. *dict.* 2. Vnde nec modus iste viuendi potest appellari Religio, quia Religio denotat religationem per tria vota. Potest tamen appellari Ordo, quia Ordo prout in præsenti solum significat modum viuendi ordinatum sub certis Regula, & ceremoniis, quæ huic modo viuendi competunt, cum sit sub regula, & Ceremoniis religionis, & ita nomine Ordinis à pluribus Summis pontificibus appellatur, vt videre est in aliquibus ex referendis. Carillus *lib.* 3. *de Tertiariis c.* 5. Portell. *in dub. Regul. verb. Tertiarij n.* 4. Ioannes Silu. *in tr. de Tertiariis Carmelitarum.* Imo talis viuendi modus appellari potest Ordo approbatus ab Ecclesia. Est enim approbatus à Summis pontificibus, præsertim Nicolao IV. pro Tertiariis Ordinis Minorum, Innocent. VII. pro Tertiariis Dominicanorum, Martino V. pro Seruitis, Eugenio IV. & Martino V. pro Tertiarijs Augustinianis, Sixto IV. pro Tertiariis Carmelitarũ, & Iulio II pro Tertiariis Minimorum. Portellus *vt supra.* Addere etiam possumus modum viuendi illorum Tertiariorum, qui vnum vel duo vota emittunt, de quibus infra, quamuis simpliciter status religiosus dici non possit, aliquo tamen modo lata scilicet significatione, & analogicè religiosum dici posse, quatenus imperfectè, & incompletè rationem status religiosi participant. Suarez 3. *tom. de Relig. lib.* 2. *cap.* 2. *num.* 17. *&* 18. vbi specialiter loquitur de illis mulieribus Tertiariis quæ in Hispania Beatæ vocantur. Ioannes Silueira *in tract. de Tertiariis Carmelitarum* Vide dicta *tom.* 1. *cap.* 3. *num.* 22. & nota eos Tertiarios, quos eo loco dixi esse veros religiosos si tria vota essentialia sub obdientia Prælatorum emittant, esse illos de quibus supra *num.* 1. *&* 5. est dictum.

8 Habent facultatem addmittendi, seu recipiendi huiusmodi Tertiarios Ordines Mendicantes, & primo Minores. Nam S. Franciscus huius Sacri Ordinis Patriarcha instituit Fratres, & Sorores tertij Ordinis, eiusque Regulam præscripsit Nicolaus IV. Pontificatus sui anno 2. in Bulla *Super montem*, quam refert Casarubius *in fine Compend. priuil. Mendicant. fol. mihi* 563. & habetur in 1. tom. Bullar. inter Bullas huius Pontificis numero 2. Et quamuis ipse Casarub. *in Compend. verbo. Tertiarij num.* 24. §. *sciendum est vlterius* dicat quod solus S. Pater Franciscus Fratres, & sprores tertij Ordinis, seu de pœnitentia instituerit, vt propterea de eo canat Ecclesia. *Tres Ordines hic ordinat, &c.* alij tamen etiam hoc tribuunt S. Dominico, vt dicetur inferius, & dicunt eo solum illa de B. Francisco dici ab Ecclesia quia ipse primus omnium fuit, & S. Dominicus ad ipsius imitationem. Corduba *in annotation. ad Compend. priuil. Mendic.* §. *Quoad vltimum notabile.* Hæc autem Regula à Sancto Francisco tradita Tertiariis secularibus est, quam postea Leo X. anno millesimo quingentesimo vigesimo primo Bulla *Inter cætera* aliis Tertiariis Sancti Francisci, qui verè Religiosi sunt, aptauit, & accommodauit, vt dixi *numero primo*, Posse autem religiosos Minores tales Tertiarios recipere, seu admittere supponunt communiter Summi Pontifices in suis Bullis, specialiter inferius afferendi, videlicet Bonifac. VIII. Eugenius IV. Martin. I. & Sixtus IV. Quibus iunge Gregor. IX. Innoc. VIII. Iulius II. Alexand. VI. & Leonem X. apud Casarub. *in Compend. priuil. Mendic. v. Tertiarij Fratres*, licet forsan aliqui horum solum loquantur de Tertiariis verè religiosis Ordinis Minorum, de quibus n. 1. dictum est.

Patres etiam Dominicani Tertiarios vtriusque sexus Fratres, & Sorores de pœnitentia nuncupatos habent, ac facultatem eos recipiendi, ac admittendi, imo vt dicitur S. Dominicus ipsorum Patriarcha etiam tertium Ordinem tertiariorum instituit. S. Antonin. 3. *p. histor. tit.* 23. *cap.* 14. §. 2. Corduba *in Annot. ad Compend. priuileg. Mendic.* §. *quoad vltimum notabile.* Rodrig. *tom.* 3. *q. Regul. q.* 72. *art.* 2. Vnde de tertiariis Ordinis Prædicatorum loquuntur Bonifac. VIII. Eugen. IV. Mart. V. Nicolaus V. & Sixt. IV. referẽdi inferius, specialiter Sixt. IV. in Bulla *Sacrosancta* annd 1475. & in Bulla *Iniunctum nobis* anno 1478. apud Confettium *in Collect. litter. Apostol. Mendicant. in Sixto IV. n.* 8 *&* 10. supponit in dicto Ordine esse tertiarios vtriusque sexus. Maximè Innoc. VII. in Bulla *Sedis Apost.* quæ est vnica in Bullario Laertij tom. 1. vbi Regulam pro Fratribus, & Sororibus 3. Ordinis S. Dominici approbat. 9

Augustiniani etiam Patres Tertiarias habent, ac facultatem illas admittendi, & recipiendi ad instar Mantellatarum, seu Pinzocherarum Ordinum Minorum, & Prædicatorum, ex Bonifacio IV. Eugenio IV. & Martino V. Rodriguez *tomo tertio quæstionum Regularium quæst. septuagesimasecunda articulo tertio.* quorum Bullæ habentur in nostro Mari magno Bulla 41. 42. & 43. Idem colligitur ex Iulio II. in Bulla *Præ cæteris* apud Laurentium Empoli *in Bullar. Eremitar. Sancti Augustini in Iulio II. Constitut.* 7. Maximè ex Sixto IV. in Mari magno ipsorum *in prædicto Bullario in Sixto IV. Constitut.* 5. Aduertit tamen ipse Rodriguez ibidem se non inuenire in priuilegiis Eremitarum D. Augustini, aut Carmelitarum, habere Tertiarios vtriusque sexus, sed solum fœminas. Verum tamen quoad Carmelitas attinet valde decipitur, constat enim ex Sixto IV. in Bulla *Cum attenta* anno 1476. cuius verba relata sunt *tom.* 1. *cap.* 3. *numero* 22. & iterum postea referentur, posse recipere quascumque mulieres, & vtriusque sexus personas. Quod attinet autem ad Patres Augustinianos, licet aliud non extaret, quam quod in dicta 10

Bulla

Bulla Sixti IV. conceditur Carmelitis priuilegium, scilicet recipiendi personas vtriusque sexus, cum hoc dicat Pontifex se concedere *ad instar Mantellatarum, seu Pinzocherarum, aut Fratrum de pœnitentia tertij Ordinis Ordinum Fratrum Minorum, & Prædicatorum, necnon Eremitarum S. Augustini*, supponere videtur etiam Augustinianos Patres habere Fratres de pœnitentia, & vtriusque sexus tertiarios. Video tamen pro illis clarius priuilegium extare Pauli II. anno 1470. qui Generali, Prouincialibus, ac prioribus congregationis Lombardiæ eiusdem Ordinis in Bulla *Exposcit vestræ* concessit facultatem exhibendi viris Mantellum, seu habitum mantellatum nigri coloris, & habitui Fratrum eiusdem Ordinis in colore conformem, ad instar aliorum Ordinum. Ioannes Baptista Confettius *in Collectan. litterarum Apostolicarum in Paulo II.* vbi etiam refertur Innocent. VIII. viuæ vocis oraculo concessisse Frat. Benigno de Ianua Vicario Generali eiusdem Congregationis, vt huiusmodi Mantellati, seu Mantellatæ sola latione Corrigiæ priuilegiis eiusdem instituti potirentur. Id etiam colligitur ex Mari magno eorumdem Patrum apud Confertium *in Collect. Litterar. Apostol. Mendic. in Sixto IV. num 29.* & in Bullario Empoli relato vbi vtens hac voce *Mantellatæ personæ coniugatæ*, quæ etiam ad viros extenditur, innuere videtur de Tertiariis vtriusque sexus loqui.

11 Carmelitani etiam nostri facultatem eamdem habent admittendi, & recipiendi ad habitum Ordinis prędictos Tertiarios Fratres & Sorores, vtriusque sexus. Nam quod attinet ad mulieres, id constat ex Nicolao V. in Bulla *Cum nulla fidelium* quam refert Ioannes Baptista Confettius *in Collectan. Litterarum Apostolicar. & priuileg. Regular. Mendicant. in Nicolao V. Bulla 1.* vbi sic ad intentum. *Ne Conuentus Religiosarum Virginum, Viduarum, Beguinarum, Mantellatarum, aut aliquæ particulares, ex iis sub habitu, & protectione Ordinis Beatissimæ Dei Genitricis, semperque Virginis Mariæ de Monte Carmeli degentium, aut quæ in posterum offerentur absque Apostolicæ auctoritatis munimine viuere videantur; harum tenore præsentium decernimus, vt Ordo præfatus, ac eiusdem Ordinis Magister Generalis, & Priores Prouinciales circa præfatarum receptionem, vitæ modum, admissionem, & protectionem illis eisdem, & prorsus similibus priuilegiis gaudeant, quibus Ordines Prædicatorum, & Eremitarum S. Augustini gaudent, & vtuntur. Dummodo Virgines, Viduæ, Beguinæ, Mantellatæ prædictæ continenter, & honestè viuant, ieiunentque, ac omnia alia faciant, & obseruent.* Hæc ibi. Quod verò attinet non solùm ad mulieres, sed etiam ad personas vtriusque sexus id constat ex Bulla Sixti IV. *Dum attenta*, superius relata vbi sic ad intentum. Et vt Virgines, & Viduæ, & Coniugatæ personæ, Mantellatæ, seu Pynzocheræ dicti ordinis nuncupatæ prædictæ tanto feruentius iuxta earum viuendi ritum, & morem sub cura, & secundùm instituta dicti ordinis, ac ordinata per Bonifacium IX. in sua obedientia nuncupatum, & Martinum V. ac Eugenium IV. prædecessores prædictos confirmata quoad Moniales Virgines, & Viduas, coniugatas, & Mantellatas Pynzocheras ordinis Eremitarum S. Augustini, & per præfatum Nicolaum V. etiam prædecessorem nostrum quoad omnia, & singula indulta, priuilegia, & Indulgentias Ordinum Prædicatorum, & Eremitarum ad Virgines, Viduas, Coniugatas personas, Mantellatas, Pinzocheras Ordinis Beatiss. Dei Genitricis semperque Virginis Mariæ de Monte Carmeli extensa, & ad quas Virgines, Mantellatas, Pinzocheras dicti Ordinis Beatissimæ Dei Genitricis Mariæ de Monte Carmeli singula priuilegia, & Indulgentias Ordini Minorum concessa, & indulta motu, & scientia similibus quoad omnia extendimus, & extensa volumus, & mandamus. Vt eo attentius diuinis studeant vacare beneficiis quanto maioribus priuilegiis, & fauoribus prædictæ Sedis cognouerint se fore refectas motu, scientia, & auctoritate prædictis volumus, & eisdem personis concedimus quod omnibus, & singulis priuilegiis, immunitatibus, fauoribus, gratiis, & indultis in spiritualibus, & temporalibus prædictis Ordinibus, videlicet, Prædicatorum, Minorum, & Eremitarum Sancti Augustini, & eorum Fratribus, & pro Fratribus Beatissimæ Dei Genitricis, semperque Virginis Mariæ de Monte Carmeli concessis, & concedendis, & quibus illi in genere quomodolibet potiuntur, & gaudent, tam in vita, quam in mortis articulo etiam circa peccatorum remissionem, & iniunctarum pœnitentiarũ relaxationem vti, potiri, & gaudere, ac participes esse possint, & debeant. Liceatque Fratribus prædictis eisdem Pynzocheris, & Mantellatis personis in earum etiam domibus quoties opus fuerit confessionibus diligenter auditis de absolutionis beneficio prouidere, & Eucharistiæ, ac extremæ vnctionis Sacramenta ministrare, & dum eos, vel eas decedere contigerit, illarum cadauera ad eorumdem Fratrum Ecclesias tumulanda deferre, etiam Ecclesiarum Parochialium personarum eorumdem Rectorum licentia desuper minimè requisita, & contradictione quacumque non obstante. Et ne oblati, & oblatæ eiusdem Ordinis suorum iure deuotionis ad Ordinem ipsum frustentur effectum, omnia, & singula circa Fratres, & Sorores, & Mantellatas, seu Pinzocheras nuncupatas personas prædictas in præsentibus litteris statuta, concessa, & ordinata, aut illis, & Fratribus prædictis in eorum commodum, & fauorem indulta ad easdem dicti Ordinis nunc, & pro tempore oblatas, & commissas vtriusque sexus personas, eisdem scientia, & motu, & auctoritate extendimus, & ampliamus, ac in eis locum habere debere perinde ac si pro eisdem oblatis, & commissis personis, & circa illas emanassent decernimus, volumus, & ordinamus. Hæc ibi. In quibus si expendantur verba illa *coniugatæ personæ*, & iterum *coniugatas personas*, & postea *Mantellatis personis*, quæ vtriusque sexus personas indicant, maximè cum postea subiungatur, *& dum eos, vel eas decedere contigerit*, sufficienter denotat se loqui de Tertiariis vtriusque sexus. Ad tollendum tamen omne dubium, & scrupulum in sequentibus verbis eiusdem Bullæ clarius exprimit se loqui de Tertiariis tam viris, quam fœminis. [Statuentes præterea Apostolica auctoritate, & præsentium tenore concedentes volumus, & ordinamus quod de cætero perpetuis futuris temporibus tam magistro Generali quam cuilibet dicti Ordinis Officiali, Prioribus dicti Ordinis secundum morem, & instituta eiusdem Ordinis in quibuscumque Prouinciis constitutis tam præsentibus, quam futuris sit licitum, ac permissum quascumque mulieres, & vtriusque sexus personas si alias sint idoneæ, & aliud Canonicum non obsistat, quæ habitum Regularem prædicti Ordinis ad instar Mantellatarum, seu Pinzocherarum, aut Fratrum de pœnitentia tertij Ordinis Ordinum Fratrum Minorum, & Prædicatorum, necnon Eremitarum, S. Augustini habere voluerint, & gestare tam Virgines, ac Matronas,

quam Viduas, ac Mantellatas, seu Pinzocheras, & vtriusque sexus personas dicti Ordinis Carmelitarum recipere & admittere ac earum singulis habitum regularem, ac Regulam eiusdem Ordinis Carmelitarum ad instar huiusmodi Mantellatarum, seu Pinzocherarũ vtriusque sexus Ordinum, & vtriusque sexus personarum Ordinum Fratrum Minorum, & prædicatorum, necnon, & Eremitarum S. Augustini præfatorum, prout secundum Deum saluti animarum earumdem personarum salubrius visum fuerit expedire etiam exhibere: quæ sic receptæ, & in posterum recipiendæ auctoritate præfata gaudeant, & gaudere possint, & debeant, tam exemptionis priuilegio quam omnibus immunitatibus, libertatibus, Indulgentiis, & aliis priuilegiis quibuscumque præfato Ordini Beatæ Dei Genitricis Mariæ de Monte Carmeli eiusque Fratribus, ac personis per Sedem Apostolicam iam concessis, & quæ in posterum concedentur, quatenus huiusmodi exemptionis priuilegium, immunitates, libertates, Indulgentiæ, ac quæcumque alia priuilegia ipsis Prioribus, & Fratribus Ordinis de Monte Carmeli competunt, vel competere possunt, seu poterunt, & Priores, & Fratres, ac loca ipsa esse capacia, eorumdem Constitutionibus Apostolicis, ac statutis, & consuetudinibus tam vestri, quam aliorum Ordinum quorumcumque, & aliis contrariis non obstantibus quibuscumque.] Habetur hæc Bulla in Mari magno Ordinis (imò ipsa est Mare magnum) & in Bullario Rodriguez *num.* 37. ita vt mirum sit ipsum loco superius relato dixisse se non inuenisse in priuilegiis Carmelitarum habere. Tertiarios vtriusque sexus, cum constet hoc ex eadem Bulla Sixti IV. quam ipse affert. Vnde propterea sic nouissimè causa vtrinque agitata, & sententia data pronunciatũ est an. 1635. die 13. Aprilis Vlissipone ab Illustriss. Laurentio Tramalo Collectore Generali Lusitaniæ decernente sub pœnis excommunicationis, & suspensionis, ac aliis pecuniariis, ne quis attentet publicè negare Carmelitarum Ordinem Tertiarios habere, aut facere posse.

12 Habent etiam Seruitarum Ordinis Patres Tertiarios, seu Sorores, vt colligitur ex Paulo II. in Bulla *Exposcit vestræ*; Augustinianis Congregationis Lombardiæ concessa, de qua supra *num.* 10. ibi enim id supponitur. Similiter id colligitur de Tertiariis vtriusque sexus ex Leone X. in Bulla *Dudum per nos.* ann. 1519. edita, vbi Fratres omnes Mendicantes, inter quos Seruitas recenset, etiam quoad personas vtriusque sexus de pœnitentia æquales esse in priuilegiis concedit. Confettius *in Collectan. Litterarum Apostolicarum Mendic. in Leone X. Bulla* 18. Maximè id constat ex Martino V. in Bulla *Sedis Apostolicæ, quæ est in Appendic. ad Bullarium inter Constitutiones huius Pontificis. num.* 1. Vbi approbat Regulam pro Fratribus, & Sororibus tertij Ordinis Seruitorum B. Mariæ Virginis. De qua plura in sequentibus afferentur. Vide Bullam loco relato.

13 Item Minimorum S. Francisci de Paula Religio suos Tertiarios vtriusque sexus habet, vt constat ex Iulio II. in Bulla *Dudum ad sacrum.* anno 1506. edita, quæ habetur apud Peirinis *tom.* 1. *priuileg. Minim.* & ex forma professionis eorumdem viuæ vocis oraculo ab eodem Iulio comprobata, etiam apud eumdem Peirinis *ibid.* Item ex Leone X. in Bulla *Ea quæ* an. 1513. edita apud eumdem etiam Peirinis, vt supra *inter Bullas Leonis X. num.* 1. Miranda *in man. tom.* 1. *quæst.* 36. *art.* 2.

14 Possunt etiam huiusmodi Tertiarij Religionum Fratres, aut Sorores tertij Ordinis nuncupati. Tum propter dicta *tom.* 1. *cap.* 3. *num.* 22. Tum specialiter quoad Minimorum Ordinem quia in Bulla Iulij II. relata exprese nominatur hæc Congregatio tertiariorum Tertius Ordo Minimorum, tum denique quoad nostros Carmelitanos, Eremitas S. Augustini, & alios habentes tertiarios, non solùm propter communicationem priuilegiorum, sed etiam quia tota ratio, quare in Ordine Minorum, Prædicatorum, & Minimorum reperitur tertius Ordo est quia in illis est Ordo virorum, seu Fratrum Religiosorum, Ordo fœminarum Religiosarum, seu Monialium, & Ordo Laicorum qui Regulam dicti Ordinis suo modo obseruant, quæ omnia etiam procedunt in Ordinibus Carmelitarum, & Eremitarum Sancti Augustini.

Profitentur huiusmodi Tertiarij aliquam Regulam ab Ecclesia approbatam. Nam tertiarij Minorum profitentur Regulam à Nicolao IV. illis concessam de qua *supra num.* 8. Tertiarij Prædicatorum Regulam ab Innoc. VII. approbatam in Bulla supra *num.* 9. relata. Tertiarij Eremitarum S. Augustini, Regulam, vt puto S. Augustini illis accommodatam, & applicatam. Tertiarij Carmelitarum Regulam ipsorum à B. Alberto, Hierosolymitano Patriarcha traditam, & ab Innocent. IV. Eugenio IV. & aliis Pontificibus confirmatam: hoc enim concessit Sixtus IV. in verbis relatis *num.* 11. illis, scilicet, *ac Regulam eiusdem Ordinis Carmelitarum, &c. exhiere.* Tertiarij Minimorum Regulam S. Francisci de Paula à Leon. X. in Bulla *Dudum ad Sacrum* de qua supra *num.* 13. confirmatam. Ac tandem tertiarij Ordinis Seruitarum Regulam à Martino V. pro illis approbatam, quæ habetur, vt dixi in Appendic. Bullarij Laertij Cherubini inter Constitutiones ipsius *num.* 1. Quibus Regulis etiam adiunguntur particularia statuta, & ordinationes à prælatis Religionum pro prædictis Tertiariis facta, quæ statui sæcularium, & Ordini aliquo modo Religioso, vel quasi Religioso, quem profitentur apta, & accomodata censentur. 15

Habent etiam prædicti tertiarij habitum ordinum quorum sunt tertiarij, non quidem eumdem omnino, sed similem, ad denotandum eos etsi sæculares, illorum tamen ordinum tertiarios esse. Primò enim Tertiarij Minorum habent habitum à Nicolao IV. in Bulla *Super montem* relata vbi *cap.* 3. sic habetur. [Fratres insuper ipsius fraternitatis, de humili panno in pretio, & colore, non prorsus albo, vel nigro communiter vestiantur, nisi fuerit ad tempus in pretio per visitatores de consilio Ministri ob causam legitimam, & apertam, cum aliquo dispensatum; Chlamydes quoque ac pelles absque scolaturis, scissas, vel integras, affibulatas tamen vel patulas, vt congruit honestati, clausasque manicas Fratres habeant supradicti. Sorores etiam chlamyde induantur, & tunica de huiusmodi humili panno factis, vel saltem cum chlamyde habeant guarnellum seu placentinum coloris albi, vel nigri, aut paludellum amplum de canabo, siue lino absque vlla crispatura consutum. Circa humilitatem verò panni, & pellitones Sororum ipsarum, iuxta conditionem cuiuslibet eorumdem, ac loci consuetudinem poterit dispensari. Bindis, & ligaturis sericis non vtantur, pelles dumtaxat agninas, bursas de corio, & corrigias simpliciter absque serico vllo factas, & non alias, tam Fratres habeant, quam Sorores, depositis cæteris (iuxta B. Petri Apostolorum Principis salubre consilium) vanis huius sæculi ornamentis.] Aduertit tamen 16

Casaru

Casarubius *in Compend. priuileg. Mendicant. verb. Tertiariis* §. *Quo ad primum gradum*, consuetudinem, vel potius corruptelam interpretasse in diuersis prouinciis, & Regnis diuersas formas habitum. Vide Rodriguez *tom.3. quæst. Regul. quæst.72. artic.4.* Dominicanorum etiam Tertiarij habitum habent præscriptum ab Innocent. VII. in Bulla relata *num. 9.* Seruitarum à Martino. V. in Bulla *num.12.* relata. Minimorum autem tertiarij habitum gestant aliquo modo, scilicet quoad materiam, & colorem ipsis Fratribus similem. Augustinianorum tertiariis concessit Paulus II. relatus *supra num.10.* vt Mantellum, seu habitum mantellatum nigri coloris, & habitui Fratrum eiusdem ordinis in colore conformem deferre, & accipere possent, & Innoc. VIII. etiam ibid. relatus declarauit, sola delatione, & retentione corrigiæ, licet habitum Mantellatorum, siue Mantellatarum quem susceperunt, cum licentia prioris non retineant, neque continuè deferant, potiri priuilegiis, &c. ex quo videtur hunc esse proprium habitum horum tertiariorum ordinis S. Augustini. Quia tametsi hoc videtur fuisse viuæ vocis oraculum, vt notat Casarubius *in Comp. verb. Tertiarij n. 29.* ideo his temporibus quando omnia viuæ vocis oracula à SS. D. N. Vrbano reuocata sunt, parum videtur iuuare. De nostris quoque Carmelitarum Tertiariis, cum iuxta Sixti IV. in Bulla *Dum attenta* verbis relatis *num. 11.* habitum Regularem Ordinis nostri suscipere debeant, ideo ipso induuntur, commodato tamen pro ipsis. Vnde proprius ipsorum habitus, meo iudicio, est ille, qui quoad formam similis est sæcularium habitui; quoad materiam tamen, & colorem similis est habitui (non dico Cappæ) Fratrum nostrorum. Quod idem censeo dicendum de Tertiariis aliorum Ordinum. Rodriguez *tom.3. quæst. Regul. quæst.72. art.4.* §. *Quantum autem.* Pro habitu Pynzocherarum vide *infra numero 40.*

17 Proprium etiam modum profitendi habent Tertiarij. Nam Minorum Tertiarij iuxta prædictam Nicolai IV. Regulam promittere debent se diuina præcepta seruaturos, ac etiam satisfacturos, vt conuenit, de transgressionibus, quas contra hunc viuendi modum commiserunt, cum interpellati fuerint, & ad visitatoris voluntatem. Dominicanorum Generali Thomæ de Vio Caietano concessit Iulius II. an. 1509. in Bulla *Considerantes* apud Peirinis *tom.1. priuileg. Minimor. inter Constit. Iulij II. num.13.* quod mulieres prædicti Ordinis, quæ Sorores de pœnitentia nuncupantur, & collegialiter viuunt, si ipsi placuerit, & illæ id cuperent, tria vota Religionis in manus ipsius, aut illorum, quos ad hoc duxerit deputandos emittere licitè valeant. At ex Bulla Innocent. VII. relata peculiarem modum profitendi habent illorum Tertiarij, quo profitentur de cætero viuere secundum formam, & Regulam Ordinis de pœnitentia B. Dominici. Similiter Seruitarum Tertiarij suum, & particularem modum profitendi habent à Martino V. in Bulla relata illis præscriptum. Carmelitarum verò Tertiarij Regulam Ordinis profitentur sicut alij Fratres, & Moniales, eo excepto quòd votum paupertatis non emittunt, sed solum castitatis iuxta eorum statum, & obedientiæ ad Superiores Religionis, eos scilicet quibus prædictorum Tertiariorum cura commissa est. Tertiarij tandem Minimorum sequi debent formam professionis, quam pro ipsis approbauit viuæ vocis Oraculo Iulius II. testante Bernardino Cardinali istius Ordinis Protectore, prout constat ex litteris datis anno 1507. apud Peirinis *tomo 1. priuileg. Minim. inter Constit. Iulij II. num.18.* & est huiusmodi: [Ego N. promitto Deo omnipotenti, totique Curiæ Cœlesti, & tibi Patri, mores meos, ac vitam melius emendare, & Ordinis Minimorum vtriusque sexus fidelium regulæ per S.D.N. Iulium Papam II. confirmatæ salutifera præcepta pro posse obseruare, & Frat. Francisco de Paula, suisque successoribus eiusdem ordinis Minorum Generalibus Correctoribus pro tempore existentibus obedire; necnon prædictæ Regulæ salubribus consiliis, ac monitis me conformare, & prædicti Ordinis honorem, & vtilitatem fideliter procurare.]

Ex quo infertur Tertiarios quosdam vota aliqua simplicia emittere in sua professione, alios non. Vota enim emittunt Tertiarij Carmelitæ (saltem in aliquibus locis) votum, scilicet castitatis iuxta eorum statum, & obedientiæ, vt dictum est, & refert Ioannes Silueria *in tract. de Tertiariis Carmelitarum.* Aliorum verò Ordinum Tertiarij nullum votum propriè, quod sciam, emittunt, sed vel promittunt diuina præcepta seruare, & satisfacere pro transgressionibus, vt faciunt Tertiarij Minorum, quod non est propriè votum, vt Portellus *in Dub. Regul. verb. Tertiarij num. 5.* post alios docet, vel promittunt mores, ac vitam in melius emendare, prout Minimorum Tertiarij, quod etiam proprium votum non inducit, vt testatur Peirinis *num. præced.* relatus, vel denique promittunt de cætero viuere secundum Regulam Religionum, prout faciunt Tertiarij Dominicanorum, & Seruitarum, quod similiter propriè votum non est, vt *num. seq.* dicetur. Non videtur autem necessarium simpliciter, nisi solum ex vsu Ordinis nostri, quòd Tertiarij nostri prædicta duo vota emittant, cum nec alij Tertiarij Prædicatorum, & Minorum id faciant, præsertim cum ita sit declaratum à Sac. Congregatione, vt *infra à num.27.* dicetur. Qualiter autem ad fruendum priuilegiis Religionum ex nouo iure Concil. Lateranensis, & decreto Sac. Congregat. requiratur in fœminis Tertiariis voti castitatis emissio, sicut in viris quod collegialiter viuant, aut cum claustralibus habitent, dicetur etiam ibid. 18

Hinc sequitur qualiter peccent Tertiarij transgressores suæ professionis. Qui enim vota emittunt si contra ea delinquant peccant peccato Sacrilegij, & contra virtutem Religionis, ac tenentur in confessione illam circumstantiam, vt potè nouam speciem malitiæ continentem, confiteri. Hoc enim commune est cuicumque peccato, quod est transgressio voti cuiuslibet. Tertiarij autem, qui nullum votum emittunt in professione si transgrediantur ea quæ promittunt, nullum peccatum committunt. Ratio est, quia etsi vtantur verbo *promitto* illud tamen, tum ex parte intentionis Pontificum hunc modum viuendi approbantium, tum ex parte Prælatorum Ordinum in quorum manibus fit hæc professio non inducit obligationem ad culpam. Quare illud *promitto*, vel idem valet ac *propono*, vel si aliquo modo promissionem indicat, solum est promissio quædam communis, & generalis similis illi, quam in Baptismo omnes faciunt non peccandi, quæ non inducit specialem obligationem. Portel. *in Dub. Regul verb. Tertiarij num.5.* Peirinis *tomo 1. priuil. Minim. in Constit. 18. Iulij II.* §. 2. 19

Vnde quamuis obligatio Regulæ respectu Religiosorum aliquam culpam saltem venialem inducat, iuxta dicta *tomo.1. cap.7.* respectu tamen Tertiariorum 20

tiariorum nullam culpam inducere videtur. Propter dicta *num. praeced.* Et ideo Regula Nicolai IV. pro Tertiariis Minorum nec etiam ad veniale obligat illos. Nam etsi Pontifex in ea declaret non obligare ad mortale, & nihil dicat de veniali, credo tamen ita fuisse receptam, vt nec ad veniale obliget, prout indicat Portell. *num. praecedenti*, & relatus Barbosa *in Collectan. Bullar. verbo Fratres, & Sorores Tertiorum Ordinum.* Idem exprimitur clarè ab Innocent. VII. in Regula pro tertiariis Dominicanorum, à Martino V. in Regula pro Tertiariis Seruitarum. Idem dico. De Tertiariis nostri Ordinis, eo quòd ad instar Tertiariorum Praedicatorum, & Minorum approbentur à Sixto IV. De Tertiariis Minimorum hoc etiam dicit Peirinis *num. praecedenti* adductus. De Tertiariis quoque Augustinianorum etsi id mihi non constet, puto idem esse dicendum. Declarant tamen Innocent. VII. & Mart. V. in Regulis relatis, imò & Nicolaus IV. etiam in Regula adducta obligari Tertiarios ad sustinendam poenam illis infligendam à Superioribus, propter transgressiones Regulae, quod idem dicendum de aliis Tertiariis.

21 Facienda est huiusmodi Tertiariorum, siue virorum siue foeminarum professio in manibus alicuius Superioris eorum Ordinum, vel habentis à Superiore aliquo auctoritatem. Vnde in Regula Nicolai IV. pro Tertiariis Minorum *cap.* 2. hoc munus dicitur pertinere ad Ministros ad receptionem talium deputatos in Bulla etiam Sixti IV. vbi de nostris Tertiariis verbis adductis *supra num.* 11. manifestè supponitur id munus pertinere ad Superiores ordinis, quod idem dicendum de Tertiariis. Praedicatorum, Augustinianorum, & Seruitarum, ac ita exprimitur in Bullis Innoc. VII. & Martini V. relatis. Fauet etiam decretum Sac. Congregationis Episcoporum, & Regular. afferendum infra vbi dicitur de Tertiariis. *Ad habitum admittantur à Superioribus Regularibus* (Capuccinis exceptis) *ad id priuilegium habentibus.* Etsi enim expressè in his locis non fiat sermo de professione, sed de admissione, quia tamen principalior admissio fit in professione, ideo de illa videntur intelligenda.

22 Praecedere etiam debet professionem Tertiariorum aliquod tempus probationis ad modum Nouitiatus. Sic enim decernitur in praed. Regula Nicolai IV. pro Tertiariis Minorum *post vnius anni spatium cum aliquorum Fratrum consilio recipiatur, &c.* & colligitur idem esse dicendum de tertiariis aliorum Ordinum, tum quia illi sunt ad instar Tertiariorum Ordinum Minorum, tum quia cum in Bullis Pontificiis quibus conceditur praelatis facultas recipiendi Tertiarios dicitur, vel supponitur illos debere esse personas idoneas, & pro talibus habitas, videtur quasi iure naturae necessarium aliquod tempus ad iudicandum de idoneitate illorum. Inter huiusmodi qualitates pro Tertiariis requisitas computandae sunt illae, quas Sac. Congregatio Episcoporum, & Regularium designauit an. 1616. de quibus *infra num.* 29.

23 Infertur autem ex dictis huiusmodi Tertiarios, siue tertiarias, de quibus in praesenti, si ab eo statu recedunt etiam in perpetuum, siue habitum deferentes, siue Matrimonio se copulantes non esse Apostatas. Quia apostasia est recessus à statu verè Religioso, horum autem status Religio non est, nec vt talis ab Ecclesia approbatus. Bannez 2. 2. *quaest.* 12. *art.* 1. *dub.* 1. *concl.* 1. Sanchez *lib.* 6. *in decalog. cap.* 8. *num.* 6. Peccabunt tamen tum contra votum simplex castitatis si illo emisso Matrimonium contraxerunt, tum in dimissione habitus, si illum in professione facta semper gestare promiserunt.

Infertur etiam ex dictis valdè multumque differre hoc institutum Tertiariorum à Congregationibus, seu Confraternitatibus de quibus *cap. sequenti.* Nam Tertiariorum institutum est Ordo sub certis Regula, & ceremoniis ab Ecclesia approbatis, Confraternitatum autem, seu Congregationum institutum Ordo non est, cum non sit sub certa Regula, aut Ceremoniis ab Ecclesia approbatis, licet enim ex facultate à Pontificibus emanante instituantur, & aliquae conditiones pro earum institutione, & conseruatione à Pontificibus etiam assignentur, *vt cap. seqq.* dicetur, illae autem non sunt Regula aliqua ex approbatis ab Ecclesia, sed mera statuta. Differunt etiam in professione, nam Tertiarij veram professionem, vel aliquorum votorum, vel saltem seruandi communia praecepta, vt dictum est, emittunt, non sic confratres. Tertiò differunt ex parte habitus, nam regulariter loquendo (vt omittamus abusus qui in hoc casu saepius videntur) habitus Tertiariorum est quasi ipsemet habitus illius Ordinis, cuius sunt Tertiarij, accommodatus, & aptatus modo saeculari, habitus verò Confratrum non est tam habitus, quàm signum habitus illius Ordinis. Confratres enim Confraternitatis Carmelitarum solum habent pro habitu paruulum scapulare Ordinis occultum, Tertiarij autem habitum, seu scapulare publicè gestant oblongum, imò tota ipsorum vestis similis esse debet habitui Religiosorum, saltem in colore, & materia. Vnde de Tertiariis, ac Confratribus loquuntur Pontifices, ac de hominibus diuersorum institutorum, vt patet ex Iulio II. in Bulla *supra num.* 10. relata, vbi de Ordine S. Augustini loquens dicit in eo esse quatuor gradus, videlicet, Fratrum, Monialium, Mantellatarum, & sola zona praecinctorum, per Mantellatas Tertiarias intelligens, per zona praecinctos absque dubio Confratres. Idem habet Leo X. in alia Bulla in praedicto Bullario Eremit. S. Augustini *in Leone X. num.* 1. Idem etiam supponunt communiter auctores de Tertiariis, ac Confratribus, tamquam de diuersis hominum generibus loquentes, vt patet inter alios in Ioanne Baptista Confertio *in Summ. declar. priuil. Maris magni cap.* 15. *&* 16. 24

Nihilominus simpliciter, & absolutè dicendi sunt Tertiarij personae saeculares non Ecclesiasticae, sic enim supponunt Pontifices dum eorum Congregationem, seu Ordinem, saecularium, vel Laicorum appellant; Vt sunt Paulus II. in Bulla *Exposcit vestra num.* 10. relata, & Leo X. in Concilio Lateranensi ex Bulla inferius *n.* 27. referenda, vbi eos ad onera quae Laicis incumbunt perferenda teneri, & in foro saeculari coram iudicibus saecularibus conueniri posse declarauit, quod non fecisset, si eos personas Ecclesiasticas dici posse iudicaret. Imò hoc videtur fuisse intentum SS. Francisci, & Dominici qui hoc institutum saltem sub nomine Tertiariorum primi erexerunt, vt scilicet esset Congregatio quaedam Laicorum, quae suo etiam modo ad perfectionem tenderet, sicut tendunt Religiosi. Casarubius *in Compend. priuileg. Mendicant. verbo Tertiarij num.* 24. §. *quoad primum gradum.* Quo tamen non obstante inconueniens non est dicere Tertiarios posse appellari personas Ecclesiasticas secundum quid, & aliquo modo, tum quia annexae sunt Ordinibus à Sede Apostolica approbatis. Tum quia eorum institutum est Ordo, vt dictum est *sup. n.* 7. imò & Ordo approbatus, vt ibidem etiam dictum manet, 25

manet, tum quia mutant habitum, & statum, ac traditam sibi Regulam approbatam obseruant, ac aliqua, & multa participant de statu Religioso. (Rodriguez *tom. 2. quæst. 65. art. 5.*) ad modum quo supra eodem *num. 7.* dictum est Pinzocheras, seu Beatas vnum, vel duo vota emittentes in lata significatione, & analogicè Religiosas dici posse, vt habet Suarez loco citato, tum quia illos appellare videtur Ecclesiasticas personas Sixti IV. in Bulla *Sacrosancta* pro Tertiariis Dominicanorum edita apud Ioan. Baptist. Confertium *in Collectan. Litter. Apost. & priuil. Regul. in Sixto IV. num. 8.*

26 Quamuis autem plura ipsis ab Ecclesia, & Summis Pontificibus antiquitus concessa sint, priuilegia, & immunitates, nam Sixt. IV. verbis adductis *supra num. 11.* nostris Tertiariis concessit, [vt gaudere possint, & debeant tam exemptionis priuilegio quam omnibus immunitatibus, libertatibus, Indulgentiis, & aliis priuilegiis quibuscumque præfato Ordini B. Dei Genitricis Mariæ de Monte Carmeli, eiusque Fratribus, ac personis per Sedem Apostolicam iam concessis, & quæ in posterum concedentur, quatenus huiusmodi exemptionis priuilegium, immunitates, libertates, Indulgentiæ, & quæcumque alia priuilegia ipsis Prioribus, & Fratribus Ordinis de Monte Carmeli competunt, vel competere possunt, seu poterunt, & Priores, & Fratres, ac loca ipsa esse capacia.] Idemque ferè pro Augustinianorum Tertiariis conceditur à Paulo II. in Bulla *Exposcit vestræ. supra num. 10* relata, & à Sixto IV. in Bulla *Dum vberes* an. 1474. edita apud Confettium *in Collect. litterar. Apostolic. & priuileg Mendicant. in Sixto IV. num. 20.* & ante illos à Bonifac. IX. Martino V. Eugenio IV. vt habetur in nostro Mari magno Bulla 41. 42 & 43. licet solum loquantur de Tertiariis fœminis, & pro Fratribus, & Sororibus tertij Ordinis Prædicatorum à Sixt. IV. in Bulla *Sacrosancta* de qua *supra num. præced.* idem videatur concedi quoad priuilegia, & immunitates tam fori, quàm personarum, & rerum. Pro Minorum etiam, & eorumdem Prædicatorum Tertiariis vtriusque sexus extat concessio in Bulla aurea, vt gaudeant eisdem priuilegiis concessis, & concedendis ipsismet Ordinibus. Vide Casarubium *in Compend. priuileg. Mendicant. verbo Tertiarij num. 9. &* Cordubam *in annotationibus ad Compend. ver. Tertiarij.* Quod etiam extendi videtur ad Minimos cum ipsi ex Iulio II. in Bulla *Dudum ad sacrum* anno 1506. edita amplissimam communicationem Priuilegiorum Mendicantium habeant.

27 Nihilominus Leo X. in Concilio Lateranensi, & Sacra Congregatio Concilij anno 1608. & Sac. Congregatio Episcoporum, & Regularium anno 1616. prædicta priuilegia moderati sunt. Etenim dictus Leo X. in Bulla *Dum intra mentis* data in publica sessione in Lateranensi Ecclesia celebrata die 19. Decembris anno 1516. quæ habetur in 1. tomo Bullar. inter Bullas Leonis X. *num. 22.* dum priuilegia Mendicantium moderatur sic de Tertiariis loquitur. *Fratres autem, & Sorores tertij Ordinis, necnon Mantellati, Corrigiati, Pinzocoræ, Cordellati, & alij quocumque nomine nuncupati in propriis domibus habitantes, sepulturam vbi voluerint eligere valeant. Sed die Paschatis tantum, Eucharistiam, necnon extremam vnctionem, cæteraque Ecclesiastica Sacramenta (pœnitentiæ Sacramento dumtaxat excepto) à proprio Sacerdote recipere, & ad onera, quæ Laicis incumbunt, perferenda teneantur, ac in foro sæculari coram Iudicibus sæcularibus conueniri possint. Et ne censura vilescat Ecclesiastica, & minoris auctoritatis interdicti sententia reputetur, iidem dicti tertij Ordinis, ad diuina audienda, in Ecclesiis suorum Ordinum tempore interdicti nullatenus admittantur, si causam dederint interdicto, vel causam ipsam nutriant, seu foueant, aut dantibus, auxilium, consilium, vel fauorem quoquo modo præstiterint. Collegialiter autem viuentes, seu cum Claustralibus habitantes, ac mulierem virginalem, seu cœlibem, aut castam vidualem, expresso voto, & sub dicto habitu vitam ducentes, priuilegiis quibus fratres Ordinis cuius tertiæ Regulæ habitum gestant, gaudere debeant.*

Quale autem futurum sit illud votum mulierum de quo locutus fuerat, videlicet, an solemne, an verò simplex, quia de hoc dubium emergebat, declarat in alia Bulla *Nuper in sacro* in eodem loco Bullar. registrata, & anno 1518. edita. *Quo de voto solemni Religionis minimè intelligi debeat, ita vt mulieres virginalem, aut Cœlibem vitam simpliciter viuentes, etiam in consanguineorum, & affinium suorum, aut propriis domibus, vel seorsum habitantes, priuilegiis, & immunitatibus prædictis in omnibus, & per omnia frui, & gaudere debeant.* Sed quia non obstante tali declaratione adhuc vertebatur in dubium, an sub illo voto simplici castitatis includerentur alia duo, scilicet obedientiæ, & paupertatis, & dato quod non includerentur, an reuocatum esset priuilegiū illud exemptionis à Leone X. concessum per Bullas Pij V. *Ea est officij nostri, in 2. to.* Bullar. in Pio V. *num. 63.* vbi Fratrum, & Sororum tertij Ordinis reformatio habetur, & Greg. XIII. quæ incipit *ex benigna*, quam refert Confertius *in Collect. Litter. Apost. & priuil. Mendic. inter Constitutiones Greg. n. 7.* ideo ad Papam negotium deductum est, & eius solutio remissa Sacræ Congregationi Concilij, quæ respondit sub an. 1608. Fratres Tertiarios, Mantellatos, Corrigiatos, aliosque similes ita demum Ordinis, cuius tertiæ Regulæ habitum assumpserunt, priuilegiis potiri, & ab Ordinarij iurisdictione exemptos esse si viri collegialiter viuant, seu cum claustralibus habitent, & mulieres virginalem, seu cælibem, aut castam vidualem expresso voto, sub dicto habitu vitam traduxerint. Quemadmodum cauetur Constit. Conc. Lateranen. sub Leone X. quæ habetur *sess. 11.* in fine. Hoc autem mulierum voto alia duo scilicet paupertatis, & obedientiæ nequaquam includi. Quinimò huiusmodi mulieres si vitam Virginalem, aut cœlibem simpliciter expressèque vouerint, etiam in consanguineorum, & affinium suorum, aut propriis domibus, vel seorsum habitantes, supradictis priuilegiis Ordinis, cuius tertiæ Regulæ habitum deferunt exemptioneque ab Ordinarij iurisdictione frui debere, quemadmodum idem Leo postea declarauit Cōstitutione edita 1. Martij anni 1518. Quod si Fratres, Sororesve tertij Ordinis quid amplius prætendunt vigore consuetudinis posse ius suum prosequi in iudicio ordinario. Hæc ibi. Sosa *in tract. profess. Tertiar. pag. 202.* Peirinis *tom. 1. priuil. Minim. in Constit. 4. Sixti. IV. §. 7. num. 37. & 38.* 28

Cum autem adhuc nouæ difficultates orirentur circa prædictorum Tertiariorum priuilegia Sac. Congregatio Cardinalium negotiis Episcoporum, & Regularium Præpositorum octo annis post supradictum decretum, anno videlicet 1616. statuit, iuxta multas eiusdem Congregationis responsiones, non posse Sacerdotes Regulares audire Confessiones Sacramentales mulierum tertij Ordinis quæ de pœnitentia dicuntur, nisi ab ordinario approbati fuerint ad Confessiones sæcularium audiendas, 29

diendas neque posse illas communicare in Paschate. Quoad sepulturam autem, & alia priuilegia, Fratres Tertiarios, & similes ita demum Ordinis cuius tertiæ Regulæ habitum assumpserunt priuilegiis potiri, & ab Ordinarij iurisdictione exemptos esse si viri collegialiter viuant, seu cum claustralibus habitent, & mulieres Virginalem, seu cælibem, aut castam vidualem expresso voto, & sub dicto habitu vitam traduxerint, prout cauetur Constitutione Concilij Lateranensis sub Leone X. quæ habetur *sess.* 11. in fine. Hoc autem mulierum voto, alia duo, scilicet paupertatis, & obedientiæ non contineri, & decedentes sine electione sepulturæ ita demum in Ecclesiis Ordinum sui habitus sepeliantur, si communis sepultura pro ipsis in eis reperiatur, aliasin Parochialibus sepeliantur. Ad habitum admittantur à Superioribus Regularibus, exceptis Capuccinis, ad id priuilegium habentibus. Ad illum autem non admittantur nisi spectatæ vitæ fuerint, & annorum saltem 40. quæ de proprio habeant, vt inde sufficienter viuere possint, & non cum aliis viris, quam cum consanguineis, vel affinibus in primo tantum gradu sibi coniunctis cohabitent, & ab Ordinario loci licentia prius impetrata, qui non aliter eam concedat quam si ei de prædictis qualitatibus diligenti præuio examine constiterit. In habitu verò deferendo omnino abstineant à velo supra caput, quod superiutum vocant, à pectorali, vulgo sotto gola, & à patientia. Supradictis vero decretis mulieres tertij Ordinis, quæ Collegialiter viuunt, non comprehendi, quinimo eas dispositioni Constitutionis Pij V. quæ incipit. *Circa pastoralis* penitus subiacere expresse declarat. Erasmus Cochier *in tract. de iurisdict. Ordinar. in exempt. tom.* 1. *part.* 1. *quæst.* 17. Peirinis *to.* 1. *priuileg. Minim. in Constit.* 4. *Sixti IV.* §. 7. *n.* 39. Barbosa *in Collect. Bull. Verb Tertiariæ, & Tertiarij.*

30 Ex quibus decretis, ac Bulla Leonis X. in Concilio Lateranensi edita plura sequuntur notatu digna his temporibus pro huiusmodi Tertiariis. Primum, tam Papam, Concilium, & SS. Congregationes supponere hos Tertiarios, de quibus loquimur, tripliciter viuere posse, videlicet primo *Collegialiter*, secundo cum *Claustralibus*, tertio *in propriis domibus.* Hi dicuntur *Collegialiter* viuere qui in aliqua communi domo, aut Collegio sub habitu, & Regula Tertiariorum, non tamen vt Religiosi vixerint. Quare hi Tertiarij *Collegialiter* viuētes de quibus Papa, Concilium, & Sacræ Congregationes in præsenti nec sunt illi de quibus *num.* 1. & 5. dictum est, esse verè, & propriè Religiosos, nec sunt illi de quibus *n.* 6. è contrario dictum est non esse verè, & propriè Religiosos etiam si tria vota essentialia Religionis emittant, eo quod illa non emittant sub aliqua Regula aut Religione approbata, ac proinde huiusmodi virorum Congregationes abolitas esse à Pio V. Quod dixerim ne credatur Collegia seu domos communes Tertiariorum sub Regula, & habitu Tertiariorum degentes prohibita à Pio V. cū potius permissa videantur à Leone Papa, Concilio Lateranensi, & Sacris Congregationibus adductis. Hi autem dicuntur cum *Claustralib.* viuere qui sub Regula, & habitu Tertiariorum tantum, cum Religiosis tamen mortantur. De quibus multi (inquit Peirinis *to.* 1. *priuileg. Minim. sup.*) in Religione Minimorum reperiuntur. Illi verò dicuntur *in propriis domibus* habitare, qui siue in propriis, siue alienis domibus, sigillatim tamen, seorsim, & separatim ab aliis Tertiariis viuunt, quales sunt multi præsertim in Hispania, & Italia.

Secundum, in prædicta Bulla Leonis, & decretis Sacrarum Congregationum diuersimodè decerni, de viris, ac fœminis Tertiariis. Vt enim viri Tertiarij priuilegiis quibus Fratres Ordinis cuius sunt Tertiarij fruantur, requiritur quod *Collegialiter* viuant, aut *cum Claustralibus* habitent, vt dictum est, ita vt si separatim, seorsim, aut singulatim viuant non possunt prædictis priuilegiis frui, aut gaudere. Ita enim clarè decernitur in dicta Bulla Leonis, & decretis Sacrarum Congregationum. At vero ad hoc quòd fœminæ Tertiariæ, Pinzocheræ, Beatæ, vel similibus nominibus cognominatæ prædictis priuilegiis fruantur, seu vtantur, non requiritur, quod Collegialiter viuant, aut cum Claustralibus habitent, sed quod *Virginalem cœlibem, aut castam vidualem vitam* ducant, voto simplici solius eiusdem Virginalis, cœlibis, aut castæ Vidualis vitæ facto, & sub habitu illius Ordinis etiamsi in consanguineorum, aut affinium, aut propriis domibus, vel seorsim habitent. Ita enim etiam decernitur in prædicta Bulla, & decretis. Declaratum etiam dicitur à S. Congreg. non debere Episcopum explorare voluntates Tertiariarum si domi degunt, & ibi votum cœlibatus emittunt. Barbosa *in Collec. Bull. ver. Tertiariæ, & Tertiarij.* Quod obiter animaduerto ne credatur huiusmodi Tertiaria esse veluti Moniales interrogandas ab Episcopis an coactæ, vel seductæ sint, sicut de Monialibus dictum manet *tom.* 1. *cap.* 25. *num.* 12. 31

Tertium quod viri vxorati, aut fœminæ maritatæ, à prædictis priuilegiis Ordinum quorum sunt Tertiarij excluduntur, eo quod solum admittantur ad illa viri *Collegialiter* viuentes, aut *cum Claustralibus* habitantes, qui, vt manifestum est, vxores habere non possunt dum taliter viuunt, & fœminæ quæ *Virginalem cœlibem, aut castam vidualem vitam* ex voto ducunt, idest Virgines, solutæ, aut viduæ, quo denotatur maritatas excludi. 32

Quartum, quod huiusmodi Tertiarij, mares, aut fœminæ in propriis domibus habitantes, sepulturam vbi *voluerint eligere valent*, vt habetur in Bulla Leonis, & Concil. Lateranen. Quod videtur positum à Papa, & Concilio, ne crederetur prædictos necessario sepeliendos esse in domibus Ordinum quorum sunt Tertiarij. Videtur etiam id intelligendum quoad fœminas solum de illis quæ nec *virginalem cœlibem, aut castam vidualem vitam* ducunt ex voto, nam de huiusmodi quæ talem vitam gerunt videtur permitti sepeliri posse in Ecclesiis suorum Ordinum. Casarub. *in Compend. priuileg. Mendicant. verbo mulieres, num.* 6. & 7. Quod tamen limitat S. Congregatio Episcoporum, & Regularium adducta de decedentibus sine electione sepulturæ, & quando communis sepultura pro ipsis in eis reperitur. Ita vt etiam si sine electione sepulturæ decederent, si tamen communis sepultura pro ipsis in Ecclesiis Ordinum, quorum sunt Tertiariæ non reperiatur, sepeliri debeant in Parochiis, vt in dicto decreto habetur. Gauantus *in Man. v. Tertiarij num.* 11. & 12. vbi etiam aliam declarationem Sac. Congregat. refert. Declaratum etiam est à Sac. Congregat. apud Barbosam *in Collectan. Bullar. verbo Regulares quoad sepulturam.* 8. posse Regulares in eorum Ecclesiis sepelire, absque Parochi interuentu Tertiarios collegialiter viuentes, aut cum Claustralibus habitantes, nec non mulieres virginalem, aut cœlibem, aut castam vidualem, expresso voto, & sub dicto habitu vitam ducentes. Quod si Tertiarij, vel Tertiariæ his careant qualitatib. non esse sepeliendos in Ecclesia Regulariū, nisi 33

ipsi dum vixerint in ea elegerint sepulturam, & tunc Parochum etiam esse adhibendum. Vide eundem Barbosam *ibidem verb. Tertiariæ*, *& Tertiarij.*

34 Quintum, quod quoad Sacramenta recipienda, licet viri *Collegialiter* viuentes, aut *cum Claustralibus* habitantes, & fœminæ *Virginalem, cœlibem, aut castam vidualem vitam* ex voto ducentes, possint vti priuilegiis suorum Ordinum, tamen viri separatim viuentes, aut fœminæ prædictam vitam non gerentes, quales sunt maritatæ, aut aliæ quæ non habent prædictum votum, Eucharistiam in die Paschatis, extremam vnctionem, & alia Ecclesiastica Sacramenta (Sacramento pœnitentiæ dumtaxat excepto) à proprio Sacerdote suscipere tenentur. Ita enim decernitur in prædicta Bulla Leone X. & Concilio Lateranensi. Casarubius *in Compend. priuileg. Mendicant. verb. Mulieres num.6. & 7.* Rodriguez *tom.1. quæst. Regular. quæst.65. artic. 10.* Gauantus *in man. Episcop. verb. Regular. iura sub Episcop. num. 53.* Ex quo sequitur quod Eucharistiam vltra diem Paschatis, & Sacramentum pœnitentiæ semper possint recipere ab alio quam à proprio Sacerdote iuxta sua priuilegia. Declarauit autem prædicta Sacra Congregatio Episcoporum, & Regularium, vt supra visum est. *Non posse Sacerdotes Regulares, audire Confessiones Sacramentales mulierum tertij Ordinis, quæ de pœnitentia dicuntur, nisi ab Ordinario approbati fuerint ad Confessiones sæcularium audiendas neque posse illas communicare in Paschate.* Gauantus *in Man. Episcop. verb. Regular. iura circa Tertiarias num. 1.* Ex quo videtur dicendum sub aliorum censura posse Sacerdotes Regulares audire confessiones Sacramentales virorum tertij Ordinis Collegialiter, aut cum Claustralibus viuentium, etiamsi ab Ordinario approbati non fuerint (intellige, si ex vi priuilegiorum sui Ordinis id facere poterant eo quod Sac. Congregatio solum requirat huiusmodi approbationem Ordinarij pro confessariis audientibus Confessiones mulierum, non autem Virorum Tertij Ordinis. Neque obstat quod in Concil. Trid. *sess.23. cap.15.* decernatur nullum Confessarium etiam Regularem posse audire Confessiones sæcularium, nisi, vel habeat beneficium Parochiale, vel approbationem ab Episcopis. Hoc enim videtur intelligendum de communibus sæcularibus non de Tertiariis Religionum, quia licet simpliciter sæculares sint, sunt tamen aliquo modo personæ Ecclesiasticæ, & eiusdem Ordinis cum Regularibus eiusdem Ordinis. Sed vt dixi, aliorum sententiæ me submitto, Declaratum etiam est à Sac. Congregatione apud Barbosam *in Collect. Bullar. verb. Regulares 1.* Regulares non debere extra Conuentum ministrare Sacramenta suis Tertiariis, præter Sacramentum Pœnitentiæ.

35 Sextum, quod licet quoad exemptionem à foro sæculari, Ordinario, & oneribus quæ laicis incumbunt immunes non sint Tertiarij viri in propriis domibus habitantes, & fœminæ prædictam vitam *Virginalem cœlibem, aut castam vidualem*, ex voto non ducentes, viri tamen *Collegialiter* viuentes, aut *cum Claustralibus* commorantes, & fœminæ prædictam vitam, &c. ex voto ducentes, ab eis liberi, & immunes sunt, si priuilegiis suarum Religionum, vt dictum est potiantur. Ita enim supponitur in prædicta Bulla Leonis X. & decretis Sacrarum Congregationum adductis. Extat etiam pro Tertiariis viris habitantibus in domibus propriis alia declaratio Sac. Congregat. Episc. & Regul. apud Gauantum *in Man. Episcop. v. Tertiarij num.1.*

Alia autem declaratio eiusdem Sac. Congregat. quam ibidem *num.2.* affert idem Gauantus, qua decernitur, quod Tertiariæ non viuentes simul Ordinario subiectæ sint, intelligenda est iuxta sensum alterius declarationis superius allatæ, scilicet de Tertiariis fœminis non habentibus Virginalem cœlibem, aut castam vidualem vitam, ex voto. Vide eumdem *ibidem num.8.9. & 10.*

Septimum, quod licet prædicti viri *Collegialiter viuentes*, aut *cum Claustralibus* commorantes, & fœminæ prædictam vitam, vt dictum est, ex voto gerentes, possint vti priuilegiis suarum Religionum etiam quoad diuina audienda tempore interdicti in Ecclesiis illarum, illi tamen viri Tertiarij qui in domibus propriis habitant, & mulieres Tertiariæ vitam illam *Virginalem, &c.* ex voto non ducentes *ad diuina audienda in Ecclesiis suorum Ordinum tempore interdicti nullatenus admittantur, si causam dederint interdicto, vel causam ipsam nutriant, seu foueant, aut dantibus, auxilium, consilium, vel fauorem quoquomodo præstiterint.* Ita in præd. Bulla Leonis X. Quod videtur denotari quod si prædicta non fecerint admitti possint, saltem ex vi istius Bullæ. 36

Octauum, (quod generaliter aduertendum est pro priuilegiis Tertiariorum) quod cum in dicta Bulla Leonis, & decretis adductis prædicta obseruari præcipiantur *non obstantibus, &c.* ideo Tertiariorum priuilegia quatenus contraria fuerint prædictæ Bullæ, & decretis omnino irrita, cassa, & nulla censenda erunt. 37

Nonum, circa vltima verba prædicti decreti, ideo à Sac. Congregatione dictum esse *prædictis decretis mulieres tertij Ordinis, quæ Collegialiter viuunt, non comprehendi, quinimo eas dispositioni Constitutionis Pij V. quæ incipit.* Circa pastoralis *penitus subiacere*, quia in prædicta Constitutione Pij V. quæ habetur *in 2. tom. Bullarij num.8.* inter Bullas huius Pontificis, decernitur, quod mulieres Tertiariæ in Congregatione viuentes moneantur ab Ordinariis, & Superioribus, vt votum solemne emittant, quod si non emiserint, non possint vllam aliam in futurum admittere. Quo videtur intentum Pontificis fuisse omnino extinguere Congregationes istas mulierum, votum solemne non emittentium, & ita declaratum dicitur à Sac. Congregatione anno 1596. Piasecus *in sua Praxi par.2. cap.3. num. 57.* Peirinis *tom.1. priuileg. Minim. in Constit. 4. Sixti IV. §.7. num.35.* & propterea forsan à Sac. Congregatione Episcoporum, & Regularium ordinatum est, vt in Ecclesiis Tertiariarum, quæ professionem solemnem non emittunt trium votorum, nec in clausura viuunt, non permittatur Eucharistia, Gauant. *in Manual. Episcoporum verb. Eucharistia num.3.* 38

Quoad priuilegium Canonis *Si quis suadente*, cum nihil dicatur in prædictis Bulla, & decretis, iudicandum est secundum Regulas iuris communis. Atque adeo dicendum Tertiarios viros *Collegialiter* viuentes, aut *cum Claustralibus* commorantes, aut Tertiarias, quæ Virginalem, cœlibem, aut castam vidualem vitam ducunt ex voto, & cum habitu gaudere hoc priuilegio. Cum etiam gaudeant aliis priuilegiis Ordinum suorum, iuxta dicta. Præsertim quia hoc non tam est priuilegium, quàm ius commune competens cunctis personis Deo dicatis. De aliis autem Tertiariis vtriusque sexus, viris quidẽ separatim viuentibus, aut mulieribus sine tali voto vitã ducentibus difficilior est responsio. Nihilominus probabile est etiã gaudere priuilegio 39

legio dicto Canonis, cum sint personæ etsi non simpliciter Religiosæ, aut Ecclesiasticæ, aliquo tamen modo, & secundum quid tales, & Deo dicatæ, ac habentes modum viuendi approbatum à Sede Apostolica. Casarubius *in Compend. priuileg. Mendicant. verbo Tertiarij num.* 24. §. *aliter breuius* Si tamen habitum proprium Tertiariorum, seu tertij Ordinis portent. Portellus *in Dub. Regul. verb. Tertiar. num.* 3.

40 Inter qualitates requisitas, vt Tertiarij siue mares, siue fœminæ ad habitum admittantur, computandæ etiam sunt illæ quas Sac. Congregatio Episcop. & Regul. circa fœminas obseruari præcipit, vt dictum est *num.* 29. eæ autem sunt sex. Prima, quod non recipiantur ad habitum *nisi spectatæ vitæ fuerint*, idest, bonis moribus, seu virtutibus ornatæ. Secunda, quoad ætatem quod sint *annorum saltem* 40. Tertia quod habeant *de proprio vt inde sufficienter viuere possint.* Quarta, quod non habitent *cum aliis viris, quam cum consanguineis, vel affinibus in primo tantum gradu.* Quinta, quod *ab Ordinario loci licentia prius impetrata*, (intellige recipiantur) *qui non aliter eam concedat, quam si ei de prædictis qualitatibus diligenti prævio examine, constiterit.* Sexta, *quod in habitu deferendo omnino abstineant à velo supra caput, quod superiutum vocant, & à pectorali, vulgo sotto gola, & à patientia.* Cum autem in huiusmodi decretis non apponatur clausula irritatoria, nec vtatur Sac. Congregatio verbo *non possint admitti*, aut simili, sed solum, *non admittantur*, videtur, defectum huiusmodi qualitatum, aut aliquarum ex ipsis non irritare professionem, seu receptionem prædictarum mulierum, licet peccatum committant transgressores horum decretorum. Quoad id tamen de patientia quæ prohibetur deferri à mulieribus Tertiariis, quod attinet ad Pinzocheras, seu Beatas nostri Ordinis videtur limitandum, vt scilicet non illam deferant eo modo quo Fratres, ac Moniales Ordinis, sed breuiores, & strictiores. Cum enim prædicta patientia sit proprius habitus Ordinis nostri, & ex concessione Summorum Pontificum prædictis Pinzocheris, seu Beatis habitum Ordinis communicare possimus, credendum est S. Congregationem non voluisse vt abstinerent omnino à tali patientia, sed solum modo dicto. Vnde Gauantus in Man. Episcoporum verbo Tertiarij notat ideo appositam esse hanc legem à Sac. Congregatione circa mulieres Tertiarias, *ne videantur esse Moniales.* Consonat alia declaratio Sac. Congregationis apud Barbosam *in Collectan. Bullar. verbo Confratres*, vbi asseritur posse Confratribus sæcularibus concedi habitum patientiæ, quæ solis Religiosis propriè conuenit. Si enim Confratribus id conceditur multo potiori ratione Tertiariis concedi debet, qui magis accedunt ad statum Religiosum.

41 Subiiciuntur prædicti Tertiarij, viri scilicet non collegialiter viuentes, & fœminæ non ducentes vitam cœlibem, Virginalem & castam modo dicto, directioni, & gubernationi Superiorum Ordinum quorum sunt Tertiarij, non quidem propter iurisdictionem quam supra ipsos habeant, cum sint personæ simpliciter sæculares, sed propter curam spiritualem, & specialem diligentiam quam de salute spirituali ipsorum tenētur habere, cum sint aliquo modo membra Religionum, quarum sunt Tertiarij. Casarub. *in Compend. priuileg. Mendicant. verb. Tertiarij num.* 24. §. *Quoad primum gradum.* Miranda *in Man. tom.* 1. *quæst.* 36. *art.* 6. Vnde illos punire non possunt, nec illi peccant non obediendo Superioribus, Port. *in Dub. Regul. verbo Tertiarij num.* 6. Loquendo autem de aliis Tertiariis viris quidem collegialiter viuentibus, aut cum Claustralibus habitantibus, & mulieribus prædictam vitam cœlibem, &c. ex voto ducentibus, cum exempti sint à iurisdictione Ordinarij, & sæculari videntur subiici iurisdictioni Prælatorum Ordinum, atque ita posse illos corrigere, punire, &c. sicut alios subditos Religiosos, ne dicamus eos sub nullius iurisdictione esse. Vnde propter hanc causam possunt illos priuare habitu Ordinis, vt docet Portellus *vt supra num.* 10.

Possunt nihilominus omnes isti Tertiarij ad instar modi, qui obseruatur communiter in Confraternitatibus habere veluti Superiores aliquos ex se ipsis, vt eorum curam habeant ad conuocandum eos, corrigendum, &c. Id enim rationi, & intentioni Summorum Pontificum hunc modum viuendi approbantium conueniens videtur. Casarub. *in Comp. verb. Tertiarij vt supra.* Hi autem vocantur ab Innoc. VII. in Bulla sæpius relata pro Tertiariis, Dominicanorum Magistri, siue Directores, respectu virorum. Priorissæ, seu Suppriorissæ respectu fœminarum. Et à Martino V. in Bulla etiam sæpius relata pro Tertiariis Seruitarum, Correctores, Subcorrectores, seu Vicarij respectu virorum & Priorissæ respectu fœminarum. Qui Superiores ab ipsis Tertiariis eligi, vel nominari debent, vel saltem à Superioribus Religionum cum consilio tamen ipsorum Tertiariorum, prout rationi, & æquirari congruum est, & supponunt Innocent. VII. & Martinus V. in Bullis relatis. 42

Quoad indulgentias concessas huiusmodi Tertiariis, constat Clem. VII. concessisse moderno, & pro tempore Generali Minimorum, vt Tertiariis plenariam omnium suorum peccatorum indulgentiam semel dumtaxat singulo quoque triennio elargiri posset, ipsisque Tertiariis, vt de licentia dicti Generalis eligere possent vnum Confessorem idoneum eiusdem Ordinis qui eos ab omnibus casibus, etiam Episcopalibus, & censuris Ecclesiasticis absoluere posset, pœnitentia salutari iniuncta. Ita habetur inter priuilegia Minimorum apud Peirinis *tom.* 1. *inter Constitutiones Clemen. VII. num.* 9. Sed quia hæc concessio non fuit viuæ vocis oraculo facta, ideo hoc tempore quo omnes huiusmodi concessiones vocis oraculo factæ à SS. D. N. Vrbano reuocatæ sunt, nihil valet. Si autem innouetur ab aliquo Pontifice Confessarius ille approbatus debet esse ab Ordinario nisi forsan pro Tertiariis viris, vt dixi *sup. n.* 34. Rursus quantum ad absolutionem à casibus Episcopalibus cauenda est transgressio decreti S. Congregationis sub Clem. VIII. & Vrbano VIII. de quo *to.* 1. *c.* 19. *n.* 17. nisi fortè dici posset huiusmodi Tertiarios prædicto decreto non comprehendi, eo quod quamuis simpliciter sæculares sint, sunt tamen aliquo modo personæ Ecclesiasticæ, & eiusdem Ordinis, cuius sunt Tertiarij. Vide Peirinis *tom.* 1. *priuileg. Minim. in const.* 9. *Clem. VIII.* §. 2. Hæc autem intellige secundum moderationem factam à Leone X. & S. Congreg. de quibus, supra, scilicet de Tertiariis, de quibus ibi dicitur gaudere posse priuilegiis Religionum. 43

An Tertiariis conueniant qualitates, quas supra dictum est esse necessarias ad fruendum priuilegiis Tertiariorum, Ordinarij loci iudicium spectandum est. Ex Congreg. Episcop. & Regul. apud Barbosam *in Collect. Bullar. verb. Tertiariæ, & Tertiarij.* 44

Adde quod S. Congregatio Episcoporum, & Regularium relato decreto de anno 1616. illi adiunxit de

de anno 1646. pro 7. Decembris ad litteras scriptas ad Eminentiss. Cardinal. Archiepiscopum Bononiensem: *Venendoci representato & in cotesta città alcune Tertiarie le quali non viuono collegialmente, ma nelle loro case siano state ammesse all' habito contra la forma prescritta dalla S. M. di Pio V. nella sua Constitutione cura Pastoratis, promulgata nell' anno 1556. è contro li decreti generali di questa S Congregatione, & in specie che le medesime prima di vestirsi non habbiano giustificato auante li Ordinario i requisiti dell' età, costumi, cohabitatione, assegnamenti per viuere & altio, nè ottenutane licenza necessaria dachlui. è de in oltre con scandalo publico, è cõ indecenza del loro stato vadino vagando, & occupandosi in ministerij vili: Questi Eminentissimi mi hanno commesso di scriuere a V E. affinche essendo vero l'esposto resti seruita di formarne processo seruatis seruandis, è quelle che ritrouerà senza i requisiti necessarij, è vestite contra la constitutione è decreti sudetti le priui dell' habito con l'authorità che à tale effetto se le communica dalla medema Congregatione; lo significo a VE col mezo di quasta, & io le bacio humilmente le mani.*

Quærenti etiam Episcopo Oppidano mense Decembris 1646. an Tertiariæ quæ habent requisita & faciunt votum castitatis in manu superiorum Religionis, inconsulto Episcopo, debeant gaudere omnibus priuilegiis, quibus gaudent tertiariæ admissæ iuxta decreta generalia; & si nihil videatur responsum, notatum tamen in margine memorialis hoc inueni: *habent priuilegium à Concilio generali Lateranensi sub Leone X. sess. 21. in fine cui decreto Sac. Congregatio non derogat.* Quærenti etiam, an ordinarius teneatur concedere licentiam accipiendi habitum & emittendi professionem feminis habentibus requisita, similiter in margine veluti responsum est *inclinat in affirmatiuam, mentre entri l'arbitrio, nisi ordinarius habeat causam recusandi.*

SVMMARIVM.



CAPVT XV.

De Confratribus, & Confraternitatibus Regularium personarum, eorumque obligationibus, & Priuilegiis.

1 NOMEN Confrater, vel Confraternitas, aliis confratria à *con*, & *Frater* vel *Fraternitas* compositum, significat coniunctionem, vel communionem in Fraternitate, sicut consanguineus, vel consanguinitas, Compater, vel Compaternitas significant coniunctionem, vel communionem in sanguine, vel paternitate, eo scilicet quod confratres, vel confraternitates coniunctionem, vel communionem aliquam habeant.

2 Sunt autem huiusmodi confraternitates Congregationes quædam fidelium Laicorum ad pias, & deuotas exercendas actiones. Illæ enim Congreg. merè prophanæ quæ neque auctoritate Episcopi, neque ad pias actiones exercendas sunt institutæ quales sunt aliquæ congregationes Mercatorum, Artificum, Scholasticorum, &c. inter Confraternitates prout in præsenti non numerantur. Huiusmodi autem confraternitates ad pias, & deuotas actiones exercendas ordinatæ, aliæ sunt à Regularibus institutæ, aliæ à Laicis; rursus aliæ Episcopi auctoritate, seu consensu institutæ sunt; aliæ vero solùm priuatarum personarum consensu. Item aliæ proprias Ecclesias, seu Oratoria habent; aliæ non nisi capellas, aut Altaria in aliis Ecclesiis. De quibus omnibus agendum.

Quamuis confraternitates Episcopi auctoritate institutæ piæ, Ecclesiasticæ, & Religiosæ sint dicendæ, vt colligitur *ex cap. de Xenodochiis tit. de Religiosis domibus, & c. Ad hæc eod. tit.* Illæ tamen quæ absque Episcopi auctoritate institutæ fuerint, minimè Ecclesiasticæ, aut Religiosæ sunt censendæ: ex eo quod qualitatem hanc vt Ecclesiasticæ, seu Religiosæ fiant secundum Ius canonicum tribuere non possunt priuati absque Prælati auctoritate, ex dicto *cap. Ad hæc de Religios. domibus.* Barbosa *de offic. & potest. Episcop allegat. 75. à num. 25.* Possunt tamen dici piæ, cum in eis opera pietatis exerceantur, & ad illa exercenda ordinatæ sint. Barbosa *ibid. num. 27.* Personæ autem ipsæ confratrum non sunt dicendæ Ecclesiasticæ, cum nec habitum, nec statum mutent, nec se ita specialiter Deo deuoueant sicut requiritur ad Ecclesiasticæ personæ rationem. Capist. *apud* Rodriguez *tom. 3. quæst. Regul. quæst. 21. art. 4. in fine.* 3

Hinc prædictæ confraternitates Episcopi auctoritate institutæ gaudent priuilegio fori, itaut si ipsarum corpora conueniantur ad forum Ecclesiæ pertineat cognitio, quia verè sunt Religiosæ, & Ecclesiasticæ, similiter earum bona alienari non possint sine solemnitatibus requisitis in rerum Ecclesiasticarum alienationibus, quia vere sunt bona Ecclesiastica. Bonacina *de contract. disp. 3. q. 8. punct. num. 21.* Barbosa *dicta allegat. 75. num. 31.* Quod secus dicendum de aliis confraternitatibus sine consensu Episcopi institutis. Personæ autem confratrum non gaudent hoc priuilegio, cum non sint Ecclesiasticæ iuxta dicta *suprà.* 4

A solutione etiam Gabellarum immunia sunt si vendantur bona prædictarum confraternitatum Episcopi auctoritate institutarum, cum sint Ecclesiastica, & ad pios vsus ordinata. Molina *tom 3. de iust. disp. 671. in princip.* Barbosa *de offic. & potest. Episcopi allegat. 75. n. 35.* Quod etiam extendit ad bona illarum confraternitatum quæ Episcopi auctoritate institutæ non fuerint, eo quod in Authen. *Item nulla communitas Cod. de Episc. & Cler.* exemptio à gabellis, & aliis tributis omnibus piis locis, & causis concedatur, & huiusmodi confraternitatum bona ad pios vsus destinentur. An autem gaudeant beneficio restitutionis in integrum idem Barbosa *vt suprà n. 36.* An ex iis quæ ipsis relinquuntur quarta canonica debeatur *à num. 43* & an illis relictis quarta falcidia deduci possit *n. 50.* 5

Hinc etiam ad præscriptionem rerum pertinentium ad confraternitates, quæ Episcopi auctoritate institutæ sunt, tempus quadraginta annorum necessario requiritur, cum bona Ecclesiastica sint, & per consequens talium priuilegiis gaudere debeant. Constat enim res Ecclesiarum minori spatio quam 40. annorum præscribi non posse. *cap. ad aures, capite. Illud cap. De quarta,* cum multis similibus de præscriptionibus. Nec improbabile hoc etiam priuilegium extendi ad bona quoque confraternitatum quæ ad pios vsus institutæ sunt siue cum Episcopi auctoritate, siue sine illa. Molin a *de iustitia tractatu secundo disput. septuagesimasecunda versu. Hoc verò priuilegium.* Barbosa *dicta alleg. 75. n. 55.* 6

Quamuis à pluribus Romanis Pontificibus nonnullis Regularibus Ordinibus, Sæcularibusque Congregationibus, eorumque Superioribus concessæ fuerint variæ facultates erigendi, vel instituendi confraternitates, vel etiã eas sibi aggregandi eisque 7

eisque priuilegia, & indulgentias communicandi; cum nulla forma certa, vel ratio præscripta esset qua id fieri deberet, nonnullæ prauæ consuetudines irrepserunt, multaque incommoda inde prouenerunt, siue negligentia Superiorum, siue aliorum officialium instituentium, erigentium, seu aggregantium prædictas Confraternitates. Propterea Clemens VIII. anno 1604. in Constitutione *Quæcumque à Sede* die 7. Decembris eiusdem anni edita, quæ habetur in 3. tom. Bullar. inter Constitutiones Clem. VIII. num. 115. & apud Quarantam *in Summa Bullar. verb. confraternitates*, quam postea confirmauit, & ad Canonicos, & Capitulum Ecclesiæ Lateranensis de Vrbe extendit Paulus V. in Bulla *Quæ salubriter* anno 1610. inter Bullas ipsius 3. tom. Bullar. n. 68. sequentia decreuit.

8 Primò, prædictos omnes facultatem habentes instituendi, erigendi, seu aggregandi confraternitates, vnam tantum confraternitatem in eorum, & aliis Ecclesiis, & locis instituere, & aggregare posse. Gauantus *in Man. Episcop. verb. confraternitas num.* 1. Tamen à Sac. Congregatione super Indulgentiis declaratum, Superiores Regulares, quibus à Paul. V. concessa est facultas noua instituendi Confraternitates (qualis est Generalis Carmel. vt dicemus) posse super huiusmodi distantia inter confraternitates, tam quoad antiquas confirmandas, quam ad alias de nouo instituendas dispensare, ob iustam causam ab Ordinario loci approbandam in scriptis. Ita indicatur in nostris Constitutionibus *par.* 4. *c.* 28. §. 2. Declarationem autem ipsam refert Laur. de Franchis *in controuers. Episcop. & Regul. fol. mihi 66.* Vbi simul habetur eandem S. Congregationem declarasse posse confirmari à Superioribus Regularium plures Confraternitates ab antiquo institutas canonicè in Ecclesiis Regularibus Collegiatis duodecim Fratrum, & in eodem loco, etiamsi sint eiusdem nominis, & instituti, iuxta formam tamen huius Constitutionis. Confraternitatem tamen sancti Sacramenti conceditur erigi posse in omnibus Ecclesiis parochialibus. Laur. *vt suprà.*

Nota etiam quod cum Confraternitas S. Antonij de Padua Ciuitatis Ianuensis conquereretur cum S. Congregatione Episcoporum & Regularium quod in ea ciuitate erecta fuisset alia confraternitas sub eodem titulo cum præiudicio suæ confraternitatis & contra formam Bullæ Clementis VIII. ideo ipsa S. Congregatio rescripsit ad Emin. Card. eiusdem ciuitatis Archiepiscopum de anno 1646. pro die 4. Maij, vt capta supra hoc puncto informatione curaret obseruantiam dictæ Constitutionis.

9 Secundò, huiusmodi Confraternitates institui, aut aggregari non posse à prædictis nisi consensu Ordinarij loci, & cum litteris eius testimonialibus, quibus confraternitatis erigendæ, seu aggregandæ pietas, seu institutum, & Christianæ charitatis officia quæ exercere cupit, vel consueuit, commendentur. Ita scilicet vt cum confraternitas de nouo erigenda est, id non fieri possit sine consensu Ordinarij loci. *Et cum litteris eius testimonialibus quibus confraternitatis erigendæ, & instituendæ pietas & Christianæ charitatis officia quæ exercere cupit apud eos commendentur.* Cum verò confraternitas non erigitur, aut fundatur, sed alij Archiconfraternitati aggregatur, id non possit fieri nisi *præuio similiter loci Ordinarij consensu, & cum eius litteris testimonialibus quibus eiusdem confraternitatis, & congregationis aggregandæ institutum, pietas, & Christianæ charitatis officia quæ exercere consueuit, apud eos commendentur.* Gauantus *vt suprà n.* 3. Vide autem circa huiusmodi consensum Ordinarij dicenda infrà *n.* 19. Cum verò ipsemet Pontifex institutiones, & aggregationes confraternitatum alio modo factas nullius roboris, & momenti esse declarauerit, vt inferius videbitur, iam Congregat. istæ sine consensu Ordinarij loci erectæ, aut erigendæ non erũt vocandæ confraternitates, nec priuilegiis, aut indulgentiis veris confraternitatibus cõcessis, de quibus etiam postea, gaudere, aut frui poterunt. Poterunt tamen vocari Congregationes piæ, seu pia loca, si ad pias actiones gerendas ordinantur, vt dictum est superius. Declaratum etiam à S. Cong. Episcoporum, Regularium, non licere Clericis Societatis IESV, nec Regularibus Ordinis S. Dominici instituere Confraternitates nouas sæcularium sine Ordinarij licentia. Barb. *in collect. Bullar. verb. confraternitas.* An verò ad confirmandas antiquas confraternitates requiratur etiam consensus Ordinarij, vide dicenda infrà *n.* 19. & Lauretum de Franchis ibi afferendum.

Tertiò, decernit Pontifex in prædicta constitutione quod prælati, seu superiores confraternitates instituentes, vel aggregantes, illis ea tantùm priuilegia, indulgentias, facultates, aliasque spirituales gratias, & indulta, quæ ipsi Ordini, Religioni, instituto, erigenti, instituenti, ac communicanti, seu Archiconfraternitati, & Congregationi aggreganti nominatim, & in specie, non autem per extensionem, vel communicationem sibi quouis modo concessa sunt, & illa quidem non sub generali forma verborum, vel ad instar, sed expressè, & in specie communicare valeant. Gauantus *in Manual. Episcop. verb. confraternitates n.* 4. Vnde prædicti institutores, vel aggregatores confraternitatum non possunt dicere. *Communicamus huic cõfraternitati omnes gratias, & priuilegia, indulgentias, &c. quæ tali Ordini, aut confraternitati sunt concessa, aut quibus per communicationem petitur.* Sed debent dicere. *Communicamus tales, & tales gratias Ordini, vel confraternitati nostris concessas, quæ sunt istæ, & istæ, &c.* 10

Hic tamen dubitari potest, esto non possint ab institutoribus confraternitatum communicari ipsis nisi solum gratiæ ipsis Ordini, vel Archiconfraternitati concessæ, non verò eæ, quæ per communicationem priuilegiorum ipsis competunt, an saltem ipsæ confraternitates institutæ illis potiantur. Ex vna enim parte videtur quod non cum nulla alia ratione videatur prohibitum à Pontifice vt non fiat communicatio gratiarum, quæ solum per communicationem priuilegiorum competunt institutorum Ordinibus, vel Archiconfraternitatibus, nisi quia non vult quod illis potiantur confraternitates institutæ, vel aggregatæ. Ex alia verò parte cum Pontifex non declaret se abrogare, aut cassare prædictas gratias quæ per communicationem priuilegiorum confraternitatibus competunt, videtur illis posse vti prædictas confraternitates institutas. Quæ posterior pars cum sit in materia fauorabili mihi probabilis videtur, & quod solùm prohibuit Pontifex prædictam communicationem gratiarum solum per communicationem competentium Ordinibus, vel Archiconfraternitatibus instituentibus, vel aggregantibus confraternitates, tum propter tollendam confusionem quæ in communicatione gratiarum hoc modo facta reperitur, tum propter incertitudinem, quæ sæpius esse solet in tali communicatione priuilegiorum, seu gratiarum. Aliorum tamen iudicio rem relinquo. 11

12 Quartò, præcipit Pontifex, vt statuta talium confraternitatum instituendarum, seu aggregandarum sint prius ab Episcopo Diœcesano examinata, & pro ratione loci approbata, & eiusdem Episcopi decretis, ac moderationi, & correctioni in omnibus semper subiecta remaneant. Loqui autem videtur solum Pontifex de illis statutis, quæ edita sunt ab instituentibus, seu aggregantibus dictas Confraternitates, & quæ illis impartiuntur, vt patet ex textu Bullæ, non de illis statutis, quæ ipsæ Confraternitates institutæ pro suo bono regimine fecerint. Atque ita ex vi huius decreti non requiri prædictum Episcopi examen, vel approbationem ad ea statuta, quæ confraternitates ipsæ institutæ postea fecerint.

13 Quintò, ordinat vt prædicti confraternitatum institutores, seu aggregatores, in institutione, seu aggregatione ipsarum seruent formulam ab ipso Pontifice nouissimè approbatam, & secundum ipsam priuilegia, & indulgentias ipsis communicent nominatim, & expressè, vt suprà dictum est. Quæ autem, & qualis sit ista formula de qua Pontifex hic loquitur, scire non potui. Verumtamen Flau. Cher. *in Compend. Bullar. super prædicta Bulla Clem. VIII. num.* 115. formulam quamdam refert quam dicit esse in vsu. Ea autem solum pro aggregatione Confraternitatum, non pro institutione facta videtur, etsi ex illa quoque qualis futura sit ea, qua pro institutione Confraternitatum vti debent institutores dignosci potest.

14 Sextò, decernit vt prædictæ gratiæ, & indulgentiæ communicatæ præuia tamen recognitione Ordinarij loci (qui adhibitis duobus de eiusdem Ecclesiæ Capitulo illa iuxta Sacri Concilij Tridentini decretum promulganda decernat) promulgari valeant. Gauantus *vt suprà num.* 4. Vbi aduertendum non præcipi à Pontifice, vt Confraternitates non possent vti prædictis gratiis, & indulgentiis sine prædicta recognitione Ordinarij, &c. Duorum de Capitulo, sed quod non possint illas promulgare, sine hac recognitione.

15 Præcipit septimò, vt licet Officialibus, & Ministris Confraternitatum potestas sit excipiendi eleemosynas iuxta modum, & formam per Ordinarium loci præscribendam, hoc tamen sit, *remotis mensis, peluibus, & capsis, quæ in Ecclesiis, & Oratoriis dictarum Confraternitatum, & congregationum publicè ad hoc exponi consueuerunt.* Prædictas autem eleemosynas erogandas, & expendendas vult in reparationem, & ornatum Ecclesiarum dictarum Confraternitatum, tam instituentium, & aggregantium, quam institutarum, & aggregatarum, aut in alios earum pios vsus arbitrio Vicarij S. suæ in Vrbe, & Ordinariorum locorum respectiuè.

16 Declarat octauò, confessarios qui virtute priuilegiorum dictarum Confraternitatum eligi possunt si fuerint sæculares debere esse approbatos à Vicario Vrbis in ipsa Vrbe, & extra illam à locorum Ordinariis. Si verò fuerint Regulares, non solum à prædicto Vicario Vrbis, & Ordinariis locorum respectiuè, sed etiam à suis Superioribus. Insuper quod prædicti Confessarij Confratres confitentes absoluere valeant à criminibus, casibus, & censuris, iuxta formam dumtaxat dictorum priuilegiorum [quatenus tamen (inquit Pontifex) sint in vsu, & Sacris Concilij Trident. decretis, ac Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum, & nostris Constitutionibus non aduersentur, nec reuocata, aut sub aliquibus reuocationibus comprehensa sint, formam, & tenorem dumtaxat absoluere valeant. Decernimus insuper, vt iidem confessarij prædictos Confratres cuiuscumque gradus, status, conditionis, & præeminentiæ, etiamsi speciali nota dignæ fuerint, à casibus contentis in litteris quæ die Cœnæ Domini legi consueuerunt, necnon violationis immunitatis, & libertatis Ecclesiasticæ, & clausuræ Monasteriorum Monialium, si videlicet sine necessaria, & vrgenti causa, ac sine Superiorum licentia, vel etiamsi causa, & licentia concessa abutentes, prædicta Monasteria ingressi fuerint, nec non violentæ manus iniectionis in Clericum, & singularis certaminis, seu duelli, ac ab aliis etiam casibus tam à nobis quam à prædicto nostro in Vrbe Vicario, & locorum Ordinariis respectiuè reseruatis, & pro tempore reseruandis, & etiam à quauis excommunicatione ab homine lata absoluere, & super irregularitatibus, tam ex aliquo defectu prouenientibus quam occasione delicti contractis cum aliquo dispensare prætextu dictorum priuilegiorum nullo modo possint.]

Circa quæ valdè vtile erit cognoscere quando priuilegia dicantur esse in vsu Religionum, vel Confraternitatum, quod non modo pro hac materia, sed pro aliis etiam deseruire potest. Primò ergo illa priuilegia dicentur esse in vsu Religionum, vel Confraternitatum, quæ sunt in viridi obseruantia, & quibus Religio vel Confraternitas actualiter vtitur, hoc enim certum est apud omnes. Secundò etiam dicentur esse in vsu Religionis, vel Confraternitatis, quando etsi illis non vtantur, illorum tamen scientiam, aut cognitionem non habent, aut si habent, non est oblata occasio illis vtendi, aut fuit impedimentum ad vtendum illis, tunc enim quasi habitualiter dicuntur esse in vsu. Tertiò etiam dicuntur esse vsu, quando etsi Religio, aut confraternitas illis actualiter non vtatur, etiam data occasione, & potentia ad illud, & cum illorum notitia, contra illa tamen non est præscriptum tempore legitimo: cum enim priuilegia Religionum sint quædam bona ipsarum, & contra bona ipsarum, vtpotè Ecclesiastica non detur præscriptio iure communi nisi spatio 40. annorum *c. accedenti de priuileg.* de quo etiam suprà *n.* 6. ideo contra priuilegia Regularium non datur præscriptio nisi dicto spatio, dum autem non est præscriptum contra illa, dicuntur esse in vsu saltem habitualiter, quatenus potest esse vsus illorum, sic sentio probabile sub doctiorum censura. Ita enim colligo ex Corduba *in Compend. priuileg. verb. Absolutio quoad sæculares primo, §. quoad §. decimonono*, Rodriguez *tomo primo quæstio. Regul. quæstio octaua articulo tertio quarto, & quinto.* Portellus *in Dub. Regul. verbo priuilegij cessatio per non vsum num.* 57. & 58. Peyrinis *to.* 1. *priuileg. Minimor. in Constit* 15. *Iul. II.* §. 3. 17

Similiter circa illud quod in constitutione Clementis dicitur de huiusmodi priuilegiis Religionum, & Confraternitatum, quod scilicet possint illis vti Confessarij dummodo non aduersentur decretis Concil. Trident. dubitari potest tam pro hac, quam pro aliis materiis, quæ decreta sint ista, quibus aduersantia priuilegia tolluntur. Pro quo notandum, quod inter decreta Concilij alia sunt quibus ita aliquid decernitur, vt tamen priuilegia contraria non reuocentur, alia verò quibus etiã priuilegia contraria reuocantur. Quando ergo Papa confirmat priuilegia, quatenus decretis Concilij Tridentini 18

Tridentini non aduersantur; intelligendus est de illis decretis quibus priuilegia reuocantur, non de illis quibus etsi aliquid decernatur, id non est cum reuocatione priuilegiorum. Cum enim priuilegia non reuocet, videtur relinquere illa in sua vi, & quod dicta decreta solum pro non priuilegiatis locum habeant. Sic sentiunt probabiliter Rodriguez *tom.1. quæst. Regul. quæst.8. art.6* Portel. *in dub. Regul. verbo priuilegij confirmatio num.61.* & fauet Suarez *lib.8. de legib. cap.8. ad finem.* Stando ergo in hac sententia probabile est priuilegia circa absolutionem confratrum quibus non vti permittit Pontifex confessariis ipsorum in hac constitutione, intelligi illa quæ aduersantur decretis Concil. Tri. habentibus derogationem priuilegiorum in contrarium, non autem de illis quæ aduersantur aliis decretis non habentibus prædictam derogationem priuilegiorum. Vide dicta *c.1. n.58.*

19 Præterea nonò decernit Pontifex, vt omnes confraternitates quæ vsque ad illud tempus institutæ, & aggregatæ erant, nouas institutionum, & aggregationum litteras iuxta formam ab ipso præscriptã infra annum si in Europa sint, & infra biennium si extra Europam à die publicationis prædictæ Constitutionis impetrare tenerentur, alioquin (inquit) dicto tempore elapso, erectiones, institutiones, & quæcumque communicationes priuilegiorum, facultatum, indulgentiarum, aliarumque spiritualium gratiarum, & indultorum, & aggregationes illarum vigore ipsis concessæ nullius sint roboris, & momenti, ac reuocatæ, & abolitæ censeantur eo ipso. Ex quo infertur Confraternitates quaslibet ante huius constitutionis promulgationem erectas, seu aggregatas si in prædicto spatio temporis vnius, vel duorum annorum respectiuè innouatæ non fuerunt iuxta formulam ab ipso Pontifice præfixam, nullius momenti, aut valoris esse saltem in ratione confraternitatum, & quantum ad indulgentias, & priuilegia titulo confraternitatum concessa. Vnde à Reuerendiss. Generali Theodoro Stratio pro Ordine nostro prouisum est, vt prædictæ confraternitates de nouo instituerentur, iuxta prædictam Clement. VIII. formulam, litteris super hoc ad Prouinciales missis. Extat tamen declaratio Sac. Congregationis super indulgentiis, quam refert Lauretus de Franchis *in controuers. Episcop. & Regul. pag. mihi 65.* in qua decernitur, Superiores Regulares, quibus concessa est à Papa facultas noua instituendi Confraternitates secundum formam huius constitutionis posse confirmare sine Ordinarij consensu confraternitates iam pridem ante publicationem illius canonicè erectas in propriis Ecclesiis Regularibus Collegiatis vbi ad minus essent duodecim Religiosi de familia; ad instituendum autem nouas Confraternitates in Ecclesiis siue sæcularibus, siue Regularibus, & confirmandum antiquas in Ecclesiis vbi non sunt prædicti duodecim Religiosi, requiri prædictum consensum Ordinarij cum aliis requisitis. Circa quam declarationem notandum eam editam fuisse anno 1607. sub Paulo V. Cum autem ipse Paulus in Bulla afferenda infra *num.40.* facultatem nouam concesserit sub anno 1606. Generali nostro, & eo absente Vicario Generali instituendi confraternitates iuxta præscriptum Constit. Clem. VIII. ideo gratia concessa in hac declaratione vti possunt nostri generales.

20 Decimò statuit Pontifex in dicta Constitutione vt litteræ pro institutione, seu aggregatione dictarum confraternitatum, & communicatione gratiarum *gratis omnino, ac nulla prorsus mercede etiam à sponte dantibus accepta expediri, & concedi debeant* Gauantus *in Manuali Episcoporum verbo Confraternitates n.5.*

Ac demum vndecimò contrauenientes quoslibet Ministros, Superiores, & Officiales Ordinum, seu Archiconfraternitatum, aut confraternitatum, priuationem officiorum quæ obtinent, & inhabilitatem ad illa, & alia in posterum obtinenda solum à Summo Pontifice relaxanda declarat incurrisse eo facto, ac institutiones Confraternitatum, & communicationes gratiarum, & priuilegiorum aliter factas nullius esse roboris, & momenti. Quomodo autem huiusmodi pœnæ priuationis, & inhabilitatis intelligendæ sint, & à quibus dispensari possent constat ex dictis *tom.1. cap.10. num.30. 31.35.* Pro Confraternitatibus autem institutis, aut aggregatis contra formam huius constitutionis cum nullæ & irritæ declarentur, nullum aliud remedium superest, nisi quod de nouo instituantur, & aggregentur iuxta prædictam formam, vt superius dictum est, vel confirmentur, si adsint conditiones requisitæ à Sacr. Congregatione in declaratione allata *num. præcedent.* aliàs in malo statu conscientiæ Superiores ad quos id spectat versantur tum quia contra Pontificiam intentionem confraternitates ab ipso reprobatas fouent, tum quia falsò eis communicatas esse indulgentias, & gratias prædicant. 21

Præterea circa confraternitates sunt multa, & diuersa statuta, & decreta à Sacr. Congregatione Episcoporum, & Regularium edita. Primum, quod non licet Regularibus instituere confraternitates cum vsu saccorum sine Ordinario loci Sac. Cõgregatio 6. Decembris 1616. Gauantus *in Man. Episcoporum verbo Confraternitas n.2.* Secundum, quod Officiales quotannis eligantur, & cum secretis suffragiis. Eadem S. Congregatio 18. *Iulij* 1594. Gauantus *vt suprà num.10.* Tertium, quod electio Officialium ad confratres, confirmatio autem ad Episcopum spectat, exceptis iis, quæ sub immediata Regum potestate existunt. Eadem S. Congregatio 11. *August.* 1617. Barbosa *in Collect. Bullar. verb. electio.* Gauantus *vt suprà num.11.* Quartum, quod nihil inde emolumenti accipiatur, neque Officiales ipsi eligant successores. Eadem S. Congregatio 24. *April.* 1585. Gauantus *ibid. num.13.* Quintum, quod in Oratoriis confratrum non retineatur Eucharistiæ Sacramentum. Eadem S. Congregatio 21. *Martij* 1595. Gauantus *ibid. num.21.* Additur in alia S. Congregationis decisione apud Barbosam *in Collect. Bullar. v. Confraternitas,* non posse id fieri à confraternitatibus Laicorum, nisi ex causa, & licentia Ordinarij. Sextum, quod neque exponatur Oratio quadraginta horarum sine licentia Episcopi. Eadem Sac. Congregatio 20. *August.* 1601. Gauantus etiam *ibid. num.23.* Septimum quod Parochus intra cuius fines est Ecclesia Confraternitatis debet adesse funeribus quæ fiunt in dicta Ecclesia, & idem debet cantare Missas solemnes, alioquin cantet Capellanus. Eadem Sac. Congregatio 20. *August.* 1601. Gauantus *vt suprà n.41.* Cui consonat alia S. Congregationis declaratio 18. *Maij* 1602. de qua idem Gauantus *v. Parochorum munera n.21.* Octauum, quod non instituatur Confraternitas in Ecclesia Monialium. Eadem Sac. Congregatio Episcoporum, & Regularium 6. *Nouembris* 1595. Gauantus *in prædicto Manuali Episcoporum verbo Monialium clausura numero decimoquinto.* 22

Vidi etiã declarationem S. Congregationis Episcoporum & Regularium de anno 1622. pro 19. Augusti, in qua prohibetur confraternitatibus sepelire mortuos, exponere sanctissimum feria V. in cœna Domini, & celebrare missam in sabbato sancto.

23 Circa earum præcedentiam Greg. XIII. an. 1583. decreuit eas præcedere debere, quæ sunt in possessione, & vbi de huiusmodi possessione non constat eas quæ prius saccis sunt. Gau. *in Man. Episcop. ver. præced. n. 2. & 3.* Si autem contigeret quod Confraternitas quæ prius quam altera saccis vsa est, ad processionem accederet siue sacco, non gauderet prærogatiua præcedentiæ. Siquidem præcedentiam obtinere volens habitum suo gradui conuenientem gestare debet. Butr. *in c. 1. per illum tex. de auth. & vsu pallij n. 8.* quem citat ad hoc Præposit. *c. Concilia 7. §. Episcopos dist. 17. num. 3.* & alios allegat. Gratian. *in Disceptat. forens. c. 298. sub num. 65.* Ita Flauius Cafarub. *in Compend. Bullar. in Bulla 84. Greg. VIII.*

24 Non possunt Confraternitates cogi ab Episcopo accedere ad Processiones. Sic enim fuit rescriptum à S. Congregatione Concilij ad Episcopum Scalensem, vt refert Quaranta *verbo præcedentia in fine, &* Gauantus *verbo processio n. 13.* Nisi adsit consuetudo, vt colligitur ex quadam declaratione Sac. Congreg. apud Barbosam *in Collect. Bullar. verbo Confratres.* Possunt tamen ab ipsis inuitari prout etiam declaratum referunt. Franciscus Leo *in thesaur par. 1. c. 8. n. 18.* & Barbosa *de offic. & potestat. Episcopi allegat. 78. n. 24.* Quando autem accedunt ad processiones publicas incedunt ante Regulares vt declaratum refert idem Barbosa *in Collect. Bullar. verb. Confraternitas.*

25 Processiones Confraternitatum non debent extendi per vias, sed circa muros Regularium, qui eas regunt. Ita enim dicitur decisum à S. Congregationibus. Gauantus *in Manual. Episc. verb. Processio nu. 49.* Quo tamen non obstante video hic Romæ insignem Confraternitatem B. Mariæ Viginis de Monte Carmelo in S. Martini de Montibus Cœnobio sitam extendere processionem quæ fit à prædicta Confraternitate in mense Iulij vsque ad Basilicam S. Mariæ Maioris, & per vicinas plateas. Vnde vel speciali concessione, vel consuetudine id haberi credendum. Declaratum etiam dicitur à S. Congreg. posse confraternitates Laicorum, & eorum Capellanos facere solitas processiones, quando non fiunt in parochiali, & primaria Ecclesia, & in eorum Ecclesia prædicare facere à Prædicatore approbato ab Ordinario, & benedicere palmas, ignem, & aquam. Barbosa *in Collect. Bullar. verb. Confraternitas.*

26 Non possunt eædem confraternitates accedere ad funeralia mortuorum, nisi specialiter, & expressè vocentur, & quando accedunt in actu associationis cadauerum nullo modo possunt erigere crucem. Ita enim decisum dicitur à S. Congregatione. Barbosa *de offic. & potest. Parochi cap. 26. num. 61.* Video tamen Pium V. in Bulla anno 1569. edita quæ habetur in 2. tom. Bull. inter Bullas huius Pontificis *num. 86.* decreuisse posse confratres confraternitatis Rosarij Beatæ Virginis Mariæ ad quascumque processiones accedere, & in quibus corpora defunctorum ad sepeliendum deferuntur cum eorum insignijs, cuiusuis etiam Superioris licentia minimè requisita. Quando autem accedunt non debent soluere Parocho quartam funeralem de candelis. Sic enim decisum est à S. Cgreogatione Episcop. & Regul. apud Barbosam *de offic. Parochi cap. 25. num. 40.* Similiter cum accedunt ad prædicta funeralia mortuorum possunt recipere aliquid non per modum pretij, quia hoc esset simoniacum, cum esset vendere rem spiritualem, scilicet orationes, vel suffragia pro pecunia, sed per modum congruæ sustentationis, vel eleemosynæ. Suar. *to. 1. de Relig. l. 4. de simonia c. 15. n. 7.*

Habent Episcopi ius visitandi Confraternitates laicorum iis exceptis quæ sub Regum immediata protectione sunt. Ita enim habetur in Concil. Trid. *sess. 22. c. 8.* Barbosa *de offic. & potest Episcopi alleg. 75. num. 2. 16. & 19.* Item confraternitates laicorum erectas in Ecclesiis Regularium non obstante quacumque contraria consuetudine. Ita enim decreuit Sac. Congregat. Episcop. & Regular. 17. Iulij 1615. Altaria tamen, & capellas in Regularium Ecclesiis etiam per sæcularium confraternitates constructas visitare non potest Episcopus. Ex declaratione Sac. Congregationis Episcop. & Regul. Barbosa *in Collect. Bullar. verb. Altare.* Quod intellige quatenus spectant ad Regulares ipsos, etenim prout spectant ad Confratres Capellæ ipsorum possunt ab Episcopo visitari. Ex alia declaratione eiusdem Sac. Congreg. apud eumdem Barbosam *vt suprà verb. confraternitas.* [Notanda etiam est alia declaratio S. Congregationis Episcoporum & Regularium 31. Ianuarij 1642. qua declarauit Ordinarium non posse visitare confraternitatem quandam erectam in quadam Ecclesia PP. Dominicanorum, qui faciebant totam expensam altarium dictæ confraternitatis, eò quod ipsa nullos redditus haberet; sed totam facultatem visitandi dictam confraternitatem apud Superiorem Monasterij manere. 27

Tenentur confraternitates habentes redditus Ecclesiasticos etiam intra Regularium Ecclesias existentes contribuere pro seminario puerorum, de quo Concil. Trid. *sess. 23. c. 18.* Ita enim dicitur decisum à S. Congreg. Barbosa *de offic. & potest. Episcopi alleg. 77. numero 10. & in Collectan. Bullar. verbo Confraternitas*, vbi etiam aliam decisionem Sacræ Congregationis affert qua id magis explicatur. Gauantus *in Man. verb. Seminarium Clericorum num. 33.* 28

Pro capellanis confraternitatum declaratum est à S. Congregatione. Primò, capellanos Societatum, qui habent curam celebrandi Missas per totum annum non debere prohiberi ab Archipresbyteris Ecclesiarum, vbi sunt fundatæ Societates, quin ipsi etiam celebrent in diebus festis ipsarum Societatum. Secundò, Capellanos confraternitatum non posse suo arbitrio sine expressa licentia Episcopi processiones facere. Barbosa *in Collect. Bullar. verb. Capellanus.* Tertiò, non posse prædictas confraternitates per suos capellanos in Ecclesiis quas habent facere solemniter celebrare, confessiones audire, sepelire, Sacramenta ministrare, & similia, quæ ad solum Parochum spectant, absque expressa licentia Ordinarij, & Parochi. Barbosa *vt supra v. Confraternitas.* 29

Pro receptione alicuius confratris videtur dari non posse aliquid tanquam pretium, quia hoc olet simoniam, cum simoniacum sit dare pretium pro re spirituali. Esse autem confratrem multa iura spiritualia inuoluat, videlicet ad priuilegia, indulgentias, & gratias Confraternitatis. Vnde non placet quod in contrarium docet Sanchez *tomo primo consil. moral. lib. 2. c. 3. dub. 23. numero octauo.* Et ductus fundamento quod Confraternitas non est 30

Religio,

Religio, sed Congregatio ad benefaciendum. Etsi enim ita sit, nihilominus, quia Confraternitatibus adiuncta sunt prædicta iura spiritualia, ideo materia simoniæ reputanda sunt. Potest tamen dari aliquid pro dicta receptione per modũ eleemosynæ, vel alio simili titulo, quia id nullo modo est illicitum. Nauar. *de Oratione in Miscellaneo mihi 6. de Psalterio, & Rosario num.* 1. An autem licitum sit statutum confratriæ, quo præcipitur ne quis intret eam nisi certum quid soluat. Nau. *in dicto Miscellaneo num.* 4. respondet negatiuè. Mihi tamen placet speculatiuè loquendo licitum esse tale statutum, dummodo illud quod datur non detur vt pretium receptionis, vt dictum est, sed propria aliqua causa videlicet pro alendis pauperibus, aut simili, & quod tale statutum non intelligatur nisi solum pro ijs qui facultatem habent soluendi illam quantitatem, ne excludantur pauperes à piis operibus, quæ in confraternitatibus fiunt. Syluester *verbo Confraternitas n.* 2. In praxi autem si tale statutum approbatum fuerit ab Episcopo, vel legitima consuetudine introductum seruari debet. Sanchez *vt suprà*. Vide Lauretum de Franchis *in controuers. Episcop. & Reg. pag. mihi* 70.

31 Pro confraternitatibus ditionis Mediolanensis edita sunt multa decreta, & statuta à Conciliis Prouincialibus Mediolanensibus quæ hic placuit inserere, quia etsi in aliis locis obligationem non inducant, pia tamen documenta omnibus præbent. Primò ergo decernitur, vt electio officialium fiat præsente Parocho, vel alio Sacerdote deputato ab Episcopo, nisi aliud videatur Episcopo. Secundò, quod electione officialium prorogata sine Ordinarij licentia, acta omnia sint deinceps nulla. Tertiò, quod non admittantur in confraternitatibus, qui doctrinam ignorant christianam. Quartò neque homines facinorosi. Quintò, neque turpis vitæ, aut infamiæ labe notati. Sextò, qui adscripti, & moniti non se emendarint, amoueantur. Septimò, amictus ne detur alicui nisi præsente Parocho, vel alio Sacerdote, qui amictum stata prece benedicat. Octauò, neque amictum domi, aut alibi quam in schola asseruet, & confratriæ dimittatur, quocumque casu ille recedat. Nonò, arma ne quis gerat vna cum sacro amictu. Decimò, si concedatur in Oratoriis seruari Eucharistiam, Sacerdos ibi ab Ordinario approbatus resideat. Vndecimò, prohibetur item processio Sanctissimi Sacramenti. Duodecimò, in Dominicis, & festis diebus Missæ sacrificium ne fiat ibi nisi tempore, & hora ab Ordinario præscribenda. Decimotertiò, feria quinta, & Sabbato sancto nec ibi Missa celebretur, neque cuiquam, ne ipsis quidem Confratribus à Dominica Palmarum vsque ad Dominicam in Albis inclusiuè, Eucharistiam ministrare liceat. Quartodecimò, neque in Natali Domini, Ascensione, Pentecoste, Assumption. B. Virginis, & omnium Sanctorum festo. Quintodecimò, nullæ benedictiones ibi fiant candelarum, ramorum, ouorum, frugum sub pœna Sacerdoti benedicenti suspensionis à diuinis eo ipso, confratribus autem arbitrio Episcopi. Sextodecimò, officium Beatæ Virginis tantum, & submissa voce recitent, non autem cantent. Decimoseptimò, Vesperas eodem modo. Decimooctauò, officia recitent, vel ante, vel post officia Cathedralis, & Parochialis Ecclesiæ, neque impediant Doctrinam Christianam. Decimononò, non benedictionem, neque thurificationem sibi inuicem, vel aliis impartiantur. Vigesimò, neque liceat sine licentia Episcopi quæritare eleemosynam. Vigesimoprimò oneribus satisfaciant, aut in propria Parochiali, aut in Ecclesiis intra eius Parochiæ fines ab Episcopo designatis, nisi testatores aliud statuerint. Vigesimosecundò anniuersaria, & quæ septimo, vel trigesimo die fiunt officia in Parochialibus fiant, nisi habeant ius sepulturæ. Vigesimotertiò, & tum Parocho quoque præsente, qui officium peragat, & quando scilicet ibi cadauer est sepultum. Vigesimoquartò, duplicata eo casu detur Parocho eleemosyna. Vigesimoquintò, ne inuitent Confratrem, tacitè vel expresse, vt ibi eligat sepulturam in eorum Ecclesiis in quibus est ius sepulturæ sub pœna excommunicationis latæ sententiæ. Vigesimosextò, & quicquid inde detrimenti cœperit Ecclesia Parochialis, seu alia cui sepeliendi ius competebat, totum resarciant. Vigesimoseptimò neque possint associare funus vllum nisi qui obiit vnus sit ex ipsis, vel facultatem in scriptis obtinuerint ab Ordinario, quibus casibus nihil consequantur. Vigesimooctauò, Psalmodia ad mortuorum corpora, thurificatio, atque aspersio laicis Confratribus nę permittatur. Vigesimononò, sepultura nemini in eorum Oratoriis Ecclesiisve concedatur, nisi Episcopo constet id eis licere, vbi verò ius sepulturæ concessum est Confratribus, nemini alij, neque iure electionis, sed neque ipsis quidem Confratribus nisi per sex menses ante obitum sint adscripti. Trigesimò, ad solemnes Cleri processiones accedant. Trigesimoprimò, fiat processio quotannis ab omnibus simul Confratrijs in Ciuitate, in Diœcesi verò in proprijs locis, sumpta ab iisdem Sac. Communione, in gratiarum actionem de dono indulgentiæ concesso à Sede Apostolica. Trigesimosecundò, dignior locus detur antiquiori Confratriæ quæ habitum prius assumpserit de Episcopi, aut Papæ facultate, & solita fuerit ante obire supplicationes, licet tempore sit inferior, & minoribus gaudeat priuilegiis. Trigesimotertiò, cum processiones agunt, Sacerdotem secum habeant. Trigesimoquartò, neque crucem quæ per Clericos præferri solet, deferant, sed imaginem Crucifixi, & Sanctorum. Trigesimoquintò, noctu ne obeant ipsi processiones sine licentia Episcopi, & cum certis regulis. Trigesimosexto à laicis confratribus non celebrentur exequiæ. De quibus, & alijs ad intentum Gau. *in Man. Episc. v. Confraternitates.*

Loquendo autem specialiter de confraternitatibus Ordinum Mendicantium, ea quæ sub Vexillo B. Virginis Mariæ de Monte Carmelo militat, antiqua valdè in Ecclesia Dei est, cum constet Greg. decimumtertium in Bulla *Vt laudes* anno 1577. edita retulisse, & confirmasse indulgentias eidem Confraternitati concessas ab Hadriano II. Stephano V. Sergio III. Ioanne X. & XI. Sergio IV. Maximè ipse Innocent. IV. qui anno 1243. Pontificatum ascendit Confratriam dictam ingredientibus tertiam partem suorum peccatorum in Domino relaxauit, vt refertur à Greg. XIII. in præd. Bulla, & Sixto V. in Bulla *Dum attenta* anno 1477. Insuper Vrban. IV. qui sub anno 1161 Pontifex factus est, concessit Fratribus nostris anno 1. sui Pontificatus, vt Confratrum possent audire Confessiones, vt refertur ab eodem Sixto IV. in alia Bulla etiam sub titulo *Dum attenta*, anno 1476. Vt enim in nostris Annalibus tom 2. dicimus hæc Confraternitas propagari cœpit tempore B. Simonis Stoch Ordinis Generalis, qui priuilegium scapularis, & adiutorium Fratrum, & Confratrum 32

fratrum

Fratrum, & Confratrum post mortem à B. Virgine impetrauit. Huius enim singularis priuilegij occasione magnopere euulgata est B. Virginis deuotio, & Confraternitas. Cui etiam plures Summi Pontifices magna priuilegia concesserunt.

33 Primò enim Innocentius IV. vt dictum est, & ante ipsum Hadrianus II. Stephanus V. Sergius III. Ioannes X. & XI. & Sergius IV. vt refertur in prædicta Bulla Gregor. XIII. omnibus Christi fidelibus verè pœnitentibus contritis, & confessis qui Confratriam Ordinis assumerent, & eam intrarent tertiam partem omnium peccatorum in Domino relaxarunt. Quia tamen Paul. V. ann. 1606. vt infra videbitur omnes indulgentias Confratrum antiquas cassauit, nouis alijs adiunctis, & concessis, ideo hæc remissio peccatorum quæ verè indulgentia est, pro vt concessa ab hoc Pontifice nullius est momenti. Maiorem tamen indulgentiam Paulus Pontifex concessit, videlicet plenariam, ingredientibus prædictam Confraternitatem, vt ex dicendis constabit.

34 Deinde Vrb. IV. ann. 1. sui Pontificatus magnam Fratribus, & Confratribus nostris concessionem fecit, videlicet quod Sacerdotes Ord. nostri possent confratrum nostrorum ad se recurrentium confessiones audire, de suorum (id est ipsorum confratrum) Prælatorum licentia, nisi ea forte talia commisissent propter quæ Sedes Apostolica esset consulenda. Huic concessioni (inquit Cæsar. *in Comp. priu. Mend. v. absolutio, quoad sæculares* 1.) non reperitur similis in priuilegijs Mendicantium. Ea n. conceditur vt sine vlla approbatione Ordinarij possint Fratres nostri sæcularium confessiones audire, & à casibus etiam Episcopalibus absoluere. Sed quoad primum derogatum est per Concil. Trident. vt dictum est *tomo primo capite decimonono, à n. 2.* Quoad secundum verò etiam est omnino sublatum propter decreta S S. Congregat. adductus eod. *c. 19. n. 17.*

35 Præterea Clemens VII. ann. 1530. pridie Idus Augusti in Bulla *Ex Clementi* quæ habetur in 1. tomo Laërtij Cherubini inter Bullas huius Pontificis num. 31. plures gratias, & indulgentias confraternitatibus nostris concessit. Primò etenim singulare illud priuilegium de adiutorio à B. Virgine præstando animabus Fratrum, & Confratrum post eorum mortem approbauit, & innouauit. Id autem priuilegium illis verbis à Pontifice in Bulla relatis continetur. Sanè pro parte dilectorum Filiorum Nicolai Audeth Generalis, ac Prouincialium, & Priorum domorum Ordinis B. Mariæ Virginis de Monte Carmelo, necnon confratrum vtriusque sexus Confraternitatum in Ecclesiis domorum eiusdem Ordinis institutarum, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod aliàs felic. recordat. Ioannes XXII. & Alexand. V. Roman. Pontif. prædecessores nostri vniuersis, & singulis Christi fidelibus qui Confraternitatem de Monte Carmelo ingredi, seu Confratrum Confraternitatum huiusmodi numero ascribi, ipsiusque Ordinis statuta obseruare, ac habitum dicti Ordinis deferre, seque Fratres, & Sorores dicti Ordinis appellare, ita quod si mulier Virgo castitatem, vidua verò continentiam, coniugata tamen matrimonij iura prout Sancta Ecclesia præcipit tempore earum ingressus inuiolabiliter seruare velle promitterent, & obseruarent, tertiam partem suorum peccatorum in Domino relaxarunt, ac ipsa gloriosissima Dei Genitrix semper Virgo Maria, ipsorum Confratrum, seu Religiosorum, ac Sororum animas, post eorum transitum, suis intercessionibus continuis, pijs suffragijs, & speciali protectione adiuuabit. Quodque Fratres ipsi gratiarum earumdem prædecessorum participes fieri volentes, horas Canonicas, iuxta formam ab Alberto Patriarcha dicto ordini, concessam, & ordinatam recitare, ignari verò litterarum, diebus quibus S. Ecclesia ieiunare præcipit, ieiunare, necnon quarta feria, & Sabbatho toto tempore vitæ eorum præterquam die qua aliquarum ex feriis prædictis natiuitatem Domini Nostri Iesu Christi occurrere contigerit, à carnibus abstinere deberent. Hæc ibi.

Inferius etiam amplissima hæc priuilegia eisdem Confratribus concessit. Omnibusque, & singulis vtriusque sexus Confratribus, & cuilibet eorum, aliquem Presbyterum idoneum sæcularem, vel cuiusuis Ordinis etiam Mendicantium, & de obseruantia regularem in suum possint eligere confessorem, qui vita eis comite, eos & eorum quemlibet à quibusuis etiam maioris excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, à iure vel ab homine quauis occasione, vel causa pro tempore latis, & quibus etiam pro tempore irretiti fuerint, etiamsi illorum absolutio Sedi prædictæ specialiter, vel generaliter (præterquam per litteras in Cœna Domini legi solitas) reseruata foret, ac quorumcumque votorum, & iuramentorum, necnon Ecclesiæ præceptorum transgressionibus, periuriorum, simoniæ, & homicidij, mentalis, vel casualis reatibus, manuum violentarum in quasuis personas Ecclesiasticas, non tamen Episcopos, vel eorum Superiores de præterito iniectionibus, ieiuniorum, horarum Canonicarum, diuinorum officiorum, ac pœnitentiarum iniunctarum, in toto, vel in parte omissionibus, omnibusque aliis eorum peccatis criminibus, excessibus, & delictis quantumcumque grauibus, & enormibus, etiam talibus propter quæ Sedes prædicta merito consulenda foret, in casibus dictæ Sedi qualitercumque reseruatis (exceptis contentis in dictis litteris Cœnæ Domini) semel in vita, & in mortis articulo, de aliis verò dictæ Sedi non reseruatis casibus toties quoties opportunum fuerit, eorum confessionibus diligenter auditis absoluere, illisque pro commissis pœnitentiam salutarem iniungere. Vota verò visitationis quæcumque vltramarina (liminum Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum de Vrbe, ac Sancti Iacobi in Compostella, necnon Religionis, & castitatis votis dumtaxat exceptis) in alia pietatis opera commutare, & iuramenta quæcumque sine tertij præiudicio relaxare, ac omnium eorum peccatorum semel in vita, & in mortis articulo, vt præfertur, etiamsi tunc non subsequatur, plenariam remissionem, & absolutionem auctoritate Apostolica impendere possit. Liceatque omnibus, & singulis vtriusque sexus Confratribus prædictis, & cuilibet eorum, habere Altare portatile cum debitis reuerentia, & honore, super quo in locis ad hoc congruentibus, & honestis, etiam non sacris, & quauis etiam Apostolica auctoritate interdictis, seu tempore cessationis à diuinis, dummodo causam non dederint huiusmodi interdicto, seu cessationi, & per eos non stet quominus pareatur Apostolico interdicto, etiam antequam illucescat dies, circa tamen diurnam lucem, seu circa meridiem, cum qualitas negotiorum pro tempore ingruentium id exegerit, in eorum præsentia, clausis ianuis, excommunicatis & interdictis 36

interdictis exclusis, non pulsatis campanis, & submissa voce Missas, & alia diuina officia per Sacerdotes sæculares, vel Regulares huiusmodi celebrare, ac quocumque tempore Eucharistiam, & alia sacramenta Ecclesiastica à quocumque maluerint Presbytero idoneo, & vbicumque sine Rectoris Parochialis Ecclesiæ præiudicio, recipere, & ministrare liberè, & licitè valeant, & si contingat, eos, vel eorum aliquem, tempore interdicti huiusmodi ab humanis decedere, corpora eorum Ecclesiasticæ cum aliqua honesta tamen funerali pompa tradi possint sepulturæ. Quodque singulis quadragesimalibus, & alijs cuiuslibet anni temporibus, & diebus Stationum Basilicarum, & Ecclesiarum Almæ Vrbis Romæ, & extra illius muros, vnam, vel duas Ecclesias, aut vnum, duo, vel plura Altaria in partibus illis, vbi eos, seu eorum aliquem residere, seu quo declinare contigerit, quas, vel quæ ipsi, vel quilibet eorum duxerint eligendas, vel eligenda deuotè visitando, tot, & singulas, ac simeles indulgentias, & peccatorum remissiones consequantur quas consequerentur, si singulis diebus easdem singulas dictæ Vrbis, & extra eam Ecclesias pro Stationibus huiusmodi deputatas personaliter visitarent. Hæc ibi.

37 Circa quæ notandum aliqua ex istis omnino sublata esse, alia moderata, alia verò in sua vi, & robore permanere. Primo enim illud de eligendo confessore, intelligendum est dummodo ille sit approbatus ab Ordinario iuxta decretum Concil. Trid. *sess.23. cap.15.* & Bullam Clementis VIII. prout suprà *num.* 16. dictum manet. Similiter quoad censuras, & casus reseruatos à quibus absolui posse à prædicto confessario Confratres concedit hic Pontifex, vide limitationem Clementis VIII. loco citato, quoad hoc enim priuilegia, hæc Clementis VII. etiam moderata sunt. Vide etiam dicta *tom.1.c.19.n.20.* Quoad illud de facultate commutandi vota, & iuramenta exceptis illis de quibus ibi est sermo, non video vllam reuocationem, & ita manet, vt credo, in sua vi. Notandus tamen error qui in prædicta Bulla quoad hoc punctum videtur esse. Cum enim dicitur. *Vota vero visitationis quæcumque vltra marina (liminum Beatorum Petri &c. exceptis)* errore Scriptoris ita factum esse videtur, ita vt dici deberet : *Vota verò quæcumque (visitationis vltramarinæ, liminum Beatorum Petri, &c. exceptis.)* Intentum enim Pontificis illud videtur esse, vt quæcumque vota exceptis visitationis vltra marinæ, liminum Apostolorum S. Iacobi in Compostella, Religionis, & castitatis possent commutari in alia pietatis opera. Hic enim est communis modus concedendi hanc facultatem. Alias enim si prout in prædicta Bulla iacet esset legendum sequeretur posse prædictos confessarios commutare Confratrum vota visitandi S. Sepulchrum, non autem recitandi semel coronam Virginis quod est absurdum. Circa illud priuilegium pro tempore interdicti modo ibi assignato non videtur fuisse reuocatum à Concil. sed in suo vigore permanere. Etsi enim Concilium Tridentinum *sess.25. cap.12.* iusserit interdicta omnia à Regularibus obseruari debere, tamen nec ibi nec in *cap.22.* vbi reuocantur priuilegia contraria, loquitur de Confratriis, aut Confratribus, sed solum de Religiosis. Illud vero de altari portatili ea parte qua dicitur etiam in locis non sacris posse esse vsum illius videtur reuocatum à Concil. *sess.22. in decret. de obseruand. & vitand. in celebration. Missarum*, quatenus ibi ordinatur *ne in priuatis domibus, atque omnino extra Ecclesiam, & ad diuinum tantum cultum dedicata oratoria,* Sanctum Sacrificium peragatur cum reuocatione priuilegiorum in fine. Quamuis hoc non sit ita certum vt oppositum probabiliter dici non possit, asserendo Concilium solum loqui contra eos, qui regulariter, aut continuò vtuntur prædicto Altari portatili extra Ecclesiam, non de iis qui in casu particulari, & raro contingenti, scilicet, in casu interdicti, eo vtuntur. Illud de sepultura tempore interdicti non video esse reuocatum. Fauet Gauantus *in Man. Episcoporum verbo interdictum n.* 50. Reuocatæ tamen sunt illæ Indulgentiæ pro diebus Stationum Romæ à Paulo V. vt inferius dicetur.

Demum idem Pontifex concedit in dicta Bulla omnibus aliis, qui gratiis eorumdem Confratrum gaudere voluerint, vt aliquam eleemosynam, siue charitatem prout eis, ac præsidentibus Confraternitatum huiusmodi visum fuerit, dando, & largiendo gratiarum huiusmodi participes fiant. Quia tamen Pius V. anno 1567. in Bulla *Est Dominici*, quæ habetur in 2. tom. Bullar. inter Bullas ipsius *n.* 30. omnes indulgentias pro quibus porrigendæ sunt manus adiutrices cassauerit, & annullauerit, ideo prædicta concessio, saltem quoad Indulgentias nullius est roboris, & momenti, nisi forsan ea faciant in quæ Greg. XIII. infra referendus huiusmodi Indulgentias propter eleemosynas, & manus adiutrices lucrandas, commutauit. Et hoc non quoad Indulgentias personales, quia istæ sunt postea à Paulo V. reuocatæ, & coarctatæ, sed quoad locales, v. g. pro Ecclesias nostras visitantibus. Quoad alia vero priuilegia, non video tam manifestam derogationem in dicta Bulla Pij V. & propterea nihil audeo decernere aliorum iudicium expectans. 38

Postea Greg. XIII. anno 1577. in Bulla *Vt laudes* referens gratias, & priuilegia Ordini, ac Confraternitatibus nostris concessa, quæ approbat, & confirmat sic dicit. [1] *Idemque Ioannes XXII. pro animabus quæ in Purgatorio existunt, & habitum huius Religionis gestarunt, vel eorum Confraternitatem ingressi fuerint, vel Confratrum numero ascripti in honorem eiusdem B. Mariæ Matris Dei, die Sabbati post eorum transitum, intercessionibus continuis piis suffragiis, & meritis, ac speciali protectione adiuuandis publicauit, corroborauit, & confirmauit.* Inferius etiam quæ Clemens VII. post Ioannē XXII. & Alexand. V. Fratribus, & confratribus, concessit referens, ea etiam approbauit, & confirmauit, clausula tamen porrigendi eleemosynas, & manus adiutrices, dempta, & in alia opera commutata. Videlicet, *quod hi Christi fideles, qui illas consequi voluerint, Ecclesias visitando sint contriti, & confessi, ac loco eleemosynæ prædictæ iuxta prædecessorum prædictorum voluntatem erogandæ septies orationem Dominicam, itidemque salutationem Angelicam, recitent, vel habitum dicti Ordinis sicut in litteris Apostolicis piæ memoriæ Ioannis Papæ XXII. ac Alexandri V. necnon Pij V. prædecessorum nostrorum continetur gestent, vel vesperas pro defunctis recitent, aut ante Sanctissimi Domini Nostri Iesu Christi Corpus terram exosculentur, ac pro hæresum extirpatione, sanctæque Matris Ecclesiæ tranquillitate, Christianorumque Principum pace, & vnione pias ad Deum preces effundant, & alias iuxta dictorum prædecessorum nostrorum litterarum seriem orent, aliaque peragant.* Hæc Gregor. XIII. in præd. Bulla. 39

Tandem

Tandem Paulus V. Romæ apud S. Petrum die 30. Octob. anno 1606. in Bulla *Cum certas*, reuocatis, cassatis, omnibus, ac singulis indulgentiis, peccatorum remissionibus, ac pœnitentiarum relaxationibus concessis confraternitati nostri Ordinis, nonas has indulgentias ipsi concessit, his verbis. Omnibus vtriusque sexus Christi fidelibus, dictam Confraternitatem vbique locorum, tam hactenus canonicè (vt præfertur) institutam, quam deinceps vt infra instituendam de cætero ingredientur, & habitum receperint, die primo eorum ingressus si verè pœnitentes, & confessi Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint plenariam. Ac tam ipsis pro tempore describendis quam iam descriptis in dicta Confraternitate Confratribus, & Consororibus, etiam verè pœnitentibus, & confessis, ac Sacra Communione refectis qui in festo principali Commemorationis eiusdem Beatæ Mariæ, die 16. mensis Iulij, aut iuxta ritum nonnullorum locorum die Dominica immediatè sequenti celebrari solito Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, ac pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, etiam plenariam. In mortis quoque articulo eisdem vtriusque sexus confratribus, qui pœnitentes, & confessi, ac Sanctissima Communione refecti, nomen Iesu ore, si potuerint, sin autem corde deuotè inuocauerint, plenariam similiter omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus, necnon ipsis confratribus, & consororibus qui similiter pœnitentes, & confessi, ac Sacra Communione refecti Processioni in vna Dominica cuiuslibet mēsis per dictam confraternitatem, de Ordinarij licētia faciendæ deuotè interfuerint, & ibi (vt præfertur) orauerint, septem annos, & totidem quadragenas. Ipsis vero, qui ab esu carnis his diebus quibus confratres dictæ Confraternitatis ex illius instituto vesci non solent, abstinebunt, tercentum dies. Qui autem qualibet die septies orationem Dominicam, & toties Salutationem Angelicam ad honorem septem gaudiorum eiusdem Beatæ Mariæ Virginis recitauerint quadraginta dies, nec non etiam qui cum habitu eiusdem Cōfraternitatis pœnitentes, & confessi semel in mense Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, & vt præfertur, orauerint, quinque annos, & totidem quadragenas. Iis vero confratribus, & consororibus qui pœnitentes, & confessi in qualibet ex festiuitatibus eiusdem Beatæ Mariæ Virginis dictum Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum in Ecclesia, vel Capella dictæ Confraternitatis deuotè sumpserint, & vt supradictum est, orauerint, tres annos, & totidem quadragenas, qui autem cum lumine dictum Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum quando ad infirmos defertur comitati fuerint, & pro eisdem infirmis pias ad Deum preces effuderint, quinque annos, & totidem quadragenas. Qui vero corpora defunctorum, tam Confratrum, & Consororum quam aliorum ad sepulturam associauerint, & pro eorum animabus ad Deum orauerint, centum dies. Quoties vero prædicti confratres, & consorores officium eiusdem B. Mariæ Virg. deuotè recitauerint cētum dies. Qui vero Missis, & aliis diuinis officiis in Ecclesia, vel capella, aut oratorio dictæ confraternitatis pro tempore celebrandis, & recitandis (siue Congregationibus, publicis, vel priuatis eiusdem Confraternitatis vbiuis faciendis interfuerint, aut pauperes hospitio susceperint, aut eis in eorum necessitatibus, vel in periculo peccandi existentibus auxiliati fuerint, aut eleemosynas temporales, vel spirituales eis dederint, vel pacem cum inimicis propriis, vel alienis composuerint, seu componi fecerin, vel procurauerint, aut deuium aliquem ad viā salutis reduxerint, & ignorantes Dei præcepta, & ea quæ ad salutem sunt docuerint, aut quodcumque aliud pietatis, vel charitatis opus exercuerint, toties pro quolibet prædictorum piorum operum centum dies de iniunctis eis, seu alias quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Ecclesiæ consueta relaxamus. Ac dilecto filio nunc, & pro tempore existenti Priori Generali dicti Ordin. Carmelitarum, vel illo absente eius Vicario Generali huiusmodi Confraternitatem B. M. de Monte Carmelo vbiuis locorum extra Vrbem erigere, & instituere, illique omnes supradictas Indulgentias, & gratias spirituales (seruata tamen forma præscripta in Const. felic. record. Clementis prædecessoris super dictarum confraternitatum aggregationibus, & institutionibus edita) communicare similiter liberè, & licitè possit, & valeat auctoritate Apostolica tenore præsentium facultatem concedimus, & impartimur.

Quia tamē in hac Bulla ipsis confratribus, & cōsororibus assistētibus Processioni in vna Dominica cuiuslibet mensis per dictam confraternitatem faciendæ septem annos, & totidem quadragenas cōcesserat, vt præmissum est, postea sub an. 1609. plenariam Indulgentiam eisdem concessit, vere tamen pœnitentibus, confessis, & S. Cōmunione refectis, & orantibus pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac S. Matris Ecclesiæ exaltatione. Item anno 1614. supplicante Theodoro Stratio eo temporis Procuratore Generali, nunc vero Priore Generali Ordinis extendit prædictam Indulgentiam ad Confraternitates omnes sub inuocatione B. Mariæ Virginis de Monte Carmelo in quacumque Mundi parte de cætero canonicè erigendas. 41

Circa prædictas autem Pauli V. Indulgentias aliqua notanda. Primum, quod per huiusmodi reuocationem. Indulgentiarum non sunt reuocatæ, aut cassatæ illæ quæ concessæ erant Ecclesiis Ordinis nostri, iuxta dicta *tom. 1. cap. 3. num. 19.* Pro quo vide Gauantum *in Man. Episcop. verb. Indulgentiæ num. 25.* Secundum probabile forsan esse, nec etiam reuocatas esse Indulgentias concessas confratribus defunctis, aut in articulo mortis constitutis, propterea quæ dicta sūt citato loco, in hoc tamē aliorum iudicio me remitto. Tertium, quod licet ad lucrandas prædictas Indulgentias, sufficiat facere ea quæ à prædicto Pontifice designantur, ad fruendum tamen singulari priuilegio, quod vulgo Bullæ Sabbathinæ nuncupatur, videlicet, de auxilio, & patrocinio à B. Virgine præstando animabus Confratrum in Purgatorio existentibus post ipsorum mortem præcipuè die Sabbathi requiruntur sequentes conditiones. 42

Prima est, habitum, seu scapulare B. Virginis in vita gestare. Ita enim habetur in Bullis Ioannis XXII. Alex. V. Clem. VII. Greg. XIII. ac in decreto S. Inquisitionis Romanæ anno. 1613. qui habitus, seu scapulare coloris grissei debet esse, & saltem pro prima vice ab aliquo Prælato Ordinis, seu ab ipso auctoritatem habente benedictum. Declaratur autem in nostris Constitutionibus *part. quarta capite 28. numero sexto.* Superiorem qui potest habitum 43

habitum benedicere, & hanc facultatem delegare esse Generalem Ordinis pro tota Ecclesia, Prouinciales pro suis Prouinciis, Priores verò locales posse quidem id facere per se ipsos non tamen aliis delegare hanc facultatem. Debere autem dari tale scapulare, vel habitum à Superioribus Ordinis colligitur à simili de chorda D. Franc. quam debere similiter à Superioribus eiusdem Ordinis dari confratribus eius confratriæ expressit Sixtus V. in Bulla *Diuinæ charitatis*, anno 1587. apud Rodriguez *tom.* 1. *quæst. Regul. quæst.* 58. *artic.* 1. Vbi etiam de benedictione talis chordæ à Superioribus facienda. Hic autem notandum à S. Congregatione declaratum esse, prout refert Barbosa *in Collect. Bullar. verb. confratres*, posse concedi confratribus sæcularibus habitum patientiæ, quæ solis Religiosis propriè conuenit. Quod intelligo quoad formam, & materiam, non quoad longitudinem, seu latitudinem.

44 Secunda, saltem ex consuetudine, & conformiter ad nostras Constitutiones *part.* 4. *cap.* 28. *num.* 7. imò conformiter ad Bullam Pauli V. *supra num.* 40. describi in libro confraternitatis. Quia tamen in Bulla Greg. XIII. & verbis adductis *num* 39. sub disiunctione ponitur, vel ingredi confraternitatem, vel confratrum numero ascribi, non videtur prædicta conditio essentialis, licet sine dubio obseruanda pro maiori cautela, maximè quia similis conditio pro confraternitate chordæ S. Francisci videtur necessaria, vt affert Rodriguez *tomo primo quæst. Regul. quæst.* 58. *articulo primo*. & pro omnibus confraternitatibus id habet Flauius Cherubinus *in Compend. Bullar. in Sixto V. n.* 13. *scholio* 2.

45 Tertia, seruare castitatem respectiuè ad statum in quo sunt confratres, & consorores. Hæc enim conditio à Summis Pontificibus relatis designatur. Quæ non sic est intelligenda, vt Confraternitatem ingredientes, teneantur votum castitatis emittere, quemadmodum Fratres in professione, sed quod castitatem pro suo statu colant. Nec ita est intelligenda quod statum mutare nequeant. Confratres enim soluti, & Consorores Virgines ad nuptias transire possunt, & tunc ad coniugalem castitatem, non ad Virginalem tenebuntur. Vnum etiam aliud pro hac (idem dico pro sequenti) conditione aduertendum est, quod scilicet quamuis aliquis humana fragilitate ductus semel, bis, aut pluries contra castitatem peccauerit, si tamen pœniteat, firmiterque proponat iterum eam seruare, vt huius priuilegij particeps efficiatur, non propterea incapax ipsius efficietur.

46 Quarta conditio est, recitare officium Canonicum, si illud recitare nouerint, sin autem non nouerint, loco officij, Ecclesiæ ieiunia obseruare, & feria 4. & Sabbatho à carnibus abstinere, nisi vbi in his diebus Natiuitatis Domini festum inciderit. Sic enim habetur in prædicta Bulla Clem. VII. referentis Ioannem XXII. & Alexand. V. & in decreto adducto S. Inquisitionis Roman. an. 1613. & indicatur in lectionibus officij Commemorat. solénis B. Virg. Mariæ de Monte Carmelo à S. Congregatione Rituum approbatis. Licet autem in prædicta Clem. VII. Bulla ex Ioanne XXII. & Alexand. V. dicatur hoc officium debere esse *horas Canonicas iuxta formam ab Alberto Patriarcha dicto Ordini concessam, & ordinatam*, quia tamen in prædicto decreto S. Inquisitionis Romanæ dicitur. *Officiumque paruum recitauerint*, denotari videtur, Ecclesiam auctoritate qua pollet explicasse officium illud canonicum ad lucrandum hanc gratiam requisitum sufficienter suppleri per officium paruum Beatæ Virginis, ita vt non recitantibus magnum officium, sufficiat paruum Beatæ Virginis recitare. Probabile etiam confessarios posse cum legitimè impeditis prædicta requisita in alia opera pia æquiualentia commutare. Id enim de benignissima Virgine Maria hanc gratiam concedente, & de Summis Pontificibus etiam approbantibus credi debet.

Solus Pater Generalis Ordinis pro tempore existens, & in sua absentia eius Vicarius Generalis, ex indulto Pauli V. potest vbique locorum extra Vrbem seruata forma præscripta à Clem. VIII. de qua infra, Confraternitates habitus erigere, & instituere, illisque Indulgentias, & gratias spirituales auctoritate Apostolica liberè, & licitè communicare. Vicarius autem Generalis Congregationis Mantuanæ, vt pluries declarauit Sacra Congregatio super indulgentiis, solum in Ecclesiis ipsius Congregationis ex indulto eiusdem Pauli V. Quoniam autem in Ordine nostro duo alij sunt supremi Generales præter nostrum Discalceatorum primitiuam Regulam profitentium, vnus Congregationis Hispaniæ, alter Congregationis S. Eliæ, eadem Sacra Congregatio super Indulgentiis declarauit vnumquemque eorum liberam habere facultatem instituendi vbique locorum Confraternitatem nostram. Ita in nostris constitutionibus *part.* 5. *cap.* 28. *num.* 1. Quæ placuit hic transcribere pro maiori luce dicendorum. 47

Dubitari tamen potest an Pater Generalis (idem dico de PP. Generalibus PP. Discalceatorum, & Vicario Generali Congregat. Mantuanæ respectiuè) possint confraternitates nostras instituendi facultatem aliis delegare. Videtur enim probabile quod sic, quia iuxta dicta *tom.* 1. *cap.* 18. *n.* 4. Commissarius ex priuilegio perpetuo potest aliis suas vices delegare, facultas autem hæc instituendi confraternitates est priuilegium perpetuum, præsertim quia Paul. III. concessit Generali Societatis, vt *omnes gratias, concessiones, & indulta sibi concessa à Sede Apostolica exercere possit per Vicarios, aut personas ad id sibi bene visas.* Suarez 4. *tom. de Relig. tract* 8. *lib.* 2. *cap.* 22. *num.* 8. Similiter Sixt. V. in Bulla *Dum ineffabilia* ann. 1586. edita quæ est *in* 2. *tom. Bullar.* inter Bullas Sixti V. *num.* 21. facultatem concessit omnibus Fratribus Ordinis Prædicatorum designandis à Generali, vel Vicario Geneli eiusdem Ordinis instituendi confraternitates Rosarij vbique. His enim priuilegiis videtur vti posse Generales Ordinis nostri Nihilominus Reuerendissim. Theodorus Stratius generalis Ordinis cautius, & prudentius per se solum instituit etiam absens confraternitates, in illis, scilicet locis, quos Prouinciales designant, committendo tamen ipsis vt loca designent cum conditionibus à Clem. VIII. requisitis. 48

Item cum vnica tantum instituti nostri confraternitas erigi possit in eodem loco, iuxta dicta *supra* ex Clem. VIII. *n.* 8. ideo ad conseruandam bonam pacem inter nostros, & Patres nostros Discalceatos an. 1616. die 24. Aug. Romæ Reuerendiss. Magister Sebastianus Fantonis prior generalis Ordinis, Reuerendiss. P. Fr. Ferdinandus à S. Maria præpositus generalis nostrorum PP. Discalceatorum Congregationis Sancti Eliæ, ac admod. Reuerend. Patrem Franciscus à Sanctiss. Sacramento Procurator Generalis Congregationis Hispaniarũ eorumdem PP. Discalceatorum in hanc deuenerunt concordiã his verbis descriptã in Bulla Pauli V. *Ad ea per quæ* an. 1617. die 24. Aprilis qua prædicta concordia ab 49

hoc Pontifice approbatur, & confirmatur. Ideo prædicti Patres Reuerendiss. P. Magister Generalis, & Reuerendiss. P. Præpositus generalis, & Procurator Generalis Hispaniæ sub vna Beatissimæ Virginis tutela militantes, vt charitas mutua sine vllius offensione foueatur; sponte, &c. & omni, &c. nominibus prædictis conueniunt, & paciscuntur hoc proposito medio, videlicet, vt vbi Fratres Carmelitani erectam iam habeant confraternitatem possint Discalceati sanctum Scapulare petentibus concedere, sodalesque ita admittere, vt eo ipso confraternitati Patrum Carmelitarum adscripti censeantur, & sint, & easdem indulgentias, priuilegia, facultates, aliasque spirituales gratias, & indulta consequantur modo quo supra. Item quoad processiones tam præcipuam mensis Iulij ad Sanctissimæ Virginis Commemorationem solemnem fieri solitam, quam alias, quæ in aliqua Dominica singulorum mensium fiunt, quibus assistentibus confratribus, & consororibus plenaria Indulgentia per SS. D. N. Paulum Papam V. sub die 3. Augusti 1609. in perpetuum concessa est, & postea ab eodem sub die 19. Iulij 1614. ad omnes in posterum erigendas in quauis mundi parte confraternitates extensa, ita pariter conueniunt, & paciscuntur, vt vbi confraternitas in domibus Patrum Discalceatorum fuerit erecta, nolintque ipsi dictam processionem, seu processiones facere possint PP. Carmelitani eam, vel eas celebrare, illique vel illis assistentes confratres lucrentur Indulgentiam, ac si in eorum domo esset confraternitas; & è conuerso si in domibus PP. Carmelitarum fuerit erecta confraternitas, nolintque ipsi processionem celebrare, possint PP. Discalceati eam facere, confratresque assistentes consequantur Indulgentiam prædictam, quia sic inter eos actum, &c. Hæc ibi. Habetur hæc Bulla in lib. cui titulus est *Priuilegia Ordinis Fratrum Carmelitarum Discalceatorum à pag. 126.*

50 Statuta etiam sunt hæc pro institutione prædictarum confraternitatum in nostris constitutionibus *p. 4. cap. 28. num. 3.* Et ne, quod in fauorem nostræ Religionis à Summis Pontificibus concessum fuit aliquando in illius detrimentum vergat Reuerendiss. Pater in posterum confraternitatem nostram in exteris Ecclesiis præsertim aliorum Regularium non instituat, nisi sub hac expressa conditione, quod si temporis successu nostra Religio domum in eodem loco fundauerit, institutio confraternitatis in aliena Ecclesia facta eo ipso penitus expiret, nulliusque reddatur valoris, & momenti, & valeat P. Generalis nouam erectionem in nostra Ecclesia seruatis seruandis facere: & nisi etiam sub iuramento promittant tum Superiores exterarum Ecclesiarum in quibus instituenda fuerit confraternitas, tum confratres, quod nec directè nec indirectè nec per se, nec par alios vllo vnquam tempore impedient, quominus possimus nos, si se obtulerit occasio, nouum ibi Monasterium acquirere, imò expresè potestentur se ad id quatenus opus fuerit, ex nunc pro tunc suum præbere consensum. Hæc ibi. [Vnde declaratum video à Sac. Congregatione Episcoporum & Regularium sub 15. Septembris 1634. confraternitatem nostram erectam in quadam Ecclesia Patrum Augustinianorum suspendi debere, vt posset institui in Ecclesia nostri Ordinis.

51 Grauissima Rosarij B. Virginis Mariæ confraternitas, quam clarissima Dominicanorum PP. familia habet, iuxta Nauar. *in Miscellaneis de Psalterio, & Rosario Virginis Matris Miscellaneo 4.* cœpit ann. 1476. à quodam egregio Doctore Prouinciali eiusdem ordinis nomine Icobo Spenger, qui simul vocatur (?) nos Monasterij Prædicatorum Coloniæ, quibusdam Statutis super ingressu, & obligatione Confratrum adiectis, quam Alexander Legatus ad instantiam Imperatoris Federici III. & eius vxoris Augustæ confirmauit, & indulgentias auxit. Hæ autem indulgentiæ, prout constat ex Bulla Leonis X. inferius referendæ sunt, confratribus, seu consororibus in singulis quinque Beatæ Virginis Mariæ festiuitatibus, scilicet Annunciatione, Visitatione, Assumptione, Natiuitate, & Purificatione centum dies Indulgentiæ, & quoties Rosarium per se, vel per alium legerent, vel legi facerent, seu Sabbatis, & festiuis diebus decantationi *Salue Regina*, quod in dicta Ecclesia cantabatur, interessent, quadraginta dies.

Deinde Sixtus IV. in Bulla *Ea quæ ex fidelium*, 52
anno 1479. in 1. tom. Bullar. inter Bullas eiusdem Sixti *num.* 18. ad instantiam Ducis, & Ducissæ Britanniæ approbauit antiquum vsum orandi qui dicitur Psalterium, seu Rosarium B. Virginis, quo scilicet toties Angelica Salutatio *Aue Maria* dicitur, quot sunt Psalmi in Psalterio Dauidico, scilicet 150. singulis decem Salutationibus orationem Dominicam semel præponendo, concedens insuper pro qualibet quinquagena prædicti Psalterij quinque annos, & totidem quadragenas Indulgentiæ. Constat etiam ex Leone X. in Bulla *Pastoris æterni* anno 1520. edita in *Apendic. ad Bullarium n. 2.* inter *Bullas Leonis* eumdem Sixt. IV. voluisse, & ordinasse quod omnes, & singuli confratres vtriusque sexus confraternitatem prædictam seruantes tam in dicta Ciuitate Coloniensi, quam vbicumque locorum verè pœnitentes, & confessi, qui orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam prædictam modo præmisso dicerent in singulis Natiuitatis, Annunciationis, Assumptionis eiusdem B. V. Mariæ festiuitatibus Indulgentiam septem annorum, & totidem quadragenarum consequerentur.

Successiuè Innocentius VIII. cum anno 1483. 53
vel 1484. Bartholomæus de Comatiis Generalis eorumdem Patrum Dominicanorum Capitulum Generale Romæ celebraret, vt constat ex prædicta Bulla Leonis X. Bartholomæo Generali viuæ vocis oraculo, omnibus qui tunc erant, & in futurum essent de dicta confraternitate, & per hebdomadam dicerent Psalterium B. Mariæ Virginis, huiusmodi plenariam omnium peccatorum suorum remissionem, semel in vita, & semel in mortis articulo, ac etiam receptis per litteras ad beneficia dicti Ordinis, non autem quæstu, sed deuotionis causa, concessit, de qua concessione per litteras testimoniales ipsius Bartholomæi sui secreti sigilli seu signati (vsualis impressione munitas constat.

Insuper, vt etiam ex eiusdem Leonis Bulla con- 54
stat *Raymundus tit. S. Mariæ nouæ Presbyter Cardinalis tunc per Germaniam dictæ Sedis Legatus*, eis*dem Confratribus, & consororibus, pro quolibet Rosario centum dies Indulgentiarum perpetuò, & similiter plures, ac diuersi locorum Ordinarij singuli Indulgentiam 40. dierum concesserunt, prout etiam in Raymundi Cardinalis Legati, necnon Alexandri Episcopi, & Nuncij, & Ordinariorum huiusmodi singulis desuper confectis litteris dicitur plenius contineri.*

Post quæ idem Leo X. in Bulla relata confraterni- 55
tatē, ritum, seu modum orandi, & prædictas Indulgentias

gentias per Sixtum, Innocentium Legatum, & Ordinarios prædictos concessas approbauit, aliasque Indulgentias, & priuilegia his verbis concessit. De omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, Ioanni Duci, Mariæ Ducissæ, Sybillæ Marchionissæ, Ioanni Præposito, Priori, ac Fratribus Prædicatoribus, & eorum singulis, ac vniuersis, aliisque vtriusque sexus Christi fidelibus dictæ confraternitatis confratribus, & consororibus, vbilibet existentibus, tam præsentibus, quam futuris, verè pœnitentibus, & confessis, seu confitendi propositum habentibus, qui ter in hebdomada dictum Rosarium deuotè orauerint, vt præfertur pro qualibet vice alios decem annos, & totidem quadragenas de iniunctis eis pœnitentiis misericorditer in Domino relaxamus. Ac quod omnes prædicti eorum singulis in Pascha Resurrectionis, & festiuitatibus prædictis, ac tribus diebus singulis festiuitatum earumdem præcedentibus, cuicumque Presbytero domus Ordinis Prædicatorum Fratrum professorum per eorum singulos pro tempore eligendos peccata sua confiteri valeant, ipseque Presbyter eorum confessionibus diligenter auditis, ipsos, & eorum singulos ab omnibus, & singulis excommunicationibus, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à iure, vel ab homine, quauis occasione, vel causa latis, & promulgatis, necnon sacrilegiis, incestibus, adulteriis, pœnitentiarum iniunctarum, & diuinorum officiorum, & ieiuniorum omissionibus, aliisque eorum peccatis, criminibus, excessibus, delictis, quantumcumque grauibus, & enormibus, in singulis etiam Sedi Apostolicæ reseruatis casibus (contentis in Bulla singulis annis die Cœnæ Domini legi consueta, dumtaxat exceptis) absoluere, & eis pro commissis pœnitentiam salutarem iniungere, ac iuramenta quæcumque sine alicuius præiudicio relaxare, & vota quæcumque (vltramarina, visitationis liminum Beatorum Petri, & Pauli, præfatorum, ac S. Iacobi in Compostella, necnon Religionis, & castitatis votis dumtaxat exceptis) in alia pietatis opera commutare liberè possit, Ordinarij, & Archidiaconi loci, ac Rectorum Parochialium, & cuiusuis alterius licentia desuper minimè requisita. Qualiter autem hæc priuilegia absoluendi Confratres moderata, vel ablata iam sint vide dicta supra *num.* 37.

56 Ordinauit insuper, ac statuit, pro receptione, & conscriptione aliquorum Confratrum, siue Consororum in dicta Confraternitate, nihil omnino temporale exigi debere, sed sponte oblata dumtaxat recipi posse. Vide *d. sup. num.* 30.

57 Refert etiam idem Pontifex prædictam Confraternitatem iam olim prout in historiis legitur à S. Dominico institutam fuisse, & in diuersis mundi partibus prædicatam sequentibus signis. Quod etiam corroborant, quæ de hac historia referunt Dominicani Patres, specialiter Abrahamus Bzouius *tom.* 13. *Annal. circa ann.* 1213. *num.* 9. *& sequentibus*, vbi de quadam victoria meritis Beatæ Virginis Dei Matris accepta, aliisque miraculis Rosarij institutum comprobantibus, ex variis auctoribus agit.

58 Postea Clemens VII. in Bulla *Etsi temporalium*, anno 1534. edita, *in tom.* 1. Bullar. inter Bullas huius Pontificis *num.* 40. dictam Confraternitatem, Indulgentias, & priuilegia illi à Prædecessoribus concessa approbauit, & confirmauit. Declarauit etiam satis esse Rosarium in hebdomadæ cursu recitari, & quia Leo X. concesserat visitantibus quinque Altaria cuiuscũque Ecclesiæ, vel vnum, aut duo quinquies si quinque defuissent, Indulgentias Stationũ Almæ Vrbis, idem approbauit, & confirmauit. Item auxit Indulgentias concessas à Sixto IV. recitantibus Rosarium Beatæ Virginis. Animaduertit autem Laërtius Cherubinus Collector Bullarum in hac Bulla Clem. VII. eam approbatam fuisse à Paulo III. & Iulio III.

Item sub anno 1569. Pius V. duas edidit Bullas, seu Constitutiones circa huiusmodi Confraternitatem. Priorem 28. Iunij, & posteriorem die 17. Septembris, quæ habetur *in* 2. *tom. Bullar.* inter Bullas huius Pontificis *num.* 86. In priori decernit solum Priorem Generalem, aut ab eo deputatos, & Ambrosium Saluium Prouincialem prouinciæ Neapolitanæ posse Confraternitatem prædictam in quibuscumque Ecclesiis erigere, nullum Confratrẽ pro ingressu in Confratriã aliquid soluturum, posse Confratres ad quascumque processiones accedere, & in quibus corpora Defunctorum ad sepeliendum deferuntur, cum eorum insigniis, cuiusuis etiam Superioris licentia minimè requisita, prohibens ne dictis Generali, seu deputandis, & Ambrosio prædicto, aut ipsis Confratribus in præmissis aliquid molestiæ inferatur, ac illis concedens Indulgentias à prædecessoribus, præsertim Leone X. concessas. In posteriori autem prædictum Psalterium, seu Rosarium B. Virginis omniaque indulta, Indulgentias, & priuilegia per quoscumque Summos Pontifices, seu Legatos concessa confirmauit, & approbauit, facultatem percipiendi legata concessit, ac sequentes Indulgentias concessit his verbis. Et insuper quo quisque ad se numero Confratrum præfatorum aggregandum, promptior, & alacrior fiat. De omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus, & singulis Confratribus prædictis per deputatos prædictos descriptis, verè pœnitentibus, & confessis qui prima vice qua descripti fuerint, Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum in aliqua Ecclesia, aut Capella dictæ Confraternitatis perceperint, & vnam saltem quinquagenam Rosarij recitauerint, & pro tranquillitate Sanctæ Matris Ecclesiæ orauerint, necnon qui in mortis articulo constituti salutaris pœnitentiæ, & viatici Sacramento muniti fuerint plenariam omnium, & singulorum peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus, & elargimur. Qui verò in Resurrectionis Domini Nostri Iesu Christi, Annunciationis, & Assumptionis Beatæ Mariæ præfatum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, & partem Rosarij, vt præfertur, recitauerint, decem annos, & totidem quadragenas. Eisdem autem Confratribus qui in reliquis Domini Nostri Iesu Christi, & Beatæ Mariæ Virginis præfatorum festis diebus in quibus Sacra ipsius Rosarij mysteria recensentur, vnam saltem Rosarij quinquagenam recitauerint, necnon aliis omnibus, & singulis vtriusque sexus Christi fidelibus, etiam non confratribus qui in eiusdem Rosarij Processione, quæ mense quolibet fieri consueuit deuotè interfuerint, & pariter confratribus præfatis qui ipsum Rosarium integrum qualibet hebdomada deuotè recitauerint, septem annos, & totidem quadragenas de iniunctis sibi pœnitentiis, etiam misericorditer in Domino relaxamus. Hæc ibi. 59

Præterea Sixtus V. in Bulla *Dum ineffabilia anno* 1586. edita quæ est *in* 2. *to.* Bullarij inter Bullas Sixti 60

*n.*21. confirmauit, & approbauit Indulgẽtias, priuilegia, & indulta dictæ confraternitati à suis Prædecessoribus concessa, & pro potiori cautela ea de nouo concessit, & innouauit. Facultatem item concessit Fratribus dicti Ordinis Prædicatorum per magistrum, & Vicarium Generales pro tempore deputandis instituendi prædictas confraternitates Rosarij eisque erectis omnes gratias, & indulta elargiendi. Insuper sequentes eisdem confratribus indulgentias concessit, iis verbis. De omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus, & singulis vtriusque sexus confratribus singularum confraternitatum Rosarij huiusmodi, tam hactenus erectarum, quam in posterum erigendarum, vt præfertur, vbicumque nunc, & pro tempore existentibus, & in dictis confraternitatibus pro tempore descriptis, & describendis, itinerantibus, vel nauigantibus, ac seruientibus, totum Rosarium, infirmis verò, aut aliàs legitimè impeditis tertiam eius partem deuotè recitantibus, necnon temporibus debitis, & ab Ecclesia statutis, confitendi, & communicandi firmum propositum habentibus, qui Capellam B. Mariæ Rosarij in Eccl. ipsius B. Mariæ supra Mineruam de Vrbe eiusdem Ordinis Prædicatorum institutam, vel alias Eccles. seu Capellas vbicumque dicta confraternitas canonicè fundata fuerit, iis diebus festa mysteriorum eiusdem Rosarij celebrantur visitare, & processioni, quæ prima Dominica cuiuslibet mensis fieri solet, interesse non poterint, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem auctoritate, & tenore prædictis, concedimus, & elargirum. Illisque omnes, & singulas Indulgentias, & peccatorum remissiones etiã plenarias aliis confratribus, & Sororibus, capellas, seu Ecclesias Rosarij huiusmodi dictis diebus visitantibus, ac dictæ Processioni intercessentibus, specialiter, vel generaliter concessas, & in futurum concedendas, in omnibus, & per omnia, perinde, ac si dictas capellas, seu Ecclesias dictis diebus personaliter visitarent, & processionibus huiusmodi interessent auctoritate, & tenore prædictis communicamus, ac communicatas esse specialiter, vel generaliter decernimus, & declaramus. Hæc ibi.

61 Circa prædicta notandum primò S. Congregationem Episcoporum declarasse 13. Maij 1603. facultates concessas PP. Dominicanis pro Societate Rosarij locum non habere in Societatibus eiusdem extra eorum Ecclesias. Gauantus *in Man. Episcopor. ver. Confraternitates n.*8. Notandum 2. Ioan. XXIII. concessisse Fratribus Ordinis Prædicatorum, quod confratres ipsorum possent sepelire tempore interdicti in Ecclesia, vel Cœmeterio eorumdem Fratrum nisi fuerint excommunicati publicè, vel nominatim, ibique diuina celebrare seu audire. Ita Casarub. *in Comp. priu. Mendic. verb. Interdictum.*3. *num.*5. iungens quod cum prædicti Prædicatores hac gratia frui vellent, re discussa in insigni vniuersitate Salmantina declaratum fuit solùm debere ista concessione vti iuxta cap. *Vt priuilegia de priuilegiis, & excessibus* eos confratres, qui adhuc manentes in sæculo eorum Ordini sunt oblati, mutato habitu sæculari, & qui bona sua dederunt inter viuos, retento sibi vsufructu, sic enim deciditur in dicto cap. *Vt priuilegia.* Verumtamen cum concessio Ioannis XXIII. posterior fuerit hac decisione iuris communis non video cur iuxta illam debeat intelligi. Dubium tamen mihi ingerit an hi confratres Fratrum Prædicatorum sint iidem, ac confratres Rosarij. Hoc tamen scire spectat ad prædictos Patres. Tertiò notandum, quod quamuis Paulus V. omnes, & singulas Indulgentias tam confraternitatis Rosarij, quam aliis confraternitatibus à suis prædecessoribus concessas reuocauerit, nouas indulgentias, & priuilegia concedens, postea tamen ad instantiam Ordinis Prædicatorum dictam reuocationem ad terminos iuris reduxit, concedens, & indulgens, vt Rosarij confraternitas vti posset, & gaudere Indulgentiis aliàs eidem à Summis Pontificibus concessis, prout antea vtebantur, & non aliàs. Hoc patet ex Bulla eiusdem Paul. V. *Cum olim* anno 1608. edita

Circa processionem autem huius Confraternitatis notandum quòd licet, iuxta dicta *tom.*1. *cap.*12. *num.*41. à Congregat. declaratum sit non licere Regularibus facere processiones sui Ordinis extra Ecclesias suas, & ambitum illarum circa processionem tamen Rosarij, refert Festus *in Constit. sui Ordinis punct.*1. *cap.*23. declarasse S. Congregationem posse dictam processionem fieri per totam Ciuitatem si ita habeat consuetudo à 10. retro annis seruata, in quatuor festiuitatibus B. V. Mariæ, nimirum, Natiuitatis, Annunciationis, Purificationis, & Assumptionis. 62

Circa Confraternitatem chordæ Seraphici Patris S. Francisci constat ex Sixto V. in Bulla *Diuinæ charitatis altitudo* anno 1587. edita quæ habetur apud Rodrig *tom.*1. *q. Regul. q.*58. *artic.*1. *& in Bullario eiusdem Auctoris tom.*2. *Bulla* 8. *in Sixto V.* eam institutam fuisse ab eodem Sixto V. in Ecclesia S. Francisci Assisiensis, in qua sub Altari maiori corpus eiusdem S. Francisci requiescit, concessisseque facultatem Clementi Bontadesio Generali Minorum prædictam Confraternitatem instituendi in quibuscumque Ecclesiis eorumdem Minorum tam Conuentualium, quam de obseruantia, & Capuccinorum cum variis Indulgentiis, & peccatorum remissionibus. Sequentes autem exprimit idem Pontifex in dicta Bulla iis verbis: *Necnon de omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi vtriusque sexus Confratribus Chordigerorum huiusmodi præter Indulgentias Religioni præfatæ concessas in mortis articulo, necnon quoties processionibus Archiconfraternitatis Chordigerorum huiusmodi singulis mensibus fieri solitis interfuerint iisdem quidem Confratribus plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem perpetuo concesserimus.* Bulla autem eiusdem Sixti, qua prædictam. Confraternitatam erexit habetur in 2. tomo Bullar. inter Bullas Sixti *num.*13. vbi etiam varias Indulgentias eidem Confraternitati concedit præsertim eas, quæ Archiconfraternitati Confalonis concessæ erant, nec reuocatæ. 63

Declarat autem idem Pontifex chordam debere esse cinctam, & susceptam à Superioribus Ordinis. Deinde vult esse benedictã ab eisdem Superioribus, Guardianos etiam atque Præsidentes intelligendo. Requiritur etiam vt ipsi Confratres in Confratriam ingrediantur, & in libris ipsius scribantur. Rodriguez, vt supra *tom.*1. *qq. Regul. quæst.*58. *artic.*1. Flauius Cherubinus *in Comp. Bullar. in Sixto V. n.* 13. *scholio* 2. [Pro indulgentiis autem huius Confraternitatis chordæ S. Francisci, consule Portellum in Responsion. *moral. tom.*2. *casu* 44. 64

Circa Confraternitatem Confratriæ Corrigiatorũ S. Augustini, notandum quod Eugenius IV. Romæ an. Domini millesimo quadrigentesimo trigesimo confirmauit licentiam datam à Fratre Gerar- 65

do

do de Ariminio Generali Ordinis Eremitarum D. Augustini Fratri Cæsario de Roma eiusdem Ordinis Professori, vt Corrigiatorum posset instituere Confratrias. Postea auctoritate Greg. XIII. Prior Generalis Ord. Fratrum Erem. D. August. Confraternitatem vtriusque sexus fidelium Cincturatorum, & Cincturatarum S. August. & S. Monicæ nuncupatam in Ecclesia S. Iacobi Ciuitatis Bononiensis fundatam auctoritate Eugenij IV. vniuit simili Confraternitati sub innocatione B. Mariæ Virg. de Consolatione nuncupatæ, in eadem Ecclesia canonicè institutæ. Quam vnionem, & incorporationem Greg. XIII. Romæ apud D. Petrum sub annulo Piscatoris die 10. Iunij an. Incarnationis Dominicæ 1575. Pontificatus sui anno 4. motu proprio, & ex certa scientia confirmauit, & idem Gregor. XIII. in quadam Bulla data Romæ apud D. Petrum sub annulo Piscatoris die 12 Nouemb. anno Domini 1578. Pontificatus sui anno 8. præcipit in virtute S. Obedientiæ omnibus ad quos spectat, ne dictæ Confraternitates sic vt præfertur pro tempore aggregatæ, ad quidquam soluendum dictæ Confraternitati S. Iacobi ratione aggregationis huiusmodi soluere teneantur. Hæc ad litteram Rodriguez *tom.2.quæst.58.art.2.*

66 Postea verò Gregor. Petrochinus Cardinalis auctoritate Apostolica sibi concessa, rescriptum in forma Breuis edidit. Quo in omnibus Ecclesiis Domorum, & Conuentuum Fratrum Ordinis Eremitarum S. Augustini in Prouincia Castellæ iam erectis, seu de cætero erigendis, ac earum singulis vnam Confraternitatem vtriusque sexus Christi fidelium Corrigiatorum, seu Cinctoriatorum D. Augustini, eiusque D. Matris Monicæ in Capella, seu Altaria à Priori, & Conuentu specialiter ibi eligendo de nouo perpetuo, & ad perpetuam rei memoriam gratis, vbique, & alias seruata forma dictarum litterarum Papæ Gregor XIII. erexit, & instituit, & fundauit, ac erectam, fundatam, & institutam censeri, & omnino esse voluit, illasque, & earum singulas, sic vt præfertur erectas, & fundatas Archiconfraternitati B. Mariæ Virg. de Consolatione Corrigiatorum, seu Cinctoriatorum S. Augustini, & eius Matris S. Monicæ, in Ecclesia Domus, seu conuentus Fratrum S. Iacobi dicti Ordinis Bononiensis, vt præfertur, institutæ specialiter, & expressè etiam gratis, & perpetuò aggregauit, vniuit, & incorporauit. An singularum confraternitatum sub dicta inuocatione erectarum huiusmodi vtriusque sexus confratribus, & eorum quibuslibet omnia, & singula priuilegia, concessiones, & indulta tam spiritualia, quam temporalia, ac etiam peccatorum remissiones, & Indulgentias etiam plenarias, & perpetuas, vel quascumque alias qualitercumque, & quomodolibet qualificatas, & nuncupatas per quoscumque Summos Pontifices litteris Apostolicis variis temporibus singulis Archiconfraternitatis prædictæ confratribus quomodolibet, & ex quauis causa concessas, & largitas, perpetuò etiam communicauit, & ad singulas ex nunc dicta auctoritate Apostolica extendit, & ampliauit, illisque omnibus, & singulis eorum quemlibet gaudere debere, & de illis aliisque spiritualibus suffragiis, operibus meritoriis dictæ Archiconfraternitati, & illius vtriusque sexus confratribus concessis, & per eos aliosque totius Ordinis Eremitarum D. Augustini Fratres vbilibet pro tempore quomodolibet participes fecit, & participare debere dicta auctoritate Apostolica declarauit. Hæc etiam idem Rodrig. *dicto artic.* 2.

Postea etiam Greg. XIV. in Bulla quæ incipit *Cum sicut accepimus* declarauit posse confratres vtriusque sexus corrigiatorum D. Augustini, vti frui, & gaudere indulgentiis, gratiis spiritualibus Ordini eiusdem S. Augustini concessis omniumque bonorum, quę fiunt in dicto Ordine participes esse, dūmodo inter alia tenerentur quotidie recitare tredecim *Pater noster*, & totidem *Aue Maria*, & vnum *Salue Regina* pro salute Romani Pontificis, ac fœlici statu S. Matris Ecclesiæ, vel nescientes dicere ipsum *Salue Regina* loco ipsius quinque *Aue Maria*. Ampliorem quoque gratiam quarumdam Indulgentiarum in alia Bulla cōcessit idem Pontifex eidem confraternitati, prout refert Rodriguez, *vt sup. artic.* 2. Omnium tandem gratiarum, & priuilegiorum huius confraternitatis approbatio, & confirmatio habetur ex Greg. XV. in Bulla *Iniuncti nobis* in Bullar. Eremitar. S. Augustini Laurentij Empoli *in eodem Greg. num.* 2. [Demum circa titulos quibus vocari solent confraternitates laicorum, notanda est declaratio Sacræ Congregationis Episcoporum, & Regularium, qua 23. Martij 1540. declarauit pro Fratribus conuentualibus Spoleti quod quædam confraternitas S. Ioseph titulo cognominata in Ecclesia Parochiali erecta, relinqueret præfatum titulum, eò quod priùs erecta fuerat alia confraternitas apud prædictos Patres sub eodem titulo. 67

Quia tamen sæpius contingere solet, vt controuersiæ oriantur inter Religiosos conuentus seu Monasterij in quo fundata est Confraternitas, & Confratres ipsos eiusdem Confraternitatis, ideo expediens erit aliqua animaduertere. Primò quidem quod *pacta*, & conuentiones inter Conuentus & Confratres obseruari debent: cum nihil sit tam naturale, aut humanæ politiæ tam congruum quam pacta inita inter homines, conuentionesque seruare. *cap. 1. & cap. qualiter extra de pact. lib. 1. & l. Iuris gentium 7. §. Prætor ait de pact. l. exempto. ff. de act. empt.* Rota *in impress. Venet. an.* 1636. *decis.* 410. *num.* 1. Mantica *in cons.* 126. *num.* 1. Imo nulla maior sit iustitia quàm pacta seruare, vt ait Baldus *in cons.* 434. *num.* 1. *vol.* 1. Cyriac. *controuers.* 239. *num.* 13. *& controuers.* 453. *num.* 26. Et dictum illud *Pacta seruabo* processit de ore Dei per organum Prætoris, secundum Baldum *in rubr. Extra de const. in princ.* & Alexandro Magno scripsisse Aristotelem eius præceptorem O Alexander obserua fidem datam, & fœdera confirmata, aliàs malus exitus tibi manebit, refert Curtius sen. *in cons.* 68. *sub num.* 2. 69 70

Limitari tamen id debet, rebus eodem modo manentibus; etenim ob notabilem rerum mutationem, pacta mutari posse certa veritas est, quam probat textus *in cap. suggestum de decim. in c. quanto de censib. in l. forma 4. §. Illam ff. de cens.* & in *l. Cum quidam ff. de vsur.* Bartol. Brixien *q.* 48. *&* 50. Anchar. *cons.* 402. *n.* 3. 4. *&* 6. Natta *cons.* 548. *n.* 21. 22. *&* 23. *& n.* 26. *& seqq.* Socin. iun. *cons.* 51. *n.* 6. *&* 7. *lib.* 3. Est quoque in iure exploratissimum quod conuentio & promissio quælibet intelligitur, rebus sic stantibus, *l. quod seruus* vbi late Ias. *n.* 6. *ff. de cond. ob caus.* Honded. *cons.* 29. *n.* 88. *lib.* 1. Menoch. *cons. cons.* 887. *num.* 29. *lib.* 9. Gratian. *discep.* 884. *n.* 21. *tom.* 5. 71

Secundo maximè considerandum pro huiusmodi litibus extinguendis, quod huiusmodi Confraternitates in Ecclesiis Regularium institutæ sunt veluti membra ipsius Monasterij tanquam capitis, & patroni fundatoris illarū. Quemadmodum enim qui 72

qui fundat Capellam, vel Oratorium, vel assignat fundum pro illis est, & dicitur patronus, & habet potestatem eligendi & præsentandi, Rochus Curt. *in rub. de Iurep. in verb. Ecclesiam fundauit n.2.3.& 18.* Triuisanus *decis. 55. n.9. lib.2.* sic etiam Monasterium fundans Confraternitatem est & censetur patronus illius. Vnde optime Rota *in Bonon. Capellæ* coram Coccino *decis. 472. numero 6.* dicit, quod Confratrum possessio in Ecclesiis Regularium *præsumitur iure familiaritatis, & propterea*
73 *nullius considerationis.* Socin. Sen. *cons. 60. num.7. lib.1.* Alex. *cons. 6. num.14. & 15. lib.3.* vbi Apostillat. *in verbo familiaritatis* allegat concordantes, Aym. *cons. 61. n.2.* Late Surdus *cons. 6. num.10. lib. 1.*

Tertiò similiter animaduertendum quod obla-
74 tiones factæ sacello, Imagini, vel capellæ Ecclesiæ vbi est cōfraternitas cadūt Rectori, seu Parocho aut superiori regulari illius Ecclesiæ, qui est veluti Parochus in ea Ecclesia. Abb. *in cap. Pastoralis de his quæ fiunt à Præl. num. 2.* Reginald. *in prax. punct. 2. lib. 19. lect. 3. sub n.85.* Lopez *de contrac. lib.2. c.44.* Ferrettus *cons. 143. num.3. lib.3.* Mar. Anton. *var. resol. lib.1. resol. vlt cas.2.* vbi quod propterea non pertinent ad disciplinatos in quorum Oratorio fiunt. Bonacina *tom.2. sum. moral. Disp. vlt. quæst.5. punct. vlt. propos. 2. &* Thomat. alios recensens *tract. 10. de disp. ad pias causas tit.4. n.80. & cap.36. eiusd. tit. num.212. & 215.* Alia dico 4. *tomo verb. Oblatio.*

SVMMARIVM.

Familiares, seu seruitores Regularium qui dicantur. num. 1.
Quid ad illos requiratur. ibid.
Non sunt personæ Regulares. num.2.
An sint personæ Ecclesiasticæ. ibid.
Varia priuilegia eisdem à Summis Pontificibus sunt concessa. num. 3.
Quid concesserit Alexand. IV. Seruitoribus Hospitalis S. Ioannis. num.4.
Quid idem Alexander pro seruitoribus Fratrum Minorum. num.5.
Quid Vrbanus IV. pro familiaribus Carmelitarum num. 6.
Quid Clem. IV. pro seruitoribus Minimorum num.7.
Qui Martinus V. pro Familiaribus Monachorum S. Benedicti. num.8.
Quæ Sixtus IV. pro Carmelitarum seruitoribus numero 9.
Quid Iulius II. pro Minimorum Famulis. num.10.
Quid Leo X. pro eisdem num.11.
Specialiter pro tempore interdicti ab Alexand. IV. Clem. IV. Sixt. IV. num.12.
Innocentij VI. concessio pro Familiaribus Carthusiensium ibid.
Vrb. V. pro eisdem. ibid.
Concessio pro Familiaribus Fratrum Prædicatorum. ibid.
Qualiter ea moderata sint à Leone X. in Concil. Lateran. num. 13.
A Conc. Trid. sess.24. cap.11. num.14.
Quomodo ea intelligenda. ibid.
Quæ ex dictis priuilegiis modo subsistant. num. 15.
Possunt Familiares dictas conditiones habentes à Regularibus recipere Sacramenta. ibid.
Vt recipiant Sacramentum pœnitentiæ necessaria est in confessario approbatio Ordinarij num.16.
An oppositum sit probabile. ibid.
An confessarij possint eos absoluere à casibus Ordinario reseruatis. num.17.
Quid de Sacramento Matrimonij. num.18.
Quid de Sacra Eucharistia tempore Paschatis. numero 19.
Quid de Sacramento extremæ vnctionis. num 20.
An pro administratione Sacramentorum Eucharistiæ, & extremæ vnctionis Familiaribus requiratur Episcopi approbatio. num.21.
An sepultura possit illis concedi. num.22.
An possint excommunicari, aut interdici ab Episcopo, quando, & quomodo. num.23.
Quibus priuilegiis frui possint præsertim in mortis articulo. num. 24.
Quid de Indulgentiis dicendum. num.25.
An possint in illegitimitate dispensari. num.26.
Quid possint facere tempore intedicti. num.27.
An ea veniant intelligenda etiam de Seruitricibus Monialium. num. 28.
Impediantur ne ista per Bullam Cruciatæ in locis vbi publicatur. num. 29.
Secluso omni priuilegio an possint Missis inseruire tempore interdicti. num 30.
Qui assumpti sunt in fraudem legis, vt potiantur dictis priuilegiis, non potiuntur illis. num.31.
Nec etiam qui seruiunt particularibus Religiosis non designatis à Prælatis. num.32.
An gaudeant familiares Regularium facultate habendi conseruatores. num.33.
Non possunt familiares Fratrum, vti suis priuilegiis contra ipsos Fratres. num.34.
Secus esset si talia priuilegia essent illis æquè principaliter concessa. ibid.
Quid si Fratres perdiderint talia priuilegia. numero 35.



CAPVT XVI.

De familiaribus, seu Seruitoribus Regularium personarum, eorumque priuilegiis.

FAMILIARES, seu Seruitores Regularium in præsenti appellantur illi qui ipsis inseruiunt, & cum illis cohabitant, ita vt sint ipsorum quasi commensales. Ita enim colligitur *ex cap. vltim. de verbor. significat. in 6.* Rota Roman. diuers. *punct.2. decis.303. num.2.* Suarez 4. *tom. de Relig. tract.10. lib.9. cap. 4. num.14.* Barbosa *de offic. & potest. Episcopi alleg.5 num.2.* Non tamen videtur simpliciter necessarium, vt aliquis familiaris censeatur, quod propter stipendium, vel mercedem inseruiat. Nam si aliquis gratis seruire velit Monasterio familiaris vtique erit. Felinus *cap. in litteris.* Suarez *vt supra.* Requiri tamen videtur ad familiaris rationem in præsenti, quòd continuò, vel quasi continuò in Regularium domibus cohabitet. Quia alias non vocabitur de familia ac per consequens nec familiaris. Prout in simili de familiari Episcopi loquuntur Bonacina *de Sacrament. disp.8. quæst. vnica punct.4. num.18.* Barbosa *vt sup. num.6.* Sed ægrotus, & qui pro aliquo tempore ad propria negotia, vel Monasterij pertractanda absens est familiaris nomen non perdit. Glossa *in capitulo vltim. de verb. signifi. in 6.* & Suarez *vt supra.*

Constat

2 Constat huiusmodi familiares Regularium personas Regulares non esse, cum vota solemnia, vt supponimus non emittant. An autem Ecclesiasticæ personæ dicendæ sint, dubium esse potest, cum pertineant ad personas Ecclesiasticas, & sint quasi bona ipsarum. Nihilominus esto quod secundum quid Ecclesiastici iuris dici possint; propter rationem allatam, absolutè tamen, & simpliciter dicendi sunt sæculares, seu laici quemadmodum etiam familiares Episcoporum, qui alias clerici non sunt, vt supponitur in declaratione S. Congregat. Episcop. & Reg. apud Barbosam *in Collect. Bullar. verb. familia*, in qua dicitur, familiares Episcopi etiam laicos fori priuilegio gaudere, quo supponitur Episcoporum familiares, si alias clerici non fuerint, pro laicis personis haberi.

3 Nihilominus varia, ac plurima eisdem seruitoribus, seu familiaribus Regularium, seu potius ipsis Regularibus in ordine ad prædictos Summi Pontifices concessere priuilegia, quæ placuit primum referre, vt postmodum, quænam ex illis, aut quomodo reuocata sint, dici possit. Alexand. ergo IV. Generali, Prouincialibus, Prioribus, & Fratribus Carmelitis concessit facultatem eis ministrandi Ecclesiastica Sacramenta, ac tradendi eos Ecclesiasticæ sepulturæ sine alieni iuris præiudicio. Habetur Bulla in Mari magno Ordinis num. 18. & illius meminit Casarubius *in Compend. priuileg. Mendic. verbo familiares seu famuli Fratrum numero secundo* Rodriguez *tomo secundo quæstionum Regularium quæst. 67. art. 1.*

4 Idem Alexand. IV. confirmauit litteras Honorij, & Innocentij Prædecessorum, quibus auctoritate Apostolica interdixerunt vt nemini liceret sine speciali mandato Romani Pontificis seruientes Fratribus Hospitalis S. Ioannis siue Clericos, siue laicos, donec in seruitio domus fuerint, excommunicationi, vel interdicto subiicere, & si qua sententia in præfatos aliter lata fuerit, eam irritam esse, & inanem censuit. Casarubius *in Compend. priuil. Mendic. verb. familiares n. 10.*

5 Idem etiam Alexander concessit quod si quando in personas, vel terras, vbi residere Fratres Minores excommunicationis, seu interdicti sententias contigerit promulgari, pueri Fratrum seruitiis deputati, negotiorumque suorum gestores, seu Procuratores, & operarij qui in locis Fratrum huiusmodi operibus eorum personaliter constituti institerint, prædictis sententiis excommunicationis, vel interdicti obnoxij nullatenus habeantur, ibique possint audire diuina iuxta formam quæ à Sede Apostolica est concessa eo casu, scilicet tempore interdicti, nisi prædictæ personæ causam dederint, vel excommunicari, seu interdici contingat. Casarubius *in Compend. priuil. Mendic. verbo interdictum 3. n. 1.*

6 Similiter Vrb. IV. concessit Presbyteris Ordinis nostri, vt familiarium nostrorum audire possent Confessiones de suorum licentia Prælatorum, & eis pro commissis pœnitentiam salutarem iniungere, nisi fortè talia commisissent propter quæ Sedes Apostolica esset meritò consulenda. Habetur Bulla in eodem Mari magno Ordinis num. 19. Illius etiam meminit idem Casarubius *in Compend. priuil. Mendicant. verb. absolutio quoad sæculares 1. numero nono.*

7 Item Clemens IV. concessit Fratribus Minoribus, vt his qui in eorum morantur obsequiis cuncta libere ministrare possent Sacramenta, & ipsos cum decesserint in suis cœmeteriis sepelire. Item quod si quando in terras, in quibus resident Fratres Minores, vel in earum personas, excommunicationis, seu interdicti sententias contigerit promulgari, pueri seruitiis Fratrum deputati, negotiorum quoque gestores, & operarij, qui in locis Fratrum pro eorum operibus personaliter continuo extiterint, huiusmodi sententiis obnoxij minimè habeantur, ibique possint audire diuina, iuxta formam quæ ipsis in locis in eo casu à Sede Apostolica est concessa, nisi ijdem causam dederint, vel contingeret eosdem excommunicari specialiter, seu interdici. Casarubius *in Compend. priuileg. Mendic. verb. familiares, seu famuli Fratrum numero tertio, & quarto*, adiungens etiam *numero quinto* Gregor. XI. fecisse similem concessionem familiaribus ordinis Prædicatorum, etsi non explicet an extendatur ad vtramque concessionem Clement. IV. Sorb. *in Adnotationibus ad Compend. verb. familiares.*

Item Martinus V. concessit Monachis S. Benedicti obseruantiæ Hispan. vt confessiones quorumcumque familiarium suorum, tam laicorum, quam Regularium, & sæcularium intra, & extra septa suorum Monasteriorum commorantium audire, nec non dictis familiaribus tam intra, quam extra septa præfata commorantibus, Ecclesiastica Sacramenta quoties fuerit opportunum ministrare valerent. Casarub. *in Compend. priuileg. Mendic. verb. familiares num. 10.* 8

Maximè tamen Sixtus IV. in Bulla *Dum attenta*; quæ est Mare magnum Carmelitarum ipsis suis seruitoribus, & familiaribus hæc concessit. His vero qui vestris immorantur obsequiis cuncta liberè ministrare possitis Ecclesiastica Sacramenta, & ipsos cum decedunt in vestris cemeteriis sepelire Si quando autem in terras in quibus residetis, vel in earum personas excommunicationis, seu interdicti sententias contigerit promulgari, pueris vestris seruitijs deputati, negotiorum vestrorum Procuratores, & operariis qui in vestris locis eorum operibus personaliter continuò institerint huiusmodi sententiæ obnoxij minimè habeantur, ibique possint quemadmodum Fratres diuina audire, iuxta formam quæ locis ipsis, & eorum vtriusque sexus personis in eo casu à Sede Apostolica est concessa, nisi eidem interdicto, causam dederint, vel excommunicari specialiter, vel interdici contingat eosdem. Hæc ibi. 9

Postea Iulius II. Bulla *Dudum* concessit, quod famulis domorum Ordinis Minimorum, & cæteri eiusdem ordinis habitum portantes, & in articulo mortis in dictis domibus sepulturam eligentes omnibus, & singulis priuilegiis Ordini illi concessis gaudere possent. Casarubius *in Compend. priuileg. Mendicant. verbo familiares numero octauo &* Perinis *tom. 1. priuileg. Minim. in Iulio II. constit. 1.* 10

Eisdem quoque Minimis Leo X. in Bulla *His quæ* anno 1513. edita apud Perinis *tom. 1. priuileg. Minim. inter Constitutiones Leonis X. num. 4.* hanc amplam concessionem fecit. [Vt Fratres Ordinis Minimor. huiusmodi dictarum domorum famulorum pro tempore in habitu sæculari eis deseruientium quoties opus fuerit, etiam Paschatis tempore, & in mortis articulo in eorum domibus, & Ecclesiis huiusmodi confessiones audire ipsisque, & eorum cuilibet Eucharistiæ, & extremæ vnctionis Sacramenta ministrare; ac illis, & cuilibet eorum inhumationis, & sepulturæ beneficia, cuiusuis licentia super hoc minimè requisita impendere 11

licitè valeant. Ita quod singulæ personæ huiusmodi, & prout dicti fratres, priuilegiis, & indultis huiusmodi in eorum mortis articulo frui, & gaudere valeant, ac si eis expressè concessa fuissent, eisdem auctoritate, & tenore præsentium extendimus, & ampliamus.]

12 Specialiter pro tempore interdicti non pauca Summi Pontifices iis Regularium familiaribus priuilegia concesserunt. Etenim præter Alexandrum IV. *num.* 5. relatum. Clem. IV. *num.* 7. & Sixtum IV. *num.* 9. Eugenius IV. concessit Monachis S. Benedicti Congregat. Hispaniæ, quod tempore interdicti generalis, vel specialis à iure vel ab homine quomodocumque lati, liberè, & licitè in suis Monasteriis, siue Ecclesiis, aut Capellis eorumdem possent recipere ad audiendam Missam, & alia diuina officia omnes, & singulos familiares, Officiales, & Seruitores, quorumlibet Monasteriorum huiusmodi, ac eis Eucharistiam, & alia Ecclesiastica Sacramenta ministrare, eorumque corpora tumulare, seu tumulari facere, dum tamen nullus istorum dederit causam interdicto, secreto tamen modo, ianuis clausis, & campanis non pulsatis. Item Innoc. VI. concessit Carthusiensibus, vt tempore generalis interdicti liceret eis recipere ad diuina familiares suos, & alios sæculares infra septa Prioratuum, & domorum suarum habitantes. Similiter Vrbanus V. concessit præfatis Carthusiensibus, vt personas dicti Ordinis cum seruitoribus suis aliunde venientibus, & mercenarios in grangiis, & cellariis suis residentes possent tempore interdicti recipere ad diuina, dummodo huiusmodi interdicti causam non dederint, nec id eis contingat specialiter dici. Casarub. *in Compend. priuil. Mendicant. verbo interdictum* 3. *num.* 11. 12. & 13. Similiter Alexand. IV. vel VI. in Bulla. *Vt in vestris* apud Peirinis *tom.* 1. *priuil. Minim. inter Constit. Alexandri V I. num.* 4. Fratribus Ordinis Prædicatorum concessit, quod si quando in personas, vel terras vbi residerent, excommunicationis, vel interdicti sententia contingeret promulgari, pueri illorum seruitiis deputati, & operarij qui in locis ipsorum eorum operibus personaliter constituti institissent, huiusmodi sententiis obnoxij non haberentur, ibique possent audire diuina iuxta formam quæ in locis ipsis eo casu à Sede Apostolica esset concessa, nisi eidem causam dedissent, vel excommunicari specialiter, seu interdicti essent.

13 Moderata postea sunt huiusmodi prædicta priuilegia pro Regularium familiaribus ipsis concessa. Primo enim Leo V. in Concilio Lateranensi anno 1516. Bulla *Dum intra mentis*, apud Peirinis *tom.* 1. *priuileg. Minim. inter Constit. Leonis X. num* 26. declarauit Regulares non posse ministrare Sacramenta eorum obsequio insistentibus, nisi illorum durante obsequio, & quod operarij eorum seruitiis insistentes sententiis excommunicationis promulgatis illaqueati essent, & esse censerentur, si illis causam dedissent, aut dantibus, consilium, auxilium vel fauorem præstitissent.

14 Maxime tamen moderata sunt à Concil. Trid. *sess.* 24. *cap.* 11. his verbis. [Quoniam priuilegia & exemptiones quæ variis titulis plerisque onceduntur hodie perturbationem in Episcoporum iurisdictione excitare, & exemptis occasionem laxioris vitæ præbere cognoscuntur, decernit Sancta Synodus, vt si quando iustis, grauibus, & fere necessariis suadentibus causis aliquos honorariis titulis Protonotaritatus, Acolytatus, Comitis Palatini, Capellani Regij, aut aliis huiusmodi in Romana Curia, vel extra insignibus decernendos esse placuerit; necnon alios, cuicumque Monasterio oblatos, vel quomodocumque addictos, aut sub nomine seruientium militiis, aut Monasteriis, Hospitalibus, Collegiis, aut quocumque alio titulo assumi; nihil ex iis priuilegiis detractum esse Ordinariis intelligatur, quo minus ij, quibus ea iam concessa sunt, vel in posterum concedi contigerit ipsis Ordinariis tanquam Apostolicæ Sedis delegatis plenè in omnibus, & quoad capellanos Regios iuxta Constit. Innoc. III. quæ incipit, Cum capella. subiecti existant, exceptis tamen iis qui prædictis locis, aut militiis actu seruiunt, & intra eorum septa, ac domos resident, subque eorum obedientia viuunt, siue iis qui legitimè, & secundum Regulam earumdem militiarum professionem fecerint, de qua Ordinario constare debeat; non obstantibus, &c.] Circa quæ Concilij verba notandum primo, tres illas conditiones requisitas à Concilio scilicet, actu seruire Religiosis, & intra eorum septa, ac domos residere, ac sub eorum obedientia viuere requiri coniunctim, seu copulatiuè, vtitur enim Concilium particulis &, & *quæ*, quæ coniunctionem significant. Peirinis *tom.* 1. *priuil. Minim. in Constit. I. Iulij II.* §. 15. Secundo verba illa, subque *eorum obedientia*, &c. non intelligi de obedientia religiosa, sed de obedientia seruili qualem habent serui respectu Dominorum suorum. Alias prædicti familiares non sæculares, sed fratres essent, constat autem ex sequentibus verbis Concilium distinguere illos ab eis qui veram professionem fecerint. Suarez 4. *tom. de Relig. tract.* 10. *lib.* 9. *cap.* 4. *num.* 11. Tertio probabile esse Concilium non loqui de quibuscumque priuilegiis, sed de illis tantum quæ *perturbationem in Episcoporum iurisdictione excitare, & exemptis occasionem laxioris vitæ præbere cognoscuntur*, vt idem Concilium in principio illius capitis dicit. Quare illa priuilegia familiarium Regularium quæ nihil horum parturire possint, qualia erunt indulgentiæ, & similes remissiones peccatorum non videntur modificatæ à Concilio, sed derelicta in sua vi iuxta tenorem ipsorum. Rodriguez *tomo primo quæstionum Regularium quæst.* 55. *artic.* 21.

Ex his ergo colligi potest quibus priuilegiis 15
gaudeant, aut gaudere possint huiusmodi familiares, seu seruitores Regularium habentium dicta priuilegia, vel communicationem cum illis in priuilegiis. Primò enim familiares, seu seruitores prædicti qui iuxta moderationem Leonis X. *num.* 13. allatam actualiter prædictis Regularibus inseruiunt, & qui iuxta moderationem etiam Concilij Tridentini *num.* 14. adductam actu illis seruiunt, & intra eorum septa, ac domos resident, subque eorum obedientia viuunt possunt à prædictis Regularibus Sacramenta recipere. Sic enim concesserunt Alexand. IV. Carmelitis, vt visum est *num.* 3. Clemens IV. Minoribus, vt supra *numero* 7. est dictum, Sixtus IV. Carmelitis, vt ex *numero* 9. constat Martinus V. Benedictinis *num.* 8. & Leo X Minimis *num.* 11 Est etiam id conforme iuri communi in Clementina *Religiosi de priuilegiis & excessibus priuilegiator. cap.* 1. vbi cum interdictum fuisset Religiosis Sacramenta fidelibus ministrare sine licentia Parochi subditur §. *fin. Sanè Religiosis illis quibus est ab Apostolica Sede concessum, vt familiaribus suis domesticis aut pauperibus in hospitalibus suis degentibus Sacramenta possint Ecclesiastica*

siastica ministrare, nullum ex præmissis volumus quoad hoc præiudicium generari. Rodriguez *tom. 2. quæst. Regular. quæst. 67. art.* 1. Peirinis *tom. 1. priuil. Minim. in Constit. Iulij II.* §. 15. *n.* 1. Portellus *in Dub. Regul. verb. famuli n.* 1.

16 Vt autem Sacramentum pœnitentiæ familiaribus prædictis dictorum Regularium ministretur necessaria est in confessario approbatio ab ordinario. Constat enim ex Concil. Trident. *sess. 23. capite 15. nullum etiam Regularem posse Confessiones sæcularium, etiam Sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut Parochiale beneficium, aut ab Episcopis per examen, &c.* idoneus iudicetur, Rodriguez *tom. 2. quæst. Regul. quæst. 67. artic.* 1. Suarez 4. *tom. de Relig. tract.* 10 *lib. 9. cap. 4. n.* 18. Nihilominus non caret probabilitate asserere prædictos Regulares approbatos à Prælatis Ordinis solum, absque eo quod approbationem ab Ordinariis habuerint, posse audire confessiones prædictorum suorum familiarium. Nam cum non solum ex priuilegiis, sed etiam ex iure communi *Clement. Religiosi §. sane, vt num.* 15. dictum est, id possint facere, videtur non derogatum à Concil. Trident. quod vt quidam volunt nihil innouauit quoad hoc sed ius antiquum explicauit. Craz *lib. 2. de statu Relig. cap. 6. dub.* 1. *concl.* 1. Peirinis *tom. 1. priuileg. Minim. in constit.* 1. *Iulij II.* §. 15. *n.* 12. Hoc autem præcipuè est verum loquendo de familiaribus, qui sunt vere de familia Regularium, & commensales. Ita enim decisum dicitur à Congregatione. Bullarium Rodriguez *tom. 2. in Gregor. XIII. in fine.* Peirinis *vt supra*, Barbosa *de offic. & potest. Episcop. alleg. 25. num. 65. & in Collect. Bullarij verb. Confessarios primo*, vbi hanc declarationem Sacræ Congregationis affert. *Confessarij Regulares in Monasteriis, & Collegiis Regularium, vbi regularia instituta seruantur, possunt absque licentia Episcopi audire confessiones eorum sæcularium, qui sunt verè de familia, & communes commensales, non tamen illorum, qui tantum deseruiunt in Monasteriis.* Vide Armendariz locis ab eodem Barbosa relatis.

17 Volunt aliqui dictos Confessarios absoluere posse prædictos familiares à casibus locorum Ordinariis reseruatis. Peirinis *tom. 1. priuil. Minim. in Constit. 1. Iulij II.* §. 15. *num.* 14. Sed in primis non video circa hoc speciale priuilegium à Summis Pontificibus antiquioribus concessum. Etsi enim Vrbanus IV. *num.* 6. adductus facultatem dederit Carmelitis nostris absoluendi familiares suos, nisi forte talia commisissent propter quæ Sedes Apostolica esset consulenda. Hæc tamen concessio reuocata videtur per decreta S. Congreg. de quibus *tom. 1. cap. 19. num.* 15. dictum est. Deinde esto quod Clem. VIII. id concesserit Carthusiensibus, vt habet Peregrinus 1. *part. sui Compend. tit. absolutio quoad sæculares* §. 3. nihilominus decreto S. Congregat. Regularium sub SS. Domino nostro Vrbano de quo *tom. 1. cap. 19. num.* 17. dixi talis concessio videtur reuocata.

18 Quamuis autem generaliter ex vi dictornm priuilegiorum concedatur prædictis regularibus facultas administrandi Sacramenta suis familiaribus cum conditionibus tamen assignatis, nihilominus quoad Sacramentum matrimonij vacat hæc concessio. Ratio est tum quia Concil. Trident. *sess. 24. c.* 1 ad hoc Sacramentum requirit præsentiam Parochi, tum quia Sacramentum propriè non ministratur à Sacerdotibus, sed ipsi contrahentes sunt ministri ipsius, tum quia, vt puto, cum hac limitatione intellecta semper sunt prædicta priuilegia. Et ita vbi Regulares Parochi officium non exercent, nec suorum familiarium Matrimoniis assistere poterunt, Suarez 4. *tom. de Relig. tract.* 10. *lib. 9. cap. 4. n.* 19. 20. 21.

Cum autem in priuilegio illo Leonis X. pro Minimis de quo *num.* 11. dicatur eos posse suis familiaribus etiam Paschatis tempore Eucharistiam, & alia Sacramenta ministrare, dicendum videtur tam prædictos Minimos, quam quoscumque alios Regulares cum ipsis communicationem priuilegiorum habentes id posse facere. Cum nullam videam huius priuilegij reuocationem, & conforme sit iuri communi *in Clement. Religiosi §. sane.* 19

Similiter, quoad extremæ vnctionis Sacramentum illud possunt ministrare prædicti Regulares ad id priuilegium habentes iuxta dicta superius, vel qui cum ipsis communicant in priuilegiis præfatis, suis familiaribus præfatas conditiones habentibus. Ex prædictis priuilegiis Alex. IV. pro Carmelitis Clem. IV. pro Minoribus, Martini V. pro Benedictinis, & Leonis X. pro Minimis. Rodriguez *tom. 2. q. Regul. quæst. 67. art.* 1. Vnde priuilegium quoddam Nicolai, Franci Nuncij Apostolici cum potestate legati à latere concessum Benedictinis Hispaniæ ad ministrandum Sacramentum extremæ vnctionis illis qui intra septa Monasteriorum infirmati fuerint, non tam videtur intelligi de familiaribus habentibus prædictas conditiones à Leone X. & Concil. Trid. assignatas, quia pro istis iure communi est id concessum, quam de aliis sæcularibus quos intra dicta Monasteria infirfirmari contigerit, Rodriguez *vt supra & tom. 3. q. 79. art.* 1. Dubitari tamen potest an inter viuæ vocis oracula recensendum, & per consequens his temporibus inutile. 20

Pro administratione autem prædictorum Sacramentorum Eucharistiæ, & Extremæ vnctionis familiaribus nulla requiritur approbatio ab Episcopo, cum iure communi pro illis non requiratur, sed solum potestas Ordinis, quæ est in omnibus Sacerdotibus, & iurisdictionis quam Summi Pontifices concedunt dictis priuilegiis. Suarez 4. *tom. de Relig. tract.* 10. *lib. 9. c. 4. num.* 17. 21

Pariter etiam quoad sepulturam poterunt Regulares habentes præfata priuilegia, vel cum ipsis communicantes in priuilegiis ipsam concedere prædictis familiaribus, qui præfatas conditiones habuerint. Ita enim habetur ex concessionibus Alexand. IV. & Sixti IV. pro Carmel. Clem. IV. pro Minoribus, & Leonis X. pro Minimis. Rodriguez *tom. 2. quæstionum Regularium quæstione 67. art.* 2. Portellus *in Dub. Regul. verb. sepultura numero* 2. 22

Non possunt prædicti familiares, seu seruitores eorum durante obsequio iuxta limitationem Leonis X. adductam, & actu inseruientes, & intra Regularium septa, seu domos residentes, ac sub eorum obedientia viuentes, iuxta limitationem Concil. Trident. adductam, ab Episcopis excommunicati, aut interdicti nisi causam dederint excommunicationi, aut dantibus, consilium, auxilium, vel fauorem præstiterint, iuxta limitationem Leonis X. etiam adductam aut nisi specialiter excommunicari, aut interdici contingeret. Ita enim habetur ex concessionibus adductis Alexand. IV. pro Fratribus Hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, Minoribus, & Dominicanis Clem. IV. pro Minoribus, Sixti IV. pro Carmelitis, eisque gaudere possunt tam illi, quam qui cum ipsis communicant in priuilegiis. Rodrig. *tom. 2. quæst. Regul. q. 67. art.* 3. 23

art. 3. Peirinis *tom.* 1. *priuil. Minim. in Const.* 1. *Iulij II.* §. 15. *n.* 13. Portellus *in Dub. Regul. verb. famuli num.* 4.

24 Insuper prædicti familiares Minimorum, & aliorum Regularium habentium communicationem in priuilegiis cum ipsis, præfatas conditiones habentes frui possunt in eorum mortis articulo priuilegiis, & indultis Fratribus concessis. Ita enim concessit Iulius II. in Bullam *Dudum numero* 10. relata: estque magnum priuilegium, etsi illud non extendendum credo nisi solum ad ea quæ pertinent ad animarum ipsorum salutem: extenditur tamen id priuilegium ad cæteros seculares habitum Ordinis portantes, & in articulo mortis in domibus Fratrum sepulturam eligentes, propter concessionem eiusdem Iulij II. in dicta Bulla Rodriguez *tom.* 2. *quæst. Regul. quæst.* 67. *artic.* 2. Peirinis *tomo primo, priuil. Minim. in præd. Bulla Iulij II.* §. 15. *numero* 18.

25 Pro indulgentiis tamen eisdem familiaribus concessis consule Rodriguez *tomo secundo quæstionum Regularium quæstione* 67. *artic.* 3. Cauendum tamen est an illæ concessiones quas ibi refert viuæ vocis oracula sint, quia si talia fuerint nullius momenti erunt hoc tempore, quo à SS. D.N. Vrbano VIII. reuocata sunt, iuxta dicta *tomo* 1. *capite tertio num.* 21.

26 Volunt quidam posse Regulares quosdam dispensare cum prædictis familiaribus (quod intellige de habentibus conditiones assignatas superius) in illegitimitate, seu natalium defectu proueniente etiam ex incestuoso, vel alio quouis damnato, sacrilego, atque illicito coitu, ad hoc quod possent qualecumque beneficium regulare cum cura, & sine cura quorumcumque Monasteriorum, vel Prioratuum obtinere dummodo beneficium perpetuum non sit. Ex priuilegio Pauli III. Hieronymianis concesso. Rodriguez *tom.* 1. *quæst. Regul.* 13. *articulo* 23. Portellus *in Dub. Regular. verb. illegitimus numero* 13. Sed tamen cauendum est an hoc priuilegium sit solum viuæ vocis oraculo concessum, quod mihi constare non potuit. Si enim tale fuerit nullius est momenti his temporibus propter dicta, sicut etiam nullius est momenti aliud Sixti IV. Priuilegium, quod refert idem Rodriguez *tom.* 1. *quæstione* 67. *art.* 6. quo conceditur Fratribus Minoribus facultas absoluendi familiares à quibuscumque peccatis, & censuris, &c. ac dispensandi in irregularitatibus, quia hæc concessio est viuæ vocis oraculo facta, vt habet Casarubius *in Compend. priuil. Mendicant. verb. Absolutio extraordinaria quoad fratres*, propterea enim notat illam litteram, O, quæ apud ipsum denotat viuæ vocis oraculum. Placet tamen quod ipse Rodriguez subiungit dicto *tom.* 1. *quæst.* 13. *art.* 24. scilicet quod prædicta dispensatio (casu quo fieri posset ex vi talis priuilegij) dari posset extra Capitulum, cum talis concessio nihil tale dicat de capitulo, & limitatio Greg. XIV. circa legitimationem, seu dispensationem illegitimorum in Capitulo, facienda, solum loquatur de Fratribus non de familiaribus. Vide alia apud eumdem *ibid.*

27 Maximè tamen præfati familiares Regularium conditiones sæpius assignatas habentes possunt tempore interdicti generalis in Ecclesiis Regularium quorum sunt familiares audire Missam, & alia diuina Officia iuxta formam, qua ipsi Regulares id facere possunt, nisi interdicto causam dederint, aut ipsi essent specialiter excommunicati, aut interdicti. Id enim constat ex priuilegiis superius adductis, videlicet Alex. IV. pro Dominicanis, Clem. IV. pro Minoribus, Sixti IV. pro Carmelitis, Innocentij VI. & Vrbani V. pro Carthusiensibus, ac Eugenij IV. pro Benedictinis Hispaniæ. Qualiter autem eo tempore, aut quo modo liceat Regularibus diuina Officia celebrare dictum est *tom.* 1. *cap.* 21. *num.* 19. *&* 20. Eo etiam tempore possunt dictis familiaribus administrari Sacramenta, & si mori contigerit concedi sepultura. Ita enim habetur in prædicta concessione Eugenij IV. & in alia Clem. IV. pro Minoribus. His autem priuilegiis gaudere possunt tam nominati Regulares, quam alij, qui cum ipsis habent communicationem priuilegiorum. Casarub *in Compend. priuil. mendicant. verb. interdictum* 3. Rodriguez *tom.* 2. *quæst. Regul. quæst.* 114. *art.* 1. Corduba *in Annotationibus ad Compendium verb. interdictum* 3. Sorbus *ibid.* §. 5. *Tertiarij.*

Ea porro quæ dicta sunt de familiaribus Religiosorum tempore interdicti, intelligenda etiam videntur respectiuè de seruitricibus Monialium dictorum Ordinum eisdem conditionibus suppositis. Ratio est, quia Moniales regulariter gaudent priuilegiis Religiosorum sui Ordinis respectiuè, ac per consequens etiam ipsarum seruitrices. Sorbus *in Addit. ad compend. priuileg. mendicant. verb. interdict.* 3. §. 5. *Tertiarij, &* §. *& notandum.* Pro quo etiam extant aliqua priuilegia præsertim Leonis X. apud Casarubium *in Compend. priuileg. Mendicant. verb. interdictum* 1. *num.* 25. *& interdictum* 2. *numero* 11. 28

Similiter ea quæ dicta sunt de priuilegiis horum familiarium tempore interdicti intelligi debere pro illis locis in quibus non publicatur Bulla Cruciatæ, in locis enim vbi publicatur, cum per illam suspendantur priuilegia Mendicantium quoad sæculares non possunt illis vti, volunt aliqui, specialiter Sorbus *in Additionibus ad Compend. priuil. Mendicant. verb. interdictum.* 3. §. 2. *conclusio.* Rodriguez *in explicat. Bullæ Cruciatæ* §. 39. Sed tu vide dicta *cap.* 1 *num.* 59. 29

Secluso autem omni priuilegio, & stando in iure communi, cum Religiosi iuxta dicta *tom.* 1. *cap.* 21. *n.* 19. *&* 20. possint tempore interdicti modo ibi assignato Missas celebrare, possunt pro inseruiendis Missis vti eisdem famulis, vel pueris sæcularibus qui necessarij ad id fuerint. Iuxta doctrinam Nauarr. *in Manual. c.* 27. *n.* 181. Sorbus *in Compend. priuileg. Mendic. verb. interdict.* 3. §. *Tertia conclusio.* 30

Generaliter etiam aduertendum illos seruitores, vel familiares Regularium, qui etsi actu inseruiunt, & cum aliis assignatis conditionibus, assumpti tamen sunt in fraudem legis, vt potiantur dictis priuilegiis, non potiri illis, quia fraus nulli prodesse debet. Nauarr. *in Man. capite* 27. *numero* 180. Rodriguez *tom.* 2. *quæstionum Regularium quæst.* 67. *artic.* 1. 31

Neque etiam videntur posse frui dictis priuilegiis familiares, seu famulos dictorum Regularium, qui seruiunt particularibus Religiosis ex eorum libito assumptos, & non à Prælatis designatos, sed tantum illos qui, vel inseruiunt toti communitati, vel Conuentui, vel etiam particularibus Religiosis designati tamen à Prælatis, vel Superioribus. Hos enim solum approbat Religio, & ita solum pro illis intelligenda sunt Summorum Pontif. priuilegia, Rodriguez *tom.* 2. *q. Regul. q* 67. *art.* 1. 32

Gaudere etiam videntur aliqui familiares quorumdam Regularium, & aliorum qui cum illis 33
communi


communicationem habent priuilegiorum facultate habendi Conseruatores, qui eos defendant in manifestis iniuriis, seu violentiis, iuxta limitationes factas, tum à Summis Pontificibus Clem. VIII & Greg. XV. tum à Sac. Congregatione: propter priuilegia Pij V. pro Dominicanis, & quia illud dubiæ auctoritatis est saltem propter priuilegium Greg. XIII. pro Iesuitis. Rodriguez *tom. 1. q. Regul. q. 65. art. 17.* Portellus *in Dub. Regul. verbo Conseruatores num.* 10. Vide dicta in cap 10 num. 65. & cautè procede, vt ibi dixi.

34 Circa hæc tamen & alia similia priuilegia notandum non posse familiares fratrum vti suis priuilegiis contra ipsos Fraares. Quia quod in fauorem ipsorum Fratrum principaliter concessum est (quod scilicet ipsorum familiares vtantur ipsorum priuilegiis) non debet contra ipsos, seu in eorum dispendium retorqueri, iuxta Regulam Iuris. Corduba *in Additionib. ad Comp. priuileg. Mendicant. verb. Communicatio priuilegijs* §. *eandem quoad hanc.* Confettius *in Summar. priuil. Maris magni cap.* 5. Rodriguez *to. 1. q. Regul. q.* 55. *art.* 21. Secus dicedum esset si huiusmodi priuilegia æque primo, principaliter, & independenter à Regularibus essent concessa familiaribus prædictis. Tunc enim æqualiter, & ex æquo essent participabilia tam à familiaribus, quam à Fratribus, & ita vti possent illis etiam contra prædictos Fratres. Corduba, & Rodriguez *ibidem*

35 Similiter si fratres perdiderint talia priuilegia per non vsum, reuocationem, aut alio modo etiam familiares illa perdent. Quia ea communicantur familiaribus dependenter à fratribus, & accessorium sequitur principale. Cord. *in Additionibus ad Comp. priuileg. Mendic. verb. communicatio priuil.* §. *Tandem quoad hanc.* Rodriguez *tom. 1. q. Regul q.* 55. *art.* 21.

SVMMARIVM.

Etiam pro Procuratoribus Regularium Summi Pontifices priuilegia concesserunt. n. 1.
Qui sint tales Procuratores. ibid.
Quæ priuilegia concesserit Clemens IV. Procuratoribus Fratrum Minorum. n. 2.
Quid Innocentius VI. Augustinensibus pro suis Procuratoribus. ibid.
Quid Sixtus IV. pro Procuratoribus Carmelitarum. ibidem.
Quid idem Sixtus IV. pro Procuratoribus minorum tempore interdicti. n. 3.
Quid Alexand. IV. Fratribus Prædicatoribus pro suis Procuratoribus. ibid.
Quid Iulius II. pro Procuratoribus Ordinis Minorum. n. 4.
Quid Martinus IV. pro Procuratoribus Minorum in Curiis Ecclesiasticis. ibid.
Qualiter hæc moderata sint à Leone X. Concil. Lateranen. n. 5.
An etiam moderata sint à Concilio Tridentino. ibidem.
Quid possint prædicti Procuratores tempore interdicti. n. 6.
An eo tempore possint illis administrari omnia Sacramenta, & concedi Ecclesiastica sepultura. numero 7.
Quid si lata fuerit sententia excommunicationis, vel interdicti, an ea comprehendantur dicti Procuratores. n. 8.
Quibus gratiis fruantur Procuratores Minorum. num. 9.
Quibus Aduocati Carmelitarum. n. 10.
An medici fratrum minorum aliqua gratia perfruantur. n. 11.
Syndici fratrum minorum sub procuratoribus videntur comprehendi. n. 12.
Qua auctoritate potiantur. ibid.
Quibus priuilegiis. n. 13.
Qualiter ea intelligenda. ibid.
An suspendantur per Bullam Cruciatæ. n. 14.



CAPVT XVII.

De Regularium Procuratoribus, seu negotiorum ipsorum gestoribus, ipsorumque priuilegiis.

Solicitè, & accuratè Summi Pontifices vetustiores, Regulares, præsertim Mendicantes, propensiori charitate, & affectu amplectentes, attendentes insuper illos suis sanctis studiis, honestisque laboribus salutem animarum procurare, plura, variaque priuilegia ne dum ipsis, sed ipsorum Tertiariis, Confratribus, Conseruatoribus, & familiaribus contulerunt, vt ex dictis constare poterit. *Iustus enim & honestus labor præmijs, ac splendore decoratur* vt dicebat Cicero 1. *de Orat.* Propterea etiam Procuratoribus secularibus, seu gestoribus negotiorum ipsorum, aliqua etiam priuilegia dederunt, quæ in hoc capite discutienda sunt, videndum quænam illorum, aut qualiter reuocata, vel non fuerint. Sunt autem Procuratores illi qui aliena negotia mandato sibi à Domino facto gerenda suscipiunt. *cap. saluator* 1. *q.* 3. *in lib.* 1. *ff. de Procurator.* Rodriguez *tom.* 3. *q. Regul. q.* 40. *vel* 41. *art.* 1. 1

Primo enim Clem. IV. concessit Minoribus, quod si quando in terras in quibus resident ipsi fratres, vel in earum personas. excommunicationis, seu interdicti sententias contigerit promulgari, negotiorum gestores huiusmodi sententiis obnoxij minimè habeantur. Casarubius *in Compend. priuileg. Mendicant. verbo familiares num.* 4. Eamdem etiam concessionem fecit Alexand. IV. eisdem negotiorum gestoribus, seu Procuratoribus fratrum Minorum Casarubius *in Compend. verb interdictum* 3. *num.* 1. Similiter idem Clem. IV. concessit quod Procuratores negotiorum fratrum Minorum possint tempore interdicti in locis prædictorum Fratrum audire diuina, nisi ipsi Procuratores causam dederint interdicto, vel excommunicari specialiter, seu interdici contigerit eosdem. Casarubius *in Compend. priuil. Mendicant. verb. Procuratores num.* 2. Item Innocentius VI. concessit Fratribus Augustiniensibus quod tempore interdicti possint Procuratores iurati negotiorum Conuentuum, & locorum dicti Ordinis etiam si sæculares, & laici existant, interesse diuinis Officiis vna cum prædictis fratribus, dummodo ipsi non dederint causam interdicto, nec sint specialiter interdicti. Idem Casarubius *numero* 6. Præterea Sixtus IV. in Bulla *Dum attenta*, quæ est Mare magnum Carmelitarum, pro tempore etiam interdicti concessione Innocentij IV. Alex. IV. & Greg. XI. extendendo ad Procuratores, & Aduocatos, ac nego- 2

tia

tia gerentes sic habet. Et quia ex concessione continetur dictorum Innocentij IV. Alexand. IV. & Greg. prædecessorum quod liceat eis cum interdictum generale terræ fuerit, dummodo causam non dederint interdicto, clausis ianuis, excommunicatis. & interdictis exclusis, submissa voce, Missas, & alia diuina Officia celebrare: eorumdem fratrum deuotioni non plenè consulitur, concessionem eamdem extendendo, eisdem Fratribus, vt liceat eis habere Altare portatile cum debita reuerentia, & honore, super quo in locis ad hoc conuenientibus, & honestis, præterquam in Ecclesiis ab Ordinarij obedientia non exemptis, quoties id eis contigerit interdici, possint Missas, & alia diuina Officia in quorumcumque præsentia celebrare, & interdicti tempore ad diuina huiusmodi cum eis mantellatas, & pinzocheras, ac oblatas, commissasque personas, & ipsorum fratrum, ac Monasteriorum Monialium Ordinis prædicti Procuratores, Aduocatos prædictos, & negotia gerentes vtriusque sexus admittere, præfatis scientia, motu, & auctoritate indulgemus. Hæc ibi.

3 Item idem Sixtus IV. Fratribus Minoribus concessit posse tempore interdicti admittere ad diuina Procuratores ipsorum. Casarubius *vt supra num.* 7. Præterea Alexand. IV. in Bulla *Vt in vestris* apud Peirinis *tom.* 1. *priuileg. Minim. inter Constitutiones Alexand. VI. num.* 4. concessit fratribus Ordinis Prædicatorum, quod si quando in personas, vel terras in quibus residerent excommunicationis, seu interdicti sententia contigerit promulgari, Procuratores negotiorum ipsorum huiusmodi sententiis obnoxij nullatenus haberentur, & in ipsorum locis audire possint diuina iuxta formam quæ in locis ipsis in eo casu à Sede Apost. est concessa, nisi eisdem causam dedissent, vel excommunicati specialiter, aut interdici contingeret.

4 Item Iulius II. in Bulla. *Alias venerabilem* apud Peirinis *tom.* 1. *priuileg. minim. inter Constitut. Iulij II. numero quarto* decreuit quod Procuratores, & Procuratrices. Tutores, & Tutrices domorum Ordinis Minimorum, omnium, & singulorum ipsorum ieiunidrum, orationum, & sacrificiorum, ac quorumcumque aliorum bonorum in toto Ordine faciendorum, & recitandorum participes forent, & illis communicata esse deberent. Item Martin. 4. concessit Procuratoribus fratrum Minorum in curiis Ecclesiasticis, & ciuilibus laborantes pro defensione Ordinis prædictorum Fratrum, Ecclesiarumque suarum, singulis annis indulgentiam centum annorum. Casarubius *in Compendio priuilegiorum Mendicantium verbo Procuratores numero quarto* quod etiam *numero quinto*, refert fecisse Nicolaum IV.

5 Aliquatenus moderata hæc sunt à Leone X. in Concilio Lateranensi, & Bulla *Dum intra mentis*, vbi statuit Procuratores, & negotiorum gestores Regularium Mendicantium sententiis excommunicationis promulgatis illaqueatos censendos, si illis causam dedissent, aut dantibus, consilium, auxilium, vel fauorem præstitissent. Moderata etiam videntur decreto Concilij Tridentinj *sessione* 24. *cap.* 11. adducto *cap. præcedenti numero* 14. quatenus dicit omnes quomodocumque Monasteriis addictos Ordinariis subiectos esse debere, exceptis iis qui actu seruiunt Monasteriis, & intra eorum septa, ac domos resident, subque eorum obedientia viuunt. Sed in hoc loco non videtur loqui Consilium nisi de illis qui seruiunt, aut addicti sunt tamquam famuli, aut seruitores, non de Procuratoribus, aut negotiorum gestoribus qui regulariter loquendo maioris notæ, & æstimationis sunt quam prædicti famuli, aut seruitores, & ideo ipsorum priuilegia non videntur à Concilio modificata, aut coarctata saltem in foro conscientiæ solum ad eos qui actu seruiunt Monasteriis, & intra eorum septa, aut domos resident, & sub obedientia ipsorum viuunt.

Possunt ergo in foro conscientiæ prædicti Procuratores Regularium habentium dicta priuilegia, 6
vel communionem priuilegiorum cum ipsis, tempore interdicti generalis ad diuina Officia cum ipsis Regularibus adesse, ex concessionibus adductis Alex. IV. pro Dominicanis, Sixti IV. pro Minoribus, & Carmelitis, & Innocentij VI. pro Procuratoribus iuratis Augustinianorum, ac Clem. IV. etiam pro Minoribus. Si tamen causam interdicto non dederint, aut non sint specialiter interdicti, aut excommunicati. Sorbus *in Annotationibus ad Compend. priuileg. Mendicant. verb. interdictum* 3. §. 5. *Tertiarij*. Quomodu autem Regularibus liceat celebrare Officia diuina eo tempore dictum est *tom.* 1. *c.*21 *n.*19.

Posse etiam prædictis Procuratoribus Regula- 7
rium tempore interdicti administrari omnia Sacramenta, & concedi Ecclesiasticam sepulturam, si decesserint è vita, tenet. Sorbus *in Annotationibus ad Compend. priuil. Mendicant. verb. interdictum* 3. §. 5. *Tertiarij*. Verumtamen non video expressum priuilegium quoad hoc pro prædictis Procuratoribus, & ita non est id faciendum, nisi constet de illo, & quod non sit viuæ vocis oraculum. Neque sequitur ex doctrina tradita cap. præcedenti pro familiaribus, quia isti procuratores, & negotiorum gestores non sunt propriè famuli, aut familiares Monasteriorum, neque etiam sequitur ex eo quod ipsis concedatur, vt dictum est, posse assistere diuinis, quia vt bene Portellus *in Dub. Regul. verbo interdictum num.* 72. tria ista per interdictum prohibita, scilicet Sacramenta, diuina, & sepultura, sunt diuersa, & vno concesso non conceditur aliud.

Si tamen in terris vbi fratres degunt generaliter 8
lata fuerit sententia excommunicationis, vel interdicti, non comprehenduntur dicti Procuratores, seu negotiorum gestores in foro conscientiæ nisi causam dedicent, aut excommunicarentur, vel interdicerentur specialiter. Ita enim habetur ex concessionibus Alex. IV. pro Dominicanis, Clem. IV. pro Minoribus, & Sixti IV. pro Carmelitis, quibus etiam fruuntur aliæ Religiones quibus communicata sunt priuilegia Mendicantium.

Fruuntur etiam Procuratores domorum Mini- 9
morum, & alij aliorum Regularium habentium communicationem in priuilegiis cum illis illa gratia à Iulio II. ipsis concessa, quod scilicet omnium, & singulorum ieiuniorum orationum, & Sacrificiorum, ac quorumcumque aliorum bonorum operum, quæ in Religionibus quarum sunt Procuratores fiunt participes reddantur.

Ex speciali etiam illo priuilegio Sixti IV. addu- 10
cto *n.*2. etiam Aduocati Carmelitarum (idem dico de aliis Religiosis cum ipsis communicationem priuilegiorum habentibus) possunt admitti modo dicto tempore interdicti ad diuina. Sorbus *in Annotat. in Compend. priuileg. Mendic. verb. interdictum* 3. §. 5. *Tertiarij*, Portel. *in Dub. Regul. v. interdictum n.*70.

Pro Medicis etiam ordinariis fratrum Minorum 11
refertur priuilegium Alexand. VI. quo illis dicitur concessisse

concessisse priuilegia; & gratias quibus gaudent Syndici, & Procuratores. Quia tamen mihi non constat an priuilegium hoc sit necne viuæ vocis oraculum (quia si tale fuerit nullius est momenti hoc tempore) ideo nihil affirmare, vel negare possum in hac difficultate. Vide Rodrig.*tom.2.q.Regul. q.114.art.3.*

12 De Syndicis autem fratrum Minorum (qui sunt Procuratores Sedis Apost. ipsius nomine constituti ad Fratrum negotia expedienda) loquendo, videntur sub procuratoribus constitui; ita vt quæ de procuratoribus dicta sunt illis applicari possint. Vnde Rodriguez *tom.3.quæst.40.vel 41. art.1.* eos vocat propriè procuratores. Quod confirmat priuilegium Sixti IV. in Bulla aurea, vbi concedit quod procuratores,& Syndici Monialium S.Claræ, & Tertij Ordinis Fratrum, & Sororum S.Francisci eisdem priuilegiis, gratiis, fauoribus, concessionibus, indultis spiritualibus, & temporalibus procuratoribus,& Syndicis Fratrum Minorum,& Prædicatorum,concessis,& concedendis gauderent.Casarubius *in Comp.priuil. Mendicant. verb. Procuratores fratrum n.* 10. *& verbo Communicatio priuil. n.* 2. Ex quo videtur haberi eos vt veros procuratores iudicandos. Nihilominus peculiaria quædam ipsis competunt tam quoad eorum auctoritatem quam quoad priuilegia illis concessa quæ breuiter expedienda sunt, cum de hoc patres ipsi Minores multa, & doctissimè scripserint. Quoad auctoritatem enim ex Bullis Summorum Pontificum illis competit recipere, vendere, dispensare, alienare, iudicialiter repetere, &c. nomine Papæ, & Ecclesiæ bona pertinentia ad ipsos Fratres.Sorbus *in Annotationib.& Comp. priuil.mendicant.verb. Procuratores fratrum § ita quod Syndicus.* Portellus *in dubiis Regul.verbo Syndicus, & in additione ad idem verbum.*

13 Quoad priuilegia autem Sixtus IV. in Bulla *Aurea*, concessit, vt dictum est, Syndicis Monialium S. Claræ quod eisdem priuilegiis, immunitatibus, gratiis, fauoribus, concessionibus, indultis, spiritualibus,& temporalibus concessis,& concedendis Procuratoribus, & Syndicis fratrum Minorum, & Prædicatorum gauderent. Casarubius *in Compend.priuileg.mendicant. verb. Procuratores fratrum n.* 10. Rodriguez *tom. 3. quæst. Regul. q. 39. art.* 3. Similiter Clem. VII. in Bulla *Dum consideramus* anno 1526.edita apud eumdem Rodrig *ibid. art.* 4. concessit vni Syndico, & Procuratori Ordinis Minorum cum illius vxore, & liberis, quod de cætero omnibus,& singulis indulgentiis,& peccatorum remissionibus, fauoribus, & gratiis quibus Fratres Ordinis obseruantiæ prædictorum vtuntur, potiuntur, & gaudent,seu vti,potiri,& gaudere poterunt,fruantur.Casarubius *vt supra n.*12.Rodrig.*ibid.*Insuper idem Clem. VII. in eadem Bulla magnam concessionem illis fecit, quod scilicet in quibusuis causis,& rebus ipsos concernentibus, ciuilibus, criminalibus, & mixtis, non nisi coram Iudicibus Conseruatoribus domorum illorum, quarum Syndici fuerint de iustitia respondere teneantur, præcipiens sub excommunicationis latæ sententiæ pœna, vniuersis, & singulis iudicibus commissariis Ecclesiasticis, & sæcularibus quacumque auctoritate fungentibus ne de causis contra dictos Syndicos motis, & mouendis directè,vel indirectè se intromittere audeant. Casarub.*ibid. n.* 17. *etiam ibid.*Hoc tamen priuilegium non videtur intelligendum nisi de causis prædictos Syndicos tangentibus, quatenus Sydici sunt, non quatenus tales personæ sunt, vel ad minus standum est consuetudini cum sit magnum priuilegium, & valde exorbitans à iure communi.Portell. *in Dub. Regul. verb.Syndicus Minorum n.5.*

Notandum priuilegia horum sæcularium videri solum intelligenda pro locis in quibus non publicatur Bulla Cruciatæ, in locis enim vbi publicatur, cum per illam suspendantur priuilegia Mendicantium quoad sæculares, videtur non posse Procuratores istos illis vti, vt volunt plures, specialiter Sorbus *in Addition. ad Compend. priuil. Mendicant. verbo interdictum 3.§.2.conclus.* Rodriguez *in explicat: Bullæ Cruciatæ §. 5. numero 39.* Verumtamen vide dicta *cap. 1. num. 59.* & iuxta ea intelliges quænam, aut qualia ex istis priuilegiis suspendantur, vel non in dictis locis, in quibus publicatur Bulla Cruciatæ,pro huiusmodi Procuratoribus. 34

SVMMARIVM.

Duo sunt genera beneficiorum, sæcularium, & Regularium. n.1.
Quæ sunt beneficia sæcularia, & quæ Regularia. ibidem.
Cur Regulares non debeant habere beneficia sæcularia. ibidem.
Quid sit vtrumque beneficium. ibid.
Regulares capaces sunt beneficiorum Regularium. num. 2.
Debent prouideri Regularibus eiusdem Ordinis cuius sunt. n. 3.
Non possunt duo Religiosi diuersorum Ordinum permutare beneficia.ibid.
Debent Religiosi quibus conceduntur esse professi. num. 4.
Vel saltem professuri. ibid.
An sufficiat esse tacitè professos. ibid.
Nec Religiosus vnius Monasterij capax est beneficij Regularis alterius Monasterij. n.5.
Non sunt beneficia Regularia Regulariter loquendo beneficia simpliciter.n.6.
Sed tantum manualia. ibid.
Quando sint talia. ibid.
Prouisio beneficiorum Regularium electiuorum pertinet ad capitulum conuentus. n.7.
Ad quem pertineat prouisio beneficiorum Regularium collatiuorum. ibid.
Requiritur semper pro illis examen, & approbatio Episcopi. n.8.
Subsunt Regulares beneficiati iurisdictioni Episcopi in iis quæ spectant ad id munus. n. 9.
Quid dicendum de Regularibus inseruientibus beneficiis simplicibus. n.10.
Non debent vocari ad concursum.n.11.
Cogi possunt Religiosi ad acceptandum beneficium Regulare. n.12.
Dummodo possint ibi sustentari. ibid.
Debet eis assignari congruum salarium. ibid.
Tenentur Religiosi beneficiarij votis generalibus Religionis, & aliis obligationibus aliorum quatenus non repugnant muneri quod gerunt. numero 14.
Quid de Officio diuino, habitu portando, & Socio habendo. ibid.
Cui adquirant ea quæ adquirunt. n.15.
De fructibus beneficij quibus debeant prouidere. ibidem.
An teneantur obedire Superioribus Regularibus. numero 16.



CAPVT XVIII.

De beneficiis Regularibus.

1 DVo sunt genera beneficiorum, sæcularium, & Regularium Beneficia sæcularia dicuntur, quæ sæcularibus dari solent ex debito, institutione, aut legitima consuetudine. Regularia vero quæ Religiosis addicta sunt ex fũdatione Ordinarij, aut superioris institutione, aut legitima etiam consuetudine. Rodrig *tom.* 1. *q. Reg. q* 34. *art.* 1. Suar. *tom.* 4. *de Relig. tr.* 8. *lib.* 3. *c.* 19. *n.* 2. In præsenti solum est sermo de beneficiis Regularibus, nam de sæcularibus loquendo iam diximus *to.* 1. *c.* 2. *n* 17. quod quamuis Religiosi capaces sint ad illa possidenda de facto tamen illis non conceduntur sine Papæ licentia, vel dispensatione. Suarez *vt sup. n.* 26. & 27. [Sicque etiam video declaratum à Sacra Congregatione Episcoporum, & Regularium 26. Ianuarij 1635. Sed nota quæ dico de Canonicis Regularibus *hoc* 2. *tom. in Addit. ad n.* 16. *c.* 3. Excipe etiam casum necessitatis quando scilicet necessitas vrgeret, nec essent aliqui sæculares idonei pro beneficiis sæcularibus obtinendis, tunc enim Regularibus conferri possent, sicut è conuerso. *c. inter quatuor de relig. domib.* Gonzal. *ad reg.* 8. *Cancellar. Gloss.* 8. *n.* 43. Garzia *de beneficiis p.* 7. *c.* 10. *n.* 16. Tambur. *de iure Abbat. tom.* 3. *disp.* 9. *quæsit.* 2. *n.* 5.] Ratio autem quare prædicta licentia, vel dispensatio requiratur ad hoc vt Religiosus beneficium sæculare obtineat, sumitur, tum ex parte ipsius beneficij, quod petit conferri iis quibus iure, vel consuetudine est destinatum, tum ex parte ipsius Religiosi, quia cum eius status non ordinetur ad huiusmodi Clericorum ministeria gerenda non debet se in illis immiscere, solum ergo agemus de beneficiis Regularibus. Definitur autem beneficium prout abstrahit à sæculari, & Regulari hoc modo. *Ius recipiendi redditus ex bonis Ecclesiæ, ratione spiritualis officij, Ecclesiastica auctoritate constitutum.* Layman *in Theol. morali* 4. *tr.* 2. *cap.* 1.

Regulares ergo capaces sunt beneficiorum Regularium, quod ex ipsis terminis est manifestum, 2
cum beneficia ista solum Regularibus conferantur, & ab eis solum ministrentur, ex hoc enim euidenter sequitur capaces esse illorum. Syluest. *verbo religio* 6. Nau. *Comment.* 5. *de Regularibus n.* 23. Et vlterius declaratur; quia nihil est in Religioso quod repugnet beneficij Regularis administrationi. Obedientiæ enim votum non repugnat, cum beneficia hæc voluntate Superiorum concedantur, nec castitas vt per se patet, nec paupertas, cum beneficiarius Regularis nihil proprij habeat, sed tantum vsum, administrationem, seu dispensationem bonorum beneficij.

Debent tamen prouideri beneficia Regularia 3
non Regularibus alterius Ordinis, sed ipsismet eiusdem cuius sunt. Ita enim habetur *cap. cum singula* 32. *de præbend. in* 6. & in Concilij Trident. *sess.* 14. *c.* 10. Rodriguez *tom.* 1. *quæst. regul. q.* 34. *art.* 3. Vnde non possunt duo Religiosi diuersorum Ordinum permutare beneficia Regularia quæ possident, etiam de licentia suorum Superiorum. Quia neuter est capax beneficij alterius Ordinis, nec Superior vnius habet auctoritatem supra beneficium alterius. Sanchez *lib.* 7. *in Decal. cap.* 29. *num.* 31.

Debent etiam Religiosi quibus conceduntur esse professi, vel saltem habitum Religiosum suscepturi, & in ea Religione professuri. Ita enim habetur in Concil. Trident. *sess.* 14. *c.* 10. & declarasse dicitur Sacram Congregationem. Quod sic videtur intelligendum, quod scilicet, si isti Religiosi professi non sint, beneficia regularia ipsis cõcedi non possint nisi cõuentione facta, vt intra certũ tempus ad Religionem suscipiendã, & profitendam teneantur, sicut beneficia curata quando dantur non Sacerdotibus sub ea conditione dantur, vt intra certum tempus ad sacerdotium promoueantur. Sanchez *lib.* 7. *in Decalog. c.* 4. *n.* 24. Vide etiam Barbosam in *Collectan. Bullar. verb. beneficium. regulare* 5. Vbi aliquas etiam affert S. Congregationis declarationes ad intentum. Addit. Rodriguez *tom.* 1. *quæst. regular quæst.* 34. *art.* 3. debere tales esse expresse professos. Vide declarationem Sacr. Congregat. 4

Congregat. apud Gonzal. *ad Reg.* 8. *Cancellariæ glos.* 8. *num.* 78. Barbosam *in Collect. Bullar. verb. Abbatia.*

5 Similiter nec Religiosus vnius monasterij capax est Beneficij Regularis alterius monasterij eiusdem Ordinis. Ita enim habetur *c.cum singula §.prohibemus de præbendis in* 6. Rodriguez *tom.*1. *q. Regul.q.*34.*art.*8.Sanchez *lib.*7. *in decal. cap.*29.*n.*29. Quare non possunt duo Religiosi diuersorum Monasteriorum eiusdem Ordinis permutare beneficia Regularia quæ possident de licentia suorum superiorum. Quia neuter est capax alterius beneficij,& Superior vnius non habet authoritatem supra beneficium alterius. [Vnde nec Summus Pontifex solet concedere licentiam Regularibus assequendi beneficium alterius Religionis, nisi transferendo illos ad Monasterium, ad quod spectat illud beneficium. Barbosa *de iure Ecclesiastico lib.*3. *cap.* 13. *n.*159.Tambur.*de iure Abbat.tom.*3.*disp.*9.*quæsit.*6. *num.* 8.

6 Non sunt beneficia Regularia regulariter loquendo dicenda beneficia simpliciter, sed solũ manualia.Ratio est,quia regulariter non sunt firma,& perpetua,qualia sunt beneficia sæcularia, sed amouibilia ex voluntate Superioris, cũ Regularis ex eo quod beneficium accipiat non eximatur à sui Superioris obedientia,qui potest illum à beneficio amouere. Rodriguez *tom.*1. *quæst.Regul.quæst* 34. *art.*2. Sanchez *lib.*7.*in Decalog.c.*29.*n.*106.Dixi regulariter, quia aliquando beneficia regularia non sunt manualia, & amouibilia, & tunc erunt simpliciter beneficia: videlicet quando vel ex institutione eorum, vel ex recepta consuetudine, vel ex priuilegio Pontificio fuerint perpetua. Nauarrus *Comment.* 2. *de Regularibus num.*6. Suarez 4. *tom. de Relig. tr.*8. *lib.* 3. *cap.* 19. *num.* 20. Similiter quando beneficij Regularis collatio non pleno iure spectat ad Superiorem Monasterij, vel ipsum monasterium, sed simul ad Episcopum, vel alium prælatum,tunc tale beneficium perpetuum erit, & simpliciter beneficium, non manuale, seu amouibile. Suarez *vt supra num.*23. In dubio autem omnia beneficia præsumuntur sæcularia. Thomas Zerola *in praxi Episc.* 2. *part.verb. beneficium vers.*19. Ac per consequens perpetua. [Vt autem beneficium aliquod mutetur ex sæculari in Regulare, aut è contra, aliquæ conditiones requiruntur. Prima, vt tempore ad legitimam præscriptionem à Iure petito administratum sit per Regulares quidem vt ex sæculari fiat regularis, & per sæculares vt ex Regulari, fiat sæculare. *cap. Ad aures, &c. De quarta de præscrip.* Secunda vt possidentes beneficium sint in eo instituti, si enim de facto absque vlla institutione illud possiderent non posset habere locum hic transitus *cap. Cum de beneficio de præbend. in* 6. Tertia est vt sint in eo beneficio instituti Vectores. *cap. Cum de beneficio* relato. Quarta, est quod transeat beneficium in Regulare vt administretur à Regularibus tamquã Regulare, non tamquam sæculare. Quinta est, vt conferens animo & intentione beneficium conferat, vt velit imprimere illum statum beneficio, quem exprimit, ita vt in collatione dicat Regulari confero tibi beneficium sæculare, & sæculari, confero tibi beneficium Regulare. Vltima est, vt id beneficium Regulare possideatur bona fide à sæculari, & sæculare à Regulari. Quia possessor malæ fidei nullo tempore præscribit. De iis Sanchez *lib.*7. *in decalog.cap.*29.*n.*16.*& sequentibus*, & Tamburinus *de iure Abbat.tom.* 3. *disp.*9.*q.*3. ex aliis.

Prouisio beneficiorum Regularium quæ electiua vocantur, id est, quæ per electionem Canonicam suffragiis electorum fiunt, pertinet ad capitulum Conuentus, accedente confirmatione Superioris, sicut generaliter quidquid fit per electionem à Regularibus. Prouisio autem beneficiorum Regularium quæ collatiua vocantur, quia scilicet instar sæcularium conferuntur auctoritate Superioris, spectat, vel ad Superiorem solum, vel ad superiorem cum capitulo, iuxta varia statuta, & consuetudines Religionum. Vbi autem de his non constaret, stando in iure communi pertinet ad superiorem cum consensu maioris partis Conuentus, cum sit hæc ex grauioribus Monasterij, Sanchez *lib.*7.*in decalog. cap. vigesimonono num.* 108. Suarez *tom.*4. *de Religion. tract.* 8. *lib.* 3. *capite* 19. *numero quarto.* Vide declarationem S. Congregat.apud Barbosam *in Collect. Bullar. verb. cura animarum.* 7

Semper tamen requiritur examen, & approbatio Episcopi pro huiusmodi beneficiariis Regularibus curam animarum habentibus. Franciscus Leo *in thesauro fori Ecclesiastici p.*1.*c.*8. *n.*20. Barbosa *de offic.& potest.Episcop.allegat.*74.*n.*18.*&* 24. Dicitur etiam declaratum à S. Congregat. Concilij quod quoties denuo Religiosi ad curam animarum exercendam deputantur, esse iterum ab Episcopo examinandos, & approbandos. Barbosa *in Collect.Bullar. verb. Abbas* 1. §. *vltimo.* Vtrumque autem colligitur ex Trid. *sess.*25. *c.*11. illis verbis *Nec ibi aliqui etiam ad nutum amouibiles deputent nisi de eiusdem* (scilicet Episcopi) *consensu ac præuio examine,&c.* 8

Item prædicti beneficiarij Regulares subsunt immediatè iurisdictioni,visitationi, & correctioni Episcopi in his quæ ad curam, & Sacramentorum administrationem pertinent. Ita enim colligitur ex Tridentino *sess.* 25. *cap.* 11. & ex declaratione Sacræ Congregationis apud Barbosam *in Collectan. Bullar. verb. fratres S. Ioannis Hierosolymitani*, & clarius habetur ex Constitut. Gregor. XV. de exemptorum priuilegiis, quæ extat 4. tom.Bullar.inter Bull.huius Pontificis n. 18. vbi sic habetur. *Statuimus, & declaramus, vt deinceps tam Regulares, quam sæculares quomodolibet exempti, siue animarum curam personarum sæcularium Monasteriis, seu domibus Regularibus, aut quibusuis aliis Ecclesiis, vel beneficiis siue Regularibus siue sæcularibus incumbentem exerceant, siue alias Ecclesiastica Sacramenta, aut vnum ex illis ministrent præuia Episcopi licentia, & approbatione, siue quoquomodo in dictæ curæ exercitio, aut in eorumdem Sacramentorum, vel alicuius ex illis administratione de facto absque vlla auctoritate se ingerant, in his quæ eiusmodi curam, seu administrationem concernunt, omnimodæ iurisdictioni, visitationi, & correctioni Diœcesani Episcopi tanquam Sedis Apostolicæ delegati, plene in omnibus subiiciantur.* Barbosa *de offic. & potest. Episcopi part* 3.*alleg.*74.*num.*18.*&* 27.Nota tamen hanc constitutionem suspensam esse pro Regnis Hispaniarum, vt diximus *tom.* 1. *capite* 19. *numero* 35. 9

Cæterum loquendo de Regularibus inseruientibus de licentia suorum Superiorũ beneficiis simplicibus,quæ tamen membra sunt Monasteriorum, seu Religionis, declaratum video à S. Congregat. non posse visitari ab Ordinariis. Armendariz *in additionibus ad recopilat. leg.* Nauarr. *lib* 1. *tit.*6.*de visitat.lib.*5.§.2.*n.*96.Barbosa *in Collect. Bullar. ver. Regulares* 1. 10

11 Non tamen debent vocari ad concursum per edicta Regulares electi, vel nominati ad Beneficia Regularia seruienda; sed sufficit quod examinentur, & approbentur ab Ordinariis. Ita enim determinatum est à S. Congregatione Concilij, vt testatur Sixtus V. in Bulla *Ex iniuncto* in Bullario Rodriguez *tom.2. Bulla 22. in Sixto V.* vbi ad instantiam Congregationis Benedicti Portugaliæ id decernit. Habetur id etiam ex alia declaratione eiusdem Sacr. Congregat. apud Gonzalez *ad Regul. 8. Cancell.gloss. 6. n.162. &* Barbosam *in Collectan.Bullar.verb.examen.*

12 Cogi potest Religiosus à prælato ad acceptandum beneficium Regulare. Quia hoc præceptum iustum est, nec excedit latitudinem obedientiæ Religiosæ, cum gubernatio beneficiorum Monasterij valdè pertineat ad vtilitatem eiusdem. Nauar. *Comment. 4. de Regularibus num.23.* Suarez *tom.de Relig.tract.8. lib.3.cap.19.num.5.* quod extenditur etiam ad beneficium tenue, & paucos redditus habens, dummodo possit ex illis sustentari Religiosus. Propter eamdem rationem. Nauarrus, & Suarez *vt supra* Rodriguez *tom.1.quæst.Regular. quæst. 34.art.3.* Addit non posse cogi ad accipienda beneficia sæcularia, nec Regularia aliorum Ordinum, nec alterius Monasterii eiusdem Ordinis. Sed hæc limitanda sunt, nam; vt credo, cogi potest Religiosus ad accipienda prædicta omnia, si ab habente auctoritatem illa conferantur, & cedat in bonum, & vtilitatem suæ religionis, quia hoc concernit Regulam, quam professus est Religiosus, & cum prædictis conditionibus res est licita, & honesta talia beneficia acceptare.

13 Debet assignari prædictis Religiosis seruientibus Beneficiis, seu Ecclesiis Parochialibus congruum salarium pro ipsorum sustentatione, ne salarij paruitate aliunde quærere vnde viuant, & curam animarum negligenter curare cogantur. Colligitur ex Conc. Trident. *sess. de reformatione cap.7.* Rodriguez *tom.1. quæst.Regular.quæst 36.art.2.* referens concessionem Sixti V. Congregationi S. Benedicti Portugalliæ factam, qua illis conceditur vt salario decenti beneficiariis designato, reliqui fructus in vsus Monachorum conuerti possint, & aliam cuiusdam Rainutij Papæ auctoritate potientis Congregationi S. Elisi circa huiusmodi salaria, pacta pro illis tribuendis, & non maioribus, etiam locorum Ordinariis, & illorum visitatoribus aliter præcipientibus. Quia tamen hæc posterior concessio contraria videtur decreto Concilij Tridentini adducto, ideo cautè in hoc negotio procedendum, maximè quia constat an sit viuæ vocis oraculum quia si talis esset nihil valeret, iuxta dicta *tom. 1. num.21.* De priori autem concessione Sixti V. constat fuisse per Bullam quam refert idem Rodriguez *in Bullar. tom. 2. inter Bullas Sixti V. numero 24.* Vbi vlterius Pontifex statuit ne in dictis Ecclesiis Monachi ad vitam instituantur, & quod prædicti Presbyteri sæculares ab Ordinariis locorum approbati sint, insuper quod salarium illud bene visum sit eisdem Ordinariis. Vide dicenda infra *num. 27.*

14 Religiosi sic Beneficiarij non solum tenentur votis Religionis generalibus, præcepto portandi habitum, votis specialibus suorum Ordinum, sed & obseruantiis Regularibus, & Constitutionibus suarum Religionum, quatenus non repugnant muneri quod gerunt, iuxta dicta *tom.1.c.17. num. 16.* cum verè maneant sub iugo Religionum suarum, quantum in priuata domo, & extra Monasterium fieri potest. Suarez *4 tom. de Relig. tract. 8. lib.3.cap.19.num 6.* Non tamen tenentur soluere Officium diuinum iuxta ritum suarum Religionum, sed Ecclesiarum quibus seruiunt, vt etiam loco citato diximus, vbi etiam quid de Socio sit dicendum. Si tamen redditus, seu salarium pro socio habendo non sufficerent ad hoc onere immunes erunt, nisi in casu, quod socius alio honesto modo sustentari posset.

Quæ adquirunt hi Beneficiarij intuitu Ecclesiæ cui seruiunt, eidem Ecclesiæ adquirunt, quæ autem adquirunt, non intuitu Ecclesiæ cui seruiunt, sed intuitu Religionis cuius sunt, vel aliunde, adquirunt Religioni. Hoc enim suadetur tum ex iis quæ diximus *prædicto tom. cap. 17. num. 15. & 16.* de quo etiam Sanchez *libro septimo in decalog. cap. 32. num. 76.* Suarez *4. tom. de Relig. tract. 8. libro tertio cap. 19. num. 8.* De fructibus autem Beneficiorum quibus potiuntur, cum concedantur intuitu Ecclesiarum quibus seruiunt, debent tamquam boni dispensatores primum prouidere ipsis Ecclesiis, deinde pauperibus sibi subiectis, si quid vero postea superfuerit, licet securius sit deberε eos Ecclesias suas augere probabile tamen est posse suo Monasterio donare, quia est opus Religionis, & misericordiæ nullo iure prohibitum, sed potius, vt apparet, permissum, eo ipso quod prædictorum bonorum fiunt dispensatores. Suarez vt supra *numero 10.* 15

Similiter hi Religiosi Beneficiarij licet quod ea quæ pertinent ad statum Religiosum, & obseruantiam Regularem, seu quæ non contradicunt beneficiis quæ obtinent teneantur obedire suis superioribus, cum verè illis sint subiecti, in his tamen rebus quæ fuerint contrariæ, seu repugnantes prædictis beneficiis, cum ipsi ex iustitia ratione muneris suscepti teneantur facere quicquid ad illa spectat non debent obedire suis Prælatis, Suarez.*4.tom.de Relig.tr.8.lib.3.c.19.n.18.* In his autem quæ pertinent ad vtilitatem beneficiorum, & rectam ipsorum administrationem tenentur obedire illi, vel illis, cui, vel quibus subiecta est illa Ecclesia, scilicet Prælato Ordinis, si illi pleno iure subiecta fuerit, Episcopo, si ipsi subiiciatur, vel vtrique si ad vtrumque spectat. Suarez *vt sup. num. 19.* Rodriguez *tom.1. quæst.Regul.q.34.art.6. & 7.* 16

Vacant beneficia Regularia manualia collatiua quoties Superior reuocat collationem. Hoc enim est esse manualia, scilicet pendere à nutu Superioris, Federicus. *in tract. permutationum quæst. 16.* Sanchez *lib. 7. in decalog. cap. 29. numero 107.* Etiamsi beneficium collatum sit à Superiore pro toto vitæ tempore, quia non obstante tali concessione manet beneficium sub Superioris potestate. Selua *de beneficiis 3.parte quæst. 68. num. 4.* Sanchez *vt supra num. 124.* Etiam si Superior promiserit se non reuocaturum concessionem, quia talis promissio est irrita, cum sit contra ius, & naturam beneficij manualis, quod petit esse reuocabile ad nutum Superioris. Selua *vt supra quæst. 69. num.1.* Sanchez *vt supra numero 125.* Imò ad hoc quod talis reuocatio valida sit non requiritur aliqua causa, quia prælatus vtitur iure suo erga rem, & personam sibi subditam. Sanchez *ibid. n. 111.* Additur ex declaratione S. Congregat.Conc.posse Abbates Ordinum inuito Episcopo reuocare absolutè ad Monasterium Religiosos exercentes curam animarum in Ecclesiis, quæ sunt vnitæ ipsis Monasteriis Barbosa *in Collectan. Bullar. verb.* 17

Abbas

Abbat. 1. Ad hoc autem quod licitè, & prudenter fiat reuocatio requiritur aliqua causa rationabilis, non quidem culpa ipsius beneficiarij, sed quæcumque vtilitas vel commoditas Religionis, aut Ecclesiæ, prudens enim gubernatio id exigit. Suarez 4. *tom. de Relig. tract.* 8. *lib.* 3. *cap.* 19. *num.* 21. Si autem scandalum aliquod, vel infamia Religiosi beneficiatij sequatur ex tali reuocatione tunc requiritur maior causa, vt scandalo, vel infamiæ obuietur. Casu etiam quo constaret reuocationem factam esse malo animo, malitia, aut odio posset Religiosus spoliatus implorare auxilium Superioris Prælati contra eum qui prædicto modo ipsum spoliauit beneficio. Lessius 2. *de iustit. & iure cap.* 41. *dub.* 12. *numero* 98. Sanchez *lib.* 7. *in decalog. cap.* 29. *numero* 115. In aliis tamen occasionibus etiam si sine causa spolietur Regularis beneficio non potest agere contra Superiorem spoliantem coram Superiori prælato, nisi solum proponendo, aut supplicando pro restitutione. Sanchez *ibidem.* Suarez 4. *tom. de Relig. tract.* 8. *lib.* 3. *cap.* 19. *num.* 21. Quod est verum quamuis collatio spectet ad Abbatem, & Conuentum, quia etiam in tali casu Abbas solus potest reuocare Monachum beneficiarium, cum hæc sit natura beneficij manualis. Sanchez *num.* 112.

18 Non tamen vacant prædicta beneficia Regularia morte Abbatis, vel superioris conferentis. Quia per solam mortem non inducitur reuocatio *cap. si delegatus de offic. delegat. in* 6. Abbas *cap. finali n.* 6. *de precariiis.* Felin. *cap. per tuas numero* 4. *de maior. & obed.* Secus si beneficij concessio esset solum ad beneplacitum Abbatis, vel Superioris, quia beneplacitum expirat morte concedentis *c. si gratiosè, de rescript. in* 6. Sanchez *lib.* 7. *in decal. c.* 29. *num.* 113.

19 De beneficiis autem Regularibus electiuis multi dicunt absque legitima causa tolli non posse à beneficiariis, ac proinde esse perpetua. Ita aliqui Canonistæ quos sequitur. Sanch. *lib.* 7. *in decalog. c.* 29. *n.* 118. Sed mea videri consuetudo, tum patriæ, tum Religionis in hoc attendenda est, multa enim officia in religionibus per electionem concessa reuocari possunt, saltem à supremo Prælato sine alia causa, quam ea quæ spectet ad bonum regimen Ordinis.

20 Quoties autem beneficia huiusmodi Regularia fuerint perpetua, & non manualia, scilicet ex institutione, consuetudine, vel priuilegio Summi Pontificis non possunt Religiosi illa possidentes remoueri, sine culpa ipsorum. Quia hæc est qualitas, aut natura beneficij perpetui. Selua *de beneficiis* 3. *par. quæst.* 69. *num. vlt.* Nauarrus *comment.* 2. *de Regularibus num.* 65. Vnde in talibus casibus potest Religiosus spoliatus agere contra Superiorem spoliantem, vt potè contra iniustè procedentem. Nauarrus *ibidem.* Sanchez *lib.* 7. *in decalog. cap.* 29. *num.* 122. & 123. Idem dico quando talium beneficiorum collatio non pertinet plenò iure ad superiorem Religionis, sed simul ad Episcopum, vel alium Prælatum. Sicut enim ea non possunt per solam voluntatem à Superiore Ordinis prouideri, sic nec ab ipso tolli. Vnde sunt perpetua. Suarez 4. *tom. de Relig. tr.* 8. *lib.* 3. *c.* 19. *à num.* 22.

21 Quando vero huiusmodi beneficia Regularia ex natura sua manualia à Papa immediatè conferuntur, si dentur cum *clausula* vt retineantur toto vitæ tempore reuocari non poterunt ab inferiori Prælato, cum euidenter constet de voluntate supremi Prælati quod non reuocentur. Innocentius *capite cum inter R. statim in principio de elect.* Felinus *capite constitutus num.* 10. *de rescript. & capite per tuas numero quarto de maior. & obedient.* Si vero non apponatur talis clausula mihi probabilius est posse reuocari. Quia cum natura dictorum beneficiorum sit esse manualia, & amouibilia, si Pontifex oppositum non explicet censendus est noluisse illorum naturam alterare, sed relinquere illam vt prius, maximè cum hoc cedat in fauorem obedientiæ promissæ à religiosa cui Pontifices fauent semper nisi aliud exprimant. Abbas *c. ad nostram n.* 7. Lapus *allegat.* 26. & alij.

Idem dico quando concessioni factæ à Prælatis beneficij Regularis manualis alicui Religioso accedit confirmatio Pontificia, potest enim etiam tunc Prælatus reuocare concessionem, cum per talem confirmationem Pontificiam nisi aliud in ipsa exprimatur, non alteretur, aut mutetur natura ipsius beneficij. Quod etiam intelligo (quidquid in contrarium dicant. Sanchez *lib.* 7 *in decalog. c.* 29. *n.* 130. & alij ab ipso citati (adhuc in casu quo Pontifex ex certa scientia confirmaret concessionem. Propter rationem adductam, & quia certa scientia Papæ confirmantis solum iuuat ad hoc quod rescriptum, vel Breue non possit argui de surreptione. 22

Fauet ad intentum Extrauagans *Rursus* Benedicti 12. vbi determinatur quod habentes Beneficia in ordine Monachorum nigrorum S. Benedicti ex collatione, prouisione, vel ordinatione Sedis Apostolicæ vel Legatorum, seu executorum, vel prouisorum eiusdem Sedis, vel per litteras prædictorum, subsint in omnibus, & per omnia suis prælatis, & possint ab eis reuocari prout si ea haberent à suis Abbatibus. Sanchez *libro septimo. in decalog. capite vigesimonono numero.* 137. Consulantur etiam aliorum Ordinum Monachorum priuilegia. 23

Licet Episcopus stando in iure communi antiquo posset vnire Ecclesias suæ Diœcesis ex *capit. sicut vnire de exces. Prælat. & capit. exposuisti de præbendis* vt fatentur communiter Doctores, & posset etiam consequenter vnire alicui Religioni Ecclesiam, seu Beneficium suæ Diœcesis, vt constat ex *Clemen.* 1. *de rebus Ecclesiæ non alienandi.* Azorius *tomo secundo institut. moral libro sehto capite vigesimooctauo quæstione* 19. Sanchez *libro septimo indeclalog. capite* 29. *numero* 147. *& sequentibus*, id tamen modo post Concil. Trident. dupliciter limitatum est, primò, vt Beneficium non sit extra Diœcesim, in qua est Monasterium, etenim in eodem Concilio *sess.* 14. *cap* 9. id prohibetur. Secundò, ne Beneficium illud vniendum sit curatum, quia id etiam interdicitur in Concil *sess.* 24. *capite.* 13. Cum autem solum in prædictis duobus casibus limitauerit, aut abstulerit Concilium Episcopis auctoritatem veniendi, dicendum est in aliis casibus posse ea vti, ac per consequens vnire Beneficia Monasteriis sicut iam etiam factum ab Archiepiscopo Hispalensi refert Sanchez *numero* 187. Poterunt ergo Beneficia simplicia vniri Monasteriis, prout colligitur ex dicta *Clemen.* 2. *de rebus Eccles. non alienandis.* Idem Sanchez *tomo primo consil. moral. libro secundo capite secundo dub.* 3. Debet autem talis vnio fieri ex causa legitima. Syluester *in Sum. verbo alienatio quæstio duodecimo.* Videtur autem id proprium esse Episcoporum vt colligitur *ex capite sicut vnire de excess. Prælatorum* Azor. *tomo secundo institut. moral.* 24

moral. libro 6. capite 28. Licet Sanchez etiam Abbatibus, & aliis Prælatis iurisdictionem, quasi Episcopalem habentibus hanc etiam facultatem concedat in Ecclesiis plenè sibi subiectis *num.* 160. Vbi in sequentibus de conditionibus ad id necessariis.

25 Casu autem quo siue ab Episcopo, siue à Papa hæc vnio beneficiorum monasterio fiat gubernari poterunt per Religiosos sicut alia beneficia Regularia, iuxta dicta in superioribus. Fauent Felinus *cap. in nostra Corol* 40. *numero* 42. *notab.* 3. *de rescript.* Selua *de beneficiis* 3. *part. quæst.* 11. *numero* 126. referens quamdam Rotæ decisionem. Manebunt autem subditi suo prælato sicut de aliis beneficiariis Regularibus dictum est *numero* 14. *&* 16.

26 Hinc declaratum dicitur à S. Congregat. Concilij Canonicum Regularem iussu sui Superioris degentem in ædibus Parochialis Ecclesiæ Congregationi vnitæ, in qua curam animarum exercet, & Sacramenta administrat, si delictum non concernens curam animarum, nec administrationem Sacramentorum commiserit, non posse ab Episcopo puniri vigore decreti Concil. *c.*3. *sess.*6. Barbosa *in Collect. Bull. v. Canonic. Regul.* 15. Quod etiam videtur dicendum de aliis Regularibus seruientibus similibus Parochiis iuxta dicta *tom.* 1. *capite* 11. *num.* 8.

27 Declaratum etiam dicitur posse Ordinarios locorum visitare curatas Ecclesias si sint vnitæ Monasteriis, & in eis ponere Vicarios perpetuos, siue temporarios, iuxta dispositionem *cap.* 7. *session.* 7. Concil. Tridentin. Ita ex declaratione Sac. Congregat. Garzia *de benefic. part.* 11. *cap.* 2. *num.* 12. Barbosa *in Collectan. Bullar. verb. Curati.* Pro salario autem illis assignando vide Bullam Pij V. *Ad exequendum* in 2. tom. Bullar. num. 47. quæ etsi reuocata fuerit à Gregor. XIII. in Bulla, *In tanta* num. 9. inter Bullas Gregorij, nihilominus in suo robore manere dicitur, tum ob reualidationem ipsius ab eodem Gregor. factam, tum ob declarationem Sac. Congregat. De quo Gonzalez *supra* 8. *regul. Cancellar. de mens. & alternat. gloss.* 5. §. 4. *num.* 79. Cherubinus *in Compend. Bullar. supra dictam Bullam* 47. *Pij V.* Laurethus de Franchis *in controuersiis Episc. & Regular. pag. mihi* 14.

28 Religiosus reuocatus à beneficio Regulari quod gerebat potest ea bona quæ habebat ex prædicto beneficio vsui suo applicata ad Monasterium deferre. Quia etsi fuerint ex fructibus beneficij cum sibi fuerint legitimè applicata sequuntur ipsum quocumque ierit. Debent ergo cum ipso ad monasterium venire, non vt liberam eorum administrationem sicut prius habeat, sed vt incorporentur cum aliis bonis Monasterij, iuxta præscriptum Regulæ, & Constitutionum. Suarez 4. *tom. de Relig. tr.* 8. *lib.* 3. *c.* 19. *n.* 11.

29 Duo, vel plura beneficia eidem Regulari à Superiori Ordinis concedi non possunt nisi vnum ex eis ab alio dependeat, vel ad inuicem sint annexa. Ita enim deciditur *cap. cum singula in princ. de præbend. in* 6. Rodriguez *tom.* 1. *quæst. Regul. q.* 34. *art.* 9. Vnde ad id requiritur Sedis Apostolicæ auctoritas, vt ibidem habetur. Nauarr. *Comment.* 4. *num.* 23. *de Regular.* Azor. *tom.* 1. *instit. moral. lib.* 12. *cap.* 22. Layman. *in Theolog. mor. lib.* 4. *tract.* 2. *cap.* 8. *num.* 8.

30 Eo ipso quod Ecclesia concessa Monachis est ipso iure intelligitur concessa ipsis facultas conferendi ipsam, & constituendi in ipsa Rectorem. Ita post alios Rodriguez *tom.* 1. *quæst. Regul. q.* 36. *art.* 1. afferens pro hoc puncto priuilegia Leonis X. Camaldulensibus Iulij II. Oliuetanis, & aliorum Pontificum.

Beneficia Regularia siue dentur in titulum, siue in commendam non possunt seminario vniri, secus vero si statum mutauerunt. Ex decisione Sac. Congregat. apud Barbosam *in Collect. Bullar. verb. Beneficium regul.* 5. 31

Ex concessione Pij V. anno 1567. ad instantiam Philippi 2. Hispaniarum Regis possunt Capitula omnia Prouincialia Indiarum quorumcumque Ordinum etiam non Mendicantium dare licentiam suis Fratribus, vt officium Parochi exerceant, Sacramenta ministrando, &c. In quo etiam includitur facultas prædicandi, sepeliendi Indos, asportandi eorum corpora Cruce alta, habendi scholas puerorum. Rodriguez *to.* 1. *q. Regul. q.* 35. *art.* 1. Vbi alia ad intentum. 32

Possunt prædicti beneficiarij Regulares tam liberè impendere de redditibus suis in eleemosynas, & pia opera, præsertim spectantia ad suas Ecclesias, sicut & beneficiarij sæculares. Ratio est, quia etsi sint Domini illorum redditum, sunt tamen Pronō curatores, œconomi, & dispensatores illorū. Nauarr. *comment.* 2. *n.* 6. *fin. corollar.* 9. *de Regul.* Rodrig. *ex tom.* 2. *q. Regul. q.* 58. *art.* 8. Non tamen propterea possunt facere expensas superfluas, aut donationes illicitas, sed eas tantum quæ necessariæ, vtiles, vel conuenientes fuerint beneficiis, quæ possident, & statui ipsorum. Vnde licitè possunt disponere de prædictis bonis ad moderatam sustentationem secundum statum, eleemosynas, & pia opera. Graffis 1. *p. decis. lib.* 3. *c.* 5. *n.* 43. Sāch. *lib.* 6 *in decal. c.* 6. *n.* 14. Nec assentior aliis, qui dicunt non obligari hos Religiosos beneficiarios constitut. Clem. VIII. *de larg. munerum.* Bonac. *de larg. munerum punct.* 2. *n.* 2. Etenim quantum ad donationes superfluas, & illicitas eodem modo ac alij astringuntur prædicta constitutione, neque est aliqua ratio cur quoad illas eximantur. 33

Illegitimi non sunt capaces ante dispensationem cum illis factam alicuius beneficij sæcularis siue Regularis. Ita habetur ex *c.* 1. *& c. finali de filiis Presbyterorum.* Rodrig *tom.* 1. *q. Regul. q.* 13. *art.* 11. Nec etiam Vicariatus Episcopalis, cum dignitas quædam sit, à qua arceantur. Abbas *in cap.* 1. *de filiis Presbyterorum.* Rodriguez *tom.* 1. *quæst. Regular. q.* 13. *art.* 13. [An autem idem dicendum sit de excommunicatis, suspensis, interdictis, ita vt illi inhabiles etiam sint ad beneficia etiam Regularia, dico 3. *tom. verbo Beneficium*, *& Beneficiati n.* 4. *& sequentibus.* An vero hæresis, Apostasia, Sodomia, simonia, concubinatus, periurium, & similia crimina reddant inhabiles ad beneficia, præter ea quæ dico in speciali de illis in hac summa consule Barbosam *de iure Ecclesiastico lib.* 3. *c.* 13. *n.* 130. *& sequentib.* ac Tamburinum *de iure Abbat. tom.* 3. *disp.* 9. *q.* 7. post plures Rotæ decisiones, & alios Authores quos referunt. 24

Prædicti Beneficiarij regulares ex ordine nostro assumpti etiamsi Beneficia dimiserint, in capitulis, vel Congregationibus Ordinis non admittuntur nisi de consensu Generalis, iuxta dicta *tom.* 1. *c.* 16. *n.* 24. ex priuileg. Calixti III. quod habetur in Mari magno ordinis Bulla 39. vbi hæc ad intentum. Hac irrefragabili constitutione perpetuo valitura constituimus, statuimus, ac etiam ordinamus, quod nullus dictorum professorum beneficia sæcularia, seu 35

seu etiam Regularia, ex nostra, vel prædecessorum nostrorum Romanorum Pontificum, aut Sedis Apostolicæ, vel legatorum eius concessione, vel indulto, aut alias quouis modo in titulum, vel in commendam pro tempore obtinentium aut qui futuris temporibus quælibet obtinebunt, etiamsi illa, simpliciter, vel alio quouis modo dimiserint, in prædictis capitulis Generalibus, vel Prouincialibus, aut Congregationibus, seu negotiis, officiis, vel aliis administrationibus dicti ordinis, nisi Generalis pro tempore consensu interueniente quomodolibet admittatur, sub excommunicationis pœna quam admissi, & admittentes, prout in his scriptis ferimus, incurrant ipso facto, & si dicti beneficiati vltro admitti quouis quæsito colore contra voluntatem Generalis prædicti procurauerint, simili modo irregularitatis, & inhabilitatis maculas incurrant, beneficiisque per eos obtentis ipso facto priuati existant, & aliis personis idoneis per illos ad quos ipsorum collatio pertinere dignoscitur conferantur, dictique beneficia, seu officia ambientes, vel procurantes perpetuo inhabiles, & ineligibiles absque alicuius regressus spe maneant, & pro talibus perpetuo habeantur. Quæ etiam confirmans Sixti IV. in Bulla *Dum attenta* hæc etiam habet. Prouidam verò Calixi Papæ III. prædecessoris præfati constitutionem quæ incipit *Ad futuram rei memoriam Ad Roman. Pontificem*, qua voluit quod nullus dicti ordinis professorum Beneficia sæcularia, seu etiam Regularia quorumuis Romanorum Pont. aut Sedis Apostolicæ, vel legatorum eius concessione, vel indulto quouis modo in titulum, vel commendam pro tempore obtinentium, aut quæ futuris temporibus quomodolibet obtinebunt, etiamsi illa simpliciter, vel alio quouis modo dimiserint, in capitulis Generalibus, vel Prouincialibus, aut Congregationibus, seu negotiis, officiis, vel aliis administrationibus dicti ordinis, nisi Generalis pro tempore consensu interueniente, quomodolibet admittatur sub excommunicationis pœna quam admissi, & admittentes ipso facto incurrant auctoritate, scientia, & motu prædictis etiam in Archiepiscopali, & Episcopali dignitate fulgentibus, aut Monasteria aliqua vel Prouinciam in commendam obtinentibus locum habere decernimus, atque prædictas litteras, & omnia, & singula in eis contenta ad eos qui in dignitatibus huiusmodi sunt constituti extendimus; distinctè præcipiendo sub pœnis in dicta constitutione contentis omnibus, & singulis prædicta beneficia, aut dignitates quauis auctoritate, vel indulto obtinentibus, vt nullo modo de administratione Fratrum, aut domorum, aut Prouinciarum, seu Conuentuum, aliorumque bonorum, se impediant absque dicti Ordinis Magistri Generalis expressa licentia, non obstantibus quibuscumque litteris etiam à Sede Apostolica impetratis, vel imposterum impetrandis, quibus ex certa scientia, & motu proprio derogamus, & per præsentes derogari volumus, etiamsi de illis habenda foret mentio specialis, vt singula bona Ordinis videlicet Prouinciæ, Ecclesiæ, domus, & supposita, & vtriusque sexus professi, vt teneantur, sub integra Magistri Generalis existant obedientia.

36 Cæterum verba illa Calixti 3. *Etsi dicti beneficiati, &c.* dubia mihi sunt, an scilicet solum intelligantur de iis quæ beneficiati cum sint procurant admitti in prædictis Capitulis Generalibus, vel Prouincialibus prout videtur textus requirere, an verò etiam de iis qui procurant ad prædicta beneficia promoueri, vt ibi dicitur *contra voluntatem Generalis.* Et licet ad vtrumque sensum facilè trahi possent, credo in priori sensu sumenda, illa autem quæ sequuntur, scilicet, *dictique beneficia, seu officia ambientes, vel procurantes, &c.* ad vtrosque extendi; per verbum *beneficia* ad eos, qui illa ambiunt, vel procurant, & per verbum *officia* ad eos, qui beneficiati cum sint, officia nihilominus Ordinis procurant, qui omnes grauissimis illis pœnis à Pontifice afficiuntur.

Non sunt capaces Regulares pensionis propriè dictæ super beneficio Regulari sui Monasterij ponendæ à Superiori ipsius sine dispensatione Sedis Apostolicæ. Primò, quia attento Romanæ Curiæ vsu, propriæ, & veræ pensiones, quibus beneficia ipsa onerantur ad certam redditu um partem alteri dandam sola Pontificia auctoritate conceduntur, vt dictum est *cap. 2. num. 20.* Secundò, quia *in Clem. vnica, de supplen. neglig. Prælator.* ita videtur decerni. Archidiaconus *cap. fin. num. 2. de offic. Ordin. in 6.* Sanchez *lib. 7. in decal. cap. 29. num. 95.* Loquendo autem de impropria pensione quæ scilicet non imponitur beneficio, sed ipsi beneficiario, credo posse imponi à Prælato Regulari conferente Religioso beneficium Regulare, si videlicet ex causa rationabili imponat illi vt partem fructuum beneficij soluat alicui Religioso, vel det pro fabrica Monasterij, vel alterius operis pij, amouibiliter à voluntate ipsius Superioris. Ratio est, tum quia hoc nullo modo est contrarium voto paupertatis, aut obedientiæ Religiosæ, quin potius illis conforme, tum quia in hoc casu beneficium non est eo onere pensionis affectum sed persona, tum quia secundum aliquos id etiam possunt facere Episcopi, tum denique quia cum beneficia Regularia non conferantur vt perpetua, sed vt manualia, sicut ipsa subsunt dispositioni Superioris, ita & fructus illorum, ac per consequens poterit de illis disponere quando & quomodo voluerit. Poterit ergo de prædictis fructibus partem aliquam applicare alij Religioso, vel pio operi. Azor. *tom. 2. instit. moral. lib. 8. cap. 6 quæst. 1. vers. extra omnem controuersiam.* Lessius *secundo de iust. cap. 41. dub. 11. num. 94.* Sanchez *vt supra num. 99.* Idque, vt audiui, vsu receptum est in Religione S. Spiritus in Saxia, vt à Reuerendiss. Præceptore huius Religionis beneficia huiusmodi cum talibus pensionibus conferantur, idque fieri posse consultus à quodam Religioso illius respondi. 37

Prouisi de beneficiis Regularibus videntur etiam obligati ad professionem fidei faciendam, sicut & alij quicumque prouisi de beneficiis quibuscumque curam animarũ habentibus, iuxta Concil. Tridentini decretum *sess. 24. cap. 12.* Concilium enim loquitur de quibuscumque prouisis ad beneficia curam animarum habentia, quamuis non exprimat an id de beneficiis sæcularibus solum, an verò etiam de Regularibus intelligi debeat. Desidero tamen aliorum sententiam in hoc audire, cum nullum vsque modo viderim. 38

Collatores beneficiorum quacumque dignitate præfulgeant nihil pro collatione, seu quauis alia dispositione beneficiorum quouis quæsito colore, directè, vel indirectè, etiam sub nomine annatæ, aut cuiusuis alterius portionis fructuum à sponte dantibus, vel offerentibus accipere, aut exigere possunt. Ita enim habetur ex declaratione Sac. Congregat. Garzia *de benefic. part. 8. c. 1. n. 75. & 76.* Barbosa *in Collect. Bullar. verb. collatio.* Apud quos etiam de Notariis, à quibus fiunt instrumenta collationis. 39

40 Videtur teneri prædictos beneficiarios curam animarum gerentes adire Congregationes, quæ iussu Episcopi ad casus conscientiæ disserendos habentur, etiamsi sint in Parochialibus Hierosolymitanæ Religionis. Tum ex dictis *tomo* 1. *cap.* 19. *num.*44. tum ex declaratione Sacr. Congregat. apud Barbosa *in Collectan. Bullar. verb. Congregat. diuers.* 5.

SVMMARIVM.

*Quæ Monasteria habere possint bona stabilia. num.*1.
*Quæ bona Fratribus sint permissa. num.*2.
*Per bona stabilia quæ intelligantur. num.*3.
*Monasteria immobilium capacia an, & quando possint possidere feudum. num.*4.
Quid sit feudum. ibid.
Quotuplex est seruitium per feudum requisitum. ibid.
Quid quando feudum habet dignitatem annexam. ibidem.
*Capacia etiam sunt emphyteosis. num.*5.
Quoties pensionis solutio non repugnat illis. ibid.
Quid sit emphyteosis. ibid.
An possint dare bona immobilia Monasteriorum in feudum, seu emphyteosim. ibid.
Capacia etiam sunt iurisdictionis temporalis. numero 6.
*Item possidendi maioratus. num.*7.
De quibus maioratibus id intelligendum. ibid. & numero 8.
An Regnum, Ducatum, Marchionatum, &c. numero 8.
*An maioratus institutos fauore agnationis. num.*9.
*An fidei commissa. num.*10.
Quid sit fideicommissum. ibid.
*Capacia item sunt possidendi ius patronatus. num.*11.
*Item ius nominandi ad emphiteosim. num.*12.
*Tribus etiam modis acquirere possunt. num.*13.
Donatione, emptione, & successione. ibid.
Quæ domus Religiosæ adquirere non possint successione. ibidem.
*Iura feudorum adquirere possunt. num.*14.
*Iura etiam emphyteosis. num.*15.
Quando id intelligendum. ibid.
*Item iurisdictionem temporalem. num.*16.
*Quando succedent in maioratus. num.*17.
*Quid de aliis maioratibus. num.*18.
*An possint eos adquirere emptione, vel donatione. num.*19.
An possint dicta Monasteria primogenia instituere. ibidem.
*Quomodo adquirere possint fideicommissa. num.*20.
Quomodo iura Patronatus. 21.
De quibus, aut quomodo. ibid.
*An donatione, seu translatione eorum qui illa habebant. num.*22.
*Quid quando ius patronatus competit Monasterio solum ratione personæ Religiosi. num.*23.
*An succedant prædicta monasteria in ius nominandi ad emphyteorsim. num.*24.
An succedant in legitimam debitam professo. numero 25.
*An in iura suitatis, & agnationis, iura sanguinis, & cognationis, &c. num.*26.
Transeantne ad prædicta monasteria bona quæ habebat professus in sæculo cum pacto non alienandi. num. 27.
*An illa quæ habebat grauatus eo onere, vt si moreretur absque filiis transirent ad aliquem tertium. num.*28.
*Quid dicendum de vsu fructu quem habebat ille qui professionem emisit. num.*29.
*Quid dicendum de precario. num.*30.
*Transeunt ad prædicta monasteria omnia bona de quibus Religiosus ante professionem non disposuerat, siue ab ipso sunt adquisita. num.*31.
*Potest ne contraria consuetudine derogari huic iuri succedendi. num.*32.
*An id fieri possit iure ciuili. num.*33.
*Non succedunt prædicta monasteria in beneficia Nouitij. num.*34.
*Nec in bona professi qui tempore Nouitiatus renunciauit illis. num.*35.
*Nec in bona Nouitij quæ sunt legitima filiorum quos habet in sæculo. num.*36.
Nec in bona Professi quæ sunt legitima patri. numero 37.
A quo tempore debeantur talia bona tradi patri. num. 38.
*Nec etiam succedent ante mortem patris in hæreditatem quæ contingere poterat filio post patris mortem. num.*39.
*Nec etiam succedent in bona relicta Religioso substitutis aliis post ipsum. num.*40.
*Nec in vsum fructum quem habet pater in bonis aduentitiis filij. num.*41.
*An succedant in ius petendæ renouationis emphyteosis, aut in ius retractus sanguinis. num.*42.
Quid si aliquis professus est propter dolum, & cupiditatem Prælati ad illius bona inhiantis. numero 43.
*Adquirere etiam possunt prædicta Monasteria bona temporalia, si hæredes instituantur. num.*44.
*Capacia etiam sunt legati. num.*45.
*Legata relicta particularibus Regligiosis transeunt ad monasteria. num.*46.
Legata relicta ad certum vsum an possint ad alios applicari. num. 47.
*An bona inuenta quorum Dominus ignoratur illis applicari possint. num.*48.
Quid de aliquibus priuilegiis Religionum sentiendum. ibidem.
*Quid de bonis incertis, malè adquisitis ex contractu, furto, aut alia defraudatione. num.*49.
*Quid de bonis monasteriorum Monialium destitutorum. num.*50.
Damnificantes seu occupantes bona Regularium quibus pœnis subiaceant. num. 51.
Administratio bonorum monasterij ad quem pertineat. num. 52.
*Administratio tres actus includit. num.*53.
*Alienare quæ bona possint Religiosi. num.*54.
Præsertim donando illa. ibid.
*De alienatione bonorum immobilium, & mobilium pretiosorum. num.*55.
Qui contractus nomine alienationis intelligantur. ibidem.
*Transferre etiam bona vnius monasterij in aliud fieri non potest à Regularibus. num.*56.
*Alienari possunt ab ipsis sine S. Congregationis licentia mobilia non pretiosa. num.*57.
Item mobilia etiam pretiosa quæ seruando seruari non possunt. ibid.
Qui de mancipiis. ibid.
Quid de oblationibus factis sacris Imaginibus. ibidem.
*In quibus casibus etiam de immobilibus facere possunt Regulares alienationem sine licentia S. Congregationis num.*58.
*An pecunia prohibita sit alienari, & quando. num.*59.

An



CAPVT XIX.

De bonis, & possessionibus quibus capacia sunt Monasteria Regularium personarum, seu in quæ succedere possunt, & de eorum administratione.

1 CVM certum sit ex dictis *tom.1. cap.6. n.5. & in hoc tom. cap.1. à num.2.* omnia Monasteria Regularium etiam Mendicantium tam virorum, quam mulierum (exceptis Capuccinis S. Francisci, Minoribus de obseruantia, qui à Concilio Tridentino excepti sunt, & domibus professis Societatis Iesu, ac etiam Conuentibus nostrorum PP. Discalceatorum Hispaniæ propter peculiares ipsorum leges) posse bona stabilia, seu immobilia possidere, & multo magis bona mobilia, ideo de huiusmodi bonis in præsenti dicendum. Primò in genere de bonis quibus capacia sunt. Secundò, de modis quibus ea adquirere possunt. Ac tertiò, ad quem, vel quos pertineat illorum administratio.

2 Est autem sermo de ipsis Monasteriis, aut Conuentibus, non de fratribus, aut religiosis in particulari, quia de istis dictum est *tom.1. cap.6. num.19.* non posse se habere bona aliqua immobilia, etiam à voluntate Superiorum dependentia, vel reuocabilia, iuxta decreta Concil. Tridentini, & Summorum Pontificum ibi adducta, nisi forsan per accidens in aliquo casu, vt ibi etiam à *num.21.* dictum manet, posse tamen mobilia bona, ad vsum facti reuocabilem, & amouibilem rerum necessariarum statuti, & personæ habere, iuxta ibidem dicta *num.3. & 16.* De Religiosis autem Societatis Iesu qui sola biennij vota emiserunt specialis est ratio propter specialem modum paupertatis huius Religionis, de quo Sanchez *lib.7. in decalog. cap.27.*

3 Per bona autem stabilia quæ prædicta Monasteria Regularium possidere possunt, intelliguntur domus, vineæ, prata, prædia, annui redditus, census, iura, & actiones ad aliqua faciendum, vel recipiendum quæcumque bona, siue mobilia, siue immobilia. Abbas *in cap. Nulli de reb. Eccles. non alienand. num.9. & 10.* Suarez 4. *tom. de Relig. tract.8. lib.2. cap.27. num.16. & 17.* Vnde per stabilia bona non solum intelliguntur ea quæ fixam habent radicem, vt sunt fundi, prædia, domus, sed etiam iura fructifera, vt sunt census quibus annui redditus correspondent, seruitutes, & similia bona, quæ incorporalia dicuntur. Suarez *d. defens. fidei, lib.4. cap.18. num.1.*

Capacia item sunt prædicta monasteria, quæ in communi bona immobilia possidere possunt, possidendi etiam feudum, quando seruitium petitum in feudo est tale quod possit à monasterio exhiberi, secus autem quando tale est, quod exhiberi nequeat. Pro quo notandum feudum esse ius habendi rem aliquam immobilem quoad dominium vtile cum onere obsequij, vel seruitij exhibendi principali habenti dominium directum talis rei. Quando ergo tale obsequium, vel seruitium exhibendum est tale, quod à monasterio exhiberi possit, tunc capax erit feudi, secus verò quando non potest ab ipso exhiberi. Ratio est, quia feudum habet annexum illud onus, quando ergo monasterium capax est subeundi tale onus, capax etiam erit feudi, quando autem incapax est oneris subeundi, incapax quoque erit feudi, Molina *tom.1. de iustitia disp.140. vers. Regulam.* Lessius 2. *de iust. cap.41. dub. 10. num.84.* Sanchez *lib.7. in decalog. cap.15. num. 36.* Extat insuper priuilegium Celestini V. suæ Congregationi, de quo Rodriguez *tom.1. q.38. art.3.* vbi etiam de aliis circa hoc. Tunc autem erit Monasterium capax talis oneris subeundi cum seruitium præstandum patrono directo feudi est reale consistens in pecunia, vel alia re tradenda, vel si sit personale non dedeceat religionem illud subire, vel casu quod dedeceat, possit per substitutum exhiberi. Sanchez *vt supra.* Vnde feudi petentis seruitium incertum ad arbitrium domini capacia non sunt monasteria, cum posset tunc à domino postulari seruitium quod non posset, vel non deceret à monasterio exhiberi. Menochius *cons.54. num.15.* Sanchez *vt supra num.44.* Limitatur tamen tradita doctrina de capacitate monasteriorum ad possidendum feudum ad feudum quod non habet dignitatem annexam cuius incapax est monasterium, vt regni, Ducatus, marchionatus, & Comitatus. Cum enim monasteria capacia non sint huiusmodi dignitatum, vt dicetur inferius *num.8.* sic neque feudi cui annexæ sunt. Molina *vt supra.* Azor. *tom.1. instit. moral. lib. 12. cap.8. quæst.5.* Quando autem succedat monasterium in feudum Nouitij dicetur *infra num.14.* 4

Capacia etiam sunt prædicta monasteria bona immobilia possidentia emphyteosis, sicut, & feudi, quoties pensionis solutio non repugnaret, aut esset indecens monasteriis. Pro quo etiam notandum, emphyteosim esse ius habendi rem aliquam immobilem quoad dominium vtile cum onere soluendi realem aliquam pensionem domino in recognitionem directi dominij. Quoties ergo talis pensionis solutio non repugnat, aut indecens est monasterio, capax erit emphyteosis. Ratio est, quia cum generaliter loquendo prædicta monasteria capacia sint possidendi bona immobilia, cum emphyteosis inter illa numeretur, nec possit esse aliqua ratio specialis, illa, nisi repugnantia, aut indecentia solutionis pensionis, si hæc non est, nulla erit. Nauarrus *comment.2. num.55. fin. de Regular.* Azor, *tom. primo institut. moral. lib. 12. capit.8. quæstio. 4.* Possunt etiam dare bona immobilia monasteriorum tam in feudum, quam in emphyteosim, quod intellige seruata solemnitate requisita pro alienatione bonorum Ecclesiæ de quo *infra à num.1.* Pro quo videtur extare priuilegium Leonis X. Societati de Vrbe, quod refert Rodriguez *tom. 1. quæst. Regul. quæst.38 art.2. ex Compend. priuilegiorum* 5

Societa

Societatis Iesu. Licet dubitem an illo possint frui Regulares. Casu autem quod emphyteuta, ille scilicet, qui habet bona illa à principali domino, pensionem non soluat, cadere in commissum, & posse expelli auctoritate prælati, habent plures, & habetur ex priuilegio Pij V. concesso Fratribus SS. Trinitatis. Syluester *verb. emphyteu. num.* 2. Rodriguez vt supra.

6 Sunt quoque capacia prædicta Monasteria iurisdictionis temporalis, prout colligitur *ex cap. cum dilectus de ordine cognit. ex cap. Abbate sanè de sent. & re iudicat. in* 6. & ex quadam lege recopilationis *lib.* 4. *tit.* 3. *lib.* 1. *recop.* Experientia quoque ipsa qua constat in partibus Hispaniarum multa Monasteria possidere villas, & castra cum iurisdictione. Et ratio est, quia nihil est in iurisdictione temporali quod impediat quominus Monasteriis conuenire possit. Si enim dicatur indecens esse Religiosos sæcularia negotia pertractare, aut iurisdictionem criminalem exercere, maximè vbi interuenit causa sanguinis, id solum probat hanc iurisdictionem à Religiosis mediatè solum, & per substitutos, aut delegatos exerceri debere, quod est verum & colligitur ex *cap. finali ne Clerici, vel Monachi in* 6. Rodriguez *tom.* 2. *quæst. Regul. quæst.* 78. *art.* 12. §. *neque obstat alia decretalis.* Sanchez *lib.* 7. *in decalog. cap.* 15. *num.* 12.

7 Pariter etiam videtur dicendum prædicta Monasteria possidendi Maioratus capacia esse, tam loquendo de Maioratibus non habentibus iurisdictionem temporalem annexam, quam de illis qui habent illam. Tum quia capacia sunt quorumcumque bonorum, & iurium immobilium, vt colligigitur ex *authen. ingressi C. de Sacrosancta Ecclesia,* & Conc. Trident. *sess.* 25. *cap.* 3. Tum quia nihil est in maioratibus quod repugnet statui Religoso Monasteriorum, vt discurrenti per singula patebit, & constat ex dictis *num. præced.* Rodriguez *tom.* 2. *quæst. Regul. quæst.* 78. *art.* 12. post alios. An autem de facto in huiusmodi maioratus succedant monasteria dicetur inferius *num.* 17. Intelligitur autem doctrina tradita de maioratibus inferioribus, non de his qui summam dignitatem, aut iurisdictionem annexam habent pro qua petita videatur industria personæ singularis, propter dicenda *num. sequenti.*

8 Nihilominus non videntur prædicta monasteria habere posse, aut capacia esse habendi maioratus illos, qui summam, aut supremam dignitatem, aut iurisdictionem habent annexam, vt sunt Regnum, Ducatus, Marchionatus, Comitatus. Ratio est, quia huiusmodi dignitates, seu maioratus, ea munera, & ministeria habent annexa, quæ vix, aut nullo modo per substitutas personas exerceri possint, vt propterea tam iure gentium, quam ex institutione harum dignitatum videantur personales, & ad illas industria personarum requisita, ita vt per substitutos administrari non possint. Rex enim personaliter debet adesse Curiæ, Comitiis, bello, &c. Duces etiam, Marchiones, & Comites personaliter seruire debent exercitui, assistere Regi, Curiæ, bello, &c. Glossa *cap. scripsit. verb. dignitas* 27. *quæst.* 2. Tiraquell. *de nobilitat. cap.* 26. *num.* 3 Molina *lib* 1. *de primog. cap.* 13. *num.* 18. Specialiter aliqui qui sustinent posse monasteria maioratus alios inferiores possidere id negant de istis. Auendagno iunior *lib.* 40. *Tauri glos.* 4. *n.* 39. *&* 45. Rodriguez *tom.* 2. *quæst. Regul. quæst.* 78. *art.* 12. *paragr. præterea licet*, vbi inquit. Hoc autem cessat in primogeniis, quæ dignitates has supremas annexas non habent, sed tantum Vassallos, & iurisdictionem, cuius iurisdictionis seruitium, & ministerium non est personale, & per substitutos potest exerceri.

Probabile etiam valdè est prædicta monasteria capacia etiam esse habendi maioratus institutos fauore agnationis, familiæque conseruandæ, durante scilicet vita Religiosi, cui talis maioratus competebat. Ratio est, quia Religiosus non perdit iura sanguinis, nec ex eo quod Religiosus est, desinit esse de genere, familia, & agnatione sua, nec perdit nobilitatem quam habebat, vt dixi *to.* 1. *cap.* 2. *num.* 16. ergo ratione ipsius capax erit Monasterium possidendi huiusmodi maioratus, cum monasterium possideat illa bona, seu iura quæ Religiosis competunt, aut competere possunt siue ante, siue post professionem. Quod intellige pro tempore quo viuit Religiosus, ita vt post illius mortem transeat maioratus ad alium agnatum vocatum in institutione illius. Rodriguez *to.* 2. *quæst. Regular. quæst.* 78. *articul.* 12. *paragr. neque etiam obstat,* & probabile id putat, etsi probabilius contrarium, Sanchez *lib.* 7. *in Decalog. capit.* 15. *numero* 19. 9

Multo magis certum est prædicta Monasteria capacia esse habendi, aut possidendi fideicommissum (idest ius habendi aliquam hæreditatem alicui relictam eo onere vt alteri postea restituatur) ratione Religiosi ad quem spectabat, etiamsi illud relictum esset familiæ, aut agnatis. Ratio est, quia cum Religiosus familiam, & agnationem seruet, vt *num præced.* dictum est, & ex alia parte monasteria capacia sint cuiuscumque hæreditatis Religioso competentis, absdubie ratione illius capax erit talis fideicommissi. Mantica *de coniectur. vlt. voluntat. lib.* 8. *titul.* 12. *num.* 25. *&* 27. Sanchez *lib.* 7. *in decalog. cap.* 25. *num.* 21. 10

Sunt quoque præfata Monasteria capacia habendi Ius patronatus, quod vt dixi *cap.* 11. *num.* 1. non est aliud, quam potestas præsentandi instituendum ad beneficium Ecclesiasticum in Ecclesia pro eo quod eam fundauit, vel construxit, vel dotauit. Ratio est, quia nihil est in tali iure patronatus, vel exercitio ipsius quod repugnet Religiosorum domibus, vel indecens illis sit, cum ergo ex alia parte prædicta monasteria capacia sint quorumcumque iurium, seu bonorum etiam immobilium, capacia etiam erunt huiusmodi Iuris patronatus. Et ita id supponunt Lambertinus *de iure patronat. lib.* 1. *par.* 1. *quæst.* 8. *art.* 9. *num.* 7 Rodriguez *tom.* 2. *quæst. Regul. quæst.* 122. *art.* 2. Sanchez *lib.* 7. *in decal. cap.* 14. *num.* 5. quomodo autem in illud succedat *inferius num.* 21. dicetur. 11

Insuper præfata monasteria capacia sunt habendi ius nominandi ad emphyteosim, quam Religiosi habebant ante professionem. Nihil enim est in hoc iure, aut exercitio ipsius quod repugnet, vel indecens sit monasteriis, casu ergo quod Religiosi ante professionem tale ius habuissent cum post professionem nullum temporalium bonorum ius maneat in ipsis, sed totum transeat ad monasterium, transibit etiam, & istud. Molina *to.* 2. *de iustit. disp.* 482. *vers. vtrum autem Religiosus.* Sanchez *lib.* 7. *in Decalog. cap.* 14. *num.* 16. *&* 17. [Vnde de moniali quadam olim coniugata, quæ in tali statu non fecit nominationem in re emphyteutica, prout poterat facere, non posse illam facere postea dum est monialis, resoluit Portellus *in Resolutionibus moral. tom.* 2. *casu* 38.] Quando etiam succedat in hoc ius monasterium dicetur *infra num.* 24. 12

Prædicta autem bona, seu iura, quibus capacia esse

esse monasteria Regularia, quæ immobilia possidere possunt dictum est, tribus præsertim modis, aut aliquo ipsorum, acquiri possunt à monasteriis, videlicet donatione, emptione, & successione, ad quos tres modos acquirendi reduci possunt alij. His autem modis acquirere posse monasteria constat tum ex iure communi, & praxi Ecclesiæ, tum ex multis priuilegiis Religionum. Praxis Ecclesiæ nota est apud omnes. Ius commune habetur *in cap. nullum* 18. *quæst.* 2. de quo Suarez 3. *tomo de Relig. lib.* 2. *capit.* 26. Priuilegia quoque Religionum multa afferri possent, de quibus Casarubius *in Compend. priuileg. Mendicant. verb. Bona, verb. Eleemosyna, verbo Hæreditas, verb. Legatum, & verb. Possessiones Fratrum.* Portellus *in Dub. Regular. verbo Bona verba, verb. Eleemosyna, & verb. Legatum.* Excipitur ab hoc vltimo acquirendi modo qui est per successionem religio Societatis Iesu quoad collegia, etsi enim annuos redditus, & bona stabilia possideant, nihilominus priuata sunt iure succedendi in bona suorum religiosorum, iuxta dicta *cap.* 1. *num.* 7. Quod idem dico de Collegiis nostrorum PP. Discalceatorum Congregationis Hispaniæ, nequeunt enim in Fratrum hæreditatem succedere, vt ibi diximus. Prædicta ergo Collegia, quantum ad hoc punctum succedendi intelligi debent excepta. De aliis est sermo in præsenti.

14 Igitur acquirere posse prædicta Monasteria iura feudorum, seu feuda ipsa, successione, eo quod aliquis feudum possidens ingrediatur, & profiteatur Religionem, patet, quia cum Monasteria succedant in omnia iura professi, quibus capacia sunt ipsa Monasteria, cum illa capacia sint possidendi feudum quando seruitium per illud postulatum est tale, vt ab ipsis exhiberi possit, iuxta dicta *num.* 4. absdubie transibit etiam feudum talis professi, cum aliis ipsius bonis ad Monasterium. Confirmatur, quia Nouitius minimè amittit feudum per ingressum Religionis, sicut nec alia bona, cuius signum est, quod egrediens Religionem retinet omnia illa. Ergo, quemadmodum cum profitetur Religionem in alia bona ipsius succedit Religio si est capax succedendi, sic & in feudum, ac perinde successione acquiret Monasterium feudum. Azor. *tom.* 1. *institut. moral. lib.* 12. *cap.* 8. *quæst.* 5. Rodriguez *tom.* 1. *quæst. Regular. quæst.* 38. *art.* 3. *& tom.* 2. *quæst.* 62. *art.* 10. *& quæst.* 78. *art.* 12. *vers. Tertiò probatur.* Posse etiam donatione acquiri constat ex priuilegio Celestini V. facto Congregationi Celestinorum, de quo Rodrig. *dicto tom.* 1. *quæst.* 38. *art.* 3. Vbi etiam de alio simili priuilegio concesso Congregationi S. Georgij in Alga. Emptione autem posse acquiri, constat ex dictis, quæ enim successione, & donatione acquirere possunt Monasteria, etiam emptione acquirent, posita ipsorum capacitate.

15 Idem etiam de emphyteosi dicendum videtur, posse, scilicet prædicta Monasteria bonorum immobilium capacia acquirere illam successione, ob professionem videlicet in Religione alicuius talem emphyteosim possidentis, quando scilicet, vt dictum est *num.* 5. pensio soluenda non est indecens, aut repugnans Monasterio. Cum omnia iura, & bona professi, vt dictum est, ad Monasterium transeant. Nauarr. *Comm.* 2. *num* 55. *fin. de Regular.* Molina *tom.* 1. *de iustit. disp.* 140. Sanchez *lib.* 7. *in decalog. cap.* 15. *à num.* 53. apud quos etiam, quæ & qualis sit hæc emphyteosis, in quam Monasteria [illegible] cedant. Posse etiam illam acquirere Mo[illegible]tione sibi ab aliis facta, vel etiam emptione ex eo constat, quod in eo nulla apparet repugnantia, aut indecentia, quare id fieri non possit.

Pariter de iurisdictione temporali dicendum est, 16
eam scilicet, acquirere posse prædicta Monasteria bonorum immobilium capacia, tum successione ratione Nouitij in Religione profitentis, tum emptione, & donatione, cum in hoc nulla sit repugnantia, aut indecentia. Maximè quia cum possint his tribus modis acquirere villas, castra, seu pagos quibus annexa est talis iurisdictio temporalis, eisdem etiam modis illam acquirent.

De Maioratibus autem loquendo quamuis, vt 17
dictum est *num.* 7. prædicta Monasteria aliquos illorum habendi capacia sint, quasi in actu primo, & in potentia, nihilominus in illos non succedunt ratione professorum in Religione. Primò, quoties à primo maioratus institutore adiecta est clausula ne in illum succedant Monachi. Talis enim conditio iusta est, & valida, cum non eo tendat, vt à statu Monachali retrahat, sed vt familia conseruetur. Couarruu. *lib.* 1. *variar. cap.* 19. *num.* 16. Molina *tom.* 1. *de iust. disp.* 267. *concl.* 2. *&* 3. *tom. disp.* 623. *num.* 3. & alter Molina *de Hispan. primog. lib.* 2. *cap.* 12. *num.* 54. In tali autem casu statim à die professionis possessoris maioratus deuoluitur ipse maioratus ad sequentem vocatum, non aliter, quam si possessor naturaliter mortuus fuisset. Ea enim professio æquiparatur morti naturali quemadmodum ergo si talis possessor maioratus naturaliter moreretur deuolueretur ad sequentem vocatum, sic etiam in præsenti cum Monasterium sit exclusum. Molina *tom.* 3. *de iust. disp.* 623. *num.* 2. Sanchez *lib.* 7. *in decalog. cap.* 15. *num.* 10. Secundò, etiam si à primo institutore maioratus non sit apposita prædicta clausula exclusiua Monachorum, quoties verisimiliter præsumitur ex signis, vel conditionibus in institutione positis nullatenus voluisse prædictum institutorem, vt maioratus ad monasteria peruenirent. Cum enim talis voluntas rationabilis sit, valida erit, sicut dictum est de voluntate expressa per clausulam excludentem. Molina *lib.* 1. *de primogeniis cap.* 13. *à num.* 81. *vsque ad* 94. Graffis 2. *p. decis. lib.* 3. *cap.* 19. *num. penult.* Molina *Societat. Iesu tom.* 3. *de iustit. dicta disp.* 623. *num.* 4. Quo etiam casu iudicandus erit professus maioratum obtinens quasi naturaliter mortuus, & transibit maioratus ad alium vocatum, vt dictum est supra, propter eamdem rationem. Signa autem talis voluntatis institutoris maioratus erunt, si petat arma, & nomen suum à successoribus in maioratu obseruari, saltem eo modo honorifico, ac splendore, quo à Religiosis id fieri nequeat, aut non deceat. Si habens filium Monachum tempore quo instituebat maioratum nullam de ipso mentionem fecit, sed solum de aliis filiis, filiabus, aut consanguineis. Si petat quod successor in maioratu vadat personaliter cum Rege ad bellum, & similia. Sanchez *lib* 7. *in decalog. cap.* 15. *num.* 25. *&* 26.

In alios autem maioratus in quorum institutio- 18
ne non apponitur clausula expressè exclusiua Monachorum, neque sunt signa præsumptionis talis exclusionis, siue habeant, siue non habeant annexam iurisdictionem, dummodo non sint ex illis qui summam dignitatem, vel iurisdictionem important, de quibus *supra num.* 8. succedere possunt prædicta Monasteria. Ratio est, quia cum illorum capacia sint iuxta *dicta num.* 7. & ex alia parte regula generalis sit ex *authent ingressi Cod. de Sacrosanct. Eccles.* quod Monasteria in omnia professi bona,

&

& iura succedant, non est cur à tali successione excludantur, maximè quia priuari Monasteria tali successione quædam pœna videatur iuris communis restrictiua, pœna autem irrogari nequit nisi sit in iure expressa. Quæ sententia, quoad maioratus iurisdictione carentes receptissima est apud auctores. Molina *lib.1. de primogenis cap.13.n.95.* & alter Molina Iesuita *tom.3.de iustit.disp.623.n.3.* Quoad maioratus verò iurisdictionem habentes est probabilissima. Auendagnus *iunior. lib.40.Tauri Gloss.4.num.39.* Rodriguez latè, & doctè 2. *tom. quæst. Regul. quæst.78. art.12.* vbi in fine concludit ita iudicatum esse in Senatu Pintiano in causa cuiusdam maioratus.

19 Ex quibus constat prædicta Monasteria acquirere posse successiones, & in persona professorum in aliquos, & plures maioratus succedere. An verò similiter eos possint acquirere emptione, vel donatione, pendet ex cognitione naturæ dictorum maioratuum, de quo alias. Cum autem capacia sint saltem aliquorum, vt dictum est, nisi natura ipsorum maioratuum repugnet, etiam emptione, vel donatione eos acquirere poterunt. Idem etiam videtur dicendum de institutione primogenij, etsi enim Religiosus patricularis primogenium instituere non possit quia est actus dominij, & quia is, qui non potest contrahere, nec vltimam voluntatem facere, primogenium instituere non potest, vt docent Tapia *authent. ingressi verb. ideoque nec de his cap.1. num.73.* Molina *tom. 3. de iustitia disp. 604. num.4.* de Monasteriis autem cum capacia sint dominij, & possint contrahere, videtur posse illud instituere, saltem in iure communi naturali stando. Quamuis quia primogenium est res prophana abstinere ab ipsius institutione debeant etiam Monasteria, nisi ex pia aliqua, & honesta causa. Molina *lib.2. de primog.cap.9. num.67.* & alter Molina Iesuita *d. disp. 604. num.5.*

20 Pari etiam ratione possunt prædicta Monasteria fidei commissa successione acquirere, cum capacia sint illa possidendi, iuxta dicta *supra num.10.* & tenet Mantica, & Sanchez *ibidem relati.* Emptione quoque, & donatione illa etiam acquirere posse videtur, nisi obstet natura, aut qualitas ipsorum.

21 De iure patronatus loquendo cum illius capacia sint prædicta monasteria, iuxta dicta *supra num.11.* ideo successione acquiri potest ab ipsis, sicut, & alia professi iura, vt Lambertinus, Rodriguez, & Sanchez *ibid.* relati docent. Intelligendum autem hoc erit de iure patron. seu præsentandi, quod iure singulari, aut personali pertinebat ad professum, sic enim illud competebat ipsi non iure singulari, aut personali, sed quatenus erat in sæculo pars alicuius communitatis, vel Collegij, cum ratione professionis desinat esse talis pars, non transiet ad monasterium. Glossa *in cap. beneficium v. conferendum in additionibus de Regul. in 6.* Sanchez *lib.7. in decalog. cap. 14. num. 1.* Similiter acquiretur monasterio ius patronatus quod acquireret Monachus iam professus fundans, construens, vel dotans Ecclesiam. Cum quidquid Monachus acquirit Monasterio acquirit. Lambertinus *de iure patron. lib.1. part.1. quæst.8. art.9. num.7.* Addit Sanchez vt *supra num.4.* id esse quando Monachus ex legitima licentia fundaret, construeret, vel dotaret Ecclesiam. Verumtamen etiamsi non adsit talis licentia, sed demum, quod Monachus sine illa illegitimè, vel peccaminosè contra votum obedientiæ, vel paupertatis fundaret, construeret, vel dotaret talem Ecclesiam, adhuc ius patron. quod acquisiuerat transit ad Monasterium, iuxta dicta *tom.1.cap.6. num. 40.* Præterea acquirere possunt successione prædicta monasteria ius patronatus quod est annexum aliquibus bonis professi in quæ succedunt ipsa Monasteria. Cum enim accessorium sequatur naturam principalis, si Monasterium succedit in bona professi, succedet etiam in ius patronatus illis annexum. Rodriguez *tom.2.quæst. Regul.quæst.122. artic. 2.*

Acquirere etiam possunt prædicta Monasteria ius patronus donatione, seu translatione facta ab eo qui illud habebat, & erat patronus cum facultate donandi. Cum enim illius habendi capacia sint, iuxta dicta *supra num.11.* non est aliqua ratio quare ipsis donari non possit, modo tamen assignato *cap.11. num.10.* Non tamen possunt acquirere illud emptione cum sit inuendibile, & materia simoniæ, iuxta dicta eodem *cap.11. num.7.* 22

Quando ius patronatus competit Monasterio solum ratione personæ Religiosi in ipso professi, ita vt illud sit annexum personæ, sequitur ipsam, ita vt post mortem ipsius expiret ius patronatus, & ipso translato ad aliud Monasterium transeat idem ius cum illo, si autem est annexum bonis, durat quantum durant illa bona. Quorum ratio est, quia accessorium, & annexum alicui sequitur ipsum, Rodriguez *tom.2. quæst. Regul. quæst.122. artic.2.* Sanchez *lib.7. in decal. cap.14. num. 6.* Ad quem autem pertineat ius præsentandi quando ius patronatus transit ad Monasterium ratione personæ Religiosæ, an scilicet ad illum, an verò ad Monasterium dictum est *cap.11. num.11.15. & 16.* 23

Succedent etiam prædicta Monasteria in ius nominandi ad emphyteusim competens professionem emittenti, iuxta dicta *supra num. 12.* quod intellige nisi tale ius sit personale, vel ex coniecturis eliciatur electam esse industriam personæ. Emptione etiam, & donatione etiam acquiri potest à prædictis Monasteriis, cum in hoc nulla sit repugnantia, vel indecentia. 2[illegible]

Succedent insuper prædicta Monasteria in legitimam debitam professo, cum succedant in omnia iura ipsius. Sed hic notandum nequaquam patre superstite deberi legitimam filio professo, eo quod viuentis nulla sit hæreditas *lib. qui superstitis ff. de acquir. hære. & lib.1. §. si impuberi ff. de collat. bonor.* & tradunt Decius, Felinus, & alij quos refert Tapia *authent. ingressi verb. sua cap.4.num.10.* quod videtur limitandum nisi pater vergeret ad inopiam dissipando bona sua, aut in casu quo filius existens in sæculo posset à patre postulare legitimam. His enim Monasterium posset petere legitimam filij viuente patre, cum ius filij translatum sit in Monasterium. Tapia *ibid. num.11.* Sanchez *l.7. in decalog.cap.10.num. vlti.* 25

Præterea succedent in iura suitatis, & agnationis, iura Sanguinis, & cognationis, qualitates, & prærogatiuas professi, quatenus, & eo modo quo ipsi, & Monasteriis ipsis competere possunt. Constat. *ex lib. fin.C.de Episc. & Cleric.* constabit etiam ex infra dicendis. Mant. *de Coniectur. vlt. volunt. lib.8.tit.12.num.25.* Molina *lib.1.de primog.cap.13. num. 47.* 26

Transeunt etiam ad prædicta Monasteria bona illa quæ habebat professus in sæculo cum pacto non alienandi, nisi per tale pactum exprimeretur hæc transactio. Quia si talis expressio non habetur, nomine alienationis solum videtur importari alienatio voluntaria, non illa quæ per legem inducta est, qualis est de qua in præsenti. Molin. *l.1. de* 27

*de primog.c.*13*.n.*77. Tapia *authent. ingressi verb. sua c.*12*.n.*38.

28 Transeunt præterea ad dicta Monasteria bona illa quæ habebat aliquis grauatus eo onere, vt si moreretur absque filiis transirent ad aliquem tertium, & ipse nullis filiis relictis Monasterium ingreditur. Ratio est, quia ita deciditur *in authent. de sanctiss. Episcop. paragr. sed & hoc præsenti*, quæ approbatur *c. in præsentia de approbat.* & communi Pontificum consensu. Cuius etiam decisionis ratio est, quia vel Monasterium habetur loco filij, vt tradunt post alios. Medina *lib.*2*. de primog.c.*9*.n.*4. Lessius 2*. de iustitia c.*41*.dub.*41*.n.*84. vel quod ea conditio si absque liberis decesserit videatur turpis, vtpote auertens à Religioso statu, ac per consequens habeatur pro non adiecta, vt habent etiam Angelus *verb. hæres.n.*21*.& ib.* Tabiena *q.*16*. n.*17. Armilla *verb. hæreditas n.* 22. vel quia ita præsumitur voluntas testatoris, aut relinquẽtis talia bona, vt volunt Molina *to.*1*.de iust.disp.*190*.vers.quando quis*, Sanch.*lib.*7*.in decalog c.*16*.n.*8. Addo oppositum esse dicendum in casu quo constaret expressè de voluntate testatoris, aut relinquentis talia bona, Sanch.*ibid.n.*12.

29 Item transit ad prædicta Monasteria vsusfructus quem habebat ille qui professionem emisit in illis. Cum enim in *auth. ingress. C. de sacrosanct. Eccles.* decidatur omnia bona, iura & actiones monachi transire in monasterium, nec ibi, aut alibi excipiatur vsus fructus, idem de illo dici debet. Syluester *verbo Religio* 6*.q* 1*.dicto* 2*.& verbo hæred.n.*1*.q.*7*.& verb. Religio num.*21. Nauarrus *Comment.*2*.n.*38*. de regul.* Graffis 2*.p.decis.lib.*3*.c.*19*.n.*43. Quod etiam videtur verũ de patris vsufructu in filij bona aduentitia, quando talis pater professionem emittit cum nulla sufficiens ratio discriminis inter hunc, & alios vsus fructus assignari possit. Molina *to.*1*.de iust.disp.*9*.ad finem,& disp.*140*.column.*3. Lessius 2*. de iust.c.*41*.dub.*10*.n.*83.

30 Transire etiam videtur ad prædicta Monasteria præcarium quod erat illius qui Religiosus effectus est, cum sit eadem ratio de hoc ac de aliis iuribus. Sanchez *lib.*7*.in decal.c.*15*.n.*60. Nota autem præcarium esse ius habendi aliquam rem solum pro tempore quo is qui eam concessit voluerit. De quo Azor.*to.*3*.lib.*7. Bonac.*de contract.q.*14.

31 Denique generaliter loquendo prædicta Monasteria succedunt in omnia Religiosi bona de quibus ipse ante professionem legitimè non disposuerat, siue ab ipso quomodolibet ante, vel post professionem acquisita sunt, iuxta dicta ex illa generali regula. Quidquid Monachus acquirit Monasterio acquirit *to.*1*.c.*6*.n.*40. Constat quoque hoc *ex §. Si qua mulier auth. de sanctis Episc.& §. illud quoque auth. de Monachis,& auth. si qua mulier.& auth. ingressi.C. de sacros. Eccles.& c. Si qua mulier,& c. quia ingredientib.*19*.q.*3. Nauarrus *Comment.*2*. de Regul. n.*55. Sanchez *lib.*7*.in decal.c.*12*.n.*4. [Lugo *de iust. & iure to.*1*.disp.*3*.sect.*9*.n.*190*.&* 192.] Et ratio omnium est, quia cum religiosus per professionem se totaliter Deo dedicet, consequenter etiam dedicat ei omnia quæ possidet, & ita monasterium succedit in omnia iura, & facultates quæ professo competere possunt. Rodrig.*to.*2*.q. Regul.q.*80*.art.*2. Tamburinus *de iure Abbatum tom.*3*.disp.*11*. quæsit.*4*.n.*7.] Vnde in his, in quæ ex professi persona succedunt, illis actionibus agere possunt quæ professo ante ingressum competerent. Si quidem in omnia eius iura succedunt. Syluest. *verb. religio* 6*. quæst.* 2. Angelus *in summa verb. religio num.*59. [Vt verò sciatur quæ Bona sunt illa quæ ex filio familias in Religione professo transeant cum ipso ad religionem, notandum ex communi Doctorum sententia, quadruplex esse filij familias peculium, nempe castrense, quasi castrense, aduentitium, & profectitium. Castrense dicitur illud quod in castris, seu bello acquiritur.

Quasi Castrense, quod ex publico aliquo officio. Aduentitium quod neque ex bello, neque ex officio aliquo publico, nec ex bonis paternis aut patris intuitu, sed aliunde adquiritur, vt donatione, legato, successione materna, opera propria, aut ex artificio. Profectitium verò quod pecuniis aut rebus patris, aut patris occasione adquiritur. Ex quibus peculiis Castrense, & quasi Castrense pertinent ad filium quoad proprietatem, & vsumfructum. Aduentitium pertinet ad filium quoad proprietatem, & ad patrem quoad vsumfructum. Profectitium verò pertinet ad Patrem tam quoad proprietatem quam quoad vsumfructum. Ergo ad intentum, filio familias professo transeunt cum ipso ad Religionem peculium Castrense & quasi Castrense: quia hæc sunt omnino ipsius filij. Profectitium nullo modo transit ad Monasterium, quia est omnino patris. Aduentitium autem transit quoad proprietatem ad Monasterium, cum quoad proprietatem sit filij. In quo conueniunt DD. specialiter Sanchez *lib.*7*. in decal. c.*13*.n.*37. & Lugo *to.*1*. de iustit.& iure disp.*3*.sect.*9*. num.*196. An verò transeat quoad vsumfructum etsi aliqui affirment, meritò tamen communis sententia tenet contrarium, scilicet, non transire hoc modo ad Monasterum, sed manere apud patrem, eo quod re vera hoc modo sit patris, & pertineat ad patriam potestatem quæ non soluitur per professionem filij, Sanchez *supra n.*39. post plures alios, quos sequitur Lugo *supra.*

Dubitari autem solet. An libri quos pater filio dederat studiorum causa transeant cum ipso ad Monasterium. Et dicendum quod si filius erat iam Doctor, & iam exercebat munus aliquod in Republica, vel in procinctu erat ad illud exercendum, tunc libri illi censentur vt bona Castrensia filij, & ipse veluti emancipatus, ac proinde transibunt cum ipso ad Monasterium. Si verò nondum absoluerat sua studia censentur bona profectitia, sicut & alia supellex à patre filio concessa, vt pote manenti sub patris potestate, ac proinde non transibunt cum filio ad Monasterium. Ita Lugo supra ex doctrina Molin. *tom.* 1*. de iustit. & iure, disp.*239.

Nota præterea probabile valdè esse bona quæ adquirunt Nouitij tempore Nouitiatus esse bona quasi Castensia, eo quod Nouitij per Nouitiatum veluti egressi sunt de patria potestate, & censentur Clerici, quorum priuilegium est, vt quæ post Clericatum adquirunt sint bona quasi Castrensia, ac proinde etiam talia bona transibunt cum ipsis ad Monasterium, si professionem emiserint. Sanchez *dicto c.*13*.n.*46. Lugo *sup.n.*196.

Potest tamen contraria consuetudine legitimè præscripta derogari huic iuri succedendi prædicta Monasteria in bona suorũ professorũ, sicut derogatum dicitur apud Gallos, ita vt ipsorum bona pertineant ad consanguineos propinquiores. Ratio est, quia hoc ius succedendi, etsi satis conforme sit iuri naturę cũ ratio postulet, vt qui se dicat Deo, omnia etiã sua ipsi etiã dedicet, nihilominus solo iure humano, vt patet ex loc. cit. *n. præced.* introductum est, iuri autẽ humano consuetudo legitimè præscripta derogare potest. Couar. *de pact.p.*3*.§.*2*.n.*4 *ad fin.& c.*1*. fine de testam.* Azor.*to.*1 *inst. mor. lib.*12*.c.*8*.q.*1. 32

33 Quamuis autem iure Pontificio abrogari possit tale ius succedēdi in bona professorū causa rationabili subsistēte cum Pontifex dominus sit, vel supremus administrator bonorum Ecclesiæ, iure tamen ciuili id fieri non potest, quia cum Principes temporales, à quibus dimanat ius ciuile non habeant iurisdictionem in Ecclesiasticas personas, aut bona ipsarum, neque etiam habent potestatem ad auferendum id quod ab Ecclesia Monasteriis est concessum. Couarrub. *de pactis 3.p.§.2.n.4.vers. Illud sanè.* Rodrig. *to.2.q.Regul.q.77.art.2.* Sanch. *lib.7.in decal.c.12.n.18.* plures alios referens, & impugnans oppositum sentientes.

34 Non tamen succedunt prædicta Monasteria in beneficia Nouitij qui in illis emisit professionem, vacant enim talia beneficia per professionem, vt habetur ex *c. Beneficium de Regul. in 6.* vt dictum est *to.1.p.1.c.2.n.17.* nec in pensiones, propter eandem rationem. Gygas *de pensionib.q.5.n.6.* Sanch. *lib.7.in decal.c.4.n.13.* Vide dicta *hoc 2.to.c.2.n.21.*

35 Nec etiam succedent prædicta Monasteria in bona professi quando ipse tempore Nouitiatus modo assignato *to.1.c.24.n.32.* vel alio modo ante ingressum in Religionem renunciauit hæreditati suæ, aut bonis quæ ad ipsum pertinebant. Eo enim ipso quo talem renunciationem legitimè fecit nullum ius remanet in ipso ad prædicta bona, ac per consequens nec Monasteria in illa succedent. Quia tamen adhuc facta renunciatione hæreditatis remanet in renunciante ius ad aliqua alia bona, ideo in ipsa succedet Monasterium. Quæ autem sint hęc bona non comprehensa in renunciatione hæreditatis, tractant Azor. *to.2.inst.moral. lib.2.c.28.q.8.* Molina *to.2.de iust.disp.579.* Rodrig. *to.2.q.Reg.q.78.art.vlt.* Sanch. *lib.7.in decal.c.7.*

36 Nec etiam succedent prædicta Monasteria in illa bona Nouitij professionem emittentis quæ sunt legitima filiorum quos habet in sæculo. Prædicta enim bona non spectant ad ipsum professum, sed ad filios ipsius, ac per consequens, nec ad Monasterium, quod solum succedit in iura professi. À quo autem tempore debeatur dicta legitima filiis, an scilicet à tempore professionis patris, an solum post mortem ipsius? Probabilius est, statim ac parens profitetur deberi. Talis enim professio est quædā mors ciuilis ipsius, & ratione illius fictione iuris desinit esse in rerum natura. Sylu. *verbo hæreditas 1.q.7.n.10.dicto 6. & verb Religio 6.q.1.dicto 1.* Angelus *in summa verb. Religiosus n.49. & verb. hæreditas n.22.* Nau. *commen.2.n.48.& 54. de Regularib.* Quod etiam verum habet in filiis illegitimis in regnis in quibus succedunt in bona parentum. Azor. *tom.1.instit.moral.lib.12.c.8.q.7.* Molina *to.1. de iust.disp.140. vers. à regula illa.* Tempore etiam quo illa Bona possidentur à Monasterio tenetur ministrare alimenta filiis illius professi, quando scicet pater eos teneretur alere, quia succedit Monasterium in onera bonorum illius professi, & talia bona sunt adstricta huic oneri. Sanch. *lib.7.in decalog.c.10.n.8.* Pro quota autem bonorum parentis professi assignanda filiis in alimenta, vide Syluestrum, & Angelum *vt sup.*

37 Pariter nec succedent in ea bona professi quæ sunt legitima patris ipsius, propter eamdem rationem, quia scilicet talia bona non ad filium professum, sed ad patrem spectant.

38 Debentur etiam ea bona à tempore professionis filij sicut dictum est supra de professione partis, propter eamdem rationem. Tapia *authent. ingressi verb sua c.4.fin.C.de sacrosanct. Eccles.* Azor. *tom.1. instit.moral.lib.12.c.8.q.8.* Interim tamen tenebitur Monasterium alimenta patri præbere, sicut etiam dictum est suprà de filiis, cum eadem sit ratio. Sanchez *lib.7.in decalog.c.10.n.11.*

Nec etiam succedent ante mortem patris in hæreditatem quæ contingere poterat filio professo post eiusdem patris mortem. Quia cum ius succedendi non competat alicui nisi post obitū eius cui succedendum est, professus nequit hoc ius in Monasterium transferre ante obitum illius cui succedit. Glossa *final.c.vnico 18.q.1.* Felinus *c. in præsentia n.56.de probat.* 39

Similiter nec succedent propter professionem Religiosi in bona relicta illi substitutis aliis post ipsum. Ratio est, quia cum in hac institutione non claudatur conditio *si absque liberis decesserit,* non militat in illa dispositio *cap. in præsentia de prob. & §. sed & hoc præsenti authent. de sanctis Episc. de qua supra n. 28.* quæ loquitur existente huiusmodi conditione. Talia ergo bona non venient ad Monasterium nisi solum pro tempore vitæ talis professi, & post illam ad substitutos. Molina *to.1. de iustit.disp.190.colum.penult.* Sanch. *lib.7.in decal.c.16.à n.80.& 82.* 40

Item nec succedent in vsumfructum quem habet pater in bonis aduentitiis filij, filio professionem emittente. Quia professio facta à filio iuri patris quod antea habebat derogare non potest, nec patri adimere ius quod in filij bonis acquisierat. Syluest. *verb. Religio 6.q.1.dicto 5.* Azor. *to.1. instit. moral. lib.12.cap.8.§. Tertio quæritur, & to. 2. lib.2. c.22.§. Quinto quæritur.* 41

Præterea nec videntur succedere posse in ius petendæ reuocationis emphyteosis, nec in ius retractus sanguinis quæ habebat ille, qui in Religionem ingressus est. Videtur enim cessare rationem horum iurium quæ est ne res illa à proprio sanguine, seu genere alienetur, cum ille professus non iam sibi, sed Monasterio acquirat, & Monasterium non sit de genere, aut familia illius. Sanchez post alios *lib.7.in decal.c.14.n.24.26.& 27.* 42

Qualiter etiam non succedant Monasteria in bona Religiosi, qui etsi validè professus est, tamen id fuit propter fraudem, dolum, & cupiditatem Prælati ad illa inhiantis, dictum est *to.1.c.2.n.19.* 43

Acquirere etiam possunt prædicta Monasteria bonorum immobilium capacia bona temporalia iure hæreditario, seu vt hæredes, si tales ex testamento instituantur Religiosi ipsorum. Ita enim colligitur *ex l. fin. §. hoc etiam C. de Episcop. & Cleric.* vbi decernitur quoslibet tales Religiosos esse successionis hæreditariæ capaces. Et ratio est, quia id non repugnat voto paupertatis, cum ipsi Religiosi non sibi, sed Monasteriis acquirant, quæ tamen, vt dictum est in *hoc cap. num. 1.* illa possunt possidere. Nauarrus *comment.2. num.43. de Regul.* Molina *to. 1. de iust. disp.140. colum.8. vers. non solum bona, & disp. 154. post principium.* Extenditur etiam hoc ad Collegia Societatis Iesu & ad domos professas, etsi enim prædicta Collegia in suorum bona non succedant, vt dictum est supra *num.13.* possunt tamen institui hæredes, similiter, licet domus professæ immobilia possidere non possint, vt dictum est *cap.7 num.7.* hæredes quoque possunt institui, siue bonorum mobilium, siue stabilium, non vt ista retineant, sed vt vendant. Molina *tom.1. de iust. disput.195. vers. à regula proposita.* Sanchez *lib.7. in decalog. cap.27. num.1. & 15.* Non tamen extenditur ad Minores de obseruantia, & Capuccinos, quia hoc est illis expresse prohibitum ab Ecclesia *in c. exiit. de verb. signif. in 6.* Rodriguez *tom.2. q.Regul. q.78. artic.2.* 44

Sorbus

Sorbus *in Compend. priuil. Mendic. verb. hæreditas.* Vide dicta *tom. 1. p. 1. c. 6. n. 45.*

45 Capacia etiam sunt prædicta Monasteria, quæ immobilia possident legatis. Quippe certa res est iis omnibus posse legari, qui possunt hæredes institui; vt expressè habetur *Inst. de legatis §. legari, & l. regia tit. 9. par. 6.* prædicta autem Monasteria, vt visum est, hæredes possunt institui. Extẽditur hoc ad Minores de obseruantia, & Capuccinos, etenim etsi illi, illorumq; Monasteria hæredes institui nequeãt, legari, tamen illis potest, *c. exijt. de verbo. signif. in 6.* Et ratio, est quia legatum est quædam donatio à defuncto relicta ab hærede præstanda *§. legatum instit. de legat. & L. regia 1. tit. 9. par. 6.* at prædicti Patres, eorumque Cœnobia capacia sunt, vt sibi donetur, ergo, & quod sibi legetur. Rodrig. *tom. 2. q. Regul. q. 125. art. 6.* Sorbus *in Compend. priuil. Mendic. ver. legata.* Portellus *in Dub. regul. verb. legatum.* Extenditur etiam ad domos professas Societatis Iesu, etenim etiam illæ legata recipere possunt, sicut & institui hæredes, vt *num. præcedent.* dictum est, esto bonorum immobilium capaces non sint, vt ibidem etiam dictum.

46 Legata relicta particularibus Religiosis transeunt ad Monasterium, cum ipsi acquirant quidquid acquirunt, iuxta dicta *to. 1. c. 6. n. 4.* Vbi etiam *num. 36.* quid dicendum sit de legato relicto Religioso ea conditione, vt ad ipsum, non autem ad Conuentum spectet, maximè si testator vlterius procedat dicendo se velle, vt dominium illius rei pertineat ad Religiosum, & quod si secus fiat pertineat ad extraneum. Vide ibi dicta.

47 Legata relicta Monasteriis ad certum vsum, v.g. pro indumentis Fratrum posse conuerti à Prælatis in alium vsum, v.g. panem, & vinum emendum, tenent Rodrig. *tom. 2. quæst. Regul. q. 125. artic. 9. &* Peirinis *tom. 1. priuil. Minim. in Constit. II. Iulij II. paragr. 26. num. 72.* Sed tu vide dicta *tom. 1. cap. 18. num. 94.* Neque enim iure communi id fieri potest, solus enim Papa potest vltimam testatoris voluntatem alterare. Rodriguez ibid. Nec de hoc video solidum aliquod priuilegium, quæ enim ibi adducuntur à Rodriguez, & Peirinis sunt viuæ vocis oracula, quæ hoc tempore nihil valent, vt sæpè dixi. Priuilegium autem Iulij II. quod ibi affert Peirinis satis obscurum est, & limitatum. Sunt tamen docti aliqui qui putant legatum relictum pro indumento Fratrum posse conuerti in cibos ipsorum, etiam stando in iure communi. Iis tamen non assentior, propter dicta, nisi in casu talis necessitatis, in qua prudenter existimari possit voluntatem testatoris eam fuisse.

48 Applicari etiam possunt Monasteriis egenis Regularium bona inuenta quorum dominus facta sufficienti diligentia pro ipso inueniendo ignoratur. Cum enim talia bona restitui debeant pauperibus (Lessius *lib. 2. de inst. cap. 14. num. 49.* Molina *tom. 3. disp. 746.*) non est cur excludantur Monasteria egena necessariis carentia, Bonacina *de contract. disp. 1. q. 3. punct. 4. num. 5.* post alios. Si autem lege, vel consuetudine introductum, vt inuenta, quorũ, facta sufficienti diligentia, ignoratur dominus, alicui pio operi applicentur, ita est faciendum. In Hispaniarum vero Regnis applicata sunt aliqua ex huiusmodi inuentis Religionibus SS. Trinitatis, & S. Mariæ de Mercede, Pontificia, & Regia auctoritate, ita scilicet vt habeant ius illa petendi, ac propterea si alij operi pio non sint applicata ab inuentoribus, sed maneant in propria specie, teneantur reddi petentibus, cum illis sint applicata, Rodrig. *tom. 1. q. Regul. q. 38. artic. 4.* Extat etiam concessio Clement. IV. pro Minoribus, quod scilicet cum aliqui assumentium habitum ipsorum fuerint obligati ad restitutionem aliquorum bonorum diuersis personis, quæ sciri, & inueniri non possunt, Ministri, & Custodes, & eorum Vicarij, eorumque singuli in locis sibi commissis possint bona huiusmodi in pios vsus conuertere, prout secundum Deum viderint expedire. Rodrig. *vt sup.* Casarub. *in Compend. priuileg. Mendic. verb. bona n. 4.* Similis etiam concessio extat Sixti IV. pro Carmelitis, qua Generali, Prouinciali, & Prioribus localibus concedit quod prædicta bona Ordinem ingredientiũ possint in pios vsus conuertere. Cordub. *in Annotat. ad Compend. priuileg. Mendic.* Circa concessionem autem Clement. IV. (& idem est de concessione Sixti IV.) aduertit Rodrig. vt supra, solum pro Minoribus qui de rebus intrantium in Religione nihil accipere possunt deseruire, non pro aliis Religionibus, quia secundum ius commune id fieri potest. Veruntamen etiam pro aliis Religionibus, Carmelitarum scilicet, & eorum qui cum ipsis in priuilegiis communicant, deseruit, nam licet iure communi prædicta bona inuenta, & incerti domini applicari possint pauperibus, ac per consequens monasteriis egenis, & necessariis carentibus, vt dictum est, non tamen diuitibus, & in nullo egentibus (si talia fuerint aliqua Monasteria) pro illis ergo dici potest deseruire talem concessionem. Licet hoc solum sub dubio dictum sit, & sub doctiorum censura.

Idem dicendum de aliis bonis incertis malè adquisitis ex contractu, furto, aut alia defraudatione, quorum facta diligenti inquisitione ignoratur dominus, posse scilicet applicari Monasteriis egenis Regulariũ. Tum quia possunt applicari pauperibus vt habent Lessius *lib. 2. de iust. cap. 14. dub. 6.* Bonac. *de contract. disp. 1. quæst. 3. p. 4. num. 8. & 9.* Tum ex priuilegio Alexand. IV. pro Minoribus, quo tam ipsi quam alij qui cum ipsis communicationem priuilegiorum habent participare possunt. Concessit autem illis vt de male adquisitis, & incertis relictis possint recipere quæcumque eis data fuerint. Casarub. *in Compend. priuil. Mendic. v. Bona n. 2.* Rodrig. *tom. 1. q. Regul. q. 38. art. 1.* Portell. *in dub. Regul. v. Bona n. 3.* 49

Applicari etiam possunt bona Monasteriorum Monialium destitutorum Monasteriis Fratrum aliquarum Religionum, & earum quæ cum ipsis communicationem priuilegiorum habent. Etenim Carmelitis nostris id concessit Sixtus IV. in Mari magno verbis allatis *tom. 1. cap. 25. n. 48.* & quoad Monasteria S. Claræ Minoribus ferè similia, quod idem dicitur haberi in Mari magno Prædicatorũ, & Augustinianorum. Additur tamen in prædicta concessione pro Carmelitis, & Minoribus. *Prouiso tamen quod eorum* (scilicet monasteriorum prædictorum monialium) *Ecclesiæ, & Oratoria ad prophanos vsus non redigantur, sed in illis quandoque diuina officia celebrentur.* Quæ clausula conformis est Sacris Canonibus. Nam *19. q. 3. c. quæ semel.* Monasteria numquam possint fieri sæcularia habitacula, & res quæ ad ea pertinent reseruari debeant. Casarub. *in Compend. priuil. Mendic. verb bona n. 7.* Rodrig. *to. 1. q. Regul. q. 38. art. 6.* 50

Contra damnificantes, seu occupantes bona Regularium variis pœnis Summi Pontifices procedunt. Primò Eugen. IV. concessit Congregationi Montis Oliueti quod quæcumque persona *bona mobilia, seu immobilia, possessiones, domos, molendina aquas,* 51

aquas, piscaria, iura, iurisdictiones, & alia quæcumque ad præfatam Congregationem, & illius Monasteria pertinentia, perturbare, vel fatigare præsumpserit, nisi infra tres dies postquam huius indulti certior facta fuerit se correxerit, aut debitã cautionem de restituendo, & satisfaciendo non præstiterit, excommunicationis sententiam ipso facto incurrat, à qua nisi à Summo Pontifice, aut in mortis articulo beneficium absolutionis nequit obtinere. Compend.Societ.& Cisterc.Rodrig.*tom.1.q.Regul.quæst.*38.*artic.*7.Portel. *in dub. Regul. v. bona n.* 1. Item Iulius II. similia concedens præcipit omnibus Christi fidelibus, vt nemo ipsorum, bona Ordinis S.Augustini occupare, seu damnificare auderet, quod tam de attinentibus ad personas Fratrum, quam de pertinentibus ad loca, seu Conuentus, & possessiones eorumdem intelligi voluit, & quod si contrarium facientes admoniti à Fratribus prædicti Ordinis non restituerent omnia integrè, aut vexare destiterint infra tridui spatium, excommunicationis sententiam incurrant, à qua non nisi per Summum Pontificem absolui possint, Casarubius *in Comp.priuil. Mendic. verb.Bona n.*10.Rodrig.*vt sup.*

52 Iuxta primæuam institutionem Religionum tota administratio bonorum Monasterij erat apud Abbatem, seu Superiorem, vt colligitur ex *capit. Nullam* 18. *quæstion.*2. Cum enim illa non posset commodè per totam communitatem exerceri, congruens fuit alicui committi, & maximè Prælato, vt debitus ordo, & perfecta obedientia in omnibus seruaretur. Suarez 4.*tom.de Relig.tract.*8.*lib.*2.*c.*26. Nauarr.*Comment.*3.*de Regul.num.*5. *&* 6. Quod intelligitur tam quoad acquisitionem, seu receptionem, quam quoad conseruationem, seu alienationem. Suar. *ibid.* Nunc autem attendendum est ad leges, vel Constitutiones Religionum, vel consuetudines rationabiles in ipsis receptas, quibus limitatur, vel declaratur dicta auctoritas Superiorum Monasteriorum. Vide dicta *tom.*1.*cap.*18. *num.*13. Et nota administratores bonorum Monasteriorum non teneri reddere rationem Ordinariis. Ex declarat.Sac.Congregat. apud Barbos. *in Collect. Bullar. v. Administratores.* Posse etiam amoueri ad nutum Superiorum, tum ex Conc.Trid.*sess.*25.*c.*2. tum ex alia declaratione apud eundem Barbos. *verbo officiales.*

53 Administratio autem prædictorum bonorum Monasterij tres præcipuè actus includit, scilicet receptionem, conseruationem, & alienationem. Sub prima comprehenditur omnis modus acquisitionis prædictorum bonorum. Sub secunda, omnis actio quæ pertinet ad gubernationem, beneficentiam, augmentum, custodiam, & vsum talium bonorum. Sub tertia autem omnis consumptio, distractio, seu alienatio. Suar.4.*tom.de Relig.tract.*8.*lib.*2.*c.*26.*n.*1. De prima dictum est in toto hoc capite, vbi de iis quæ Monasteria acquirere possunt manet discussum. De secunda etiam consequenter est dictum, nam ea quæ possunt acquiri; seu possideri, cõsequenter possunt cõseruari, gubernari, custodiri, &c. Solum ergo restat aliquid dicendum de tertia.

54 Et primò loquendo de bonorum mobilium alienatione dicendum generaliter, posse prædicta Monasteria, vel ipsorum Superiores iuxta varias Religionum leges, vel cõsuetudines de illis disponere, alienando distrahendo, consumendo, vendendo fideliter tamen, & in vtilitatem Monasterij. Ita enim colligitur ex *cap. nullam* 18. *q.* 2. & ex ratione ipsa qua constat, bonum regimẽ Monasterij tam in spiritualibus, quam temporalibus consistere nõ posse sine huiusmodi facultate. Suar.4.*to.de Relig.tract.*8. *lib.*2.*c.*26.*à n.*8. Est autem hic solum sermo de bonorum mobilium non pretiosorum alienatione, quia mobilia pretiosa sunt quasi immobilia quantum ad alienationem, & de illis postea. Quaranta *in Summ.Bullar.verb.alienatio n.*42. Barbosa *de offic. & potest, Episcop.allegat.*95.*n.*39. Rursus sermo est stando in iure communi, nam propter Constitutionem Clement.VII. de largitione munerum 3.tom. Bullar. inter Constitutiones ipsius num. 28. valde stricta, & coarctata est huiusmodi facultas quantum ad dandum, vel donandum aliqua, vt patet illis verbis. *Regularibus personis vtriuslibet sexus omnem, & quamcumque largitionem, & missionem munerum penitus interdicimus. Sub qua prohibitione comprehendi volumus omnia, & singula Capitula, Conuentus, & Congregationes, tam singulorum Conuentualium, Monasteriorum, Prioratuum, Præpositurarum, Præceptoriarum, Domorum & locorum; quam Prouincialia, aut Generalia cuiuslibet Prouinciæ siue vniuersi Ordinis, Societatis, aut instituti, eorumque vel earum Camerarios, Commissarios, & quoscumque officiales, & singulares personas, ipsos etiam Ordinum, Congregationum, & Societatum huiusmodi Superiores quascumque dignitates obtinentes, etiam Generales, & Prouinciales, Magistros, Ministros, & quocumque nomine Præfectos, necnon Conuentuum, Monasteriorum, Prioratuum, Præpositurarum, Præceptoriarum Domorum, & locorum quorumcumque Abbates, Præpositos, Præceptores, etiam maiores, Guardianos, Ministros, Rectores, atque Abbatissas, Priorissas, & alio quouis titulo Præsidentes tam ipsis Regularibus, quam laicorum Ordinariis, seu quibusuis Superioribus subiectas vtriuslibet sexus ad vitam, vel ad tempus deputatos. Adeo vt nemo vnquam eorum, vel earum directè, vel indirectè, palam, vel occultè tam communi, quam particulari, & proprio nomine, etiam sub quouis statuti, vel consuetudinis seu verius corruptelæ, aut alio prætextu, vel quacumque causa, nisi in generali Capitulo, aut alia Generali Congregatione re maturè discussa vnanimi consensu omnium, Superiorumque permissu causa approbata fuerit quicquam tale attentare valeat. Id autem ita absolutè, & generatim vetitum intelligatur, vt neque omnino fas sit, quicquam donare tam ex fructibus, redditibus, & prouentibus, collectis, vel contributionibus, aut obligationibus, siue eleemosynis, aut subsidiis certis, vel incertis, ordinariis, seu extraordinariis, mensæ, seu massæ communis, vel cuiusuis fabricæ, & Sacristiæ, quorum bona communiter, vt præfertur administrantur, seu quæ rationibus reddendis sunt obnoxia, quam ex pecuniis etiam quæ à singulis quouis modo acquisitæ in commune conferendæ omnino sunt. Nec si per viam voluntariæ contributionis in commune congerantur. Nec si forsan priuatim, & nominatim cuilibet Religioso à suis Superioribus vel à propriis affinibus, propinquis, familiaribus, amicis, aut beneuolis, vel à piis Christi fidelibus etiam eleemosynæ, aut charitatis, & illius propriæ personæ intuitu attributæ, seu quoquo modo per quemlibet Religiosum suo Monasterio, domui, aut loco acquisitæ, eique vt ad libitum de iis disponat per Superiores concessæ fuerint, præterquam leuiora esculẽta, aut poculenta, aut ad deuotionem, vel Religionem pertinentia munuscula, communi tantum, numquam verò particulari nomine (vbi Superiori de consensu Conuẽtus videbitur) tradenda, sed & huiusmodi missiones munerum ipsis Religiosis vtriuslibet sexus, non solum per se, verum etiam per alios tam directè quam indirectè prohibitas declaramus.* Quia tamen hæc Con-

stitutio in aliquibus locis non satis vsu recepta est, vel ad minus non eo rigore quo verba ipsius sonant, ideo ab illius expositione supersedendum duxi. Illam verò exponunt Sossa *in speciali tractatu de hac re.* Sorb. *in Comp. priuileg. Mendicant. verb. dare.* Bonacina *in speciali etiam tractatu de hac re.* Diana *in tract. 6. de paupert. Religiosa,* & alij.

55 Circa alienationem autem bonorum immobilium, & mobilium prætiosorum Monasteriorum, de quibus diximus *tomo primo capit.* 10. *à numero primo*, non posse fieri à Regularibus quantumuis priuilegiatis sine licentia Sacræ Congregationis Concilij exceptis casibus à iure permissis, quia res est multis, & quotidianis difficultatibus implicata, aliqua vlterius animaduertenda sunt. Primò ergo notandum prohibitionem de rebus Ecclesiæ non alienandis, de qua in præsenti, comprehendere etiam domus professas Societatis Iesu, prout declaratum dicitur à Sacra Congregatione Concilij. Barbosa *in Collect. Bullar. verb. Domus.* Secundò notandum nomine alienationis in præsenti intelligi actum, quo dominium rei directum, aut indirectum, vtile, vsusfructus, possessio, aut ius in alterum transfertur, vel abdicatur. Rodriguez *tomo primo quæstionũ Regular. quæstione 27. articul.* 1. Bonacina *tractat. de alienat. bonor. Ecclesiast. quæstione vnica puncto secundo, numero primo.* Vnde non solum donatio, aut venditio, seu alius quilibet contractus gratuitus, aut onerosus quo rei dominium in alterum transfertur, prohibita sunt dictis Regularibus sine prædicta licentia, sed etiam omnis alius contractus, vbi transfertur dominium vtile, retento directo. Quaranta *in Summa Bullar. ver. alienatio numero* 15. & 16. Prohibita etiam est pignoratio, vt dixi dicto *capit. decimo numero quarto.* Locatio, seu conductio vltra triennium, modo ibi designato. Impositio census siue vitalitij, aut acceptio pecuniarum ad cambium cum solutione lucri cessantis, vel damni emergentis, vt *dicto cap. numero tertio* dictum est. Prohibetur etiam hypotheca, tum quia expressè ponitur inter contractus prohibitos tam in Extrauaganti *Ambitiosæ*, quam in decreto Sacræ Congregationis, tum quia qui non potest alienare, nec etiam potest hypothecare. Barbosa *de officio, & potest. Episcopi Allegat.* 19. *numero* 85. Quod tamen intelligo de hypotheca speciali, quando scilicet aliqua res in speciali hypothecaretur, non de hypotheca generali quando omnia bona subiiciuntur hypothecæ. Molina *de contractibus disputatione* 466. *numero secundo.* Layman. *in Theologia moral. lib.* 3. *tractat.* 4. *capit.* 10. *numero secundo.* Licet alij etiam ad hypothecam generalem hoc extendant. Quaranta *vt supra numero decimoseptimo.* Similiter concessio in feudum, vel emphyteusim nisi cõcurrentibus tribus conditionibus simul, scilicet in casibus à iure permissis, de bonis solitis ab antiquo concedi in emphyteusim, ac cum euidenti Ecclesiæ vtilitate. Quaranta *vt supra num.* 39. Barbosa *de officio, & potestat. Episcopi, vt supra numero vigesimosecundo.* Item alienatio rei sterilis, seu domus ex qua nihil vtilitatis percipitur, quia adhuc illa est res immobilis. Bonacina vt supra *numero nono.* Quaranta *numero* 37. Declaratum etiam dicitur à Sacra Congregation. Episc. & Regul. non conuenire Regularibus stabilia vendere pro fabrica Monasterij, vel ad effectum emendi census. Barbosa *in Collectan. Bullar. ver. stabilia.* Item alienari non possunt sine prædicta licentia bona mobilia pretiosa, vt dictum est dicto *capit. decimo numero quarto*, illa scilicet quæ seruando seruari possunt, vt colligitur ex prædicta Extrauag. *Ambitiosæ.* Couarruuias 2. *variar. capit. decimoseptimo numero secundo.* Bonacina *de Contractib. disputatione tertia quæstion.* 8. *punct.* 4. *numero quarto, & in tract. de alienatione bonorum Ecclesiasticor. disputatione secunda quæstione vnica punct.* 2. *numero secundo.* Barbosa *de offic. & potest. Episcop.* vt supra *numero* 39. Illa autem bona dicuntur seruando seruari posse, quæ per triennium durant, vsu non consumuntur, vel fructificant, vt sunt vasa aurea, vel argentea, grex pecudum, armentum boum, &c. Bonacina, & Barbosa relati. Peirinis *tomo* 1. *priuileg. Minim. in Const. IX. Iul. II. num.* 10.

Pariter etiam prohibitum est Regularibus, iuxta dicta *tomo primo capit.* 18. *numero* 13. transferre bona vnius Monasterij in aliud, loquendo de bonis immobilibus, aut mobilibus pretiosis, quæ scilicet seruando seruari possunt, cum ista translatio sit quędam alienationis species. Bonacina *de alienat. bonor. Ecclesiastic. disputatione secunda quæstione vnica punct.* 2. *numero* 9. Quare aliqua priuilegia Religionum quibus id permitti videtur, de quibus Rodriguez *tomo secundo quæstione* 125. *artic.* 9. & Peirinis *tomo primo priuileg. Minim. Constit. II. Iulij II. numero* 76. quoad huiusmodi bona transferenda vacant propter decretum Sacræ Congregationis adductum, quo reuocantur omnia priuilegia Regularium in ordine ad alienationes prædictorum faciendas. Non vacant tamen quoad translationem bonorum mobilium non pretiosorum, aut pretiosorum, quæ seruando seruari non possunt. Horum .n. alienatio non est prohibita Regularibus vt inferiùs dicetur. Idem dico de permutatione, seu commutatione, quia permutatio est alienatio. Quaranta *in Summa Bullarum verb. alienatio numero decimoquinto.* Vnde non potest fieri à Regularibus sine licentia Sacræ Congregationis, nisi de rebus mobilibus non pretiosis, aut quæ seruando seruari non possunt. Idem de præcario, seu præcaria dicendum, quia etiam per illud, vel illam transfertur res quoad dominium vtile. Riccius *in praxi fori Ecclesiastic. decis.* 64. Quaranta *vt supra numero decimoquinto.* Idem dico de iuribus, actionibus, seu seruitutibus quæ sunt quædam bona incorporalia, ac per consequens comprehendentur generali prohibitione. Syluester *verbo alienatio quæstione decima.* Bonacina *vt supra numero decimonono.* Idem de Oratorio, seu Capella Ecclesiæ, etsi enim possit vsus sepulturæ alicui in illis concedi, nam ad hunc vsum ordinantur, non tamen possunt vendi sine prædicta licentia Sac. Congregationis, quia sunt bona immobilia Regularia, Riccius *decis.* 42. Quaranta vt supra *numero* 29. Bonacina etiam vt supra *num.* 12. 56

Nihilominus alienari possunt à Regularibus sine S. Congregationis licentia mobilia non pretiosa, vt dictum est supra *numero* 54. verbi gratia vinum, frumentum, vestes tritæ, & alia huiusmodi. Quia in decreto S. Congregationis dicto *capit.* 10. *numero* 2. adducto solum prohibetur bonorum mobilium pretiosorum alienatio sine eiusdem S. Congregationis licentia. Alienari quoque possunt sine prædicta Congregationis licentia bona mobilia etiam pretiosa, quæ tamen seruando seruari non possunt. Ratio est, quia etsi hoc non exprimatur in dicto decreto Sac. Congregationis, colligitur tamen ex Extrauaganti *Ambitiosæ* quam roborare 57

roborare curat prædictum decretum; etenim in prædicta Extrauaganti expresè conceditur alienatio illorum, quæ seruando seruari non possunt. Molina *de contractibus disputatione* 465. *numero* 1. Quæ autem sunt ista quæ seruando seruari non possint dicendum est ea esse, quæ non durant triennio, vel vsu consumuntur, & non fructificant. Riccius *prax. fori Ecclesiast. decis.*62. *in* 1. *edit. & resolut.* 59. *in* 2. Barbosa *de offic. & potest. Episcopi alleg.* 95. *numero* 38. Vnde declaratum dicitur à S. Congregatione posse Superiores Monasteriorum, non obstante decreto de rebus Regularium non alienandis, ex fructibus bonorum pingues eleemosynas facere, puta decem rubiorum tritici, & similium quia fructus non comprehenduntur in dicto decreto. Barbosa *in Collect. Bullar. verb. Superior Regularis.* Similiter pecunia data pro dote Monialis, quamuis non possit alienari, aut distrahi in alios vsus, quam de fructibus illius sustentari possit, potest tamen absque licentia Sacr. Congregat. insumi in emendo agro, vel vinea, vt de fructibus ipsius Monialis sustentetur. Bonacina *de alienat. bonor. Ecclesiast. disputat.* 2. *quæstione vnica puncto secundo numero quinto.* Computantur etiam inter bona mobilia non pretiosa, seu quæ seruando seruari non possunt mancipia, & his similia, cum morbis, morti, & aliis similibus casibus sint obnoxia. Secus autem quando illa sunt annexa, vel affixa prædiis, aut domibus tamquam illorum partes, tunc etenim sicut ipsa prædia, & domus sunt bona immobilia, & sic ista inter immobilia numerantur. Molina *de contract. disputat.* 465. Bonacina vt supra *numero quarto.* Pariter etiam cōputantur inter bona mobilia non pretiosa oblationes sacræ Sacris Imaginibus Sanctorum, quæ in aliquibus Ecclesiis reseruantur, nisi fortè sint aureæ, vel argenti magni valoris. Riccius *vt supra decis.* 102. Bonacin. vt supra. Possunt etiam accommodari ad breue tempus bona monasteriorum, ita vt merus vsus illorum concedatur, non autem dominium directum, aut indirectum, cum per dictam *Extrauagantem*, & decretum Sacræ Congregationis solum alienationes prohibeantur, id autem quod accommodatur, non alienatur. Riccius *decis.* 74. & 68. Bonac. vt supra *num.*32.

58 Imò etiam tam de rebus immobilibus, quam mobilibus, pretiosis facere possunt Regulares alienationes sine licentia Sacr. Congregat. primò quando est relicta Monasterio per fideicommissum cum onere, quod post aliquod tempus alij restituatur, transacto enim illo tempore res iam non est Monasterij. Quaranta *in Summa Bullar. verbor. alienatio numero* 45. Barbosa *de offic. & potest. Episcop. alleg.*95. *numero* 61. vbi hunc casum refert inter eos qui iure sunt permissi. [Ad quod reducitur etiam casus quo res relicta esset Monasterio cum obligatione illam permutandi; aut cum res ex necessitate debet alienari, verbi gratia, quia est indiuisim in manu sæcularis, qui illam vult vendere; aut cum venit ad Monasterium cum pacto reuendendi illam. De iis casibus latè & doctè Bordonus *in suis Resolutionibus Resolut.* 27. *à numer.*3. *vsque ad* 12. ex aliis Authoribus.] Secundò quando res iniustè detinetur à Monasterio. Quaranta *ibid. numero* 43. §. 11. *limita.* Tertiò probabiliter, saltem secundum aliquos, in remissionem caducitatis emphyteutæ. Quaranta *vt supra numero* 44. Barbosa etiam, vt supra *numero* 64. & 65. qui etiam hunc casum ponit inter eos, in quibus fieri potest alienatio sine Sedis Apostolicæ consensu. Licet oppositum securius, & probabilius censeam, cum talis remissio sit remissio iuris rei immobilis competentis Monasterio, quæ est quædam species alienationis. Vide in simili dicenda *n.*60.

De pecunia autem an prohibita sit alienari, cum ex vna parte comprehendi videatur inter mobilia pretiosa, quæ seruando seruari possunt, ex alia verò inter mobilia non pretiosa communiter reputetur, quia de se non fructificat, aliqua dicenda sunt. Et primò, pecunia, quæ ad quotidianos vsus necessaria est, & pro quotidianis necessitatibus deseruit inter mobilia non pretiosa, seruando seruari non possunt, connumeratur, ac proinde alienari potest sine prædicta S. Congregationis licentia. Syluester *verb. alienatio numero* 7. Quaranta *in Summa Bullar. verb. alienatio num.*25. Bonacina *de alienatio. bonor. Ecclesiast. disputat.*2. *quæstione vnica punct.* 2. *numero* 5. Pecunia autem quæ destinata est ad emptionem stabilium, censuum, vel mobilium pretiosorum, vel quæ est fructifera, seu non otiosa, qualis est pecunia in montibus, vel censibus collocata, vel in banchis campsorum cum vtilitate reposita, inter bona immobilia, seu mobilia pretiosa, quæ seruando seruari possunt, connumeratur, ac per consequens sine dicta licentia alienari non potest. Syluester, Quaranta, & Bonacina relati. [Et Tamburinus *de iure Abbat. tom.*3. *disputatione* 13. *quæst.*1. *num* 4. Bordonus *supra numero* 51. oppositum teneat loquendo præsertim *numero* 52. de pecunia consignata in banco S. Ambrosij Mediolanensis siue à particulari Religioso, siue à Conuentu. Melius loquitur *numero* 55. dum pecuniam quæ peruenit ad Monasterium ex extinctione census alicuius, dicit non posse alienari, sed iterum inuestiri debere: quia annui redditus computantur inter immobilia.] Idem dico de magna quantitate pecuniæ, quæ seruatur in aliquo Monasterio, scilicet, non posse alienari absque assensu Sedis Apostolicæ. Et ita fuit resolutum à Rota Romana in vna Venetiarum vbi fuit quoque dictum hoc procedere licet præfata pecunia esset conuertenda in vtilitatem Ecclesiæ. Barbosa *de offic. & potest. Episcop. alleg.*95. *numero* 43. Similiter idem quoque asserendum de pecunia data pro dote Monialis, maximè cum detur Monasterio vt de fructibus ipsius illa possit sustentari, illa enim non potest expendi nisi in eos vsus pro quibus data est. Bonacina vt supra, *& de Contract. disputatione tertia quæstione octaua punct.*4. *n.*2. 59

An autem Prælatus Monasterij cum ipso possit repudiare, seu non acceptare legatum, vel hæreditatem monasterio relicta, non incurrendo in pœnas dictæ Extrauag. *Ambitiosæ*, aut decreti Sacræ Congregationis? Licet multi satis probabiliter teneant partem negatiuam, vt sunt Molina *de Contract. disputat.*468. *numero* 11. Nihilominus etiam est probabile posse id fieri non incurrendo dictas pœnas. Ratio est, quia in dicta Extrauag. & decreto solum prohibentur alienationes, non acceptatio autem, seu repudiatio rei non incorporatæ, non est alienatio, *L. alienationis ff. de verbor. signif.* quia alienatio est distractio rei iam appropriatæ. Legatum autem, vel hæreditas non sunt appropriata nisi quando sunt acceptata. Riccius *in praxi fori Ecclesiast. decis.*96. *in* 1. *editio, & in* 2. *decis.*82. Quaranta *in Summa Bullar. verb. alienatio num.*43. Barbosa *de offic. & potest. Episcop. alleg.*95. *num.*52. Vbi etiam hunc casum refert inter eos qui iure sunt 60

sunt permissi. Verum quidem est posse Prælatum, imò & ipsum monasterium grauiter peccare non admittendo tale legatum, vel hæreditatem, nisi ex causa valdè rationabili id fieret, Prælatum quidem contra iustitiam, quia ex iustitia tenetur consulere vtilitati proprij monasterij, monasterium autem contra charitatem, vel aliam virtutem prodigè renunciando emolumento, quod ex illa hæreditate, vel legato successoribus euenire posset Bonacina *de contract. disput.* 3. *quæst.* 8. *punct.* 4. *n.* 38. Posset propterea forsan monasterium postea vti priuilegio restitutionis in integrum. Molina, & Bonacina, vt supra, Layman. *in Theologia moral. lib.* 3. *tract.* 4. *cap.* 10. *numero* 7. Dixi autem satis probabile esse incurri dictas pœnas Extrauag. *Ambitiosæ*, & decreti Sacræ Congregationis à Prælato qui repudiaret talem hæreditatem, vel legatum, quia quamuis dominium illius non sit acquisitum monasterio, est tamen illi acquisitum ius ad rem illam habendam, quemadmodum ergo si Prælatus renunciasset iuri cuicumque monasterij incurreret dictas pœnas, sic renunciando huic iuri, & ita in hanc partem magis inclinor, prout etiam faciunt Quaranta vt supra relatus, & Barbosa etiam relatus *numero* 54. cum Naldo, & aliis. [Consequenter etiam videtur Prælatos Regulares posse transigere super re litigiosa, aut quæ sit magni dispendij monasterio. Ratio est, quia res litigiosa non dicitur Religioni incorporata; ac per consequens videtur posse illi cedere, præsertim ad euitandum detrimentum quod ex lite proueniet monasterio. Bordon. *Resol.* 27. *n.* 59.]

61 Notandum non effugere pœnas Extrauagantis, & decreti Sacræ Congregationis eos Regulares, qui res monasteriorum alienant, aut contractum celebrant alienationis, dicentes id facere saluo Sedis Apostolicæ, aut Sacræ Congregationis consensu. Ratio est, tum quia protestatio est contraria facto, tum quia quoties aliquid pertinet ad formam actus debet ipsum actum præcedere, consensus autem Sedis Apostolicæ pertinet ad formam alienationis rerum Ecclesiasticarum. Quaranta *in Summa Bullarium verbo alienatio numero* 8. *&* 9. Peirinis *tom.* 1. *priuileg. Minim. in Constit. IX. Iulij II. numero* 14. Bonacina *de alienat. bonorum Ecclesiast. disputat.* 2. *quæstione vnica punct.* 4. *numero* 5. Si tamen non tradatur possessio rei alienatæ non incurrentur dictæ pœnæ, quia tunc possessio manebit apud monasterium, & ille cui traditur talis res solum habebit ius ad illam, & conditionatum, nempe supposito assensu Sedis Apostolicæ, non absolutum, aut ius in re.

62 Præterea aduertendum quod licet iure communi ad alienationem rerum Ecclesiasticarum requiratur iuris solemnitas, quæ continet quatuor, scilicet, anctoritatem Prælati, tractatum circa alienationem faciendam, consensum Capituli, & subscriptionem singulorum saltem per notarium. Quaranta *in Summ. Bullarum verbo alienatio numero* 4. Peirinis *tom.* 1. *priuileg. Minim. in Constitut. IX. Iulij II. numero* 7. Verumtamen quia plures Religiones priuilegia habent ad faciendum alienationes sine prædicta solemnitate, qualiter Carmelitæ habent à Gregor. XIII. in Bulla *Ex incumbenti* anno 1576 in 2. tom. Bullar. num. 34. facultatem illas faciendi, dummodo sint in commodum, & vtilitatem monasteriorum, & ex consensu duarum ex tribus partibus Frattum, vel Monialium, accedente etiam consensu, vel ratihabitione Generalis: insuper Religiosi Societatis Iesu alium etiam modum solemnitatis habent ab eodem Greg. XIII. illis præscriptum, de quo Molina *de contract. disput.* 468. §. *Quarta conclusio.* Ideo quælibet Religio, iuxta formam priuilegiorum quæ habet post Extrauagantem *Ambitiosæ* à Sede Apostolica impetrata potest facere prædictas alienationes, habita tamen licentia Sedis Apostolicæ, vel Sacræ Congregationis, cum quoad illud reuocata non sint eorum priuilegia, si illa habent. Decretum enim S. Congregationis Concilij, de quo sæpe dictum est, & relatum *tomo primo cap.* 10. *numero* 2. solum reuocare videtur priuilegia Regularium quantum ad hoc quod est facere alienationes sine consensu eiusdem Sacræ Congregationis, non quantum ad alia quæ pertinent ad solemnitatem illarum. [Pro Religionibus autem non habentibus priuilegium ad alienandum cum sola licentia Sedis Apostolicæ, notandum ad talem alienationem requiri quatuor prædicta, scilicet, authoritatem Prælati, tractatum circa alienationem, consensum Capituli, & subscriptionem singulorum, saltem per Notarium. De quibus conditionibus non solum Quaranta, & Peirinis, sed etiam Tamburinus *de Iure Abbat. tom.* 3. *disput.* 13. *quæst.* 4. Maximè nota quod quando alienatio fit interueniente Papæ authoritate tunc neque consensus, neque tractatus requiruntur: quia Papæ authoritas facit inferioris authoritatem cessare. Vnde tunc solemnitates non requiruntur. Tamburinus *supra numero* 9. ex Panormitano, Rebuffo, Riccio, & Rotæ decisione. Quæ maximè dixerim propter Religionem nostram, in qua video in vsu esse vt alienationes solùm fiant de licentia Sedis Apostolicæ omissa omni alia solemnitate. Semper tamen requiritur consensus Prælatorum Superiorum, scilicet, Generalis, vel saltem Prouincialis. Tum ex vsu Religionum. Tum ex aliquibus priuilegiis ipsarum. De quibus idem Tamburinus *supra quæstione octaua.* Similiter etiam requiritur semper ad tales alienationes legitima causa, ita vt ea non subsistente illæ sint inualidæ. Bordon. *in suis Resolutionibus, Resolut.* 27. *numero vigesimoprimo, & sequentibus*, vbi etiam de quatuor aliis conditionibus assignatis, *& numero* 36. an posita licentia Papæ aliæ conditiones sint requisitæ.]

Non præscribitur contra bona Regularia cum sint etiam Ecclesiastica nisi spatio 40. annorum *cap. de quarta de præscription.* & hoc de iure communi. Ex priuilegio autem Eugen. IV. concesso Monachis Congregationis S. Iustinæ Ordinis S. Benedicti maior gratia ipsis, & aliis Religionibus communicationem priuilegiorum cum ipsis, habentibus conceditur per hæc verba, prout ex Bulla ipsius Eugenij in Bull. Rodriguez tomo primo Bulla septima inter Bullas Eugen. *num.* 7. habetur. 63
Insuper cum plerumque contingat in Curia, aut neglectu Prælatorum qui hactenus bona Monasteriorum dictæ Congregat. antequam præfatæ Congregat. vnirentur gubernauit, aut postmodum ex ignorantia, vel alia quauis causa à plerisque ipsorum Monasteriorum bona in præiudicium animarum suarum indebitè detineri, & occupari, præsertim sub colore præscriptionis, aut alias quocumque modo, ex quo non modica iactura cõsueuit præfatis Monasterijs euenire. Nos volentes de remedio opportuno prouidere in fauorem obseruantiæ Regularis, ex certa scientia, motu proprio, ac de plenitudine potestatis Apostolicæ, volumus, statuimus, & decernimus quod contra præfata Congregationis Monasteria, loca, personas, & bona aliqua non currat præscriptio, nisi post lapsum sexaginta

ginta annorum, quod quidem indultum tam in casibus, rebus, & bonis præteritis, quam futuris, potestate, & scientia similibus extendi, & locum habere omnino volumus. Rodriguez *tom.3. quæst.35. art.2.* Portel. *in dub. Regul. verb. præscriptio*, apud quos etiam alia priuilegia habentur quæ non refero, quia mihi non constat an sint, vel non sint viuæ vocis oraculo concessa, & per cõsequens his temporibus inualida.

64 In fine huius capitis apponenda videtur resolutio cuiusdam dubij mihi propositi. Casus fuit quod quidam in suo testamento legauit cuidam Monasterio Regularium quoddam officium temporale, quod habebat in Ciuitate & erat vendibile. Cũ autem Monasterium vellet illud obtinere, prohibitum est à Magistratu Ciuitatis ne caperet illius possessionem, nisi cum onere illud vendendi. Quærebatur ergo an ad talem venditionem requisitus esset consensus Sedis Apostolicæ. Et respondi sic.

RESPONSIO.

65 RESpondeo negatiuè. Ratio est; quia talis alienatio non est voluntaria sed potius necessaria & coacta; alienatio autem à Sede Apostolica prohibita Ecclesiasticis sine consensu ipsius, solum est alienatio voluntaria, non necessaria. *l.1. ff. de fund. dot. l. alienationis ff. famil. hercis. l. Diuus ff. de pet en. hæred.* Quaranta infra referendus, Bordonus *resol. 27. n.3. & 7. & controu. 26. n.10.* Megala ab ipso relatus & Pelizarius *to.2. man. tract. 6. c.8. n.27. & 50.* Tum etiam quia coactus vendere ad soluenda debita annexa rei quæ peruenit ad Ecclesiam non tenetur expectare consensum Sedis Apostolicæ, Redoanus *q.51. c.8. n.18.* quem citat & sequitur Quaranta *in summ. Bullar. verb. Alienatio n.36.* Pelizar. *sup. n.50.* Ergo neque coactus à Principe vendere aliquod stabile illi nouiter adquisitum tenetur expectare eundem consensum. Tum præterea, quia si Testator reliquisset illud officium d. Monasterio hac adiecta conditione, vt illud deberet vendere, sine dubio id facere debebat. *arg. l.1. & 3. quando decret. opus non est*, Barbosa *de offic. & potest. Episc. allegat. 95. n.61.* post Quarantam & Hugolinum, Thesaurus *in prax. p.2. verb. alienatio cap.1. §. tertius casus.* Ergo etiam in præsenti, siquidem voluntas

66 Principis non videtur minoris authoritatis quàm voluntas Testatoris. Tum quoque quia bona grauata per fidei commissum alienari possunt, inconsulta S. Congregatione, aut Sede Apostolica, prout dixi *supra n.58.* cum Quaranta & Barbosa, ac sequitur Pelizarius *supra n.57.* Ergo etiam in præsenti.

Credo tamen conuerti debere pretium illius officij venditi in aliud bonum stabile, vtile monasterio. Quia regula illa generalis, subrogatum sapit naturam eius in cuius locum subrogatur ex *l. si eum §. qui iniuriarum ff. si quis caut.* vbi Bartol Bald. Angel. & alij. Optimè quadrat ad intentum, cum pretium talis officij, seu pecunia, in qua venditur subrogetur ipsi officio. Accedit etiam quod iuxta veram sententiam pecunia recepta ex redemptione census Ecclesiæ computatur inter bona immobilia ipsius; itaut absque solemnitate non possit alienari, sed commutari in bona stabilia; prout tradunt Syluester *verb. Alienatio n.7.* Quaranta *supra n.25.* 67
Redoanus *de reb. Eccles. non alien. q.16. n.13.* Vasqu. *opusc. de red. Eccles. cap. §.2. dub.13. n.45.* Bonacina *de alienat. bonor. Eccles. disp.2. q. vnic. punct.2. n.6.* Tertio de pecunia, Peyrinis *de priuil. minor. de Const.9. Iul. II. n.11.* Riccius *in prax. p.1. resol.58. n.2.* Rota *in vna Veneta nullitatis cõtractus 13. Nouemb. 1602. coram Pamphilio*, quos affert & sequitur Pasqualigus *in qq. moral. cent.2. q.173. n.6.* Est autem eadem ratio in præsenti de pecunia in qua venditum est tale officium: vbi autem est eadem ratio, eadem debet esse iuris dispositio. *l. illud ff. ad l. Aquil. l. si postulauerit §.2. ff. ad l. Iul. de adul.* & aliis iuribus & DD. Itaut vbi est eadem ratio, dicatur adesse eadem lex non solum extensiue sed comprehensiue, prout ex iuribus & Doctoribus probat Barbosa *in axiom. Iuris, axiom. 197. n.7.*

Et ratio generalis est, quia res vendita repræsen- 68
tatur in illa pecunia in qua est vendita, *l. quia qui pretio ff. de vsufruct. & quemadm. quis vtat. fruat.* Pecunia namque substituitur pro re cum qua fit commutatio, & ideo quamuis de se mobilis sit, induit tamen conditionem rei inalienabilis, tanquam si immobilis esset, quia succedit loco illius. *arg. ex l. Ita constante ff. de iur. dot.* & per ea quæ notant DD. *in l. fin. eiusdem tituli, & in cap.1. caus.12. q.3.* Vnde si fundus legatus post mortem testatoris euincatur dato pretio, hoc pretium tanquam subrogatum in locum fundi debetur legatario, *l. qui solidum §.1. ff. de legat.2.*

Quod & corroboratur ex eo quod actus & res 69
quælibet ex suo principio iudicatur, *l. Pomponius ff. de negot. gest. & l. si procuratorem ff. mandati, & l. nam origo ff. quod vi aut clam.* Est enim principium de substantia principiati, & fundamendum illius, vt notant Oldrad. *cons.200.* Tuschus *litt. P. concl.702. n.1.* Cum ergo principium talis pecuniæ in qua officium hoc fuit venditum sit ipsum officium debemus ipsa iudicare sicut de illo, ac per consequens erit tam inalienabilis sine debita solemnitate, sicut & ipsum officium.

Laus Deo, Beatissimæque Virgini Mariæ de Monte Carmelo.

INDEX



INDEX RERVM MAGIS NOTABILIVM,

Quæ in Prima & Secunda Parte huius Summæ continentur.

Prior numerus Paginam; posterior Numerum marginalem designat.

Contemptus

INDEX.

N

P

Non

Simonia

T

Translatus

V

pag.189.

FINIS.

R. P. M. IO. BAPTISTÆ DE LEZANA, HISP. MATRITENSIS,

SOCII GENERALIS CARMELITARVM,

S. Congr. Indicis Consultoris, ac in Sapientia Romana Publici Lectoris,

SVMMA QVÆSTIONVM Regularium, quatuor partibus distincta,

IN QVA AGITVR DE CASIBVS CONSCIENTIÆ ad personas Religiosas vtriusque sexus valde spectantibus, iuxta noua Decreta, Constitutiones & Declarationes Sum. Pontificum & Sacr. Congreg. ipsorumque Regularium Priuilegia. Ex tota fermè Theologia Morali, quatenus ad ipsosmet Regulares spectat.

Opus, Prælatis Regularibus illorumque subditis, nec-non & omnibus dictæ Theologiæ Moralis Professoribus apprime vtile, ac necessarium.

VOLVMEN SECVNDVM CONTINENS III. & IV. PARTEM.

Editio nouissima ingenti rerum valde notabilium augmento ab ipsomet Auctore locupletata, In qua RESOLVTIO CIRCA VALIDITATEM CVIVSDAM CAPIT[illegible] ET [illegible]TIONVM IN IPSO FACTARVM in fine quartæ partis addita est.



LVGDVNI,

Sumpt. PHILIPPI BORDE, LAVR. ARNAVD, & CLAVD. RIGAVD.

M. DC. LV.

CVM SVPERIORVM PERMISSV.

Aplicase a la Libreria de este Conv.to de San Diego de Sevilla

Fr. Isidro de S.n Buenaventura



Eminentissimo, & Reuerend. D. D.
CARDINALI
LVDOVISIO
MAIORI POENITENTIARIO,


Patrono obseruandissimo vtramque fœlicitatem exoptat

Frater IOANNES-BAPTISTA DE LEZANA, Carmelita cliens.

HVIVS operis frons, PRINCEPS EMINENTISSIME, *tui nominis radiis redimita comparet sub auspiciis auctoritatis præcelsæ, qua polles, in lucem iterum proditura. Hi duo mentis fœtus tuæ benignitatis auram humiles ambiunt, patrocinium quærunt, & sub tui vmbra refugium singulare sibi pollicentur. Meæ gratitudinis affectus alas præbent, vt volent; & tuæ clementiæ effectus auram, vt ocyus ascendant: parce amanti, superbienti parce, veniam namque meretur condonantis, ambitio diligentis: eo vel maxime, quod exigua hæc munuscula, & si pro tui animi modestia placere non soleant, à me tamen oblata iure sunt debita; cum sint grati clientis pignora, gratitudinis signa, seruitutisque tributa, non onerosa, sed honorifica. Naturæ sanè partuum erga suas causas æmulantur submißionem. Nam radij, quos lucis pater per aera largiter in Ortu diffundit, in Occasu ad solem met celeriter redeunt, vt quilibet suo Principi, pro debitis satisfaciat: flores etiam, quos planta virescens luxuriosè protulit, antequam in fructus erumpant, ad matris pedem spontaneè se sternunt, in seruitutis obsequium, & gratitudinis debitum: fontes quoque naturæ ductu ad mare, vt ad centrum, alacriter currunt, thori obliti sui, floresque quos rigant, fugiunt, & læti mari offerunt latices, quos per occultas terræ venas ab illo beneuolè receperunt & si hæc non subsisterent, sed mei affectus mera hæc oblatio esset, quid mirum, quòd morum regulæ, Regularium instructiones ad animarum directionem à me elaboratæ, vmbram tan-*

ti Principis, in moralibus, Regularibus, & spiritualibus negotiis versatissimi, quærant? Rem expertus loquor. Cum enim tua comitate aditum præbente, non semel dignatus sim tanti Principis præsentia frui, nihil in te oculis perspexi, auribus hausi, aut mente concipere potui, quod pietatem, deuotionem, charitatem & tibi pro munere Pastoralis solicitudinis commissarum animarum zelum non redoleret. Redeat igitur lux ad solem, flos ad matrem, & fons ad scaturiginem, dum Opuscula hæc tui sub tuitione reponenda cogitaui. Flores sunt in Carmeli Montis aruis adinuenti, ad tuarum virtutum coronam adaugendam, & ab ea vicissim condecorandi. De Tibi à Deo concessis charismatibus non pauca, nec exigua, absque vlla assentatoris vmbra, loqui fas esset; sed rem tibi ingratam autumo, & vix vlli incompertam ac idcirco silentis meditationi linquendam. Dum vnum dumtaxat mihi sinatur: quod videlicet, si Pythagoricum illud de animarum transmigratione commentum, ab Ecclesia explosum, à Philosophia etiam rectâ eliminatum, vtcumque subsisteret, B. Nicolai Albergati Cardinalis Legati, Maioris Pœnitentiarij, Bononiensisque Archiepiscopi, anima sancta tibi concessa dici posset. Nomen enim Nicolai; cognomen clarissimæ familiæ. Albergatorum inter Italiæ Proceres splendidissimæ; Purpuræ ornamentum; Bononiensis Infula; Legati à latere suprema dignitas; ac Maioris Pœnitentiarij munus in vtroque non tam communia, quàm eadem cernuntur. Proinde si nomina sunt omina *rerum; vel à* noscendo *dicta, vt Magnus Augustinus*, lib. de Magistr. *dixit, &* nomen *quasi* notamen, *vt idem asseruit* in Genes. ad litter. *vt propterea pueris pulchra nomina imponenda senserit Plato* de sap. *&* ex his quæ confinia sunt, & similem habent speciem colligere oportet, *vt Chrysippus dixit; cum, Plut.* de amic. *teste*, non est natura comparatum, vt quilibet homo cuique conueniat, nec fortuna sinit eadem quibusuis esse paria, *dubio procul, & Dei sapientissimo nutu, quo nihil casu euenit, similitudo hæc originem traxit. Beati ergo Nicolai Albergati immortalium splendorum, quibus magnitudinis metas transcendens ad Beatitatis fastigium fœliciter ascendit, locuples hæres sis; duplicem ipsius spiritum, Elisei instar possidens: ac in consiliis prudentiam, in negotiis dexteritatem, in sustinenda Sedis Apostolicæ authoritate zelum, & in supremo Pœnitentiariæ munere doctrinam cum sanctimonia, pietatem cum mensura, & sine mensura charitatem, imitere: sic enim fas mihi sit augurari. Et vt à diuerticulo ad me redeam; si gratia, & natura suis adinuicem dotibus tam largiter te condecorarunt, fac me tuæ humanitatis consortem, vt opus hoc sit, te approbante gratum, te gratificante dilectum, te diligente ab omnibus obseruatum; ad Dei gloriam, tui laudem, mei gaudium, & totius Ecclesiæ commodum, & emolumentum. Viue, & Vale, Mæcenas optime.*

APPROBA



APPROBATIO.

Dditiones has Tertio, & Quarto Tomo inserendas, quas ex commissione Paternitatis vestræ Reuerendissimæ perlustraui, nihil in se continere quod orthodoxam fidem, aut bonos mores offendat offendi, prælo propterea dandas omnino censeo, non tam ad Auctori suo, viro magni iam nominis, spectatæ vitæ, & clarissimæ doctrinæ, famam addendam, quàm ad Regularium casus, & causas, quæ in dies occurrunt, expeditius, & vtilius discutiendas, ac resoluendas. Hor. fide, &c. Romæ in Carmelo Sanctæ Mariæ Transpontinæ, die nona Martij 1655.

Fr. HIERONYMVS ARI ex-Procurator Generalis Ord. Carmelitar. & Sancti Officij in Vrbe Qualificator.

Facultas R. P. M. Generalis.

Nos Fr. MARIVS VENTVRINVS Magister Generalis Ordinis Carmelitarum Antiquæ Obseruantiæ Regularis.

VT Additiones ad Tertium, & Quartum Tomum Summæ Quæstionum Regularium Adm. R. P. Illustrissimi Fr. IOANNIS BAPTISTÆ DE LEZANA Prouincialis Terræ Sanctæ, ab eodem compositæ, & à Magistris Theologis nostri Ordinis, quibus id commisimus, perlectæ, & approbatæ, typis mandari possint; Tenore præsentium, nostrique officij auctoritate, quantum ad nos spectat, licentiam concedimus, & elargimur. In fidem,&c. dat. Romæ die 10. Aprilis 1655.

Fr. MARIVS VENTVRINVS Generalis Carmelitarum.


Fr. GAVINVS CATTAYNA Prior Transp. & Secretarius.

Imprimatur, si videbitur Reuerendissimo P. Mag. Sac. Pal. Apost.

MARCELLVS ANANIÆ Episcopus Sutrinus & Nepesinus *Vicesg.*

Imprimatur.

Fr. DOMINICVS MANETTVS Mag. & Reuerendissimi P. Magistri S. A. P. Socius Ord. Prædic.



APPROBATIONES.

Reuerendi admodum Patris Magistri Io. Bapt. de Lezana, Carmelitarum splendoris, Quæstionum Regularium Summa ita Regulis Sacrorum Canonum conformis est, profunda discussu, vtilis & necessaria publico, vt in omnes Christianas Regiones debeat vulgari. Quare quæ in aliis nationibus pluries iam fuit excusa, denuò excudendam apud Nostrates iudicamus, vt Tanti viri Doctrina & Pietas ab omnibus videatur, qui pro sua summa humilitate, in sui Ordinis Generalatu, imò nec in sibi oblatis ditioribus Hispaniæ Archiepiscopatibus videri recusauit. Ita testamur nos infrascripti S. Facult. Parisiensis Doctores Theologi, Lugduni sexto Idus Oct. 1655.

F. Pavlvs Lombard, Prouincialis Carmelitarum Prouinciæ Narbonæ.

F. Cyrillvs Morel eiusdem ordinis Prior Lugduni.

LICENTIA ORDINARII.

Visa Doctorum Religiosorum approbatione, Summæ Quæstionum Regularium à Reuerendo Patre Magistro Io. Bapt. de Lezana conscriptæ editioni lubenter annuimus. Datum Lugduni die 18. Octobris 1655.

DE NEVFVILLE Abbas Sancti Iusti, Vic. Generalis.

CONSENSVS.

Hvnc librum, qui inscribitur, R. P. M. Io. Bapt. De Lezana, *Summa Quæstionum Regularium*, typis mandari, & in lucem edi in vrbe, sumptibus Philippi Borde, Lavrentii Arnavd, & Clavdij Rigavd, Bibliopolarum Lugdunensium, Ego Regis in Præfectura Lugdunensi Procurator non impedio, die 23. Octobr. 1655.

VIDAVD.

PERMISSIO.

Viso Procuratoris Regis consensu hunc librum typis mandari supradictis Lugdunensibus Bibliopolis concedimus, & ne quis citra facultatem denuò excudat, prohibemus. Lugduni die 23. Octobr. 1655.

DVSAVZEY.

INDEX



INDEX MATERIARVM,

De quibus Tertia, & Quarta Parte huius Summæ ſaltem remiſſiuè agitur.

Indulgen

SVMMA



SVMMA QVÆSTIONVM REGVLARIVM,


SEV DE CASIBVS CONSCIENTIÆ AD REGVLARES Vtriusque sexus spectantibus.

TOMVS SECVNDVS.

ABBAS.

SVMMARIVM.

Abbatis nomen quid importet. n. 1.
Abbates multiplici differentia sunt. n. 2.
Abbatis nomen dignitatem importat. n. 3.
Abbates Regulares sunt verè Prælati. n. 4.
An nomine Ordinarij Abbates comprehendantur. numero 5.
An in Iubilæis, seu Bullis nomine Ordinarij Abbates veniant. ibid.
Nomine Monachi in fauorabilibus venit Abbas, secus in odiosis n. 6.
An etiam nomine Monialis veniat Abbatissa. ibid.
De Abbatibus prouidendis in Consistorio formandus est processus. num. 7.
Sic prouisi debent habere litteras Apostolicas. n. 8.
Quinam dicantur Abbates benedicti, & qui non benedicti num. 9.
Qualiter teneantur Abbates, & alij Prælati Regulares ad residendum in suis Ecclesiis. n. 10.
Quas pœnas incurrant non residentes. n. 11.
An Abbates vtantur Pontificalibus insignijs. numero 12
Quæ sint talia insignia, ibid.
An aliqui vti possint habitu Prælatorum sæcularium. numero 13.
In quibus locis permittitur vsus Pontificalium. numero 14.
Altare, & mensa quomodo paranda pro Abbate celebraturo. num. 15.
Qui Abbates vocandi ad concilia. n. 16.
Idem de Generalibus Mendicantium. ibid.
Ad Synodos Diœcesanas, qui Abbates, aut Prælati Regulares cogendi. n. 17.
An possint deponi ab officijs, aut ipsis renunciare, & quomodo. num. 18.
An, & quomodo possint fieri permutationes Prælatiarum, num. 19.
An fieri possint renunciationes in alterius gratiam. ibidem.
Abbatum cadauera, quibus ceremoniis sepelienda numero 20.
Alia de Abbatibus remissiuè n. 21.



ABBAS idem est, quod Pater vt notant S. Hieron. *in c.* 4. *epist. ad Galat.* August. *Epist.* 177. & *sup. Psal.* 78. D. Thom. *in epist. ad Galat. c.* 4. *lect.* 4. Lyran. *ibid.* & alij. Vnde aliquoties coniunguntur, vt Marc. 14. *vers.* 36. ibi: *Abba pater omnia tibi possibilia sunt*, & ad Rom. 8. *vers.* 15. ibi *In quo clamamus Abba pater*, & ad Galat. 4. *versic.* 6. ibi *Clamantem Abba pater.* 1

2 Abbates propriè dicti alij sæculares, alij Regulares, sæculares illi qui non sunt alicui Regulæ religiosæ astricti, Regulares verò ij qui tali Regulæ sunt addicti, de quibus maximè in præsenti, cum Summa hæc præsertim sit de Regularibus. Nihilominus pro plena ipsorum intelligentia de vtrisque agēdum est. Abbates ergo sæculares sunt in quadruplici differentia, alij qui non solum iurisdictionem habent in subditos, sed etiam Pontificalia gestant quasi Episcopi, alij qui etsi Abbatialem dignitatem teneant, non tamen Pontificalibus insigniis vtuntur; alij qui in quibusdam Cathedralibus Ecclesiis in choro, & comitiis aliis præsunt, & alij vocati commendatarij, qui solum habent Abbatias in commendam, non in titulum. Abbates etiam Regulares sunt in duplici differentia, alij enim sunt reales, alij titulares, reales sunt illi qui habent subditos Regulares, quibus præsunt, quales sunt Abbates Religionum S. Basilij, Sancti Benedicti, &c. titulares verò sunt ij, qui actu subditos Regulares non habent, vel quia fortassis Monachi locum reliquerunt, vel quia Monasterium est alio translatum, vel alicui sæculari clerico in commendam traditum. Siluester, & Angelus *verbo Prælatus.* Tamburinus *de iure Abbatum tom.* 1. *disp.* 3. *quæsit.* 1. In præsenti ergo vt dixi de Abbatibus Regularibus sermo erit.

3 Abbatis nomen dignitatem importat, quia vt dixi *tom.* 1. *p.* 2. *summæ cap.* 13. *n.* 2. dignitas propriè *est administratio cum iurisdictione*, quod totum competit Abbati, habet enim iurisdictionem in subditos tam

internam, quàm externam, & administrat bona spectantia ad Abbatiam. Glossa *in caput.tuam de ætat.& qualit.* Glossa *in capit. exposuisti de corpor. vitiat.* Extenditur hoc ad Abbates temporales, qui ad tempus solum, v. g. biennij, vel triennij eliguntur. Etsi enim istorum munus beneficium Ecclesiasticum propriè & simpliciter non sit, ob defectum perpetuitatis. *capit. de multa præbend.* & in *capit. 1. de consuetud. in 6.* & in Extrauag. *Execrabilis de præbend.* nihil tamen illis deest ad dignitatis essentiam, quæ solum consistit in iurisdictione cum administratione. Vnde Vicarij Episcoporum etiam si ammouibiles sint dicuntur habere dignitatem. Sanchez *lib.6. in Decalog. cap.13. num.78.* Tamburinus *de Iure Abbatum tom. 1. disp.1. quæsit 2. num* 8. post alios.

4 Abbates Regulares sunt verè Prælati, & appellatione Prælatorum in sacris canonibus veniunt. Ita enim colligitur ex *cap. decernimus de iudiciis*,& *cap. præsenti de Offic.ordin. in 6.* & *cap. vt Apostolicæ de priuilegiis etiam in 6.* & *cap. quia nos 32. de appell.* & *cap.1. de ætat.& qualit.* & ratio est, quia in Monasteriis præsunt aliis, & habent iurisdictionem in illos etiam ordinariam, quod est de ratione Prælati, Azor. *tom.1. instit. moral lib. 12. cap.29. & tom.2. lib.3.cap.25.quæst.1* Suarez *de Relig. tom.4. tract.8. lib.2. cap.2 num.2.* & alij passim. Omnia ergo, quæ *tomo primo par. 1. Summæ capit. 18.* de Prælatis dixi, & *tom.2.p. 2.* Deo dante dicentur, Abbatibus applicari possunt respectiuè.

5 Quamuis nomine Ordinarij Abbates comprehendi possint, cum habeant iurisdictionem ordinariam, id est ex vi sui officij, iuxta dicta *tom.1. capit. 2. numero* 41. (Panormitanus *capitulo, vt famæ numero 6. de senten. excommunicat.* Nauar. *consil.9. de priuileg.*) ita vt cum in aliquo Iuris decreto aliquid Ordinariis committitur, vel de Ordinariis mentio fit nisi subiecta materia aliud exposcat, non ad Episcopos tantum, sed etiam ad Abbates & alios Prælatos Iurisdictionem Ordinariam habentes id extendatur. (Syluester *verbo excommunicatio 9. casu 47 .num.92.* Nauarrus *lib. 4. consil. in 2. edit. tit. de sponsal. consil. 5. num. 2.* Sanchez *de matrimon. lib.3. disp.19. num.2.*) Nihilominus iuxta dicta *tom. 1. summ. capitulo 9. numero* 19. nomine Ordinarij cum in Iubilæis, seu Bullis dicitur, quod aliquis confessor sit approbatus ab Ordinario, intelligi debet respectu sæcularium Ordinarius loci, seu Diœcesis, vel Episcopus, propter declarationem Sacræ Congregationis illic adductam. Respectu verò Regularium intelligi potest Abbas, vel Superior illorum, vt ibi dictum est, nisi fortè exprimatur *Ordinarius loci*, vel *locorum*, quia tunc non poterit interpretari Abbas, aut Prælatus Regularis, vt ibi etiam dixi. Illi autem Abbates, qui sunt locorum Ordinarij, non solum intelligi tunc possent, sed etiam ad illos spectabit facere omnia, quæ alij Ordinarij faciunt, quantum ad potestatem iuriusdictionis, ac proinde etiam poterunt Synodum congregare sicuti faciunt Episcopi, cum etiam hoc spectet ad potestatem iurisdictionis, & non ordinis. Tamburinus *de Iure Abbatum tom. 1.disp.24. quæsit.7.*

6 Nomine Monachi in fauorabilibus etiam venit Abbas, secus in odiosis. Ratio primæ partis est, quia Monachus per assumptionem ad Abbatiam non desinit esse Monachus, vt patet *de Simon. capitulo vltimo* & *capit. ex ore de priuileg.* sicut Rector per rectoratum scholarium non desinit esse scholaris. Ergo in fauorabilibus comprehenditur nomine Monachi. Ratio secundæ partis est, quia Monachus per assumptionem ad Abbatiam habet qualitatem Superioris, & Prælati super alios Monachos, ergo in odiosis non comprehenditur nomine Monachi, per text. in simili *in capitulo statutum* iuncto *capitulo licet. canon.de elect.in 6.* vbi habetur, quod appellatione Ecclesiæ parochialis in materia odiosa non venit Ecclesia parochialis collegiata, quia licet sit etiam parochialis, habet tamen illam qualitatem collegij. Nauarrus *lib.3. consil. tit.de Regular. consil. 75 dub. 15.* Portellus *in dub. Regular. verbo Abbas numero 4.* Naldus *in Summa verb. Abbas numero 1.* Benè animaduertens hanc doctrinam vtilem esse ad quæstionem in praxi frequentem, an scilicet excommunicatio lata in Monachos aliquid facientes afficiat etiam Abbatem contrauenientem. Respondendum est negatiuè cum Nauarro *consil. 75. dub. 15. de Regularib. in 1. editio.* nisi ex verbis constet intentionem Superioris eam ferentis fuisse etiam comprehendere Abbatem. Hinc etiam aliqui volunt loquentem cum Abbatissis Monialium non incidere in censuram latam contra loquentes cum Monialibus, quia sicut nomine Monachi in odiosis non venit Abbas, sic nec nomine Monialis veniet Abbatissa. Tamburinus *de Iure Abbatissarum disput.25. quæsi. 8. num.5.* Quod limita, iuxta dicta, nisi ex verbis imponentis censuram oppositum constet.

De Abbatibus, seu Prælatis Regularibus prouidendis in consistorio facienda est inquisitio, & formandus processus, prout præcipit Gregorius XIV. per Bullam *Onus Apostolicæ* anno 1590. editam apud Quarantam *in summ. Bullar. verbo electio.* Forma verò faciendi processus, & inquisitionem traditur à SS. D. Nostro Vrbano VIII. apud Tamburinum *de Iure Abbatum tomo primo, disputatio. 8. quæsit.2.* 7

Sic prouisi in Curia antequam accipiant possessionem Abbatiæ, vel Monasterij debent habere à Papa literas Apostolicas, alias possessio non est valida. Ratio est, quia esto iure communi sufficeret *fiat*, vel *placet* Summi Pontificis, itaut post hanc nominationem sint verè Abbates, & Prælati quoad potestatem iurisdictionis, vsu tamen curiæ ex regula 25. Cancellariæ, & decretis Summorum Pontificum Bonifacij VIII. Iulij II. Pauli III. Iulij III. & Pij IV. id est necessarium. Quaranta *verb. Beneficiorum possessio.* Tamburinus *de Iure Abbatum tom.1. disput.9.quæsi.1.* 8

Abbates alij benedicti, alij non benedicti. De quibus, præter dicta *tom.2.summæ capit.2.numero 36.* addenda aliqua hic sunt. Primò, quod etsi appellari possint consecrati, nihilominus proprius, & rigorosius dicendos esse benedictos quam consecratos. Consecratio enim propriè dicta est Sacra Chrismatis vnctio, benedictio autem est sacramentale quoddam quo à Deo fælicia postulantur. Abbates autem isti benedicti non chrismate, sed quadam precatione ab Ecclesia instituta fiunt, vt videre est in Pontifical. Roman. Clement. VIII. Azor. *tomo 1 institut. moral. libro 12. cap. 20. quæst. 2.* Deinde hanc benedictionem non esse essentialiter requisitam pro Abbatibus, non solum quia constat Abbates non perpetuos non benedici, & tamen gaudent omnibus priuilegiis aliorum, sed etiam quia *capitul. 1. de supplend. negligen. Prælator.* Abbatibus non benedictis conceditur facultas faciendi ea, quæ spectant ad eorum officium. Tamburinus *de Iure Abbat. to.1. disp. 11. quæsit.* 9

Tenentur Abbates, & alij Prælati Regulares ad residendum in suis Ecclesiis, & Monasteriis, iuxta dicta 10

tom.1.

*tom.*1. *cap.*18. *num.* 12. ex Concil. Trident. *seß.*6. *capit.*1. *&* 2. *& seß.*23. *cap.*1. & iure antiquo ex *cap. ad hæc, & cap. extirpandæ* §. *qui verò de præbend. capit. quia nonnulli de Cleric. non resident.* & *cap. licet de elect. in* 6. Quod intelligendum est respectiuè, ita vt Generalis in locis totius sui Generalatus, Prouincialis in locis Prouinciæ, & Abbas, seu Prior conuentualis in suo conuentu residere debeant. Quia tamen ex Concil Trident. *dicta seß.* 23. *capit.* 1. permittitur Prælatorum absentia, intra duos, vel tres menses in anno, dummodo id fiat æqua causa, & absque vllo gregis detrimento, ideo intra hoc spatium, & cum prædictis conditionibus permitti posse videtur stando in iure communi Prælatis Regularibus absentia à locis suæ residentiæ. Vltra hoc verò tempus, non nisi de licentia Papæ, nisi forsan in casu raro, & magna ex causa. Azor. *tom.*2. *instit. moral. lib.*7. *quæst.*9. Tamburinus *de Iure Abbatum tom.*1. *disp.*14. *quæsit.*1. *num.*9. *& quæsit.*3. Vbi alia ad intentum.

11 Esto autem Episcopi, Abbates, & alij Prælati etiam Episcopo inferiores non residentes incurrant in pœnas designatas à Concilio loco relato, & à Pio IV. in Bulla *In suprema*, & in alia, *De salute gregis*, de quo Quaranta *verbo Residentia.* Abbates tamen, & Prælati Regulares quamuis peccent mortaliter non residentes ob transgressionem præcepti diuini de residentia in materia graui, non incurrunt tales pœnas, nisi habeant curam personarum sæcularium, sed relinquũtur puniendi iuxta statuta Religionum. Sic enim, vt credo, vsus obtinuit, & pro eo extat declaratio Sacræ Congregationis apud Lessium *de Iustit. lib.* 2. *capit.* 34. *dub.*29. *numer.*161. & Tamburinum *de Iure Abbat. tomo* 1. *disputat.*14. *quæsit.* 7. Qualiter etiam Abbates Abbatiæ carentis cura, & conuentu non sint cogendi residere, ex declaratione Sacr. Congregat. dixi *tomo* 2. *cap.*2. *num.*45. quod idem dicendum de Prouincialibus titularibus tam in nostra, quàm in aliis Religionibus, & de Abbatibus, seu Prioribus etiam titularibus, si qui fuerint.

12 Possunt aliqui Abbates Regulares vti Pontificalibus insigniis, iuxta dicta *tomo* 2. *capit.*2. *numero* 39. *&* 40. Sunt autem huiusmodi Pontificalia insignia *Mitra, Baculus pastoralis, Annulus, Sandalia, Tunicella, Dalmatica, Chirothecæ, & Crux pectoralis*, vt habet Isidorus Moscon. *in Tract. de magnitud. militant. Eccles. part.* 1. *libro primo, capitulo* 8. *vers. ornamenta. Mitra* significat Spineam Christi coronam, vel secundum quosdam, propter duo cornua, quæ habet, vtrumque testamentum, cuius scientiam debet habere Prælatus. *Baculus Pastoralis* denotat potestatem Sacerdotalem in subditos. *Annulus* signum est matrimonij spiritualis Prælati cum sua Ecclesia. *Sandalia* præparationem ad ambulandum pro prædicando Euangelio significare videntur. *Tunicella* perseuerantiam in bene operando, vel animæ virtutes designat. *Dalmatica* ob extensas manicas, quas habet, liberalitatem *Chirotheca* exempla Sanctorum, quæ in manibus, idest operibus demonstrati debent, adumbrant. *Crux* vero *pectoralis* Christi passionem indicat. De quibus Guilelmus Durandus *in Ration. diuin. offic. lib.*3. *à cap.*13.

13 Aliqui etiam Abbates quorumdam Ordinum Monachorum, vt puta Generales Celestinorum, deferunt ex priuilegiis Summorum Pontificum habitum Prælatorum, videlicet Mozzetam, Mantelletum, Birretum Clericalem, & pileum, ita respondente Sacra Rituum Congregat. die 17. Iunij anno 1606. & Paulo Quinto in Bulla *Ex iniuncto nobis* eodem anno data. Quidam apud Tamburinum *de Iure Abbatum tom.*1. *disp.*20. *quæsit.*2. *num.*2.3. *&* 11. Alij autem Prælati Regulares etiam supremi non priuilegiati à Sede Apostolica, non ita. Michaël Leo Estensis *specul. Sacror. Rituum verb. Abbatis vestes, & insignia.*

Abbati in Ecclesiis, & beneficiis suæ Abbatiæ vnitis permittitur vsus Pontificalium, iuxta dicta de benedictione *tom.*2. *cap.*2. *n.*36. Similiter in aliis Ecclesiis, quæ illi pleno iure subditæ non sunt, si adsit priuilegium, prout aliquibus concessum refertur. Nequaquam verò in Ecclesiis extraneis, nisi de licentia Ordinarij. Ex declaratione Sacræ Congregationis Rituum apud Barbosam *in compend. Bullarij verbo Abbas.* Qui aliam fermè similem refert ibidem verbo *Priuilegium.* Similiter deferre mitram, & insignia Pontificalia non licet Abbatibus præterquam in locis suæ iurisdictionis, nisi adsit priuilegium de hac re. Tamburinus *de Iure Abbatum tom.* 1. *disput.* 21. *quæsit.*3. 14

Altare & mensa ita paranda est pro Abbate, & Priore habente vsum Mitræ, & Baculi, quando solemniter celebrat, vt scilicet in eo tantum sex candelabra, cum totidem candelis, & sua Cruce collocentur, nec abacus alius, præterquam parua mensa in cornu Epistolę, super qua duo possint locari candelabra, Mitra qua vtetur, Calix, Missale, Thuribulum, cum Nauicula, & alia necessaria pro actu celebrationis. Sic enim declarauit Sacra Rituum Congregatio, testantibus Barbosa *in Collectan. Bullar. verb. Altare*, & Ioanne Maria Nouario *in Lucern. Regul. verb. Altare numero primo.* Pro his autem, & aliis similibus ceremoniis obseruandis ab Abbatibus dum solemniter celebrant, vide decretum eiusdem Sacræ Congregat. apud eundem Barbosam *de offic. & potest. Episcopi Allegat.* 80. *num.* 18. & pro vsu baldachini, vide infra verb. *Baldachinum.* An verò possint indui in Altari, vide dicenda infra verbo *Altare num.*17. 15

Abbates etiam Regulares saltem ex consuetudine vocari debent ad Concilia Generalia Ecclesiæ, illi præsertim, qui iurisdictionem Episcopalem, seu quasi Episcopalem habent. Ita enim Ecclesiæ vsus obtinuit etiam antiquitus à septima Synodo generali, & infra. Vnde in Conciliis Lateranensibus, Flor. Trident. reperiuntur. Iacobatius *de Concil. lib.* 2. *art.* 2. Azor. *tom.* 2. *institut. moral. lib.* 5. *cap.* 11. *quæst. vlt.* Habentque votum decisiuum sicut Episcopi, ex *cap. conuenientibus* 1. *quæst.*7. & *cap. Adrianus el* 2. *dist.*63. Panormitan. *in quæst.* 1. *quæ incipit Episcopus, & quidam Rector.* Idem dicendum de Generalibus Religionum Mendicantium, propter eamdem rationem, & Ecclesiæ vsum, Iacobatius *suprà*, Bellarminus *de Concil. & Eccles. lib.* 1. *cap.*15. *vers. ad Catholicorum.* Sedent autem post Episcopos, & ante Episcoporum absentium procuratores. Flauius Cherub. *in comp. Bullar. tom.*2. *in Constit.*24. *Pij IV* Franciscus Leo *in Thesaur. For. Ecclesiast. part.* 1. *cap.*9. *num.* 5. 16

Ad Synodos autem Diœcesanas accedere compelli non possunt Abbates, aut alij Prælati Regulares, nisi curam animarum in Ecclesiis teneant, iuxta dicta *tom.*1. *cap.*11. *num.* 20. Concilium enim Tridentin. *seß.* 24. *capite* 2. vbi de hac re agit, solum obligat ad hoc illos, qui Capitulis generalibus non subduntur, hi autem Prælati subduntur Capitulis generalibus, vt de se constat. Præterea accedere ad synodos istas signum est subiectionis ad Episcopos, *c. fin. de causa possess. & propriet.* & habet Erasmus Cokhier *de iurisdict. Ordinar. in exempt. part.* 4 *q.*19 *num.*1. 17

hi verò Prælati, vt supponimus, non sunt subiecti Episcopis, sed ab illorum iurisdictione exempti. Franciscus Leo *in Thesaur. For. Ecclesiast. part.1. cap.9. num.13.* Tamburinus *de Iure Abbatum to.1. disp.24. quæsit.4.* Quando etiam hi Prælati curam animarum exercent per Vicarium sæcularem ab Episcopo approbatum sufficit, quod mittant dictum Vicarium, ex declarat. Sacræ Congregationis testante Selio *in select. Canon. cap.25. num. 15.* & Barbosa *in Collectan. Bullar. verb. Synodus.* In his tamen omnibus tum consuetudo, tum priuilegia, si quæ fuerint, attendenda sunt.

18 Abbates, & alij Prælati Regulares non solum possunt deponi ab officiis propter demerita, iuxta sacros canones, & statuta Religionum, sed ipsis in iure communi stando, possunt spontè renunciare. Regulariter enim quilibet potest renunciare iuri, & beneficio sibi competenti, tam in spiritualibus, quàm in temporalibus. *lib. siquis in conscribendo C. de pactis.* Huiusmodi autem renunciatio fieri debet in manibus illius Superioris, qui habet potestatem instituendi, & destituendi simul illos, Generalis videlicet, vel Prouincialis, non in manibus Monachorum, vel Fratrum, etiamsi ad eos spectet electio illorum. Videtur enim hoc solum spectare ad eum Superiorem, qui habet plenum ius in dictas Prælatias, quale solum competit ei Superiori, qui habet auctoritatem instituendi, & destituendi. Glossa *in Clem.1. in verbo in manibus de renunciat.* Erasmus Coxhier *de iurisdict. Ordin. in exempt. part. 4. quæst.67. & 68.* Barbosa *de offic. & potest. Episcopor. Allegat.69. n.4.* Alias renuntiatio est nulla, & irrita. Rota *in Nolana Abbatiæ* Iunij 1578 Causæ autem legitimæ renunciationis sunt censura, vel irregularitas impediens officij executionem, infirmitas corporis, senectus, vel aliud impedimentum simile. De quibus Vincentius Filucius *Tract. 41. de benefic. cap.10. num.12.* Prosper Augustinus *in Additionibus ad Quarantam verbo resignationes beneficiorum in princip.* Barbosa relatus à *num. 31.* Vide infra verbo *Beneficium numero 6.*

19 Commutationes autem, seu permutationes Prælatiarum fieri non possunt, nisi auctoritate Superiorum, iuxta dicta *tom.1. cap.15. num.32.* De quo vide Nauar. *cons.42. num.1. tit. de Simon.* Lessium *de Iust lib.2. cap.34 num.196.* An autem similiter fieri possint harum Prælatiarum renunciationes in alterius gratiam in manibus Superiorum, sicut Abbatiæ commendatæ, & alia beneficia resignantur hoc modo coram Summo Pontifice (vt habent Azor. *tom.2. institut. moral. lib.7. cap.21. quæst.1.* & Tamburinus *de Iure Abbatum tom.1. disp. 13. quæsit.5.*) dubium est magis speculatiuum quam practicum, quia vt credo, vix est talis vsus in aliqua Religione; nihilominus casu quod esset, cum huiusmodi Prælatiæ, esto non sint beneficia Ecclesiastica, quia non habent adiunctam vtilitatem redditum Ecclesiasticorum, quia nihilominus aliqua forsan illam habebunt, & saltem ea omnia sunt veluti beneficia, ideo de illis philosophandum est, sicut de beneficiis Regularibus, de quibus an possint resignari in fauorem tertij dicetur infra verbo *Beneficium, & Beneficiati num.6.* Vide ibi dicenda.

20 Abbatum cadauera induuntur eisdem vestibus, & insigniis Pontificalibus quibus viuentes induebantur, dum solemniter celebrant Deferuntur à dignioribus Monasterij, officium aliquo Abbate viciniori, vel saltem digniori Monasterij faciente, cum oratione funebri in fine Missæ facienda. Andreas Piscat. *in Praxi Ceremon. libro primo sectio 9. capitulo 9.*

Quæ possint benedicere Abbates habes verbo *Benedictio, & benedicere,* quæ possint consecrare verbo *Consecratio, & consecrare.* An Indulgentias concedere verbo *Indulgentia num. 4.* An cessationem à diuinis ponere, verbo *Cessatio à diuinis num.2.* An interdictum, verbo *Interdictum quoad Regulares n.7.* Quid circa matrimonij Sacramentum efficere, in 4. tom. verbo *Matrimonium.* Quando Ordines conferre ibi verbo *Ordines,* quando vti Baculo, verbo *Baculus,* & quando Baldachino, in verbo *Baldachinum.* Alia verò, quæ ipsis communia sunt cum aliis Prælatis Regularibus, vide 4. tom. verbo *Prælatus,* vbi etiam in notata videbis alia.

ABBATIA.

SVMMARIVM.

Abbatia quid sit. num.1.
Quibus concedi possit in titulum, vel in commendam. ibid.
A quo id fieri potest. ibid.
Prouideri debet per electionem. num.2.
Non possunt eidem Abbatiæ præfici duo Prælati. numero 3.
Nec è contra vnus Prælatus duabus Abbatiis. numero 4.
Quis conferre potest Sacramentum Confirmationis, & exercere Pontificalia in Abbatia nullius Diœcesis. num 5.
Alia remissiuè. num. 6.

1 Abbatia, idest Ecclesia, seu Monasterium cui præficitur Abbas, licet in titulum concedi non possit nisi Regulari expresè professo in eadem Religione, iuxta dicta *tom.1. cap.15. num.25. & cap. 18. num.5.* Ita enim habetur *ex cap. nullus de elec. in 6.* & *Clem.1. §. cæterum Prioratus vers. sanè de stat. Monachor.* & *capit. cum causam de elect.* Firmante Sacr Congregation. apud Gonzalez *ad Regul.8. Cancell. glos.8. num.78.* & docentibus communiter Doctoribus, specialiter Rodriguez *tom.2. quæst. Regul. quæst.52. art.8.* Suarez *tom.4. de Relig. tract.8. lib.2. cap.3. num.11.* in commendam tamen concedi potest Clerico Sæculari, non solum ad tempus, quando videlicet mortuo Abbate, alicui committitur veluti custodi, curatori, & tutori, sed etiam in perpetuum, scilicet per totam vitam, cum facultate disponendi de fructibus ipsius. Ita enim constat ex vsu antiquissimo Ecclesiæ, & Summorum Pontificum. Rebuffus *in praxi benefic. titul. de commend.* Gonzalez *ad Regul. 8. de mensibus glos.5. §. 8.* Barbosa *de offic. & potest. Episcop. part.3. Allegat. 68.* Huiusmodi autem commendatio solum à Summo Pontifice fit, propter eius summam potestatem, prout colligitur ex Leon. X. *in constit.7. §.9.* apud Laërtium *in tom.1. Bullar, pag.475.* Azor. *tom.2. Institut. moral. lib.6. cap.31. quæst.15.* Tamburin. *de Iure Abbatum tom.1. disp.4. quæsit. 3.* apud quem *quæsit. 6.* an Abbatia commendata vacans possit impetrari, & *quæsit.8.* an Monachus obtinens vnum beneficium possit Abbatiam in commendam obtinere. 1

Abbatiæ omnes, Præfecturæ, siue Prioratus Regulares prouideri debent per electionem ab ipsis Regularibus, iuxta dicta *tomo 1. Sum. capit. 15. numero primo.* Quod etiam tenet etiam si tales Abbatiæ, seu Monasteria excedant annuum valorem 200. Florenor. auri. Etsi enim Iulius III. inter Regulas Cancellariæ sibi reseruauerit Ecclesias omnes, & Monasteria 2

nasteria talem valorem excedentia, communis tamen vsus obtinuit, vt non intelligatur hæc reseruatio, nisi de Monasteriis, aut Ecclesiis in commendam concedi solitis, vel forsan derelictis, aut de Regularibus ad sæculares redactis, & merito quidem, cum odia *de Reg. iur. in 6.* sint restringenda, & Summus Pontifex non censeatur rescribere aliter quam sit consuetum, per *tex. in l. fin. C. de fideiussor. in fine* Mandosus super *Regul. 2. Cancell. quæst. 3.* Azor. *tomo 2. instit. moral. lib. 7. cap. 2. quæst. 10. vers. sed hac Regula.* Rodriguez *tom. 2. quæst. 53. art. 8.* De modo autem electionis Abbatum, & aliorum Prælatorum Regularium, & aliis requisitis tam pro electionibus, quàm pro electoribus, & eligendis, Vide dicta *to. 1. cap. 15.* & *tom. 2. cap. 12. & 13.* & dicenda infra verbo *Electio.*

3 Non possunt eidem Abbatiæ, vel monasterio præfici duo Abbates, vel Prælati Regulares. Non enim possunt plures beneficiati, vel intitulati eidem Ecclesiæ, vel titulo præfici, sicut nec plures viri eidem sponsæ fœminæ, *cap. cum non ignores de præbend.* nec plura capita eidem corpori, alias esset monstrum, *cap. quoniam de offi. ordin.* Tamburin. *de Iure Abbatum tomo 1. disputat. 5. quæsit. 23.* post alios quos refert.

4 Nec è contra potest vnus Abbas, vel Prælatus Regularis duabus præfici Abbatiis, seu Monasteriis, iuxta dicta *tom. 1. cap. 18. num. 97.* Vnde eo ipso, quod aliquis nouæ Abbatiæ, seu monasterio præficitur, & dignitatem acceptat, desinit esse Abbas, aut Prælatus primæ Abbatiæ, seu monasterij. *can. Cler. & can. seq. can. vnum Abbatem, 21. quæst. 1.* Concilium Cabilonen. *cap. 1. §. 12.* Quod intellige, nisi vnum monasterium ab alio dependeat prout colligitur ex *can. fin. 25. quæst. 2.* & Tridentino *sess. 25. capit. 8.* Lælius Zechus *de Republ. Ecclesiast. capit. 25 num. 3. vers. 7.* & alij communiter.

5 In Abbatia nullius Diœcesis non potest Episcopus vicinior conferre Sacramentum Confirmationis, & exercere Pontificalia absque Abbatis expressa licentia, sed est in facultate ipsius Abbatis conuocare quem maluerit Catholicum Antistitem, saluo tamen maiori iure Episcopi vicinioris, si aliunde id sibi competat. Episcopus autem vicinior dicitur ille cuius Cathedralis Ecclesia est Abbatiæ proximior, non autem locis dictæ Abbatiæ subiectis. Ita ex Sacra Congregatione referente Sellio *in select. canon. c. 18. num. 31.* Barbosa *in Collectan. Bullar. verbo Abbatia.*

6 Vide alia supra verbo *Abbas*, & infra verbo *Abbatissa*, verbo *Administrator*, verbo *Alienatio*, *seu alienare*, verbo *Bona*, verbo *Clausura*, verbo *Ecclesia*, verbo *Immunitas Ecclesiarum*, verbo *Interdictum*, & infra verbo *Monasterium.*

ABBATISSA, SEV PRIORISSA.

SVMMARIVM.

Abbatissarum, seu Priorissarum electio pertinet ad Moniales. num. 1.
Quas conditiones habere debent. ibid.
In ætate Abbatissarum quis dispenset. num. 2.
An sine illa electio Abbatissæ sit nulla. ibid.
Ipsarum electio fieri debet per vota secreta num. 3.
An aliter facta per ignorantiam decreti Concilij sit inualida. ibid.
An Episcopus in hoc dispenset. ibid.
Quid de Præside electionis Abbatissarum numero 4.
An debeat habere votum in electione ipsarum. ibidem.
Scrutatores an habeant vocem in tali electione. num. 5.
Quot partes Monialium concurrere debent ad illam. num. 6.
Quid de electionibus Superiorum Regularium. ibid.
Qui vocantur ad earum electiones à quibus abstinere debeant. num. 7.
Possunt Moniales Iure communi compromittere electionem. num. 8.
An Moniales descendentes ex maculato genere eligi possint in Abbatissas num. 9.
Electa in abbatissas qualiter, aut à quibus confirmanda. num. 10.
A quibus benedicenda. num. 11.
Qualis sit hæc benedictio, & quo loco facienda. ibid.
Bulla Gregorij XIII. de Abbatissis solum per trennium duraturis, est in viridi obseruantia. num. 12.
An post triennium vacationis iterum eligi possint. num. 13.
An soror antecedentis Abbatissæ eligi possit. ibid.
An Abbatissæ possint dispensare cum Monialibus. num. 14.
An possint benedicere illas num. 15.
An Beneficia, vel Capellas conferre. num. 16.
Quomodo dicantur suspendere Clericos. ibid.
An, & quomodo habeant administrationem bonorum sui Monasterij. num. 17.
Vbi, aut quomodo sepelienda. num. 18.
Alia remissiuè. num. 19.

1 Abbatissarum, Priorissarum, seu monialium Præfectarum electio pertinet ad moniales ipsas, iuxta dicta *tom. 1. cap. 26. num. 2.* Quamuis autem eligenda ad tale munus debeat esse expressè professa, iuxta ibi *num. 3.* dicta ex Concil. Trident. *sess. 25. cap. 7.* ad hoc tamen quod monialis eligere possit, sufficit quod sit tacitè professa, cum professio tacita vera professio sit, & sufficiens ad hoc, quod Religiosus eligere possit Prælatum, iuxta dicta *tom. 1. p. 1. cap. 15. n. 2.* Nec à Iure, aut Concilio quoad hæc exclusa. Suarez *tom. 4. de Relig. Tract. 8. lib. 2. cap. 4. num. 2. & 8.* & ratio discriminis assignari potest, quia Abbatissa est veluti Præsidens, & vocatur Presbytera à Sacris Canonibus *can. mulieres 23. dist.* (vt ait Lauretus de Franchis *in controu. Episcop. & Regul. quæst. de Abbatissa quæst. 2. num. 9*) ideo videtur requisita qualitas illa professionis expressæ pro ipsa, non autem pro monialibus eligentibus.

2 In ætate porrò eligendæ in Abbatissam, quæ iuxta Concil. loco relato debet esse 40. annorum, vel saltem supra 30. & tempore à professione expressa facta, quod debet esse octo annorum, vel saltem quinque, non potest Episcopus, vel alius Superior dispensare. Est enim lex Pontificia super qua Pontifice inferiores nihil possunt, nisi illis concedatur. Armendariz *in addit. ad recopilat. leg. Nauarr. lib. 1. tit. 18. lib. 7. de Episcop. n. 101.* referens declarationem Sacræ Congregationis quoad hoc, quod etiam fecit Barbosa *in Collectan. Bullar. verb. Abbatissa.* Aloysius Riccius *in decis. Cur. Archiepiscopal. Neapol. 309. part. 4. num. 9.* Quare Regula Fratrum Minimorum, quæ solum petit 25. annos ætatis, & duos professionis abrogata censenda est. Quamuis autem *tom. 1. cap. 27. num. 3.* dixerim defectum ætatis non reddere electionem nullam, quia Concilium non apposuit clausulam irritatiuam, nihilominus si constet de quadam alia declaratione Sacræ Congregationis quam refert Barbosa *de iure Eccesiast. libro primo cap. 45.* & *in Collectan. Bullar. verbo Abbatissa*

batiſſa in qua dicitur: *Abbatiſſæ electio, quæ ætatem quadraginta annorum requiſitam non habebat, ſi in Monaſterio non deſunt aliæ Moniales quadragenariæ, atque habiles, licet non adeo idoneæ ſicut electa, eſt nulla*, illi ſtandum eſt, & credendum Sacram Congregationem exiſtimaſſe Concilium voluiſſe in deſignatione talis ætatis dare formam electioni, ac per conſequens ſine illa actum eſſe nullum. Bartol. *in l. Gallus ff. de liber. & poſthum.* Similiter quamuis loco relato dixerim defectum talis temporis profeſſionis non irritare electionem, nihilominus ſi pariter conſtet de quadam alia declaratione Sacræ Congregationis, quam referunt Iulius Lauorius *variar. lucubrat. titul.4. cap.23. numer.6.* & Tamburinus *de Iure Abbatiſſarum diſputat.28. quæſit.2. num.8.* in qua deciditur vel vnum menſem minus non ſufficere ad validitatem talis electionis, illi etiam parendum eſt, propter dicta.

3 Ipſarum electio debet fieri per vota ſecreta, iuxta dicta *tomo.1. cap.15. num.17.* ex Concil. Trident. *ſeſſ.25. capit.6.* ibi enim ſermo eſt tam de Prælatorum, quàm de Abbatiſſarum electione. Vnde aliter facta etiam per ignorantiam decreti Concilij inualida eſt, nec Epiſcopus in ea poteſt diſpenſare, iuxta declarationem Sacræ Congregat. referente Riccio *in deciſ. Cur. Archiepiſcop. Neapolit. part.3. deciſ. 197. num.7.* Electio autem Abbatiſſæ per vota, ſeu ſuffragia voce tenus expreſſa coram Epiſcopo cum ſuo Vicario, Secretario, vel alio ab ipſo aſſumpto valida eſt, ex declaratione etiam Sacræ Congregationis apud Naldum *in Summ. verb. Moniales n.1.* & Barboſam *in Collectan. Bullar. verbo Abbatiſſa.* Quod tamen intelligo dummodo ſecretè id fiat, aliàs menti Concilij contrarium eſſet, & ex eo puto à Sacra Congregatione ſic determinatum, quod aliquæ Moniales ſcribere neſciant, ac per conſequens, nec votum dare poſſint, niſi ore tenus.

4 De Præſide autem in electione Abbatiſſarum philoſophandum eſt proportionaliter de ea, quæ de Præſide in electionibus Regularium dixi *tom.1. c.15. num.34.* & *tom.2. cap.12. à num.31.* iis exceptis in quibus ſtatuta particularium Religionum ſtatuunt oppoſitum, aut Sacræ Congregationis declarationes non obuiant. Hinc ipſi Præſidentes in electione Abbatiſſarum, aut Prioriſſarum non poſſunt dare ſuffragium etiam in caſu quo moniales diſcordes extiterint in ea. Ita enim decreuit Sacra Congregatio apud Iulium Lauorium *variar. lucubrat. tit.4. capit.24. numer.42.* & Tamburinum *de Iure Abbatiſſarum diſp.28. quæſit.6.* vbi etiam additur electionem aliter factam nullam eſſe. Nihilominus quia oppoſitum eſt ſatis conſentaneum rationi cum Præſes electionis ſit caput illius communitatis, ita vt ipſe cum Monialibus faciat vnum Collegiũ, ideo vbi fuerit legitima conſuetudine introductum, prout de Luſitania teſtatur Portellus *in dub. Regular. verbo Abbatiſſa num.9.* obſeruari poterit, maximè cum non videam quoad hoc derogatam eſſe à Sacra Congregatione conſuetudinem legitimam.

5 Illud eſt certius, ſcrutatores non habere vocem in electione, ita enim habetur tum ex declaratione Sacræ Congregationis relata, tum ex alia, quam referunt Barboſa *in Collectan. Bullar. verbo Abbatiſſa*, & Tamburinus *loco relato.* Quod credo intelligendum de ſcrutatoribus extraneis ipſis Monialibus, non de ſcrutatricibus ex ipſarum numero aſſumendis, iuxta *cap. Quia propter*, & dicta *tom.2. cap.12. num 26.27. & 28.*

6 In electione Abbatiſſæ ex tripartito numero Monialium duæ partes concurrere debent, niſi alia fuerit loci conſuetudo, & ſi fuerint diſcordes poteſt Epiſcopus nominare vnam quam magis idoneam iudicauerit. Ita Sacra Congregatio Epiſcoporum, & Regularium apud Piaſecum *in Prax. Epiſcoporum part.2. cap.3 num.57.* & Barboſam *ſupra*, Circa quod notandum primò, idem videtur dici poſſe de aliis Superioribus Regularium Præſidentibus electioni Abbatiſſæ, poſſe videlicet facere idem, quod Epiſcopus in prædicto caſu diſcordiæ, propter eandem rationem. Secundò, verba illa, *niſi alia fuerit loci conſuetudo* denotare hanc conditionem de non eligenda Abbatiſſa, niſi habeat duas partes ſuffragiorum (quæ etiam eſt conformis iuri communi, *cap. indemnitatibus de elect. & electi poteſt. in 6.*) ſolum obſeruari debere, quando aliud non fuerit conſuetudine receptum. Idem dico ſi lege, vel ſtatuto approbatis non fuerit ordinatum, propter eandem rationem. Tertiò, ad hoc, quòd Epiſcopus, vel alius Superior Præſes electionis vtatur prædicta facultate nominandi vnam magis idoneam debere prius præbere monialibus tempus competens ad ſe concordandum. Ita enim declarauit eadem Sacra Congregatio Epiſcoporum, & Regularium, vt referunt prædicti Piaſecus, & Barboſa.

Maximè aduertendum, eos, qui ad moniales in huiuſmodi electionibus dirigendas vocati fuerint, abſtinere debere ab iis per quæ inter eas ſuper faciendis ipſis electionibus oriri poſſit diſcordia, vel exorta nutriri, alias eo ipſo excommunicationis ſententiæ ſe nouerint ſubiacere. Ita enim habetur expreſsè in dicto *cap. indemnitatibus de elect. & electi poteſt in 6.* Nauarrus *cap.27. numero 124.* Sairus *lib.3. cap.37.* Vnde Præſides electionum Monialium, imò quicumque alij, ſiue Religioſi, ſiue Sæculares, ſiue Clerici, ſiue Laici incurrent prædictam cenſuram, dum tamen vocati fuerint ad dirigendas Moniales, prout dicitur in textu. Sairus *ſuprà.* Tamburinus *de Iure Abbatiſſarum diſp.28. quæſit.7.* Qui ergo alio titulo dictæ electioni ſe intromiſerint, non videntur comprehendi hac lege. 7

Poſſint moniales iuri communi inhærentes vnanimi conſenſu compromittere electionem Abbatiſſæ, ſeu Prioriſſæ idoneæ in Epiſcopum, vel alium Prælatum. Ita enim colligitur ex *cap. cauſam de elect.* Panormitanus *ibid. num.3.* Tamburinus *de Iure Abbatiſſarum diſput.28. quæſit.8.* qui etiam cum Lauorio *in variar. lucubrat. tit.4. cap.4. num.60.* ait, quod ſi tunc Epiſcopus malam elegerit, non poterit reuocare electionem, quia cum iam functus eſſet ſuo officio, ſiue benè, ſiue malè, non poteſt amplius ſe intromittere. *cap. in cauſis. cap. innotuit de elect.* 8

Moniales deſcendentes ex maculato genere, puta Hebræorum, vel Sarracenorum iure communi eligi poſſunt in Abbatiſſas, ſeu Prioriſſas, cum ius commune non reſiſtat, & Conſtitutiones aliquæ Summorum Pontificum, quæ pro aliquibus Religionibus emanarunt ſolum loquantur de viris, & non de fœminis, ac per conſequens ad illas extendi non debeant. Miranda *de Sanctimonialibus quæſt.6. art.2.* Portellus *in dub. Regularib. verbo Abbatiſſa num.6.* An verò expediat ſic maculatas perſonas ad hæc officia, vel ſimilia admittere, viderint ij ad quos id ſpectat. [Ex declaratione Sacræ Congregationis Concilij in vna Poſanienſi 16. April. 1639. Abbas Regularis profeſſus non tenetur ſub pœnis ſuſcipere benedictionem, ſed non benedictus non poteſt exercere actus permiſſos Abbati benedicto.] 9

Electa in Abbatiſſam debet confirmationem accipere. Nam præter dicta de electionibus in communi 10

muni *tom.* 1. *cap.* 15. *num.* 36. & *tit.* 2. *cap.* 12. *à num.* 39. ita supponitur *in Clement. attendentes de Stat. Monachor.* Azor. *tom.* 1. *instit. moral. lib.* 13. *c.* 10. *q.* 3. Confirmanda porrò est ab immediato Superiore, iuxta dicta *d. c.* 15. *n.* 36. siue ille Papa sit, siue Episcopus, siue Prælatus Regularis. Azor. *supra* Layman. *in quæst. Canon. de Prælat. elect. q.* 233. Declarauit autem Sacra Congregatio, iuxta dicta *tom.* 1. *cap.* 25. *num.* 46. quod quamuis per Constitutionem Gregorij XV. de qua ibi, concedatur Episcopo quod possit assistere per se, vel per alium vna cum Superioribus Regularibus quarumcumque Abbatissarum electionibus, nihilominus non propterea ius illas confirmandi illi attributum censeri debere. Quid autem agendum si Confirmator confirmare nolit, vel allegetur suspectus, tractat Lauorius *in variar. lucubrat. tit.* 4. *c.* 24. De causis etiam propter quas electio confirmari non debeat, & qualiter in ea se gerere debeat Confirmator, vide dicta locis relatis ex *tom.* 1. *&* 2. *Summæ.*

11 Abbatissæ, quæ iuxta dicta *tom.* 1. *cap.* 26. *num.* 1. benedicuntur, intra annum à suæ confirmationis tempore computandum, munus benedictionis suscipere debent, alioquin (nisi subsit causa rationabilis) à iure suo cadunt. *Clement. Attendentes,* §. *statuimus de Stat. Monach.* Thesaurus *in praxi part.* 2. *capit.* 1. vbi alia circa hoc. Eius vero benedictio non reiteratur, sicut diximus de benedictione Abbatum *tom.* 2. *cap.* 2. *num.* 36. & propter rationem ibi assignatam. Nauar. *consil.* 2. *de Sacrament. non iterand.* Rodriguez *tom.* 1. *quæst.* 11. *art.* 3. Non tamen debet deferri in Ecclesiam Episcopalem, vt benedictionem accipiat. Ita enim declarauit Sacra Congregatio apud Ioannem Mariam Nouarium *in Lucerna Regular. verbo Abbatissa num.* 12. Pro forma autem talis benedictionis vide Tamburinum *de Iure Abbatissarum disp.* 29. *quæsit.* 5.

12 Bulla illa Gregorij XIII. quam retuli *tom.* 1. *cap.* 26. *num.* 4. quam etiam affert Naldus *in Summa verbo Abbatissa numero quinto*, in qua decernitur quod Abbatissæ in Italiâ, & præsertim in vtriusque Siciliæ regnis, solum per triennium durare debeant, est in viridi obseruantia respectu omnium Monialium etiam Ierosolymitanarum, vt declarauit Sacra Congregatio Episcoporum, & Regularium apud Ioannem Mariam Nouarium *in Lucerna Regular. verb. Abbatissa numero* 8. Vnde electio aliter facta, scilicet vltra triennium, vel ad beneplacitum Monialium, valida non est, etiam pro triennio. Constitutio enim illa dat formam electioni, ac per consequens ea non seruata redditur actus nullus. Tamburinus *de Iure Abbatissarum disp.* 30. *quæsit.* 1. Nec possunt confirmari post triennium, quia Pontifex præcipit vt omnino præesse desinant, & careant regimine. Licet pro paruo tempore donec alia Abbatissa eligatur, Vicariæ officium exercere possint. Miranda *de Monialib. q.* 7. *art.* 9. *concl.* 2. Lauorius *sup. c.* 25. *num.* 68.

13 Postquam autem per triennium vacauerint iterum eligi possint, seruatis seruandis, prout habetur in dicta Constitutione Gregorij. Credo autem huiusmodi vacationem per triennium intelligi debere tribus annis completis, iuxta dicenda infra verbo *Annus numero* 5. Immo singulis annis mutari posse Abbatissas declarauit Sacra Congregatio apud Lauorium *in lucubrat. tit.* 4. *cap.* 24. *num.* 65. Posse etiam promoueri sororem antecedentis Abbatissæ, in contrarium non existente Ordinis constitutione, haberi videtur ex alia declaratione eiusdem Sacræ Congregationis Episcoporum, & Regularium apud Nouarium relatum. [Circa quod etiam video alium declarationem eiusdem Sacræ Congregationis in vna Messanens. 17. Ianuarij 1642.] Similiter posse alias Moniales electas in Officiales pro bonis Monasterij administrandis durare ad arbitrium Superiorum Monasterij, declaratum etiam dicitur à Sacra Congregatione apud Lauret. de Franch. *in Controuers. inter Episcop. & Regular. quæst. de Abbatiss. pag.* 160. §. 12. Et sane id non videtur prohiberi prædicta Constitutione Gregorij XIII. Extra Italiam vero iura & constitutiones Religionum obseruari debent, sicut in Ordine Minorum pro Abbatissis S. Claræ decreta Sixti V. & Pauli V. de quibus Portellus *verbo Abbatissa n.* 4.

14 Quamuis Abbatissæ ob defectum iurisdictionis, seu potestatis spiritualis, quam fœminæ habere non possunt, iuxta dicta *tom.* 1. *cap.* 26. *num.* 8. non possint propriè dispensare cum Monialibus in ieiuniis, & obseruantiis Religionum, improprie tamen id facere possunt, quando videlicet causa dispensandi vrget, & vel ex præcepto Superiorum, vel consuetudine Religionis Abbatissarum prudentiæ hoc remittitur. Tunc enim etsi propriè non dispensent propter dicta, dispensant tamen improprie quatenus de causa, & necessitate iudicant, Superiore, vel Religione ipsa dispensante. Quo sensu accipiendus Enriquez *lib.* 6. *de pœnit. cap.* 2. *num.* 3. *&* 4. Quære concessionem Pauli III. pro Abbatissis Monialium Sanctæ Claræ apud Rodriguez *in Bullario* ab aliquibus relatam, quam tamen ego reperire non potui.

15 Similiter quamuis Abbatissæ non possint publicè benedicere suas Moniales, quia benedictionis publicæ munus supponit clauium, & iurisdictionis potestatem, quæ fœminis conuenire non potest, ac per consequens, nec possint aquam, aut res similes benedicere propter eandem rationem, possunt tamen illas priuatim benedicere, ad modum quo parentes filios benedicunt. Syluester *verbo Abbatissa* 3. *num.* 8. Miranda *de monialibus quæst.* 6. *artic.* 5. *concl.* 2.

16 Possunt præterea Abbatissæ si Monasteria quibus præsunt habeant beneficium curatum vnitum Clericos instituere, & beneficia, ac capellas conferre ad instar aliorum Prælatorum, Rodriguez *tom.* 1. *q.* 17. *art.* 12. Miranda *d. q.* 6. *art.* 5. *conclus.* 1. Hoc tamen fit designando materiam, vel personam non exercendo actus iurisdictionis, iuxta dicta *tom.* 1. *cap.* 26 *numero* 12. ex Suarez *tom.* 3. *de Relig. Tract.* 8. *lib.* 2. *capite* 9. *num.* 13. Pro quo vide duas Rotæ decisiones coram Durano in nouiter impressis. Et nota, quod cum Abbatissæ dicuntur suspendisse aliquos Clericos, illa suspensio non est censura, ob cuius transgressionem incurratur irregularitas, illæ enim cum non sint capaces iurisdictionis iuxta dicta, non possunt hoc modo suspendere. Dicuntur ergo suspendisse improprie, quatenus prohibent ne exerceatur aliquod officium, vel beneficium. Bonacina *de Censur. disp.* 1. *quæs.* 1. *punct.* 2. *num.* 4. Laymanus *lib.* 1. *tract.* 5. *part.* 1. *c.* 3. *n.* 3.

17 Habent prædictæ Abbatissæ liberam bonorum sui Monasterij administrationem, ad modum quo idem dixi de Prælatis Regularium *tom.* 1. *c.* 18. *n.* 13. Limitatam tamé iuxta Constitutiones, & Statuta Religionum. Sanchez *lib.* 7. *de præcept. Decalog. cap.* 19. *num.* 44. Et (iuxta dicenda infra verbo *Administratio, & Administrator*) pro suis Monasteriis possunt esse Procuratrices. Corduba *in summ. q.* 54. Petrus de Nauarra *de Restit. cap.* 1. *num.* 169. Ideo etiam possunt Monialibus eam licentiam dandi, & recipiendi concedere,

concedere, quam etiam Prælati suis subditis, nisi hoc illis sit prohibitum iure, vel consuetudine Religionis, iuxta dicta *tom. 1. cap. 26. num. 14.* Quod idem dico de determinatione materiæ voti paupertatis, designatione bonorum ad vsum, & similibus. Sunt enim dispensatrices, & moderatrices bonorum temporalium Monasterij. Sanch. *sup.* Bartholomæus à Ledesma *in summ. Sacrament. tract. de pœnit.* vbi de clauibus *diff.* 4.

18 Abbatissæ sicut & cæteræ Moniales decedentes sepeliri debent intra claustra Monasteriorum, vel in earum Ecclesia exteriori, prout declaratum dicitur à Sacra Congregatione apud Tamburinum *de Iure Abbatissarum disp. 34. quæsit. 1.* In earum autem sepulchris tumulari non debent corpora laicorum, etiam mulierum nobilium, propter declarationem etiam Sacræ Congregationis apud Lauorium *in var. elucubrationib. tit. 2. c. 11. num. 97.* Casu autem dato, quod illæ extra Monasteria moriantur, sepeliendæ sunt, vel in Monasterio sui Ordinis, si ibi adsit, vel in Ecclesia parochiali. Tamburinus *ibi, num. 3.* apud quem etiam de cæremonia, & pompa qua sepeliri debent.

19 An nomine monialis comprehendatur Abbatissa vide verbo *Abbas n. 6.* Vide & verbo *Clausura*, & verbo *Monasterium*.

ABORTVS, SEV ABORSVS.

SVMMARIVM.

Abortus, seu aborsus quid sit. n. 1.
Quid contra procurantes abortum statuerit Sixtus V. num. 2.
Qualiter id moderatus fuerit Gregorius XIV. numero 3.
An hoc tempore procurans, vel consulens abortum incurrat excommunicationem, Irregularitatem, &c. num. 4.
Qualiter peccet mortaliter. ibid.
An in aliquo casu id liceat. ibid.
Quid de præbente remedium fœminæ ne concipiat. numero 5.
Quid de fœmina illud accipiente. ibid.
Hodie procurantes abortum, quas pœnas incurrant. num. 6.
An excommunicatio, quæ incurritur reseruata sit. numero 7.
A quo absolui possit. ibid.
A quo absolui possint Regulares circa id peccantes. num. 8.
An hæc excommunicatio non incurratur, nisi effectu sequuto. n. 9.
Animatio fœtus quo die contingat. n. 10.
Quas pœnas incurrat mulier ipsa prægnans abortum proprium procurans. n. 11.
An aliquando liceat ipsi abortum procurare. numero 12.
Quando viri abortum procurantes incurrant Irregularitatem. n. 13.
Quid de dubio de homicidio sequuto. ibid.
An Prælati Regulares super hac Irregularitate dispensent. n. 14.
An sic delinquentes incurrant infamiam. n. 15.
An saltans, vel coiens cum fœmina prægnante sit irregularis. n. 16.
De approbante, seu ratum habente abortum quid dicendum. n. 17.
Quid de patre fœtus animati tacente. n. 18.
Quas pœnas incurrunt Clerici, vel Regulares, qui sunt causa abortus. n. 19.
A quibus dispensentur in illis. ibid.
Quando tradendi brachio sæculari. n. 20.
Quid quando fœtus longo tempore viuere non potest. num. 21.
Quid significet vox Apochas *n. 22.*

Abortus, seu Aborsus (qui est intempestiuus, & immaturus humani fœtus ortus) materia, quamuis extranea Religiosis videatur, ad illos tamen spectat non solum quoad Confessarios propter absolutionem à peccato, & dispensationem in pœnis ipsius, sed etiam specialiter, quia Sixtus V. in Constitutione *Effrenatam* infra referendam bis nominat expresse cuiuscumque *Ordinis Regulares* & semel mulieres *quemcunque Ordinem professas.* Portellus *in dub. Regularib. verb. Abortus in princ.* 1

Ergo Sixtus V. in Constitutione *Effrenatam* anno 1588. edita contra procurantes abortum hæc post alia habet: *Omnes & quoscumque tam viros, quam mulieres cuiuscumque status, gradus, Ordinis, & conditionis etiam Clericos sæculares, vel cuiusuis Ordinis Regulares quauis dignitate, & præeminentia Ecclesiastica, vel mundana fulgentes, qui de cætero per se, aut interpositas personas, abortus, seu fœtus immaturi, tam animati, quam etiam inanimati, formati, vel informis, eiectionem procurauerint, percussionibus, veneris, medicamentis, potionibus, oneribus, laboribusque mulieri prægnanti impositis, ac aliis etiam incognitis, vel maxime exquisitis rationibus, inde vt re ipsa aborsus sequutus fuerit, ac etiam prægnantes ipsas mulieres, quæ scienter præmissa fecerint, pœnas tam diuino, quàm humano iure, ac tam per Canonicas Sanctiones, & Apostolicas Constitutiones, quam ciuilia iura aduersus veros homicidas qui homicidium voluntarium actu, & re patrauerint, propositas, & inflictas (quorum omnium tenores his nostris litteris pro expressis, & ad verbum insertis habemus) eo ipso incurrere, hac nostra perpetuo valitura Constitutione statuimus, & ordinamus, ipsasque pœnas, leges, & Constitutiones ad casus præfatos extendimus. Eos vero, qui Clerici fuerint, omni priuilegio Clericali, officiis, dignitatibus, & beneficiis Ecclesiasticis, quæ sic vacatura nostræ, & Sedis Apostolicæ dispositioni perpetuo reseruamus, ipso facto priuamus, & in futurum inhabiles ad ea suscipienda decernimus, adeo vt illi, qui hoc delictum commiserint non secus atque ij, qui sua voluntate homicidium perpetrauerint, iuxta Concilij Tridentini decreta, etiam si crimen id, nec ordine iudiciario probatum, nec alia ratione publicum, sed occultum fuerit ad Sacros Ordines promoueri, aut in susceptis Ordinibus ministrare nullo modo possint, nec illis aliqua Ecclesiastica beneficia, etiamsi curam non habeant animarum, conferri liceat, sed omni ordine ac beneficio, & officio perpetuo careant. Necnon etiam illos, qui Clerici non fuerint, & talia perpetrauerint, non solum pœnas incurrere supra narratas, sed etiam inhabiles ad Ordines, & alia prædicta decernimus, & declaramus. Volentes quod hi, qui foro Ecclesiastico subiecti, vt præfertur, deliquisse comperti fuerint, per Iudicem Ecclesiasticum depositi, & degradati, Curiæ, & potestati sæculari tradantur, quæ de eis illud capiat supplicium, quod contra laicos vere homicidas per diuinas leges, ac ciuilia iura est dispositum. Præterea eisdem pœnis teneri omnino statuimus eos, qui sterilitatis potiones, ac venena mulieribus propinauerint, & quominus fœtum concipiant impedimentum præstiterint, ac ea facienda, & exequenda curauerint, siue quocumque modo in his consuluerint, ac mulieres ipsas,* 2

quæ

quæ eadem pocula sponte, ac scienter sumpserint. Quocirca mandamus vniuersis, & singulis Iudicibus Ordinariis, & delegatis tam Ecclesiasticis, quàm Sæcularibus, quibus contra criminum reos etiam quoad causas huiusmodi de iure, vel ratione delicti, aut personarum legitimè competet iurisdictio; ita tamen, vt inter eos præuentioni locus sit vt in his delictis, quæ vt plurimum in occulto perpetrantur, contra quoscumque non solum per accusationem, & declarationem, verum etiam per inquisitionem, ac simplicem denunciationem procedant, ac ad illa probanda testes alias de iure inhabiles eorumdem tamen Iudicum arbitrio, habita ratione personarum, causarum, & qualitatum illarum, ac circumstantiarum quarumcunque admittant, ac in eos, qui culpabiles fuerint, prout per Nos sancitum est demum animaduertant, &c. Insuper, vt immanissimi huius delicti grauitati non solum temporalibus, verum etiam spiritualibus pœnis prospiciamus, ac prouideamus, omnes, & singulos cuiuscumque status, gradus, Ordinis, vel conditionis existentes, tam laicos, quam Clericos sæculares, & cuiuscumque Ordinis Regulares, necnon mulieres sæculares, vel quemcumque Ordinem professas, qui, vel quæ vti principales, vel vt sociæ ad tale facinus committendum, opem, consilium, fauorem, potionem, vel alia cuiuscumque generis medicamenta scienter dederint, ac etiam scribendo litteras priuatas, vel apochas, vel alias, verbis, aut signis iuuerint, aut consuluerint (vltra supradictas pœnas) ipso facto nunc prout ex tunc excommunicamus, & pro excommunicatis declaramus, decernentes, ac declarantes, quod per quæcumque Iubilæa, & Indulgentias per Nos, & successores nostros etiam anno Iubilæi, aut alio quouis tempore etiam Cruciatæ Sanctæ, Iubilæi, vel quouis alio titulo concessas, & concedendas, necnon per quascumque litteras Apostolicas quibusuis Principibus, seu ad eorum instantiam per Nos, & successores nostros pariter concessas, & concedendas, ac etiam vigore priuilegiorum, Mare magnum, vel alias quomodolibet nuncupatorum quibusuis Congregationibus Regularium, aut Episcopis vigore Concilij Tridentini, vel alias per Nos, & prædecessores nostros quomodocumque concessorum, vel in futurum concedendorum, nec personæ sic vt præfertur, delinquentes, & excommunicatæ præterquam in mortis articulo absolui valeant, nec cum his Clericis, qui huiusmodi delicta perpetrauerint etiamsi eorum crimen occultum fuerit super irregularitate præmissorum occasione contracta, nec per locorum Ordinarios, nec per alios quauis auctoritate fulgentes quam per Nos, & Romanos Pontifices nostros successores, & tunc non nisi vrgentissimis de causis dispensari possit. Ac tam absoluendi, & quoad forum conscientiæ in casibus superius expressis Nobis & successoribus nostris dumtaxat reseruamus, &c. Vide Bullam 2. *tom. Bullar.* inter Constitutiones Sixti V. numero 7.

3 Hanc autem Constitutionem moderatur Gregorius XIV Sixti successor in Constitutione *Sedes Apostolica* anno 1591. edita his verbis. *Constitutionem prædictam sic duximus moderandam, vt à peccato, & excommunicatione contra personas ibi expressas lata tam quoad eos, qui hactenus deliquerunt, quam quoad illos, qui post nostram Constitutionem in eisdem casibus deliquerint, quilibet Presbyter tam sæcularis, quam cuiusuis Ordinis Regularis ad Christi fidelium Confessiones audiendas, & ad hos casus specialiter per loci Ordinarium deputatus, plenam, & liberam in foro conscientiæ tantum absoluendi habeat facultatem. Eandem prorsus quam idem Sixtus prædecessor, sibi, ac suis successoribus reseruauit. Quo vero ad pœnas procurantium abortum fœtus inanimis, aut exhibentium mulieribus, vel sumentium venena sterilitatis, aut quocumque modo auxilium, vel consilium eis dantium, in prædicta Constitutione contentas, Constitutionem præfatam in ea parte vbi de his agit, ad terminos iuris communis, ac sacrorum Canonum, & Concilij Tridentini dispositionem, auctoritate Apostolica tenore præsentium, tam quoad præterita, quam quoad futura perpetuo reducimus, perinde ac si eadem Constitutio in huiusmodi parte numquam emanasset. Non obstantibus eadem prædecessoris nostri Constitutione, quam quoad reliqua omnia præter contenta in hac nostra Constitutione in suo robore omnino permanere volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.* Vide Bullam *in* 2. *tom. Bullar.* inter Constitut. Greg. XIV. n. 8. 4

Ex his autem duabus Constitutionibus aliqua sequuntur. Primum, quod hoc tempore post Gregorij Constitutionem procurans, vel consulens abortum fœtus inanimati, neque incurrit excommunicationem, irregularitatē, aut aliquas pœnas, cum ius commune illas huic crimini non infligat, & quæ de excommunicatione quoad hoc statuerat Sixt. à Gregorio moderatum sit, vt patet ex prædicta Constitutione. Toletus *in Summa lib.* 1. *cap.* 76. *num.* 16. Portellus *in dub. Regular. verbo Abortus numero* 3. Peirinis *tomo secundo de Prælato quæst.* 3. *capite* 2. *num.* 49. Peccabit tamen grauiter mortaliter id faciens, quia data opera impedit semen iam effusum, & fœtum, à suo naturali fine qui est generatio hominis. Azor. *tom.* 3. *lib.* 2. *cap.* 4. Sanch. *lib.* 9. *de Matrimon. disput.* 20. *num.* 2. Non tamen erit propriè homicida, sed veluti homicida. Sumitur ex *cap. si aliquis, & capite sicut ex litterarum de homicidio*, iuncto *cap. quod vero* 32. *quæst.* 2. Lessius *lib.* 2. *cap.* 9. *dub.* 10. Layman. *lib.* 3. *de iustit. tract.* 3. *part.* 3. *cap.* 4. *quæstio.* 2. Imo in casu quo certum fuerit fœtum non esse animatum, & Medicorum iudicio si in lucem prodeat matri mortem allaturum permitti potest ipsius abortus. Tunc enim ius naturale conseruandi matrem præponderare debet bono prolis futuræ, præsertim cum fœtus ille sit pars matris, & bonum totius anteponi debeat bono partis. Sanchez *numero* 9. Layman. *supra* §. *secundo si certum sit.* Est etiam abortus casus reseruabilis à Prælatis Regularibus respectu suorum subditorum, vt dicetur inferius ex Clemen. VIII. imo de facto reseruatus in aliquibus Conciliis Prouincialibus, vt habet Bonacina *de restit. disput.* 2. *quæst. vltim. sectione* 1. *puncto* 7. *num.* 6.

Similiter post prædictam Constitutionem Gregorij dans remedium fœminæ ne concipiat, vel vt sterilis fiat, aut ipsa fœmina illud accipiens, non incurrit excommunicationem, aut aliquas pœnas. Ratio est, quia vt patet ex Cōstitutionibus adductis, etsi Sixt. V. eas huic crimini inflixerit, tamen Gregorius XIV. illas abstulit, ad terminos iuris communis casum reducendo, quod nihil circa hoc disponit. Portellus *supra num.* 4. Peccatum tamen graue tunc committent, quia contra intentionem naturæ se priuant potentia generatiua, & impediunt conceptionem fœtus. Azor. *tom.* 3. *lib.* 2. *cap.* 4. Qui etiam ibid. §. *sed dicendum*, quem sequuntur Sanchez *supra num.* 10. Bonacina *de restit disp.* 2. *quæst. vlt. sectione* 1. *punct.* 7. *num.* 6. & alij quos ipse refert, etiam in casu quo fæmina nobilis, aut Moniales cum viro peccarunt, & timent mortem, vel infamiam, vel scandalum si grauidæ fiant, non esse licitum procurare remedium impediens conceptionem, quia vt inquit Apostolus Rom. 3. *Non sunt facienda* 5

facienda mala, vt veniant bona & est contra ordinem naturæ impedire conceptionem fœtus: nam, semen, & copula à natura sunt instituta ad prolis conceptionem, & generationem. Dicit tamen Azor oppositum esse opinionem aliquorum, quos non refert. quam credo probabilem, solum in eo casu quo nullo alio omnino modo, nullaue via impediri posset infamia, aut mors talis fœminæ. Tunc enim non videtur esse intrinsecè malum procurare abortum fœtus inanimis, aut impedire conceptionem ipsius. Basilius de Leone *lib.* 10. *de Matrim. cap.* 13. *numer.* 2. Franciscus Torreblanca *de Magia lib.* 2. *c.* 43. *n.* 10. Esto id improbabile censeat Vincentius Candidus *tom.* 1. *Disquisit. moral. disquisit.* 1. *art.* 2.

6 Hodie tamen post prædictam Constitutionem Gregorij procurantes abortum fœtus animati, aut exhibentes mulieribus, vel sumentes venena sterilitatis, aut quocumque modo auxilium, vel consilium ei dantes, incurrunt pœnas designatas à Sixto V. in præfata Constitutione, præsertim excommunicationem latæ sententiæ. Ratio est, quia Gregorius qui moderatus est Constitutionem Sixti, nihil innouauit quantum ad hoc de fœtu animato. Quaran. *in Summ. Bullar. verbo, Abortus n.* 4. vbi oppositum afferentes imperitos appellat.

7 Circa quæ aliqua animaduertenda. Primum, huiusmodi excommunicationem etiamsi ex vi Constitutionis Sixti soli Papæ reseruata esset nunc vero propter Constitutionem Gregorij Papæ reseruata non est, sed quilibet confessarius, siue sæcularis, siue Regularis habens facultatem ab Ordinario loci ad hos casus potest ab illa absoluere. Ita enim habetur ex Constitutione Gregorij. Portellus *supra num.* 5. Bonacina *de legibus disputat.* 2. *quæst.* 1. *punct.* 4. *num.* 5. Requiritur tamen, quod Confessarius sit ad hus casus à loci Ordinario specialiter deputatus. Vnde qui solum generaliter ab Ordinario deputati sunt ad audiendas Confessiones non possunt ab his casibus absoluere, quia Pontifex Gregorius specialem deputationem requirit. Portellus *supra.* Quod notandum duxi contra Dianam *part.* 5. *Tract.* 9. *Resolut.* 40. §. *Verum his*, vbi non satis id explicat. Addit Portellus, nullum Confessorem etiam Regularem posse etiam propter priuilegia Religionum absoluere ab hac excommunicatione, eo quod Pontifex requirit specialem deputationem confessarij ab Ordinario. E contra vero Peirinis *tom.* 1. *priuileg. Minim. in Constitut.* 1. *Iulij II. num.* 65. credit posse Confessarios Regulares id facere, eo quod iste casus iam est Episcopalis, & non Papalis, Confessarij autem Regulares habent auctoritatem absoluendi ab omnibus casibus, à quibus absoluere possunt Episcopi. Verumtamen, quia, vt dixi *tom.* 1. *cap.* 19. *num.* 17. ex nouo decreto Sacræ Congregationis Episcoporum, & Regularium sub sanctiss. Domino Nostro Vrbano VIII. nullatenus possunt Confessarij Regulares quorumcumque priuilegiorum virtute absoluere ab vllo ex casibus Ordinario reseruatis, cum iste sit casus Ordinariis reseruatus, seu Episcopalis, vt admittit ipse Peirinis, ex Scottia *Select. Bullar. Theorem.* 388. ideo ab illo absoluere non possunt. Nisi dicatur, quod cum iste casus non sit reseruatus ab ipsis Ordinariis, sed solum à iure Pontificio censeri debeat inter casus à iure Episcopis reseruatos ac proinde non comprehendi dicto decreto (iuxta dicenda infra verbo *Casus reseruati num.* 1. & 4.) nisi quando expresè Ordinarij ipsum reseruabunt, prout frequenter fit. Thesaurus *in praxi part.* 2. *verb. Abortus procuratio c.* 1. §. 1. quod an probabile sit, alij viderint.

8 Regulares autem vtriusque sexus prædicta crimina perpetrantes absolui possunt ab hac excommunicatione à suis Prælatis. Primo quidem quasi iure communi ex doctrina tradita *tom.* 1. *cap.* 18. *num.* 30. quam etiam affert Suarez 4. *tom. de Relig. tract.* 8. *lib.* 2. *cap.* 8. & 9. quod scilicet Prælati Regulares eo quod habeant iurisdictionem quasi Episcopalem possint absoluere suos subditos à censuris Papæ reseruatis, quæ in iure sunt commissæ Episcopis. Hæc enim censura huiuscemodi esse videtur, reseruata enim erat Papæ à Sixto V. sed commissa Episcopis à Gregorio XV. eo ipso, quod absolutionem ipsius permittit Confessario ab ipsis ad hos casus specialiter deputato. Secundò, ex mente ipsius Gregorij, cum enim in Constitutione Sixti sæpius mentio facta fuisset specialiter de Regularibus cum postea Greg. committit absolutionem huius censuræ Confessario ab Ordinario loci per Ordinarium loci benignè interpretandus venit Superior Regularis. Etsi enim Ordinarij loci nomine regulariter non veniat Prælatus Regularis, iuxta dicta *tom.* 1. *cap.* 19. *num.* 19. in casu tamen præsenti oppositum dici debere videtur, eo præsertim, quod mens Summorum Pontificum semper esse creditur, vt Religiosi quoad forum conscientiæ subiiciantur suis Superioribus. Poterunt similiter Regulares absolui à suis Prælatis ab hac excommunicatione, si post tempora Sixti, & Greg habuerunt à Sede Apost. priuilegia sic faciendi. Cum enim per Constitutionē Sixti sublata fuerint omnia priuilegia Regulariū, vt constat ex ipsa Bulla *n.* 2. relata, nec quoad hoc moderata fuerit per Gregorium, proculdubio requiritur aliquod priuilegium à posterioribus Pontificibus concessum. Video tamen eundem Gregorium XIV. post prædictam Constitutionem, quæ data fuit pridie Kalendas Iunij concessisse 11. Kalendas Octobris in Bulla *Illius qui* inter Constitutiones ipsius num. 17. Generali Clericorum Regularium Ministrantium infirmis facultatem absoluendi per se, vel per alios ad id deputatos sibi subditos à quibuscumque censuris quomodolibet latis, ex quo videtur tam ipsum, quam Generales aliorum Ordinum, qui habuerint communitatē priuilegiorum cum hac Religione (quales sunt Carmelitæ) posse vti hoc priuilegio. Licet hoc non possit practicari, quia facultas absoluendi à censuris, seu casibus reseruatis non censetur concessa verbis generalibus, nisi exprimatur. Quis vero possit dispensare in aliis pœnis inferius dicetur.

Secundò, animaduertendum hanc excommunicationem non incurri, nisi effectu ipso sequuto, prout colligitur ex illis verbis Sixtinæ *ad tale facinus committendum.* Verba enim regulariter intelligenda 9 sunt cum effectu ipso, quem propriè significant. Vnde procurans abortum quomodocumque, si tamen abortus ipse non sequatur, non incidet in hanc excommunicationem. Ita enim supponunt Portellus *supra numero quinto*, & 7. Naldus *in Summa verbo, Abortus num.* 5. Bene animaduertens secus esse dicendum de casu illo inter reseruabiles à Regularibus designato à Clemente VIII. Is enim est procuratio, auxilium, seu consilium ad abortum faciendum post animatum fœtum etiam effectu non sequuto.

Tertio, animaduertendum animationem fœtus 10 regulariter fieri quoad masculos post quadraginta dies, quoad fœminas vero post octoginta. Sic enim supponunt communiter authores, specialiter Azor. *tom.* 3. *lib.* 2. *cap.* 4. Quaranta *in summa Bullarij verbo Abortus num.* 5. Barbosa *de offic. & potest Episcop. allegat.* 51. *n.* 137. & alij. Et ita, vt audio, in S. Pœnitentiaria recipitur. Dixi *regulariter*, quia ex calidi-

ditate, vel frigiditate matris aliter contingere poterit. Azor. relatus ex Armilla, & Syluestro. Imò secundum alios animatio, & formatio fœtus aliquando citius contingit tam in maribus, quam in fœminis. Bonacina *de restit. disp.* 2. *quæst. vlt. sect.* 1. *punct.* 7. *num.* 4. In dubio autem, id est, non constito an fœtus sit masculus, an fœmina censetur masculus, quia in dubiis tutior pars est eligenda, & ita practicatur in pœnitentiaria. Naldus *in Summa ver. Abortus numero* 2. Barb. *de offic. & potest, Episcop. alleg.* 51 *numero* 128.

11 Quod mulier ipsa prægnans abortum proprium procuret probabile est, non idcirco incurrere prædictam excommunicationem, etiamsi incurrat alias pœnas in Constitutione Sixti designatas. Ratio est, quia licet ipse Sixtus in prædicta Constitutione in prima parte ipsius varias pœnas temporales inflixerit contra huiusmodi scelus perpetrantes, in secunda vero, quæ incipit ab illis verbis *Insuper vt immanissimi*, vbi pœnam excommunicationis infligit, nullam prorsus mentionem facit mulieris prægnantis proprium procurantis abortum, in hoc forsan compatiendo eius sexus fragilitati, cum tamen in prædicta prima eius parte semel ac iterum expresse meminerit eiusdem fœminæ, vt legenti constabit, quo denotari videtur hanc pœnam excommunicationis non Imposuisse ipsi, sed alias temporales. Nec obstat, quod in dicta secunda parte loquatur de fœmina siue principali, siue socia, quia illa vox principalis intelligi debet de principali in dando medicamenta, seu pocula pro abortu. Naldus *in Summa verbo Abortus num.* 1. Hoc tamen intelligi debet ex vi ipsius Constitutionis Sixti præcisè sumptæ, nam vt Bonacina *de legib. disp.* 2. *q.* 1. *punct.* 4. *n.* 6. dicit oppositum est vsu receptum.

12 Similiter licet fœmina prægnans cui ex iudicio medicorum necessarius est abortus fœtus iam animati ad effugiendam mortem, non possit adhibere medicinas, pharmaca, aut venena directè tendentia ad occisionem fœtus, cum innocentem per se, & directè occidere semper sit illicitum, medicinas autem quæ per se, & directè ordinatæ sunt ad sanitatem ipsi conferendam licet per accidens ex illis timeatur fœtus occisio, adhibere non est illicitum. Ratio est, quia cum talis fœmina habeat ius ex lege naturali ad propriam vitam conseruandam per media licita, & ordinata ad talem finem non est ratio cur negetur id posse facere etiamsi per accidens sequatur mors fœtus, sicut licitum est innocentem per accidens ad defensionem sui occidere, & sicut posset eadem fœmina si ab aliqua fera inuaderetur fugere cum periculo occisionis fœtus. Sanchez *lib.* 9. *de Matrimonio disp.* 20. *num.* 14. Laymanus *lib.* 3. *de Iustitia tract* 3. *part.* 3. *cap.* 4. §. *si autem.* Verumtamen si casus esset, quod crederetur, non adhibito tali medicamento, etiamsi moreretur mater, fœtum viuum in lucem edendum, & baptizandum, non posset adhiberi etiam stante tali periculo mortis matris. Ordo enim charitatis postulat, vt vita spiritualis animati fœtus præferatur vitæ corporali ipsius matris. Laymanus *ibidem.* Quid vero dicendum sit in casu quo medicamenta æque directè tendant in mortem fœtus, & in salutem matris, vel si illa sint dubia, agunt Sanchez *supra numero* 18 & 19. Villalobos *in Summa to.* 2. *tract.* 12. *dub.* 13. *num.* 2. Diana *tract.* 5. *Miscell. resolut.* 11. Sed quidquid dicatur, semper salus spiritualis fœtus anteponi debet vitæ corporali matris.

13 Quicunque viri qui aliquo ex prædictis modis, scilicet auxilio, consilio, vel fauore abortum fœtus animati peccaminosè procurauerint, effectu secuto, incurrunt irregularitatem ex homicidio voluntario. Ratio est, quia sic delinquentes sunt veri homicidæ. Vt enim ait Tertullianus *in Apologet. cap.* 3. *homicidij festinatio est prohibere nasci, nec refert natam quis eripiat animam an disturbet nascentem, homo est, qui futurus.* Sic etiam communiter omnes. Dixi *quicunque viri*, qua fœminæ etiam si tale delictum perpetrauerint non fiunt irregulares, quia non sunt capaces irregularitatis sicut nec Sacrorum Ordinum susceptionis. Cornexo *tract.* 5. *de irregularit. disp.* 4. *dub.* 1. Dixi etiam *effectu sequuto*, quia etsi datum fuisset quodcumque remedium ad faciendum abortum fœtus animati, si tamen fœtus viuus exiuit in lucem non incurretur irregularitas, quæ solum vero homicidio infligitur, & iuxta Iuristas conatus ad crimen non punitur pœna ipsius ordinaria. Portellus *in dub. Regul. verbo Abortus num.* 7. In dubio etiam de homicidio sequuto, qui fuerit causa talis abortus censetur irregularis, ita vt si dubitetur an fœtus inanimis, vel animatus esset, qui est causa illius pro irregulari habebitur. Ratio est, quia dubius dubio facti de irregularitate saltem in materia homicidij communiter habetur pro irregulari, *cap. ad audientiam cap. significasti el* 2. *cap. penult de homicid.* Sanchez *de præceptis decalogi lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 42. & 43. post plures alios. Et si oppositum probabile censcat Diana 4 *part. Tract.* 2. *de Irregularit. Resol.* 16.

An vero Prælati Regulares possint super hac irregularitate dispensare cum suis subditis, quando casus est occultus, quærunt aliqui. Et Portell. *supra numer.* 10. contra Rodriguez respondet affirmatiue. 14
Quia tamen hæc irregularitas est, vt dixi, ex homicidio voluntario, videnda sunt, quæ attuli *tom.* 1. *cap.* 18 *n* 44. & notandum quod priuilegium Martini V. cui inniti videtur Portell. relatus, fuit viuæ vocis oraculum, vt dixi dicto *n.* 44. Vnde his tẽporibus, quando omnia viuæ vocis oracula reuocata sunt à Greg. XV. & SS. D. N. Vrbano, iuxta dicta *tom.* 1. *c.* 23. *n.* 21. nihil valet Quod maximè notandum est, non solum pro Cassarubio, Corduba, Rodriguez, Sorbo, & aliis, qui ante prædictas reuocationes scripserunt, sed maximè pro hoc authore, quia sæpius innititur in suis sententiis huiusmodi viuæ vocis oraculis iam reuocatis. Probabilius id dicere poterat propter priuilegium Pauli III. per Bullam concessum Benedictinis Vallisoletanis, quod refero infra verbo *Irregularitas num.* 72. Sed notandum, quod cum Sixt. V. in sæpius relata Constitutione huius irregularitatis dispensationem soli Summo Pontifici reseruauerit, sublatis omnibus, & quibuscumque priuilegiis Religionum, & quo ad hoc punctum de abortu non sit moderata prædicta Constitutio à Gregorio XIV. ideo attendere debent Regulares si habent aliquod priuilegium quoad hoc à posterioribus Pontificibus post Sixtum concessum.

Incurrunt etiam prædicti irregularitatem infamiæ 15
iuris quandocumque fuerint condemnati, vel quando crimen fuit notorium de iure, vel de facto, vt tradit Thesaurus *supra* §. *Quinto irregularitatem.* Qui etiam animaduertit §. *Tandem*, quod supplicans in Pœnitentiaria pro dispensatione super irregularitate in hoc delicto debet exprimere, si erat fœtus à se genitus, quia est casus difficilior ad dispensandum, Pro dispensatione etiã in his irregularitatibus cõsulenda dicenda infra verbo *Infamia*, & verbo *Irregularitas.*

Casu quo aliquis saltans cum fæmina prægnante 16
saltatione consueta ipsa fœtum animatum eiiceret non esset irregularis, secus si vsus esset saltatione immoderata. Quia in hoc casu, non in priori censeretur

tur causa abortus. Similiter ipsam percutiens, aut cum illa coiens absque debita cautione ne mors fœtus animati sequatur, erit irregularis abortu sequuto, propter eamdem rationem. De his casibus Suarez *de censuris disp. 45. sect. 2. num. 5. & sect. 6. num. 11.* Bonacina etiam *de censuris disp. 7. quæst. 4. punct. 7. num. 22.*

17 Qui approbauit, seu ratum habuit suo nomine iam factum abortum fœtus etiam animati, etsi peccauerit mortaliter, quia complacet de crimine graui, non tamen incurrit irregularitatem, aut alias pœnas, illæ enim solum statuuntur pro illo, qui cooperatus est ad abortum, iste autem nullo modo cooperatus fuit, Portellus *in dubiis Regul. verbo Abortus in addit. num. 3.* Addens oppositum debere dici de eo, qui approbauit abortum antequam fieret, aut dum fieret, quia iam esset causa illius tali approbatione, & de illo, qui dixit fœminæ antequam fœtus esset animatus, quod procuraret abortum illius, ipsa verò id fecit postquam animatus erat. Quod intellige, si hoc fuit ipso sciente, nec repugnante, aut non reuocante suum mandatum. Pro quo vide dicenda verbo *Irregularitas num. 71.*

18 Plures etiam volunt, quod si pater fœtus animati cui mater prægnans dicit se velle procurare abortum taceat, nihil aliud faciendo, incurrat omnes pœnas designatas à Sixto V. quod est satis probabile, quia ex iustitia tenebatur impedire abortum cum sit pater illius fœtus. Naldus *in Summ. verb. Abortus num. 5.* Portellus *in dub. Regul. verb. Abortus n. 14.* referens Rodriguez.

19 Prædicti etiam, qui aliquo ex modis Assignatis sunt causa abortus fœtus animati, si Clerici fuerint etiam Regulares incurrunt pœnas priuationis, & inhabilitatis, quas Sixtus V. in prædicta Constitutione superius adducta designauit, & quas Gregorius in sua alia Constitutione etiam relata in suo vigore manere decreuit. Rodriguez *in addit ad summ. tom. 3. cap. 13. num. 4.* Portellus *supra num. 8.* Nec video aliquod priuilegium per quod Regulares à suis Prælatis in istis pœnis dispensari possint, cum Sixtus omnia priuilegia Religionum quo ad id abstulerit, nec Gregorius in sua Cōstitutione aliquid circa hoc innouauerit. Ex vi tamen priuilegij Gregorij XIV. de quo supra *num. 8.* dixi, videtur posse aliquas earum tolli, concedit enim Pontifex ibi Præfecto Generali Clericorum Regularium Ministrantium infirmis, vt per se vel per alios ad id munus deputatos possint absoluere suos subditos à quibuscumque pœnis à iure, vel ab homine, non tamen nominatim quomodolibet latis in foro conscientiæ tantum. Quo priuilegio etiam potientur alij Regulares habentes communicationem priuilegiorum cum ipsis. Quia tamen in illo non includuntur pœnæ illæ, quæ sunt reseruatæ. Sedi Apostolicæ, ideo cautè procedendum In dubio autem animationis fœtus non incurruntur istæ pœnæ, quia hoc est speciale irregularitati, quod in dubio facti homicidij incurratur, iuxta dicta supra *numero 13.* propter iura ibi relata, quod non procedit in huiusmodi pœnis: præsertim cum pœna ordinaria statuta delicto certo non sit imponenda delicto dubio. Vasquez *1. 2. quæst. 19. art. 6. disp. 66. c. 1. num. 5.* Sanchez *de præcept. decalog. lib. 1. cap. 10. num. 45.*

20 Similiter prædicti Clerici, & Regulares delinquentes, qui causa fuerint abortus fœtus animati tradendi sunt in foro externo curiæ, & brachio sæculari depositi, & degradati puniendi pœna homicidarum, & tamquam veri homicidæ. Ita enim habet Sixti Constitutio relata, nec in hoc moderata à Greg. Quaranta *verbo Abortus num. 6.* Rodriguez *tom. 2. quæst. 33. art. 4. in fine.* Imò procurans abortum malis medicamentis, non gaudet immunitate Ecclesiastica, prout ex declaratione Sacræ Congregationis refert Barbosa *in Collectan. Bullar. verbo Abortus.* Vide, quæ dixi *tom. 1. cap. 18. num. 83.* & quæ dicam infra circa immunitatem Ecclesiasticam verbo *Immun. Ecclesiarum n. 12.*

Qui fuerint causa partus etiam viui tam intempestiui tamen, vt nullo modo longo tempore viuere possit, abortum causare dicentur, quia idem est non nasci viuum, ac tam immaturè nasci, vt diu viuere non possit. Flauius Cherubinus *in Compend. Bullar in constit. 87. Sixti V. Schol. 2.* referens Tiraquellum, & Gutierez. Quare tales, vt credo, abortus pœnas incurrent, quia sunt veri homicidæ. 21

Demum pro explicatione illius vocis *Apochas*, quæ est in Constitutione Sixti V. nota eam significare scripturam in qua creditor se pecuniam accepisse testatur, vulgo Quitantiam vocant. Ita enim habent Calepinus & Thesaurus linguæ latinæ, Ex eo autem apposita videtur à Pontifice in ea Constitutione inter ea quibus procurantes abortum ad illum concurrere solent, quia tales scelerati aliquando mittunt istas apochas, seu quitantias suis debitoribus significantes se pecuniam illis debitam ab ipsis accepisse, eos hoc pretio ad simile facinus abortus procurandi allicientes. 22

ABSOLVTIO.

SVMMARIVM.

Nulla absolutio dari potest sola mente, aut animo. numero 1.
Quæ sit forma absolutionis à peccatis. ibid.
Quæ sit forma absolutionis à Censuris. ibid.
An solis illis verbis Absoluo te *absoluantur peccata, & Censuræ. n. 2.*
An requiratur expressio nominis Censuræ à qua quis absoluitur. n. 3.
An requiratur expressio causæ propter quam incursa fuit Censura. n. 4.
Vna Censura auferri potest sine alia. n. 5.
Secus dicendum de peccatis mortalibus. ibid.
Quando possit dari absolutio Censuræ extra confessionem. n. 6.
Quid importet verbum illud in foro conscientiæ. *ibidem.*
Quid illud in foro pœnitentiæ. *ibid.*
Quid illud iniuncta, seu peracta pœnitentia. *ibidem.*
Absolutus à Censura solum in foro conscientiæ qualiter se gerere debeat. n. 7.
Qualiter absolutio publica impendenda. n. 8.
An satisfactio partis læsæ præcedere debeat. n. 9.
An ea sit de substantia absolutionis. ibid.
Quid de absolutione in foro conscientiæ. ibid.
An absolutionem ab excommunicatione præcedere debeat iuramentum. n. 12.
Quale sit hoc iuramentum, & à quibus petendum. ibidem.
An absolutio à peccatis, vel Censuris dari possit sub conditione. n. 11.
Absolutio Censuræ debet esse voluntaria, non coacta. num. 12.
Quid requiratur ex parte absoluentis ad valorem absolutionis. n. 13.
An non Sacerdos absoluere possit. ibid.

Absoluens,

Absoluens, & absoluendus distincti esse debent. numero 14.
Inuitus an possit absolui à peccatis, vel Censuris. numero 15.
Absens absolui potest à Censuris, non à peccatis. numero 16.
Alia remissiuè. n. 17.

1 Nvlla absolutio dari potest sola mente, aut animo, à quocumque Prælato, aut Confessario Regulari. Ratio est, quia vel est Sacramentalis, & à peccatis vel solum à censuris, si primum, cum sit pars Sacramenti, scilicet forma pœnitentiæ debet esse sensibilis, sicut & ipsum Sacramentum. Si secundum, cum sit actus iurisdictionis humanæ debet humano modo exerceri, ac per consequens non sola mente, aut animo, S. Thom. 3. *part. q.* 84. *art.* 3. & expositores *ibid.* Suar. *de censuris disp.* 7. *sect.* 9. Vnde ad absolutionem à peccatis, seu Sacramentalem requiruntur verba illa scilicet *Absoluo te.* Concilium enim Florent. in litteris vnionis dicit Sacramenta constare rebus, & verbis, & in specie loquens de pœnitentia dicit formam illius esse verba absolutionis. Expositores S. Thom. relati. Quare parum probabilitatis habet sententia existimantium absolutionem Sacramentalem posse dari signis, vel in scriptis, apud Henriquez *lib.* 4. *de pœnitentia cap.* 11. *in commentar. littera M.* Absolutio vero à censuris non requirit verba, sed in scriptis, aut per signa dari potest, vt sic. n. sufficienter exercetur humano modo potestas iurisdictionis, nec aliud est à iure requisitum Cornexo *de censuris disp.* 11. *dub.* 3. De Papa vero quidam dicunt posse absoluere à censura solo animo. Ita Naldus *in Summ. verbo absolutio à censuris num.* 1. Hoc tamen videtur difficile. Etsi enim Papa propter supremam potestatem, & quia ipse non subiicitur formæ iuris communis possit absoluere à censuris absque nutibus, signis, aut scriptura exprimentibus dictam absolutionem, in quo superat omnes alios Prælatos ipso inferiores, quia tamen eius etiam potestas humano modo exerceri debet, ideo ad absolutionem hanc præstandam præter voluntatem & intentionem ipsius requiri videtur aliquod opus externum, puta locutionem, salutationem, vel quid simile, ex quo colligi possit ipsius intentio, vel saltem quo ipse declaret se habere illam. Clement. vltima *de sentent. excommunicat.* Cornexo *supra.* Bonacina *de Censuris disp.* 1. *q.* 3. *punct.* 5. *n.* 6.

2 Possunt prædicti iis solis verbis *absoluo te* absoluere à peccatis, & censuris simul, modo intendant vtrumque facere. Illis enim verbis sufficienter significatur sensus formæ Sacramentalis, & relaxatio vinculi censuræ. Nauarrus *de pœnitent. dub.* 6. *cap.* 1. Henriq. *lib.* 4. *cap.* 11 *num.* 3. In quo casu absolutio ab excommunicatione erit prior natura absolutione à peccatis. Quia tamen modus absoluendi prius à censuris, & postea à peccatis certior est, & secundum vsum Ecclesiæ, ideo ipso vti debent Confessarij, nisi in casu quo pœnitens esset tam proximus morti, vt non esset tempus ad id faciendum. Bonac. *de censuris disp.* 1. *q.* 3. *punct.* 5.

3 Similiter licet ex vsu Ecclesiæ requiratur expressio nominis censuræ à qua quis absoluitur, excommunicationis videlicet, suspensionis, &c. quantum ad validitatem tamen absolutionis non videtur necessaria. Primò, si absoluens vteretur nomine communi censuræ, non autem speciali excommunicationis, suspensionis, &c. vt si diceret absoluo talem à censura, vel censuris. Secundò, quando præcessit aliquid quo determinetur ipsa censura, vt si præcessit confessio, vel probatio illius, tunc enim ratione illius quod præcessit, sufficienter determinaretur intentio absoluentis, & significatio verbi *absoluo*, sicut propter eamdem rationem in Sacramento pœnitentiæ, quia præcessit confessio peccatorum, sufficit dicere *absoluo te*, nulla facta peccatorum mentione. Suarez *de censuris disp.* 7. *sect.* 9. *num.* 4. Cornexo *de Censur. disputatio.* 11. *dub.* 3. Addunt ij Doctores, quod si non præcessit aliquid quo determinentur intentio, & verba absoluentis, vt si absolutio detur inuito, absolutionem non esse validam, quia non esset tale determinatiuum. Sed dicerem, etiam tunc eam esse validam ex parte sua, licet propter Ecclesiam, & eum qui absolueretur necessaria esset maior expressio.

Multo minus requiritur ad validitatem absolutionis à censura expressio causæ propter quam fuit incursa, verbi gratia percussio Clerici, &c. Ratio est, tum quia expressio causæ nullo iure communi præscribitur in absolutione, tum quia intentio absoluentis sufficienter exprimitur sine expressione causæ censuræ. Cornexo *supra*, Bonacina *de Censuris disputatione prima quæst.* 3. *punct.* 5. *num.* 7. Per accidens tamen dicunt (illi) requiritur expressio causæ, quando scilicet aliquis est irretitus pluribus censuris, & absoluens solum intenderet absoluere ab vna. Sed tunc, iuxta superius dicta, solum id videtur necessarium propter Ecclesiam, & eum qui absoluitur, non propter absolutionem ipsam. Quoad praxim tamen obseruanda sunt iura particularia Ecclesiarum, & Religionum. 4

Licet vnum peccatum mortale auferri non possit sine alio, eo quod mortale non aufertur nisi per gratiam sanctificantem, quæ æque opponitur cunctis peccatis mortalibus, nihilominus vna censura auferri potest, alia remanente. Ratio est, quia non est necessaria connexio inter illas, non solum loquendo de iis, quæ sunt diuersæ rationis, v. g. excommunicatione, & suspensione, sed & de iis etiam, quæ sunt eiusdem rationis verbi gr. excommunicatione pro percussione Clerici, & pro dimissione habitus religiosi. S. Th. *in* 4. *dist.* 18. *q.* 18. *art.* 6. Suarez *disp.* 7. *sect.* 9. Vnde petens absolutionem ab vna censura solum absoluitur ab illa, Absolutio enim accommodatur petitioni. Si autem petens non excludat alias, & in absoluente sit potestas ad omnes, & ab omnibus manebit absolutus. Nam ex parte pœnitentis, & absoluentis præsumitur voluntas generalis. Bonacina *de Censuris disp.* 1. *quæst.* 3. *punct.* 6. *n.* 2. Hinc bonum consilium est pœnitenti in confessione petere absolutionem generalem ab omnibus censuris, si enim Confessarius habeat facultatem generalem illas auferendi, remanebunt ablatæ. Nauarrus *cap.* 26. *n.* 12. Sayrus *lib.* 2. *c.* 2. 5

Potest dari absolutio censuræ extra confessionem. Primo quidem, ab habente iurisdictionem Ordinariam ad illam auferendam, cum nullo iure astringatur ad id faciendum in confessione. Secundò, ab habente iurisdictionem etiam delegatam, quando illi concessa est facultas absolutè, & sine restrictione, talis enim facultas generaliter intelligenda est. Quando verò facultas conceditur determinatè, scilicet *in Sacramentali confessione*, *confessione audita*, vel simili modo, non poterit dari absolutio censurarum extra confessionem. Facultas enim delegati exerceri non potest, nisi iuxta voluntatem delegantis. Suarez *disput.* 7. *sect.* 5 *num.* 36. Filliuccius *tract.* 11. *cap.* 9. *quæst.* 8. *num.* 294. Quando autem facultas datur tantum pro foro conscientiæ, probabile etiam valde est 6

est posse dari absolutionem etiam extra Sacramentum pœnitentiæ, iuxta dicta *tom.* 1. *cap.* 18. *num* 45. Verbum enim illud *in foro conscientiæ tantum* solùm denotat illam absolutionem à censura non prodesse suscipienti quo ad Ecclesiam, sed dumtaxat quo ad Deum, & salutem animæ. Vnde poterit dari coram aliquibus, licet non cum strepitu iudicij, præiudicio tertij, aut Fisci. Peirinis *tom.* 1. *priuilegiorum Minimorum in Constitutione Pyrri num.* 43. De facultate tamen absoluendi *in foro pœnitentiæ*, quamuis Suarez *lib.* 8. *de legibus cap.* 6. *num.* 16. & Bonacina *de Censuris disp.* 1. *quæst.* 3. *punct.* 6. *num.* 8. & 9. dicant posse illa vti eum cui datur etiam extra Sacramentum pœnitentiæ, absoluendo aliquem à censura, & imponendo illi aliquam pœnitentiam, quod dicunt solum denotari per verbum illud *in foro pœnitentiæ*. Immerito tamen ita sentiunt, forum enim pœnitentiæ, nihil aliud est, quam Sacramentum pœnitentiæ, & quoties Pontifices, vel alij Prælati Superiores volunt, quod pœnitens non absoluatur nisi imposita pœnitentia, id exprimunt aliis verbis, videlicet *iniuncta pœnitentia, peracta pœnitentia, &c.* Rodriguez *tom.* 1. *q.* 61. *art.* 10. Sanchez *lib.* 8. *de matrimon. disp.* 34. *num.* 29.

7 Absolutus à censura, excommunicatione, v.g. *in foro conscientiæ, foro pœnitentiæ*. vel *Sacramentaliter* tantum, licet quo ad illos, qui nesciunt esse absolutum, se gerere debeat, ac si adhuc irretitus maneret censura, propter scandalum vitandum, absolutè tamen, & quoad alios, vel coram aliis, qui vel ignorant eum incurrisse censuram, vel sciunt esse absolutum, potest actus per censuram prohibitos exercere, v. g. si fuerit excommunicatus celebrare, communicare, &c. Ratio est, quia tali modo absolutionis liberatus est quoad Deum, quoad conscientiam, & quoad illos homines ab illa censura, nihil ergo est, quod illum prohibeat exercere, quæ alias sine censura posset. Poterit tamen à Iudice, vel Superiore si denuncietur, pro illa puniri, obligari ad satisfaciendum parti læsæ, si quæ fuit, & iterum absolui, seu declarari absolutus, adhibito etiam testimonio illius, qui eum absoluit in foro conscientiæ, &c. vel etiam confessarij id testificantis de licentia pœnitentis. Absolui enim aliquem *in foro conscientiæ tantum* est absolui saluo iure Iudicis, vel Superioris ad faciendum ea, quæ debet. Suarez *de Censuris disp.* 2. *sect.* 7. Bonacina *de Censuris disput.* 1. *quæst.* 3. *punct.* 10. Poterit quoque Iudex, vel Superior, huiusmodi absolutionem acceptare pro foro externo etiam. Laymanus *lib.* 1. *tract.* 5. *par.* 1. *cap.* 7. *num.* 7.

8 Quamuis absolutio censuræ in foro interno, pœnitentiali, seu Sacramentali, communi, & ordinario modo fieri debeat, prout constat non solum ex vsu Ecclesiæ, sed ex viuæ vocis oraculo Leonis X pro Minoribus, quod refert Cassarubius *in Compend. priuilegior. Mendicant. verb. Absolutio quoad saculares* 1. *num.* 13. de quo inter alios Ioannes Sancius *in select. disp.* 6. absolutio tamen publica solemnis impendenda est iuxta formam præscriptam in *cap. à nobis de sentent. excommunicat.* nisi oppositum communi vsu receptum fuerit. Absoluendus ergo ab excommunicatione super nudatos humeros, si fuerit vir, leuiter cedi debet virga, aut flagello, dum recitatur Psalmus *Miserere*, aut alius pœnitentialis. Postmodum dicto *Gloria Patri, Kyrie eleison, &c. Pater noster, &c.* Vers. *Saluum fac seruum tuum, &c. Domine exaudi &c. Dominus vobiscum, &c.* dicat Orationem *Deus qui proprium est misereri semper & parcere, &c.* deinde subiungat, *Authoritate qua fungor absoluo te à vinculo excommunicationis quod incurristi propter hanc vel illam causam & restituo te Sacramentis Ecclesiæ, & communioni fidelium in nomine Patris, &c.* Tolet. *in summ. lib.* 1. *capite* 14. *numero* 10. Quæ forma, etiamsi non sit de essentia absolutionis, ex vsu tamen Ecclesiæ obseruari debet, itaut sine aliqua culpa non prætermittatur, nisi adsit necessitas, aut alia rationabilis causa. Suarez *tom.* 5. *disp.* 19. *sect.* 2.

Præcedere tamen debet absolutionem à censura, quæ incursa est cum damno tertij satisfactio partis læsæ, in totum si fieri potest, vel saltem secundum eam partem, quæ possit præstari, vel casu, quod nec integra satisfactio, nec in parte præstari tunc possit, ad minus adhibenda est cautio pignoratitia, si fieri potest, sin autem saltem fideiussoria: quod si nec hæc præstari possit, saltem dari debet cautio iuratoria de prædicta satisfactione præstanda, hoc enim totum necessarium est pro conseruando illæso iure tertiæ personæ, cui facta est iniuria, iuxta doctrinam Nauarri *in Man. cap.* 26. *num.* 7. Ita enim colligitur ex *cap. Parochian. de sentent. excommunic.* & ex vsu Ecclesiæ. Nomine verò satisfactionis partis læsæ intelligitur honoris, vel famæ, vel aliorum bonorum, vel saltem petitio veniæ pro iniuria. Sotus *in* 4. *distinct.* 22. *quæst.* 5. *art.* 3. Henriquez *in summ. lib.* 13. *cap.* 28. Hæc porro satisfactio licet non sit de substantia, seu essentia absolutionis, itaut sine illa non valeat, cum nullo iure id caueatur, & expresse id teneant Doctores, specialiter Syluester *verbo absolutio* 3. *num.* 3. & Nauarrus *cap.* 27. *num.* 37. nihilominus absoluens à censura non præmissa satisfactione peccat contra charitatem, non pro curando restitutionem damni illati proximo. Imò etiam contra iustitiam, si ex officio id illi incumbat. Henriq. *lib.* 13. *cap.* 28 Bonacina *de censuris disp.* 1. *quæst.* 3. *punct.* 9. *numero primo*. Imò habens facultatem limitatam ad absoluendum, scilicet satisfacta parte, non solum illicitè, sed inualidè absoluit. Iurisdictio enim limitata non extenditur vltra limites præscriptos, tantum enim valet quantum sonat. Naldus *in summ. verbo absolutio à censuris num.* 15. Bonacina *supra*. Licet de absolutione lata vi Bullæ Cruciatæ oppositum sit probabile, vt dicam verbo *Bulla Cruciatæ numero* 32. Habens autem facultatem delegatam, seu priuilegium sine limitatione satisfactæ partis valide absoluit sine illa. Quia priuilegium accipiendum est prout verba sonant. Hoc autem priuilegium nullam limitationem includit. Nauarrus *loco relato*. Suarez *disp.* 7. *sect.* 5. *numero* 42. Hæc verò omnia procedunt in absolutione quoad forum externum. In Sacramentali enim, seu foro conscientiæ sufficit, quòd pœnitens proponat facere eam satisfactionem quam primum poterit, creditur enim pœnitenti in hoc foro. Naldus *supra*. ex Rituali Romano iussu Pauli V. edito. Hic nota, quod si quis post præstitam cautionem, seu iuramentum de satisfaciendo, postea satisfacere negligat non recidit in censuram à qua fuit absolutus, cum id iure expressum non sit, poterit tamen à Iudice iterum excommunicari, *cap. ad reprimendam de Officiorum Ordinar.* Laymanus *lib.* 1. *tract.* 5. *part.* 2. *capite* 6. *num.* 8.

Præcedere etiam debet absolutionem ab excommunicatione in foro externo iuramentum de non committendo amplius illud delictum. Ita enim habetur *cap. ex tenore.* & *cap. de cætero. de senten. excommunicat.* & *cap. pessimam.* 23. *quæst.* 8. & tradunt communiter Doctores. Quorum aliqui dicunt hoc iuramentum debere esse de parendo mandatis Ecclesiæ, alij verò de parendo mandatis Superioris absoluen- 10

absoluentis. Sed in idem recidit vtrumque. Nam non debet hoc intelligi de iuramento generali obediendi omnibus Ecclesiæ præceptis, cum ex nullo iure hoc constet, sed de obediendo illi præcepto, quod absoluens imponere debet excommunicato, quod tantum debet esse de illo crimine non amplius perpetrando, prout habetur in iuribus relatis. Suarez *tom.* 5. *de censuris disp.* 19. *sect.* 2. *num.* 10. Sanchez *in præcept. Decalog. lib.* 2. *cap.* 13. *num.* 22. Conueniunt autem fere omnes hoc iuramentum petendum non esse, nisi in absolutione ab excommunicatione ob magna crimina. Quia ex iure nihil aliud colligi potest: dum enim id petit, loquitur solum de incendiariis, & manifestis Clericorum percussoribus. Caietanus *in summ. verbo absolutio capite pen.* Suarez, & Sanchez relati. Nec hoc iuramentum est de substantia absolutionis, licet non debeat prætermitti. Syluester *verbo absolutio* 3. *num.* 3. Petitur vero etiam à fœminis. An vero etiam à pueris, relinquitur arbitrio Superioris, vt penset an eo rationis vsu gaudeant, vt iuramentum æstiment. Syluester *supra* Sanchez *numero* 19. Vide dicenda verbo *Bulla Cœnæ numero* 53.

11 Absolutio quæcumque siue à peccatis, siue à censuris, dari potest valide sub conditione de præsenti, siue de præterito, vt si dicatur, *absoluo te, si hoc egisti aut si indiges, &c.* huiusmodi enim conditiones non suspendunt actū, & absolutiones datæ sub illis æquiualent absolutis. Si enim conditiones subsistunt absolutiones tenent, si non subsistunt, nihil operantur, quia conditio nihil ponit in esse. Illicitè tamen adhibentur quando sine causa rationabili ponuntur, quia impertinenter, & aliquo modo irreuerenter. Causa tamen rationabili posita, licitè id fieri potest. Primò, in absolutione à peccatis, quando verbi gratia, Confessarius dubitat an pœnitens habeat peccata, vel an ipsum absoluerit. Vasquez *de pœnit. quæst.* 84. *art.* 3. *dub.* 5. Reginaldus *lib.* 8. *numer.* 6. Deinde, in absolutione à censuris, vt si dicat absoluens absoluo te ab excommunicatione, *si eam incurristi*, aut *si teneris vinculo illius*, *&c.* Idque constat in absolutione, quæ ex vsu Ecclesiæ datur ad cautelam, quando scilicet dubitatur an contracta fuerit censura, datur enim tunc absolutio sub conditione si pœnitens indiget, vel si contraxit, &c. Cornexo *de censuris disp.* 11. *dub vult.* Absolutio vero à peccatis, seu Sacramentalis nullo modo potest dari sub conditione de futuro, ita vt hoc modo data non solum illicita, sed etiam inualida sit. Ratio est, nam vel illa valet quando datur vel quando adimpletur conditio, non primum, cum absoluens non intendat quod tunc habeat effectum, & intentio Ministri necessaria sit ad Sacramenti effectum: neque secundum, quia tunc non ad est materia, & forma, ergo. Vasquez & Reginaldus relati. Absolutio tamen à censuris sub prædicta conditione de futuro valida est, & licita, si conditio illa sit rationabilis, vt si dicatur absoluo te ab excommunicatione *si satisfeceris, restitueris, &c.* cum enim censura ferri possit sub conditione de futuro, non est ratio cur & absolutio non possit dari eodem modo. Sayrus *lib.* 2. *cap.* 16. *numero* 7. Cornexo *supra.* Absolutio vero data sub conditione de futuro impertinenti, & irrationabili, vt si dicat absoluens, ego, te absoluo ab excommunicatione *si cras pluerit*, licet illicita sit & imprudens, quia est abusus potestatis spiritualis, cum per illam fiat, quod actus illius pendeat à re impertinenti, valida tamen videtur, cum simili modo valida sit absolutio sub conditione de præsenti, aut de præterito etiam impertinenti. Ægidius Coninch. *de Sacram.* *disput.* 13. *dub.* 2. *num.* 17. & *disput.* 14. *dub.* 16. *numer.* 213. Bonacina *de Censur. disput.* 1. *quæst.* 3. *punct.* 7.

Absolutio censuræ debet esse voluntaria, libera, & non coacta, seu extorta per dolum, vim, aut metum cadentem in virum constantem, ita vt aliter data non solum illicita sit ex parte extorquentis, propter grauem iniuriam, quæ irrogatur Superiori à quo extorquetur, sed etiam sit irrita, & inualida. Ita enim habetur ex *cap. vnico de iis, quæ vi, metusue causa fiunt in* 6. vbi Ecclesia in fauorem Ecclesiasticæ potestatis id disponit. Caietanus *verb. Excommunicatio casu* 41. Nauarrus *cap.* 27. *num.* 125. Cornexo *de Censuris disput.* 11. *dub.* 4. Vbi etiam decernitur quod qui per vim, vel metum absolutionem extorquet, nouam excommunicationem incurrit Sayrus *lib.* 2. *cap.* 21. Cornexo *supra.* Ea tamen non est reseruata. Thesaurus *in prax part.* 2. *verbo absolutionem à censuris extorquens c.* 9. 12

Ex parte absoluentis requiritur ad valorem absolutionis Sacramentalis, seu à peccatis, potestas ordinis, & iurisdictionis iuxta dicta *tom.* 1. *Summæ p.* 1. *cap.* 19. ex Concil. Trident. *sess.* 23. *capite* 15. Ad valorem tamen absolutionis à censuris, licet requiratur, quod absoluens sit Clericus, quia ille solus est capax iurisdictionis Ecclesiasticæ, cuius actus est absolutio à censuris, quemadmodum propter eamdem rationem idem requiritur ad ferendum censuras. Nihilominus quemadmodum ad ferendum censuras non est necessarius Ordo Sacerdotalis, sed sufficit inferior, imo & prima tonsura, sic etiam sufficiet ad absoluendum ab illis. Suar. *dsp.* 7. *sect.* 6. *n.* 2. Naldus *in Summ. ver. absolutio à cens. numero.* 3. Quare si casus esset, quod in aliqua Religione conuersi essent Prælati, sicut illi non sunt capaces iurisdictionis Ecclesiasticæ, ac proinde nec possent ferre censuras, iuxta dicta *tom.* 1. *p.* 2 *c.* 8. *n.* 18. sic nec ab illis absoluere Secus vero si tales Prælati essent clerici saltem in minoribus, aut in prima tonsura constituti, quia tales sunt capaces iurisdictionis in foro externo, & iudiciali. In mortis etiam articulo licet quilibet Sacerdos etiam alias non habens iurisdictionem siue Ordinariam, siue delegatam possit absoluere à quibuscumque peccatis, & censuris quantumuis reseruatis, ex doctrina Concilij *sess.* 14. *cap.* 7. probabilius tamen est hoc non posse competere aliis Sacerdote inferioribus, siue laicis, siue etiam Diaconis, aut Subdiaconis. Concilium enim solum hoc tribuit Sacerdotibus nec est aliquod ius quo id concedatur inferioribus. Suarez *supra num.* 6. Sayrus *lib.* 2. *cap.* 21 *n.* 3. Lugo *de Sacrament. Pœnit. disput.* 18. *sect* 1. *num.* 4. & 7. Quamuis Cornexo *supra*, quod attinet ad absolutionem à censuris, oppositum existimet probabile cum Syluestro *verb. absolutio* 1. *n.* 8. & aliis. De censuris porro siue reseruatis, siue non reseruatis à quibus absoluere possunt Prælati Regulares suos subditos, dixi *tom.* 1. *cap.* 18. *n.* 29. & sequentibus. 13

Ex parte absoluendi requiritur ad absolutionem, quod ille sit distinctus ab absoluente, ita vt nullus possit se ipsum siue à peccatis, siue à censuris absoluere. Absolutio enim actus iurisdictionis est, quæ non exercetur nisi in subditos, ac per consequens in alios. Suarez *de censuris disp.* 7. *sect.* 7. Bonacina *de censuris disp.* 1. *q.* 3. *punct.* 4. Vnde casu quo Prælatus Regularis in censuram aliquam incidisset non posset seipsum absoluere, sed ab alio absoluendus est. Quid vero agendum in casu in quo in vno Monasterio Prælatus, & subditi essent excommunicati ob violentam manuum iniectionem ad inuicem, 14

nec sit alius, qui eos possit absoluere, dicam infra verbo *Clericus n.* 17. de absolutione excommunicationis ob Clerici percussionem loquens.

15 Quamuis ad absolutionis Sacramentalis valorem requiratur voluntas illius, qui absoluendus est, cum nullus adultus possit inuitus recipere Sacramenta (S. Thom. *2. part. q.* 68. *art.* 7. & Expositores *ibid.*) ad absolutionis tamen à censuris valorem non est id necessarium, sed potest ab illis absolui ignorans, aut non consentiens. Ratio est, quia sicut censura potest ferri in inuitum, ita absolutio censuræ inuito dari potest. S. Thom. *in* 4. *dist.* 18. *q.* 2. *art.* 5. Sayrus *lib.* 2. *capit.* 21. *numer.* 5. Hoc tamen intellige de absoluente per potestatem ordinariam, absolutam, & independentem à voluntate, & consensu illius, qui absoluendus est, nam qui absolueret aliquem solum ex vi priuilegij concessi pœnitenti, vt contingit per Bullam Cruciatæ, vel Iubilæum, si inuitum illum absolueret, nihil faceret, nam vsus talis priuilegij pendet ex voluntate ipsius priuilegiati. Cornexo *tract. de censuris disp.* 11. *dub.* 5. An verò positiuè repugnans possit absolui ab habente auctoritatem dubium est, & partem affirmatiuam tenet ipse Cornexo, estque id satis probabile, saltem si non adest contumacia ex parte illius.

16 Absens, seu non localiter præsens licet non possit absolui Sacramentaliter propter declarationem quandam Clementis VIII. quam refert Naldus *verbo Confessio, & Confessarius in fine.* vbi oppositum damnauit vt falsum, temerarium, & scandalosum, & contra illius assertores grauissimas pœnas posuit, nihilominus à censuris absolui potest quis, quantumuis absens, & distans. Ita enim constat ex vsu Ecclesiæ, præsertim in Diplomatibus Summorum Pontificum. Estque satis conforme naturæ ipsius cẽsuræ, vt quemadmodum absenti infligi potest, multo magis ipsius absolutio dari. Reginaldus *lib.* 9. *n.* 59. Auila *de Cens. par.* 2. *c.* 7. *disp.* 2. *dub.* 1. Ex quo infertur rectè facere Prælatos Regulares habentes facultatem ex vi suorum priuilegiorum absoluendi suos subditos à censuris in Capitulis, aut visitationibus, aut certis Festiuitatibus iuxta dicta *tom.* 1. *c.* 18. *num.* 93. absoluendo etiam absentes si priuilegia ipsorum generalia sint, nec tantum extendantur ad præsentes. Auila *supra* Layman. *lib.* 1. *tract.* 5. *p.* 2. *c.* 6. *n.* 9. Similiter, si Confessarius facultate absoluendi præditus, oblitus sit aliquem à censura absoluere, vel si aliquem absoluat à censura, à qua non poterat, quia erat Superiori reseruata, postea impetrata facultate poterit, imò debet absolutionem absenti conferre, si ipsum ad se accersere non possit. Layman. relatus ex Nauarro, Henriquez, & Auila.

17 De casibus, & censuris reseruatis à quibus absoluere possunt Prælati, & Confessarij Regulares, vide verbo *Bulla Cœnæ*, verbo *Bulla Cruciatæ*, verbo *Casus reseruatus*, verbo *Censura*, verbo *Confessarius*, verbo *Degradatio*, verbo *Depositio*, verbo *Excommunicatio*, verbo *Interdictum*, verbo *Irregularitas*, & 4. tomo verbo *Suspensio.*

ACCVSARE, ET ACCVSATOR.

SVMMARIVM.

Quando Religiosus accusare possit. n. 1.
Quando accusat sine licentia Prælati, an iudicium illud sit validum. n. 2.
Quid si Religiosus velit agere contra suũ Prælatũ. n. 3.
An tunc concedi debeant illi expensa. n. 4.
An etiam Prælato accusato. ibid.
Religiosus obedire debet suo Superiori durante lite. numero 5.
An cum potest esse actor possit constituere procuratorem. n. 6.
In casu Hæresis, vel suspicionis Hæresis tenentur Religiosi denunciare quascumque personas. n. 7.
Quid in casu, quo Monialis, seu Religiosus iuuenis ad inhonesta solicitaretur in Confessione. n. 8.
Quæ crimina teneantur denunciare tempore visitationis. n. 9.
Nullus tenetur denunciare se ipsum. n. 10.
An, & quando teneantur denunciare complices. numero 11.
An excusentur aliqui à denunciatione, propterea quod non possint probare delictum. n. 12.
An Religiosus teneatur denunciare delinquentem iam emendatum. n. 13.
Quid quando illud delictum solus vnus nouit. n. 14.
Qui si Religiosus haberet apud se rem furto sublatam. num. 15.
Quid quando præceptum Superioris fundatur in sola præsumptione. n. 16.
Delicta secreta proximi, an, & quando denuncianda. num. 17.
Ecclesiastici prohibentur accusare in causa sanguinis. num. 18.
Quando, & quomodo id liceat. ibid.
Protestatio quando, quomodo, & coram quibus sit facienda. n. 19.
An illa prosit laicis. ibid.
An testibus, Fiscalibus, Aduocatis, &c. ibid.
An sine illa excusentur aliquando Ecclesiastici ab irregularitate. n. 20.
Quid quando accusant aliquem ex obligatione Charitatis, vel Iustitiæ. n. 21.
Alia remissiuè. n. 22.

Religiosus, iuxta dicta *tom.* 1. *Summ. c.* 1. *n.* 11. 1
non potest comparere in iudicio forensi tanquam accusator, seu actor etiam pro iniuria sibi illata, contra quamcumque personam sine licentia Prælati, nisi quando est extra Monasterium, aut quando Prælatus ita est absens, vt commodè non possit expectare eius responsum, aut si velit agere contra Religionem ipsam. Cum enim omne ius suum in Monasterium transtulerit, ac veluti mortuus sit, non potest prædicta munera exercere. Potest tamen in iudicio Regulari, seu coram suo Prælato accusator esse, seu actor contra alios Regulares sui Ordinis cum conditionibus tamen assignatis eodem 1. *tom. c.* 27. *n.* 22. vbi etiam *n.* 20. 23. *&* 24. & sequentibus alia, quæ ad hoc spectant præsertim de differentia, quæ est inter accusatorem, & denunciatorem. De quo etiam noster Thomas à Iesu *in lib. de Regul. visitat. tract.* 1. *cap.* 4. Sumimus autem in præsenti pro eodem actorem, & accusatorem, quia qui in ciuilibus causis actor dicitur *l. qui prior ff. de iudiciis*, is in criminalibus appellatur accusator *ff. de accusat. & inscript.* nunc ergo alia addenda.

Primum est, quod iudicium agitatum cum Monacho absque Superioris licentia in quibus nequit agere, aut esse actor, vel accusator, est nullius momenti. 2
Nam iudicium, vt sit legitimum debet constare iudice, actore, & reo legitimis, ex *c. forus de verbor significationibus* & communiter ex Doctoribus, illud autem iudicium caret actore legitimo. Sanchez *lib.* 6. *in Decalog. cap.* 12 *num* 12. Qui etiam *num.* 13. addit posse Superiorem si voluerit ratum habere illud

iudicium

iudicium in quo Religiosus actor fuit, seu accusator sine licentia ipsius.

3 Secundum, quod si Religiosus velit agere contra suum Prælatum, prout potest, illum accusando, vel denunciando crimen illius, non tenetur expectare illius consensum, vtitur enim iure suo, maximè si id cedat in vtilitatem Monasterij, *cap. ex parte de accusat.* Glossa *ibi verbo alia.* Felinus *paulo post principium.* Sanchez *supra num.* 18.

4 Quando autem Religiosus accusat suum Prælatum non sunt ei denegandæ expensæ tam victus, quàm aliæ necessariæ ad litem prosequendam. Sic enim habetur ex dicto *cap. ex parte de accusat.* & sequuntur Glossa finalis *ibi*, Ioannes Andreas *ibi*, Abbas *num.* 9. & alij. Limitat id Sanchez relatus *num.* 21. nisi Religiosus accusans habeat aliquod peculium, tunc enim inquit non tenetur Monasterium litis expensas ministrare, quia cessat ratio reddita ex *cap. ex parte.* Similiter ipse Prælatus accusatus debet habere expensas sibi necessarias vsque ad finem litis, cum etiam ipse Superior sit pars Monasterij, & Monasterio intersit quod Prælatus se defendat. Gloss. *eo cap. ex parte verbo alia*, Abbas *num.* 15. Tapia *Autentica, ingressi verbo sua.*

5 Religiosus etiam suum Superiorem accusans durante lite tenetur ei obedire sicut antea. Adhuc enim Superioris officio fungi debet, cum illo non sit priuatus. Abbas *capitulo ex parte numero* 4. Felinus *ibidem.* Non tamen tenetur illi obedire in desistendo à lite, vel accusatione, quia in hoc non subditur Superiori, *cap. nonne* 8. *quæst.* 4. Sanchez *supra numero* 31.

6 Quoties autem Religiosus potest esse actor in iudicio absque Superioris licentia, potest etiam absque illa constituere procuratorem, quia cum posset id per se ipsum agere poterit similiter per alium. *Regul. potest. de iuris in* 6. Nauarrus *Comment.... de Regul. n.* 27. *vers. addo* 11. Sanchez *supra numero* 32. Apud quem alia circa hæc numeris sequentibus.

7 In casu hæresis, vel suspicionis hæresis, tenentur Religiosi accusare, seu denunciare omnes, & quascumque personas tam sui Ordinis, quàm alterius, & etiam sæculares DD. Inquisitoribus, nulla expectata licentia, aut consensu suorum Superiorum. Colligo id primo ex Constitutione Pauli V. quæ incipit *Romanus Pontifex*, vbi inter alia hæc: *Volentes, & expresè mandantes, vt ipsi Religiosi possint, & debeant omnes etiam Ordinum huiusmodi Professores de hæresi suspectos Inquisitoribus, & Ordinariis locorum vicinioribus liberè denunciare, absque eo, quod Superiores prædicti personas denunciandas, & causas perquirere, vel quoquomodo id impedire*, vel *retardare audeant, vel præsumant.* Secundò ex decreto DD. Cardinalium Inquisitorum Generalium Sanctæ Romanæ Vniuersalis Inquisitionis, quod refert Peirinis *tom.* 2. *priuilegiorum Minimorum in Constitutione* 9. *Pauli V. numero* 25. quod hic apponere libet, quia continet aliquot circumstantias scitu dignas: *Vniuersis, & singulis Christi fidelibus tam Ecclesiasticis, quam sæcularibus vtriusque sexus, cuiusuis, status, gradus, ordinis, conditionis, præeminentiæ existentibus, & quacumque dignitate, & auctoritate, etiam maxima fulgentibus, harum serie, ac tenore, auctoritate nostra, & huiusmodi nostri officij qua fungimur, præcipimus, & mandamus, quatenus infra duodecim dies proximè computandos, quorum primos quatuor pro primo, & reliquos quatuor pro primis quatuor immediatos pro secundo, & vltimos quatuor pro tertio termino, & peremptorio, ac trina monitione Canonica assignamus, omnes & singulos hæreticos, seu de hæresi quomodolibet suspectos de quibus notitiam habuerint, debeant nobis, vel Reu. Commissario nostro, quo ad habitantes in Vrbem, quo verò ad habitantes extra Vrbem, & vbiuis locorum degentes, Inquisitoribus, vel locorum Ordinarijs, vel eorum Vicariis Generalibus, sub excommunicationis maioris latæ sententiæ pœna, quàm in contrarium facientes ipso facto incurrant, iudicialiter propalare, cuius excommunicationis maioris absolutionem S. D. N. Papæ, & nobis reseruamus.* Qui autem sint censendi hæretici, vel de hæresi suspecti dicetur verbo *Hæresis*, & an sint prius fraternè corrigendi verbo *Denunciatio.*

Si casus esset, quod Monialis, seu etiam Religiosus iuuenis ad inhonesta solicitarentur à Confessariis, tenerentur eos denunciare Sancto Officio Inquisitionis, vel locorum Ordinariis, iuxta dicta ex Constitutione Gregorij XV. *tom.* 1. *cap.* 19. *à numero* 33. *in tertia editione Veneta.* Constitutio enim Gregorij XV. qua id præcipitur, loquitur generaliter de Confessoribus solicitantibus omnes personas *quæcumque illæ sint* (inquit Pontifex) ac per consequens de solicitantibus personas Religiosas, cum illarum solicitatio maius & grauius crimen sit quam aliarum. Vide alia eo loco dicta, & dicenda verbo *Denunciatio, & denunciare.* Nota etiam, quod in hoc casu non tenentur tales personæ Religiosæ solicitatæ postulare licentiam à suis Prælatis ad propalandum Sancto Officio Confessarios solicitantes, cum enim de hoc extet mandatum Pontificium, nihil aliud est necessarium. 8

Tenentur Regulares in visitationibus Conuentuum, seu Monasteriorum, seu etiam extra illas, accusare, vel saltem denunciare crimina, quæ grauiter, & directè sunt contraria bono communi Reipublicæ, vel communitatis Religiosæ, vt proditio, &c. etiam si ex accusatione, vel denunciatione nocumentum aliquod quantumuis graue oriatur accusato, vel denunciato. Bonum enim commune anteponi debet bono priuato cuiuscumque. Similiter si viderint aliquem Religiosum insidiantem vitæ, vel famæ alterius iniustè, tenentur illum denunciare, seu accusare, Vnicuique enim Deus mandauit de proximo suo Naldus *in Summa verbo Accusare n.* 3. Generaliter etiam loquendo, de crimine pernicioso cuiusuis, cum alia ratione impediri nequit, obligatio est accusandi, vel denunciandi. S. Thom. 2. 2. *q.* 68. *art.* 1. Syluester *verbo Accusatio q.* 2. 9

Nullus tamen tenetur denunciare aut accusare seipsum quantumuis graue crimen commiserit. Intellige, extra confessionem Sacramentalem. Nemo enim tenetur seipsum prodere in iudicio externo, prout habetur in *cap. si quis aliquando de pœnitentia distinct.* 1. Sanctarellus *Tract. de hæresi cap.* 9. *dub. vnic. num.* 18. Diana *in Tract. de denunciationibus res.* 8. 10

Similiter regulariter loquendo non tenetur aliquis denunciare, seu accusare complices, seu socios sui delicti. Moraliter enim loquendo non potest quis manifestare socios, quin manifestet seipsum. Nam si Petrus v. g. denunciat Paulum complicem furti, aut homicidij, Paulus postea interrogatus vt reus denunciabit Petrum. Sanctarellus *supra numero* 16. Suarez *Tract. de fide disput* 20. *sect.* 4. *numero* 18. Diana *Tract. de denunc. res.* 9. Dixi *regulariter loquendo*, quia casu dato, quod posset manifestari delictum complicis sine detrimento illius, qui denunciat, denunciare tenebitur, sicut dicunt multi de fœmina solicitata à Confessario, quæ solicitationi consensit, ea enim denunciare tenetur Confessarium 11

rium, occultando tamen proprium consensum. Sanctarellus *pract. de hæresi cap. 44. dub. vnic. num. 12.* Diana *supra* cum aliis quos citat. Similiter, qui alicui hæretico dogmatizanti, assensum præbuerunt; cum hoc delictum sit in magnum detrimentum Ecclesiæ, tenebuntur denunciare dogmatizantem accusando seipsos apud Inquisitores, sic enim consultum erit bono communi, & proprio, cum accusatores sui ipsius à Sancto Officio benignissimè tractarentur. Ita aliqui Theologi apud relatum Dianam *resolut.* 8.

12 In casibus in quibus aliqui denunciare tenentur, non excusantur à denunciatione, propterea quod non possint probare delictum. Etenim iuxta dicta *tom.* 1. *cap.* 27. *num.* 20. *&* 24. hæc est differentia inter denunciatorem, & accusatorem; quod accusator tenetur probare delictum, quod defert ad Iudicem, non tamen denunciator. Esto enim denunciator de iure teneatur probare suam denunciationem, vt colligitur ex *l. Diuus, & l. ab accusatore ff. ad Senatuconsult. Turpilianum*, ex consuetudine tamen oppositum seruatur, Farinac. *Tract. de hæresi quæst.* 185. §. 5. *n.* 71. Quod maximè tenet verum in casibus pertinentibus ad Tribunal. Sanctæ inquisitionis. Barbosa *de potest. Episcop. part.* 3. *allegat.* 96. *n.* 51. Diana *Tract. de denunc. res.* 1. Quare quod dixi *tom.* 1. *cap.* 27. *n.* 3. *&* 20. Nullum teneri denunciare delictum, quod probare non potest, intelligendum est, quando consuetudine receptum fuerit, quod denunciator teneatur probare. Sed, dicto *n.* 20. solus accusator est, qui suscipit onus probandi, non autem denunciator, quia tantum præparat viam Iudici, vt ipse inquirat, & probet.

13 Si Superior Regularis iubeat etiam per censuram denunciare aliquem Religiosum delinquentem ad emendam ipsius, ad impediendum peccatum aliquod eiusdem, aut vt non inferatur malum proximo, vel vt damnum illatum restituatur, in his casibus, Religiosus, qui scit proximum esse emendatum, neque amplius velle peccare, vel scit iam esse restitutum damnum, vel proximè paratum esse ad restituendum, non tenetur parere edicto Superioris, quia iam cessauit finis illius, qui solum erat emendatio proximi, & restitutio damni. Corduba *in Summa quæst.* 64. Sayrus *in claui regia lib.* 14. *capite* 14. *numero* 27. Portellus *in dub. Regular. verbo Denunciatio numero* 7. Secus videtur dicendum, quando Prælatus inquireret de aliquo delicto non ob prædicta motiua, sed ad punitionem, & exemplum aliorum, quia illud fuit publicum, seu scandalosum; tunc enim bonum commune Religionis postulat, vt denuncietur, & puniatur, etiam in casibus assignatis. Fauet Rodriguez 2. *tomo quæst.* 6. *artic.* 4. Vide dicta *tomo* 1. *p.* 1. *cap.* 27. *num.* 3.

14 Similiter si Prælatus præcipiat, vt denuncietur aliquod delictum, & illud nouit vnus solus, & scit quod delinquens scit eum solum nouisse, illud non tenetur denunciare, nisi crimen illud sit contra bonum commune, vel in graue damnum tertij. Ratio est, quia in tali casu exponeret se denuncians periculo magnæ inimicitiæ, & iræ oriundæ inter ipsum, & delinquentem, cui tamen damno solum cedere debet pro bono communi, vel graui damno tertij. Sayrus *lib.* 12. *clauis regiæ, c.* 14. *n.* 26. Portellus *in dub. Regul. verbo Denunciatio n.* 26.

15 Similiter si casus esset, quod Religiosus haberet apud se rem furto sublatam à iure acceptam, & Prælatus præciperet, vt denunciaretur, non tenetur denunciare. Exinde enim magnum damnum denuncianti sequeretur, siue enim bona, vel mala fide rem acceperit à iure, semper ipse erit suspectus de furto, ac proinde denunciare non tenebitur ne seipsum prodat. Iulius Clarus *lib.* 5. *receptarum sententiarum pract. crimin. q.* 16. Sayrus relatus *n.* 25. Portellus relatus *n.* 11. Vnde infert, quod si aliquo modo potuerit propalare rem furto sublatam sine manifestatione sui, tenebitur id facere.

Præterea, quando præceptum Superioris præcipientis aliquid sibi reuelari fundatur in sola præsumptione, si alicui constat talem præsumptionem eo casu deficere, probabile est non teneri propalare fratrem. Exempli gratia, Superior ex suspicione, quod quidam Religiosus commisit peccatum contra castitatem, præcipit subditis, vt dicant, si aliquis exiuitè Conuentu sine socio, scit aliquis quemdam exiisse sine socio, constat tamen illi non commisisse tale peccatum, probabile est vt dixi, non teneri propalare illum, qui sine socio exiit. Cessat enim in illo præsumptio, & finis talis præcepti. Sic in simili Ioannes Valerius *in differ. vtriusque fori v. hær. differ.* 1. *num.* 4. Riccius *part.* 3. *decis.* 278. *n.* 6. Fagund. *de* 2. *Eccles. præcep. lib.* 8. *c.* 7. *n.* 7. An vero in casu hæresis etiam id procedat, tractat Diana *in Tract. de denunciationibus resolut.* 10. 16

Delicta secreta proximi quorum non præcedit infamia, semiplena probatio, vel aliquod saltem indicium, non debent reuelari, quando Iudex, vel Prælatus intendunt procedere ad pœnam, etiam si sub censura id præcipiatur. Ius enim naturæ, quod iuri positiuo anteponi debet, præscribit, vt secreta proximi non propalentur cum damno ipsius. Corduba *q.* 64. Sayrus *in Claui Regia cap.* 14. *num.* 28. Si verò talia delicta sint contra bonum commune, proculdubio reuelari debent, etiam cum dispendio delinquentis, quia bonum commune bono priuato anteponi debet, iuxta dicta *tom.* 1. *cap.* 27. *num.* 2. ex Suarez 4. *tom. de relig. lib.* 10 *de Regimin. societ. c.* 11. *num.* 8. 17

Religiosi omnes sicut & alij Ecclesiastici prohibentur accusare aliquem apud Iudices sæculares in causa sanguinis. Colligitur ex *cap. sententiam sanguinis in tit. ne Clerici, vel Monachi*, vbi cum multa prohibeantur Clericis, Glossa habet, *Clerici prohibentur omnia illa ex quibus sequitur, vel sequi potest vitæ amissio, vel sanguinis effusio.* Id quoque colligitur ex *c. postulasti de homicidio, & cap. Prælatis etiam de homicidio in* 6. In vtroque enim capite excipiuntur casus in quibus id fieri permittitur, scilicet *in cap. postulasti* casu quo non accusatur aliquis criminaliter, sed tantum ciuiliter, nihilominus Iudex exercuit vindictam sanguinis. In *capitulo* verò *Prælatis*, quando petitur emenda delinquentis cum protestatione, de qua infra, nihilominus etiam iudex pœnam mortis illi intulit. Ex hoc enim infertur in aliis casibus id esse illis prohibitum. Vnde etiam infertur, quod licet tam Clerici, quam laici accusantes aliquem in causa sanguinis, secuta morte, vel mutilatione, sint Irregulares, *cap. penult. de homicidio in* 6. Couarruuias *Clement.* 1. *de homicidio* 2. *par.* §. 5. & alij. Tamen irregularitas quæ incurritur à laicis solum est defectu lenitatis, quia alios accusando non faciunt contra aliquam Ecclesiæ prohibitionem. Irregularitas verò, quæ incurritur à Clericis idem dico de Religiosis (potest dici ex delicto, cum illis sit prohibitum accusare. Bonacina *disput.* 7. *de Irregularit. punct.* 1. *num.* 35. Cornexo *Tract.* 5. *de irregularit. disp.* 11. *dub.* 1. Nihilominus Clericis, per consequens etiam Religiosis, permissum est accusare non solum sine peccato, sed etiam sine aliqua irregularitate etiam apud Iudices sæculares 18

sæculares suos malefactores in defensionem sui, & rerum suarum, etiam super criminibus quibus pœna sanguinis debetur, dummodo protestentur se non intendere dictam pœnam sanguinis. Colligitur ex dicto *cap. postulasti*, & maximè ex dicto *capit. Prælatis*, cuius hæc sunt verba. *Prælatis, vel Clericis quibuscunque, qui de laicis suis malefactoribus querelam penes secularem Iudicem deponentes, petunt emendam sibi fieri, & prouideri ne contra eos talia de cætero præsumantur, protestando expressè, quòd ad vindictam, seu pœnam sanguinis non intendunt, imputari non debet, quamuis aliàs in tali casu de iure debeat pœna sanguinis irrogari, si Prælati, aut Clerici propter metum huiusmodi (quia Iudex ad pœnam sanguinis posset procedere) de suis malefactoribus taliter conqueri non auderent, daretur plerisque materia trucidandi eosdem, & ipsorum bona liberè deprædandi.* Bacconius noster *in 4. distinct. 25. quæst. 7. artic. 2.* Couarruuias relatus, Caietanus *2. 2. quæstio. 33. artic. 7.* Nauarrus *cap. 27. num. 213.* & alij communiter.

19 Circa quæ aliqua notanda sunt ex quibus plurium casuum conscientiæ decisio haberi poterit. Primum, hanc potestationem non esse necessariam, quando accusatio est coram Iudice Ecclesiastico, vt si Religiosus accusaret aliquem apud suum Prælatum de crimine aliquo pœna mortis digno: sed quando est coram Iudice sæculari. Ratio est, quia textus dicti *cap. Prælatis* id exprimit, dum dicit *penes sæcularem Iudicem.* Tum quia Iudex Ecclesiasticus non potest inferre pœnam sanguinis, & quamuis tradat reum brachio sæculari, sicut ipse Iudex Ecclesiasticus, non propterea censetur concurrere ad mortem, sic neque accusator. Suarez *de Censuris disputat. 47. sect. 2. num. 18.* Naldus *Summa verbo Irregularitas num. 11.* Cornexo *supra.* Secundum, non iuuare huiusmodi protestationem, nisi quando accusatio fit à Clerico, vel Religioso in defensionem suarum personarum, vel bonorum ipsorum. Sic enim dicitur in textu prædicti *capit. Prælatis, eosdem, & ipsorum bona.* Vnde si in foro sæculari Clericus, vel Religiosus accuset alterum de iniuria illata personis extraneis, erunt Irregulares, morte secuta, etiam si præmiserit dictam protestationem. Nauarrus *capit. 27. num. 217.* Molina *Tractat. 3. disputat. 44. num. 8.* Extendi hoc potest ad accusantes pro damno illato suis domesticis, aut ita coniunctis, vt iniuria illorum per consequentiam aliquo modo ipsorum accusantium censeatur. Cornexo *suprà.* Laymanus *libro 3. de iustitia Tract. 3. p. 3. capit. 7. assert. 5. n. 6.* Extendunt hoc etiam aliqui ad accusatores eorum, qui damnum intulerunt propinquis. Sed considerandum est, si damnum illorum redundet in accusantes, si enim tale fuerit, ad mitti poterit istorum placitum. Suarez *supra numero 17.* Bonacina *disput. 7. de Irregularitate quæst. 4. punct. 2. numero 4.* Tertium, posse etiam vti ea protestatione Clericos, & Regulares accusando iniustum damnificatorem bonorum suæ Ecclesiæ. Nam bona suæ Ecclesiæ pro suis reputantur. Bonacina *supra numero 5.* post aliosquos refert. Imò potest tunc Ecclesiasticus, vel Regularis capere, detinere, & tradere Iudici talem malefactorem, præmissa tamen dicta protestatione. Quia cui finis est permissus, etiam media necessaria permissa censentur. Cum ergo illis permittatur accusatio, ita etiam hæc, quæ ad accusationem ordinantur, permissa erunt. Laymanus, & Bonacina relati. Quartum, probabile esse hanc protestationem etiam si non ex animo, sed fictè fiat, prodesse accusatori Ecclesiastico seu Religioso. Quia in illo textu nulla fit mentio alicuius intentionis interioris, sed solum exterioris protestationis. Suarez *supra numero 4.* Cornexo etiam *suprà.* Dixi solum probabile id esse, quia plures sunt, qui censent oppositum, & ad minus id consulendum in praxi est pro maiori securitate, vt habet Naldus *in loco iam relato.* Quintum. quod etiam si decisio illius textus solum loquatur de Clericis, nihilominus etiam extendi ad laicos, ita vt etiã illi vtendo hoc remedio iuris propter indemnitatem innocentiũ inuento, possint in accusando vti ea protestatione ad euitandã irregularitatem, quam aliàs contraherent, secuta morte ex accusatione. Suarez *supra num. 5. & 6.* Cornexo etiam *supra.* Sextum, eam protestationem non iuuare testes, Fiscales, Aduocatos, vel alios ministros Iustitiæ. Textus enim dicti *cap. Prælatis* tantum loquitur de accusatore. Cornexo, & Laymanus *supra.* Nisi fortè in casu necessitatis ipsius accusatoris, præcepti, vel grauis metus, aliqui illorum excusentur, iuxta dicenda infra verbo *Irregularitas num. 30.* Septimum, protestationem faciendam esse coram Iudice, apud quem deponitur querela, iis, vel similibus verbis: *Domine, peto cures mihi satisfactionem vel restitutionem exhiberi ab isto, qui mihi damnum intulit, protestorque me nulla ratione intendere mortem, pœnam sanguinis, vel mutilationem illius.* Non est tamen necesse fieri in scriptis, quia nullo iure probatur scripturam requiri. Vgol. *de Irregularitate cap. 6. §. 7. & 8.* & Bonacina relatus *num. 9.*

Sunt etiam alij casus in quibus Clerici, vel Religiosi etiam si accusent aliquem coram Iudice sæculari, & ipse damnet illum ad pœnam mortis, non sint Irregulares, etiam non præmissa protestatione. Primus est, quando crimen de quo accusant est adeo leue, vt reus non sit dignus morte, vel mutilatione, nihilominus Iudex pro sua malitia, vel ignorantia illum condemnet ad mortem: tunc enim non accusator, sed iudex censetur causa efficax mortis, Cornexo *supra.* Bonacina *num 7.* Secundus est, quando ipsi accusant de re leui aliquem, & postea carcere constitutus, propter aliorum accusationes damnatus est morti. Cornexo, & Bonacina relati. Quod saltem est verum, quando non præuiderunt illud periculum. Cornexo, & Sayrus ab eo relatus. 20

Specialiter non videtur incurri irregularitatem quoties accusant Ecclesiastici, & Religiosi alios apud Iudicem quemcumque propter obligationem, quam habent ex Charitate, vel Iustitia sic faciendi. v. g. si accusent aliquem volentem prodere Rempublicam, aut occidere innocentem. Canones enim numquam infligunt irregularitatis notam propter officium debitum ex præcepto naturali, vel diuino Charitatis, Iustitiæ, vel alterius virtutis, quod saltem est verum, quando non possunt damnum imminens alio modo impedire. Cornexo *suprà* Laymanus etiam *sup. n. 6.* Nec obstat si dicatur Iudicem fieri irregularem occidendo malefactorem quem in conscientia occidere tenetur. Ergo similiter accusans, quando tenetur. Est enim dispar ratio, nam ista obligatio accusandi in casibus prædictis est omnino antecedens voluntatem accusatoris, orta ex ipsa rei natura, vel præcepto diuino, obligatio autem Iudicis ad occidendum malefactorem est subsequens voluntatem liberam acceptandi tale officium, atque ita iste incidet in irregularitatem, non autem ille. Suarez relatus *sect. 3. num. 4.* Cornexo *suprà.* Addit Sanchez *tom. 2. Consil. Moralium lib. 6. cap. 2. dub 10.* ex aliis, quos refert, prætermitti debere protestationem supra assignatam, nam quamuis iura solum dicant in causa propria illam esse præmittendam, nihilominus iure naturali extenditur hæc facultas ad casus dictos. Sed credo non esse necessariam tunc, prout Cornexo, & Laymanus relati 21

B 4 rectè

rectè docent ex Molina, & Auila. Opus enim ipsum ab irregularitate exemptum est, ac proinde non indiget protestatione aliqua ne incurratur. [Consequenter ad hanc doctrinam loquitur Lugo *to. 2. de Iust. & Iure disp. 38. sect. 2. num. 16.* dicens Clericos (idem dico de Religiosis) teneri ad denuntiationem delicti, quando aliter malum imminens commune, vel priuatum impediri non potest, nec in hoc casu incurri irregularitatem, quia ea non incurritur pro casu quo Ius naturæ obligat ad denunciandum. Sed addit tunc esse necessariam protestationem superius assignatam. Quod non placet propter dicta ex Cornexo, & Laymano.]

22 Vide alia verbo *Denunciatio, & denunciare*, verbo *Hæresis, & Hæreticus*, verbo *Iudicium Regulare.*

ADMINISTRATIO, ET Administrator.

SVMMARIVM.

Administratio bonorum Monasterij ad quos spectat, num. 1.
Quid ex Decretis Summorum Pontificum, ibidem.
Quos Regulares obligent, num. 2.
Qualiter intelligenda ibid.
Quæ Administratio bonorum Monasterij competat Abbatissis, num. 3.
An aliqui Administratores designari pro illis possint, ibid.
An Fratres Minores possint hoc munus exercere, numero 4.
Quid si Administratores in suo munere deliquerint, num. 5.
Quæ conditiones pro illis requirantur, num. 6.
Quanto tempore durent, num. 7.
An bona quæ recipiunt apud alios conseruare possint, num. 8.
Alia ad Administratores spectantia, num. 9.
Quæ Administratio prohibita Regularibus, numero, 10.
In quibus casibus liceat, num. 11.
Alia remissiuè, num. 12.

1 QVAMVIS iure antiquo ex *cap. nullam. 18. quæst. 2.* tota bonorum Monasterij administratio ad Abbatem, seu Prælatum spectaret, iuxta dicta *tom. 1. cap. 18. num. 13. & cap. 19. n. 52.* Nunc verò attendendum est ad leges, vel constitutiones Religionum, quibus hæc authoritas Prælatorum limitatur, vel declaratur. Maximè obseruanda sunt decreta à Clemente VIII. primum edita, & postea à SS. D. N. Vrbano, & Sacra Congregatione inter alia spectantia, ad Regularium reformationem, quæ habentur *tomo 4. Bullar.* inter Constitutiones Vrbani *num. 26.* vbi sic. *Nullus ex Superioribus locorum administrationem bonorum, aut aliarum rerum, dispensationemque pecuniarum, & redditaum sui Conuentus, etiam nomine Conuentus per se ipsum habere, siue exercere possit, sed vniuersum id onus tribus Fratribus eiusdem Conuentus à Generali ita demandetur, vt vnus rerum, & bonorum, reddituumque colligendorum, & exigendorum curam habeat, alter tanquam depositarius pecunias, ac cæteris ab illo collecta, & exacta fideliter asseruet, alius de pecuniis, & rebus à depositario acceptis, Priori, & Fratribus, ac Conuentui vniuersa de necessariis, mandante tamen ipso Priore, non secundum proprium affectum, sed iuxta Charitatis regulam, veluti bonus dispensator prouideat, officiorum huiusmodi confusione penitus interdicta. Cæterum hi tres tam impensi, quàm accepti, singulis mensibus Superiori locali, adhibitis etiam duobus vel tribus Fratribus eiusdem Conuentus probatioribus, rerumque vsu peritis, rationem reddant. Deinde ipsimet rursus, præsentibus Priore, & peritis prædictis, Generali, vel Visitatoribus, cum aduenerint, denique ipse Generalis, vel Visitatores in quolibet proximo Capitulo Generali saltem coram tribus Iudicibus ab ipso Capitulo ad hoc constitutis, illorum omnium, vniuersæque suæ administrationis tam publicæ, quam priuatæ rationem reddere teneantur, cuius etiam exemplum authenticum ex actis Capituli extrahatur, ad hoc vt ad omne mandatum nostrum, vel Sedis Apostolicæ Romam transmitti possit.*

Circa quæ decreta primo aduertendum, quod licet ea primitus edita videantur à Clemen. VIII. tantum pro Mendicantibus, & Monachalibus Ordinibus, vt patet in titulo illis præfixo, scilicet *pro reformatione Regularium tam Monachorum, quàm Mendicantium.* Quia tamen in decretis Sacræ Congregat. Concilij de Apostatis, & eiectis à SS. D. N Vrbano approbatis, præcipitur omnibus Regularibus quorumcunque Ordinum obseruantia ipsorum, vt patet in illis *num. 1. & 12.* ideo videtur omnes, & singulos Regulares Ordines ad illorum obseruantiam obligari, ac per consequens teneri ad hunc modum administrationis bonorum obseruandum. Secundò, id esse intelligendum, nisi (quod vix continget) legitima, & approbata consuetudine post ipsorum decretorum promulgationem introductam oppositum fuerit receptum. Tertiò, hunc modum administrationis bonorum Monasterij per tres assignatos, quorum vnus colligat, alter conseruet, alter expendat, solum esse pro Monasteriis virorum, non pro Monialibus, vt de se patet. Quartò, prædictos administratores bonorum Monasteriorum nullatenus teneri reddere rationem suæ administrationis quibuscunque Ordinariis, pro vt ex declaratione Sacr. Congreg. dixi dicto *tom. 2. cap. 19. num. 52.* & referunt Armendariz *in Addit. ad recopil. leg. Nauarræ lib. 1. tit. 18. & lib. 7. num. 78.* & Ioan. Maria Nouarius *in Lucerna Regular. verb. Administratores num. 2.* Quintò, præfatos Administratores amouibiles esse ad nutum Superioris, pro vt dixi *eo cap. 19.* ex Concil. Trid. & alia declarat. Sacr. Congreg. apud Barbos. *in Collect. Bullar. verb. Officiales.* [Ex quibus habetur Prælatos Regulares non posse dici aut esse dominos bonorum temporalium Monasteriorum: tum quia propter votum paupertatis illis repugnat dominium alicuius rei téporalis. Tum quia tale dominium potius pertinet ad Monasterium, pro vt colligitur ex *can. Quoniam. 16. quæst. 1.* Tum denique quia ipsi Prælati potius sunt administratores horum Monasteriorum, Nauarrus *Commentario 2. de Regular.* Suar. *de Relig. tom. 3. lib. 8. cap. 15. num. 10. & tom. 4. tract. 8. lib. 2. cap. 26.* Tamburinus *de Iure Abbat. tom. 3. disp. 11. quæsit. 2.* Quæ autem Monasteria non sint capacia talis dominij, & ad quem illud pertineat alibi diximus. Vnde consequenter Prælati non conseruantes bona Monasteriorum, vel ea in vsus vanos & superfluos expendentes, vel dantes licentiam suis subditis id faciendi, grauiter peccant, etiam contra votum paupertatis, cum non sint Domini talium bonorum, sed solum administratores ad vsus honestos, & secundum Regulam. Nauarrus *comment. 2. de Regular.* Rodriguez *tom. 3. quæst. Regular. quæst. 29. art. 11.* Tamburinus 2

rinus *de Iure Abbat. tom.3. disp.11. quæsit.6. & 7.* Apud quem *quæsit.* 8. An Monasterium possit agere contra Prælatos aliter facientes, & *quæsit.9.& 10. & 12. & 13.* in quibus rebus debeant impendi bona Monasteriorum.

3 Similiter quamuis Abbatissæ, seu Priorissæ habeant aliquam administrationem bonorum Monasteriorum quibus præsunt, iuxta dicta supra verbo *Abbatissa, num.*17. Nihilominus dicta administratio non est absoluta, sed ferè in omnibus monasteriis habet relationem ad alias Moniales, & in rebus magni momenti ad Episcopos, vel Superiores. Tamb. *de Iure Abbatissarum disp.* 32. *quæst.*13. Vnde sicut Episcopi respectu Monialium sibi subiectarum possunt ponere administratores pro bonis Monasteriorum ipsarum administrandis, sic & Superiores Regularium respectu Monialium ipsis subiectarum. Ita enim supponitur in Constit. Greg. XV. *de exempt. priuil.* quæ incipit *Inscrutabili* in 4. tom. Bull. inter Constit. huius Pont. *num.* 18. de qua postea illis verbis §. 5. *Administrantes bona ad eiusmodi Monasteria Sanctimonialium etiam Regularibus subiectarum pertinentia, siue Regulares extiterint, siue sæculares.* Et vt ait relatus Tambu. *de Iure Abbatiss. disp.*14. *quæst.*2. *num.* 1. compertum est Generales, & Prouinciales Religionum, propter facultatem illis à Sede Apostolica attributam erga Moniales eorumdem curæ creditas deputare posse Regulares sibi subditos pro administratione rerum temporalium in Monasteriis Monialium, vt de facto, & ab immemorabili multæ Congregationes consueuerunt. Quare declaratio quædam Sacræ Congregationis, qua dicitur: Administratores bonorum temporalium Monialium particulares Religiosos cuiuscumque gradus, aut præeminentiæ, etiamsi Superiores Monasteriorum fuerint, non possunt deputare Ordinarij, nec Regulares etiam in Capitulis eorum Generalibus, quam (etsi diuersis verbis) referunt Sellus *in select. Can. cap.*20. *num.*1. Barbosa *in Collect. Bull. v. administratores.* Gau. *in Man. Episc. ver. Monialium cura in temporalibus*, & Ioan. Maria Nouarius *in Lucerna Reg. v. administratores, num* 1. Intelligi debet, vel specialiter de Fratribus Minoribus de Obseruantia, quibus id est prohibitum, vt infra dicam, vel de aliis quibus etiam ex Regula, seu Constitutionibus id fuerit interdictum, vel si generaliter de omnibus, solum de iis, quibus nec ex priuilegio, nec ex legitima consuetudine id competit. Verba enim Constitutionis Greg. XV. clarè supponunt posse Regularibus hoc munus competere, prout de facto competit in pluribus locis.

4 Fratribus autem Minoribus de Obseruantia permissum non est hoc genus temporalium bonorum administrationis etiam erga Moniales sibi subiectas. Tum propter rigorosam paupertatem, quam profitentur, qua & pecunias tangere est illis interdictum, tum ex Innocentio IV. & decreto Cardinalis Matthæi à Clem. VIII. confirmato, pro vt refert Tamburinus *de Iure Abbatiss. disp.*14. *quæst.*2. *num.*5.

5 Porrò huiusmodi Administratores bonorum Monialium tam Regulares, quàm sæculares nullis priuilegiis, aut exemptionibus tueri se possunt, quo minus si deliquerint circa bonorum administrationem Monialium etiam Regularibus subiectarum, ab Episcopo loci tanquam ad hoc Sedis Apostolicæ delegato, quoties, & quando opus fuerit, puniri, & corrigi valeant. Ita enim habetur in dicta Constit. Gregorij XV. *de exemptor. priuilegiis.* Similiter administrantes bona ad eiusmodi Monasteria Sanctimonialium, vt præfertur, etiam Regularibus subiectarum pertinentia, siue Regulares extiterint, siue sæculares quomodolibet exempti, Episcopo loci, adhibitis etiam Superioribus Regularibus, singulis annis rationes administrationis, gratis tamen exigendas, reddere teneantur, ad idque iuris remediis cogi, & compelli queant. Ita idem Gregorius in præfata Constitutione Subiungitque licere Episcopo ex rationabili causa Superiores Regulares admonere, vt eiusmodi Administratores amoueant, iisque detrectantibus, aut negligentibus possit Episcopus eos amouere quoties, & quando opus esse iudicauerit. Tamburinus *suprà num.*2. 3. *& 4.* Cum autem à Sacra Congregatione Concilij interrogatum fuerit an eiusmodi causam Episcopus Superioribus Regularibus significare teneretur, respondit non teneri, sed hoc relinqui arbitrio, & prudentiæ Episcoporum. Habetur autem eiusmodi declaratio cum aliis spectantibus ad hanc Constitutionem simul cum ipsa. Et notat quod pro Regnis Hispaniarum suspensa est, pro vt dixi *tom.*1. *cap.*19. *num.*35.

Nulla ætas determinata requiritur pro prædictis 6
Administratoribus, sed qui morum grauitate, virtutumque ornamentis, cæterisque honestis qualitatibus sunt imbuti eligi debent. Ita Sacr. Congregatio Episcoporum, & Regularium apud Ioannem Mariam Nouarium *in Lucerna Regularium verbo Ætas.* Spectat etiam eorum electio ad Superiores Monasteriorum. Sacra Congregatio apud Armendariz *in additionib. ad recopilat. legis Nauarræ lib.*2. *tit.*18. *lib.*7. *de relig. num.*85. Lauretus de Franchis *in Controuers. Episcopor. & Regular. sup. dict. Constitut. Gregorij XV. quæst.*1.

Quolibet triennio mutari debent, pro vt ex Sacra 7
Congregatione Episcoporum, & Regularium refert Gauantus *in Manual. Episcop. verb. Monialium cura in temporalibus num.* 13. Quia tamen Armendarius, & Barbosa inferius referendi afferunt aliam Sacræ Congregationis declarationem in qua dicitur, Officiales, qui distributionem bonorum Monasterij habent esse ad nutum amouibiles, idque conforme sit Concil. Tridentin. *sess.* 25. *cap.* 2. Ideo ne dicatur vnam Sacræ Congregationis declarationem alteri esse contrariam, affirmandum videtur prædictos administratores esse ad nutum amouibiles, pro vt ex Concilio, & posteriori declaratione colligitur, ita tamen, vt non vltra triennium in prædicto munere permaneant.

Officiales electi pro administratione bonorum 8
Monasterij à Superioribus eiusdem, possunt pro vt ipsis magis expedire videbitur redditus ipsorum Monasteriorum in loco conuenienti, extra Monasterium conseruare, & ab eisdem subministrare pro tempore necessaria ipsis Monialibus. Ita Sacra Congregatio apud Armendariz *in additionib. ad recopilat. leg. Nauarræ lib.*7. *de relig. num.* 88. & Barbosam *in Collectan. Bullar. verbo Officiales.*

Alia de huiusmodi administratoribus, scilicet an 9
si tempore administrationis efficiantur pauperes teneantur satisfacere, & an si efficiantur diuites præsumantur surripuisse bona Monasteriorum, & an qui non exegerunt à debitoribus teneantur de suis, & quid si incidant in latrones, ac similia, tractat Lauretus de Franchis *in Controuers. Episcoporum, & Regularium super dicta Constitutione Gregorij XV.* quæ tamen omitto, quia magis spectare videntur ad administratores sæculares, quàm ad Regulares, & quia pro istis particulares leges in omnibus Religionibus erunt, quæ obseruari debent.

Nullus particularis Religiosus, nullave Monialis 10
habere potest aliqua bona stabilia sibi designata ad pro

proprium vsum in administrationem, ac per consequens, nec munus administrationem respectu illorum exercere. Ratio est, quia ita exprimitur clarè tum in Concil. Trident. *sess.* 25. *cap.* 2. tum in decretis adductis Clementis VIII. & Sanctissimi Domini Nostri Vrbani. Loquor autem de administratione non solum, aut ea ratione qua est aliquid iuris, quia hoc modo sumpta omnino repugnat voto paupertatis, cum importet facultatem vtendi aliqua re independenter à voluntate alterius, iuxta dicta *tom.* 1. *capit.6.num.*3. de quo Sanchez *lib.7.in Decal.cap.*18. *num.*25. Sed etiam prout importat aliquid facti, scilicet rei gubernationem, & distributionem, iuxta leges, & conditiones determinatas ab ipsius domino. Ratio est, quia licet administratio hoc modo sumpta non repugnet essentiæ, aut substantiæ voti paupertatis, repugnat tamen modo paupertatis, seu vitæ communi præscriptis à Concilio, & Summis Pontificibus, iuxta dicta eo *cap.6. num.*18. & sequentibus.

11 Sunt tamen aliqui casus in quibus Religioso licitè conceditur administratio bonorum, etiam stabilium. Primus si adsit Papæ dispensatio. Cum enim Summus Pontifex in voto etiam paupertatis dispensare possit, prout communiter Doctorum sententia tenet, multò magis dispensare poterit, vt salua substantia voti, Religiosus aliqua bona stabilia administret amobiliter à voluntate ipsius, vel alterius Superioris. Secundus est, quando Religiosus assumitur extra suum Ordinem ad aliquam dignitatem, cui annexa sit talium bonorum administratio, vt puta Episcopatum, iuxta dicta *tom.*1.*cap.*17.*num.*5.*&* 6. Tertius est, quando etiam intra Ordinem ipsum conceditur alicui Religioso aliquod beneficium Regulare extra Monasterium, cui etiam adiuncta sit prædicta bonorum stabilium administratio. Pro quo vide dicta *tom.*2. *capit.* 16. *num.*2. *&* 33. Quartus est, quod in illis Monasteriis in quibus, vel ob nimiam paupertatem qua premuntur, vel ob malitiam, incuriam aut negligentiam Superiorum non potest obseruari vita communis dãdo singulis, & omnibus Religiosis ea quæ sunt simpliciter necessaria secundum decentiam statutis, vel de facto non dantur, quemadmodum iuxta dicta *tom.*1. *cap.6. à num.* 21. potest permitti Religiosis aliquod peculium etiam rei stabilis, annui redditus, vel census, &c. in ordine tantum ad vsus simpliciter necessarios, & amobiliter à voluntate Superiorum, si aliter commodè viuere non possunt, ita etiam possit illis permitti alicuius boni stabilis administratio, propter eamdem rationem, cum eisdem conditionibus, & aliis dicto *cap.6.* assignatis: Quo sensu, & non alio accipiendus est Tamburinus *de Iure Abbat. tom.2.disp.*21.*quæsit.*5.*&* 6.

Vide & alia verbo *Bona.*

ÆTAS.

SVMMARIVM.

*Ætas Prælatorum Generalium, vel Prouincialium qualis. num.*1.
*Aliorum Prælatorum inferiorum. num.*2.
*Abbatissarum, seu Priorissarum. num.*3.
*Diffinitorum num.*4.
*Pro professione emmittenda num.*5.
*Pro recepturis Sacros Ordines. num.*6.
*Quæ ætas sufficiat ad peccatum mortale, & incurrendas Censuras. num.*7.
*Quando Regulares obligentur ad ieiunia suæ Regulæ. num.*8.
Quæ ætas requiritur ad Beneficia, vel similia. numero 9.
Alia remissiuè. num. 10.
*Dubium de ætate requisita à concilio pro canonico pœnitentiario. num.*11.
*Pontifex potest conferre Canonicatus illi, etiam si non habeat sufficientem ætatem. num.*12.
*Nullum ius est, quod manus Papæ liget quantum ad hoc. num.*13.
*Non obstat decretum Concilij Tridentini. num.*14.
Non agitur in eo de prouisione facta à Papa, sed ab Episcopo. num. 15.
Et ita non comprehendit Papam propter aliud decretum Tridentini. num. 16.
*Ex sacra Congregatione, & Rota. num.*17.
*Alia declaratio Sacræ Congregationis. num.*18.
Si tamen aliàs habeat sufficientes literaturam, & morum probitatem num. 19.
*Sic etiam dicitur declarasse Clem.VIII. num.*20.
*Probabile est etiam Episcopum id facere posse casu dato. num.*21.
*Colligitur ex ipso Concilio. num.*22.
Dictio, aliàs, *est idem quod* aliter, *vel* alio modo. *numero* 23.
Estque diminutiua requisiti. num. 24.
Exemplum ad hoc in eodem Concilio, cum loquitur de examine Sacerdotis ad audiendas confessiones. numero 25.
Eò quod Concilium dixit, aut aliàs idoneus iudicetur. *num.*26.

ÆTAS Prælatorum Generalium, vel Prouincialium debet esse triginta annorum, iuxta dicta *tom.*1. *cap.* 18. Consentit declaratio Sacræ Congregationis, quam referunt Riccius *in praxi fori Ecclesiastici resol.* 56.*part.*4. & Ioannes Maria Nouarius *in Lucerna Regularium verbo Ætas num.*5. vbi etiam dicitur debere esse triginta annorum completorum. [Licet Sigismundus de Bononia *de elect.dubio* 62.*num.*1. dicat hoc solum esse de honestate, non autem de necessitate, eo quod iura solùm loquantur de veris Episcopis, non de aliis iurisdictionem quasi Episcopalem habentibus. Quod probabile censeo, & colligitur à simili ex quadam declaratione Sacræ Congregationis, quam refert idem Sigismundus *dub.*63. *n.*1. Idem sequitur Bordonus *in suis Resolut. Res.* 21.*num.*13. dicens quod licet ex honestate requiratur ad Generalem, & Prouincialem ætas triginta annorum, ex rigore tamen Iuris non sit necessaria.] 1

Ætas verò aliorum Prælatorum inferiorum, quales sunt Priores, Guardiani, Præpositi, Rectores, & similes debet esse ad minus vigintiquinque annorum, iuxta dicta *loco relato*, consentiente Sacra Congregatione à prædictis Riccio, & Nouario relata. Consonat etiam alia Sacræ Congregationis declaratio, qua dicitur ætatem viginti quinque annorum requiri ad obtinendam dignitatem, cui subest animarum cura. Illam refert Barbosa *in Collectaneis Bullarij verbo Ætas.* Cum enim tales Prælatiæ dignitates sint, iuxta dicta *tom.*2.*cap.*13.*num.*4. merito ea ætas, quæ requiritur pro habenda dignitate necessaria etiam erit pro Prælatis etiam inferioribus Religionũ. Dicitur etiam in eadem Declaratione hanc ætatem viginti quinque annorum debere esse viginti quinque annorum inceptorum, quo denotatur eam ætatem sufficere, & esse necessariam pro huiusmodi 2

Præla

Prælatis, quæ sufficit, & est necessaria pro Sacerdotio.

3 Abbatissarum, seu Priorissarum ætas debet esse quadraginta annorum, vel saltem triginta, iuxta ea, quæ diximus supra verbo *Abbatissa num*.2.

4 Ad diffinitoriatum requiritur ætas viginti duorum annorum. Ita habet Sacra Congregatio à Riccio, & Nouario supra relata, & conformiter ad ea, quæ dixi de sociis, seu discretis *tom*. 2.*cap*.12.*num*.17.ex Concil. Trid. *sess*.24.*cap*.12. Non obstante tamen hac ætate iure communi requisita in omni Religione seruari debent propria statuta maiorem ætatem exigentia, quemadmodum in Ordine nostro ætas triginta annorum, iuxta Constitutiones nostras *punct*.4. *cap*.13. *num*.3. An verò requirantur completi dicam verbo *Annus num* 2.

5 Ætas, quæ requiritur ad professionem emittendam tam pro viris, quàm pro fœminis est sexdecim annorum completorum, iuxta dicta *tom*. 1.*cap*.2.*num*. 10. ex Concil. Trident. *sess*.25. *cap*.15. Estque huiusmodi ætas pro professione necessaria à die natiuitatis extra vterum, non à die Baptismi computanda, pro vt ibi dictum est, & declaratum referunt à Sacra Congregatione Barbosa, & Nouarius relati. Casu autem quo quis ex secto matris vtero editus esset, ex tunc eius ætas computaretur, vt probat Mandosius de *ætat min.cap*.15. *num*.25. & approbat Sanchez *de præcept. Decalog.lib*. 4. *cap*.35. *num*.4. Ad receptionem autem Nouitiorum non est aliqua ætas iure communi requisita, quin potius ex *cap. Nullus de temp. Ordin.in* 6. colligitur etiam in infantili ætate posse Nouitios ad habitum admitti. Seruanda tamen sunt iura Religionum, sicut in nostra id, quod 1.*par.constit.cap*.13. *num*.5. statuitur, scilicet, quod nullus in Fratrem Clericum recipiatur, nisi sit in ætate quatuordecim annorum. Audio etiam Sac. Congreg. decidisse non recipiendos Nouitios Clericos, nisi habuerint prædictos quatuordecim annos. Pro conuersis autem, iuxta dicta *tom*.2.*cap*.8. *num*.24. ex decretis Clemen. VIII. de Sacr. Congreg. approbatis à Sanctiss. D. N. Vrbano statutum est non debere recipi ante vigesimum ætatis suæ annum. Notandum tamen quod stando in Iure communi Concilij Tridentini nulla ætas determinata requiritur pro receptis ad habitum Religionis, cum neque dicto *cap*. 15. neque in sequenti, vbi sermo de hac re poterat esse, nihil dixerit; nec ex iis quæ de anno ad professionem requisito dixit colligi id possit. Vnde stando in Iure Ecclesiastico communi Clerici possunt recipi ad habitum in quacumque ætate, nisi obstet declaratio Sacræ Congregationis, quam solùm ex aliorum testimonio retuli, licet Conuersi non possint recipi licitè ante vigesimum ætatis annum propter decreta Clementis VIII. & S. Congregationis sub Vrbano VIII. relata.]

6 Pro recepturis Sacros Ordines modo post Concil. Trid. requiritur ad Subdiaconatum ætas viginti duorum annorum, ad Diaconatum viginti trium, ad Presbyteratũ viginti quinque, iuxta dicta *tom*.1.*p*.1. *cap*.14.*n*.1. Primæ autem tonsuræ suscipiendæ sufficit septenarij tempus, hoc enim est tempus infantiæ, vt dicit Glossa *cap. Nullus de temp. Ordin.in* 6. vbi cauetur ne vllus Episcopus ante hoc tempus tonsuram primam vlli conferat, nisi ei, qui Religionem fuerit ingressus. Quo supponitur etiam illo tempore, vt dixi posse pueros ad habitum admitti, & illis primam tonsuram conferri. Legitimum porrò tempus recipiendi Minores Ordines, est post septennium vsque ad duodecimum annum, quo completo Acolitatus suscipitur, *can. in singulis dist*. 77. Toletus *in Summa lib*.1.*c*.61.*num*.1.& 2. Gauantus *in Manual. Episcop.verbo Ordines Minores num*.6 & 10. Quare casu quo pueri ad habitum Religionis ea ætate reciperentur, possent dicto tempore tonsuram, & Minores Ordines recipere, maximè quia iuxta dicta *tom*.1. *p*.1.*cap*.14.*n*.20.& *cap*.24.*num* 6. non repugnat iuri communi quod Nouitij ordines suscipiant.

Ætas sufficiens ad peccatum mortale regulariter est septennium, ita vt tunc pueri absolui possint absolutè, & sine conditione, quia iam supponuntur regulariter habere vsum rationis, cuius signum est, quod sponsalia illius temporis admittuntur. Naldus *in Summ. verbo Ætas n*. 2. ad incurrendam autem censuram, licet aliqui credant requiri ætatem duodecim annorum, immeritò tamen, cum *cap. vlt. de sent. excommunicat*. clarè supponatur pueros ante annos pubertatis incidere posse in excommunicationem. Ita etiam supponunt Suarez *de Censuris disp*.5. *sect*.1. *num*.19. Cornexo *de Censuris disp*. 9. *dub*. 3. clarius Naldus *in Summa verbo Annus num*.1. Quod intelligendum de censura à iure, nam de censura ab homine, esto in rigore iuris infligi possit pueris doli capacibus ante pubertatem, cum nullo iure id prohibeatur (Suarez *suprà*) propter ignorantiam tamen, quæ in illis præsumitur, præsertim quia non censentur cognoscere ordinem iudiciarium, minus cum illis agendum. Nec ita facilè ferenda in illos sententia. Suarez, & Naldus relati. Fauet Vgolinus *de Censuris tabul*. 1.*cap*.17.§.3.*num*.5. 7

Quamuis Regulares omnes ex vi, & à tempore professionis emissæ teneantur ad ieiunia Regulæ, & constitutionum, iuxta modum obligationis, quo ipsa obligant, iuxta dicta *tom*. 1. *cap*. 7. *num*. 26. ad ieiunium tamen Ecclesiasticum non tenentur, nisi viginti vno anno completo, vt ex communi sententia omnium eo loco dixi. Nec obstat, quod in Regulis Religionum etiam ponatur obseruantia præceptorum Ecclesiæ. Ex hoc enim solum infertur Regulares ante prædictum vigesimum vnum annum expletum teneri ad ieiunia Ecclesiastica, non ex vi præcepti Ecclesiastici, sed ex vi Regulæ. Casu autem, quod quis expleat vigesimum primum annum ipso die ieiunij, tunc tenebitur ieiunare ab illa hora in qua prædictum tempus expleuit, non autem antea, cum solum ab eo tempore præcepto adstringatur, & non antea. Quod si ante illud tempus plures refectiones sumpserit, ieiunare non tenebitur reliqua parte diei, quia per plures illas refectiones redditus fuit impotens ad ieiunandum illa die. Sanchez *lib*.2. *de Matrimon. disput*. 24. *num*. 23. Bonacina *de ieiunio disput. vlt. quæst*. 1. *punct. vlt. num*. 7. Prædicti etiam Regulares pro consequendis Iubilæis tenentur obseruare ieiunia in illis præscripta, etiam si tempus viginti vnius annorum non expleuerint. 8

Si contingat Religiosos ex dispensatione Papæ Canonicatum, portionem, beneficium simplex, vel quid simile obtinere, aduertendæ sunt aliquæ declarationes Sacræ Congregationis pro ætate ad illa obtinenda. Prima est, ætas quatuordecim annorum sufficit ad obtinendum Canonicatum in Ecclesia Collegiata. Gonzalez *ad Regulam* 8. *Cancellariæ. Glossa* 5. *num*.91. & 92. Armendariz *in additionib. ad recopilationem legum Nauarræ lib*.1.*tit*. 20.*lib*.1. *de ætate n*.8 Secunda est, ætas quatuordecim annorum sufficit ad obtinendam dimidiam portionem in Ecclesia Cathedrali. Gonzalez *dict. Gloss*.5. *num*. 93. Barbosa *in Collectan. Bullar. verbo Ætas*. Tertia est, ætas quatuordecim annorum post Concilium ad beneficium simplex obtinendum non exigitur expleta, sed sufficit cepta. Armendar. *supra*, *num*. 5. Gonzalez 9

supra

ſupra n. 90. Quarta eſt, ætas quatuordecim annorum requiſita in beneficiis non requiritur in penſione, ſed ſufficit ſeptem annorum. Gonzalez *ſup.n.* 26. Barboſa etiam *ſup.*

10 Vide alia verbo *Annus*, verbo *Dimiſſoriæ*, verbo *Interſtitia*, & 4. tomo verbo *Ordo*. [Ætas regulariter computanda à die natiuitatis iuxta dicta *tomo primo capite* 2. *num.* 10. non à die Conceptionis. Couarruuias *in Epit.* 4. *decret. part.* 2. *capit.* 8. §. 2. *num.* 3. Molina *de Iuſt. tom.* 2. *diſp.* 573. *n.* 2. Sigiſm. *de elect. dub.* 62. *n.* 7.]

11 Congruit huic loco id, quod circa ætatem pro Canonico Pœnitentiario requiſitâ à Concilio, interrogatus reſpondi. Ad dubium propoſitum de Canonico Pœnitentiario an videlicet debeat habere 40. an-
12 nos in ætate. Reſpondeo primo, certiſſimum mihi eſſe ſummum Pontificem poſſe non ſolum valide, ſed etiam licitè talẽ Canonicatum conferri non habenti d. ætatem, ſi alias ſufficientem litteraturam, & mo-
13 rum probitatem habeat. Nullum enim ius eſt naturale, aut diuinum, quod manus Papæ liget, vt non poſſit hoc facere. Nec obſtat Concilium Tridentin. *ſeſſ.* 24. *de reform. cap.* 8. illis verbis: *Pœnitentia-*
14 *rius aliquis cum vnione præbendæ proximæ vacaturæ ab Epiſcopo inſtituatur, qui Magiſter ſit, vel Doctor aut licentiatus in Theologia, vel iure canonico & annorum quadraginta, ſeu aliàs, qui aptior pro loci qua-*
15 *litate reperiatur.* Non ſolùm quia in hoc loco Concilij non agitur de prouiſione talis Canonicatus facta à Papa, ſed ab Epiſcopo, ſed etiam quia Papa propter ſummam eius auctoritatem quam habet etiã ſupra Concilia poteſt in illis diſpenſare: maximè
16 loquendo de Concilio Tridentino, quod *ſeſſ.* 25. *de reform. c.* 21. declarauit in omnibus ſuis decretis intelligi debere, *ſalua ſemper authoritate ſedis Apoſtolicæ:* ita vt propterea Sacra Congregatio apud Garziam *de benefic. p.* 5. *c.* 8. *n.* 87. & Sacra Rota ſæpiùs apud Barboſam *in collectan. D D. ad d. locum Concilij*
17 declarauerint cenſeri derogatum diſpoſitioni Concilij Tridentini, quando contra illud Papa diſponit. Et colligitur ex Gonzalez, Martha, Bonacina, Mareſcoto, Moneta, Gratiano, & aliis apud eundem
18 Barboſam *ſupra.* Præterea quia non obſtante, quod in dicto decreto habeatur, quod talis Canonicus Pœnitentiarius debeat eſſe *Magiſter, Doctor, aut Licentiatus*; Nihilominus Sacra Congregatio Concilij in vna Elborenſi *Pœnitentiariæ* 12. Martij 1633. quam adducunt Bonfadinus *in Theſaur. Canon. deciſ. reſol.* 49. *num.* 3. & Barboſ. *in collect. Apoſtol. deciſ. collect.* 581. *num.* 23. declarauit ſufficere, quod Papæ conſtet de idoneitate talis Canonici ob effectum obtinendi d. Pœnitentiariam. Ex hoc enim colligitur idem in præſenti eſſe dicendum, Papam videlicet, poſſe prouidere de iſta Pœnitentiaria non habentem
19 40. annos in ætate, ſi tamen aliàs habeat ſufficientem litteraturam, & morum probitatem. Denique id conſtat ex eo quod ita dicitur feciſſe Clem. VIII. fel. record. cum quodam Coadiutore Pœnitentiarij
20 Eccleſiæ Patauinæ, non habente niſi 25. annos. Reſpondeo ſecundò, valdè probabile mihi eſſe non ſolùm Papam, ſed etiam Epiſcopum poſſe inſtituere talem Canonicum Pœnitentiarium non habentem 40.
21 annos ætatis, ſi tamen alius non poteſt pro loci qualitate reperiri. Ratio eſt, quia ita expreſsè habetur verbis illis Concilij, *ſeu aliàs, qui aptior pro loci qualitate reperiatur.* Dictio enim illa *alias* eſt idem
22 quod *aliter* vel *alio modo* vt in *l. denique* §. *vtrum ff. de pecul. leg. lib.* 1. §. *illud ff. de aqua quotid.* Caputaquen. *dec.* 210. *num.* 5. Rot. *deciſ.* 316. *num.* 6. *par.* 5.
23 *rec.* Verallus *deciſ.* 210. *num.* 5. *par.* 1. Eſtque dimi-nutiua requiſiti. Seraphin. *deciſ. quæſt.* 68. *num.* 5. Et ita defectum ætatis 40. annorum in Pœnitentiario 24
non obſtare, vbi alias aptior pro loci qualitate reperiri non poteſt, & ſufficere, quod non reperiatur in Ciuitate, aut etiam Diœceſi perſona apta cum dictis qualitatibus, nec eſſe quærendam extra Diœceſim *arg. cap. nullus* 61. *diſt.* & *cap. fauorum* 63. *diſt.* reſoluunt Salcz. de Mendoza *in libello de Inſtitut. Canonicatus Pœnitentiariæ* §. 3. Squillante *de priuil. Cleric. cap.* 4. *n.* 70. & alij, quos refert Barboſa *in Collect. D D. ad hunc locum Concilij num.* 20.

Eſtque aptiſſimum exemplum in eodem Concilio 25
ſeſſ. 23. *de reform. c.* 15. ex eo enim quod Concilium ibi dicat: *nullum etiam regularem poſſe confeſſiones ſæcularium etiam ſacerdotum audire nec ad id idoneum reputari, niſi aut Parochiale beneficium, aut ab Epiſcopis per examen, ſi illis videbitur eſſe neceſſarium, aut alias idoneus iudicetur, approbationem ob-*
tineat, inferunt DD. quod ſi Sacerdos ab Epiſcopo 26
videatur idoneus ad audiendas confeſſiones non teneatur eum examinare; eo quod Concilium dixerit: *aut alias idoneus iudicetur.* Etenim dictio *alias* eſt idem quod *aliter* aut *alio modo*, vt dictum eſt, aut eſt idem quod *alia via*, ſeu *alia ratione* Bonacina *de Sacram. Pœnit. diſp.* 5. *quæſt.* 7. *punct.* 4 §. 1. *n.* 9. & 10. Caſtrus Palaus *de Sacram. pœnit. tract.* 23. *diſput. vnic. punct.* 17. *num.* 4. poſt alios. Idem ergo in præſenti dicendum de eadem dictione in eodem Concilio, dum agit de Canonico Pœnitentiario.

AFFINITAS.

SVMMARIVM.

AFFINITAS eſt propinquitas quarundam perſonarum orta ex copula carnali licita, 1
vel illicita, vnius cum conſanguineo alterius. Si enim Petrus carnaliter cognoſcit Ioannam, cum fiant duo in carne vna, Petrus eſt affinis conſanguineis Ioannæ in eodem gradu in quo ipſa eſt ipſis conſanguinea, & Ioanna fit affinis conſanguineis Petri. Non tamen conſanguinei ipſius Petri fiunt affines conſanguineis Ioannæ, nec è contra: Cornexo *tom.* 2. *in* 3. *part. tract.* 6. *de Matrimon. diſput.* 7. *dub.* 31. Bonacina *de Matrimon. quæſt.* 3. *punct.* 12. Eſt impedimentum dirimens matrimonium, vſque ad quartum gradum, ſi oritur ex copula licita, & vſque ad ſecundum ſi ex illicita. Ex Concil. Trident. *ſeſſ.* 24. *cap.* 4. Oritur ex copula completa, quæ eſt cum ſeminis virilis emiſſione intra vas naturale fœminæ, quia hæc dumtaxat apta eſt ad generationem, ſeu vt vir, & fœmi-

na

na efficiantur vna caro Cornexo *supra dub.*32.Bonacina *supra.*

2 Non solum incurritur hoc impedimentum affinitatis ante matrimonium contractum, sed post contractum, ita vt coniux, qui commisit incestum cum consanguineo, vel consanguinea sui coniugis non possit à coniuge petere debitum, etsi teneatur reddere. Quod nequeat petere constat ex *cap.*1. *de eo qui cognouit consanguineam.* Quod teneatur reddere ex *cap. discretionem eodem tit.* & *cap. penult. & fin. eiusdem tit.* Henriquez *lib.*11.*de Matrimon.cap.*15. *num.*11. Sanchez *lib.*9. *de Matrimon. disp.*27. *num.* 1. Hoc intellige, quando fuit copula completa modo dicto *suprà* cum consanguineo, vel consanguinea coniugis, sola enim ea copula sufficiens est ad inducendum hoc impedimentum. Sanchez *suprà.* Amplia, etiam si copula sit occulta, quia textus distinctè loquitur, nec innititur scandalo. Sotus *in* 4.*dist.*37. *quæst. vnic.art.*2.*vers.*2.*concl.*Gutierez *in quæst. Canonic.*1. *tomo cap.* 23. *num.*8. Vnde peccat lethaliter coniux, qui affectus hoc impedimento petit debitum, quia contrauenit præcepto Ecclesiæ in re graui, & petitio ipsa incestuosa est. Nauarrus *in Summ. cap.*16. *num.*35. Sanchez *supra n.*9. Oritur autem hoc impedimentum solum ex copula habita cum consanguineis coniugis intra secundum gradum, ita vt, qui cognouit consanguineam suæ vxoris in tertio, vel quarto gradu non priuetur tali iure petendi debitum. Ratio est, quia Concilium Trident. *sess.*24.*cap.*4. decreuit, quod affinitas orta ex copula illicita, non extendatur vltra secundum gradum. Et ita declaratum est à Pio V. & Sacra Congregatione. Snchez *supra num.* 14. Bonacina *sup.* Barbosa *in Collectan. Bullar. verbo affinitas, & verbo Impedimentum affinitatis.*

3 Quamuis in impedimento affinitatis, quod est ante contractum matrimonium solus Pontifex dispensare possit, in illis gradibus in quibus dirimit illud solum iure Ecclesiastico, etsi non in illis in quibus dirimit etiam iure naturæ (si forsan aliqui tales sunt de quo alias) quando tamen superuenit matrimonio contracto, & impedit debiti exactionem, potest Episcopus dispensare. Valentia *tom.*4. *disput* 10. *quæst.*5.*punct.*5. Cornexo *tom.*3. *in* 3.*part. de Matrimon. disput.*7. *dub. vlt.* Hinc ipse Episcopus potest committere Confessario facultatem id faciendi. Miranda *in Manual. Prælat. tom.*1. *quæst.* 47.*art.* 1. Tunc autem censebitur id concedere, non quando dederit facultatem absoluendi à casibus ipsis reseruatis, hoc enim impedimentum nec est proprie casus, nec proprie loquendo tollitur per absolutionem, sed est impedimentum, quoddam ad petendum debitum, & tollitur per dispensationem. Tunc ergo censebitur concessa huiusmodi facultas, quando ex verbis concedentis, vel aliis circumstantiis colligatur mentem ipsius esse illam concedere. Miranda *ibidem.* An vero Commissarius Cruciatæ habeat aliquod priuilegium circa hoc pro illis partibus, in quibus Bulla Cruciatæ promulgatur, vide Rodriguez *in exposit. Bull. Cruciat.* §.13.*num.*7. Ludouicum à Cruce *in exposit.Bullæ Cruciatæ disp.* 1. *c.*9. *dub.*8.

4 De Confessariis autem Regularibus, quod virtute priuilegiorum quarumdam Religionum possint etiam id facere, communiter tenent auctores, qui de hoc scripserunt, specialiter Casarubius *in Compend. priuil. Mendicant. verbo Dispensatio num.* 17. Rodriguez *tomo primo, quæstionum Regularium quæst.*61. *art.* 1. Miranda *in Manual. Prælator. tom.* 1. *quæst.* 47. *artic.* 1. Portellus *in dub. Regular. verbo Confessor Regularis erga sæculares num.* 23. Sanchez *lib.*8. *de Matrimon. disp.* 16. *num.* 8. Ioannes de Cruce *de priuilegiis lib.* 2. *cap.* 6. *dub.* 9. *conclus.* 1. Et sanè, ita erat tempore quo ipsi scripserunt, modo tamen post annum 1631. quo à Sanctiss. Dom.N. Vrbano reuocatæ sunt omnes concessiones per viuæ vocis oracula factæ prout dixi *tom.* 1. *cap.*3. *num.* 21. diligentius res expendi debet, iuxta dicta eo *tom.* 1. *cap.* 19. *numero.*25. Et in primis concessio Innocentij VIII. pro Minoribus, quam Casarubius refert, viuæ vocis oraculum fuit, vt ipse fatetur, imo incertum & dubium, vt Corduba ibi notat, & propterea inutilis hoc tempore nisi innouetur, aut confirmetur. Idem dico de concessione Pij V. etiam pro Minoribus, quam circa hoc referunt Rodriguez, Miranda, Sanchez, & Portellus relati. Fuit enim etiam viuæ vocis oraculum. De concessione autem Martini V. aliqui illorum referunt, idem credo affirmandum quamuis eam vsque modo videre non potuerim. Concessio vero Iulij II. quam etiam refert Ioannes de Cruce, quamuis solum fuerit rescriptum quoddam Cardinalis cuiusdam Summi pœnitentiarij eiusdem Iulij II. vt patet ex Bullario Rodriguez inter Bullas Iulij II. *numero vigesimotertio*, quo de mandato ipsius viuæ vocis oraculo sibi facto declarauit indultum quoddam Sedis Apostolicæ datum Prioribus, Præsidentibus, & tribus, aut quatuor Monachis Monasterij S. Benedicti Congregationis Vallisoletanæ ab ipsis pro tempore deputandis, & ad nutum reuocandis, extendi etiam ad hoc, vt possent dispensare cum prædictis coniugatis incestuosis in petitione debiti, nihilominus credo non includi in reuocatione illa generali oraculum viuæ vocis. Ratio est, quia esto huiusmodi declaratio facta fuerit à prædicto Cardinali ex mandato sibi facto à Papa viuæ vocis oraculo, imo etiam dato, quod illud indultum de quo ibi fit mentio fuerit etiam viuæ vocis oraculum, nihilominus ipsa in se formaliter, vt ita dicam non est viuæ vocis oraculum; sed rescriptum quoddam, vel Breue Summi Pœnitentiarij auctoritate Apostolica editum. Manet ergo in sua vi, & ipso vti poterunt tam prædicti Monachi, quam quicumque alij Regulares, qui habuerint communicationem priuilegiorum cum illis.

Sunt tamen aliqua animaduertenda pro recto vsu huius priuilegij. Primum, hos Confessarios deputandos esse ad hoc munus dispensandi cum prædictis incestuosis per superiorem Monasterij, ita quod non sufficiat generalis facultas audiendi Confessiones fidelium, sed requiratur ista deputatio ad hoc munus specialiter, prout colligitur ex dictis Litteris. Quare non debet committi indiscriminatim cunctis, sed specialiter doctis, & prudentibus, quia solum illi apti sunt ad id munus. Numerus autem trium, aut quatuor designatus à prædicto Cardinali intelligi debet respectiuè ad Monasteria, ita vt in magnis, & celebrioribus Monasteriis quale est illud S.Benedicti Vallisoletani, cui principaliter facta est hæc concessio, possint designari tres, aut quatuor. In minoribus autem conuentibus non nisi vnus vel duo. Ita enim recta ratio dictat intelligi debere priuilegium. Similiter quamuis ex vi viuæ vocis oraculi Pij V. pro Minoribus, quod retuli dicto *tomo primo, capite* 19 *numero* 25. requiratur, quod prædicti Confessarij habeant ad hoc munus commissionem à Prouinciali, ac per consequens, ita obseruari deberet si illud non esset reuocatum, aut si de nouo confirmaretur à Sede Apostolica, ex vi tamen huius priuilegij, de quo in præsenti, non requiritur commissio Prouincialis sed sufficit designatio 5

facta à Superiore immediato Monasterij, prout colligitur ex prædictis Litteris. Item licet ex vi prædicti oraculi Pij V. si subsisteret, aut si de nouo confirmaretur, facultas concessa viro docto Confessario non expiret amoto Prouinciali ab officio, vt habet Portellus relatus, & Villalobos *in Sum tom.1.tract.13.diff.5.n.5.& diff 52.n.10.* quia non ipse, sed Papa est, qui concedit talem facultatem. Tamen in vsu priuilegij de quo in præsenti aliter dicendum videtur, scilicet, quod mortuo, vel amoto superiore, qui talem designationem fecit, cesset designatio ab illo facta, eo quod illa est ad nutum concedentis reuocabilis, prout habetur in prædictis Litteris, Gratia enim, quæ datur ad nutum concedentis expirat cum ipso, iuxta dicenda infra verbo *Gratia n.9.* Pariter, quamuis prædicta facultate dispensandi cum incestuosis quantum est ex vi præfati oraculi Pij V. si subsisteret, aut de nouo confirmaretur, vti possent Confessarij etiam extra Sacramentum Confessionis, quia verbum illud *in foro conscientiæ* non restringitur ad Sacramentum Confessionis iuxta dicta *tom.1.c.18.n.45.* & supra verbo *Absolutio n.6.* ex vi tamen priuilegij de quo in præsenti necesse est, quod Confessarij vtantur dicta facultate in Sacramento Confessionis. Ita enim supponitur in prædictis Litteris illis verbis *Confessiones diligenter audire, & illis pœnitentiam salutarem iniungere.*

6 Quod autem prædicti Confessarij non possint vti hoc priuilegio extra suas domos, aut Ecclesias, constat ex dictis Litteris, vbi solum conceditur pro Christi fidelibus confluentibus ad illas seu in illis commorantibus, aut existentibus. Denique, quod talis dispensatio sine causa exhiberi non debeat, certum est, & commune omnibus dispensationibus. Videtur autem sufficiens esse si coniux ille, cum quo facienda est dispensatio, iuuenis, sit nec possit se abstinere à petitione debiti.

7 Cæterum nullo pacto audiendos esse Peregrinum *in Compend. priuil. sui Ordinis part. 1. titul. dispensatio §.8.* & Sayrum *in claui regia lib.6.cap.11.n.98.* quatenus asserere videntur (etsi id expressè non asserant) posse Confessarios Regulares vti hac facultate dispensandi cum prædictis incestuosis sine speciali deputatione suorum Superiorum, rectè docet Diana *part.3.tractat.2. de dub. Regul. resolut.14.* & supponunt communiter authores, qui de priuilegiis Regularium scripserunt, quos idem Diana refert. Aut ostendant, qui oppositum dicunt aliquod priuilegium sine prædicta limitatione.

8 Vide alia 4 tom. verbo *Matrimonium.*

AGNVS DEI CEREI.

SVMMARIVM.

Quid statuerit Gregorius XIII. circa Agnus Dei n.1.
Eam Constitutionem esse receptam. ibid.
Quæ actiones prohibitæ sint circa illos n.2.
An possint venales proponi n.3.
Quando simonia in hoc committeretur. ibid.
Emere illos ratione benedictionis simoniacum est n.4.
An retineri possint miniati, vel depicti n.5.
Excommunicatio à Greg. imposita an sit reseruata n.6.
Quis possit ab illa absoluere. ibid.
Tangere, seu contrectare Agnus Dei, quibus licet, vel quibus non. n.7.
Pro reuerentia circa illos, quid statuerit S. Carolus Borromeus n.8.
De vtilitate quam fideles capere possunt ex ipsis n.9.
Qualiter significata sit ab Vrb. V. ibid.

1 PRo reuerentia habenda erga *Agnus Dei* à Summo Pontifice benedictos, ex veteri Ecclesiæ instituto, solemni precationum ritu, multisque cæremoniis tum primo, tum septimo Pont. anno, vt ait Azor. *tom.1. Instit. Mor. lib.9.c.9.* Hæc statuit Greg. XIII. in Const. *Omni certè* anno 1572. edita inter Const. ipsius *in 2.to. Bull. n.2.* quæ idcirco discutienda erunt, quia Regulares etiam tangunt. *Statuimus, & ordinamus, ac sub excommunicationis pœna ipso facto incurrenda prohibemus, & interdicimus, ne quisquam siue vir, siue mulier, sæcularis, aut Ecclesiastici, etiam Regularis Ordinis, ille sit & quocumque gradu, conditione, statu, nomine, dignitate, & honore præcellat, posthac in perpetuum Agnus Dei per Romanum Pontificem pro tempore existentem benedictos, depingere, inficere, minio notare, vel aurum, aut colorem aliquem illis imponere, aut quidquam aliud superinducere, neque depingi, aut miniari facere, nec illos venales proponere, seu tenere, quouis prætextu, qualibetve de causa audeat. Verum eos albos, & mundos Agnum illum purum, & innocentem repræsentantes, qui occisus pretiosissimo sanguine suo nos redemit, decenter, ac reuerenter à cunctis haberi, deferri, & custodiri præcipimus, & ita ab omnibus fieri, & censeri debere decernimus. Mandantes omnibus, & singulis locorum Ordinariis per vniuersum Christianum Orbem constitutis, eorumque Vicariis in spiritualibus Generalibus, vt præsentem nostram Constitutionem, & prohibitionem in suis quisque Ciuitatibus, & Diœcesibus statim publicare procurent, itaut ad omnium notitiam quam primum peruenire possit. Quicumque vero inobedientes fuerint, præter excommunicationis pœnam, quam vt præfertur incurrent, etiam aliis pœnis ipsorum Ordinariorum, seu Vicariorum, plecti, & mulctari volumus, & iubemus.* Hæc in dicta Constitutione, quam aliqui extra Vrbem non esse receptam dicunt (Filiucius *tr.14.n.95.*) sed alij contra testantur, vt Fagundez *part.1.lib.1.c.4.n.25.*

2 Hæc ergo cunctis etiam Regularibus viris, aut fœminis prohibentur à Gregorio XIII. sub pœna excommunicationis latæ sententiæ; scilicet præfatos Agnus Dei cereos *depingere, inficere, minio notare, aut colorem aliquem illis imponere, aut quidquam aliud superinducere.* Vnde non prohibetur eos circulis, aut thecis aureis, argenteis, sericis, christallinis, aut vitreis in girum circum ornare, aut coronare. Sic enim Romæ obseruari video, & Pontifex solum interdicit ea quibus albedo, & munditia illorum veluti intrinsecè inficitur. Prohibetur etiam eos depingi, aut miniari facere, intellige auro, minio, vel colore, aut aliqua re illis imposita, vel superinducta, iuxta superius dicta, vt credatur eadem, quæ facere per se circa illos cuncti prohibentur, neque per alios facere posse, esto id non exprimatur in Constitutione.

3 Pariter etiam interdicitur omnibus eos *venales proponere, aut tenere.* Quod intellige de venditione simoniaca, qualis est si ratione Benedictionis vendantur, aut carius ratione illius; secus si ratione solius materiæ, ceræ videlicet, ex qua conficiuntur, & impensarum in eis conficiendis, & de vno loco in alium portandis vendantur. Constat enim calices, & patenas consecratas eodem modo vendi posse. Ita Sanchez *de præcept. decalog. lib.2.cap.43.n.29.* Bonacina *disput.3. de primo præcepto decalogi q.1. punct.4.n.12.* Qui autem particulam aliquam Agnus Dei venderet, aut carius annulum, seu thecam in qua inclusa est, proculdubio conuinceretur eam vendidisse

vendidisse simoniacè, cum illa materia parua alias nullius fermè pretij sit. Sic intelligendus Azor. *sup. quæst.* 4.

4 Emere etiam Agnus Dei ratione benedictionis, seu consecrationis simoniacum est, quia est emere rem sacram. Emere autem illos ratione materiæ, aut expensarum, quæ fiunt in apparandis, & poliendis nõ est intrinsecè malum, Azor. *sup.* Cui non assentior, dum ait in prædicta Constitutione videri prohibitum, nullum enim verbum ibi est de emptione sed de venditione, nisi forsan credatur, eo ipso quod prohibentur vendi prohiberi etiam emi.

5 Etsi Agnus Dei pingere, miniare, &c. aut facere pingere, seu miniare prohibitum sit sub præfata excommunicatione, vt dictum est, illos tamen sic peccaminosè depictos, seu miniatos tenere, aut conseruare, probabile est non esse prohibitum dicta Constitutione. Quia non videtur credibile voluisse Pontificem, vt semel iam miniati, seu depicti comburantur, rumpantur, aut destruantur. Vnde dum interdicitur in ea Constitutione Agnus Dei *tenere*, infinitiuum *tenere* coniungitur cum dictione *venales*, vt constat ex contextu. Pariter dum concludit Pontifex illos habendos, deferendos, & custodiendos albos, & mundos, tantum est dicere non esse depingendos, sed vt benedicuntur à Pontifice custodiendos, at vbi peccando depicti sunt, non interdicit eos teneri, Sanchez *supra n.* 28. Bonacina etiam *supra*.

6 Excommunicatio prædicta nulli reseruata est, vt constat ex ipsa Constitutione, & notat Gauantus *in Manual. Episcopor. verbo Agnus Dei*. Vnde ab illa possunt Prælati Regulares absoluere suos subditos, iuxta dicta *tom.* 1. *c.* 18. *n.* 18. & Confessarij suos pœnitentes, iuxta dicta *ibi cap.* 16. *num.* 14. ex Cornexo *ibi* relato.

7 Tangere, seu contrectare Agnus Dei per se, & absolute non licet, nisi Clericis, saltem in Subdiaconatu constitutis. Sunt enim non solum sacri, & benedicti, sed etiam Oleo Sacro, & Chrismate consecrati. Ita etiam elicitur ex *c. Sacratas dist.* 23. Azor. *supra q.* 3. Sanchez *sup. n.* 27. Non tamen propterea Clerici inferiores, aut laici eos tangentes peccant mortaliter secluso scandalo, aut contemptu, sed tantum venialiter, quia pro leui irreuerentia communiter hoc æstimatur, vt in simili dixi de Conuersis tangentibus sacra vasa, *tom.* 2. *c.* 8. *n.* 34. Azor. & Sanchez relati. Imo, vt credo, quando adsit moralis necessitas, pietas, & deuotio nullum erit peccatum eos decenter contrectare quia ita videtur vsu receptum. Sanchez *supra*.

8 Pro reuerentia tamen illis exhibenda in Concilio Mediolanensi sub S. Carolo Borromeo Cardinali celebrato quædam statuta sunt, quæ mihi digna videntur, quod hic inserantur, vel in exemplum aliarum Ecclesiarum. Primo vt cum Agnus Dei domi asseruantur, sicut piæ consuetudinis est, loculo decenti includantur. Cum autem collo dependentes gestantur, in thecam auream, argenteam, eburneam, christallinam, aut alterius generis decentis rectè inclusi sint, itavt tactu violari nequeant, nec ad ornatum habeant quidquam, quod profanum sit, quodque minimè deceat. Thecarum fabri ne vllo modo eos tangant attrectentue, ne chirothecis quidem, forcipe, aut vllo alio instrumento, sed ad eos in thecis reponendos Clericus in sacris constitutus adhibeatur. Ne item minimam particulam sacræ illius ceræ è qua agni figura effecta est in eis includant, quo pluris opus suum vendant, sed ab eo accipiant qui thecam Agni causa faciendam locarint. Ne item quisquam sacrum agrum annulo gestet, cum ita parum religiosè gestetur, vt aliqua fœditate turpiue tactu violari facilè queat. Præterea, qui sacros agnos gestant, hoc Religiosius caueant, ne quid impurè turpiterve agant, aut à sacra huiusmodi re alienum. Nec prætèrea in agri campum benedicti agni proiiciantur, nec cuiquam arbori affigantur, neque in ramis arborum suspendantur. Sed quod antiqui est instituti eorum cera adoleatur ad suffumigationem in agris, vineis, ob imminentem tempestatem, fulgura, fulmina, incendia, & grandinis vim, aliasue diabolicas illusiones depellendas. Hæc in eo Concilio Prouinciali referente Azorio *supra q.* 2. & aliqua ex eis Gauanto *in Manuali Episcopor. verbo Agnus Dei*.

9 De vtilitate quam fideles capere possunt ex illis testatur Durandus *in Rationali diuinorum officiorum lib.* 6. *cap.* 79. agnos cereos auctoritate Pontificia sacros vim habere contra fulgura, fulmina, grandinem, incendia, & tempestates ventorum, vel imbrium. Hos etiam versus ab Vrbano V. ad Gregorium Imperatorem cum tribus *Agnus Dei* missos fuisse habet Quaranta *verbo Agnus Dei*.

Balsamus, & munda cera cum chrysmatis vnda
Conficiunt agnum, quod munus do tibi magnum.
Fonte velut natum per mystica sanctificatum.
Fulgura desursum pellit, & omne malignum:
Peccatum frangit, vt Christi sanguis. Et angit.
Prægnans seruatur, simul & partus liberatur.
Munera defert dignis, virtutem destruit ignis
Portatus mundè de fluctibus eripit vndæ.
Morte repentina seruat, Satanæque ruina.
Si quis honoret eum, retinet super hostes trophæum.
Parsque minor tantum tota valet integra quantum.
Agnus Dei miserere mei.
Qui crimina tollis miserere nobis.

ALIENARE, SEV ALIENATIO.

SVMMARIVM.

Vbi de hac materia actum sit. n. 1.
Alienatio propriè quid importet. n. 2.
Quid large sumpta. ibid.
Actus per quos dominium transfertur. ibid.
Actus per quos vtile transfertur. ibid.
Omnes alienationes bonorum Ecclesiasticorum modo prohibitæ à Paulo II. n. 3.
Item à S. Congreg. Concilij. n. 4.
Etiam impositio censuum. n. 5.
Item acceptio pecuniæ ad cambium. ibid.
An possint Ecclesiastici emere bonum stabile imposito censu super illud. ibid.
Quid dicendum de annuis redditibus, & creditis Montium. n. 6.
Venditio immobilium, seu mobilium pretiosorum omnino interdicta. n. 7.
Quid cum res est modici valoris iuxta Ca. Terrulas. *ibidem.*
Qualiter est intelligendum. ibid.
An serui fugitiui alienari possint. n. 8.
An bona difficilis recuperationis. n. 9.
An bona hæreditaria obnoxia oneri soluendi æris alieni. n. 10.
Donatio etiam prohibita Regularibus de rebus immobilibus, aut mobilibus pretiosis. n. 11.

An etiam inter ipsos Regulares. ibid.
Quid de permutatione talium bonorum. n. 12.
Quid de aliis speciebus contractuum. n. 13.
Quid de reliquiis Sanctorum n. 14.
Vnio Ecclesiarum, an etiam prohibita. n. 15.
De arboribus casis ex aliquo prædio quid sentiendum. num. 16.
De bonis immobilibus habentibus perpetuum Missarum onus, quomodo alienanda. n. 17.
Pœnæ imposita in Extrauaganti Pauli II. quæ sint. num. 18.
Quæ in Decreto S. Congreg. Conc. n. 19.
In quas pœnas incidant Regulares alienantes. numero 20.
Qualiter id intelligendum. ibid.
Quid de Episcopis & de Abbatibus. n. 21.
Quid de aliis Prælatis inferioribus. n. 22.
Quis possit in illis dispensare. ibid.
An ex priuilegiis Religionum. n. 23.
Quid de pœnis aliarum Constitutionum Apostolicarum. n. 24.
Maxime de Clementina 1. de reb. Eccles. non alienand. *n. 25.*
An suspensio per illam posita maneat modo in sua vi. ibid.
Alia remissiuè. n. 26.
Dubium de monacho alienante quoddam bonum stabile Monasterij. n. 27.
Talis alienatio in arbstracto sumpta, illicita est, & inualida. n. 28.
Per constitutiones, & decreta Pontificia prohibita. num. 29.
Propter indemnitatem bonorum Ecclesiæ intenta. numero 30.
Etiam si sint inutilia. n. 31.
Non accedente consensu Sedis Apostolicæ. numero 32.
Etiam si euidens vtilitas vel necessitas. numero 33.
Quia illa debet esse authorizata, seu declarata numero 34.
Spectatis circumstantiis huius alienationis probabiliter excusatur monachus alienans. n. 35.
Quia bonum illud stabile erat damnosum, & præiudiciale. n. 36.
Quia necessitas vrgens facit licitum, quod licitum non erat. n. 37.
Quia inductum in fauorem, non debet operari contrarium effectum. n. 38.
Constitutiones, & decreta inducta sunt in fauorem Ecclesiarum. n. 39.
Quia melioratio talis boni stabilis sperari non poterat. num. 40.
Quia alienatio illa videbatur necessaria. numero 41.
Quia bona fide dicitur facta. n. 42.
Bona fides excusat. n 43.
Quia extrauagans ambitiosæ *loquitur contra præsumentes. n. 44.*
Quia periculum erat in mora. n. 45.
Quia lex non obligat, quando seruari non potest. numero 46.
Quia in qualibet prohibitione censetur excepta causa occurrens, quæ suadeat oppositum. n. 47.
Quia Apostolicus assensus, quatenus opus esset, fuit reseruatus. n. 48.
Protestatio ista, quando iuuat. n. 49.
Sic videtur contingere in præsenti. n. 50.
Ad casum fere similem de vidente terrulas quasdam, resolutio. n. 51.
Quia fuit facta hæc alienatio in casu à iure permisso. num. 52.
Quia erat res modici valoris. n. 53.
Ex declarationibus S. Congreg. n. 54.
Si terrulæ illæ erant separatæ ab aliis prædiis. numero 55.
Quid si extrauagans illa non erat recepta in illo Regno. n. 56.
Quid de clausula illa, non obstantibus consuetudinibus. num 57.
Quia pœnæ illæ non incurruntur, nisi ex dolo & malitia. num. 58.
Religiosus ille non ex dolo, malitia, aut præsumptione id fecit. n. 59.
An obstet, quod in decreto S. Congreg. imponantur dictæ pœnæ simpliciter. n. 60.
Quorundam Theologorum opinio. n. 61.
Cohæret aliud votum in simili causa. n. 62.
Alienatio illius terriculæ facta per Eminentissimum N. si non excedebat valor illius terriculæ multum, potuit alienari. n. 63.
Ex quadam declaratione Sacræ Congregationis. numere 64.
Ex quadam alia. n. 65.
Debebant concurrere aliquæ conditiones. numero 66.
Præsumi debet concurrisse. n. 67.
Quia præsumendum pro Prælatis, maximè tam egregio. num. 68.
Illius testimonio standum. n. 69.
Quando verificentur. n. 70.
Quid de consuetudine. n. 71.
Quid si dicatur præfata s declarationes authenticas non esse. n. 52.
Valor terrelæ, quæ alienatur, arbitrio prudentis relinquitur. n. 73.
Innocentis sententia n. 74.
Quomodo intelligenda particula illa longe positas. *numero 75.*
Decisio Curiæ Archiepiscopalis Neapolitanæ. numero 76.
Connexorum idem est Iudicium. n. 77.

1 PLura de hac materia, quatenus spectat ad bona Regularium dicta sunt *tom. 1. p. 1. capite 10. num. 1. 2. 3. & 4. & tom. 2. p. 1. cap. 19. à numero* 54. quia tamen circa eam nouæ quotidie exurgunt difficultates, in Italia præsertim, vbi Extrauagans *Ambitiosæ* Pauli II. & decretum Sacræ Congregationis, de quo infra, sunt in viridi obseruantia, ideo alia addenda sunt, vel pro maiori explicatione.

2 Quamuis alienatio propriè, & in rigore sumpta solum importet actum per quem dominium directū transfertur. *C. de fund. dotal. l. 1. & 2.* Glossa *in c. cum nulli liceat de reb. Eccles. non alienand.* Largè tamen, vt in dicta Extrauaganti Pauli II. & decreto Sacræ Congregationis, sumitur etiam pro actu per quem dominium vtile transfertur. Syluester *verbo alienation. 1.* Quaranta *in Summa Bullar. verbo alienatio num. 6.*

Actus per quos dominium directum transfertur sunt venditio, donatio permutatio, &c. Molina *de contractib. tract. 2. disp. 464. num. 1.* Actus vero per quos dominium vtile transfertur sunt sex (iuxta Quarantam *in Summa Bullar. verbo alienatio numero 16.*) Videlicet superficiarius, locatio, Emphyteusis, libellarius, feudus, & præcaria. His iunge illos actus, quibus etsi res non tradatur alteri, neque ad dominium directum, neque vtile, manet tamen obnoxia

obnoxia periculo alienationis, vt pignus & hypotheca. Molina *suprà*.

3 Hi ergo omnes alienationis bonorum Ecclesiasticorum modi prohibiti sunt Ecclesiasticis omnibus. Primò, à Paulo II. in Extrauaganti *Ambitiosæ* sub excommunicationis sententia, & aliis pœnis prout dixi dicto *tom.* 1. *cap.* 10. *numero* 1. illis præsertim verbis: *Omnium rerum, & bonorum Ecclesiasticorum alienationem, omneque pactum per quod ipsorum dominium transfertur, concessionem, hypothecam, locationem, & conductionem vltra triennium, necnon infeudationem, vel contractum emphyteuticum, præterquam in casibus iure permissis, ac de rebus, & bonis in Emphyteusim ab antiquo concedi solitis; & tunc cum Ecclesiarum euidenti vtilitate, ac de fructibus, & bonis, quæ seruando seruari non possunt, pro instanti temporis exigentia, hac perpetuò valitura Constitutione fieri prohibemus.*

4 Deinde secundò, expressis, & clarius prædicti modi alienationis bonorum Regularium, abrogatis omnibus priuilegiis ipsis concessis, (quorum plura referunt Cassarubius, & Sorbus *in Compend. priuileg. Mendicant. ver. alienatio*) prohibiti sunt à Sacra Congregatione Concilij in decreto Sanctissimi Domini Nostri Vrbani iussu edito anno 1624. absque licentia ipsius Sacræ Congregationis, illis verbis dicto *cap.* 10. *num.* 2. relatis. *Omnium rerum, & bonorum immobilium, ac pretiosorum mobilium alienationem, omneque pactum, per quod ipsorum dominium transfertur, census perpetuos, seu vitalitios, hypothecam, locationem, & conductionem vltra triennium, concessionem in feudum, vel Emphyteusim, præterquam in casibus à iure permissis, fieri perpetuò prohibet, absque ipsius Congregationis Concilij expressa licentia in scriptis, & gratis concedenda; sub pœna priuationis omnium Officiorum, quæ tunc obtinebunt, vocisque actiuæ, & passiuæ, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa in posterum obtinenda, quam ipso facto absque alia declaratione incurrant. Sublata etiam Generali & Protectori illam moderandi, aut relaxandi facultate; pœnis nihilominus Apostolicarum Constitutionum, & præsertim fœlicis recordationis Pauli II. quæ incipit:* Ambitiosæ *in suo robore permansuris.* Prohibentur etiam bonorum Ecclesiasticorum alienationes in Concilio Trident. *sess.* 22. *de reformatione capite vndecimo, & sess.* 25. *etiam de reformatione, capite* 11. item ab aliis Pontificibus de quibus infra.

5 Meritò autem in hoc Sacræ Congregationis decreto fit specifica mentio censuum, siue perpetuorum vitalitiorũ, quamuis in dicta Paulina expressè nominati non fuerint, quia census impositio est quædam alienatio *l. fin. C. de reb. Eccles. non alienan.* Naldus *in Summa verbo Census num.* 3. ex decisione Rotæ. Impositio enim census venditio quædam veluti est libertatis bonorum. Vnde in dicto *capit.* 10. *num.* 3. dixi, pecunias ad cambium, vel mutuo accipere cum solutione lucri cessantis, vel damni emergentis (quod multo minus est quam census impositio) prohibitum esse Regularibus, declarasse Sacram Congregationem eodem Sanctissimo approbante, vt refert etiam Gauantus *in Manual. Episcop. ver. alienatio num.* 35. Multò ergo magis impositio, seu venditio census, siue perpetui, siue vitalitij prohibita, erit. Hinc etiam declaratum est à Sacra Congregatione, Regularium alienationem, seu venditionem census Regularium pro solutione æris alieni minimè fieri posse. Gauantus *in Manual. Episcop. verb. alienatio n.* 40. Ioannes Maria Nouarius *in Lucerna Regul. verbo alienatio num.* 3.

An autem possint Regulares, aut alij Ecclesiastici emere v. g. vineam, vel domum mille v. g. scutis impositis ad censum, super ipsam vineam, vel domum. Dicendum videtur, quod sic. In eo enim casu Ecclesia non tamen alienat, quàm adquirit bonum illud stabile tali onere affectum, quod nullo iure est prohibitum. Secus esset si ille census imponeretur hypotheca speciali etiam super alia bona Monasterij, vel super illa solum, hoc enim esset alienatio quædam libertatis bonorum Monasterij, ac per consequens prohibitum. Dixi autem hypotheca speciali, quia si id fieret per hypothecam generalem, licitè fieret quia iuxta dicta *tom.* 2. *cap.* 19. *n.* 55. probabile est hypothecam generalem bonorum Ecclesiæ non esse prohibitam Ecclesiasticis, aut Regularibus. Restat ergo solum aliquid dicere de singulis modis alienationis supra assignatis, & prohibitis Regularibus sine Sacræ Congreg. licentia.

Sed præmittendum, quod licet Naldus *in Summa verbo annus num.* 7. & *verbo Bona num.* 16. putet annuos redditus, si sint citra decennium, & credita Montium, vulgò *loca Montium*, esse bona mobilia, nihilominus dicendum censeri immobilia. Ita enim habet vsus Curiæ, & est conforme naturæ ipsorum, cum possint perpetuò durare. Esto autem immobilia, non essent, quia tamen sine dubio sunt pretiosa ideo quantum ad alienationem iudicandum de illis est, ac si essent immobilia, iuxta dicta *tom.* 2. *cap.* 19. *n.* 54. 55. & 56. Quod maximè roboratur ex eo quod sint bona fructifera. 6

Et primò loquendo de venditione rerum immobilium, & mobilium pretiosorum, etsi omnino sit interdicta Regularibus sine Sacræ Congregationis licentia, iuxta dicta locis relatis ex Paulina, & decreto relato eiusdem Sacræ Congregationis, nihilominus res modici valoris etiam si sit immobilis, vendi potest, & alienari sine tali licentia. Ratio est, quia in *cap. Terrulas* 12. *quæst.* 2. id permittitur. Declaratum autem est à Sacra Congregatione, neque constitutione Pauli II. neque Concilij Tridentini decreto derogatum esse dispositioni dicti *cap. Terrulas* 12. *quæst.* 2. Quaranta *in summa Bullar. verb. alienatio num.* 41. Gauantus *in Manual. Episcopor. verbo alienatio num.* 22. Est autem eadem ratio de decreto Sacræ Congregationis adducto, quia illud conforme est constitutioni Pauli, illius explicatio, & confirmatio pro Regularibus; sublatis eorum priuilegiis. Sed notandum, in eo *cap. Terrulas* tria requiri, vt possint alienari, scilicet quod sint exiguæ, minus vtiles, aut longè positæ, & adsit necessitas. Quanti porrò valoris debeant esse prædictæ Terrulæ, vt exiguæ censeantur Naldus *in Summa verbo Prælatus num.* 7. & Gauantus *supra num.* 24. referunt declaratum esse à Sacra Congregatione Episcoporum, & Regularium debere esse viginti quinque scutorum aureorum. Idem verò Naldus *in Summ. verbo alienare num.* 5. dicit ex stylo Curiæ, & prout à pluribus fide dignis ipsi pluries scriptum fuit, intelligi debere de iis, quæ communiter non excedunt valorem viginti ducatorum. Sed quamuis declarationi Sacræ Congregationis pro eo casu quo facta est standum sit, & stylus ille Curiæ de pretio viginti scutorum mihi satis rationi consonare videatur, nihilominus melius videtur dicendum hoc relinqui debere arbitrio Iudicis, vel prudentis viri. Ita Filiucius *tract.* 44 *cap.* 4. *n.* 4 *to.* 3. Quaranta *supra*, Peirinis *tom.* 1. *priuileg. Minim. in Constit.* 9. *Iulij II. n.* 15. Barbosa *de offic. & potest. Episc. alleg* 95. *n.* 51. Cum autem res modici valoris alienari possit per venditioné, idem videtur dicendum de

de aliis modis alienationis, cum non sit in eis maior ratio. Vnde locari posse vltra triennium colligitur ex Riccio *in praxi fori Ecclesiastici decis.* 113. *num.* 5. *in* 1. *edit.* & *resol.* 98. *num.* 5. *in* 2. & Barbosa relato. Nota tamen prædiola hæc, seu terrulas modici pretij, quæ alienari posse dixi sine licentia prædicta, debere esse separata, seu disiuncta ab aliis prædiis, seu terris Ecclesiæ, si enim fuerint coniuncta cum illis, itaut sint illorum partes sapiunt naturam illorum, cuius partes sunt, & ita alienari non poterunt, sicut nec illa. Aliàs daretur occasio, vt totum ipsum prædium paulatim, & diuisim per partes modicas distrahi, & alienari posset.

8 Quia tamen *dict. cap. Terrulas* & *cap. Fugitiui* 12. *quæs.* 2. conceditur Episcopis posse distrahere seruos fugitiuos, qui reuocati retineri non possunt, ideo videtur mancipia fugitiua, quæ similiter reuocata retineri non possunt, vendi posse sine licentia Sacræ Congregationis, etiam in casu quo aliàs alienari non possent, iuxta dicta *tom.* 2. *cap.* 19. *num.* 57. quia essent annexa, vel affixa prædiis, aut domibus, tamquam illorum partes. Portellus *in dub. Regular. verbo alienatio in addit. num.* 3. Addit eamdem esse rationem si serui sint ebriosi, latrones, & inhonesti, est enim eadem ratio, ac per consequens curret eadem dispositio iuris. Si verò seruus esset relictus Monasterio hac conditione ne vendatur, quod si vendatur pertineat ad hæredes donatoris, vel testatoris, tunc vendi non potest, & si vendatur pertinet ad hæredes illius. Lex enim Canonica non derogare debet legi naturali, quæ præscribit obseruantiam illius conditionis aliàs rationabilis. Quod tamen intellige, nisi obtenta sit dispensatio in tali conditione. Portellus *ibid.* [Si autem quæras ad quod pretium accedere possit res mobilis, vt pretiosa dicatur, & per consequens alienari non possit sine Sedis Apostolicæ licentia. Respondeo falsam videri opinionem Castri Palai *tom.* 2. *disp. vnica punct.* 15. §. 1. *num.* 2. asserentis centum aureos attingere debere. Communis enim æstimatio mobilia Ecclesiæ minoris pretij, quàm centum aureorum pretiosa existimat. Propterea satis probabiliter dici posset arbitrio prudentis, & pensatis circumstantiis, id relinquendum. Quia tamen Homobonus *in consultat. cas. conscient. volum.* 2. *p.* 6. *respons.* 98. & Peregrinus *in Compendio nouiss. priuileg. suæ Religionis verbo alienatio bonorum in schol.* quos sequi videtur Diana *punct.* 4. *tract.* 4. *resol.* 223. dicunt declaratum esse à Sacra Congregatione mobile pretiosum illud censeri, quod excedit valorem viginti quinque aureorum, ideo regulariter adhærendum huic taxæ.]

9 Similiter vendi possunt sine prædicta licentia bona, quæ sunt difficilis recuperationis, seu incerta, vel incognita, eo pacto, quod laicus emptor suis expensis, & periculo ea recuperet. Naldus *in Summa verbo bona num.* 9. ex Rotæ decisione, & aliis, Gauantus *in Man. Episcop. verbo alienatio num.* 42.

10 Non tamen vendi, aut alienari possunt bona hæreditaria accepta à Regularibus de manu laici, si ex necessitate soluendi æris alieni essent alienanda. Nam per aditionem hæreditatis iam sunt facta bona Ecclesiastica, ac proinde ad alienationem ipsorum requiritur licentia Sedis Apostolicæ, Naldus *in Summ. v. bona num.* 7. ex Rotæ decisione.

11 Loquendo verò de donatione, cum sit species quædam alienationis etiam est prohibita Regularibus in prædicta Paulina, & decreto S. Congreg. sine licentia ipsius, quando est de rebus immobilibus, seu mobilibus pretiosis, vt patet illo verbo *Concessionem*, quod est in Paulina, & verbo. *Alienationem*, quod est in dicto decreto. Donatio autem inter Regulares eiusdem Monasterij, etiamsi (casu dato) esset rei immobilis, aut mobilis pretiosæ (quidquid sit de transgressione Constitutionis Clementis VIII. *de largitione munerum*, de qua alibi) non est prohibita in dicta Paulina, neque in decreto relato. Ratio est, quia ibi solum prohibetur ea donatio, quæ est alienatio, donatio autem illa inter Regulares eiusdem Monasterij, non est alienatio, cum dominium illius rei non transferatur, sed maneat sicut antea in Monasterio. Vide Naldum *in Summa verbo alienatio num.* 4. An vero id etiam procedat in donatione facta à Regulari vnius Monasterij alteri Regulari alterius Monasterij, vel Prouinciæ, eiusdem tamen Religionis, dubiæ quæstionis est. Et cõsequenter ad dicta *tom.* 2. *cap.* 19. *num.* 56. respondendum est negatiuè. Illa enim est vera alienatio ab vna Ecclesia ad aliam, quæ prohibita est etiam de licentia Prælati. Bonacina *in tract. de alienat. bonorum Ecclesiastic. disp.* 2. *quæst. vnic. punct.* 2. *num.* 14. & 17. & *de contractibus disp.* 3. *quæst.* 8. *punct.* 4. *num.* 24. Credo tamen in praxi non obseruari hoc, sed ex sola facultate Prælatorum sine licentia Sacræ Congregationis fieri huiusmodi donationes. Et fauet Riccius à Bonacina relatus *decis.* 38. & 74. [Maximè autem fauet Tamburinus *de Iure Abbatum disput.* 13. *quæsit.* 2. *num.* 19. vbi probabiliorem esse dicit sententiam Riccij asserentis posse fieri alienationem ab vna Ecclesia ad aliam absque solemnitate, maximè loquendo de Ecclesiis eidem Prælato subiectis, quales sunt Regulares qui sub eodem Prouinciali, vel Generali degunt, quod notandum est pro ipsis, & aliquibus donationibus etiam rerum pretiosarum, quæ Regulares vnius Monasterij solent facere alij Monasterio cum sola licentia Prælati. Etsi nouissimè Bordonus *in suis Resolutionibus resol.* 27. *n.* 1. oppositum teneat in casu contingenti de quodam Prouinciali, qui propria authoritate, agrum vnius Conuentus, valoris quinquaginta scutorum dedit alteri Conuentui, dicens tamen *n.* 2. id potuisse facere si solum fuisset valoris 20. aut 25. aureorum.] Posse etiam in remunerationem beneficiorum Ecclesiæ collatorum donari aliquid sine Sedis Apostolicæ consensu, tradit Barbosa *in allegat.* 95. *num.* 62. ex *cap. Consensus de rebus Eccles.* Sed quia ibi, præter alias circumstantias quæ notantur, tantum conceditur tali beneficiorum collatori quod possit manumittere seruos aliquos Ecclesiæ, qui tamen inter bona mobilia recensentur, nisi sint annexi, vel affixi, ipsis, iuxta dicta *tom.* 2. *cap.* 19. *num.* 57. ideo solum intelligendus est textus de bonis mobilibus, & inter metas, & limites honestæ remunerationis.

De permutatione etiam bonorum immobilium, vel mobilium pretiosorum Ecclesiæ, si talis permutatio fiat cum sæcularibus, certum est prohibitam esse Ecclesiasticis, & Regularibus sine consensu Sacræ Congregationis. Ita enim habetur ex Paulina *Ambitiosæ*, & decreto Sacræ Congregation. relatis, iuxta dicta *tom.* 2. *capite* 19. *numero* 56. Barbosa *de offic. & potest. Episcop. allegat.* 95. *numer.* 57. Si tamen fiat inter ipsas Ecclesias, seu Monasteria; non est tam certum esse prohibitam, potius inter casus, in quibus licita est alienatio bonorum Ecclesiæ inconsulta Sede Apostolica hunc ponit Barbosa allatus *num.* 55. & 56. ex *cap. hoc Ius porrectum* §. *sibi inuicem* 10. *quæstion.* 2. *capite primo de reb. Eccles. non alienand. capite ad quæstionem de rerum permut.* & ita videtur dicendum speculatiuè, & stando in iure communi. Praxis tamen est in contrarium, vt tenent Riccius *in praxi resol.* 60. *in fine*, & *resol.* 33. 12

fol. 33. etiam in fine. Naldus *in Summa ver. Permutare num.* 2. & ipse Barbosa relatus, & ita illi standum. De permutatione vero prædictorum bonorum inter Clericos, vel Regulares eiusdem Ecclesiæ, vel Monasterij, seu Religionis dic. *vt sup. numero præcedenti.*

13 De aliis vero speciebus contractuum, per quos solum transfertur dominium vtile, aliqua dixi locis relatis, & ex dictis etiam colligi potest quid de illis dicendum. [Maxime vero pro impignoratione, vide decretum de anno 1643. innouatum quod ibidem retuli, vbi Sacra Congregatio dicit quod pecunias accipere mutuo dato pignore esse prohibitum Regularibus, & id facientes incurrere in pœnas decreti Sacræ Congregationis *de reb. Regular. non alienand.* Pro quo nota quod non obstantibus huiusmodi decretis in casu maximæ necessitatis, in quo non posset adiri Summus Pontifex aut Sacra Congreg. & necessitas ipsa vrgeret, posse fieri talem impignorationem etiam lampadum, candalabrorum argentorum, &c. tenet Peyrinis *in suo Formulario litt. A, c.* 11. *nu.* 3. & Diana *par.* 5 *tract.* 13. *resol.* 6. Circa emphyteosim animaduertit Franciscus Leo *in Thesaur. for. Ecclesiast. cap.* 15. *nu.* 8. posse terram sterilem in Emphyteosim illi concedi, cuius studio reducatur ad culturam, affertque aliquot iura, quæ rem non plenè probant. Standum ergo est Paulinæ Constitutioni, & decreto S. Congreg. relatis.

14 De reliquiis Sanctorum dicendum est, sicut de mobilibus pretiosis, quæ seruando seruari possunt, quod scilicet alienari nequeant sine consensu Sedis Apostolicæ. Sunt enim res argento, & auro pretiosiores, & stylus Curiæ ita obseruat. Riccius *in praxi decis.* 63. Bonacina *de alienat. bonor. Ecclesi. disp.* 2. *quæst. vnic. punct.* 2. *num.* 31. Vnde earum alienatio veluti irrita rescindenda est. Flauius Cherubinus *in Compend. Bullar. in constit.* 98. *Pij V.* hoc tamen intellige de reliquiis muro clausis, vel insignibus, aut ipsarum partibus notabilibus vel perpetuæ traditis sepulturæ. Exiguarum enim particularum alienatio non videtur petere Sedis Apostolicæ consensum. Declaratum proinde est à Sacra Congregatione, teste Barbosa *in Collectan. Bullar. verbo reliquiæ*, reliquiam modicam iam factam alienabilem posse donari alicui Ecclesiæ, vel Oratorio. De pœnis furantium reliquias dicam 4. tom. verbo *Reliquiæ Sanctorum.*

15 Quamuis vnio Ecclesiarum, quia etiam est quędam alienatio, prohibita sit prædicta Extrauaganti, & decreto Sacræ Congregationis (Quaranta *in Sum. Bullar. verbo alienatio num.* 35. ex Abbate, & Rebuffo) facta tamen Ecclesiæ Regulari, seu Religioso loco non potest impugnari. Vt patet ex Clement. *si vna Ecclesia de rebus Ecclesiæ non alienand.* vt dixi *tomo* 1. *cap.* 10. *num.* 4. & supponit. Glossa *ibi verbo Donetur.* Consule tamen Concil. Trident. *sess.* 21. *c.* 5. *& sess.* 24. *cap.* 13. *&* 15. *& sess.* 23. *cap.* 18. & dicta *tom.* 2. *cap.* 1. *numer.* 41. ac Thesaurum *in prax. par.* 2. *verbo alienatio bonorum Ecclesiasticorum iuris forma non seruata c.* 1. §. *Quintus casus.*

16 Quamuis etiam venditio, seu alienatio arborum cæsarum ex aliquo prædio, eo quod essent inutiles, aut nociuæ non videatur prohibita in dicta Extrauaganti, & decreto Sacræ Congregationis (quod intelligo, quando illæ ob densitatem, & vicinitatem impedimento erant ipsarum augmento vel fructui, vel quando loco earum reponerentur abores fructiferæ, seu magis fructiferæ, hæc enim omnia vtilia fundo sunt, & secundum regulas agriculturæ Quaranta *in summa Bullar. verbo alienatio n.* 33. Peyrinis *tom.* 1. *priuilegior. Minimor. in Constit.* 9. *Iulij I I. n.* 18. 19. *&* 20.) arbores tamen fructiferas, seu fructiferas in magna quantitate incidere, & alienare, prohibitum est in dicta Extrauaganti, & Decreto, quia reuera sunt bona pretiosa. Quaranta *supra.* Peirinis etiam *supra num.* 23. Vide Farinacium *part.* 2. *decis.* 553. referentem notabilem Rotæ decisionem circa hoc.] Et Tamburinum *de Iure Abbatum tom.* 3. *disp.* 13. *quæsit.* 3. Quare idem dicendum de incisione vineæ; etsi eam non esse veram alienationem teneat Bordonus *in suis resol.* 27. *n.* 14. & de incisione nemoris *n.* 18.

Casu quo bona immobilia, quæ onus habent perpetuum Missarum, auctoritate Apostolica alienentur, 17
eorumdem pretium sub pœna interdicti ab ingressu Ecclesiæ ipso facto incurrenda, in aliis bonis stabilibus fructiferis cum eiusdem oneris repetitione, atque annexione conuerti debent. Ita enim decernitur à Sacra Congregatione *in decretis de celebratione Missarum.* Gauantus *in Manual. Episcopor. verbo alienatio numero trigesimosexto.* De hoc, & aliis ad id spectantibus iterum erit sermo 4. tom. ver. *Missa.*

Pœnæ impositæ in Extrauaganti Pauli II. contra 18
transgressores, præter rescissionem alienationum, de qua *tom.* 1. *cap.* 10. *n.* 2. dixi, sunt istæ *Tam qui alienat, quam is qui alienatas res, & bona prædicta receperit, sententiam excommunicationis incurrat. Alienanti vero bona Ecclesiarum, Monasteriorum, locorumque piorum quorumlibet inconsulto Romano Pontifice, aut contra præsentis Constitutionis tenorem, si Pontificali, vel Abbatiali præfulgeat dignitate, ingressus Ecclesiæ sit penitus interdictus, & si per sex menses immediate sequentes sub interdicto huiusmodi, animo, quod absit, perseuerauerit indurato, lapsis mensibus eisdem à regimine, vel administratione suæ Ecclesiæ, vel Monasterij, cui præsidet in spiritualibus, & temporalibus, sit eo ipso suspensus. Inferiores verò Prælati, Commendatarij, & alij Ecclesiarum Rectores beneficiati, vel administrationem quomodolibet obtinentes, Prioratibus, & Præposituris, Præpositatibus, Dignitatibus, Personatibus, Administrationibus, Officiis, Canonicatibus, prebendis, aliisque Ecclesiasticis cum cura, & sine sæcularibus, & Regularibus beneficiis, quorum res, & bona alienarint dumtaxat ipso facto priuati existant, illaque absque declaratione aliqua vacare censeantur, possintque per locorum Ordinarios, vel alios ad quos eorum collatio pertinet, personis idoneis (illis exceptis, quæ propterea priuatæ fuerint) libere de iure conferri; nisi alias dispositioni Apostolicæ Sedis sint specialiter, aut generaliter reseruata, & nihilominus alienatæ res, & bona huiusmodi ad Ecclesias, Monasteria, & loca pia ad quæ ante alienationem huiusmodi pertinebant libere reuertantur.*

In decreto autem Sacræ Congregationis relato 19
confirmantur pœnæ Apostolicarum Constitutionum & præsertim in Pauli Extrauaganti positæ, & vlterius contra Capitula, seu Superiores omnes Regulares alienantes imponitur *pœna priuationis officiorum, quæ tunc obtinebunt, vocisque actiuæ, & passiuæ, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa in posterum obtinenda, quam ipso facto absque alia declaratione incurrant, sublata etiam Generali, & Protectori illam moderandi, aut relaxandi facultate.* Hæc ibi.

Hoc igitur tempore Regulares omnes alienantes 20
bona immobilia seu mobilia pretiosa Ecclesiarum, Conuentuum, seu Monasteriorum, non solum committunt sacrilegium, quia irreuerenter se habent erga res Deo sacras (Caietanus *in summa verbo Excommunicatio*

communicatio cap. 75. Quaranta *in Summ. Bullar. ver. Alienatio num.* 49.) sed etiam incidunt primò in excommunicationis sententiam ipso facto designatam à Paulo II. verbis relatis. Quia tamen Pontifex in antecedentibus vsus fuit verbo *Præsumpserint*, ideo non incident in ipsam, nisi illi, qui alienationem fecerint ex dolo, malitia, vel præsumptione, non tamen illi, qui vel ex probabili, vel etiam culpabili ignorantia illam fecerint. Verbum enim *Præsumere* significat temeritatem, vel malitiam excludentem omnem ignorantiam, iuxta dicta *tom.* 1. *cap.* 10. *num.* 33. Quaranta *supra num.* 50. Hæc autem excommunicatio nulli est reseruata, vt patet ex contextu, Gauantus *in Manual. Episcop. verbo alienatio num.* 28. Vnde Prælati omnes Regulares possunt in foro conscientiæ ab illa absoluere suos subditos, sicut & Confessarij suos pœnitentes, propter dicta dicto *tom.* 1. *cap.* 10. *num.* 33. *&* *cap.* 19. *numero* 14. Nec obstat, quod, vt Quaranta relatus *numero* 49. dicit, aliquando per Breuia Pœnitentiariæ, vel Signaturæ obtineatur ista absolutio: id enim est, vel pro foro exteriori ad obuiandum molestiis, quæ oriri possent, vel etiam in foro interiori ad maiorem securitatem. Adde aliquos id facere ex ignorantia auctoritatis suorum Superiorum. Addit Thesaurus *supra* §. *Nota circa*, quod quamuis ea excommunicatio non sit reseruata in extrauaganti ista, est tamen reseruata in Concil. Tridentino *sess.* 22. *cap.* 11. Sed quia Concilium solum loquitur de vsurpantibus seu in proprios vsus conuertentibus bona Ecclesiarum, non video cur eius doctrina extendatur ad simpliciter alienantes. Vide Filiuc. *tract.* 44. *capite* 6. *numero* 3. *in fin.* & dicenda infra verbo *Bona*, *numero* 9.

21 Deinde Episcopi, vel Abbates tales alienationes facientes incidunt in censuram Interdicti, & post sex menses Suspensionis à regimine Ecclesiæ, vel Monasterij, designatos in dicta Extrauaganti Paulina. A quibus similiter, cum non sint reseruatæ, absolui poterunt à quocumque habente iurisdictionem ordinariam, vel delegatam ad absoluendum à censuris. Vide dicenda verbo *Censura*, verbo *Interdictum*, & 4. *tom.* verbo *Suspensio*.

22 Tertio, alij Prælati inferiores prædictas alienationes facientes incidunt etiam in pœnas illas priuationis, & inhabilitatis quas Pontifex in dicta Constitutione posuit, & Sacra Congregatio in dicto decreto approbauit. An autem non obstante, quod ibi dicantur incurrendæ *absque aliqua declaratione* incurrantur in foro conscientiæ ante quamcumque declarationem, siue pœnæ, siue delicti, aut criminis commissi, dixi *capite decimo* relato *numero trigesimo-primo*. Vide etiam Quarantam relatum *numero* 49. Quis vero possit in illis dispensare, casu quod vera sit sententia illorum, qui dicunt eas incurri in foro conscientiæ ante quamcumque declarationem etiam delicti commissi valdè dubitatur. Et quidem pœnæ in Constitutione Paulina designatæ, licet quantum est ex vi ipsius Paulinæ, cum nulli reseruentur, videntur iure communi dispensabiles à Superioribus illorum, qui tales alienationes fecerunt, cum ipsi sint, qui habent auctoritatem Ordinariam in subditos ad illa quæ non sunt aliàs reseruata, iuxta dicta *capite decimo*, relato *numero trigesimoquinto*, & *capite* 18. eiusdem primi tomi *numero* 46. Pœnæ tamen illæ impositæ à Sacra Congregatione in decreto relato Capitulis, & Superioribus Regularium alienantibus, imo etiam illæ, quæ ex Constitutione Paulina in dicto decreto repetuntur, cum ibi auferatur facultas Protectori, & Generali illas moderandi, & relaxandi, procuuldubio Sedi Apostolicæ reseruatæ censendæ sunt.

Quamuis etiam alias ex priuilegiis aliquarum Religionum, quæ retuli *tom.* 1. *cap.* 18. *numero* 46. adiunctis etiam *numero* 34. *&* 35. possent aliqui Prælati Regulares cum suis subditis in illis dispensare. 23
Quia tamen in prædicto decreto reuocantur omnia priuilegia Regularibus concessa, ideo nisi ipsi post diem septimum Septembris 1624. quo editum est, aliquod priuilegium ad id faciendum à Sede Apostolica obtinuerint, in posterum id facere non poterunt. Nota etiam, quod ad incurrendum pœnas dicti decreti Sacræ Congregationis non requiritur dolus, malitia, vel præsumptio, quia non est ibi verbum præsumere, sicut in Extrauaganti Paulina. Quare qui ex ignorantia vincibili illud transgressi fuerint illas incurrent, iuxta dictum *tom* 1. *p.* 1. *cap* 10. *numero* 33. Denique notandum prædictum decretum solum obligare intra fines Europæ, vt in eo dicitur.

Ex iis autem iudicari potest quid dicendum de aliis pœnis designatis ab aliis Summis Pontificibus quatenus spectare posset ad Regulares bona Ecclesiastica alienantes. Eas enim manere in sua vi constat ex decreto Sac. Congregationis relato. Hi porro sunt post Paulum II. Paulus IV. in Constitut. *Iniunctum nobis* inter Constitutiones huius Pontificis *in* 1. *tom. Bullar. numero secundo.* Pius IV. Constitutione *Apostolicæ in secundo tomo Bullar.* inter Constitutiones ipsius *numero* 104. Pius V. in Constitutione *Admonet* inter Constitutiones ipsius *in secundo tomo Bullar. numero* 35. Greg. XIII. in Constitutione *Inter cætera* inter Constitutiones ipsius eodem *secundo tomo Bullar. num.* 3. Sixtus V. in Constitutione *Solicitudo* eodem *secundo tomo numero tertio* & in Constitutione *Quanta num.* 26. Gregorius XIV. in Constitutione *Romanus* eodem *secundo tomo numero primo*, Innocentius IX. in Constitutione. *Quæ ab hac* eodem *secundo tomo Bullar. numero primo*, Clemens VIII. in Constitutione *Ad Romani in tertio tomo Bullar. numero primo*, & Constitutione *Romanum decet num.* 78. Paulus V. in Constitutione *Pastorale tomo quarto Bullar. numero decimo*; & Sanctissimus Dominus Noster Vrbanus VIII. in Constitutione *Humana salutis* inter Constitutiones ipsius *numero* 51. & Constitutione *Decens numero* 65. Ante ipsum etiam Paulum II. aliæ Constitutiones editæ fuerunt, quas notat Laertius Cherubinus Bullarij compilator, *in Constitut.* 1. *Leonis I. in Constitut.* 2. *Pauli IV. & in Constitut.* 3. *Clementis* 6. *& in Constitutionibus prædictorum Pontificum Pauli II. successorum.* 24

Maxime notandum, quod ex Clement. 1. *de reb. Eccles. non alienand.* Regulares administrationem habentes bonorum Religionis, si alienent iura, redditus, aut possessiones ad vitam recipientis, aut ad aliud certum tempus, nisi ob necessitatem, aut vtilitatem Monasterij, seu Religionis cum consensu Capituli, aut si Capitulum non habent, cum consensu sui Prælati incurrunt suspensionem ab officio, & alienatio est nulla. Thesaurus *in prax. part.* 2. *capite* 5. Notans primo ex Imola, & Ancharano hanc suspensionem non esse reseruatam, secundo, ex Suarez *tom.* 5. *in* 3. *part. disp.* 26. *sect.* 1. *num.* 4. *& disput.* 31. *sect.* 6. *num.* 8. hanc suspensionem esse ab Officio Ordinis, & iurisdictionis, & administrationis, tertio, ex eodem Suar. loco relato ex dicta *disput.* 31. quod certum tempus non continet modicum, id est, triennium, quartò, ex Rodriguez *tom.* 1. *quæstionum Regularium quæstione* 27. *art.* 13. & 25

alijs

vsque ad quartam generationem inclusiuè fuerit, vel sit in totius Ordinis fratrũ. S. Francisci dicti Ordinis fratrẽ in quibuscunque locis,& mundi partibus, vbi Religio, & ordo fratrum Minorũ huiusmodi fuerit, aliquo modo sub quouis prætextu,& quæsito colore recipi, & admitti possit sub magnis pœnis in ea Cõstitutione designatis. Referunt,& explicãt illam Nauar. *l.1. Consilior. in prima editione tit. de Iudæis toto consilio primo, & in secunda titulo de hæreticis toto cõsilio 22.* Auila de *Censuris par.7. disp.4.dub.3.* idem Rodrig. *dicta quæst.14. art.2. ad 2.* Miranda *in Manuali Prælat. tom.1.quæst.19. art.7.& tom.2.quæst.1. artic.1.* Et quamuis Auila dicat se accepisse à quibusdam viris doctis eam non esse vsu receptam, nihilominus Portellus *in Dubiis Regular. verbo Nouitius in additionibus num.22.* dicit contrarium testari praxim Franciscanam. Similiter Gregorius XIII. in Bulla, quam referunt Rodriguez *supra quæst.14.artic.1.* & Portellus *supra numer.20.* extendit prædictam Bullam Pauli IV. ad descendentes à Sarracenis vsque ad quartum gradum. Item Pius IV. in Bulla *Qui libenter* in Bullario Rodriguez inter Bullas huius Pontificis *num. 4.* pro Congregatione S. Benedicti Vallisoletani Hispaniarum confirmauit Constitutionem quamdam eiusdem Congregationis,in qua statutum erat, quòd nullus, qui aliquando per Sanctæ Inquisitionis officium inquisitus, aut punitus, ac confessus fuisset, seu esset, aut in quarto gradu,vel infra ipsum quartum gradum, seu vsque ad illum de eorumdem Maurorum, Turcarum, vel Hebræorum genere ex vtroque, vel altero parente originem, & descendentiam habuisset, seu haberet, in aliquo ex eisdem Monasteriis dictorum Regnorum in Monachum recipi, vel admitti posse. Portellus *supra numero 21.* Præsertim Gregorius XIII. in Bulla *Muneris nostri*,quæ habetur apud Peyrinis in *2.tomo priuileg. Minim.* inter Constitutiones eiusdem Gregorij *numero tertio.* sic decernit pro Minim. Religione. *Quo verò ad illos, qui ex Iudæis, ex eo quòd post Baptisma ab eis susceptum iterum à fide Catholica recesserint, per sententiam in foro Ecclesiastico latam damnatis, Mahumetanis item, & hæreticis similiter damnatis viuis, vel defunctis, vel quorum ossa, vel statuæ combusta sunt, originem ducunt per lineam paternam, vel maternam vsque ad quartam generationem inclusiuè, in Ordinem ipsum recipi, & admitti non posse.* Portellus *supra numer.22.* Peyrinis etiam *supra & tomo 2. de Prælato quæstion.2. capit.5. §. 6. num.87.*

4 Circa quas Pontificias Constitutiones nota primò, quòd licet illæ factæ sint in fauorem dictarum Religionum, ac per consequens sint quasi priuilegia ipsarum, nihilominus quia sunt odiosæ, & pœnales non communicari saltem de facto aliis Religionibus habentibus communicationem priuilegiorum cum prædictis, propter dicta *tom.2. part.2. capit.1. n.52.* Portellus *sup. num.21.& 22.* Nota 2. circa filios hæreticorum, vel punitorum à Sancto Officio, vel similium, valde probabile videri, quòd si illi geniti sunt antequam parentes eorum contraherent dictos defectus, non comprehendantur dictis Constitutionibus sed quòd possint, eis non obstantibus, ad præfatas Religiones admitti. Prout à simili de aliis hæreticorum pœnis, quòd scilicet eas non contrahant filij ex ipsis geniti ante parentum hæresim, latè probat Sanchez *libro 2. in Decalog. cap.27. à numero 4.* ex variis fundamentis, & auctoribus. Ratio est, quia ex pluribus iuribus habetur non imputari filiis crimina partis si antea nati sunt. Prout colligitur ex Concil. Tolet. 15. *cap.1.* & refertur *1. quæst.4. cap. non imputatur.* D. Augustino *Epist.75. cap. non imputatur, cap. iam itaque 1. quæst. 4. lib. 2. C. de libertis.* Miranda *in Man. Prælat. tom. 2. quæst. 1. art. 2.* post plures alios. Etiamsi alij, quos ibi refert, & sequitur Portellus *supra num.23.* oppositum teneant. Nota tertiò, quod quamuis in Dictis Constitutionibus non excludantur ab habitu Religionis suscipiendo, illi qui fuerint suspecti de hæresi: tamen sunt, tum in Constitutione Sixti V. quam retuli *to. 1. p. 1. cap.34. num.12.* etsi cum limitationibus ibi adductis: tum in nostro Ordine, & Iesuitarum, propter Constitutiones, & ordinationes infra referendas. Quod idem credo de aliis Religionibus. Nota quartò prædicta non debere extendi ad collaterales, fratres scilicet, vel patruos, quia Constitutiones solùm loquuntur de descendentibus, & pœnales sunt, Rodriquez *d.q.14.art.6.* Peyrinis *supra d. §. 6.num.89.* Quintò nec extendi ad Moniales propter eamdem rationem, & quia in odiosis lex loquens de viris non extenditur ad fœminas, Rodriguez *supra articulo 13.*

Dixi etiam superius omnes prædictos Neophytos, siue primi, siue secundi, aut tertij generis posse recipi ad habitum, & Religionem, nisi obstent particularia statuta, seu Constitutiones Religionis, quia plures ex illis habent statuta id prohibentia. Primò enim Carmelitis nostris in *1. par. Constitutionum capit. 13. num.1. & 2.* sub variis pœnis præcipitur ne recipiant ad Ordinem descendentes ex genere Hebræorum, vel Sarracenorum, & quod antequam recipiantur Nouitij de hoc inter alia interrogentur. Subiiciturque: *eis protestando, quòd si aliquem horum defectuum patiantur, non tenebuntur, sed habita certa cognitione appellantur.* In Ordinationibus etiam PP. Iesuitarum *cap.2. Examinis* interrogantur Nouitij an recesserint à gremio Ecclesiæ, fidem abnegando, vel errores contra ipsam incurrendo, vt propterea damnati sint, vel, vt suspecti de hæresi declarati, vel schismatici. Item Hieronymiani Hispaniæ, vt habetur ex Compendio priuilegiorum eorum, & refert Sorbus infra citandus, id obseruant, vt descendentes in quocunque gradu, etiam vltra quartum, à Iudæis, & Sarracenis non recipiantur ad Ordinem, & Priores illos recipentes grauiter puniantur. Similiter quoque Decretum audio haberi à Patribus Capuccinis. 5

Quamuis autem plures DD. teneant prædicta Statuta inualida esse, eo quòd sint contra ius commune, prout tenet Nauarrus, latè *lib.3. consiliorum tit. de Regula consil.5.* Sorbus *in Annotationibus ad Compend. priuileg. Mendic. verbo Nouitius §. sed circa* referens Caietanum, & Passarellum, Miranda, *tom.1. Man. Prælat. quæst.19. artic. 1. §. secundo præmitto, & tom.2. quæst.1. art. 1.* & Peyrinis *sup.* loco relato ex *tom.2. p.2. de Prælato n.84.* Nihilominus probabilius est contrarium, non solùm si prædicta Statuta auctoritate confirmata fuerint, vt est certum apud omnes, sed etiam si ab ipso non fuerint confirmata, sed tantum facta in Capitulis à legitimis legislatoribus. Ratio est, quia cum liberum sit, & gratuitum Religioni admittere vel non admittere aliquos ad ipsam, liberum etiam erit ipsi, rationabili subsistente causa, vt in præsenti subsistit, non admittere illos, qui talem defectum habuerint. Præsertim, si tales admittere ignominiosum sit Religioni, prout contingit, præsertim in Hispaniæ partibus, hæc enim Natio ob specialem deuotionem erga Catholicam Religionem valde exosos habet prædictos defectus. Vnde talia Statuta, saltem quatenus prohibitiua, & non irritatiua, valida esse tenent 6

Rodriguez *tom.1.quæst.Regular.quæst.10. art.2.* Suarez *tom.4. de Relig. Tractat.10. lib.2. cap.2.* Portellus *sup.verbo Nouitius num.30.* in fine, & Vecchius *de Nouitiat. disp. 4. dub.1.* Neque obstat, quòd talia Statuta dicantur esse contra ius commune. Non enim sunt contraria iuri communi positiuè, sed tantum negatiuè. Hoc est, ius commune non præcipere quòd tales recipiantur, aut quòd non possint excludi ab aliqua Religione, sed tantum permittere quòd recipiantur ad Religionem, & ita non recipere illos, aut prohibere ne recipiantur non est contra, sed præter ius commune. Posse autem Religiones hoc modo condere Leges, seu Statuta certum est, & indubitatum, cum iuxta subiectam materiam recipiendorum ad ipsas, fere omnes habeant particularia Statuta supra, vel præter ius commune. Verb. grat. quòd non recipiantur qui fuerint ex alia religione etiam intra Nouitiatus annum eiecti, prout nostra loco superiùs relato ex Constitutionibus, & Patrum Iesuitarum *in 2. p. Examinis supra num. 5.* Imò addendum, posse etiam religiones condere Statuta, quibus irritetur Professio habentium tales defectus, propter rationem adductam, & præsertim quia cum ad professionis validitatem non solùm requiratur voluntas, seu consensus profitentis, sed etiam religionis acceptantis, sanè si Religio non acceptauerit Professionem alicuius habentis tales defectus, Professio illa valida non erit. Vnde si Nouitij interrogati an habeant prædictos, vel similes defectus, protestatione facta quòd si illos habuerint Professio illorum irritabitur, & ipsi ab Ordine eiicientur, si illos celauerint, professio irrita erit, & eiici poterunt, iuxta dicta *tomo 1. part.1. capit. 2. numero 23. & capitu. 24. numero 26.* & docet Nauarrus supra dicto *consil. 5. numero primo.* etiam si credat talia Statuta inualida esse. Adde tamen, quòd si tales defectus fuerint omnino occulti, & ipsos reuelare cedat in ignominiam propriam, vel aliorum, probabile esse non teneri Nouitios ipsos propalare. Quia præceptũ conseruandæ famæ est de iure naturæ. *cap. quis aliquando §. amplius horum de pœnitent. distinctione 1.* Vnde in tali casu celare debent tales defectus omnino occultos non respondendo, vel si coguntur respondere, vti amphibologia, iuxta dicta à simili *supra verbo Iuramentum quoad Regulares num.11.* Vide Portellum *in Responsionibus moralibus part.1. casu.8.*

7 Circa secundam difficultatem de admissione prædictorum Neophytorum ad Ordines Sacros, distinguendum est. Si enim tales fuerint Neophyti propriè, & primo modo, cum illi sint irregulares, iuxta dicta *supra verbo Irregularitas numero 11.* certum erit non posse, perseuerante tali irregularitate, ad Ordines assumi. Quomodo autem ea tollatur, eo loco dixi. Loquendo autem de Neophytis secundo, & tertio modo, certum etiam est, quod stando in iure communi habiles sint ad Ordines suscipiendos, cum non sint irregulares. Dixi iure communi, nam loquendo de Ordine Hieronym. id est prohibitum propter particulare Statutum ipsorum confirmatum ab Alexandro VI. in Bulla, quam refert Rodriguez *dict. to.1. p.1.qu.14 art.14.* respectu Neophytorum, aut descendentium intra quartum gradum à Iudæis nouiter conuersis. Item pro Ordine Minorum id videtur prohibitum illis, quos recipi non posse statuit Gregorius XIII. Bulla *supra numero 3.* relata, & docet Portellus *dicto verbo Nouitius in additionibus numero 22.* Idemque ex Pio V. in Bulla *Pastoralis officij* pro Ordine Minorum habet Sorbus *supra §. & per Constitutionem,* respectu illorum, qui ex hæreticis damnatis, & non conuersis, vel quorum statuæ combustæ fuerint, originem ducunt per lineã paternam vsque ad secundam generationem, & per lineam maternam vsque ad primam. Excipe autem filios hæreticorũ, isti enim, iuxta dicta *supra verbo Irregularitas num.61.* sunt irregulares, ac per consequens, tali irregularitate perseuerante, admitti nequeunt ad Ordinum susceptionem. Portellus *supra num.24.* Non tamen debent excipi descendentes ex Iudæis, vel Mauris, si ipsi ante rationis vsum baptizati sunt, cum iura solum filios hæreticorum excipiant. Nauar. *in Man. cap.27. num.205.* Sanchez *lib.2. in Decalog. cap. 28. num.11.* Portellus *supra num.25.* An verò prædicti sint infames, & per consequens irregulares, ita vt propterea etiam ad Ordines assumi non possint, consule dicta *supra* verbo *Infamia num. 2. & 11.* Notanda est etiam declaratio quædam Sac. Congregationis Episcoporum, & Regularium sub die 20. Martij 1594. quam refert Barbosa *lib.1. Iuris Ecclesiastici capitul.33. num.103.* ex qua habetur, descendentes è Neophytis, seu nouis Christianis etiam in primo gradu impediri non debere quominus ad Sacerdotium ascendere valeant.

Circa tertiam difficultatem, an huiusmodi Neophyti in Religionibus assumi possint ad Officia, & Dignitates ipsarum, distinguendum etiam est. Si enim fuerint Neophyti primo modo, & qui tales propriè dicuntur iuxta dicta cum tales sint irregulares, proculdubio, irregularitate perseuerante, non possunt habere ea Officia seu Dignitates in Religionibus, quorum, seu quarum irregulares sunt incapaces. De quibus dixi *supra* verbo *Irregularitas numero 6.* Poterunt tamen habere ea Officia, quorum irregulares non sunt incapaces, de quibus etiam dixi eo loco *num. 5. & 6.* Accedit etiam *capit. quoniam. cap. sunt Neophytus distinct.48.* vbi huiusmodi Neophyti excluduntur à Dignitatibus. Cuius prohibitionis duplicem causam assignat Gratianus *in principio dictæ distinctionis,* scilicet; ne incidant in superbiam putantes fidem Christianam ipsis indigere; & propter eorum inexperientiam. Maiolus *de Irregularit. lib.1. cap. 31. numero 1.* Henriquez *libro 14. capit.4. §. 7.* Peyrinis *supra num.82.* ex aliis. Quia tamen huiusmodi irregularitas non est talis, vt à solo Papa tolli possit, sed pertineat etiam ad Episcopum, quando iudicio ipsius tales Neophyti sunt sufficienter in moribus, & Christiana disciplina instructi, vt iam quasi veterani Christiani censeri possint, prout ex *cap.1. dist.57.* Couarrub. *Clementina si furiosus prima part. §.2. numero 8. conclus.3.* & Auila *de Censur part. 7. disputat. 4. dub.4.* tenet Sanchez *lib.2. in Decal. cap.27. num.12.* siue id sit per modum dispensationis, prout Henriquez *supra* tenet, siue per cessationem rationis prohibitionis, prout indicat idem Sanchez, & sequi videtur Barbosa *de Episcopali munere titul. 2. Glos. 17. numer.6. & 7.* Ideo in tali casu, & talibus circunstantiis, videtur Prælatos Regulares posse idem facere cum suis subditis, Neophytis. Si quidem habent iurisdictionem quasi Episcoporum super illos. 9

Cæterum loquendo de Neophytis secundo, & tertio modo, quos impropriè, seu impropriissimè tales vocari dixi, certa res est, quòd stando in iure communi habiles sint ad qualcumque Dignitates, seu Officia Religionum. Sumitur ex *ex cap. eam te de rescriptis,* vbi Pontifex præcipit, vt quemdam de gente Iudæorum in Canonicum reciperent. Et ex facto etiam Clem. VIII. qui, vt refert Barbosa *sup. numero 9.* Alexandrum de Franciscis in Hebraismo natum

natum ad Episcopatum Forolibiensem assumpsit. Nouissimè etiam hoc anno 1641. die 2. Augusti cum quidam Religiosus, qui in Africa ex parentibus infidelibus natus, sed infans captus, & Panormi baptizatus erat, quæreret à Sac. Congregatione Episcoporum, & Regularium, an posset consequi suæ Religionis gradus, resque cum aliquibus Theologis, (ex quibus vnus, & minimus ego fui) communicata esset, eadem Sacr. Congregatio, Eminentiss. Cardinali Caëtano referente, annuit, vt concurrentibus in eo aliis necessariis ad omnes gradus, & Dignitates suæ Religionis assumi valeret. Vide ad intentum Rodriguez dicta *quæst.* 14. *art.* 1. & Miranda *tom.* 2. *Manual. Prælat. quæst.* 1. *art.* 1.

10 Dixi *stando in iure communi*, quia secundum iura particularium Religionum plures ex illis admitti non possunt ad Prælatias, seu Dignitates illarum, Primò enim Hieronymiani, propter Bullam Alexandri VI. quam *supra num.* 3. retuli, qua approbatur Statutum eiusdem Religionis, non possunt ad Dignitates; & Officia promouere Neophytos, seu descendentes intra quartum gradum ex Iudæis nouiter conuersis. Similiter Minores ex Bulla Pauli IV. quam etiam *supra* eodem *num.* 3. retuli, illos, quos eo loco dixi admittere non posse ad Religionem, nec etiam admittere possunt ad Generalatum, Prouincialatum, Comissariatum, Guardianatum, aut munus Prædicatoris, & talis electio, seu assumptio irrita, & nulla est. Prout ex ipsa Bulla constat. Item Benedictinis Congregationis Vallisoletanæ ex Pio IV. in Bulla eo loco adducta eos etiam, quos, vt ex ea dixi, non possunt ad Ordinem recipere, nec etiam in Abbatem, Priorem, Administratorem, vel Officialem cuiuslibet Monasterij assumere possunt, De his omnibus, & aliis concernentibus Rodriguez *supra d. quæst.* 14. *art.* 1. & 14. Miranda *in Man. Prælator. tom.* 1. *quæst.* 1. *art.* 1. Portellus *in Dub. Regular. verbo Electio num.* 11. & *verbo Nouitius. in Additionib. num.* 20. & 21.

11 Circa quæ Pontificum Decreta nota primò, rectè, & prudenter ab ipsis edita fuisse, non obstante iure communi contrarium permittente, propter rationabiles, valde causas, quæ sunt in eo quòd prædicti non admittantur ad dicta Officia, & Dignitates Religionum. Quarum etiam aliquas ipsimet Pontifices assignant, & sunt quies, & tranquillitas Religiosorum, quæ sæpius à prædictis perturbatur propter ipsorum vitia, superbiam præsertim; & auertere ignominiam Religionum, quæ saltem in aliquibus Regionibus solet esse, si tales ad prædicta cernantur assumpti. Corduba *lib.* 1. *quæst.* 54. quem refert, & sequitur Rodriguez dicta *quæst.* 14. *art.* 1. Miranda *art.* 1. Nota secundò quòd iuxta dicta in præcedentibus *num.* 4. ea non extenduntur ad alias Religiones propter fundamentum, & Authores ibi adductos. Quibus etiam adde, huiusmodi concessiones potius debere dici Statuta particularia illarum Religionum, quam priuilegia ipsarum, ac per consequens non includuntur in vniuersali communicatione priuilegiorum quā plures Religiones habent. Tamburin. *de Iure Abbat. tom.* 1. *disput.* 17. *quæsit.* 6. Nec etiam extenduntur ad Moniales, ita vt similes defectus pœnitentes non possint assumi ad munus Abbatissarū, seu Priorissarum, vt notat Rodriguez dicta *quæst.* 14. *art.* 13. Nec etiam extenduntur ad collaterales prædictorum, aut ad eos, qui geniti fuerunt antequam parentes eorum eos defectus contraxerint, propter dicta supra. Casu etiam quo in aliqua Religione Statutum esset de prædictis non recipiendis, ad ipsam, si tamen cautum non esset, quod tales recepti, aut recipiendis ad Officia, & Dignitates ipsius essent inhabiles, prout in nostro Ordine contingit, capaces illorum essent, cum ius commune, aut illa Religio illos non faciat incapaces.

Maximè notandum, quòd quamuis Suarez *tom.* 5. *in* 3. *p. disput.* 43. *sect.* 3. *num.* 8. & *tom.* 4. *de Relig. Tract.* 10. *l.* 2. *capit.* 2. *num.* 6. Rodriguez *dict. tom.* 1. *quæst.* 14. *art.* 1. Miranda *dicto art.* 1. & Peyrinis *sup. numero* 84. post Nauarrum, & alios, asserant Religiones non posse sine Papæ authoritate facere similia Statuta, quibus tales secundo, vel tertio modo appellati Neophyti excludantur ab Officiis, vel Dignitatibus Religionum, eò quod tales iure communi Canonico habiles sunt ad prædicta, & Religiones sine Papæ authoritate nihil possunt contra ius commune statuere. Nihilominus probabile valde mihi est id posse facere saltem pro illis Regionibus, in quibus indecorum, & ignominiosum est Religionibus, quòd tales Officia, & Dignitates obtineant, qualem esse Hispaniam propter specialem pietatem, & deuotionem illius nationis erga Religionem Christianam, dixi *supra numero* 6. & maximè si talia Statuta non comprehendant Religiosos iam professos in Religionibus, sed eos, qui in posterum professuri sunt. Ratio est, quia quælibet Religio potest ea Statuta, seu leges condere, quæ ad bonum regimen illarum spectauerint, dummodo ea Regulam Religionis, iuxta dicta *tom.* 1. *p.* 1. *cap.* 8. *num.* 4. concernant. Statuere autem, quòd prædicti non assumantur ad præfata Officia, seu Dignitates, in illis præsertim Regionibus, in quibus id est indecorum, & ignominiosum Religioni, proculdubio ad bonum regimen ipsius spectat, Regulamque concernit. Nec hoc est contrarium positiuè iuri communi Canonico, quia, vt dixi à simili *supra num.* 6. Ius Canonicum non præcipit, quòd tales ad præmissa assumantur, sed solùm eos non excludit. Vnde talia Statuta Religionum id prohibentia non sunt contraria positiue iuri Canonico, sed tantum negatiuè, vt in simili loco relato dixi. Accedit non congruè dici posse talia Statuta non solùm contraria non esse iuri communi, præsertim Canonico sed etiam illi conformia. Quod colligo manifestè ex Pio IV. in Bulla *Prouisionis nostræ* apud Rodriguez Bullario in eodem Pio *num.* 3. vbi confirmans Bullam Pauli IV. prohibentis ne descendendentes à Mauris, Iudæis, & Hæreticis admitterentur ad Officia in ordine Minorum, subiungit Pontifex: *Nos considerantes non solum eos, qui orthodoxæ fidei contemptores existunt à Sacris Canonibus pœnis grauissimis plecti, verum etiam eos, & eorum descendendentes à Dignitatibus, beneficiis & Officiis Ecclesiasticis arceri, &c.* Canones autem, propter quos Pontifex id dicere potuit, sunt *capitul. constituit.* 17. *quæst.* 4. & *capit. statutum* 2. *de hæret. in* 6. Etenim *d. cap. constituit.* decernitur eis, qui sunt ex Iudæis *officia publica* non esse danda, & *cap. statutum* 2. *de heres. in* 6. filij hæreticorum vsque ad secundam generationem ad Beneficia Ecclesiastica, seu officium publicum non admittuntur. 12

Si autem quæras, quid sentiendum de iis, qui in S. Inquisitionis Officio abiurarunt, siue de leui, siue de vehementi, idest iurarunt de non redeundo ad illud delictum, an scilicet isti comprehendantur in dictis Statutis, quibus cauetur ne hæretici, vel de hæresi suspecti admittantur ad Religiones, vel Officia ipsorum. Respondeo, attendendum esse, tum ad formam abiurationis ab ipsis factam, tum ad formam absolutionis illis à DD. Inquisitoribus præstitam. Ex illis enim constabit an ea abiuratio fuerit solùm 13

solùm propter hæresis suspicionem, an propter hæresim ipsam, & an propterea incapaces sint ad prædicta. Quod etiam faciendum, vt cognoscatur an inciderint tales pœnitentiati à S. Inquisitione in inhabilitatem ad gradus, & Officia Religionum, quam dixi incurrere ex Decreto eiusdem S. Inquisitionis *tom. 1. p. 1. Summæ huius c. 15. n. 39.* Notandum etiam est, an propter pœnitentiam à S. Inquisitione impositam, incurrerint infamiam, si enim ita fuerit ratione talis infamiæ, erunt irregulares, ac per consequens incapaces ad plura Officia Religionum, iuxta dicta *to. 3. verbo Infamia.*

14 Adiungenda huic loco resolutio, quam dedi cuidam dubio, quo quærebatur, an in ordine quodam Mendicantium assumi posset ad officia, & dignitates Religionis, Provincialatus maximè, quidam Religiosus filius fœminæ, quæ combusta fuit propter crimen magiæ. Eò quod tali Religioso obstare videbatur Constitutio quædam Pauli IV. quæ incipit *Cum ex Apostolatus* anno 1559.

15 Respondi enim affirmatiue. Si mater dicti Religiosi non fuit hæretica declarata, & vt talis expresè
16 condemnata. Ratio est quia in dicta Bulla Pauli IV. qua confirmat aliam Clementis VII. non excluduntur à prædictis dignitatibus, & officiis nisi so-
17 lùm illi, qui (verba sunt Bullæ) *olim Iudæi seu heretici fuerint, seu à similibus Iudæis, seu hæreticis, quorum similiter parentes, & progenitores paterni, seu materni, viuentes, seu defuncti vsque ad quartam generationem, inclusiuè hæretici declarati, & vt tales condemnati, ac illi, seu eorum corpora, & ossa, vel statuæ igni traditæ fuerint, originem trahentes, seu descendentes vsque ad quartam generationem inclusiuè.*
18 Prædictus autem Religiosus, vt supponitur, neque est Iudæus, neque hæreticus neque à Iudæis, aut hæreticis descendens. Etsi enim eius mater, vt Maga declarata, & combusta fuerit, si tamen, vt hæretica expresè declarata non fuit, non est habenda, vt ta-
19 lis: quia, vt benè Toletus *in Summa lib. 4. cap. 14. num. 7.* etsi Magia sæpe cum hæresi coniuncta sit, scilicet quando est cum errore in intellectu contra fidem accedente pertinacia, cum verò non est talis error in intellectu, prout potest contingere, etsi sit grauissimum peccatum, non tamen hæresis est. Idem
20 colligitur ex Lessio *l. 2. de Iust. cap. 44. dub. 4.* & allis DD. communiter.
21 Neque obstat, quod talis fœmina combusta propter magiam de hæresi suspecta sit, quia magi sunt de hæresi suspecti, prout communiter tradunt DD. dum crimina, quæ sunt suspecta de hæresi, referunt.
22 Et si enim hoc ita sit, non propterea ipsius filius excludi debet à prædictis dignitatibus, & officiis in ordine illo. Eò quod prædicta Bulla solùm loquitur
23 de hæreticis, & cum sit non solùm odiosa, sed etiam valdè exorbitans à Iure communi restringi debet ad solùm veros hæreticos, non ad suspectos de hæresi.
24 Vt enim benè Miranda *in Man. tom. 2. quæst. 1 ar. 1. conclus. 3.* Lex pœnalis omnis continens aliquid contra generalem regulam Iuris communis intelligi debet strictè, vt quanto minus fieri poterit, corrigat Ius commune. *cap. cum dilectus de consuetudin. l. fin. C. de Iure deliberandi, &c si verba §. de viro ff. solut. matrimon. & facit cap. quæ à Iure de regul. Iur. in*
25 *6. & l. benignius ff. de legibus.* Hinc Sanchez *lib. 2. in decalog. cap. 27. num. 29.* expressè ait, quod *cap. statutum 2. de hæret. in 6.* vbi filij hæreticorum efficiuntur inhabiles ad beneficia Ecclesiastica, non debet extendi cum sit pœnale ad filios eorum, qui suspecti sunt de hæresi.
26 Quod maximè procedere videtur pro illis Regionibus, in quibus palam, & impunè hæreses grassantur, qualis, proh dolor! est Germanica prout colligo ex Henriquez *libro 14. capit. 5. num. 4.* Layman. *de Irregularitate cap. 4. §. notat verò,* Thesaur. *in praxi par. 2. cap. 3. §. limita 2.* & aliis, quos refert.

Adiungi etiam potest breuis alia resolutio de quodã ex Mahumetanorum origine, qui in infantili æta- 27
te de manibus Turcarum à Christianis captus, baptizatus, & nutritus, ac postea effectus est Religiosus: de quo quærebatur an esset capax, vt in Religione ad Prælaturas eligi posset. Quæ talis fuit.

Respondeo, quod si specialia iura illius Religio- 28
nis non obstent, proculdubio præfatus Religiosus assumi potest ad Pælaturas in ipsa. Ratio est, quia
si aliquid obstaret, maximè *c. quoniam multa dist. 48.* 29
vbi deciditur, quod Neophytis conferri non possint Prælatiæ, hic autem canon non solùm non ob- 30
stat prædicto Religioso, sed maximè fauet illi, clarè enim, & manifestè per Neophytum intelligit illum qui nouiter, & recenter baptizatus est. Religiosus autem iste à multis annis, vtpotè in infantia baptis-
mum suscepit, verba autem textus ex quibus mani- 31
festè colligitur per Neophytum solùm intelligere nouiter, & recenter baptizatum sunt ista *ita vt homines ex vita gentili nuper adhuc catechizati, vel instructi statim ad spiritualem Baptismum venissent, & continuo cum baptizati etiam ad Episcopatum, vel*
Presbyteratum prouecti sunt. maximè etiam fauet illi 32
canon *sicut Neophytus ead. dist.* vbi expresè dici-
tur, quod *Neophytus habendus est, qui repente Reli-* 33
gionis habitu plantatus ad ambiendos honores sacros irrepserit. Quo verbo repentè manifestè excluditur prędictus Religiosus, qui in infantia Baptismum suscepit; & ita in terminis, quod Neophytus non dicatur, nisi, qui de recenti non à multo tempore fidem
suscepit, tenent Nauarrus *in Man. capit. 27. nu-* 34
mero 205. Tolet. *in Summ. libro primo capit. 64. ex* Turrecrem. Perinis *tomo secundo de Prælato quæstione secunda capit. quinto numero 83.* relatis Nauarro, Suarez, Campanili, Sayro, & Bonacina.

Nec obstat Bulla Pauli IV. quæ incipit, cum ex 35
Apostolatus, & habetur *in 2. tom. Bullarij Rodriguez in Paulo IV. Bulla 2.* vbi confirmans aliam Clementis VII. prohibet, ne descendentes ex genere Iudæorum, seu hæreticorum assumi possint in ordine Minorum ad dignitates & Prælatias ipsius.
Ibi enim expresè solùm loquitur Pontifex de des- 36
cendentibus ex Iudæis, & hæreticis, non autem de descendentibus ex Mahometanis, qualis est prædictus Religiosus. Nec valet argumentum à simili.
Nam interpretatio legis pœnalis qualis est ea, quæ 37
continetur in dicta Bulla strictè facienda est *l. 42. ff. de pænis, & can. pœnæ de pænit. dist. 1.* & ex regulis
Iuris in *6. regula 15. & 49.* Vnde extendi non de- 38
bet vltra casus, vel personas in ea expressas propter paritatem rationis Sayrus *in Claui Regia lib. 3. capu. 8.* Naldus *in Summa verbo obligatio num. 14. & verbo Sacerdos num. 5.* Portellus *in dub. regular. verbo lex n. 13.* & alij plures. Adde quod etiam si prædicta Bulla intelligi deberet etiam de descendentibus
à Mahometanis id solùm esset pro ordine Minorum, 39
non pro aliis Religionibus, nam, vt dixi, *tom. 2. Summæ cap. 1. n. 52.* quamuis Religiones communicent in priuilegiis, non tamen in pœnis.

NOTARIVS

NOTARIVS REGVLVRIS.

SVMMARIVM.

Notarius quis dicatur, num.1.
De priuilegio Ordini Prædicatorum concesso. num.2.
Qui Prælati possint illos creare. num. 3. & 4.
De Fratribus ad id munus constituendis. n.5.
De ipsorum munere. num.6.
An possint sumere informationes pro Nouitiis. n. 5.
De executione Pontificij Priuilegij. num. 8.
De aliis spectantibus ad prædictos Notarios. numero 9.
Quæ Monasteria frui possint priuilegio Pij V. numero 10.
An, & quando Notarij debeant subscribere. numero 11.
De aliis ad Notarios spectantibus. num.12.
Notarius creatus ab vno Episcopo potest ex causa rationali non confirmari à successore num.13.
Quia notarius est de familia Episcopi. num.14.
Et Episcopus potest mutare suos familiares num.15.
Declaratio Sacræ Congregationis num.16.
Episcopus potest instituere notarios num. 17.
Ac per consequens etiam destituere. num.18.
Decisio Concilij Tridentini. num.19.
Ipsius intelligentia. num.20.
Decisio Rotæ Romanæ coram Pirouano. num.21.
Deputatio Notarij solet esse manualis num.22.
Et Bartholo, & aliis. num.23.
Maximè ex Hieronymo Gonzalez. num. 24.
Limitationes aliquot. num.25.
Obiectio ex l. Iurisperitus ff. de excusat. tut. numero 26.
Ipsius intelligentia. num. 27.
Fortior obiectio ex cap. Nouit. de his quæ fiunt, &c. num.28.
Ipsi respondetur. num.29.

1 NOTARIVS, qui & tabellio, & actuarius dicitur, est persona habens publicum officium scribendi instrumenta ad faciendam fidem. Angelus, & Syluester *verbo Tabellio num.1.* Creantur non solùm à Papa, & Imperatore, sed etiam à Regibus, & Principibus non recognoscentibus Superiorem. Innocentius *cap. cum P. de fid. instrum.* Angelus, & Syluester *supra num.1.* Possunt etiam Prælati Regulares ipsos etiam instituere intra Ordinem pro causis particularibus suarum Religionum, cum sint iudices in illis, ad quos id spectat, & ita consuetudine obseruatur, vocanturque Secretarij. Rodriguez *tom.3. quæst. Regular. q.8. art.1.* Alderete de *Religiosa disciplina lib.1. cap.8. num.3. & 4.* ex Speculatore, Ioanne Andrea, Abbate, Imola, & Felino. Posse etiam aliquos Superiores Regulares constituere in Notarios Publicos aliquem, vel aliquos fratres sui Ordinis pro intimandis extra ordinem mandatis, & priuilegiis Apostolicis ex priuilegio Iulij Tertij, & Pij V. dixi *tom 1. cap.18. num.95.* vbi etiam aliqua ad idem intentum concernentia. Quæ pro maiori luce huius materiæ amplianda sunt, explicando primò, quæ sint Religiones, quibus id competit: secundò, quibus Prælatis ipsarum Religionum; tertiò, qui fratres ad id munus constitui possint; quartò, quod sit munus prædictorum fratrum in Notarios institutorum; ac denique quintò, de aliis ad ipsos spectantibus, de quibus sigillatim agendum.

Et quoad primum, licet hoc priuilegium solùm Ordini Prædicatorum concessum sit, eo tamen vti possunt tam ipsi quam alij Mendicantes, & quicunque cum ipsis communicationem priuilegiorum habent, & ita supponunt Authores, qui de illo loquuntur, specialiter, Rodriguez *supra* Portellus *in Dub. Regular. verb. Notarius*, & Archangelus Romanus *de priuileg. lib.3. verbo Notarius.* Licet autem, vt loco relato animaduerti ex Cherubino collectore, Bulla. *in Pio V. Bulla* 124. Iulius III. hoc priuilegium 27. Februarij 1554. concesserit, quia tamen à Pio V. plenius id est concessum, ideo ipsius Bullæ standum, quam referunt Confettius *in Collectan. litter. Apostolic. in Pio V. num.8.* Rodriguez loco relato, & Cherubinus *dict. num.* 124. inter Bullas Pij V. 2

3 Circa secundum, constat ex dictis eo *num.95.* quòd isti Notarij creari, non possunt nisi solùm à Generalibus, & Prouincialibus, non autem à Prælatis immediatis, scilicet Prioribus, Guardinis, &c. quidquid aliqui dicant. Ratio est, quia in dicta Bulla Pij V. solùm prædicti numerantur. Dicitur enim *Modernis, & pro tempore existentibus, dicti Ordinis Magistro Generali, Vicariis, & Prouincialibus, tam citra quam vltra, ac aliàs vbilibet constitutis. Quod in vnaquaque eorum Prouincia, vnum, duos, tres, quatuor, vel quinque, aut plures eis beneuisos, dicti Ordinis Religiosos, seu fratres, probatos tamen, ac fide, & doctrina idoneos, & ab ipsis approbatos in Notarios creare, constituere, & deputaere possint.* Vnde, etsi non apponat Pontifex dictionem taxatiuam, & aliquando contingat vtile esse Religionibus, vt Prælati immediati talem facultatem habeant, quia tamen priuilegia explicari non debent vltra id quod sonant, & præsertim quia cum creare Notarios prædictos sit ex grauioribus rebus Religionis; ideo Pontifex meritò solùm ad Generales, vel Prouinciales, propter maiorem auctoritatem, & prudentiam, quæ ipsis præsumitur, spectare voluisse dici debet, & ad alios non extendi. Sicque supponit Portel. *sup. num.1.*

Nota tamen, quod quemadmodum creare Notarios perpetuos solùm pertinet ad prædictos Principes supremos; creare autem Notarios pro causis particularibus, pertinet etiam ad quoscunque iudices etiam inferiores, sic etiam licet creare Notarios, seu Actuarios pro causis particularibus Religionum spectet ad inferiores, & immediatos Prælatos cum ex vsu illarum id habeatur, vt dictum est, ad creandum autem Notarios perpetuos, pro causis præsertim extra Religionem exequendis, desiderabatur auctoritas Pontificia, quæ meritò propterea solùm Generalibus, & Prouincialibus à Pio V. concessa est. Rodriguez *d. art. 1.* Portellus *supra num. 1. & 2.* Extendit autem hanc facultatem Pontifex ad Vicarios, intellige Gener. eò quòd in verbis relatis post Generalem, & ante Prouinciales nominentur.

Circa tertium de fratribus ad id munus constituendis, constat ex verbis allatis, eos debere esse *probatos fide, & doctrina idoneos, ac ab ipsis* Prælatis ad munus *approbatos.* Vnde licet tales non debeant esse Doctores, seu Magistri, quia nullo iure id cauetur, tenentur tamen habere scientiam artis Notariæ, aliàs imputabitur sibi damnum, quod imperitia sua causarunt. Bart. *in l. fin. C. de tabell.* Angelus *supra n.6.* Syluester *sup. quæst.2.* & consonat valde Concil. Trid. *sess.22. de reform. c.10.* Debent etiam ab eis accipere iuramentum fidelitatis, scilicet, quod fideliter exequantur suum officium. Syluester *sup.* Alderete *sup. n.8. & 9.* Portellus *sup. n.2.* Formam autem huius iuramenti faciendi, & litterarum pro fide facienda, 4

 quod

quod tales ad prædictum munus assumpti fuerint, habes apud Peyrinis *tom.2. Priuilegiorum Minim. in Constitutione nona Pij V. num.9. & in Formulario littera N. cap.1.* Pro formula autem inuestituræ vide Aldrete *supra num.9.*

6 Circa quartum de munere prædictorum Notariorum hæc habet Pontifex in prædicta Bulla. *Qui sic creati, constituti, & deputati sine aliquo respectu, & omni cessante recusatione, liberè, quoties requisiti fuerint omnia, & singula mandata, priuilegia, Constitutiones, gratias, & indulta Apostolica, aliaque tam vniuersalia quam particularia dicto Ordini, ac quibusuis aliis, quæ de Obseruantia sunt tantum locis, domibus, Conuentibus, Monasteriis, & Ecclesiis tam virorum quam mulierum, &, seu eiusdem Ordinis Magistro Generali, Prouincialibus, Vicariis, Prioribus, & aliis Superioribus fratribus, ac Abbatissis, Priorissis, Monialibus, & aliis personis sub Regula dictorum Fratrum degentibus, & quæ sunt Obseruantiæ tantum, in genere, vel in specie, vt ad vniuersam, siue priuatam vtilitatem concessa, & emanata Rescripta Apostolica eisdem Regibus, Ducibus, Principibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, & Dominis, aliisque personis Ecclesiasticis, & secularibus quibuscunque vbi, & quoties opus fuerit, ac ad id requisiti fuerint, notificare, & intimare. Ac eosdem, iuxta mandatorum, concessionum, indultorum, priuilegiorum, & rescriptorum, huiusmodi formam, continentiam, & tenorem, monere, & requirere, aliaque omnia, & singula circa ea requisita, & opportuna facere, agere, exercere, & exequi, ac de eisdem omnibus, & singulis, publicos, & publica, actus & instrumenta coram testibus ad hoc requisitis conficere, & stipulari, ac in notam redigere, vt exinde, semel vel pluries, prout ad id requisiti fuerint, vnum, vel plures, ac plura, publicos, & publicas, actus, & instrumenta, quibus eadem prorsus fides adhibeatur in iudicio, & extra, ac vbique, ac si per alios quoscunque publicos, & authenticos rogatos Notarios stipulata, confecta, & publicata, & authenticata fuissent, conficere, & debitis signis, & characteribus subscribere, publicare, & authenticare liberè, & licitè possint, & valeant, Apostolica auctoritate tenore præsentium licentiam, & facultatem impartimur, concedimus, & indulgemus. Eisdemque actis, notis, instrumentis, & scripturis per dictos Religiosos, vt præfertur, Notarios deputatos, stipulatis, confectis, & vt præfertur, authenticatis, plenam, & indubitatam fidem vbique tam in iudicio quam extra adhibere, ac eosdem sic intimatos, monitos, & requisitos eis afficere, & arctari debere volumus, statuimus, & ordinamus.*

7 Cum autem Pontifex solùm concedat facultatem creandi dictos Notarios pro intimandis mandatis, priuilegiis, Rescriptis Apostolicis, &c. mirum est quosdam sine sufficienti fundamento id extendere ad sumendas informationes pro Nouitiis, fabricandos processus inter Fratres, & testimonium ferendum pro vita, aut morte alicuius, &c. Priuilegia enim tantum valent quantum sonant, nec extendi debent vltra proprietatem verborum. Illa autem quæ assignantur fieri possunt per alios Notarios designatos à Prælatis, iuxta dicta superiùs, & *tom.1. p.1. eo cap.18. num.95.*

8 Pro executione autem huius priuilegij subiungit Pontifex. *Mandantes propterea in virtute S. Obedientiæ, & indignationis nostræ ac suspensionis à diuinis, quoad Archiepiscopos, & Episcopos, quoad alios verò inferiores sub maioris excommunicationis latæ sententiæ pœnis, locorum Ordinariis, & aliis quibusuis personis cuiuscunque status, gradus, Ordinis, & conditionis existentibus, & quacunque etiam dictæ Sedis auctoritate, facultate, seu potestate etiam Legati de latere ac Cardinalatus honore fungentibus, ne ipsos Notarios, vt præfertur, deputatos, & electos, siue eorum aliquem in executione supradictorum omnium quouis modo impediant, seu impedire, aut perturbare audeant, vel præsumant.*

Circa quintum de aliis spectantibus ad prædictos Notarios notandum, tam pro illis, quos diximus intra Ordinem creari posse à Prælatis omnibus ad causas particulares Religiosorum, quàm pro aliis, quos aliqui illorum ex vi dicti Priuilegij creare possunt pro causis extra Ordinem. Primò, congruum esse ad hoc munus assumi eos, qui in sæculo Notarij, vel Tabelliones erant. *argument. cap. vt officium §. verum de hæreticis in 6.* Aldrete *supra num.7.* Secundò, huiusmodi Notarios omnino necessarios esse in actis publicis, vt illis fides adhibeatur, prout habetur ex *cap. quoniam de probation.* Alderete *supra num.5.* Vnde male faciunt Prælati, qui in re graui faciunt processum per seipsos absque Notario: est enim de iure communi, quòd scribat Notarius, & proinde videtur de substantia iuris, in qua Prælati non possunt dispensare. De quo multa Rodriguez *tom.2. quæst.13. art.2. & in Additionib. summæ cap.58. num.9.* & Portellus *supra num.6.* Tertiò, quod in causis criminalibus, & grauibus nunquam sine scriptura procedere debent isti Notarij. *cap. legum 2. quæst.1. cap. quisquis cum sequenti 2. quæst.8. cap. si quis cum Clerico 11. quæst.1.* Optimè S. Thomas *2.2. quæst.68. articulo 2.* Alderete *supra num.2.* Peyrinis *tom.3. priuilegiorum Minim. cap.6. num.18.* Quartò, quòd huiusmodi Notarij, in actibus extraiudicialibus, & extra iudicij processum, valent pro duobus testibus. Ita Glossa *cap. vt officium de hæreticis in 6. ad §. verum, quia in fine*, & Glossa *in c. quoniam contra de probat. verbo duos viros.* Portellus *dicto verbo Notarius in additione num.1.* Quintò, remoueri posse ab officio Notariorum à suis Prælatis. Pendent enim ab ipsis sicut in fieri, sic, & in esse, & in conseruari. Idque constat ex Concil. Trident. dicto *cap.10. sess.22.* Quod Decretum extendi etiam ad Prælatos inferiores quasi Episcopalem iurisdictionem habentes declarauit Sac. Congregatio apud Barbosam *in Collectan. Bullar. verbo Notarius.* Pro conditionibus autem requisitis ad validitatem instrumentorum, & vt ipsis fides adhibeatur, vide Angelum *supra num.7.* & Syluestrum etiam *supra quæst.9.* Sextò, quod quamuis multa apud Auctores, Summistas præsertim, reperiantur circa salarium Notariorum, plures etiam extent Sacræ Congregationis declarationes apud Barbosa *supra verbo Cancellaria, & Cancellarius Episcopi*; illa tamen cessare inter Religiosos, à quibus hoc munus ex obedientia solùm, non autem ex pretio obiri debet. 9

Specialiter pro prædictis Notariis ex vi prædicti priuilegij Pij V. creandis, notandum est id, quod dixi *d. cap.18. num.95.* scilicet, ipsummet Pontificem declarasse eo priuilegio vti non posse, nisi Monasteria, quæ sunt de Obseruantia, & Religiosos, qui etiam sint Obseruantiæ. Ex quo collige, quòd Monasteria, siue Religiosi, qui omnino non sunt de Obseruantia dicto priuilegio vti non possunt. Pro quo vide dicta *tom.1. p.1. cap.3. num.17.* ex Miranda ibi relato. 10

Specialiter etiam pro aliis Notariis ad particulares causas Religiosorum designatis notandum primò, illos vltra subscriptionem testium, debere etiam proprio nomine subscribere. Rodriguez dicto *cap.58.* Portellus *supra num.3.* Addit Rodriguez debere subscribere ad singulorum testium, vel reorum seu accusatorum 11

satorum dicta, nec sufficere, si subscribat in fine processus. Quod, & mihi placet, & est conforme vsui nostræ Religionis. Licet Peyrinis *supra* oppositam teneat. Notandum secundò, quòd etiam in iudicio sæculari danda est fides libris ratiocinij factis per Notarios Monachos, vel Moniales Notarias. Sic enim vsus obtinuit, & refert Valascus Lusitan. *l.*1. *consultationum* se ita vidisse iudicatum in facti contingentia. Portellus *supra num.*5.

12 Quod officium Notariorum possint exercere Regulares in quibuscunque causis Sanctæ Inquisitionis constat ex dictis *tom.*1.*p.*1. *cap.*9. *num.*13. Similiter quòd Regulares exercere non debeant munus Tabellionis (intellige pro causis sæcularium) licet, quod in seculo Tabellionis erant, possint post professionem signare instrumenta, quæ in sæculo facerent, constat ex dictis eodem loco. Alia verò, quæ ad ipsos spectant, præsertim circa fidelitatem, quam seruare debent, pœnas quas incurrunt aliter facientes, abreuiaturas, quibus vtuntur, & alia concernentia habes apud Doctores, præsertim Naldum *in Summa verb. Notarius*, & Lugo *de Contractib. disp.*41.*sect.*2.

Quia tamen quæri potest an Notarius Regularis semel à Regularibus deputatus possit ab ipsis, vel ipsorum successoribus mutari, ideo placuit hoc loco inserere resolutionem à me datam, præcipiente quodam Eminentissimo circa mutationem Notarij Episcopalis: ex ea enim elici poterit quid ad dubium istud sit dicendum. Resolutio vero talis est.

13 Notarius creatus ab vno Episcopo pro instrumentis, & negotiis Episcopatus actitandis potest ex causa rationabili non confirmari ab Episcopo successore, sed alterum nominando ipsi committere instrumenta, & alia negotia actitanda in Episcopatu. Primò, quia Notarius censetur de familia Episcopi, & ipsius
14 familiaris, sicut fiscalis, Nuncij, vel Cursores, Carcerum Custodes, Barisellus, Birruarij, & his similes, qui dicuntur de familia Episcopi. Felynus *in cap.*2.*num.*2. *in fin. de foro comp.* Rebuffus *de priuil. scholar. p.*166. *num.*1. Rota March. *decis.*233.*num.*12. *& num.*20.
15 & post alios Thesaur. *for. Eccles. cap.*11. *numero* 17. *&* 18. ac Barbosa *de Iur. Eccles. lib.*1. *cap.*39. *n.*34. Vnde S. Congregatio Episcop. & Regular. in Ortunens. 6. Augusti 1602. dixit: *Notarius Curiæ Episcopalis cum sit de familia Episcopi, gaudet fori priuilegio.* Certum autem videtur in Episcopi potestate situm esse familiares suos mutare, instituere, desti-
16 tuere, &c. Secundò, quia certum etiam est Episcopum posse instituere Notarios, seu Tabelliones, provt colligunt DD. ex *cap. Cum P. de fid. instrum.* & tradunt Summistæ, specialiter Angelus, & Syluester *in Summ. verb. Tabellio.* Constat autem illum posse de-
17 stituere, qui potest instituere, quia iuxta regulam Iuris *eius est destitutio, cuius est institutio.* Provt habetur *in l. nihil tam naturale ff. de Regul. iuris*, vbi sic: *Nihil tam naturale est quam eodem genere quodque dissoluere, quo colligatum est.* Cui regulæ accedit axioma illud, *Res omnis per quascunque causas nascitur, per easdem dissoluitur, cap. omnis* 27. *quæst.*2. *cap. omnis res*
18 *de Regul. Iur.* & ibi DD. Tertiò ex Concilio Trid. *sess.*22. *de reformat. cap.*10. vbi sic: *Cum ex Notario-*
19 *rum imperitia plurima damna, & multarum occasio litium oriatur, possit Episcopus quoscunque Notarios, etiamsi Apostolica, Imperiali, aut Regia auctoritate creati fuerint, etiam tanquam delegatus Sedis Apostolicæ, examinatione adhibita, eorum sufficientiam scrutari, illisque non idoneis repertis, aut quandocunque in officio delinquentibus, officij eius in negotiis, litibus, & causis Ecclesiasticis, ac spiritualibus exercendi vsum perpetuo, aut ad tempus prohibere, neque eorum appellatio interdictionem Ordinarij suspendat.* Quibus verbis videtur non solum posse Episcopum removere Notarios propter culpas, quæ denotantur ibi *in officio delinquentibus*, sed etiam & alia rationabili 20
causa, propter quam non inueniantur *idonei*, provt denotatur ibi: *illisque non idoneis repertis.* Hæc autem idoneitas ex multis pensanda est, arbitrio prudentis Episcopi. Accedit quartò, decisio Rotæ corã Pirouano in vna Romana *Officij Hebræorũ*, 3. Febr. 1623. 21
*p.*4. *recent. tom.*2. *decis.*455. vbi cum quæreretur an officium Notariatus Hebræorum fuerit amouibile, & vacabile per obitum Camerariorum, respondetur affirmatiuè. Eo quod talis deputatio solet esse manualis, & amouibilis, non autem perpetua ad vitam electi. *cap. si gratiosè de rescript. in* 6. Francisc. de 22
March. *decis.*19.*num.*1.*lib.*2. Boër. *dec.*149.*num.*25. Subditur etiam in eadem decisione valdè ad hoc intentum, *quia Episcopus, aut similis Officialis non potest grauare successorem, item nec Prælatus potest supplantare in præueniendo tempus extra iurisdictionem suam priuando nominatione Notariorum, quæ ad illum de iure spectare solet.* Colligitur quintò, hæc doctrina ex Bartholo *in l. nec ei*, §. *eos*, *num.*6. *ff. de adopt.* 23
Oltrado *cons.*75. *num.*2. Felyno *in cap. cum P. Tabellio num.*14. *de fid. instrum.* Maximè autem ex Hieronymo Gonzalez *super Regulam* 8. *Cancellariæ gloss.*5. §.11.*num.*16. vbi hæc: *Et multo minus locum* 24
*habere potest in Officiis quæ prouidentur per Episcopos personis sæcularibus, veluti in Officiis Tabellionum & Notariorum, & aliorum Officialium suarum audientiarum Episcopalium, vel in Castellaniis, ac aliis similibus, quorum prouisio & dispositio spectat ad Episcopos, itavt prouisio duret ipsorum Episcoporum duntaxat vita & non amplius, durante, vt post Innoc. & DD. in cap. cum P. Tabellio, de fid. instrum. tradit Matthæus de Afflictis dec.*101.*num.*1. *& per tot. Romanus singul.*348.*incip. An Tabellio, Guidob. dec.*126. *Chisan. dec.*182. *in manuscript. & fuit resolutum in vna causa Conchen. Notariatus* 10. *Iunij* 1600. *coram Corduba, Molina de Hispan. primogen. lib.*1. *cap.*25. *sub num.*5. *&* 17. *lib.*3. *in fin. tit.*19. *part.*3. *& ibi Gregorius Lopez in gloss. penult. Antonius Gabriel tit. de iure quæsito non tollen conclus.*5. *num.*14. *Tullus Fernandez in l.*26. *Tauri num.*6. *cum seqq. vbi cum multis etiam concludit quod successio & venditio officiorum sit contra ius.* Huc vsque Gonzalez. Addit tamen aliquas limitationes in sequentibus, scilicet *nisi consuetudo esset in contrarium vt prouisio duraret* 25
*per totam vitam prouisi, vel alias à Sede Apostolica ex certa scientia esset confirmata, vt tenuit Rota dec.*621. *incip. vacante Castellania num.*10. *&* 14. *ac per tot lib.*3. *p.*3. *diuers.* Insuper *si talis prouisio facta fuerit de consensu Capituli, quia tunc ipsa Ecclesia videtur consentire, quæ nunquam moritur cap. liberti* 12. *quæst.*1. *& in terminis affirmat post alios Afflictus d. dec.*101. *num.*3.

Si obiiciatur quod Officialis ad beneplacitum 26
creatus est perpetuus, nec potest remoueri. *l. Iurisperitus ff. de excusat. tut.* vbi DD. specialiter Iason *l. centesimus* §. *si ita stipulatus numero* 14. *cons.*56. *num.*22. *vol.*1. asserens id procedere etiam de Officiali creato ab Episcopo. Respondeo id tantum pro- 27
cedere quando Episcopus absque legitima causa id facit. Pasqualigus *var. qq. moral. centur.*2. *quæst.*143. *num.*5.

Fortius obiici potest *cap. nouit de his, quæ fiunt à Prælatis sine cons. Capituli*, vbi prohibetur Episco- 28
pus instituere & destituere aliquem sine consilio Capituli. Quia respondetur id esse intelligendum quoad beneficia maiora, vel dignitates, non quoad 29

officia minora vt notat Abbas *ibi num.6.* concludens quod minora negotia potest Episcopus solus expedire, quod maximè videtur dicendum in hoc casu propter facultatem à Concilio concessam Episcopis, de qua *supra.*

NOTORIVM.

SVMMARIVM.

*Materia huius notitia Regularibus necessaria. num.*1.
*Notorium quid,& quotuplex. num.*2.
*Manifestum,publicum,famosum,& Notorium quomodo distinguantur. num.*3.
*Ad notorium iuris quid requiratur. num.*4.
*Ad notorium facti quid. num.*5.
*Notorium potest fieri occultum. num.*6.
*Ad notorium quid attendendum. num.*7.
*Notorius Clerici percussor quis censendus. num.*8.
Quomodo vox Notorium *accipienda in priuilegiis Regularium. num.*9.
*Quomodo in Statutis Religionum. num.*10.
*Quæ notanda circa modum concedendi dispensationes. num.*11.

1 HVIVS rei notitia valde necessaria est Regularibus, quia sæpius in Bullis, seu Diplomatibus Summorum Pontificum, Priuilegiis, & Constitutionibus Religionum hæc vox reperitur, & ideo de ipsa agendum.

2 Noto primò, quòd *notorium* dicitur à verbo *Noto*, quod est idem ac *demonstro*, quod contingit quando aliquid quod est obscurum, seu intricatum, manifestatur. Syluester *in Summa verbo Notorium in principio.* Vnde notorium est illud, quod ita clarè,& euidenter constat, vt nullo modo negari possit. Sanchez *2.tom.Consil.mor. lib.6. cap.3.dub.3.num.3.* ex Soto, Corduba,& aliis. Est autem duplex. Vnum Iuris, & alterum facti. Notorium Iuris est quod constat per iuridicam sententiam, vel per confessionem rei in iudicio. Nauarrus *in Man. cap.25.num.73.* Mascardus *de probationibus verbo Notorium conclus.* 1107. Cornexo *tom.2. in 3.p. Tract.5.de suspens. disp 4. dub.1.* Thomas de Iesu *de Visitat. Regular. Tractat.2. c.4.* Thesaur. *in praxi part.1.cap.21.* Notorium facti dicitur illud, quod est publicum euidentia facti, id est, ita se exhibens omnium oculis,vel conspectui maioris, vel saltem magnæ partis, alicuius loci, vt nulla possit tergiuersatione celari. Nauarrus, & Cornexo *supra.* Mascardus *supra concl.*1106. Thesaur. *supra* ex aliis. Hoc autem Notorium facti adhuc est triplex, facti scilicet transeuntis, vt si quis publicè in refectorio coram fratribus alapam alicui dedisset. Aliud est Notorium facti interpolati, vt si quis notoriè domum meretricis frequentasset. Aliud est notorium facti permanentis, vt si quis notoriè vulnerauit aliquem in facie, ita vt permaneat vulneri cicatrix. Speculator *l.3. rubric. de notorio crim.* §.8.*à num.*1.Mascard. *supra* Farinacius *in praxi q.21. à num.*8.

3 Noto secundò, quod quamuis huiusmodi voces *manifestum, publicum, famosum,* & *notorium* inter se confundi soleant, re vera tamen à notorio distinguuntur. Nauarrus *in Man.cap.25.num.73.* Suarez *tom.5.in 3.part.disp.9. sect.2.num.11.* id colligens ex *cap.Tua nos,& cap.vlt.de cohabit.Cleric.* Manifestum enim dicitur illud, quod facile probari potest per multos, licet non per tot,dicatur notorium. Angelus *verbo Manifestum in princip.* Syluester *ibidem.* Sanchez *supra num.*16. Deinde publicum, seu famosum (quod idem est)dicitur illud,quod fama publica proclamatum est. Sotus *de secreto memb.2.* Sanchez *supra numero primo.* Notorium verò, vt dixi,est illud, quod adeo clarè, & euidenter constat, vt negari non possit. Vnde fit posse aliquid esse manifestum, quia dicto modo probari potest, & publicum, seu famosum, quia publica fama diuulgatum, non verò notorium, quia non constat clarè, & euidenter modo dicto.

Noto tertiò, quòd quamuis plurium sententia sit ad notorium Iuris sufficere, quòd res sit plenè per testes in iudicio probata, etiamsi reus crimen non confiteatur, nec iudex sententiam de illo proferat, prout colligitur ex Toleto *in Summ.l.5.cap.36.§.Ille dicitur.* Less. *de Iust.l.2.c.11. dubitat.13. num.73.* & aliis; hoc tamen solùm est admittendum quando probationes tam claræ, & manifestæ fuerint, vt neque coloratè possint impugnari, quia, vt dixi, notorium est illud,quod adeo euidens est, & clarum,vt negari non possit. Mascardus *supra n.26.& 29.* Thesaurus *supra §. notorium Iuris.* Apud quem etiam quæ sententia Iudicis sit ea, quæ facit notorium. 4

Noto quartò circa notorium facti, quod quamuis ad iudicandum quodnam sit tale, maximè conducat arbitrium boni Iudicis,seu viri (Suarez *supra* addens nullam aliam certiorem regulam quoad hoc dari posse) regulariter tamen hæc attendenda. Scilicet: notitia hominum non paucorum, videlicet maioris, vel saltem magnæ partis loci,viciniæ,Conuentus,&c. Locus in quo res contingit, vt si fuit publicus, in quem soleat conuenire Communitas. Et tempus,quo contingit,scilicet,dies; quia quod nocte fit secretum censetur. Panormitanus *in cap. vestra de cohabit. clericor.* Syluester *d.verbo notorium quæst.*1. Mascardus *supra d.concl.*1106.*num.*18. Attendendum etiam maximè est ad qualitatem personarum coram quibus res contingit, an scilicet arbitrio prudentis iudicari possit manifestaturos,vel non manifestaturos rem gestam.Suarez,& Thesaur.*supra.* Attendendum item ad maiorem, vel minorem numerum personarum in ea Communitate existentium,vt ex Farinacio *p.1.praxis q.21.n.45.*habet Peyrin.*in Formulario littera P.c.17. num.2.* Minor enim numerus Fratrum sufficiet in paruo Conuentu ad faciendum notorium, quam in magno. 5

Noto quintò, quòd id, quod est aliquando notorium potest effici occultum, scilicet, si omnes illi qui id nouerint moriantur. Sanchez *supra numero* 14.ex Corduba. An vero notorium in aliquo loco possit censeri occultum in alio, dicam *infra verbo Occultum.* 6

Noto sextò, quòd quando agitur de delicto notorio non est attendendum ad factum ipsum materialiter,vt ita dicam, notorium, sed formaliter in ratione delicti, iuxta dicta à simili *supra verbo Irregularitas num.*58. Vnde etiamsi notorium sit aliquem Sacerdotem celebrasse, si tamen notorium non est illum celebrasse censura irretitum, irregularitas illa non censebitur notoria. Nauarrus *supra dict. cap. 27. numero* 255. *in fine.* Thesaurus *supra §. Aduertendum* 2. Barbosa *de offic & potest.Episcop.Allegat.*39. *num.*26. ex multis aliis. Similiter, si notorium sit aliquem ingressum fuisse in clausuram Monialium, non tamen est notorium, an ingressus fuerit sine licentia non censebitur talis ingressus in ratione culpabilis notorius. Sanchez *de Matrim.l.8. disp.34. num.*56. post alios. 7

Ex quibus iam ad praxim Regularium colligi potest 8

potest decisio aliquorum dubiorum, quæ inter ipsos oriri solent. Primò enim, cum iuxta dicta *supra verbo Excommunicatio quoad Regulares num.*5. communicans cum percussore Clerici non incurrat excommunicationem minorem, nisi, iuxta ibidem dicta ex Extrauaganti *Ad euitanda*, quando talis Clerici percussor tam notorius est, vt nulla tergiuersatione celari possit, aut iuris suffragio excusari, ideò etiamsi casus esset, quòd aliquis publicè diffamatus esset de manifesta Clerici percussione, si factum ipsum notorium non esset, non teneretur aliquis illum euitare, quia ex vi talis Extrauagantis solùm tenemur vitare notorios percussores Clericorum, & cum simus in materia odiosa, non debet id ampliari ad publicum, famosum, seu manifestum percussorem, qui propriè notorius non sit. Suarez 5.*tom. in* 3.*part. disp.*9. *sect.*2. *num.*11. addunt aliqui debere esse notorium notorietate facti, nec sufficere esse notorium notorietate Iuris, quia dicta Extrauagans solùm loquitur de percussore notorio notorietate facti. Suarez *supra* Bonacina *de Censur. disp.*2. *q.*2. *punct.*1. §. 1 *num.*3. Layman. *lib.*1. *Tract.*5 *part.*5. *c.*4. *num.* 2. §. *secundum*, ex Couarruuia, & Auila.

9 Secundò colligi potest, quòd quando in aliquibus priuilegiis Regularium conceditur facultas dispensandi, absoluendi, &c. in aliquibus casibus dummodo notorij non sint, tunc etiamsi tales casus aliàs manifesti, publici, seu famosi fuerint, poterit dari talis dispensatio, absolutio, &c. quia cum materia priuilegiorum sit fauorabilis, extendi debet quantum proprietas verborum permiserit. Vnde si priuilegium quoddam Martini V. quo concessit Priori Sancti Benedicti Vallisoletani facultatem dispensandi cum suis subditis in omni irregularitate, etiam in occisione, dummodo notorium delictum non sit, modo subsisteret, posset dictus Prælatus, & alij habentes communicationem cum ipso, vti eo priuilegio, etiam in casu homicidij manifesti, publici, seu famosi: propter dicta. Idque supponit Portellus *in Resolutionibus part.*3. *casu* 13. *numero quinto*. Dixi si subsisteret, quia iuxta dicta *supra verbo Abortus numero decimoquarto*, tale priuilegium, cum fuerit viuæ vocis oraculum, his temporibus vacat, vtilis tamen est hæc doctrina, si illud confirmatum per Bullam fuerit, aut de nouo confirmetur.

10 Collige tertiò, quod quando in Statutis, vel Constitutionibus Religionum aliquæ pœnæ ponuntur contra committentes aliquod delictum, si illud fuerit notorium; non incurrentur dictæ pœnæ, si illud fuerit tantum manifestum, publicum, aut famosum, propter dicta. Similiter, quando in illis fit mentio de manifesto, ex subiecta materia, & loquendi vsu desumendum est in quo sensu accipiatur. Panorm. *cap. Cum olim. de verbor. signif.* Angelus, & Syluester *verbo Manifestum*. In dubio autem, maximè in materia ista pœnali, accipi debet, prout distinctum à notorio. Sanchez *supra num.*17. ex Angelo, Syluestro, & aliis.

11 Demum collige quartò, ex notitia prædictarum vocum *Manifestum*, *Publicum*, *Famosum*, & *Notorium* haberi etiam posse notitiam circa modum concedendi dispensationes, quæ à Sede Apostolica committi solent Confessariis Regularibus, iuxta dicta *supra verbo Litteræ Apostolicæ à n.*9. in casibus occultis. Et etiam cognosci quando ex delicto aliquo oriatur infamia, iuxta dicta *supra verb. Infamia n.*3. vel Irregularitas, iuxta *ibid.* dicta. Et quomodo procedendum à Iudicibus Regularibus in similibus casibus, iuxta dicta *supra verbo Iudex Regularis*. Pro quibus etiam vide alia dicenda *infra verbo Occultum*.

NOVITII, ET NOVITIÆ Regularium.

SVMMARIVM.

*De ipsis remissiuè. num.*1.
*Nouitij, in quibus Conuentibus recipiendi. num.*2.
*Quomodo Breue Sanctissimi D. N. Vrbani intelligendum. num.*3.
*Gratia faciendi nouam professionem illis, qui eam non emiserunt in Conuentibus approbatis à Sede Apostolica, quibus suffragetur. num.*4.
*Quid debeant prius facere. num.*5.
Quid de illis, qui è Religionibus exierunt ob Nouitiatum non habitum in Conuentibus approbatis. numero 6.
*Intentio Summorum Pontificum in Decretis de hac re, qualis. num.*7.
*De pœnis in illis designatis. num.*8.
*Quando censendus Conuentus approbatus pro Nouitiatu. num.*9.
*De receptione Nouitiarum. num.*10.
*De qualitatibus Nouitiorum. num.*11.
*Quid de illegitimis. num.*12.
*Quid de viris maioribus sexdecim annis. num.*13.
*De conditionibus Nouitiorum ex Clemente VIII. & SS. D. N. Vrbano. num.*14.
*Quomodo intelligendæ. num.*15.
*Decreta interdicentia professionem an censeri debeant illam irritantia. num.*16.
Decretum Sacræ Congregationis de propaganda fide. *num.*17.
*De aliis conditionibus Nouitiorum. num.*18.
*De conditionibus Nouitiarum. num.*19.
*De informationibus pro Nouitiis. num.*20.
*Pro quibus sint necessariæ. num.*21.
*Quomodo faciendæ. num.*22.
*Quid in casu quo certo constaret de qualitate recipiendorum. num.*23.
*An recipi debeant informationes pro receptione Nouitiarum. num.*24.
*De dispositione bonorum Nouitiorum, seu Nouitiarum. num.*25.
*De decisione Concilij Tridentini. num.*26.
*Qui Nouitij ipsa comprehendantur. num.*27.
*De licentia requisita à Concilio ad valorem talis dispositionis. num.*28.
*De bimestri à Concilio petito. num.*29.
*Testamentum, seu Codicillus an comprehendantur dispositione Concilij. num.*30.
*Quid de resignatione beneficij Nouitij. num.*31.
*Quando ratificetur renunciatio. num.*32.
*Nihil accipiendum de bonis Nouitij ante professionem, excepto, &c. num.*33.
*De priuilegiis Nouitiorum. num.*34.
*De excommunicatione imposita contra impedientes ingredi volentes Religionem. num.*35.
*De facultate absoluendi Nouitios. num.*36.
*De votis Nouitiorum. num.*37.
De dispensatione, & commutatione ipsorum. numero 38.
*Quid de voto arctioris Religionis. num.*39.
*Nouitij, quibus confiteri possunt. num.*40.
*Possunt eligere sepulturam. num.*41.
*An possint munus Confessarij exercere. num.*42.
An priuilegia Nouitiorum competant illis antequam habitum

habitum suscipiant. num. 43.
De obligationibus, & oneribus ipsorum. num. 44.
De aliis ad ipsos spectantibus. num. 45.

1 DE Nouitiis Religiosorum plura ex professo dixi *tom.* 1. *p.* 1. *cap.* 24. per totum. De Nouitiis autem Monialium eo *tom.* 1. *p.* 1. *cap.* 25. Et de vtrisque spatsim per totam hanc Summam. De illis tamen aliqua in præsenti discutienda, quæ ampliatione egent, propter noua præsertim SS. Congregationum Decreta, & declarationes, quæ de ipsis in dies exeunt. Videlicet primò de loco in quo recipi possunt. Secundò, de qualitatibus ipsorum. Tertiò, de informationibus pro ipsorum receptione faciendis. Quartò, de dispositione bonorum ipsorum. Quintò, de eorundem priuilegiis. Ac sextò, de illorum obligationibus.

2 Et quidem quoad primum, loquendo de Nouitiis Religiosorum, quamuis in iure communi stando possint in quolibet Conuentu, seu Monasterio recipi, nisi obstent particularia Statuta Religionum; imò ius recipiendi illos, ad Prælatos, & Conuentum pertineant, iuxta dicta *tom.* 1. *p.* 1. *cap.* 18. *num.* 66. de quo etiam Nauarrus *Consil.* 9. *de Constitut. num.* 12. Miranda *in Manual. tom.* 1. *quæst.* 15. *artic.* 1. *conclus.* 2. Vechius *de Nouit. disp.* 7. *dub.* 2. maximè Tamburinus *de Iure Abbat. tom.* 3. *disp.* 6. *quæsit.* 1. nihilominus constat ex dictis eo *cap.* 24. *num.* 23. propter Decretum Clem. VIII. innouatum à Sacra Congregatione Concilij sub Sanctiss. Domino Nostro Vrbano, non posse Religiones (quibusdam exceptis) intra Italiæ, & Insularum adiacentium fines in Nouitios aliquos recipere, nisi in Conuentibus auctoritate Apostolica approbatis, receptionesque, & professiones aliter factas, irritas omnino esse, & transgressores varias pœnas incurrere. Item postea, propter Motum proprium, seu Breue SS. Domini Nostri Vrbani eo *c.* 24. *num.* 24. relatum, haberi, vt ij, qui in Conuentibus non approbatis Nouitiatum iam pridem non fecerant, de nouo admitti posse ad professionem sine nouo nouitiatu, etiam in eadem antiquitate, & iure, sicut prius erant. Constat etiam ex dictis *numero* 24. quòd cum Sacra Congregatio cerneret plures Regulares ab Ordinariis locorum habitus, & professionis relaxationem postulare, sub prætextu quòd Nouitiatum non gessissent in Conuentibus à Sede Apostolica designatis, ipsique ordinarij facile prædictam relaxationem illis sæpius concederent, huic malo obuiare intendens ad Archiepiscopum Saccrensem in Sardinia scripsit, quatenus imposterum à talium Religiosorum relaxatione cessaret, nisi iuxta dispositionem Sacrorum Canonum, Concilij Tridentini, & aliorum Decretorum Sedis Apostolicæ. Imò quòd eos, quibus licentiam concessisset exeundi à Religione, ad eam reuocare quam primùm curaret. Similes etiam litteras ab eadem Sacra Congregatione scriptas ad Episcopum Casalensem refert Peyrinis *tom.* 3. *Priuileg. Minim. cap.* 12. *in Addit. ad Constitutionem* 7. *vel* 17. *Vrbani VIII. num.* 3. & alias ad Vicarium Capitularem Brixiæ refert Bordonus *Resolut.* 8. *num.* 24. Quia tamen hæc forsan ad notitiam aliorum Ordinariorum non peruenerant, ideo Sac. Congregatio Concilij sub anno 1636. iuxta dicta *tom.* 1. *p.* 2. *cap.* 8. *num.* 25. statuit, quòd si aliqui contra formam prædictorum Decretorum recepti, & professi è Religione infra quinquennium exire, vel Superiores extra eam respectiuè illos eiicere voluerint, annuente Sanctissimo, tam ipsi professi, quam Superiores respectiuè teneantur iura, quæ sibi fauere visa fuerint, prius deducere coram eadem Sacra Congregatione, quæ ex speciali etiam suæ Sanctitatis facultate super hoc concessa prouidebit. Inhibendo propterea Primatibus, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, & Prælatis inferioribus iurisdictionem exercentibus; ac quibuscunque Iudicibus Ordinariis, & Delegatis, etiam causarum Palatij Apostolici Auditoribus, & Sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, etiam de latere Legatis, Sedisque Apostolicæ Nunciis, ne in posterum in hoc quoquomodo se ingerant absque speciali eiusdem Sanctitatis commissione sub pœna ipso facto incurrenda, quoad Episcopos, Archiepiscopos, Patriarchas, & Primates Interdicti ab ingressu Ecclesiæ, quoad Abbates, Prælatos inferiores, ac alios Iudices prædictos excommunicationis latæ sententiæ, quo verò ad nuncios, & ad Sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de latere Legatos, indignationis suæ Sanctitatis, & pœnarum arbitrio eiusdem imponendarum. Item ibidem pro maiori cautela, contra delinquentes statuit, ac decreuit, quòd si iidem, vt supra, recepti, & professi, iuribus suis minimè deductis coram Sac. Congregat. Concilij, & sine illius expressa licentia è Religione exire, vel Superiores Religionis eos eiicere ausi fuerint, ipsi recepti, & professi tanquam Apostatæ puniantur, & pro talibus habeantur, necnon contra eosdem iuxta formam Decreti *de Regularibus Apostatis, & eiectis* eiusdem Sanctitatis suæ iussu ab eadem Sac. Congregatione sub die 21. Septembris 1624. editi procedatur, & Superiores, qui eiecerint pœnam suspensionis à diuinis, necnon priuationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebunt, ac perpetuæ inhabilitatis ad ea in posterum obtinenda, vocisque actiuæ, & passiuæ ipso facto absque alia declaratione incurrant. Extat etiam aliud Decretum eiusdem S. Congreg. eodem ann. 1636. subscriptum ab Eminentiss. Cardinali Verospio, & Illustriss. D. Paulucio Secretario apud Nouarium *in Lucerna Regularium* in fine, in quo statuitur, prædictos, qui habitum, & professionem in locis non designatis non habuerunt, audiri non posse transacto quinquennio.

Circa quæ, præter dicta eisdem locis, alia vlteriùs notanda propter plures, & quotidianas difficultates, quæ circa illa oriri solet in Italia, & in Insulis adiacētibus, vbi prædicta Decreta suum robur habent. Primò quidem, iuxta dicta eo *num.* 24. intentionem Sanctissimi in eo Breui, seu Motu proprio, eam proculdubio fuisse, vt prædicti Religiosi, qui Nouitiatum in Conuentibus non designatis egerant, non egrederentur, aut eiicerentur à Religionibus, sed potius professionem ratificarent. Hoc enim colligitur, tum ex ipso Breui, seu Motu proprio in principio, vbi pro ratione ipsius concedendi ait Pontifex, vt *in vocatione, qua vocauit eos Dominus permaneant.* Tum quia præcipit, Superioribus vt prædictos Religiosos *ad professionem denuo emittendam admittant.* Tum quia, vt ad id eos alliciat, post ratificatam professionem præcipit restitui ad priora iura, & habilitates, quas primò habebant, ac si prior professio fuisset valida. Tum denique, quia propterea Sacr. Congregat. in Decreto, & litteris relatis, prohibet facilem egressum dictorum Religiosorum. Bordonus *supra num.* 23. 45. & 50. §. *quinta ratio* contra quemdam Iurisconsultum ab ipso relatum. Nec obstat, quod talium professiones fuerint irritæ, & nullæ, vt constat ex Decretis adductis. Ex eo enim quod irritæ fuerint solùm sequitur teneri eos, qui ita professi sunt, etiamsi id omnino occultum fuerit, professionem denuo facere, vt illis conceditur in prædicto Breui, aut Motu proprio, vel si nolint id facere, causam prosequi in iudicio, iuxta formam, de qua postea. Quod si non fecerint, 3

grauissimè

grauissimè peccabunt, tum illudentes aliis, si defectus fuerit occultus, tum siue sit occultus, siue manifestus, vtentes iuribus, priuilegiis, commodis, & facultatibus propriis verè professorum, in grauissimum suarum, & aliorum conscientiarum, detrimentum. Cuius etiam peccati rei erunt Superiores id permittentes. Bonacina *de Clausura quæst.2. punct.10. difficult.1. numero 2. per totum.* Bordonus *supra num.44.* Quæ autem sint illa, quorum capaces, vel incapaces sunt huiusmodi nulliter professi, habebis *infra verbo Professio Regularium.*

4 Secundò nota, prædictam gratiam faciendi nouam professionem concessam à Sanctissimo præfatis Religiosis, qui suum nouitiatum in locis non designatis à Sede Apostolica non fecerunt, non solùm suffragari illis, qui in Religione permanserunt, sed, & illis quoque, qui post dictum Breue è Religionibus exierunt, & deinde ad illam reuersi denuò professionem expressam emiserunt. Ita enim declaratum est à Sacra Congregatione 15. Maij 1638. ad instantiam Reuerendiss. nostri Generalis Theodori Stratij, qui pro suæ Religionis zelo id dubium Sacræ Congregationi proposuit.

5 Tertiò nota, quòd nolentes vti dicta gratia à Sanctissimo illis facta de renouanda professione propterea quod suum nouitiatum in Locis non designatis peregerint, his temporibus post Decretum Sacr. Congregat. de anno 1636. supra relato, nullo alio modo exire possunt à Religionibus, nisi, provt in ipso Decreto habetur, priùs deduxerint coram eadem Sacr. Congregatione sua iura, & intra quinquennium. Nec possunt alij Ordinarij in hoc se intromittere sub pœnis in eisdem Decretis contentis. Ante ipsorum tamen editionem, etsi possent à Religionibus exire ob defectum prærequisiti nouitiatus, sed non alio modo, nisi causa deducta etiam infra quinquennium à professione ab ipsis facta coram Ordinario, & Prælato Religionis, iuxta dispositionem Concilij Tridentini *sess.25. de Regular.cap.19.* vbi sic. *Quicumque Regularis prætendat se per vim, & metum ingressum esse Religionem, aut etiam dicat, ante ætatem debitam professum fuisse, aut quid simile, velitque habitum dimittere, quacumque de causa, aut etiam cum habitu discedere sine licentia Superiorum, non audiatur nisi intra quinquennium tantum à die professionis, & tunc non aliter, nisi causas, quas prætenderit deduxerit coram Superiore, suo, & Ordinario.* Colligitur hoc primò ex litteris eiusdem Sacr. Congregationis ad Archiepiscopum Sacerensem superiùs relatis, in quibus illi præcipitur, vt nullum Religiosum ad sæculum, vel ad habitum sæcularem in posterum relaxaret, nisi iuxta dispositionem Sacrorum Canonum, Concilij Tridentini, & aliorum Decretorum Sedis Apostolicæ. Imò quòd eos, quibus licentiam concessisset exeundi à Religione, ad eam reuocare quam primum curaret. Secundò, ex litteris eiusdem Sacr. Congregationis ad Episcopum Cassallensem superiùs etiam relatis, vbi non solùm habetur id quod in litteris præcedentibus, sed etiam expresè dicitur, talem declarationem de nullitate professionis ob defectum Nouitiatus habiti in loco non designato à Sede Apostolica fieri non posse nisi seruatis seruandis conformiter ad dispositionem Sacrorum Canonum, & Decretorum Apostolicorum, ac maximè Concilij Trident. Tertiò ex litteris etiam relatis eiusdem Sacræ Congregationis ad Vicarium Capitularem Brixiensem, vbi non solum idem habetur, sed etiam reprehenditur ille Vicarius, eò quod contrarium fecerit. Ratio etiam est, quia cum Concilium eo loco formam præscripserit, quam seruare debent illi, qui sub prætextu inualidæ professionis à Religionibus exire prætendunt, vt patet ex illa particula *quicumque*, quæ vniuersalissima est, loquaturque de omnibus, & quibusque causis propter quas prætendi possit inualiditas professionis (loquor de illis, quæ important impedimentum temporale, & non perpetuum) vt patet ex illis verbis, *aut quid simile, & quacumque de causa*, proculdubio dicendum est, non potuisse Ordinarios locorum concedere licentiam prædictis Religiosis exeundi à Religione, & multo minus ipsos Religiosos ex seipsis id potuisse facere, nisi conformiter ad dictum Decretum. De quo latè dictus Bordonus tota illa *resolut.8. & 23.* contra prædictum Iurisconsultum. Vide, & Sanchez *libro 7. de Matrimon. disputat.37. quæst.4.* [Video etiam Sacram Congregationem Episcoporum & Regularium 15. Septembris 1634. in vna Panormitana præcepisse, ne Ordinarij transacto quinquennio se introducerent in causis nullitatis professionis sine facultate Sedis Apostolicæ.] Quales autem debeant esse hic loci Ordinarius, & Superior, coram quibus facienda erat reclamatio, & qualiter computandum illud quinquennium, constabit ex dicendis *infra verbo Professio Regularium.*

Ex quo colligi videtur, Regulares, qui post prædictum Breue, aut Motum proprium SS. D. N. Vrbani, siue etiam antea, è Religionibus exierunt sub prætextu nullitatis professionis, ob defectum Nouitiatus non habiti in locis designatis à Sede Apostolica, siue id fecerint propria auctoritate, siue etiam Ordinarij, non seruatis tamen omnibus conditionibus à Concilio in prædicto Decreto requisitis, securos in conscientia non esse, sed teneri ad Religionem regredi, ob non seruatam formam à Concilio. Nihilominus, quia potest dici præfatum Decretum Concilij, sicut, & alia, & litteras Sacr. Congregationis superius relata solùm loqui pro foro externo, non pro foro interno, ideo probabiliter satis dici potest contrarium, eo præsertim, quòd cum talium professiones irritas, & nullas declarauerit Clem. VIII. *ad quemcunque effectum*, vt patet ex verbis ipsius relatis dicto *cap.24.num.13.* nullam propter illas obligationem manendi in Religionibus in foro conscientiæ, scandalo, & aliis circunstantiis extrinsecis sublatis, contrahere potuerunt. Vt habet à simili Sanchez *lib.2. de Matrimon. disputat.39. num.11. & 16. lib.4. disput.15. num.5. & libro 7. disput.37. num.11.* post Sotum, Nauarrum, Angles, Henriquez, Rodriguez, & alios, & in terminis huius difficultatis tenet Bordonus *supra num.58. & 62.* Quo autem pacto id intelligendum, & an contra illud obstet, quòd plures saltem illorum professionem tacitam fecisse credantur, constabit ex dicendis *infra verbo Professio Regularium.* 6

Quartò nota, quòd iuxta dicta *tom.1. p.2. cap.8. num.26.* (quod etiam sequitur relatus Bordonus *d. resolut.8. numero decimonono*) intentio Summorum Pontificum esse videtur in dictis Decretis, vt Nouitiatus habeatur in locis designatis à Sede Apostolica, non verò quòd in illis solùm ad habitum recipiantur Nouitij, aut professionem emittant. Propter ibi dicta, & quia hoc est conforme fini intento ab ipsis in eisdem Decretis, qui est recta Nouitiorum educatio. 7

Quintò, circa pœnas in prædictis Decretis designatas, an scilicet ipso facto ante omnem declarationem incurrantur, & quis possit in illis dispensare, philosophandum est iuxta doctrinam generalem de similibus pœnis, quam tradidi *tom.1. p.1. c.10. à n.30. & cap.18. à num.46.* 8

Sextò

9 Sextò pro praxi Regularium nota, quòd si in aliquibus Monasteriis constet nouitiatum fuisse à tempore Clementis VIII. qui primus tale Decretum de non habendo Nouitiatu, nisi in locis designatis à Sede Apostolica edidit, continuatum sub bona fide, quòd talis Nouitiatus approbatus fuerit, etiamsi authenticè non constet de tali approbatione, credendum est illam factam fuisse, licet ob incuriam Religiosorum perditam. Peyrinis *tom.3.priuileg.Minim. cap.12. in Constit.7. alias 17. Vrbani VIII. num.1.* Vide alia specialiter pro Religione Clericorum Regularium Minorum, propter Breuia quædam Clement. VIII. & SS. D. N. Vrbani pro illis apud Nouarium *in Lucerna Regularium* ad finem.

10 Loquendo autem de receptione fœminarum in Nouitias, cum prædicta Decreta Clementis, & Vrbani non loquantur de ipsis, sed de viris tantum, standum est Iuri communi, quo cuilibet Conuentui, seu Monasterio cum Prælato immediato (nisi obstent particularia statuta Religionum) permittitur eas recipere. De quo Tamburinus *de Iure Abbatissarum disput.4. quæst.1.* Cum autem Abbatissæ, seu Priorissæ Monialium veræ Prælatæ non sint ob defectum capacitatis iurisdictionis, ideo, iuxta dicta *tom.1. part.1. cap.26. num.17.* ipsæ non possunt recipere Nouitias, sed hoc spectat ad veros Prælatos ipsorum Monasteriorum. Circa modum verò eas recipiendi obseruari debet is, qui præscriptus sit in particularibus statutis Religionum. Declaratum autem est à Sacra Congregatione, teste Gauanto *in Manuali Episcoporum verb. Monialium receptio num.30.* suffragia secreta Monialium debere maiorem capituli partem excedere, ad hoc vt receptio locum habeat. Ex qua declaratione habetur, tum Moniales recipi non posse, nisi per suffragia secreta Monasterij; tum talia suffragia affirmatiua debere excedere maiorem partem capituli. Tamburinus *supra num.4. & 5.* Declaratum etiam est à Sac. Congregatione, teste eodem Gauanto *supra n.34.* eum qui præbet habitum Moniali non propterea ingredi posse septa Monasterij. Insuper declaratum etiam est ab eadem Sacr. Congregatione, eodem quoque Gauanto *ibidem numero 39.* teste, Monialem Nouitiam collocandam esse in loco separato, intellige à professis.

11 Circa secundum de qualitatibus Nouitiorum, præter illas, quas specialia statuta Religionum decernunt, præcipuè animaduertendum, quòd Sixtus V. in Bulla *Cum de omnibus* sub anno 1587. iuxta dicta *tom.1. p.1. cap.24. num.12.* declarauit verbis ibidem relatis, criminosos, vel de crimine suspectos, & obligatos debitis, seu ratiociniis, recipi non posse in Nouitios. Circa quos, præter dicta eo *cap.24. num.16. & 17.* Nota primò, quod licet idem Pontifex in ea constitutione prædictos ad professionem inhabiles fecerit, illam irritam, & nullam declarando, his tamen temporibus, iuxta dicta *ibidem num.15.* standum est constitutioni Clementis VIII. eo loco relatæ, in qua nullitatem professionis illorum abstulit, saluis tamen pœnis contra eos recipientes inflictis ab eodem Sixto, quas eo loco retuli. Secundò notandum, quòd cum Sixtus eo loco expressè loquatur de iuuenibus maioribus sexdecim annis, vt patet ex illis verbis: *Iuuenes, aut viros adultos maiores sexdecim annis*; ideo si casus esset, quòd aliqui iuuenes non maiores sexdecim annis criminosi essent, aut debitis, & ratiociniis obnoxij, exclusi non essent ex vi dictæ constitutionis ab habitu Religionis. Et ita id tenet Sanchez *lib.7. de Matrimon. disp.37. quæst.4. num 10.* Nota tertiò, *per criminosos* intelligi, prout patet ex verbis Sixti eo *num.12.* relatis, eos, qui aliqua crimina, *qualia sunt homicidia, furta, latrocinia, vel alia similia, aut grauiora* commiserunt. Vnde qui minora crimina, aut etiam forsan illa sine scandalo, nota, aut infamia perpetrarunt, non videntur à Religionibus arceri. Portellus *in Dub. Regular. verbo Nouitij qualitates.* Vide alia circa illos eo *cap.24. num.16.* Suarez *tom.3. de Relig. lib.5. cap.7.* Sanchez 4. *in Decalog. cap.16. num.39.* Vechum *de Nouit. disp.2. dub.12.* & Peyrinis *tom.1. de Prælat. quæst.3. cap.1. num.7.* Nota quartò, per *suspectos* criminum intelligere Papam, prout etiam patet ex verbis eo *num.12.* relatis, eos *qui propterea damnati sunt, aut ne damnentur formident.* Portellus *supra num.16.* Circa obligatos autem, seu grauatos debitis, aut ratiociniis, vide dicta eo *cap.24. num.17.*

12 Declarauit etiam idem Pontifex Sixtus in eadem Constitutione, illegitimos recipi non posse ad habitum, & professionem, eorumque professionem inualidam, irritam, & cassam esse. Quia tamen, iuxta dicta eo *cap.24. num.21.* Gregorius XIV. & Clemens VIII. id moderati fuerunt, ideo tali moderationi his temporibus standum. Animaduertendum tamen primò, quod ad hoc, quòd huiusmodi defectus illegitimitatis impediat susceptionem habitus, non requiritur, quòd illum habens sit maior sexdecim annis, quia hanc conditionem solùm posuit Sixtus pro criminosis, obligatis debitis, &c. non pro illegitimis. Sanchez *dicto num.10.* Nota secundò, non omnes illegitimos prohiberi à Sixto V. ad habitum recipi. Etenim, vt patet ex d. Constitutione solùm in ea excludit illegitimos ex sacrilegio, vel incestu intra tertium gradum consanguinitatis, vel affinitatis, & ad habitum Clericorum, alios verò illegitimos recipi posse concedit, etsi sub certis conditionibus ibi designatis. Peyrinis *supra num.4.* Imò idem Pontifex in alia constitutione *Ad Romanum* declarauit illegitimè natos ex iis parentibus, inter quos tempore, quo ipsi geniti sunt matrimonium consistere poterat, sequuto postea matrimonio legitimos effectos, sub dicta constitutione minimè comprehendi.

13 Statuit etiam idem Pontifex in eadem constitutione *Cum de omnibus*, non posse recipi prædictos viros maiores sexdecim annis, nisi constet ipsos, non humana aliqua ratione, sed tantum deuotionis, & pietatis feruore vitam Religiosam spontè, & ex animo elegisse. Sed notat Portellus *supra num.21.* ex Rodriguez, hanc vltimam conditionem non poni à Sixto tanquam obligatoriam, sed tanquam de consilio, & ad maiorem perfectionem. Quod, etsi certum non sit, probabilitate tamen non caret.

14 Præter dictas conditiones, seu qualitates pro recipiendis Nouitiis à Sixto V. assignatas, postea Clemens VIII. in Decretis *pro Reformatione Regularium* à Sac. Congregatione sub SS. D. N. Vrbano approbatis, & innouatis, dum sermo est de institutionibus *super receptione, & educatione Nouitiorum*, sic habetur. *Quod attinet ad Nouitiorum recipiendorum formam, vltra diligentem perquisitionem, quæ habenda erit de vniuscuiusque Natalibus, corporis habitudine, moribus, & vita ante acta, ac præcipuè eorum, qui sextum decimum ætatis suæ annum excedent, an criminosi, an ære alieno grauati, vel reddendæ alicuius administrationis rationi obnoxij sint, iuxta formam Constitutionis felic. recordat. Sixti V. & moderationum subsequutarum. Illud etiam Superiores, ad quos spectabit, sedulò perquirant, vt, quibus in Monasteriis, & Conuentibus ex Apostolica facultate Nouitiatus fuerint instituti, in iis ad Religionem nullus in posterum admittatur, qui & ex honestis parentibus natus non sit, & conditiones Sacris Canonibus,*

Summorum Pontificum Constitutionibus præscriptas non habeat, iuxta Decretum super forma recipiendi Nouitios die 19. Maij 1602. editum. Quisque recipiendus in aliquo Ordine Regulari, etiam Mendicantium, in ea sit ætate constitutus quam eius Ordinis, in quo recipiatur, Regularia instituta, & ordinationes requirunt. Eam verò litterarum scientiam calleat, aut illius addiscendæ spem indubiam præseferat, vt minores, & suis temporibus maiores Ordines, iuxta Decreta Sacri Concilij Tridentini suscipere valeat. Sed si quis annum vigesimumquintum excedens ad habitum regularem admitti postulauerit, & talis eruditionis expers inuentus fuerit, in Conuersorum tantùm, quibus litterarum scientia non est necessaria, numerum referatur. Ipsi autem Conuersi non recipiantur ante vigesimum ætatis suæ annum, & nisi saltem præcipua doctrinæ Christianæ capita nouerint. Demum Superiores diligenter exquirant quo spiritu, qua mente, ac voluntate id Regularis vitæ genus elegerint, quem sibi finem proposuerint: num Zelo melioris frugis, ac perfectionis vitæ, & vt Deo liberiùs famulari possint, an potius leuitate, vel humano aliquo affectu, aut inordinato animi ducantur, & an eorum parentes ope, & subsidio ipsorum indigentes destruantur.

15 Circa quæ nota primò, ea solùm videri instituta esse pro Nouitiatibus à Sede Apostolica approbatis, quales sunt in Italia, & Insulis adiacentibus, prout colligitur, tum ex titulo horum Decretorum, tum ex illis verbis *quibus in Monasteriis, & Conuentibus ex Apostolica facultate nouitiatus fuerint instituti.* Secundò, circa ætatem ibi assignatam pro recipiendis Nouitiis, siue Choristis, siue Conuersis. Vide dicta *supra verbo Ætas.* Tertiò, illa verba, *Superiores diligenter exquirant quo spiritu, qua mente, &c.* videri explicari posse sicut, & alia similia. Sixti V. de quibus *supra numero decimotertio.* Quartò, circa illa, *an eorum parentes, &c.* notari debere ea, quæ dixi *tomo primo part. 1. capit. 2. numero decimotertio, & capit. 24. num. 40.*

16 Maximè notandum tam pro huiusmodi Decretis, quam pro aliis quibuscumque Religionum Statutis, in quibus ordinatur, ne ad habitum, seu professionem admittantur, nisi qui tales, vel tales conditiones habuerint, quòd talium admissio ad habitum, seu professionem nunquam debeat censeri irrita aut nulla, nisi prædictis Decretis, seu Statutis id expresse declaretur. Primò, à simili de matrimonio contracto contra interdictum, seu prohibitionem sine Decreto irritante, vt colligitur ex *cap. 2. de matrimon. in fine.* Valet enim argumentum à matrimonio carnali ad spirituale *capit. viduas autem cap. hæ vero. capit. quæ Christo 27. quæstione 1.* in quibus locis professio dicitur matrimonium spirituale. Syluest. *in Summa verbo Matrimonium 7. quæstione 1. dicto 3.* Sanchez *libro 7. de Matrimon. disputatione 2. numero 10. & 11.* Secundò, ex declarationibus Sacr. Congregationis, quas referunt Armendariz *in additionib. ad recopilat. leg. Nauarr. libro 2. titul. 18. libro 7. de Relig.* & Barbosa *de Offic. & potestat. Episcop. allegat. 101. numero 15. & in Collectan. Bullar. verbo professio Regularis 2.* Ex quibus habetur, professiones emissas in Ordinibus Sanctiss. Trinitatis, & Minimorum contra statuta ipsorum sine clausula annullante, seu irritante, validas esse. Miranda *in Manual. Prælator. parte prima quæst. 24. artic. 2. concl. 2.* Bordonus *supra num. 8.* Quæ dixerim præcipuè propter prohibitionem factam à Clem. VIII. in Decretis relatis de non recipiendis Conuersis ad habitum, vel professionem ante 20. & 21. annum ætatis. Cum enim ibi non ponatur clausula irritans, ideo sæpius respondi talium receptionem, & professionem validam esse. Quid autem dicendum casu quo talia Statuta fierent cum clausula, *non potest,* aut *non possunt,* collige ex iis, quæ dixi *supra verbo Leges Regularium num. 47.*

Hic etiam repetendum Decretum S. Congregationis *de propaganda fide*, quod retuli dicto *cap. 24. numero 44.* illud enim vtilissimum est pro Ecclesiæ Sanctæ dilatatione, & Religionum honore. In eo namque admonentur Generales omnes, annuente SS. Domino Nostro Vrbano; vt præter studia linguarum aliàs à Sac. Congregatione Regularibus indicta, speciali sub Decreto præcipere velint, vt in Nouitiorum receptionibus in posterum faciendis, aliqui semper ex variis nationibus, & linguis, pro modulo tamen suarum Religionum, vna cum aliis, qui hactenus recipi consueuerunt, ad habitum assumantur, qui peracto studiorum cursu, & in simplici Sacerdotio constituti, & Episcopali dignitate ornati, ad eorum Prouincias propagandas fidei gratia mitti possint. 17

De aliis qualitatibus, seu conditionibus pro nouitiis requisitis dixi *tom. 1. p. 1. cap. 2. & 24.* Etenim, quòd sexus virilis requisitus sit pro ipsis inter viros Religiosos recipiendis, dixi eo *cap. 2. num. 20.* vbi etiam quid dicendum de hermaphroditis. Similiter, qualiter seruitus impediat ingressum in Religionem, dixi eo *cap. 2. num. 21. & cap. 24. num. 20.* De morbo, senectute, aut impotentia ad seruandam Regulam, & de dementia, dixi eo *cap. 2. num. 22. 23. & 24.* Similiter quòd furiosi, aut mente capti admitti non possint ad Religionem eo *cap. 24. num. 18.* vbi etiam *num. 19.* quid de coniugatis sentiendum sit. De quibus etiam omnibus alia dicentur *infra verbo Professio Regularis.* 18

Loquendo de conditionibus, seu qualitatibus requisitis pro fœminis in nouitias inter Moniales recipiendis, cum prædicta Decreta, & constitutiones Sixti quinti, & Clementis VIII. solùm sint pro viris, ideo quoad illas standum est particularibus statutis Religionum, & dictis *tom. 1. p. 1. cap. 25. & 26.* & *supra verbo Moniales.* 19

Circa tertium de informationibus pro nouitiis recipiendis constat ex dictis eo *c. 24. n. 12. & 13.* quod licet Sixtus V. in dicta constitutione *Cum de omnibus*, & in alia *Ad Romanum Pontificem* formã dederit pro illis faciendis, postea tamen Gregorius XIV. in Bulla *Circumspecta* prædictas constitutiones Sixti V. moderatus fuit. Qua moderatione, & priuilegiis adductis *ibidem num. 14.* his temporibus Religiosi vtuntur. Quia tamen ea supponunt quoad multa dictas constitutiones Sixti V. ideo aliqua de illis dicendum. 20

Et primò quidem, stando in vi dictarum constitutionum, dictæ informationes non sunt necessariæ ad receptiones Religiosorum transeuntium de vna Religione ad aliam, quia in illis solum est sermo de sæcularibus volentibus fieri Religiosos. Rodriguez *tom. 3. quæst. Regular. quæstione 10. artic. 13.* Vecchius *de nouit. disputat. 6. dub. 6.* Portellus *supra verbo Nouitij informationes numero 8.* Secundò, nec sunt necessariæ pro recipiendo eiecto, siue expulso à Religione, à qua fuit eiectus. Quia Pontifex loquitur de purè sæcularibus, & de primo ingressu ad Religionem. Portellus *supra num. 9.* Quæ vero obseruare debeat Religio pro receptione suorum eiectorum, consule dicta *tom. 1. p. 1. cap. 23.* præsertim *n. 7.* Tertiò, nec videntur faciendæ pro ingressu ad Religionem illorum, qui sub prætextu nouitiatus habiti in locis non designatis à Sede Apostolica pro Italia, & Insulis adiacenti- 21

adiacentibus (iuxta dicta supra) ab ea recesserunt, maximè si in habitu clericali vixerunt, quia dicta constitutio loquitur de merè secularibus. Bordonus *dicta resol.8.num.64*. Secus dicens, si in habitu sæculari per multum tempus vixerunt, cum potuerint fieri criminosi, & obnoxij debitis ratiociniis. Quartò, nec esse necessarias pro receptione iuuenum, qui non sunt maiores sexdecim annis, communiter tenent Doctores, eò quòd Pontifex in dicta constitutione *Cum de omnibus* id exprimat illis verbis, *maiores sexdecim annis* (Suarez *tom.3. de Relig. lib.5. capit.10. numero 11.* Rodriguez. *supra.* Miranda *tomo primo Manual. quæstione 21. artic.1.conclus.3.* & alij.) Cæterum licet id verum sit ex vi constitutionis Sixti, nihilominus stando in Decretis Clementis VIII. approbatis à Sacr.Congregat. sub Sanctiss.Dom.Nost. Vrbano, de quibus *supra num.14.* fieri etiam debent etiam de his, qui dictum 16. annum non excedunt. Quod colligitur ex verbis illis ibi adductis *præcipuè eorum, qui 16. ætatis suæ annum excedent, an criminosi, &c.* vbi particula illa *præcipuè*, exprimit casum minus dubium. Barbosa *de dict. dict.220. n.1. & dict.168.num.1.* Rodriguez *tom.1.quæst. Regular. quæst.100. artic.2. vers. Circa quam.* Menochius *de arbitr.lib.2.casu 416.num.19.* Peytinis *sup.dict.cap.1. num.10.* Cum autem iuxta dicta *supra num.15.* prædicta Decreta solum sint pro nouitiatibus in Italia, & Insulis adiacentibus à Sede Apostolica approbatis, ideo in aliis locis standum erit constitutioni Sixtinæ. Quintò nota, prædictas informationes debere esse iuridicas, nimirum factas per duos, aut tres testes iuratos, qui iurent talem recipiendum in nouitium à se bene cognitum, non habere aliquem ex impedimentis contentis in præfatis constitutionibus. Ratio est, quia aliàs non facerent fidem, aut probarent intentum *capit. tuis, & capit. nuper de testibus.* Suarez *supra.* Miranda *supra art.3.conclus.4.* Vecchius *supra dub.2.* Non sufficit autem quòd testes generaliter dicant se nescire in nouitios recipiendos esse comprehensos in dictis constitutionibus; hæc enim negatio nihil probat. Tamburinus *de Iure Abbatum tom.3. disp.6. quæsito 4. num.4.* Possunt autem tales informationes, stando in dicta constitutione Sixti fieri, siue per Iudices Ecclesiasticos, siue per sæculares, siue ad instantiam Religionis, siue ad instantiam recipiendi in nouitium. Pontifex enim solùm vult, quod fiant, non determinando modum, vt patet ex illis verbis *accurata informatione, & fide digna relatione compertum, &c.* Rodriguez *supr.art.2.* Miranda *supr.art.3.conclusione 1.* Vecchius *sup.dub.2.* Portellus *supra verbo Nouitij informationes num.3.* Nota sextò, quòd, iuxta dicta eo *cap.24.num.15.* licet omissio harum informationum irritam redderet professionem propter dictam constitutionem Sixti V. quia tamen Clem.VIII. illam reduxit ad terminos iuris communis, saluis semper pœnis contra transgressores inflictis, ideo licet professio sequuta sine illis valida sit, Prælati tamen illam dantes incident in pœnas à Sixto quinto positas, quas eo *num.15.* retuli. In Conuentibus etiam designatis à Sede Apostolica incident in pœnas, quas Clem.VIII. in Decretis relatis imposuit. Probabile autem est, iuxta dicta eo *num.15.* quod prædictas pœnas euadent recipientes sine dictis informationibus nouitios, qui re vera carent defectibus designatis in Constitutione Sixti V. eo quòd illa solùm videatur ligare Prælatos recipientes nouitios ligatos à parte rei talibus impedimentis: sicut etiam euadent illas illi Prælati, qui bona fide receperunt nouitios à parte rei habentes tales defectus, qui tamen per informationes factas comperti non apparuerunt. De quo Rodriguez *tom.3.q.54 art.4.* Portellus *supra num.6.* Vecchius *supr.disp.7.dub.5.* Diana *p.3.tract.2. resol.83* & alij.

22 Faciendæ porro sunt prædictæ informationes in vi dictæ Constitutionis Sixti quinti de illis, quæ idem Pontifex ibidem assignat, scilicet, quod nec aliquorum criminum, qualia sunt homicidia, furta, latrocinia, vel alia similia, aut grauiora, rei, vel suspecti existant, vt propterea damnati sint, aut ne damnentur formident, neque ingenti ære alieno supra vires facultatum suarum grauati, vel reddendis ratiociniis ita obnoxij, vt ex huiusmodi causa, lis, vel molestia eis iam illata, vel timendum sit, quòd inferatur; nisi denique constet ipsos non humana aliqua ratione, sed tantùm deuotionis, & pietatis feruore vitam Religiosam spontè, & ex animo elegisse. Faciendæ etiam sunt in Conuentibus à Sede Apostolica pro Italia, & Insulis adiacentibus designatis de illis, quæ Clemens VIII. in Decretis adductis *num.14.* requirit. Insuper faciendæ sunt de legitimitate, vel illegitimitate recipiendorum, non solùm pro prædictis Conuentibus à Sede Apostolica deputatis, propter illa verba Decretorum Clem. VIII. *De vniuscuiusque natalibus*, sed etiam generaliter pro tota Ecclesia. Etsi enim Gregorius XIV. anno 1591. in Constitut. *Circumspecta*, moderando constitutiones Sixti V. fecerit habiles ad Religionem quoscunque illegitimos, etiam illos, quos Sixtus excluserat, vt retuli *supra n.12.* addit tamen: *Ita tamen, vt cum de recipiendis quomodocumque illegitimè natis, ad habitum, & professionem Ordinum quorumcunque agetur, ij ad quos huiusmodi receptiò spectat, præter alia, de quibus ex dictarum Constitutionum præcepto circa quoscunque etiam legitimos disquirere debent, diligenter eorum vitam, & mores inquirant, & ita demum recipiant, si tamen bonam indolem, & virtutis specimen præseferant, ac tot eis merita suffragentur, vt Natalium suppleant defectum, eorumque receptio Religionis commodo, & vtilitati profutura videatur. Et super hoc ipsi ij, ad quos, vt dictum est, pertinet huiusmodi receptio, matura deliberatione habita, ita censuerint, & iudicauerint.* Subiungit Pontifex. *Dummodo tamen filius illegitimus in Religione, in qua pater, siue ante, siue post natiuitatem dicti filij professus fuerit, ipso patre viuente non admittatur, quod prohibemus.* Ad minus ergo fieri debent prædictæ informationes de legitimitate recipiendorum ad hoc quod constet an in illis reperiantur conditiones assignatæ à Gregorio. Nota etiam obiter, quòd quamuis ipse prohibuerit verbis assignatis, quòd illegitimus non admittatur in Religione, in qua eius pater professus est, non tamen propterea irrita erit ipsius professio, cum Pontifex solum posuerit verba prohibitiua, non tamen clausulam irritantem. Rodriguez *tom.3.q.10.art.5.* Miranda *tom.1.q.19.art.3. conclus.3.* Bordonus *supra resol.12. num.18. & 19.*

Si autem quæras an etiam in casu, quo certò, & euidenter constat, cum, qui recipi vult ad Religionem, carere prædictis defectibus, eò scilicet, quia inter Religiosos, vel apud illos enutritus est, necessariæ sint prædictæ informationes. Respondeo, satis mihi probabile esse eas tunc non requiri, nec in foro conscientiæ, nec in foro externo. Ratio est, non solùm, quia in prædicto casu cessat adæquatè finis Constitutionum præcipientium fieri tales informationes, sed etiam quia, quæ clara sunt examinatione non indigent. *cap. manifesta 2. quæst. 1.* Et in notoriis iuris ordinem non seruare ordo est. *cap. ad nostram 3. de iure iurando. capit. quoniam de fil. Presbyt.* Vecchius *supra disput.6. dub.1. num.6.* Nec dissentit Diana *d. tract.2. resolut.82.* 23

Cum

24 Cum verò in huiusmodi Pontificiis Constitutionibus, seu Decretis requirentibus prædictas informationes solùm sit sermo de nouitiis viris, non de fœminis in Moniales recipiendis, ideò pro istis obseruari tantùm debent statuta, & consuetudines particularium Religionum, iuxta dicta *tomo primo parte 1. cap.25. num.52.* Quibus consonat declaratio quædam Sacr. Congregationis, quam refert Barbosa *in Collectan. Bullar. verbo Monialis* vbi sic: *Moniales illegitimo thoro procreatæ constitutione felic. recordat. Sixti V. contra Regulares illegitimos edita non comprehenduntur, quo minus ad officium, aut dignitatem Abbatissæ, vel Priorissæ, aliave Monasterij munia eligi possint.* [Quod verò præfatæ informationes non omnino requirantur pro illis qui ex remotissimis partibus ad religionem petunt admitti, sed sufficere pro illis quod diligentia aliqua adhibeatur ad dignoscendum an habeant aliquod impedimentum constat ex dictis *tom.1. p.1. cap.24. num.12.* ex Bulla Sixti V. ibi relata. Hæc verò diligentia sufficiens videtur si ingressurus Religionem iuret se illud non habere, aut quod illi cum quibus conuersatus est id testificentur pro tempore quo illum agnouerunt. Bartholomæus de Vecchiis *in prax. nouitior. disp.6. dub.5. num.3.* Tamburinus *de Iure Abbat. tom.3. disp.6. quæsit.5. num.6.* Vide & Rodriguez *tom.3. quæst. Regul. quæst.10. art.13.*]

25 Circa quartum de dispositione bonorum nouitiorum, seu nouitiarum, præter dicta *tom.1. p.1. c.24. à num.32.* alia addenda pro maiori discussione materiæ. Occasio autem sumitur ex Concilio Tridentino *sess.24. de Regular. cap.16.* vbi de illis sic dicitur: *Nulla quoque renunciatio, aut obligatio antea facta, etiam cum iuramento, vel in fauorem cuiuscunque causæ piæ valeat, nisi cum licentia Episcopi, siue eius Vicarij fiat, intra duos menses proximos ante professionem, ac non aliàs intelligatur effectum suum sortiri, nisi secuta professione, aliter verò facta, etiamsi cum huius fauoris expressa renunciatione, etiam iurata, sit irrita, & nullius effectus.*

26 Circa quam Concilij decisionem nota primò, illa comprehendi tam nouitios, quàm nouitias, vt patet, tum ex contextu, tum ex *c.5.* præcedenti. Non tamen comprehenduntur puellæ, quæ educationis, & solius institutionis gratia in Monasterio recipiuntur, quia nec sunt nouitiæ, nec de illis agit Concilium. Azor. *tom.1 instit. moral. lib.13. cap.9. quæst.2.* Sanchez *l.7. in decal. cap.5. num.5.* Ita etiam refert declaratum à S. Congreg. Barbosa *in prædict. locum Concilij num.1.*

27 Quòd etiam non comprehendantur nouitij Societatis Iesu, colligi videtur ex eodem Decreto Concilij, vel ad minus ex consuetudine, & constitutionibus huius Religionis à Sede Apostolica approbatis id habetur. De quo Rodriguez *tom.2. quæst.47. art. vlt.* Molina *tom.1. de iustitia disp.139.* Lessius *lib.2. de iustitia cap.41. dub.4. num.41.* Barbosa *de offic. & potest. Episcop. allegat.99. num.32.* An verò comprehendantur soli actu nouitij, aut nouitiæ, an etiam illi, vel illæ, qui tales esse volunt, dixi eo *c.24. num.34.* vbi etiam quòd decisio Concilij procedit de omnibus nouitiis, siue maioribus, siue minoribus 16. annis.

28 Circa licentiam, quæ ex Concilio requiritur ad validitatem dispositionis bonorum nouitij, seu nouitiæ, iam dixi eo *num.35.* debere esse datam ab Episcopo, vel eius Vicario. Adde Capitulum Sede vacante posse illam concedere, quia succedit in omnem ordinariam iurisdictionem Episcopis competentem. Sanchez *supra num.67.* Vechius *de nouit. disput.8. dubio 9. numero 2.* Idem dico de Abbatibus, & aliis Prælatis habentibus iurisdictionem quasi Episcopalem, nullique Episcopo subiectis, propter eamdem rationem. Barbosa *de offic. & potestat. Episcopi allegat.99. num.6.* ex Sanchez, & Vecchio relatis. Prælati autem Regulares in Monasteriis exemptis, & sibi subiectis eam licentiam concedere non possunt, quia Concilium Episcopi licentiam petit. Rodriguez *tom.2. quæst. Regular. quæst.47. art.14.* Sanchez *supra num.74.* Barbosa *supra num.7.* Similiter id, quod dicit Concilium de Vicario Episcopi, intelligendum est de Vicario generali, non de Vicario Foraneo, nisi expressam facultatem ad hoc habeat. Tamburinus *de Iure Abbatissarum disput.4. quæsit.10. num.3.* ex Sanchez, Vecchio, & Bartholomæo à S. Fausto. Renunciationem autem factam sine prædicta licentia, irritam esse, & nullam, habetur non solùm ex ipso Concilio verbis relatis, sed ex Rotæ decisione in vna Romana *fideicommissi* 1624. coram Domino Pirouano. Tamburinus *supra.* Non tamen requiri quòd talis licentia sit in scriptis, cum Concilium id non petat, nec satis esse fuisse petitam, si non fuit obtenta, & sufficere eam tacitè esse habitam ex ratihabitione de præsenti, tradit Barbosa *supra num.10.* ex Sanchez, & Vecchio relatis.

Circa bimestre illud à Concilio petitum ad hoc quod renunciatio valida sit notandum primò, non requiri, vt talis renunciatio fiat integro bimestri ante professionem, sed satis esse, vt toto eo bimestri fiat, quamuis immediatè ante professionem. Propter dictionem illam *intra*, qua vtitur Concilium. Sanchez *supra num.80.* Bartholomæus à S. Fausto *in Thesauro Relig. lib.5. quæst.192.* Secundò, hoc bimestre computandum esse de momento ad momentum, & secundum quod occurrit mensis in Kalendario. Sanchez *supra num.81.* Vecchius *supr. dub.9. num.5.* Tertiò, quod renunciatio facta solùm per diem ante dictum bimestre non valet, prout decisum esse à Sacr. Congregat. referunt Aldana *in Compendio Canonicarum resolutionum lib.4. tit.3. num.8.* & Tamburinus *supra num.5.* Quartò, quod si contingat professionem differri ex quacunque causa, dummodo renunciatio facta sit intra bimestre antequam professio facienda erat, valida erit, quia cum lex ea, quæ frequentius contingunt spectet (*l. nam ad ea ff. de legib.*) & professio, attento iure, & frequentius, fiat completis ætate debita, & anno nouitiatus, Decretum hoc petens renunciationem fieri bimestri ante professionem, intelligendum est de bimestri proximo tempori, quo regulariter professio fieri debet. Item, quia in hac renunciatione saluatur omnino mens Tridentini, quæ fuit ne temerè feruore vocationis ductus Nouitius renunciet, sed quando debita maturitate expertus est decem mensibus Religionis austeritates. Sanchez *supra num.82.* & ex ipso Barbosa *supra num.1.* & Tamburinus *num.7.* Fauentque decisiones factæ de hac re, quas referunt Armendariz *in Addition. ad recopil. leg. Nauarræ l.2. tit.18. libr.7. de Relig. num.18. & sequentibus*, Aldana, & Vechius *supra.* Quintò, quòd si post lapsum annum probationis, professione tamen non emissa, fiat renunciatio per duos menses ante professionem, adhuc valida erit. Sic enim etiam refert decisum. Aldana *supra n.12.* & ex eo Tamburinus *supra.* Sextò, quod cum Nouitij, & Nouitiæ secundum præsentẽ statum sint personæ Ecclesiasticæ, ac per consequens legibus laicalibus non subiectæ, ideo quoad prædictas renunciationes subiecti non sunt formæ præscriptæ per laicalia Statuta. Ita enim declaratum dicitur à S. Congregatione, teste Aldana *supra num.11.* & à Rota in vna Parmensi 29

Parinensi *transactionis* 1627. coram Domino Duran. Tamburinus *supra num.*7.

30 Non comprehendi dicta dispositione Concilij testamentum, codicillum, & quamcumque aliam voluntatem reuocabilem, nec etiam donationes, & eleemosynas parui momenti, aut ea, quæ dari solent pro sustentatione Nouitij, vel nouitiæ tempore nouitiatus, & alia huiusmodi, constat ex dictis eo *cap.*24. *num.*35. Comprehenduntur tamen omnes dispositiones, seu contractus irreuocabiles, quibus nouitij, seu nouitiæ priuant se suis bonis, ita vt propterea impediantur ab egressu à Religione, quam inchoauerant, & cogantur in ipsa profiteri, eò quòd suis bonis se spoliauerint; hoc enim est contra intentionem Concilij volentis consulere libertati illorum, iuxta dicta eo *cap.*24. *à num.*33. Vnde comprehenduntur sub dicta dispositione donationes inter viuos à nouitiis factæ, renunciationes officiorum publicorum, fidei iussiones, & liberationes, quibus suos tutores, aut Curatores à reddendis ratiocinationibus eximerent. Quia hæc omnia sunt contra intentionem Concilij, cùm propterea cogi possint ad non egrediendum è Religione. De his Sanchez *dicto cap.*5. *per totum.* Vechius *supra disputat.*8. Barbosa *dicta allegat.*99. Tamburinus *dicto quæsito* 10. & alij plures. [Maximè etiam circa dicta eo *cap.*24. *numero* 34. scilicet, in hac decisione Concilij non comprehendi nisi solùm actu nouitios, non verò illos, qui nouitij esse volunt, & intuitu Religionis suis bonis renunciant, notanda est declaratio Sacræ Congregationis quam referunt Menoch. *in addit. ad lib.*2. *de arbitr. iud. cas.*436. *num.*3. & Tamburinus *de Iure Abbat. disp.*6. *quæs.*10. *num.*6. Cum enim quæsitum esset à Sacra Congreg. quid sentiendum in casu quodam cuiusdam Annæ de Cagnolis, quæ postquam donationem fecit partis suorum bonorum ingressa est postea in Monasterium, ibique professionem emisit Sacra Congregatio censuit *Decretum Concilij Tridentini cap.*16. *sess. de Regularib. non habere locum in renunciatione facta ante susceptionem habitus.* Et ita conformiter ad hanc decisionem, tenent præfatam sententiam non solùm Passarellus, Sanchez, & Portellus, quos eo loco retuli, sed etiam Vega, Garcia, Gratianus, Azorius, Naldus, Villalobos, & alij, quos refert, & sequitur præfatus Tamburinus *supra*]

31 Specialiter etiam quoad nouitios viros, dicendum, prædictam Conciliarem dispositionem habere quoque locum in resignatione beneficij Ecclesiastici, ita vt illud renunciari non possit à nouitio, nisi cum solemnitatibus adductis à Concilio. Ratio est, tum quia Decretum Concilij vniuersaliter loquitur de renunciatione bonorum nouitij, Beneficia autem Ecclesiastica sunt etiam quædam bona: tum etiam, quia finis Concilij in hac quoque renunciatione locum habet sicut in renunciatione bonorum temporalium, non enim minus aufertur libertas nouitij egrediendi à Religione, si Beneficio suo renunciauerit, quam si aliis bonis temporalibus. Azor. *tom.*2. *Instit. Moral. lib.*7. *cap.*20. *quæst.*6. Suarez *tom.*3. *de Religione lib.*5. *cap.*16. *num.*12. Sanchez *supra à num.*36. & plures alij, quos refert Barbosa *supra à num.*19. quorum aliqui dicunt pluries ita decisum esse. Etsi ipse Barbosa sequatur Nicolaum Garziam *de Beneficiis part.*11. *cap.*9. *à num.*12. oppositam sententiam tenentem. Apud quos etiam aliæ.

32 Quamuis autem, iuxta dicta eo *cap.*24 *num.*36. donationes, seu renunciationes à nouitiis factæ cum solemnitate petita à Concilio non sortiantur suum effectum, nisi realiter sequuta professione, imò & valida professione, vt ibi etiam dixi, casu tamen quod professio nulla sit, & inualidè emissa, si postea ratificetur, statim censetur ratificata renunciatio, & reualidata. Riccius *in decisionibus Curiæ Archiepisc. Neapolit. decis.*146. *part.*4. Tamburin. *supra quæsito* 12. *num.*2. Quod etiam pro pluribus casibus admittit Sanchez *supra num.*56. Pro casu etiam quòd professio inualida esset ex eo solùm quod annus Nouitiatus peractus non sit in Conuentibus à Sede Apostolica, designatis pro Italia, & Insulis adiacentibus, iuxta dicta *supra à num.*2. ratificata, seu reualidata tali professione, etiam ratificari censetur renunciatio facta cum solemnitatibus à Concilio requisitis. Ita enim clarè colligi potest ex Motu proprio, seu Breui SS.D.N. Vrbani eo loco relato; vbi concedens Prælatis, seu Superioribus Generalibus Ordinum, vt prædictos, qui Nouitiatum in locis assignatis non peregerunt, subindeque, professionem inualidam emiserunt, ad professionem de nouo emittendam admitterent, quæ illis in vtroque foro suffragetur, eósque restituerent ad pristinum statum, subiungit Pontifex: *Necnon omnes actus, seu contractus, quos contraxerunt, & legitimè contraxissent, vel cum laicis, & aliis Monasteriis, seu alterius religionis viris, si nullum aliud vitium paterentur, vel defectum, nisi ex eo solùm, quia initi, aut contracti sunt inualide ab iis, qui contra dictam Constitutionem in domibus non designatis, seu ab eadem Sede non approbatis professi sunt, auctoritate nostra prædicta confirment, & approbent, ac validos omnino declarent, super quibus omnibus, & singulis plenam, & amplam facultatem dicta auctoritate tenore præsentium tribuimus, & impertimur.* Bordonus *dicta resol.*8. *num.*31. & 40.

Consequenter etiam ad dictam decisionem Concilij, in eodem cap. sic etiam subiungitur: *Sed neque ante professionem, excepto victu, & vestitu Nouitij, vel Nouitiæ illius temporis, quo in probatione est, quocumque prætextu à parentibus, vel propinquis, aut curatoribus eius Monasterio aliquid ex bonis eiusdem tribuatur: ne hac occasione discedere nequeat, quod totam, vel maiorem partem substantiæ suæ Monasterium possideat: nec facilè si discesserit, id reuocare possit: quia potius præcipit Sancta Synodus sub anathematis pœna dantibus, & recipientibus, ne hoc vllo modo fiat, &, vt abeuntibus ante professionem omnia restituantur quæ sua erant, quod vt rectè fiat, Episcopus etiam per censuras Ecclesiasticas si opus fuerit compellat.* Circa quod Decretum, præter dicta eo *cap.*24. *num.*32. notanda declaratio quædam Sac. Congregationis, quam refert Barbosa *in Collectan. Bullarij verbo Nouitius* in qua dicitur; *Nouitij patrem non potuisse dare paramentum Altari Monasterij vbi filius erat in nouitiatu*, intelligi debere (casu quòd hæc declaratio sit authentica) quando talis donatio fuit ex bonis ipsius Nouitij, iuxta dicta eo *num.*32. Nota etiam, quòd donationes factæ Deo, & Sanctis non prohiberi videantur dicto Decreto Concilij, vt tenent Rodriguez *dicta quæst.*47. *art.*5. Sanchez *supra num.*28. Barbosa *supra n.*29. Quamuis Vechius contrarium sentiat. De facultate porrò Episcopis à Concilio eo loco tributa compellendi ad restitutionem bonorum Nouitiatum aliquid dixi *supra verbo Episcopus quoad Regulares num.*8. 33

Circa V. quo tractandum dixi in hac materia de Nouitiis, scilicet de eorum priuilegiis, constat ex dictis eo *cap.*24. *num.*4. gaudere priuilegio fori. Pro quo etiam vide Sanchez *tom.*2. *consil. Moral. lib.*6. *cap.*9. *dub.*5. *num.*32. & 33. & Tamburinum *dicta disp.*6. *quæsit.*27. ac dicenda *infra verbo Prælatus Regularis n.*9. Qualiter etiam gaudeant priuilegio immunitatis à gabellis 34

gabellis constat ex dictis *supra verbo Gabella quoad Regulares num.*7. Vbi etiam *num.*9. quid dicendum si habitum Regularem susceperunt solùm in fraudem gabellarum. Item quòd gaudeant priuilegio Canonis, ita vt eos percutientes excommunicationem Papalem incurrant, dixi eo *cap.*24. *num.*4. *&* *capit.*3. *eiusdem primi tomi Summæ numero decimosexto*, & *tomo tertio verbo Clericus numero* 6. Quòd verò possint dispensari à Prælatis circa obseruantias Regulares, imò in aliquo casu particulari circa obseruantiam præceptorum Ecclesiæ, dixi eo *cap.*24. *numero* 5. An possint ad Ordines promoueri *ibidem numero* 6. Quod possint vti priuilegio Bullæ Cruciatæ, etiam in casibus, in quibus Religiosi professi eo vti non possunt, dixi *ibidem num.*7. Qualiter etiam possint absolui à casibus reseruatis, & dispensari in irregularitatibus, saltem loquendo de Nouitiis aliquarum Religionum, & propter ipsarum priuilegia, dixi *ibidem num.*8.9.*&* 10. De peccato autem, quod committunt impedientes vi, vel fraude quòd aliquis Nouitius non profiteatur, vel quod sæcularis non assumat habitum Religionis (quod etiam videtur pertinere ad priuilegia Nouitiorum) etiam dixi eo *c.*24. *n.*28. Aliqua tamen addenda sunt circa huiusmodi priuilegia.

35 Et primò nota, quòd licet impedientes fœminas volentes fieri Religiosas incidant in excommunicationem positam à Concilio Tridentino *sess.*25. *c.*18. impedientes autem viros ne Religiosi fiant, non afficiuntur dicta excommunicatione, cum Concilium de illis non loquatur. Azor. *tom.*2. *lib.*2. *capit.*21. *quæst.*15. Suarez *tom.*5. *in* 3.*part. disput.*23. *sect.*7. Ledesma *de stat. Relig. in comm. cap.*5. *conclus.*8. Nihilominus ex priuilegio Eugenij IV. pro Monachis S.Benedicti, quod refert Cassarubius *in Compend. priuileg. Mendicant. verbo Nouitius n.*28. & Iulij II. pro Monachis Oliuetanis, quòd refert Peyrinis *tom.*1. *priuileg. Minimor. in Iulio II. Constitut.*10. (quo etiam gaudere possunt aliæ Religiones habentes communicationem priuilegiorum cum istis) prohibetur ne aliqui cuiuscunque status, gradus, vel conditionis existant personas aliquas, quæ de iure communi Religionem ingredi non prohibentur ex sæculo fugientes, & ad Religionem venire cupientes, verberibus, aut violentiis quibuscunque impedire, vel prohibere, aut è Monasteriis euellere, aut extrahere iniuriam illis irrogando, aut eos molestando audeant, vel præsumant sub pœna excommunicationis Papæ reseruata. Addit tamen Pontifex. *Dum tamen cum hoc præsens statutum fuerit eis ad notitiam deductum, non destiterint à præmissis.* Ex quo colligitur excommunicationem istam ante monitionem esse comminatoriam, post monitionem esse latæ sententiæ. Peyrinis *supra num.*2. Nota etiam, eamdem quoque excommunicationem incurrere iniuriam irrogantes, seu molestantes recipientes dictos Nouitios. Ita enim habetur in eodem priuilegio. Nota tertiò, Papam ibi solùm excommunicare impedientes talem ingressum, facta iniuria, vi, & molestia. Vnde qui precibus importunis, vel consilio impediret, non incurreret. Portellus *in dub. Regular. in additionibus verbo Nouitius num.*2. Peyrinis 3.*tom. priuil. Minim. cap.*3. *in additionibus ad Constitutiones Iulij II. n.*2. Addunt etiam, quòd, qui Nouitium iam habitu indutum, vel statim induendum ad Conuentum pergentem dicta precum importunitate retardaret, & ad sæcularium domum reduceret, in eaque conuiuiis, lasciuiis, aliisque dæmoniacis voluptatibus detineret quousque à proposito diuerteretur, dictam censuram incurreret. Quia verè hoc non fit sine iniuria, & violentia Nouitij, & Religionis, non enim minus violentant praui excitati affectus, quam verbera. Vnde inferunt quàm grauiter peccent parentes, vel consanguinei dicto modo impedientes ingressum in Religionem. Hinc sæpius euidenter sunt à Deo puniti in hac vita. Nota quartò, quòd talis impeditio, seu molestatio debet esse cum effectu, ita vt Nouitius omnino, & de facto abstrahatur, vel impediatur neque sufficit attentatio. Nam verba intelliguntur cum effectu. Gloss. *in cap. Perpetuo de elect. in* 6. vbi Ioan. Andr. *ibid. num.*7. & Nauarrus *l.*5. *cons. de sent. excom. consil.*30. *num.*3. verbo Peyrinis *supra num.*42. Fauent quæ dixi *supra verbo Censura Ecclesiastica num.*10. Nota quintò, quòd quando tales impedientes, & molestantes eò peruenerint, vt Nouitium à Monasterio rapiant, capite puniuntur. Farinac. *de hæresi quæst.*183. §.6. *num.*85. Campanile *in diuersorio iuris rubrica* 12. *cap.*16. *num.*83.

Deinde circa facultatem absoluendi Nouitios, 36
præter dicta eo *capit.*24. loco relato, nota, valde probabile esse, generaliter loquendo Nouitios posse absolui ab omnibus casibus etiam reseruatis, à quibus possunt absolui professi virtute priuilegiorum Ordinum. Ratio est, quia Nouitij etiamsi in odiosis non habeantur pro Religiosis, in fauorabilibus tamen pro talibus habentur, ac per consequens eisdem priuilegiis, ac alij Religiosi professi potiri possunt, maximè in rebus concernentibus eorum conscientias. De quo Sanchez *l.*6. *in Decalogum cap.*10. *in fine*, *&* *l.*4. *cap.*39. *num.*11. post Molinam, Henriquez, & Azor. Quibus iunge Bonacinam *de voto disp.*4. *quæst.*2. *punct.*7. §.4. *num.*28. ex Reginaldo, Viualdo, & aliis, Portellum *verbo Nouitij absolutio num.*33. *&* 35. *&* *in Additione num.*18. Dianam *par.*3. *tract.*2. *resolut.*73. post Suarez, & alios, Bordonum *resolut.*3. *num.*11. *&* 30. Nec obstat viuæ vocis oraculum Clem. VIII. quos refert Sorbus *in Additionibus ad Compend. priuilegiorum Mendicantium verbo Absolutio extraordinaria quoad fratres* §. *quoad* §. *tertium*, *&* *verbo Nouitius sub titulo de Nouitiorum absolutione*, *&* *dispensatione*, quo declarauit Pontifex, quòd si quis Nouitius ante, vel post susceptum habitum aliquem casum Sedi Apostolicæ reseruatum habuerit, non obstantibus priuilegiis Religionum debeat mitti ad eos, ad quos talis absolutio spectat. Quia hoc solùm est declaratum pro Nouitiis Ordinis Capuccinorum, non pro aliis, quod sciam. Nota tamen doctrinam traditam solùm videri intelligi quoad priuilegia concedentia facultatem absoluendi, quando illa non sunt limitata præcisè, & determinatè pro professis, quia cum Nouitij professi non sint, non possunt venire professorum nomine. Secus verò quando ea sunt in generali pro subditis, pro Religiosis, pro Fratribus, &c. quia istorum nomine veniunt etiam nouitij. An verò sic absoluti à casibus reseruatis, si ex Ordine discedant, incidant in censuras, quibus antea irretiti erant, consequenter ad dicta eo *capit.*24. *numero octauo & nono*, dico, quòd si absoluti (idem dico de dispensatis in irregularibus) absoluti, vel dispensati sunt ex vi aliquorum priuilegiorum concedentium talem absolutionem, vel dispensationem solùm cum illa conditione, quòd si ex Ordine exierint, vel illum non intrauerint, talis absolutio, vel dispensatio illis non suffragetur, aut quòd iterum incidant in easdem censuras, &c. proculdubio ita tenendum est. Quando verò absoluti, vel dispensati sunt ex vi priuilegiorum absolutè, & sine limitatione concedentium talem facultatem, tunc non video quomodo etiam si recedant debeant incidere in easdem censuras, seu casus reseruatos. Bonacina *supra*. Diana *part.*3.

Tractat. 2. *de dubiis regularium resolution.* 44. Etsi Sorbus *supra dicto tit. de Nouitiorum absolutione, & dispensatione* ex Syluestro, & Tabiena oppositum teneat.

37 Circa vota Nouitiorum iam dixi *tom.* 1. *p.* 1. *c.* 18. *num.* 47. ex Suarez ibi relato, quòd licet Prælati Religionum non possint directè irritare vota Nouitiorum, eo quòd in illis deficit subiectio ex voto obedientiæ, in quo fundatur hæc directa irritatio, indirectè tamen irritare posse illa vota, quæ gubernationi, & conuenienti Ordinis regimini obuiant. Hæc verò indirecta irritatio consistit in suspensione prædictorum votorum. Cum enim habeant potestatem in Nouitios, quoad illa, quæ spectant ad experientiam morum ipsorum, proculdubio suspendere possunt ea vota, quæ impediunt dictam probationem. Sanchez *l.* 4. *in decalog. cap.* 33. *num.* 32. Bonacina *de Voto disp.* 4. *quæst.* 2. *p.* 7. §. 2. *num.* 32. Fagundez *in* 2. *præcept. decalog. cap.* 36. *num.* 1. Candidus *tom.* 2. *disquisit. moral. disquis.* 25. *artic.* 2. *dub.* 6. Bordonus *resolut.* 14 *num.* 44. Adde, etiam magistrum Nouitiorum posse id facere. Vt enim habetur ex Decretis Clem. VIII. *pro institutione Nouitiorum*, Magister Nouitiorum habet plenam, & absolutam potestatem circa ipsorum institutionem, ac nouitiatus regimen. Ergo potest impedire ea quæ contraria sunt. Vechius *supra disp.* 10. *dub.* 5. Candidus *supra dub.* 7. Bordonus *supra*. Hæc tamen intellige de votis personalibus, vota enim realia non impediunt regulariter loquendo exercitia probationis. Vechius, Bonacina, Candidus, & Bordonus relati. Vnde consequenter talia vota personalia isto modo irritata reuiuiscunt per retrocessionem à Religione, ita vt si ex ea exeat nouitius, ad illa obligetur, cum solùm censeantur irritata quatenus impediebant obseruantiam regularem. Sanchez *supra num.* 39. cum Lopez, Lessio, & Suarez. Quibus adde Vechium, & Bordonum. Nota etiam, quòd si nouitius intendat vouere dependenter à voluntate Superioris, aut Magistri, in eo casu faciliùs poterunt irritare tale votum, quia quoad illud se subiecit voluntati ipsorum. Suarez *l.* 6. *de voto cap.* 7. *num.* 11. Sanchez *supra num.* 28. Vechius *supra dub.* 6. Fagundez *supra num.* 3.

38 Circa dispensationem autem, & commutationem votorum nouitiorum, licet plures negent posse dari à Prælatis Religionum, probabilius tamen est oppositum. Ratio est, quia licet non habeant potestatem dominatiuam super illos, ac propterea non possint illorum vota, vt dictum est, directè irritare, habent tamen potestatem iurisdictionis super illos, similem illi, quam habent Episcopi supra aduenas existentes in sua Diœcesi, ipsi quoque nouitij in fauorabilibus vt dictum est, censentur veluti professi. Possunt ergo Prælati super illos eam iurisdictionem exercere, quam circa professos. Cum autem constet ex dictis *tom.* 1. *p.* 1. *cap.* 18. *num.* 48. *&* 49. quòd Prælati Regulares possunt dispensare, & commutare vota suorum subditorum, quæ Episcopi commutant, & dispensant, idem etiam dici debet respectu Nouitiorum. Henriquez *l.* 7. *cap.* 22. *num.* 7. Bonacina *supra* §. 4. *num.* 27. Vechius *dicto dub.* 6. Diana *part.* 3 *tract.* 2. *resolut.* 71. post Rodriguez, Lessium, Sanchez, & alios. Refert etiam Sorbus *in Compendio verbo Nouitius* §. *est tandem*. Priuilegium Leonis X. pro Camaldulensibus Iulij II. pro Oliuetanis, Eugenij IV. pro Augustinianis, & Alexandri IV. pro Carthusiensibus, quæ tamen non vidi. Nota tamen hanc potestatem commutandi, & dispensandi vota Nouitiorum non competere Magistro Nouitiorum iure ordinario, cum non habeat supra illos potestatem iurisdictionis, nec sit eorum Prælatus propriè loquendo. Nec obstat, quòd, vt dixi ex Clemente VIII. habet super illos plenam, & absolutam potestatem. Hoc enim intelligitur quoad educationem, & institutionem, non quoad iurisdictionem. Bordonus *supra num.* 47. Nota etiam vota prædicta nouitiorum posse commutari in onera nouitiatus. Lessius *tom.* 2. *de iustitia l.* 2. *c.* 40. *dub.* 16. *num.* 107. Fagundez *in* 2. *præcept. decalogi lib.* 2. *cap.* 48. *in fine*. Quod intellige, quando prædicta onera æquiualeant votis. Quæ autem sint vota, quæ Prælati Religionum dispensant, vel commutant, dixi eo *cap.* 18. loco relato, & copiosius dicam *infra verbo Votum quoad Regulares*.

Specialiter quoad votum arctioris Religionis, præter dicta eo *cap.* 18. *num.* 50. qualiter dispensari possit à Prælatis quibusdam Regularium cum illis qui ad Religionem veniunt, habetur ex priuilegio Eugenij IV. pro Monachis Cassinensibus apud Rodrig. *in Bullario in Eugenio IV. num.* 11. quo tam ipsi quam alij, qui cum ipsis communicationem priuilegiorum habent, vti possint, his verbis: *Liceat insuper præfatis Præsidenti, Visitatoribus, Abbatibus, Prioribus, Rectoribus præfatæ Congregationis, præsentibus, & futuris, personas volentes eorum Congregationi sociari, quæ Religionem, locum, vel Ordinem alium quemcunque etiam arctiorem ingredi vouissent, tali voto non obstante ad probationem, professionemque recipere, easque auctoritate Apostolica ab ipso voto absoluere, & cum ipsis dispensare, dummodo in tali Religione, seu Ordine, de quo vouissent, professionem non emiserint. Quod si tamen ante professionem emissam ab ipsa recesserint Congregatione, huiusmodi dispensatio nullius sit roboris, vel momenti.* Refert etiam hoc priuilegium Casarubius *in Compendio priuilegiorum Mendicantium verbo dispensatio num.* 28. Item Sorbus *supra* §. *est tandem*, & Portellus etiam supra sub titulo *Nouitij absolutio, &c. num.* 31. Simile priuilegium aliis Religionibus concessum referunt, quæ tamen videre non potui. 39

Inter priuilegia etiam Nouitiorum illud referri potest, quod possint sua peccata confiteri Religioso solùm approbato à Prælato Religionis, & non ab Episcopo, quia, vt dixi, nouitij in fauorabilibus sunt similes Religiosis professis, qui iuxta dicta *tomo* 1. *p.* 1. possunt peccata sua confiteri approbatis solùm à suis Prælatis. Bordonus *Resolut.* 34. *num.* 39. Vbi etiam ait, quòd itinerantes gaudeant priuilegio professorum eligendi Confessarium quemcunque etiam non approbatum, sed simplicem, aut extraneum, si careant copia Sacerdotis sui Ordinis. Huiusmodi autem Nouitiorum Confessarius qualis sit habetur sic ex Decretis Clementis VIII. *de Instr. Nouitiorum*, pro nouitiatibus videlicet, vt dixi, à Sede Apostolica in Italia, & Insulis adiacentibus deputatis. *Ipsi autem Magistro soli Nouitiorum Confessiones audiendi cura committatur. Liceat tamen Superiori etiam locali, si ita expedire iudicauerit, vel per seipsum, vel per alium ab eo deputandum, semel, aut bis in anno eorumdem Nouitiorum confessiones audire.* Vnde ex vi sui officij puto posse audire confessiones Nouitiorum sine alia noua commissione. Bordonus *Resolut.* 2. *quæst.* 8. *n.* 15. Secus dicens de Submagistro, seu socio Magistri, quia hæc facultas soli Magistro committitur. Quamuis autem dicto *cap.* 24. *num.* 7. vt probabilius sustinuerim, non posse nouitios validè confiteri alicui confessori tantum ab Episcopo approbato, propter ibi dicta; nihilominus valdè probabile etiam est contrarium, quia nouitij ante professionem sunt simpliciter sæculares, licet fauoribus Religionis fruantur, & Decretum Clementis VIII. adductum non irritet 40

confessio-

confessionem factam alij præter quam Magistro nouitiorum. Rodriguez *tom.1. quæst.Regular.q.27. artic.11.* Portellus *supra num.36.* Molfesi. *in Summa part.1. tractat.7. capit. 14. num. 81.* Diana *parte 1. tractat. 6. Resolut.27.* referens Homobonum, Enriquez & alios. Idem quoque dicendum de confessionibus nouitiorum factis aliis Religiosis approbatis à Prælatis Religionum solùm pro suis Fratribus, in casu videlicet, quòd in Religione non sit Statutum annullans confessiones factas aliis præterquam assignatis, nec illud obliget sub culpa mortali ad sui obseruantiam. Ioannes de Cruce *de Voto obedientiæ l.1.cap 6. dub.10. §. ex dictis patet.* Bordonus *supra Resolut.4. num.11. & 12.*

41 Gaudent etiam Nouitij priuilegio eligendi sepulturam. Ratio est, quia etsi id sit prohibitum Religiosis *cap. finali de sepult. in 6.* Nouitij autem in huiusmodi odiosis non comprehenduntur, & habent velle, & nolle. Sanchez *l.6.in decal.cap.14.num.10.* ex Franco, Armilla, & Tabiena. Casu autem quo decedant absque sepulturæ electione, licet quidam dicant sepeliendos esse in Ecclesia, in qua, si sæculares forent, sepelirentur, eo quòd non sunt simpliciter Religiosi; Oppositum tamen habetur, tum ex consuetudine, qua constat sepeliri in Monasterio vbi sunt nouitij, tum ex priuilegiis Religionum. Rodriguez *tomo 3. quæst.Regular. quæst.60.art.2.* Sanchez *supra num.11.* ex Syluestro, Tabiena, & Armilla. Sepeliri autem debent expensis Monasterij, si non habent patrimonium, tum ex obligatione charitatis, tum & iustitiæ, cum tales nouitij sint membra Religionis. Sanchez *supra num. 12.* Si vero patrimonium habent, quamuis Rodriguez *supra art. vlt.* dicat sepeliendos esse ex propriis expensis, ita vt si Monasterium eas fecerit, repetere possit ab hæredibus, credo tamen consuetudini esse standum, & attendendum ad circunstantias loci, & quantitatis expensarum. Sanchez *dicto numero 12.* Nota etiam, facultatem istam nouitiorum ad eligendum sepulturam competere etiam illis adhuc in casu, quo cum habitu, & licentia Superiorum infirmi morerentur in domibus suorum consanguineorum. Villalobos *in summa tomo 2. tract.31. difficult. 2.* Diana *5. part. tract.3. resol.109.* [De nouitio autem qui mortuus est in domo patris sui, vbi erat cum licentia Prælati, quod nõ deberet sepeliri in Monasterio, eo quòd ante mortem declarauerit se nolle esse Religiosum, bene resoluit Portellus *in respons. moral. tomo 2. casu 69.*]

42 Possunt etiam nouitij Sacerdotes, & aliàs idonei, stando in iure communi, & seclusis particularibus Statutis Religionum, fieri Confessarij, & audire aliorum confessiones. Nulla enim prohibitio in contrarium extat. Bordonus *dicta Resolut.4. num.26.* Casu etiam quòd Parochi, vel Confessarij ingrediantur Religionem, nõ perdunt iurisdictionem ordinariam, vel delegatam, quam habent ad audiendum confessiones sæcularium. Bordonus *Resol. 36. numero 87.* Quod maximè est verum de Parocho, cum iuxta dicta *tom. 1. p.1. cap.24. num.37.* nouitij sint capaces habendi beneficium sæculare, & illud quod habent non debet prouideri ante transactum tempus nouitiatus, sed debet curari, vt per alium seruiatur. Facta verò professione, licet cesset facultas ordinaria, quam habebat nouitius Parochus ad audiendas confessiones, quia iuxta dicta eo *tom.1.p.1.cap.2.num.17.* per professionem vacant quæcunque beneficia ante habita, ac per consequens talis facultas, quæ in beneficio fundabatur; non tamen cessat facultas delegata, quam habuit nouitius dum erat in sæculo ad audiendas confessiones, cum ea non sit annexa statui clericorum sæcularium, aut repugnans statui Religioso, Bordonus *supra num.88.*

Generaliter etiam loquendo, quòd priuilegia nouitiorum competant etiam illis, qui nondum habitu religioso sunt induti, sed breui tempore induendi, tenent Vechius *supra disp. 9. dub.1.* Diana *part.3. tract.2. de dubiis regularium resolut.46.* & Peyrinis *tom. 3. priuil. Minim. cap. 3. in Additamentis ad Constitutiones Iulij 2. num.3.* plura ex Iuristis, specialiter Gonzalez in *Regulam 8. Cancellariæ gloss.5. §.7.* adducens. Verumtamen, ne plus æquo conscientiarum habenæ laxentur, distinguendum est de priuilegiis nouitiorum: alia enim sunt concessa volentibus ingredi religionem, quale est illud Eugenij IV. pro Benedictinis quod *supra num.39.* retuli & alia, quæ in Compendiis Priuilegiorum Ordinum reperiuntur. Et quidem istis, vel similibus, proculdubio frui possunt illi qui & si habitum Religionis non induerunt, indui tamen illo volunt, & breui tempore induendi sunt. Alia verò priuilegia sunt cõcessa pro nouitiis qui ordinem sunt ingressi, & habitum induti, & his non video quomodo vti possint illi, qui actu nouitij non sunt, aut actu habitu Ordinis non sunt induti. Bene verum est, quòd si prædicti de proximo induendi, sint iam actu sub obedientia, & iurisdictione Prælatorum Ordinum, prout sæpissimè in Religionibus contingit, possunt dici personæ Ecclesiasticæ, & quodammodo Religiosi, ac per consequens frui priuilegiis, quæ iure communi competunt personis Ecclesiasticis, seu religiosis, qualia sunt priuilegium Fori, & Canonis. 43

Circa vltimum de obligationibus nouitiorum constat ex dictis dicto *cap.24.num.2.* non teneri ex obligatione culpæ ad præcepta communia regulæ, Constitutionum, & Superiorum religionis, cum actu religiosi non sint, licet ex graui decentia ad prædicta obligentur, cum aliquo modo subditi religioni sint, & participent de bonis spiritualibus ipsius. Insuper, quòd iuxta *ibidem* dicta, quantùm ad ea, quæ spectant ad bonum regimen, & finem probationis ipsorum, teneantur in conscientia obedire suis Superioribus. Nunc addendum, non teneri simpliciter ad vota essentialia religionis, cum illa non vouerint, sed tantum sint in probatione ad experiendum an velint, vel non, illa vouere. Vnde consequenter proprium aliquod, habentes non sunt dicendi proprietarij, Bordonus *resolut.43. numero 2. & 18.* ex Grassio. Hinc etiam si nouitius habeat rem cum soluta, vel nouitia cum soluto; talis circunstantia nouitiatus non est de necessitate confitenda, vt mutans speciem, quia re vera illam non mutat. Confitenda tamen est, iuxta sententiam illorum, qui dicunt circunstantias notabiliter aggrauantes confitendas esse. Llamas *in Summa parte 3.cap.8.§.14.* Diana *part.1. tract.7. resolut.7.* Similiter, nec constringuntur præceptis, & censuris communibus Religionis, propter fundamentum adductum. Naldus *in Summa verbo Nouitius num.7.* Probabile etiam est, iuxta dicta eo *cap.24. num.7.* quòd nec comprehendantur casibus reseruatis à Superioribus, propter idem quoque fundamentum. Naldus *ibidem.* Ioannes de Cruce *de voto obedientiæ lib.1.cap.6.dub.10. conclus.2.* Homobonus *de Casib.reseruatis par.1. cap.32.* Diana *dicto tract.6. resolut.27.* Vnde consequenter casu quo incidant in casus reseruatos, possunt iuxta probabilem sententiam, absolui à Confessario sæculari. Molfesius *in Summa tom. 1. tract.7.cap.14.* Miranda *in Manuali tom.2.quæst.34.art.16.* Diana *p.3. tract.2. resolut. 4. & p. 4. tract.4. resolut. 5.* post alios, quos refert. Casu autem quo committant aliquod delictum 44

ctum propter quod à iure, vel à Papa imposita est censura, vel pœna, potest Prælatus declarare illos incurrisse in talem censuram, aut pœnam, quia est legitimus Iudex illorum ad puniendum illos pœnis condignis cum sint sub ipsius potestate, & non sub Iudice sæculari, iuxta dicta eo *cap. 24. num.4.* De quo etiam Sanchez *l.6. in Decal. cap. 10. num. 11. & 17.* Quamuis oppositum colligatur ex Vechio *sup. disp. 11.* & Diana *p.3. tract. resolut. 34.* Non obligari ad officium diuinum (intellige, nisi aliàs sint in Sacris constituti) constat ex dictis *tom. 1. p. 1. c. 12. num. 5.* Nec etiam comprehendi nouitias sub lege de non alloquendo Moniales, constat ex dictis supra verbo *Moniales num. 22.* & tenet Naldus *supra.* Quod verò nec ipsæ obligentur ad clausuram, dixi *tom. 1. p. 1. cap. 25. num. 17.* Similiter quòd nouitij, si Bullam Cruciatæ habeant, possint, iuxta priuilegium ipsius, ouis, & lacticiniis vesci, etiam temporibus prohibitis, dixi *supra* verbo *Bulla Cruciata num. 16.* [Possunt etiam nouitij Regulares treuas figere, pacem facere & accusare tam in iniuria sibi, quam suis illata stando quidem in iure communi, & nisi obstent iura particularia Religionum. Quia quoad hæc non sunt mortui mundo, sed sunt sui iuris. Sanchez *6. in Decalog. cap. 12. num. 34.* Vechius *in prax. Nouitiorum disp. 13.* Tamburinus *de iure Abbat. supra disput. 6. quæst. 27. num. 34.*]

Alia, quæ ad nouitios spectant dabimus infra verbo *Professio Regularis*, & verbo *Vota Regularia.*

OBEDIENTIA REGVLARIS.

1 QVia de hac materia non solùm latè egi *to. 1. p. 1 cap. 4.* quoad obligationem, quam habent religiosi ad obediendum suis Superioribus, sed & *capit. 11.* eiusdem primi tomi, quoad obligationem, qua tenentur obedire Dominis Episcopis, & Principibus sæcularibus, & *cap. 18.* eiusdem primi tomi dum agerem de Prælatis regularium, multa quoque dicta sint circa obedientiam illis debitam (de quo etiam infra verbo *Prelatus Regular.*) item *cap. 25. & 26.* eiusdem primi tomi plura quoque dixerim de obligatione, quam habent Moniales ad obediendum suis Superioribus tomo etiam 3. verbo *Episcopus quoad regulares*, plura etiam de iis in quibus Regulares tenentur obedire eisdem Episcopis sparsim quoque per totum hoc opus plura de hac materia tacta sint, ideo ad ea loca lector remittendus.

OBLATI, SEV COMMISSI.

SVMMARIVM.

De illis remissiuè, num. 1.
Varij, & diuersi sunt, num. 2.
Tenentur ad aliquod genus obedientiæ. num. 3.
Ad quid teneantur, vt fruantur priuilegio fori. numero 4.
Priuilegia, & exemptiones ipsorum quomodo limitanda, num. 5.
Priuilegia ipsorum, quæ sint. num. 6.
An fruantur priuilegio Canonis. num. 7.
An, & quomodo priuilegio fori. num. 8.
De priuilegiis ipsorum ratione Religionum, quarum sunt Oblati. num. 9.
Quomodo ea accipienda. num. 10.
De quibus Oblatis. num. 11.

DE iis non pauca *tom. 1. p. 2. cap. 8.* alia tamen in præsenti addenda, præsertim quod spectat ad obligationes, quas habent, & ad priuilegia, quibus frui possunt. Est autem sermo in præsenti de Oblatis, Donatis, seu Commissis, qui tria vota Religionis non emittunt. Qui enim illa emittunt, prout contingit in aliquibus Religionibus, verè religiosi sunt, ac proinde philosophandum de illis est sicut de Conuersis, & laicis Religionum, de quibus eodem *cap. 8.* etiam dixi. 1

Quoad priores ergo spectat, cum illi varij, seu diuersi sint; non enim illorum vniformis est modus, nec certa regula, aliquando enim se, & sua offerunt Religioni; aliquando se, & non sua, aliquando sua, & non se; aliquando bona omnia, aliquando eorum partem, vt colligitur ex *capitul. priuilegia vers. suos de priuileg.* & bene aduertunt Abb. *cons. 102. num. 1. part. 2.* Boer. *decis. 20. num. 7.* Card Tusc. *practicar. conclus. lit. O. concl. 16. num. 10.* & Couarrub. in *cap. Alma mater. de sent. excommun. l. 6. in 2. part. relectionis.* Ideo ipsorum obligationes pensandæ sunt ex oblatione quam fecerint, & ex Statutis earum Religionum, quibus eam fecerunt. Certum enim est illos non teneri ad obseruantiam trium votorum essentialium Religionis, cum ipsi Religiosi non sint, nec quoad obseruantiam Regulæ, & Constitutionum Ordinum, nisi quatenus in ipsis aliquid specialiter pro illis præscribitur. Hinc, iuxta dicta eo *c. 8. n. 9. 12. & 14.* possunt habere proprium, & iuxta dicta *ibidem num. 10.* possunt vxores habere. 2

Tenentur nihilominus ad aliquod genus obedientiæ, proportionatum videlicet, ipsorum statui, & deuotioni, prout colligitur ex Decretis Sacr. Congregationis & Concilij Tridentini adducendis. Hinc matrimonium contrahere non debent nisi de licentia superiorum, prout colligitur ex declaratione S. Congreg. quam eo *cap. 8. num. 8.* retuli. Similiter, nec possunt ad Sacros Ordines promoueri nisi de licentia Superiorum, prout colligitur etiam ex alia declaratione Sac. Congregationis Regularium quam refert Peyrinis *in Formulario littera O. capit. 6. n. 5.* vbi etiam refert aliam declarationem, in qua habetur, Superiores, de quorum licentia ad Ordines promoueri possunt, debere esse Generalem Ordinis, vel Prouincialem. An autem prædicti Superiores possint tribuere dimissorias huiusmodi Oblatis, dicam infra verbo *Ordines Sacri.* 3

Specialiter etiam ad hoc quòd Oblati priuilegio fori, ac exemptione à vectigalibus gaudeant, obligati sunt offerre Religioni in forma Iuris valida perpetuò, irreuocabiliter, plenè, & cum effectu seipsos, & bona sua omnia præsentia, & futura, nulla prorsus quamuis minima eorum portione, neque in proprietatem neque in vsum fructu sibi reseruata, & habitum aliqualiter mutasse, ita vt si omnia prædicta simul non concurrant, neque fori priuilegio, neque immunitate à sæcularibus exactionibus frui possint. Ita enim habetur ex declarationibus Sacræ Congregationis, quas eo *cap. 8. num. 8.* ex Aldana, & Barbosa retuli, & quas etiam referunt idem Barbosa *Iure Ecclesiastico l. 1. cap. 39. §. 2. n. 44. & 45.* & Ioannes Maria Nouarius *in Lucerna Regularium verbo Oblati.* Quibus similem etiam aliam refert Peyrinis *tom. 3. priuilegiorum Minim. cap. 3. in Additamentis ad Constitutiones Iulij II. num. 34.* Has verò conditiones sic explicat Antonius de Marinis *Resolutionum quotidianarum. c. 114. n. 7.* & ex eo Diana *par. 4. tract. 1. Resolut. 31.* Scilicet, quòd alicui Religioni probatæ eorum personam per legitimam, & expressam dedicationem obtulerint, & dicauerint, nulla bonorum 4

bonorum reseruatione, aut eorum vsus fructus facta, ita vt in oblationis instanti omnia ad Monasterium transferantur, & quòd in eorum domibus, & cum vxoribus non commorentur, sed perpetuò stent, & seruiant Religioni, ad quod modo debito Religionis portent habitum à sæcularibus euidenter distinctum.

5 Similiter, quia iuxta dicta eodem *cap.*8. *num.*13. ex Concilio Trident. *seß.*24. *cap.*11. priuilegia, & exemptiones Oblatis concessa, vel concedenda limitantur solùm ad eos, qui intra septa Monasteriorum, & sub eorum obedientia viuunt; ideo ad hoc quòd prædicti Oblati priuilegiis quibuscunque fruantur, obligantur ad prædicta. Vnde à Sacra Congregatione declaratum est, teste eodem Barbosa *sup. num.*44. dum ageretur de Oblatis Religionis S. Ioannis Hierosolymitani, quòd non inseruiens actu militiæ, nec inseruiens in eius domo, nec sub illius obedientia, non debet eius priuilegio gaudere. Martha *de Iurisdictione part.*4. *casu* 113. *num.*37. Barbosa *supra* & fauet Naldus *in Summa verbo Oblatio n.* 6. Quomodo autem id limitandum inferius dicetur.

6 Circa secundum de priuilegiis horum Oblatorum, distinguendum est de illis, quæ competunt ipsis quatenus personæ Ecclesiasticæ sunt, & de illis, quæ competunt ipsis ratione Religionum quarum sunt Oblati.

7 Inter priora autem, quòd attinet ad priuilegium Canonis iam dixi eo *cap.* 8. *num.*6. ipso potiri, Oblatos, qui se, & sua Monasterio tradiderunt, & in ipso viuunt, habitu aliqualiter mutato, non tamen illos, qui in domo sua manent, prout ex Hostiensi, & Rodriguez eodem loco dixi, & indicat Erasmus Cochier *in Tractatu de iurisdictione Ordin. in Exemptos p.*1. *quæst.*19. *n.*3. ex Abbate, & Alberto Trotio.

8 Similiter quoad priuilegium fori, & immunitatis à gabellis, constat etiam ex dictis eo *cap.*8. *num.*8. & ex declarationibus Sacræ Congregationis ibi relatis, & ex alia, quam supra retuli, potiri ipso dictos Oblatos, dum tamen conditiones ibi à Sacr. Congregatione designatas obseruent. Similiter constat ex alia declaratione, quam eo *num.*8. retuli ex Aldana, & Barbosa, quos etiam sequitur Nouarius *supra* quòd huiusmodi Oblati etiam quoad delicta ante oblationem commissa fori priuilegio gaudent, & à iurisdictione Iudicis laici liberati sunt, punirique debent à Iudice Ecclesiastico, si modo absque fraude, idest non animo effugiendi sæcularis Iudicis punitionem, se, & sua obtulerint. Quòd si fraus subsit, possunt à Iudice laico puniri pœna confiscationis bonorum, & alia pecuniaria, sed non corporali, illique remanent subiecti quoad causam, & bona, sed non quoad personam. Debet tamen Iudex Ecclesiasticus, si delicti qualitas id exposcat, tradere tales in fraudem oblatos Iudici sæculari corporaliter puniendos. Pro iis autem vide Tuscum, & Martham relatos, ac Peregrinum *variar. lib.*6. *num.*71. Requiritur etiam iuxta dicta eo *capit.*8. *num.*13. ex Concilio Trident. adhoc quòd prædicti oblati dictis priuilegiis fruantur, vt actu seruiant Monasteriis, & intra septa eorum, & sub eorum obedientia viuant. Quod etiam sequitur Naldus *supra*, ex aliis, quos vocat *doctissimos*. Referunt etiam Barbosa dicto *numero* 45. & Nouarius *supra*, quòd cum propositum esset à Sac. Congregatione, Primò, an iurisdictio, quæ vigore Concilij Tridentin. *c.*11 *seß.*24. competit ordinario in oblatos carentes qualitatibus expressis *ibid.* in vers. *exceptis*, intelligatur tributa ordinario in oblatos cumulatiuè, vel priuatiuè ad Superiores Regulares? Secundò, an iurisdictio ex eodem Concilij Decreto tributa fuerit Ordinario in criminalibus tantum, an verò etiam in ciuilibus? Respondit ad primum: In Oblatos carentes qualitatibus expressis *in vers. exceptis* tributam esse Ordinario iurisdictionem cumulatiuè, non priuatiuè, ad Superiores Regulares. Ad secundum. Huiusmodi iurisdictionem Ordinario tributam esse in criminalibus tantum, non autem in ciuilibus. Ex quò collige, posse Prælatos Regulares Oblatos suæ Religionis, etiamsi in eorum Monasteriis, aut sub eorum obedientia non degant punire, siue in ciuilibus siue in criminalibus. Ad hoc etiam quòd fruantur dictis priuilegiis videtur requiri quòd actu transtulerint se, & omnia suá in Religionem, quia in simili non dicitur quis esse de numero militum, aut etiam scholarium priusquam sit inter eos numeratus. *l. ex eo tempore ff. de milit. testam. l. miles ff. ex quibus causis maiores.* Rebuffus *de priuileg. scholar. priuil.*141. Erasmus Cochier *supra.* Casu tamen quo per oblatum non steterit quo minus se, suaque Religioni tradiderit, & proximè id facturus, probabile est potiri posse dictis priuilegiis. Quia cingendus habetur pro cincto *l. penult. ff. de testament. militar.* & quæ proximè instant inesse videntur *l. lecta vers. dicebam. ff. si certum petat.* pariaque sunt aliquid factum, vel proximè fieri destinatum *l. vestimentum. ff. de auro, & argento.* Hinc pro liberto, absoluto, cancellato, bannito, condemnato facto, perdito, completo habetur, quod tale decernendum est. Tiraquell. *de legib. connub. l.*16. *gloss.*2. Cochier *supra num.*4. & 5. Peyrinis loco relato ex 3. *tom. priuileg. Minim.*

De priuilegiis autem, quæ competunt huiusmodi oblatis ratione Religionum, quibus addicti sunt, 9
sufficienter dixi eo *cap.*8. *à num.*30. Quibus adde priuilegium Eugenij IV. pro Benedictinis, quod habetur in Bulla ipsius Eugenij apud Rodriguez *in Bullario in eodem Eugenio num.*11. vbi concedit Præsidentibus, Visitatoribus, Abbatibus, Prioribus, & Rectoribus eiusdem Religionis, vt cum Commissis suis, quandiu in Monasteriis, aut sub obedientia eorum vixerint, super omnibus votis, excepto duntaxat voto Religionis, dispensare valerent. Quo priuilegio tàm prædicti Benedictini, quàm alij, qui cum ipsis communicationem priuilegiorum habent, vti possunt. Vide etiam priuilegium Innoc. VIII. pro Seruitis quod extat in Mari magno ipsorum *Centur.*3. *Annal. l.*4. *cap.*6.

Circa quæ, & similia priuilegia, præter dicta eo 10
*cap.*8. *num.*32. vlterius animaduertendum id, quod in simili de priuilegiis familiarium Religiosorum dixi eo *tom.*1. *p.*2. *cap.*16. *num.*14. quòd scilicet, licet Concilium *cap.*11. *seß.*24. relato, decreuerit priuilegia oblatorum solùm suffragari illis oblatis, qui actu seruiunt Monasteriis, & intra eorum septa ac domos resident, subque eorum obedientia viuunt, ita vt alij quicunque oblati ordinariis subditi existant; nihilominus, prout eo loco ex Rodriguez dixi, probabile est Concilium non loqui de quibuscunque priuilegiis, sed de illis tantum, quæ perturbationem in Episcoporum iurisdictione excitare, & exemptis occasionem laxioris vitæ præbere cognoscuntur, vt idem Concilium in principio illius capitis dicit. Quare illa priuilegia oblatorum Regularium, quæ nihil horum parturire possunt, qualia erunt Indulgentiæ, dispensationes, & similes remissiones peccatorum non videntur modificata à Concilio, sed relicta in sua vi, iuxta tenorem ipsorum. Imò etiam ad hoc quòd oblati gaudeant priuilegio Ecclesiasticæ sepulturæ tempore Interdicti, non videntur requiri omnes illæ conditiones à Concilio requisitæ. Etenim iure communi *in cap. vt priuilegia de priuilegiis* expressè habetur,

habetur, eos oblatos, qui vel adhuc manentes in sæculo ordini sunt oblati, mutato habitu sæculari, vel eos, qui bona sua dederunt inter viuos retento sibi quandiù in hoc sæculo vixerint vsufructu, sepeliri posse apud ipsorum Regularium, vel aliorum non interdictas Ecclesias, in quibus elegerint sepulturam. Barbosa *supra num.* 44. ex aliis. Hoc enim priuilegium iuris communis non videtur derogatum à Concilio loco relato, licet deroget alia priuilegia particularia.

11 Hæc porrò, quæ de Oblatis dicta sunt, intelligenda veniunt respectu illorum, qui in ætate adulta, se, suaque Religioni obtulerunt, non de pueris, aut puellis impuberibus à parentibus Religionibus oblatis, de quibus dixi supra verbo *Moniales num.* 10. Pro quibus video Concilij Aquisgranensis Constitutionem circa modum quo offerendi sunt apud Tamburinum *de Iure Abbat. tom.* 1. *disputat.* 2. *quæsit.* 13. *num.* 36. videlicet. *Puerum pater, aut mater tempore oblationis offerant Altari, & petitionem pro eo coram laicis testibus faciant, quam tempore intelligibili ipse puer confirmet.*

OBLATIO FACTA Regularibus.

SVMMARIVM.

Oblationum nomine, quæ veniant. num. 1.
Regulares possunt recipere oblationes sibi factas. numero 2.
Oblationes factæ Imaginibus ad quos spectent. numero 3.
Oblationes factæ Cappellis ad quos. num. 4.
Quid si factæ sint ad certum finem. 5.
An alienari possint. num. 6.
De oblationibus ratione ministerij Altaris. numero 7.
De oblationibus ratione Parochiæ. num. 8.
Laici illas detinentes quas pœnas incurrant. numero 9.
Plures personæ prohibitæ sunt oblationes facere ad Altare. num. 10.
Quid de admittentibus excommunicatos ad illas. numero 11.
Quomodo facienda ad Altare. num. 12.

1 QVAMVIS ex vsu, & consuetudine plurium, oblationis nomine solùm veniant illæ, quæ inter Missarum solemnia Altari offeruntur, quia tamen in iure nomine oblationum veniunt etiam omnia, quæ Deo, & Ecclesiæ à piis, ac fidelibus Christianis offeruntur, siue res sint immobiles, vt prædia, domus, vineæ, oppida; siue mobiles, vt animalia, fructus, pecunia, ornamenta, & similia; siue testamento legentur, aut alio modo donentur. *cap. qui oblationes* c. *Clerici* 13. *quæst.* 2. nam cum aliquid homini donatur, dicitur donatio, cum verò Deo, & Ecclesiæ donatur, dicitur oblatio in Iure. (Sotus *de Iust. lib.* 9. *quæst.* 3. *art.* 1. Azor. *tom.* 1. *Instit. moral. lib.* 7. *cap.* 38. *quæst.* 9. Fagundez *in* 5. *Ecclesiæ præceptum lib.* 4. *cap.* 1. *num.* 5.) ideo in præsenti nomine oblationum intelligo (quoad Regulares spectat) quidquid ipsis à fidelibus offertur, vel donatur, siue ad cultum Dei, siue pro ipsorum sustentatione. Possunt autem huiusmodi oblationes dari Religiosis tripliciter, primò, omnino spontaneè, vel liberaliter ad ipsorum necessitates subleuandas, secundò, ratione ministerij Altaris, tertiò, ratione Parochiæ, si ipsi illam habeant. De quibus omnibus sigillatim dicendum.

Et quoad primum certa res est Regulares omnes recipere posse oblationes sibi à piis fidelibus factas. Et quidem quoad Mendicantes id constat ex dictis *tomo* 1. *p.* 1. *cap.* 6. *num.* 43. & 44. & *par.* 2. *cap.* 1. *num.* 4. 5. 35. & 48. Generaliter etiam de omnibus Religiosis id constat clarè ex *cap.* 1. *de statu Monachor.* vbi expressè dicitur, quòd Monachis seruientibus Monasterio debeat proficere quidquid à fidelibus offerri contigerit. Vnde Episcopos, aut alios Ordinarios non posse se intromittere in prædictis oblationibus Regularibus factis habetur etiam expressè ex dicto *cap.* 1. & ex *cap. nimis iniqua de excessib. Prælat.* vbi Glossæ, & DD. communiter. Riccius *in decis. Curiæ Neapolit. part.* 4. *decis.* 170. Ioannes de Cruce *de Statu Religionis l.* 2. *cap.* 9. *conclus.* 4. Nouarius *in Lucerna Regularium verb. Oblationes num.* 2. Imò etiam ex priuilegio Bonifacij VIII. pro Cisterciensibus, quod extat apud Rodriguez *in Bullario in eodem Bonifacio VIII. Bulla* 9. (quo tam ipsi quam alij Regulares, cum ipsis communicationem priuilegiorum habentes vti possunt) habetur, quòd neque in casu, quo Prælati Ecclesiarum in Ecclesiis nasteriorum Missarum Solemnia celebrent, possunt dictas oblationes sibi vendicare, sed eas debere relinquere pro Fratrum vsibus. Rodriguez *to.* 3. *q. Regular. quæst.* 20. *art.* 1. Ioannes de Cruce *supra.* Vnde licet in illa quæstione, qua quæritur cuius sint oblationes in Missa factæ Episcopo celebranti in loco exempto, aliqui generaliter teneant esse Rectoris Ecclesiæ, alij esse Episcopi, & alij dicant esse attendendum quoad consuetudinem (de quo inter alios Erasmus Cochier *de Iurisdictione Ordinarij in exemptos part.* 4. *quæst.* 18. & Barbosa *de offic. & potestate Episcopi Allegat.* 80. *num.* 11. 12. & 13.) quoad Regulares tamen attendendum est ad prædictum priuilegium, prout iidem Auctores supponunt ex Mariano Socicino *Tractu de Oblationibus l.* 18. *num.* 60. per caput *porro de priuileg.* Idque satis conforme est iuri communi, quia, etsi Diœcesano permissum sit, vt celebret in loco exempto, iuxta Clemen. *Archiepiscopo de priuileg.* at verò de oblationibus nihil dispositum reperitur. Vnde fit locus axiomati quòd *omissum remaneat in dispositione iuris communis l. commodissimè. ff. de liber. & post.* Possunt etiam iidem Regulares prædictas oblationes etiam tempore celebrationis Missæ recipere, dummodo à perambulationibus per Ecclesiam, ac similibus extorsionibus abstineant, prout declaratum dixi à Sac. Congregatione *tom.* 1. *p.* 1. *cap.* 12. *num.* 41. Imò etiam posse inter Missarum Solemnia prædictas oblationes recipere vertendo se ad populum in medio Altaris, & generalem confessionem faciendo, non autem Ecclesiam circuiendo, decisum refertur ab Aldana *in Compend. Resolutionum Canonicarum l.* 1. *cap.* 13. *num.* 3. & Nouario *supra.* Qualiter etiam possint recipere triticum, vuas, ligna, & similia antequam Parochus recipiat suas primitias, constat etiam ex declaratione S. Congregationis eo *cap.* 12. *num.* 41. relata. Similiter quòd in eorum Ecclesiis possint recipere mulieres ad purificationem post partum, ac per consequens oblationes, quas ipsæ deferre solent, constat etiam ex declaratione eo loco relata. De quo etiam *supra verbo benedictio, & Benedicere num.* 17. Vnde infert Ioannes de la Cruce *supra* non posse Parochos sibi postulare candelas, aut alia oblata in Ecclesiis Religiosorum à mulieribus, puerperis suos filios Domino

mino præsentantibus. Casu etiam quòd aliquæ domus Religiosorum in commendam, seu præceptoriam alicui datæ sint, oblationes factæ dictis domibus seu Ecclesiis ipsarum, pertinent ad Regulares ipsos, prout colligo ex Rodriguez *in Compend. quæst. Regular. resolut.* 15 *num.* 18.

3 Ex quo collige, oblationes factas Imaginibus existentibus intra Ecclesias Regulares pertinere ad ipsos & nullo modo ad Ordinarios. Ratio est, quia communis sententia tenet oblationes factas Imaginibus, quæ sunt in Parochia, pertinere ad Parochum, prout ex Rotæ decisionibus, & declaratione Sacræ Congregationis refert Barbosa *supra num.* 14. *& de iure Ecclesiastico lib.* 3. *cap.* 23. *num.* 29. Estque iuri communi conforme *cap. Pastoralis de his quæ fiunt, & cap. Dilectus de offic. Ordinarij, & cap. hanc* 10. *quæst.* 1. De quo etiam Azor. *tom.* 1. *institutionum moralium lib.* 7. *cap.* 38. *quæst.* 13. Riccius *supra.* Naldus *in summa verbo Oblatio num.* 2. Cum autem Regulares sint quasi Parochi, & Rectores suarum Ecclesiarum, ideo ad illos, & non ad Ordinarios spectare debent oblationes factæ Imaginibus ibi existentibus, Bordonus *Resolut.* 7. *n.* 106. Idem dico de oblationibus factis Imaginibus positis extra Ecclesias regularium in parietibus Monasterij, vel horti. Bordonus *supra* ex Naldo.

4 Collige secundò, oblationes factas Capellæ sitæ in Ecclesia Regularium, in qua capella est aliqua confraternitas, pertinere ad ipsos Regulares, non autem ad Confratres, quia tales oblationes pertinent ad rectorem Ecclesiæ, & non ad Confraternitatem, provt decisum refert Riccius *collect. part.* 4. *collect.* 99. & 1113. Naldus *supra num.* 3. Bordonus *supra.* Addens tamen Mediolani seruari oppositum, ea tamen conditione, vt dictæ oblationes cedant in vtilitatem Altaris dictæ Capellæ. Ab aliis verò audio oppositum. Sed quidquid de hoc sit, id quod dixi est conformius iuri.

5 Notandum, quòd si dictæ oblationes factæ sint à fidelibus ad certum finem, pro Missis scilicet, fabrica, ornatu Altaris, vel Capellæ, &c. tunc voluntas offerentium adimpleri debet, provt ex decisione Rotæ affert idem Barbosa *dicta allegat.* 80. *num.* 15. & *dicto cap.* 23. *num.* 30. De quo etiam Riccius supra *dicta decisione* 170. & Bonacina *in Tract. de legib. disp. vlt. quæst.* 5. *punct. vlt.* In dubio tamen, & quando non constat quod eæ factæ sint ad aliquem certum, & determinatum finem, cedere possunt in vtilitatem ipsorum Religiosorum. Barbosa *supra.*

6 Qualiter huiusmodi oblationes sacræ, factæ Imaginibus, alienari possint, si non sint pretiosæ, aureæ scilicet, vel argenteæ magni valoris dixi *tom.* 1 *part.* 2. *cap.* 19. *num.* 57. ex Riccio, & Bonacina, & tenet Diana *part.* 4. *tract.* 4. *resolut.* 223. §. *nota quartò.* Qualiter etiam oblationes factæ Sanctis ab Ecclesia non Canonizatis, aut Beatificatis, recipi, collocari, aut asseruari possint à Regularibus, habes ex dictis *tom.* 1. *p.* 1. *cap.* 12. *num.* 39. Vide, & dicenda infra verbo *Sanctorum cultus.*

7 Cica secundum de oblationibus ratione ministerij Altaris, quòd scilicet recipi possint à Regularibus, constat ex dictis non solùm supra verbo *Missa num.* 10. sed etiam *tom.* 1. *p.* 1. *cap.* 21. *num.* 4. vbi dixi posse Sacerdotes Regulares stipendia pro Missis recipere, Patribus Iesuitis, & quibusdam aliis Religiosis exceptis. Similiter posse Confessarios Regulares à pœnitentibus eleemosynas spontaneè oblatas recipere, constat etiam ex dictis eo *to.* 1. *p.* 1. *cap.* 19. *num.* 39. vbi etiam an liceat illis iniungere pœnitentibus Missas à se dicendas. De quo præter Authores ibi relatos Syluester *in Summa verbo Decima quæst.* 2. *dicto* 4. post Angelum, & alios. Quòd autem etiam possint recipere mercedem pro Concionibus, & à quo ea danda, constat ex dictis *supra verbo Concionari, & Concionator Regularis num* 12.

Circa tertium de oblationibus sacris factis Ecclesiis Regularium ratione Parochiæ, ex dictis *supra tomo* 2. *cap.* 18. & *tom.* 3. *verbo Beneficium, & Beneficiati* constat eas pertinere ad Regulares eodem modò, quo si fierent Ecclesiæ sæculari pertinerent ad Parochum, seu Rectorem illius. Subeunt enim Religiosi vicem Parochorum. Suarez *de Relig. tom.* 1. *l.* 1. *cap.* 7. *num.* 4. 8

Aliqua tamen animaduertenda circa huiusmodi oblationes. Primò quidem, quòd laici illas detinentes, seu vsurpantes in excommunicationem latæ sententiæ incidunt ex *capit. Hanc* 10. *quæst.* 1. De quo Graffius *l.* 4. *cap.* 24. *num.* 10. Suarez *supra lib.* 1. *capit.* 5. Thesaurus *in Praxi part.* 2. *verbo Oblatio c.* 1. Similiter ex Concil. Trident. *sess.* 22. *cap.* 11. quicunque illas vsurpant, seu impediunt ne ab iis, ad quos pertinent, recipiantur, etiam excommunicantur. De quo Azor. *tomo* 1 *l.* 7. *cap.* 38. *quæst.* 1[illegible]. & Thesaur. *supra.* Videntur etiam excommunicari in Bulla Cœnæ casu 17. De quo Filliucius *tractatu* 16. *numero* 220. & Thesaur. *supra* ex aliis. Hinc laici nullo modo recipere debent à Clericis oblationes, quia solùm Ecclesiasticis sunt debitæ. Riccius *supra Resolut.* 265. Quod limitat nisi fuerit consuetudo in contrarium, prout est in tota Italia, per quam in festo Purificationis B. Virg. laici recipiunt oblationes candelarum benedictarum à Sacerdotibus. Non tamen debent Ecclesiastici huiusmodi candelas benedictas transmittere ad ædes sæcularium, sed iuxta laudabilem, & obseruatam ab Ecclesia vniuersali consuetudine in Ecclesia populus eas recipere tenetur, vt censuit Sacra Congregatio negotiis Episcop. & Regul. proposita in vna Foglinen. de anno. 1581. apud Barbosam *supra d. capit.* 23. *num.* 7. Licet oppositum videam hic Romæ esse in vsu, vt dixi *supra verbo Benedictio, & Benedicere num.* 15. 9

Nota secundò, plura genera hominum peccatorum esse, quibus iure prohibitum est, oblationes facere ad Altare ad Offertorium Missæ. Hi sunt primo dissidentes fratres. *cap. oblationes dist.* 90 Secundò, pauperes opprimentes *eod. cap. oblationes.* Tertiò, Sacrilegi. *cap. de viro* 12. *quæst.* 2. Quartò, extrahentes seruos ab Ecclesia, ad quam confugerant. *cap. miror.* 17. *quæst.* 4. Quintò, raptores *cap. super de raptoribus.* Sextò, vsurarij. *cap. quia in omnibus de vsur.* Septimò, pœnitentes. *cap. eos quos de consecrat. dist.* 4 De his omnibus Glossa *in cap. oblationes d.* 90. Angelus *in Summa verbo oblatio numero* 3. Syluester *verbo decima quæst.* 2. dicto 6. Azor dicto *capit.* 38. Suarez *supra cap.* 6. *num.* 9. Idem dic de matricida, ex *cap. latorem* 33. *quæst.* 2. & de his, qui rebaptizantur ex *cap. eos quos. de consecrat. d.* 4. Suarez *supra.* Idem similiter de publica meretrice tenent Sanctus Thomas 2. 2. *quæst* 86. *art.* 3. Glossa *supra num.* 8. Naldus *in Summa verbo oblatio num.* 5. & alij, propter scandalum, & ne videantur Ecclesiastici tali turpitudini conniuere. Licet, cessante dicto scandalo, aliter fieri posset. Suarez *ibidem* Barbosa *d. cap.* 23. *num.* 20. Nota tamen prædictos peccatores non prohiberi facere dictas oblationes ad Offertorium Missæ, nisi sint publicè tales, & nolint emendari. Syluester *supra* ex Raymundo. Imò nec quando sunt tales publicè, aut manifestè, prohibentur facere eleemosynas Ecclesiis, aut Religiosis. Naldus *supra.* Nisi eas faciant ex rebus contra iustitiam adquisitis *c. super de raptoribus.* 10

Pro

Pro quo etiam notandum, quòd licet alij peccatores publici, præter assignatos, non prohibeantur in iure facere dictas oblationes ad Altare, nec prohibitio illa, cum sit pœnalis, ad alios extendi debeat (Glossa, Angelus, & Syluester *supra.*) si tamen fuerit scandalum, sicut dixi esse in casu meretricis, aut oblationes facere voluerint de rebus contra iustitiam adquisitis, admitti non debent. Suarez *supra num.* 6. *&* 8. Notent præterea Regulares, quòd tam ipsi quam alij Presbyteri Ecclesiastici accipientes oblationes à manifestis raptoribus, priuantur Ecclesiastico beneficio, *capit. super de raptoribus* relato. Thesaur. *in Praxi part.* 2. *verbo Incendiari cap.* 2. Similiter, accipientes oblationes ab vsurariis manifestis, manent suspensi ab executione sui officij, donec ad arbitrium Episcopi satisfaciant, *capit. quia in omnib. de vsur.* Suarez *de censur. disp.* 31. *sect.* 2. Bonacina *de censur. disp.* 3. *punct.* 5. §. 1. *num.* 19. ex Henriquez, Filliucio, & aliis.

11 Maximè tamen notandum Religiosis, quòd scienter admittentes excommunicatos, à Papa, vt ab homine, ad oblationes prædictas in Altari faciendas, incurrunt eamdem maiorem, excommunicationem, si tales erant à Papa denunciati nominatim *cap. significauit.* 18. *de sent. excomm.* Thesaurus *in praxi par.* 2. *verb. Oblatio cap.* 4. ex aliis. Similiter recipientes oblationes prædictas ad Altare inter Missarum Solemnia à quibuslibet excommunicatis maiori excommunicatione, vel interdictis non toleratis incurrunt Interdictum ab ingressu Ecclesiæ donec de trāsgressione huiusmodi ad arbitrium eius cuius sententiam contempserit satisfecerit competenter, ex *cap. Episcoporum de priuileg in* 6. Thesaurus *supra.* Quomodo autem, secundum plures, liceat Religiosis postulare eleemosynas ab excommunicatis etiam vitandis, dixi *supra verbo Excommunicatio quoad regulares num.* 49. Quod intellige, etiam si illas dent, vt oretur pro ipsis, oratione, scilicet priuata tantum, cuius sunt capaces. Thesaur. *supra* ex aliis. An verò liceat recipere eleemosynam ab ipsis excommunicatis vitandis pro Missis dicendis pro illis, respondendum est negatiuè cum eodem Thesauro, & DD. communiter *in cap. cum voluntate de sent. excomm.* conformiter etiam ad *dicta supra verbo excommunicatio quoad Regulares num.* 11.

12 Cum oblationes fiunt ad Altare non Patena, sed Crux, aut Sacra Imago offerentibus fidelibus ad osculum præberi debet. Naldus *supra num.* 5. Pro quo, & aliis concernentibus modum faciendi istas oblationes, consule Gauantum *in Man. Episcop. verb. Oblationes,* vbi nonnulla ex Conciliis Mediolanensibus.

OCCVLTVM.

SVMMARIVM.

Vtilis hæc materia pro Regularibus. num. 1.
Occultum quotuplex sit. num. 2.
De occulto, quod opponitur contra probabile. numero 3.
De occulto, quod distinguitur à notorio. num. 4.
De occulto, quod opponitur publico, seu famoso. numero 5.
Facultates concessæ Regularibus ad absoluendum, seu dispensandum in casibus occultis, ad quos casus extendantur. num. 6.
De facultatibus concessis à Sacra Pœnitentiaria pro casibus occultis. num. 7.
Quando Regulares vti possunt dictis facultatibus, numero 8.
Quid si casus sunt materialiter publici, licet in ratione delicti occulti. num. 9.
Quid de casibus alicubi publicis, in loco tamen vbi absolutio, vel dispensatio conceditur, occultis. numero 10.
Quid de casibus ad forum contentiosum reductis. numero 11.
Quid quando delictum socij reductum est ad forum contentiosum. num. 12.
Quid quando reus non est absolutus. num. 13.
Quid quando casus, qui erant occulti, fiunt publici. num. 14.

CONTINGIT sæpiùs, vt in priuilegiis ab Ecclesia Regularibus concessis, ipsis tribuatur facultas absoluendi, dispensandi, &c. in casibus solum occultis, prout contingit in priuilegio concesso Episcopis à Concilio Tridentino *sess.* 24. *cap.* 6. quod etiam concessum esse Prælatis Ordinis Prædicatorum, ac per consequens aliis communicationem priuilegiorum cum ipsis habentibus, dixi *tom.* 1. *p.* 1. *cap.* 18. *num.* 31. Idem dico de aliis similibus priuilegiis, & literis S. Pœnitentiariæ, quæ committi solent Religiosis pro casibus occultis. Idcirco vtile valde illis erit scire quando casus aliquis sit, vel dicatur occultus, vt possint dicta facultate vti. 1

Pro quo primò notandum, quòd occultum dicitur dupliciter, primò per se, & est illud, quod nihil habet ex natura sua vndè possit cognosci ab hominibus, vt est actus interior nullo signo externo manifestatus. Secundò, per accidens, & est illud, quòd ex natura sua potest cognosci ab hominibus, sed de facto non cognoscitur, quia defuit, qui illud cognosceret, vt est actus externè factus, quem tamen nullus vidit, nec audiuit, quia nullus erat in loco, quo factus est. Caietanus, & Aragon. 2. 2. *quæst.* 11. *art.* 3. Rursus hoc occultum per accidens sumitur tripliciter primò, vt distinguitur contra probabile & est illud, quod, etsi externè factum fuerit, nihilominus idoneis testibus probari nequit. Secundo modo, vt distinguitur contra publicum famosum, & est illud, quod licet probari possit, non tamen laborat infamia. Tertio modo largius, vt distinguitur contra notorium, & est illud, quod, etsi probari possit, & fama publica proclamatum sit, nihilominus non est tam clarum, & manifestum, quòd tergiuersatione celari non possit, quod est non esse notorium facti, vel iuris. Pro quo vide dicta supra verbo *Notorium numero* 3. vbi habes quid sit publicum, famosum, & notorium. Vide & Sanchez *tom.* 3. *consil. Moral. l.* 6. *cap.* 3. *dub.* 3. *num.* 15. ex Soto, Castro, Corduba, & aliis. Est autem in præsenti sermo solùm de occulto per accidens, nam quod est per se occultum, cum sit actus merè internus, ac per consequens nec directè cadat sub iurisdictione Ecclesiæ, non est de facto reseruabile ab ipsa, nec pœna aliqua Ecclesiastica mulctatur, ac proinde non cadit sub facultate absoluendi, & dispensandi in casibus occultis. 2

Et quidem de occulto primo modo, eo scilicet, quod distinguitur contra probabile, seu quod non est probabile, quia scilicet, etsi externè factum fuerit nihilominus idoneis testibus probari nequit, certum est illud cadere sub prædicta facultate absoluendi, vel dispensandi in casibus occultis. Tale enim est verè, & simpliciter occultum, cum re vera manifestatum publicatum, aut notorium non sit. *cap. vestra de cohabi* 3

cohabitatione Cleric. Ita etiam supponunt cōmuniter Auctores referendi inferiùs, præsertim Garzia *de Beneficiis part.7.cap.11. numero 46.* Ex quo colligo, posse Prælatos Regulares ex vi dictæ facultatis concessæ Episcopis, & sibi communicatæ (si communicationē habeant in priuilegiis cum Dominicanis) & ex vi quorumcumque priuilegiorum, quæ habuerint ad absoluendum, seu dispensandum in casibus occultis, vti illis cum suis subditis, etiam si casus illi sint externi, & ab vno vel duobus sciantur. Tales enim casus dicuntur improbabiles.

4 Cœterum, loquendo de occulto tertio modo, scilicet, provt distinguitur à notorio, certum etiam videtur non cadere sub prædicta facultate. Ratio est, quia tale occultum cum aliàs non solùm sit probabile, sed etiam publicum, & famosum, non potest dici simpliciter occultum, sed solùm largo modo, & secundum quid, quatenus opponitur notorio seu quatenus non est notorium. Ac per consequens nomine occulti non veniet in prædictis priuilegiis. Et ita supponere videntur Authores referendi.

5 Loquendo autem de occulto secundo modo, quod scilicet non est publicum, aut famosum, licet probari possit, quamuis Garzia *supra*, referens Graffium dicat illud non appellari occultum in præsenti in ordine ad facultatem absoluendi, & dispensandi concessam Episcopis pro casibus occultis à Concilio, & ad id afferat quasdam declarationes Sacræ Congregationis, nihilominus dum de talibus, declarationibus authenticè non constat, probabilius censeo oppositum. Ita vt credam, quòd in prædicta facultate, casus occulti nomine intelligatur id, quod, etsi probari possit per testes idoneos, de facto tamen non est probatum, publicatum, aut diffamatum. Ratio est, quia ipsum Concilium satis clarè id denotare videtur. Cum enim dixisset *Liceat Episcopis in irregularitatibus omnibus, & suspensionibus* ex delicto occulto prouenientibus dispensare, id limitat dicens: *exceptis deductis ad forum contentiosum.* Ex hoc enim manifestè sequitur, ea, quæ non sunt deducta ad forum contentiosum, etiamsi deduci possint, quia sunt probabilia, cadere sub prædicta facultate. Et ita tenent communiter DD. specialiter Nauarrus *in Manual.cap.27. num.255.* Suarez *tom.5. de Censur. disputat.41. sect.2. num.6.* Sayrus *de Censur. lib.4. cap.17. num.21.* & *lib.7. cap.13. num.12.* Bonacina *de Censur. disput.1. quæst.3. punct.2. num.1.§. quarto delicta*, & plurimi alij, quos refert, & sequitur Barbosa *de offic. & potest Episcop. alleg.39. num.24.*

6 Idem etiam dicendum de quibuscunque aliis facultatibus concessis Regularibus ad absoluēdum, & dispensandum in casibus occultis, extendi scilicet, illas ad casus occultos, qui quamuis probari possint de facto tamen probati, aut publicati, aut famosi non sunt. Tum à simili de prædicta facultate Episcopis concessa; tum quia tales casus, etiam si probari possint, interim tamen dum non probantur, neque ad iudicium deferuntur, occulti censentur. Sanctarellus *var. resolut. quæst.72. num.13.* Thesaur. *in praxi parte 1. cap.21.* post Nauarrum, Suarez, Sà, Sayr. Molinam, Viualdum, & Sanchez.

7 Idem quoque dicendum de facultatibus concessis à Sacra Pœnitentiaria, conformiter ad dicta *supra Verbo Litteræ Apostolicæ numero 28.* ita scilicet, vt cùm ab illa conceditur facultas absoluendi, seu dispensandi in casibus occultis, ea extendatur ad casus illos, qui etsi probari possint per testes idoneos, de facto tamen, vt dixi, probati, publicati, aut diffamati non sunt. Sanchez *lib.8. de matrimonio disput.34. num.55.* Garcia *supra.* Licet Thesaurus supra videatur dicere non sic practicari in Sacra Pœnitentiaria.

Vnde colligo, posse Regulares vti prædictis facultatibus in casibus notis aliquibus personis, tribus, scilicet, vel quatuor, aut etiam pluribus, respectiuè ad loca, in quibus nota sunt, dummodo tamen talium notitia non faciat casus illos publicos, seu famosos. Ratio est, quia possunt illis vti in casibus, qui publici, famosi, aut notorij non fuerint, quamuis ergo plures personæ illos nouerint, si tamen eorum notitia non faciat casus publicos, famosos, aut notorios, dicentur occulti secundo modo, ac per consequens comprehendentur dictis facultatibus. Auila *de Censuris p.7. disp. 10. dub. 6. concl. 2.* Sanctarellus *sup.* Fagundez *in 2. Ecclesiæ pracept. lib.8. cap.8. numero 24.* Thes. *supra.* 8

Imò etiam poterunt vti prædictis facultatibus in casibus, in quibus actus externus est materialiter publicus, sed non in ratione delicti, seu quod idem est, malitia ipsius publica non est, iuxta dicta supra verbo *Litteræ Apostolicæ eo num. 28.* ex Nauarro, Sanchez, & Bonacina. Vnde ad praxim Regularium, si ipsi habeant facultatem dispensandi in irregularitate occulta contracta à celebrante excommunicato, poterunt illa vti etiam in casu quo celebratio sit publica, non verò excommunicatio. Viualdus *in Candelabo aureo de excommunicatione, num.41.* Fagundez *supra num.25.* Bonacina *supra.* Vide dicta supra verbo *notorium num.7.* 9

Probabiliter etiam idem dici potest in casu quo delictum sit alicubi publicum, aut in iudicio probatum, in loco tamen vbi absolutio, vel dispensatio conceditur, est occultum; nec est spes quòd ibi publicetur, eo quòd patratum sit in loco remotissimo. Quia respectu illius loci vbi absolutio, seu dispensatio conceditur, talis casus censetur occultus de presenti, & de futuro. Sanchez *tom.1. in Decalogum lib.2. cap.11. num.20.* Auila *de Censuris part.2.c.7. disp.1. dub.11. concl.3.* Fagundez *supra num.28.* Barbosa *supra num.26.* Licet oppositum teneat Suarez *4. tom. de pœnit. disputat. 30. sect.2. num.2.* Thesaurus *supra §. aduertendum tertiò*, dicens ita obseruare Sacram Pœnitentiariam. Quod proinde est tenendum pro casu, in quo timor probabilis sit quòd publicari possit in loco vbi conceditur absolutio, aut dispensatio. 10

Idem quoque affirmandum consequenter ad dicta supra dicto verbo *Litteræ Apostolicæ eo num.28.* etiam quando tale delictum deductum fuit ad forum externum, & reus ab eo absolutus, quantumuis falsis testibus se defenderit; cum adhuc crimen maneat occultum. Vide alia eo loco, & præter Auctores ibi relatos Viualdum *in Candelabro aureo, de excommunicatione, numero 42.* Garziam *supra num.48.* Barbosam *supra à num.32.* & Fagundez *supra num.26.* 11

Similiter idem dicendum, quando, delictum socij delatum est ad forum contentiosum, nam etiam in hoc casu delictum alterius potest esse occultum. Bonacina *supra num.2.* ex Nauarro, & Sanchez. 12

Quando tamen delictum est deductum ad forum externum, & reus non est absolutus, siue fuerit punitus, siue non punitus, non possunt Regulares vti prædictis facultatibus, non solùm quia Concilium expresse excludit hunc casum, sed etiam, quia ille iam non est occultus, sed publicus, nam quæ in iudicium adducuntur non sunt occulta, sed publica. Suarez loco relato ex *5. tomo de censur. dict. sect.2. n.5.* Garza *sup. n.50.* Bonacina *de censur. disp.7. quæst.5. punct.1. num.6.* post Guttierez, Rodriguez, & alios, contra Sanchez, Auilam, Henriquez & Reginaldum. 13

14 Si autem casus sit, quòd postquam Regulares concesserint dictam absolutionem, seu dispensationem in casibus occultis, fiant publici, vel deducti ad forum externum, tunc absolutio, seu dispensatio data proderit solùm in foro interiori. Nisi forsan Iudex, prout potest, absolutionem seu dispensationem pro foro etiam externo acceptare velit, iuxta dicta *sup.* verbo *Absolutio n.7.* ex Laymano ibi relato.

OFFICIA RELIGIONVM.

SVMMARIVM.

De illis remissiuè. num. 1.
Munia, seu Officia Religionum triplicis generis sunt. num. 2.
Nomine Officiorum, quæ intelligantur in Bullis, & Constitutionibus Pontificiis. num. 3.
Quorum officiorum Religionum sint incapaces illegitimi. num. 4.
Quid de officio prædicatoris generalis, & gradus lectoratus. num. 5.
Quid de officio Parochi. num. 6.
De procuratione officiorum an liceat Regularibus. numero 7.
Prælatiæ vix possunt appeti, aut procurari sine peccato num. 8.
Alia officia, quæ non sunt Prælaturæ an possint procurari, num. 9.
De Constitutionibus Summorum Pontificum prohibentium recursum ad extraneos pro consequendis officiis. num. 10.
Quæ sunt ex Motu proprio sunt maioris firmitatis. numero 11.
Quos Religiosos comprehendant. num. 12.
An etiam complices, & fautores. num. 13.
Quæ prohibeantur in dictis Constitutionibus. numero 14.
De largitione munerum in ipsis prohibita. numero 15.
Personæ extraneæ extra Ordinem, quæ censeantur numero 16.
Quomodo prohibeantur Prælati dare Officia intuitu fauorum extraneorum. num. 17.
An aliquando id possint facere. num. 18.
Quid quando timent notabile aliquod damnum. numero 19.
Quæ gratiæ prohibeantur concedi intuitu talium fauorum. num. 20.
Qualiter prohibitum Religiosis pro se, vel aliis vota, seu suffragia procurare. num. 21.

1 QVAMVIS de hac re non pauca dixerim *tom. 1. p. 2. cap. 13.* alia tamen in præsenti addenda, vel pro maiori ampliatione materiæ.

2 Suppono autem ex dictis eo loco, munia seu officia Religionum generaliter loquendo ad tria genera reduci posse. Alia enim sunt dignitates, illa scilicet, quæ includunt administrationem cum iurisdictione, qualia sunt Generalatus, Prouincialatus, Prioratus, Abbatiatus, Guardianatus, &c. quæ important iurisdictionem ordinariam; & munera Commissariorum, Visitatorum, Vicariorum, & Præsidentium Capitulorum Generalium, seu Prouincialium, quæ important delegatam. Alia verò sunt personatus, illa scilicet, quæ important præeminentiam, seu præcedentiam sine iurisdictione: qualia sunt officium Procuratoris Generalis in Ordine nostro, & officia Diffinitorum, Assistentium, Sociorum, vel Consultorum Generalium; vel Prouincialium. Alia verò sunt, quæ specialiter, & propriùs vocantur officia, ea scilicet, quæ important administrationem sine præeminentia, aut iurisdictione, qualia sunt esse Sacristam, Procuratorem Conuentus. Syndicum, & similia. De quibus præter dicta eo loco lege Portellum *in Dub. Regular. verbo officia ordinis in Additionibus*, & Bordonum *Resolut. 12. à num. 24.* Vnde consequenter ad dicta *supra* verbo *Falsarius num. 3.* Officialium nomine veniunt quicunque Religiosi, qui habent aliquod officium Superioritatis, vt Generalis, Prouincialis, Custos, Prior, Guardianus, &c. siue honoris, vt Definitor, Socius, Assistens, &c. aut oneris, & laboris, vt Procurator, Syndicus, Celerarius, Sacrista, Depositarius, &c. Portellus *supra verbo Falsarius num. 3.* Bordonus *Resolut. 46. numero 5.* ex Graffio, & Coriolano. De his ergo officiis aliqua dicenda in præsenti, præsertim primò, quæ ex illis veniant nomine officiorum in Bullis, Constitutionibus, seu Decretis Summorum Pontificum. Secundò, quorum sint capaces illegitimi. Tertiò, an, & quomodo liceat Religiosis illa procurare.

Et quoad primum, distinguendum est, vel enim officia ponuntur, vt distincta à dignitatibus, personatibus, honoribus, &c. prout sæpius in prædictis Bullis, Constitutionibus, & Decretis Pontificiis contingit, & tunc officiorum nomine solùm venient ea, quæ dignitates, personatus honores, &c. non fuerint. Etenim iuxta dicta supra verbo *Leges Regularium numero 32.* verba legis secundùm proprietatem accipienda sunt. *leg. non aliter ff. de legatis 3.* Quando ergo in prædictis locis officia ponuntur, vt distincta dignitatibus, honoribus, &c. accipi debent, vt talia. Cùm autem officium, vt distinguitur à dignitate, & personatu, importet solùm administrationem sine præeminentia, aut iurisdictione, iuxtà dicta *tom. 1. p. 2. capit. 13. numero 2.* ideo officiorum nomine in prædictis locis solùm venient officia tertij generis. Quando autem officia non ponuntur, vt distincta à dignitatibus, personatibus, honoribus, &c. prout sæpius etiam contingit in prædictis Bullis, Constitutionibus, & Decretis Pontificiis, tunc officiorum nomine venient etiam dignitates, honores, &c. ac per consequens veniet triplex genus officiorum supra designatum. Quod intelligo etiam quoad pœnas priuationis officiorum, &c. quæ in prædictis Pontificiis rescriptis apponi solent, iuxta dicta *tom. 1. part. 1. capit. 10. num. 32.* Quæ sententia rigida non videbitur, prout eam vocat perdoctus Pater Diana *4. part. tract. 4. resolut. 224.* si ea, quæ eò loco dixi, rectè expendantur. 3

Circa secundum, consequenter ad dicta *tomo primo part. 1. cap. 18. num. 7. & to. 2. capit. 12. num. 21. & cap. 13. num. 50. & supra* verbo *Illegitimi Regulares num. 8.* illegitimi incapaces sunt eorum officiorum, quæ sunt dignitates & personatus, non autem eorum officiorum, seu administrationum, quæ dignitates, & personatus non sunt, quæ Sixtus V. in Constitut. infra referenda vocat *officia oneris.* Vnde iuxta dicta eo *cap. 18. num. 62.* & eo *cap. 13. num. 50.* possunt esse Procuratores Conuentuum, Sacristæ, & Magistri Nouitiorum. Nec admittendus Bordonus *dicta Resolut. 12. num. 34.* cum ait, Magistrum Nouitiorum illegitimum egere dispensatione, quia habet regimen animarum, & potestatem super illos. Cum enim officium Magistri Nouitiorum non importet iurisdictionem supra illos in foro externo, cum non 4

non sit eorum Prælatus propriè loquendo, nec importet aliquam præeminentiam in Religione, sed merum ministerium ad educationem, & instructionem Nouitiorum, non est dignitas, aut personatus, ac per consequens poterit ab illegitimis exerceri. Et ita tenent non solùm Rodriguez, & Miranda ab ipso relati, sed Syluester *in Summa verbo Prælatus quæst.*3. & Portellus *supra verbo illegitimus num.* 8. Possunt quoque esse Confessores etiam monialium dummodo iurisdictionem aliquam in foro externo super illas non habeant, propter rationem adductam. Syluester, & Portellus *supra.* Item possunt esse Concionatores, Regentes, & Lectores artium, aut Theologiæ, propter rationem allatam, quia scilicet ista munia non sunt dignitates, aut personatus. Bordonus *supra num.*25. Vnde Sixtus Quintus in Constitutione *ad Romanum Pontificem* in 2.*tom. Bullar. num.*71. declarauit, illegitimos non arceri à Religionibus ab his officiis. Quamuis autem exceperit illegitimos à sacrilegio vel incestu, quia tamen hæc constitutio moderata est à Greg. XIV. in constitutione *Circumspecta tom.* 2. *Bullar. num.*3. & ad terminos Iuris communis redacta, ideo huic moderationi, & reductioni standum.

5 Nota tamen, quòd officia Prædicatoris Generalis, quæ aliquibus Religionibus esse solent in vsu, cum includant præeminentiam quamdam super alios, videntur dici posse personatus, ac per consequens obtineri non posse ab illegitimis sine dispensatione. Idem dico de gradu lectoratus, qui etiam in aliquibus Religionibus (prout in nostra in partibus Italiæ,) non est officium, sed gradus, & importat præeminentiam, ac per consequens etiam videtur dicendus personatus, nec obtineri posse ab illegitimis sine dispensatione, iuxta dicta *suprà* verbo *illegitimi regulares num.* 8. Idem dicit Portellus *supra verbo Officia Ordinis in additione num.*1. de officio lectoris iubilati.

6 Non posse Regulares illegitimos sine dispensatione obtinere officium Parochi, quia tale officium est verè Beneficium; constat ex dictis *supra* verbo *Beneficium, & Beneficiati num.*8. & verbo *illegitimi regulares num.*9. & *tomo* 2. *capit.*18. *num.*34. & docet Bordonus *supra* §.35.

7 Circa tertium, an, & quomodo liceat Religiosis officia suæ Religionis procurare, in primis notanda, quæ de ambitione Regularibus fugienda dixi *in libro de reformatione regularium*, & in hac Summa *supra* verbo *Ambitio.*

8 Distinguendum autem videtur de officiis, quæ sunt Prælaturæ, curam scilicet animarum habentibus, & de aliis, quæ talem curam non important. Et quidem quoad priora, iam dixi eo verbo *Ambitio num.*4. quomodo vix sit casus, in quo licitè, & honestè Religiosus appetere, aut procurare possit Prælatias, nisi quando ex præcepto Charitatis ad id teneretur, quando scilicet electores, vel qui ad Prælatias procedere debent, parati sunt eligere aliquem positiuè indignum, aut perniciosum communitati. Tunc enim propter bonum commune charitas Christi vrget, vt dignus Prælatia se offerat electoribus. In aliis autem casibus, in quibus necessitas non vrget, peccatum mortale esse appetere Prælaturas, colligitur ex eo quod temerarium est magno periculo salutis animæ se exponere absque vrgenti necessitate. Prælaturas autem appetere, seu procurare, est magno se salutis periculo exponere, ob multitudinem scilicet, & grauitatem obligationum, quas secum afferunt. Sotus *lib.*10. *de instit. quæst.*2. *art.*1. Valentia *tom.*3. *disp.*10. *quæst.*3. *punct.* 2. Ledesma *de statu Episcopor. cap.*3. *dub.*2. Peyrinis *tom.* 2. *de Prælato quæst.*1. *cap.*6. plura in sequentibus ad intentum ex Patribus, & Philosophis adducens. Hinc Tamburinus *de Iure Abbat. tom.*1. *disp.*10. *quæsit.* 1. *num.*2. *&* 3. ait: *Nihil Monacho est in hac vita periculosius quam Officium, vel Prælaturam expetere, nam qui ambitiosè exquirendo tale onus desiderat, non religiosus Monachus, sed mundanus homo est appellandus.* Appetere autem aliquem huiusmodi Prælatias, non absolutè, sed conditionatè, scilicet si Deo, & Superioribus, aut etiam electoribus placuerit, & cum cognitione propriæ infirmitatis, & animo Dei Ecclesiæ inseruiendi, ita vt prodesse, & non præesse desideretur, licitum, & laudabile videtur, cum hoc non sit se ingerere, sed se Deo humiliter offerre. Caietan. *in Sum. verb. Beneficia Ecclesiastica* §. *Beneficium*, Conradus, 1. *par. casuum q.*252. §. *quarta est.* Peyrinis *sup. n.*12.

Loquendo autem de aliis officiis Religionum, quæ Prælaturæ non sunt, aut curam animarum non important, sed præeminentiam tantùm, illis applicari possunt, ea quæ dixi dicto verbo *Ambitio numero 6.* quòd scilicet non sit ambitiosus qui gaudet, vel delectatur de honore sibi oblato, vel etiam appetit illum. Primò, si id faciat propter honorem, & & gloriam Dei. Secundò, si propter vtilitatem proximorum. Tertiò, etiamsi gaudeat, aut lætetur de illo, vel appetat illum ea ratione quia sibi est debitum. Quemadmodum enim licitè potest quis delectari, seu etiam appetere quòd res sibi debita, pecunia verb. grat. vel aliqua alia res non sibi denegetur sic, & de huiusmodi honoribus dicendum est. 9

Quia tamen, iuxta dicta *tom.*1. *p.*1. *cap.*10. *n.*17. & *cap.*15. *num.*27. & *cap.*18. *num.*82. plures Bullæ editæ sunt à Summis Pontificibus, quibus multarum Religionum Regularibus prohibitum est recurrere ad extraneorum fauores pro consequendis officiis, gradibus, & honoribus in ipsorum Religionibus; & illorum Prælatis, ne ipsa conferant dictorum extraneorum intuitu: quarum plures retuli locis relatis, similesque refert Tamburinus supra circa quas non paucæ, nec leues oriri solent difficultates, (inter timoratos præsertim, apud quos eæ sunt in vsu) ideo opere pretium duxi nonnulla pro ipsorum explicatione dicere. Quia vero ipsæ variæ sunt, nec eiusdem tenoris, ideo ea præcipuè tangam, in quibus omnes, vel ipsarum plures conueniunt. 10

Et primò, cum illæ sint ex Motu proprio, certa scientia, & plenitudine potestatis, quæ denotant Papã in eis edendis non ex instantia ab aliis ipsis facta, sed ex sua scientia, & potestate absoluta, ita disposuisse, sunt maioris authoritatis, & firmitatis, nec de surreptione, aut obreptione calumniari possunt. De quo inter alios Glossa *in cap. quia diuersitatem de concess. præbend.* Abbas *in cap. ea quæ de sent. & re iudic.* Graffius *tom.*2. *consil. moral. lib.*1. *de offic. delegat. consil.*2. & alij. 11

Deinde illi, quibus in prædictis Bullis prohibetur prædictus recursus ad extraneos pro consequendis prædictis officiis, &c. sunt professi illarum Religionum. Nouitij enim, iuxta dicta supra verbo *Nouitij, & Nouitiæ num.*44. non comprehenduntur in huiusmodi legibus odiosis. Portellus *supra num.*20. Nec etiam comprehenduntur in istis Moniales, sed solùm Religiosi viri. Neque enim vidi aliquam de Monialibus loquentem, nec nomen masculinum in odiosis extenditur ad fœminas. Portellus *num.* 19. Peyrinis *tom.*3. *priuileg. Minim. in Additamentis ad Const. Pauli V. cap.*10. *num.* 3. Similiter nec comprehenduntur Tertiarij, aut Oblati, cum isti religiosi non sint, & Bullæ prædictæ solũ de Religiosis loquantur. 12

13 Comprehendi etiã solent in aliquibus huiusmodi Bullis, provt videre est in ea, quam pro Carmelitis edidit Clemens VIII. & quam retuli dicto *capitulo 10. num. 17.* etiam *complices, & fautores*, ita vt etiam illi incurrant easdem pœnas, quas incurrunt Religiosi prædictos fauores procurantes. Per quos intellige, consulentes, præcipientes, adiuuantes, cooperantes, &c.

14 Porrò id, quod prohibetur in dictis Bullis, est recurrere ad fauores extraneorum, &c. seu procurare illos pro consequendis dictis officiis, dignitatibus, &c. Per quæ intelligitur quæcunque actio facta à Religiosis siue verbis, siue epistolis, siue precibus, siue muneribus datis ad consequendum dictos fauores. Portellus *supra num. 35.* Addit tamen (quod, & sequitur Peyrinis *supra num. 8.*) id intelligi quando procurant tales fauores pro se, non quando pro aliis Religiosis, quia sumus in pœnalibus, in quibus non est facienda extensio. In hoc tamen attendi debet ad verba Bullæ, quæ diuersa esse solent, & videndum an ea etiam extendatur ad procurantes fauores pro aliis. Qualis est ea, quam Clemens VIII. fecit pro Ordine nostro, & quam retuli *tomo primo p. 1. cap. 1. num. 17.* ea namque extenditur etiam ad *complices, & fautores*. Addunt etiam, quod si extraneus obtulit fauores Religioso, ipso non rogante, neque acceptante, imò potius recusante, si postea contingat, quòd intercessione ipsius conferatur Religioso aliquod officium, hic casus non comprehendatur dicta prohibitione, sed possit illud officium acceptare. Sed licet hoc verum sit quoad Bullas, de quibus hi Authores loquuntur. Quoad eam tamen, quam pro Carmelitis edidit Clem. VIII. comprehendi videntur etiam hi, qui acceptant aliqua officia mediis fauoribus obtenta, etiam si ea sponte oblata, & minimè procurata sint. Dicitur enim, *aut etiam sponte oblatis, & minimè conquisitis vsi fuerint*, quæ verba si attendatur ad contextum Bullæ, ad officia referuntur. Illud autem cum eisdem Authoribus admittendum, quod si extraneus obtulit Fratri rogaturum pro illo ad obtinendum officium, &c. & Religiosus taceat, nihil omnino loquens, comprehendatur in dictis Bullis, nam tunc intrat Regula illa 43. inter regulas Iuris. *Qui tacet consentire videtur.* Procedit enim hæc regula, vt habet Glossa *ibidem*, vbi agitur de commodo, & honore tacentis, prout contingit in præsenti. Qualiter autem non incurrat pœnas harum Bullarum Religiosus, qui pro consequendo aliquo officio suæ Religionis impetrauit aliquas litteras ab extraneo aliquo, & illas postea non dedit, vel ipsæ interceptæ sunt, ita vt ad manus Prælati officium daturi non peruenerint, constat ex dictis *tomo 1. part. 1. capit. 15. num. 27.* & consonant ea, quæ in simili dixi *supra verbo Casus reseruati Regularium num. 12.*

15 Circa munerum largitiones pro consequendis officiis, &c. quæ in aliquibus Bullis prohibentur expressè, & in ea quæ est pro Carmelitis implicitè illis verbis, *aliisque viis directè, vel indirectè, palam, vel occultè*, &c. præter dicta *supra* verbo *Dare, seu Donare quoad Regulares num. 1.* notandum cum prædictis Authoribus, primò, quod id est intelligendum, quando ea munera dantur extraneo, vt impetret à Prælato aliquod officium, non quando dantur Prælato, vt illud conferat. Esto enim Religiosus id faciens incidere possit in pœnas aliàs grauiores, etiam Simoniæ, iuxta dicta *tom. 1. part. 1. capit. 15. num. 28.* non tamen in illas, quæ his Bullis designantur. Secundò, incurrere Religiosum pœnas harum Bullarum quando dederit talia munera extraneo intentione impetrandi officium à Prælato religionis, medio fauore illius. Tertiò, non incurrere illas qui talia munera dederit extraneo pro obtinenda confirmatione alicuius electionis legitimè factæ, à Prælato, iniustè, & sine causa eam negante: quia hoc non est obtinere mediis muneribus collationem gratiosam officij, quod solùm videtur prohiberi his Bullis, sed obtinere confirmationem iure debitam. An verò incurrat pœnas Simoniæ, aliquid insinuaui eo *cap. 15. numero 36.* Vide dicenda infra verbo *Simonia*. Quartò, nec incurrere dictas pœnas, qui parua munera non sufficientia pro materia peccati mortalis, aut pro inductione illius extranei ad procurandum pro ipso dictum officium, dedit. Quia licet intentio dandi illa possit esse peccatum mortale, actus tamen externus donandi, propter paruitatem materiæ, non meretur tam graues pœnas. Pro quo vide à simili dicta *supra*, verbo *Casus reseruati. num. 10.*

Circa personas autem extraneas, ad quarum fauores prohibentur Religiosi recurrere pro obtinendis 16
officiis, &c. licet diuersimodè in prædictis Bullis nominentur, & ita diuersimodè etiam de illis iudicari debeat; nihilominus si solùm nominentur personæ existentes extra Ordinem, probabiliter credo cum Peyrinis *supra num. 3. & 4.* contra Portellum *supra num. 18.* non comprehendi Moniales Ordinis, aut Episcopos, seu Cardinales ex Ordine assumptos, non enim sunt simpliciter extra Ordinem. Præsertim, quia cum lex sit pœnalis, & odiosa, restringi debet quantum fieri potest. Idem non improbabiliter dici potest cum eodem Peyrinis *num. 5.* de Cardinalibus Protectoribus, propter eamdem rationem, & præsertim, quia, iuxta dicta *tom. 2. part. 2. cap. 9. numero 5.* ipsi sunt aliquo modo veluti Superiores Religionum, quibus præficiuntur, & veluti ipsarum Prælati, saltem spectato modo, quo circa illas de facto se gerunt. Vide Homobonum *tom. 2. exam. tract. 9. capit. 5. quæst. 10.* Si autem, prout in Bulla pro Carmelitis contingit, nominentur personæ de gremio Ordinis non existentes, cum nec Domini Protectores, nec Episcopi ex Ordine assumpti, aut Moniales sint de gremio ordinis, eo quòd gremium Ordinis importare videtur eos, qui sunt de ipsius Capitulis, quod non competit prædictis, non videtur ipsis applicari posse ea, quæ diximus. Licet si aliqui contrarium dixerint asserentes idem importare extra gremium ordinis, & extra ordinem, non multum contradicam.

Habetur etiam in prædictis Bullis prohibitio 17
erga Prælatos Religionum, ne prædicta Officia Religiosis conferant propter fauores extraneorum, iuxta dicta *tom. 1. part. 1. cap. 18. num. 82.* Sed præter ibi dicta, notandum ex prædictis Authoribus. Primò, quoad Prælatos attendendum esse ad verba Bullæ. In eis autẽ, quas vidi, tam pro nostro quã pro aliis Ordinibus, omnes Prælati, siue infimi, siue supremi Religionũ comprehẽduntur. Secundò, nomine Prælatorum non venire Definitores, Socios, Assistentes, &c. quia isti non sunt Prælati nec eorum munia sunt Prælaturæ, aut dignitates, sed personatus, iuxta dicta *supra numero 2.* Verum quidem est, quòd in Bulla Clem. VIII. pro Ordine nostro non solùm prohibetur id Prælatis, sed etiam aliis Fratribus, ac per consequens etiam illi comprehenduntur. Tertiò, quoad ea quæ prohibentur facere propter dictos fauores attendi debere ad verba Bullarum. In aliis enim plura, & in aliis pauciora continentur. In eis verò, quas videre potui, solùm est sermo de officiis intra Religionem. Quare si Prælatus ad instantiam alicuius extranei officium aliquod extra ordinem

ordinem alicui Religioso concederet, non incidet in pœnas dictarum Bullarum. Quartò, quòd si Prælatus inferior, aut etiam quilibet alius Frater ad instantiam extranei petat à Prælato Superiori officium pro aliquo Religioso, & obtineat illud, non propterea talis petens incurret pœnas harum Bullarum; quia illæ solùm prohibent dare tale officium propter dictos fauores; non intercedere, & intercedere non est dare. Quintò, quòd si Prælatus intuitu alicuius sæcularis amici sui nihil tamen ab ipso postulantis daret alicui Religioso amico, vel consanguineo dicti sæcularis aliquod officium, non transgrederetur dictas Bullas, quia illæ solùm prohibent ne dent dicta officia ad instantiam requisitionem, seu etiam contemplationem extranei petentis, seu fauorem suum interponentis. Generaliter etiam loquendo attendendum est ad verba dictarum Bullarum, & cum simus in materia odiosa, & aliquoties necessarium sit Prælatis religionum beneuolos habere sæculares pro negotiis ipsarum, strictè interpretanda sunt, quantum proprietas ipsorum permiserit. Pro quo vide præfatum Peyrinis *supra num.* 2.

18 Maximè ex ipso, & relato Portello *supra num.* 29. notandum sextò (quod est valde consolatorium pro Prælatis) quòd si ipsi conferant aliquod officium ad instantiam alicuius extranei alicui Religioso digniori, vel saltem æquè digno, principaliter propter dignitatem, & capacitatem ipsius; licet secundariò propter preces illius extranei, probabile est non incurrere pœnas harum Bullarum. Primò quia ita videtur expressum in *capit. tuam de ætat. & qualit.* vbi habetur non committit Simoniam si rogante aliquo pro eligendo, elector det officium, non habito respectu ad preces illicitas sibi exhibitas. Quia non magis debet hæc lex obligare, quam ea quæ imponit pœnas Simoniæ. Secundò, quia lex harum Bullarum videtur fundari in præsumptione, qua præsumitur indignos esse illos, qui fauores pro obtinendis officiis procurant. Cessante ergo hac præsumptione cessabit, & lex, iuxta dicta supra verbo *Leges Regularium num.* 61. Sicque video consuli, & practicari à viris doctissimis. Notent tamen Prælati, ne se ipsos decipiant, dando talia officia principaliter propter instantiam sibi factam, & non propter idoneitatem illius cui dantur. Teste enim D. Gregorio 1. *part. pastoral. cap.* 9. *Sæpe mens de se ipsa mentitur, & fingit se de bono opere amare quod non amat, &c.* Quod pro aliis similibus casibus obseruandum est.

19 Notandum etiam, quòd si casus esset (saltem rarus) quòd si Prælatus non conferret Officium religioso ad instantiam alicuius extranei, ille, quia proponens est Princeps, vel magnæ authoritatis, indignaretur contra Prælatum, & Religionem, propter quod prudenter timeatur notabile aliquod malum illaturum Prælato ipsi aut Religioni, vel impediturum aliquod bonum: tunc posita capacitate Religiosi pro quo facta est instantia, poterit ipsi conferri tale officium, tum ad redimendam iniustam vexationem, tum quia leges Ecclesiasticæ non censentur obligare cum tanto dispendio.

20 Cum autem in prædictis Bullis diuersitas sit circa ea, quæ prohibentur Prælati concedere subditis ad instantiam extraneorum, cum in quibusdam solùm sit sermo de officiis, dignitatibus, &c. in aliis prohibeatur etiam quodcunque genus gratiæ; aliæ etiam prout nostra illa Clementis VIII. extendantur ad remissionem pœnarum, ideo generalis regula alia tradi non potest, nisi quòd ad singularum verba attendi debet in particularibus Religionibus. Quid autem intelligatur in ipsis per dignitates, honores, officia, &c. constat ex dictis tum supra, tum *tom.* 2. *cap.* 13. relato. Quomodo etiam incurrantur censuræ, & pœnæ in eisdem contra transgressores assignatæ, maximè an prædictæ pœnæ incurrantur ante quamcunque declarationem, & quis possit absoluere, seu dispensare, vide *dicta tom.* 1. *p.* 1. *cap.* 10. *à num.* 29. & *capit.* 18. *à num.* 30.

Qualiter prohibitum sit Religiosis vota, seu suffragia pro se, siue pro aliis in Capitulis procurare, & de pœnis contra oppositum facientes, ex Decretis Summorum Pontificum inflictis, & quo pacto ea intelligenda, habes ex *dictis tomo primo capite* 15. *numero* 44. 21

OFFICIVM DIVINVM.

SVMMARIVM.

De hac materia remissiuè. num. 1.
Tenentur ad illud omnes Ecclesiæ Regulares. numero 2.
Qualiter peccent Prælati negligentes in sequela Chori. num. 3.
Communitates Regularium quomodo teneantur ad diuinum officium. num. 4.
Quid de singulis Religiosis. num. 5.
Officium diuinum quid importet. num. 6.
Quid de Officiis particularibus propter obligationem aliquorum Conuentuum. num. 7.
Quid de Conuentibus paruis. num. 8.
De modo officiandi diuinum officium. num. 9.
De loco, in quo dici debet. num. 10.
Animaduertenda pro Religiosis scrupulosis. numero 11.
De Oratione Sacrosanctæ, ac Indiuiduæ Trinitati, *&c. num.* 12.
Quomodo intelligenda hæc concessio. num. 13.
De aliis spectantibus ad Officium diuinum remissiuè. num. 14.
De officiis propriis Sanctorum, seu Beatorum. numero 15.

De hac materia plura dicta sunt *tom.* 1. *part.* 1. *cap.* 12. & *sup.* verbo *Breuiarium*, & verbo *Festi dies*, & *verbo Missa.* Nihilominus alia addenda pro ipsius complemento, ea præsertim, quæ spectant ad officium diuinum publicum, & in Choro dicendum. 1

Et iuxta dicta eo *capit.* 12. *num.* 9. & *capit.* 24. *numero* 13. certum est teneri omnes Ecclesias Regulares, siue Fratrum, siue Monialium psallere quotidie in Choro Officium diuinum *horis debitis & deuotè.* Ita enim habetur non solùm ex antiquissima Ecclesiæ traditione, & Regulis, seu Statutis fere omnium Religionum, sed etiam ex Clementin. 1. (non quidem de *de Regularibus*, vt dicto *num.* 9. per errorem habetur) sed de *Celebrat. missarum*, Sumiturque ex antiquissimo vsu Religiosorum Sancti Marci Euangelistæ, prout ex Philone approbat Vualdensis noster *tom.* 3. *tit.* 3. *capit.* 121. *num.* 4. & 5. Quòd autem hæc obligatio sit sub mortali, eodem etiam loco dixi, & colligitur ex dicta Clementina, vbi contradictores compescendi dicuntur per censuram Ecclesiasticam. Censura enim Ecclesiastica, maximè in materia graui, qualis est ista, peccatum mortale supponit. Similiter, quòd hoc præceptum præsertim obliget Prælatos, dixi eodem loco, & 2

& *cap.*18. eiusdem primi tomi *num.*69. Prout etiam illis præcipitur in dicta Clementina: *omni negligentia, & incuria penitùs relegata*, vt ibi dicitur. Rodriguez *tomo primo quæst. Regular. quæst.*42. *artic.*1. Miranda *tomo primo manu. prælat. quæst.*37. *articulo quinto.*

3 Hinc collige, Prælatos negligentes notabiliter, & absque legitima causa, in frequentatione Chori, peccare mortaliter: non solùm, quia ratione scandali, & mali exempli in causa sunt quòd subditi idem faciant, sed etiam, quia vix poterit, ipsis absentibus, Officium diuinum, prout decet, in Choro celebrari. Suarez *tom.* 2. *de Relig. libro* 4. *de Hor. Canonic. cap.*10. *num.*8. Fillіucius *tom.*2. *tractat.*23. *cap.* 4. *num.*135. Bartholomæus à Sancto Fausto *de horis Canonicis lib.*2. *quæst.*18. Vnde tales Prælati deponi debent à suis officiis. Tum ex particularibus Statutis, & constitutionibus Religionum, specialiter ex nostris *part.*2. *cap.*3. *num.*1. vbi in hoc negligentes iubentur grauiter puniri. Tum ex iure communi *cap. Si quis Presbyter dist.*92. vbi Clericus Ecclesiæ deputatus choro adesse negligens deponi iubetur. Bartholomæus à S. Fausto *in Thesauro, lib.*6. *quæst.*179. Peyrinis *tom.*2. *de prælato quæst.*1. *cap.*4. *num.*123.

4 Obligantur etiam eodem præcepto, & sub mortali, psallendi quotidie in choro diuinum Officium Communitates ipsæ Religiosorum, seu Religiosarum; vel, quod idem est, Religiosi, aut Religiosæ personæ collectiuè sumptæ. Ratio est, quia hoc præceptum obligat Ecclesias ipsas, Ecclesia autem supponit pro personis Ecclesiasticis in ea existentibus collectiuè sumptis. Bonacina *de Horis Canonicis disp.*2. *quæst.*1. *p.*1. *n.*9. Diana 3. *part. tract.*2. *Resolut.*18. Bordonus *resol.*30. *num.*5.

5 Non tamen tenentur dicto præcepto regulariter loquendo Religiosi ipsi, aut Religiosæ in particulari distributiuè, aut diuisiuè sumptæ, propter oppositum fundamentum, scilicet, quia hoc modo sumpti non repræsentant totam Ecclesiam Regularem, cui immediatè est positum hoc præceptum. Bonacina, Diana, & Bordonus relati, ex Suarez *tom.*2. *de Religione l.*4. *cap.*10. *num.*5. & Raphaël de la Torre in 2.2. *D. Thom. tomo primo controuers.* 10. *de Horis Canonicis disputat.* 1. *num.*6. Dixi, *regulariter loquendo*, quia in casu quo singulorum absentia in causa esset quòd Officium diuinum in choro, vel non celebraretur, vel non eo modo quo debet celebrari, singulos in particulari obligaret hoc præceptum. Bonacina *dicto numero* 9. *& disputat.* 1. *quæst.*2. *punct.*2. *numero* 8. §. *Dixi.* Bordonus *supra.* Quo etiam casu teneretur Prælatus districtè præcipere subditis, vt chorum sequantur, Bonacina, & Bordonus, *ibidem.* An verò extra talem casum, Religiosi, qui ex consuetudine non veniunt ad chorum peccent mortaliter, variant DD. Etenim Peregrinus *in Comment. ad Constitutiones sui Ordinis p.* 1. *littera B.* tenet partem affirmatiuam, negatiuam verò Diana *supra.* Ego autem, licet priorem sententiam probabiliorem credam ratione scandali, aut mali exempli, quod ferè semper accidit, si Religiosus consuetus sit sine legitimo impedimento ad chorum non venire; posteriori verò adhærendum puto, secluso tali scandalo, etiam si adsit consuetudo: quia iuxta *dicta tomo primo p.* 1. *capit.*8. *num.*18. ex S. Thom. & Caiet. no, consuetudo transgrediendi leges non obligantes ad mortale non inducit peccatum mortale per se loquendo. Quid verò dicendum sit de obligatione Religiosorum ad sequelam chori, propter Decreta Summorum Pontificum Clement. V I I I. & Vrbani V I I I, habes *tomo* 1. *p.*1. *cap.* 10. *numero* 20. Quid etiam propter obligationem Regulæ, & constitutionum vnaquæque Religio habebit in hoc particularia iura. Quantùm verò obligent Regulæ, & constitutiones Religionum habes ex *dictis tomo primo p.*1. *c.*7. & 8. illud certum Canonicos, & alios Beneficiarios strictiùs obligari ad chorum, quàm Regulares, quia illi, & non isti obligantur ex iustitia, scilicet, ratione beneficij, quod illis datum est ob publicam recitationem diuini Officij. Suarez *supra numero* 16. Bonacina *dicto num.*8.

Officium porrò diuinum, ad quod dico teneri Ecclesias omnes Regulares, & totam Communitatem Religiosorum, vel Religiosarum in eis existentem, & præcipuè, Prælatos ipsarum, non solùm includit septem horas Canonicas, sed etiam Officium Beatæ Virginis, officium mortuorum pro secunda die Nouembris, Litanias in die Sancti Marci, & in tribus diebus ante Ascensionem, Psalmos Graduales, & Pœnitentiales, & officium defunctorum pro diebus, quibus iuxta rubricas Breuiarij debent dici. Ratio est, quia officium diuinum importat laudes, & preces ab Ecclesia institutas ad orandum, & laudandum Deum certis, ac definitis horis, hæc enim est definitio officij diuini, & competit prædictis. Peyrinis *supra num.* 124. ex pluribus Doct. De quo etiam Candidus 4. *part. disquisit.* 4. *articul.* 24. *dubitat* 19. *& sequentib.* Quando autem, & quibus diebus obligent prædicta, habes ex dictis *tom.*1. *p.*1. *cap.* 12. relato. 6

Idem dico de officiis diuinis, quæ in aliquibus Monasteriis dicuntur in choro ex obligatione fundationis ipsorum, testamenti, pacti, legati, eleemosynæ, Capellaniæ, &c. qualia sunt aliqua officia mortuorum, Vesperæ B. Virginis, Sanctorum, &c. ea enim dicere spectat ad totam Communitatem collectiuè; ad Superiores autem, vt præcipiant subditis, vt illis satisfaciant, propter dicta à simili. Addit Bordonus *supra num.*9. etiam spectare ad singulos Religiosos diuisiuè, ita vt singuli peccent mortaliter ea omittentes. Sed hoc non admitto, nisi id habeatur in prædictorum onerũ institutione. Ex consuetudine enim Ecclesiarum Regularium habetur, quòd dummodo in choro adsit numerus competens Religiosorum, ipsi satisfaciant huiusmodi obligationibus. Imò rigore loquendo, nisi, vt dixi, id exprimatur in istarum obligationum institutione, aut habeatur ex voluntate Institutoris, cum quatuor Canonici, vel Ecclesiastici constituant Chorum, vt habent Marignus *Tractat. de Horis Canonicis cap.*56. *num.* 24. & Diana 2. *part. Tractat.*12. *Resolut.*31. videtur dicendum, quatuor Religiosos sufficere in choro pro talium onerum adimpletione. Casu autem quo non adimpleantur, teneri Monasteria ad restitutionem prouentuum, quæ ex illis officiis ipsis contingunt (etsi oppositum tueatur idem Bordonus) certum omnino est, cum ex communi sententia Doctorum, de qua inter alios Sotus 4. *de Iustitia quæstione* 7. *artic.* 3. & Sayrus *in Claui regia libro* 10. *Tract.* 2. *capit.* 1. ex violatione iustitiæ commutatiuæ, seu contractus, aut ratione damni tertio illati, oriatur obligatio restituendi. Quæ omnia interueniunt in præsenti, si quidem prædicta officia debita sunt ex iustitia commutatiua ratione contractus initi inter ipsorum Institutorem, & Monasteria, & in omissione illorum damnum spirituale illi infertur. Sicut ex communi sententia Doctorum idem dicitur de non adimplentibus obligationes Missarum, Anniuersariorum, Legatorum, &c. 7

Hæc porrò omnia etiam applicari debent ad 8

Conuen

Conuentus paruos. Etsi enim tales sint, & in ipsis forsan prædictus numerus quaternarius Religiosorum quandoque non reperiatur, hoc tamen non tollit quominus, iuxta eorum possibilitatem, satisfacere teneantur obligationibus prædictis, saltem ratione pacti, aut promissionis, quibus illas acceptarunt. Etsi oppositum etiam insinuet idem Bordonus.

9 Circa modum autem officiandi, seu dicendi officium diuinum in Choro, nota primò, illud non debere dici transcurrendo, syncopando, extranea, vana, aut profana intermiscendo colloquia, prout expressè in dicta Clementina prima *de Celebrat. Missarum* cauetur. Imò id esse quandoque peccatum mortale dixi eo *c.*12. *n.*12. Psalmi etiam debent dici deuotè, prout etiam in eadem Clementina præcipitur, conformiter etiam ad *cap. Dolentes de celebratione Missarum.* De qua deuotione, seu attentione requisita dixi *cap.*12. relato *num.*11. Dici etiam debet debitis, & statutis temporibus, prout in eadem Clementina præcipitur, adiuncta consuetudine Ecclesiæ, ita vt sine magna causa oppositum facere, graue peccatum sit, iuxta dicta eo *cap.*12. *num.*15. Præueniri tamen potest, cum timetur impedimentum non recitandi illud tempore debito. Naldus *in Summa verbo officium diuinum num.*3. post Canum, quem refert. Notandum tamen, quòd licet semel, vel iterum possint Prælati Regulares dispensare, vt Officium aliis temporibus, quàm statutis ex consuetudine Ecclesiæ dicatur in Choro, non tamen possunt in perpetuum id facere, etiam causa iusta interueniente. Ratio est, quia contrarium præcipitur in dicta Clementina prima *de Celebrat. Missar.* quæ est Concilij generalis Viennensis, in præceptis autem Concilij generalis, licet possint Episcopi, ac per consequens etiam Prælati Regulares pro aliquo casu dispensare, sed non pro semper, quacunque etiam data causa. Sanchez *tom.*2. *Consil. moral. lib.*7. *cap.*2. *dub.*42. *num.*6. ex Armilla, Tabiena, & Nauarro.

10 Dici præterea debet Officium diuinum in choro, vel Ecclesia. Ita enim colligitur ex dicta Clementina, & ex *cap. vltim. distinct.*92. accedente traditione, & consuetudine Ecclesiæ. De quo Nauarrus *de oratione tract.*5. *num.*3. Bellarminus *lib. de bonis operibus capit.*18. Reginaldus *libr.* 18. *num.* 178. Causa tamen rationabili supposita, scilicet, constructione Ecclesiæ, vel Capellæ, vel ad euitandum magnum frigus, aut magnam aliquam temporis intemperiem, dici potest in sacristia, vel alio loco proximo Ecclesiæ. Bonacina *supra disp.*1. *quæst.*3. *punct.*5. *num.*3. & 4. ex Macigno, & Suarez. Declaratum etiam dicitur à S. Congregatione apud Barbosam *in Collectaneis Bullarij verbo officia propria*, Officium diuinum recitari posse extra chorum in sacristia diebus ferialibus arbitrio Episcopi, non verò in festiuis, non obstante contraria consuetudine. Curandum tamen semper, vt eo loco dicatur, quòd percipi possit à fidelibus in Ecclesia existentibus. Officium enim diuinum publicum, de quo loquimur in præsenti, non solùm dicitur propter vtilitatem dicentium, sed etiam audientium. Propterea enim, vt credo, Romæ decisum audio, non potuisse Canonicos quosdam satisfacere suæ obligationi in Sacristia, quæ non habebat fenestram versus Altare maius.

11 Pro Religiosis autem maximè scrupulosioribus in choro celebrantibus diuinum Officium aliqua animaduertenda. Primò, qui submissa voce recitat suos versiculos, & audit socios canentes aliam partem, satisfacit obligationi Officij, quia talis verè recitat Officium cum aliis. Suarez *dict. libr.*4. *cap.*12. Sanchez *supra dub.*14. Candidus *tom.*2. *Disquisit. moral. disquisit.*25. *art.*24. *dub.*3. Secus esset si tantum audiret alios, & ipse nec cantaret, nec recitaret suam partem; quia præceptum Ecclesiæ est de recitando, aut cantando Officio, non de illo audiendo. Bonacina *dict. quæst.*3. *punct.*2. *num.*15. Secundò, qui suam partem recitat, sed aliam, quam alter Chorus recitat, attendens ad illam, ex aliquo accidenti, surditate, vel impedimento, non percipit, satisfacit Officio, quia verè recitat cum aliis. Sà *in Summa verbo Horæ Canonicæ numero nono.* Tertiò, qui in choro aliquid omittit culpabiliter, aut inculpabiliter, non debet omissum repetere durante Officio in choro, sed potius debet illud reseruare post expletum officium.

Ratio est, quia iustam habet causam differendi, cum chorus semper prosequatur officium. Bonacina *dict. quæst.*3. *punct.*4. post Nauarrum, Suarez, Filliucium, & alios; quos refert. Imò si talis pars, quæ omittitur est parua, prætermitti potest, quia cum materia sit leuis, ex leui causa omitti potest. Idem Bonacina *supra punct.*2. §.1. *num.*23. ex eisdem Auctoribus. Vnde infertur, idem esse dicendum de Religioso serò ad chorum veniente, si non multùm in choro processum est. Candidus *supra artic.*26. *dubit.*2. post alios. Quartò, probabile satis esse, quòd censeatur integrè recitare ille, qui dum dicitur diuinum Officium in choro, occupatur occupatione necessaria ad ipsum diuinum Officium, vt præuidendo lectionem, quam est cantaturus, vel mittitur ad thurificandum altare, &c. nec teneri repetere ea, quæ interim ab aliis dicuntur in choro. Ratio est, quia cum chorus reputetur vnum corpus, quod vnus dixit dictum censetur ab alio, qui detentus est occupatione necessaria ad ipsum chorum. Nauarrus *in cap. quando num.*36. & 37. Sanchez *supra dubio* 15. Limitandum tamen hoc est, quando hi ante Officium diuinum non potuerunt, vel non debuerunt præuenire talem occupationem, quia hoc ipsis non incumbebat, & propter necessitatem repente occurrentem hæc faciunt. Tunc enim non tenentur supplere. Nauarrus, & Sanchez *supra.* Quintò, probabile quoque esse, quòd qui organis choro respondet, non tenetur recitare eam partem, quam organum pulsat. Ratio est, quia Ecclesia accipit sonum illum organorum, vt partem diuini Officij. Nauarrus *supra cap.*21. *num.*15. Sanchez *supra dub.*16. & in idem propendit Sotus 10. *de Iustitia quæst.*5. *art.*3. Sextò, probabiliter etiam dici, quòd qui cantant in choro non teneantur dicere versum, qui organis pulsatur. Ratio est, quia sonus ille organorum accipitur ab Ecclesia loco vocum, &, vt pars diuini Officij. Sanchez *supra* ex aliis. Laudabiliter tamen, & securior est vsus nostræ, & aliarum Religionum, quòd versus, qui organis pulsatur, dicatur à duobus in medio chori. Septimò notat Ioannes Sancius *in Selectis disput.*15. *num.*2. §. *Perpendendum* (quod tam pro recitante priuatè, quam in choro intelligi potest) infirmum, etsi valentem conuersari cum amicis se inuisentibus, non ob id constringendum esse ad Officium diuinum recitandum; quia amicis confabulari, potius animi diuersionem, quam attentionem importat, Officium verò diuinum attentionem necessariò petit. 12

Præcipuè octauò notandum, Leonem X. viuæ vocis oraculo concessisse, quòd quicunque dixerit post quamlibet horam diei infrascriptam Orationem, & in fine illius vnum *Pater noster*, & *Aue Maria* pro fœlici statu suæ Sanctitatis, & Ecclesiæ Sanctæ Dei, consequatur plenariam remissionem omnium defunctorum in illa hora humana fragilitate commissorum. Oratio. *Sacrosanctæ, ac indiuiduæ Trinitati,* 13

Crucifixi Iesu Christi Domini nostri humanitati, & Beatissimæ, ac gloriosissimæ Virginis Mariæ fœcunditati, siue integritati, & omnium Sanctorum Vniuersitati, sit sempiterna laus, honor, virtus, & gloria ab omni Creatura, nobisque remissio peccatorum per infinita sæcula sæculorum. Amen. Et Beata Viscera Mariæ Virginis, quæ portauerunt æterni Patris Filium, & beata vbera quæ lactauerunt Christum Dominum. Pater noster, & Aue Maria. Cassarubius *in Compendio Priuileg. Mendicant. verbo Officium Diuinum 2. num. 5.* Addens *num. 6.* quòd idem Leo ampliando prædictam gratiam concessit, quòd non solùm sufficiat dicere supra scriptam orationem *Sacrosanctæ, &c.* pro supplemento vnius horæ, quando dicitur per se sola, sed etiam omnium horarum, quæ dicuntur semel, seu vno contextu, licet aliquis paruus interuallus inter vnam, & aliam fiat.

13 Circa quam concessionem aliqua notanda sunt. Primò, eam videri factam pro omnibus recitantibus Officium, non pro Regularibus tantùm. Nauarrus *in cap. quando de consecrat. distinctione 1. notabil. 19.* Toletus *in Summa lib. 2. cap. 13.* Rodriguez *tom. 1. quæstionum Regular. quæstione 42. artic. 3.* Secundò, quòd quamuis illa sit viuæ vocis oraculo concessa, nihilominus non propterea reuocata censetur hoc tempore, quo viuæ vocis oracula reuocata sunt à Summis Pontificibus Gregorio XV. & Vrbano VIII. Ratio est, quia per istas reuocationes non reuocarunt hi Pontifices omnes concessiones, & gratias viuæ vocis oraculo factas, sed illas tantùm, quæ fuerunt concessæ *Superioribus, & personis cuiuscunque Ordinis, Congregationis, Instituti, & Societatis, vel ipsis Ordinibus, Congregationibus, Institutis, & Societatibus*, vt patet ex verbis ipsorum, & docet noster Stratius *in Instruct. pro Carmelit. cap. 20. num. 8. & 9.* Hæc autem concessio est pro omnibus recitantibus Officium in tota Ecclesia, vt dixi. Tertiò, quòd talis Oratio applicari debet pro fœlici statu Summi Pontificis, & Sanctæ Ecclesiæ, vt patet ex dicta concessione, quod tamen aliqui non animaduertunt. Quartò, quod defectus humana fragilitate commissi in recitatione Officij, quorum remissio à Papa conceditur recitantibus dictam Orationem, non sunt illa peccata mortalia, quæ in tali recitatione committi possunt, non recitando, verbi gratia, integrè, vel attentè, ita vt ab onere repetendi talis Officij liberetur sic recitans. Hoc enim esset maximum, & extraordinarium priuilegium, ac speciali nota dignum. Solùm ergo sunt illi defectus, qui vel per nullam culpam, sed solùm per venialem committi possunt in tali recitatione, ita vt ab onere iterum repetendi recitata cum ipsis, excusetur recitans. Addunt aliqui etiam remitti talia venialia ex vi talis Orationis ad modum Sacramentalis. Quod tamen dubium valde est, & absque sufficienti fundamento dictum. Quartò, probabile esse valere istam concessionem, etiamsi talis Oratio ab vno solo, Hebdomadario scilicet, aliorum nomine, dicatur. Ita enim piè interpretari potest intentio Pontificis in re maximè fauorabili. Bordonus *supra num. 28.*

14 An Prælati dispensare possint, vt in Choro pro aliquo casu recitetur officium non contentum in Breuiario, vide dicta *supra verbo Breuiarium num. 5.* Vbi etiam, & *tomo 1. part. 1. eo cap. 12. & 21.* alia ad intentum. Item *supra verbo Defunctus*, præsertim *num. 6. & 7.* alia, quæ pertinent ad officium Defunctorum. Qualiter etiam excommunicatus maiori excommunicatione non possit diuina Officia ex officio exercere, aut illis assistere, licet ea teneatur priuatim dicere, habes ex dictis *supra verbo Excommunicatio quoad Regulares num. 14. & 19.* Qualiter quoque diuina Officia per interdictum prohibeantur, habes etiam ex dictis *supra verbo Interdictum quoad Regulares à num. 20.* Similiter, quæ diuina Officia prohibeantur à Religioso irregulari, dixi *supra verbo Irregularitas num. 6. & 7.*

De officiis autem propriis Sanctorum, seu Beatorum, quæ tam in Choro quam extra, recitari possunt, 15 præter dicta eo *c. 12. & 21.* vide Decreta S. Congregationis apud Barbosam *in Collectan. Bullar. verbo officia propria 3.* (licet iis diebus videam hoc opus à S. Congregatione Indicis prohibitum) & Notarium *in Lucern. Regular. verb. Officium.* Notandum etiam est S. Congregationem apud eundem Barbosam eo libro *verbo Pœna* mulctasse pœna priuationis vocis actiuæ, & passiuæ quemdam Priorem, qui recitauit in Choro Officium quoddam non approbatum. Quod notandum est pro Regularibus.

OLEVM SANCTVM quoad Regulares.

SVMMARIVM.

OLEVM Sanctum in die Cœnæ Domini per Episcopum consecratum est triplex. Pri- 1 mum, & principale dicitur Sanctum *Chrisma*, quod de Oleo, & balsamo conficitur, quo benedicuntur fontes Baptismales, Calices, & Patenæ, Ecclesiæ, & Altaria, & pueri baptizati in vertice, & in fronte, & Episcopi quando consecrantur in manibus, & in capite, & omnes fideles cum Chrismantur. Quod quidem oleum annuatim consecrandum est, & innouandum *cap. si quis de alio de consecrat. distinct. 4.* Secundum est, Oleum Catechumenorum, quod dicitur Oleum benedictum, siue Sanctum, quo inunguntur baptizandi inter scapulas, & in pectore; & manus Sacerdotis cum ordinatur, & Principes, ac Reges in brachio, & humero, & Ecclesia, ac altare ante Chrismationem. Tertium est, Oleum infirmorum, quo inunguntur infirmi in extrema vnctione. *vt de Sac. vn. cap. vnico.* Angelus, Syluester, & alij Summistæ *verbo Oleum Sanctum*, Barbosa *de Offic. & potest. Episcopi Allegat. 31. num. 1.* Candidus *tom. 3. disquisit. disquis. 3. art. 2. dub. 15.* De illis aliqua, quatenus ad Regulares spectare possunt, dicendum. 2

Et quidem loquendo de primo Oleo, scilicet Chrismate, constat ex dictis *supra verbo Consecratio num. 3.* quid sit, quando, & à quo confici debeat, & qualiter peccent, qui veteri Chrismate, id est, qui non sit illius anni, vtuntur. Pro quo etiam extant declarationes S. Congregationis apud Barbos. *in Collectan. Bullar. verbo Olea Sacra.* Qualiter etiam eo vti non possint Abbates, aut Prælati Regulares in aliquarum rerum benedictione, aut consecratione, dixi *supra verbo Altare numero 3. & 4. & verbo Benedictio, & Benedicere num. 8. & 11. & verbo Consecratio n. 2.* ex variis etiam eiusdem Sacræ Congregationis declarationibus.

Loquendo autem de secundo Oleo, Catechume- 3 norum appellato, illud solùm pro Regularibus animaduertendum, quòd quando curam animarum

cum Baptisterio habuerint, prædictum Oleum illis sit necessarium, sicut etiam Chrisma pro vnctione baptizandorum modo dicto. Idem dico de tertio Oleo, scilicet infirmorum, pro Sacra vnctione extrema danda infirmis moribundis. Vnde illis concedendum est ab Episcopis, vel Ordinariis, prout ex declaratione Sacræ Congregationis, quam refert Barbosa *in dictis Collectaneis* loco relato colligitur. Omnes etiam quantumuis exempti subiiciuntur Episcopis quantùm ad petitionem talium Oleorum, *cap. veniens de præscript.* Vbi Abbas *notatione* 2. Rebuffus *in praxi beneficiorum part.* 1. *tit. de Clericis num.* 22. Erasmus Cochier. *de iurisdictione Ordinarij in exemptos part.* 2. *q.* 45. *num.* 16. Debent etiam talia Olea Sacra illis gratis omnino tribui, ita vt neque liberè oblatum pro illis aliquid accipere possint. Ita enim colligitur ex declaratione Sacræ Congregationis Episcoporum, & Regularium, quam refert Gauantus *in Manuali Episcopor. verbo Olea Sacra.* Quare tollenda est consuetudo aliquorum, qui nolunt distribuere illa, nisi oua, aut aliquid aliud ipsis tribuatur. Fuscus *de potestate Episcopi cap.* 4. §. 3. *num.* 2. & Barbosa *dicta Allegat.* 31. *num.* 21.

4 Specialiter etiam quòd tertium Oleum, scilicet infirmorum, concedi debeat ab Episcopis omnibus Regularibus pro vsu suorum Monasteriorum, colligitur non solùm ex eo quòd Prælati Regulares sint veluti Pàrochi suorum Religiosorum, ac per consequens ipsis, sicut & aliis Parochis tribuendum, sed etiam ex declaratione Sacr. Congregationis Episcoporum, & Regularium, quam referunt idem Gauantus *supra* & Aldana *in Compendio Canonicarum resolutionum l.* 1. *tit.* 8. *num.* 10. & ex ipso Nouarius *in Lucerna Regularium verbo Oleum Sanctum n.* 1. Specialiter quòd Carmelitis tribui debeat istud oleum, habetur èx Clemente VIII. in Bulla *Exponi nobis in* 3. *tom. Bullarij n.* 57. vbi præcipit Dominis Archiepiscopis, & Episcopis, vt prædictum Oleum, ipsis petentibus, promptè ac liberaliter exhiberi faciant, iuxta dicta *tom.* 1. *p.* 1. *cap.* 3. *num.* 20. De quo etiam Nouarius *supra.* Vbi etiam cum prædicto Barbosa *in dictis Collectaneis* quòd fratres Cruciferi oleum Sanctum recipiunt à quocunque Episcopo ex concessione Vrbani III. in Bulla *Cum antecessor in* 1. *tom. Bullar.* in isto Papa *num.* 1. Quo priuilegio vti etiam possunt aliæ Religiones cum ipsis communicationem priuilegiorum habentes. Imò etiam in iure communi stando, & secluso omni priuilegio, si Episcopus proprius absit, vel Sedes eo tempore, vacet, proximus Episcopus adiri poterit ad hoc Oleum habendum, prout ex Glossa, & Vgolino tenet Barbosa *dicta Allegat.* 31. *num.* 19.

5 Nota prædictum Oleum infirmorum, quando timetur non futurum sufficiens pro illo anno, aut propter aliam rationabilem causam, misceri posse cum alio non benedicto, & ex illo augeri, modo ea pars, quæ additur sit minoris quantitatis, quam Oleum consecratum, totumque reddi consecratum, seu benedictum. Ratio est, quia magis dignum attrahit ad se minus dignum *c. quod in dubiis de consecrat. Ecclesiæ.* Posseuinus *de officio Curati cap.* 9. *num.* 2. Naldus *in Summa verbo extrema vnctio num.* 2. Barbosa *d. allegat.* 31. *num.* 17. *&* 18. Candidus 3. *tomo loco relato dubit.* 16. 17. *&* 18. De quo à simili idem dixi de aqua Benedicta *supra verbo Benedictio, & Benedicere num.* 10. Sicque, cum mihi propositum esset de mandato S. Congregationis retroactis diebus, respondi fieri posse in quadam grauissima Ecclesia Hispaniæ.

OPINIO REGVLARIBVS tenendà.

SVMMARIVM.

Quid de hac materia tractandum. num. 1.
Opinio quid, & quotuplex. num. 2.
Sententia vnius Doctoris an efficiat opinionem probabilem. num. 3.
Consilium est se qui opinionem tutiorem, & probabiliorem. num. 4.
Regulariter autem loquendo obligatorium non est, num. 5.
Ex duabus opinionibus æquè probabilibus qualibet amplecti potest. num. 6.
Opinio iam antiquata amplectenda non est. num. 7.
In materia, aut forma Sacramentorum non licet sequi opinionem minus probabilem. num. 8.
Quid in materia obedientiæ Religiosorum erga suos Prælatos. num. 9.
Opinio abrogata, vel reprobata Decreto Superiorum amplectenda non est. num. 10.
Casus practicabiles à Religiosis in materia opinionum probabilium. num. 11.

IN hac materia, quia latissima, solùm aliqua dicenda, quæ magis ad praxim, & casus ferè quotidianos Regularium conducere possunt, suppositis priùs aliquibus ad opinionis naturam spectantibus. 1

Est autem opinio, iuxta dicta *supra verbo Dubia Regularium num.* 2. idem quod assensus incertus intellectus ad aliquam partem contradictionis cum formidine oppositæ. Per quod differt à dubio propriè dicto, istud enim est motus intellectus indifferens in vtramque partem contradictionis. De quo Sayrus *in Claui Regia l.* 1. *cap.* 5. *num.* 1. Conexo *tom.* 1. *in* 1. 2. *tract.* 8. *disputatione* 4. Diuiditur in probabilem, & improbabilem. Opinio probabilis est, quæ innititur rationi, seu fundamento alicuius momenti, ita tamen, vt pro opposita parte nihil conuincens sit. Sanchez *tom.* 1. *in Decalog. l.* 1. *cap.* 9. *num.* 6. Portellus *in Dub. Regular. verbo opinio eligenda num.* 1. Improbabilis verò, ea, quæ debili fundamento, seu rationi innititur. Vnde in rigore loquendo potiùs debet dici sententia falsa, quàm opinio. Portellus *supra.* Quare si daremus, quòd aliqua opinio falso fundamento, aut nullius ponderis nitatur, dicetur improbabilis, etiamsi plures Auctores pro se habeat. Ioannes Sancius *in Select. disp.* 48. *num.* 48. Rursus opinio probabilis, alia est probabilior, ea scilicet quæ innititur pluribus, aut melioribus fundamentis, seu rationibus; alia minus probabilis, quæ innititur paucioribus, aut debilioribus. Rursus opinio alia est tuta, & secura, ea scilicet, quæ aliquo modo vitat peccatum, alia verò tutior, seu securior, ea videlicet, quæ magis, & securius vitat illud. Non est autem idem opinio probabilis, aut probabilior quod tuta, aut tutior; cum prior dicatur talis respectu fundamentorum, quibus innititur, posterior verò ex eo quòd peccatum vitet. De his Sanchez *supra n.* 5. Portellus *supra num.* 1. *&* 2. Bordonus *resol.* 19. *num.* 4. & plures alij. 2

Ex quo collige, auctoritatem vnius Doctoris pij, probi, & docti, qui rem ex professo discussit, posse efficere vnam opinionem probabilem. Ratio est, quia auctoritas talis Doctoris non est leue, aut leuissimum fundamentum, sed alicuius ponderis. Sanchez 3
dicto

dicto cap.9. num.7. post Angelum, Syluestrum, Nauarrum, Valentiam, & Sà. Quibus iunge Dianam *4.part. Tract.4. Resolut.30.* post Merollam, Aluicium, & alios, quos refert. Et Zachariam Pasqualigum *in Decis. moral. de opin. elect. decis.2.* post Sayrum, Vasquez, Castrum Palaum, & alios, & *decis.360. & seqq.* Dixi *Doctoris pij, & probi*, quia attendendum est an sit homo, qui volens mundo placere, aut populi applausum quærere, nouas, & laxiores sententias euulgat: talis enim non est pius, & probus. Dixi etiam *docti*, quia Doctori non est credendum propter dignitatem, sed propter doctrinam. Dixi quoque *qui rem ex professo discussit*, quia qui rem casualiter, incidenter, aut negligenter discussit, non est fide dignus. Adde, quòd quando Doctor singularis talem opinionem docens habet dictas conditiones, præponi etiam potest ipsius opinio aliorum plurium contrariæ opinioni, propter fundamentum adductum. Villalobos *in Summa tom.1. tract.51. difficult.7. num.3.* Castrus Palaus *in opere morali tom.1. disp.2. punct.1. num.12.* Diana *supra.* Pasqualigus *supra.*

4 His positis dicendum primò. Religiosi maximè consulendi sunt sequi semper opinionem tutiorem, & probabiliorem, relicta minus tuta, aut probabili. Ratio est, quia in dubiis tutior pars est eligenda, iuxta *cap. iuuenis de sponsal.* & certum teneri debet relicto incerto, iuxta *cap. si quis de pœnit. dist.7.* quæ, etsi consilia sint, vt habent Antoninus *1.p. tit.3. c.10. §.10.* & Nauarrus *d. cap. si quis*, amplectenda tamen videntur Religiosis, qui viam perfectionis sectantur. Quo sensu accipiendus est Peregrin. *3.p. tract.2. Resolut.3. & in Addit. ad Constitut. sui Ordinis part.3. quæst.6.* Specialiter proinde ad faciendum bonam electionem in opinionibus prudenter eligendis aliquas regulas assignant Sayrus *supra cap.6.* ex Azorio, & Filliucio, Peyrinis *tom.3. priuileg. Minim. cap.1. in Addit. ad Constitut. Pyrri num.10.* ex aliis.

5 Nihilominus dicendum secundò, regulariter loquendo posse Religiosos, siue in operando, siue in consulendo aliis, vti opinione etiam minus probabili, aut minus tuta relicta tutiori, aut probabiliori, etiam propria. Ratio est, quia operans secundum opinionem probabilem non potest iudicari temerarius, neque imprudens, habet enim pro se fundamentum alicuius momenti: ergo sic faciens non peccat. Secundo, quia licet opinio tutior sit perfectior, & securior, nemo tamen tenetur sequi quod perfectius est, & quod securius, dummodo sequatur perfectum, ac tutum. Ergo, &c. Tertiò, quia cum omnimoda certitudo in rebus agendis haberi nequeat, sufficit, vt operemur cum certitudine probabili, & non requiritur omnimoda certitudo. Opinio autem minus probabilis, & minus tuta est aliàs sufficiens ad bene operandum moraliter: esset enim onus intolerabile, & multis scrupulis expositum, si opiniones probabiliores semper inuestigare teneremur. Ergo, &c. Ita ferè Sanchez *supra num.13. & 14.* ex Mercado, Medina, Vasquez, Valentia, Guttierez, Suarez, Henriquez, Azor, Bannez, Nauarro, Aragon, Lopez, Ledesma, Salas, Sayro, & Lessio, quos refert. Item Diana *part.2. tractat.13. Resolut.1. & part.4. tract.4. Resolut.4.* Ex Laymano, Basilio Pontio, Maldero, Filliucio, Tannero, Barbosa, Garzia, Villalobos, Ioanne Sancio, Lorca, Martinez, Aluarez, Sanctaello, altero Barbosa, Portello, & Merolla, quos refert. Ita etiam Pasqualigus *supra* post innumeros alios. Ita quoque Cornexo *supra disp.3. dub.6.* post Salonem, & alios.

6 Ex quo collige, multò magis posse Religiosos ex duabus opinionibus æquè probabilibus sequi quamlibet, non solùm, quia tunc non operarentur temerè, aut imprudenter, sed etiam, quia si tales opiniones sunt æquè probabiles, erunt quoque æquè consonæ rationi, ac per consequens æquè amplectendæ. Cornexo *supra dub.4.* ex D. Antonino, Adriano, & Nauarro, Pasqualigus *supra decis.14.* ex aliis.

Dixi autem *supra regulariter loquendo* posse Religiosos sequi opinionem minus probabilem, & tutam relicta probabiliori, & tutiori, quia sunt aliqui casus, in quibus id non licet. Primus est, quando illa est iam antiquata, ita vt in praxi opposita recepta sit. Tunc enim talis sententia, vel non est iam opinio, vel saltem improbabilis censeri debet Sanchez *supra n.11.* Sayrus *cap.5. num.21. & 22.* 7

Secundus est, quando agitur de materia, aut forma Sacramentorum, tunc enim etiamsi sint de eis variæ opiniones, illis relictis, standum est illi, quam vsus, & consuetudo Ecclesiæ approbat, saltem ad euitandum damnum proximi, quod illi eueniret, si materia illa, vel forma, quam talis opinio dicit esse sufficientem, re vera à Christo, vt sufficiens instituta non esset. Sayrus *supra cap.7. num.6.* Naldus *in Summa verbo opinio in fine.* Ioannes Sancius *supra disp.27. num.15.* Diana *d. tract.13. Resolut.2. part.4. Resol.4.* Vnde grauiter peccaret qui baptizaret paruulum *in nomine Iesu*, aut *in nomine genitoris, geniti, & procedentis*, non exprimendo nomina *Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, quamuis faceret conformiter ad probabiles opiniones antiquas. Et similiter circa materiam eiusdem Sacramenti peccaret, qui baptizaret in lixiuio, omissa aqua pura, Sayrus *supra.* Cornexo *dub.6.* Qui rectè addit oppositum esse dicendum in casu necessitatis. Tunc enim posset Sacerdos vti dicta materia, & forma dubia, saltem sub conditione, iuxta dicta *supra verbo Baptismus num.6. & 12.* Imò etiam quando dubietas ex parte materiæ non est ex parte Ministri, sed ex parte recipientis Sacramentum, licitè poterit illud administrari, iuxta opinionem etiam minus probabilem, aut securam. Vt in casu communi, quo pœnitens accedere vellet ad Sacramentum Pœnitentiæ cum attritione cognita, quia tunc Minister non faceret contra Charitatem proximi illi conferendo absolutionem, siquidem ipse voluntariè accedere vult illo modo. Vasquez *1.2. disputat.63. cap.3. num.10.* Sayrus *supra num.7.* Sanchez *supra num.34.* Similiter in casu quo varietas opinionum non esset circa materiam, aut formam Sacramentorum, sed circa iurisdictionem Confessarij, licitè poterit ipse vti opinione minus probabili, & tuta, probabiliori, & tutiori relicta, iuxta dicta *supra verbo Confessio num.3.* Quia tunc re vera nullo periculo inualiditatis exponitur Sacramentum, tum quia eo ipso quod Confessarius sequitur opinionem probabilem datur communis error in populo, & Ecclesia pia mater propter bonum animarum dat illi iurisdictionem, iuxta *l. Barbarius ff. de offic. Prætor.* Tunc etiam quia regulariter loquendo in confessione semper pœnitens confitetur aliquod peccatum veniale super quod quilibet Sacerdos habet iurisdictionem, & absoluendo ab illo directè, cum sine mortali auferri non possit, indirectè etiam absoluet à mortali, posita tali opinione probabili. Sanchez *supra num.35.* Lessius *2. de iustit. cap.29. dub.8. num.68.* Diana locis relatis ex Castro Palao, Granado, Maldero, & aliis. 8

Tertius casus, in quo non licet Religiosis sequi opinionem probabilem, est in materia obedientiæ, quando scilicet Superior præcipit aliquid inferiori; tunc enim inferior tenetur obedire Superiori præcipienti secundum opinionem probabilem, etiamsi inferior 9

inferior probabilem aliam habeat quòd non possit præcipere. Ratio est, quia aliàs iuxta dicta *tom.1.p.1. cap.4. num.26.* ex Corduba, & Valentia esset confusio, & destructio Communitatis, si prætextu opinionis probabilis nollet quis Superiori obedire. Tum etiam, quia aliàs cogendi essent Superiores ad non præcipiendum, nisi ex certa, & euidenti notitia honestatis rei, quæ præcipitur, quod est supra humanam facultatem. Et ita hanc sententiam, vt probabiliorem sequitur Diana *dicto tract.2.resol.10.& dicto tract.4.* ex multis Auctoribus contra Ioannem Sancium *in Select. disp.33.* & Castrum Palaum *in Opere Morali tom.1.disp.2.punct.6. n.5.* Addit Layman *l.1.tract.1. cap.5.§.2.num.11.* ex Corduba, & Vasquez, & Miranda, quòd Superiori præcipienti secundum opinionem probabilem subditus teneatur obedire, etiam contra probabiliorem propriam magisque tutam. Tum quia in dubio inter Superiorem, & subditum, præsumptio est pro Superiori. *argument. cap. quid culpatur 23. quæst.1.* Tum etiam, quia si subditus agere potest aliquid licitè secundum sententiam probabilem etiam contra propriam probabiliorem ac tutiorem, ergo præcipiente Superiore secundum probabilem, tenetur subditus obedire, etiam contra propriam probabiliorem, ac tutiorem. Quia, vt dixi eo *cap.4. numero 24.* quoties subditus potest habere iudicium prudentiale, quòd res, quæ illi præcipitur sit licita, & honesta, tenetur obedire. In casu autem præsenti potest habere hoc iudicium. Rectè ergo Bordonus *dicta resolut.19. num.5.* inquit, quòd Superior potest cogere subditum ad sequendum suam opinionem, & is tenetur obedire, & operari secundum illam, modò sit circa materiam intra obiectum suæ potestatis.

10 Quartus casus, ipseque valde generalis, in quo non licet Religiosis sequi opinionem aliàs probabilem, aut tutam, sed tutiorem, & probabiliorem, est, quando talis opinio abrogata, vel reprobata est per Decretum Superiorum. Tunc enim talis opinio desinit esse probabilis, Sayrus *dicto cap.5. num.21.* Fraxinellus *de Sacerdotum obligationibus section.6. obiect.14. num.7.* Declaratur hoc exemplis in materia celebrationis Missarum. Opinio probabilis antiquitùs erat plurium Theologorum, quòd Sacerdos pauper poterat accipere ad sui congruam sustentationem plura stipendia pro vna Missa. Post Decretum tamen Sacræ Congregationis, iuxta dicta *supra verbo Missa num.14.* talis opinio non potest in praxi modo sustineri, ac per consequens cessauit iam eius probabilitas, vt bene Fraxinellus relatus. Similiter, iuxta dicta *verbo Missa numero 35.* licet etiam antiquitus probabilis sententia esset quòd Sacerdotes possent accipere Missam celebrandam cum certa eleemosyna, & posteà aliis Sacerdotibus eam Missam committere, retenta sibi parte eleemosynæ, modò tamen post Decreta Sacr. Congregationis in contrarium, quæ eo loco retuli, probabilis iam non est, ac per consequens modò teneri non potest, prout eo loco dixi ex Diana, Lugo, & Bordono. Nisi fortè casu aliquo dato de quo *ibidem.* Idem quoque dico de opinione asserente Regulares posse vti priuilegio Bullæ Cruciatæ etiam contra voluntatem suorum Superiorum, & quoad casus ab eisdem reseruatos, iuxta dicta ex eisdem Diana, & Lugo *supra verbo Bulla Cruciatæ num.29.* Ac tandem idem dici potest de aliis casibus similibus, de quibus sæpiùs dixi in discursu huius Summæ. Animaduertendum tamen, quòd si non obstante tali Decreto, eo, & rationibus, quæ pro ipso sunt perpensis, aliqui Doctores ex sufficientibus fundamentis antiquam sententiam docuerint, dictum Decretum probabiliter explicando, haberi debet vt probabilis. Sanchez *supra num.11.* referens Vasquez, & Sayrum.

Cum autem præter hos casus, vt dixi regulariter loquendo possint Religiosi opinionem minus probabilem, aut tutam sequi, probabiliori, & tutiori relicta, ideo aliqua pro ipsorum praxi ex dictis colligi possunt. Primò, quoad Prælatos Regulares, ipsos posse vti facultate dispensandi, absoluendi, & commutandi circa suos subditos, iuxta sententias probabiles (etiam probabilioribus in contrarium relictis) id asserentes, de quibus dixi præsertim *tom.1.p.1.cap.18.* Quod idem dico de similibus facultatibus ipsorum, de quibus sparsim per totam hanc Summam dixi. Secundò, quoad Confessarios, posse confessorem absoluere pœnitentem sequendo opinionem minus probabilem pœnitentis, deposita opinione propria probabiliori. Vt si Confessarius credat contractum hunc esse prohibitum, & pœnitens iudicet esse licitum, & vult contractum inire: vel circa circunstantias non mutantes speciem confitendas, & sic de cæteris, Nauarr. *in Manuali cap.26. num.4.* Layman. *supra num.10.* ex Soto, Victoria, Medina, & aliis. Imò teneri Confessarium tunc absoluere pœnitentem, quia talis pœnitens sequendo dictam opinionem non peccat, ac per consequens sufficienter dispositus accedit. Henriquez *l.6.de pœnit.cap.16. num.50.* Layman. *supra.* Portellus *supra num.8.* ex Suarez, Ledesma, & aliis. Tertiò, quoad Sacerdotes Regulares, illos posse celebrare in Altari portatili propter priuilegia, quæ aliqui ipsorum habent non obstante quòd plures Doctores dicant ea reuocata esse per Concilium Tridentinum, iuxta dicta *supra verbo Altare n.13.& seqq.* Quartò, Portellus *supra num.3.* affert alium casum ad intentum de Confessario cogitatione, vel opere peccante, cum filia spirituali, cui absolutionis Sacramentum vel Baptismum contulit, quòd scilicet, iuxta opinionem probabilem non teneatur talem circunstantiam confiteri. [Quintò, idem Portellus *in responsionibus Moral. tom.2.casu 40.* benè ait, quod in casu quo Religiosus commisit, aliquod crimen propter quod sunt opiniones diuersæ, an incurrerit aliquam pœnam, v.g. excommunicationem, inhabilitatem, &c. posse iudicem Regularem non infligere illi talem pœnam; immo non posse eam ipsi infligere. Quod quidem verum existimo non solum, quia Religiosi procliuiores esse debent in partem benigniorem, quàm in rigidiorem, sed etiam, quia eo ipso quod sunt opiniones diuersæ circa illam pœnam, non constat tale delictum eam promereri, ac proinde non debet sic delinquenti applicari. Vide Sayrum *in Claui Regia lib.1. cap.13. num.22. in additionibus nou.* ac Lugo *tom.2. de iust.& iure, disp.37. sect.10.*] Alia denique plura exempla ad intentum adduci possent, de quibus in discursu huius summæ.

ORACVLA VIVÆ VOCIS,

SVMMARIVM.

De illis remissiuè. num.1.

Constitutio Gregorij XV. reuocatoria ipsorum. num.2.

Constitutio Sanctissimi D. N. Vrbani de eadem re. num.3.

Animaduertenda circa has Constitutiones. num.4.

Per illas quæ viuæ vocis Oracula reuocata censeantur. num.5.

An illa, quæ sortita sunt suum effectum. num.6.

An

An illa, quæ postea per Bullam, vel Breue confirmata fuerunt. num.7.

Quid si priuilegium per Bullam vni Religioni concessum, alteri viuæ vocis Oraculo communicetur. n.8.

Viuæ vocis Oracula quæ, & qualia sint. num.9.

1 DE iis plura dixi non solum per totum huius Summæ discursum, sed specialiter *tom.1.p.1. cap.3. num.21.* Alia nihilominus addenda, relatis priùs constitutionibus Greg. X V. & SS.D.N.Vrbani, quibus, iuxta dicta eo loco, reuocata fuerunt.

2 Igitur Gregorius X V. in Constitutione *Romanus Pontifex* quam eo loco retuli, sic ad intentum. *Itaque motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione, nostra, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, omnia, & singula indulta, facultates, priuilegia, gratias, & concessiones quascumque spirituales, & Ecclesiasticas, tam ad forum interius quàm ad exterius spectantia, ac tam ad supplicationem partium, quàm motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus à Sede Apostolica, quæ tamen viuæ vocis oraculo hactenus quandocunque, & qualitercunque, ex quauis etiam de necessitate exprimenda causa, quibusuis Collegiis, Capitulis, Ordinibus, tam Mendicantium, quam non Mendicantium, Societatibus, etiam Societati Iesu, ac Congregationibus quibuslibet, siue eorum, & earum respectiuè Præpositis, Decanis, Magistris, Ministris, Prælatis, Prioribus, Rectoribus, Generalibus, vel Prouincialibus, quocunque nomine nuncupatis Superioribus, etiam quomodolibet exemptis, ac Sedi prædictæ immediatè subditis, cuiuscunque dignitatis, præeminentiæ, aut quouis priuilegio munitis, non tamen ad supplicationem Regum concessas; in iis videlicet, quæ non sunt sortita effectum, tenore præsentium reuocamus, cassamus, tollimus, abrogamus, & annullamus, ac reuocata, cassa, sublata, abrogata, & annichilata, viribusque, & effectu vacua perpetuò fore, & esse, neque in posterum cuiquam suffragari posse, etiamsi expressa, & specifica mentio, etiam de verbo ad verbum, de iis facienda esset, decernimus, & declaramus, firmis tamen, & in suo robore permanentibus omnibus indultis, & aliis concessionibus prædictis viuæ vocis oraculo S.R.E. Cardinalibus ad ipsorum, vel aliorum quorumcunque fauorem, propria S.R.E. Cardinalium manu firmatis, pro ipsis, vel aliis factis & de quibus iidem S. R. E. Cardinales testimonium in scriptis præbuerint, decernentes, &c.* Et infra *Non obstantibus, &c.*

3 Postea verò SS.D.N.Vrb. sub anno 1631. die 20. Decembris in Constitutione *Aliàs fœlicis*, quæ ad verbum habetur apud Peyrinis *tom.3. Priuil. Minim. cap.12. in additam. ad Constitut. Vrban. Constit.18. alias 28.* & Ioannem Mariam Nouarium *in Lucern. Regular. verbo Oracula viuæ vocis* sic ad intentum. *Cum autem experientia rerum magistra compertum sit, concessiones, & gratias viuæ vocis oraculo, etiam à S.R.E. Cardinalibus obtentas, & ipsorum manu firmatas, sæpe ab his, in quorum fauorem emanarunt, minus canonica interpretatione extendi, & perperam in disciplinæ Ecclesiasticæ detrimentum executioni demandari; idcirco, quantùm cum Domino possumus, his, & aliis malis occurrere volentes; motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione, Nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, & de consilio nonnullorum venerabilium Fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium, quibus negotium huiusmodi maturè discutiendum commisimus, omnia, & singula priuilegia, facultates, licentias, & gratias quascunque per Summos Pontifices prædecessores nostros ac per Nos viuæ vocis oraculo, & S.R.E. prædictæ Cardinalium quorumcunque manu firmata, quibuscunque Generalibus, Prouincialibus, cæterisq; Superioribus & personis cuiusuis Ordinis, Congregationis, Instituti, & Societatis, siue sæcularibus, siue Regularibus; vel etiam ipsis Ordinibus, Congregationibus, Institutis, & Societatibus, etiam Societati Iesu, aut eius Clericis, seu Presbyteris, aliisque personis prædictis, quacunque de causa, etiam de necessitate exprimenda, occasione, prætextu, vel colore, etiam intuitu, contemplatione, seu ad instantiam Imperatoris, Regum, & Principum quorumcunque, aut aliàs quomodolibet concessa, illorum tenores præsentibus pro expressis habentes, tenore præsentium reuocamus, cassamus, tollimus, abrogamus, & annullamus, ac de cætero, reuocata, cassa, sublata, abrogata, & annullata, viribusque, & effectu vacua esse, nullique prorsus deinceps suffragari posse, nec debere, declaramus. Præterea, vt præsentes litteræ omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore spectabunt, quanto citius innotescant, omnibus, & singulis Generalibus, & aliis quocunque nomine nuncupatis Superioribus quorumcunque Ordinum, Congregationum, Societatum, etiam Societatis Iesu, & institutorum, sub excommunicationis, ac priuationis officiorum, & dignitatum, nec non vocis actiuæ, & passiuæ pœnis ipso facto incurrendis, præcipimus, & mandamus, vt infra tres menses proximos à die publicationis præsentium computandos, omnes, & singulos Prouinciales eorumdem suorum Ordinum, Congregationum, Societatum, etiam Societatis Iesu, & institutorum, de eisdem præsentibus litteris certiores faciant, earumdemque præsentium exemplaria illis transmittant. Qui quidem Prouinciales sub eisdem pœnis, teneantur singulis Superioribus Monasteriorum, Conuentuum, Collegiorum, Domorum, & Locorum Regularium præcipere, vt easdem præsentes subditis suis, vt moris est, publicent. Decernentes præsentes litteras, etiam ex eo quòd quicunque in præmissis interesse habentes, vel habere prætendentes, ad hoc vocati, & auditi non fuerint, de subreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis nostræ, seu alio quopiam defectu, notari, impugnari, inualidari, redargui, in ius, vel controuersiam vocari, aut ad viam, & terminos iuris reduci, siue aduersus illas quodcumque iuris, gratiæ, vel facti remedium impetrari nullatenus posse, sed illas semper validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere. Sicque per quoscunque iudices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, sublata eis, & eorum cuilibet, quauis, aliter iudicandi, & interpretandi, facultate, & auctoritate, iudicari, & definiri debere. Ac irritum & inane, si quid secus super his à quoquam quauis auctoritate, scienter, vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus præinsertis litteris huiusmodi, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, & quatenus opus sit, etiam Regula nostra, de non tollendo iure, quæsito Priuilegiis quoque, Indultis, & Litteris Apostolicis eisdem Cardinalibus, ac Ordinibus, Congregationibus, Institutis, & Societatibus, eorumque Superioribus, quocunque nomine nuncupatis, sub quibuscunque verborum formis, & tenoribus, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis Decretis in genere, vel in specie, ac aliàs in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua exquisita forma ad hoc seruanda foret, illorum omnium tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes, specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque.*

Circa

4 Circa quæ animaduertendum primò, quòd Oraculum viuæ vocis est concessio, seu gratia à Summis Pontificibus oretenus facta sine scriptura. Portellus *in Dubiis Regularium verbo viuæ vocis Oracula num.*1 Bordonus *Resolut.*31. *quæst.*1. Vnde non solùm concessiones factæ per Bullam, aut Breue non dicuntur Oracula viuæ vocis, sed etiam illæ quæ fiunt per signaturam Papæ, quando scilicet ipse alicui petitioni propria manu subscribit, vel solùm scribendo *fiat*, quia tales concessiones non fiunt oretenus, sed etiam manu. Quamuis autem Oracula viuæ vocis probari non possint in forma authentica, nisi saltem duo testes idonei id concessum esse affirment, nihilominus Leo X. etiam viuæ vocis Oraculo concessit Minoribus, quòd tuta conscientia possent vti omnibus concessis à Sede Apostolica, prout in libris Ordinis reperiuntur, ac si omnia fuissent specificè expressa, & pro maiori conscientiarum securitate omnia de nouo concessit. Et quòd non sint minoris efficaciæ, & valoris, quam si per Bullam, aut Breue ad perpetuam rei memoriam essent concessa. Cassarubius *in Compendio Priuilegiorum Mendicantium verbo Oracula viuæ vocis num.*1. *&* 2. Rodriguez *tom.*1. *quæst. Regular. quæst.*7. *artic.* 5. *& tom.*3. *quæst.* 22. *artic.*1. *&* 2. Portellus *suprà num.*2. Imò etiam, stando in iure communi, viuæ vocis Oracula habent eamdem vim, saltem in foro conscientiæ, ac aliæ Constitutiones Papales, provt colligitur ex *cap.institution.*25. *quæst.*2. & Clementina *Dudum* §.*Nos etiã de Sepult.* vbi Gloss. *vers.verbo.* De quo Anguianus *Tractat. de leg.l.*1.*cont.*9. *à num.*9. Addit Peyrinis *tom.*1. *priuil. Minim. in Constitut.*17. *Iulij* 2. §.1. *num.*1. hoc intelligendum esse tam in iudicio, quam extra illud, ex Constitutione 22. Iulij II. apud Rodriguez in Bullario *pag.* 277. *num.*1. Sed ibi non videtur hoc cõcedi à Pontifice Eremitis S. Augustini, pro quibus edita est illa Bulla, sed solùm, quòd omnes concessiones, siue in forma Breuis, siue per supplicationem sola signatura factæ, habeant tam in iudicio quam extra illud eamdem efficaciam, quam si plumbeo sigillo obsignatæ essent. Vnde nihil ibi de viuæ vocis Oraculis. Quod etiam colligo ex Rodrigez *tom.*1. *Quæstionum Regularium quæst.*7. *artic.*5. *& quæst.*8. *artic.*16. vbi agit de huiusmodi priuilegio Eremitarum Sancti Augustini. Id tamen quod idem Iulius II. concessit eisdem PP. Eremitanis apud eumdem Rodriguez immediatè post prædictam Bullam, scilicet communicationem priuilegiorum aliorum Ordinum Mendicantium factam eidem Ordini Eremitarum Sancti Augustini, ad ea etiam extendi, quæ viuæ vocis Oraculo ab illis impetrata sunt, manet in sua vi, & communicari potest aliis Ordinibus Mendicantibus. Nota etiam id, quòd dicto *cap.*3. *num.*21. dixi, quòd reuocatis aliis priuilegiis non censeantur viuæ vocis Oracula reuocata nisi expressè specificentur. Videntur enim speciali notâ digna. Portellus *suprà nu.*3. ex Henriquez. Refert etiam pro eo Peyrinis *suprà n.*2. Sà *in Summa verbo gratia n.*13. quatenus eo loco habet, quòd per Constitutiones etiam habentes, clausulam generalem *non obstantibus, &c.* non reuocentur priuilegia, consuetudines, aut viuæ vocis Oracula, nisi exprimantur, aut nominentur.

5 Specialiter etiam circa reuocationem Oraculorum viuæ vocis factam à Summis Pontificibus Gregorio, & Vrbano nota primò, per eam non videri reuocata ea viuæ vocis Oracula, quæ concessa sunt generaliter omnibus fidelibus, aut omnibus Ecclesiasticis, &c. iuxta dicta *supra verbo Officium diuinum num.*13. ex nostro Reuerendiss. Theodoro Stratio, vt enim patet ex Constitutionibus relatis solùm reuocantur ea, quæ concessa sunt aliquibus Religionibus, Communitatibus, &c. Prælatis, seu personis particularibus. Secundò, iuxta dicta eo *num.* 21. nec reuocari ea viuæ vocis Oracula, quæ non continent aliquam gratiam, priuilegium, aut indultum, sed sunt meræ declarationes, aut explicationes. Quod postea sequutus est Nouarius *in Lucerna Regularium verbo Priuilegia num.*5. & Bordonus *supra num.*7. Qui etiam *num.*2. 3. *&* 4. dicit nec reuocata esse illa viuæ vocis Oracula, quæ continent gratiam omnino fauorabilem, & nulli præiudicialem. Sed licet hoc probabilitatis speciem præseferat, quia tamen Constitutiones Gregorij, & Vrban. relatæ vniuersalissimè loquuntur, & ita, vt credo, iuxta praxim Curiæ intellectæ sunt, præsertim, quia aliàs sequi videretur inutilem fermè esse reuocationem per ipsas factam; cum omnia ferme viuæ vocis Oracula Religionibus aut Religiosis concessa, concernant, saltem Regulariter loquendo, forum conscientiæ, nec aliis præiudicium afferant; ideo oppositum dicendum. Probabile tamen est, quod ipse eo *num.*4. post Peyrinis loco relato ex 3.*tom.priuil. Minim. num.*1. tenet, scilicet, quòd sub illa reuocatione non cadunt viuæ vocis Oracula concedentia indulgentias, non solùm quia illæ videntur speciali nota dignæ: sed etiam quia non nominantur, nec venire commodè possunt nomine priuilegiorum, aut gratiarum, sed sunt omnino diuersa, & à diuersis non fit illatio, præsertim in odiosis, qualis est hæc Constitutio, cum sit reuocatoria tot priuilegiorum. Dixi autem solùm probabile id esse, quia cum Pontifex Gregorius reuocet *omnes gratias, & concessiones quascumque spirituales, & Ecclesiasticas, tam ad forum interius, quàm ad exterius spectantes*; similiter Vrbanus reuocet etiam, omnes, & quascunque gratias, &c. per viuæ vocis Oraculum concessas, & nomine *gratiæ* quo vterque vtitur, *& concessionis*, quo vtitur Gregorius, iure intelligendæ veniant etiam Indulgentiæ, ideo ipsæ etiam reuocatæ videntur, provt supposui dict. verbo *Indulgentia quoad Regulares num.*11. *&* 12. Vtrumque ergo probabilitate gaudet.

Specialiter etiam tertiò notandum circa dictam Constitutionem Vrbani, quod iuxta dicta eo *n.*21. probabile sit, quod non censeantur reuocatæ per ipsam concessiones factæ per viuæ vocis Oracula, quæ sunt sortita suum effectum, licet effectus habeat tractum successiuum pro futuro tempore. Vnde si aliquis Religiosus habuit gratiam ante hanc Constitutionem à Pontifice, solo viuæ vocis Oraculo quòd esset Magister, Præsentatus, aut quid simile, non censeatur reuocata per illas. Quod postea sequuti sunt Peyrinis *supra num.*4. & Nouarius *supra verbo Priuilegia num.*6. Fauetque maximè declaratio Sac. Congregat. Episcoporum, & Regularium, quam eo loco indicaui, & refert Castellinus *de elect. cap.* 5. *num.*37. Ex ea enim constat, quòd cum pro parte Dominici de Molina Ordinis Prædicatorum, & Procuratoris omnium Religiosorum, Prouinciæ Bœticæ petitũ fuerit à Sac. Congregatione quòd declararet, an, stãte Cõstitutione Greg. XV. reuocatoria Oraculorum viuæ vocis, gratiæ, & priuilegia viuæ vocis Oraculo facta Magistris Generalibus, Vicariis Generalibus, & Procuratoribus generalibus, concessa eorum Ordinib. quæ sortita fuerunt effectum ante reuocationẽ, licet effectus habeat tractum successiuum, vel aliàs respiciant particulares personas, vt sunt Præsentaturæ, vel Magisteria, 6

non obstante prædicta reuocatione maneant in suo robore, & valida censeantur, vti in dicta reuocatoria Constitutione non comprehensa, vel aliqua indigeant reualidatione tam in temporalibus, quàm spiritualibus; eadem Sacra Congregatio respondit, *Prædictas gratias, & priuilegia, in dicta reuocatoria Constitutione non comprehendi, nullaque reualidatione indigere, proindeque validas, & valida fore, & esse eisdemque securè vti posse censuit, prout aliàs fuit responsum.* Hæc autem declaratio, etsi solùm pro Constitutione Gregorij data sit, applicari etiam potest Constitutioni Vrbanæ. Nota tamen, quòd si aliquis Religiosus haberet per aliquod viuæ vocis Oraculum sibi concessum facultatem v. g. dispensandi, vel absoluendi quemlibet ad se venientem in casibus reseruatis, & talem facultatem nondum exercuit, reuocatam censeri per dictas Constitutiones, quia illa non est sortita suum effectum, neque habet tractum successiuum per vnicum solùm actum, prout illum habent gratiæ relatæ in declaratione Sacræ Congregationis, sed per plures independentes ab inuicem. Quod dixerim contra aliquos, qui non rectè percepisse videntur id quod loco relato dixi.

7 Dubium tamen est, an per dictas Constitutiones reuocata etiam sint viuæ vocis Oracula, quæ, etsi primitus verbo tenus concessa sunt, postea tamen per Bullam, vel Breue fuerunt confirmata. Ad quod Bordonus *supra num.4. & 5.* affirmatiuè respondet. Probabilius tamen credo contrarium cum Peyrinis loco relato ex *verb. priuileg. Minim. num.1.* Quod intelligo non solùm quando prædicta viuæ vocis Oracula nominatim, & expresse referuntur in dicta Bulla, seu Breui, sed etiam quando in genere, aut in communi sub nomine viuæ vocis Oraculi innouantur, aut confirmantur ex certa scientia, seu cum illa clausula. *Quorum tenores ac si de verbo ad verbum, &c.* quia iam prædicta viuæ vocis Oracula desinunt esse talia, & fiunt veluti concessa per dictas Bullas, Breuia, seu Rescripta Papæ. Vnde infert idem Author viuæ vocis Oracula concessa Religionibus Mendicatibus ante Pium V. non reuocari per dictas Constitutiones, quia ipse Pius V. in Bulla *Etsi Mendicantium,* quam retuli *tom.1.p.2.cap. 1.n.12.* confirmat omnia priuilegia etiam viuæ vocis Oraculo concessa Mendicantibus, &c. Idemque dicit de viuæ vocis Oraculis concessis ante Gregor. XIII. propter aliam Bullam ipsius, in quibus pro Minimorum Ordine illa confirmat, quæ an practicari possint, aut conformia sint menti Pontificum docti videbunt. Vide ad hoc intentum Bullam Pauli V. quæ incipit *Decet Romanum*, concessam Patribus nostris Discalceatis, & quæ habetur inter priuilegia ipsorum in Paulo V. Bulla 4. [An autem per dictas Constitutiones reuocentur etiam consuetudines quæ fundatæ sunt in suo principio in aliquo viuæ vocis oraculo, tractat Portellus *in responsionib. Moral. to.2. casu 13. num.18.* Et quamuis ipse teneat partem affirmatiuam nihilominus probabilis etiam est pars negatiua, tum propter vim consuetudinis quæ potest inducere, & abrogare legem: tum quia dici potest quod tales consuetudines quatenus fundatæ in viuæ vocis Oraculis abrogatæ sint per dictas Constitutiones, non tamen quatenus sunt consuetudines legitimæ, & rationales habentes conditiones ad illas requisitas, de quibus dixi *supra verbo leges Regularium num.55.* Et ita hanc partem tenet vir quidam doctus quem ipse Portellus *supra* refert.]

8 Quartò nota, quod si priuilegium per Bullam vni Religioni concessum, viuæ vocis Oraculo alteri communicetur, probabile satis esse tale viuæ vocis Oraculum non reuocari per dictas Constitutiones. Nam verè non est simpliciter viuæ vocis Oraculum, sed priuilegium Bullarum. Turrianus *part.2. selectarum disputationum disput.16.dub.5.* quem referunt, & sequuntur Peyrinis *supra num.2.* Bordonus *suprà num.6.*

Quæ autem, & qualia sint huiusmodi viuæ vocis Oracula Religionibus concessa, ex Compendiis priuilegiorum ipsarum constare poterit. Plura ipsorum habet Cassarubius *in Compendio Priuilegiorum Mendicantium,* vbi ea quæ sunt authentica notat. O magno, quæ vero authentica non sunt o paruo. Plura quoque ipsorum refert Rodriguez *in suo Bullario* circa singulos Pontifices, qui illa concesserunt. 9

ORATORIA QVOAD Regulares.

SVMMARIVM.

Oratorium quid, & quotuplex, num.1.
De Oratoriis publicis ipsorumque priuilegiis, num.2.
Oratoria priuata qualiter permissa, num.3.
Quæ Oratoria gaudeant immunitate Ecclesiastica. num.4.
Eorum bona an alienari possint, ibid.
In quibus oratoriis ministrari possit Eucharistia, numero 5.
Quæ alia in ipsis fieri possint, ibid.
De Oratoriis priuatis in Domibus Regularium, num.6.
Dubium, an in Oratoriis celebrari possint plures Missæ vna die, num.7.
An illis assistentes satisfaciant præcepto audiendi Missam, num.8.
Breue Pauli V. num.9.
Alia ex ipso, num.10.
Non possunt vna die dici plures Missæ, num.11.
Quia priuilegium hoc debet restringi. num.12.
Quia Pontifex loquitur de Missa in numero singulari, num.13.
Quando appellatione numeri singularis venit pluralis, num.14.
Quando est eadem ratio in vtroque, num.15.
Non obstat can. si quis etiam, num.16.
Alia obiectio soluitur, num.17.
Qui ex familiaribus satisfaciunt præcepto audiendi Missam, & qui non, num.18.
Intelligentia indulti, num.19.

ORATORIVM propriè est locus aptus ad orandum. Angelus *in Summa verbo Ecclesia num.3.* Syluester, & alij Summistæ *in Summa verbo Oratorium.* Est duplex, aliud publicum, & aliud priuatum, rursus priuatum, aliud, quod pro domibus sæcularium construitur, aliud, quod in domibus Regularium. De quibus omnibus sigillatim dicendum. 1

Et quidem loquendo de publicis Oratoriis, præsertim vbi Missa est celebranda, illa quidem primo sunt auctoritate Episcopi, non secus ac Ecclesiæ ipsæ, construenda, *cap. quidam 18. quæst. 2. cap. nemo de consec. dist.1. Authent. vt nullus fabr. Orat.* Item ab eodem antea designanda. Concil. Trident *sess.22. in Decreto de obseruandis, & euitan. in celebr. Missa.* Similiter ad Dei tantummodò cultum dedicanda. *cap. Oratorium, & cap. in Oratorio dist.42.* Rodericus à Cuna *in Comment. ad dict. cap. Oratorium.* Barbosa *de iure Ecclesiast. lib.2. cap.8. num.7.* Pariter etiam ab 2

ab eodem Episcopo benedicenda, seu consecranda iuxta dicta *suprà verbo Ecclesia, seu templum.* Vbi etiam an quoad hoc sint aliqua priuilegia inter Regulares. Si ea pollui, vel violari continget, reconciliari, & benedici possunt, sicut, & Ecclesiæ. Barbosa *supra num.*8. Qualiter porrò id faciendum, & de priuilegiis Regularium quoad illud, habetur eodem verbo *Ecclesia, seu templum.* Præterea, iuxta dicta eodem *supra verbo Immunitas Ecclesiarum num.*2. hiusmodi Oratoria Ecclesiast.ca gaudent immunitate. De quo Riccius *in Praxi part.*4.*Resol.*427. Auctoritate demum Episcopi præsumitur Oratorium à principio erectum, quando haberet Altare lapideum stabile, & non portatile, vt per Decianum *in tract. crimin. lib.*6. *cap.*25. *num.*19. Farinac. *de Immun. Eccles. num.* 267. affert Barbosa *supra num.*10.

3 Loquendo etiam de Oratoriis in priuatis domibus sæcularium, vnicuique fidelium illa in domo sua habere permittitur, *cap. vnicuique de Consecrat. dist.*1. Angelus, & Syluest. *supra verbo Oratorium.* Sed Oratoria huiusmodi non debent esse in forma Ecclesiæ. Iidem Angelus, & Syluester. Nec sunt tanquam Ecclesiæ consecranda. Barbosa *supra nu.*3. Nec in eis habendæ campanæ. *cap. patentibus de priuileg.* Syluester. & Barbosa *ibidem.* Nec in eis Missa est celebranda, dicto *cap. vnicuique* cum sequentibus. Angelus, Syluester, & Barbosa. Nisi de licentia Episcopi, *cap. Cleric. de consecrat. dist.*1. Angelus, & Syluester *suprà.* Imò contra oppositum facientes quantumuis Regulares procedere possunt Episcopi, etiam per censuras, iuxta dicta *supra verbo Episcopus quoad Regulares num.* 19. His autem temporibus ad hoc quòd Missa dici possit in oratoriis priuatis non sufficit licentia Episcopi, sed requiritur Sedis Apostolicæ licentia, provt sæpius declarauit Sacra Congregatio, specialiter in Epistola eiusdem ad Archiepiscopum Bononiensem, quam referunt Naldus *in Summa verbo Missa n.*31. & Pasqualigus *in decis. Moral. decis.*165. in qua grauissimè reprehenditur vsus in contrarium, & ipsi intimatur, vt facultates antea concessas, irritas, & nullas esse declaret, ac denotatur idem quoque intimatum fuisse cæteris Archiepiscopis, & Episcopis. Nota autem, quòd oratoria, quæ penitus seiuncta sunt à domibus priuatorum ciuium, & ad quæ non patet ingressus per easdem domos, sed potiùs per viam publicam, & communem, concurrentibus cæteris requisitis, non comprehenduntur in prædicto Decreto, sed arbitrio ordinarij, poterunt declarari habilia, & apta ad diuina in ipsis celebranda absque speciali Sedis Apostolicæ, facultate, provt aliàs censuerunt consulti patres Doctissimi, eodem Naldo supra referente. De quo etiam Pasqualigus *supra Decis.*173. Casu etiam quo Sedes Apostolica prædictam facultatem celebrandi in priuatis istis oratoriis concesserit exceptis Festis Solemnioribus, celebrari in ipsis non potest, iuxta dicta *tom.*1.*cap.*21.*num.*31. in Natali Domini, Epiphania, Paschate, Pentecoste, Annunciatione, Assumptione Beatæ Mariæ Virginis, festo SS. Apostolorum Petri & Pauli, & omnium Sanctorum, vt censuit Sacra Congregatio apud Barbosam *supra num.*6. Iure etiam communi *cap. si quis de consecr. dist.*1. qui habent oratoria in agro non possunt ibi audire Missas in Pascha, Natali Domini Epiphania, Ascensione, Pentecoste, Natali S. Ioannis Baptistæ, & similibus diebus. Limitatio porrò illa facta à Sac. Cögregatione pro diebus Natalis Domini, Paschæ, & Pentecostes, probabiliter sanè intelligenda venit solùm pro primis diebus harum Festiuitatum, quia restrictio indulti, seu gratiæ sapit odium, & sic strictè interpretanda. Naldus *supra verbo Interdictum num.*8. Quibus fauent ea quæ probabilia esse dixi ex Soto, Auila, Bonacina, Hurtado & Diana *tom.*3. *verbo Interdictum quoad Regulares num.*27. Qua autem moderatione, & pro quibus Missis huiusmodi oratoria concedi debeant, habet Gauantus *in Comment. in Rubr. Missal. p.*1. *tit.*20. *§. in iis autem.*

Quamuis autem oratoria publica, vt dictum est, gaudeant immunitate Ecclesiastica, sed non ista priuata oratoria, iuxta dicta *supra verbo Immunitas Ecclesiarum*, & ita declaratum dicitur à Sac. Congregatione Immunitatis apud Barbos. *in Collect. Bullar. verbo Oratorium.* Deinde, quamuis similiter oratoria publica gaudeant solemnitate requisita ad alienationem rerum Ecclesiæ, ita vt sine illa alienari non possint eorum bona, non autem oratoria priuata. Licet etiam oratoria publica quoad effectum furti, copulæ, pollutionis, &c. nomine loci Sacri, aut Ecclesiæ veniant, sed non oratoria priuata, cum illa, & non ista, authoritate Episcopi fundentur, & ista, & non illa ad nutum fundatoris ad prophanos vsus reduci possint. De quibus, & aliis differentiis inter vtraque oratoria, Syluester *in Summa verbo loca Religiosa*, præsertim *quæst.*2. Acuna *supra* Barbos. *supra dicto cap.*8. *à num.*12. & aliis. 4

An in hiusmodi priuatis Oratoriis possint Regulares, cum ibi celebrant, ministrare Eucharistiam, habes ex dictis *supra verbo Eucharistia num.*11. Vbi etiam an virtute Bullæ Cruciatæ id fieri possit. Quæ autem fieri possint in eisdem priuatis Oratoriis virtute eiusdem Bullæ Cruciatæ, maximè tempore Interdicti, dixi *supra verbo Bulla Cruciatæ num.* 14. De quo etiam Diana 5. *part. tract.*10. *Resolut.*76. ex Ludouico de Cruce, & aliis maximè notandum pro istis Oratoriis, quòd licèt, iuxta dicta supra in illis non possit celebrari sine facultate obtenta à Sede Apostolica, & hoc limitatè, scilicet exceptis Festis Solemnioribus ibi assignatis, stando tamen in vi priuilegij Bullæ Cruciatæ non videtur requiri talis approbatio Sedis Apostolicæ, nec habet locum talis limitatio. Eo quòd in dicta Bulla Pontifex absolutè, & sine vlla limitatione concedit, quòd illam habens possit audire, aut celebrare Missam in Oratorio priuato ab Episcopo designato, & visitato, etiam tempore Interdicti, hoc est omni tempore anni, præterquam in die Paschatis, vt ibi dicitur. Sic colligo ex Ægydio Trullench. *in Exposit. Bullæ Cruciatæ lib.*1. §.3. *dub.*4. & Diana *part.*4. *Tract.*4. *Resolut.*76. Quibus fauet Rodriguez *in Addition. ad Bull. Cruciat.* §.5. *num.*1. Illud tamen non placet, quod idem Diana 5. *part. Tract.*12. *Resolut.*43. ex relato Trullench. approbat, quòd scilicet visitans in domo sua Oratorium priuatum, lucretur Indulgentiam Bullæ Cruciatæ concessam visitantibus vnam Ecclesiam. Nomine enim Ecclesiæ quo vtitur Bulla non veniunt, nec venire possunt hæc priuata Oratoria, cum sine dote, aut licentia Episcopi fundentur, siue illa prophanentur, nec gaudeant aliis priuilegiis Ecclesiæ, iuxta dicta supra. Fagundez *in* 2. *præcept. Eccles. l.*4. *cap.*47. *num.*36. Barbosa *sup. num.*11. & 16. ex aliis. 5

Loquendo autem de Oratoriis priuatis in domibus Regularium, cum constet ex *dict. cap. vnicuique de Consecr. dist.*1. vnicuique licere in domo sua Oratoriũ erigere, non est aliqua ratio cur id non sit permissum omnibus Regularib. in suis domibus. Idque supponitur in aliquibus ipsorũ priuilegiis, quæ retuli *tom.*1. *cap.*21. *num.*14. & 15. De quo etiam Azor. *tom.*1. 6

tom.1. inst. moral. lib. 10. cap. 26. quæst. 9. Fagundez in primum Eccles. præcept. lib. 3. cap. 13. num. 17. & 18. An vero in illis celebrari possit propter aliqua priuilegia Religionum, habes ex dictis *suprà verbo Altare num.* 13. 14. & 15. De quo etiam Pasqualignus *suprà Decis.* 174. & *sequentibus*. Addit Gauantus *supra* §. *Addam ex Scortia cap.* 13 *lib.* 2. quòd in Oratoriis, quæ sunt in domibus Religiosorum priuilegia Societatis Iesu participantium, iuxta concessionem Gregor. XIII. si ea deputentur ad Missam celebrandam à Prouinciali, poterunt ibi Sacerdotes alij non Regulares celebrare. De quo etiam Pasqualigus *supra Decis.* 180.

7 Dubium tamen mihi propositum fuit, an in Oratoriis priuatis sæcularium, in quibus Papa concedit celebrari posse *Missam*, seu *sacrificium* possint plures *Missæ*, aut plura *sacrificia* eodem die celebrari.
8 Et an illis assistentes satisfaciant præcepto audiendi Missam. Quod dubium mihi propositum fuit propter Breue Pauli V. quo anno 1612. hæc concessit cuidam nobili familiæ, *vt in priuato quodam*
9 *Oratorio in villa quadam existente sacrosanctum Missæ Sacrificium per quemcumque Sacerdotem sæcularem, seu de superiorum suorum licentia Regularem, sine tamen quorumcumque iurium Parrochialium præiudicio, ac Paschatis, Resurrectionis, Pentecostes, & Natiuitatis Domini nostri Iesu Christi, festis diebus exceptis, in vestra, ac familiæ vestræ, nec non eorum quos inibi adesse contigerit, præsentia, celebrari facere & licitè valeatis Apostolica authoritate, tenore præsentium licentiam concedimus, & indulgemus, non ob-*
10 *stantibus* &c. Et postea: *Volumus autem quod familiares seruitiis vestris non necessarij ibidem Missæ interessentes ab obligatione audiendi Missam in Ecclesia diebus festis de præcepto minime liberi censeantur.*

11 Dixi ergò primò, non posse vna die in eo Oratorio celebrari plures Missas. Sic colligo ex P. Diana 9. p. tract. de orator. priuat. resol. 5. referente Quintanaduenias, quem videre non potui, & Marchinum de Sacram. ordin. *tract* 3. p. 5. c. 9. n. 9. in quo nihil de hoc reperi. Id tamen tenet Pellizzarius *tom.* 2. *man. regul. tract.* 8. c. 2 *sect* 2. n. 144. Colligitur etiam ex Decreto Pauli V. quod idem Diana refert, ita declarantis. Deinde, quia sine dubio hoc priuilegium derogat iuri communi, quo statuitur, vt Missæ au-
12 diantur in Ecclesiis: non ergo debet ampliari, sed restringi, iuxta communem regulam *cap porro de priuileg.* vbi DD. de quo plura dico *verbo priuil. reg. n.* 8. Præterea, quia cum Pontifex loquatur in nu-
13 mero singulari dicens *Missæ sacrificium* non est cur intelligi possit de pluribus Missis. Tum quia, si Pontifex id intenderet, facile id declarare posset dicen-
14 do *Missas*, aut *Sacrificia*. Tum quia nisi numeri singularis appellatione veniat quandoque pluralis, *l.* 2. §. *hæreditas ff. de suis & legit. hæredib. l. si quis ita vers. si quis filio ff. de testam. tut.* §. *si plures, instit. de legit. agnat. success.* & DD. quos refert Barbosa *in tract. de*
15 *appellat. verb. iur. signific. appellat.* 169. n. 4. Id tamen debet intelligi quando est eadem ratio in numero plurali, ac singulari. Barbos. *ibid. n.* 1. ex aliis. Quod non procedit in casu præsenti, quia multo magis præiudicatur iuri communi per celebrationem plurium Missarum in dicto oratorio, quam per celebrationem vnius.

16 Nec obstat quod in *can. si quis etiam de consecrat. dist.* 1. dicatur quod qui habet oratorium in agro ibi *Missas audiat*. Etenim illud *Missas* intelligi debet in multis diebus, non vna die. Sicut infra dum dicitur de clericis *Missas celebrare voluerint*, intelligitur etiam pluribus diebus, non vna. Similiter non obstat, quod habentes priuilegia ad celebrandum 17
in loco aliàs decenti, & honesto possent in illo oratorio celebrare, etiam si in eo vna Missa eo die celebrata sit. Quidquid enim de hoc sit, de quo alibi, dato quod id fieri possit, id non esset ex vi priuilegij concessi huic Oratorio, sed ex vi priuilegiorum concessorum sacerdotibus celebrantibus. Sic colligo ex Diana *d. resolut.* 5. & Bard. ab ipso relato.

Dico secundo, assistentes illi Missæ, qui non sunt 18
de familiaribus necessariis illius familiæ, non satisfaciunt præcepto audiendi Missam diebus de præcepto. Hæc enim est vera, & legitima intelligentia
verborum illius indulti. Et ita ea intelligit Marchi- 19
nus *sup. n.* 10. fauet Diana *resol.* 6. §. *verum.*

ORDINES SACRI.

SVMMARIVM.

De illis remissiuè, num. 1.
Ordo quid, & quotuplex, num. 2.
De materia, & forma Ordinis, num. 3.
De subiecto capaci illius, num. 4.
De Ministro ipsius, num. 5.
An aliquibus Regularibus competat ministrare Ordines, num. 6.
An ligati censura possint illud ministrare, num. 7.
Quo in loco conferri possint Ordines, num. 8.
Quo tempore, num. 9.
Quibus possint Abbates Ordines, vel Tonsuram conferre, num. 10.
Regulares subduntur Episcopis quoad collationem Ordinum, num. 11.
Prælati Regulares debent dimissorias concedere, numero 12.
An Regulares ordinandi necessario examinari debeant, num. 13.
An possint Prælati exempti concedere dimissorias suis subditis sæcularibus ibid.
De ætate ad Ordines requisita, num. 14.
De irregularitate defectu legitimæ ætatis, num. 15.
De interstitiis ad Ordines necessariis, num. 16.
Religiosi ordinantur sine titulo beneficij, aut patrimonij, num. 17.
De Religioso inualidè professo, & Ordines suscipiente, ibidem.
Quid de Religioso ordinato cum dubio de sua professione, si reuertatur ad seculum, num. 18.
Ordinari non possunt Regulares extra tempora, numero 19.
De irregularitate propter susceptionem furtiuam Ordinum, num. 20.
Quid quando Episcopus declarauit se non habere intentionem ordinandi accedentes furtiuè, excommunicatos, &c. ibidem.
Probatio de vita, & moribus in ordinandis, &c. qualiter requirantur, num. 21.
Resolutio casus, de quodam ordinato, num. 23.
Quia ordinatus est cum expectatiua dimissoriarum quas actu non habebat, grauiter peccauit, num. 24.
Si ordinatus est iuxta tenorem illarum, probabile est non incurrisse pœnas latas, num. 25.
Quia probabilis est sententia affirmans, quod priuilegium valet à tempore concessionis, num. 26.
An quia ordinatus ad titulum beneficij, quod non possidebat, inciderit, in suspensionem can. sanctorum. dist. 70. *num.* 27.
Probabilius est, quod non. num. 28.

An incurrerit suspensionem latam à Pio II. numero 29.
An imposita à Pio V. num. 30.
Quod ordinatus fuerit extra tempora in vim Breuis subreptitij incurrit suspensionem à Pio II. positam, num. 31.
Quia imponitur contra suscipientes sacros ordines extra tempora. num. 32.
Celebrando incurrit irregularitatem, num. 33.
An possit absolui ab alio, quàm à Papa, numero 34.
Quid si casus esset occultus, num. 35.
Quid de irregularitate à Pio II. imposita, numero 36.
An requiratur temeritas, seu præsumptio, num. 37.
An à S. Pœnitentiaria, vel Episcopo absolui, aut dispensari possit. num. 38.
Quid ex vi Bullæ Cruciatæ in Hispania, num. 39.
An Episcopus possit acceptare pro foro externo, numero 40.
In irregularitate non dispensatur ex priuilegio Bullæ. num. 41.
Quid si esset probabilis sententia quorundum Doctorum, num. 42.
Potuit D. Episcopus priuare illum beneficiis Ecclesiasticis, num. 43.
De aliis, quæ gessit, num. 44.

1 DE illis, prout specialiter ad Regulares spectare possunt, non pauca dixi *tom. 1. cap. 14.* & *suprà verbo Dimissoriæ*, & *verbo Interstitia*: plura quoque sparsim per totam hanc summam. Nihilominus alia nunc addenda pro maiori materiæ complemento, præsuppositis primò generalibus principiis ipsius.

2 Et primò quidem dari Sacramentum Ordinis res est certa de fide, vt ex Concilio Florentino *in Instructio. Armanorum*, & ex Tridentino *sess. 23. cap. 2.* docent communiter DD. specialiter Bellarminus *de Sacramento Ordinis*, Ledesma *in Summa prima parte de Sacrament. Ordinis cap. 1.* Valentia *tom. 4. disp. 9. quæst. 1. puncto 2.* Fuit institutum à Christo in vltima Cœna Lucæ 22. illis verbis: *Hoc facite in meam commemorationem.* Ibi enim contulit Christus Apostolis authoritatem Sacerdotalem, in qua omnes Ordines formaliter, vel eminenter continentur. Valentia *suprà punct. 4.* Enriquez *lib. 10. cap. 3.* Est autem ordo *Sacramentum, quo spiritualis potestas traditur ad conficiendum Corpus, & Sanguinem Christi.* Quæ definitio accommodatur singulis Ordinibus si quidem in Ordine Sacerdotali confertur talis immediatata potestas; in aliis verò mediata. Sotus *in 4. distinct. 14. quæst. 1. art. 1.* Bonacina *de Sacramento Ordinis disput. 8. quæst. vnica punct. 1. num. 1.* Candidus *4. part. disquisit. 4. artic. 1. dubit. 1.* Sunt autem Ordines septem, scilicet, Ostiariatus, Lectoratus, Exorcistatus, Acolytatus, Subdiaconatus, Diaconatus, & Presbyteratus. Ita enim colligitur ex Concilio *suprà cap. 2.* & ex S. Thoma *in Addition. b. ad 3. p. q. 37. art. 3.* Vbi Nuñus, & alij ipsius Expositores. De quo etiam inter antiquiores Doctores noster Ioannes Bacco *in 4. dist. 25. quæst. 1.* & noster Guido *in l. contra hæreses de hæresibus Valdensium cap. 14.* Ex quibus quatuor priores vocantur Ordines minores, & non Sacri, tres autem posteriores maiores, & Sacri, per antonomasiam, scilicet, & quia propinquius ad Eucharistiam accedunt, Sanchez *to. 1. opusc. moral. l. 7. c. 1. dub. 1. n. 6.* Sunt autem omnes hi septem Ordines vera Sacramenta, characterem imprimentia, ac gratiam conferentia. Esto plures Theologi de quatuor minoribus Ordinibus. Probatur, tum ex Concilio Florentino *in Decreto Eugenij.* Postquam enim dixit, ordinem esse sextum Sacramentum, continuò ponit exempla de Ordine Sacerdotis, Diaconi, & Subdiaconi, & addit idem de aliis ordinibus intelligendum. Tum ex Trident. *sess. 23. cap. 2.* vbi hos omnes numerat inter ordines. Et postea *c. 3.* absolutè dicit ordinem esse Sacramentum. Tum etiam, quia per omnes illos traditur potestas, siue proximè, siue remotè, ad conficiendum Corpus, & Sanguinem Christi. Vualdensis noster *de Sacramentis cap. 116.* Bellarminus *de Ordin. cap. 8.* Sanchez *supra dub. 7.* ex multis aliis. Quamuis autem plurium sententia sit Episcopatum non esse ordinem, aut Sacramentum propriè, nec gratiam conferre, prout tenent Syluester *in summa verbo Ordo primo quæst. 1. dub. 3.* Sotus *lib. 10. de iustitia quæst. 1. art. 2. & in 4. dist. 24. quæst. 2. art. 3.* Bonacina *supra n. 3.* ex pluribus etiam aliis. Probabilius tamen est oppositum, scilicet Episcopatum, Ordinem, & Sacramentum esse, characterem imprimere, gratiamque conferre. Primò ex *cap. 1. dist. 32.* vbi quarto loco numeratur Subdiaconatus, quia nimirum Episcopatus est primus Ordo, vt notat Gloss. *ibid.* Item ex Concilio Trid. *sess. 23. cap. 4. de Sacramento Ordinis*, vbi videtur constitui distinctus Ordo à Sacerdotio, vt obseruant Nauarrus, & Valentia infra. Deinde, quoniam Episcopatus ordinatur etiam ad conficiendum Corpus Christi, quod est de essentia Sacramenti Ordinis, ordinatur enim ad consecrandum vasa Sacra sine quibus confici non potest, & ad ordinandos Sacerdotes, & alios Ministros necessarios ad Eucharistiæ celebrationem. Bacco, & Vualdensis *supra.* Nauarrus *in Manuali cap. 22. num. 18.* Valentia *suprà quæst. 1. punct. 2. in fine.* Martinus Fornarius *de Ordine cap. 1. §. 4.* & Sanchez *suprà dub. 9.* post plures alios. Illud certum, primam Tonsuram Sacramentum Ordinis non esse, iuxta dicta *suprà verbo Irregularitas num. 5.* quia ipsa solùm est inchoatio quædam, & dispositio ad Ordines. Sanchez *suprà quæst. 6.* post D. Thomam, & alios communiter. Certum etiam omnes septem ordines dicendos esse vnum Sacramentum Ordinis, & quia ad vnum finem omnes diriguntur, scilicet, Eucharistiam perficiendam, & quia ex omnibus illis integratur vnum Sacramentum completum. Bonacina *supra punct. 2. num. 2.* ex Valentia, Henriquez, & aliis. Episcopatus etiam dici potest vnum Sacramentum genere, sed non specie cum Sacerdotio, & comprehendi sub illo, vt habet Bellarminus *supra cap. 5.* Vel meliùs dicendum cum Sanchez *supra* ex Durando, Angles, & aliis, quòd sicut consecratio panis, & vini constituunt vnum Sacramentum tamquam partes eius integrales heterogeneæ, sic consecratio simplicis Sacerdotis, & magni Sacerdotis, qualis est Episcopus (propterea enim Ecclesia in officio Sancti Episcopi canit illud Capitulum, *Ecce Sacerdos magnus*) est vnum Sacramentum perfectum, & consummatum. Vnde infertur rectè dici posse characterem per Episcopatum impressum esse augmentum quoddam characteris Sacerdotalis ipsum necessariò supponens, & perficiens, & cum eo integrum characterem perfecti Sacerdotij constituens, Coninch. *de Sacramento Ordinis dubio octauo* Sanchez *suprà* Candidus *supra dubitatione tertia, 5. & 6.*

3 Quoad materiam, & formam huius Sacramenti dicendum quòd sicut materia remota illius est res illa, quæ traditur suscipienti ipsum; sic quoque materia proxima est traditio talis materiæ remotæ, seu instrumentorum quibus significatur potestas, quæ singulis

singulis traditur. Forma verò sunt illa verba, quæ in traditione huiusmodi materiæ proferuntur à Ministro, & quæ habentur in Pontificali, Bellarminus de *Ordine cap.9.* Henriquez *lib.10.cap.6.& 7.* Fornarius *supra cap.2.* Bonacina *suprà punct.3.* & alij communiter. Nota tamen primò quòd licet contractus materiæ sit de essentia huius Sacramenti, quia significatur per verba formæ prout habent Syluester *in Summa verbo Ordo 1. & verbo Ordo 2. quæst.5.* Sotus *in 4. dist.24. quæst.1. art.2.* & alij plures, nihilominus non est necessarium tangere illam ambabus manibus, sed sat est vna manu id facere. Syluester *dicto verbo Ordo 1.* Sanchez *suprà dub.2. num.3.* post Paludanum, Henriquez, & alios. Similiter non est necessarium, vt simul sint mathematicè loquendo, contactus materiæ, & prolatio formæ, sed quòd sint simul moraliter, iuxta doctrinam communem Sacramentorum. Sotus *dicto art.2.* Fornarius *dicto cap.2. num.4.* Addit Sanchez *suprà n.4.* ex Syluestro, Angelo, Tabiena, & aliis, quibus iunge Nunnum *in Addit. ad 3.part.tom.2. quæst.24. art.5. difficult.2.* & Dianam *2.p.tractat.16. Resolut.3.* Non esse necessarium in consecratione Sacerdotis tangere immediatè Calicem, & Patenam & Hostiam super illam positam, sed sat est tangere quomodocumque, & modicum quid rei, quæ nullum inter medium discontinuans habeat ad illa. Tum quia ibi iam verificatur corporalis tactus, & receptio, tum etiam quia sicut tangens Calicem censetur tangere vinum, quod est intus, nec oportet immediatè vinum tangere, ita tangens Patenam censetur tangere Hostiam, nec est opus immediatè illam tangere; non enim minus, sed æquè est materia vinum, & Hostia. Addunt aliqui probabile esse, nec esse necessarium, vt ordinandi tangant physicè materiam sed sufficere quòd manuum extensione ostendant se eam ab Ordinante acceptare. Sic enim ex Soto, Victoria, Henriquez, Reginaldo, Molfesio, & Vasquez tenet Diana *suprà.* Sed, vt notat ex Coninch de Sacramentis *disput.20. dub.7. num.71. conclus.6.* esto hoc intelligatur de necessitate Sacramenti, saltem tamen ex præcepto Ecclesiæ oppositum est necessarium. Et ita tutius esse, & conformius vsui Ecclesiæ tenet Fornarius *suprà num.4.* Tertiò nota, quòd Episcopus, qui profert formam debet ipsemet tradere materiam tangendam. Suarez *tom.5. in 3.part. disp.42. sect.3. num.12.* Fornarius *suprà.* Bonacina *dicto punct.3. num.15.* Specialiter an pro consecratione Sacerdotis necessarium sit necessitate Sacramenti, quòd Calix cum vino sit, affirmant plures cum Ledesma *de Sacramento Ordinis cap.3. difficultate 3.* & Ioanne de la Cruce *in Directorio conscientiæ part.2. de Sacramento Ordinis dub.2. conclus.1.* Sed negat Diana *part.3. tract.4. resolut.186.* ex Filiuccio, Homobono, Bonacina, & Henriquez. Res quidem dubia, & saltem consulendum quod Villalobos *in Summa tom.1. tract.11. difficult.4. num.1.* ex Doctoribus Salmaticensis Academiæ approbat, scilicet, reiterandum esse Sacramentum sub conditione, si aliquis eo modo ordinatus sit.

Consequenter ad dicta ad casum quendam mihi propositum respondi, prout infra. Casus autem erat iste: *Quidam suscipiendo Ordinem Sacerdotalem tetigit solummodo Calicem & Hostiam non autem patenam. Quæritur vtrum validè sit ordinatus, & possit tuta conscientia functiones Sacerdotales exercere.* Ratio dubitandi est, quia opinio quæ tenet contactum physicum & immediatum trium materiarum videlicet Calicis, Patenæ, & Hostiæ, esse necessarium ad validitatem est opinio probabilior & tutior: in validitate autem Episcopatus & Presbyteratus (vt aiunt Doctores) tutior & probabilior opinio tenenda est in praxi, ne presbyter ordinatus iuxta opinionem minus tutam, quamuis probabilem, se exponat periculo non consecrandi, non absoluendi, &c. Responsio verò ista. *Respondeo: Eum qui quando ordinabatur Sacerdos tetigit solummodo Hostiam & Calicem non autem patenam ritè & legitime censeri debere ordinatum, itavt non egeat pro validitate Sacerdotij ordinationem repetere.* Moueor ad hoc primò, quia iuxta superius dicta ex Sanchez, Syluestro, Angelo, Tabiena, Nuño & Diana, non est necessarium in consecratione sacerdotis tangere immediatè calicem & patenam & hostiam super illam positam, sed sat est tangere quomodocumque, & modicum quid rei, quæ nullum intermedium discontinuans habeat ad illa. Tum quia ibi iam verificatur corporalis tactus & receptio; tum etiam quia sicut tangēs calicem censetur tangere vinum quod est intus, nec oportet immediate vinum tangere; ita tangens patenam censetur tangere hostiam; nec est opus immediatè illam tangere: non enim minus sed æque est materia vinum & hostia, similiter tangens hostiam etiam tangit patenam super quam est talis hostia. Vnde ad intentum, si iste tetigit calicem & hostiam, dupliciter dici potest tetigisse patenam. Primò, tangendo calicem super quem immediatè erat patena, & tangendo hostiam sub qua etiam immediatè erat patena. Secundò, quia nullus textus reperitur alicuius canonis, aut Concilij in quo requiratur huiusmodi contactus immediatus: non ergo est ille necessarius. Præsertim, quia verba debent intelligi secundum communem modum loquendi. *l. librorum §. Quod tamen,* vbi Bart. *ff. de legat.3. l. labeo ff. de supel.* & alius iuris... eo quod vulgaris appellatio pro lege habetur. Gonzal. *ad regul.8. Cancel. gloss.21. num.69.* Atqui euidenter constat quod secundum communem vsum loquendi dicimus tangere etiam physicè illa quæ mediatè aliquo intermedio tangimus: sic enim dicimus tangere terram pedibus, quamuis non tangamus illam nisi mediis calceis: & tangere aliquid manu quamuis manus sit cooperta chirotecha: quod etiam patet mille aliis exemplis. Tertiò, quia sentētia Hastruens non requiri pro validitate Sacramentorum contactum physicum materiæ, sed solum moralem non est reiecta ab Ecclesia, sed est plurium DD. quos referunt & sequuntur Layman *in Theol. moral. lib.5. tract.9. cap.5. num.4.* & Diana *3. p. tract.4. resol.185.* multò ergo magis receptibilis erit sententia ista nostra quæ requirit contactum physicum etsi non immediatum. Quartò, quia hæc sententia, non solum defenditur à Doctoribus relatis, sed etiam à multis aliis, & ipsis grauibus, ex quibus tres affero. Vnus est Reuerendissimus Vincentius Candidus S. Palatij Apostolici Magister *in suis disquisit. moral. tom.4. disp.4. de Sacram. Ordin. art.2. dub.9. & 10. act.11.* ex Soto, Valentia, Ioanne de la Cruce, Laymano, & Nuño. Alter est Iacobus Granadus *tom.5. in 3. part. controu.9. de Sacram. Ord. tract.1. disput.6. num.10.* vbi inquit: *Nihilominus existimo posse tuta conscientia exercere Ordinem Sacerdotalem illum qui immediatè tetigit calicem & patenam super quam erat hostia, licet non attigerit hostiā immediatè: & idem esset licet solùm calicem immediatè contingeret.* Pro quo affert Syluestrum, Sotum, Valentiam, Vasquez, Ægidium & Henriquez. Tertius est Castrus Palaus *in Theol. moral. part.4. de Sacram. Ordin. tract.27. disp. vnic. punct.5.* vbi inquit ex Vasquez, Coninch, & Bonacina:

Fere

Fere certum existimo non esse opus contactum materiæ immediatum ad Sacramenti valorem, sed mediatum sufficere, vti euenit si calicem continentem patenam tangas, vel si tangas calicem medio aliquo panno interposito.

Vnde nego id quod in casu supponitur, scilicet quod sententia asserens contactum immediatum illorum trium esse necessarium ad valorem Sacramenti, sit probabilior quàm opposita: probabiliorem enim ego existimo hanc alteram sententiam propter authoritatem DD. qui illam tenent, & quia fundamenta quæ pro ipsa sunt, solidiora videntur. Præsertim quia, vt Granadus supra inquit, nullus Auctor reperitur qui asserat pertinere ad essentiam Ordinis Sacerdotalis tangere immediatè illa tria, cum tamen sint multi qui id expressè negent, vt ex dictis constat. Fateor quidem sententiam illam esse tutiorem, cum qui illam sequatur non se exponat periculo alicuius peccati; cæterum quia sententia nostra est in praxi tuta & *ferè certa*, vt Palaus dixit, rectè potest quis se accommodare, quia nullus tenetur sequi tutiorem viam, dummodo practicè tutam sequatur.

4 Loquendo autem de subiecto capaci Ordinis, dicendum, fœminam non esse capacem illius, &, si fortè ordinetur, non recipere characterem, vt probat Toletus *in Summa l.1. cap.57. num.2.* ex Theologis, & Iuristis. Neque hermaphroditum, nisi vigeat in eo virilis sexus, iuxta dicta *suprà verbo Irregularitas num.13.* ex Nauarro, Sayro, & Cornexo. Esset enim contra Christi Domini institutionem, vt probant Valentia *disput.9. quæst.4. puncto 1.* Henriquez *lib.10. cap.16.* Suarez *tom.5. disp.51. sect.2.* ex D.Thoma, & ex aliis contra errorem Cathaphrygarum. De quo Gloss. *in cap. Diaconissam 27. quæst.1.* Syluester *verbo Ord. 4.* Sotus *distinct. 25. quæst.1. art.2.* & Valentia *suprà.* Qualiter etiam talis hermaphroditus, in quo præualet masculinus sexus admitti non debeat ad Ordines, vt potè irregularis, dixi eo loco ex eisdem Authoribus. Similiter neque masculus est capax Ordinis, nisi fuerit antea baptizatus, vt patet ex *cap. veniens de presbyt. non bapt.* Fornarius *supra cap.3. num.2.* ex D.Thom. & communi sententia. Non Confirmatum autem capacem esse Ordinis constat ex dictis *suprà eo verbo Irregularitas num. 50.* De quo Nauarrus *in Manuali cap.22. num.9.* Henriquez *lib.10. cap.14.* Quicunque autem baptizatus, etiam infans, capax est Ordinis. Ratio est, quia in *cap. vnico de iis, qui per saltum ordinantur*, habetur illos non esse Ordinandos qui ante discretionis annos acceperunt minores Ordines, quod etiam dicendum videtur etiam si maiores Ordines suscepissent. Fornarius *suprà num.8.* ex Toleto, Azorio, & Henriquez, Bonacina *suprà punct.5. num.1.* ex Valentia, Coninch, Soto, & aliis. Vbi *num. 3.* ex aliis notat hanc differentiam inter pueros vsu rationis carentes, & inter amentes, quòd pueris validè conferri possunt Ordines, etiam si illos nunquam expetierint. Illis verò qui post vsum rationis inciderunt in amentiam non validè conferuntur Ordines, si illos nullo modo prius expetierunt, censentur enim habitualiter nolle ordines suscipere. Adde etiam, quòd in adulto cum ordinatur, requiritur intentio. Quare si quis inuitus ordinetur non recipit characterem, vt cum Palud. Asten. Sylu. Tabiena, & Arm. docent Henriquez *supra lib. 2. cap. 16. num. 2.* & Fornarius *suprà num. 7.*

5 Quod attinet verò ad Ministrum Sacramenti ordinis, certa res est quemcumque, & solùm Episcopum consecratum esse ordinarium Ministrum illius. Ita enim habetur ex Concilio Toletano 8. *quæst. 7.* Constantiensi *sess.8.* Florentino *in Decreto Eugenij*, & Tridentino *sess.23. cap.4. & cap.7.* De quo S.Thomas *in 4. dist.25. quæst.1. art.1.* Henriquez *suprà cap.23.* Fornarius *suprà cap.5.* Barbosa *de Officio, & potest. Episcop. Alleg. 3. num. 3.* Sanchez *suprà dub. 18.* ex communi doctrina. Apud quem, & alios, an ex commissione Papæ possit committi simplici Sacerdoti conferre primam Tonsuram, & minores ordines.

Specialiter quod attinet ad Regulares, Abbatibus conceditur iure communi *cap. quoniam dist.69. & cap. cum contingat de ætat. & qualit.* facultas conferendi aliquos minores ordines, & in *cap. Abbates de priuileg. in 6.* facultas conferendi primam Tonsuram. Quod totum etiam habetur ex aliquibus ipsorum priuilegiis, de quibus Suarez *tom. 4. de Relig. tract.8. lib.2. cap.29.* Simileque priuilegium pro Priore S. Ioannis Hierosolymitani referunt Molfessius *in Summa Theolog. moral. tract.2. cap. 2. num.17.* & Barbosa *suprà num.5.* Hæc verò priuilegia neque per viam communicationis extenduntur ad alios Prælatos, quia nunquam fuerunt hoc modo intellecta, iuxta dicta *tom.1. cap.18. num.64.* ex eodem Suarez. Nec etiam extenduntur ad Abbates Commendatarios, sed solùm ad illos, qui habent Abbatias in titulum, quia priuilegia Abbatibus, & Prælatis Regularibus concessa non extenduntur ad Commendatarios, vt probat Tamburinus *de iure Abbatum tom.1. disp.16. quæsit.4. & tom.2. disp.2. quæsit.1.* Nec etiam possunt prædicti Abbates hanc potestatem ordinandi aliis delegare, quia ea quæ sunt Ordinis delegari non possunt, sicut ea, quæ sunt iurisdictionis. Tamburinus *dict. disput.2. quæsito 3.* Constat etiam ex dictis eo *cap.18. num.65.* ex Concilio Trident. *sess.23. cap.10.* prædictos Abbates non posse Tonsuram, aut minores Ordines conferre nisi suis subditis Regularibus. Licet, prout etiam constat ex dictis *eodem num. 65. & capit.14. eiusdem primi tomi num.13.* ex declarationibus Sacræ Congregationis, Abbates habentes ius baculum deferendi, & mitram, postquam Sacerdotalem Ordinem, & munus Benedictionis susceperint, possint Tonsuras, & Ordines minores sæcularibus Episcopi iurisdictionis subditis conferre, si modò ipsius Episcopi consensus accedat, & à dicto Episcopo quisque litteras dimissorias impetrauerit; ita vt satis non sit id generatim ab Episcopo concessum esse, sed hac concessione semper opus sit singulis, &c. Possunt item ipsi Abbates eosdem Ordines conferre aliis Regularibus, qui dimissorias speciales Superiorum suorum, & specialem consensum Episcopi habuerint, ac præterea aliis sæcularibus, qui aliorum Episcoporum iurisdictioni subditi sint, dummodo Superiorum suorum dimissorias attulerint, ac specialem consensum Episcopi loci, in quo Ordines huiusmodi cupiunt suscipere. De quo præter Authores eo loco relatos agunt Azorius. *tom.1. Institut. moral. lib.12. cap. 20. quæst.7.* Sorbus *in Annotationibus ad Compend. priuileg. Mendicant. verbo Ordines Sacri num.5.* Fornarius *dict. cap.5.* & Tamburinus *sup. quæsito 7.* referens etiam statutum Concilij Mediolan. sub S.Carolo Borromeo. Vnde decisio quædam Rotæ sub Seraphino *num.985.* quam in contrarium afferunt Campanile *in diuers. Iuris Rubrica 6. cap.2. num.6.* Barbosa *supra num.12.* & Nouarius *in Lucerna Regularium verbo Ordo num. 2.* intelligi debet de Abbatibus ordinantibus sæculares sine consensu Episcopi Diœcesani, vt habent 6

bent Ioannes Baptista Tiber. *cap.7.Instruct. pro ordinand.quæst.*48. *in fin.* & Tamburinus *supra.* Quod idem censeo dicendum ad aliam declarationem S. Congregationis Episcoporum, & Regularium, quam in contrarium referunt idem Barbosa *de Iure Ecclesiastico l.*1. *cap.* 33. *num.* 16. & Nouarius *supr.* Forsan etiam id decisum à S. Congregatione pro casu particulari, eo quòd aliqua ex conditionibus assignatis pro Abbatibus supra, in tali casu deerat. Casu autem quo contra prædictas declarationes Abbates prædicti aliquos ordinarent, validam esse talem ordinationem, licet sic ordinati suspensi maneant ab exercitio Ordinum susceptorum, & Ordinatores ab exercitio Pontificalium, tenet Tamburinus *supr. quæst.* 8. *&* 9. & Rodriguez *tom.* 1. *quæst. Regular.q.*18.*art.*1. ac Suarez *d. cap.*29. *num.* 20. *&* 21. Quibus etiam fauet Sanchez *supr.dub.*19.*n.*17. Oppositum tamen habetur ex declaratione Sacr. Congregationis Episcop. & Regular. relata, vbi declaratur quemdam Thomam promotum ab Abbate de Corropoli esse malè promotum, & indigere alia promotione. Ad hoc autem quòd prædictam Tonsuram, aut minores ordines suis subditis Regularibus concedant Abbates, necessarium non est, quod ipsi sint benedicti. Ita enim habetur ex declaratione S. Congregationis sub anno 1619. quam referunt Barbosa *in collectan. Bullar. verbo Ordo*, & Nouarius *supr. num.*3. & ex multis priuilegiis ipsorum, quæ refert Tamburinus *disp.*2.*quæst.*3. Quamuis autem nomine Regularis subditi, cui soli permittit Concilium Trident. *sess.* 23.*cap.*10. conferri posse Tonsuram, vel minores ordines ab Abbatibus, communiter intelligant Doctores Regularem professum, quia iste solùm est simpliciter subditus, (Tamburinus *supr. quæst.* 10. ex Henriq. Miranda, Vechio, & aliis) nihilominus probabile videtur etiam intelligi posse nouitium, ita vt etiam respectu illius possint dicti Abbates id facere. Gaudent enim nouitij priuilegiis Religiosorum, & sunt aliquo modo partes Religionum, ac subditi Abbatibus, Suarez *supra num.* 12. Sanchez *supra num.* 14. *&* 15. Peyrinis *tom* 2.*de Prælato q.*3.*cap.*7. *num.*22. Non tamen expedit id facere, quia exire possunt ex Religionibus, & fraus fieri, quæ præcauenda est *cap.* 1. *de seru. non ordinand.* Ioann. Andreas *in cap. Abbates de priuileg. in* 6. Rebuffus *in prax. beneficiorum titulo de Clericis à quibus, & quibus, & quomodo creari debeat num.*17. *&* 18. Campanile *supr. n.*8. Sanchez *supr. num.*15.

7 Abbates porrò, qui prædictos Ordines conferre possunt, id etiam validè efficiunt, etiam si excommunicati, hæretici, suspensi, & interdicti sint. Tales enim valide Sacramenta administrant, iuxta dicta *tom.*3. verbo *Excommunicatio quoad Regulares num.*7. Sotus *in* 4.*dist.*25.*q.*1.*art.*1. Henriq. *in Summ. l.* 10. *cap.*21. *in princip.* Fornarius d. *cap.*5. *num.*3. Licet sic facientes irregularitatem incurrant, propterea quòd actum Ordinis, qualis est ordinare, tempore censuræ exercuerint, iuxta dicta *supra* verbo *Irregularitas num.*55. Similiter, si prædicti fuerint notorij, seu vitandi, qui recipiunt tales Ordines ab ipsis suspenduntur ab illorum executione. Nauarrus *in Manuali cap.* 25. *num.*69. Fornarius *supr.* Bonacina *de censuris disput.* 3. *puncto* 5. §.1. *num.*7. Thesaur. *in praxi part.*2. *verbo Ordo c.*21.*num.*1. ex aliis.

8 Locus autem, in quo tales Ordines conferre possunt, est proprium Monasterium tantum. Ita enim habetur ex dicto *cap. quoniam dist.* 69. *& cap. cum contingat. de ætate & qualit.* Tamburin. *supra quæst.* 13. Sanchez *supra num.* 13. Si tamen Abbas rogetur à Prælato alterius Monasterij exempti, potest etiam ibi tales Ordines suis subditis Regularibus conferre. Sanchez *supra* ex Angelo, Syluestro Tabiena, & Armilla.

Quoad tempus autem conferendi Tonsuram, & minores Ordines, dicendum, Tonsuram conferri posse qualibet die, quia ita consuetudine Ecclesiæ habetur, Bonacina *supra puncto* 6. *num.*1. Minores autem Ordines in sex anni temporibus, nimirum in quatuor temporibus, & in sabbato ante Dominicam de Passione, & in sabbatho Sancto. Ex *cap.*3. *de tempor. Ordin.* Quibus temporibus tam minores quam maiores Ordines conferri possunt. Minores autem etiam Dominicis, & aliis Festiuis tantùm diebus ab Episcopis conferri possunt, vt dicitur in dicto *cap.*3.*de tempor. Ordin.* Idem autem dicendum de Abbatibus affirmat Ioann. Andreas allegans Hostien. *in cap. Cum contingat num.*8. *de ætat. & qualit.* & ex iis Tamburin. *supr. quæst.*13. Immo secundum Ioan. Andr. & Hostien. videtur quòd potius his diebus, quam quatuor temporibus ordinare debeant, ne Episcopare videantur, id est Ordinationes generales tenere. Ita etiam Sylu. *verbo Ordo* 2. *q.* 6. Hi autem dies festiui debent esse de præcepto. Viualdus *in Candelabr. aur. part.*1.*tit. de Sacramento Ordin n.*35. Barbosa *de offic. & potest. Episcopi par.*2. *Allegat.*11.*num.*22. & alij. Et satis erit, si solemnitas diei festi sit in sua Religione, vel Monasterio, licet apud alios non celebretur, vt de Episcopo docent Henriquez *in Summa l.*9. *cap.*28. §.1. Barbosa & Tamburinus *supra.* 9

Nota demum circa prædictos Abbates, præter dicta *tom.*1.*p.*2.*cap.*2.*n.*37. quòd quamuis, iuxta dicta *supr. & tom.*1.*p.*1.*cap.*18. *n.* 65. ex Concil. Trident. *sess.*23.*cap.*10. ipsi non possint conferre Tonsuram, aut minores Ordines nisi suis subditis Regularibus *non obstantibus*, (vt inquit Concilium) *quibuscunque priuilegiis, præscriptionibus, aut consuetudinibus etiam immemorabilibus*, nihilominus Sanchez dicto *dub.*19. probabilius esse credit non reuocasse Concilium priuilegia concessa Abbatibus, quæ habentur in iure, tum quia priuilegium, quod habetur *cap. quoniam dist.* 69. est septimæ Synodi generalis, cui non derogatur, nisi expressè nominetur, vt colligitur ex *cap. ex parte, & cap. vlt. de capellis Monach. cap. eam de ætat. & qualit. cap. nonnulli de rescript.* tum quia priuilegia Abbatum quoad hoc inserta sunt in corpore Iuris *cap. cum contingat. de ætat. & qualit. cap. Abbates de priuileg. in* 6. At in generali priuilegiorum reuocatione non comprehenduntur inserta in corpore Iuris. 10

Excepta autem hac facultate Abbatum ad conferendum Tonsuram, & minores Ordines suis subditis Regularibus, certum est Regulares subditos esse Episcopis quoad Ordinum collationem, iuxta dicta *suprà* verbo *Episcopus quoad Regulares num.*15. Vnde priuilegium Innocentij VIII. pro quibusdam Abbatibus Cisterciensibus, quod retuli eo *cap.* 2. *num.*37. conferendi suis subditis Subdiaconatus, & Diaconatus Ordines, reuocatum est à Concilio Trident. vt ex eo loco dixi, præsertim, quia, iuxta plurium sententiam, quos refert, & sequitur Sanchez *supra dub.* 18. *num.* 10. nec ipse Papa potest committere Sacerdoti non Episcopo facultatem conferendi Ordines sacros. Vnde etiam dixi *to.*1.*p.*1. *cap.*14.*num.*22. quod excommunicatio, quam solet ponere Episcopus ante ordinationem contra eos, qui ordinantur habentes aliquod impedimentum occultum, afficiat omnes, etiam Regulares, & quòd 11

quòd absolutiones, & dispensationes, quas solent dare Episcopi Ordinantes Ordinatis ad cautelam, prosit etiam Regularibus exemptis.

12 Debent tamen Prælati Regulares dimissorias dare suis subditis, quos volunt ab Episcopis ordinari, iuxta dicta eo *cap.* 14. *num.* 12 & *tom.* 3. verbo *Dimissoria*, vbi etiam de modo, quo prædictæ dimissoriæ dandæ sunt iuxta Decretum S. Congregat. sub Clemente VIII. quod illis locis retuli, licet Portellus *in dubiis Regularium verbo Ordines Sacri num.* 1. dicat illud in Hispania non fuisse in praxi receptum.

13 Nota autem circa hoc decretum, quòd licèt in illo denotetur quod Episcopus Ordines collaturus Regulari debeat illum quoad doctrinam examinare, hoc tamen non obstante, potest, si vult, illum non examinare, non solùm, quando notoriè litteratus fuerit, sed etiam si id sibi non constet, conformando suam conscientiam cum conscientia Prælati attestantis de illius sufficientia. Prout benè Villalobos 1. *tom. Summæ tract.* 11. *difficult.* 14. *num.* 5. Portellus *supra in additione num.* 1. Peyrinis *tom.* 2. *de Prælato quæst.* 3. *cap.* 7. *num.* 3. post alios. Posse etiam Abbates, & alios Prælatos exemptos habentes Diœcesim cum iurisdictione Episcopali, concedere huiusmodi dimissorias etiam suis subditis sæcularibus, dixi eodem verbo *Dimissoria numero* 3. & sequitur Thesaurus *supra cap.* 20. *in fine, & cap.* 21. §. *aduerte tertiò*. De quo etiam Sanchez *supra dub.* 21. Et fauet valde declaratio Sacræ Congregationis pro Priore quodam Carthusianorum, refert Nouarius *supra num.* 5. Per eam enim Sacr. Congregatio censuit reuocandam, & tollendam esse, prout reuocauit suspensionem, per quam prædicto Priori prohibitum fuit sub die 21. Februarij 1631. concedere litteras dimissoriales ad Ordinationes subditis propriis sæcularibus. Credo etiam probabile esse posse Prælatos dare dimissorias ad Ordines suscipiendos Oblatis, seu Commissis suorum Ordinum tria vota non emittentibus, aliàs capacibus, & habilibus. Sunt enim illi aliquo modo ipsis subditi, Religionum membra, & sub earum obedientia degentes, & multis Religiosorum priuilegiis fruentes, iuxta dicta *tom.* 1. *p.* 2. *c.* 8. & *supra* verbo *Oblati, seu Commissi*.

14 Qualiter etiam his temporibus post Concilium Tridentinum nullum priuilegium Regulares habeant, quo possint ante legitimam ætatem ab eodem Concilio præscriptam Ordines suscipere, constat ex dictis eo *cap.* 14. *num.* 1. & latè tenet Portellus *supra dicto verbo Ordines Sacri num.* 1. *& verbo Priuilegium num.* 64. ac Bordonus *Resolut.* 21. *num.* 22. Quæ verò sit hæc ætas pro Ordinibus suscipiendis, dixi ex eodem Concilio *suprà* verbo *Ætas num.* 6. Pro quo etiam vide dicta eodem *tom.* 3. verbo *Annus* præsertim *num.* 6. De pœna autem suspensionis, quam incurrunt ordinati ante legitimam ætatem, & de irregularitate, quam etiam incurrunt, si cum dicta suspensione celebrant, & qui possint in huiusmodi pœnis dispensare, dixi eo *cap.* 14. *à num.* 2. *vsque ad* 8. *& num.* 21. De quo etiam Cornexo *tom.* 2. *in* 3. *part. Tract.* 5. *de Suspens. disput.* 4. *dub.* 1. *cas.* 3. Portellus *supra num.* 14. & Bordonus *Resolut.* 11. *à num.* 26.

15 Nota autem, quòd, cum iuxta dicta *supra* verbo *Irregularitas num.* 17. defectus legitimæ ætatis inducat irregularitatem, ideo Religiosus ordinatus ante legitimam ætatem duplex impedimentum habet ad non celebrandum in ordine sic suscepto, primum ratione suspensionis, quam incurrit suscipiendo illum ante legitimam ætatem, secundum, ratione irregularitatis prouenientis ex defectu ætatis. Vnde licet absoluatur à prædicta suspensione, non propterea celebrare potest ante aduentum legitimæ ætatis, quia remanet in illo impedimentum irregularitatis, quod dixit Suarez *tom.* 5. *de Censuris disp.* 29 *sect.* 3. *in fine*. Portellus *supra num.* 12. Econtra verò, iuxta dicta eo *cap.* 14. *num.* 2. etiam si propter aduentum legitimæ ætatis tollatur impedimentum Irregularitatis, non tamen tollitur suspensio, seu impedimentum ex illa proueniens, etiam superueniente ætate, sed indiget absolutione, seu dispensatione. Vide alia dicto *num.* 17.

Similiter qualiter Ordines recipi non possint à Regularibus, nisi seruatis interstitiis, & ad quos pertineat dispensatio in illis, constat ex dictis eo *capit.* 14. *à numero.* 14. & verbo *Interstitia* præsertim *num.* 1. An vero sint aliqua priuilegia quoad hoc, vide, præter dicta illis locis, dicenda infrà *num.* 19. 16

Religiosos debere ordinari sine titulo beneficij, aut patrimonij, sed solùm titulo paupertatis professæ, constat ex dictis dicto *cap.* 14. *num.* 10. ex Decreto Concilij Trident. Vbi etiam propterea dixi, quòd Regularis, qui scit suam professionem irritam esse, si ordinatur, peccat mortaliter, & incurrit pœnas, quas sæculares Clerici incurrunt si ordinantur sine beneficio, aut patrimonio, quia re vera talis Regularis sæcularis est, & ita si ordinatur ordinari debet ad titulum prædictum beneficij, seu patrimonij. Portellus & Diana eo loco relati. Item Bonacina *de Clausur. q.* 2. *punct.* 10. *diff.* 5. *n.* 4. & idem Diana 4. *p. Tract.* 2. *Resol.* 82. Quibus adde Hieronymum Rodriguez *in Compend. quæst. Regular. Resolut.* 106. *num.* 25. & Bordonum *Resolut.* 8. *num.* 32. Incurrit etiam suspensionem positam à Pio II. in Bulla *Cum ex Sacrorum Ordinum*, quam retuli eo *n.* 14. *n.* 2. quia ibi imponitur hæc censura contra recipientes Sacros Ordines absque legitimi dimissoriis, iste autem non ordinatur cum legitimis dimissoriis, quia non sunt concessæ à legitimo Superiori Regulari, qui non est verè Prælatus respectu inualidè professi. Bonacina, Diana, & Bordonus *sup.* Vnde consequenter incurrit & irregularitatem, si cum dicta suspensione celebrauerit, sublatis quibuscunque priuilegiis, & solùm à Papa dispensabilem, quam statuit Pius V. in Bulla *Romanus Pontifex*, quæ habetur in 2. *tom. Bullarij* inter Constitutiones ipsius *num.* 75. quam etiam retuli eo *cap.* 14. *n.* 20. Ratio est, quia hæc Constitutio Pij V. non solùm procedit contra illos, qui nullo modo professionem emiserunt, sed, & contra illos etiam, qui irritam, aut inualidam. Ita enim habetur non solùm ex declaratione S. Congrationis quam refert Garzia *de Benef. part.* 2. *c.* 5. *n.* 11. sed etiam, & maximè ex Rota in vna Vrgellensi *Canonicatus* 3. Martij 1595. coram Blanchetto, quam refert idem Garzia *ibid. &* post ipsum Sanctarellus *variar. Resolut. q.* 49. *num.* 10. Barbosa *de Offic. & potest Episc. Allegat.* 19. *num.* 5. & Thesaur. *in Praxi part.* 2. *verbo Ordo cap.* 11. Procedit etiam contra ordinatos cum dubio de validitate professionis, siuè reperiatur nulla, vel irrita. Ita enim habetur ex dicta Rotæ decisione Garzia, & Thesaur. *supra*. Non tamen procedit contra eum, qui putabat bona fide suam professionem validam esse, aut sciens nullam esse, propter iustam causam, Superioribus volentibus eum promoueri, non est ausus detegere nullitatem, ratione scandali, aut damni grauis imminentis, & non poterat effugere sine scandalo. Thesaurus *supr.* ex Sanchez, & Nauarro. 17

Quibus

Quibus adde Bonacinam, Dianam, & Bordonum *supra.* Quomodo autem consulendum sit sic inualidè professo, vide eundem Sanchez *l.7.de Matrimon. disp.37. num.*43. Quomodo etiam consulendi sint Domini Episcopi, vt ad euitandum prædictum inconueniens quod nulliter professi Ordines vt veri professi recipiant, faciant iurare Regulares ante quam illis Ordines conferant, quòd sunt legitimè professi, vel saltem ratificasse professionem, habetur ex praxi Eminentiss. Cardinal. Friderici Borromæi, & Synodo Mediolanensi, referentibus Gauanto *in Man. Episc. verbo Ordines maiores num.*28. & Diana *supra.*

18 Quoad praxim tamen Regularium collige ex dictis Religiosos reclamantes contra suam professionem, si in Religione existentes susceperunt Ordines Sacros, cum scientia, aut dubio de inualiditate suæ professionis, si reuertantur ad sæculum indigere dispensatione Papæ, vt in susceptis Ordinibus ministrare possint. An verò talium Sacrorum Ordinum susceptio in inualidè professis sit censenda professio tacita, dicam infra verbo *Professio Regularis num.*4.

19 Quòd Regulares modò post Concilium Tridentinum ordinari non possint extra tempora, idest extra dies *supr. num.*9. designatos, constat ex dictis eo *c.*14. *num.*19. Vbi etiam quid de priuilegio Gregorij XIII. pro Religiosis Societatis sentiendum sit, dixi. Nota tamen oppositum tenere Rodriguez *tom.*3.*quæstionum Regularium quæst.*23.*art.*5. Villalobos *in Summa tom.*7. *tract.* 11. *difficult.* 12. & 13. Ioannem à Cruce *l.* 2. *capit.* 8. *dub.* 1. Homobonum *de exam. Eccles. tom.*1. *tract.* 2. *cap.* 1. *quæst.*3. & alios, quos sequitur Diana *parte* 2. *tract.* 2. *resolut.*31. Nota etiam, Portellum *supra num.* 4. asserere se vidisse priuilegium Clementis VIII. pro Patribus Congregationis S. Ioannis Euangelistæ in Portugallia, quo illis concessit anno 1596. die 23. Nouembris, quòd possent ordinari extra tempora, & per quemcunque Episcopum tribus Dominicis, vel Festis continuis, vel interpollatis non seruatis interstitiis à Concilio Trident. designatis, & quoad Ordines minores, vt possent concedi quatuor diebus Festiuis, vel feriatis, continuis, vel interpollatis. Circa quod priuilegium (cui etiam innititur Diana *supra.*) dicit Peyrinis *tom.*2.*de Prælat. quæst.*3. *c.*7. *num.* 11. semper se habuisse suspecta priuilegia vltramontana. Quòd an rectè dictum sit alij viderint. Mihi enim solùm videtur dicendum, non constare quale fuerit tale priuilegium, & an viuæ vocis oraculo solùm concessum. Nota etiam Barbosam *de Officio, & potestate Episcopi allegat.*4.*n.*65. asserere Pium IV. in Bulla *Circumspecta* sub anno 1561. concessisse Religioni Sancti Ioannis Hierosolymitani, quòd fratres Cappellani dicti Hospitalis possint à quocunque Catholico Antistite sub Romanæ Sedis obedientia constituto Sacros Ordines, etiam extra tempora à Iure statuta, tribus diebus Festiuis suscipere. Sed cum hæc concessio facta sit ante Concilium, & per consequens reuocata, iuxta dicta, videndum est an confirmationes priuilegiorum huius Religionis factæ, vt idem Barbosa notat, per Pium V. Sixtum V. Gregorium XIII. & XIV. ac Clementem VIII. contineant clausulam communem. videlicet, *dummodo contraria non sint Decretis Concilij Tridentini, &c.* si enim talia fuerint, tale priuilegium modo non subsistet. De alio Sanctissimi Dom. N. Vrbani VIII. concesso fratribus Minoribus in Indiis, vt scilicet possint ordinari etiam extra tempora, & non seruatis interstitiis, agit relatus Peyrinis *in Formulario littera O. c.6.n.2.* & dicit posse etiam vti illo alios Mendicantes in Indiis habitantes.

De Irregularitate porrò, quam incurrit susci- 20
piens Ordines furtiue, hoc est non verè examinatus, neque admissus ab Episcopo, sed examine, vel admissione alterius vtens, dixi *suprà* verbo *Irregularitas num.* 53. Quid verò dicendum pro casu, quo Episcopus declarauerit se non habere intentionem ordinandi accedentes furtiuè, excommunicatos, irregulares, &c. vel similes, licèt variè sentiant Doctores, quibusdam asserentibus tales pro non ordinatis habendos esse ob defectum intentionis Episcopi, (prout censent Nauarrus *consilio* 1. *de eo qui furtiue,* Rebuffus *de beneficiis part.*2. *tit. de Cleric. male promot. glos.* 4. *num.* 19. & aliis,) pluribus quoque aliis oppositum tenentibus satis probabiliter cum Henriquez *l.*14.*c.*6. *num.*5 & *l.*2. *cap.*8. *num.*5. Sanchez *de Matrimon. l.*7. *disput.* 18. *num.* 11. & 16. Layman. *de Sacramentis in communi c.*4. *num.* 6. & aliis, (eo quòd non obstante tali protestatione Episcopus semper censetur habere, ac retinere practicam, & absolutam intentionem ordinandi hominem præsentem, non vero conditionatam, si quidem appositio talis conditionis conformis non est Ecclesiasticæ consuetudini, imò sacrilegio obnoxia,) dicendum videtur, quòd saltem quando id contingit in receptione Presbyteratus, cum in ipsius inualiditate grauissimum immineat periculum, animarum salutem concernens, qui tali modo Presbyteratum susceperit iterum sub conditione ad illum debet se facere promoueri, prout tenet in praxi Sacra Pœnitentiaria Romana, teste Thesauro Pœnitentiario Apostolico *supra c.* 7. & docent Granadus 3. *part. de Sacramentis controuersia* 9. *tract.*5. *disp.*6. *num.*2. & Diana 5. *part. tract.*14. *resol.*64. & *tract.*13. *resolut.*47.

Probatio de vita, & moribus tum iure diuino, 21
tum ex Concilio Trident. pro suscepturis Ordines requisita, etiam procedit in Religiosis, propter eamdem, vel maiorem rationem, Portellus *supra in Additione num.* 3. Subiungens propterea, quòd si Prælatus Religionis det licentiam, vt Ordines suscipiat aliquis Religiosus vitæ culpatæ peccabit mortaliter, siue culpa sit cognita in sæculo, siue solùm intra Ordinem.

Est ad intentum huius materiæ resolutio casus 22
mihi propositi de quodam ordinato in sacris, cum
expectatiua dimissoriarum sui Episcopi antequam 23
ad ipsius manus peruenissent: qui etiam ordinatus fuit ad titulum beneficij, quod actu non possidebat: & etiam extra tempora in vim Breuis à Sanctissimo obtenti subreptitiè. Ad quem sic respondi.

In isto casu censeo primò N. ordinatum in 24
sacris cum expectatiua dimissoriarum sui Episcopi antequam ad ipsius manus peruenissent, etsi grauiter peccauerit sic faciendo, quia non erat omnino certus de concessione illarum, multo minus de conditionibus, aut circumstantiis cum quibus conce-
debantur atque ita tenebatur eas expectare; nihilo- 25
minus si ordinatus est iuxta terrorem, & formam illam non solùm validè ordinatus censeri debet, vt per se patet, sed probabile est non incurrisse pœnas latas contra eos, qui sine dimissoriis recipiunt
Sacros Ordines. Ratio est, quia probabilis senten- 26
tia est multorum, quos referunt Sanchez *lib.* 3. *de Matrimon. disp.* 36. *num.* 1. & Suarez *lib.* 8. *de legib. c.* 25. *num.* 3 quod priuilegium valet priuilegiato à tempore concessionis, etiam si non habeat notitiam

notitiam illius quod ad præsentem casum applicari potest.

27 Quod ordinatus fuerit de facto ad titulum beneficij quod actu non possidebat, incidit, secundum aliquorum opinionem, in pœnam suspensionis designatam contra eos, qui sine titulo legitimo ordinantur. Can. *Sanctorum dist.* 70. & innouatam à Concilio Tridentino *sess.* 21. *cap.* 2. *de reform.* vbi requiriritur *Beneficium Ecclesiasticum pacificè possidere* ad sacros Ordines suscipiendos, *antiquorum Canonum pœnas super eis innouando.* Ita tenent Sanchez *opusc. lib.* 7. *cap.* 1. *dub.* 35. *num.* 12. cum Nauarro & Salzedo, & eam probabiliorem in praxi receptam ait Reginaldus *lib.* 32. *tract.* 2. *num.* 72. Filliucius *tract.* 17. *num.* 89. & Thesaurus *in praxi*
28 *part.* 2. *verb. Ordines cap.* 11. *num.* 3. Nihilominus, quia probabilior est opposita sententia, quam tenent plures, quos referunt, & sequuntur Diana *part.* 1. *tract.* 16. *resol.* 5. & Barbosa *in collect. ad dictum locum Concilij num.* 67. asserentes talem pœnam non vigere modo, neque esse innouatam à Concilio, ideo non est censendus incurrisse hanc dispensationem. Nec video, quod propter hoc delictum præcisè aliquam suspensionem incurrerit,
29 cum Pius II. in Bulla inferius referenda non includat hunc casum, nec Pius V. in Bulla *Romanus*
30 *Pontifex num.* 75. talem suspensionem contra clericos sæculares, sed contra Nouitios Religionum statuat, vt expressè tenet Manlinus *de ordine tract.* 2. *cap.* 7. *difficult.* 6.

31 Quod verò ordinatus fuerit extra tempora in vim breuis à sanctissimo obtenti subreptitiè, narrando scilicet se velle ordinari ad titulum beneficij actualiter possessi, cum tamen actu illud non possideret, absque dubio videtur incidisse in pœnam suspensionis latam à Pio II. in Bulla relata (quidquid sit de illa, quæ statuitur iure antiquo *cap. sanè de tempor. ordinat.* de qua Thesaurus *supra cap.* 14.) Ratio est, quia in ista Bulla imponitur hæc censura
32 suscipientibus sacros Ordines extra tempora absque *dispensatione canonica, aut legitima licentia.* Quod fecit iste, de quo in casu; siquidem Ordines Sacros extra tempora suscepit in vim breuis subreptitij, quod est illos suscepisse *absque dispen-*
33 *satione canonica, aut legitima licentia.* Per consequens etiam celebrando cum d. suspensione incurrit irregularitatem, provt in dicta Bulla exprimitur, & DD. communiter docent. Insuper, provt in eadem Bulla exprimitur: beneficiis Ecclesiasticis potest iure priuari.

34 Quamuis autem aliquorum sententia sit, quos referunt Barbosa *de offic. Episc. allegat.* 17. *num.* 14. & Thesaur. *supra*, posse transgressorem huius Bullæ absolui ab alio, quàm à Papa, Episcopo videlicet, eò quod Pius II. sibi non reseruauit absolutionem, nihilominus communis sententia oppositum docet, solùm videlicet à Papa absolui posse, sic enim decreuit Rota *in vna Melitensi Abbatiæ anno* 1590. coram Gipsio. Et si quando casus esset occultus, Episcopus posset dispensare iuxta Decretum
35 Concilij *sess.* 24. *cap.* 6. de quo Bonacina *de censur. disput.* 3. *punct.* 5. §. 1. *num.* 2. & Sayrus apud ipsum.
36 Consequenter etiam si iste, de quo in casu cum huiusmodi suspensione celebrauit, incidit in irregularitatem impositam ab ipso Pio II. his verbis: *Si huiusmodi suspensione durante, in eisdem Ordinibus ministrare præsumpserint, eò ipso irregularitatem in-*
37 *currant.* Quia tamen Pontifex vtitur illo verbo *præsumpserint*, quod denotat præsumptionem, & temeritatem ideo, si iste, de quo in casu, celebrauit ex ignorantia vincibili non affectata, aut coniuncta cum temeritate, sed potiùs cum bona fide, non incurrit talem irregularitatem, vt notat Bonacina *supra*, & iuxta ea, quæ dixi *to.* 1. *meæ summæ c.* 10. *n.* 33.

Casu porrò, quod non solùm in suspensionem dictam & irregularitatem etiam Papæ reseruatas incurrerit cum à S. Pœnitentiaria non possit obtinere 38
absolutionem, & dispensationem propter publicitatem casus, neque etiam ab Episcopo propter eandem rationem; nihilominus, quia est in partibus Hispaniæ, in quibus est priuilegium Bullæ 39
Cruciatæ, poterit ex vi illius absolui semel in vita à dicta suspensione quantumuis reseruata Sedi Apostolicæ propter priuilegium ipsius Bullæ: in foro conscientiæ tamen, & non pro foro externo propter declarationem Vrban VIII. in Bulla, quam retuli 3. *tom. meæ summæ verb. Bulla Cruciata num.* 27. Et iuxta ibi dicta poterit D. Episcopus talem absolutionem pro foro externo acceptare, & congruum 40
est benignitati paternæ, vt id faciat pro tranquillitate conscientiæ sui subditi: Quoad irregularitatem verò iuxta sententiam, quam tenui eodem *verb. Bulla Cruciatæ num.* 3. non potest in illa dispensari 41
ex priuilegio Bullæ, quia in dicta Bulla non exprimitur irregularitas, sed solùm censura, nomine autem censuræ iuxta stylum Curiæ non intelligitur irregularitas, cum ipsa non sit censura. Quia tamen aliqui Doctores, quos ibi retuli, tenent oppositum poterit Orator videre, an talis opinio sit probabilis, seu non. Casu autem quo in foro conscientiæ 42
dispensari possit, & dispensetur in dicta irregularitate, poterit etiam D. Episcopus pro foro externo contentus esse, & approbare dictam dispensationem.

Potuit etiam idem D. Episcopus in rigore Iuris 43
stando priuare dictum traugressorem beneficiis Ecclesiasticis, quæ habet propter Bullam Pij II. in qua id conceditur. Sed in hoc sicut, & in aliis D. Episcopus benignitati paternæ, & charitati erga suum subditum, præsertim, si pauper sit, & bonæ notæ, consulere debet.

Quòd pergens in Hispaniam, præsentatusque 44
coram suo ordinario, & ab eo notatus de sua mala promotione, accesserit ad alium Ordinarium, in cuius diœcesi situm est beneficium ipsius ibique celebrauerit, quod etiam fecit iterum reuertendo ad diœcesim sui Ordinarij absque licentia ipsius, esto peccare potuerit, non video cur propterea incurrerit aliquam censuram, irregularitem, aut pœnam aliquam.

PARAMENTA SACRA.

SVMMARIVM.

Ipsorum diuisio, num. 1.
Quæ, aut qualia debeant esse, num. 2.
Notanda circa illa. num. 3.
Alia remissiuè. 4.

PARAMENTA, seu ornamenta Sacra, alia sunt 1
quæ pertinent ad ornatum Sacerdotis, vel Ministrorum Altaris, alia verò quæ spectant ad ornatum ipsius Altaris. De prioribus dicam infra verbo *Vasa Sacra.* & verbo *Vestes Sacræ.* De posterioribus autem modò est dicendum.

Sunt autem huiusmodi ornamenta, seu paramen- 2
menta, primò, linteum, seu mappa linea exten, super mensam Altaris. Etsi verò deceat totum Altare eo cooperiri, ac vestiri, tamen non in omnibus Ecclesiis

id obseruatur, vt notant Scortia *de Sacrificio Missæ lib. 2. cap. 14. num. 8.* & Layman. *de Sacrificio Missæ Tract. 5. cap. 6. num. 11.* Secundò, duæ aliæ mappæ, seu syndones lineæ, vel vna duplicata. Ita enim habetur tum ex *cap. si per negligentiam de Consecrat. dist. 2.* vbi quatuor lintea Altaris numerantur includendo ipsum Corporale. Tum ex Rubricis Missalium, præsertim Romani. Tum quia ita audio præcipi obseruari hic Romæ à Visitatoribus Apostolicis pro omnibus Ecclesiæ Vrbis à Sanctissimo designatis. Vnde tuta conscientia non potest aliter fieri, vt habet Gauantus *in Commentariis in Rubricas Missalis part. 1. tit. 10. §. tribus mappis.* Quare quod Syluester *in Summa verbo Corporalia in princip. & verbo Missa num. 2.* Suarez *to. 3. in 3. part. disput. 81. sect. 6.* Sà *verb. Missa num. 7.* & alij dicunt, sufficere pauciores, solùm est admittendum, quando legitima consuetudine id fuerit introductum. Debent autem huiusmodi mappæ benedici. Quamquam non adeo necesse est, vt sint benedictæ, quin etiam aliquando ex necessitate possint adhiberi mappæ laicorum non benedictæ. Syluester *verbo Benedictio quæstione 5.* Suarez *supra.* Bonacina *de Sacrament. disput. 4. quæst. vlt. punct. 9. n. 24.* Quæ deinde sicuti prius vsibus prophanis applicari poterunt. Layman. *supra* ex Sà, & Azorio. A quo autem benedici possint, & an à Prælatis Regularibus, habes ex dictis *supra verbo Benedictio, & Benedicere.* Tertiò, Corporalia repræsentantia Syndonem, qua Christus inuolutus, & quod proximè mappis imponitur, debent esse ex lino, vel canape, saltim, ex ea parte, qua continet Calicem, & Hostiam, in ora enim illorum, & extremitatibus non prohibentur auro, & serico ornari, vt notant Suarez *supra.* Fagundez *in 1. Ecclesiæ præceptum l. 3. cap. 22. num. 11.* Debent etiam esse ab Episcopo benedicta. *capitulo consulto de Consecrat. dist. 1.* An verò possint ab Abbatibus, vel Prælatis Regularibus consecrari, habes ex dictis loco relato ex 3. *tomo.* Hic tamen obserua adhibentem Corporalia immunda peccare, & quidem grauiter, si valde notabiliter sint immunda, facit enim contra reuerentiam tanto Sacramento debitam, in re, quæ proximè attingit Corpus Christi. Ita Bonacina *supra num. 23.* ex Sà, Suarez, Reginaldo, & aliis multis. Fauetque valde *cap. relinqui de custodia Eucharistiæ* illis verbis: *Nimis videtur absurdum in Sacris sordes negligere, quæ dedecerent etiam in prophanis.* Quartò, Palla, quæ, etsi varias habeat significationes (de quo Fagundez *supra cap. 21. num. 31.* & Barbosa *de Iure Ecclesiastico lib. 3. cap. 2. num. 16.*) communiter sumitur pro ea, quæ Calici superponitur, & pars quædam corporalis esse censetur, sicuti colligitur ex antiqua consuetudine, secundum quam Corporale etiam Calicem cooperiebat, vt præter alios notauit Scortia *l. 3. cap. 5.* Quare linea esse debet, non serica, vel auro elaborata, parte saltem interiori, qua Calicem tangit. Fagundez *supr.* Layman. *d. num. 11.* Item benedicta ab Episcopo, vel alio habente priuilegium Sedis Apostolicæ. Idem Authores ex *cap. consulto dist. 1. de Consecrat.* & S.Thom. *3. p. quæst. 83. art. 3. ad 7. & 8.* Quintò, pallium vulgò *palliotto*, & hispanè *frontal.* Non solet autem benedici separatim ab aliis ornamentis, nec est ita necessarium, vt sine illo celebrari non possit. Etenim si Altare est ornatum auro, argento, vel lapide pretioso, aliud pallium non requiritur. Gauantus *sup. §. pallium quoque.*

3 Circa hæc verò ornamenta, seu paramenta, nota primò, posse fieri ex materia etiam prophana, vel etiam mulierum vestibus, non solum propter viuæ vocis oraculum Sixti IV. pro Minoribus, quod refert Cassarubius *in Compend. priuileg. Mendicant. verbo Ornamenta Ecclesiastica num. 7.* sed etiam iure communi, quia per benedictionem sanctificantur, & ex prophanis fiunt Sancta, & Sacra. Barbosa dicto *cap. 2. num. 33.* Secundò, quod execrantur, vel amittunt benedictionem, ita vt non noua indigeant, quando ita rumpuntur, vt apta non sint ad vsum, ad quem fuerant destinata, aut non amplius priorem retineant figuram. Barbosa *sup. à num. 36.* ex Armillia, Angelo, & aliis. Tertiò, quòd quando fuerint vetustate consumpta, incendio dari debent, & cineres in Baptisterio, vel alio abdito loco condi. *cap. Altaris de Consecr. dist. 1. c. ad hæc de Religiosis domibus, c. quæ semel de regul. iuris*: Syluester *verbo Benedictio quæst. 7.* Galganetus *de Iure public. l. 3. tit. 67. num. 3.* Non tamen debent, in vsus prophanos conuerti, iuxta dicta *suprà verbo Monasteria Regularium n. 38. & 45.* & qui id faceret horrendum committeret sacrilegium, vt alter Balthasar. S. Tho. *2. 2. q. 88. art. 11.* Syluester *suprà.* Fagundez *d. cap. 21. num. 18.* Quartò, prædicta vendi non posse, aut etiam pignorari absque sacrilegio, nisi propter magnam necessitatem Ecclesiæ, pauperum, captiuorum, &c. & tunc non nisi aliis Ecclesiis, vel si laicis, non ad vsus prophanos, sed ad Sacros, & pios. Azor. *tom. 3. Instit. moral. l. 7. cap. 6. quæst. 4.* Nauarrus *Man. cap. 17. num. 205.* Fagundez *suprà num. 19.* Non tamen propterea si sine tali necessitate venderentur Simonia committeretur, cum non vendantur, vt supponimus, quatenus Sacra sunt, sed ratione materiæ. Sotus *9. de iust. quæst. 7. art. 1. conclus. 2. §. ad quæstionem.* Sanchez *tom. 1. Consil. moral. lib. 2. cap. 3. dub. 15. §. quarto dico.* Si autem prædicta fuerint pretiosa alienari non possunt sine Sedis Apostolicæ licentia, cum constet ex dictis *tom. 1. p. 1. cap. 10. & p. 2. cap. 19. & supra verbo Alienare, seu alienatio*, bona mobilia pretiosa Ecclesiastica alienari non posse sine prædicta facultate.

Alia ad intentum vide infra verbo *Prophanatio Sacrorum, verbo Vasa Sacra, & verbo Vestes Sacræ.* 4

PAROCHVS, ET PAROCHIA Regularis.

SVMMARIVM.

Parochus, & Parochia quid sit. num. 1.
An Regulares assumi possint ad munus Parochorum. num. 2.
An saltem ad Parochias Regulares. num. 3.
A quibus prouidendi, & examinandi. num. 4.
An subsint visitationi, & correctioni Episcopi. num. 5.
An remoti à Parochia possint munus Confessarij exercere. num. 6.
De aliis ad ipsos spectantibus. num. 7.
Declarationes S. Congregationis circa illos. num. 8.

Parochus Regularis est ille Religiosus, qui curam animarum in aliqua Ecclesia ex officio exercet. Parochia etiam Regularis est illa Ecclesia Regularium, cui talis cura est annexa. De quibus plura sparsim per totam hanc Summam, & aliqua saltem remissiuè hoc loco. 1

Primò ergo, cum ex dictis *to. 1. p. 1. c. 2. n. 17. & p. 2. c. 18. n. 1.* constet, Regulares non posse obtinere beneficia secularia sine Papæ Dispensatione, ideo non possunt 2

possunt ad Parochias, quæ Regularibus non sunt subiectæ, sine dicta dispensatione promoueri. Quid verò de Nouitiis sentiendum dixi eo *n.*17. & *c.*24. eiusdem *primi tomi n.*37. & præcipuè eo *part.*2.*p.*2. *cap.*2. *num.*21. 22. 23. Quid etiam de Regularibus Militiarum, dixi *supra verbo Beneficium, & Beneficiati n.*11. In casu tamen necessitatis, puta tempore pestis, admitti etiam possunt Regulares ad seruitium Parochiæ secularis prout accidisse Mediolani anno 1630. refert Bordonus *Resolut.*7.*num.*46.

3 Deinde etiam, cum iuxta dicta *tom.*1.*p.*2.*cap.*18. *num.*2. Regulares sint capaces beneficiorum Regularium, ideo etiam Parochiarum Regularium capaces sunt. Quod constat tum ex dictis locis relatis, tum ex *cap. Monachos, & cap. in Parochia* 16.*quæst.*1. Tum quia ipsi sint coadiutores parochorum. Tum præcipuè, ex vsu Ecclesiæ, præsertim in Vrbe, in qua constat plures Religiosos officium parochorum in suis Ecclesiis exercere. Nauarrus *Consil.*7.*de priuil.n.*14. Bordonus *supra num.*36. Quales autem debeant esse Religiosi isti quibus parochiæ Regulares concedi possunt, dixi dicto *cap.*18.*numero* 3.4.*&* 5. An verò talia beneficia dicenda sint solùm manualia, dixi *ibidem num.*6.

4 De iis, ad quos pertinet illorum prouisio, & de examine ad id requisito, & quomodo non per concursum, dixi eo loco *num.*7.8. *&* 11. Adde nomine Superiorum, ad quos spectat ipsorum prouisio, intelligi videtur illos, qui possunt ipsis licentiam dare ad audiendum confessiones sæcularium. Bordonus *supra numero* 37. Adde etiam, quòd quando Ecclesia Parochialis Regularis est in loco nullius Diœcesis examinandi sunt ab Abbate, vel Prælato, qui habet iura Episcopalia in illo loco. Ita enim decisum refert Barbosa *ad cap.*11.*sess.*25.*Concilij num.*30.

5 Quomodo etiam prædicti Parochi subsint visitationi, & correctioni Episcopi, dixi etiam eo loco *num.*9.*& sequentibus.* De quo etiam Sellius *in Select. cap.*112. Aldana *l.*2.*tit.*8. Barbosa *supra n.*12.*&* 14. Vnde tenentur obseruare ordinationes factas ab Episcopis in suis visitationibus. Sellius *ibidem*, ex vna Cameriensi 20.Maij 1621. Et non excedere taxas ab ipsis positas in salario. Barbosa *supra n.*16. *&* 23. ex Sellio, & vna Limanens. 18.Septembr. 1625. Et accedere ad processionem cum aliis Clericis. Bordonus *supra num.*43. ex Barbosa, & Aldana.

6 Circa remotionem ipsorum, præter dicta *cap.*18.*à n.*17. illud addendum, quòd si à suis Superioribus amoueantur à cura, adhuc posse excipere confessiones sæcularium ex vi approbationis factæ ab Episcopo tenet Peyrinis *tom.*3.*priuileg.Minim.cap.*4.*n.*22. ex Riccio negat verò Bordonus *supra n.*47. Ego autem attendendum puto ad modum quo remouentur, & ad qualitatem approbationis Episcopi, an scilicet fuerit perpetua, vel solùm temporalis. Generaliter enim Parochum, qui habuit beneficium, & de facto non habet, indigere approbatione Episcopi ad audiendas confessiones tenet Lugo *de Sacram. pœnit. disp.*21.*sect.*1.*num.*8. ex aliis.

7 De obligationibus prædictorum Parochorum, salario ipsorum vacatione talium beneficiorum, vnione ipsorum cum Ecclesiis Regularium, & quid quando ad Ordinem reuertuntur, latè habes dicto *cap.*18. per totum. De quibus etiam Auctores relati. De his quoque, in quibus prædicta beneficia Regularia cum sæcularibus conueniunt, & in quibus ab ipsis differant, ac de aliis hanc materiam concernentibus, latè *supra verbo Beneficium, & Beneficiati.*

8 Plures etiam declarationes Sacrarum Congregationum ad Parochos, Parochias, & Parochianos spectantes, quæ etiam Parochis, & Parochiis Regularibus adaptari possunt, habes apud Barbosam *in Collect. Bullar. verbo Parochia, verbo Parochialis, & verbo Parochianus, & Parochus.* Nota tamen hæc Collectanea suspensa esse à S. Congregatione ob incertitudinem, vt creditur, plurium declarationum Sacrarum Congregationum, quæ in eis habentur. De priuilegiis Regularium quoad huiusmodi Parochias, vide Casarubium *in Compend. verb. Parochia*, & Portellum *in Dub. Regular. verbo Parochus frater.*

PAVPERTAS RELIGIOSA.

DE hac materia copiosè dixi *tom.*1.*p.*1. *cap.*6. & ideo ad eum locum remittendus est lector. 1

POENA ECCLESIASTICA.

SVMMARIVM.

*Pœna quid, & quotuplex. num.*1.
*Alia est censura, alia non censura. num.*2.
Aliæ diuisiones pœnarum. ibid.
*De pœnis, quæ sunt censuræ. num.*3.
*De Irregularitate. num.*4.
*Quando cognoscuntur pœnæ esse latæ sententiæ, vel solùm ferendæ. num.*5.
*Imponuntur solùm pro actibus externis. num.*6.
Quales debeant esse actus isti. ibid.
*Propter quam culpam imponi possint. num.*7.
*Quando incurrantur in foro conscientiæ. num.*8.
*De aliis pœnis remissiuè. num.*9.
*De pœna priuationis vocis actiuæ. num.*10.
*De pœna priuationis vocis passiuæ. num.*11.
*De pœna priuationis loci. num.*12.
*De pœna priuationis beneficiorum. num.*13.
*De aliis pœnis remissiuè. num.*14.
*De pœna maledictionis. num.*15.
*De pœna indignationis Dei, Sanctorum, & Summi Pontificis. num.*16.
*De dispensatione in pœnis. num.*17.
*An in ipsis dispensent Prælati. num.*18.
*Resolutio cuiusdam casus. num.*19.
*De quodam Religioso exeunte extra portam Monasterij sine licentia contra præceptum expressum Superioris. num.*20.
*Et quia astitit ad portam cuiusdam artificis, etiam contra expressum præceptum. num.*21.
*Habuit ignorantiam talis præcepti. num.*22.
*Non adfuit publicationi illius. num.*23.
*Ignorantia excusat à transgressione. num.*24.
*Quid si esset aliquo modo culpabilis. num.*25.
*An si fuisset affectata. num.*26.
*Qui operatur ex ignorantia neque contemnit legem, nec illi facit iniuriam. num.*27.
*An stari possit iuramento ipsius. num.*28.
*Quid de alio præcepto non astandi ante portam artificum. num.*29.
*Verbum audeat denotat præsumptionem. num.*30.
*Requirit scientiam. num.*31.
*Videtur excusabilis, quia pœnæ erant grauissimæ. n.*32.
*Exigebant peccatum mortale. num.*33.
*Pœna debet esse proportionata culpæ. num.*34.
*Modica non nocent. num.*35.
*Non veniunt in consideratione. num.*36.
*Pœnæ sũt isti trãsgressori applicãdæ, saltẽ ex parte. n.*37.
*Quia committitur etiamsi in minimo deficiatur. n.*38.
*Quia delicta puniri expedit Reipublicæ. num.*39.

1 Pœna est *id quod pro culpa infertur.* Deriuatur enim à puniendo, & solùm culpa est id, quod punitur. Syluester *in Summa verbo pœna n.*1. Diuiditur autem in legalem, seu ciuilem, & in Canonicam, seu Ecclesiasticam. Prior est illa, quæ à Iure ciuili, seu sæculari imponitur, posterior verò illa, quæ à Iure Canonico, seu Prælato Ecclesiastico statuitur. Angelus, Syluester, & alij Summistæ *verbo Pœna.* De hac ergo posteriori in præsenti, ea præsertim, quæ in Bullis, & Decretis Summorum Pontificum, Sacrarum Congregationum, Constitutionum, & Statutorum Religionum imponi solet contra Regulares transgressores.

2 Diuiditur autem pœna, primò in pœnam quæ est censura, qualis est excommunicatio, suspensio, &c. & in eam, quæ non est censura, prout est irregularitas, priuatio vocis, officiorum, &c. Secundò, in pœnam latæ sententiæ, in pœnam ferendam. Tertiò, in varias pœnas, scilicet depositionem, vel degradationem, infamiam, actuum factorum irritationem, & in priuationem vocis actiuæ, vocis passiuæ, loci, beneficiorum, dignitatum, officiorum, graduum, honorum. Item in inhabilitatem ad prædicta, ac in pœnas maledictionis, seu indignationis Dei, & Sanctorum, vel Summi Pontificis, obtestationis diuini Iudicij, &c. De quibus omnibus, quia specialiter poni solent contra Regulares, sigillatim est dicendum.

3 Loquendo autem de pœnis, quæ sunt censuræ, seu quod idem est, de censuris ipsis, certum est incurri à Regularibus, si transgrediantur leges in quibus positæ sunt, dummodo, peccatum talis transgressionis sit externum, & consummatum, iuxta dicta *supra verbo Censura Ecclesiastica num.*10. Imò, & mortale, iuxta ibidem dicta, nisi forsan talis censura fuerit leuis, vt excommunicatio minor, suspensio leuis, &c. iuxta *ibidem* etiam dicta. An verò excuset ab illis incurrendis ignorantia dixi *ibidem num.*11. Item si tales censuræ fuerint latæ sententiæ suum effectum sortiuntur ex ipso Iure ante omnem Iudicis sententiam, seu ministerium, ita vt eo ipso quo aliquis transgreditur leges imponentes tales censuras, etiam in foro conscientiæ illas incurrat, iuxta dicta *tom.*1. *p.*1. *cap.*10. *num.*29. Si verò non fuerint latæ sententiæ, sed ferendæ, non incurrentur eo ipso nisi post sententam Iudicis, saltem declaratoriam, iuxta dicta eo *n.*29. Quando autem censuræ sint latæ sententiæ, & quando ferendæ, dixi eo *n.*29. & constabit ex dicendis *infra num.*5.

Idem quod dixi de censuris dicendũ etiam est de ea irregularitate, quæ est pœna alicuius delicti, eam scilicet incurri ipso facto, & ante omnem sententiam à quocunque transgressore legis iuris Canonici, vbi ea solùm imponitur, dum tamen tale delictum sit peccatum mortale, externum, & consummatum, iuxta dicta *supra verbo Irregularitas n.*4. vbi etiam an ignorantia excusare possit ab illa. 4

Circa pœnas verò latæ sententiæ, seu ferendæ sententiæ, notandum, tunc cognosci quales sint, non solùm quando expresè tales vocantur, sed etiam ex regulis sequentibus. Prima, quotiescunque pœna ponitur cum exclusione sententiæ cuiusuis vt si dicatur, *ipso iure facto, absque aliqua declaratione, sententia, &c.* vel per verba præsentis temporis, & indicatiui modi, vt *priuamus, inhabilitamus, &c.* vel cum dictionibus, quæ omnem dilationem, vel temporis spatium excludunt, vt *statim, confestim, ex tunc, continuò, illico, protinus, mox, subito, &c.* vel quando fertur per verba imperatiui modi, vt *subiaceat, incurrat, incidat, &c.* talis pœna est latæ sententiæ. Cum excludat sententiam, quæ non nisi futuro tempore, & interiecto spatio ferri potest. Secunda est è contrario, quotiescunque pœna ponitur solùm verbis comminatoriis, v. g. *sub pœna, sub interminatione, & sub interpositione, &c.* vel per verba futuri temporis, vt sunt, *priuabitur, damnabitur, &c.* talis pœna solùm est ferenda; quia significat actionem futuram. De his Tiraquellus *in Commentar. legis si vnquam Cod. de reuocand. donationib.* Castro *de lege pœnali l.*2. *cap.*1. Sayrus *in Claui Regia l.*3. *cap.*8. Bonacina *de Censur. disp.*1. *quæst.*1. *punct.*1. ex Suarez, Filliucio, Coninch, & aliis. Etsi aliquas limitationes adducant, quas omitto, quia parum conducunt ad intentum Regularium. Supponunt autem communiter DD. quod quotiescunque verba, quibus imponitur pœna sint ambigua, ita vt tam latæ sententiæ quam ferendæ significationem importare possint, accipienda sint solum pro ferenda, quia in materia pœnali benigniorem partem sequi debemus. *cap. odia de Regulis Iuris in* 6. Sayrus *supra num.*22. Bonacina *supra.* Thesaurus *in Praxi part.*1. *cap.*3. ex aliis. 5

Notandum secundò, prædictas pœnas imponi de facto non posse ab Ecclesia, aut Prælatis Regularibus pro actibus internis præcisè, quia Ecclesia non iudicat de occultis internis, sed ea soli Deo reseruat. *c. consuluisti* 2. *q.*5. *cap. erubescant* 32. *dist.* Sanchez *l.*2. *in Decalog. cap.*8. *num.*1. Salas *de legibus disp.*9. *sect.*2. Dixi *præcisè*, quia tales pœnæ imponi possunt ab Ecclesia pro actu interno, non prout interno, sed prout coniuncto cum externo, Thesaur. *supra c.*5. ex Sayro, Salas, Azor, & aliis. Actus porrò externus ille censetur in præsenti, qui est per se sensibilis, & de facto sentiretur ab alio si adesset in illa circunstantia loci, in qua fit. Thesaur. *supra* ex Suarez, Sanchez, & Layman. Addit etiam *cap.*8. 9. *&* 10 talem actum externum debere esse consummatum, & prædictas pœnas non extendi ex identitate rationis de casu ad casum, neque ad cooperantes. De quibus à simili aliqua dixi *supra verbo Censura Ecclesiastica numero* 6

numero decimo, & *verbo Casus reseruati Regularium numero decimotertio*, & *verbo Bulla Cœnæ num.*3. De quibus etiam Naldus *in Summa verbo Pœna num.*10. *&* 21. *&* 29.

7 Notandum tertiò, quòd quando prædictæ pœnæ graues fuerint, supponunt culpam mortalem, & sine illa non incurrentur, quia aliàs lex esset iniqua, siquidem pro culpa leui grauem pœnam imponeret. Sayrus *supra cap.*7. *num.*25. post Castrum, Sotum, Medinam, Valentiam, & alios. Quod intelligo non solùm in pœnis latæ sententiæ, sed etiam ferendæ, propter eamdem rationem. Sayrus *supra* §.*adducunt autem*. Et consonant ea, quæ dixi *tom.*1. *p.*1.*cap.*8. *num.*13. Fallit autem hæc regula in Constitutionibus Religionum, quæ ad culpam non obligant, sed solùm ad pœnam, quales sunt nostræ, iuxta dicta eo *cap.*8.*num.*8. In illis enim impositio grauis pœnæ, v.g. priuationis officij, inhabilitatis, &c. non arguit, aut supponit culpam, cum legislator hanc esse mentem suam declarauerit, licet indirectè obligare etiam dicantur ad culpam, iuxta dicta eo *cap.*8. *num.*10.

8 Specialiter quartò circa pœnas istas latæ sententiæ, quæ non sunt censuræ, neque irregularitates, quòd attinet ad illas, quæ, vt in plurimum Regularibus transgressoribus aliquarum legum imponuntur (quidquid sit de aliis, de quibus alibi) notandum, iuxta dicta eo *cap.*8. *num.*33. *&* *cap.*10. *num.*31. eas non incurri in foro conscientiæ etiam quando ponuntur illis verbis *ipso facto*, *ipso Iure*, aut *ex ipso*, vel similibus, nisi præmissa declaratione Superioris. Imò etiam, iuxta *ibid.* dicta, etiam si tales pœnæ ponantur illis verbis *absque vlla declaratione*, *absque vlla sententia*, *ante declarationem*, *sententiam*, *&c.* probabile est non incurri in foro conscientiæ, nisi præmissa declaratione, sententia, aut publicatione delicti, non solùm loquendo de pœnis non purè priuatiuis, in quibus exequendis aliqua actio hominis requiritur, vt sunt priuationes vocis, officij, sed etiam in purè priuatiuis, in quibus nulla talis actio requiritur, vt sunt inhabilitas, incapacitas, &c. Ita vt verba illa *absque declaratione*, *&c.* solùm importent declarationem pœnæ, non tamen criminis, aut delicti. Ratio est, quia ita videntur communiter acceptæ leges tales pœnas imponentes, estque hic vsus satis conformis tum benignitati, quæ supponitur in Superioribus Ecclesiasticis tales pœnas imponentibus, tum iuri naturæ, quoad præscribere videtur, quod nullus se ipsum puniat pœna tam graui. Quod præter auctores ibi relatos tenent Naldus *in Summa verbo Monasteria num.*1. *&* *verbo Religiosus num.*37. & Diana 3.*part. Tractat.*2. *de dub. Regular. Resol.*66. & fauet *part.*2. *Tractat.*17. *Resolut.*67. post alios, fauet etiam Tamburinus *de Iure Abbatissarum disputatione* 19. *quæsit.*3. Id quoque probabile censet Thesaurus *in Praxi part.*1. *cap.*28. *quæst.*4. *&* *cap.*5. §.*limita primò*, vbi plures alios refert. Illud certius, quod quando reus non potest tales pœnas sustinere sine infamia notabili, non tenetur id per se ipsum facere, tum quia ius ad propriam famam conseruandam præponderat iuri humano tales pœnas imponenti, tum quia lex humana cum tam graui detrimento non obligat. Sorbus *in Compend. priuileg. Mendicant. verb. Ingred Monasteria* §. *Idem dicendum* post Nauarrum, Sotum, & Cordubam, Bonacina *de legib. disp.*1.*q.*1.*punct.*7. §.2.*num.*10. Quomodo autem non propterea sequatur illa verba *ipso facto*, &c. *ante omnem declarationem*, *&c.* in his pœnis latæ sententiæ frustraneè poni, eo quòd sequuta sententia declaratoria retrotrahatur, habent Lessius 2.*de Institia cap.*29.*num.*64. Sanchez *in Decal. lib.*2.*cap.*22. Thesaurus *supra cap.*6. & Candidus *tom.*4. *disquis.*4. *art.*29. *dubit.*20.

Loquendo autem specialiter de aliis pœnis in particulari relatis *supra numero secundo*, quod attinet ad depositionem, degradationem, & infamiam, sufficienter dixi *supra verbo Depositio*, *verbo Degradatio*, & *verbo Infamia*. De pœna irritationis actuum gestorum, aliqua etiam dixi *supra verbo Leges Regularium*, & plura habent Lessius *supra cap.*17. Salas *de legib. disputat.*16. Bonacina *supra* §.5. & Thesaurus *supra cap.*35. latè ex aliis. Solùm ergo de aliis agendum est. 9

Et primò quidem pœna priuationis vocis actiuæ importat inhabilitatem ad ferendum suffragium in Capitulo ad quamcumque electionem Prælati, aut actum collegialiter faciendum, v. g. receptionem nouitij, &c. Nauarrus *l.*1. *consil. tit. de elect. cons.*6. Portellus *in dub. Regular. verbo vox actiua, & passiua num.*1. Quamuis autem, iuxta dicta, generaliter loquendo dicendum probabiliter esset eam non obligare in conscientia ante declarationem delicti, etiam si sit latæ sententiæ, provt præter Auctores relatos tenet Granad. 1. 2.*controu.*7. *Tractat.*3. Castellinus *de Elect. canonic. prælud.*1. §.6. *n.*20. Peyrinis *tom.*1. *de subdito quæst.*2. *capit.*2. §.11. & alij multi, nihilominus quando ea lata est solùm pro vna vice, seu pro vno actu, seu quoad hanc numero electionem, vt si aliqua lex dicat, *qui hoc fecerit priuatus sit voce actiua in tali electione*, obligare etiam in foro conscientiæ ante quamcumque declarationem tenet Thesaurus *supra capit.*29. dicitque esse omnium sententiam. Sed credo hoc non esse in praxi receptum, nec video communem sententiam pro ipso, aut esse certum, nisi quando lex clarius id exprimit. Pro eo autem quod subdit, scilicet, quòd si quis priuatus voce actiua propter delictum occultum eligat, secuta postea declaratione criminis, talis electio erit cassa eo ipso, si tali suffragio nitebatur, consule dicta *tom.*1.*p.*1.*cap.*15.*num.*6. *&* *tom.*2.*c.*12. *num.*29. 10

Pœna priuationis vocis passiuæ importat, quòd ipsam incurrens eligi non possit, aut postulari in Capitulo ad quamcumque dignitatem, vel officium honoris, & præeminentiæ, non tamen ad munera onerosa, & pœnalia. Nauarrus *supra*. Rodriguez *tom.*2. *quæst. Regular. quæst.*56. *artic.*1. Naldus *in Summa verbo Moniales num.*17. Addens, hanc pœnam simul cum priuatione vocis actiuæ supponere peccatum mortale ex communi sententia DD. Addit Thesaurus *supra*, hanc pœnam quando est latæ sententiæ pro vno actu solùm, obligare ante omnem declarationem. Sed de hoc censeo idem, quòd dixi de priuatione vocis actiuæ. Nota etiã, quòd si quando in aliqua lege, vel Constitutione inferatur pœna priuationis vocis non determinando, an passiuæ, vel actiuæ, vel vtriusque, licet Lessius *lib.*2. *cap.*34. *dub.*29. *num.*105. eam intelligere videatur de vtraque voce; Diana tamen 5.*part. Tract.*13. *Resolut.*90. ex Garzia, & Castro Palao, eam intelligit de sola voce actiua, quæ propriè, & absolutè *vox* dicitur, & verba indeterminatè sumpta accipienda sunt in famosiori significato. Nota etiam quòd pœna priuationis electionis nisi aliud exprimatur importat idem quod pœna priuationis vocis actiuæ & passiuæ, ita vt tali pœna affectus nec eligi, nec eligere possit. Sigismundus de Bononia *de elect. dub.*94. ex aliis. Addens ex Nauarro, & Sayro, sic priuatos posse licitè vices Priorum, seu Guardianorum sustinere, & alia officia exercere quæ per collationem, seu delegationem, non 11

non autem ex vi electionis actiuæ, ſeu paſſiuæ obtinentur.]

12 Pœna priuationis loci, quæ maximè eſt in vſu in quibuſdam Religionibus, importat carentiam eius loci, qui Religioſo eſt debitus ratione ſuæ profeſſionis. Vnde de ſic priuato in noſtris Conſtitutionibus *part.5.cap.7.num.6.* dicitur: *vltimum locum teneat in Choro, Capitulo, & refectorio iuxta nouitios, & etiam vbicunque Fratres fuerint congregati.* Specialia ergo iura Religionum conſulenda ſunt. Quomodo etiam aſſignari debeat præcedentia Religioſorũ quoad locum dicam *infra verbo Pracedentia Regularium.*

13 Pœna priuationis beneficiorum quoad Regulares ſpectat, intelligitur de beneficiis Regularibus, & de quibus dixi *tom.1.p.2. cap.18.* & *ſupra verbo Beneficium, & beneficiati*, & *ſupra verbo Parochus, & Parochia Regularis.* Dubitari autem poteſt an etiam intelligatur de Prælaturis Regularium, puta Generalatu, Prouincialatu, Prioratu, &c. quæ dixi eo *verbo Beneficium, & Beneficiati num.3.* beneficia etiam vocari. In quo negatiua pars eſt mihi probabilis, quia materia odioſa, & pœnalis reſtringi debet. Et ita video ſenſiſſe de Superioritatibus Mendicantium Filliucium *Tract.45. cap.13.num.23.*

14 Quid importent pœnæ illæ priuationis dignitatum, officiorum, graduum, & honorum, ac inhabilitatis ad illa, habes ex illis, quæ dixi *tom.1.p.2. cap.13.* & *ſupra verbo Gradus, & graduati*, ac *ſupra verbo Officia Ordinis.*

15 Pœna maledictionis, quæ ſæpius ponitur in Iure, Conciliis, & Decretis, ſeu Conſtitutionibus Apoſtolicis quamuis videatur importare idem quod excommunicatio, communiter tamen intelligitur de pœna æterna, quæ debetur pro peccato mortali, atque ideo ſignificat præceptum illud obligare ſub mortali. Ita DD. *in cap. Romana §. Procuratores de cenſuris in 6.* Alterius *tom.1. diſp.22.l.5.c.8.* Theſaurus *ſupra c.42.*

16 De pœnis Indignationis Dei, & SS. quid importent, & qualiter ſupponant peccatum mortale, dixi *ſupra verbo Clauſula num.34. & 35.* De pœna autem indignationis Papæ dicit Decius *in cap. prudentiam de offic. deleg.* importare priuationem beneficiorum. Sed credo ſolùm importare pœnam arbitrariam à Papa imponendam. Similiter pœnam obteſtationis diuini Iudicij apponi ſolitam peccato mortali (intellige, ſoli) tenet Naldus *ſupra verbo Pœna num.13.*

17 Pro diſpenſatione autem in huiuſmodi pœnis quatenus ad Regulares ſpectat, & an ea dari poſſit a Prælatis Regularibus, vide dicta *tom.1.p.1. cap.10.n.35. & 36. & c.18. n.46.* Vide etiam Portellum *in Dub. Regul. verbo Diſpenſare n.10.* Ioannem de Cruce *de ſtatu Religionis lib.1.c.6. dub.13. & 15.* Bordonum *Reſol.10.an.24.* & alios apud ipſos. Nota; tamen pœnas inhabilitationum, ſeu illas quæ importãt inhabilitatem non tolli per abſolutionem, ſed per diſpenſationem inſtar irregularitatum. Suarez *de Relig.tom.1. tr.3.l.4.c.61.n.3. & tom.4. tr.8.l.2. c.21.n.13. & 14.* Sigiſmundus *ſupr. dub.97.*] Nota etiam priuilegium Pauli III. pro Benedictinis, quod retuli *ſupra verbo Irregularitas n.32.* Maximè circa dicta illis locis, ſcilicet Prælatos Regulares poſſe diſpenſare cum ſuis ſubditis iure communi, & ſecluſo quocunque priuilegio in omnibus pœnis contractis propter delicta minora adulterio, ſi tales pœnæ Papæ reſeruatæ non ſint propter *c.etſi Clerici de iudiciis*, videndi ſunt Ioannes de la Cruce *dicto dub.15 concl.6.* [Sigiſmundus *ſupra dub 98.* vbi etiam an id poſſit fieri pœnitentia non peracta quod locis relatis diximus eſſe neceſſarium ad dandam huiuſmodi diſpenſationem] & Theſaurus *ſupra cap.23.* vbi plura huic intento neceſſaria.

An etiam Prælati Regulares diſpenſare poſſint in 18
pœnis per ſuas Conſtitutiones taxatis, vide dicta
tom.1.p.1.c.8.n.23. & cap.18.n.54.

Congruit ad intentum quædam reſolutio cuiuſ-
dam caſus mihi propoſiti de quibuſdam pœnis; quæ 19
talis eſt. Quoad caſum mihi propoſitum de P.M.N.
qui extra portam Conuentus exiuit ſine licentia Su-
perioris, cum tamen Reu. Generalis eius Ordinis præ- 20
ceptum promulgauerit, *quod fratres exeuntes Mona-
ſterium cuiuſcunque gradus, & conditionis exiſtant, ſiue
ſint de familia, ſiue hoſpites dicti Conuentus, non exeant
extra portas dicti Conuentus, niſi priùs petita, & ob-
tenta venia à Priore, &c. ſub pœnis priuationis gradus,
vtriuſque vocis, dignitatis, & officij, quod habuerint, &
inhabilitatis ad alia in poſterum obtinenda, & expulſio-
nis à Conuentu irremiſſibiliter infligendis:* & quia
aſtitit ante portam cuiuſdam artificis habentis of-
ficinam propè ipſum Conuentum, contra præce-
ptum eiuſdem Reuerendiſſimi; quo præcepit, *vt nullus
frater cuiuſcunque gradus, aut conditionis exiſtat, au-
deat aſtare ante portam artificum, domus, apothecas,
ſiue officinas Monaſterio circumiacentes, ſiue vicinas,
ſiue remotas ſub eiſdem pœnis graduatis, & ſimplicibus
reſpectiuè ipſo facto infligendis*, videtur dicendum
nullatenus incurriſſe tales pœnas.

Primò quidem, quoad attinet ad exitum illum è 21
Monaſterio ſine licentia, non ſolum, quia tales pœnæ
non ſunt ipſo facto, aut iure ipſo inflictæ, aut latæ
ſententiæ, ſed ſolùm à Iudice infligendæ vt patet ex
contextu ipſarum, & iuxta communem doctrinam,
quam ex Tiraquello, Caſtro, Sayro, Bonacina, Suarez,
Filliucio, Coninch, & aliis affero *in Summ. verbo
Pœna Eccleſiaſtica n.5.* Sed etiamſi accipiantur in
vim pœnarum infligendarum à Iudice, ſeu Superiori:
eo quod talis exitus à Conuentu fuit cum ignorantia 22
talis decreti à Reuerendiſſ. Patre editi; quia videlicet, 23
etſi bis in communitate publicatum fuerit, prædictus
autem Magiſter aliũde occupatus non adfuit tali pu-
blicationi. Ignorantiam autem legis excuſare à tranſ- 24
greſſione, vel ſaltem pœna legis competiſſimi Iuris
eſt, provt ex Suarez, Sanchez, Laymano, Caſtro Palao,
Sayro, Salas, Baldello, & communiter Canoniſtis, ac
Rotæ deciſione probat Theſaurus *in praxi p.1. c.15.
q.1.* Quod adeo eſt verum, vt etiam hæc ignorantia 25
eſſet aliquo modo culpabilis ob prætermiſſam debi-
tam diligentiam, aut ex alio capite excuſaret iuxta ea,
quæ tradunt ſpeculator, Ioannes Andreas, Sylueſter,
Angelus, Tabiena, Lopez, Ledeſma, Henriquez, &
Sanchez, quos refert & ſequitur Paſqualigus *in qq.
moral. centur.3.q.285.n.7.* Imo generaliter, ignoran- 26
rantiam, quæ non ſit affectata, aut craſſa, excuſare à
tranſgreſſione præceptorum humanorum, doctrina eſt
plurium Doctorum apud Dianam *p.3.tr.5.reſol.13. &
p.4.tr.2.reſol.85.* ac etiam *p.5.tr.9.reſol.17.* qui affe-
runt rationem deductam ex benignitate, ac ſuauitate
obligationis legum humanarum. Cui etiam addi po- 27
teſt, quoniam, qui operatur ex ignorantia, neque con-
temnit, neque affert iniuriam legi, aut legiſlatori, provt
colligi videtur ex *l. ſi ignorans ff. locati*, & Marco Vi- 28
dali *in Arca Inquiſ. vnic. de blaſphemia v.17.* Caſu
verò, quod non credatur ipſi habuiſſe talem igno-
rantiam, videtur ſtari poſſe Iuramento ipſius iuxta
doctrinam Pellizzarij *tom.2. Man. Regul. tract.7.c.1.
ſect.1. num.45.*

Quod etiam videtur dicendum de tranſgreſſione 29
alia alterius præcepti eiuſdem Reuerendiſſimi de non
aſtando ante portam artificum, &c. quia etiamſi pœ-
næ pro iſta culpa impoſitæ ſint ipſo facto, tamen
eadem eſt ratio quantum ad hoc de illis, ac de aliis
ſententiã Iudicis ſpectantibus, provt Auctores relati
communi

communiter dicunt, supponunt. Idque magis pro-
30 cedere videtur in hac culpa, eo quod legislatot ap-
posuerit verbum illud *audeat*, quod denotat præsum-
ptionem: quando enim hoc modo loquuntur legisla-
tores requirunt scientiam in transgressoribus, iuxta
31 ea, quæ dixi *tom.1.Summ.cap.*10. *n.*33. & affert The-
saurus *supra p.2.cap.1.verb. Agnus Dei §.limita pri-
mò.* Cum igitur talis sententia non adfuerit, ex-
cusabilis videtur talis Religiosus à transgressione ho-
rum præceptorum, & pœnarum impositarum.

32 Casu verò, quod ex certa scientia talium decreto-
rum præfatus Pater operatus esset, adhuc nihilomi-
nus excusabilis videretur ab incursione in tales pœ-
33 nas: eo quod illæ sunt grauissimæ, ac per consequens
solùm propter peccatum mortale imponibiles; non
videtur autem esse peccatum mortale egredi ex Con-
uentu ad paucos passus sine cappa, & alloqui artifi-
34 cem paucis verbis pro aliqua necessitate. Pœnam por-
rò proportionatam esse debere culpæ adeo tritum, &
familiare inter Doctores est, vt vix probatione egeat.
Sic enim colligitur ex *can. Non afferamus* 24. *q.*1.
ex D. Augustino petito, vbi alij Doctores, & maximè
ex *cap. Felicis de pœnis in* 6. *§. illud*, vbi dicitur secun-
dum quod excessus exegerit, vindicta procedat, ac ex
eo quod non diceretur rationabile præceptum quod
pro re leui, magnam inducit pœnam *l. rescriptum ff. de
his quibus l. Paulus, & l. Beneficio*, & vtrobique Bar-
thol. Aretinus *cons.*14. *num.*5. Bordonus *resol.*78. *n.*2.
Moronus *resp.*21. *n.*17. *& resp.*92. *n.*3. Quibus fauent
35 Iuris axiomata, videlicet, modica non nocent *cap. si
proponente* 42. vbi gloss. 1. *de rescript.* Tiraquell. *in l. si
nunquam verb. donatione largitus num.*107. *C. de reuoc.
donat.* & de modico non est curandum *l. si oleum §. fin.
cum l. seq. ff. de dolo l. In rebus §. possunt ff. commodati.*
36 Barbosa *in axiomat. axiomat.*151. *n.*2. Et modica non
veniunt in consideratione *l. quamuis ff. de condit. &
demonstrat. & cap. coram dilecto de offic. deleg.* Pasqua-
ligus *in qq. moral. q.*122. *n.*4. & parum, & nihil æqui-
parantur *l. quamuis ff. de condit. & demonst.* & plures
DD. apud Barbosam *in axiomat. axiom.*175.

37 Nihilominus, re enucleatius perspecta, & secun-
dum circumstantias loci, & temporis considerata, in
eam partem inclino, vt prædicto P. Magistro præfatæ
pœnæ applicari debeant, saltem magna ex parte &
pro tempore paruo ab ipso Reuerendissimo designan-
38 do. Moueor primò, eò quod generaliter apud plures
Auctores exaratum video, quod pœna committatur,
etiamsi in minimo deficiatur, prout ex Corneo *con-
sil.*95. *col.*3. *lib.*4. & Crauett. *cons.*781. *n.*8. tradit Car-
dinalis Tuschus *concl.*296. *n.*13. & ex ipsis Barbosa *de
clausulis, claus.*96. *n.*5. Secundò, quia delicta puniri ex-
39 pedit Reipublicæ, ne maneant impunita. *l. Ita vulne-
ratus §. quod si quis vers. cum neque impunita ff. ad leg.
Aquil. l. licitatio §. quod illicitè ff. de publican. l. Con-
gruit* 13. *ff. de offic. Præsid. l. Stichum §. tametsi ff. de
solut.* Extrau. *ad reprimen. in princ.* vbi Bart. *verbo Im-
punita. c. est iniusta* 23. *q.*4. *c. vt fama* 35. *§.*1. *de sent.
excomm.* Signorol. *cons.*242. *in fin.* quod est Leonardi
40 de Ceris, vbi quod placatur Deus, quando delicta pu-
niuntur, quod maximè procedit in Religionibus, quia
vt inquit B. Petr. Damian. *epist.*11. ad Gotifredum *l.*7.
dum vltoriæ seueritatis censura reprimitur, temeraria
delinquendi licentia relaxatur, inordinata sanè pietas
nutrit impietatem, & timida manus Medici, vulnus
41 auget ægroti. Ac maximè in culpis publicè perpetratis,
quia sunt in malum exemplum aliorum, quod grauius
punitur, quia est Reipublicæ perniciosius *l.*3. *§. sed &
ex senatus consulto ff. ad leg. Cornel. de Sicar. l. si quis
§. abortionis ff. de pœnis c. præcipuè* 11. *q.*3. gloss. *in c. ne-
mo* 32. *q.*4. Tiraq. *de pœn. temporan. caus.*44. *n.*35. Car-
ret. *in pract. crim. in tract. de homicid. n.*27. *p.*258. Me-
noch. *de arbitr. q. casu* 358. *n.*4. *l.*2. Ac super omnia in
culpis, quæ si non puniatur, alij occasionem accipient
ad similes committendas. Tunc enim necessarium es- 42
se, vt talis pœna exacerbetur, vt alij timorem habeant
rectè dicit Sayr. *in Clau. Reg. l.*3. *c.*8. *n.*5. ex *l. aut facta
§. fin. ff. de pœn.* quod contingere in proposito nullus
negare poterit, cum enim transgressio illorum præce- 43
ptorum facta fuerit sciente, & vidête R. P. Generali, &
quasi sub fenestra ipsius Cameræ, si pœnas talis trans-
gressionis præfato Patri non applicaret, vtique tota
Religio pro qua edita sunt ea decreta diceret P. Gene-
ralem ea edidisse solùm elusoriè, perfunctoriè, ac veluti
per cæremoniam, & ita omnes similiter posse illa im-
punè transgredi. Quæ omnia eò magis robur accipiût, 44
quod cum edita sint huiusmodi decreta ad tollendum 45
abusum, qui erat in contrarium, cùm abusus sit diffi-
cilè separabilis, oportet quod lex rigorosè exequutio-
ni mandetur *l. Capitalium §. solent, & §. grassatores ff.
de pœn. & fere. C. ad leg. Iul. de vi. l.*1. *ff. de iur. patr.
cap. ita nos* 25. *q.*2. *cap. peruenit* 27. *quæst.*1.

Vnde nec est excusabilis iste Pater propter igno- 46
rantiam, qua illa non præsumitur in præsenti, quia vt 47
supponitur in facto, ipse habuit præ manibus dicta de-
creta, & illa affixit, quæ adeo vehemens suspicio est,
quod illa legerit, vt nec iuramento purgari possit, eò
quod iuramentû non adhibetur, quâdo indicia sunt in
contrarium Bald. *in l.*1. *C de collus. detegen.* Bordonus
*controu.*46. *n.*14. ex aliis. Præsertim in causis crimina- 48
libus. Iulius Clar. *q.*63. *in princ.* Bordonus *supra n.*15.
Nec etiam illi suffragatur paruitas materiæ, quia at-
tentis circunstantiis adductis hic non intercedit talis
paruitas, sed potius grauitas moralis sufficiens in 49
Religionibus ad incurrendas similes pœnas, vt patet
ex Constitutionibus illarum.

Dixi autem applicandas esse dictas pœnas, saltem 50
magna ex parte, & pro paruo tempore duraturas, quia
in puniendis delictis seueritas cum benignitate tem-
perâda est, *can. quid faciat* 23. *q.*3. *& can. licet dist.*45. 51
vbi quod plus erga corrigendos agat beneuolentia,
quàm seueritas, plus cohortatio, quàm comminatio,
plus charitas, quàm potestas, cum nemo nostrum sine
reprehensione, & sine peccato viuat. Et ibi glossa dixit
quod sententia, quæ misericordiam vetat, fugienda
est. Item & text. *in cap. serpens de pœn. dist.*1. vbi quod
quis non debet esse minus iustus, & *in c. nisi cum pri-* 52
dem ante med. & ibi gloss. *de renunc.* dicit, quod nimis
iustus quandoque in sua iustitia perit per *c. de his* 2.
*q.*7. & per *d. cap. serpens.* Et ait Seneca ad Neronem
in fin. quod in puniendis delictis venia, & clementia
attenduntur. Vide Farinac. *in prax. q.*17. *n.*4.

Congruit etiam ad intentum resolutio cuiusdam 53
dubij mihi propositi circa impositionem pœnæ pecu-
niariæ, quæ ab aliquibus Prælatis sæcularibus imponi
solem pro aliquibus culpis. Etsi enim raro, aut nun- 54
quam sit aut possit esse in vsu apud Regulares, casu
tamen dato quod aliquando sit vel fuerit, videtur eo-
dem modo de ipsa philosophandum, ac de pœna pe-
cuniaria ab Episcopo assignata. In quo præcipuè in-
uestigandum, an Episcopus possit illam sibi vel suæ
Cameræ, aut saltem Ecclesiæ suæ applicare. De quo
interrogatus ab amico perillustri, sic respondi.

Episcopus nullo modo potest pœnas pecuniarias 55
indicere, vel exigere pro criminibus tolerandis. Ita
enim expresse deciditur *c. licet de pœnis ab Alex.*3. Et
ratio euidens est, quia perniciosum valde est tolerare
crimina, aut pro ipsis tolerandis pecunias veluti an-
nuum censum à concubinariis exigere. DD. *in d. cap.
licet*, Couar. *lib.*2. *var. cap.*9. *n.*9. Barbosa *de offic. &
potest. Episcop. alleg.*107. *n.*19.

56 Potest tamen Episcopus correctionis zelo pœna pecuniaria Clericos suos punire, maximè vbi ea magis timeretur. Colligitur ex *d.cap.licet*,& ex DD.*ibid.* ac constat ex vsu Ecclesiæ, & supponitur in Concilio Tridentino *sess*.25. *de reform. cap*.3.*&* 14.

57 Nec potest huiusmodi pecuniarias pœnas sibi applicare,sed locis piis erogare. Ita enim habet Concilium eo *c*.3. dicens: *Liceat eis si expedire videbitur in causis ciuilibus ad forum Ecclesiasticum quomodolibet*
58 *pertinentibus contra quoscunque,etiam laicos,per mulctas pecuniarias, quæ locis piis ibi existentibus eo ipso quod exactæ fuerint assignentur.* Et *cap*.14.loquens de causis criminalibus, scilicet concubinatu Clericorum, *si à Superioribus moniti ab iis se non abstinuerint tertia parte fructuum,obuentionum, ac prouentuum beneficiorum suorum quorumcunque & pensionum ipso facto sint priuati, quæ fabricæ Ecclesiæ aut alteri pio loco arbitrio Episcopi applicentur.*

59 Est tamen discrimen inter dictas mulctas,seu pœnas pecuniarias: nam illæ, quæ sunt arbitrariæ &, iuxta *cap*.3. Concilij relatum ab Episcopo impositæ in causis ciuilibus, ita piis locis applicari debent, vt non possit illas Episcopus conuertere, nec etiam in fabricam Ecclesiæ, mercedem Vicarij, vel aliorum
60 Officialium Curiæ. Ita enim referunt decisum Piasecus *in prax. Episcop. part*.2.*cap*.4.*num*.97. *in princ.* Galettus *in margar. cas. consc. verb. Pœna*, Aldana *in Comp. Canon. resol. lib*.5. *tit*.1. *num*.8. *&* 11. vbi dicit ita decisum à Sacr. Congregatione in Auersana 22.Ianuarij 1590. Nota tamen quod Genuensis *in prax. Archiep. Cur. Neap. in impress. Veneta de anno* 1645. *pag. mihi* 232. loquens de hac decisione
61 Concilij videtur dicere illam procedere,cùm Episcopus habet redditus sufficientes, quia si pauper esset, aliud videri dicendum iuxta doctrinam Hostiensis & Felyni quos ibi refert. Prudenter tamen animaduertit consulendam esse in dubio S.Congregat.

62 Pœnæ autem aliæ pecuniariæ in causa criminali concubinatus iuxta præfatum *cap*.14. ab ipso Concilio impositæ *fabricæ Ecclesiæ, aut alteri pio loco arbitrio Episcopi* applicari debent, vt idem Concilium
63 inquit. Ac proinde non posse Episcopum portionem aliquam,etiam in minima parte,Vicario pro sua mercede limitare, & minus Cameræ suæ Episcopali applicare, non obstante contraria consuetudine resoluunt, decisumque referunt Quaranta *in Summ. Bullar. verb. Pœna pecuniaria*, Sbrozius *de Offic. Vicar. in addit. lib*.2. *quæstione* 143. Piasec. *in Prax. Episcop. part*.2. *cap*.4. *num*.97. *in princip.* Galet. *in margar. cas. consc. verb. Pœna*, Aloysius Riccius *in prax. rerum for. Eccles. dec*.349. *in* 1. *edit. alias resolut*.307. *num*.3. *in* 2. *edit.* quos refert & sequitur Barbosa *in Collect. ad d.cap*.14. *relatum Concil. & de offic. & potest. Episc. part*.3. *allegat*. 107. *num*.19.

Vbi autem Episcopus admodum pauper esset, eas sibi assumere posse, pariter decisum referunt Molfe-
64 sius *in Comm. de consc. Neapol. p*.4.*quæst*.64.*num*.24. Aloysius Riccius *resol*.307.*num*.3.*vers. limita*, quos etiam refert & sequitur idem Barbosa *in collect. ad d.cap*.14.*num*.15.

POENITENTIA.

1 Vide dicta *supra verbo Confessio*, & *verbo Confessarius*.

PORTIO CANONICA.

1 Vide dicta *supra verbo Canonica portio*, & *infra verbo Quarta funeralis*.

PRÆCEDENTIA QVOAD Regulares.

SVMMARIVM.

NON loquor in præsenti de iure præcedentiæ inter Religiones ratione institutionis, vel confirmationis Pontificiæ ipsarum, res enim est potius ad historiam spectans, & fusiùs alibi tractanda; sed de præcedentia, quæ competit ipsis Regularibus & etiam Confraternitatibus, siue cum aliis Regularibus,siue cum Religiosis eiusdem Religionis ex Constitutionibus, priuilegiis, & Decretis Sedis Apostolicæ. 1

Et primò ex dictis *supra verbo Episcopus quoad Regulares num*. 23. ad Episcopum spectat propter Decretum Concilij Tridentini *sessione* 25. *capit*.13. componere controuersias ortas circa præcedentiam Regularium in processionibus, omni appellatione postposita, breui manu, summariè, & de plano, ac sine strepitu, & figura Iudicij, provt declaratum à Sac.Congregatione eo loco dixi. De quo etiam Nouarius *in Lucerna Regularium verbo præcedentia num*.1.*&* 2. post Armendariz,Leonem,& alios. Intelligitur etiam hæc facultas quoad processiones, quæ fiunt in tumulandis corporibus Defunctorum. Barbosa *de Offic.& potest. Episcopi allegat*.78.*n*.29. Hæc autem Conciliaris dispositio, cum solùm facta sit ad tollenda scandala,non tollit appellationem quoad effectum deuolutiuum, sed solùm quoad suspensiuum, Barbosa, & Nouarius *supra*. Bordonus *Resolut*.7. *num*.139. 2

Deinde præcedentia non debetur Regularibus supra Clerum sæcularem, cum potiùs Clerus sæcularis potiatur præcedentia supra Regulares, etiam in ipsorum Regularium Ecclesiis, & Monasteriis, ex vniuersali Ecclesiæ consuetudine, vt declarauit sæpiùs Sacra Congregatio, & nouiter plura de hoc Vulpius *in Praxi fori Eccles. cap*.34. & Nouarius *supra num*.4.*&* 5. 3

In præcedentiis autem iudicandis attendenda sunt tria, scilicet prioritas in institutione, & approbatione, provt ex Rotæ decisionibus, & Cassaneo *in Catalogo gloriæ mundi part*.4. *considerat*.52. habet Barbosa *supra n*.56. Secundò, consuetudo locorum, etiamsi iuri repugnet, provt etiam ex variis Rotæ decisionibus, & Riccio *in suis Decisionibus* habet idem Barbosa *supra num*.27.36. *&* 37. Adde Naldum *in Summa verbo præcedentia n*.1.& cōsonat Constitutio Greg.XIII. de qua infra. Tertiò, tempus fundationis Monasterij in locis, ita vt illi Regulares debeant 4

præcedere

præcedere, qui priùs in loco Monasterium habuerunt. Ita enim habetur non solùm ex Constitutione relata Gregorij XIII. sed ex pluribus declarationibus Sac. Congregationis apud eumdem Barbosam *de Iure Ecclesiastico lib. 1. capit. 43. num. 182.* Etiam si prioritas sit tantum vnius diei, vel horæ. Idem Barbosa *dicta Allegat. 78. num. 33. & 34.* Casu autem quo plures Conuentus procederent sub vna Cruce, vt olim faciebant Patres Capuccini cum aliis fratribus Minoribus, si aliquis illorum incipiat erigere Crucem debet habere suam præcedentiam non à loci antiquitate, sed à tempore erectionis Crucis. Ita enim habetur ex quadam declatione Sac. Congregationis, quam dicit esse authenticam, & apud se haberi manu Cardinalis, & Secretarij subscriptam. Bordonus *supra num.* 138. Cum enim casus esset quòd Patres Capuccini priùs incederent sub Cruce fratrum Minorum Mediolani, & postea cœperint erigere Crucem, lite orta, & quæstione inter ipsos, an quia antiquiores erant in eadem Vrbe, præcedere deberent alios; an verò solùm habere præcedentiam à tempore erectionis Crucis, Sac. Congregatio respondit, Cardinali Milino referente, *Capuccinos cedere debere digniorem locũ iis Regularibus, qui sub propria Cruce, & in proprio loco in processionibus incedebant antequam ipsi propriam Crucem deferrent.* Refert etiam hanc eandem declarationem Nouarius *supra num.* 14. Supponit autem idem obseruare debere prædictos Patres Capuccinos cum omnibus aliis Regularibus, qui sub propria Cruce in eo loco incedebant, antequam ipsi propria Cruce vterentur. Vide Vulpium *supra.* [Nota autem Sacram Congregationem Episcoporum & Regularium 11. Iulij 1636. ordinasse quod Augustiniani Discalceati Ciuitatis Neapolis, qui prius incedebant in processionibus sub Cruce Calceatorum, non possent in die Corporis Christi in processione sub Cruce separata incedere.]

5 Maximè autem attendenda in præcedentiis Regularium est declaratio facta à Sede Apostolica circa eam rem. Vnde Canonici Regulares habent præcedentiam supra Monachos, etiam nigros, vt post longam discussionem decreuit Pius IV. in Bulla *Sedes Apostolica* anno 1564. Nauarrus *tom. 4. de Regular. num.* 4. Tamburinus latè *tomo 1. de Iure Abbat. disput. 25. quæst.* 1. Deinde Monachi præcedentiam habent supra Mendicantes ex declaratione Sacræ Congregationis apud relatum Nouarium *num.* 11. De quo etiam idem Tamburinus *supra quæsit. 8. num.* 2. Inter ipsos quoque Monachos præcedentia debetur Cœlestinis supra Oliuetanos, ex declaratione etiam Sacræ Congregationis, & determinatione Rotæ apud eumdem Nouarium *supra num.* 15. De quo similiter Tamburinus *supra à num.* 7. Vbi etiam agit de præcedentia Oliuetanorum supra Monachos Montis Virginis. Inter Mendicantes etiam, provt habetur ex Bulla Pij V. quæ incipit *Diuina*, Prædicatores præcedere debent super alios Mendicantes. Tamburinus *supra num.* 5. Nouarius *supra num.* 16. Quod etsi derogatum videatur à Gregorio XIII. in Bulla modò referenda, vt tenet Campanile *in Diuersor. Iuris Canonici Rubr. 12. cap. 13. num.* 121. confirmatum tamen videtur à Clemente VIII. pro Regnis Aragoniæ, Valentiæ, & Chataloniæ in Bulla *Inter cætera in 3. tom. Bullar. num.* 13. Quoad alios autem Mendicantes, & Confraternitates ita statuit Gregorius XIII. in Bulla *Exposcit.* die 15. Iulij 1583. in Bullario Laertij *tom. 2.* in ipso Gregorio *numero* 84. provt etiam referunt Quaranta *in Summa Bullarij verbo præcedentia,* Naldus *supra num.* 4. Confertius *in Collectan. litterar. Apostolicar. in Gregorio XIII. num.* 8. *De nobis attributæ potestatis plenitudine volumus, & Apostolica auctoritate decernimus; quod quicunque ex dictis fratribus Mendicantibus inter se de præcedentia huiusmodi contendentibus aut Confratribus Confraternitatum prædictarum, inter quos lites, & causæ præmissorum occasione ortæ iam sint, seu oriri contigerit in futurum, qui in quasi possessione præcedentiæ, ac iuris præcedendi sunt, ij, quibuscumque reclamationibus, protestationibus, appellationibus, & aliis subterfugiis prorsus remotis, & cessantibus, & postpositis) in processionibus tam publicis, quam priuatis præcedere debeant. Quando verò non probetur, aut non constet de quasi possessione præcedentiæ huiusmodi, inter fratres quidem Mendicantes, ij, qui antiquiores in loco controuersiæ, inter Confratres verò inter se litigantes, ij, qui prius saccis vsi sint, in processionibus tam publicis, quam priuatis præcedere debeant, ita vt si contigerit noua Monasteria, aut Domus alicuius Ordinis Mendicantium in loco, in quo alterius Ordinis ex dictis Mendicantibus Monasteria, aut domus prius erecta, aut instituta sint, ille Ordo, qui prius Monasterium, seu domum in loco habuerit præcedat.*

Circa hanc verò Gregorij Constitutionem nota primò, quòd licet Portellus *in Dubiis Regular. verbo processiones num.* 9. dicere videatur eam non esse vbique receptam ac proinde standum esse consuetudini, nihilominus ex pluribus declarationibus Sac. Congregationis, quas referunt Barbosa loco relato *ex lib. Iuris Ecclesiastici num.* 182. & 183. & Nouarius *supra num.* 6. habetur, eam vbique obseruari debere. 6 Imò ex aliis, quas refert ipse Nouarius *num.* 18. elicitur, eam esse in viridi obseruantia. Video etiam SS. D. N. Vrbanum VIII. litteris datis in forma Breuis 18. Decembr. 1637. *in Additamentis ad Peyrinis Constit.* 17. approbasse plures litteras Sac. Congregationis ad diuersos Episcopos circa præcedentiam Regularium, maximèque dictam Constitutionem Gregorij. Nota secundò, quòd cum post dictam Constitutionem aliæ complures ortæ fuissent lites circa præcedentiam istam, ideo die 26. Augusti 1593. Sacra Congregatio Episcoporum, & Regularium, ad tollendas omnes lites, & controuersias, quæ inter Regulares plerumque solent oriri super eorum præcedentia in processionibus, cæterisque actibus, tum publicis, tum priuatis, illud in futurum obseruandum censuit, quod in hac alma Vrbe omnium Magistra seruatur. Et die 30. Augusti eiusdem an. 1593. Dominus Cardinalis Alexandrinus retulit supra scriptam Congregationis sententiam Sanctissimo placuisse, & iuxta eam in casibus occurrentibus semper rescribi, si opportunum fore videbitur generalem Constitutionem desuper fieri mandasse, illa Gregoriana, aliisque contrariis quibuscunque non obstantibus. Quarum declarationum meminerunt Compendium Camaldulensium, Campanile *supra* & Barbosa dicta *Allegat.* 78. *numero* 35. Præcedentia autem, quæ Romæ obseruatur inter Regulares in processionibus talis est, prout ex Rinaldo Bottigliero Decano Mandatoriorum Tribunalis Eminentissimi D. Cardinalis Vicarij per testimonium authenticum ab ipso acceptum habeo. Post pueros *Litterati orfani*, & vocatos incedunt primò, fratres Reformati S. Augustini. Secũdò Sanctæ Mariæ dicti de miracoli 3. Capucini, 4. Sancti Ioannis Collauite, seu Fratres de Beato Ioanne de Deo. 5. Sancti Adriani Ordinis Beatæ Mariæ de mercede. 6. Sanctorum Ioannis, & Pauli Ordinis S. Hieronymi. 7. Sancti Honuphrij. 8. S. Hieronymi Congregationis B. Petri de Pisis. 9. Minimi. 10. Minores 11. Augustiniani. 12. Carmelitæ 13.

litæ 13. SS. Clementis, Pancratij, & Ambrosij ad Nemus. 14. Seruitæ. 15. Prædicatores. 16. Monachi S. Alexij. 17. Canonici Regulares S. Petri ad Vincula, & S. Laurentij extra muros 18. Oliuetani. 19. Cœlestini. 20. Cistercienses 22. Vallis-Vmbrosani. 22. Camaldulenses S. Gregorij 13. Castinenses. 24. Canonici Regulares S. Mariæ de Pace Congregationis Lateranensis, & Canonici Regulares S. Saluatoris in Lauro. Nota tertiò, quòd id quod dicitur in dicta Bulla Gregorij de maiori antiquitate Monasterij attendenda in huiusmodi præcedentiis intelligi debet de habitatione formali, & non simplici, perfunctoria seu hospitali, cum verba in dubio sint, accipienda in sensu formali, & proprio. Naldus *verbo Præcedentia num.* 4.

7 Mendicantes autem præcedentiam habere supra non Mendicantes constat ex vsu, & consuetudine Ecclesiæ, pluribusque Sedis Apostolicæ quoad hoc declarationibus, specialiter pro præcedentia Carmelitarum super fratres S. Mariæ de Mercede extat Decretum Sacræ Visitationis Apostolicæ de an. 1600. sub die 27. Aprilis, & Rotæ decisio eodem anno sub die 10. Martij, quod confirmat Clemens VIII. in Bulla *Decet Romanum* in 3. tom. Bullarij *num.* 95. de quo Tamburinus *dicta disputat.* 25. *quæsito* 8. *numero* 3. vbi post alia sic. *Demum quòd Ordo Carmelitarum præcedat fratres S. Mariæ de Mercede censuit Rota in Oriolen. præcedentiæ* 10. *Maij* 1600. *Coram Litta, est decis.* 26. *part.* 2. *Recent. ea scilicet ratione quia Ordo Carmelitarum institutus fuit ante Concilium generale, de quo in cap. ne nimia de Relig. domibus vt probatur in cap. fin. §. sane ad Prædicator. eod. tit. in* 6. *& approbatus per Honorium tertium anno salutis* 1225. *Ordo autem Beatæ Mariæ de Mercede institutus fuit post dictum Concilium generale, & approbatus à Gregor. IX. Pontificatus sui anno* 8. *qui Pontifex creatus fuit post dictum Honorium, & ideo Rota vbi supra decreuit præcedentiam deberi dicto Ordini Carmelitarum, vti priori in tempore, iuxta adnotata per Doctor. in leg. honores ff. de decur. & in leg. fin. vbi Bar. C. de Tyron. l.* 12. *cum aliis per Cassaneum in Cathalog. glor. mund. parte* 4 *considerat.* 52. *vers. quinto ergo, & per Tobiam Nonium conf.* 71. *numero* 35. *Nauar. conf.* 5. *de statu Monach. Et iuxta hanc doctrinam sæpius tam à Sacr. Rituum Congregat. quam à Rota in hac materia decisum fuisse testatur eadem Rota in vna Salernitana præcedentiæ* 2. *Iunij* 1625. *coram bo. mem. Buratto, vbi plures concordantes in additionibus refert D. Ioann. Francisc. Florentill. Nobilis Interamnen. & in Romana Curia Aduocatus, qui de se multa, & grauia in dies pollicetur.* Hæc Tamburinus. Quæ annotanda duxi propter aliqua, quæ in Constitutionibus huius Sacri Ordinis B. Mariæ, de Mercede in Tractatu, qui dicitur *De initio, ac fundatione, &c.* à Francisco Zumel edito in §. *Tandem Ordo*, incongruè de Carmelitarum Ordine habentur. Quibus iunge, quæ in nostris Annalibus Deo duce dabimus, scilicet, ante dictos Pontifices Ordinem Carmelitarum ab Alexandro III. & Innocentio III. confirmatum fuisse. Adde etiam, Sacram Congregationem declarasse Carmelitanos in omni loco præcedere debere fratribus Sanctæ Mariæ de Mercede. Barbosa loco relato *de Iure Ecclesiastico n.* 187. Nouarius *supra numero* 9. *&* 10.

8 Quamuis autem, iuxta dicta superiùs, Monachi præcedere debeant Mendicantes, nihilominus cum esset orta controuersia inter Regulares Ordinis Syluestrinorum ex vna parte, & Regulares Ordinum Mendicantium in Diœcesi Nucerina commorantes, ex altera, de, & super quæstuatione, & præcedentia in processionibus, S. Episcoporum Congregatio sub die 24. Ianuarij 1617. dictos Syluestrinos tanquam postremos in dicta Diœcesi commorantes, aut à quæstuatione in posterum abstinere, aut in processionibus vltimum locum iuxta dispositionem Gregorij XIII. obtinere debere, censuit. Die vero 19. Maij eiusdem anni, eo quòd à quæstuando se abstinuisse S. Congregationi exposuerunt Sac. eadem Congregatio præcedentiam eisdem Syluestrinis dandam decreuit. Barbosa loco relato *de Iure Ecclesiastico num.* 185. Nouarius *supra num.* 21. *&* 22.

Loquendo de præcedentia Regularium in ordine ad Religiosos eiusdem Ordinis, in primis id obseruandum est, vt Prælatus Monasterij præcedat omnes alios, qui eius Monasterij Prælati non fuerint. Constat enim ex iis, quæ habentur *in l.* 1. *de Dignit. l.* 12. quòd illi qui sunt in dignitate præferuntur aliis, qui dignitate non præfulgent. Prælati autem Regularis Officium dignitas est, iuxta dicta supra verbo *Officia Religionum num.* 2. *&* 3. Ex præcedentiis etiam, sedibus vnicuique debitis singulorum dignitas ostēditur, vt colligitur ex *cap. olim, de consuet.* & tradunt Gloss. & Baldus *in l. decernimus* 2. *not. C. de Sacrosanct. Eccles.* Tiraquell. *de Primogenitis in præfatione num.* 13. & alij. Vnde a Sacr. Rota decisum est Parochum in vna Ecclesia præferendum Decano, & Capitulo Collegiatæ ad eam Ecclesiam personaliter ex antiqua consuetudine accedentibus, quodque maior minori in eius domo credere teneatur. Gonzalez *ad Regul.* 8. *Cancell. glos.* 6. *num.* 101. *& sequent.* Barbosa *dicta Allegat.* 78. *num.* 38. Inter alios autem Religiosos (nisi obstent statuta Ordinum, quibus ex speciali priuilegio aliud ordinetur) præcedentia sumenda est à puncto professionis emissæ, sicut ab eo tempore ius sessionis in Choro, & refectorio adquiritur. Bordonus *Resolut.* 29. *numero* 84. Quod si contingat aliquos simul omnino professionē emisisse, tunc qui prius ad habitum admissus est, præcedentiam habere debet, & si simul recepti sunt, ille præcedet, qui prius in Capitulo acceptatus fuit. Ita enim quoad Moniales decreuit S. Congregatio in vna Paduana de anno 1608. prout refert Nouarius *supra num.* 10. Casu autem quo aliquis propter culpam à loco deiiceretur, prout contingeret si à Religione eiiciatur, tunc præcedentiam amittet, etiam ad Ordinem reuersus. Naldus *supra num.* 5. Professos autem etiam Conuersos debere præcedere Nouitiis quantumuis Choristis habetur ex Decreto S. Congregat. Regularium pro Ordine Cappucinorum approbato à SS. D. N. Vrbano litteris datis 7. Maij 1631. quæ habentur *in Additionibus ad Peyrinis Constitutione* 9. Et ex nouissimo alio sub Sanctissimo D. N. Innocentio de anno 1653. huius tenoris: *Cum in quibusdam Prouinciis Fratrum Minorum S. Francisci de obseruantia Reformatorum, Clerici Nouitij, qui in domibus ad id designatis regularem habitum susceperunt, in ipso probationis anno à fratribus laicis iam professis, ac quandoque de Religione optime meritis, præcedentiam & maioritatem arrogare sibi præsumant, indeque occasio plurium scandalorum oriatur: S. Congregatio S. R. E. Cardinalium negotiis & consultationibus Episcoporum & Regularium præposita, audito Commissario Generali Ordinis huiusmodi, statuit, atque decreuit, dictis Nouitiis, quousque professionem emiserint, tam in publicis, quàm priuatis functionibus vltimum locum deberi. Quoniam vero ab eiusmodi contentionibus præfatum Institutum longè abhorret, eadem S. Congregatio omnes & singulos dicti Ordinis Fratres seriò hortatur, ac monet vt Seraphicæ simplicitatis memores, sublatis præceden-* tiarum

tiarum litibus, humilitatem inuicem, & charitatem æmulentur, cum paupertatis virtus non eluceat nisi humilitati associetur, & ille maior sit in lege Euangelica, qui aliis ex charitate inseruit, atque ministrat, dignioremque sibi locum vendicet qui per eiusmodi virtutes propius accedit ad Deum, siue à dextris siue à sinistris assideat. Romæ 8. Augusti 1653. M. Cardinal. Ginettus. loco † sigilli. H. Archiep. Patracen. secret.

Quia tamen aliquando contingit inter Regulares quod ratificet aliquis suam professionem, quam prius fecerat, ideo notandum licet regulariter loquendo præcedentia in Religione supra alios Religiosos non competat tali professo, nisi à tempore ratificationis professionis si talis professio cum primum facta fuit, fuit inualida. Qui tamen bona fide etsi inualidè professus est, potest retinere locum licite, quem obtinuit vigore inualidæ professionis. Ratio est, quia licet professio irrita non incipiat esse valida nisi à tempore ratificationis, vt docet Nauarrus *lib.3.consil. de Regular. cons.28. num.3.* tamen bona fides quæ operatur quod Nouitius non admittat quod putabat esse suum, dabit etiam prædictum locum præfato Nouitio. De qua re videatur Tiraquel. *in tr. de caus. cess. lim. 12. num. 16.* & expressius Laurentius de Peyrin. *tom.2. de Præl.quæst.3. cap.1.n.152.* Nauar. *loco citato num.4.* Rodrig. *tom.3.quæst.Regular.q.17. ar.3.in fine.* Bartholomeus de Vechiis *in praxi Nouitiorum disp.14. dub.2. num.2.* Rota coram Seraphino *dec.1361. num.5.* Graffius *tom. 1. consilior. lib.3. de Regular. cons.6. num.18.* & Tamburinus *de Iure Abbatum tom.3. disp.6.quæst.17. num.10.*]

10 De aliis spectantibus ad præcedentiam inter Minores Conuentuales & Obseruantes, seu strictioris Obseruantiæ, Vide Barbosam, & Nouarium relatos, ac Cassarubium *in Compend. verbo professiones.* Item pro præcedentia Abbatum cum Canonicis, Vicariis Episcopi, aliis Prælatis, seu sæcularibus personis, ac inter se ipsos, vide Tamburinum *d.disp.25. quæsit.2. 3.4.5.& 6.* & nouissime Pasqualigum *decis.405.*

Reperio etiam alias declarationes SS. Congregationum, quæ meritò addi debent iis quæ diximus circa præcedentiam Regularium, pro casibus, in quibus controuersiæ aliquæ fuerint inter ipsos.

Prima.

Die Sabbati X. Iulij 1621.

Congregatio Sacrorum Rituum, vt tandem dissensionibus, quæ circa præcedentiam in processionibus inter Capucinos, & alios Regulares post concessam ipsis Capuccinis propriæ Crucis erectionem quotidie oriuntur, aditus omnino præcludatur, inhærendo decreto sub die 23. Martij 1619. emanato, illudque declarando, censuit erectionem Crucis supradictis Capuccinis fuisse concessam in his tantum locis in quibus sub Cruce Minorum Conuentualium incedebant, qui alias id fortasse nunquam permisissent, ac propterea eosdem Capuccinos in locis, in quibus iam sub propria Cruce, seu in proprio loco sub Cruce Cleri in processionibus ante huiusmodi concessionem incedebant eundem locum retinere debere. Franciscus M. Cardinalis à Monte. Locus † sigillia Io. B. Rinuccius Secretarius.

Secunda.

Sacra Rituum Congregatio ad relationem Eminentissimi D. Card. Cæsarini censuit Fratribus Augustinianis Conuentus S. Spiritus Florentiæ deberi præcedentiam à Fratribus Conuentus S. Mariæ Maioris Ordinis Carmelitarum Congregationis Mantuanæ, quando isti nolunt incedere sub propria Crucæ. die 19. Februarij 1639. Episcopus Portuensis Cardinalis Pius. Iulius Cinthius Secretarius.

Tertia.

Eminentissimi & Reu. Domini. Prior, ac fratres Conuentus Sancti Elmi Ordinis Augustini Villæ-vinaros Dertusen. Diœcesis eo loci à sexaginta circiter annis erecti cum de facto molestentur circa præcedentiam à fratribus hospitij, siue Conuentus à duobus annis ibidem erecti Reformatorum S.Francisci de Obseruantia, qui etiam fortè extorserunt aliquam prouisionem ad eorum fauorem à Tribunali Episcopali, præsertim quia ipsemet Dominus Episcopus eiusdem Ordinis, ac proinde illis specialiter affectus. Supplicant humiliter Eminentias Vestas, vt ad obuiandum litibus dignentur præcipere, ac mandare, vt circa præcedentiam inter eosdem Conuentus seruetur motus proprius Gregorij XIII. ac Breue san. me: Vrbani VIII. hac de re editi ex voto huius Sacræ Congregationis, quàm Sacrarum Congregationum Concilij Tridentini, & Rituum. Quod in singularem referent gratiam ab Eminentiis Vestris. Quas Deus, &c.

Sacra Congregatio S.R.E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, ac Regularium præposita, censuit seruandas esse litteras Gregorij XIII. & Vrbani VIII. hac de re editas, vt qui sunt in possessione præcedentiæ præcedant, & vbi non constat de possessione, præcedant ij, qui sunt antiquiores in loco controuersiæ, & ita ab his, ad quos spectat seruari mandat, & præcipit. Romæ 6. Octobris 1645. M. Cardinalis Ginnettus. Archiepiscopus Patracensis Secretarius.

Præceptum.

Vide pro hac materia dicta *tom.1. p.1. cap.4.* vbi de Obedientia Regularium satis dixi.

Prædicatores Verbi Dei.

De illis plura dicta sunt non solùm sparsim per totam Summam, sed specialiter *tom.1. part.1. cap.20.* & *supra* verbo *Concionari; & Concionator Regularis.*

Prælatus Regularis.

Summarium.

De illis remissiuè. num. 1.
De ipsorum electione. num.2.
De qualitatibus eligendorum in Prælatos. num.3.
Bigami eligi non possunt. num.4.
Nec publici aleatores. num. 5.
Nec publici vsurarij. num.6.
Nec ebirosi. num.7.
Quid de Neophytis. num.8.
De facultate Prælatorum circa Nouitios. num. 9.
De facultate ipsorum quoad absoluendum à peccatis, seu censuris. num.10.

Quid

1 DE Prælatis Regularibus plurima quoque dicta sunt in præcedentibus, præsertim *tom.*1.*par.*1. *cap.* 18. De illis tamen in præsenti, vel remissiuè agendum, aliqua etiam addendo pro materiæ necessitate.

2 Et primò quidem, quod attinet ad Prælatorum Regularium electionem, præter dicta *tom.*1.*p.* 1. *capit.*15.& *tom.*3. *Electio quoad Regulares* notandum quod licet eo *cap.* 15. *num.* 11. dixerim, electiones per modum compromissi, & per modum inspirationis iure communi licitas esse, video tamen Sac. Congregationem apud Garziam *de Beneficiis part.* 5. *cap.*4. *num.*204. videri declarasse solùm electionem per viam scrutinij vtendam esse in electione Regularium. De quo Sigismundus de Bononia *de Electione dubio* 2. *num.*7. Bordonus *Resolut.*26.*num.*75. Quod intellige, iuxta dicta eo verbo *Electio inter Regulares num.*3. si constat authenticè de prædicta declaratione. Si enim de ipsa non constet, consuetudo Religionum obseruari potest. Layman. *in Quæstionib. Canonic. de Prælatorum Ecclesiasticorum electione quæst.*79. Vnde iuxta dicta *ibid. num.*2. seruari debet in electionibus Prælatorum Regularium forma electionis designata à Concilio Lateranensi in *cap. quia propter de electione.* Non tamen necessario in electionibus aliorum officialium, iuxta *ibid.* etiam dicta. Ad eorum namque electionem, in iure communi stando, & seclusis particularibus Statutis Religionum, sufficit quomodocunque haberi consensum maioris partis Capitularium communiter congregatorum. Syluester *in Summa verbo electio* 2.*quæst.*1. Laymanus *sup. quæst.* 78. Imò etiam quando electores sunt pauci, non teneri formam præscriptam in prædicto *capit. quia propter* obseruare, sed alio modo commodiori suffragia dare posse, tenet Layman. *dicta quæst.* 79. ex Gofrido, & Abbate. Quod valdè notandum est pro nostra Religione, in qua aliquando electiones Priorum solent fieri non seruata forma prædicta, quando scilicet fiunt à diffinitorio Capituli Prouincialis, in quo pauci, scilicet quinque, aut sex solùm, solent assistere.] Sed adhuc tunc consultius & securius est seruare formam dicti *cap. Quia propter.* Imò forsan necessarium, eo quòd cum de Iure communi electio Priorum spectet ad Monasterium iuxta dicta *tom.*1.*p.*1.*cap.*15 *num.*1. de quo latè Sigismundus *supra dub.* 114. ex Rotæ decisionibus & aliis Doctoribus, & electio si fieret à Monasterio deberet fieri iuxta formam præfati *cap. Quia propter.* ideo quando deuoluitur ad Capitulum, vel diffinitorium debet etiam fieri seruata eadem forma. Nam id Constitut. statuentes, cum sint correctoriæ Iuris communis solùm sunt interpretandæ vt corrigant illud in quantum sonant, scilicet quantum ad electores, non quantum ad formam electionis. Etenim statutum correctorium tantum corrigit quantum loquitur *l. Si verò* §. *de viro, ff. solut. matrim.* Sigismundus *supra dub.* 7. ex Rotæ decisionibus, & multis doctoribus.]

Circa qualitates eligendorum in prælatos constat 3
ex dictis *tom.*1.*p.*1.*cap.*15. *num.*23. & *cap.*18.*n.*5. 6.7.8.& 9. eos debere esse expressè professos, bonæ notæ, & famæ; seu non infames, liberos à censura, vel pœna Ecclesiastica eos inhabilitante; legitimè natos; debitæ ætatis, sufficientis litteraturæ, Sacerdotio decoratos, &c. Nunc addendum circa litteraturam, quòd sæpiùs excusari possunt Superiores Prælati Religionum præficientes in Conuentibus exiguis, & remotis Prælatos minus doctos, eò quod non sint alij peritiores, qui illud munus exerceant. Prout in simili habet Lugo de *Sacram. pœnit disputat.*21.*sect.*4.*n.* 74. Addens tamen deberi prædictos indoctos, de sua insufficientia, & obligatione, quam habent comparandi sibi litteraturam necessariam ad suum ministerium obeundum, admoneri. Generaliter etiam circa Prælatos animaduertendum, eos debere prædictos esse ea habilitate corporali, quæ est necessaria ad exercendum munus Prælatiæ. Lessius 2. *de Iustit. capit.*34. *dub.*25. Peyrinis *tom.* 2. *de Prælato quæst.*2. *cap.*4. *num.*2. ex aliis. Vnde cæci, omnino surdi, phthysi laborantes, continuo podagrosi, paralytici, morbo comitiali, seu caduco subiecti, leprosi, furiosi, lunatici, energumeni, fatui, muti, & similes, omnino ineligibiles sunt, quia sunt inhabiles ad exercendum propria munera Prælatiæ. Garzia *de Beneficiis part.*7. *cap.*12. Sigismundus à Bonon. *de Elect.part.*2. *dub.*88. & 89. Peyrinis *d. capit.*4. Qui id ex aliis extendit ad valetudinarios, illos scilicet, qui malo corporis habitu, & affectu semper malè habent, valde senes, & præpingues. Sed animaduertendum, an tales impotentes omnino sint ad munia prælatiæ exercenda, si enim tales fuerint, proculdubio arceri debent à Prælaturis, secus verò si solùm aliquo modo impediti. Similiter, quod dicit hic Author de morbo Gallico laborantibus, & carentibus naso, barba, seu capillis ex Venere, quòd etiam inhabiles sint ad Prælaturas, intelligi etiam debet quando tales valde deformes, abominabiles, aut notoriè infames fuerint. Illud admittendum, quod ex Caietano 2. 2. *quæst.*185. *art.*4. refert, scilicet, quod illæ causæ, quæ obligant Prælatum ad renunciandum, Prælatiam (de quibus infra verbo *Renunciatio*) obligant multò magis electores, ne eligant illas habentem, & ipsum ad non acceptandum munus Prælatiæ. Notat etiam, quòd quando post acceptam Prælatiam adueniat Prælato aliquod ex prædictis impedimentis, non propterea est inuitus remouendus, sed ei addendus Coadiutor, iuxta *cap. penult. & vlt. de Cleric. agrot. & cap. scripsit mihi, & cap. quamuis triste* 7. *quæst.* 1. Vsus tamen Religionum, (vt credo) est quod tales cogantur renunciare. Notandum etiam, quòd, cum, iuxta dicta *supra* verbo *Irregularitas num.* 5. vnus ex effectibus irregularitatis sit facere incapacem beneficij Ecclesiastici, & Prælaturæ Religionum, iuxta dicta *supra* verbo *Beneficium & Beneficiati num.*3. sint quædam Beneficia, ideo illi defectus corporales, qui iuxta dicta eo verbo *Irregularitas num.* 12. inducunt irregularitatem, inducent etiam incapacitatem ad Prælaturas. Eò præsertim, quia cum Prælatus debeat esse Sacerdos, ideo qui Sacerdotio fungi nequit, neque etiam Prælatus. Quæ autem sint hæ Prælatiæ quarum incapaces sunt dicti Irregulares, dixi verbo *Irregularitas num.*6.

Eligi

4 Eligi etiam nequeunt ad Prælaturas Religiosi bigami, siue bigamia vera, siue ficta, iuxta dicta *supra* verbo *Bigamus, & bigamia.* Vbi etiam quid importent tales bigamiæ, & à quibus Superioribus dispensari possint. Ratio est, non solùm, quia bigami sunt irregulares, qui iuxta dicta incapaces sunt harum Prælatiarum, sed, & propter dicta eodem *verbo num.*13.

5 Publici etiam aleatores ineligibiles sunt ad Prælaturas Regulares. Ratio est, non solùm propter dicta *tom.*1.*part.*2.*cap.*12. *num.*46. sed etiam quia id habetur ex *cap. inter dilectos de excessibus Prælator.* iuncta Glossa *verbo aleatorem*, maximè cum tales sint infames, ac per consequens irregulares. De quo Riccius 2. *part. prax. Resolut.*119. *num.*2. Campanile *in Diuers. iur. Rubric.*4. *num.*32. Peyrinis *sup.cap.*5. §. 5. ex aliis iuribus, & Authoribus. An autem talium electio eo ipso irrita sit, an solum irritanda, & qui sint publici aleatores, habes ex dictis *supra* verbo *Ludus quoad Regulares num.*5.

6 Idem dicendum de publicis, seu notoriis vsurariis (si tales quandoque, fuerint reperti Regulares) iuxta dicta *eo num.*46. Id enim habetur ex *dict.cap.cum inter dilectos*, & ex eo quòd etiam tales sunt infames. Prout ex Vgolino, Maiolo, & aliis tenet Thesaurus *in praxi part.*2. *verbo vsura cap.*4. vbi plura ad intentum.

7 Idem quoque dicendum de ebriosis, vino deditis, seu se inebriare consuetis. Quia etiam illi sunt infames, & viles; *vilibus autem personis porta dignitatis patere non debent. cap.inter dilectos* relato, Sigismundus de Bononia *de Elect. dub.*89. *num.*8. Peyrinis *supra* ex aliis Iuribus, & Doctoribus. Apud quem etiam alia ad intentum.

8 Quid vero dicendũ de Neophytis, vulgò *Christianis nouis*, & illis qui abiurarunt coram S.Officio Inquisitionis, ac de Pœnitentiatis ab eodem S.Officio, ac similibus, habes ex dictis *supra* verbo *Neophytus Regularis.*

9 Pertinet ad Prælatos Regulares Nouitios recipere, & professare seruatis tamen seruandis; tum ex statutis particularibus Religionum, tum præcipuè ex Decretis Summorum Pontificum Clementis VIII. & Sanctissimi D. N. Vrbani, iuxta dicta *tom.*1.*p.*1. *cap.*18. *num.*66. vbi etiam an hoc munus solum spectet ad Prælatos, an verò etiam ad Conuentum. Num autem quando maiores Prælati, scilicet Generales, & Prouinciales id munus exercent, teneantur adhibere consilium suorum Assistentium, vel Sociorum, & qualis debeat esse talis ipsorum assensus, colligi potest, tum ex prædictis Statutis Religionum, tum præcipuè ex Constitutionibus Sixti V. & Gregorij XIV. De quo Suarez 3. *tomo de Religione l.*5. *cap.*10. Rodriguez 3. *tomo quæst. Regular. quæst.*10. *art.*2. Sorbus *in Additionib. ad Compend. Priuileg. Mendicant.verbo Nouitius*, & Peyrin. *tomo* 2. *de Prælato quæst.*3. *cap.*1. De conditionibus autem, & qualitatibus recipiendorum in Nouitios, & ad professionem, habes supra verbo *Nouitij, & Nouitiæ Religionum.* Habent etiam supra illos potestatem temporalem ad puniendum quæcunque ipsorum delicta, ita vt propter delicta Nouitiatus tempore commissa puniri non possint nisi à Prælatis Religionum iuxta dicta *tom.*1. *part.*1. *capit.*24. *num.*4. & *tom.*3. *verb. Clericus n.*22. Quod debet intelligi propter delictum ante Religonis ingressum commissum, saltem si non in fraudem ingressi sunt Religionem, prout eo loco dixi. Quod verò ibidem etiam dixi, scilicet, si post commissum delictum in Nouitiatu, reuersi sunt ad sæculum habitu dimisso, adhuc puniri debere solùm à Prælatis Regularibus intelligendum ita est, quòd si ab ipsis Prælatis puniri non possint, Iudices sæculares eos punire debeant, quia delictum impunitum manere non debet. Prout ex Farinacio tenet Sanchez *lib.* 6. *in Decalog. cap.*10. *num.*14. Vecchius *de Nouitiatu disputat.* 11. *dub.*11. *num.*6. & Peyrinis *supra quæst.*3. *cap.*1. §. 7. Notandum etiam, posse Prælatos Regulares punire Nouitios pœna quoque carceris pro transgressionibus commissis contra Regulam, imò si delictum tale fuerit, quòd requirat torturam, possunt ab ipsis torqueri, sicut & alij professi. Sunt enim veri iudices ipsorum pro illo tempore. Nauarrus *in Consil. de foro competenti cons.*5. *num.*3. Sanchez *supra num.* 12. Vechius *supra numero* 3. An autem possint absolui à Prælatis à censuris, & dispensari in irregularitatibus, saltem loquendo de Nouitiis aliquarum Religionum propter ipsarum priuilegia, dixi eo *cap.*24. *num.*8. 9. & 10. Similiter an absolui possint à Prælatis à casibus reseruatis, præter dicta eo *cap.*4. vide quæ dixi supra verbo *Nouitij, & Nouitiæ Religionum num.*36. Similiter de facultate, quam habent circa vota ipsorum Nouitiorum ad ea commutanda, vel dispensanda, dixi eo verbo *Nouitij, & Nouitiæ Religionum.*34. & 36.

Pertinet etiam ad Prælatos Regulares absoluere suos subditos à peccatis, & censuris, iuxta dicta *to.*1. *part.*1. *cap.*18. *num.*25. potestate quidem ordinaria, & ab ipsis delegabili, iuxta ibidem dicta. Competit enim ipsis hæc potestas iure ordinario, & ex officio, dependenter tamen à Summo Pontifice, ad quem spectat approbare Religiones *cap. ne nimia de Religiosis dom. c. Religiosum eodem tit. in* 6. Megala *lib.*1. *de Pœnit. c.*7. *num.*3. Bordonus *Resolut.*2. *num.*3. & sequentibus. Vbi etiam quid dicendum de Vicariis, seu Vices gerentibus Prælatorum. Extenditur etiam hæc facultas respectu aliquorum Prælatorum Regularium habentium ad id priuilegia ad absolutionem etiam à casibus, & censuris Papæ reseruatis, iuxta dicta eo *cap.*18. *à numero* 31. Licet quoad priuilegium illud Gregor. XIV. pro Clericis Regularibus ministrantibus infirmis, de quo eo loco *num.*35. dixi animaduertere oporteat id quod *supra* verbo *Abortus numero* 8. & 19. notaui. Maximè etiam animaduertendum pro praxi talis absolutionis, an præfata priuilegia sint reuocata quoad casus particulares per posteriores Bullas, Constitutiones, aut Decreta Sedis Apostolicæ, quia tunc talia priuilegia inualida sunt. Quando verò censeantur reuocata, & quibus verbis, dixi eo *cap.*18. *num.*41. & clarius *supra* verbo *Clausula num.*46. De quo etiam Portellus *in Dub. Regular. verb. Prælati potestas numero* 28. An verò dicta priuilegia extendantur etiam ad absolutionem casuum reseruatorum DD. Inquisitoribus, qui incurruntur non denunciando eos, quos ipsi in suis Edictis denunciari præcipiunt, tractant Portellus *in Dub. Regular. verbo solicitare fœminas in confessione*, & Bordonus *Resolution.* 3. Et quamuis probabilis sit sententia affirmatiua, quam tenent idem Portellus *supra.* Freitas *in Additionibus ad tractat. de confessor. sollicit.* & Acuna *quæst.*21. *num.*31. quos refert, nec impugnat Diana *part.*1. *Tractat.*5. *Resolut.*8. nihilominus attendendum est tum ad verba priuilegij, an scilicet illa in proprietate sermonis talem extensionem admittant, tum ad ipsa Edicta, an scilicet in illis reuocentur, vel non, dicta priuilegia Regularium. Non posse autem extendi ea priuilegia ad casus hæresis, vel alios reseruatos singulis annis in Bulla Cœnæ, dixi eo *cap.*18. *n.*38. & *supra verbo Bulla Cœnæ n.*54. Quod, præter Auctores ibi relatos

relatos tenent etiam Naldus *in Sum. verbo Nouitius num.7.* Sigismundus *de Elect. dub.69. num.13.* Vechius *disp.9. dub. 6.* & alij plures. Probabile etiam est prædicta priuilegia, & si simpliciter, & indistinctè loquantur, nec determinentur solùm ad forum interius conscientiæ, deseruire etiam posse pro foro externo. Eo enim ipso quo simpliciter loquuntur, absolutè sunt intelligenda pro vtroque foro, præsertim quia Principis beneficium latissimè est interpretandum. *cap.cum olim de verbor. significat. l.beneficium ff. de Const. Princip.* Bordonus *dicta Resolut.3. n.19.* referens Rodriguez, Confettium, Nauarrum, Portellum, Vecchium, Beiam, & alios.

Seclusis etiam prædictis particularibus priuilegiis Prælatorum Regularium probabile etiam est potiri posse priuilegio quo potiuntur Episcopi ad absoluendum etiam in casibus Papæ reseruatis subditos, qui ob legitimum impedimentum accedere non possunt ad Sedem Apostolicam; ita tamen vt si illud impedimentum, non est perpetuum, teneantur illo cessante coram eadem Sede comparere. Imò absolui debeant sub præcepto, & iuramento sic comparendi, iuxta dicta *supra* verbo *Clericus num.14.15. & 16* Ratio est, quia Prælati Regulares habent potestatem quasi Episcopalem supra suos subditos, & tale priuilegium non videtur concessum Episcopis præcisè, vt talibus, sed quatenus Prælati sunt, & propter bonum spirituale subditorum, quæ ratio etiam procedit in præsenti. Bordonus *supra num.35.& 36.* ex Panormitano, Toleto, Megala, & aliis. Inde inferens, quòd si Monialis incideret in excommunicationem Papæ reseruatam, nec Religio haberet priuilegium absoluendi à tali excommunicatione, posset absolui à Prælato suo, etiam sine onere comparendi, quia clausura est impedimentum perpetuum pro Monialibus.

2 Habent etiam aliqui Prælati Regulares priuilegia dispensandi cũ suis subditis in aliquibus irregularitatibus, & positis quibusdam conditionibus, iuxta dicta eo *cap.18. à num.40. vsque ad 45.* & *supra* verbo *Bellum*, verbo *Bigamus, & bigamia*, verbo *Homicidium*, verbo *Illegitimus*, verbo *Infamia*, & verbo *Irregularitas*. De qua etiã materia specialiter Ioannes de Cruce *in Epitome de statu Relig.lib.1. cap.6.dub.16. 17. 18. & 19.* Portellus *in Dub. Regular. verbo Irregularitas, & verbo Prælati potestas ad dispensandum*, Sigismundus *de Elect. dubio 71.* Megala *libro 7. de cens. cap.3.* Bordonus *supra Resolut.21.*

3 Habent quoque Prælati Regulares facultatem dispensandi cum sibi subditis in Obseruantiis Regulæ iuxta dicta *to.1.p.2.cap.7.num.19.& cap.18. num.54.* Causas autem huiusmodi dispensationis dandæ assignaui eo *n. 29.* De Prælatis autem, quibus hæc potestas conuenit, dixi eo *n.45.* Suppono autem, vt ibidẽ dixi, quòd in Religionibus non sit ablata hæc facultas dispensandi in Regulæ Obseruantiis Prælatis ipsarum. Non enim possunt alio modo super Regulam dispensare, nisi quantum illis à Regula ipsa, Iure, vel priuilegio permittitur, cum dispensatio sit iuris relaxatio. Prælati autem Regulares non possunt suam Regulam relaxare. Angelus *in Summa verbo Dispensatio num.7.* Syluest. *in Summa verbo Dispensatio numero 14.* Peyrinis *tom.1. de Subdito quæstione 1.§.5.*

4 Similiter dispensant Prælati Regulares in legibus, Constitutionibus, seu statutis suarum Religionum, iuxta modum sibi concessum in prædictis Constitutionibus. Et quia hæc facultas diuersa est in diuersis Religionibus; Ideo solum, quæ pro Ordine nostro statuta sunt *part.2.Constitutionum cap.1. num.11.* pro Generali Ordinis hic ponenda. *Sciat Reuerendissimus Pater Ordinis quòd habet quidem plenam potestatem dispensandi in his Constitutionibus, non tamen sine iusta, & legitima causa. Non est autem censendum eum dispensare, nisi id ipse in litteris patentibus expresè dicat. Quòd si ab eo emanauerint contra has Constitutiones aliquæ litteræ sine expressa earum derogatione, illæ habendæ sunt tanquam subreptitiæ, & nullæ ac si nunquam fuissent datæ.* Solùm ergo modo præscripto possunt Generales Ordinis nostri in Constitutionibus dispensare. Stando etiam in iure communi, licet, iuxta dicta *tomo 1. par.1. cap.8. num.23.* non possint Prælati Religionum dispensare in legibus, Constitutionibus, seu statutis ipsarum; eo quòd inferiores non possunt in legibus latis à suis Superioribus dispensare; Constitutiones autem Religionum factæ sint à tota Religione, vel Prouincia, quæ sunt Superiores Generali, & Prouinciali, iuxta ibidem dicta. Nihilominus in casibus leuibus, & frequentibus, in quibus recurrere ad Superiores, vel Capitulum, esset durum, & asperum, possunt in prædictis Constitutionibus dispensare, quia pro illis casibus, præsumitur licentia interpretatiua ad id faciendum, iuxta ibidem dicta. Semper tamen ad talem dispensationem dandam requiritur iusta causa ita, vt sine illa, nec licita, nec valida sit dispensatio, iuxta dicta *supra* verbo *Dispensare, & dispensatio inter Regulares num.2.* Peccant ergo Prælati sine iusta causa in Constitutionibus Ordinum dispensantes, & subditi sine illa dispensationem petentes. Suarez *de Legibus lib.6.cap.13. num.14.& 16.* Portellus *in Dub. Regular. verbo dispensare num.12.* Si tamen dispensatio bona fide data est ab existimante substinere causam iustã, adhuc illa nõ subsistente, valida probabiliter reputatur. Sanchez *l.8. de Matrim. disputat. 17. num. 8.* Azor. *tomo 1. Institut. moral. lib.7. cap.29. quæst.9.* Diana *part.1. tractat.10. Resol.33.* Existente etiam dubio de iustificatione causæ, probabile quoque est posse dari dispensationem, quia in benigniorem partem est in eo dubio inclinandum. Sanchez *tomo 1. in precept. Decalogi lib.4.c.44.* Diana *4. part. tract.3. Resolut.44.* ex Syluestro, & aliis. E contra etiam quando subest causa rationabilis ad dispensandum, peccant Prælati non dispensantes, Saltem si ex malitia id faciant, quia potestas ad dispensandum est in bonum, & ædificationem subditorum, & ita si bonum, & ædificatio subditorum dispensationem exigat, tribuenda est, Syluester *supra quæst.1.* Miranda *tom.2. Man. Prælat. quæst.30. artic.6. conclus.2.* Sà *in Summa verbo Dispensatio n.2.* Quod limita, nisi talis dispensatio contraria sit bono communi Religionis, quia tale bonum commune præferri debet bono priuati. Rodriquez *tom.2. Quæst. Regul. quæst.46. art.4.* Peyrinis *supra.* Quid vero sit dicendum si subditus habet iustam causam dispensationis, & non adest Prælatus, qui illam tribuat, vel ex mala voluntate eam non vult concedere, habes ex dictis *tomo primo, parte prima, capit.7. numero vigesimonono.*

In pœnis quoque taxatis per Constitutiones seu 5 statuta Religionum, possunt dispensare prælati illas remittendo. Primò quidem, quando talium pœnarum relaxatio non est reseruata. Generaliter enim loquẽdo Prælati Ordinarij possunt omnia, in quibus specialiter non sunt prohibiti. *cap. nuper de sent. excommunicat.* Rodriguez *tom.1. Quæstionum Regular. quæst 22. articulo 8.* Miranda *tomo 2. Man. quæst.30. articulo 11. conclus.1.* Secundo, si hoc ipsis concedatur in eisdem Constitutionibus, & statutis, prout in nostra Religione, in qua *part.1. Constitutionum cap.2.*

*cap.2.num.*20. Prioribus conceditur pœnam leuem, & mediam remittere, pœnam verò grauem Prouincialibus. Tertiò, id facere possunt rationabili subsistente causa, iuxta dicta eo *cap* 18. *num.* 86. Iustæ autem causæ sunt pueritia, senectus, doli defectus, consuetudo, quando ex pœnæ diminutione speratur emenda delinquentis, quando post commissum delictum magnum aliquod interuallum transiit, spontanea criminis confessio absque incussione metus, & quæuis alia circunstantia, quæ delictum minuat, imò, & merita delinquentis. Sanchez *lib.6. Consiliorum moral.c.*1.*dub.*21.*n.*11. Peyrinis *in Formulario littera P. cap.*16.*num.*8.

16 In pœnis autem taxatis, seu positis specialiter à Prælatis Ordinariis, vt ab homine, non possunt Prælati dispensare illas remittendo, non solùm loquendo de Prælatis inferioribus respectu pœnarum impositarum à Superioribus, cum inferior nihil possit contra voluntatem sui Superioris. *cap. inferior. dist.*21.*Clem.ne Romani de elect.* sed etiam loquendo de Prælatis superioribus, Generalibus videlicet, respectu pœnarum impositarum à Prælatis inferioribus, scilicet Prouincialibus. Ita enim colligitur ex Concil.Trid. *sess.*14.*de Reform.cap.*1. Et ex eo quòd aliàs facilè subditi contemnerent suos Prælatos Ordinarios, Rodriguez, & Miranda *suprà*, ac Portellus *in dub.Regul. verbo Prælatus num.*12. Extenditur hæc doctrina ad pœnas non solùm temporales, sed etiam perpetuas. Ex declaratione Sac. Congregationis, quam refert Barbosa in eum locum Concilij. Limita tamen, quòd in casu quo Prælatus imponens pœnas iam est mortuus, vel functus suo officio, vel quando subditus legitimè appellauit, tunc Prælatus superior potest remittere pœnas impositas à Prælato inferiori, cum tunc non contemnatur auctoritas Prælati Ordinarij. Rodriguez, Miranda, & Portellus relati. Limitari etiam potest in casu valde vrgentis rationis, seu causæ ad id faciendum, tunc enim videtur posse Prælatum superiorem remittere pœnas impositas à Prælato inferiori. Miranda *suprà*. Quid autem possint Prælati Regulares circa pœnas impositas à Summis Pontificibus, dixi *to.*1.*p.*1.*cap.*18.*num.*46.& *supra verbo Pœna Ecclesiastica.*

17 Habent etiam Prælati Regulares auctoritatem supra contractus emptionis, venditionis, commutationis, vel similium, cum quibuscunque personis celebratos à suis subditis. Non solùm quia tales contractus absque voluntate Prælatorum facti illiciti sunt, & peccaminosi, cum Religiosi nec velle nec nolle habeant. *cap. non dicatis* 12.*quæst.*1.*cap. si Religiosus de elect.in* 6. *cap. final. de sepult. in* 6. *c.*2. *de testam.in* 6. & sint mortui mundo *cap. placuit.*2. 16.*quæst.*1. sed etiam quia Prælati possunt illos irritare, ita vt post talem irritationem nulla ratione teneantur ad ipsos, sicut neque ad vota à Prælatis irritata. Sanchez *l.*7. *in Decal. c.*31. *num.*39. ex Nauar. Azor. Rebello, & Lessio. Addens, nullam exigi causam ad hanc irritationem faciendam, sicut neque ad irritationem votorum, iuxta dicta *tom.*1.*p.*1.*c.*18. *num.*47. Si tamen tales contractus initi sint ex consensu tacito, vel expresso Prælatorum, non possunt ab ipsis, aut ipsorum successoribus irritari. Oritur enim ex talibus contractibus obligatio non solùm naturalis, illa scilicet; quæ est in foro conscientiæ ex vinculo legis naturalis; sed etiam ciuilis, illa scilicet, ad quam implendam datur actio in foro externo. Rodriguez *tom.* 2. *Quæstionum Regularium quæst.*26. *artic.*1. Sanchez *supra num.*40.41. Portellus *in Dub.Regul.verbo pactum num.*1. Ex contractibus autem celebratis à Religiosis absque prædicta Prælatorum licentia antequam irritentur solùm oritur in ipsis obligatio prædicta naturalis, non ciuilis. Ratio primæ partis est à simili de votis factis à Religiosis, illa enim ex lege naturali valida sunt antequam irritentur. Ratio verò secundæ partis est, quia Religiosus comparatur seruo, qui sine Domini licentia contrahens non obligatur ciuiliter. *leg. naturaliter* 13. *ff. de condit. indeb.* Sanchez *supra* ex Abbate, Syluestro. Azorio, Lessio, & aliis. Licet alij, quos sequitur Molina *tom.*1. *de iustitia disputatione* 140. *vers. potius distinguerem*, & Peyrinis *tom.* 2. *de Prælato quæst.*3. *c.*5. *num.*4. probabiliter teneant ex contractu inito à Religioso absque licentia sui Prælati nullam obligationem oriri, nec naturalem, nec ciuilem, sed prorsus manere liberum. In omnium tamen scientia, contrahendo Religiosus dedit aliquod damnum socio, & tenetur illud restituere, curando scilicet, quantam ipsius status patitur, obtinere aliquod, quo, relicto à Prælato suæ liberæ dispositioni, parti iniustè læsæ satisfaciat. Molina *supra* Sanchez *supra num.* 38. Peyrinis *supra num.* 6. Monasterium autem non tenetur ad tale damnum resarciendum, nisi quando vel in illud consensit, vel inde aliquam vtilitatem accepit, vel si Religiosus sic contrahens erat administrator Monasterij, & id petebat tale munus administratoris. Syluester *verbo Religio* 8.*quæst.*3.Lessius *lib.*2.*de iust. c.*41. *dub.*11.*num.*90. Sanchez *supra num.*9. & 10. Peyrinis *supra num.*11. *& sequent.* An verò Monasterium teneatur ad debita contracta à Religioso propter delictum ipsius, habes ex dictis *tom.*1.*p.*1.*c.*2. *num.*18. Et generaliter pro contractibus Religiosorum vide Ioanem de Lugo *tom.* 1. *de iust. disput.* 3. *sect.* 10. præsertim *num.* 221. & 222. [Ex quibus obiter collige ad quid teneatur fideiussor, qui accessit contractui celebrato à Religioso. Dico enim primò, si talis contractus est celebratus à Religioso, de licentia Prælati, maximè si id constet fideiussori, tenebitur, sicut quilibet alius fideiussor in alio quocumque contractu; non enim est aliqua ratio, quare liberetur fideiussor in hoc casu ab obligatione fideiussoris. In hoc conueniunt communiter Doctores. Si autem talis contractus non est celebratus cum tali licentia, distinguendum est, vel enim fideiussor se obligauit ad sustinendum contractum, licet Prælatus velit consentire, vel non. Si primum, proculdubio tenebitur ad fideiussionem, etiam si Prælatus non consentiat. Quia in eo casu procedunt rationes communes propter quas obligantur omnes fideiussores ad contractus, nec est aliqua ratio, quæ eum excuset. Lugo *de iust. & iure tom.* 1. *disp.* 3. *sect.*10. *num.* 224. Idem dico quando se obligauit vt principalis debitor, quia tunc fecit debitum principalis debitoris suum proprium abstrahendo à licentia quacumque. Sanchez *lib.*7. *in Decalog. c.*31. *num.* 47. ex Nauarro, Mandoso, & aliis. An verò adhuc requiratur quod renunciauerit priuilegio. *Authentic. de fideiuss. in princ. & Authentic. præsente Cod. de fideiuss.* quod est vt prius excutiantur bona principalis debitoris, quam fideiussor conueniri possit, tractant Molina *to.*2.*de iust.disp.*545.§.*Quando fideiussor.* & Sanchez *suprà*. Si verò fideiussor accedens contractui celebrato sine licentia Prælati solùm quantum ad securitatem debiti, tunc iuxta sententiam superius relatam negantem Religiosum naturaliter obligari vllo contractu, nec fideiussor obligatus manebit, quia vbi principalis nihil debet, nec fideiussor debet. Iuxta sententiam tamen aliam asserentem Religiosum obligari illo contractu naturali

naturaliter, fideiussor obligabitur naturaliter, imò & ciuiliter, ad obligationem enim ciuilem fideiussoris capacis sufficit obligatio naturalis in debitore principali. *leg. naturaliter.* 13. *ff. de condit. indebit.* Sanchez *suprà num.* 42. ex Nauarro & Azorio. Lugo *suprà num.* 225. apud quos alia.]

18 De potestate, quam habent Prælati Regulares ad administrandum bona Monasterij, dixi *tom.* 1. *cap.* 18. relato *num.* 13. *& suprà verbo Administratio, & Administrator.* Similiter de potestate, quam habent ad corrigendum, & puniendum subditos, dixi eo *cap.* 18. *num.* 15. *& sequentib.* & *cap.* 27. *eiusdem* 1. *to.* & *supra verbo Iudex, & Iudicium Regularium.* Pariter etiam de potestate, quam habent ad reseruandum sibi casus, & quos casus, dixi eod. *cap.* 18. *num.* 19. *& sequentib.* & *supra verb. Casus reseruati Regularium.* Insuper de potestate, quam habent circa vota subditorum, dixi eo *cap.* 18. *num.* 47. *& sequent.* Et etiam *suprà verb. Nouitij, & Nouitia Regularium à num.* 37. De potestate porrò, quam habent circa iuramenta, seu vota iurata subditorum, dixi eo *cap.* 18. *num.* 53. & *suprà verbo iuramentum quoad Regulares.* An possint dispensare in præceptis Ecclesiasticis: habes eodem *cap.* 18. *num.* 55. An benedicere, seu consecrare Calices, Aras, Patenas, & ornamenta Sacra, ac Ecclesias, *ibidem num.* 57. 58. *&* 59. & *suprà verbo Altare verbo Benedictio, & benedicere, verbo Calix, verbo Cœmeterium, verbo Consecratio, verbo Ecclesia, seu Templum, & infra verbo Vasa Sacra, & verbo vestes Sacræ.* An possint Tonsuram, aut minores Ordines subditis conferre, eo *c.* 18. *num.* 64. *&* 65. & *suprà verbo Ordines Sacri.* De facultate quoque, quam habent, ad instituendas Confraternitates suorum Ordinum, eod. *cap.* 18. *num.* 88. & præsertim *tom.* 2. *cap.* 15. An possint condere leges, eo *cap.* 18. *num.* 90. Quomodo possint mutare suos subditos ex vno loco ad alium, eo *cap.* 18. *num.* 91. An commutare legata, *num.* 94. & *suprà verb. legata Regul. relicta à num.* 35. An constituere Notarios, eo *cap.* 18. *num.* 95. & *suprà verb. Notarius Regularis.* An concedere licentiam suis subditis legendi libros prohibitos eo *cap.* 18. *num.* 96. & *suprà verb. Libri num.* 30. Qualiter Carmelitarum Generales instituere possint Prouinciales titulares, eo *cap.* 18. *num.* 98.

19 Nota, quòd quamuis ex doctrina communi Doctorum sæpius dixerim posse Prælatos vti illis facultatibus, seu licentiis, quas suis subditis conferre possunt, ne sint peioris conditionis quàm ipsi subditi: hæc tamen doctrina limitanda est solum ad eas facultates, seu licentias, quæ tempore quo durant ipsorum Prælatiæ executioni mandari possunt, vt sunt facultates ad exeundum foras, & exercenda aliqua munia, quæ etiam à subditis exerceri possunt. Non verò ad eas facultates, seu licentias quæ exerceri debent finito tempore Prælatiæ. Etsi enim, iuxta dicta *supra verbo Gratia pro Regul. num.* 8. 10 & 11. gratiæ factæ durent in subditis, etiam post finitum tempus prælatiæ concedentis, ac proinde Prælatus possit concedere subdito facultatem aliquam, quæ duret etiam finita sua Prælatia, v.g. facultatem absoluendi à reseruatis, dandi, accipiendi, &c. has tamen facultates exequendas post tempus suæ Prælatiæ non potest Prælatus sibi communicare, quia pro tunc non est capax accipiendi illas à se ipso, quia dantur per modum delegationis, seu commissionis, quæ requirunt distinctionem realem inter dantem, & accipientem. De quo Lugo *de Sacram. pœnit. disp.* 19. *sect.* 2. *num.* 42. 43. & 44. Addens *num.* 45. & sequentibus id fieri posse mediatè, & indirectè duobus modis. Primò, si Prælatus daret alij facultatem absoluendi à reseruatis, v.g. cum potestate subdelegandi, tunc enim sicut ille posset aliis subdelegare eam facultatem, sic posset ipsi, qui dederat, finita prælatura. Secūdò si Prælatus, v.g. Prouincialis, daret facultatem omnibus Religiosis alicuius Conuentus ad aliquid faciendum, tunc finito Prouincialatu, si ipse fieret habitator illius Conuentus, posset vti eadem facultate.

De obligationibus autem Prælatorum Regularium plura eodem *cap.* 18. & sparsim per totam summam. 20

PRÆSES *Capitulorum.*

SVMMARIVM.

De Præside Capitulorum remissiuè, num. 1.
Præses Capituli quis sit, num. 2.
Est Iudex super acta Capituli, num. 3.
Debet notificare tempus electionis, num. 4.
Non potest facere contra libertatem eligentium, numero 5.
An possit facere contra secretum electionis, num. 6.
Quid debeat facere quando eligitur indignus, num. 7.
Non decet Præsidem eligi ad aliquod officium, numero 8.
An possit dispensare cum illegitimis, num. 9.
An illegitimi possint esse Præsides, ibid.
De Præside pro electionibus Abbatissarum remissiuè, num. 10.

DE Præside Capitulorum Regularium aliqua dixi *tom.* 1. *c.* 15. *num.* 34. & *part.* 2. *c.* 12. *à n.* 31. & conducunt dicta illis capitibus, & quæ dixi *supra verbo Commissio, seu Commissarius Regularis, & verb. Electio inter Regulares*, & dicenda infra verbo *Vicarius Regularis.* Aliqua tamen addenda pro complemento materiæ fere quotidianæ inter Regulares. 1

Præses ergo Capituli ille dicitur qui de iure, consuetudine, vel saltem ex commissione competit præsidere electionibus, quæ fiunt in ipsis capitulis. Castellinus *de Electione canonica c.* 13. *nu.* 7. ex aliis. Qui porro ij sint, quibus competit tale munus, ex particularibus Statutis Religionum sumi debet. In nostra autem, iuxta nostras constitutiones *par.* 4. *c.* 3. *num.* 1. vacante officio Generalatus, Prior Prouincialis illius Prouinciæ, in qua capitulum generale erat assignatum, Præsidens est pro capitulo generali; & pro capitulo Prouinciali, si generalis non adest, hoc munus exercet cui ipse generalis idem commiserit, vel si id non fecerit, primus Deffinitor præcedentis Capituli, iuxta easdem constitutiones *part.* 4. *c.* 11. *n.* 1. 2

Præses Capituli est veluti Iudex habens ius super acta Capituli ad eum finem, vt omnia legitimè fiant. *cap. quamuis ad finem de elect. in* 6. Bordonus *resolut.* 26. *num.* 2. ex Nauarro. Vnde potest recusari, si probabiliter timeatur, quòd sit timorem cadentem in virum constantem incussurus, vel electionem violentaturus. Peyrinis *in Formulario littera P. cap.* 8. *num.* 10. ex Panormitano, Hostiensi, & aliis. A maiori tam parte Capituli; quia ipsa est quæ totum capitulum repræsentat. *c.* 1. *de his quæ fiunt à maiori parte capituli.* Peyrinis *supra.* Pro tempore ipsius capituli præcedere debent omnes de capituo tam in capitulo ipso, quam in refectorio, processionibus 3

nibus, & aliis omnibus locis. Est enim caput pro eo tempore. Peyrinis *supra num.3.*

4 Debet in aliqua parte diei præcedentis diem electionis notificare in loco communi per se, vel per alium, videlicet, quòd die sequenti tali hora facienda sit electio. Castellinus *supra num.5.* ex Syluestro.

5 Cum munus ipsius, iuxta dicta *to.2.cap.12.* relato *num.35.* sit, vt electiones omnino liberè fiant, ideo nullatenus potest præcipere scrutatoribus, vt non recipiant hæc, vel illa vota. Constat enim ex declaratione Sacr. Congregationis, quam referunt Castellinus *supra cap.4. num.66.* Riccius *in Praxi fori Ecclesiastici Resol. 29. part. 4.* & Nouarius *in Lucerna Regularium verbo Præsidentes,* quòd cum à Sac. Congregatione quæreretur, an in electione Superiorum Regularium Præsidens Capituli possit præcipere scrutatoribus sub præcepto Sanctæ obedientiæ, & pœna excommunicationis latæ sententiæ, ne recipiant suffragia oretenus tradi solita pro aliquibus vltra certum numerum electioni insufficientem, sed eo completo dicat electoribus ad aures, (vt seruari dicitur) vt dent aliis eorum vota; & an electio hoc modo celebrata sit valida: *Sacra Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum, hanc eligendi rationem, quæ libertati electionis, ac naturali consensui aduersatur, omnino improbauit, censuitque electiones hactenus celebratas, si scrutatores præcepto Superioris obtemperantes singulorum eligentium vota non receperint, pro canonicis non haberi.*

6 Quamuis autem, iuxta dicta eo *cap.12. num.34.* Præsidis etiam munus sit curare, vt electio omnino secretè fiat, nihilominus in casu, quo aliqui ex electoribus ex fraude, vel mala intentione, ad impediendum videlicet, illam, aliquam malignitatem fecerint, plura videlicet suffragia dando, vel quid simile: poterit Præses ad præcludendum viam tali malignitati, &, vt fiat electio legitimè præcipere scrutatoribus, vt aperiant votum eorum, de quibus est talis suspicio, & manifestent illos, vt puniantur. Hoc enim votum pertinet ad Præsidis munus, quod, vt dixi, est esse Iudex in causa electionis, & est conforme menti Concilij, quod, etsi *sess.25.c.16.* præcipiat, vt electiones per vota secreta fiant ita vt eligentium nomina nunquam publicentur, hoc tamen ideo præcipit, vt ibi dicitur, *quo omnia rectè, & sine vlla fraude fiant.* Ex quo colligit Portellus *in Responsionibus moralibus p.2.casu 4.num.2.* quod si contingeret quod Præses Capituli nollet publicare electionem legitimè factam, possent scrutatores declarare electionem legitimè esse factam, &, si necessitas postularet nomina eligentium reuelare.

7 Si Præses, qui præest electioni, videt esse electum indignum, non poterit electionem supprimere, tacendo illam, sed debet eam publicare, & electum indignum (etiam si ad eum spectet confirmatio) non confirmare, sed de illius insufficientia summariè per testes inquirere, probataque indignitate, & illo audito, ipsum eiicere ab electione. Sin autem spectet ad alium Superiorem confirmatio electionis, ad ipsum mittere debet processum de electi indignitate ne confirmetur. Prima pars, quòd scilicet, teneatur electionem publicare expresè præcipitur *cap. quia propter de electione*, vbi facto scrutinio iubentur statim vota publicari. Secunda verò colligitur ex *cap. indemnitatibus in 6. & capit. venerabilem, & cap. nihil est de elect.* vbi præcipitur, quòd publicato scrutinio, si electus non est cognitus, Prælatus summariè inquirat de sufficientia electi, & si indignum inuenerit, repellat. Quòd verò debeat illum audire, ex eo colligitur, quia aliàs si taliter indignus electus sub silentio omitteretur, & procederetur ad aliam electionem, in rigore ferretur sententia contra aliquem inauditum, & condemnaretur aliquis non citatus in materia graui, quod non est admittendum. Portellus *in Dub. Regular. verbo elect. in additione ad additionem num.5.*

Non decere Præsidem Capituli in eo eligi ad aliquod officium dixi eo *c.12. num.37.* ex Miranda, & Castellino. Nunc addendum, nec posse postulare se ipsum in casu quo Prælati Religionum crearentur per postulationem, de qua dixi eo *c.12. num.50.* & *51.* Ratio est, non solùm ea, quam ibi adduxi pro electione, sed etiam, quia iuxta dicto eo *to.2.c.11. num.25.* ex *cap. per nostras de iur. patron.* patroni non possunt præsentare seipsos ad beneficia, ex eo enim sequitur neque Præsidem Capituli, qui est quasi Patronus ipsius, posse se postulare. Præsertim, quia talis postulatio quantumuis facta etiam ab aliis Gremialibus, præsumeretur potius coacta, quàm libera. Cum credi posset timorem reuerentialem, & metum causam fuisse quòd Gremiales Præsidem postularent. Bordonus *Res.26.num.72.* ex Nauarro, & Rodriguez.

Posse Præsides Capitulorum Generalium, vel Prouincialium vti facultate, quam habent Generalis, seu Prouincialis ex Gregorio XIV. in Bulla, quam retuli *tom.1.p.1.c.18.num.60.* & *p.2.c.12. num.21.* ad dispensandum cum illegitimis ad officia Religionis simul cum ipsis Capitulis Generalibus, vel Prouincialibus, probabile videtur; cum prædicti Præsides sint Vicarij, & Commissarij ipsorum Generalium, vel Prouincialium, ac proinde habeant eorum vices. Bordonus *Resol.12.num.61.* Nota etiam obiter, quòd illegitimi non possunt esse Præsides Capitulorum, si non dispensentur. Præsidis enim officium, cum sit Commissarius, vel Vicarius Generalis, vel Prouincialis, dignitas quædam est, ac per consequens ipsius incapax illegitimus, iuxta dicta *to.1. p.1.c.18.num.62.* & *p.2.c.13.num.50.*

De præside pro electionibus Abbatissarum dixi *to.1.c.25.num.46.* ex declarationibus S. Congregationis, quod & recipit Nouarius *v.Præsidentia.* Vide & dicta *suprà v.Abbatissa, seu Priorissa num.4.* Et circa id, quod debent facere Præses ante ipsas, & alia concernentia Tamburinum *de Iure Abbatissarum disp.28.* 10

PRIVILEGIA Regularium.

SVMMARIVM.

De hac materia quæ tractanda, num.1.
Quid, & quotuplex priuilegium, num.2.
Quomodo differat à dispensatione, num.3.
Priuilegium reale, & personale quomodo differant, num.4.
Priuilegia concessa Regularibus extenduntur ad Prælatos, num.5.
An ad valorem priuilegij requiratur scriptura, numero 6.
Augustinianorum priuilegia quo priuilegio fruantur, num.7.
Notanda circa interpretationem priuilegiorum, numero 8.
Quando priuilegium latè explicari debeat, num.9.
Quid ex priuilegiis Religionum, num.10.
Ad quem spectat interpretatio priuilegiorum, num.11.
Extranei

1 DE hac materia, quamuis latissima sit duo solùm explicare intendo, alterum erit de natura, diuisionibus, & proprietatibus priuilegij, maximè, prout ad Regulares spectat. Alterum, saltem remissiuè de particularibus ipsorum priuilegiis.

2 Quoad primum ergo. Priuilegium est veluti lex in alicuius fauorem data, *cap. priuilegia distinct.*3. Thom.1.2.*qu.*96. *artic.*1. Syluester. *in Summa verb. priuilegium num.*1. Seu *priuata lex*. Thomas Vualdensis *in Doctrin. fidei tom.*1. *lib.*2. *art.*3. *c.*42. Diuiditur primò in priuilegium reale, & personale. Priuilegium reale est, quod proximè, ac directè alicui rei, loco, muneri, vel officio v.g. domui, Ecclesiæ, Generalatui, Prouincialatui, &c. conceditur. Personale verò est, quod proximè ac directè personæ confertur, ratione sui. Et si enim omne priuilegium finaliter, & vltimatè, vt ita loquar, dirigatur in gratiam hominis, nihilominus quando cadit immediatè supra hominem dicitur personale. Deinde, vtrumque aliud est generale, quod scilicet omnibus locis, &c. vel personis conceditur, aliud particulare, quod scilicet tantùm alicui, vel aliquibus. Item priuilegium, aliud est odiosum, aliud fauorabile. Fauorabile est, quod purè fauorem continet illius cui conceditur, & nulli alteri nocet, nec præiudicium affert Iuri, quale est priuilegium audiendi Missam tempore Interdicti. Odiosum est illud, quod ita alicui fauorem aliquem concedit, vt tamen alteri noceat, vel est contra ius aliquod, quale est priuilegium de non soluendis Decimis. Præterea, aliud dicitur gratiosum, aliud remuneratorium. Gratiosum est illud, quod gratis conceditur, nulla habita ratione meritorum illius cui conceditur, vel aliorum. Remuneratorium dicitur illud, quod conceditur alicui, ratione meritorum ipsius, vel alterius. Pariter etiam priuilegium, aliud est contra ius, v.g. priuilegium de non ieiunando diebus præscriptis ab Ecclesia. Aliud præter ius, seu vltra ius, vt potestas absoluendi, vel dispensandi in casibus particularibus. Similiter priuilegium aliud est insertum in corpore Iuris, aliud extra illud. Item, aliud est conuentionale, quod scilicet conceditur interueniente pacto, seu conuentione. Aliud absolutum, & purum, quod sine tali pacto, aut conuentione conceditur. De his priuilegij diuisionibus Summistæ *verbo priuilegium*, Suarez *lib.*8. *de legib. cap.*3. *& sequentibus*, Bonacina *de legib. disput.*1. *quæst.*3. *punct.*1. Layman. *lib.*1. *Tract.*4. *cap.*23. Archangelus Romanus *de priu. lib.*3. *cap.*2. & alij.

3 Priuilegium differt primò à dispensatione in hoc quòd priuilegium solet aliquando concedi sine causa, sed dispensatio *est prouida Iuris relaxatio, seu moderatio, vtilitate, siue necessitate pensata*. Ita Panormit. *in cap. cum in cunctis* 1. *de elect.* & Ioannes de Cruce *in Epitome de statu Religion. lib.*2. *cap.*1. *concl.*2. Differt 2. quòd dispensatio regulariter est ad vnum, vel paucos actus, & ad breue tempus: priuilegium autem regulariter est ad plures actus, & pro multo tempore. Layman. *supra num.*5. ex Salas, & Suarez.

His positis, circa priuilegium reale & personale Regularium id primò animaduertendum, hoc præcipuè discrimen inter vtrumque versari, quòd priuilegium personale corruit extincta persona cui concessum fuit. Priuilegium verò reale perseuerat etiam extincta persona. Azor. *tom.*1. *institut. moral. lib.*5. *cap.*22. *quæsit.*6. Suarez *dict. cap. num.*3. Vnde priuilegium concessum alicui officio Religionis, ver. gr. Generalatui, vel Prouincialatui, vel quod idem est priuilegium concessum alicui Religioso ratione officij, quod habet, non cessat in ipso, sed transit ad successores, iuxta dicta *supra verbo Commissio, & Commissarius Regularium num.* 3. De quo & Fagundez *in* 6. *præcept. Decalogi lib.* 6. *cap.* 12. *num.*35. Similiter si immunitas aliqua Monasterio, vel Ecclesiæ concedatur, ea gaudere poterunt omnes, qui temporis successu monasterium, vel Ecclesiam possidebunt, donec omnino destructa sint sine spe refectionis. Nam si spes refectionis sit, perdurat priuilegium, & censetur adhærere solo. *argum. lege Æde Sacra ff. de contrahend. emptio. & argum. capit. & hoc diximus* 16. *quæst.*7 iuncta Glossa *in cap. Abbate de verbor. significat.* Glossa *in cap. pastoralis* 7. *qu.* 1. & alios Gloss. *reg.*7. *in.* 6. Layman. *supra num.* 2. Et consonant, quæ dixi *supra verbo indulgentia quoad Regulares num.*8. In dubio autem an priuilegium sit reale, an vero personale, præter dicta à simili etiam *suprà verbo Commissio, & Commissarius Regularium num.*4. dicendum, quòd quando priuilegium est fauorabile, seu purum, beneficium iudicandum est reale. Ratio est, tum quia beneficium Principis late explicandum est. *leg. vlt. ff. de condit. principum.* Tum quia beneficium à Principe concessum decet esse mansurum. *de Regul. iuris in* 6. Quando vero priuilegium est odiosum, quia est contra Ius commune, vel præiudicat tertio, in dubio iudicandum videtur tanquam personale, quia odia sunt restringenda. Suarez *supr. num.* 18. *&* 19. Bonacina *supra num.*7. Portellus *in Dub. Regular. verbo priuilegium num.* 5. Diana 4. *part. Tractat.* 3. *resolut.*51. Per accidens tamen, scilicet ratione possessionis, vel maioris probabilitatis in alterutram partem, poterit etiam priuilegium odiosum in dubio pro reali reputari, quia in dubiis melior est conditio possidentis. Suarez, & Bonacina relati. 4

Secundò, priuilegia, siue realia, siue personalia, concessa Religiosis, vt sic, extenduntur etiam ad Prælatos ipsorum, etiam si de ipsis nulla facta sit expressa mentio in dictis priuilegiis. Tum quia Principis beneficium latè explicandum est ex lege relata, & *cap. cum olim de verborum significat.* Priuilegium autem fauorabile est verè, & propriè beneficium. Ergo latè explicandum. Tum etiam, quia priuilegium non solùm censetur concessum personis, quæ in ipso sunt expressæ, sed etiam iis, quę propter vocis significationem in eo comprehenduntur. At in fauorabilibus, & materia proportionabili Abbas comprehenditur appellatione Monachorũ, cum per promotionem ad Abbatiam non desinat esse monachus, sicut Rector per Rectoratum non desinit esse scholaris, aut est peioris conditionis quam ille. Rodrig. *to.*3. *quæst.* 5

*quæstionum Regular. qu.*51. *artic.*11. Tamburinus *de Iure Abbatum tom.*1. *disp.*16. *qu.*3.

6 Tertiò, iuxta dicta *suprà verbo Gratia pro Regularibus num.* 13. ad valorem cuiuscunque priuilegij non requiritur scriptura, seu bulla. Licet pro foro externo, vt probetur, scriptura requiratur. De quo etiam Ioannes de Cruce *suprà dub.*2. Nota autem id quod eo *num.*13. dixi, scilicet, quòd propter reuocationem oraculorum viuæ vocis à Sede Apostolica Regularibus concessorum, priuilegia Regularibus concessa sine scriptura his temporibus inualida sunt, nisi aliquo modo postea per scripturam sint confirmata, iuxta dicta supra verbo *Oracula viuæ vocis*. Si tamen in futurum post prædictam reuocationem oraculorum viuæ vocis à Greg.XV. & SS.D.N.Vrbano factam, priuilegia aliqua viuæ vocis oraculo concedantur, valida erunt pro foro conscientiæ, iuxta dicta.

7 Quarto, priuilegia quæcunque Augustinianorum, & eorum, qui cum ipsis communicant in priuilegiis, siue facta in forma Breuis, siue per supplicationem cum sola Signatura *Placuit*, eamdem omnino habent efficaciam, etiam in iudicio, ac si plumbeo sigillo signata essent. Ita enim concessit eisdem Augustinianis Iulius II. *Bulla XXII.* in Bullario Rodriguez vbi sic dicitur. *Præterea, vt omnia firmissima sint, quæ vobis Apostolica Sedes elargita est, proprio,& motu,& scientia, atque de plenitudine potestatis, volumus, statuimus, decernimus, vt hæc nostra concessio, & quæcunque alia, vel tibi, vel tuo Ordini facta, siue per se, siue per communicationem, quam fecimus cum aliis Ordinibus, & Congregationibus, eamdem omnino vim atque efficaciam perpetuò habeant, tam in iudicio, quam extra iudicium, ac si plumbeo sigillo obsignatæ essent. Quod intelligi volumus, tam de his, quæ in forma Breuis, quam de his, quæ per supplicationes expeditæ sunt, in quibus placuit, vt sola signatura sufficeret. Quamobrem tam omnia præmissa, quam quæcunque alia fuerunt tuo ordini, vtcumque concessa, siue ipsa exemplaria, siue eorum transumpta ostendantur, Prælati alicuius, aut publici Notarij manu signata aut etiã Generalis ordinis sigillo firmata, eodem motu, scientia, & potestate decernimus, mandamusquè, eamdem omnino, & vim esse, & fidem adhiberi, ac si plumbi signum haberent.* Cassarub. *in Comp. Priuilegiorum Mendicantium verbo Priuilegia fratrum num.*18. *&* 19. Ioannes de Cruce *supra Dub.*2. *concl.*3. Addit idem Cassarubius *num.* 20. eamdem concessionem fecisse eisdem Augustinianis Leonem decimum.

8 Circa interpretationem priuilegij, præter dicta supra verbo *Leges Regularium à num.*31. alia quoque animaduertenda. Primò, quod quando in verbis ipsorum nulla est ambiguitas, vel dubietas, in illis non habet locum interpretatio. *leg. ille, aut ille ff. de legat.*3. Azor. *supra dicto lib.*5. *cap.*23. Tamburinus *dicta disp.*16. *quæsit.*5. Quando verò verba priuilegij sunt obscura, distinguendum est. Priuilegium enim fauorabile latè explicandum, & plenissimè interpretandum, quantum rationabiliter iudicatum fuerit, seruata verborum proprietate, vt habetur expressè in *l. beneficium ff. de constit. princip. & cap. quia circa de priuileg. & cap. dilecti de donation. & cap. olim de verb. significat.* Si verò priuilegium est odiosum, strictè explicandum est, seruata verborum proprietate. Princeps etenim in odiosis censetur solùm denotare voluisse quatenus per verba expressè declarauit. *leg. quod ausus ff. de emancip. liber.* Vnde si priuilegium est contra Ius commune, strictè interpretandum est, vt quam minimum Iuri communi deroget, vt colligitur ex *l. quoties Cod. de prec. Imper. offerend. l. siquando C. de inoffic. testam. cap.*1. *&* 2. *de fil. presbyt. cap. quod dilectio de consang. & affinit.* Et ratio est, quia priuilegium quod est contra Ius commune continet dispensationem Iuris communis, dispensatio autem est odiosa, & per consequens strictè explicanda. Glossa, & alij communiter in *dicto cap. olim de verborum significat.* Syluester *verbo Priuilegium quæst.*3. Nauarrus *in Manual. cap.* 12. *num.*79. Azor. *dict. cap.*23. *quæst.*2. Suarez *de legib. lib.*8. *cap.*27. *num.*5. Bonacina *dict. qu.*3. *punct.*7. §.1. *num.*4. 5. *&* 8. Naldus *in Summ. verbo priuilegium num.*1. Portellus *in Dub. Regular. verbo priuilegij extensio num.*44. & alij. Similiter, si priuilegium in alterius præiudicium cedat, strictè etiam est interpretandum, vt colligitur ex *leg.*2. *§. merito. ff. ne quid in loco publico.* Tum quia Princeps non censetur velle alterum priuare iure suo, aut alteri damnum inferre, nisi quatenus verbis expressit. Tum quia in priuilegio semper subintelligitur clausula *Saluâ iustitia*, vt docet Ioan. Andr. quem citat Panormitan. *in cap. certificari num.* 9. *de sepultur.* Salas *de legibus disp.*17. *sect.*8. Bonacina *supra num.*13. Naldus *supra.* Tamburinus *dict. quæsito* 5. Idem dicendum de priuilegio, quod præbet occasionem peccandi, seu scandali, quale esset, si alicui Religioso concederetur aliquid contra Regularem obseruantiam, vel quietem Religionis, *argument. cap. quod dilectio de consanguinitat. & affinitat. in fin.* Non enim præsumendum est Principem, multò minus Papam velle alicui concedere gratiam contrariam reformationi, aut quieti Religionum, Naldus *supra*. Bonacina *sup. n.*11. Layman *sup. n.*6. Non est tamen ita strictè interpretandum priuilegium, vt nihil operetur, sed debet intelligi, vt aliquid conducat, &, vt potius valeat quam pereat. Nam iusta Principis voluntas nunquam frustrari, aut inefficax reddi debet. *cap. in his de priuileg.* Tamburinus *supra* referens Syluest. Nauarr. Azor. Suarez, & Salas.

Specialiter tamen quoad Regulares spectat animaduertendum, esse casus aliquos, in quibus priuilegium quantumuis contrarium Iuri communi latè explicari debeat. Primum est, si datum sit in fauorem causæ publicæ, piæ, & religiosæ, qualis est causa Religionum. Qua de re Syluester *dict. quæst.*3. Tiraquellus *de priuilegiis piæ causæ priuileg.* 162. Suarez *cap.*27. *n.*7. vbi ait: *Priuilegium exemptionis Clericorum à Iurisdictione Principum temporalium, vel Religiosorum à iurisdictione Ordinariorũ amplè interpretandum esse in Religionis fauorem. Summa enim ratio est, quæ pro Religione facit, vt dicitur in l. sunt personæ ff. de Religios. & sumpt. fun.* Accedit quòd eiusmodi priuilegia non vni personæ, sed toti Communitati in perpetuum concessa æquentur legibus publico Iuris corpori insertis, quæ latam interpretationem habent, sicuti notauit Sanchez *de Matrimon. lib.*8. *disput.*1. Henriquez *lib.*7. *cap.*22. *n.*3. Coninch. 3 *p. tom.*2. *disput.*33. *dub.*2. *num.*16. Layman. *supra n.* 5. Secundus est, quoties priuilegium ex vna parte derogans Iuri communi, ex alia censetur esse necessarium communi bono Reipublicæ. Nam tunc potest hæc ratio illi præponderare, & ea ratione priuilegium ampliari contra commune Ius. Et sic solent ampliari priuilegia militum, & similia. Quod etiam procedit in priuilegiis Religiosorum. Ratio autem clara est, quia cum hæc priuilegia habeant mistionem odij, & fauoris respectu diuersorum, necesse est, vt in effectu fauoris, vel odij illud vincat, quod secũdum rectã prudentiam maioris ponderis fuerit. Item quia prudenter coniectamus hanc fuisse tunc mentem Principis 9

concedentis priuilegium: in qua coniectura ferè tota hæc interpretatio priuilegiorum nititur. Suarez *supra num.*7. Tertius est, quando priuilegium est concessum motu proprio, nam tunc, etiam si sit contra Ius commune, ampliatur, & in ordine ad interpretationem censetur simpliciter fauorabile, iuxta *cap. si motu proprio de præben. in* 6. & tradunt Iuristæ. Abb. cum Ioann. Andr. *in cap. cum in cunctis* §. *cum verò de elect. num.*8. Felyn. *in cap. ex parte de rescript. num.*13. *limitat.*6. Alex. de Neuo *in cap. Quocirca de consanguinitat. & affinitat. num.* 10. Rebuf. *in concordat. tit. forma mandati verb. motu proprio.* Anton. Gabr. *l.* 10. *conclus.*2. *num.*61. & sequentibus, vbi plures refert. Ratio verò est, quia hæc extensio videtur pertinere ad fauorem, & honorem ipsius Principis. Nam quod motu proprio concedit, censetur proprium beneficium eius, & ex certa scientia fieri, vt in dubio extendatur potiùs, quam restringatur. Suarez *suprà num.*8. Portellus *suprà num.*45. Layman. *supra.* Quartus est, in priuilegiis, quæ in Iure communi continentur, nam illa iam non censentur ius priuatum, sed commune, & ideo per regulas Iuris communis iudicanda sunt. Suarez *supra.*

10 Quoad hoc etiam priuilegia aliqua Regularibus concessa sunt, ex quibus habetur, quòd priuilegia dubia ipsorum, dubietate orta ex ambiguitate verborum, & ex Iuristarum interpretatione, in fauorem Regularium sint intelligenda. Ita enim concessit Camaldulensibus Leo X. & Iulius II. Congregationi Montis Oliueti, vt habetur *in Compendio Societatis verbo priuilegia* §.4. & Alexand. VI. Benedictinis Cassinensibus vt habetur *in istorum Compendio concessione* 49. Ioannes de Cruce *supra cap.*2. *concl.*3. §.1. *regula.* Tamburinus *supra quæsit.*6. *num.*4. dicens idem concessisse Iulium II. Cougregationi Vallis vmbrosæ.

11 Circa eum verò, ad quem spectat priuilegia interpretari nota, quòd licet interpretatio priuilegiorum Sedis Apostolicæ spectet ad eum, quia illa concessit, scilicet Papam. *cap. cum venissent de iudic. & cap. inter alia de sentent. excommunicat. & leg. si imperialis maiestat. l. leges Sacratissimæ Cod. de legibus. l. non ambigitur ff. eodem*, Syluester *supra quæst.*3. Barbosa *in dict. capitulo cum venissent.* Tamburinus *supra numero primo.* Hoc tamen intelligendum est de interpretatione iudiciali, quæ de iure ad solum Summum Pontificem spectat, de qua principali, & iuridica interpretatione iudiciali intelligi debent (iuxta dicta *tom.*1. *cap.*18. *num.*76.) verba apposita in constitutionibus Summorum Pontificum, quando dicitur, quòd *Nemini liceat ipsas aliter interpretari*, vel quòd sit sublata potestas aliter definiendi, interpretandi, & determinandi; non autem de interpretatione, & declaratione doctrinali, & magistrali, quæ bene fieri potest à Prælatis Religionum, iuxta ibidem dicta. Interpretationi autem huiusmodi ab ipsis factæ possunt eorum subditi tuta conscientia stare, iuxta dicta etiam eo *cap.* 18. *num.*56. Rodriguez *tom.*1. *quæst. Regul. qu.*11. *artic.*1. Miranda *in Manuali Prælator. tom.*2. *qu.*44. *art.*2. Ioannes de Cruce *suprà cap*, 2. *dub.*1. *conclus.*2. *& dub.*2. *concl.*2. Peyrin. *tom.*1. *priuilegiorum Minimorum in Constitut.*13. *Iulij II.* §.1. *num.*1. Tamburinus *suprà dict. quæsit.*6.

12 Extant etiam plura priuilegia Regularibus concessa, quibus prohibetur interpretatio (intellige iuridica) priuilegiorum Religionum Archiepiscopis, Episcopis, aut aliis Ecclesiarũ Prælatis. Ita enim concessit Clem. IV. Prædicatoribus, & Minoribus. Casarub. *in Compend. Priuilegiorum Mendicantium verbo priuilegia fratrum num.*5. Et Paulus III. Iesuitis. Sanchez *tom.*2. *Consiliorum moralium lib.*6. *cap.*9. *dub.*1. *num.*34. Vide alia apud Henriquez *lib.*7. *de Indulgentiis cap.*25. *num.*6. & Rodriguez *suprà.* Extat priuilegium Iulij II. concessum Thomæ de Vio Caietano Generali Prædicat. apud Peyr. relatum, in quo ipsi concedit facultatem declarandi priuilegia à Sede Apost. eidem Ordini concessa, & concedenda, *quoad serenitatem conscientiarum subditorum dumtaxat*, inquit Pontifex. Quod priuilegium Peyrinis, & Tamburinus relati intelligunt de facultate interpretandi etiam iuridicè, & non tantùm de facultate interpretandi doctrinaliter, cum ad hanc non requiratur auctoritas Apostolica. Supponere etiam videntur, hoc priuilegium, etsi solùm dicto Thomæ Caietano sit concessum, extendi etiam ad alios Generales eiusdem Ordinis, ac per consequens etiam aliorum Ordinum habentium communicationem cum Ordine Prædicatorum.

Qualiter etiam possint Prælati Regulares non solùm interpretari, sed etiam limitare, restringere, imò etiam tollere suis subditis vsum quorumcumque priuilegiorum, etiam à Sede Apostolica emanantium, ita vt nequeant talibus priuilegiis vti, dixi *tom.*1. *cap.*18. *num.*56. Tum ex concessione Leonis X. facta Minoribus, & Augustinianis, & Clementis IV. Cisterciensibus, & Gregorij XIII. Societatis Iesu. Tum etiam ex ratione, quia nullo modo credendum est velle Summos Pontifices regularis obseruantiæ maximos Zelatores, vt fratres priuilegiis eorumdem Ordinibus concessi, vti possint contra voluntatem suorum Superiorum. De quo, præter authores, ibi relatos, vide etiam Rodriguez *tom.*1. *quæst. Regularium quæst.*9. *art.*2. & Tamburin. *suprà quæsit.*9. 13

Cessant primò priuilegia Regularium si fuerint conditionata, cessante conditione: nam mens concedentis illa solùm fuit dependenter ab illa conditione. Suarez *suprà cap.*29. *num.*5. Portellus *supra verbo Cessatio priuilegij num.* 49. Layman. *supra num.*17. Cessant secundò, si concessa fuerint pro tempore determinato, elapso illo tempore. Suarez *suprà num.*4. Portellus, & Layman. *suprà.* Cessant tertiò, cessante causa totali, propter quam concessa sunt, vt si Monasterio concessa fuerit exemptio à soluendis Decimis propter illius constructionem, cessat tale priuilegium quando iam plenè constructum fuerit. *cap. cum cessante de appellat.* vbi dicitur, quòd *cessante causa cessat effectus.* Layman. *suprà.* Tamburinus *suprà quæsit.* 10. *num.*3. Nota autem pro Regularibus hunc modum desitionis priuilegij non habere locum in priuilegio, quod non derogat Iuri, siue communi, siue alterius tertij, sed est mera gratia, & beneficium Principis. Quia, vt tale priuilegium ritè, & licitè concedatur, vel non requirit causam, (vt aliqui volunt) vel licet illam requirat, vt honestè, & prudenter concedatur, postquam semel facta est concessio, iam non ampliùs requiritur talis causa, quia solùm fuit necessaria respectu voluntatis Principis, vt honestè moueretur, & ideo beneficium permanet, etiam si causa cessauerit. Decet enim beneficium Principis esse mansurum, vt in Regula Iuris dicitur. Quod maximè locum habet in beneficio mero, & fauorabili, quod sine conditione, & absolute fit. Sicut eleemosyna facta pauperi rata manet, etiam si desinat esse pauper; & donatio facta amico semper durat, etiam si amicitia cesset. Suarez *suprà cap.* 30. *per totum*, vbi multa. Cessant quartò, quando important gratiam faciendam, morte concedentis, si res sit integra 14

tegra, & non sit inchoata executio priuilegij, iuxta dicta *suprà verbo Gratia pro Regularibus num.*7. Vbi etiam *num.*8. quòd secus dicendum sit de priuilegiis, quæ continent gratiam factam. De quo, præter Auctores ibi relatos, Ioannes de Cruce *suprà cap.*3. *de Cessatione priuilegij dubio primo conclusione* 3. An autem cessent morte concedentis, gratiæ, seu priuilegia concessa ad beneplacitum, arbitrium, seu voluntatem concedentis, Sedis, Officij, Dignitatis &c. dixi eo loco *num.*9. Cessant quintò, per renunciationem ipsorum; quilibet enim potest priuilegio, & fauori suo renunciare: *capit. si terra, & capit. accedentibus de priuileg. capit. ad Apostolic. de Regularibus leg. si quis in conscribendo Cod. de pact.* DD. ibidem. Syluester *in Summa verbo priuilegium quæst.* 10. *dist.* 8. Suarez *supra cap.* 33. Bonacina *dicta quæst.* 3. *puncto* 8. §. 4. apud quos alia. Nota autem quoad Regulares id præcipuè esse verum in priuilegiis priuatis personis concessis: priuilegia namque Communitati Religiosorum concessa renunciari non possunt à particularibus Religiosis, quia renunciatio est abdicatio illius, quod cuique proprium est, at priuilegium totius ordinis non est proprium vnius Monachi, neque vnius prouinciæ, & proinde illi renunciare non possunt. Portellus *supra verbo priuileg. cessatio num.*52. ex Rodriguez, Ioannes de Cruce *suprà cap.*3. *dub.* 2. *conclus.*5. ex Syluestro, & Armilla. Addit Portellus, posse Capitulum generale renunciare priuilegiis sui Ordinis. Cui fauet *capitulum si terra* relatum, vbi id videtur haberi. Verumtamen satis probabile est, nec Capitulum generale posse renunciare priuilegiis suæ Religioni concessis, nisi illa non sint ipsi vtilia, aut sint indifferentia, iuxta *cap. cum accessissent de constit. cap. pro illorum de præbend.* Et ratio esse potest, quia renunciatio priuilegiorum videtur quædam alienatio bonorum, quæ prohibita est Regularibus, iuxta dicta *tom.*1. *p.*1. *c.*10. *& p.*2. *cap.*19. *à num* 54. *& supra verbo Alienare, seu alienatio.* Priuilegia enim sunt quædam bona Religionis. Cessant sexto, quotiescumque subreptitiè, vel obreptitiè impetrata sunt. De quo, præter dicta supra verbo *Leges Regularium num.* 4. agit Miranda 2. *tom. Man. Prælator. quæst.* 43. *artic.* 2. *conclus.* 1. An autem perdant Religiosi non viuendo Regulariter sua priuilegia, habet ibidem Miranda *supra art* 3.

15 Cessant septimò, & præcipuè, priuilegia Regularium per non vsum ipsorum. Ita enim supponunt Doctores *in cap. cum accessissent de constit. & in leg. falso Cod. de diuers. rescript. & in leg. prima ff. de nundin.* Pro quo nota primò, aliud esse non vsum priuilegij, aliud contrarium vsum priuilegij. Non vsus priuilegij est omissio priuilegij affirmatiui concedentis talem vsum, seu, quod idem est, solùm opponitur priuilegio affirmatiuo concedenti aliquem vsum, quale est verbi gratia priuilegium comedendi carnes die prohibitio, vel audiendi diuina in loco interdicto, aut eligendi Confessorem, &c. Contrarius vsus priuilegij opponitur negationi, seu omissioni concessæ per priuilegium, seu quod idem est, opponitur solùm priuilegio negatiuo, quod scilicet dat facultatem non faciendi aliquid, videlicet non soluendi Decimas, non accedendi ad processiones, &c. Suarez *supra cap.*34. *num.*3. & *cap.*35. *num.*1. Bonacina *supra punct.*8. §. 5. *& 6.* Portellus *supra num.*56. Modò ergo solùm loquimur de non vsu priuilegij, dicturi postea de vsu contrario priuilegij. Nota etiam secundò, quòd cum dicimus priuilegia Regularium amitti per non vsum, intelligendum solùm id est de priuilegiis, quibus conceditur facultas ad aliquid faciendum, quod in aliorum grauamen cedit, vt est priuilegium imponendi tributum, vel exigendi Decimas, &c. non autem de priuilegiis, quæ concedunt facultatem aliquid faciendi, quod non cedit in aliorum grauamen; qualia sunt ea, quæ adduxi, & similia etiam si talis non vsus per longissimum tempus duret. Ratio primæ partis est, quia ex non vsu priuilegiorum primo modo potest nasci præscriptio ex parte illorum, in quorum præiudicium cedunt, ac per consequens ratione talis præscriptionis cessabũt dicta priuilegia. Ratio verò secundæ partis est, quia nullo iure habetur huiusmodi priuilegia per non vsum quantumuis longissimum amitti. Non enim amittuntur via præscriptionis, cum nemo sit qui contra huiusmodi priuilegia non onerosa præscribere possit. Neque via tacitæ renunciationis, quia quisque liberam facultatem habet priuilegio vtendi, vel etiam non vtendi. Hanc enim regulam tradit Abbas *in capitulo Ioannes de Clerico coniug. in fine.* Cum lex non necessitat ad agendum, sed solùm dat facultatem ad agendum, non tollitur per non vsum. Eadem verò ratio est de priuilegio, quod etiam liberum vsum habet. Suarez *dicto cap.* 34. *num.*16. *&* 17. Bonacina *dicto* §. 5. Layman. *dicto cap* 23. *num* 21. & 22. Tamburinus *supra quæsit.* 14. Apud quos alia, quæ, quia parum spectant ad Regulares, omitto. Illud tamen tertiò pro eisdem animaduertendum, quòd cum per non vsum priuilegij affirmatiui, per quod conceditur facultas faciendi aliquid in aliorum damnum vergens, cesset, eò quòd sit indicium renunciationis illius, vt communiter supponunt Doctores; ideo ad hoc quod per talem non vsum cesset priuilegium requiruntur tria. Primò, vt oblata fuerit occasio vtendi illo, & non sit factum: quod vocari solet non vsus priuatiuus, ad differentiam non vsus negatiui; qui tunc contingit quando quis non vsus est priuilegio, quia non est data occasio, seu opportunitas eo vtendi. Secundò, vt detur scientia talis priuilegij. Tertiò, vt detur potentia tunc faciendi: idest, quòd non detur tunc impedimentum. Si enim hæ tres conditiones non concurrant, talis non vsus non dicetur voluntarius, ac proinde non poterit esse indicium renunciationis, quæ debet esse voluntaria. Declaratur hoc exemplo. Habet aliquis Conuentus priuilegium exigendi Decimas ab aliquo populo in aliqua occasione v. g. tempore belli: non occurrit talis occasio per longissimum tempus, vel non adest scientia talis priuilegij, vel est aliquod impedimentum ad illius executionem, tunc, etiam si longissimum tempus pertranseat, non cessat priuilegium. Corduba *in annotationibus ad Compend. priuilegior. Mendican. verbo Absolutio quoad sæculares primo quoad* §. 19. Suarez *suprà num.*3. *&* 4. Portellus *suprà n.*57. Naldus *suprà num.*6. *&* 9. Bonacina *suprà num.*5. Tamburinus *suprà.* Ioannes de Cruce *dicto l.*2. *c.*3. *dub.*2. *conclus.*4. Peyrinis *tom.*1. *priuileg. Minimor. in Constit.*15. *Iulij II. num.*1. Archangelus Romanus *suprà lib.*2. *cap.*14. Quarto etiam animaduertendum, quòd adhuc positis dictis conditionibus, ad hoc quòd currat præscriptio non vsus priuilegiorum Religionis, requiritur illud temporis spatium, quod ad præscriptionem bonorum Religionis: cum priuilegia etiam sint quædam bona ipsius. Cum ergo licet ad præscriptionem priuilegij concessi priuatæ personæ requiratur decennium, vt ex Barth. *in l. falso. Cod. de diuers. rescript. & in l.*1. *ff. de nundinis*, & aliis DD. communiter tradunt

Suarez *ſupra num.*17. Naldus *ſupra num.*9. & Ioannes de la Cruce *ſupra concluſ.* 3. & ad præſcriptionem cõtra Eccleſias, ſeu Monaſteria requiratur tempus 30. vel 40. potius annorum. *cap. accedentibus de priuilegiis, cap. de quarta, & cap. illud de præſcriptionibus.* (Suarez *ſupra num.*20. & Salas *de legibus diſp.*17. *ſectio.*13. *num.*64.) ideo ad præſcriptionem per non vſum contra religionum priuilegia requiritur idem tempus. Corduba, & Peyrinis *ſupra.* Portellus etiam *ſuprà num.*58. Sunt etiam aliquæ Religiones, in quibus, & aliis, quæ potiuntur per communicationem ipſarum priuilegiis, non currit dicta præſcriptio, ac per conſequens per non vſum priuilegiorum non perdunt illa, niſi per ſpatium ſexaginta annorum. Ita enim conceſſit Eugenius IV. Benedictinis in Bulla. *Etſi ex debito* in Bullario Rodriguez *tom.* 1. in eodem Eugenio Bulla 7. Refert etiam Tamburinus *dicto quæſito* 4. hoc idem priuilegium extenſum fuiſſe à Iulio II. ad Congregationem Vallis Vmbroſæ. Idem etiam Eugenius IV. in alia Bulla *ex Apoſtolica* conceſſit Benedictinis Monaſterij S. Pauli extra muros Vrbis apud eumdem Rodriguez dicto primo tomo Bullarij *in eodem Eugenio num.*17. quòd contra bona prædict. Monaſterij non currat præſcriptio niſi per ſpatium centum annorum. Quod priuilegium, licet ſpecialiter conceſſum ſit dicto Monaſterio, eo quòd illud ſit ſpeciale membrum Apoſtolicæ Sedis, & propria Romani Pontificis Sedes, vt inquit Pontifex in ea Bulla, nihilominus ad alias Religiones habentes communicationem cum Benedictinis extenſum eſſe, tenent Rodriguez *to.*3. *qu. Regularium qu.*35. *art.*2. Ioan. de Cruce *ſuprà concl.*2. Portellus, & Tamburinus *ſupra,* & alij.

16 Octauò etiam, & præcipuè, amitti priuilegia Regularium per contrarium vſum, colligitur, tum ex eo quòd per talem contrarium vſum præſumuntur renunciare dictis priuilegiis, tum ex *cap. cum acceſſiſſent de conſtitut. cap. accedentibus de priuilegiis,* & aliis iuribus. Tum quia lex ceſſat per actus contrarios, ergo etiam ceſſare videtur priuilegium. Syluest. *ſuprà quæſt.*10 *dicto* 3. & 10. Suarez *ſupra cap.*35. *num.*2. Bonacina *ſupra* §.6. *num.*2. ex aliis. Nota tamen primò, id eſſe intelligendum de priuilegiis negatiuis, illis enim ſolùm opponitur vſus contrarius, iuxta dicta ſupra. Bonacina *ſupra num.*1. Deinde ſecundò de priuilegiis, quæ aliis ſunt oneroſa, v. g. exemptionis à Decimis, à iuriſdictione ordinarij, &c. Alia enim nulli præiudicantia, v.g. priuilegium non ieiunandi per actum contrarium non tollitur. Layman *ſuprà num.*23. Tertiò, ad id etiam requiri ſcientiam, ſeu notitiam priuilegij: nam ſine illa non contingit renunciatio voluntaria priuilegij, ratione cuius hic vſus contrarius eſt cauſa amiſſionis illius, Bonacina *dict. num.*2. ex Salas, Suarez, & aliis. Quartò, quòd ſi priuilegiatus actum cõtrarium exercens non habuit animum priuilegium ſimpliciter renunciandi, ſed ſolùm quoad illum actum, in conſcientiæ foro priuilegium non amittit. Imò neque in externo foro amittere debet, ſi conſtet, vel ex indiciis colligi poſſit, animum ſimpliciter renunciandi defuiſſe. Niſi inſuper etiam legitimæ præſcriptionis tempus cum priuilegiati taciturnitate decurrerit. Suarez *ſuprà num.*25. Layman. *ſuprà num.*23. §. *Cæterum.* Si verò priuilegiatus fecit contra priuilegium intentione non renunciandi, intentionem autem ſuam nequeat in foro externo probare, tenetur ratione ſcandali vitandi ſe gerere, ac ſi re ipſa renunciaſſet. Præciſo verò ſcandalo, non tenetur, ſed põteſt ſibi conſulere; quia ſententia materialiter iniuſta contra rei veritatem non obligat in conſcientia præciſo ſcandalo. Bonacina *ſuprà num.*5. ex Suarez. Optimum autem conſilium eſt, quòd ſi priuilegiarius aliquid, quod videtur contrarium priuilegio, facit, illud faciat præmiſſa proteſtatione non præiudicandi priuilegio. Talis namque proteſtatio excludit voluntatem renunciandi priuilegio, & oſtendit talem actum non eſſe formaliter priuilegio contrarium, cum priuilegiarius illum non faciat vti obligatus, ſeu animo ſubeundi obligationem, quæ per priuilegium ablata fuerat. Salas. *dicta ſect.*13. *num.*63. Tamburinus *dicto quæſit.*14. *num.*8. Nota quintò, quòd priuilegia conceſſa principaliter in fauorem Eccleſiæ, alteriuſue Communitatis, qualia ſunt regulariter priuilegia Religionum, non poſſunt tolli per renunciationem particularium perſonarum. Verbi gratia Prælati, Clerici, aut alicuius particularis. Abbas *in cap. cum acceſſiſſent, num.*1. *de conſtitut.* Layman. *ſupra.* Et ratio eſt, quia contrarius vſus, per quem tollitur priuilegium, debet eſſe illius cuius eſt priuilegium. Rodriguez *tom.* 1. *quæſtion.* 51. *articulo* 5. Suarez *ſupra num.* 6. Vnde colliges, quòd ſi Prior, vel Guardianus non obligatus ire ad proceſſiones, nihilominus vadit bis, & ſæpè, per hunc contrarium vſum non perditur priuilegium Ordinis, aut Conuentus. Ille enim contrarius vſus non eſt factus à Religione, & ſaltem ſucceſſor reclamans, reſtitutionem obtinebit antequam accreſcat præſcriptio contra illud Monaſterium. Portellus *ſupra num.*60. Suppono autem 6. priuilegia etiam amitti per viam præſcriptionis per vſum contrarium. Vnde de tali præſcriptione, & tempore ad illam requiſito philoſophandum eſt ſicut dixi ſupra de amiſſione priuilegiorum per non vſum. De quo etiam Suarez *ſupra num.*21.

Notanda etiam hic ſunt aliqua priuilegia Regularium, quibus ea, quæ dixi circa non amiſſionem priuilegiorum eorum per non vſum, vel vſum contrarium, magis elucidantur. Primò enim Nicolaus Quartus conceſſit Carthuſienſibus, vt poſſint vti priuilegiis eis conceſſis, etiam ſi propter ſimplicitatem, & Iuris ignorantiam vſi non fuiſſent illis retroactis temporibus, dummodò eis non ſit per præſcriptionem, vel aliàs legitimè derogatum, Caſſarubius *in Compend. Priuilegiorum fratrum poſt num.*32. Similiter Eugenius IV. in Bulla *Etſi quælibet* in Bullario Rodrig. in eodem Eugenio *Bull.*11. poſt plura priuilegia Benedictinis conceſſa hæc habet. *Adjicientes etiam quod ſi quandoque contigerit per aliquem, aut plures actus contra huiuſmodi, aut quæcunque alia priuilegia, indulta, gratias, immunitates, & ordinationes præfatæ Congregationi conceſſa, aut ipſorum aliquid, à quocunque cuiuſcunque conditionis, dignitatis, gradus, ſeu ſtatus exiſtat, ex negligentia, vel ignorantia præſentium, vel futurorum, quibus hæc conceduntur, aut alia quauis cauſa, propter quam fuerit aliter attentatum, vel pro tempore obſeruatum, ignoranter, vel ſcienter, nullum tamen præiudicium decretis, priuilegiis, indultis, gratiis, immunitatibus, ordinationibus huiuſmodi volumus generari: ſed in ſuo vigore, ac robore permanere.* Fere ſimilia, etſi non tam vniuerſaliter eiſdem Benedictinis conceſſit idem Eugenius in alia Bulla *Regularem vitam* apud eundem Rodriguez *ſuprà num.* 9. De quo etiam Naldus *ſuprà num.*9. Ioannes de Cruce *ſupra dub.*3. *concl.*2. Diana 3. *part. Tract.* 2. *Reſ.*88. & Tamburinus *ſuprà num.*11. 17

Nonò ſimiliter amitti priuilegia Regularium per abuſum illorum colligitur ex *cap. vbi diſtinct.*74. *cap. priuilegium quæſt.* 3. *cap. licet de Regularibus, cap.* 18

vt

vt priuilegia de priuileg. cap. contingit 2. de sentent. excommunicat. c. p. 1. & 7. de postulat. præbend. & cap. recolentes de statu Monachor. Suarez dicto lib. 8. cap. 36. num. 1. Salas disputat. 17. sectio. 13. & alij. Hic autem abusus multipliciter contingere potest, primò, vtendo priuilegio concesso vltra limites priuilegij, vt si quis vtatur priuilegio cessante causa priuilegij, aut eo loco, vel tempore, vel circa personam, vel circa res, quibus priuilegium non est concessum. Secundò, faciendo aliquid iniquum spe, vel occasione, seu licentia arrepta à priuilegio: vt si liberiùs delinquat spe impunitatis concepta occasione priuilegij. Tertiò, faciendo contra finem priuilegij, vt si Canonicus dum abest causa studiorum prætextu priuilegij, neglecto studio, inutiliter tempus conterat, vanisque occupationibus detineatur: vel quod idem est, & magis ad intentum nostrum, si Monasterium habens ius percipiendi Decimas ratione cultus diuini conseruandi, illas expenderet in vanos vsus. Suarez supra num. 3. Bonacina §. 7. num. 4. Tamburin. supra num. 12. & 13. Licet autem regulariter loquendo priuilegia dicantur amitti per abusum, quatenus scilicet mereantur illis priuari, qui ipsis abutuntur, provt colligitur ex iuribus relatis specialiter ex dicto cap. vbi, in quo Simplicius Papa dicit *priuilegium meretur amittere, qui concessa sibi abutitur potestate*, aliquando tamen amittuntur ipso facto, tum ex Iuris dispositione, quo pacto verb. grat. in cap. vltim. de immunitate Eccles. statuitur, eos, qui in Ecclesia, vel Cœmeterio delinquunt, Ecclesiastica immunitate non gaudere. Tum ex natura ipsorum priuilegiorum, vt si in illis dicatur quod qui ipsi abusus fuerit ipsa perdat. De quo Suarez dicto cap. 36. Bonacina dicto §. 7. Layman. supra num. 14. An autem quando ipso facto ammittuntur adhuc requiratur sententia declaratoria, saltem criminis, seu abusus, collige ex dictis supra verb. Pœna Ecclesiastica n. 8. ex Authoribus relatis.

19 Maximè decimò, amitti priuilegia Regularium per reuocationem ipsorum, communis sententia Doctorum est leg. Iudicium ff. de iudiciis. Syluester dicto verbo priuilegium q. 10. dicto 7. Ioannes de Cruce supra dub. 4. conclus. 1. Duobus autem modis reuocari possunt: primò, expresè. Tunc autem expresè reuocantur, cum per verba expressa, & clara, v. g. *Reuocamus, annullamus*, vel aliis similibus, id fit. Hæc autem reuocatio expressa potest esse, vel specialis, vel generalis, specialis est quando per eam reuocatur aliquod priuilegium speciale in particulari, generalis verò erit, cum non specificatur aliquod priuilegium speciale, quod reuocetur: sed in genere, & in communi dicitur reuocari omnia priuilegia & indulta in contrarium, provt faciunt Summi Pontifices per hæc verba. *Non obstantibus quibuscumque priuilegiis, &c.* Suarez supra c. 38. n. 1. Bonacina d. q. 3. punct. 8. §. 3. num. 11. Portellus supra verbo priuilegij cessatio per renunciationem num. 66. Reuocatio tacita priuilegij est illa, quæ non fit expressis verbis, sed per actum contrarium omnino priuilegio factum à concedente; per quem actum priuilegium subsistere non possit. Vt si concedens Religiosis exemptionem à tributis iuberet postea ab illis exigi ipsa. Tunc enim per hunc actum contrarium claré innuit se tollere priuilegium, cum voluntas alicuius non solum verbis, sed etiam factis demonstretur. Portelius supra num. 86. Bonacina supra num. 14. ex Felino, Suarez, Salas, & aliis. Requiritur tamen, vt concedens, reuocans priuilegium habeat notitiam illius, alias non censebitur illud tollere, vt de se patet, & supponunt dicti Authores, & Layman. supr. n. 27. Circa quæ, quia maximè necessaria Regularibus, aliqua animaduertenda.

Et primò, quidem generaliter loquendo circa reuocationem priuilegiorum nota primò, priuilegia concessa Regularibus reuocari non posse nisi ab iis, qui ipsorum Regularium Superiores fuerint. Quod dixerim propter priuilegia ab Imperatore, Regibus, vel Principibus concessa eisdem Regularibus. Ea enim postquam ab ipsis acceptata fuerint, reuocari ab illis non possunt, quia postquam acceptata sunt transeunt in contractum, quo ius adquiritur ad illa. Suarez supra cap. 37. n. 2. Diana part. 3. tract. 1. resol. 57. §. non tamen & part. 5. tract. 1. resolut. 14. §. sed hæc doctrina. Layman. supra num. 25. §. dixi autem. Limitant tamen id aliqui, nisi tanta rerum mutatio superueniret, vt priuilegium censeatur grauiter perniciosum Reipublicæ. Suarez supr. n. 3. Bonacina supra n. 4. ex aliis. Secundò nota, nec à Superioribus Regularium, qui ipsis priuilegia concesserunt, reuocari posse, nisi non solùm illa, quæ gratiosè data sunt. Quæ enim etiam subditis data sunt per contractum onerosum, seu lucratiuum, vel in præmium, seu remunerationem meritorum, aut cum adiuncto onere, reuocari non possunt. Quia hæc obligatio nascitur ex naturali iustitia, quæ etiam obligat Superiores respectu suorum inferiorum. Suarez supr. n. 5. & 6. Salas supr. disput. 17. sect. 4. Bonacina supr. n. 2. ex his, & aliis DD. Intellige tamen, nisi adsit grauis causa ad bonum publicum spectans, & tunc cum aliqua compensatione iuris ablati. Layman. sup. ex aliis DD. Consonantque, quæ supra verbo *Bulla Cœnæ* n. 61. & verbo *Bulla Cruciatæ* n. 22. & verbo *Iubilæum* num. 5. ex aliis dixi. Quæ maximè animaduertenda sunt pro priuilegiis Regularibus concessis, ea enim, magna saltem ex parte, illis concessa sunt in præmium laborũ, quos passi sunt, & quotidie patiuntur pro Sanctæ Romanæ Ecclesiæ defensione, & augumento, ac animarum salute, provt, & ipsi Summi Pontifices, qui talia priuilegia concesserunt, sæpius testantur. Peyrinis tom. 1. Priuilegiorum Minimor. in Constitut. 26. Leonis X. nu. 2. & 3. tom. cap. 4. in Additamentis ad Constitutiones eiusdem Leonis num. 24. Tertiò nota, quòd, vt reuocatio priuilegij facta per legem habeat suum effectum, requiritur publicatio reuocationis. Sicut enim lex non obligat ante publicationem, ita reuocatio priuilegij facta per legem non habet suum effectum antequam publicetur. Suarez supr. c. 40. n. 1. Bonacina supr. n. 20. Imò etiam requiritur quòd talis reuocatio quantumuis facta in Curia peruenire possit ad notitiam priuilegiatorum. Ita enim videtur necessarium ad conuenientem ordinem gubernij, & ad vitanda plura incommoda, quæ sequi possunt. Suarez supr. n. 3. Portellus supr. n. 1. Non tamen opus est, vt talis lex priuilegiatis singulis innotescat: satis enim est si legitima promulgatio facta sit, ita vt in publicam notitiam deuenire possit; quod contingit regulariter post duos menses extra Curiam. Tunc enim si aliqui adhuc ignorent, per accidens id censeri debet. Laym. supr. n. 28. post Salas, & alios. Nec etiã requiritur, quòd talis promulgatio reuocationis in singulis Diœcesibus fiat, provt tenent Sotus 1. de Iustit. q. 1. art. 4. & Medina 1. 2. q. 90. art. 4. post 5. conclusionem. Quia Ecclesiæ praxis est in contrarium, cum constet quotidie fieri leges Pontificias reuocantes priuilegia Religionum Romæ tantum promulgatas. Suarez supr. n. 2. Portellus supr. num. 40. Facta vero legitima publicatione, ita vt eius notitia ad Ordines, Communitates, vel Monasteria 20

priuilegia

priuilegiata peruenire possit, statim manet reuocatum priuilegium, ita vt acta per illud non valeant, etiam si ignoranter, aut sine culpa fiant. Quia leges communes non attendunt idquod est per accidens, qualis est dicta ignorantia; sed id quod est per se, & morale. Suarez *num.*4. Bonacina *num.*20. Excipe actus publicos factos cum errore communi, & titulo colorato, nam isti validi sunt, non in vi solius priuilegij, sed adminiculo iuris sustinentis similes actus factos titulo publicè reputato, ac tolerato, iuxta *l. Barbarius ff. de off. prat.* Ita DD. citati. Loquendo autem de reuocatione priuilegij facta ab homine non per legem, sed priuatim dicendum est, eam non habere effectum, nec irritare gesta per dictum priuilegium antequam priuilegiato specialiter intimetur, seu ad eius notitiam perueniat. Ratio colligitur ex differentia, quæ est inter reuocationem priuilegij factam per legem, & eam, quæ fit ab homine, & priuatim, nam reuocatio priuilegij facta per legem habet definitum modum, quo per se possit, ac debeat publicari, & diuulgari, vt in aliorum notitiam possit peruenire, illa scilicet, quam assignauimus, & ideo illa notitia publica per se sufficit, & particularis ignorantia, quæ per accidens est, non consideratur. At verò reuocatio ab homine, & priuata, non habet per se alium modum promulgationis, neque illum postulat, & ideo per se expectat singulorum intimationem. Syluester *in Summa verbo gratia quæst.*2. Armilla *quæst.*6. Corduba *in quæst. l.*4. *quæst.*36. *conclus.* 3. quæ refert, & sequitur Suarez *supra num.* 5. & 6. Vide priuilegium Gregorij XIII. concessum Iesuitis, vt scilicet nulla derogatio sub qualibet amplissima forma præiudicet priuilegiis dictæ Societatis concessis, si non fuerit intimata, & dictis Patribus insinuata, quod refert Diana *part.* 3. *tract.* 2. *resolut.* 68. iuxta praxim communem, solùm videtur intelligendum de reuocatione priuilegiorum non facta per legem, sed ab homine. Aliqui etiam DD. sustinent reuocationem priuilegij non operari suum effectum, nisi reuocatio per litteras, aut per nuncium ad hoc destinatum perueniat ad notitiam priuilegiarij, & consequenter ad reuocationem priuilegij non sufficere vt priuilegiarius alio modo cognoscat reuocationem, nisi forte reuocans velit quamcunque reuocationis notitiam sufficere. Prout ex Sanchez, Azor, & aliis sequitur Bonacina *d. num.*20. §. *dixi*. Quod tamen negat Suarez *supr. num.*7. Nota 4. quòd in casu dubio, priuilegium non præsumitur reuocatum, nisi de reuocatione constet, Sanctarellus *tomo* 1. *variar. resol. quæst.*16. *num.*11. Diana *part.* 4. *resol.*51. §. *notandum.*

21 Loquendo secundò de reuocatione generali priuilegiorum, quæ fit illis verbis. *Non obstantibus quibuscunque priuilegiis, &c.* vel similibus, dicendum est per illam reuocari generaliter omnia priuilegia regulariter loquendo, quia genus de se comprehendit species. Suarez *supr. cap.*38. *num.*1. Dico autem *regulariter*, primò, propter priuilegia in Iure contenta, quæ aliquid specialius requirunt. Nam eo ipso quòd in corpore iuris inseruntur, non tantum priuilegia, sed etiam leges publicæ censentur, & ideo non derogantur per generalem clausulam reuocatoriam priuilegiorũ, in posteriori Rescripto positam, nisi addatur etiam clausula derogatoria legum, seu Canonum. Suarez *suprà*. Layman. *supra num.* 26. Portellus *supra. num.*67. Ratio etiam huius est, quia cum correctio iuris vitanda, & non facilè præsumenda sit, ideo Ius generale posterius non tollit prius speciale, si ob specialem aliquam rationem exceptum videri possit. Layman. *supra* ex Nauarro & Rodriguez. Accedit quod Princeps inter omnia etiam specialia, quæ in corpore Iuris continentur, nosse creditur *capite* 1. *de constit. in* 6. Quare credendum est, si eiusmodi Ius speciale per generalem derogationem tollere vellet, eius specialem mentionem facturum. Sic Cistercienses Monachi ex *cap. cum Ordinem de rescript.* id Ius obtinent, vt nullo Rescripto Papali contra eorum priuilegia impetrato teneantur, nisi in eo specialis mentio Ordinis fiat. Layman. *supra*. Secundò dixi *Regulariter* propter priuilegia, quæ in suo tenore continent, vt reuocari non possint nisi fiat expressa eorum mentio de verbo ad verbum, vel aliquid simile. De quibus Cassarub. *in Compend. Priuileg. Mendicant. verbo priuilegia fratrum* §. *prima quæstio*. Miranda *supr. q.*45. *art.*6. Ioannes de Cruce *supr. dub.*4. *conclus.*2. Vbi ait ex Mandosso quòd priuilegia Regularium non reuocantur per generalem reuocationem omnium priuilegiorum. Quia cum ista ob merita concedantur non reuocantur, licet in reuocationibus verba generalia, & geminata ponantur. Talia autem priuilegia reuocata censentur, si in reuocatione contineatur hic modus loquendi: *Reuocamus priuilegia quamuis concessa sint sub hac forma, vt non censeantur reuocata, nisi illorum fiat expressa mentio, aut nisi recitentur de verbo ad verbum.* Imò etiam sufficienter reuocantur per hanc verborum formam. *Non obstante priuilegio sub quacunque forma concesso.* Et ratio clara est, quia non est cogendus Pontifex, vt de verbo ad verbum talia priuilegia referat, quæ fortasse scire non potest, neque est priuandus potestate reuocandi illa, quando oportuerit; ergo satis est, vt per alia verba generalia, quæ priora comprehendant, sufficienter explicet suam mentem. Syluester *verbo Priuilegium q.* 1c. *dicto* 6. Suarez *supra num.* 2. Bonacina *supra num.* 11. Naldus *supra num.*5. Tertiò dixi *Regulariter* propter priuilegia concessa per modum contractus, quæ non reuocantur per clausulam generalem etiam expressam, nisi saltem in genere reuocentur priuilegia, etiam si per modum contractus fuerint concessa. Quia cum talia priuilegia iure ordinario sint irreuocabilia, & necessaria sit grauis causa, vt iustè reuocentur, non præsumuntur reuocari, nisi prædicto saltem modo sufficienter exprimantur. Item, quia talis reuocatio est in præiudicium tertij in iure acquisito, & iustitiæ, tale autem præiudicium non præsumitur, nisi exprimatur, Suarez *supra num.*3. Bonacina *supra* ex Molina Azor. Salas, & aliis. Nota tamen Sanctissimum D. N. Vrbanum litteris datis sub 5. Nouembris 1631. occasione accepta quod multæ Religiones haberent priuilegia quòd in Constitutionibus generalibus à Sede Apostolica editis, vel edendis non comprehenderentur nisi de eis specialis, specifica, indiuidua seu expressa mentio fieret, declarauit, quòd Constitutiones Apostolicæ editæ in concernentibus fidem Catholicam, & S. Inquisitionis Officium; ac Constitutiones, dispositiones, & ordinationes edendæ tam per ipsum, quam per Romanos Pontifices successores tam circa prædictam materiam, quam super quacunque alia re, negotio, seu materia, comprehendat omnes Regulares quomodolibet priuilegiatos, nisi specialiter, & expressè excipiantur, etiam si ipsi forent magis speciali nota, & expressione digni, eisque priuilegia, gratiæ, & indulta à Sede Apostolica præfata etiam sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis Decretis

etiam

etiam motu, scientia, ac de potestatis plenitudine similibus, & consistorialiter, etiam contemplatione, vel ad instantiam Imperatoris, Regum, & aliorum Principum, tam per viam meræ concessionis, quàm communicationis, & aliàs quomodolibet concessa respectiuè sint. Vnde iam his temporibus cessant multa, quæ de priuilegiis Regularium habentibus similes clausulas scribunt Cassarubius, Corduba, Rodriguez, Miranda, Sorbus, Portellus, Ioannes de Cruce, & alij. An per Bullam Cœnæ reuocentur priuilegia Regularium, dixi *supra* verbo *Bulla Cœnæ numero* 54. An per Bullam Cruciatæ, etiam *supra* verbo *Bulla Cruciata à num.* 38.

22 Specialiter loquendo de reuocatione priuilegiorum Regularium in Regnis Hispaniarum commorantium, de qua dixi *tom.* 1. *cap.* 10. *num.* 26. factam fuisse à Sanctissimo D. N. Vrbano, & intimatam à Catholico Rege Prouincialibus religionum per litteras ad illos missas, cõstat ex dictis eo loco, per eam reuocata esse quæcunque priuilegia quibuscunque Religiosis quorũcunque Ordinum, tam per Sedem Apostolicã, quam per Nuncios dictorũ Regnorum, quam per illorum Superiores ex quacũque causa, ac sub quibuscũque verborum formis, & expressionibus quomodolibet concessa, per quæ iidem Religiosi ab eorum Prælatorũ obedientia eximuntur, & è Monasteriis, & Regularibus domibus ad eorum libitum, ac cum sociis sibi bene visis, & iam destinatis, etiam Superiorum suorum non petita licentia egrediuntur, absque eo quòd iidem Superiores tam huiusmodi ingressum, quam sæcularium personarum quibusuis horis ad eorum cellas accessum, atque ingressum impedire possint. Eas quoque, per quas de vno ad aliud Monasterium, seu Regularem domum, etiam ipsis Superioribus inuitis transeunt, nec Choro, & aliis spiritualibus exercitiis, minusque refectorio cum aliis intersint. Habetur hæc Constitutio non solùm loco relato eo *num.* 26. sed etiam apud Peyrinis *in* 3. *tom. priuilegiorum Minimorum cap.* 12. *Constit.* 15. *aliàs* 25. De ea etiam agit Portellus *in Responsionibus Moral. part.* 2. *casu* 31. Qui notant primò, quòd in illa solùm est sermo de Religiosis viris, non de fœminis, non solùm quia contextus verborum id requirere videtur, sed etiam quia cum illa sit odiosa, & in odiosis nomen masculinum non comprehendat fœminas, ideo ad illas non extenditur. Secundò, dictam Constitutionem non obligare extra Regna Hispaniarum, nec Religiosos extra illam existentes, etiam si subditi sint Regis Catholici, sed solùm commorantes in prædictis Regnis. Tertiò, non reuocari priuilegia, seu exemptiones concessa per Capitula Generalia, aut Prouincialia Lectoribus, studentibus, Magistris, vel similibus. Idem dico de exemptionibus concessis eisdem per Constitutiones, aut Statuta Religionum; quia, vt patet ex verbis ipsius Constitutionis, solùm reuocantur eæ exemptiones, quæ Religiosis conceduntur tam ab ipsorum Superioribus, quam à Sede Apostolica, & illius Nuntiis. Probabile etiam credo cum ipsis, non reuocari eas exemptiones, quæ conceduntur aliquibus Religiosis ex causa spectante ed bonum commune, qualis est occupatio publica. Verba enim illa *ex quacumque causa* solùm videntur intelligenda de causa priuata, seu priuati commodi, non de illa, quæ tangit bonum commune Religionis, vel Ecclesiæ. Audio etiam quendam Illustrissimum Dominum Nuntium Hispaniarum declarasse non reuocari per hanc Constitutionem priuilegia seu exemptiones concessas aliquibus Officiis, puta Regentibus, Procuratoribus, &c. quia solum videtur ibi reuocari exemptiones concessas personis.

Priuilegia autem Regularium quomodocunque deperdita de nouo reuiuiscunt non solùm quando de nouo conceduntur, vt per se patet, sed etiam quando confirmantur ex certa scientia, iuxta dicta *supra* verbo *Clausula n.* 29. Pro quo notandum, quod duobus modis solent confirmari priuilegia à Summis Pontificibus. Primò, in forma communi, idest in confusio sicut iacent, sine examine, & hæc dicitur confirmatio in forma communi. Secundo modo ex certa scientia, quando scilicet supponit Papa habere se notitiam clarã illorum, vt si antequam confirmet, ponit tenorem priuilegij, vel si in confirmatione dicat se confirmare. *Ex certa scientia*, vel si dicat: *Confirmo ex plenitudine potestatis.* Per hæc enim verba significat Papa se velle operari quidquid potest, videlicet supra Ius, & contra Ius. Quãdo ergo priuilegiũ confirmatur solùm in forma communi, talis confirmatio nullum ius nouum confert, neque dat valorem priuilegio, quod erat antea inualidum. Et ita non est concessio priuilegij, sed sola roboratio pro statu in quo erat, *c. quia diuersitatis de concessione præbend.* & aliis iuribus. Confirmatio autem ex certa scientia habet vim nouæ concessionis talis priuilegij, vel priuilegiorum. Ita Glossa *in d. c. quia diuersitatis, & in c.* 1. *de transact.* Et ratio redditur, quia talis confirmatio ex certa scientia habet vim cõfirmandi actum nullum, reddendo illum de inualido validum, seu de priuilegio nullo facere validum. Rodriguez *tom.* 1. *quæst. Regul. q.* 8. *art.* 2. & 3. Naldus *supr. n.* 14. Suarez *dicto lib.* 8. *cap.* 18. & 19. Portellus loco relato *de Dub. Regularium à num.* 26. Ioannes de Cruce *supra dub.* 2. *concl.* 6. Limita tamen, dummodo Papa confirmans ex certa scientia non ponat aliquam clausulam, per quam, dicat se nolle confirmare priuilegia, aliàs nulla; vt si v. g. dicat: *Quatenus sunt in vsu*, vel *Dummodo sub aliquibus reuocationibus comprehensa non sint*, aut *Non sint contraria Concilio Trident. &c.* Tunc enim non confirmantur talia priuilegia, ita vt de nouo concedantur. Suarez *d. cap.* 18. *num.* 16. & 17. Portellus *supr. n.* 29. Referens in sequentibus varias priuilegiorum Minorum confirmationes. Quomodo autem intelligi debeat clausula illa communis, quæ poni solet in confirmationibus priuilegiorum, scilicet *Quatenus sunt in vsu*, habes ex dictis *tom.* 1. *p.* 2. *c.* 15. *n.* 17. Et nota cum Peyrinis *tom.* 1. *de Subdito quæst.* 4. *cap.* 10. §. *vnico* quòd vt priuilegium aliquod dicatur esse in vsu, sufficit quòd sit in vsu apud doctiores, & peritiores. Similiter quomodo intelligenda illa clausula *Quatenus Concilij Trident. Decretis non aduersentur, &c.* dixi eo *c.* 15. *n.* 18. & *c.* 1 *eiusdem* 2. *part. n.* 58. De clausula *Et Sacris Canonibus, &c.* dixi *suprà* verbo *Clausula n.* 27. De clausula *Inuocato si opus fuerit auxilio brachij sæcularis*, ac de clausulis *motu proprio*, *Appellatione remota*, *Supplentes omnes defectus*, & similibus apponi solitis in confirmationibus priuilegiorum, dixi eo verbo *Clausula* per totum, & de illis agit Miranda post alios *d. tom.* 2. *q.* 45. fere per totam. 23

Circa communicationem Priuilegiorum Religionum inter se ipsas, quod attinet ad Mendicantes egi *tom.* 1. *part.* 2. *cap.* 1. *à num.* 52. Quod attinet vero ad alias Religiones, agunt Rodrig. *tom.* 1. *quæst. Regular. quæst.* 55. Miranda *supr. quæst.* 46. Ioannes de Cruce *supr lib.* 2. *cap. quarto.* Tamburin. *supr. disp.* 17. *quæsit.* 1. Archangelus Romanus *supr. lib.* 2. *cap.* 3. & *sequent.* Quamuis autem eo *n.* 52. dixerim Religiones communicare in priuilegiis, nihilominus secus dicendum dixi, de pœnis & censuris impositis 24

vni

vni Religioni; Illas scilicet non communicari aliis. An autem priuilegia vni domui, vel Conuentui concessa, alis domibus, vel monasteriis concessa existimari debeant, dixi etiam eo *num.* 52. De priuilegiis vni Religioso concessis an aliis communicentur, dixi *num.* 53. Quid verò dicendum, quando priuilegium vni Religioso concessum inutile esset, si aliis non communicetur, dixi, *num.* 54. priuilegiorum communicationem intelligendam esse respectiuè, ad Religionem cui communicantur, dixi *num.* 55. Quomodo hæc communicatio priuilegiorum non sit admittenda in illis, quæ repugnant obseruantiæ Religiosæ, dixi eo *num.* 56. Et per communicationem priuilegiorum fieri priuilegia, propria illius Religionis cui communicantur, ita vt per illa possit se defendere contra eam cui primo erant concessa, dixi eo loco *num.* 57. Vnde iuxta ibidem dicta, & supra verbo *Monasteria Regularium num.* 20. si aliqua Religio ex Mendicantibus velit fundare Monasterium circa Monasterium alterius Religionis ex eisdem Mendicantibus, potest hæc Religio defendere se contra illam priuilegio concesso à Summis Pontificibus de non fundando Monasterio alterius Ordinis iuxta Monasterium ipsius intra spatium tot cannarum, etiam si casus esset quòd illud priuilegium primò concessum esset illi alteri Religioni, & sibi solum per communicationem. Quare regula illa quòd priuilegiatus non potest vti suo priuilegio contra pariter priuilegiatum, quæ elicitur ex §. *sed hac præsenti Authent. de Sanctis Episcopis, l. verum §. vlt. cum l sequent. ff. de minor.* præter alios casus, in quibus locum non habet, vnus etiam est, quando priuilegiatus agit de damno vitando, tunc enim vtitur suo priuilegio contra æquè priuilegiatum agente de lucro captando, prout contingit in præsenti. Naldus *supr. n.* 13. ex Deciano, & Rotæ decisione. Vide Rodriguez *tom.* 1. *Quæstionum Regularium quæst.* 55. *art.* 21. & maximè *quæst.* 9. *art.* 11. & Portellus *in Dub. Regularium verbo Priuilegij communicatio num.* 24. & 25. ex eodem Rodrig. & Corduba. Maximè etiam notandum, quod in communicationem priuilegiorum, iuxta dicta *tom.* 1. *p.* 1. *cap.* 3. *n.* 17. ex Syluestro, non tam vsus, quam ius vtendi debet attendi, ita vt Religiones habentes priuilegium communicationis possint vti priuilegio concesso alteri Religioni, quo ipsa propter aliquam causam non vtitur. Quod enim à Papa impetratur per viam communicationis est ius vtendi priuilegio, non tamen vsus; cum iste non in iure, sed in facto consistat. Vnde si Religio cui primò concessum est priuilegium, illud perdat propter aliquam causam, vel etiam propter reuocationem particularem pro illa tollatur, diminuatur, vel alteretur, non hæc eueniunt in secunda Religione, cui per communicationē factum est proprium. Ioannes de Cruce *d. cap.* 4. *conclus.* 3. Portellus *supr. num.* 22. & fauet Fagundez *in* 5. *Eccles. præcept. lib.* 3. *cap.* 3. *num.* 12. maximè verò Suarez *d. lib.* 8. *cap.* 16 *num.* 17. & Sanchez *Consil. moral. lib.* 6. *cap.* 9. *dub.* 9. *num.* 2. Similiter è contra, si priuilegium communicatum reuocetur, vel restringatur in Religione, cui per communicationem competit, hæc mutatio, vel alteratio non continget in illa Religione, cui primò concessum est. Suarez *supra n.* 16. Portellus *supr.* Aucto verò priuilegio quoad primam Religionem cui concessum est, non censetur auctum quoad aliam cui communicatur, nisi illa communicatio extendatur etiam ad priuilegia concedenda. Ratio est, quia nisi hæc additio habeatur in dicta communicatione priuilegiorum, solum illa extendi poterit ad priuilegia concessa, non ad concedenda, quale reputatur tale augmentum. Suarez *supr.* Quid vero dicendum de priuilegiis *ad instar*, illis scilicet, quæ conceduntur vni Religioni ad similitudinem illorum, quæ alteri concessa sunt, quæ sunt eadem, ac priuilegia per communicationem, vel saltem parum differunt ab ipsis, agunt Rodriguez *dicta quæst.* 55. *art.* 19. Suarez *dicto lib.* 8. *c.* 15. Barbosa *de Clausulis vsu frequentibus Clausula* 5. & Tamburinus *supr. disp.* 17. *quæst.* 5. ex aliis.

Quoad secundum verò, quòd de hac re tractare proposui, scilicet de particularibus priuilegiis Religionum, ex dictis *tom.* 1. *p.* 2. *c.* 1. constat quid dicendum de priuilegiis Mendicantium. Ex dictis etiam ibidem *c.* 2. constat etiam quid etiam sentiendum de aliquibus priuilegiis Monachorum. De priuilegiis autem Canonicorum Regularium dixi ibidem *c.* 3. De priuilegiis Clericorum Regularium *c.* 4. De priuilegiis Regularium militiarum. *c.* 5. Hospitaliorum *c.* 6. Eremitarum *c.* 7. Conuersorum, seu Oblatorum *c.* 8. Dominorum Cardinalium Protectorum. *c.* 9. Iudicum conseruatorum *c.* 10. Patronorum *c.* 11. Tertiariorum *c.* 14. Confratrum *c.* 15. Familiarium, seu seruitorum Religiosorum *c.* 16. Procuratorum ipsorum *c.* 17. Specialiter etiam de priuilegiis, quæ competunt Religiosis ratione professionis dixi *tom.* 1. *c.* 5. Circa Officium diuinum *c.* 12. Circa habitum Religiosum *c.* 13. & præsertim *suprà* verb. *Habitus Regularis.* Circa susceptionem Ordinum *c.* 14. & *sup.* verb. *Ordines Sacri.* De priuilegiis assumptorum extra Ordinem *c.* 17. Prælatorum, seu Superiorum Regularium. *cap.* 18. & *suprà* verbo *Abbas.* Confessariorum Regularium, *capite* 19. & *suprà* verbo *Confessarius Regularis.* Circa quod etiam speciale priuilegium Vrbani VI. pro Seruitis video in Annalibus ipsorum *Centuria* 2. *l.* 3. *c.* 9. Concionatorum Regularium *c.* 20. & *supra* verbo *Concionari, & Concionator Regularis.* Sacerdotum Regularium *c.* 21. Pro transeuntibus ex vna religione ad aliam *c.* 22. Pro Nouitiis *c.* 24. & *supra* verbo *Nouitij, & Nouitia Religionum.* Pro Monialibus *c.* 25. Pro Abbatissis Monialium *c.* 26. & *supr.* verbo *Abbatissa, seu Priorissa.* Specialiter quoque de priuilegiis, quæ habent regulares ad benedicendum, seu consecrandum egi *supra* verbo *Benedictio, & Benedicere.* verb. *Calix.* & verbo *Consecratio* & verbo *Cœmeterium.* Quoad Decimas non soluendas etiam *supra* verbo *Decima quoad Regulares.* Quoad administrationem Eucharistiæ *supra* verbo. *Eucharistia quoad Regulares.* Quoad extremam vnctionem *supra* verbo *Extrema vnctio.* De priuilegiis exemptionis verb. *Exemptio Regularium.* Circa obseruationem festorum verbo *Festi dies quoad Regulares.* Quoad non soluendas gabellas verbo *Gabella quoad Regulares.* Pro gradibus conferendis verb. *Gradus, & graduati Regulares.* Quibus adde, quòd priuilegium, quod eodē loco *n.* 5. retuli Bonifacij IX. pro Generali Prædicatorū, vidi nuper etiam concessum esse ab eodem Bonifacio Generali Ordinis Seruitarum. Vide *Annal. huius Ordin. Cent.* 2. *l.* 4. *c.* 5. De priuilegiis immunitatis Ecclesiarum ver. *Immunitas Ecclesiar.* Personarum regularium verb. *Immunitas Ecclesiastica Regularium.* Quoad Indulgentias regularium verb. *Interdictum quoad Regulares.* Pro quo etiā video notabile Priuilegium Honorij IV. pro Ordine Seruitarū in Annalibus eius Ordinis *l.* 5. *c.* 6. *Cēt.* 1. Quoad dispensandū in Irregularitatibus verb. *Illegitimi Regulares.* & verb. *Irregularitas.* De aliis tandem regularium priuilegiis sparsim per totam hanc Summam dico. Alia, quæ spectant ad priuilegia regularium maximè,

maximè ex declarationibus Sacrarum Congregationum circa illa, habes apud Barbosam *in Collectaneis Bullarij verbo priuilegium*, & Ioannem Mariam Nouarium *in Lucerna Regularium verbo Priuilegia.*

26 Vnum tandem notandum, quòd, cum dum tres tomos huius Summæ scriberem videre non potuissem priuilegia S. Ordinis Seruitarum, ea idcirco suis locis non retuli. Quia tamen modo à Reu. adm. Procuratore Generali eiusdem Ordinis Annales ipsius accepi, in quibus plura priuilegia eiusdem concessa à Sede Apostolica reperi, idcirco in hoc quarto tomo ipsorum aliqua refero, idem facturus in aliis tribus tomis, si iterum typis mandari contingat. Nunc verò solùm animaduertendum duxi ex prædictis Annalibus elici posse priuilegia huic Ordini concessa fuisse ab Ardingo Florentino Episcopo, Raynerio, Petro, & Guilielmo Cardinalibus, Innocentio IV. Alexandro IV. Clemente IV. Summis Pontificibus. Rodulpho Cardinali, Honorio IV. Nicolao IV. Bonifacio VIII. Benedicto XI. etiam Summis Pontificibus Caietano, Vrsino, & Benedicto, Ægidio Antonio Cardinalibus Clemente VI. Innocentio VI. Gregorio XI. Vrbano VI. Bonifacio IX. Ioanne XXIII. Martino V. maximè ab Innocentio VIII. qui Bullam eidem Ordini concessit, quæ iure optimo *Mare Magnum* appellatur.

PROCESSIO QVOAD Regulares.

SVMMARIVM.

Processiones Regularium quot sint. num. 1.
Qui ad processiones publicas, & quomodo cogi possunt. num. 2.
Qui sint exempti ab ipsis. num. 3.
Indicere processiones ad quem spectat. num. 4.
Componere controuersias de præcedentia in ipsis. numero 5.
De campanis pulsandis, & Reliquiis deferendis in processionibus. num. 6.
De processionibus mortuorum. num. 7.
Processiones Monasteriorum quomodo faciendæ. numero 8.
Declaratio Sacræ Congregationis circa hoc num. 9.
De processionibus Confraternitatum. num. 10.
De processionibus Sanctissimi Corporis Christi. n. 11.
Alia ad ipsa spectantia ibidem.
Dubium propositum à S. Congregatione circa processionem Corporis Christi. num. 12.
Resolutio eiusdem S. Congregat. num. 13.
Dubium circa ingressum fœminarum tempore processionum. num. 14.
Resolutio. num. 15.
Declaratio Pij V. num. 16.
Casus excepti. num. 17.
Possunt ingredi tempore processionum. num. 18.
Alia declaratio eiusdem Papæ. num. 19.
Alia de eadem re. num. 20.
Authores, qui id tenent. num. 21.
Non obstat Bulla Gregorij XIII. num. 22.
Quæ sit mens illius. num. 23.
An Bulla Pij V. censeri debeat publicata. num. 24.
Quid de reuocatione Oraculorum viuæ vocis. num. 25.
Bullata non sunt reuocata per Greg. XV. ibid.
Quid de reuocatione facta per Vrbanum. num. 26.
Declaratio seu decretum Sacræ Congregationis Rituum. num. 27.
Vnde habeatur. num. 28.
Similes declarationes magno pretio habendæ. num. 29.
Quid obstet huiusmodi declarationi. num. 30.
Non videtur sufficienter publicata. num. 31.
Qualiter intelligenda. num. 32.
Qua fides ipsi abhibenda. num. 33.
Ex declaratione eiusdem Sacræ Congregationis. n. 34.
Talis ingressus fœminarum in Claustra Monasteriorum tempore processionum, &c. est in vsu. num. 35.

PROCESSIONES, ad quas Regulares accedere solent, vel sunt processiones communes Ciuitatis, vel Oppidi vbi morantur, vel sunt processiones mortuorum, ad associandum videlicet ipsorum cadauera, vel sunt processiones priuatæ Monasteriorũ. De quibus omnibus sigillatim dicendum. 1

Et quoad primum constat ex dictis *tom. 1. p. 1. c. 9. num. 47. & tom. 2. cap. 1. num. 50.* Regulares omnes, etiam Monachos, ad publicas processiones vocatos accedere compelli posse, iis tantùm exceptis, qui strictiori clausura perpetuò viuunt. Ita enim habetur expresse ex Concilio Trid. *sess. 25. cap. 13.* nihilominus non posse ad id compelli per censuras, colligitur ex dictis *supra capit. 11. num. 14. & 15. & supra* verbo *Exemptio Regularium num. 11.* Non solùm loquendo de illis Regularibus, qui, iuxta dicta eo verbo *Exemptio Regularium num. 8. & 11.* habent priuilegium ne Ordinarij possint contra illos per censuras procedere, sed etiam de aliis qui non habent talia priuilegia. Ratio est, quam adduxi eo *cap. 11. num. 14.* & eo verbo *Exemptio Regularium num. 11.* quia quoties Concilium voluit dare hanc auctoritatem Episcopis procedendi per censuras contra religiosos exemptos id explicuit, vt in *sess. 25. cap. 16.* contra dantes, aut recipientes aliquid pro ingressu Nouitiorum, & *cap. 5. eiusdem sessionis* pro restituenda, & conseruanda clausura Sanctimonialium, & *sess. 22.* in Decreto *de obseruandis, & vitandis in celebratione missæ.* Ergo signum est, in aliis locis, & casibus, in quibus non explicuit talem auctoritatem concedi Episcopis supra Religiosos exemptos, noluisse illam habere. De quo præter Henriquez, Sanchez, Vulpium, & Nouarium eo loco relatos, videndi sunt Scortia *in Bullas Pontificias Theoremate 393.* Peyrinis *in priuilegia minimor. tomo 1. Constitut. 2. Sixti IV. num. 60.* Portellus *in additionibus ad dubia Regularium verbo Episcopus num. 5. & verbo processiones in addit. num. 1.* Villalobos *in Summa tom. 2. tract. 35. difficul. 5. num. 17.* quos refert, & sequitur Diana *part. 3. tract. 2. Resolut. 76.* Neque obstat, quod dicitur, scilicet Sacram Congregationem declarasse contrarium, prout referunt Sorbus *in Annotat. ad Compend. priuileg. mendicant. verbo processiones*, & Barbosa *de iure Ecclesiastico, lib. 1. capit. 43. num. 163. & 164.* Tum quia, eodem Barbosa teste *in Remissionibus ad Concilium. Trident. loco relato* ex Quaran. *in Summa Bullarij verbo Præcedentia*, pluries declaratum est à Sacra Congregatione non posse Episcopum per censuras cogere Regulares ad dictas processiones. Tum quia, ad minus, vt Diana *sup.* ait, authenticè non constat de eiusmodi declaratione, & iuxta dicta *supra* verbo *Sacra Congregatio*, eadem S. Congregatio declarauit fidem non esse adhibendam declarationibus non authenticis. Interim ergo, dum de aliqua declaratione eiusdem S. Congregationis authenticè non constiterit, standum erit rationi adductæ. Esto autem Regulares compelli non possint ad prædictas processiones per

per censuras, compelli saltem possunt aliis pœnis, iuxta *capit.1.de priuileg. in 6.* nimirum deponendo Superiores, & contradictores in carcerando, & Monasterio amouendo, priuando prædicatione verbi Dei, seu etiam pœnis pecuniariis, Stephanus Gratianus, *Decis.332. num.15.* Peyrinis *supra* Confraternitates etiam laicorum ad dictas processiones cogi posse ab Episcopo tenere videtur idem Barbosa *in loco relato super Concilium*, ex eodem Gratiano, licet melius, dicat oppositum *de Offic. & potest. Episcopi Allegat.78. num. 24.* De quo vide, quæ dixi *tom.1. p.2. cap. 15. num.24.*

3 Quomodo autem Regulares Monasterij vltra medium milliare à Ciuitate distantis non possint ab Episcopo compelli accede ad processiones, dixi ex declaratione S. Congreg. *capit.11. num.47.* Quod etiam sequitur Portellus dicto *verbo processiones in additione num.2.* ex Rodriguez. Quomodo etiam vocari debeant Regulares ad processiones, & quæ sint processiones publicæ, ad quas compelli possunt dixi eodem *num.47. tom.1. num.50.* Regulares etiam, qui ex priuilegio eis concesso possunt non ire ad processiones prædictas, non posse ad id cogi etiam si sæpiùs gratis accessissent, cum ex hoc nullum ius adquiratur contra illos, dixi eo *num.47.* & tenent Portellus dicto *verbo processiones num.6.* & Barbosa loco relato *de iure Ecclesiastico num.16.* ac Nouarius *in Lucerna Reg. v. processiones num.19.* dixi autem eo *num.47.* Reuerendos Patres Discalceatos nostros exemptos esse ab hoc onere accedendi ad processiones. Quod etiam priuilegium aliis quoque Religionibus concessum esse constat ex eodem Barbosa loco relato *de iure Ecclesiastico à num.170.* & Nouario loco relato *à num.9.* Nota tamen primò, regulares accedentes ad processiones teneri accedere in numero decenti, debito, & consueto prout ex declaratione S. Congregat. refert Barbosa *sup. n.165.* & Nou. *sup. n.3.* Nota 2. Sorbum *sup.* referre S. Congregationem declarasse regulares sic accedentes ad processiones teneri in illis cantare, quòd tamen obseruari non video, nisi in solis processionibus Litaniarum. Tertiò nota, regulares cogi non posse ad accedendum ad processiones in eo loco, in quo consuetudine fuerentur non accedendi. Ita enim declaratum vidisse à S. Congregatione refert Campanile *in Diuersor. iuris rubrica 12. cap.13. num. 18.* Quartò nota SS.D.N. Vrbanum litteris datis in forma Breui 17. Nouembr. 1638. confirmasse Decretum Sacræ Congregationis Rituum, in quo habebatur quòd Monachi Cassinenses non sunt vllo modo cogendi accedere, nisi ad processionem Sanctissimi Sacraméti.

4 Indicere autem processiones pertinet ad Episcopos, siue Ordinarios, cum hoc sic de iuribus Episcopalibus Innocentius *in cap. Cum inter num.2. de sententia, & re iudicata.* Campanile *supra*, Riccius *in praxi fori Ecclesiastici decis.362. in prima editione, & resolut.308. numer.7. in 2.* Barbosa *dicta Allegatione 78. num.3.* Quare quod Portellus *supra dicto verbo processiones numero 7.* post Rodriguez *in additione ad Summam tom.4. cap.105. num.1. ad finem* tenere videtur, videlicet, quòd Priores, vel Archipresbyteri in Vrbibus, vel Oppidis vbi non resident Episcopi non possint compellere Religiosos ad processiones intelligendum est, si tales non sint Ordinarij locorum, vel processiones illæ sint insolitæ, neque pro causa publica, sed tantùm ex leui causa. Erasmus Cochier *de Iurisdictione Ordinarij in exempt. p.2. quæst.45. num.109.* Vbi etiam an talis sit censenda, quæ pro introitu nouo Episcopi, vel Legati instituitur. Dirigere etiam processiones, vel decernere Ecclesias quò pergere debent, pertinet etiam ad Ordinarios cum consilio Capituli. Ita enim decisum referunt Franciscus Leo *in Thesauro fori Ecclesiastici part.4. cap.2. num. 145.* Armendariz *in Additionibus ad recopilationem legum Nauariæ lib.1. tit.14. cap.28. §.31. de processionibus num. 1. & 2.* & ex illis Barbosa *supra num.4.* Subdens *num.5.* ex eodem Armendariz, absente Episcopo id facere posse Vicarium generalem.

Pertinet etiam, iuxta dicta *supra verbo Episcopus quoad Regulares num.23.* ad Episcopum, seu Ordinarium, componere, amota omni appellatione, controuersias ortas circa præcedentiam in processionibus, iuxta Concilium Trident. *sess.25. cap.13.* Quod breui manu, summariè, & de plano, ac sine strepitu, & figura iudicij fieri debet, vt declaratum à Sacr. Congregatione refert Campanile *numero 120.* & dixi eo loco. De quo, & aliis ad intentum, Franciscus Leo *supra part.1. cap.8. num.18.* Campanile *d. num.120. & 121.* & Barbosa *supra num.26. & 27.* Maximè tunc attendendum est ad ea, quæ dixi supra verbo *Præcedentia quoad Regulares.* Optimus etiam modus componendi controuersias circa præcedentiam ex improuiso ortas tempore processionum est, vt controuertentes, si de iure eorum non possit incontinenti constare, eiciantur ex illis, salua eorum iustitia. Rodriguez *tom.3. quæst. Regular. quæst.37. artic.5.* Peyrinis *tom.1. priuilegiorum Minimorum Constitutione 2. Sixti IV. num.58.* 5

In his processionibus pulsantur campanæ ad excitandam populi deuotionem. Solitum etiam esse gestare aliquas Sanctorum Reliquias, præter quam in processione Corporis Christi, habet Campanile *supra num.119.* ex Sà *in verbo processio.* Sed neque id obseruatur in processionibus Litaniarum, & aliis similibus. Consuetudini ergo standum. Quid autem dicendum de Cruce, & aliis Insignis deferendis à Regularibus in processionibus dixi *supra* verbo *Crux quoad Regulares num.1. & 2.* 6

Circa secundum de Processionibus mortuorum, seu de associatione cadauerum, iam dixi *tom.1. p.2. cap.1. num.31. & 46.* qualiter se gerere debeant Regulares in efferendis, seu leuandis Defunctorum corporibus, ex declarationibus Sacrarum Congregationum. Qualiter etiam officia mortuorum fieri non debeant à Rectoribus Parochialium Ecclesiarum in Regularium Ecclesiis contra ipsorum voluntatem, & quomodo libera sepultura ibidem habenda sit, & non sepelienda corpora Defunctorum, ad quæ associanda vocati fuerint, sine ipsis, dixi eo *cap. numero 47.* Vbi etiam de loco, ad quem accedere debent Regulares ad dictas processiones vocati. De quibus etiam, & aliis concernentibus latè egi *supra* verbo *Defunctus*, aliqua etiam dixi *tom.1. p.1. c.12. num. 41.* & alia adiungam infra verbo *Sepultura quoad Regulares.* De candelis porrò, quæ in talibus processionibus mortuorum Fratribus distribuuntur, quomodo ex eis nulla debeatur canonica portio, ac quomodo diuidendæ inter Parochos, & alios ministros Ecclesiarum, dixi eo *cap.1. num.48.* De Cruce quomodo deferenda, vel inferenda à Regularibus pro corporibus Defunctorum deferendis, & aliis etiam concernentibus dixi *supra* verbo *Crux quoad Regulares.* 7

Circa tertium de processionibus priuatis Monasteriorum, seu Ecclesiarum Regularium, certum est eas facere non posse sine licentia Episcopi, præter quam intra Ecclesiam, eiusque, & Monasterij ambitum; eo quòd non habeant territorium. Quod fuisse etiam non semel resolutum testatur Zerola *in Praxi* 8

Praxi Episcoporum par.1. verb. processiones §. 4. & sic obseruari vidisse refert Campanile *c.13. relaton.*118. explosa sententia Iacobi de Graffis *consil.*20. *de regularibus* opinantis illis licere per triginta passus extra ambitum processiones facere, per text. *cap. sicut antiquitus* 17 *quæst.*4. Ex eo enim quòd ibi decernatur, quòd Ecclesiæ potiantur priuilegio immunitatis per 30. aut 40. passus, non sequitur quòd iurisdictio Monasterij ad illud spatium extendatur, cum potius Abbatis territorium tantùm dicatur ipsius Monasterium. Campanile *ibidem* ex Zabarella, & aliis. Et ideo Sacra Congregat. iuxta dicta *tom.*1.*p.*1. *cap.*12. *num.*41. censuit, non licere Regularibus huiusmodi processiones, facere extra Ecclesias, & ambitum illarum. Barbosa *d. Allegat.*78.*num.*7. [Consonat & alia declaratio Sacræ Congregationis Episcoporum & Regularium 27. Septembris 1641. ex qua habetur Regulares non posse cum ipsorum processionibus ingredi limites alterius Parochiæ sine licentia Parochi] Intelligendum tamen, nisi adsit consuetudo in contrarium. Vnde circa processiones Rosarij refert Festus *in Constitut. sui ordinis part.*1. *cap.*23. declarationem Sacr. Congregat. qua declaratur, posse dictam processionem fieri per totam Ciuitatem, si ita habeat consuetudo à decem retro annis seruata, in quatuor Festiuitatibus Beatæ Mariæ, nimirum Natiuitatis, Annunciationis, Purificationis, & Assumptionis. Peyrinis *tom.*2. *priuilegiorum Minimorum in Constitutione* 7. *Pij V.* §.10.*num.*13.[Video etiam Sacram Congregationem Episcoporum & Regularium 18. Maij 1640. & 14. Februarij 1642. declarasse Regulares habentes consuetudinem legitimam faciendi processiones extra proprium ambitum, posse illa continuare, sine licentia ordinarij.] Hanc vero consuetudinem esse in Lusitania refert Portellus *sup. verbo Processiones num.* 18. Sicque vidi obseruari in aliquibus locis Hispaniæ. Consuetudini ergo locorum standum est, præsertim cum Ius commune *cap. certum est quidem de consecrat. dist.* 1. non omnino contradicat. Portellus *supra* Villalobos *in Summa tom.*2. *tract.* 35. *difficultat.* 5. *num.*9. Hieronymus Rodriguez *in Compend. quæstionum Regularium resolut.*118. *num.*10. Idem dico si Religio, vel Conuentus habeat circa hoc particulare priuilegium. Tamburinus *de Iure Abbat.tom.*1. *disp.*15. *quæsit.*7. *num.*39. Nouarius *in Lucerna regular. verbo processiones in fine.*

9 Hæc verò maximè constabunt ex alia declaratione Sacr. Congreg. quam refert vterque Nouarius, vnus *in Summa Bullarij tit. de processionibus Regul.* & alter *supra* his verbis. *Sacra Congregatio, ad tollendas difficultates, quæ quotidie circa processiones fiendas, tam per Regulares, quàm per Confraternitates in Ecclesiis Regularium, inhærendo Decretis aliàs in similibus factis, & signanter in Cæsaraugustana* 17. *Martij* 1627. *censuit in processionibus fiendis tam per Regulares quam Confraternitates laicorum ita in posterum seruari debere, vt in Ecclesiis habentium Claustrum, processiones fieri non possint nisi intra Claustra, & non extra, in Ecclesiis verò carentibus Claustris fieri possint intra ambitum, hoc est, prope muros Ecclesiæ, siue exeundo à ianua Ecclesiæ, & per aliam intrando, siue per eamdem, & prope muros Ecclesiæ. Extra verò ambitum Ecclesiæ non licere neque Confraternitatibus facere processiones, nisi de licentia, consensu, aut cum Cruce Parochi, exceptis tamen illis Ecclesiis, quæ habeant in hoc speciale priuilegium faciendi processiones per alia loca quibus per hoc Decretum Sacra Congregatio non intendit præiudicari.*

10 Ex qua declaratione constat idem, quod diximus de processionibus Regularium, intelligendum etiam esse de processionibus Confraternitatum, iuxta dicta *tom.*1.*part.*2. *capit.*15. *num.*25. Quibus adde insignem Confraternitatem Beatiss. Mariæ Virginis de Monte Carmelo in antiquissima Sancti Martini de Montibus Ecclesia fundatam, nouissimè iis annis, sub auspiciis Eminentissimi D. Cardinalis Antonij Barberini eiusdem Confraternitatis Protectoris, fieri solitam, non solùm, vt olim, per vicinas plateas, sed per medium totius Vrbis, maximo cum applausu & concursu Principum, & Dominorum Prælatorum qui in valde copioso numero in ea incedunt cum habitu, & Insigniis Confraternitatis.

Specialiter etiam, licet processiones in Sanctissimi Corporis Christi festiuitate in propriis Regularium Ecclesiis fieri nequeant, quia tantum in Cathedrali Sacramentum in illius festiuitate publicè adorandū proponitur, vt declarauit S. Congregatio in vna *Aretina* 11. Decembris 1613. & in *Gabellicen. Insula* 28. Augusti 1615. & sub die 18. Februarij 1617. (Barbosa *d.cap.*43.*num.*124. Nouarius *sup.num.*20.) Cessaret tamen hoc quoties id priuilegium aliqua Religio id haberet, vel esset consuetudo ita faciendi, qualis est in Hispaniæ partibus. Prout etiam colligitur ex declaratione Sacr. Congregationis Episcoporum, & Regularium in vna *Mexican.*27. Iunij 1615. respectu Regularium S. Dominici, quam referunt iidem Authores. Imò etiam ex alia declaratione Sacr. Congregationis, quam iidem Authores referunt, habetur, quòd quamuis prædicti Patres Dominicani facere possint dictam processionem Sanctissimi Sacramenti in Dominica infra octauam Corporis Christi per vicos, plateas, & loca ciuitatis; non posse tamen variare loca ab ipsis semel electa, per quæ personaliter prima vice ire ceperunt, iuxta litteras quasdam Clementis VIII. Nota etiam Processiones eiusdem SS. Sacramenti concedi omnibus in quacunque die infra octauam. Gauantus *in Man. Episcop. verbo Processio num.* 31. ex Gregorio XIII. Item Eucharistiam non debere deferri in humeris, sed in manibus Sacerdotis celebrantis, iuxta dicta *tom.*1.*p.*1. *cap.*10. *num.*19. Gauantus *supra à numero* 32. ex declarationibus Sacr. Congregationis. Apud quem etiam *num.*45. quòd Regulares in processionibus non debeant, ingredi Ecclesias Monialium sibi subiectarum, ex declaratione Sacr. Congregationis Episcopor. & Regular. Alia apud istum Authorem, & Barbosam *in Collectan. Bullar. verbo Processiones.* 11

Insuper notandum, quod cum in Monte Leone, aliqui prætenderent, quod Religiosi Augustinani discalceati ibi existentes deberent interuenire non solùm ad processionem Corporis Christi in proprio die, sed etiam in Octaua, supplicatum fuit Sacræ Congregationi Episcoporum, & Regularium pro declaratione, & obtenta hæc declaratio *Sacra Regularium Congregatio respondet, Regulares supradictos non teneri in casu proposito accedere ad Processionem sanctissimi Sacramenti, nisi in die solemnitatis Corporis Christi, & nullo modo posse cogi in Octaua & ita seruari mandauit die nona Decembris* 1638. 12 13

Circa dubium autem, quod aliquoties occurrit & mihi propositum est, an videlicet, cum Regulares faciunt suas Processiones per Claustra suorum Monasteriorum, possint admittere fœminas ingredientes cum dictis processionibus intra Claustra ipsorum Regularium, hic respondi. 14

Pro comperto videtur posse Religiosos Congregationis Montis Virginis, & quoscunque alios habētes communicationē priuilegiorum cum illis, admittere 15

rere fœminas in claustris Monasteriorum, quando in
eis fiunt processiones, & aliis quibusdam casibus de-
claratis à Pio V. in Bulla *decet Romanum Pontificem*
data 16. Iulij ann. 1570. quæ extat *in 2. tomo Bullar.*
inter Bullas huius Pontificis. n. 20. vbi habetur, quod
cum idem Pontifex per alias litteras de anno 1566.
pro 24. Octobris prohibuisset sub grauissimis pœnis
ingressum, seu admissionem fœminarum in claustra
Monasteriorum virorum Religiosorum, in illis tamen
posterioribus de anno 1570 declarauit suæ intentio-
nis fuisse, & esse quod dictæ litteræ non solùm com-
16 prehenderent *mulieres habere prætendentes faculta-*
tem, & indulta ingrediendi Monasteria, sed etiam
omnes, & quascunque mulieres alias. Excipit tamen
Pontifex aliquos casus, in quibus id liceret, sic di-
cens: *Significantes nihilominus, prout significamus,*
quod propter hoc & prædictas nostras litteras non in-
telleximus, nec intelligimus, quod mulieribus præclude-
17 *retur, nec præcludatur aditus ad Monasteria, & loca*
Regularia dictæ Congregationis, ac eorum claustra
quando in eis Missæ, & alia diuina officia celebrantur,
ac dum processiones fiunt, & quando Christi fidelium
cadauera ibi sepeliuntur, ac etiam pro eis suffragia
fiunt, sed liberè perpetuò concedimus eisdem omnibus
mulieribus facultatem, vt ad illa loca dictæ Congre-
gationis, in quibus dicta pia opera exercentur cum
aliis Catholicis personis accedere liberè, & licitè pos-
18 *sint, & valeant.* Ex hoc autem induito manifestè in-
fertur tempore processionum, quæ fiunt in Claustris
Religiosorum ingredi posse fœminas cum dictis pro-
cessionibus in ea claustra. Cui concessioni per Bul-
lam factæ consonat alia eiusdem Pij V. de ann. 1568.
pro die 27. Ianuarij, quæ habetur in Bullario Rodri-
19 guez post Bullas Pij V. inter viuæ vocis oracula
ipsius, & apud Quarantam *in Summ. Bullar. verb.*
Conuentus, seu Monasteria Regularium, in qua, vt
testatur per litteras patentes Alexander Card. Cribel-
lus viuæ vocis oraculo dicitur declarasse dictam pro-
hibitionem de anno 1566. ita vt ea non habeat lo-
cum in quatuor casibus, nempe si in Claustro cele-
brantur Missa, & alia diuina officia; si ibidem fiat
processio; si in Claustro aliquis sepeliatur, & tem-
pore magni concursus ad Ecclesiam ad festum cele-
brandum, vel concionem audiendam, ita vt ob fre-
quentiam non detur facilis ingressus, & egressus per
Ecclesiam, & tunc posse mulieres cum viris ingredi,
20 & egredi per Claustra. Affert etiam idem Rodriguez
ibidem similem aliam declarationem eiusdem Pij V.
ex testimonio Cardinalis Monchiani de anno 1567.
pro die 7. Iunij.

Et ita conformiter DD. tenent hic fieri posse, sci-
licet, quod præfati Regulares possint in processioni-
bus, quæ fiunt intra claustra ipsorum fœminas admit-
tere, & ipsæ intrare: specialiter Rodriguez *tomo 1.*
qq. Regul. quæst. 48. artic. 3. asserens etiam aliud viuæ
vocis oraculum eiusdem Pij V. de anno 1569. San-
chez *lib. 6. in Decalog. cap. 17. num. 22.* Alter Rodri-
21 guez *in Compendio Resolut. 27. num. 3.* idque suppo-
nunt Peyrinis *tom. 1. Priuilegior. Minimor. in Consti-*
tutione 6. Iuly 2. num. 13. & 14. & Portellus *in dub.*
Regul. verb. clausur. Monach. num. 5. & 6. Ac tenent
Coriolanus *de casib. reseruatis part. 2. cas. 3. num. 21.*
Sorbus *in Compend. priuileg. Mendicant. verb. ingre-*
di Monasteria num. 7. Bonacina *de Clausura quæst. 5.*
punct. 4. num. 6. & 11. Texeda *in controuers. moral.*
tomo 1. lib. 2. tract. 1. controuers. 17. num. 8. Alphon-
sus Leo *de censur. recollect. 4. verb. Mulieres pag. 360.*
col. 2. Sanctorus de Melfi *supra statut. & Constitution.*
Minor. cap. 11. statut. 5. pag. 75. Pellizzarius *in*
Man. Regular. tom. 1. tractat. 5. cap. 6. sectione 2. à
numero quadragesimoquinto. Ioannes Maria Noua-
rius *in Lucern. Regular. verbo claustra num. 7.* me
relato, qui id secutus sum *tom. 1. Summ. quæst. Regular.*
cap. 10. num. 12.

Nec obstat, quod Gregorius XIII. in Bulla, vbi
gratiæ de anno 1575. *in 2. tomo Bullar. Bulla 28.*
reuocauerit, & aboleuerit omnes, & quascunque li-
centias, & facultates quibuscunque mulieribus con-
cessas ingrediendi Monasteria virorum. Hæc enim 22
reuocatio, & abolitio intelligitur in terminis reuoca-
tionis factæ à Pio V. Prædecessore, & iuxta limitatio-
nes, & declarationes ab ipso appositas in Bulla de an-
no 1570. ac proinde cum exceptione illorum ca-
suum, qui in ea, & viuæ vocis oraculis adductis con-
tinentur. Et quod tales casus sunt nimis speciales, &
priuilegiati, etiam secundum rectam rationem, ac
propterea non censentur comprehensi in generali
dispositione, glossa 1. *in l. fin. C. de silentiariis lib. 12.*
Baldus *in l. non plures numero quarto. Cod. de Sacros.*
Eccles. Cassadorus *decis. 6. numero vndecimo supr.*
Regul. Gonzalez *supr. Regul. 8. Cancellar. gloss. 9.*
§. 2. numero 6. & 7. post plures. Et quia casus omis-
sus à noua dispositione intelligitur secundum Ius
antiquum *l. si vero §. de viro ff. soluto Matrimon.*
l. commodissimè ff. de liber. & posth. & alij apud Bar-
bosam *in axiomat. axiom. 39. numero 6.* Ad quæ ac- 23
cedit, quod Gregorius in ea Bulla solùm videtur
loqui de mulieribus, quæ habebant facultatem, seu
licentiam ingrediendi *copulatiuè* quæcunque Mo-
nasteria, siue virorum, siue Monialium. Dicit enim
Pontifex se reuocare omnes, & quascunque li-
centias, ac facultates *ingrediendi Monasteria Do-*
mos, & loca Monialium, ac etiam virorum quo-
rumcunque ordinum. Etenim dictio illa *ac*, præsertim
coniuncta dictioni *etiam*, cum sit copulatiua *l. 2.*
§. & cum placuisset ff. de orig. Iur. l. si de lege ff. de
legib. l. libertas §. fin. ff. de stat. hominum l. 2 §. fin. C. de
summa Trinit. sumi debet *copulatiuè*, & coniunctim,
ita vt intentio Papæ solum sit reuocare licentias,
quas habebant mulieres aliquæ introeundi in Mo-
nasteria quæcunque siue Monialium, siue Religio-
sorum.

Nec obstat secundo si dicatur id quod notauit
Thesaurus *in praxi parte secunda verb. Clausura*
cap. 2. num. 1. videlicet Bullam illam Pij V. de an-
no 1570. cui innitimur, non fuisse publicatam, eò 24
quod in fine illius desit relatio Cursorum, qua dica-
tur publicatam fuisse. Hoc enim nihil obuiat ad
intentum. Quidquid enim sit, an d. Bulla per Cur-
sores publicata sit, vel non, cum ea, receptissima sit
apud Auctores, præsertim inter alios ex adductis,
apud Confettium grauem auctorem *in Summ. Col-*
lect. litter. Apostolicar. in Pio V. Bulla 6. & inserta
in Bullario communi Romano ex Typographia Ca-
meræ Apostolicæ, proculdubio habet publicationem
requisitam, ita vt sine fundamento ipsius fides, vel in
dubium reuocari possit. 25

Pariter etiam nec obstat, quod illa viuæ vocis ora-
cula, quæ adducta sunt, reuocata sint à Gregorio XV.
& Vrbano VIII. iuxta ea, quæ dixi *supra verbo*
oracula viuæ vocis n. 2. & 3. Primò enim cum illa sint
subscripta per Cardinales, non sunt reuocata per Gre-
gorium XV. vt patet ex his, quæ dixi *ibid. n. 2.* Dein-
de nec sunt reuocata per Vrbanum VIII. eò quod
illa sunt facta bullata per Pium V. in dicta Bulla 26
eiusdem de anno 1570. iuxta dicta loco citato *nu-*
mero septimo, videlicet, quod viuæ vocis oracula
per Bullam aliquam postea confirmata, non censen-
tur reuocata per eam Constitutionem. Tertiò hæc vi-
uæ vocis oracula nullatenus reuocata censeri debere
per-

per dictas Constitutiones cōstat ex iis,quæ dixi *to.1. Summa cap.3. num.* 21. ex Peirynis, quod etiam sequitur Portellus *tom.2. respons. Moral. casu* 13. *n.*13. *§. dubium tale est.* nempe præfatos Summos Pontifices solùm reuocasse ea viuæ vocis oracula, quæ continebant concessiones, gratias, aut Indulta aliqua, non verò ea, quæ solùm continebant meras declarationes, aut explicationes, qualia sunt ista, vt ex ipsis patet.

27 Difficiliùs obiici potest contra dicta ex declaratione quadam, seu decreto Sacræ Congregationis Rituum quod refert Ioannes Antonius Nouarius *in Summ. Bullar. verbo clausura num.* 6. videlicet *Oriolen. Illustrissimus & Reuerendissimus DD. Archidiaconus Oriolen. exponit DD. VV. Illustrissimis, & Reuerendissimis, qualiter in Ciuitate Oriolen. vsu, seu forsan etiam consuetudine immemorabili introductum est in aliquibus Monasteriis Regularium scientibus, & non contradientibus Episcopis pro tempore, vt annuatim faciant suas processiones tam Solemnes Rogationum, Candelarum, Palmarum, de Sanctissimo Sacramento, ac alias quàm priuatas de Cruce tempore Passionis, de Rosario, de Carmine, de Cingulo S. Francisci de Corregia S. Augustini, cum similibus singulis mensibus per claustra dictorum Monasteriorum comitantibus vndiquè deuotionis, & Religionis causa vtriusque sexus fidelibus, quod cum videatur contrarium Constitutionibus Sanctæ memoriæ Pij V. & Gregorij XIII. quibus præcluditur aditus mulieribus accedendi ad claustra Regularium, ideo Orator supplicat*
28 *declarari, an hoc iure liceat. Sacra Rituum Congregatio respondit non licere mulieribus comitari processiones per Claustra Monasteriorum Regularium, nisi adsit ad hoc expressa licentia sedis Apostolicæ die* 3. *Septembris* 1628. *Iulius Benius Secretarius.* Quamuis autem hic author non afferat vnde hoc decretum Sacræ Congregationis hauserit, nec aliquem authorem apud quem habeatur: ego autem video haberi apud Marcellum de Vulpe *in praxi Iudiciali cap.*4. *num.* 7. Et propter illud dicunt, quod eo stante non liceat aliquibus mulieribus ingredi claustra Monasteriorum, comitando processiones absquè expressa licentia Sedis Apostolicæ, & Pater Diana *par.7. tract.* 12. *resol.*6. *dicit hanc responsionem Sacræ Congregationis illum torquere.*

29 Cæterum & si verum sit similes Sacræ Congregationis declarationes iure optimo debere torquere quemcunque pium authorem, iuxta ea, quæ dixi *supra in Summ. verbo Sacra Congregatio*: plura tamen sunt propter quæ huiusmodi decreti, seu declarationis veritas in dubium verti possit. Primò, quidem, quia apud Marcellum de Vulpe dicitur emanasse 30.
30 die Septembris, apud Antonium Nouarium die 3. Septembris, & apud quendam alium in Manu scripto quodam die 13. Septembris, quæ variatio suspicionem falsitatis ingerit iuxta communia principia Iu-
31 ristarum. Deinde admisso, quod in hoc decreto nulla sit talis varietas, sed quod ipsa ortum habuerit ex negligentia scriptoris, non videtur fuisse publicatum, si quidem publicatio similium decretorum solet fieri in Curia, saltem per impressionem illorum apud Typographum Cameræ Apostolicæ, quod non contigit in præsenti decreto, cum Diana, Thesaurus, & ego, qui in Curia præsentes fuimus eo an. 1628. quo dicitur emanasse, illud videremus. Idem dico de Pellizzario, Sanctoro, Ioanne Maria Nouario, & aliis, qui post dictum annum scripserunt. Declarationes autem seu decreta Sacrarum Congregationum, quæ ritè publicata non sunt, non obligare communiter tenent DD. & ego dixi *verbo Sacra Congregatio n.* 11. Præterea esto, quod hoc decretum ritè publicatum esset, nihilominus, vt notauit Alphonsus Leo relatus, nec dissensit idem Diana, illud solùm loquitur, vt patet ex verbis ipsius supra adductis, de mulieribus ingredientibus dicta Monasteria tempore processionum, &c. *vsu, seu consuetudine etiam immemorabili*, authores autem qui dicimus licitum 32
esse talem ingressum non innitimur saltem principaliter, *in dicto vsu*, aut *consuetudine*, sed in declaratione Pij V. quæ constat, tum ex duplici viuæ vocis oraculo ipsius, tum ex Bulla eiusdem Papæ. Imo ex ipso decreto colligi potest licere talem ingressum, si quidem in eo dicitur, *nisi adsit ad hoc expressa licentia Sedis Apostolicæ*, huiusmodi autem de- 33
clarationes Pij V. pro *expressa licentia* haberi debent. Tollitur autem tota difficultas huius casus, si animaduertatur, quod eadem Sacra Congregatio Rituum de anno 1632. pro die 11. Augusti, prout refert ex decreto authentico Barbosa *in Summ. Bullarij verbo Congregatio pro Sacris Ritibus* 2. *& in Summa Apostolicarum decisionum verbo Congregatio pro Sacris Ritibus n.*9. & ante eum Sellius *in select. canonic. c.*1. *n.*78. & ego *dicto verbo Sacra Congregatio n.*5. ex speciali iussu fælicis recordat. Vrbani VIII. præcepit, decretis, seu decisionibus eiusdem Sacræ Congregationis Rituum, *tam impressis, quàm imprimen-* 34
dis ac etiam manuscriptis nullam fidem in iudicio vel extra esse ad hibendam sed tantùm illis, quæ in authentica forma solito sigillo, & subscriptione Eminentissimi Cardinalis Præfecti, ac Secretarij eiusdem. Congregationis pro tempore existentium munitæ fuerint. Cum enim hoc decretum Sacræ Congregationis Rituum, quod afferunt Marcellus de Vulpe, & Ioannes Antonius Nouarius non sit subsignatum, neque subscriptum ab Eminentissimo Cardinali Præfecto, vt constat, apertè sequitur *nullam fidem in iudicio, vel extra esse adhibendam illi.*

Aliis etiam prætermissis, cum ingressus fœminarum in Claustra Monasteriorum tempore processionum, &c. sit in vsu, & praxi Religionum, præsertim Neapoli, sciente, & consentiente E. & R. D. Cardinali Philomarino eiusdē Ecclesiæ Vigilantissimo Pastore, non videtur posse in dubium reuocari, prout ex dictis sequitur, & clarè tenet Alphonsus de Leo citatus, nec dissentit Diana. Sic sub censura, &c. 35

PROCVRATORES RELIGIONVM.

SVMMARIVM.

De Procuratoribus remissiuè. num. 1.

An Religiosi possint gerere munus Procuratoris pro sæcularibus. num. 2.

*De Procuratoribus Regularib. pro ipsorum negotiis n.*3.

*Procuratores Generales aliqui habent locum in Capella Pontificia. num.*4.

*Priuilegiū Bonif. IX. pro Procuratorib. Generalib. n.*5.

*Alia remissiuè. num.*6.

DE Syndicis, seu Procuratoribus sæcularibus Monasteriorum, seu Conuentuum, eorumque priuilegiis latè egi *tom.*1. *p.*2. *cap.*17. Nunc solùm agendum de Procuratoribus, seu Religiosis munus Procuratorum exercentibus. Et de illis duo tractanda, alterum quatenus sæcularia negotia gerunt, seu procurant, alterum verò quatenus negotia propria Religionis, vel Monasterij. 1

Et quoad primum, ex dictis *tom.*1. *p.*1. *cap.*9. *numero* 12. constat Religiosum non posse gerere officiū Procuratoris pro sæcularibus personis, nisi duplici concurrente conditione, scilicet vtilitate Monasterij, saltem

saltem indirectè,& licentia Superioris. Ita enim habetur *cap. Monachi*, *l.2.16. quæst.1. & capit.2. de postulando,& Clem.Religiosus*. Syluester,& Sayrus eo loco relati. Rodriguez *tom.3.quæst.41 art.2*. Sanchez *lib.6.in Decalog. cap.13.num.1*. Concurrente autem duplici ista conditione,& non aliter, poterit Religiosus procurare tam coram Iudice sæculari,quam coram Ecclesiastico in causa ciuili. Syluester *verbo Aduocatus quæst.6*. Peyrinis *tom.2.de Prælato quæst.3. cap.5. num.16*. post alios. In causa autem criminali procurare non poterit coram Iudice sæculari, sed tantùm coram Ecclesiastico. *cap.1.& cap.finali de postulando*. Sanchez *supra num.4*. ex aliis. In causis etiam miserabilium personarum, pro illis scilicet tuendis, videtur Religiosum de licentia sui Prælati, etiamsi inde vtilitas aliqua Monasterio non contingat, munus Procuratoris obire. Est enim Ecclesiæ proprium tales personas præsidio destitutas tueri. Nauarrus *Commentario 2. de Regularibus num.66*. Sayrus *in Claui Regia, lib.12. cap.22. num.5*. Nouarius *in Lucerna Regular.verb.Procurator.num.4*. Dicens ita censuisse Sac.Congregationem. Comprehenduntur autem hac prohibitione non solùm Monachi, sed etiam Regulares omnes,quia quamuis textus eo *cap*. loquatur de Monachis, idem tamen dicendum est de quibuscunque veris Religiosis. Et constat ex eo *cap.2. de postulando*, vbi consultus Pontifex an ea prohibitio Monachis facta, comprehendat quoque Monachos Regulares qui laxiori regulæ inseruiunt (vt dicitur *cap. quod Dei timorem de statu Regular.*) respondet comprehendere,ex dicta *Clem.Religiosus*,quæ in ea prohibitione *verbo Religiosus* vsa est. Et ratio est, quia ea prohibitio non habuit respectum ad Ordinem Monachorum, sed ad Religionem. Non tamen comprehenduntur nouitij, quia non sunt veri Religiosi quoad hæc odiosa. Sanchez *num.1. & 2*. post alios. Quomodo autem intelligenda sit vtilitas illa, vel necessitas Monasterij, habet idem Syluester *supra quæst.7*. & Peyrinis *n.17*. Circa licentiam verò istam notat Sanchez *supra num.5*. debere esse non solùm petitam, sed etiam obtentam. Id enim colligitur ex iuribus relatis. Notat secundò Peyrinis *supra* quòd superior ipse potest absque alicuius licentia munus Procuratoris suscipere. Sicut enim potest subditis illam dare, sic & per se accipere. De quo etiam Nauarrus *supra num.64*. Azor.*tom.1.Instit.moral.lib.12. cap.11. quæst.9*. De Superiore autem, qui potest hanc licentiam concedere, dicendum est, posse esse Prælatum immediatum Religionis,nisi particularia statuta Religionum aliud poscant. Textus enim adducti non aliud petunt,iuxta dicta *d.cap.9 num.9*. Quod & tenet idem Sanchez *supra num.8*. An verò possit talis Religiosus Procurator substituere alium Procuratorem,tractant Sanchez *supra num.13*.& Peyrinis *dicto num.17*. Maximè vero,an si Religiosus absque Superioris licentia Procurator constituatur, valeat actus Procuratoris titulo gestus, latè tractat ipse Sanchez *à num.39*.

3 Quoad secundum verò de Procuratoribus Regularibus pro ipsorum Regularium negotiis gerendis constitutis, nota, quòd alij sunt pro vno Conuentu, Monasterio, seu etiam Prouincia designati, alij verò pro tota Religione, qui communiter Procuratores generales nuncupantur. Et quidem loquendo de Procuratoribus Conuentuum, seu Monasteriorum, constat ex dictis *tom.1.p.2. cap.13. num.42*. talium Procuratorum munus,officium esse, non dignitatem, aut personatum, cum meram administrationem sine iurisdictione, aut præeminentia importet, in quo ratio officij consistit. Vnde propterea, iuxta dicta eo *cap.13.num.50*. potest illegitimis concedi etiam sine dispensatione. Loquendo autem de munere Procuratorum generalium, cum è conuerso præeminentiam importet, erit dignitas, si illi adiuncta sit iurisdictio in aliquos subditos, vel saltem personatus, iuxta dicta eo *cap.13. num.25*. Vnde etiam consequenter, iuxta dicta eo *num.50*. non potest conferri sine dispensatione illegitimis. Ex quo etiam constat,quid dicendum de Procuratoribus Prouinciarum, taliū enim munus, si iurisdictionem, aut præeminentiam importet,erit dignitas,vel personatus,ac per consequens illegitimis conferri non poterit ante dispensationem. Si verò solam administrationem importet, erit solùm officium,ac per consequens illegitimis conferri poterit sine vlla dispensatione. Pensanda ergo sunt particularium Religionum iura ad id cognoscendum.

4 Habent prædicti Procuratores generales Mendicantium, & quorumdam aliorum, locum in Capella Pontificia post Episcopos,& Generales Ordinum. Et quoad Procuratores Generales Ordinis Minorum præcedentia datur Procuratori generali obseruantium respectu Procuratoris fratrum Conuentualium, vt declarauit Sac. Congregatio de anno 1602. sub die 25. Ianuarij in vna Romana. Barbosa *de iur. Ecclesiast. vniuers. l.1. cap.43. num.194. in Collectan. Bullar.verb.Procurator*. Nouar. *in Lucern.verb. Præcedent. num.18*.

5 Maximè tamen circa institutionem, depositionem & auctoritatem magnam, quam habent Procuratores generales Ordinum in Romana Curia existentes, extat priuilegium Bonifacij IX. concessum Generali ordinis Prædicatorum, ac ipsius successoribus. Quo etiam gaudent aliæ Religiones communicationem priuilegiorum cum Patribus Dominicanis habentes. Cuius priuilegij,prout habetur apud Confettium *in Collectione priuilegiorum in Bonifacio IX. num.2*. talis est tenor. *Nos tuis deuotis in hac parte supplicationibus inclinati,vt tu,& successores tui Magistri dicti Ordinis, qui fuerit pro tempore,aliquem ex fratribus huiusmodi ad hoc idoneum in dicti Ordinis Procuratorem deputare, & instituere,& institutum ab ipso officio amouere, & alium loco eius ponere, semel, & pluries, & toties, quoties tibi, & successoribus tuis videbitur; & placebit, qui ipso facto omnium Prouinciarum,Conuentuum, Monasteriorum, Hospitalium,& locorum ipsorum Ordinis,& personarum eorumdem,ac aliorum prædictorum & ipsi Ordini subditorum, censeatur,& sit verus Procurator, cuiusque procurationis officium, vacante Magisterio ipsius Ordinis, nullatenus expiret, donec super hoc per Magistrum proximè succedentem, aliter ordinetur. Dictusque Procurator possit,& valeat causas quascunque tam ciuiles, quam criminales, Ecclesiasticas,siue mundanas,quas voluerit, assumere, pro dicto Ordine, locis, & ipsorum locorum Conuentibus, & officialibus, ac personis prædictis, & ipsorum quolibet, ac etiam nomine, & pro eis tam coniunctim, quam diuisim, per se, vel alium, seu alios, tam in Romana Curia, quam extra, contra quascunque personas, Collegia, & Vniuersitates, mouere, prosequi, defendere, & agere, & appellare in iudicio, & extra tam in prima, quam in secunda, & tertia instantiis, etiam in his,in quibus requiritur speciale mandatum, toties, quoties, semper, & quandocunque sibi videbitur, & placebit, secundum potestatem per te, vel successores tuos huiusmodi sibi traditam, vel tradendam, perinde ac si ab Ordine, & locis, officialibus, & personis prædictis sibi data esset omnimoda potestas cum pleno, libero,& generali, & speciali mandato ad causas antedictas, tibi, & successoribus tuis Magistris huiusmodi de Apostolicæ potestatis plenitudine,*

dine, & ex certa scientia, tenore præsentium indulgemus. Refert etiam Sorbus *in Annotationibus ad Compendium priuilegiorum Mendicantium verbo Procuratores fratrum*, idem priuilegium concessisse Martinum V. eisdem Dominicanis, & Bonifacium VIII. Augustinianis.

6 Alia ad intentum habes *supra verbo Mandatum quoad Regulares.*

PROFESSIO FIDEI.

1 De hac materia, dixi, saltem remissiuè, *supra verbo Fidei professio.*

PROFESSIO REGVLARIS.

SVMMARIVM.

De professione Regularium remissiuè. num.1.
Quid, & quotuplex. num.2.
Notanda circa professionem tacitam. num.3.
An inducatur propter susceptionem Ordinis Sacri. num.4.
Quæ conditiones ad illam requirantur. num.5.
Non inducitur nisi per actus approbatos à Religione. num.6.
Quid de illis qui Nouitiatum gesserunt in locis non approbatis. num.7.
Redditur nulla propter easdem causas sicut expressa. num.8.
Propter defectum, anni integri Nouitiatus. num.9.
Propter defectum anni continui. num.10.
Qualis continuitas Nouitiatus requiratur. ibid.
Propter defectum ætatis sexdecim annorum. num.11.
Quid de priuilegio Pij V. pro Ordine Prædicatorum. num.12.
Propter defectum auctoritatis in recipiente ad professionem. num.13.
Propter defectum sexus conuenientis. num.14.
Propter seruitutem, seu ligamen Matrimonij. numero 15.
Propter coactionem. num.16.
Propter defectum rationis. num.17.
Propter defectum occultum super quo protestatum est, quòd si illum celaret Nouitius, Professio ipsius irrita esset. num.18.
De aliis causis remissiuè. num.19.
Impedimenta ad professionem alia perpetua, alia temporalia. num.20.
De ratificatione professionis inualidæ. ibid.
De quinquennio requisito ad reclamandum. num.21.
Quomodo intelligendum. ibid.
De circumstantiis ipsius. num.22.
Professio inualida non validatur præcisè propter cursum temporis. num.23.
Quid faciet Religiosus inualidè professus, sed non potens probare inualiditatem. num.24.
Bona professorum propria, quæ non professis conuenire non possunt. num.25.
Quando professio inualida obligat, vt votum simplex. num.26.
Votum circa præcedentiam cuiusdam ratificantis suam professionem. num.27.
Si ratificauit ob defectum Nouitiatus in loco designato, præcedentia sumi debet à tempore professionis omissæ. num.28.
Ex Breui Vrbani VIII. num. 29.
Si id fecit ob prætensam coactionem, seu vim standum Iuri communi. num.30.
Professio talis Religiosi fuit inualida. num.31.
Confessione partis non potest afferri melior probatio. num.32.
Credere præsumitur quis, quod verbis profert. numero 34.
Non obstat si dicat fuisse deceptum. num.34.
Iure communi præcedentia sumitur à ratificatione. num.35.
Quia sumitur à tempore, quo quis est verus Religiosus. num.36.
Sumitur à tempore, quo aliquis est Regularis illius Religionis. num.37.
Transeuntes à quo tempore sumant præcedentiam. num.38.
Non entis, nullæ sunt qualitates. num.39.
Non obstat regula Iuris, quod ratihabitio retrotrahatur ad diem actionis. num.40.
Intelligitur quando non adest præiudicium tertio. num.41.
Nec obstat acceptatio facta à Religione. num.42.
Quia fuit ex errore. num.43.
Nec obstant aliqui Auctores in contrarium. num.44.
Quia solùm videntur loqui in foro conscientiæ. numero 45.

De hac etiam materia non pauca dixi *tom.1. cap.2.3. & 24.* ac *supra verbo Nouitij, & Nouitiæ Religionum.* Alia tamen addenda in præsenti, maximè conformiter ad noua Decreta, & declarationes Sacrarum Congregationum. 1

Primò ergo, professio propriissimè est promissio obedientiæ, paupertatis, & castitatis. Syluester *in Summa verbo professio, & verbo Religio 3. in principio* ex S.Thoma 2.2. *quæst.178. art.7.* Est autem, iuxta dicta dicto *cap.2. num.5.* duplex. Scilicet expressa, & tacita. Expressa est illa, quæ fit verbo, vel scripto; tacita verò, quæ fit sine verbo, vel scripto. Noster Ioannes Bacco *in 4.distinct.3.quæst.4.art.3.* Syluester *dicto verbo Religio 3. quæst.1. & 19.* Sanchez *lib. 5. in Decalog.cap.3.num.1.* Fiebat autem professio tacita antiquitus variis modis, qui ad duos referri possint, scilicet, per exercitium actuum professorum, seu qui proprij professorum sunt. *cap. vidua de Regularib.* per delationem habitus professorum. *cap. ad nostram de Regularib. & cap. constitutionem eiusdem tituli in 6.* De quibus, ac de conditionibus iure antiquo requisitis ad talem professionem tacitam, agunt Angelus, & alij Summistæ *verbo Nouitius.* Syluester *supra.* Azor. *tomo 1. Institut. moral. lib.12. capitulo 4. quæstione 3.* Corduba *in exposit. Regulæ sancti Francisci quæst.12. cap.2.* Sanchez *supra à num.20.* Layman. *l.4. de statu Relig.cap.5.num.1.* De quibus, & nos *infra.* 2

Circa quam professionem tacitam nota primò, illam sublatam non esse per Concilium Tridentinum, sed in suo pristino valore manere, dummodo in ea obseruentur duæ conditiones ab eod. Concilio *sess.25. de Regular. cap.15. & 16.* assignatæ. Scilicet, quod ea non valeat ante expletum integrum Nouitiatus annum, & decimum sextum profitentis. Azor. *supra quæst.6.* Nauarr. *consil.28.num.5. de Regularibus in 2.editione*, Sorbus *in Compend. Priuilegior. Mendicant. verbo Nouitius vers. quid autem dicendum*, Layman. *supra.* Sanctarellus *variarum qq. quæst.48. num.51.* Tamburinus *de Iure Abbat. tom.3. disput.6. quæsit.13. num.10.* Idque constat manifestè non solùm ex Sixto V. in declaratione suæ Constitutionis *de illegitimis* apertè supponente tacitam professionem his temporibus validam esse posse, vt bene 3

Suarez *tom.3.de Relig. lib.6.cap.1. num.8.* sed etiam ex declaratione Sacræ Congregationis, quam referunt idem Suarez, & Armendariz *in Additionib. ad Recopilat.leg. Nauarræ. lib.7.tit.18.de Relig. num.6. & 8. lib.2.* quos sequuntur Barbosa *in Collectaneis Bullarij verbo Professio Regularis*, & Nouarius *in Lucerna Regularium verbo professio num.24.* Id quoque à Sacra Rota sæpius determinatum est, præsertim in vna Vlixbonensis *Professionis* 10. Decembris 1621. coram Domino Merlino, & in alia Metensis *Professionis* coram Domino Carillo II. Iunij 1621. Specialiter etiam quoad Moniales id video etiam decisum à Sac. Congregatione, prout referunt Vecchius *in Praxi Nouitiorum disp.14.dub.7.num.4.* & Tamburinus *de Iure Abbatissar. disp.6. quæsit.1. num.9.* his verbis: *Moniales, quæ eius Ordinis sunt, qui requirit professionem, si tacitam professionem emiserint, etsi palam, & expresè id faciendum non fuit, cogendæ non sunt, vt expresè profiteantur. Etenim singula Monasteria liberum habent tacitè, vel expresè profitendi.* [Video etiam Sacram Congregationem Concilij in vna Canensi 14. Decembris 1624. declarasse professum inualidè expresè ob defectum anni approbationis censeri tacitè professum, & potiri priuilegiis Religionis, intellige, post expletum probationis annum.]Sublatæ tamen sunt eæ tacitæ professiones, quæ antiquitus inducebantur statim delato habitu professorum distincto patenter à nouitiorum habitu, cum exercitio actuum professorum, vel altero horum concurrente cum tridui perseuerantia, etiam ante expletum 16. annum. Quia Concilium loco relato requirit integrum annum Nouitiatus, & 16. annum expletum. Sed possent habere locum ij textus quando transacto integro nouitiatus anno, expletisque sexdecim annis, quis indueretur habitu professorum distincto patenter à nouitiorum habitu; vel vnà cum aliis professis exerceret actum iure, vel consuetudine solis professis competentem. Azor. *supra q.6.* Sanchez *supra num.37.* Vecchius *supra dub.8.* Peyrinis *tom.1. de subdito quæst.1. cap.26. §.3.* Barbosa *de Iure Ecclesiastico libro 1. capit. 42. numero 162. & 163.*

4 Nota secundò, vltra prædictos modos professionis tacitæ non incongruè etiam assignari posse alium, qui est per receptionem Sacrorum Ordinum. Ex susceptione enim ordinum professio tacita inducitur, vt censuit S. Congregatio Cardinalium negotiis Episcoporum, & Regularium Præpositorum in vna Beneuentana 20. Decembris 1619. in hæc verba: *Cum frater Andreas Ponsettus in Religione per octennium permansisset absque eo quòd professionem emisisset, dicto autem tempore, Patre Magistro Curiario instante, Sacros Ordines suscepisset, petiit facultatem habitum dimittendi sibi concedi. Sacra autem Congregatio respondit, quòd susceptio Ordinum professionem tacitam inducit.* Barbosa *supra num.167. & in Collectaneis Bullar. verbo Professio Regularis.* Nouarius *in Lucerna verbo Professio num.23.* Et sanè ita videtur dicendum, cum susceptio Sacrorum Ordinum ad titulum paupertatis professæ qualiter eos suscipere possunt Religiosi, actus proprius professorum sit. Fauetque concessio Iulij II. pro Augustinianis, in qua habetur, quòd quicunque nouitius, qui promoueretur ad Sacros Ordines, habetur pro professo. Cassarub. *in Compend. priuil. Mendicantium verbo Nouitius num.24.* Corduba *ibid. in Annotationib.*

5 Notandum tertiò, aliquas etiam conditiones, præter duas assignatas à Concilio, requiri ad hoc quòd his temporibus professio tacita inducatur, eo quòd illæ ante Concilium requirebantur, & ab ipso non sunt sublatæ. Prima est, vt actus, per quem tacita professio induci debet, fiat auctoritate, & consensu eius cuius est in eam Religionem admittere. Ratio est, quia nec professio expressa potest absque dicto consensu firma esse, ergo à fortiori nec tacita. Eadem enim, & par est ratio taciti, & expressi, nec tacitum plus operari potest, quam expressum, vt tradunt omnes scribentes *l.cum quid ff.si certum petatur.* Secunda conditio est, vt spontanea, & non coacta voluntate fiant ea, per quæ professio tacita est inducenda. Habetur expresè *capitulo vidua, de Regular.* Et constat ex ratione tradita. Si enim ad professionem expressam id requiritur, requiretur etiam ad tacitam. Tertia est, vt ea *scienter* fiant, nempe, vt iis actibus vtens norit eos ad solos professos pertinere. Quia cum hæc professio tacita præsumatur ex tacito vtentis consensu quo vult iis signis profiteri, data ignorantia cessat eius consensus præsumptio. Imò, & requiritur iis vtentem nosse per illos induci tacitam professionem. Quippe eius rei ignorantia efficiet deesse consensum tacitè profitendi. Quarta conditio est, vt iis actibus vtens verum profitendi animum habeat. Cum enim professio expressa consensu non existente sit irrita, à fortiori idem dicendum erit de tacita. Nec satis erit se habere negatiuè, nempe, nec habendo animum profitendi, nec non profitendi, sed positiuus profitendi per eos actus animus desideratur. Quia ij actus eatenus professionem tacitam inducunt, quatenus internum profitendi animum indicant. At in habenti se negatiuè nullus est internus profitendi consensus. Vltima est, vt iis professorum actibus vtens sit constitutus in legitima ætate iure petita ad professionis expressæ valorem. Quæ est ante Concilium pubertas completa, ex *capit. constitutionem de Regular. in 6.* & post illud ætas 16. annorum, iuxta dicta. Agunt de huiusmodi conditionibus Angelus, & Syluester relati, Rosella, Tabiena, & Armilla *verbo Nouitius.* Nauarrus *Commentario 4. de Regularib. à num.73.* Rodriguez *tom. 2. quæstionum Regularium quæst.17. art.1.* Azor. *dicto cap.4. & cap.2.* Sanchez *supra à num.14.* Portelus *in Dub. Regular. verbo Professio Nouitij num.4.* Addit Vecchius *supra dicto dub.8.* specialiter quod attinet ad professionem tacitam, quæ inducitur propter delationem habitus, eam non induci nisi habitus intra Monasterium deferatur. Barbosa *supra num.158.* ex Rotæ decisione, Menochio, & Azorio.

Ex prima autem conditione pro professione tacita assignata, scilicet, quod ea non inducatur nisi per actus approbatos ab eo ad quem interest ad Religionem admittere, infertur primò, quòd si in aliqua Religione esset statutum, vel consuetudo præscripta, vt liberum sit nouitios ante professionem expressam expellere; nulla tacita professio valeret in illa Religione, quia esset dissensus ex parte admittentis. Item, quia ea libertate gaudet nouitius ad exeundum qua Conuentus ad expellendum. Atque idem est dicendum, si constaret de expressa, vel tacita Conuentus voluntate non admittendi nisi expresè professos, vt vtrumque bene docent Nauarrus *lib.3. consil. tit. de Regularib. in 1. editione consil.30. n.3. in 2. consil.20. num.3.* & Sanchez ex illo *supra num.40.* 6

Infertur secundò, nulliter professos in Italia, & Insulis adiacentibus ob defectum Nouitiatus non habiti in locis designatis à Sede Apostolica, iuxta dicta *supra verbo Nouitij, & Nouitiæ Religionum* ex Decretis Clem. VIII. ibi adductis nullatenus etiam censeri debere tacitè professos, etiamsi Sacros Ordines suscepissent. Vt enim dictum est, tacita professio non inducitur nisi per actus approbatos ab eo, qui 7

auctoritatem

auctoritatem habet admittendi ad Religionem. Constat autem Summum Pontificem, ad quem principaliter spectat ad Religionem admittere, non approbasse aliquos actus ipsorum pro professione tacita, cum potius, vt constat ex eisdem Decretis, admissionem ad Religionem, & professionem in illa facta, in prædictis Conuentibus, omnino reprobauerit. Ad quod accedit, quòd cum professio expressa illorum inualida sit, multò magis id dici debet de professione tacita, cum iuxta dicta *supra num.* 5. eadem ratio sit taciti, & expressi; nec tacitum plus operari possit quam expressum. Præsertim, quia cum professio tacita eatenus vim habeat quatenus inde vera professio præsumitur, quoties ex aliquo defectu professio expressa, quæ vera est, nequit valere, à fortiori nec tacita, quæ est præsumpta, valere poterit. Sanchez *supra num.* 14. ex Nauarro.

8 Infertur tertiò ex ratione adducta, quòd ex omnibus causis, propter quas professio expressa redditur nulla, ex eisdem etiam nulla quoque reddatur tacita. Sanchez *supra num.* 18. *& lib. de Matrim. disput.* 37. *num.* 34 Quamuis autem huiusmodi causas *dicto cap.* 2. *&* 24. eiusdem primi tomi retulerimus, operepretium nihilominus videtur illas magis in præsenti declarare.

9 Prima ergo causa, propter quam professio quæcunque siue tacita, siue expressa, his temporibus post Concilium Tridentinnm irrita est, & nulla, est defectus anni integri Nouitiatus, iuxta dicta *supra*, & *dicto cap.* 2. *num.* 10. ex Decreto eiusdem Concilij ibi relato. Vnde professio aliter facta neque ad Religionem in genere, nec in specie, nec in foro conscientiæ obligat. Provt ex ipso Concilio, & declarationibus Sacræ Congregationis constat. Vecchius *in Praxi Nouitiorum disput.* 13. *dub.* 2. Garzia *de Benefic. part.* 11. *cap.* 9. *num.* 6. Diana 5. *part. tract* 2. *Resol.* 57. Nouarius *supra num.* 5. Tamburinus *de Iure Abbat. tom.* 3. *disp.* 6. *quæsit.* 11. Quamuis autem, iuxta dicta *supra verbo Annus num.* 8. sæpius ad hoc quòd annus dicatur completus sufficiat, quòd sit inchoata dies vltima illius anni, fallit tamen hæc regula in anno Nouitiatus. Video enim apud Barbosam *in Collectan. Bullarij verbo Professio Regulares*, & Nouarium *supra verbo Annus num.* 4. *&* 5. Sac. Congregationem declarasse, professionem emissam à Regulari non completo anni curriculo, etiam per duas horas, & emissam in anno Bisextili, non expectato lapsu illius diei, qui eo anno additur, esse inualidam. Cui consonant dicta eo *num.* 10. De quibus, & aliis ad hoc intentum spectantibus. Naldus *in Summa verbo Professio n.* 7. Portellus *in Dub. Regular. verbo Professio num.* 13. & Thesaurus *in Praxi part.* 2. *verbo Professio cap.* 1. An verò idem dici debeat de Nouitiis Ordinum Militarium, dixi eo *numero* 10. *& tomo* 1. *p.* 2. *cap.* 5. *num.* 17.

10 Quòd hic annus pro Nouitiatu requisitus debeat esse continuus, constat ex dictis eo *cap.* 2. *num.* 11. *& cap.* 24. *num.* 22. Quibus addendum, quòd licet Decretum Concilij de vno anno Nouitiatus habendo ante professionem, intelligi debeat de anno continuo, quia quoties in decreto aliquo, seu lege præscribitur aliquod tempus id necesse debeat esse continuum, provt ex pluribus probant Sanchez *dicto lib.* 5. *in Decalog. cap.* 4. *num.* 31. Suarez *tom.* 3. *de Relig. lib.* 5 *cap.* 15. *num.* 3. & Bonacina *de Clausura quæst.* 2. *punct.* 10. *difficult.* 2. §. 2. *num.* 3. eò præsertim, quia prædictus annus præscribitur, vt nouitius integrè, & perfectè Religionis asperitates experiatur, inter quas non infimum locum tenet eas sine intermissione perferre, sicut multò difficilius est continua quadraginta ieiunia perferre, quam interpolata. Nihilominus annus probationis in Nouitiatu non interrumpitur, si ex mala valetudine, Nouitius, præcedente licentia Superioris, extra Monasterium permaneat, vt decisum testantur ex Vecchio, Barbosa loco relato *de Iure Ecclesiastico num.* 126. & Nouarius *dicto verbo Annus num.* 8. & probant Gratianus *Discept. forens. cap.* 166. *num.* 14. Mendez *in Diuers. iur. argument. cap.* 15. *lib.* 2. Tamburinus *supra quæsito* 7. *num.* 16. Armendar. etiam *in addit. ad recopilat. leg. Nauarr. lib.* 2. *tit.* 18. *lib.* 7. *de Relig. num.* 13. Suarez *supra cap.* 4. *num.* 13. declaratum referunt à Sacr. Congreg. Nouitiam, durante probationis anno, curandæ valetudinis gratia, de licentia Superiorum, è Monasterio exeuntem, & postea regredientem, eodem tempore professionem emittere posse, ac si nunquam exiisset. De quo etiam Barbosa *supra num.* 27. & Nouarius *supra num.* 9. Et ratio huius esse potest, quia licet de ratione nouitiatus videatur esse quòd peragatur intra Claustrum Monasterij veluti formaliter, id est, quòd extra illud non exeat nouitius sine obedientia Superioris; non tamen videtur talis permanentia materialiter sumpta esse de substantia nouitiatus. Suarez *dicto num.* 13. approbans ex Nauarro quòd si Nouitius de mandato Prælati per magnam partem anni extra Monasterium versetur, etiam in Curia Principis tractans negotium Religionis, semper censeatur esse in probatione sine interruptione, & possit suo tempore professionem emittere, quia non est de ratione anni probationis manere semper intra septa Monasterij, sed ad probationem sufficit manere sub obedientia sui Superioris vbicunque nouitius fuerit. An verò hæc doctrina etiam verificetur pro nouitiatibus Italiæ, & Insularum adiacentium, consule dicta *cap.* 24. *num.* 22. *in* 1. *tom.* Nec etiam interrumpi nouitiatum, si nouitius retento habitu, perterritus seueritate, vel iracundia, vel minis, seu odio Superioris, aut Magistri, Monasterio abditè exeat, causa se celandi, dummodo habeat animum redeundi, tenent Tamburinus *supra num* 18. Barbosa *supra num.* 128. ex Vecchio, & aliis. Pro his tamen, & similibus casibus maximè aduertendæ sunt circunstantiæ egressus, scilicet an sint tales, ex quibus præsumi possit factum fuisse animo deserendi Religionem, si enim tales fuerint, vt ex illis præsumi possit nouitium sic egredientem egredi animo non redeundi, seu se constituendi extra obedientiam Prælati, tunc proculdubio interrumpetur nouitiatus. Secus verò si non adsit, aut præsumatur talis animus. Suarez *dicto cap.* 14. *num.* 14. Vecchius *supra disp.* 11. *dub.* 3. *numero* 15. Barbosa *dicto num.* 128. An autem hæc continuitas nouitiatus debeat esse vsque ad professionem intrinsecè, vt sic dicam, vel sufficiat annum ipsum esse integrum, etiamsi proximè non sequatur professio, & consequenter, si expleto anno probationis nouitius nolit profiteri, sed è Monasterio egrediatur, & postea iterum redeat, an prior annus probationis sufficiat ad professionem emittendam Priorem partem tenent Suarez *supra cap.* 15. *num.* 10. Vecchius *d. disput.* 11. *dub.* 3. *num.* 1. Posteriorem verò Rodriguez *tomo* 3. *quæst. Regular. quæst.* 15. *art.* 10. *ad finem*, Layman. *supra num.* 2. & Bonacina *supra num.* 4. post S. Antoninum, Angelum, Syluestrum, & alios. Quibus adhæreo, pro casu tamen quo conditio personæ, aut Religionis non est ita immutata, vt nouitius propter illam discontinuationem non censeatur difficultates Religionis moraliter explorasse. Præsertim, cum iuxta dicta *tom.* 1. *p.* 1. *cap.* 24. *num.* 41. ex declaratione Sacræ Congregationis, quàm communiter Auctores referunt, non obstante, quòd in Concilio Tridentino

sess. 25.

sess.25.capitul.16. sic habeatur: *Finito tempore Nouitiatus Superiores, Nouitios, quos habiles inuenerint, ad profitendum admittant, aut è Monasterio eos eiiciant*; nihilominus Superior Prælatus potest ex causa professionem differre. Sanchez *supra capitul.4.num.21.* & 34. Thesaurus *supra §.limita secundò.* Cui doctrinæ maximè fauet declaratio quædam Sacræ Congregationis, quam refert Barbosa *in Collectan. verbo Professus*, in qua deciditur, posse profiteri in Religione illum, qui cum esset duodecim annorum, & permanserit per annum integrum in Nouitiatu, postmodum habitu retento commoratus fuit domi suæ vsque ad tempus sexdecim annorum, quo reuersus fuit ad Religionem, & petiit professionem. Vide Dianam *3.p. Tract.2.Resolut.128.* [Pro casu tamen qui sæpius inter Regulares contingere solet, scilicet, quòd cum aliquis Nouitius Nouitiatum in totum, vel in partem iuxta morem Conuersorum peregerit, postea verò in professione ad Clericatum admittatur, vel aliquando etiam è contra; notandum est valde probabile esse talem professionem esse validam, & illum nouitiatum sufficientem fuisse pro tali professione facienda. Quia ad probationis annum legitimè implendum satis est quòd nouitius vno integro anno sub obedientia Prælati existat. Ita Tamburinus *de Iure Abbatum tom 3.disputatione 6. quæsit.17.num.8.* cui fauent plures Auctores asserentes non teneri nouitium omnes asperitates Regulæ experiri in specie, sed satis est si probet in genere perseuerando sub dicta obedientia Prælati per annum. Ita Suarez *tom.3. de Relig.lib.5.cap.14.num.15.* Rodriguez *tom.3.quæst.Regul.quæst.5.art.10.* Sanchez *in præcept.decalogi.cap.4.lib.5.n.52.* & Bartholomæus à S.Fausto *in Thesauro Religiosorum lib.5.q.249.num.3.* Laurentius de Peyrinis *tom.2. de Prælato q.3. cap.1. num.66.*

11 Secunda causa, propter quam quæcunque professio, siue expressa, siue tacita, redditur nulla his temporibus, est defectus ætatis 16. annorum, iuxta dicta *tom.1.p.1.cap.2.num.10.& cap.24. num.22.* vbi alia ad intentum. De quo etiam *supra verbo Ætas n.5.* & *verbo Annus num.9.* Debet autem esse, iuxta dicta eo *num.5.* 16. annorum completorum. De quo etiam Diana *3.part.Tractat.2. Resolut.57.* Thesaurus *supra capit.2.* Vnde practicanda venit opinio Riccij *in Praxi fori Eccles. resolut.656. in 1. edit. alias resolut.549.* quatenus post Gallettum *in Margarit.cas. conscient. in verbo profiteri* existimat nullam esse professionem, si deficiat vna dies ante dictum 16. annum completum. Nouarius *dicto verbo Professio num.14.* Licet oppositum teneant Campanile *in diuersor. Iuris Canonici rubr.12.capit.11.num.1.* & Barbosa *supra num.139.* existimantes professionem factam in vltima die anni 16. validam esse. Valida autem est professio post 16. annum facta, sed ante 18. vel vigesimum requisitum à statuto Ordinis Minimorum, vel SS. Trinitatis non annullante, aut irritante factam, quia professio non redditur nulla ex eo quòd simpliciter prohibita sit, prout in dictis statutis Rodriguez *tom.3.quæstion.Regularium quæst.17.art.20.* Miranda *tom.1.Manual.q.24.art.2.concl.2.* Peyrinis *de Subdito Relig.tom.1. cap.26.§.3.* Sanchez *supra cap.4.num.4.* Sicque referunt à Sacr. Congregatione decisum Armendariz *in addition. ad recopilat. leg. Nauar. d.l.7. de Relig. num.14.* Barbosa *supra num.141.* & Nouar. *supra num.16.& 17.*

12 His tamen non obstantibus professiones factas à Nouitiis Ordinis Prædicatorum, & aliorum communicantium cum ipsis in priuilegiis, quando sunt in articulo mortis constituti, ante 16. annum, validas esse, constat ex dictis *tomo 1.part.1. cap.24. num.42.& cap.25. num.39.* ex Priuilegio Pij V. vbi etiam alia ad intentum. De quo & Diana *5.p.Tract.3. Resolut.139.* Ad quod etiam deseruit declaratio quædam S. Congregationis, quam refert Barbosa *supra num.138.*

Tertia etiam causa, propter quam quæcunque professio redditur nulla, est defectus auctoritatis, seu potestatis in acceptante ad illam, iuxta dicta dicto *cap.2. num.25.* vbi & alia ad intentum. De quibus etiam Reginaldus *in Praxi lib.18.num.385.* Vecchius *supra disput.13.dub.2.* Tamburinus *supra quæsit.14.* Nota autem, quòd quamuis hoc solùm videatur esse necessarium pro professione expressa, illa enim debet fieri in manus Prælati facultatem habentis ad eam admittendam, suo etiam modo requiritur pro professione tacita; si quidem, iuxta dicta *supra num.5.* inter conditiones ad illam requisitas vna est, vt actus per quem inducitur, auctoritate, & consensu eius, cuius est ad Religionem admittere, fiat, seu, quòd idem est, iuxta dicta etiam *supra*, vt admissio ad illam sit consentiente Prælato, vel Religione. Layman. *supr. num.3.& 5.* 13

Quarta est, defectus sexus conuenientis Monasterio, in quo fit professio, iuxta dicta *dicto cap.2.n.20.* 14 Quid verò dicendum de fœmina, quæ fingens se esse virum professa est in Conuentu virorum, agunt Comitolus *lib.2.Respons. moral. q.28.* & Portelius *supra num.23.* apud quem etiam *in additione ad additionem ad dictum verbum professio*, latè de quodam casu fœminæ cuiusdam, quæ post professionem inter Moniales, in masculum erupit. De quo etiam dixi *supra verbo Irregularitas num.14.*

Quinta est, defectus libertatis, seu, quod idem est, seruilis conditio. De qua dixi *dicto cap.2.num.21.& cap.24. num.20.* De qua etiam, præter Auctores ibi relatos, agunt Azor. *tom.1.Institutio moralium lib.12. cap.1.quæst.3.* Vecchius *supra disput.2. dub.2.* Tamburinus *supra disput.6. quæsit.3.num.6.* Barbosa *dicto cap.42. num.2.* & sequentibus ex multis aliis. Ad hunc libertatis defectum reducitur etiam Matrimonij ligamen, etenim qui Matrimonium consummarunt nequeunt validè Religionem profiteri, nisi de consensu alterius coniugis, iuxta dicta *eo capit.24. numero 31. & cap.2. num.31.* vbi etiam alia ad intentum. Quid verò dicendum de Matrimonio etiam consummato infidelium, aut rato tantum etiam fidelium, habes ex dictis *eod.tom.1.p.1.cap.3.num.3.* De quibus etiam omnibus Reginaldus *in Praxi lib.18. num.377.& lib.30. num.68.* Bartholomæus à Sancto Fausto *in Thesauro Relig. lib.1. quæst.286. & l.5.q.81.* Vecchius *supra disput.14.dub.1.* Conexo *tractatu de Matrim.disp.6.* Portellus *supra à num.27.* Barbosa *supra num.7.* & sequentibus, ac Tamburinus *supra à num.4.* 15

Sexta est, coactio. Debet enim esse voluntarius Religionis ingressus, alioquin is qui cogitur fieri Religiosus non tenetur Regulam obseruare; nec valida est professio, nisi postea consensisset. *cap. præsens 20. quæst.3. cap.1. de Regularibus.cap.1. de iis, quæ vi.* Bonacina *supra difficult.2. §.1. numero 3.* Layman. *supra num.6.* Nota tamen, vim, & metum, debere esse grauem. Tum quia in Iure non habetur ratio metus leuis, tum quia metus leuis non irritat carnale Matrimonium, ergo neque spirituale, id est, professionem. Bonacina, & Laymanus relati, ac Thesaurus *in Praxi part.2. verb. Monialis capit.1. §. Amplia 1.* ex Rotæ decisione. Est autem metus grauis primò, metus mortis; secundò, mutilationis; tertiò, atrocis cruciatus; quartò, longi carceris; quintò, diuturni exilij; 16

exilij; sextò, seruitutis; septimò, stupri in viro, vel fœmina; octauò, amissionis honorifici status (hæc omnia habentur §. *quod metus causa*, *& Cod. eodem*, *& in 1. decretal. eod. titulo*) nonò, amissionis omnium bonorum, vel certè notabilis partis; nam sine his non potest homo commodè, & honoratè viuere; Decimò, infamiæ iuris, vel etiam facti, quæ difficulter possit abstergi. Fama enim præfertur opibus, iuxta illud Prouerb. 22. *Melius est nomen bonum, quam diuitiæ multæ.* Vndecimò, excommunicationis iniustæ, secus si iusta sit. Hæc enim facilè potest caueri sublata contumacia. Duodecimò, etiam metus grauis dicitur, si hæc mala liberis propriis timeantur, quia pro affectu naturæ parentes magis in liberis terrentur, vt habetur *in l. isti quidem* 8. *in fine §. quod metus causa.* Lessius *de Iustitia lib. 2. cap. 17. num. 35.* Quamuis autem non leuis controuersia sit an metus reuerentialis censendus sit grauis, ita vt annullet professionem. Quibusdam affirmantibus cum Nauarro, Rodriguez, & aliis, quos refert Sanchez *l. 4. de matrim. disput. 6. num. 17.* quibus iunge Dianam 3. *part. Tract. 2. Resolut. 92.* Aliis verò negantibus cum eodem Sanchez *ibidem num. 18.* Soto, Henriquez, & aliis, quos refert. Nihilominus istis adhærendum videtur, dicendo quòd metus reuerentialis solus non sufficiat, nisi sit coniunctus cum timore incurrendæ grauis, ac diurnæ offensionis, cum asperitate vultus, verborum, & tractationis, & maximè timore subtractionis rei necessariæ, seu congruæ sustentationis, seu eiectionis de domo, vel grauibus minis, aut importunis, & inculcatis precibus. Prout ex variis iuribus, & Doctoribus probant idem Sanchez *supra disput. 7. à num. 5. vsque ad 8. & tom. 1. p. 1. in Decalog. lib. 4. numero 8.* Lessius, Layman, & Thesaurus *supra* ex notabili decisione Rotæ, & aliis Doctoribus. Vide alia quoad Monialium coactionem *supra verbo Moniales num. 10.*

17 Septima est, defectus vsus rationis, siue per dementiam, siue per furiam, aut quid simile, iuxta dicta *dicto capitulo 2. num. 24. & cap. 24. num. 18.* Habentes enim talem defectum carent libertate requisita ad Religionem. De quo Syluester, Azor. Sanchez, & Bonacina iis locis relati.

18 Octaua est, ille defectus occultus, super quo protestatum est Nouitio, quòd si illum haberet, & celaret, professio inualida esset, iuxta dicta eo *capitulo 2. numero 23. & cap. 24. num. 26.* Quod intellige, etiamsi talis defectus non sit contrarius sententiæ Religionis. Etsi enim iuxta dicta eo *num. 23.* defectus non repugnans substantiæ Religionis, qualis est morbus Gallicus, morbus caducus, commisisse aliquod delictum, originem trahere à parentibus infidelibus & infamibus, aut quid simile, non irritet professionem: si tamen habenti illum, protestatum est de nullitate professionis, si illum celaret, professio nulla erit illo celato. De quo præter Auctores eo loco relatos, Miranda *in Manuali tom. 1. quæst. 30. artic. 4. conclus. 1.* Suarez *tom. 4. de Relig. lib. 2. cap. primo numero 29.* Vecchius *in Praxi disp. 14. dub. 15. & disp. 4. dub. 1.* Diana 4. *part. Tract. 4. Resolut. 188.* Bordonus *Resolut. 8. num. 10.* & Thesaurus *in Praxi part. 2. verbo Professio cap. 3.* Pro quo etiam vide dicta *supra verbo Neophytus Regularis.* Nota autem, quòd quamuis circa huiusmodi protestationem, & modum quo facienda sit, dissentiant Doctores, illud tamen videtur certius eam sufficere, quæ de facto intimata sit tacitè, vel expresè Nouitio professuro. De quo Vecchius, & & Thesaurus *supra.*

19 De aliis porrò causis, quæ irritare possunt professionem, quales sunt appositio conditionis contrariæ substantiæ Religionis, & fictio, seu animus non promittendi, dixi eo *cap. 2. num. 26. & 27.* Item an conditiones designatæ à Sixto quinto. Pro informationibus Nouitiorum sint ita de substantia professionis, vt defectus illarum ipsam irritet, habes ex dictis eo *cap. 24. num. 12. & sequentibus*, & *supra verbo Nouitij*, & *Nouitiæ Religionis num. 21.* Similiter an defectus Nouitiatus habiti in locis non approbatis à Sede Apostolica pro Italia, & Insulis adiacentibus professionem annullet, dixi *supra dicto verbo Nouitij*, & *Nouitiæ num. 3.*

Pro prædictis autem casibus, in quibus professio est nulla propter dicta impedimenta, aliqua animaduertenda sunt. Primò, aliqua impedimenta ex ipsis esse perpetua. Alia verò solùm temporalia. Perpetua dicuntur illa, quæ perpetuò, & inseparabiliter personæ inhærent, nec ab ipsa auferri possunt, sed eam semper, & pro semper inhabilem ad professionem faciunt; qualia sunt sexus virilis ad profitendum inter Moniales, & sexus fœmineus ad profitendum inter viros. Huius generis erunt impedimenta illegitimorum, criminosorum, & obnoxiosorum debitis, & ratiociniis, iuxta dispositionem Constitutionis *Cum de omnibus* Sixti V. quam retuli *tom. 1. part. 1. cap. 24. num. 12. & 15.* Licet, vt ibidem dixi, moderata sit his temporibus à Clement. VIII. Huius etiam generis sunt impedimenta aliqua per particulares Constitutiones Religionum posita, per quæ inhabiles omnino redduntur ad professionem. Temporalia verò dicuntur illa, quæ, etsi inhabilitent ad professionem, sed non perpetuò, quia possunt postea amoueri, vt defectus ætatis, defectus consensus. Sanchez *lib. 7. de Matrimon. disput. 37. num. 30.* Bordonus *supra num. 4.* Ex quo fit professionem factam cum prioribus impedimentis nunquam ratificari posse, seu, quod idem est, de nouo fieri, ita vt valida sit, cum semper perseuerent ipsa impedimenta, bene tamen factam cum posterioribus impedimentis, propter oppositam rationem. Et ita supponunt Sanchez, & Bordonus relati, aliique communiter. Qualiter autem ad ratificandum professionem factam cum aliquo ex prædictis impedimentis temporaneis non requiratur reiteratio Nouitiatus, sed sufficiat quòd suppleantur ea, quæ primò defuerunt, dixi dicto *cap. 2. num. 9.* De quo etiam Lessius *lib. 2. de Iust. cap. 41. num. 66.* Suarez *tom. 3. de Relig. lib. 7. cap. 1. num. 8.* Vecchius *supra disp. 14. dub. 5.* Bonacina *supra d. punct. 10. difficult. 1. num. 5.* Quod intellige, quando Nouitiatus fuit integer, & validus. Si enim inualidus, & irritus fuit, reiterari debet. Ita enim declaratum sæpè est à S. Congregatione *circa sess. 25. cap. 15. Concilij Tridentini.* Suarez, & Vecchius supra post Nauarrum *Consil. 26. de Regularib. num. 17. & 19.* & alibi, ac Rodriguez *p. 2. Summ. cap. 5. num. 2.* Licet oppositum probabiliter etiam tueantur Lessius, & Bonacina relati, ac Portellus *verbo Nouitij annus num. 52.* Peyrinis *tom. 1. de Prælato quæst. 3. cap. 1. §. 5. num. 147.* Bordonus *supra num. 76. & 77.* post Azorium, Sanchez, & alios, pro aliquibus saltem casibus, & præcipuè, quando per talem Nouitiatum sufficienter expertus fuerit Nouitius austeritates Ordinis. De modo autem repetendi talem annum probationis, & an necessarium sit non solùm habitum Nouitiorum suscipere, sed & modum viuendi ipsorum obseruare, agit Suarez *supra num. 9. & sequentibus.* Quando autem censeatur Religiosus ratificare professionem aliàs inualidam, dixi eo *num. 9.* De quo etiam Lessius *supra*, & Bonacina *d. diff. 5. num. 1.* Similiter, qualiter ad ratificationem talis professionis inualidæ ob defectum aliquem temporalem probabile sit, non requiri nouum consensum

sensum Religionis, dixi eo *cap.2. numero* 7. De quo etiam Peyrinis *supra num.*146. Tamburinus *supra quæsit.*23. Bordonus *supra n.*74. post Azorium, Sanchez, Rodriguez, Suarez, & Vecchium. Quod intellige, pro casu quo Religio tempore professionis inualidæ verum consensum habuerit. Si enim antea non consensit, sed potius restitit, necessarium videtur quòd de nouo habeatur consensus illius. Idem Bordonus *dicto n.*74. *&* *n.*60. Illud certius, in ratificatione professionis antea inualidæ opus non esse iteratione Cæremoniarum, quæ ex consuetudine, vel Constitutionibus Religionis adhiberi solent. Tum quia non sunt de substantia. Tum quia neque iterantur benedictiones in Matrimonio antea inualidè celebrato, tum quia istæ antea adhibitæ fuerunt. Peyrinis *supra num.*151. Bonacina *supra num.*4. ex Nauarro, Azorio, & Sanchez.

21 Secundò animaduertendum, quòd pro nulliter professis Concilium Tridentinum *sess.*25. *de Regularib. cap.*19. hæc statuit. *Quicunque Regularis prætendat se per vim, & metum ingressum esse Religionem, aut etiam dicat ante ætatem debitam professum fuisse, aut quid simile, velitque habitum dimittere quacunque de causa, aut etiam cum habitu discedere sine licentia Superiorum, non audiatur nisi intra quinquennium tantum à die professionis, & tunc non aliter nisi causas, quas prætenderit, deduxerit coram Superiore suo, & Ordinario. Quod si ante habitum sponte dimiserit, nullatenus ad allegandum quacunque causa admittatur, sed ad Monasterium redire cogatur, & tanquam Apostata puniatur. Interim verò nullo priuilegio suæ Religionis iuuetur.* Circa quod Decretum, præter dicta *dicto cap.*2 *num.*7. *&* 8. & *supra verbo Causa Iudicialis Regularium num.*9. & *verbo Episcopus quoad Regulares num.*11. *&* 12. & *supra verbo Nouitij, & Nouitia Regularium*, vlterius animaduertendum, iuxta dicta loco immediatè relato, dispositionem istam Concilij non solùm habere locum in impedimentis ibi expressis, scilicet, vis, metus, & defectus ætatis, sed etiam in aliis similibus. Tum quia illa ponuntur exempli gratia, non autem ad excludendum [illegible], cum exempla regulam non restringant. *l. damni infecti ff. de damn. inf.* Tum quia hoc indicat illa particula *aut quid simile*. Item illa *quacunque de causa* in supradicto capite expressa, aliter essent superfluæ, quod dicere magnum absurdum est; in Iure enim neque vna syllaba superfluere debet. Glossa *versic. tanquam capit. solitæ de maior.* Tum quia terminus *quicunque* propter eius generalitatem comprehendit casus etiam dissimiles, vt habet Glossa *verb. quamuis initio Clem.*1. *de sent. & re iud.* Bordonus *Resolution.*23. *num.*3. ex Sanchez, & aliis. Procedit autem hæc dispositio Concilij solùm de reclamantibus de nullitate professionis propter impedimenta temporalia, non propter impedimenta perpetua. Qui enim cum impedimento perpetuo professi sunt, etiam elapso quinquennio audiri possunt. Ratio est, tum quia quod fauore alicuius introductum est in ipsius damnum retorqueri non debet. *l. quod fauore Cod. de leg. & Regul. quod in gratiam de Reg. iur. in* 6. Si autem Religiosus laborans perpetuo impedimento dirimente professionem è Religione exire non posset, Religio detrimentum pateretur, quia cogeretur retinere perpetuò inhabilem, quod videtur contra Concilij mentem, cum hoc Decretum in fauorem Religionis ediderit. Tum quia Concilium denegat audiri post quinquennium, quia præsumit Religiosum consensisse; hæc autem ratio cessat in habente perpetuum impedimentum, cum ipsius consensus validus esse non possit. Tum quia sequeretur mulierem, quæ mentito sexu, professionem in Monasterio emisit, cogi in eodem Monasterio remanere. Quod est absurdum, Nauarrus *l.*3. *consil. tit. de Regularib. in* 1. *edit. consil.* 5. *num.*12. *& consil.*25. *num.*2. *& vlt. & in* 2. *consil.*26. *num.*2. *& consil.*48. *num.*2. *& fin.* Sanchez *l.*7. *de Matrim. disp.*37. *num.*32. *&* 33. Suarez *tom.*3. *de Relig. l.*7. *capitulo* 4. *num.*7. 8 *&* 9. Sanctarellus *dicta quæst.*48. *num.*36. Bonacina *dicto punct.*10. *difficult.*4. *num.*7. Barbosa *de Offic. & potestat. Episcopi Allegat.*104. *num.*20. Thesaurus *in Praxi part.*2. *verbo Professio cap.*1. §. *amplia secundo.* Idem dico de habentibus impedimentum temporale durans etiam post quinquennium, si illud irritet professionem, vt si professi sunt ex metu, vel cum defectu ætatis, & hæc etiam durent post quinquennium. Quia cum Tridentini Decretum fundetur in præsumptione ratificationis professionis irritæ, cum talis ratificatio eo tempore esse non possit, (quia, vt diximus, ea impedimenta, quæ inualidant professionem expressam, inualidant etiam tacitam) cessat præsumptio Concilij. Sanchez *supra num.*34. Portellus *supra verbo Professionis nulla reclamatio numero* 52. Cum etiam eo *cap.*2. *num.*7. dixerim, non obstante taxatione quinquennij à Concilio facta, audiri posse reclamantes post illud, si legitimas causas allegauerint ob quas non potuerint intra prædictum tempus reclamare, ideo probabiliter satis, non reclamantem intra quinquennium, vel quia fuit impeditus, vel quia ignorauit iusta ignorantia suam professionem esse irritam, posse reclamare, etiam post quinquennium, resoluunt non solùm Nauarrus eo loco relatus, sed etiam Azor. *tomo* 1. *lib.*12. *cap* 4. *quæst. vltim.* Sanctarellus *dicta quæst.*48. *num.*3. Diana 3. *part. Tractat.*2. *Resolut.*53. *&* 62. Pasqualigus *decis.* 432. & maximè Suarez *dicto cap.*4. *num.*6. Propterea subdens, quod licet Concilium dicat, quinquennium esse computandum à die professionis, intelligendum est per se; per accidens verò, interueniente ignorantia probabili, computandum esse à die quo cœpit quis habere scientiam de nullitate professionis. Quod confirmatur, quia Concilium voluit concedere quinquennij tempus habile ad ratificandum professionem, sed quandiu ignoratur nullitas professionis non potest ratificari, ergo non debet tempus illud in hoc quinquennio computari. Suarez *supra.* Vide tamen circa hoc aliquas declarationes Sacr. Congregat. quas referunt Barbosa *in prædictum locum Concilij*, & Sanctarellus *supra.* Attende etiam ad praxim, & stylum Curiæ, qui talis est, vt quoties elapso quinquennio quis vult dicere de nullitate, adit Pontificem, vel Sacram Eminentissimorum Cardinalium Congregationem, & allegato iusto impedimento non reclamandi intra talе tempus, illisque summariè cognitis, impetrat talem facultatem, per viam saltem extraordinariam restitutionis in integrum. Portellus *supra verbo Professionis nulla reclamatio num.*45. Nouarius *in Lucerna verbo Reclamare num.*5. Nota autem tale impedimentum, vel ignorantiam reclamandi intra quinquennium, minimè probari iuramento ipsius reclamantis. Sanchez *dicta disp.*37. *n.*14. Rodriguez *in addit. ad Summ. cap.*65. *n.*6. Nouarius *supra num.*6. Comprehenduntur quoque sub isto Decreto milites S. Ioannis Hierosolymitani, prout constat ex declaratione S. Congreg. quam referunt Barbosa *super illud*, & Suarez *supra num.*10.

22 Circa circunstantias autem prædicti quinquennij ad reclamandum nota, quòd illud in professione expressa incipit per se, vt dixi à die, quo quis illam emisit, in tacita verò, à die, quo fecerit actus solummodo professis proprios, quibus inducitur. Barbosa *dicta Allegat.*

Allegat. 104. *num.* 16. ex Miranda, Azorio, & Bonacina, quos etiam sequitur Nouarius *supra num.* 2. *&* 3. [Si autem quæras an dies ipsa professionis, computetur in quinquennij spatio. Respondeo affirmatiuè, eo quod tempus in materia Iuris alteri contraria debet esse completum, & computandum non solùm à die in diem, sed à momento in momentum. *l.* 3. §. *Minorem. ff. de minorit.* Tamburinus *de Iure Abbat. tom.* 3. *disp.* 6. *quæsit.* 25. *num.* 6. conformiter ad doctrinam Sayri, Sanctarelli, Bonacinæ, & aliorum, quos refert.

Vnde solus Ordinarius non potest processum talis nullitatis facere sine dicto Prælato Regulari. Portell. *in Responsionib. Moral. tom.* 2. *casu* 14. *q.* 2. *& casu* 93. vbi agit de quodam Ordinario, qui excõmunicauerat Prælatum cuiusdam Religionis, eo quod nollet tradere illi quendam Religiosum propter crimina ab ipso commissa in carcere detentum, qui prætendebat se nulliter professum.] Quoad eos autem coram quibus facienda est huiusmodi reclamatio de nullitate, nota ex declaratione Sacræ Congregationis, quam referunt Barbosa *super illud cap. Concilij, & in Collectaneis Bullarij verbo Professio Regularis,* Tamburinus *supra quæsit.* 26. ac Nouarius *supra verbo Professio,* eam fieri debere coniunctim coram proprio Superiore Regulari illius Monasterij, in quo professionem emisit, & coram Ordinario illius loci, vbi Monasterium existit. Si autem huiusmodi causæ intra biennium non determinentur, ad Iudices Superiores trahi possunt, iuxta Decretum eiusdem Concilij Tridentini *sess.* 24. *cap.* 20. Nisi assignentur causæ legitimæ, propter quas non sunt definitæ. Ita enim habetur ex declarationibus Sacræ Congregationis, quas ex Armendariz, Leone, Riccio, & Barbosa retuli *supra verbo Causa iudicialis Regularium num.* 9. Quomodo autem facienda sit huiusmodi reclamatio cum habitu, dixi eo *cap.* 2. *num.* 8. De quo etiam Diana *supra dicta Resolut.* 53. & Tamburin. *supra num.* 2. [Notat autem idem Tamburinus *quæsit.* 25. *num.* 10. reclamantem scienter contra professionem validam, & resiliendo propterea à Religione censeri debere, vt Apostatam, quia iniustè & illegitimè recedit à Religione, in qua validè professus est.]

23 Nota quartò, professionem quomodocunque inualidam non validari præcisè propter cursum temporis, si de nouo non ratificetur. Ita enim habetur expressè ex Regula Iuris in 6. *Non firmatur tractu temporis, quod de iure ab initio non subsistit.* Confirmatur à simili de matrimonio, quod enim à principio semel nullum fuit, non incipit esse validum solùm propter fluxum temporis. Suarez *supra cap.* 1. *num.* 3. Peyrinis *supra num.* 143. Tamburinus *supra quæsit.* 17. *num.* 1. Deinde, professionem quomodocunque inualidam, ex vi sua nullam inducere obligationem in professo ad vota, Regulam, Constitutiones, &c. Ratio est, quia obligatio hæc solùm est effectus professionis validæ. Bonacina *supra difficult. prima num.* 1. ex Nauarro, Henriquez, Sanchez, & aliis. Dixi ex vi sua, quia ratione alterius circunstantiæ fieri potest, vt obligetur ad illa professus, vt si scandalum præbeat, Regulam, aut vota coram aliis non seruando. Quilibet enim tenetur scandali occasionem præcauere. Ita relati Auctores. Quamuis autem iidem Auctores, & alij, specialiter Lessius *libr.* 2. *capitulo* 41. *dub.* 7. *numero* 63. & Layman. *libro* 4. *Tract.* 5. *capit.* 5. *numero* 7. supponentes prædictum Religiosum inualidè professum cogi non posse ad ratificandum professionem, (provt est certum, siquidem professio debet esse actus omnino liber, & absque vlla coactione) consequenter etiam, & satis probabiliter supponant, quod si nolit spontaneè ratificare professionem inualidam, possit intra quinquennium auctoritate propria dimittere habitum, fugere è Religione, & ducere vxorem, secluso tamen scandalo, vel aliis circunstantiis extrinsecis: imò, & Prælatum id scientem posse illum occultè dimittere. Hæc tamen limitanda sunt primò, quando inualidè professus est certus de inualiditate suæ professionis, quando enim dubius est de illa, tenetur iudicare in fauorem Religionis, quæ possidet ipsum, iuxta dicta *supra verbo Dubia Regularium numero* 16. & tenent Sanchez *dicta disputatione* 37. *numero* 12. & Suarez *supra capitulo* 2. *num.* 6. Secundò, id etiam limitari debet pro casu quo ille non possit probare coram Ecclesia inualiditatem suæ professionis, si enim illam probare potest, debet vti remedio à Concilio designato, scilicet reclamando coram Ordinario, & Superiore suo. Licet enim hoc Decretum probabiliter satis intelligatur ab Auctoribus relatis solùm pro foro externo, non pro interno, aut foro conscientiæ; probabilius tamen est oppositum, non solùm propter pœnas, quas Concilium assignat, scilicet, quod habeatur vt Apostata, & quòd nullo Religionis suæ priuilegio fruatur, quæ pœnæ, cum sint graues nimis, supponere videntur culpam in foro conscientiæ, sed etiam, quia actus illi per sese videntur perniciosi bono communi, atque contra ius Religionis, vel saltem contra iustitiam legalem, quia quando aliquis habet ius ad rem, vel in re, quam alius possidet, præsertim iustè, non potest sua auctoritate illam vsurpare, sed debet vti auctoritate Iudicis, quando commodè potest. Quia oppositum est, contra bonum ordinem Reipublicæ, & non per accidens, sed per se inferre potest scandalum, & perturbationem. Ita Suarez *supra c.* 3. *n.* 11. Idem quoque videtur dicendum etiam post expletum quinquennium, in casu scilicet quo illi permittatur reclamare, saltem per viam extraordinariam restitutionis in integrum. Quia ratio tradita etiam probat pro eo tempore. Casu tamen quo talis reclamatio non sit tunc possibilis, probabile est quod Auctores supra relati tenent, scilicet, quòd, cùm Decretum Concilij fundetur in præsumptione, quà supponitur in foro externo professionem illam inualidam, saltem tacitè ratificatam fuisse à professo, ideo si inualidè professus certò sciat nunquam eam ratificasse, ac per consequens Iuris præsumptionem falsam esse, in conscientia obligatus non est ad manendum in Religione, sed per se loquendo, si graue scandalum, aliudve maius incommodum secutum non sit, dimisso habitu occultè fugere, atque vxorem ducere non prohibetur, aut à Prælato, occultè dimitti, scandalo cessante. Quemadmodum, iuxta plurium sententiam, Iudex, qui alioquin contra allegata, & probata absoluere non potest, si tamen publicè coniunctum reum certò sciat innocentem esse, potest ei occultè fugiendi aditum patefacere, modo scandalum absit. Ita Layman. *supra* ex relatis Auctoribus. Vide & Sanctarellum *dicta quæst.* 48. *à num.* 18.

Casu verò, quo prædictus Religiosus inualidè professus non possit inualiditatem suæ professionis in foro externo probare, nec è Religione exire, aut occultè dimitti propter scandalum, quòd inde sequetur, vel aliam impossibilitatem, tenetur suam professionem ratificare, seu inualidare, iuxta dicta *cap.* 2. *relato numero* 7. Ratio est, quia, licet absolutè, per se, & ex natura rei nullus possit cogi ad Religionem profitendam, cùm iugum Religionis sit valdè onerosum, iis præsertim, qui illud sponte non recipiunt, nihilo 24

nihilominus per accidens, scilicet ad maiora vitanda incommoda, & propter commune bonum, ad id obligari potest, qualiter contingit in proposito. Primò, propter dicta eo *num.7.* scilicet ad vitandam fictionem, & deceptionem non solùm Religionis, sed & totius Ecclesiæ. Cum enim illa eum habeat pro verò professo, ipse etiam verum professum esse procurare debet. Secundò, ad vitanda grauia pericula, quibus se exponit manendo in Religione non ratificata professione. Nam quæ propria sunt professorum, & professionem supponunt, ita vt solis professis conuenire possint, cum ipsorum præiudicio exequi, & subire cogetur, ita vt sine scandalo ea recusare non possit. Rodriguez *2.tom. Summæ cap.92. concl.5.* Suarez *supra cap.2. num.7. & 9.* Bonacina *dicta difficult.1. num.2.* Vecchius *supra disp.14. dub.2.* Bordonus *supra Resolut.8.* post alios.

25 Bona autem professorum propria, & quæ non professis nullatenus conueniunt, sed peccent illa vsurpando, sunt. Primò, ali bonis, redditibus, seu eleemosynis Religionis. Licet in hoc excusari possint tales fictè professi, si obsequia, quæ ipsi præstant Religioni, ipsis æquiualeant. Secundo, habere locum, & præcedentiam inter professos. Tertiò, posse confiteri sua peccata Sacerdoti approbato solùm à Superiore Regulari, & non ab Episcopo, seu Ordinario. Quartò, frui priuilegiis Religionis, quæ solùm veris professis concessa sunt. Neque obstat, ea etiam, iuxta dicta *supra verbo Nouitij, & Nouitia Religionum à n.34.* extendi quoque posse ad Nouitios. Nam isti fictè professi non sunt Nouitij, cum non sint in probatione, nec, vt tales à Religione habeantur; nec veri professi, vt supponitur, sed solùm falsi, intrusi, & supposititij professi contra voluntatem Ecclesiæ, & Religionis. Verum quidem est posse dici frui prædictos illis priuilegiis, quæ Religioni concessa fuerint pro suis commensalibus, & domesticis. Sed ista pauca sunt. Quintò, disponere de bonis suis iuxta Concil. Trid. *sess.25. c.16.* Sextò, specialiter, si fuerint Choristæ, vel Choro designati, habere vocem actiuam, & passiuam in electionibus. Septimò, ordinari ad titulum paupertatis professæ, & non alicuius beneficij, aut patrimonij. Octauò, ordinari per dimissorias concessas à Prælatis Regularibus. Nonò, admitti ad gradus, & honores Religionis. Decimò, eligi ad officia, & dignitates Religionis. De quibus omnibus Sanch. *dicta disp.37. n.37.42. & 43.* ex Nauarro, & Rodriguez; Peyrinis *supra num.141.* Bordonus *supra num.31. & sequentibus.* Apud quos alia ad intentum. Vide aduertentiam pro Dominis Episcopis conferentibus Ordines Regularibus, quam retuli *supra verbo Ordines Sacri num.17.*

26 Pro casibus, in quibus professio inualida obligat, saltem vt votum simplex, ad promissa, vide dicta *tom.1.p.* relato *cap.2.num.28.* cum Auctoribus, quos ibi refero. Alia quoque ad intentum habebis *infra verbo Vota Regularium.*

27 Iungendum dictis votum, quod dedi circa præcedentiam cuiusdam Religiosi, qui, cum protestatus esset de nullitate suæ professionis, postea eam ratificauit, & confirmauit: quærebatur enim à quo tempore accipienda esset talis præcedentia, an à die professionis emissæ, an à die ratificationis, seu confirmationis. Quod tale fuit.

28 Si prædictus Monachus suam professionem ratificasset ob defectum anni Nouitiatus non habiti in loco designato à Sede Apostolica, proculdubio eius antiquitas, seu præcedentia sumi deberet à tempore professionis emissæ. Ita enim statuit pro illis, qui præfatum Nouitiatus annũ in locis designatis à Sede Apostolica non peregerant, quando suam professionem ratificassent. Vrbanus VIII. litteris datis 11. April. 1631. 29
quas refero *tom.1. Summæ c.24.r.24.* Quia tamen ratificatio professionis huius Religiosi non fuit ob prædictum defectum, sed prætendebat se coactione, vi, & metu talem professionem emisisse, ideo standum erit iuri communi, & non prædictis litteris Vrbani. Suppono autem professionem dicti Religiosi inualidam 30
fuisse. Ita enim ipse confessus est, vt patet ex casu relato. Confessione autem partis non potest afferri melior 31
probatio *l. cum precum C. de liberal. caus.* Gabr. *de confess. concl.4. n.1. & seq.* Rota coram Ludouisio *decis.200. n.2. & decis.458. n.3.* ac in vna Colonien. *præcedentiæ* 9. Iunij 1627. *n.2.* coram Vbaldo. Accedit, quod credere præsumitur quis, etiam in foro conscientiæ id, quod verbis exprimit, Bald. *in Marga. verbo credulitas vers.2.* Bertachinus *in repertorio, verbo credo.* Item credendum est cuilibet in arte sua. Bertachin. *ibid.* 32 33

Nec obstat si respondeat deceptum fuisse, existimando fuisse talem coactionem, vim, aut metum in sua professione. Quia, qui nimis credulus est, sibi imputare debet *l. miles §. pen. ff. de adult. authen. hodie C. eod. cap. relatum, qui filij sint legitimi l. nimia credulitate C. de act. & obligat.* 34

In iure ergo communi stando, si non obstant Constitutiones præfatæ Religionis, videtur solùm sumendam esse antiquitatem, seu præcedentiam huius Religiosi à die ratificationis suæ professionis. Ratio est, quia antiquitas, seu præcedentia in Religione solùm sumitur à tempore, quo aliquis est verè Religiosus, nullus autem constituitur vere Religiosus, nisi per legitimam, & veram professionem *c.1. de Regularib. in 6. cap. porrectum de Regularib.* Glossa *in c. v. dua eod. tit.* Nauar. *l.3. consil. de Regularib. consl.17. n.1.* Ergo solùm à tempore ratificationis professionis sumenda est antiquitas, & præcedẽtia. Confirmatur, quia antiquitas, & præcedentia in Religione solùm sumitur à tempore, quo aliquis incipit esse Regularis illius Religionis *l.1. ff. de alb. scribendo, argum. c.1. & cap. statuimus de maiorit. & obedient.* Nauarrus *supra consil.60.* Rodrig. *tom.3. quæst. Regular. q.52. art.29.* Miranda *in Man. Prælat. tom.1. quæst.31. artic.23.* Sanchez *lib.6. in Decalog. cap.7. num.86.* Bordonus *resolut.29. n.84.* propterea asserentes (vt ego *tom.1. cap.22. num.17.*) quod transeuntes ex vna Religione ad aliam, solùm debent habere præcedentiam à die professionis emissæ in posteriori Religione, quia solùm ab eo tempore sunt Religiosi illius, & numerantur inter membra ipsius. Quod etiam procedit in nostro casu. Siquidem iste Religiosus non incepit esse Religiosus huius Religionis, nisi à tempore ratificationis professionis, quæ fuit vera professio, non verò à tempore professionis, quam ipse confessus est fuisse inualidam ob metum, coactionem, &c. Confirmatur vlterius ex eo, quod, non entis, nullæ sunt qualitates *l. eius, qui in Prouincia ff. si cert. pet. cap. bonæ de elect.* Cum ergo dicta professio inualida fuerit, nullum pariet effectum antiquitatis, vel præeminentiæ, fauet huic doctrinæ Sanchez *lib.7. de Matrimon. disputat.37. num.68.* dum inquit, nulliter professum, ad hoc vt gaudeat antiquitate existimatæ professionis teneri impetrare dispensationem, & abstinere ab iis, quæ sibi ratione talis antiquitatis competebant, si sine nota id facere potest, fauet etiam Bordonus *resolut.8. num.67.* dicens ex Sellio, & Barbosa id decisum, videlicet nulliter professum quando ratificat professionem debere sedere iuxta secundam professionem, quod idem dicit *num. sequenti* de aliis iuribus, & priuilegiis professionis. 35 36 37 38 39

Nec

40 Nec obstat regula illa iuris *num.*10. vbi habetur *ratihabitionem retrotrahi ad diem, scilicet actionis, quæ ratificatur*, ex quo videtur colligi ratificationem talis professionis cum retrotrahatur ad diem professionis, inualidæ posse frui priuilegiis quibus frueretur, si talis professio valida fuisset. Respondeo enim
41 ratihabitionem istam non retrotrahi, aut habere suum effectum, quando per illam fit præiudicium tertio, prout contingere videtur in præsenti, siquidem Religiosi illi, qui professi fuerunt ante dictam ratificationem habent ius ad prætendendum antiquitatem, & præcedentiam supra prædictum Religiosum ratificantem suam professionem inualidam, argumento *l. si partem §. vlt. ff. quemad. seruitutes. cap. si pro te, & c. quamuis de rescriptis in* 6. prout ex variis auctoribus refert Barbosa *in collectaneis Doctorum super dictam regulam decimam numero* 7. 8. & 9.

42 Nec etiam obstat, quod Religio quantum est ex parte sua acceptauerit præfatum Religiosum ad suam antiquitatem, & præcedentiam à tempore primæ
43 professionis. Quia, cum id fuerit ex errore, seu existimatione, quod talis professio fuerit valida, nihil iuuare poterit illum, præsertim in præiudicium aliorum Religiosorum, vt dictum est.

44 Nec denique obstant Nauarrus *lib.* 3. *consiliorum de Regularibus in prima editione cons.* 46. *num. vltim.* & Bonacina *de clausura quæst.* 2. *punct.* 10. *difficult.* 1. *num.* 6. dum credunt Religiosum, qui professionem nullam ratificauit frui posse priuilegiis Religionis, ac si ab initio validè illam emisisset; quia solùm videntur loqui in foro forsan conscientiæ, non quando res est deducta ad forum externum, seu aliis Religiosis ignorantibus nullitatem professionis, vt inquit ipse Bonacina. Melius tamen dicam eorum sententiam non esse veram.

PROFANATIO SACRORVM.

SVMMARIVM.

De hac materia remissiuè. num. 1.
Profanatio Sacrorum est sacrilegium. num. 2.
Quando liceat. num. 3.

1 De hac re aliqua dixi *supra verbo Monasteria Regularium. numero* 38. & 45. & *verbo Paramenta Ecclesiastica*, & dicam *infra verbo vasa Sacra*, & *verbo Vestes Sacræ*. Alia quoque in præsenti dicenda, conformiter ad declarationes aliquas S. Congreg. quæ circunferuntur. Ex quibus aliqua pro Regularibus vtilia haberi possunt.

2 Primò ergo nota, quod prophanare Sacra est sacrilegium, vtpotè quia est contra reuerentiam debitam rebus Sacris. Naldus *in Summa verbo Sacrilegium num.* 2. Vnde ex Abbate infert, quod sacrilegium etiam fit, si res aliena, inuito, vel ignaro ipsius Domino effecta Sacra, postea desecraretur, quia potius in hoc casu esset ei satisfaciendum de suo interesse, relinquendo ipsam durare Sacram,

3 Secundò nota, quòd cum, iuxta præscriptum Concilij Tridentini *sessione* 21. *cap.* 7. *de reformatione*. Episcopis liceat aliquando Ecclesias aliquas dirutas in prophanos vsus non sordidos, erecta tamen ibi Cruce, conuertere, ideo Prælati Regulares, qui habuerint iurisdictionem Episcopalem in populum, id etiam facere poterunt. Quod qualiter sit intelligendum, habetur ex declarationibus Sacræ Congregationis, quas refert Barbosa *in locum Concilij relatum*, & *in Collectaneis Bullarij verbo Profanare*. Ex declaratione etiam Sacræ Congregationis apud Nouarium *in Lucerna Regularium verbo Profanatio numero primo*, conceditur ex causa profanatio Clericis Regularibus Societatis IESV. Item ex declaratione etiam Sacræ Congregationis, quam refert idem Nouarius *ibidem numero secundo*, concessa fuit profanatio domorum, in quibus Moniales habitarunt, & diuina officia recitarunt, ac Missas celebrari fecerunt.

PROTECTORES ORDINVM.

De illis ad sufficientiàm dictum est *tom.* 1. *p.* 2. *c.* 9. *per totum*, & *supra verbo Cardinales*, & ideo pro nunc supersedendum.

QVARTA FVNERALIS.

SVMMARIVM.

De hac materia remissiuè. num. 1.
Quarta funeralis quid sit. num. 2.
Ad illam an teneantur Religiosi præcipuè Mendicantes. num. 3.
Priuilegia ipsorum moderata à Concilio Tridentino. num. 4.
Quomodo intelligendum. num. 5.
De priuilegiis Mendicantium ex Pio V. num. 6.
Quæ Monasteria eam soluant. num. 7.
De quibus rebus. ibid.
Quid de Monasteriis Monialium. num. 8.
An debeatur ex iis, quæ alio die, præter quam in die sepulturæ afferuntur. num. 9.
Casus, in quibus non debetur. num. 10.
Pœnæ, quas incurrunt Ordinarij cogentes Regulares ad illius solutionem quando non debetur. num. 11.

De hac etiam materia nonnulla dixi *tom.* 1. *p.* 1. *cap.* 3. *num.* 13. & *p.* 2. *cap.* 1. *num.* 29. & 30. Deseruiunt etiam ad intentum dicta *supra verbo Canonica portio*. Alia tamen addenda pro materiæ ampliori notitia. 1

Quarta funeralis est quarta pars illorum bonorum, quæ parochiani relinquunt, vel offerunt ratione funeris cum extra Parochiam propriam sepeliuntur. Clement. *Dudum de sepultur.* Ioannes de Cruce *de statu Religionis lib.* 2. *cap.* 9. *dub.* 5. Tamburin. *de iure Abbatum tom.* 1. *disputatione* 15. *quæsito* 17. *num.* 1. Vocatur etiam quarta parochialis *cap.* 1. & *cap. relatum de sepultur.* & *in cap.* 2. *eod. tit. in* 6. & *dicta Clem. Dudum §. verum*, & vtrobique Doctores *de Sepultur.* ex eo scilicet, quòd debita sit Parocho propter Sacramenta, quæ ministrat suis parochianis, id est: propter onus, quod in eorum administratione subit. *cap.* 1. *cap. relatum cap. de his de sepultur.* Tamburinus *supra num.* 2. 2

Etsi autem Religiosi omnes, etiam Mendicantes, teneantur iure communi soluere quartam funeralem: ita enim habetur in Clem. citata, vbi etiam reuocantur consuetudines, & priuilegia illuc vsque concessa & conuentiones, statuta, & pacta, ac per consequens hoc tempore Religiosi non habentes aliquod priuilegium ad illam teneantur, prout notat Barbosa *de Iure Ecclesiastico lib.* 3. *cap.* 24. *num.* 13. & 14. Nihilominus plures Religiosi habent talia priuilegia, & ita nec ipsi, nec illi, qui cum illis communicant in priuilegiis 3

priuilegiis eam soluere tenentur. Hi sunt Carmelitæ; propter priuilegium Nicolai V. quod retuli ad verbum *supra Canonica portio num.7.* & quod est copiosius,& melius, vt habent Cassarubius, Rodriguez, & Miranda eo loco relati. Deinde Benedictinis Congregationis S. Iustinæ, ex Eugenio IV. in Bullario Rodriguez *Bulla* 12. & apud Tamburinum *supra num.6.* Qui etiam refert hoc priuilegium communicari Vallis Vmbrosæ, & Cælestinis. Prædicatores etiam, Minores, & Carmelitæ habent simile priuilegium à Sixto IV. vt patet ex Miranda *tomo 2. quæst.48.art.6.* & Ioanne de Cruce *supra.* Similiter nostri Patres Discalceati post contradictorium iudicium à solutione prædictæ quartæ exempti sunt per Clementem VIII. in Bulla. *Quod semel* in Bullario Rodriguez in eodem Clemente *Bulla* 26. Ioannes de Cruce *supra.*

4 Hæc verò priuilegia,& alia à prædictis Auctoribus relata,& ante Concilium Tridentin. concessa, aliquatenus moderata sunt ab eodem Concilio *sess.25.c.13.* vbi sic habetur. ***Decernit S.Synodus, vt quibuscunque in locis iam ante annos quadraginta, quarta, quæ funeralium dicitur, Cathedrali, aut Parochiali Ecclesiæ solita esset persolui, ac postea fuerit ex quocunque priuilegio, aliis Monasteriis, Hospitalibus, aut quibuscunque locis piis concessa, eadem posthac integro iure, & eadem portione, quæ antea solebat, Cathedrali, seu Parochiali Ecclesiæ persoluatur, non obstantibus concessionibus, gratiis, priuilegiis, etiam Mari magno nuncupatis, aut aliis quibuscunque.***

5 Ex hoc autem Concilij Decreto inferuntur aliqua ad intentum. Primum, ea Monasteria, quæ 40. annis ante Concilium solita erant soluere dictam quartam, teneri etiam nunc ad eam, non obstantibus quibuscunque priuilegiis. Ita enim habetur expressè in dicto Decreto. Secundum, quod illa Monasteria fundata ante Concilium, quæ solita non erant per 40. annos soluere dictam quartam, hodie non teneantur ad illam. Quia ita etiam habetur in Decreto Concilij adducto. Tertium, quòd Monasteria fundata ante Concilium citra 40. annos non teneantur ad illam; quia Concilium solùm loquitur de Monasteriis fundatis ante Concilium ante quadraginta annos, non citra. Quartum, quòd Monasteria fundata post Concilium, aut in posterum fundanda, non teneantur soluere dictam quartam, quia nullo modo comprehenduntur in Decreto Concilij. Quod solùm loquitur de fundatis ante ipsum, & quæ solita erant illam soluere, quod non potest competere Monasteriis fundatis, aut fundandis, post Concilium. Rodriguez *tom.1. quæst. Regular. quæst.39. artic.2.* Miranda *in Manuali tom.2. q.48. art.7.* Ioannes de Cruce *supra,* Portellus *in Dubiis Regul.verb.Canonica portio num.1.& seqq.* Naldus *in Summ.verb.Sepultura num.1.*

6 Id verò ita obseruandum esse colligitur primò pro Mendicantibus ex Bulla Pij V. *Etsi Mendicantium,* paucis annis post ipsum Concilium edita, de qua dixi *tomo 1. p.2. cap.1. num.12.* ibi enim sic habetur ad intentum. *Quartam autem funeralium, de qua sess.25.cap.13. nequaquam soluere teneantur Monasteria, quæ à 40. annis citra fundata existunt. Postquam Concilium ipsum loquitur tantùm de Monasteriis ante annos 40. fundatis, quæ ipsam quartam soluere consueuerunt.* Hæc autem Constitutio Pij V. reuocata non est à Gregorio XIII. per aliam Constitutionem, quæ incipit *In tanta*, quia iuxta dicta eo *cap.1 num.16.* solùm Gregorius reuocauit præfatam Constitutionem Pij V. quatenus per ipsam concedi tur aliquid contrarium Decretis Concilij Tridentini, non tamen quatenus ipsa declarantur, provt infertur ex Rotæ decisione in Vna Litiensi, de qua infra, & præter Auctores à me eo loco relatos, tenet etiam Ioannes de Cruce *supra.* Similia habentur in alia Bulla eiusdem Pij V. *Ad hoc nos Deus* in 2.tom. Bullarij Laërtij *sub n.41.* Colligitur secundò, ex declaratione S. Congregationis, quam ex Rodriguez retuli loco relato ex primo tomo Summæ, qui eam authenticam monstrat ea *quæst.39. art.2.* Tertiò, ex alia declaratione S. Congregationis pro Ordine Minimorum, quam ex Quaranta *in Summa Bullarij verbo Priuilegia Regularium* eo etiam loco retuli. Quartò etiam, ex Paulo V. in Bulla *Decet Romanum* pro Carmelitis, quam ibidem etiam retuli. Quintò ex Rotæ decisione in vna Litiensi *Quarta funeralium* coram Domino Coccino, quam referunt Barbosa *supra n.14.* & Tamburinus *supra num.7.* Aliam etiam refert Cassarubius *in Compend. Priuileg. Mendicantium verbo Canonica portio in fine.*

Illa autem Monasteria, quæ quartam funeralem soluere tenentur, quia scilicet 40. annis ante Concilium illam soluere solita erant, licet stando in iure communi eam soluere debeant de omnibus legatis factis Ecclesiæ, in qua quis sepelitur, provt ex dict. Clement. *Dudum,* & aliis capitibus Tituli *de Sepulturis* inferunt Syluest. *in Summa verbo Canonica portio q.9.* Molina *de Iust.Tract.2.disp.215.* Barbosa *supra num.51.* his tamen temporibus, Mendicantes, & qui ipsorum priuilegiis fruuntur, non tenentur illam soluere, nisi de his tantum, quæ cum corpore defuncti deferri solent, vino scilicet, tritico, pane, cereis, &c. Portellus *supra n.5.* Ita enim pro Mendicantibus declarauit Pius V. Bulla relata, vbi post verba adducta sic habet. ***Et vbi solui consueuit id tantum ceræ, & aliorum, quæ in aliquibus partibus deferri contigerit tempore, quo defunctorum corpora ad sepulturam deferuntur, non autem de Missis, seu legatis, vel aliis, Fratribus ipsis, seu Monialibus huiusmodi, relictis, aut alias quomodolibet donatis, solui debet; sicque intelligi Decretum quoad quartam huiusmodi soluendam debere decernimus. Vbi verò non est consuetudo soluendi quartam huiusmodi, de nullo supra scriptorum solui debere declaramus. Nec ad quartam, seu aliam partem omnium eorum, quæ etiam pro ornamento Ecclesiæ, palliorum, planetarum, cortinarum, & pannorum & aliorum quæ dictis Ecclesiis relinqui, vel dari contigerit, etiamsi pro victu Fratrum, aut aliàs relinquantur, aliquid contribuere teneantur.*** Similia habentur in alia Bulla eiusdem Pij V. *Ad hoc nos,* quam supra retuli. Ita etiam habet vsus, vt ex Cardin. *in Clement. Dudum de Sepult. §.verum* notant Couar. *cap.vltim. de testam.n.6.& 7.* Molina, Rodriguez, & Ioannes de Cruce *supra,* ac Miranda etiam *supra art.6.* Per quem vsum, vt credo, moderatum est priuilegium illud Nicolai V. pro Carmelit. per ipsum enim eximebantur à solutione omnimoda funeralium, non obstante Clementina *Dudum* & aliis Constitutionibus. Rodriguez *supra.* Cum autem dico de cereis deberi dictam quartam, intelligi id debet de cereis, qui circa Crucem, vel cadauer deferri solent, maxime in Italia. Barbosa *supra num.41.* ex aliis. Qualiter autem eorum diuisio facienda sit cum Parochis in Vrbe, habes ex SS.D.N. Vrbani declaratione apud eumdem Barbosam *num.42.* De quo etiam dixi *tom.1.p.2.c.1. n.48.* Non de candelis, quas in manibus portant Religiosi in huiusmodi funeribus, iuxta dicta eo *n.48.* ex priuilegio Sixti IV. pro Minoribus. De quo idem Barbosa *supra n.39.* Idem quoque *n.40.* referens declaratum à S.Congregatione de candelis, aut cereis Confraternitatum sæcularium, aut locorum piorum associantium funera.

Nota

8 Nota supradicta etiam habere locum in Monasteriis Monialium. Quia Pius V. in vtraque Constitutione relata ipsarum expresse meminit. Portellus *supra num.*8. Etsi Nouarius *in Lucerna Regularium verbo Quarta num.*1. oppositum teneat, nisi vbi adsit consuetudo in contrarium.

9 Ex dictis autem infertur non deberi dictam quartam ex iis, quæ alio die, præterquam in die sepulturæ afferuntur, cum illa non possint dici deferri cum corpore Defuncti. Et ita tenent Rodriguez, Molina, & Miranda *supra* post Panormitanum, & fauet Azor, *tom.*2. *Instit. moral. lib.*9. *c.*13. §. *funeralia.* Nota tamen Barbosam *supra num.*38. *& in Collectan. Bullar. verbo Quarta* referre declarationem S. Congregationis Episcoporum, & Regularium, quæ aliquo modo huic doctrinæ contrariatur. Propterea cautè procedendum, si de dicta declaratione authenticè constet.

10 Sunt etiam plures casus, in quibus generaliter loquendo, secundum Doctores, non debetur dicta quarta à Monasteriis, seu Ecclesiis. Primus, quando adest consuetudo illam non soluendi, iuxta dicta *supra verbo Canonica portio numero* 8. Secundus, quando adest etiam priuilegium non soluendi illam, vt dictum est. Tertius, quando aliquid legatur in vsus priuilegiatos, de quibus *in cap. fin. de testam.* scilicet, prout ibi dicitur, *de his, quæ in ornamentis, vel pro eis, seu fabrica, luminaribus, anniuersario, septimo, vigesimo, trigesimo die, siue aliis ad perpetuum cultum diuinum legantur Ecclesiis, &c.* Quartus, quando Ecclesiæ aliquid inter viuos donatur, seu quando legator in vita soluit legatum. Quintus, quando post electionem sepulturæ Religiosus effectus est in illo Monasterio. Sextus, quando quis legat Ecclesiæ, in qua non sepelitur. Septimus, quando aliquis sepelitur in Ecclesia contra voluntatem Religiosorum illius. Octauus, quando Ecclesia Parochialis est interdicta culpa Parochi. Nonus, quando quis elegit sepulturam in aliqua Ecclesia, sed postea reuocauit eam electionem, & sepelitur in alia. Decimus, quando, etsi elegerit, de facto tamen non sepelitur in illa Ecclesia ex aliquo casu. Vndecimus, cum legatur pro incertis malè ablatis. Duodecimus, quando legatur Ecclesiæ Parochiali quantum illi debebatur ratione quartæ. Tertius decimus, quando tempore testamenti, & legati non elegit sepulturam, sed postea tempore mortis, & hoc non in fraudem Parochiæ. Quartus decimus, cum ille non potuit accipere per longum tempus Sacramenta, aut diuina à sua Parochia. Quintus decimus, quando fit depositio funeris in aliqua Ecclesia ad tempus solùm. De his casibus, eorumque explicatione, & limitatione, communiter Summistæ *verbo Canonica portio*, specialiter Angelus *ibidem num.*14. Syluest. *supra.* Molina *dict. disput.*215. Azor. *supra cap.*12. *&* 13. Rodriguez *d. quæst.*39. Miranda *d. quæst.*48. Portellus *dicto verbo Canonica portio, & in Additionibus ad illud, ac in Responsionib. moral. part.*2. *casu* 25. Barbosa *supra num.*45. 46. 47. *&* 52. Adde, nec deberi ex legatis particularibus Religiosis, quia Iura solùm loquuntur de legatis Ecclesiis, Syluester *supra q.*6. Miranda *supr. art.*3. [pro Complemento Sacram Congregationem Episcoporum & Regularium 19. Iulij 1641. pro PP. Conuentualibus declarasse Quartam funeralem deberi proprio Parocho defuncti, quando sibi elegerit sepulturam in Ecclesia Regulari; si tamen defunctus mortuus sit extra propriam Parochiam, quartam deberi Parocho, in cuius Parochia mortuus est. Item 28. Martij 1642. non debere Quartam eo quod corpus defuncti dum ad sepulturam ferretur transierit per aliam Parochiam.]

11 Pro pœnis, quas incurrunt Ordinarij cogentes Regulares ad solutionem quartæ quando eam non debent, & qualiter tunc non teneantur coram ipsis comparere, vide Rodriguez *supra artic.*9. Mirand. *artic.*14. & Portellum *num.*11. An possint renunciare illis, seu pacta facere circa ipsius solutionem, videantur Syluest. *supra q.*2. Rodrig. *supra art.*8. Miranda *supra art.*12. Portellus *supra num.*9. *&* 10. alter Rodrig. *in Compend. q. Regul. Resol.*18. & Barbosa *supra num.*34. *&* 35. An dicta quarta debeatur ex iis, quæ Confraternitatibus relinquuntur, tractant Azor. *cap.*12. *q.*11. Miranda *supra art.*3. & maximè Barbosa *de Offic. & potestat. Episcop. allegat.*75. *n.*43. *& sequentibus.*

Deseruit ad intentum huius materiæ sententia quædam lata per Locumtenentem Auditoris Cameræ in fauorem PP. Cælestinorum circa exemptionem à *quarta funerali*, & ius deferendi defunctos ad suas Ecclesias; simulque S. Rotæ Romanæ decisio confirmatoria dictæ sententiæ; & ideo huic loco apponenda.

Sententia lata super exemptione à solutione quartæ Funeralis, ac iure deferendi defunctos ad Ecclesias Cælestinorum sine Capituli & Clerici consensu, seu interuentu.

In nomine Domini. Amen. Nouerint Vniuersi, & singuli hoc præsens publicum sententiæ instrumentum inspecturi, visuri, lecturi, & audituri; quod nuper seu alias introducta lite, & causa coram Perillustri, & Reuerendissimo D. Camillo Meltio I.V.D. Illustrissimi, & Reuerendissimi D. Auditoris Cameræ in Ciuilibus Locum tenente per viam Monitorij inter Admodum RR. Priorem & Monachos Monasterij Sanctissimæ Annunciationis Ciuitatis Tarentinæ Congregationis Cælestinorum Ordinis S. Benedicti ex vna, & RR. Capitulum & Clerum eiusdem Ciuitatis Tarentinæ de, & super exemptione à solutione quartæ funeralis defunctorum, rebusque aliis de quibus in actis, & processu causæ, & causarum huiusmodi latius deductis, & illarum occasione partibus ex altera; in qua quidem causa seruatis de iure seruandis, verificatis verificandis, citatisque dd. RR. Capitulo, & Clero prius in partibus, deinde hic in Curia per Audientiam litterarum Contradictarum S.D.N. Papæ more solito; tandem idem Perillustris, & Reuerendissimus D. Camillus Meltius Locumtenens suam in his scriptis in causa & causis prædictis tulit, & promulgauit sententiam diffinitiuam in hunc qui sequitur modum, videlicet; Christi nomine inuocato. Pro Tribunali sedentes, & solum Deum præ oculis habentes per hanc nostram diffinitiuam sententiam, quam de iuris peritorum consilio ferimus in his scriptis, in causa & causis, quæ primo, & in prima seu alia veriori coram Nobis versæ fuerunt, & vertuntur instantia inter RR. Priorem, & Monachos Monasterij S. Annunciationis Ciuitatis Tarentinæ Congregationis Cælestinorum, Ordinis S. Benedicti Agentes ex vna; & RR. Capitulũ, & Clerum eiusdẽ Ciuitatis Tarentinę reos conuentos de, & super prætensa solutione dimidię, seu quartæ funeralis defunctorũ deferendorũ ad præfatam eorũ Ecclesiam, ac iure deferendi defunctos ad eamdẽ Ecclesiam absque interuẽtu ipsius Capituli, & Cleri, rebusque aliis in actis causæ, & causarum huiusmodi latius deductis, & illarum occasione partibus ex altera. Dicimus, pronunciamus, sententiamus, diffinimus, decernimus & declaramus, prædictos RR. Priorem, & Monachos Monasterij Sanctissimę Annunciationis Congregationis Cælestinorum Ordinis S. Benedicti Ciuitatis Tarentinæ, non teneri, nec obligatos esse ad solutio-

solutionē dimidiæ, seu quartæ funeralium defunctorum deferendorum ad præfatam eorum Ecclesiam, sed prædictos RR. Priorem, & Monachos fore, & esse exemptos, & propterea absoluendos & liberandos à dicta solutione dimidiæ, seu quartæ funeralis prætensæ per dictum Capitulum & Clerum, prout absoluimus, & liberamus, & pro absolutis, & liberatis haberi volumus; ipsosque Priorem, & Monachos, posse, ac debere, ac eis licere deferre ad dictam eorum Ecclesiam defunctos, sine prædicti Capituli, & Cleri interuentu, declaramus, ac respectiuè mandamus, molestationes, oppositiones, perturbationes, & impedimenta quæcunque per dictos aduersarios præstitas & illatas, præstitaque & illata fuisse, & esse nullas, temerarias, indebitas, iniustas, ac de facto illatas, & præsumptas, illatave, & præsumpta, & de, & super illis perpetuum silentium imponendum fore, & esse prout imponimus, victosque victoribus in expensis in huiusmodi causa factis condemnamus quarum taxationem nobis vel, cui de iure in posterum reseruamus; & ita dicimus pronunciamus, sententiamus, diffinimus, & declaramus non solum modo, & forma præmissis; sed etiam omni alio meliori. Ita pronunciaui, Ego Camillus Meltius Locum tenens lecta, lata, & in scriptis promulgata fuit præinserta diffinitiua sententia per eumdem Perillustr. & Reuerend. D. Camillum Meltium in Ciuilibus Locum tenentem Illustr. & Reuerendissimi D. Auditoris Cameræ, sub anno à Natiuitate D. N. Iesu Christi, 1628. Indictione vndecima, die vero nona mensis Februarij, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. Vrbani Diuina prouidentia Papæ Octaui. Anno eius sexto, Præsentibus in Palatio solitæ Residentiæ ipsius Reuerendissimi Domini Meltij ibidemque audientibus, & intelligentibus DD. Francisco Belgio, & Ioanne Zeppa testibus ad prædicta omnia, & singula vocatis, habitis specialiter, atque rogatis. In quorum omnium, & singulorum fidem, &c. Datum hac die 20. Martij 1630.

Ego Cæsar. Columna Romanus Cur. Cau. Cam. Apost. Notarius de permissis rogat. præsens Instrumentum subscripsi, & publicani, requisitus, &c.

Loco signi Notarij.

DECISIO S. ROTÆ ROMANÆ super confirmatione supradictæ sententiæ pro exemptione à solutione quartæ Funeralis.

R. P. D. QVEIPO.

Tarentina quartæ Funeralis.

Merc. 5. Decembris 1629.

SEntentiam A. C. Confirmandam esse Dominis placuit, Nam licet quarta Funeralis Ecclesiæ Cathedrali, vel Parochiali iure communi debeatur. cap. *Cum super*, cap. *In nostra de sepulturis*, cap. *Cum quis in princ. eod. tit. lib. 6.* Clem. *Dudum eod. tit.* Monachi autem Cælestini exempti, & priuilegiati existunt ab hoc onere per fel. rec. Cælestinum Quintum, sicut de aliis Religionibus, quæ simili priuilegio à diuersis Pontificibus concesso fruuntur, refert Eman. Rodericus *quæst. Regul. tom. 1. q. 39. art. 2.* Et iam olim huiusmodi exactionem Episcopis interdictam fuisse aduertit P. Gregorius *lib. 2. Syntagm. c. 25. num. 10. per text. in C. Priscis quidem canonibus*, & C. *Vnio. 10. q. 3.* Maximè cum dicti Monachi Cælestini eodem priuilegio aliis Religionibus concesso vti possint, propter priuilegiorum communicationem ipsis à S. D. N. concessam ex Seraph. *decis. 605. num. 4.*

Et quamuis Conc. Trid. *sess. 25. c. 13.* in fauorem Ecclesiarum Cathedralium, & parochialium Ius quartæ Funeralis confirmauerit, & priuilegiis in contrarium concessis derogauerit, dumtaxat loquitur de Ecclesiis existentibus in possessione percipiendi dictam quartam Funeralem citra quadraginta annos. Atque ita priuilegia religionum quadraginta annos excedentia non comprehendit, vt S. M. Pius V. expressit, & S. Congregatio Concilij sæpè declarauit, vt referunt. Eman. Roderic. *vbi supra.* Gutier, *de Iur. confirm. 2. p. c. 3. n. 2. & 3.* & fuit dictum in Ispalen. quartæ Funeralium quarta Iulij 1590. coram bon. mem. Cardinali Pamphilio.

Nec visum fuit Dominis præfatam Constitutionem Pij V. fuisse reuocatam per Gregorium XIII. quia per Gregorium ex eo quod Bulla Pij V. plura contineret, fuit dumtaxat reducta ad terminos Sacræ Congregationis Concilij. Refert Ioan. de la Cruz *de statu. Relig. lib. 2. c. 19. dub. 5.* & fuit resolutum coram Reuerendissimo D. meo Decano in causa Licien. quartæ Funeralis 15 Ianuarij 1618.

Et ita, &c. Vna tantùm parte informante.

QVÆSTVARII REGVLARIVM.

SVMMARIVM.

Quæ de ipsis alibi dicta. num. 1.
Qui quæstuarij prohibiti sunt à Concilio. num. 2.
Licentia ad quæstuandum quando ostendenda Ordinariis. num. 3.
An possint ipsam limitare. num. 4.
De Conuersis quæstuariis Monialium. num. 5.
De publicantibus indulgentias ob quæstum. num. 6.



VÆ de hac materia sparsim per totam Summam dixi, hic vel remissiuè repetenda pro ipsius complemento. 1

Primò ergo, quamuis iuxta dicta *tom. 1. p. 1. c. 20. num. 17.* quæstores, vel quæstuarij omnino aboliti sunt à Concilio Trid. *sess. 5. cap. 2. & sess. 21. cap. 9.* iuxta dicta tamen *tom. 1. p. 2. cap. 1. num. 4.* talium quæstorum, seu quæstuariorum nomine non veniunt Religiosi pauperes, Mendicantes præsertim, propter declarationem Pij V. & S. Congregationis, quam eo loco retuli. De quo etiam, præter Auctores ibi relatos, Nauarrus *cons. 33. de Pœnit.* Vgolinus *de Potestate Episcopi cap. 8. §. 4. num. 6.* & Barbosa *de Offic. & potest. Episcopi allegat. 109. num. 7.* 2

Quamuis etiam, iuxta dicta eo *num. 4.* licentiam ad quæstuandum quam Regulares habent à suis Superioribus, teneantur ostendere ordinariis, id tamen intelligendum videtur solùm quando extra loca vbi Monasteria existunt quæritare voluerint. Ita enim colligo ex declaratione Sacr. Congregationis authentica apud Barbosam *supra num. 10.* & Peyrinis *tom. 3. priuileg. Minim. cap. 2. num. 41.* quæ sic habet. *S. Congregatio censuit fratres Ordinum Mendicantium nequaquam posse ab Episcopis prohiberi quominus per se ipsos in Diœcesibus vbi habent Conuentus, eleemosynas quærant, sed tantùm si extra loca vbi Monasteria existunt, quæritare voluerint, teneri suorum Superiorum licentiam Ordinario ostendere.* Quod etiam tenet Nouarius *in Lucerna Regularium verbo Quæstuarij num. 4.* 3

*num.*4. [Et constat ex alia declaratione Sac. Congregationis Episcoporum & Regularium 28. Nouemb. 1642. quam vidi. Item ex alia Vercellensi 18. Maij 1640.]

4 Regulares prohiberi posse per Episcopum ab immoderata exactione eleemosynæ, vel ne exigant eleemosynas pro Conuentu extra Diœcesim existente, & ne exigant nisi, quorum licentias confirmauerit prius Episcopus, ex praxi suarum partium referunt Marc. Anton. Genuen. *in Praxi Archiep. Neapolit. c.*59. *n.*11. & Cãpanile *in Diuers. iur. Canon. rub.*12. *cap.*13. *num.*134. Cæterum animaduertenda est Dominis Ordinariis declaratio S. Congregationis adducta, quæ solùm eis, permittere videtur facultatem videndi licentiam suorum Superiorum, quando extra loca vbi Monasteria habent, quæritare voluerint Regulares. Animaduertendum quoque illis est, quod dicto *cap.*1. *num.* 5. dixi. Maximè etiam priuilegia Summorum Pontificum, quibus grauiter, & per censuras, procedunt contra eos, qui impediunt Mendicantes ab eleemosynis quærendis, vt patet apud Cassarub. *in Compend. priuilegior. Mendicantium verbo Eleemosyna num.*7. 8. 9. *&* 13.

5 Qualiter, aut quando Conuersæ Monialium mitti possint ad quæritandum, seu quærendum eleemosynas, constat ex declarationibus Sac. Congregationis, quas retuli *dicto to.*1. *p.*2. *capit.*8. *num.*29. quas etiam referunt Aldana *in Compendio Canon. lib.*2. *tit.*10. Nouarius *in Lucerna regularium verbo Conuersæ num.*4. 5. *&* 6.

6 Quòd Religiosi publicantes Indulgentias ob quæstum id est, ob eleemosynas ratione illarum acquirendas sententiam excommunicationis incurrant Papæ reseruatam, & Episcopi, quantumuis Cardinalatus honore, præfulgeant, si id egerint, aut attentauerint, ab ingressu Ecclesiæ, & perceptione fructuum sint suspensi, donec satisfactione præmissa à Sede Apostolica dispensentur, constat ex dictis ex Bulla Pij V. *supra* verbo *Indulgentia quoad Regulares num.*23. [Quod quæstuantes sub eodem titulo coërceri debeant, ita vt qui de nouo questuare volunt non impediant eos qui ab antiquo solebant sub eo titulo quæstuare, habetur ex declaratione Sac. Congregationis Episcoporum & Regularium 8. Maij 1643.]

RATIFICATIO PROFESSIONIS.

Vide supra verbo *Professio regularis.*

RECONCILIATIO ECCLESIARVM

Vide dicta *supra* verbo *Cæmeterium*, & verbo *Ecclesia.*

RECVRSVS REGVLARIVM ad Sedem Apostolicam.

SVMMARIVM.

De recursu Regularium ad extraneos remissiuè. numero 1.

*Recursus via appellationis ad Sedem Apostolicam quando licitus. num.*2.

*An requiratur licentia Prælati Regularis pro accessu ad Sedem Apostolicam titulo appellationis. n.*3.

*Quid si Prælatus illam neget. num.*4.

Quid quando sine causa rationabili petitur. numero 5.

*Venientes ad Sedem Apostolicam sub illius protectione sunt. num.*6.

De recursu Regularium ad extraneos pro fauoribus ipsorum impetrandis ad obtinendum aliquam gratiam, officium, vel gradum in Religionibus, latè dixi supra verbo *Officia Religionum à num.*10. & locis ibi relatis. De recursu etiam eorumdem Regularium ad tribunalia extra suam Religionem titulo appellationis, seu querelæ contra suos Prælatos, dixi *supra* verbo *Appellare, & Appellatio.* De recursu etiam ad eodem titulo violentiæ, seu vis illatæ, dixi *supra* verbo *Exemptio Regularium num.*15. 16. *&* 17. Nunc autem specialiter agendum de recursu ipsorum ad Sedem Apostolicam, maximè via appellationis. 1

Et quidem talem recursum via appellationis ad Sedem Apostolicam licitum esse Religiosis in casu videlicet raro, & graui, in quo non sub dubio, sed euidenter constaret eos notabiliter grauari à suis Superioribus in fama, aut honore, constat ex dictis *tom.*1. *p.*1. *cap.*9. *num.*4. *&* 7. ac *supra* verbo *Appellare, & Appellatio num.*4. Constat etiam ex dictis iis locis, quòd licet hæc appellatio facienda sit regulariter loquendo, gradatim, modò assignato eo *cap.*9. *n.*4. scilicet à Prælato immediato ad Prouincialem; à Prouinciali ad Generalem; à Generali ad Protectorem, & à Protectore ad Sanctissimum, vel Sac. Congregationem eius vices habentem: nihilominus, iuxta dicta eo *num.*7. in aliquo casu, scilicet, quando à suis Superioribus non sperant remedium contra iniuriam sibi illatam, possunt Religiosi immediatè à suo Superiore appellare ad Sedem Apostolicam *cap. ad Romanum el.*1. *&* 2. 2. *quæst.*6. *cap. si duobus. cap. dilecti filij el.*3. *de appell.* locis habetur quòd omnes ad Sedem Apostolicam appellare possunt. Ratio est, quia Papa est principalis, vniuersalis, & immediatus Superior Regularium. Vnde illorum est Prior, Prouincialis, & Generalis. Sotus *l.* 8. *de Iust. quæst.*5. *art.*1. Peyrinis *tom.*3. *Priuilegior. Minim. capit.*4. *num.*14. Scofra *de inualiditate profess. dub.*25. *&* 26. Bordonus *Resolut.*32. *num.*26. post Rodrig. Nauar. & alios. 2

In casu etiam prædicti grauaminis, seu grauis iniuriæ illatæ Religioso, si ipse appellet ad Prælatum Superiorem, vel Sedem Apostolicam, & Prælatus inferior nolit ipsi concedere licentiam ad illos accedendi, licitè potest sine illa id facere. Ratio est, quia Decretum Concilij Tridentini *sess.*25. *cap.*4. in quo prohibetur Regularibus accedere ad suos Superiores sine licentia, non intelligitur pro isto casu, eo quòd, iuxta dicta *tom.*1. *p.*1. *cap.*16. *num.*9. ex Nauarro, & Sayro, non est credendum Concilium loqui de Religiosis à suo Superiore iniquè, & contra ius grauatis, prout etiam tenet Bordonus *supra num.*5. ex Rodriguez, Azor, & Sanchez, & Barbosa. Similiter Decreta Summorum Pontificum Clementis VIII. & Sanctissimi Domini Nostri Vrbani, quæ retuli eodem *tom.*1. *part.*1. *cap.*10 *num.*16. (& idem dico de Constitutione Sixti V. & declaratione Sac. Congregationis, quam eo loco *num.*15. retuli) vbi prohibetur accessus Regularium ad Romam sine licentia Generalis, vel Protectoris sub pœna priuationis vocis actiuæ, & passiuæ, excludunt hunc casum. Loquuntur enim de accessu sine grauamine, aut alio prætextu, quam liberandi se à grauamine illicitè illato. Peyrinis *supra num.*15. *&* 17. Bordonus *supra* 3

 *num.*28.

num. 28. Idem dico de statutis Religionum, si quæ sint quoad hoc. Tum propter dicta. Tum etiam, quia Iuri communi contraria esse non possunt *cap. quod super his de maior. & obed. cap. institutionis* 25. *quæst.* 2. Peyrinis *supra num.* 15. Ratio etiam generalis esse potest, quia licentia formalis, & expressa necessaria non est in iis, quæ aliàs sunt concessa, qualis est prædictus recursus; præsertim cum in illo includatur tacita licentia ad talem accessum. Bordonus *supra* post alios. Quod maxime est verum si talis licentia fuerit petita. Quia licentia rationabiliter petita habetur pro obtenta, licet negetur maximè quando expressè non requiritur, vt obtineatur. *ar.* 2. *cap. licet.* 18. *de Regul.* Ad minus tamen non incurretur pœna illa priuationis vocis, &c. quia ea solum infligitur contra præsumétes, vt patet ex verbis ipsius. Pœna autem, quæ requirit præsumptionem non incurritur ab eo qui legem illam transgreditur ob legitimam causam, & non ex temeritate, prout dixi *tom.* 1. *p.* 1. *cap.* 10. *num.* 33. & me relato sequitur Peyrinis *dicto num.* 17. Casu tamen quo Religiosus iniustè, & certò grauiter grauatus æquè benè posset consulere suæ famæ sequendo appellationem, vel habendo recursum ad suos Superiores, vel Sedem Apostolicam per nuncios, litteras, vel procuratores, tunc, vt credo, illicitè id faceret, & incurreret dictam pœnam personaliter adeundo non obtenta legitima licentia, quia intentum Concilij, Summorum Pontificum, & aliorum statutorum id videtur esse, vt impediatur inutilis vagatio Religiosorum, qualis esset in dicto casu.

4 In casu etiam prædicti legitimi recursus ob legitimam appellationem ad Sedem Apostolicam factam, si Prælatus subdito petenti licentiam adeundi Romam, nec potenti per alios appellationem sequi, talem licentiam negaret, sine dubio grauiter peccaret. Tum propter dicta. Tum quia in tali casu est iure debita subdito talis licentia. Non tamen propterea incurreret excommunicationem Bullæ Cœnæ, quæ in ipsa ponitur *num.* 9. & cuius verba retuli *supra* verbo *Bulla Cœnæ num.* 27. Ea enim excommunicatio solùm ponitur contra eos, qui sua, vel aliorum opera interficiunt, mutilant, spoliant, capiunt, detinent, venientes ad Sedem Apostolicam, non verò volentes venire, quia in pœnalibus verba accipienda sunt formaliter, & strictè. Bordonus *supra num.* 33. Videtur tamé incurrere illam, quæ 13. casu in eadem Bulla ponitur verbis relatis loco adducto *num.* 36. scilicet. *Quive alias quibuscumque personis in genere, vel in specie, ne pro quibusuis eorum negotiis prosequendis, seu gratiis, vel litteris impetrandis ad Romanam Curiam accedant, aut recursum habeant, seu gratias ipsas, vel litteras à dicta Sede impetrent, seu impetratis vtantur, directè, vel indirectè prohibere, statuere, seu mandare, vel eas apud se, aut Notarios, seu Tabelliones, vel aliàs quomodolibet retinere præsumunt.* Megala *de Censuris lib.* 3. *cap.* 10. *quæst.* 1. *numero* 8. Sed neque hoc admittit Bordonus *supra num.* 34. dicens, quòd verba illa solùm videntur comprehendere impedientes eos, qui recurrunt ad Sedem Apostolicam, vt eneruent litteras, gratias, & alia, quibus potest tueri illa iniusta appellatio, de qua sermo in dicto casu 13. *num.* 2. non verò eos, qui impediunt quouis modo recurrentes ad Sedem Apostolicam, Vel dici potest, & meliùs, illis verbis *prohibere, statuere, seu mandare*, solú denotari actiones positiuas, non verò negationem concedendi dictam licentiam.

5 Dixi autem hæc solùm procedere, in casu legitimi recursus ob legitimam appellationem, quia si Prælatus, subdito volenti ad Sedem Apostolicam recurrere sine causa rationabili legitimæ appellationis, vel simili, licentiam negaret, rectè faceret; nam eam negare debet quando irrationabiliter petitur, prout supponunt Authores relati, & fauet Sanchez *lib.* 6. *in Decalog. cap.* 8. *dub.* 2. *num.* 23. & 24.

Notandum etiam, quòd in Iure communi stando, & seclusis aliis circunstantiis, venientes ad Curiam Sedis Apostolicæ, & in ea manentes, & reuertentes, cum rebus suis dicuntur esse sub protectione Sedis Apostolicæ, *cap. vnic. de Cleric. peregrinant.* Glossa *ibid.* ex aliis iuribus. Alterius *de Censur. lib.* 5. *disp.* 10. *cap.* 2. Thesaur. *in Prax. par.* 2. *verbo Curia cap.* 3. [Vnde Sacra Congregatio Episcoporum & Regularium quendam Religiosum ex Minoribus voce priuatum propterea, quod processerat contra quendam alium, qui recurrerat ad Sedem Apostolicam ad vsum talis vocis rehabilitauit 9. Martij 1635. & die 1. Martij 1641. declarauit Generalem non potuisse priuare voce actiua & passiua quosdam Religiosos sui Ordinis qui ad Sacram Congregationem recursum habuerant, quin potius in integrum restituendos esse. 6

Notandum præterea, quod non obstante maxima authoritate quam in Curia habet D. Auditor Cameræ, nihilominus prohibitus est de ordine Sanctissimi à Sacra Congregatione Episcoporum & Regularium 20. Martij 1643. ingerere se in Regularium causis, etiam in gradu appellationis.] 7

RECVSATIO IVDICIS *Regularis.*

SVMMARIVM.

Quando licita, aut illicitâ sit num. 1.
Quid sit recusatio. num. 2.
Ipsius effectus. num. 3.
Regulanda est secundum Ius Canonicum. num. 4.
Recusatio an facienda in scriptis. num. 5.
Quando opponi debeat num. 6.
Non in visitatione generali Prælatorum Regularium. num. 7.
Arbitri quales sint futuri. num. 8.

LICET iuxta dicta *tom.* 1. *p.* 1. *cap.* 9. *n.* 8. illicita, & abominabilis sit, regulariter loquendo, recusatio Prælati Regularis, quia tamé iuxta ibidem dicta, & *supra* verbo *Index*, & *Iudicium Regularium n.* 12. licita est aliquando, in casu scilicet raro, videlicet, quando constat certò, & euidenter iniquè se gerére, aut velle gerere contra bonam famam, & opinionem alicuius Religiosi: ideo eo *n.* 12. & 13. *sequenti* nonnulla dixi circa causas, & praxim recusationis. Quibus addenda alia pro maiori notitia materiæ. 1

Primò, quòd recusatio est, Iudicis, vel Audientiæ, causa suspicionis proposita declaratio. *l. apertissimi, C de Iudic. cap. quia suspecti* 3. *quæst.* 5. *cap. suspicionis de officio deleg.* Sic definit eam Speculator. 1. *par. tit. de Recusat. initio*, quem sequitur Sanchez *l.* 6. *Consilior. moral. cap.* 8. *dub.* 3. *num.* 2. 2

Secundò, quòd effectus recusationis est, quòd pendente illa non potest Iudex ad aliquem actum procedere in ea causa, &, si procedit, processus est nullus. Suspenditur enim eius iurisdictio. Sanchez *supra num.* 3. ex Bart. & communi Doctorum. Notans cum Franco, quòd non priuatur Iudex fundamentaliter iurisdictione, quia etiam post recusationem, & 3

& approbationem causæ suspicionis, posset Iudex de consensu partis recusantis in ea causa procedere, vel alteri delegare, vt dicitur *cap. iudex de offic. deleg. in 6.* Quin etiam eo ipso quòd quis post propositam recusationem, litigat coram Iudice recusato, videtur per hoc renunciare recusationi. Sanch. *ibid.* ex Panormit. & Maranta.

4 Tertiò, quòd recusatio Prælati Religionis regulanda est, secundum Ius Canonicum, sicut & recusatio Iudicis Ecclesiastici cum hæc res canonica, & Ecclesiastica sit. Sanchez *supra num.7.* post assignatas differentias, quæ sunt inter recusationem factam secundum Ius Canonicum, & secundum Ius Ciuile.

5 Quartò, quòd licet loco relato *num.3.* dixerim causas suspicionis debere assignari à recusante in scriptis coram Iudice recusato; nihilominus probabile est non esse necesse nisi solũ ad melius esse recusationem fieri in scriptis, cum ius id non exprimat. *cap. cum speciali de appel.* Portell. *in Resolutionib. p.1. casu 22. num.6.* Peyrinis *in formulario littera R. capit.2. num.1.*

6 Quintò, quòd licet recusatio opponi debeat non tantùm ante litem contestatam, verùm etiam debeat esse prima exceptio, quæ opponi debet ante omnes dilatorias, quia si opponitur alia dilatoria censetur prouocari Iudex, vt super ea pronunciet, & sic inducitur consensus in iudicem; nihilominus quando de nouo superuenit causa, potest in quacunque parte litis opponi. Potest etiam recusari, quando de nouo cognoscitur causa, licet ea non emergat de nouo. Sanchez *supra numero 19.* Iosephus à S. Maria *in Tribunal. Religios. tract.4. cap.20. §. 3.* Peyrinis *supra num.2.* Quibus adde Naldum *in Summa verb. Iudex num.17.* (post Farinacium, quem refert) & Pasqualigum *in Decis. moral. Decis. 356. & sequentib.*

7 Non tamen propterea possunt Moniales, aut Fratres vnius Conuentus recusare Prouincialem, aut Visitatorem, eumque impedire (quamtumcúque suspectus sit) ne visitet ex officio suum Conuentum visitatione generali, & ordinaria, si sola inquisitione generali vult visitare. Ratio est, quia per inquisitionem generalem præcisè non inquiritur crimen, aut defectus alicuius particularis, nec formantur processus. Sed solùm procedit Prælatus in illa ex officio, inquirendo in generali de vitiis, & virtutibus Religiosorum ad ipsorum correctionem, ac per consequens cessat periculum euidentis grauaminis, propter quod solùm potest recusari Prælatus. Portellus *supra numero 1. & casu 21. num. 3. 4. & 5.* Peyrin. *supra num.3. in fine.* Et fauent Nauarrus *lib.5. consil. tit. de accusat. inquisit. consil.3.* & dicta à me *tom.1. p.1. capit.27. num.2.* Fauet etiam Decretum Pauli V. transmissum ad Episcopum Portugalensem, quod referunt Portellus *num.3. relato*, & Barbosa *de Offic. & potest, Episcop. Allegat. 73. num.38.* vbi dicitur, Episcopum, vel alium Visitatorem non posse recusari Licet enim ibi solùm sit sermo de Episcopo, vel Visitatoribus sæcularibus, quia tamen Prælati, & Visitatores Regulares sunt quasi Episcopi in hoc, & de æquipollentibus idem est iudicium *l. fin. ff. mandat. & cap. si quando de rescript. & cap. dudum de elect. 2.* ideo, quæ dicuntur de Episcopo Visitatore applicari possunt Prælato Regulari, etiam Visitatori. Portell. *supra.* Dixi, si sola inquisitione generali vult visitare. Si enim via inquisitionis specialis, aut denunciationis vult procedere, tunc poterit recusari, quia tunc esse poterit euidens suspicio grauaminis. Portellus, & Peyrinis relati. Et à simili de Episcopo Visitante id tenent Piasegus *in Praxi part.2. cap.3.* Armendariz *tit.6. de visit. lib.5. §.2. num.7.* quos refert, & sequitur Barbosa *supra.*

Sextò, quòd attinet ad arbitros, quos eo *num.13.* dixi assignari debere quando causa suspicionis ad recusandum est dubia, nota, tales posse esse Religiosos alterius Religionis, cum nullo iure oppositum habeatur, quinimmo iste sit stylus Religionum, & colligi possit ex *cap. pastoralis de offic. Iud. Ordinar.* Peyrin. *supra num.4.* imò etiam sæculares probos, & bonæ famæ, vt credo, propter eamdem rationem. Quæ tamen intellige, cessante scandalo, aut si Constitutiones Religionum non contradicant. An verò in casu quo essent plures Visitatores simul possit vnus esse iudex arbiter in causa recusationis alterius, agit Pasqualigus *supra decis.356. & sequent.* 8

REFORMATI REGVLARES.

SVMMARIVM.

De illis vbi actum. num.1.
Qui dicantur Reformati. num.2.
Prælati Regulares tenentur procurare Monasteriorum Reformationem. num.3.
Indultum notabile Pij II. pro Carmelit. Reformatis & reformandis. num.4.
Item Pauli II. pro eisdem num.5.
An ea communicentur aliis Religionibus. num.6.
De transitu Religiosorum Reformatorum ad non reformatos. num.7.

De ipsis, & de iis quæ ad ipsorum reformationem spectant egi in speciali libro *de Reformatione Regular.* quibus alia addenda pro materiæ explicatione. 1

Et primò, Reformati Regulares illi dici possunt, qui iuxta Regulæ quam professi sunt, præscriptum, vitam instituunt. Vnde illi, qui non iuxta Regulæ suæ præscriptum, sed secundùm vsum viuunt, non Reformati dici debent. Sorbus *in Additionibus ad Compend. priuilegiorum Mendicantium verbo Reformatio §. notandum* ex Concil. Trident. *sess.45. cap.1.* Si autem tales non reformati, ex concessione, vel mitigatione Sedis Apostolicæ sic viuant, non propterea desinunt esse filij illius Religionis, & Regulæ. Imò contrarium asserentes excommunicari solent à Summis Pontificibus, vt patet ex Constitutionibus Vrbanis fratrum Minorum Congregationis S. Francisci anni Domini 1628. Tales verò Reformati Regulares non solum sunt in nostro Carmelitarum Ordine, sed etiam inter Cistercienses, Camaldulenses, Prædicatores, Minores, Augustinianos, Trinitarios ac fratres S. Mariæ de Mercede, & alios. Quorum aliqui sub eodem Generali, ac non reformati viuunt; alij sub diuersis Prælatis. Quidam sub eisdem Constitutionibus, alij sub diuersis. Alij etiam discalceati; alij calceati incedunt, iuxta diuersitatem Religionum. De quibus Cassarub. *in Compend. priuilegior. Mendicant. verbo Reformatio.* Sorbus *ibidem* & Rodrig. *tom.3. quæstion. Regular. quæstion.47. artic.4.* 2

Omnes autem Prælatos Ordinum Mendicantium teneri debitè reformare Monasteria sibi subdita tam Fratrum, quam Monialium habetur ex Bulla Sixti IV. quam refert Casarub. *supra num.1.* [Adeò autem desideratur hoc à Sede Apostolica, vt quandoque videam 3

videam Sacram Congregationem Episcoporum & Regularium statuisse differri posse celebrationem cuiusdam Capituli Prouincialis ad effectum introducendæ Reformationis, & quod interim gubernaret aliquis à Generali designatus, provt pro Augustinianis decreuit 7. Iunij 1641.] Quia tamen ipsorum reformatio præsertim consistit in vita communi perfectè tenenda, iuxta Concil. Trident. loco relato, iuxta dicta *tom. 1. part. 1. cap. 6. numero 60. & cap. 7. num. 19. ac præsertim cap. 18. num. 14.* Superiores peccant mortaliter, si cum possunt, non cogunt subditos ad vitam communem restituendam. Naldus *in Summa verbo Religiosus num. 5.* ex D. Antonino, Valentia, & aliis, hæc etiam subiungens. *De Religiosis autem vtriusque sexus, qui cum habere possint sufficientem, imò, & abundantem victum, & vestitum ex redditibus, vel eleemosynis consuetis, adhuc tamen resistere volunt Superioribus, qui eis vitam communem iniungunt, iuxta præscriptum Sacrorum Canonum, ac Concilij Trident. dicendum est profectò, quòd sint in malo statu salutis suæ. Ratio est, quia volunt disponere de legatis, vel eleemosynis propinquorum secundùm voluntatem suam, contra votum obedientiæ, & paupertatis, & quia sic viuentes ex sua propria voluntate conuincuntur contemptus habere æquipollenter perfectionem ipsam. Nec eos iuuata licentia sic viuendi à Superioribus obtenta, quia apertè constat illã esse consensum, & voluntatem extortam; eo quòd superiores ob vitandas inferiorum assiduas querimonias, permittunt eis, quæ nolentes coguntur velle, & in conscientia actus gestus ob metum etiam iusto minorem, modò sit causa illius actus, inficitur.*

4 Extat etiam circa hoc notabile Indultum Pij II. pro Generali, Prouincialibus, & Prioribus nostri Ordinis in Mari Magno Ordin. apud Rodriguez *in Bullario in Sixto IV. Bulla 37.* Ipsa autem Pij II. Bulla est apud ipsum *numero 26.* apud nos autem *numero 33.* In qua non solùm prædictis Superioribus Ordinis reformationem iniungit, sed etiam ad id præstandum auxilium, & brachium Prælatorum, & Principum extra Religionem exhibet, & Fratribus reformationi resistentibus excommunicationem infligit, his verbis. *Discretioni vestræ præsentium tenore committimus, & mandamus, quatenus, iuxta concessam vobis à Domino gratiam, & officiorum vestrorum exigentiam, omnes & singulos dicti ordinis professores, iuxta Sanctorum Patrum, & vestra Regularia instituta in vita, & moribus reformare, ac Regulari disciplinæ subdere, & ad meliorem vitam reducere procuretis. Ita quòd per vestræ laudabilis diligentiæ studium in dicto vestro Ordine Regularis disciplina, & vitæ castimonia laudabiliter obseruentur; ac in eo deuotæ sollicitudinis studio benedicatur Altissimus, & odor bonæ famæ personarum illius vtiliter diffundatur. Et ne quòd obsit, peruersorum eorumdẽ prauitas, qui paterna, & proficua vestræ correctionis monita subire recusant, in sua professionis transgressione dãnabiliter perseueret, aut satore Zizaniæ, & hoste humani generis procurante, in deteriùs prolabatur, & eorum impunitas trahi possit ab aliis in exemplũ. Vniuersos, & singulos Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, & cæteros locorum Ordinarios, nec non Duces, Marchiones, Comites, Barones, Senescallos, Iudiciarios, Potestates, Capitaneos, cæterosque Dominos temporales, & eorum loca tenentes, Vniuersitatesque, & Communitates Ciuitatum, Terrarum, Castrorum, & aliorum quorumcunque Locorum, rogamus, requirimus, & hortamur attente; subditis verò nostris iniungimus, & mandamus, quatenus pro tam saluberrimo operis complemento vobis efficacis fauoris, & adiumenti præsidio quoties opportunum fuerit, & pro vestri parte fuerint requisiti assistant, & fauores præbeant opportunos, ita quod vos, & vestrũ quilibet quoscunque incorrigibiles, dyscolos & delinquẽtes ipsius vestri Ordinis professores punire, corrigere & iuxta suã professionem vitã ducere compellere valeatis. Cæterum vt optata ipsius Ordinis, illiusque domorum, & personarum reformatio absque alicuius impedimenti, aut obstaculi machinatione succedat, vniuersis, & singulis tam professoribus prædictis, quàm aliis quibuscumque Ecclesiasticis, & sæcularibus personis cuiuscunque dignitatis, gradus, status ordinis, vel conditionis existant, districtius inhibemus, ne reformationi domorũ, aut personarum Ordinis antedicti quouis quæsito colore se opponere, aut illã impedire præsumant, sub excommunicationis pœna, quam si secus fecerint, eos & eorum quemlibet incurrere volumus ipso facto, & à qua donec à præmissis resipuerint cum effectu, absolui nequeant, præterquam in mortis articulo constituti, non obstantibus, &c.*

Deinde Paulus II. in alia Bulla in eodem Mari 5
magno immediatè proxima sequenti, prædictam Pij, non solùm quoad dictam excommunicationem contra impedientes reformationem confirmauit, sed etiam qualiter Priores Conuentuum reformatorum ab ipsis Fratribus Reformatis solùm eligi, & à Capitulis confirmari deberent; item quod nec amoueri possent dicti Fratres Reformati, aut alij eisdem adiungi sine ipsorum consensu; insuper quomodo prædicti Conuentus à solo Prouinciali visitari possent cum Socio eiusdem Reformationis, non maiorem taxam, quam pro aliis Conuentibus postulando, ac de Priore talium Conuentuum qualiter promittere debeat Regulæ obseruantiam, & quòd aliàs deponendus sit, & alia ad intentum, sic statuit, & ordinauit. *Sanè pro parte dilecti filij Ioannis Soreth Ordinis fratrum Gloriossimæ Dei Genitricis semperque Virginis Mariæ de Monte Carmeli nobis nuper exhibita petitio continebat, quod olim, ne in ipso Ordine scissurã aliquam pullulare contingeret, &, vt Fratribus dicti Ordinis sub arctiori obseruantia Regulæ etiam per fel. record. Eugenium Papam IV. prædecessorem nostrum mitigatæ Altissimo famulantibus fauor debitus impenderetur, &, vt quietiùs, abiecto omni timore humano id efficere possent, & in vnitate fraterna charitatis in præmissa obedientia permanerent, in quibusdam generalibus, & prouincialibus in ipso Ordine celebratis Capitulis, promouente dicto Generali, inter cætera statutum existit, vt Priores Prouinciales extra prouinciale Capitulum non possent pro libito eisdem præficere Priores, vel etiam amouere sine eorum consensu, sed quos elegissent confirmare, Fratres etiam eorum absque Prioris, & Fratrum assensu extra ponere, sine alios, præter eorum consensum, ipsorum adiungere nequirent consortio: quod quidem Statutum, & nonnulla tunc expressa per piæ memoriæ Calixtum III. confirmata sunt; nec non per Pium II. Romanos Pontifices similiter prædecessores nostros, etiam desuper adiectum, ne quis sub excommunicationis latæ sententiæ pœna reformationem Conuentuum dicti Ordinis impediret, aut se illi opponeret, & quouis quæsito colore, à qua quidem sententia absolutionem, nisi resipuerit Sedis Apostolicæ duntaxat, præterquam in mortis articulo, reseruauit. Quare pro parte dicti Generalis nobis fuit humiliter supplicatũ, vt Statuto, aliisque præmissis pro eorum subsistentia firmiori robur Apostolicæ confirmationis adiicere, ac aliàs super iis opportunè prouidere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur, qui dicti Ordinis statutum prosperum, & tranquillum paterno zelamus affectu, huiusmodi supplicationibus inclinati, Statutum prædictum ratum habentes, & gratum,*

tum, illud, prout in litteris Calixti, & Pij prædecessorum huiusmodi continetur auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, ac plenum robur obtinere decernimus. Adiicientes nihilominus ad præmissa, quòd nullus Prouincialis Conuentus dicti Ordinis reformatos possit per Vicarium visitare, nisi talem Conuentus ipse requirat, sed personaliter teneatur eos visitare cum Socio qui fuerit perseuerans in vita consimili. Item quòd pro communibus expensis Ordinis Conuentus hactenus reformati, aut etiam, qui in posterum reformabuntur, vltra summam consuetam, quam antea persoluebant, taxari, vel compelli non possint. Volentesque, & districtius iniungentes, quòd omnis Prior tam in Conuentibus reformatis prædictis, quam de cætero reformandis promittat tam confirmanti, quam Conuentui, in quo recipietur, fideliter obseruare, & obseruari facere Regulam, saltem, secundùm ipsius Eugenij prædecessoris mitigationem, vt præmissum est. Si verò in hoc deses, seu negligens notabiliter repertus fuerit, Prior Generalis, seu Prouincialis teneatur eum absoluere sub pœnis, & censuris contra impedientes reformationem, vt supra dicitur, latis. Cæterum, vt Prouinciales ad plantandam in dicti Ordinis Conuentibus, suisque Prouinciis, confouendamque Regularem obseruantiam per amplius animentur, volumus, vt Conuentus, quos iam reformarunt, aut in posterum reformabunt, sub eorum obedientia, seruatis præmissis conditionibus, reseruare debeant, nec Vicarius cuiuscunque hoc impedire præsumat. Nō obstantibus, &c.

6 Has porrò Pontificias concessiones pro Reformatis Regularibus vtiles valde communicari credo etiā aliis Religionibus communicationem priuilegiorum habentibus cum Carmelitis. Sunt etenim priuilegia quædam, & fauores pro communi bono Religionis, & ita comprehenduntur sub gratiis, & priuilegiis, in quibus Religiones communicant. Idem dico de alio priuilegio Leonis X. quod refert Cassarub. *sup. n. 3.* quo statuit, & in virtute obedientiæ præcepit, quòd de cætero nullæ nouæ Reformationes in Ordine fratrum Minorum introducantur, aut fiant absque Ministri Generalis, aut Prouincialium Ministrorum Reformatorum in suis Prouinciis respectiuè expresso assensu. Ita tamen quòd dictæ Reformationes Ministro Generali, & Prouincialibus Reformatis per omnia, iuxta Regulam subiiciantur. Rodrig. *supra ar. 1.*

7 Circa transitum Religiosorum Reformatorum ad non reformatos videnda sunt primò dicta *tom. 1. capit. 22. per totum*, & dicenda infra verbo *Transeuntes Regulares*. Attendendum etiam est an prædicti Reformati sint sub eodem Prælato, Generali videlicet, seu Prouinciali, quia tunc faciliùs admitti potest talis transitus, de licentia tamen Prælati, & legitima causa subsistente. Secus verò quando tales Reformati, & non reformati sunt sub diuersis Generalibus, vt contingit in ordine Minorū. Tunc enim talis trāsitus regulari debet sicut transitus ex Religione strictiori ad laxiorem, quia iuxta dicta eo *cap. 22. num. 16.* licet tales Religiones censeantur vna ratione Regulæ, & Fundatoris, tamen simpliciter sunt diuersæ, & habēt diuersates austeritates, vel adminus diuersū modum viuendi. Maximè attendendum an authoritate Pontificia prohibitus sit talis transitus, ita vt soli ipsi reseruetur. Si enim talis fuerit, non poterunt Prælati Religionis licentiam pro tali transitu concedere. Quia ergo Sanctissimus D. N. Vrbanus in Litteris sub forma Breuis die 8. Ianuarij ann. 1636. approbans Constitutiones pro Reformatis nostræ Religionis ait: *Eos, qui semel eas professi fuerint, ab earum obseruantia nequaquam discedere, nec ad quamcunque aliam Congregationem, nisi de speciali nostra licentia transire posse, sed iuxta eas semper viuere teneri*, ideo de illis hoc tenendum.

8 Regulares Reformatos eiusdem Religionis debere dici ac alios eiusdem Ordinis, siue *Obseruantes*, siue *Conuentuales* appellentur, pro comperto est; siquidem obseruant eandem Regulam magis, vel minus mitigatam. Pro quo emanauit decretum die 2. Septembris 1645. à S. Congregatione negotiis Regularium præposita in fauorem Augustinianorum Discalceatorum, quo declaratum fuit præfatos fratres esse veros S. Augustini filios, & gaudere iisdem priuilegiis, quibus gaudent Calceati. Cumque in spretum præfati decreti prodierit in lucem liber à Carolo Moreau Augustiniano, vel potius renouatus fuerit primus liber Apologeticus, in quibus præ cæteris calumniis, quibus afficit Discalceatos, passim asserit eos non esse veros S. Augustini filios, sed adulterinos; nihilque habere obseruantiæ Regulæ, & Constitutionum Ordinis, præter nomen. Hinc est quod PP. Procuratores Generales, Italiæ, Hispaniæ, & Galliæ discalceatorum supplicauerunt S. Congreg. vt imponeret silentium huiusmodi calumniis sub censuris, & aliis pœnis, à qua obtentum est hoc Rescriptum. *S. Congregatio, &c. ad compescendum nimiam eorum licentiam, qui contra declarationem aliàs ab eadem S. Congregatione latam sub die 2. Septembr. 1645. ausi fuerunt deinceps asserere, fratres Discalceatos S. Augustini non esse veros eiusdem S. Patris Filios, nec eos, eorumque Congregationem gaudere omnibus priuilegiis, quibus Calceati, illorumque Religio gaudet, Eminentiss. Carpineo referente, supradictam declarationem, etiam quoad fratres Congreg. Hispaniæ renouans, & confirmans, pœnam excommunicationis maioris S. Sedi Apostolicæ reseruatam contrauentoribus imposuit. Et ad tollendas huiusmodi contentiones, & iurgia, quæ inter fratres supradicti Ordinis, & Congregationum Discalceatorum, non absque Religiosi status dedecore, ac sæcularium scandalo prodeunt, neue frater cum fratre contendat, eosdem serio monet, ac hortatur in Domino, vt proprij instituti memores, ac fraternæ Charitatis, per quam sub eodē institutore vocati sunt in Societatem Christi in vno Spiritu, contentiones huiusmodi, quæ Religiosam vnitatem maximè labefactant, deponant omnino, quinimo enitantur potius, vt ambulantes in domo Dei cum consensu per mutuam in se ipsos charitatem, quæ est vinculum Perfectionis, veriùs quam per habitum, & calceamenta tanti Patris filios sese exhibeat. Dat. Romæ 11. August. 1651.*

9 Extat similiter declaratio quædam, in qua Cardinalis Santius totius Augustiniani Ordinis Protector sub dat. Romæ 12. Octobr. 1613. declarat viuæ vocis oraculum fœlic. record. Pauli V. in quo inter alia asserit fratres discalceatos S. Augustini esse vera membra, & filios prædicti S. Patris, atque vt tales participes esse omnium priuilegiorum & gratiarum Mendicantium tam in spiritualibus, quam in temporalibus, & maximè earum, quibus Augustiniana gaudet Religio.

REGVLARES, SEV RELIGIOSI.

DE illis per totam hanc Summā, scripsi, vt propterea necesse nō sit modò aliquid specialiter dicere.

RELIQVIÆ SANCTORVM.

SVMMARIVM.

De illis remissiuè. num. 1.
Reliquiæ quæ dicantur. num. 2.

An

An liceat illas vendere, emere, seu alienare. numero 3.

*An exponere venerandas propter lucrum. num.*4.

*De furantibus Reliquias, eorumque pœnis. num.*5.

*De extrahentibus illas, eorumque pœnis, ex Paulo V. num.*6.

Qualiter, aut quomodo exponi debeant venerandæ. numero 7.

Quid quando ab antiquo in veneratione sunt. numero 8.

Ad cultum priuatum Reliquiarum quæ sufficiant. numero 9.

*An liceat eas tangere vel secum gestare. num.*10.

*An possunt radi ossa Reliquiarum, vt dentur infirmis. num.*11.

Modus obseruandus ab Episcopo in earum approbatione. num. 12.

*Alia remissiuè. num.*13.

1 NONNVLLA ad ipsas spectantia in superioribus dixi, videlicet 1. *tom. p.* 1. *cap.* 12. *numero* 33. *&* 35. qualiter de Sancto, cuius insignis Reliquia habetur, fieri possit Officium, & dici Missa, & quæ censenda sit insignis Reliquia. Deinde *supra* verbo *Alienare &c. num.* 14. an Reliquiæ Sanctorum alienari possint. Item eodem *supra* verbo *Furtum numero* 4. *&* 5. an, & quando furans, seu surripiens Reliquias excommunicationem incurrat. Nunc alia addenda, vel pro materiæ complemento.

2 Primò ergo iuxta Syluestrum *in Summa verbo Reliquia num.* 1. Reliquiæ in proposito dicuntur ea, quæ nobis de Sanctorum humanitate remanserunt, vt totum corpus, & propriæ particulæ eius. Cæterum communi etiam vsu Reliquiæ nomen ad alia applicari constat: vestes scilicet, calceos, vel alia, quæ ipsorum Sanctorum fuerunt. Azor. *tom.* 1. *cap.* 8. *quæsito* 1. Sanchez *l.* 2. *in Decalogum cap.* 53. *n.* 2. Layman *l.* 4. *Tract.* 7. *cap. vlt. quæst.* 4.

3 Reliquias sanctorum vendere, seu emere peccatum simoniæ est prohibitum *l. nemo Cod. de Sacrosanct. Ecclesia. cap. cum ex eo de reliq.* Sanchez *supra n.* 2. Bonacina *de Simonia quæst.* 4. *num.* 3. Thesaur. *in Prax. p.* 2. *verbo Reliquiæ cap.* 1. §. 1. Excipe tamen nisi Reliquiæ essent apud infideles; quia tunc emi possent, eo quòd tali pretio non Sacrum ipsarum Reliquiarum, sed vexatio infidelium redimeretur. Sanchez *supra* ex Philiarcho, & Vgolino. Excipe etiam, si Reliquiæ continerentur in vasis aureis, vel argenteis, & tunc venderentur ratione illorum, ita vt nullo modo augeatur pretium ratione ipsarum Reliquiarum, quia talia vasa pretio æstimabilia sunt. Bonacina *supra* post Syluestrum, Suarez. Filliucium, & alios. Nulla tamen adest pœna latæ sententiæ in dictis iuribus, nisi, quando Reliquiæ, seu corpora sunt alicuius loci Ecclesiastici: nam tunc incurrunt vendentes, seu alienantes, & recipientes excommunicationem latam in Extrauag. *Ambitiosæ de rebus Eccl. non alienan.* Quia sunt res mobiles pretiosæ. Genuensis *in Praxi c.* 56. *num.* 4. *&* 6. Thesaur. *supra.* Quod tamen limita, iuxta dicta *supra* verbo *Alienare dicto num.* 14. vt solùm intelligatur de Reliquiis muro clausis, vel insignibus, aut ipsarum partibus notabilibus, vel perpetuæ traditis sepulturæ. Plures etiam censent probabile esse contrarium, eo quòd dicta Extrauagans solùm videatur loqui de bonis temporalibus pretio æstimabilibus, Bonacina *de Alienatione bonor. Ecclesiastic. punct.* 2. *num.* 31. Bordonus *Resolut.* 27. *num.* 62. ex aliis. Sed Stylus Curiæ iis aduersatur, vt dixi *d. num.* 14.

4 Illas exponere venerandas, prout contingit aliquando inter Regulares, propter lucrum oblationum inde prouenientium, peccatum quoque esse simoniæ, plures tenent; ex *d. cap. cum ex eo.* Et ex Concil. Trident. *sess.* 25. *in princip. in decret. de inuocat. venerat. & reliq. Sanctor.* de quo Azor. *sup. quæst.* 6. Graffius 2. *p. Decis. l.* 2. *cap.* 14. *num.* 7. & alij. Hoc autem limitant aliqui dicentes esse simoniam quando tales Reliquiæ exponuntur in publico ob quæstum, si talis quæstus temporalis sit principale intentum illius ostensionis, vel expositionis; secus, si principale intentum sit cultus Sanctorum in gloriam Dei, & lucrum temporale sit minus intentum. Armilla *in Summa verbo Reliquiæ num.* 1. & Tabien. *ibid.* Nauar. *Summa latina cap.* 17. *num.* 169. & alij. Ad eum modum quo Clericus vadens, ad Chorum principaliter propter lucrum temporale est simoniacus Secus, si lucrum illud est ibi causa minus principalis, seu conditio sine qua non. Et hæc limitatio clara, & secura est. Portellus *in Dub. Regular. verb. Reliquiæ Sanctorum num.* 3. Limitant etiam alij dicentes probabiliter, quòd etiam si in ista Reliquiarum expositione principale intentum sit lucrum temporale, non sit simonia nisi quando illud lucrum speratur, vt pretium ostensionis. Tunc enim est quædam quasi venditio. Si verò tale lucrum non ita speratur, vt pretium, sed tanquam sustentatio congrua ibi laborantis, non erit simonia. Quia *cap. cum ex eo* citatum, & Tridentin. loco relato quando prohibent Reliquias venales ostendere, intelliguntur, quando quæstus, seu oblationes deducuntur in pretium sub pacto, vt si diceretur: *propone Reliquias in publico, reddemus tantùm*, vel quando proponens Reliquias, principaliter lucrum prætenderet tanquam pretium ostensionis ipsarum. Sotus *l.* 9. *de iust. quæst.* 6. *articulo* 2. *ad fin. corpor.* Sanchez *supra.* Et fauent Portellus, *supra* ac Peyrinis *tom.* 3. *priuileg. Minim. capit.* 4. *num.* 2. Nota hic etiam, quòd antiquæ Reliquiæ Sanctorum non possunt extra capsam ostendi, ex *cap. cum ex eo* relato. Rationem reddit Abbas ibi, quia cum ostenduntur extra capsam ossa nuda, multorum deuotio tepescit, & datur detractoribus causa obloquendi. Angelus, Syluester, & alij Summistæ *verb. Reliquiæ.*

Quamuis autem non liceat Reliquias furtiuè subtrahere, etiam, vt honorabilius collocentur, est enim ablatio rei Sacræ inuito domino, & consequenter furtum sacrilegum (Saytus *in Claui regia l.* 4. *cap.* 7.) nec paruitas materiæ excuset à mortali, nam hic non spectatur sola rei quantitas, sed dignitas, & æstimatio moralis (Summistæ *verb. Reliquiæ.* Sanch. *supra num.* 23. Layman. *supra num.* 17.) nihilominus, iuxta *d. supra* verbo *Furtum num.* 4. *&* 5. Reliquias furans, seu surripiens absque effractione loci, non incidit ipso facto iure communi in aliquam censuram, secus verò si id fiat cum aliqua effractione. Item ex *can. corpora de consecr. distin.* 1. Sanctorum corpora perpetuæ sepulturæ tradita non possunt erui, & transferri sine licentia Papæ, aut Episcopi, aut synodi, aut Capituli Canonicorũ, excepta necessitate incẽdij, vel reparationis, vel mutationis Altaris. Sayr. *sup.* Sanch. *supra num.* 25. Layman. *supra num.* 17. Si autem perpetuæ sepulturæ traditæ non sunt, nihil obstat eas transferri ad alium locum Religiosum, non petita licentia Prælati. Layman. *supra* ex Antonino, Syluestro, Armilla, & aliis. Similiter Edicto Vicarij Vrbis Romæ edito de mandato Pauli V. anno 1613. die 24. Augusti, cautum est, ne quis audeat, vel præsumat, vel possit intrare in aliquam ex Cryptis, Catacumbis, vel Cœmeteriis intra, vel extra Vrbem Romanam, neque ab illis extrahere Reliquias etiam in minima 6

minima particula, neque ad id præstare auxilium, vel fauorem, sub pœna triremium, & aliis arbitrio Vicarij ipso facto incurrendis, & excommunicationis latæ sententiæ. Extenduntur dictæ pœnæ, & censuræ ad omnes, ad quorum instantiam fiet extractio, aut attentata fuerit, & ad complices, & ad recipientes scienter Reliquias illicitè extractas, vt supra. Absolutio etiam dictarum pœnarum Papæ reseruatur. Regulares autem vltra dictas pœnas incurrunt ipso facto priuationem vocis actiuæ, & passiuæ, & inhabilitatem ad dignitates, & gubernationes suæ Religionis, & dispensatio, vel habilitatio Papæ reseruatur. Bonacina *de Censuris in particulari disput.2.quæst.3.puncto* 13.§.*incidens*. Thesaurus *supr.n.*2. Notat autem idem Bonacina hoc Edictum ligare etiam extraneos Romam venientes, & esse perpetuum, quia scilicet editum est per modum legis, & statuti.

6 Ex Breui etiam eiusdem Pauli V. promulgato Edicto eiusdem, Cardinalis Millini Vicarij Vrbis anno 1614. die 16. Maij statutum est, vt nullus vigore licentiarum à Papa viuæ vocis oraculo ante duos menses proximos concessarum, possit Reliquias extrahere de Ecclesiis, Monasteriis, locis piis, Cœmeteriis, vel Cryptis, intra, vel extra Vrbem, alias incurrant excommunicationem ipso facto Papæ reseruatam. Eamque extendit contra eos, qui curam habent, seu gubernationem dictarum Ecclesiarum, vel locorum, si permiserint, seu consenserint extractioni Thesaurus *supra.num.*3. Insuper ex eodem Edictio Cardinalis Millini Vicarij de mandato eiusdem Pauli V. prohibitum est, ne quis sæcularis, aut Regularis fidem vllam, aut testimonium, seu instrumentum, seu scripturam publicam, vel priuatam faciat extractionis, donationis, consignationis, aut translationis, aut alterius contractus, aut scripturæ, vbi fiat mentio Reliquiarum, nisi cum licenti in scriptis eiusdem Vicarij Vrbis, non suffragante quacunque Sedis Apostolicæ licentia aliter emanata; & transgressoribus ibidem statutæ sunt pœnæ, scilicet dominis officiorum pœna priuationis officiorum, notariis autem, & substitutis pœna 500. scutorum. Et has pœnas decernit incurri ipso facto. Religiosis autem sub pœna priuationis vocis actiuæ, & passiuæ in perpetuum, & exilij ab omni statu Ecclesiæ Romanæ. Thesaur. *supra n.*4. Pro extractione etiam Reliquiarum pro Prouincia Mediolanensi extat prohibitio Gregorij XIII. quam refert Barbosa *de off.& potest.Episc. Alleg.*50.*n.*158. Quàm tamen moderatam esse à Sixto V. & Sac. Congregat. refert Gauantus *in Man.verb. Reliquiæ Sanctorum n.*36.

7 Etsi de fide sit Sanctorum Reliquias venerandas esse, provt ex dicto *cap. cum eo*, & Concilij Tridentini Decreto colligitur, de quo inter alios Vualdensis noster *tom.* 3. *titul.*23. *cap.*164. nihilominus ad publicum ipsarum cultum, qualis contingit cum exponuntur publicè, requiritur, quòd ab Ecclesia approbatæ fuerint. Diuersimodè tamen hæc approbatio requiritur. Si enim fuerint Sancti non canonizati, solùm à Papa approbari debent, quia ita habetur *c.cum ex eo* relato, & quia solius Papæ est Sanctos canonizare, si verò fuerint Sancti canonizati, sed nouiter inuentæ, approbari possunt ab Episcopo. Ita enim colligitur ex Concilio Tridentino *in Decreto* relato. Sanchez *supra num.*10. Azor. *supra quæst.*8. Suarez *tom.*1.*in* 3.*part.disput.*55.*sect.*2.*versic.sed quæret aliquis*, Fagund. *de primo Ecclesiæ præcepto l.*1.*cap.*4.*num.*3. Nomine autem Sancti Canonizati non solùm intelligitur ille qui in canone Missæ (à quo forsan huiusmodi appellatio deriuatur, inscriptus est, aut per Bullam Canonizatus est, sed qui per antiquam traditionem, seu Ecclesiæ consuetudinem, vt Sanctus habetur. Azor. *dict. quæst.* 8. Sanchez *supra num.* 11. Barbosa *de Offic. & potest Episcopi Allegat.* 97.*num.* 11. Afferens declarationem Sacr. Congregationis de qua infra. Cui etiam consonat Decretum S. Inquisitionis, quod retuli *tom.*1. *cap.*12. *num.*39. Tales sunt omnes sancti, qui in Martyrologio Romano leguntur, Portellus *supra num.* 10. Quid verò dicendum de Sanctis solùm Beatificatis habes infra verbo *Sanctorum cultus*. 8

Pro praxi autem Regularium notandum, quòd, licet ipsi nequeant exponere Sanctorum Reliquias sine prædicta Episcopi approbatione, provt ex declaratione Sacr. Congregatiouis apud Sellium *in Selectis Canonicis capite* 3. *numero* 11. & Nouarium *in Lucerna Regularium verbo Reliquiæ numero* 3. colligitur, quando tamen in aliqua Regularium Ecclesia fuerint aliquæ Reliquiæ, quæ ab antiquis temporibus in veneratione fuerunt, tales exponi publicè possunt. Declaratum enim à Sacr. Congregatione, quòd Reliquiæ antiquæ habendæ sunt in illa veneratione, quam hactenus habuerunt. Barbosa *dicto num.*11. & in locum Concilij relatum, Naldus *in Summa verbo Reliquiæ Sanctorum num.*1. Similiter, stante dubio de veritate Reliquiarum, non sunt contemnendæ, aut in ignem v. g. abiiciendæ, sed loco decenti asseruandæ, non permixtæ, aut ad venerationem expositæ cum aliis Sanctorum Reliquiis. Naldus *supr.* Layman. *supra num.*16. Fagundez *supra à num.*10. post alios.

Loquendo autem de priuato cultu Reliquiarum, ad illas non est necessaria Papæ, aut Episcopi approbatio, sed sufficit priuatum testimonium vnius personæ fide dignæ, aut alia ratio, vel coniectura, quæ ad prudentem assensum sufficiat. Suarez *dicta sectione* 2. Sanchez *suprà num.* 13. Fagundez *supra numero* 6. Vnde consequenter ad dicta *tomo* 1. *capite* 12. *numero* 40. licitum est eas habere, & venerari, etiam aliis videntibus, modo scandalum absit. Id enim habet praxis Ecclesiæ, mox enim ac Martyres defuncti erant, currebant fideles ad Reliquias rapiendas; & similiter quando moriuntur homines clari sanctitate, multi deuotè osculantur manus, & pedes illorum, & de vestibus eorum pro Reliquiis seruant, nec id vnquam prohibitum fuit. Præterea, si licet honorare viuentes, quos credimus Sanctos, cur non mortuos? Peyrinis *tom.*1.*Priuilegiorum Minimorum in Constitutione tertia Leonis X. num.*3. Et ratio est, quia cultus publicus qui negatur Reliquiis non approbatis ex eo dicitur publicus, quia exhibetur illi publicè coram aliis, sed quia illi exhibetur nomine totius Ecclesiæ tanquam ab illa institutus. Portellus *supra n.*11. 9

Licitum est siue clericis, siue laicis Sacras Reliquias cum reuerentia tangere, aut decenter inclusas deuotionis gratia secum habere, vel è collo gestare. Syluester *supr.q.*4. Nauarrus *cap.* 11 *num.* 35. Azor. *supr.c.*8.*quæst.*6. vbi ait; Non idcirco talem grauius peccare si reliquias, deferendo perieret; mentiatur furetur, alteri detrahat, in quempiam maledicta coniiciat, aut quid simile peccet, quia non directè cultui Reliquiarum aduersatur. Quinimo ne fornicari cum Reliquiarum gestatione, continere circunstantiam necessariò confitendam, tenent Sanchez *supra num.* 28. Naldus *supra num.*2. Portellus *num.*9. Layman. *num.*18. Fagundez *num.*13. & alij. Venialem tamen aliquam irreuerentiam in hoc plures ipsorum merito agnoscunt. Vnde etiam in congressu 10

congressu maritali eas deponi debere consulunt viri docti, specialiter Homobonus *de Examine Eccles. fol.* 517.

11 Notanda tamen declaratio Sacr. Congregationis Episcoporum & Regularium, quam refert Gauant. *supra numero* 34. ex qua habetur non posse radi ossa Reliquiarum Sanctorum, vt rasuræ dentur in potum infirmis.

12 Modus autem, quem seruare debet Episcopus in approbatione reliquiarum habetur in eodem Concilij Decreto. De quo Azor. *supr. quæst.* 8. Sanchez *supra num.* 15. Barbosa *dict. Allegat.* 97. *n.* 17. Diana *par.* 2. *tract.* 15. *resol.* 51. ex aliis.

13 Vide alia infra verbo *Sanctorum cultus.*

Nota tamen quod cum de anno 1649. pro 21. Augusti supplicassent nonnulli Regulares S. Congregationem Rituum an deferente Episcopo aliquam Sanctorum Reliquiam etiam Patroni Ciuitatis teneantur Religiosi iuxta quorum Monasteria, vel Ecclesias transitur, exire de domo, seu Ecclesiis, ipsamque reliquiam etiam cum thurificatione venerari, & an ad id Episcopus eos compellere valeat. Et respondit Sacra Congregatio, *hoc laudabile esse, non tamen cogi posse.* Id igitur efficiant Regulares, quorum munus est piis, & religiosis actibus insistere.

RENVNCIATIO INTER *Religiosos.*

SVMMARIVM.

De renunciatione remissiuè. num. 1.
Renunciatio quid sit num. 2.
Quas conditiones requirat. ibid.
Quilibet Religiosus potest renunciare officium quod habet num. 3.
Renunciatio fieri potest per procuratorem. num. 4.
Debet fieri scienter, sponte, & purè. num. 5.
In manibus Prælati ad quem spectat prouisio illus officij. num. 6.
An fieri debeat in scriptis. num. 7.
Debet fieri ob rationalem causam. num. 8.
Quid de renunciatione vocis actiuæ, & passiuæ, ibidem.
Ad renunciationem requiritur acceptatio Superioris, num. 9.
Effectus renunciationis quid sit. num. 10.
Quid de renunciatione electionis ad Officia Ordinis, num. 11.
An renuncians possit retractare renunciatiomem. numero 12.
Alia remissiuè. num. 13.

1 De renunciatione, seu dispositione bonorum Nouitiorum latiùs dixi *tom.* 1. *c.* 24. *à num.* 32. & supra verbo *Nouitij, & Nouitiæ Religionum à num.* 25. De renunciatione etiam Beneficiorum Regularium aliqua dixi *supra* verbo *Abbas num.* 18. & verbo *Beneficium, & Beneficiati num.* 16. Item de renunciatione priuilegiorum, aliqua dixi *supra* verbo *Priuilegia Regularium num.* 14. Alia ergo in præsenti addenda circa renunciationem munerum, seu officiorum Religionum, quæ non rarò inter ipsas contingit. Præsuppositis priùs aliquot principiis huius materiæ.

2 Primò ergo renunciatio, conformiter ad dicta *supr.* verbo *Beneficium, & Beneficiati num.* 16. est *rei, vel iuris proprij legitima refutatio, vel dimissio. cap. quam periculosum* 7. *q.* 1. Angelus, Syluester, & alij Summistæ verbo *Renunciatio.* Parisius *de resignatione lib.* 1. *quæst.* 1. *num.* 34. Dicitur, *vel iuris proprij,* quia quod non habetur, renunciari non potest. Parisius *supra num.* 50. Dicitur *legitima,* quia facta contra legem, vel Constitutionem erit irrita, vel illicita, iuxta talis legis præscriptum. Vnde renunciatio redditur illegitima primò, ratione personæ renunciantis, puta, quia est minor. *c. si annum de indic. libr.* 6. vel aliàs non potens renunciare. Secundò, ratione personæ in cuius manibus fit renunciatio, si non fiat cui debet. *eo tit. cap. cum dilecti, & cap. admonet, & c. quod in dubiis.* Tertiò, ratione rei, quæ renunciare non potest, vt iuris naturalis, & agnationis, & sanguinis, *l. ius sanguinis ff. de pact.* Summistæ *supra.*

His positis, aliqua dicenda. Primò, quemlibet religiosum posse renunciare quodcunque officium, beneficium, munus, vel ius Religionis, quod possidet. Ratio sumitur, tum ex dictis dicto verbo *Abbas n.* 18. scilicet, quemlibet posse cedere iuri suo, tum etiam, quia si maximè dignitas, qualis est Papatus, renunciari potest, prout habetur ex *c.* 1. *de renunciat. in* 6. cur non aliæ dignitates, munera, iura, &c. Parisius *supr. lib.* 2. *quæst.* 1. Peyrinis *in Formular. litter. R. c.* 8. *num.* 8. Tamburin. *de Iure Abbat. tom.* 1. *disp.* 13. *q.* 1. *num.* 2. 3

Dicendum secundò, quamcunque renunciationem fieri posse etiam per procuratorem. Non enim est aliqua ratio, quæ suadeat oppositum. Syluester *supr. q.* 2. Vbi etiam an ad hoc requiratur speciale mandatum. Sanchez *tom.* 1. *cons. mor. lib.* 2. *c.* 3. *dub.* 36. *à num.* 31. 4

Tertiò, ad hoc quòd renunciatio sit licita, & valida, debet fieri primò *scienter.* Quia id quod ignoratur renunciari non potest, *l. mater. ff. de inoffic. testam.* Vnde cum quis ignorat ius aliquod debet notificari, vt in authent. *quoop. Episc.* Secundò, *sponte,* & propria voluntate. *c. quamuis* 7. *q.* 1. Tertiò, purè, & absolutè. *c. ex parte de offic. deleg. el. primo de Simon.* Summistæ *supra* Parisius *supr. lib.* 13. apud quem de dolo, fraude, & metu, quæ reddunt renunciationem irritam. De quo etiam Garzia *de Benef. p.* 1. *c.* 3 §. 2. 5

Quartò consequenter ad dicta eo verbo *Abbas num.* 18. renunciationem officiorum, seu beneficiorum Religionis, fieri debere in manibus illius Prælati, ad quem spectat institutio illorum. *c. admonet. de renunciatione.* Et ratio est, nam Superiori interest, ne dimittatur officium, vel beneficium, quod ad eum pertinet, sine ipsius licentia, aliàs ei præiudicaretur. *c. significasti de foro compet. c. Clericum* 11. *q.* 1. *c. non liceat.* 3. *quæst.* 6. Syluester *quæstione* 3. Peyrinis *supra numero* 3. Tamburinus *supra numero* 3. Dixi renunciationem officiorum, seu Beneficiorum, Religionis. Nam renunciatio aliorum iurium, quæ non sunt officia seu Beneficia, puta vocis actiuæ, vel passiuæ, fieri potest coram aduersario, vel notario publico, vel Iudice nomine aduersarij, *leg.* 2. *ff. Remp. sal.* Syluester *supra.* 6

Quintò, renunciationem debere fieri in scriptis 2. *qu.* 1. §. *ecce. cap. quamuis* 7. *quæst.* 1. *c. Gonsaldus* 17. *quæstione* 2. Etsi enim hæc iura solùm loquantur de Episcopatu, & Beneficiis, nihilominus militat eadem ratio in officiis, & iuribus Religionis, ideo idem videtur dicendum de illis, saltem pro bono regiminis. Cum enim renunciatio sit stricti, imò strictissimi iuris, id eò ad tollendas omnes lites debet semper de illa constare per testem irrefragabilem 7

irrefragabilem, vt sunt litteræ, quæ scriptæ manu propria probant plenè intentionem scribentis, *l. publica mauia* §. *Titius ff depositi, vel contra.* Peyrinis *supra. num.* 7. ex Parisio. Apud quem etiam *ibidem, & c.* 5.6.7.& 8.de formis renunciandi officia, acceptandi illa, & notificandi talem renunciationem.

8 Sextò, requiri ad renunciationem rationabilem aliquam causam pro illa facienda, ita vt sine illa, saltem imprudenter, & illicitè fiat. *cap. super hoc de renunciat.* Fuscus *de Visitatione part.* 2.*cap.* 28.Peyrinis *supra num.*4. & 7. Vnde huiusmodi renunciatio officiorum, seu iurium Religionis, videlicet vocis actiuæ, seu passiuæ, sæpiùs est peccaminosa, quia est contra bonum commune Religionis, quod præponderare debet bono particulari, quieti ver. grat. Religiosorum. Pro quo vide dicta *tom. c.* 15. *num* 8. & 23. Sigismundum *de Elect. dub.* 15. Lauorium *de Elect. titul.* 4. *c.* 18. Molinam *tract.* 2. *de iustit. tom.* 3. *disput.* 732. *num.*4. Bonacinam *de Contractib. disp.* 1. *q.* 2.*puncto* 8. *num.*8. Naldus *in Summa verbo Renunciare num.*7. & Valentiam *tom.* 3. *disput.* 10. *q.* 3.*p.*4. Nota autem, aliquas causas esse, cum quibus non solùm Regulares possunt renunciare officia Religionis quæ habent, præsertim Prælatias, sed etiam teneri ad faciendum. Huiusmodi sunt, iuxta dicta *supr.* verbo *Abbas num.* 18. censura, irregularitas, infirmitas corporis senectus, vel aliud impedimentum impediens officij executionem. Idem dico de illis, qui per simoniam, vel intrusionem ea adepti sunt. *cap. nisi cum pridem de renunciat.* Valentia *supr.* [Nota etiam quod qui semel renunciauit voci actiuæ, vel passiuæ, & talis renunciatio acceptata est à Superiori, non potest eam reassumere: quia iam est omnino spoliatus tali iure, & *quod semel placuit, amplius displicere non potest* iuxta regulam iuris *in* 6. Si autem non est acceptata renunciatio potest ad rem, cui renunciauit regredi; res enim de facili ad sui primæuam naturam reddit. Sanchez *lib.* 8. *de matrimon. disput.* 32. Sigismundus *supra.* Vide infra *num.* 12.]

9 Septimo, requiri etiam ad renunciationem quòd acceptetur à superiori, ita vt vt ante acceptationem non sortiatur suum effectum, iuxta dicta *tom.* 2.*c.* 12. *num.* 45. *cap. admonet de renunciat.* Layman. *lib.* 4. *tract.* 2. *cap.*17. *num.*4. De quo plura Garzia *de Benefic. part.* 11 *cap.* 3.§.3.

10 Octauò, effectum renunciationis hunc præcipuum esse, vt is qui renunciauit ad id, quòd renunciauit, non habeat regressum. *cap. cum inter, cap. ex transmissa, cap. cum in præsentia de renunciat.* Syluester *supra q.* 5. Parisius *supr. lib.* 1.*q.* 12. & 13. vbi plura ad intentum.

11 Eadem porrò, quæ dicta sunt de renunciatione officiorum, iurium, &c. intelligi etiam debent de electione ad illa, ita vt queadmodum Religiosi possunt dictis Officiis, aut iuribus renunciare, sic, & electioni qua ad illa electi sunt. *cap. si electio de elec. in* 6. Tunc autem electio deuoluitur iure communi ad primos electores *dicto cap. si electio.* Sigismundus *supra dub.* 12. Peyrinis *tom.* 3. *priuileg. Minim. cap.*9. *num.* 10. Attendenda tamen sunt particularia iura Religionum, approbata maximè à Sede Apostolica, & an Capitulum de nouo possit commodè congregari. Iidem Authores.

12 Circa quæstionem illam an renuncians possit pœnitere, seu retractare renunciationem, dicendum primò, Renuncians per nuncium potest pœnitere, re integra. *c. electæ de renunciat.* Secus si res non est integra. *cap. in causis de elect.* §. *finali.* Armilla *in Summa verbo Renunciatio num.* 7. Tabiena *quæst.* 10. Syluester *q.* 2. *dicto* 4. Vbi addit rem non esse integram, si Superior exposita renunciatione cœperat de acceptatione cogitare. Sanchez *supra num.* 29. Dicendum secundò, qui impetrauit licentiam renunciandi cogendus est renunciare, *c. quidam de renunt.* Vbi Gloss. rationem reddit, quia quod à principio fuit voluntarium postea fit necessarium, & quod semel placuit amplius displicere nequit. Sic Syluester, Armilla, Tabien. *ibi*, & Sanchez *supra num.* 30. Quia tamen oppositum practicari video in Religionibus, limitanda videtur hæc doctrina ad renunciationem Beneficiorum, de quibus eo *c. quidam*, & quando ea fit non ex animi leuitate, sed seriò, & cum prudentia. Imò etiam de Beneficiorum renunciatione, iuxta Cameræ, vel Cancellariæ stylum, id non admittitur. Naldus *supra num.* 8. Dicendum tertiò, si quis constituit procuratorem ad renunciandum, licet postea reuocet facultatem ipsi datam, tenebit renunciatio facta per eum, si facta est antequam reuocatio mandati intimaretur ipsi procuratori, vel ei in cuius manibus renunciatio facienda erat. Clem. vnic. *de renunciat.* Sanchez *supra num.* 31. Dicendum quartò, generaliter loquendo, antequam renunciatio fit admissa Superiori potest retractari à renuncian te, non verò postquam admissa est. Quia in priori casu res est integra, non in posteriori Parisius *d. q.* 12. Sigismund. *de Elect. dub.* 15. *num.*8. Lauorius *de Elect. tit.* 4. *cap.* 18. *num.*88. Castellinus *de Elect. cap* 5. *num.* 22. Peyrinis *dict. c.*9. *num.* 29. & *dict. c.*8. *num.*9.

Vide alia infra verbo *Resignatio officiorum ordinis.* 13

RESERVATIO CASVVM.

DE hac materia sufficienter dictum est *supr*, verb *Casus reseruati Regularium.*

RESIDENTIA PRÆLATORVM Regularium.

SVMMARIVM.

Qualiter regulares residere teneantur in suis Ecclesiis, vel Monasteriis, quibus sunt Præfecti. num. 1.
Quanta absentia permittatur. num. 2.

QVòd Prælati Regulares teneantur residere in suis Ecclesiis, & Monasteriis respectiuè, videlicet Generalis in Ordine, Prouincialis in Prouincia, & Conuentualis Prælatus in Conuentu, seu Monasterio, constat ex dictis *tom.* 1. *c.* 18. *n.* 12. & *supra* verbo *Abbas num.* 10. ex Concilio Trident. ex aliis Iuribus. Vbi etiam qualiter tempore pestis, vel hæresis, teneantur ad dictam residentiam, etiam cum periculo mortis. Quod intellige, etiam si per substitutum suum munus adimplere possint. Tum quia in *c. extirpandæ de præbend.* declaratur non sufficere id facere per Vicarium, & in Concil. Trident. *sess.* 23. *c.* 1. requiritur personalis residentia. Tum etiam quia subditi magis venerantur, & timent suum Prælatum, quàm Vicarium ipsius, Peyrinis *tom.* 2. *de Prælat. q.* 1. *c.* 7. *num.* 27. Notans vlterius Prælatos illos, qui habent aliquod stipendium à suis Conuentibus non posse illud recipere, aut retinere, si non resideant. 1

Nihilominus, iuxta dicta eo *num.* 10. permittitur Prælatorum absentia intra duos, vel tres menses in 2

in anno dummodo id fiat æqua causa, absque vllo gregis detrimento. Imo, ad maius tempus in casu raro, & magna ex causa. Quales sunt, iuxta Concilium loco relato, *Christiana charitas, vrgens necessitas, debita, obedientia, ac euidens Ecclesiæ, vel Reipublicæ vtilitas.* Eas verò explicant Azor. *tomo* 2. *Instit moral. lib.* 7. *cap.* 4. Valentia *tom.* 3. *disp.* 10. *quæst.* 3. *p.* 5. Toletus *in Summa lib.* 5. *cap.* 4. Sanctarellus *variar. resolut. quæst.* 3. Barbosa *de Off. & potestat. Episc. Allegat.* 53. Peyrinis *suprà num.* 31. & plures alij. Nota tamen, adhuc in illis casibus requiri dispensationem, seu licentiam Superiorum. Tum propter obedientiam, quam Regulares profitentur, tum etiam quia ita colligitur ex Concil. Trident. loco relato, & aliis Iuribus. Tamburinus *de iure Abbat. tom.* 1. *disput.* 14. *quæsit.* 4. *num.* 12. Suppono autem quòd ea quæ de residentia Prælatorum Canones, & Concilia decernunt, trahi debent ad Prælatos Regulares, prout communiter Authores supponunt, specialiter Rodriguez *tom.* 2. *quæst. Regularium q.* 39. & Homobonus *tom.* 3. *de Examine tract.* 15. *cap.* 16. *q.* 12. Vbi enim eadem est ratio, ibi & idem ius.

RESIGNATIO OFFICIORVM Ordinis.

SVMMARIVM.

Resignatio quid sit. num. 1.
Dupliciter fieri potest. num. 2.
Beneficiorum nomine quæ veniunt. num. 3.
Resignatio pura, & absoluta licita est. num. 4.
Coram quo Superiore facienda. num. 5.
An possit fieri non purè, & absolutè; sed sub modo, conditione, &c. num. 6.

1 NOTA quòd Resignatio est *voluntaria beneficij abdicatio facta coram legitimo Superiore.* Bonacin. *de Simonia q.* 4. §. 14. *in princip.* Vnde solo nomine videtur à renunciatione differre, vel in eo solùm, quòd renunciatio latius patet quam resignatio, quia illa est iurium, officiorum, &c. resignatio verò, saltem ex vsu solùm est Beneficiorum. Quare ea, quæ dicta sunt superius de renunciatione, applicari debent resignationi.

2 Nota secundò hanc resignationem, seu Beneficiorum renunciationem fieri posse dupliciter, scilicet primò purè, & absolutè, idest absque vlla conditione, pensione, designatione personæ, vel onere aliquo: secundò, cum aliqua conditione, pensione, designatione, vel onere. Suarez *tom.* 1. *de Relig. lib.* 4. *cap.* 35. *num.* 1. Bonacina *suprà.*

3 Nota tertiò, nomine Beneficiorum, quæ per resignationem renunciari possunt, intelligi in præsenti quoad Regulares, non solùm ea, quæ curam animarum sæcularium important, & dicuntur beneficia Regularia, de quibus egi *tom.* 1. *p.* 2. *c.* 18. *per totum*; sed etiam Prælaturas Religionis, quæ solùm important curam animarum Religiosorum, iuxta dicta *tom.* 1. *c.* 15. *num.* 32. & *tom.* 3. verbo *Beneficium, & Beneficiati num.* 3.

4 Dico ergo primò. Pura, & absoluta resignatio beneficiorum, seu officiorum Ordinis, quæ beneficia sunt, licita est, & honesta inter Regulares si fiat coram legitimo Superiori. Nihil enim est in tali renunciatione contra diuinum, aut humanum ius. Suarez, & Bonacina relati. Vide dicta *supr.* verbo *Renunciatio inter Religiosos.*

Dico secundo, Superior, coram quo fieri potest & debet, dicta resignatio, est Prælatus Religionis. 5
Ratio est, quia iuxta dicta supra eo verb. *Renunciatio inter Religiosos num.* 6. qui habent ius, & potestatem conferendi beneficia habent illam ad recipiendum eorum resignationem. Quòd maximè est verum: si etiam habent facultatem destituendi beneficiarios, etiam inuitos, iustis de causis, quæ omnia competunt Prælatis Regularibus, iuxta dicta locis relatis ex 2. & 3. *tom.* De quo Parisius *de Resignat. Benef. lib.* 7. *q.* 1. Layman. *lib.* 4. *tract.* 2. *cap.* 17. *n.* 3. & 4. Tamburin. *de Iure Abbat. tom.* 1. *disput.* 13. *q.* 8. & alij apud ipsos.

An verò huiusmodi resignatio beneficiorum possit fieri non purè, & absolutè, sed sub aliqua conditione, modo, personæ designatione, &c. constabit ex 6
dicendis infra verbo *Simonia n.* 15. Interim tamen, iuxta dicta *supra* verbo *Beneficium, & Beneficiati num.* 16. circa illam quæstionem an Beneficiorum resignatio fieri possit à Regularibus in fauorem tertij, dicendum primò, fieri posse hoc modo, resignando scilicet absolutè Beneficium in manibus Prælati cum intentione, & spe non manifestata ipsi, vt illud conferat certæ personæ. Secundò, resignando similiter absolutè beneficium in manibus Superioris, negando tamen postea ipsum, vt illud conferat alicui ver. grat. Petro. Cum enim in hoc nullum interueniat pactum cum Superiore, aut cum illo pro quo rogatur, nec vlla obligatio iniuncta Superiori conferendi beneficium personæ designatæ, vt suppono, non est in eo aliquid contra ius diuinum, aut etiam Canonicum. De quo etiam Sanchez *tomo* 1. *Consil. moral. lib.* 2. *cap.* 3. *dub.* 36. *num.* 23. Diana *p.* 5. *Tract.* 14. *Resolut.* 26. & Thesaur. *in Praxi part.* 2. *verbo Resignatio cap.* 2. Addit Peyrinis *in Formulario littera R. cap.* 8. *num.* 8. ex Nauarro *lib.* 5. *consil. de Simon. consil.* 38. quod licet, si quis renunciaret alicui officio cum pacto quòd Superior illum remuneraret de alio, Simoniam committeret, secus tamen esset; si Superior solùm, diceret. *Relinque hoc officium amore mei, & prouidebitur tibi de alia re.*

REVERENDÆ PRO ORDINIBVS recipiendis.

DE illis dixi sufficienter *supra* verbo *Dimissoria.* 1

REVS REGVLARIS.

SVMMARIVM.

De reo regulari remissiuè. num. 1.
Antequam examinetur informari debet de statu causæ num. 2.
Prima interrogatio ipsi facienda. num. 3.
In ipsius examine quæ notanda. num. 4.
De rei confessione. num. 5.
Alia remissiuè. num. 6.

DE Regulari reo plura dixi *tom.* 1. *cap.* 27. *per totum. & supra* verb. *Accusatio*, verb. *Appellatio*, verb. *Causa Iudicialis Regularium*, verb. *Commissio, & Commissarius*, verbo *Denunciatio*, & maximè verbo *Iudex*, & *Iudicium Regularium.* Aliqua etiam supra verb. *Recusatio.* Alia tamen specialiora, & magis practicabilia addenda pro materiæ complemento, maximè circa confessionem à reo faciendam 1

Et primò quidem, cum iuxta dicta eo *cap.* 27. 2
præsertim.

præsertim *num. 6.* non possit Iudex, maximè Regularis, Iuridicè contra aliquem per specialem inquisitionem procedere, nisi infamia, siue clamorosa insinuatio, vel iudicia, aut semiplena probatio, præcedant, ideo antequam Religiosus reus examinetur informari à Iudice debet de statu causæ, id est, cõtra eum esse aliquod ex præmissis, vt sciat se esse in tali articulo constitutum, vt Iudex iuridicè eum interroget, ac per consequens ipse teneatur veritatem fateri. Ratio est, quia iniustum, & inhumanum videtur, obligari aliquem ad confitendam veritatem in sui notabile præiudicium, nisi illi constet quòd iuridicè interrogatur, sicut generaliter loquendo, nullus tenetur dimittere bonam famam, vitam, aut bona, quæ possidet, nisi illi constet de alieno iure, Thomas de Iesu *de Visitat. Regular. Tract. 3. cap. 10. num. 2.* Naldus *in Summa verbo Reus num. 2.* Alderete *de Religiosa discipl. lib. 2. cap. 4. num. 7.* referens Caietanum, Sotum, Nauarrum, Cordubam, Toletum, & alios, Diana *3. part. Tract. 5. Resolut. 91.* referens etiam Aragon. Ioannem de Cruce, Sanchez, Salon. Lessium, & alios. Quid verò dicendum in casu quo reus dubitet an iuridicè interrogetur, habes ex dictis *supra* verbo *Iudex, & iudicium Regularium num. 9.* teneri tunc fateri veritatem, eo quòd in dubiis obediendum est Prælato. Licet oppositum probabiliter tueantur aliqui, quos ibi retuli, & Peyrinis *in Formular. littera R. cap. 9. num. 8.* referens alios. Cum limitationibus tamen, quas refert Sanchez *2. tom. Consil. moral. lib. 6. cap. 3. dub. 31. à n. 3.* quarum præcipua est, vt intelligatur, quando crimina, de quibus inquiritur non sunt in præiudicium Reipublicæ, vt crimen læsæ maiestatis, hæresis, proditionis, &c. Tunc enim in re dubia tenetur testis fateri veritatem. Ratio est, quia minus periculum est si persona priuata iniustè occidatur, quam si Respublica graue damnum patiatur, Sanch. *num. 4.* ex Soto, & Nauarro.

3 Secundò nota, primam interrogationem faciendam reo (idem dico de teste) esse, an sciat cur vocetur ad examen. Et, si causam expresserit sui examinis ex qua delictum ab ipso factum colligatur, debet interrogari, vt facti seriem dicat à principio vsque ad finem. Postea debet interrogari super his, quæ obscurè, & non plenè explicauit, pro facti maiori dilucidatione. Si autem respondeat causam se nescire, nec præsumere sui examinis, poterunt illi fieri communes interrogationes, scilicet, ex quonam tempore in eo Conuentu fuerit, an fuerit vnquam denunciatus, vel de aliquo crimine inquisitus. Quòd si respondere recuset, debet id notari in processu, & ad respondendum compelli etiam in dicta multa; & factis tribus monitionibus, sub pœna ipsum mulctabit, & condemnabit ad pœnam in mandatis contentam. Debet autem reus respondere formaliter, & præcisè, affirmando scilicet, vel negando, non autem dubiè, puta non scio, vel non recordor. Nam respondere hoc modo idem est ac non respondere absolutè. Et sic, factis debitis monitionibus, potest cogi mulcta, vel pœna confessi criminis, aut periurij, seu sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, vel torturæ ad respondendum præcisè, vt dictum est. Quæ tortura hoc casu non illi datur ad eruendam veritatem de delicto, sed ad extorquendam responsionem affirmatiuam, vel negatiuam. Quod si post torturam etiam respondere recuset pertinaciter, potest sumi pro confesso. Pro his, & similibus vide Cartharium *de reor. interrogat. lib. 3. cap. 1. 2. & 3.* Ambrosinus *de modo formandi processum l. 2. cap. 6. & 7.* Spartharium *de modo corrigendi Regulares tract. 9. cap. 10.* Thomam de Iesu *supra cap. 8.* Naldum *supra à num. 1. &* Peyrinis *supra à num. 1.* post alios.

Tertiò nota, quod in rei examine notandum est nomen, officium, patria, ætas, tum sæculi, tum Religionis. Cartharius *supr. cap. 3. à num. 6.* Conueniens etiam est, quòd si reus sit in carcere, & in compedibus, quòd soluatur, & excarceretur, vt liberiùs possit veritatem fateri. Cum carcer mala mansio sit, & morti æquiparetur; adeo, vt confessio à carcerato extorta metu tormentorum extorta dicatur. De his Spartharius *in supr. cap. 5.* Rodriguez *in Resolut. Regular. resol. 44.* 4

Quartò circa rei confessionem notandum, quod confessio iudicialis aliquando valeat pro sufficienti probatione, & est multò efficacior quàm aliæ probationes, & tunc dicitur nullas esse partes Iudicis in confitentem, scilicet partes examinatorias, bene tamen condemnatorias. Ad hoc autem vt confessio talem vim habeat multa requiruntur, scilicet, vt reus sit maior 15. annis, & quòd sponte confiteatur, & non metu torturæ, & quòd confiteatur parte aduersa præsente, & coram competenti Iudice sedente pro tribunali & quòd confessus sit rem certam. E contra autem, in multis casibus, confessionem iudicialem non sufficere ad damnandum reum, vt si confessus est propter angustiam tormentorum, vel aliàs carceris, in quo nimis affligebatur, nisi post talem angustiam iam finitam perseueret etiam in confessione, eaque finita iam liber à doloribus in loco publico, id est, coram notario, & aliis eam confirmet. Secundò, si semel confessus dicit se errasse, & probat suum errorem ante sententiam. Item, si per procuratorem suum est facta talis confessio, & ante triduum reuocat. Item, si facta est propter promissionem falsam, & fraudulentam Iudicis. Item, si facta est de re, quæ naturaliter videtur impossibilis, vel repugnans, vt si frigidius fateatur adulterium commisisse. Item, si facta sit de re, quæ secundum Ius positiuum est impossibilis, vt si quis Christianus fateatur se Iudæi mancipium. Ita Sanchez *dict. cap. 3. dub. 13.* ex Angelo, Syluestro, & aliis. [Est tamen dubium practicum quomodo se gerere debeat Confessarius cum reo qui legitimè ac Iuridicè interrogatus negauit crimen quod re vera commisit. Et quidem si lis est contestata, & reus absolutus, & ex negatione delicti non est secutum aliquod damnum tertio, proculdubio absolui potest reus à Confessario, nisi forte talis casus sit reseruatus propter iuramentum falsum in iudicio, provt potest esse inter Regulares, & ipse Confessarius non habeat facultatem absoluendi à reseruatis. Si aliquod damnum tertiò est secutum, provt contingeret in casu quo accusator puniri deberet pœna talionis, tunc absolui non potest talis reus, nisi tali tertio satisfaciat, etiam offerendo se ad dicendum veritatem, si alio modo satisfacere non posset: provt colligo ex Sanchez *lib. 3. in Decalog. cap. 7. num. 11.* Quando tamen lis non est contestata, aut sententia lata, & reus manet sub potestate Iudicis, licet Sotus, Nauarrus, & alij, quos referunt Sanchez *supra numero septimo.* Et Lugo *secundo tomo de iustit. & iure disputat. 40. section. prima numero 17.* dicant teneri reum offerre se ad confitendum veritatem: quia adhuc censetur durare Iudicis præceptum ad dicendum illam, ac per consequens non debere absolui à Confessario nisi habeat propositum id faciendi: nihilominus probabilius est oppositum, eo quod cum primum negauit veritatem solùm peccauit contra obedientiam, quæ tantum obligauit pro 5

in anno dummodo id fiat æqua causa, absque vllo gregis detrimento. Imo, ad maius tempus in casu raro, & magna ex causa. Quales sunt, iuxta Concilium loco relato, *Christiana charitas, vrgens necessitas, debita, obedientia, ac euidens Ecclesia, vel Reipublicæ vtilitas.* Eas verò explicant Azor. *tomo* 2. *Instit moral. lib.* 7. *cap.* 4. Valentia *tom.* 3. *disp.* 10. *quæst.* 3. *p.* 5. Toletus *in Summa lib.* 5. *cap.* 4. Sanctarellus *variar. resolut. quæst.* 3. Barbosa *de Off. & potestat. Episc. Allegat.* 53. Peyrinis *suprà num.* 31. & plures alij. Nota tamen, adhuc in illis casibus requiri dispensationem, seu licentiam Superiorum. Tum propter obedientiam, quam Regulares profitentur, tum etiam quia ita colligitur ex Concil. Trident. loco relato, & aliis Iuribus. Tamburinus *de iure Abbat. tom.* 1. *disput.* 14. *quæsit.* 4. *num.* 12. Suppono autem quòd ea quæ de residentia Prælatorum Canones, & Concilia decernunt, trahi debent ad Prælatos Regulares, prout communiter Authores supponunt, specialiter Rodriguez *tom.* 2. *quæst. Regularium q.* 39. & Homobonus *tom.* 3. *de Examine tract.* 15. *cap.* 16. *q.* 12. Vbi enim eadem est ratio, ibi & idem ius.

RESIGNATIO OFFICIORVM Ordinis.

SVMMARIVM.

Resignatio quid sit. num. 1.
Dupliciter fieri potest. num. 2.
Beneficiorum nomine quæ veniunt. num. 3.
Resignatio pura, & absoluta licita est. num. 4.
Coram quo Superiore facienda. num. 5.
An possit fieri non purè, & absolutè; sed sub modo, conditione, &c. num. 6.

1 NOTA quòd Resignatio est *voluntaria beneficij abdicatio facta coram legitimo Superiore.* Bonacin. *de Simonia q.* 4. §. 14. *in princip.* Vnde solo nomine videtur à renunciatione differre, vel in eo solùm, quòd renunciatio latius patet quam resignatio, quia illa est iurium, officiorum, &c. resignatio verò, saltem ex vsu solùm est Beneficiorum. Quare ea, quæ dicta sunt superius de renunciatione, applicari debent resignationi.

2 Nota secundò hanc resignationem, seu Beneficiorum renunciationem fieri posse dupliciter, scilicet primò purè, & absolutè, idest absque vlla conditione, pensione, designatione personæ, vel onere aliquo: secundò, cum aliqua conditione, pensione, designatione, vel onere. Suarez *tom.* 1. *de Relig. lib.* 4. *cap.* 35. *num.* 1. Bonacina *suprà.*

3 Nota tertiò, nomine Beneficiorum, quæ per resignationem renunciari possunt, intelligi in præsenti quoad Regulares, non solùm ea, quæ curam animarum sæcularium important, & dicuntur beneficia Regularia, de quibus egi *tom.* 1. *p.* 2. *c.* 18. *per totum*; sed etiam Prælaturas Religionis, quæ solùm important curam animarum Religiosorum, iuxta dicta *tom.* 1. *c.* 15. *num.* 32. & *tom.* 3. verbo *Beneficium, & Beneficiati num.* 3.

4 Dico ergo primò. Pura, & absoluta resignatio beneficiorum, seu officiorum Ordinis, quæ beneficia sunt, licita est, & honesta inter Regulares si fiat coram legitimo Superiori. Nihil enim est in tali renunciatione contra diuinum, aut humanum ius. Suarez, & Bonacina relati. Vide dicta *supr.* verbo *Renunciatio inter Religiosos.*

Dico secundo, Superior, coram quo fieri potest & debet, dicta resignatio, est Prælatus Religionis. 5
Ratio est, quia iuxta dicta supra eo verb. *Renunciatio inter Religiosos num.* 6. qui habent ius, & potestatem conferendi beneficia habent illam ad recipiendum eorum resignationem. Quòd maximè est verum: si etiam habent facultatem destituendi beneficiarios, etiam inuitos, iustis de causis, quæ omnia competunt Prælatis Regularibus, iuxta dicta locis relatis ex 2. & 3. *tom.* De quo Parisius *de Resignat. Benef. lib.* 7. *q.* 1. Layman. *lib.* 4. *tract.* 2. *cap.* 17. *n.* 3. & 4. Tamburin. *de Iure Abbat. tom.* 1. *disput.* 13. *q.* 8. & alij apud ipsos.

An verò huiusmodi resignatio beneficiorum possit fieri non purè, & absolutè, sed sub aliqua conditione, modo, personæ designatione, &c. constabit ex dicendis infra verbo *Simonia n.* 15. Interim tamen, iuxta dicta *supra* verbo *Beneficium, & Beneficiati num.* 16. circa illam quæstionem an Beneficiorum resignatio fieri possit à Regularibus in fauorem tertij, dicendum primò, fieri posse hoc modo, resignando scilicet absolutè Beneficium in manibus Prælati cum intentione, & spe non manifestata ipsi, vt illud conferat certæ personæ. Secundò, resignando similiter absolutè beneficium in manibus Superioris, negando tamen postea ipsum, vt illud conferat alicui ver. grat. Petro. Cum enim in hoc nullum interueniat pactum cum Superiore, aut cum illo pro quo rogatur, nec vlla obligatio iniuncta Superiori conferendi beneficium personæ designatæ, vt suppono, non est in eo aliquid contra ius diuinum, aut etiam Canonicum. De quo etiam Sanchez *tomo* 1. *Consil. moral. lib.* 2. *cap.* 3. *dub.* 36. *num.* 23. Diana *p.* 5. *Tract.* 14. *Resolut.* 26. & Thesaur. *in Praxi part.* 2. *verbo Resignatio cap.* 2. Addit Peyrinis *in Formulario littera R. cap.* 8. *num.* 8. ex Nauarro *lib.* 5. *consil. de Simon. consil.* 38. quod licet, si quis renunciaret alicui officio cum pacto quòd Superior illum remuneraret de alio, Simoniam committeret, secus tamen esset; si Superior solùm, diceret. *Relinque hoc officium amore mei, & prouidebitur tibi de alia re.* 6

REVERENDÆ PRO ORDINIBVS recipiendis.

DE illis dixi sufficienter *supra* verbo *Dimissoriæ.* 1

REVS REGVLARIS.

SVMMARIVM.

De reo regulari remissiuè. num. 1.
Antequam examinetur informari debet de statu causa num. 2.
Prima interrogatio ipsi facienda. num. 3.
In ipsius examine quæ notanda. num. 4.
De rei confessione. num. 5.
Alia remissiuè. num. 6.

DE Regulari reo plura dixi *tom.* 1. *cap.* 27. *per totum. & supra* verb. *Accusatio*, verb. *Appellatio*, verb. *Causa Iudicialis Regularium*, verb. *Commissio, & Commissarius*, verbo *Denunciatio*, & maximè verbo *Iudex, & Iudicium Regularium.* Aliqua etiam supra verb. *Recusatio.* Alia tamen specialiora, & magis practicabilia addenda pro materiæ complemento, maximè circa confessionem à reo faciendam 1

Et primò quidem, cum iuxta dicta eo *cap.* 27. præsertim. 2

præsertim *num.* 6. non possit Iudex, maximè Regularis, Iuridicè contra aliquem per specialem inquisitionem procedere, nisi infamia, siue clamorosa insinuatio, vel indicia, aut semiplena probatio, præcedant, ideo antequam Religiosus reus examinetur informari à Iudice debet de statu causæ, id est, cõtra eum esse aliquod ex præmissis, vt sciat se esse in tali articulo constitutum, vt Iudex iuridicè eum interroget, ac per consequens ipse teneatur veritatem fateri. Ratio est, quia iniustum, & inhumanum videtur, obligari aliquem ad confitendam veritatem in sui notabile præiudicium, nisi illi constet quòd iuridicè interrogatur, sicut generaliter loquendo, nullus tenetur dimittere bonam famam, vitam, aut bona, quæ possidet, nisi illi constet de alieno iure, Thomas de Iesu *de Visitat. Regular. Tract.* 3. *cap.* 10. *num.* 2. Naldus *in Summa verbo Reus num.* 2. Alderete *de Religiosa discipl. lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 7. referens Caietanum, Sotum, Nauarrum, Cordubam, Toletum, & alios, Diana 3. *part. Tract.* 5. *Resolut.* 91. referens etiam Aragon. Ioannem de Cruce, Sanchez, Salon. Lessium, & alios. Quid verò dicendum in casu quo reus dubitet an iuridicè interrogetur, habes ex dictis *supra* verbo *Iudex*, & *iudicium Regularium num.* 9. teneri tunc fateri veritatem, eo quòd in dubiis obediendum est Prælato. Licet oppositum probabiliter tueantur aliqui, quos ibi retuli, & Peyrinis *in Formular. littera R. cap.* 9. *num.* 8. referens alios. Cum limitationibus tamen, quas refert Sanchez 2. *tom. Consil. moral lib.* 6. *cap.* 3. *dub.* 31. *à n.* 3. quarum præcipua est, vt intelligatur, quando crimina, de quibus inquiritur non sunt in præiudicium Reipublicæ, vt crimen læsæ maiestatis, hæresis, proditionis, &c. Tunc enim in re dubia tenetur testis fateri veritatem. Ratio est, quia minus periculum est si persona priuata iniustè occidatur, quam si Respublica graue damnum patiatur, Sanch. *num.* 4. ex Soto, & Nauarro.

3 Secundò nota, primam interrogationem faciendam reo (idem dico de teste) esse, an sciat cur vocetur ad examen. Et, si causam expresserit sui examinis ex qua delictum ab ipso factum colligatur, debet interrogari, vt facti seriem dicat à principio vsque ad finem. Postea debet interrogari super his, quæ obscurè, & non plenè explicauit, pro facti maiori dilucidatione. Si autem respondeat causam se nescire, nec præsumere sui examinis, poterunt illi fieri communes interrogationes, scilicet, ex quonam tempore in eo Conuentu fuerit, an fuerit vnquam denunciatus, vel de aliquo crimine inquisitus. Quòd si respondere recuset, debet id notari in processu, & ad respondendum compelli etiam in dicta multa; & factis tribus monitionibus, sub pœna ipsum mulctabit, & condemnabit ad pœnam in mandatis contentam. Debet autem reus respondere formaliter, & præcisè, affirmando scilicet, vel negando, non autem dubiè, puta non scio, vel non recordor. Nam respondere hoc modo idem est ac non respondere absolutè. Et sic, factis debitis monitionibus, potest cogi mulcta, vel pœna confessi criminis, aut periurij, seu sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, vel torturæ ad respondendum præcisè, vt dictum est. Quæ tortura hoc casu non illi datur ad eruendam veritatem de delicto, sed ad extorquendam responsionem affirmatiuam, vel negatiuam. Quod si post torturam etiam respondere recuset pertinaciter, potest sumi pro confesso. Pro his, & similibus vide Cartharium *de reor. interrogat. lib.* 3. *cap.* 1. 2. & 3. Ambrosinus *de modo formandi processum l.* 2. *cap.* 6. & 7. Spartharium *de modo corrigendi Regulares tract.* 9. *cap.* 10. Thomam de Iesu *supra cap.* 8. Naldum *supra à num.* 1. & Peyrinis *supra à num.* 1. post alios.

Tertiò nota, quod in rei examine notandum est nomen, officium, patria, ætas, tum sæculi, tum Religionis. Cartharius *supr. cap.* 3. *à num.* 6. Conueniens etiam est, quòd si reus sit in carcere, & in compedibus, quòd soluatur, & excarceretur, vt liberiùs possit veritatem fateri. Cum carcer mala mansio sit, & morti æquiparetur; adeo, vt confessio à carcerato extorta metu tormentorum extorta dicatur. De his Spartharius *in supr. cap.* 5. Rodriguez *in Resolut. Regular. resol.* 44. 4

Quartò circa rei confessionem notandum, quod confessio iudicialis aliquando valeat pro sufficienti probatione, & est multò efficacior quàm aliæ probationes, & tunc dicitur nullas esse partes Iudicis in confitentem, scilicet partes examinatorias, benè tamen condemnatorias. Ad hoc autem vt confessio talem vim habeat multa requiruntur, scilicet, vt reus sit maior 15. annis, & quòd sponte confiteatur, & non metu torturæ, & quòd confiteatur parte aduersa præsente, & coram competenti Iudice sedente pro tribunali. & quòd confessus sit rem certam. E contra autem, in multis casibus, confessionem iudicialem non sufficere ad damnandum reum, vt si confessus est propter angustiam tormentorum, vel aliàs carceris, in quo nimis affligebatur, nisi post talem angustiam iam finitam perseueret etiam in confessione, eaque finita iam liber à doloribus in loco publico, id est, coram notario, & aliis eam confirmet. Secundò, si semel confessus dicit se errasse, & probat suum errorem ante sententiam. Item, si per procuratorem suum est facta talis confessio, & ante triduum reuocat. Item, si facta est propter promissionem falsam, & fraudulentam Iudicis. Item, si facta est de re, quæ naturaliter videtur impossibilis, vel repugnans, vt si frigidius fateatur adulterium commisisse. Item, si facta sit de re, quæ secundum Ius positiuum est impossibilis, vt si quis Christianus fateatur se Iudæi mancipium. Ita Sanchez *dict. cap.* 3. *dub.* 13. ex Angelo, Syluestro, & aliis. [Est tamen dubium practicum quomodo se gerere debeat Confessarius cum reo qui legitimè ac Iuridicè interrogatus negauit crimen quod re vera commisit. Et quidem si lis est contestata, & reus absolutus, & ex negatione delicti non est secutum aliquod damnum tertio, proculdubio absolui potest reus à Confessario, nisi forte talis casus sit reseruatus propter iuramentum falsum in iudicio, prout potest esse inter Regulares, & ipse Confessarius non habeat facultatem absoluendi à reseruatis. Si aliquod damnum tertiò est secutum, prout contingeret in casu quo accusator puniri deberet pœna talionis, tunc absolui non potest talis reus, nisi tali tertio satisfaciat, etiam offerendo se ad dicendum veritatem, si alio modo satisfacere non posset: prout colligo ex Sanchez *lib.* 3. *in Decalog. cap.* 7. *num.* 11. Quando tamen lis non est contestata, aut sententia lata, & reus manet sub potestate Iudicis, licet Sotus, Nauarrus, & alij, quos referunt Sanchez *supra numero septimo.* Et Lugo *secundo tomo de iustit. & iure disputat.* 40. *section. prima numero* 17. dicant teneri reum offerre se ad confitendum veritatem: quia adhuc censetur durare Iudicis præceptum ad dicendum illam, ac per consequens non debere absolui à Confessario nisi habeat propositum id faciendi: nihilominus probabilius est oppositum, eo quod cum primum negauit veritatem solùm peccauit contra obedientiam, quæ tantum obligauit pro tempore 5

tempore quo interrogabatur à Iudice, non postea. Sanchez *supr.n.* 8. post Philiarcum, & alios, quos etiam sequitur Lugo *supr.* Si autem cum primum interrogatus est reus, & negauit veritatem, peccauit contra iustitiam tertiæ personæ, nec possit alio modo illi satisfieri nisi iterum offerendo se ad dicendum veritatem prout contingeret in casu quo accusator puniri deberet pœna talionis, & nullo modo ei posset satisfieri nisi dicẽdo veritatem. Tunc credo teneri reum propalare se, & dicere illam? prout supponunt iidem Authores, ac per consequens non posse tunc absolui à Confessario, nisi proponat prius id facere. Idem dicendum est de alio casu, quem iidem Authores afferunt, scilicet, quando reus non obstante delicti negatione conuictus & damnatus est, vel ducitur ad supplicium. De prudentia autem qua Confessarius vti debet cum tali reo, agunt Azorius *p.* 3. *lib.* 13. *cap.* 25. *dub.* 2. Dian. *p.* 2. *tract.* 1. *Miscell. resol.* 16. & Lugo *sup. n.* 20. Nota autem totam hanc doctrinam procedere supposita communi sententia Doctorum, quod scilicet reus legitimè interrogatus à Iudice, teneatur dicere veritatem; prout habent Diana dicta *resolut.* 26. *in fine*, & Lugo *supra num.* 17. Etenim in sententia illa quam isti authores, & alij plures probabilem putant, quòd scilicet saltem in causis capitalibus in quibus imminet periculum mortis, ad id non teneatur reus, non est difficultas.

Quia vero potest contingere quod reus interrogatus non respondeat clarè, & manifestè, sed dubiè, ambiguè, & obscurè, ideo Iudex animaduertere debet, quod in tali casu debet eum vberius interrogare, vt clarius respondeat. Albertinus *de Catholic. assertionib. q.* 35. *n.* 48. *& seq.* Dacianus *Tract. crim. lib.* 5. *cap.* 37. *n.* 6. *&* 47. Ricciulus *de person. quæ in stat. reprob. versant. lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 8. Imò tenetur id facere, ne iudicium reddatur nullum propter ipsius negligentiam in inquirendo. *c. iudicantem* 11. *q.* 5. Glossa *verbo remaneat*, Bordonus *de S. Tribunal. cap.* 34. *num.* 15. Et quia debet omnia perscrutari, de tota causa esse instructus, & cognoscere initium, medium, & finem illius, *cap. cum fides de fid. instrument. cap. super de offic. deleg. l. iudices ff. de iudic.* Bossius *de confess. num.* 43. Menochius *lib.* 1. *de præsumpt. q.* 89. *num.* 24. Bordonus *supra.* Et generaliter loquendo, quia vt efficax sit, debet esse indiuidualis, specifica, non generalis, dubia, vel æquiuoca, Bossius *supra.* Farinacius *q.* 81. *n.* 31. *& seqq.* Carena *de offic. S. Inquisit. p.* 3. *tit.* 8. §. 9. *n.* 46. Et quia confessio ambigua non est confessio, *l. neque naturales C. de probat. cap. in præsentia eod. tit. l. non hoc C. vnde legitimi.*

Casu autem quod non interrogetur, & semper maneat dubia eius confessio, regulariter interpretari debet in fauorem confitentis, nisi sit malæ famæ. Sousa *in Aphorism. lib.* 2. *cap.* 20. *num.* 12. Carena *supra num.* 47. & Farinacius. Eo quod in dubiis quilibet præsumitur bonus, *l. absentem ff. de pœnis*, cum aliis per Menochium *præsumpt. de præsumpt.* 1. *lib.* 5. Ricciullus *supra lib.* 3. *c.* 23. *n.* 1. Si vero sit malæ famæ præsumptio stat contra illum, quia semel malus semper præsumitur malus, *de Regul. iur. in* 6. *l. sicuti* §. *quidem*, & ibi Bartholus *num.* 8. *ff. de accusat.* Alexander *cons.* 5. *num.* 3. *lib.* 1. Abbas *in cap. testimonium num.* 14. *de testib.* & ibi Felinus *num.* 34. Maximè in materia hæresis, quia semel hæreticus semper præsumitur malus, quousque non probetur correptus. Idem Felinus *cap. scribam col.* 2. *de præsumpt.* Ricciullus *supra. n.* 6.

6 Vide alia ad intentum infra verbo *Sententia Iudicialis*, verbo *Testes Regulares*, & verbo *Tortura quoad Regulares*, & verbo *Visitator Regularis.*

RITVS SACRI.

SVMMARIVM.

Ritus Sacri sint. num. 1.
Veteres ritus non immutandi. num. 2.
De ritibus, seu cæremoniis Missæ. num. 3.
De ritibus in administratione Sacramentorum. numero 4.
De ritibus, & cæremoniis Officij diuini. num. 5.
De aliis ritibus Ecclesiæ. num. 6.
Alia remissiuè. num. 7.

Ritus Sacri ab Ecclesia instituti alij sunt circa Missæ celebrationem, alij circa administrationem, seu receptionem Sacramentorum, alij circa Officium diuinum, alij verò circa Orationes, Benedictiones, Consecrationes, Sacramentalia, & similia. De quibus sigillatim aliquid dicendum. 1

Et quidem generaliter loquendo de veteribus ritibus Ecclesiæ, constat ex dictis *supra* verbo *Sacra Congregatio num.* 3. non posse Regulares inconsulta Sacr. Congregatione Rituum communes veteres ritus Ecclesiarum immutare, nouos instituere, Sanctis Officia concedere, aut aliquid ad ipsorum solemnitatem spectans de nouo efficere. Idem colligitur ex Bulla Sixti eo loco *num.* 2. relata. Ac ex Decreto Sacr. Congregationis, quod ex Gauanto *in Man. Episc. verb. Librorum editio num.* 5. retuli *suprà* verbo *Libri num.* 9. vbi prohibetur imprimi aliquid spectans ad nouos ritus inconsulta Sacr. Congregatione. 2

De ritibus autem, seu cæremoniis ad Missæ celebrationem requisitis, latiùs dixi *supra* verbo *Crux*, maximè verbo *Missa.* Plura etiam ad intentum *tom.* 1. *c.* 21. Deseruiunt etiam dicta etiam *supr.* verbo *Calix*, & dicenda infra verbo *Vasa Sacra*, & verbo *Vestes sacræ.* Nota autem, Episcoporum munus esse, iuxta Decretum Concilij Trident. *sess.* 22. curare, vt tollantur in celebratione Missæ ea, quæ vel auaritia, vel irreuerentia, vel superstitio induxit. Sed specialiter etiam, vt in eodem Decreto habetur, sic monentur circa Rituum, & cæremoniarum Missæ obseruantiam tuendam. *Edicto, & pœnis propositis caueant, ne sacerdotes aliis quam debitis horis celebrent, neve ritus alios, aut alias cæremonias, & preces in Missarum celebratione adhibeant, præter eas, quæ ab Ecclesia probatæ ac frequenti, & laudabili vsu receptæ fuerint. Quarundam verò Missarum, & candelarum certum numerum, qui magis à superstitioso cultu, quam à vera Religione inuentus est, omnino ab Ecclesia remoueant.* 3

Nota cum de anno 1649. die 16. Nouembris supplicatum fuisset ex parte Fratrum Minorum quod Sacra Congregatio Rituum huiusmodi dubiis declarationem traderet. *Primum videlicet an & à quo fieri debeat aspersio die Dominico quando superior celebrat. Secundum an debeant velari imagines, & Cruces Sabatho Passionis, si occurrat eo die festum S. Titularis, vel Patroni Ecclesiæ. Tertium an detegi illæ debeant quando in hebdomada Passionis occurrit festum S. Titularis, aut dedicatio Ecclesiæ. Quartum quo velo cooperienda sit Crux in altari ad sumptionem*

sumptionem lotionis pedum in feria quinta maioris hebdomadæ, & Crux passionis, cum Sacerdos indutus sit violaceo, & Diaconus colore albo, & actus ipse lotionis, siue mandati præcipiatur à rubricis fieri cum floribus, & signis lætitiæ, & videatur participare de festiuitate Missæ celebratæ in mane cum cruce velata albo colore, & ex alia parte sit actus humilitatis. Quintum an, & quando benedicenda sit pixis, purificatoria, ostensoria, vel saltem lunula; quæ immediatè inseruiunt Sacramento plusquam alia, quæ habent in Missali propriam formam benedictionis. Et Sacra Congregatio, sic respondit.; Ad primum, *aspersionem semper faciendam esse à celebrante.* Ad secundum, *affirmatiuè.* Ad tertium, *negatiuè.* Ad quartum, *colorem non esse mutandum.* Ad quintum, *seruandas esse rubricas.*

4 Generaliter etiam circa ritus obseruandos in administratione Sacramentorum sic habetur ex eodem Concil. *sess. 7. can. 13. Si quis dixerit receptos, & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus in solemni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut sine peccato à Ministris pro libito omitti, aut in nouos alios per quemcumque Ecclesiarum Pastorem mutari posse, anathema sit.* Idem etiam ferme dicitur de ceremoniis Sacramenti Ordinis *sess. 23. can. 5.* & Sacramenti Matrimonij *sess. 34. can. 11.* In professione etiam fidei à Pio IV. instituta pro promouendis ad Doctoratus, Beneficia &c. sic habetur. *Receptos quoque, & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus supradictorum omnium Sacramentorum solemni administratione, recipio, & admitto.* Vnde illos negare cum contumacia hæresis est, & id faciens hæreticorum pœnas incurrit. Thesaurus *in Praxi part. 2. verb. Ritus cap. 1.* ex Maiolo.

5 Maximè etiam de ritibus, & cæremoniis Officij recitandi latè dixi *tom. 1. part. 1. cap. 12.* & *suprà verbo Breuiarium* ac *supra verbo Officium diuinum.* Quia tamen multi in praxi dubitare solent an de Sancto Beatificato, qualis in Ordine nostro est Beata Maria Magdalena de Pazzis, dici possit Missa, vel officium, notandum est id, quod dixi *dicto cap. 12. num. 37.* quod de Sancto Beatificato, nec ab aliis personis, nec alio die, aut loco quam designantur in Bulla Beatificationis, potest dici Officium, aut Missa. Quia cultus Sancti Beatificati omnibus est prohibitus, nisi iis, quibus expresè concessus, & eo modo, quo cõcessus. Quod ad eo verum est, vt neque deuotionis gratia, aut priuatim id liceat alicui. Granadus *in 2. 2. Controuers. 1. tract. 7. disput. 4. sect. 2.* Diana *part. 4. Resol. 231.* Qui addunt nec licere commemorationem in Missa facere de prædictis Beatificatis aliis diebus, præterquam in concessis; neque aliis Ecclesiis. Præcipuè tamen quòd Missa, & Officium concessa pro Sancto Beatificato non possint dici ab aliis, nisi illis, quibus concessa sunt, colligitur ex Alexandro III. *in cap. 1. de Reliquiis, & venerat. sanctorum,* vbi prohibuit aliquem colere cultu publico (qualis est Missa, & Officium) sine Apostolicæ Sedis facultate, quem non habent nisi solum ij, quibus conceditur; cum inclusio vnius sit exclusio alterius. *l. cum præter ff. de Iudic. & l. maritus C. de procur.* Cui etiam consonat, quoad Regulares spectat, decretum Sacr. Congregationis Rituum, quod retuli *tom. 1. cap. 21. num. 32.* ex Gauanto, & Barbosa, vbi habetur quòd Missæ certis Regularibus concessæ non possunt ab aliis dici, etiam in ipsorum Regularium Ecclesiis. Castell. *tract. de Canonizat. sanctorum cap. 2. part. 1. §. 6. num. 6.* & *7.* Diana *p. 2. tract. 15. resol. 55. & in addit. resol. 2.* ex aliis, meritò reprehendens oppositum dicentes.

6 De aliis quoque Ecclesiæ ceremoniis, & ritibus, certum est reprobari non posse sine nota hæresis, vel erroris, aut saltem temeritatis. Certum etiam est aliquas illarum, & non principales, omittere, secluso contemptu, & scandalo, non esse peccatum mortale, iuxta dicta *suprà verbo Missa num. 58.* Vnde relinquere cæremonias ab Ecclesia institutas in absolutione à censuris non esse peccatum mortale, secluso contemptu, & scandalo tenent Tannerus, Turrianus, Auila, & Villalobos; quos refert, & sequitur Diana *5. part. tract. 9. resol. 23.* Ex quo etiam patet, quid dicendum sit de obligatione obseruandi Cæremoniale Episcoporum à Clemente VIII. *Bulla 69.* & Rituale Romanum à Paulo V. *Bulla 85.* instituta. De obligatione autem obseruandi cæremonialia, seu ritualia Religionum dixi *tom. 1. part. 1. cap. 8. num. 32.*

Vide dicenda infra verbo *Sanctorum cultus*, *verbo Vasa Sacra*, & *verbo Vestes Sacræ.* 7

SACRAMENTORVM administratio.

De Sacramentis, prout specialiter ad Religiosos spectant, plura dixi per totam hanc summam. Etenim de Baptismo, an possit à Regularibus ministrari, dixi *tom. 1. part. 1. cap. 9. num. 31.* & maximè *supra verbo Baptismus.* De Sacramento Pœnitentiæ eodem *tom. 1. p. 1. cap. 19. & supra verbo Confessarius Regularis*, & *verbo Confessio.* De Sacramento Eucharistiæ eo *num. 31. & cap. 21. num. 8.* maximè verò *supra verbo Eucharistia.* De Sacramento Extremæ vnctionis eo *num. 31. & d. cap. 21. num. 10. ac supra verbo Extrema vnctio.* De Sacramento Ordinis dicto *tom. 1. cap. 14. & suprà verbo Dimissoriæ, & suprà verbo ordines Sacri.* De Sacramento Matrimonij dicto *num. 31. & eo cap. 21. num 9.* Plura etiam de hac materia Portellus *in Dub. Regularium verbo Sacramentorum administratio.*

SACRILEGIVM.

SVMMARIVM.

Sacrilegium quid sit, num. 1.
Tria genera rerum sacrarum, num. 2.
Quando committatur sacrilegium circa personas sacras, num. 3.
Quando circa loca sacra, num. 4.
De sacrilegio furti in loco sacro, num. 5.
De sacrilegio circa res sacras, num. 6.
Committitur ipsas prophanando, num. 7.
De sacrilegij pœnis. num. 8.



Cvm sacrilegium sit rei sacræ violatio, seu irreuerentia contra rem sacram, prout ex S. Thoma 2. 2. *quæst. 99. art. 1.* & 2. colligunt communiter DD. Sitque speciale peccatum Religioni oppositum, prout etiam cum eodem S. Thoma eo *art. 2.* communiter tenent DD. ideo specialius videtur ad Religiosos hæc materia pertinere, & idcirco de ipsa agendum in præsenti. 1

Et in primis, tria genera rerum sacrarum sunt, quarum violatione, seu irreuerentia committitur sacrilegium, scilicet primò, personæ sacræ, videlicet Clerici, siue Religiosi. Secundò, loca sacra, scilicet Templa, Monasteria, Hospitalia, Oratoria, &c. Tertiò, res specialiter vocatæ sacræ, videlicet 3

Sacramenta, Vasa sacra, Vestes sacræ, vel illa, quæ res sacras significant, vt sunt Imagines, vel Verba Sacra. Sanct. Thomas *supra art.* 3. Caietanus, & Expositores ibidem, Summistæ *verbo Sacrilegium.* Azor. *tom.* 1. *Institut. moral. lib.* 9. *cap.* 27. *quæst.* 2. De his ergo specialiter dicendum. Notando tamen, rem sacram propriè eam tantum censeri, quæ publico ritu, aut institutione ad cultum Dei deputata est. *l. in tantam. leg. Sacra ff. de rerum diuisione.* Petrus Greg. *lib.* 33. *syntagm. cap.* 14. & Suarez *tom.* 1. *de Relig. tract.* 3. *lib.* 3. *de sacrilegio cap.* 2. *num.* 1. Vbi rectè monet, non quolibet priuato proposito, aut voto, rem, aut personam sacram effici, sed necesse esse, vt publicam ex iure consecrationem, vel deputationem ad Dei cultum habeat. Layman. *lib.* 4. *Tractat.* 10. *cap.* 7. *num.* 2. Nota etiam quoad forum externum, sacrilegium esse delictum mixti fori, ita vt tam à Iudice laico, quam Ecclesiastico possit puniri. Barbosa *in Collectan. tom.* 2. *lib.* 5. *tit.* 23. *cap.* 2. *num.* 9. Diana *part.* 5. *Tractat.* 2. *resolut.* 82. Thesaurus *in Praxi part.* 2. *verbo sacrilegium cap.* 1. ex aliis. Quoad forum verò conscientiæ nota, illud ex genere suo esse peccatum mortale, cum sit grauis offensa Dei, licet ratione inaduertentiæ, vel paruitatis materiæ possit esse solùm veniale. Vnde quando mortale fuerit, necessariò confitendum est peccatum talem circunstantiam habens. Reginaldus *l.* 19. *num.* 58. Bonacina *in tractatu de Legibus disput.* 3. *quæst.* 6. *puncto vnico num.* 19. & 20. ex aliis communiter. Specialiter quoad Regulares, an teneantur confiteri circunstantias voti castitatis, & voti annexi sacris Ordinibus, & an in casu quo confessarij eos agnoscunt, & quid de illis, qui vltra votum solemne votum etiam simplex emiserunt, habes ex dictis *tom.* 1. *part.* 1. *cap.* 5. *num.* 8. & 9. De quo etiam Diana *part.* 1. *tract.* 7. *resol.* 3. & 4. & *part.* 3. *Tract.* 4. *Resol.* 67.

3 Committitur sacrilegium contra personas sacras, scilicet Ecclesiasticas, per iniuriosam ipsarum percussionem. De qua, & de excommunicatione latæ sententiæ, quæ propterea incurritur, dixi *supra verbo Clericus num.* 2. Secundò, personas Ecclesiasticas subiiciendo fori secularis iudicio aduersus priuilegium exemptionis illarum, iuxta dicta eodem loco *à num.* 19. Tertiò, ab eisdem tributum exigendo aduersus Ecclesiasticam immunitatem, siue exemptionem à talibus oneribus, sicuti constat ex eis, quæ dixi eodem *supra verbo Gabella quoad Regulares.* Quartò, luxuriosè violando corpus personæ Deo sacratæ per votum castitatis. Quod intellige tam de persona, quæ aduersus proprium votum peccat, iuxta dicta *tom.* 1. *part.* 1. *cap.* 5. *n.* 4. 5. & 6. de Religiosis contra castitatem peccantibus, quam de altera, quæ illam violat, seu talis peccati est complex, S. Thom. *suprà artic.* 3. Summistæ *verbo sacrilegum.* Azor. *suprà quæst.* 3. Lessius *de iust. & iure lib.* 2. *cap.* 45. *dub.* 3. Laymàn. *supra num.* 3. Fagundez *in* 6. *præceptum Decalogi lib.* 6. *cap.* 8.

4 Sacrilegium aduersus locum sacrum accidit primò, violando illius immunitatem, extrahendo videlicet reos ex eo, nisi in casibus permissis. De quo dixi *suprà verbo Immunitas Ecclesiarum.* Secundò, polluendo illum semine, vel sanguine humano. De quo etiam eadem *parte supra verbo Cœmeterium,* & *verbo Ecclesia, seu Templum.* Tertiò, exercendo in illo iudicia sæcularia, iuxta dicta eo verbo *Cœmeterium num.* 2. Dixi iudicia sæcularia, quia causæ Ecclesiasticæ non sunt prohibitæ in loco sacro. Imò etiam nec actus voluntariæ Iurisdictionis, quales sunt dispensationes, pupillorum prouisiones, gradduum collationes, & similes, si ad pietatem, vel Ecclesiæ honorem spectent, in loco Sacro sunt prohibitæ. Quartò, exercendo ibi negotiationes, iuxta dicta eo *num.* 2. vbi etiam alia ad intentum. Quintò, habendo ibi conuiuia, iuxta dicta etiam eodem loco. Sextò, spoliando illum, vel furando aliquid ex ipso, maximè cum effractione, vel incendio, iuxta dicta *supra verbo Furtum numero* 4. & 5. Azor. *supra quæst.* 4. Lessius *suprà.* Suarez *supra cap.* 4. Layman. *suprà num.* 8. Bonacina *suprà à num.* 9. Thesaur. *suprà cap.* 2. 3. & 5.

Nota tamen circa sacrilegium furti, quòd, iuxta probabiliorem sententiam; illud committitur furando aliquid in Ecclesia, siue illud sit res Sacra, siue non, siue ibi posita sit sub custodia, siue non, prout ex Nauarro, Valentia, Suarez, Vasquez, Nuño, & aliis sequuntur Bonacina *supra num.* 17. Layman. etiam *suprà num.* 18. & alij. Ratio sumitur ex Iuris dispositione *in cap. quisquis inuentus* 17. *quæst.* 4. in quo dicitur, sacrilegium committitur auferendo, *Sacrum de sacro, vel non sacrum de sacro, vel sacrum de non sacro.* Vbi notanda est illa clausula *non sacrum de sacro,* quæ cum absolutè loquatur, & sine distinctione, non est cur à nobis distinguatur, & intelligatur solùm de re Sacra, vel de re posita sub custodia in loco Sacro; præsertim, cum id vertat in reuerentiam Ecclesiarum, & fauorem immunitatis Ecclesiæ. Non desunt tamen DD. probabiliter asserentes non committi sacrilegium accipiendo rem non Sacram de loco Sacro, modò res non sit tradita Ecclesiæ in custodiam, vel pignus, vel alio modo. Ita Azor. *supra quæst.* 6. Lessius *supra.* Henriquez, Victoria, & alij, quos sequuntur Naldus *in Sum. verbo Furtum. n.* 1. & *verbo Sacrilegium num.* 6. & 12. & Diana *part.* 1. *Tract.* 7. *Resol.* 27. Sed, vt dixi, oppositum est probabilius, & communius receptum. Nota etiam circa sacrilegium, quod dixi committi ob Ecclesiæ pollutionem, id intelligi, etiam quando est pollutio occulta, quia etiam talis actus est contra sanctitatem, & reuerentiam debitam Ecclesiæ. Suarez *supra dicto lib.* 3. *cap.* 7. *n.* 4. Sanchez de *Matrimon. lib.* 9. *disp.* 15. *n.* 11. Raphael de Torre *in* 2. 2. *quæst.* 99. *art.* 2. *disp.* 6. Licet Diana *supra Resol.* 26. cum Vasquez oppositum probabile existimet. Idem dicendum de tactibus impudicis in Ecclesia factis, propter idem fundamentum. Suarez *supra num.* 11. Torre *supra art.* 4. *disp.* 7. Licet etiam idem Diana *part.* 2. *tract.* 17. *Resolut.* 23. oppositum sentiat cum Sanchez, Valentia, Vasquez, & aliis. Secus videtur dicendum de similibus actibus, etiam fornicatione, factis in cubilibus, refectoriis, vel aliis officinis Religiosorum, quia illa non censentur loca Sacra quantum ad hoc. Diana *part.* 3. *tract.* 4. *Resol.* 166. ex Azorio, quem refert. Quamuis autem idem dicat de Sacristiis, animaduertendum tamen, an illæ sint benedictæ, vel consecratæ, vt partes Ecclesiæ, si enim tales fuerint, sacrilegium committetur per tales actus, sicut in aliis Ecclesiæ partibus, Zerola *in Praxi pœnit. cap.* 12. *quæst.* 27. & alij.

Sacrilegia autem circa res Sacras sunt. Primò, omnis abusio Sacramentorum. Secundò, perceptio, & administratio eorumdem in statu peccati mortalis. Et, quia inter Sacramenta supremum locum tenet Eucharistia, quæ non solùm sanctitatem efficit, sed etiam ipsum fontem sanctitatis realiter continet, ideo violatio huius est grauissimum sacrilegium. Tertiò, abusio, & violatio vasorum Sacrorum, vt si quis vtatur Calice consecrato ad potandum, sicut Balthasar vasis Templi, vel si ex vestibus Sacris conficiat sibi caligas, vel thoraces. Quartò, rerum huiusmodi

iusmodi surreptio. Quintò, abusio sententiarum Scripturæ ad superstitiones, & facetias, ad amatoria, seu ad stabiliendas hæreses. Sextò irreuerentia omnis, quæ committitur in recitando, vel cantando Officio diuino, sacrisque cæremoniis obeundis. Ad quod etiam pertinet musica lasciua, vel prophana rebus diuinis adhibita. Septimò, mala tractatio, vel confractio Imaginum Sacrarum, si id fiat, vt Sancti per eas non colantur, vel ex contemptu illorum, sicut fit ab hæreticis. Item, si indecorè pingantur, vel sculpantur, vt cum D. Virgo instar fœminæ mundanæ exprimitur. Octauò, si Reliquiæ Sanctorum indecorè habeantur, aut dissipentur eo animo ne colantur. Nonò, si dies sacri operibus seruilibus, vel aliis prohibitis violentur. Omissio autem sacri non tam videtur esse sacrilegium, quam cultus debiti neglectus. Decimò, inuasio bonorum, vel Iurium Ecclesiasticorum, retentio Ecclesiæ legatorum, &c. seu oblationum, iuxta dicta *supra verbo Oblatio facta Regularibus num.9.* Hæc enim sæpe in Iure sacrilegia vocantur, vt patet ex multis canonibus 17. *quæst.*4. Etsi enim hæc bona nullam in se sanctitatem habeant, tamen Iure naturæ, & Canonico ob reuerentiam, quæ cultui diuino debetur, debent esse ab occupatione sæcularium immunia. Azor. *suprà qu.*8. & 9. Lessius *suprà* Reginaldus *suprà num.*57.

7 Adde, sacrilegium etiam committi circa res sacras eas prophanando. Azor. *suprà quæst.*8. Naldus *in Summa verbo Sacrilegium num.*2. Pariter etiam dici potest committi sacrilegium circa res sacras, seu bona Ecclesiastica, illa alienando, eo enim ipso quòd sunt res Ecclesiasticæ specialiter sunt dicatæ cultui diuino. Thesaur. *suprà cap.*1. §. *Sacrilegium.*

8 Circa sacrilegij pœnas, præter excommunicationem, & alias, quas de ipsis sacrilegiis in particulari suis locis dixi, notat Thesaurus *suprà* sacrilegij criminis damnatum iuris infamiæ pœnam incurrere, ac per consequens esse irregularem, licet Episcopus in tali infamia, & irregularitate dispensare, pœnitentia, vel eius parte peracta, & cessante scandalo. Pro quo vide dicta *suprà verbo Infamia*, & Garsiam *de Beneficiis part.*11. *cap.*10. *num.*73. Nota etiam, quòd ex Bulla Sixti quarti. *Cum prouida*, statuta est excommunicatio latæ sententiæ Papę reseruata contra quoscumque, qui de lapidibus, porphyreticis, marmoreis, aliisue diuersorum generum, seu colorum ad Ecclesiarum Vrbis Romæ decorem, & ornatum deputatis, siue de aliis earumdem Ecclesiarum ornamentis, ausu sacrilego, abstulerint, seu auferent in futurum, aut per se, vel per alios ad diuersa loca asportari præsumpserint, aut talia habuerint, aut in surripiendo, seruando, & retinendo auxilium præstiterint, vel fauorem, & contra scientes, & non reuelantes Papæ. Item statutum est ibidem Interdictum latæ sententiæ contra Ecclesias, & loca, quorum vsui taliter oblata deputata fuerint, seu deputabuntur, quod tam diu duret, quamdiu ad loca, vnde prius ablata fuere, absque diminutione aliqua fuerint reportata. In suo robore etiam permanentibus Constitutionibus ab aliis Summis Pontificibus promulgatis, quibus excommunicati declarantur auferentes lapides, seu ornamenta de Ecclesiis, seu Sacris locis. Ita refert hanc Constitutionem (quam tamen videre non potui) Thesaurus *supra cap.* 4. notans illam etiam durare pro tempore futuro, licet fortè non quoad obligationem denunciandi. De ea etiam Filliuccius *tract.*15. *num.*126. Bonacina *de Censuris in particulari disp.*2. *quæst.*3. *punct.*13.

SACRISTA, ET Sacristia.

SVMMARIVM.

*De Sacristæ officio, num.*1.
Sacristia an contineatur sub clausura, num. 2.
Alia remissiuè, ibid.

DE Sacristæ officio, & aliis ad ipsum spectantibus dixi *tom.*1 *p.*2. *cap.*13. *num.*45. vbi etiam *num.* 46. an Sacristæ Conuersi habeant facultatem tangendi Calices, Patenas, & Purificatoria. De quo etiam eadem *part.*2. *cap.*8. *à num.*33. Non posse aliquid exigere pro benedictione sponsi, & sponsæ, habetur ex declaratione Sacræ Congregationis apud Barbosam *in Collectan. Bullar. verbo Sacrista.* Præter dicta autem eo loco notandum vlteriùs, munia Sacristæ incumbentia esse, custodire vtensilia Ecclesiæ signa dare ad Horas Canonicas recitandas, luminaria Ecclesiæ accendere, ignem vigilanter custodire ne extinguatur, vinum, Hostias, incensum, & alia ad Altaris Sacrificium necessaria præparata habere. Hæc enim omnia conformia sunt Iuri canonico *de offic. Sacristæ cap.*1. & *de offic. custodis cap.*1. & 2. Azor. *tom.* 2. *Instit moral. lib.* 6. 3. *cap.* 16. *quæst.* 7. Barbosa *de iure Ecclesiastic. lib.*1. *cap.*27. *à num.*8. Sacristæ quoque munus conferri posse illegitimis constat ex dictis *to.*1. *p.*2. *c.*13. & *sup. cap.*18. *num.*62. 1

Sacristiam Choro contiguam Monasterij Religiosorum esse sub clausura comprehensam, ita vt in illam ingredi non possint mulieres constat ex declaratione Sacr. Congregationis, quam refert Barbosa loco relato *ex Collectaneis*, & Nouarium *in Lucerna Regularium verbo Sacristia num.*1. Similiter, & Sacristiam, ad quam non patet aditus nisi per claustra Monasterij subiici clausuræ, ac proinde mulieres nullo modo illuc ingredi posse, tenent Sanchez *lib.*6. *in Decal. cap.*17. *num.*17. Coriolanus *de Casibus reseruatis cap.*3. *num.*31. *vers. quæritur quartò.* & Bonacina *de Clausura quæst.*5. *punct.*1. *num.*4. Idem dico si sacristia habeat duas portas, vnam in Ecclesia existentem, alteram in claustro Religiosorum, Bonacina *supra* §. *si verò.* Barbosa *de offic. & potest. Episcopi Allegat.*102. *num.*85. Ea verò Sacristia, ad quam solùm est aditus per Ecclesiam, non est subiecta clausuræ, iuxta dicta *tom.*1. *part.*1. *cap.*10. *num.*11. ex Bonacina loco relato. Pro quibus etiam videndus Candidus *tom.*4. *disquis. disquis.*5. *artic.*2. *dub.*14. An Sacristia possit aliquando pro choro deseruire, habes ex dictis *suprà verbo Officium diuinum num.*10. 2

SANCTORVM CVLTVS.

SVMMARIVM.

*Sancti quomodo colendi, num.*1.
*Sancti Canonizatique cultu colendi, num.*2.
*Beatificati quomodo coli possint, num.*3.
An eligi in Protectores Ciuitatum, ibidem.
*An possint publicè dici Sancti, num.*4.
*Quid de illis qui cum opinione Sanctitatis decesserunt, num.*5.
*Quomodo tales coli, aut non coli possint, num.*6.

Quid

*Quid de Imaginibus non Canonizatorum, aut Beatificatorum, num.*7.
*Gesta, miracula, reuelationes ipsorum quomodo non imprimenda. num.*8.
*Protestatio Authoris in principio libri imprimendi, num.*9.
Protestatio in fine libri, num. 10.
*Notanda circa istas protestationes, num.*11.
*Tabellæ, aut Imagines, vel lampades, ad eorum sepulcra non ponenda, num.*12.
*Decretum S.Congregationis, num.*13.
*De habitu Sacrarum Imaginum, num.*14.
*Alia remissiuè, num.*15.

1 SANCTOS Angelos, ac homines in cœlo regnantes adoratione duliæ colendos, & adorandos esse, constat ex Concilio Nicæno II. *act.*6. Gangren. *cap.*20. & Trident. *sess.*25. *in princip.* & ex eo quod illi sunt filij, amici Dei, & consortes gloriæ ipsius. Sayrus *in Claui Regia lib.*4. *cap.*3. *numero* 10. Bellarminus *lib.* 1. *de Sanct. Beatitud. cap.* 13. Cum autem, iuxta dicta *tom.*1. *part.*1. *cap.*12. *num.*40. & *suprà verbo Reliquiæ*, duplex sit cultus Sanctorum, vnus qui dicitur priuatus, quia non exhibetur tanquam institutus ab Ecclesia, neque nomine Ecclesiæ, sed ex peculiari, deuotione colentis priuatim, aut publicè; alter qui dicitur publicus, & solemnis; qui non ideo dicitur talis quòd coram aliis exhibeatur, sed quia defertur tanquam institutus ab Ecclesia, & nomine Ecclesiæ, vt aiunt Bellarminus *supra.* Sanchez *in Decalog. lib.*2. *cap.*43. *num.*3. Laymanus *lib.*4. *tract.*7. *cap.*5. *num.*14. & alij, similiter Sancti alij sunt canonizati, alij solùm beatificati, alij verò nec Canonizati, nec beatificati, sed solùm, qui piè creduntur in cælis cum Christo regnare, eò quòd piè vixerunt, & ita decesserunt; ideo de illis & de tali cultu sigillatim dicendum.

2 Et quidem sancti Canonizati coli possunt, & debent ab Ecclesia, etiam publico, & solemni cultu. Ita enim colligitur ex *cap.*1. *&* 2. *de Reliq. & venerat. Sanct.* Bullis, quibus canonizantur, & praxi Ecclesiæ. Qui porrò sint censendi Canonizati, constat ex dictis *suprà verbo Reliquiæ Sanctorum num.*7. Honores autem ab Ecclesia Canonizatis exhibiti præcipuè sunt septem. Primus, quòd scribuntur in Catalogo Sanctorum, idest, statuitur, ac iubetur, vt ab omnibus publicè habeantur, & dicantur Sancti. Secundus, inuocantur in publicis Ecclesiæ precibus. Tertius, Templa, & Aræ in eorum memoriam dicantur Deo. Quartus, Sacrificia tam Eucharistiæ, quam laudum, & precum, quod vulgò officium siue Horæ canonicæ nuncupantur in honorem eorum Deo publicè offeruntur. Quintus, dies festi in eorum memoriam celebrantur. Sextus, pinguntur eorum Imagines addito certo quodam lumine in signum gloriæ, quam habent in cœlis. Sptimus, eorum Reliquiæ speciosis tehecis includuntur, & publicè honorantur. Bellarminus *supra cap.*7. Azor. *tom.*2. *institut. moral. lib.*5. *cap.*6. *quæst.*8. Fagundez *in* 1. *præcept. Eccles. lib.*1. *cap.*3. *num.*13.

Sancti quoque Beatificati coli possunt, & debent ab Ecclesia cultu etiam publico, & solemni. Ita enim constat ex vsu ipsius Ecclesiæ, & Bullis Pontificiis, quibus Beatificantur, & supponunt Authores relati. Differt autem cultus exhibendus Canonizatis ab eo, qui exhiberi potest, vel debet Beatificatis, quòd ille est generalis, & solemnis, iste autem solùm est particularis, non omnium honorum debitorum Canonizatis, sed aliquorum dumtaxat, & non in omni loco, sed alicubi tantum. Peyrinis *tom.*1. *part.*1. *Priuilegiorum Minimorum in Constit.*16. *Leonis X. num.*1. Vnde ex septem illis honoribus Sanctis Canonizatis exhibendis, primus de inscriptione in Catalogis Sanctorum, si per eum intelligatur Martyrologium, ipsis tribuitur, cum constet nostram Magdalenam de Pazzis in nouissimo Martyrologio Romano anni 1632. inscriptam fuisse pro 25. Maij. Secundus etiam de inuocatione in publicis Ecclesiæ precibus; si per illas intelligantur solùm illæ, quæ in Missa, & Officio Canonico ipsorum dicuntur, non autem si per illas intelligantur Litaniæ, quia in illis Beatificati non inseruntur, cum in ipsis sub titulo Sanctitatis ab Ecclesia serui Dei inuocentur. Fortunatus Scachus *de Cultu, & veneratione seru. Dei lib.* 1. *sect.*10. *cap.*3. §. *verum non licere.* Quoad tertium verò de Templis, & Aris ipsis dicatis, quamuis Templa ipsis non concedantur, saltem ex vsu Ecclesiæ, cum nullum (quod sciam) Sancto Beatificato dicatum sit; bene tamen Aræ, cum ipsis plura Altaria etiam in Vrbe dicata conspiciantur. Addit Fagundez *supra num.*15. etiam Eremitoria illis dicata esse, quæ tamen non vidi. Quartus de Sacrificio, & officio Canonico, ipsis conceditur, limitatus tamen, & coarctatus ad personas, loca, & tempus, iuxta dicta *suprà verbo Ritus Sacri n.*5. De quinto, scilicet an dies festi in eorum memoriam celebrari possint, dixi *supra verbo Festi dies quoad Regulares num.* 7. probabiliorem esse partem negatiuam. Licet aliqui, videlicet Suarez *tom.* 1. *de Relig. lib.*2. *cap.*11. *num.*4. *&* 5. & Fagundez *sup. num.*14. *&* 15. probabiliter oppositum tueantur. De sexto, qui est pingere eorum Imagines cum laureolis, &c. dicendum ipsis conuenire, prout colligitur ex Decreto Sac. Congregationis, quod retuli *to.*1. *p.*1. *cap.*12. *num.*39. & de quo infra. De septimo autem, cum, iuxta dicta *suprà verbo Reliquiæ Sanctorum num.* 5. non possint Reliquiæ Sanctorum non Canonizatorum publicè adorandæ proponi, nisi à Papa approbentur; ideo videtur non posse id competere Sanctis solùm Beatificatis. Nihilominus, quia Sanctis Beatificatis, Missa, Officium, Altaria, & Imagines cum laureolis, vt dixi, etiam publicè conceduntur, quæ maiorem, & magis publicum cultum important, quam veneratio etiam publica ipsorum Reliquiarum: ideo is honor illis competere potest. Quod supponunt. Portellus *in Dub. Regular. verbo Reliquiæ Sanctorum num.*10. Fagundez *dicto num.*15. *& cap.*4. *num.*3. Vnde ad *cap. cum ex eo* ibi relatum, in quo negatur publica veneratio Reliquiarum nisi à Papa approbentur, dicendum, sufficiéter approbatas censeri Reliquias Sancti beatificati, eo ipso quòd beatificatur, & Missa, Officium, ac cætera, quæ dixi, illi à Papa conceduntur. Quòd verò beatificati eligi non possint in Protectores alicuius ciuitatis, & casu quo sint electi præcedere debeant Canonizatum postea electum, resoluit Pasqualigus *Decis.* 507. ex declarationibus Sacræ Congreg. video etiam S. Congregationem die 23. Martij 1630. annuente SS.D.N. Vrbano, *super electione Sanctorum in Patronos* hæc decreuisse. *Primò, quòd eligi possint in Patronos ij solùm, qui ab Ecclesia vniuersali titulo Sanctorum coluntur, non autem Beatificati dumtaxat. Secundò, quod de Patrono Ciuitatis electio fieri debeat per secreta suffragia à populo, mediante Concilio generali illius Ciuitatis, vel loci, non autem ab Officialibus solùm. Et quòd accedere debeat consensus Episcopi, & Cleri illius loci. Idemque seruari debeat in Patrono Regni, qui pariter eligi debeat per secreta*

secreta suffragia à populo singularum Ciuitatum Prouinciæ. Et quod repræsentantibus Regnum, Ciuitatem, Prouinciam, nulla competat facultas eligendi Patronos. nisi ad hoc habeant speciale mandatum, & vlterius interueniat consensus Episcopi, & Clerici dictarum Ciuitatum. Tertiò, quòd causæ electionis nouorum Patronorum debeant in Sacr. Congregatione deduci, & ab ea examinari; ac demum causa cognita, ab eadem Congregatione approbari, & confirmari. Et ne præmissorum ignorantia vllo vnquam tempore possit allegari, eadem Sacra Rituum Congregatio supradictum Decretum imprimi, & publicari mandauit. Vide Peyrinis *suprà Priuilegior. Minim. c. 12. in Constit. 21. aliàs 31. Vrbani VIII.* De quo etiam Barbosa *in Collectan. Bullar. verbo Patronus.*

4 An verò possint Beatificati dici simpliciter, & publice Sancti. Aliqui affirmare videntur. Tum quia eo ipso quòd sunt Beati etiam sunt Sancti, tum quia ex vsu Ecclesiæ Beati, & Sancti sæpiùs confunduntur vt patet in Confessione generali, vbi Sanctissima virgo Maria, & S. Michael, & Ioannes Baptista appellantur Beati, & Apostoli Petrus, & Paulus vocantur Sancti. Cæterum ex vsu, & praxi Curiæ *Sancti* nomen solùm tribuitur Canonizato, licet etiam appelletur Beatus; Beatificato autem solùm conceditur nomen *Beati.* Et ita obseruandum. Fortunatus Scachus *supra ex cap. si quis hominem* 11. *quæst.* 3.

5 Loquendo autem de hominibus non Canonizatis, nec Beatificatis qui tamen cum opinione Sanctitatis vixerunt, & decesserunt, dicendum, quòd licet publico cultu coli non possint, bene tamen priuato. Prima pars constat ex *cap. 1. & fin. de Reliq. & vener. Sanctor.* Secunda verò constat etiam ex dictis *suprà* verbo *Reliquiæ Sanctorum num. 9.* & ex eodem *cap. fin.* Cum enim ideo prohibitus solùm sit cultus publicus Sancti non approbati ab Ecclesia, videtur permissus cultus priuatus. Syluester *in Summa verbo Reliquiæ quæst.* 1. Bellarminus *supra capit.* 10. Sanchez *suprà numero* 4. Layman. *supra quæstione* 3. Bonacina *de legibus disp. 3. quæsit. 1. punct. 2.* Portellus *supra.*

6 Vnde licet tales non possint in Missa, officio diuino, Litaniis, aut precibus communibus, etiam priuatè recitatis, aut publicis concionibus, sancti, aut beati appellari, aut inuocari, aut illis Templa, Eremitoria, oratoria, aut altaria erigi, vel Festa, Vota, aut ieiunia publica in ipsorum honorem institui, aut eorum Imagines cum laureolis, aut signis Sanctitatis depingi, quia hæc omnia ad cultum publicum spectant; possunt tamen, scandalo cessante, etiam aliis scientibus, in priuatis colloquiis, aut precibus Sancti, & beati nominari, & inuocari, sicut gessisse constat S. Gregorium Nazianzenum *in Oratione de S. Athanasio*, & altera *de S. Basilio*, & S. Hieronymum *in vita Paulæ*, pro tempore, quo Athanasius, Basilius aut Paula ab vniuersali Ecclesia inter sanctos recensiti non erant. Item possumus in eorum natalibus peculiariùs lætari, ab operibus seruilibus abstinere, Deo vacare, ieiunare, votum in ipsorum cultum offerre, ipsorum Imagines sine laureolis, aut signis sanctitatis tenere, venerari, vt dixi, etiam aliis scientibus, modò scandalum absit. Hæc enim omnia ad cultum particularem spectant. Bellarminus *supr. n. 11. & 12.* Sanchez *supr. n. 5.* Layman. & Bonacina *supr.* Portellus *supr. num. 11. & 12.*

7 Specialiter tamen circa Imagines istorum non Canonizatorum, nec Beatificatorum notandum: quòd illæ, nullo modo, aut nullibi, etiam in priuatis locis, depingi, aut teneri possunt, cum laureolis, & signis Sanctitatis, prout dixi, & constat ex Decreto SS. D. N. Vrbani cum S. Inquisitionis Congregatione, quòd retuli *tom. 1. c. 12. num. 39.* vbi graues pœnæ contra transgressores designantur. Quod etiam confirmatum est ab eodem SS. Breui dato die 5. Iulij 1634. quod habetur cum aliis nouissimis Decretis ad Canonizationem, & Beatificationem Sanctorum spectantibus Romæ editum ann. 1642. Imagines autem prædictorum non habentes tales laureolas, aut signa Sanctitatis, licet poni possint in Ecclesiis, Templis, aut Oratoriis pro ipsorum ornatu; & separatæ ab Imaginibus Sanctorum, sicut poni possunt Imagines Imperatorum, Regum, Patronorum, &c. (Bellarminus, Sanchez, Layman, Portellus *supra ac* Peyrinis *tom. 1 priuilegior. Minim. in Constit. III. Leonis X. num. 4.*) non tamen in Altari aliquo publico, vel priuato. Ita enim habetur in prædictis Decretis de anno 1642. editis. Quamuis autem Sanchez *supra num. 7.* & Peyrinis *supr.* limitare id videantur, vt solùm id sit verum quando tales Imagines solæ ponuntur in Altaribus, Decreta tamen vniuersaliter loquuntur. Probabilior apparet limitatio alia, quam conformiter ad doctrinam eiusdem Sanchez affert Fagundez *supra c. 4. num. 15.* vt solùm id sit verum quando prædictæ Imagines ponerentur in Altari ipso, non quando ad latus ad ornatum ipsius. Illud, certiùs, prædictas Imagines nullatenus cum lampade aliqua haberi posse, Prout ex Decretis relatis eo *num. 39.* colligitur, & ex Philiarco *de Offi. Sacerdot. tom. 1. part. 2. l. 3. c. 9.* tenent Sanchez, & Layman. *supr.* & fauet Fagundez etiam *supr. num. 16.* Quale autem sanctitatis argumentum sumatur ex Imaginibus habet Scachus *supra sect. 9 cap. 6.*

Constat etiam ex dictis *num. 39.* relato, propter Decreta ibi adducta, non licere imprimere libros continentes horum, qui cum sanctitatis fama decesserunt, gesta, miracula, reuelationes, &c. sine approbatione Ordinarij, & responsione circa id negotium Sedis Apostolicæ. Vnde prædicta neque per modum historiæ referri licere, tenere videtur Peyrinis *tertio tomo priuil. Minim. c. 4. n. 1.* ex Castellino. 8
Illud etiam omnino obseruandum, quòd circa prædicta, præcipitur in nouissimis Decretis anni 1642. videlicet: *Responsum, quod à Sede Apostolica in vim prædictorum Decretorum expectare debent Ordinarij locorum, vt imprimi possint libri continentes gesta, miracula, seu reuelationes eorum, qui cum prædicta fama sanctitatis, seu Martyrij decesserunt, non detur nisi cum infrascriptis protestationibus in dictis libris, & historiis inserendis. Declarando etiam expresse, quòd tales libri, seu historiæ, licet ab Ordinariis reuisæ, & post Sedis Apostolicæ responsum approbatæ, non faciant maiorem gradum probationis in ordinatione ad Canonizationem, seu Beatificationem, quam quæ aliàs absque tali approbatione de iure fecissent, non obstante quocunque longissimi temporis cursu.* Protestationes vero sunt istiæ.

Protestatio Auctoris in principio libri imprimenda.

Cum Sanctissimus D. N. Vrbanus Papa VIII. die 7
13. Martij anni 1625. in Sacra Congregatione Sanctæ Romanæ, & vniuersalis Inquisitionis Decretum ediderit, idemque confirmauerit die 5. Iulij anno 1634. quo inhibuit imprimi libros hominum, qui Sanctitate, seu Martyrij fama celebres è vita migrauerunt, gesta, miracula, vel reuelationes, seu quæcunque

quacunque beneficia tanquam eorum intercessionibus à Deo accepta continentes, sine recognitione, atque approbatione Ordinarij, & quæ hactenus sine ea impressa sunt nullo modo vult censeri approbata. Idem autem Sanctissimus die 5. Iunij 1631. ita explicuerit, vt nimirum non admittantur elogia Sancti, vel Beati absolutè, & quæ cadunt super personam, bene tamen ea quæ cadunt supra mores, & opinionem, cum protestatione in principio, quòd iis nulla adsit auctoritas ab Ecclesia Romana, sed fides tantum sit penes Auctorem. Huic Decreto, eiusque confirmationi, & declarationi obseruantia, & reuerentia, qua par est insistendo, profiteor me haud alio sensu quicquid in hoc libro refero, accipere, aut accipi ab vllo velle, quam quo ea solent, quæ dumtaxat humana auctoritate, non autem diuina Catholicæ Romanæ Ecclesiæ, aut Sanctæ Sedis Apostolicæ nituntur, iis tantummodo exceptis, quos eadem Sancta Sedes Sanctorum, Beatorum, aut Martyrum Cathalogo adscripsit.

Sequens verò in fine libri.

Lector aduerte in Elogiis virorum Illustrium, quos hoc libro complexus sum, nonnulla me obiter attingere, quæ sanctitatem ipsis videantur adscribere: perstringo nonnunquam aliqua ab iis gesta, quæ cum vires humanas superent miraculo videri possunt, præsagia futurorum, arcanorum manifestationes, reuelationes, illustrationes, & si quæ sunt alia huiusmodi; beneficia item in miseros mortales eorum intercessione diuinitus. Denuum nonnullis sanctimoniæ, vel Martyrij videor appellationem tribuere. Verùm hæc omnia ita meis lectoribus propono, vt nolim ab illis accipi tanquam ab Apostolica sede examinata, atque approbata, sed tanquam, quæ à sola suorum Auctorum fide pondus obtineant, atque adeo non aliter quam humanam historiam. Proinde Apostolicum Sac. Congregationis S. R. & vniuersalis Inquisitionis Decretum anno 1625. editum, & anno 1634. confirmatum, integrè, atque inuiolatè, iuxta declarationem eiusdem Decreti à Sanctiss. Dom. Nostr. Vrbano Papa VIII. anno 1631. factam, seruari à me omnes intelligant, nec velle me, vel cultum, aut venerationem aliquam per has meas narrationes vlli arrogare, vel famam, & opinionem Sanctitatis, aut Martyrij inducere, seu augere, nec quicquam eius existimationi adiungere, nullumque gradum facere ad futuram aliquando vllius Beatificationem, vel Canonizationem, aut miraculi comprobationem, sed omnia in eo statu à me relinqui; quam seclusa hac mea lucubratione obtinerent, non obstante quocunque longissimi temporis cursu. Hoc tam sanctè profiteor, quam decet eum, qui Sanctæ Sedis Apostolicæ obedientissimus haberi filius cupit, & ab ea in omni sua inscriptione, & actione dirigi. Ego N. N.

11 Circa prædictas autem protestationes nota primò, quòd illæ per se solæ non sufficiunt ad hoc quòd reuelationes, miracula, gesta, &c. præfatorum hominum, qui cum opinione sanctitatis decesserunt, imprimi possint, nisi accedentibus etiam Ordinarij approbatione, & responso Sedis Apostolicæ, prout colligitur ex verbis relatis. Nota secundò, quòd in præfatis libris non potest tribui nomen Sancti, aut Beati illis, qui cùm opinione sanctitatis decesserunt. Tum quia est contra stylum Curiæ, qui solùm ipsis tribuit nomen serui Dei, Ancillæ Dei, &c. Tum quia, vt sæpe expertus in Sacra Congregatione Indicis, quando de correctione librorum agitur, similes tituli non permittuntur.

Ad prædictorum etiam sepulchra appendi, aut affigi non posse tabellas, imagines, aut lampades sine recognitione Ordinarij, ac approbatione Sedis Apostolicæ, constat ex Decretis relatis *eo num. 39. cap. 12. tom. 1. p. 1. Summæ*, & ex eo quòd id pertinere videatur ad publicum cultum. D. Conterolus *in Addit. ad Iacob. Castellan. quæst. 9. art. 1. num. 29.* Barbosa *de offic. & potest. Episcopi Allegat. 97. num. 14.* Similiter nec occultè licere lampadem ibi accendere, propter eamdem rationem, & declarationem Sac. Congregationis, tenent Castellinus *de Canonizat. Sanct. cap. 2. part. 8. §. 3.* Peyrinis *loco relato.* Quamuis autem in prædictis Decretis præcipiatur, quòd si prædictæ tabellæ, imagines, &c. deferantur, custodiri debere in secreto aliquo seorsim ab Ecclesia loco; nihilominus in nouissimis Decretis de anno 1642. permittuntur custodiri in Sacrario, secretò tamen, & eo modo quo cultum, & venerationem non præseferant. 12

Plura alia circa modum procedendi in Canonizatione, vel Beatificatione Sanctorum, iuramentum præstandum per DD. Cardinales, formam commissionis, & litterarum remissorialium, seu compulsorium, & pro Nunciis, Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, ac alia concernentia habes in prædictis nouissimis Decretis, quæ omitto, quia parum ad nostrum interestum. Præsens autem Decretum Sac. Congregationis Rituum à Sanctissimo approbatum, & vbique, vt ipse præcipit, publicandum, quod etiam habetur inter præfata nouissima Decreta, quia vtile valde Regularibus est, hic apponendum censeo. *Cum in tota Ecclesiæ gubernatione nihil maius, nihil sit augustius Beatificatione, & Canonizatione Sanctorum, vt pote homines iam demortuos, etiam cum fama sanctitatis, ac miraculorum, declarare pro Sanctis, eosque vti tales colendos, & venerandos decernere. Sacra Rituum Congregatio, vt res hæc planè amplissima, atque grauissima ritè, sancteque conficiatur, prohibet omnibus, & singulis personis Ecclesiasticis, tam sæcularibus, quam regularibus, etiam Sancti Ioannis Hierosolymitani, Societatis Iesu, vel aliorum quantumuis speciali nota dignorum, ne audeant ipsi per se, aut per alios capere informationes super sanctitate, aut miraculis alicuius defuncti, neque vllo modo exquirere, aut obtinere ad hunc effectum extraiudiciales testificationes, aut subscriptiones sub pœnis arbitrio Sac. Congregationis infligendis. Quòd si Superiori, Sacristæ, seu alteri Officiali illius Ecclesiæ, in qua requiescit corpus ipsiusmet defuncti, vel alterius etiam Ecclesiæ, fuerint reuelata aliqua miracula, seu prophetiæ dona, possint ea recipere sub sigillo secreti ab ipsis tantùm relatoribus, in quorum gratiam contigisse narrabitur, teneantur tamen quamprimùm commodè, poterunt, eadem deferre, vel obsignata transmittere Episcopo loci, cum expressa declaratione, quòd reuelationes sic, vt supra, receptæ, non faciant aliquem probationis gradum, etiam cuiusuis longissimi temporis cursu.* 13

Pertinent etiam ad Sanctorum cultum ea, quæ idem Sanctissimus Vrbanus motu proprio circa formam, & habitum Sacrarum Imaginum die 15. Martij currentis anni 1642. his verbis præcipit. *Ne quis cuiuscunque gradus, qualitatis, Ordinis, status, vel conditionis, ac dignitatis, & præeminentiæ, etiam Ecclesiasticæ, etiam indiuidua, ac speciali expressione dignæ, existat, Imagines Domini nostri Iesu Christi, & Deiparæ Virginis Mariæ, ac Angelorum, Apostolorum, Euangelistarum, aliorumque Sanctorum, & Sanctarum quorumcumque sculpere, aut pingere, vel sculpi, aut pingi facere, aut ante hac sculptas, aut pictas, &* 14

& alias quomodolibet effictas tenere, seu publico aspectui exponere, aut vestire cum alio habitu, & forma in Catholica, & Apostolica Ecclesia ab antiquo tempore consueuit, nec etiam cum habitu peculiari alicuius Ordinis Regularis, tenore præsentium prohibemus; ac, vt Imagines aliter pictæ, vel sculptæ ab Ecclesiis, & aliis locis quibuslibet amoueantur, & deleantur, vel reducantur, & reformentur ad habitum, & formam in Ecclesia Catholica, & Apostolica ab antiquo tempore consuetam, vt veneratio, & cultus sic dictis imaginibus augeatur, & quæ oculis fidelium subiiciuntur non inordinata, nec insolita appareant, sed deuotionem pariant, & pietatem, & ne exponantur in Ecclesiis quibuslibet, ac quomodolibet qualificatis, ac earum frontispiciis, & atriis, imagines prophanæ, vel alias indecentiam, & inhonestatem præseferentes, cum domum Dei deceat sanctitudo, præcipimus. Inferius autem omnibus Ordinariis, & Nunciis, seu Legatis, vt prædicta inuiolabiliter obseruent, præcipit, ac omnibus, & quibuscunque Regularibus, siue sæcularibus, vt præmissa etiam obseruent, & obseruari faciant. Statuit etiam quòd si Regulares, seu Moniales prædictis parere neglexerint, possint, & debeant Episcopi, & locorum Ordinarij, Metropolitani, Primates, Patriarchæ, Nuncij, & Legati Apostolici de latere missi tanquam in hoc à Sede Apostolica specialiter delegati, contra omnes, & singulos prædictos, & quoscunque alios quomodolibet inobediētes, & transgressores procedere, & quacunque appellatione, recursu, reclamatione, aliisque Iuris, & facti remediis ordinariis penitus, & omnino remotis, ad omnimodam obseruantiam illos, præuia vnica monitione, censuris Ecclesiasticis, & aliis eorum arbitrio, & præsertim quoad loci Superiores, etiam priuationis Officij, & vocis actiuæ, & passiuæ, pœnis, compellere.

15 Hinc Sacra Congregatio Rituum de anno 1649. pro 23. Ianuarij petentibus œconomis Capellæ sanctissimi Rosarij in Ecclesia fratrum Prædicatorum terræ Balneoli facultatem deferendi statuam B. Virginis in Processione, quam fratres Dominicani in secunda Dominica cuiuslibet mensis peragere consuescunt, respondit, *id licere loco & tempore ab Ordinariis designandis, quatenus statua sit composita ad formam decretorum.*

Alia, quæ spectant ad Officium Canonicum Sanctorum dicendum habes *tom.1.p.1. cap.12. & 21.* Quid circa ipsorum Reliquias venerandas *sup.* verbo *Reliquiæ sanctorum.*

16 Pro his autem, quæ dicimus de Sanctis Patronis in aliquibus locis hic iungendum veræ pietatis & deuotionis erga Deiparam Sanctissimam de Monte Carmelo signum quod Terra Messapiensis in Diœcesi Brundusina ostendit, dum Capitulum, & Canonici Ecclesiæ Collegiatæ cum Clero, & Vniuersitate ob magnum pietatis studium, quo ipsam B. Virginem sub titulo de Monte Carmelo prosequebantur eam communibus suffragiis seruatis seruandis in principalē Patronam elegerunt, ac Sacram Congregationem Rituum humiliter supplicarunt, vt huiusmodi decretum confirmare dignaretur. Quod lubentissimè fecit eadem Sacra Congregatio 2. Martij 1652. ad relationem Eminentissimi D. Cardinalis Ludouisij, ac eidem Deiparæ Sanctissimæ in Patronam, sic electæ omnes prærogatiuas principalioribus Patronis concessas competere decreuerunt iuxta rubricas Breuiarij, & Missalis Romani, & ad formam Constitutionis fœl. record. Vrba VIII. super obseruatione festorum. Quod ad exemplum aliarum ciuitatum, & oppidorum totius Orbis Christiani scribimus, vt cunctos non pigeat eam pro speciali Patrona habere, quæ iure maternitatis Dei est Aduocata nostra.

Præcipuè notandum, quod pro obseruantia decretorum S. Inquisitionis, præsertim eorum, quæ sunt pro Sanctis non Canonizatis, seu beatificatis Sacra Congregatio Rituum 23. Martij 1652. declarauit ad spatium centum annorum, de quo in illis fit sermo, non esse attendenda gesta post eadem decreta.

SEMINARIVM.

SVMMARIVM.

Seminarium quid. num.1.
Non instituendum ex Collegiis, & Monasteriis Mendicantium. num.2.
An ex redditibus Beneficiorum illorum Monasteriis annexorum. num.3.
De quadam declaratione Sacr. Congregationis. numero 4.
De priuilegio Pij V. num.5.
Quid de Regularibus fruentibus priuilegiis Mendicantium. num. 6.
Quid de Monialibus. num.7.
Quid de Regularibus non Mendicantibus. numero 8.
Ex quibus bonis contribuendum pro seminario. numero 9.
Quid de Confraternitatibus, Capellis, seu scholis, num. 10.
De aliis ad hanc materiam spectantibus. num. 11.

NOTA primò, quod seminarium est quoddam Collegium pro puerorū educatione, instituendum ab Ecclesiis Cathedralibus, Metropolitanis, atque his maioribus, ex fructibus mensæ Episcopalis, & quarumcunque Dignitatum, &c. Abbatiarum, Prioratuum, etiam Regularium, & Beneficiorum quorumcunque etiam Regularium, ac ex fabricis Ecclesiarum, & Monasteriorum. Ita enim habetur ex Concil. Trident. *sess. 23. de Reformat. cap.18.* De quo Rodriguez *tom.2. quæst. regul. q.66. art.3.* Zerola *in Praxi Episcopali part.1. verbo Seminarium.* Gonzales *ad Regulam octauam Cancellariæ glossa 5. §.7. à num.68.* Riccius *in Praxi decis.489. in prima editione, & resolut.380. in secunda.* Barbosa *de Offic.& potestat. Episcopi Allegation.77. à n.1.* 1

Nota tamen secundò, quòd licet eo loco Concilium etiam asserat seminarium institui debere ex quibuscunque quoque Ecclesiasticis redditibus seu prouentibus Collegiorum, seu Monasteriorum, quia tamen ibi addit *Non tamen Mendicantum,* ideo Collegia, & Monasteria Mendicantium ab hoc onere exempta sunt, Barbosa *supra num.14.* Nouarius *in Lucerna regular. verbo Semnarium num.2.* Qui autem sint Mendicantes dixi *tom.2. cap.1. num.1.* 2

Mendicantes autem ex redditibus Beneficiorum illorum Monasteriis annexorum seminario contribuere debere, nec obesse, quòd prætendant se exemptos, quia videlicet in illis lectiones Grammaticæ, & conscientiæ casuum pro audiendis confessionibus quotidie habeantur, quia non sunt ob id exempta, sed tantùm eius impensæ habendam esse rationem, quæ ante Concilium fieri solebat pro salariis horum lectorum, & ea tanquam æs alienum detrahenda: teneri tamen ex reliquo ad contrib- 3

tributionem seminarij, declaratum esse à Sacr. Congregatione referunt Sellius *in Select. canon. cap.* 10. *num.* 19. Barbosa *in declarationibus Concilij Tridentini super cap.* 18. *sess.* 23. §. *fratres Mendicantes, & in Collectan. Bullar. verbo Mendicantes Religiosi*, ac Nouarius *supra num.* 2. Quia tamen hæc declaratio non benè refertur ab iis Auctoribus, ea enim, vt habetur in Collectione manuscripta harum declarationum, quæ extat in nostra Bibliotheca Monasterij S. Mariæ Transpontinæ de Vrbe, solùm loquitur de Regularibus non Mendicantibus, ideo ex ea nihil colligi potest ad intentum.

4 Quia etiam idem Barbosa loco relato *ex declarationibus super Concilium, S. Congregatio censuit*, & Petrus de Marzilla *in Decretis, & declarationibus Concilij Trident. Venetiis anno* 1620. *impressis*, & Collectio declarationum, quæ in dicta Transpontina Bibliotheca reseruatur habent, Sacr. Congregationem hæc declarasse: *Portionem, quam seminario legitimè contribuere tenebatur id Beneficium, quod vnitum postea fuit Monasteriis, vel Mendicantium, vel eorum qui iisdem ac mendicantes gaudent priuilegiis non posse amplius exigi, propterea quod Beneficij status mutatus sit adeptione eorũ, quos ex Pij V. Sanctæ mem. priuilegio ab huiusmodi onere seminarij exemptos esse perspicuum est.* Ideo dicendum, Mendicantes Regulares à contributione seminarij exemptos esse.

5 Quod ita esse non solùm colligitur ex prædicta declaratione, sed etiam ex Pij V. priuilegio in eadem declaratione relato. Etenim in Bulla *Etsi mendicantium*, quæ habetur *in* 2. *tomo Bullarij* inter Bullas huius Pontificis *num.* 41. & de qua latè dixi *tom.* 1. *p.* 2. *cap.* 1. *à num.* 12. inter alia priuilegia Mendicantibus concessa, de ipsis dicit: *Illos, illorumque loca, etiam si curam animarum habeant, ac quæcunque Beneficia illis vnita ad contributionem pro seminario minimè teneri.* Quod etiam habet idem Pontifex in alia Constitutione *Ad hos nos*, quam ad intentum hoc refert Peyrinis *tom.* 2. *priuileg. Minimorum in Constitutione* 7. *Pij V. num.* 16. Nec obstat si dicatur prædictas Constitutiones Pij V. reuocatas esse à Gregorio XIII. in Constitutione *Intanta.* Quia, iuxta dicta eo *cap.* 1. *num.* 16. ex Rodriguez, Miranda, Sorbus, Molfessio, & Peyrinis, solum prædictæ Constitutiones censentur reuocatæ à Gregorio quatenus per ipsas conceditur aliquid contrarium ipsis Decretis Concilij Trident. non tamen quatenus conceditur aliquid non contrarium ipsis Decretis, nec etiam quantùm ad ea, quæ Pius in dictis Constitutionibus, dixit non aliquid de nouo concedendo, sed Concilium Tridentinum explicando, quale est istud priuilegium de exemptione Mendicantium à contributione seminarij.

6 Idem quoque dicendum de Regularibus fruentibus priuilegiis Mendicantium constat ex declaratione relata, & ex Constitutionibus Pij V. Vnde declaratio S. Congregationis, quam refert Sellius *supra num.* 18. & Barbosa *verbo mendicantes, & verbo Seminario contribuere qui teneantur*, vbi dixit, sub die 21. Iulij 1629. declarasse Sacr. Congregationem portionem debitam seminario ratione beneficiorum exigi posse post vnionem eiusdem Beneficij factam regularibus, qui Mendicantium priuilegiis gaudent, fideliter non refertur, vt video in declaratione authentica eodem die facta ab eadem Sacra Congregatione, & subscripta per Eminentiss. Cardinalem de Torres, & per Illustriss. D. Paulucium Sacr. Congregationis Secretarium. In ea namque, ad Instantiam Patrum. Presbyterorum Sanctæ Mariæ in Campitello, respondit, seruandam esse in hoc declarationem iussu felicis recordationis Greg. XIII. editam. Hæc autem declaratio Gregorij XIII. iussu edita est ea, quam pro parte nostra adduximus *supra numero* 4. & in qua dicit non posse exigi à Mendicantibus, vel iis qui gaudent ipsorum priuilegiis portionem pro seminario ratione Beneficij illi vniti, propterea quòd status Beneficij mutatus sit, & ipsi exempti sint ex Pij V. priuilegio.

Idem quoque videtur dicendum de Monialibus Mendicantium, & eorum, qui gaudent ipsarum priuilegiis, propterea quòd Pius V. in dictis Constitutionibus eas eximit ab hoc onere soluendi pro seminario, etiam pro Beneficiis eisdem vnitis. Vnde quòd decisum referunt de Monialibus in contrarium Sellius *supra num.* 19. & Nouarius *supra numero* 6. intelligi debet de Monialibus non Mendicantium, nec gaudentium priuilegiis ipsorum. 7

Reliqui autem Regulares, siue monachi non mendicantes, nec potientes mendicantium priuilegiis omnino soluere tenentur pro seminario, quia non eximuntur à Concilio, & declaratum est à Sac. Congregatione, testibus Zerola *supra* & Barbosa *supra verb. Seminario contribuere qui teneantur*, quòd à contributione seminarij nullus sit exemptus, nisi qui nominatim à Concilio excipiuntur. Id etiam supponunt aliæ declarationes, quas referunt Zerola *supra*, Barbosa etiam *supra* & loco *super Concilium*, ac Nouarius *supra numero nono & decimo.* Excipiuntur tamen fratres Sancti Ioannis Ierosolymitani, tum ex vigore Concilij, in quo expresè nominantur, tum ex Bulla Gregorij XIII. *Quo magis.* Gonzales *supra Glossa* 8. *num.* 53. Sellius *supra num.* 20. Barbosa *locis relatis*, & Nouarius *supra numero* 7. & 8. 8

Nota tamen Regulares obligatos ad contribuendum pro seminario non teneri id facere ex emolumentis, prouentibus, & legatis ipsis relictis pro celebratione missarum, prout ex declaratione S. Congregationis refert decisum Barbosa *dicto verbo Seminario qui contribuere, &c.* Neque ex iis, quæ in incerto, & in eleemosynis piorum, & similibus consistunt. Ex declaratione etiam Sac. Congregationis, quam referunt Piasecus *in Praxi Episcop. part.* 2. *c.* 2. *num.* 5. & Barbosa *supra.* 9

Confraternitates autem, Capellæ, seu scholæ habentes redditus Ecclesiasticos, etiam si intra Ecclesias Regularium existant, tenentur contribuere pro seminario. Ita declarante Sacr. Congregatione apud Zerolam *supra* & Barbosam *locis relatis.* 10

Alia, quæ ad hanc materiam spectant omitto, quia parum necessaria pro Regularibus. De illis tamen Authores relati. 11

SENTENTIA IVDICIALIS.

SVMMARIVM.

De ipsa remissiuè. num. 1.

An debeat dari in scriptis. num. 2.

An absolutus per sententiam iterum conueniri possit. num. 3.

In sententia an causa ipsius exprimenda. numero 4.

An Prælati Regulares sententiam proferre possint extra propria territoria. num. 5.

Praxis Regularium circa sententias censurarum ferendas. num. 6.

De

1 DE sententia Iudiciali, prout specialiter ad Iudicia Regularium spectat, plura dixi non solum *tomo* 1. *p.* 1. *cap.* 27. *num.* 13. 15. 16. & 18. sed etiam *supra verbo iudex, & iudicium Regular. num.* 10. Alia etiam *supra verbo Recusatio*, & verbo *Reus regularis.* Nihilominus alia in præsenti addenda sunt inter ipsos Regulares magis practicabilia.

2 Primò, ea, quæ dixi *dicto cap.* 27. *num.* 18. ex Alderete *lib.* 1. *de Disciplina religiosa cap.* 18. *num.* 5. Scilicet Superiorem posse sententiam ferre, vel in scriptis, vel viua voce, ita est intelligendum, quòd scilicet, in rebus grauis momenti sententia semper debeat in scriptis ferri, aliàs nulla erit, *cap. etsi sententia de sent. & re iudic.* Scaccia *de sentent. cap. gloss.* 12 *& sequentibus.* Peyrinis *in Formulario littera S. cap.* 3. *num.* 4. In rebus, autem minoris momenti, & quando causæ sunt breues, & personarum exiguæ æstimationis, potest sententia ferri solùm viua voce. *C. de sentent. exper. re. aut.* Angelus *in Summa verbo sententia num.* 5. Syluester *quæst.* 4. *dicto* 4. Sanchez *l.* 6. *Consiliorum moralium cap.* 3. *dub.* 9. *numero* 4. Idem dico quotiescunque Iudex procedit de plano, sine strepitu, & figura iudicij. Syluester, & Sanchez *supra.* Addit Angelus *supra* ex dicto *cap. etsi sententia*, quòd ipse qui dat sententiam debet legere, seu recitare illam, quando videlicet intimatur reo. Sed quod hæc cæremonia in desuetudinem abierit, tenet Alderetè *supra* ex Maranta, & Claro.

3 Secundò, circa illam quæstionem, an scilicet reus absolutus per sententiam possit iterum conueniri, seu contra illum pro illo delicto procedi. Nota, quòd tripliciter reus Regularis absolui potest per sententiam definitiuam, siue fuerit accusatus, denunciatus, vel inquisitus. Primò, quia est repertus innocens ab ipso Iudice, qui certò cognouit eius innocentiam per semetipsum absque facto prætensi rei, ex eo quod nulla aderant indicia, quibus posset citari, vocari, vel examinari. Secundò, quia reus prætensus suam innocentiam manifestè probauit. Tertio, quia dictam innocentiam probauit purgando indicia, sed non clarè, aut manifestè. Quando ergo quis est absolutus ex causa innocentiæ primò vel secundò modo, non potest contra eum amplius procedi pro illo delicto, neque ex officio, neque ad instantiam partis, neque per viam accusationis, neque per viam denunciationis, quibuscunque superuenientibus indiciis *capit. de his accusat. & in l. si cui §. idem ff. de accusat.* Alderete *supra libro secundo capit.* 10. *numero nono* Spatharius *de modo corrigendi Regulares. Tractat.* 10. *capit.* 11. Peyrinis *supra capit.* 1. *numero* 2. post alios. Et ratio est, quia illa absolutio transit in iudicatum, & de re iam iudicata amplius iudicari non potest. *leg. res iudicata ff. de reg. iur. Clem.* 1. *de except.* Contra absolutum autem tertio modo, licet in rigore iuris possit iterum procedi, si nouæ probationes superueniant, prout communis opinio Doctorum tenet. Inter Regulares, tamen, inter quos, quantum fieri potest, à litibus abstinendum est, semel absolutus, etiam cum clausula *rebus sic stantibus*, non debet iterum accusari, aut contra illum procedi, etiam superuenientibus magnis indiciis, ad truncandas dissidiorum, & malignitatum occasiones. Spatharius *sup. n.* 4. & *cap.* 13. *n.* 6. Peyrinis *sup. n.* 3.

4 Nota tertiò, necessarium non esse quòd in ferenda sententia Superior causam exprimat, propter quam eo modo iudicet. *capit. sicut de sentent. & re iudic.* Thomas de Iesu *de Visitat. Regular. tract.* 3. *capit.* 15. Alderete *supra lib. primo cap.* 18. *num.* 6. Imò consultiùs existimatur à doctis, non expedire, quòd eam declaret, ne fortè ineptam, vel iniustam exprimat. Alderete *supra.* Expedit tamen, vt in ea dicat Iudex in genere, iustis de causis animum suum mouentibus talem sententiam proferre. Peyrinis *supra cap.* 3. *num.* 1. ex Farinacio, Claro, Miranda, & Alderete.

Nota quartò, quòd licèt, iuxta dicta *tomo primò p.* 1. *cap.* 4. *n.* 37. Prælati Regulares procedere possint contra subditos quamuis existant extra eorum Monasteria seu Prouincias, quia Prælati Religiosorum non habent territoria diuisa, sicuti Episcopi, sed eorum iurisdictio est in ordine ad personas subditas secundùm se, & vbicunque fuerint. Nihilominus ad proferendum sententias contra illos in foro contentioso requiritur, quòd existant Prælati in proprio Monasterio, vel Prouincia. Nam quoad contentiosam iurisdictionem non potest quis ponere sedem in alieno territorio. *capit. cum Episcopus de Officio Ordin. in* 6. Ang. *supra numero* 6. Syluest. *supra quæstione* 7. ex Cardinali. Quoad voluntariam autem iurisdictionem, & in casu quo Prælatus non procedit seruata forma iudicij, potest sententiam ferre contra subditos, etiam si in proprio territorio non sit. Angelus, & Syluest. *supra.* Imò etiam quoad contentiosam iurisdictionem, & seruata forma Iudicij Prælatus existens in Prouincia vel Monasterio suo potest sententiam ferre contra subditum absentem, seruatis tamen citatione, & aliis seruandis. Ratio est, quia, vt dicit. Pan. *in cap. cum contingat de foro compet.* Monachus vbicunque est, semper est de iurisdictione Abbatis, quem vice Dei super caput suum imposuit 19. *quæst.* 3. *cap. statuimus, & cap. si Religiosus de elect.* 6. Et quia fictione Iuris semper est in Claustro, vt notant Innoc. & Abb. antiquus *in cap. cum illorum de sentent. excomm.* & Archi. *in c. vt periculosa ne Cler. vel Mon. in* 6. Angelus *supra.* 5

Maximè quintò, circa praxim Religiosorum, & quoad sententias censurarum, v. g. excommunicationis, aliqua notanda sunt. Primò, quòd nulliter excommunicatus, suspensus, &c. non tenetur abstinere à communione fidelium, & aliis prohibitis. Etenim censura nulliter data nullum habet effectum. Nauarrus *in Man. cap.* 7. *numero* 3. Diana *part.* 5. *tract.* 9. *resolut.* 26. ex Mexia, Guttierrez, Turriano, & aliis. Idem dico de sententia iniusta ob defectum aliquem substantialem iuxta dicta *supra ver. Iudex, & Iudicium Regularium. num.* 10. De quo etiam Diana *supra resol.* 27. ex Hurtado, Suarez & aliis. Idem etiam dicendum quando sententia lata est ex causa apparente vera secundum allegata, & probata; sed in re falsa. Thesaurus *in Praxi part.* 1. *cap.* 2 2. *§. quinta differentia*, ex Nauarro, Sayro, Suarez, & Sanchez. Quid verò dicendum in casu quo aliquis probabiliter iudicet sententiam contra illum latam esse inualidam, habes ex dictis *tom.* 1. *par.* 1. *cap.* 4 *numero* 26. quod etiam tenent Vasquez *de Excommunic. dub.* 11. *num.* 23. Diana *supra resol.* 29. ex aliis. Quid autem in casu quo quis dubitet an talis sententia fuerit valida dixi, *supra* verbo *Dubia Regularium num.* 7. De quibus nouissimè Eminentiss. Card. Lugo *de Contract. disput.* 37. *sect.* 15. *à numero* 185. Nota tamen, quòd in his, & similibus casibus ligatus tali sententia tenetur pro foro externo obseruare illam, vel petere absolutionem, seu dispensationem ratione scandali vitandi, provt communiter docent Authores relati. Quod autem (magis ad praxim Regularium) declaratur per *cedulones*, vt dicitur, incurrisse in excommunicationem, si intra terminum legitimum appellauit, possit communicare cum aliis, constat ex dictis eodem *supra* verbo *Appella-* 6

*Appellare, & Appellatio num.*11.De quo etiam Diana *supra resolutione* 30.

SEPVLTVRA QVOAD Regulares.

SVMMARIVM.

1 TRIPLICITER sumitur sepultura. Primò, pro iure sepeliendi, siue sepulchri. Secundò pro ipso officio, quod impenditur corporibus funerandis. Tertiò, pro loco, in quo aliquis est sepultus, vel sepeliendus, siue terra, siue arca lapidea, siue aliud. Angelus. Syluester, & alij Summistæ *verbo Sepultura.*

2 Et primò, loquendo de sepultura primo modo, dicendum, quòd ius sepeliendi mortuos, licet de iure ciuili competat omnibus quibus inest ius illos inferendi. *ff. de mort. infer. per totum.* iure tamen Canonico hoc non competit nisi Ecclesiis Parochialibus, vel habentibus populum, vel quibus ex priuilegio est concessum. Angelus *supra num.*3. Syluest. *supra q.*3. Quia ergo Innocentius Quartus, Clem. IV. Martinus IV. Bonifacius VIII. & IX. Sixt. IV. Leo X. & alij Summi Pontifices, prout videre licet in Casarub. *in Compend. priuileg. Mendicant. verbo Sepelitio, & Sepultura*, & in Compendiis particularium Religionum, ius sepeliendi mortuos Regularibus concesserunt, vel approbarunt, ideo illis licitum est in propriis Ecclesiis mortuos sepelire. Quomodo autem se debeant gerere Regulares circa cadauera sæcularium in Ecclesiis suis sepelienda, vel ea associanda, habes ex dictis *supra* verbo *Defunctus*, vbi etiam de Officio impendendo pro dictis defunctis, quod est sepultura secundo modo.

3 Loquendo autem de sepulturæ tertio modo, scilicet de loco, in quo mortui sepeliuntur, ille debet esse Ecclesia, vel circa Ecclesiam positus. Angelus *sup. num.*2. Syluest. *supra quæst* 1. Vnde quoad Regulares spectat, Claustrum, Sacristia, & Capitulum ipsorum potest esse locus sepulturæ etiam pro sæcularibus. Pasqualigus *in decis. mor. decis.*381. Non tamen est necessarium, quòd sit consecratus, sed sufficit quòd sit benedictus. Syluest. *ibidem* contra Angelum, & Innocentium. Hic porrò locus sepulturæ deputatus religiosus est, etiam si nullus sit ibi sepultus *capit. quæsta est, & capit. postquam. cap. præcipiendum.* 13. *quæst.* 2. Si verò non est sic deputatus, secundum Canones non est religiosus, etiam si sit ibi aliquis

sepultus. Innocent. *in cap. Abolend. de sepult.* Syluest. *supra in princip.* Licet olim de iure ciuili per solam illationem mortui locus efficeretur religiosus. *l. in tantum in fine ff. de rerum diuis.* Rodriguez *tomo 3. quæst. Regular. quæst.* 58. *art.* 3. Genuensis *in Praxi Archiepiscop. Neapolit. cap.* 33. *num.* 21. Thesaur. *in Praxi part.* 2. *verbo Sepulch. cap.* 1.

4 Porrò sepulturam in Ecclesiis Mendicantium liberam esse debere, constat ex dictis *tom.* 1. *p.* 2. *cap.* 1. *num.* 31. ex priuilegiis Summorum Pontificum, præsertim Sixti IV. & Pij V. Quibus adde Innocentium IV. Clementem IV. Bonifacium Octauum, & Clem. V. apud Cassarub. *in Compend. priuileg. mendicant. verbo Sepelitio, & Sepultura n.* 1. 3. & 8. & Benedictū XI. pro Seruitis *in Annalib. huius ordinis lib.* 6. *cap.* 3. De quo etiam loco relato *supra n.* 1. [Et ex declaratione Sacræ Congregationis Episcoporū, & Regularium 8. Maij 1643.] Hæc autem libertas sepulturæ, iuxta antiquorum Pontificum decreta, præsertim Sixti IV. in Mari magno pro Carmelitis, in hoc consistebat, vt Fratres ipsi, nullius super hoc petita licentia, Parochias, in quibus corpora prædicta forent, cum Cruce processionaliter ingredi, & corpora ipsa leuare, & ad eorum Ecclesias sepelienda deferre, possent, vbi hoc fieri consuetum esset, vel Presbyteri de leuatione requisiti id facere recusarent. Cœterum Leo X. in Bulla *Dum intra* in Concilio Lateranēsi edita hæc sic moderatus est. *Parochias autem cum Cruce ad leuanda funera eorum, qui apud Ecclesias domorum, & locorum eorumdem suam elegerint sepulturam, intrare non possint, nisi prius præmonito, & requisito, ac recusante Parochiano Presbytero, & tunc sine eius, ac Ordinarij præiudicio. Nisi eisdem fratribus super hoc antiqua consuetudo, quæ sit in viridi obseruantia, & cum pacifica possessione suffragetur.* Cui decreto Concilij consonat aliud Sacr. Cōgregationis Regularium relatum eo *n.* 31. vbi etiam alia declaratio ad intentum. Consonant etiam aliæ declarationes Sac. Congregationis, quas refert Barbosa non solùm *in Collectan. Bullarij verbo Sepultura,* sed etiam *de Iure Ecclesiastico lib.* 2. *cap.* 10. *numero* 22. & 23. Illud ergo certum est libertatem sepulturæ in Ecclesiis Regularium in eo saltem consistere, vt ipsius electio in dictis Ecclesiis à Parochis impediri non possit. Riccius *in Praxi part.* 4. *resolut.* 293. Hieronymus Rodriguez *in Compend. Quæst. Regular. resolut.* 128. Barbosa *supra numero* 21. Imò etiam declaratum video à Sac. Congregat. Regularium, licere parentibus in quacumque Ecclesia voluerint etiam Regularium eorum filiis minoribus, qui ad annos pubertatis nondum venerunt eligere sepulturam, nec à Parochis locorum impediri posse, aut debere, præsertim verò, si in dictis Regularium Ecclesiis sepeliri consueuerint, vel in eis habeant sepulchrum maiorum. Peyrinis *in Additamen. decret.* 17. [Vnde ab eadem Sacra Congregatione 22. Februarij 1641. ordinatum fuit, vt Episcopus Placentinus faceret restitui à quodam Curato suæ Diœcesis Patribus Minoribus cadauer cuiusdam puellæ, cui pater ipsius elegerat sepulturam in ipsorum Ecclesia cum omnibus eleemosynis funeris. Vide, pro hac re Portellum *in Responsionib. Moral. tomo* 2. *casu* 63.]

5 Pertinet etiam ad libertatem sepulturæ in Ecclesiis Regularium, quòd Parochi non possunt maiorem eleemosynam petere pro illis, qui apud Regulares sepeliuntur, quàm pro illis, qui in Parochiis. Hoc enim esset quædam virtualis coactio ad eligendum sepulturam in Parochiis, quæ est omnino prohibita, vt infra dicetur. Vnde Clem. VIII. in Bulla *Expositum* apud Rodrig. *in Bullario in Clem. VIII. Bulla* II. præcipit sub excommunicationis latæ sententiæ pœna Papæ reseruata, ne Parochi Indiarum Occidentalium maiorem eleemosynam exigant ab iis, qui sepeliuntur in Ecclesiis Minorum, quam ab iis, qui in Parochiis. Quam concessionem putat Portellus *in Dub. Regul. verbo Sepultura in addit. num.* 2. communicari omnibus Conuentibus Ordinis. Ex quo etiam dici potest communicari etiam omnibus Religionibus habentibus communicationem priuilegiorum cum Minoribus. [Video etiam Sacram Congregationem Episcoporum, & Regularium 16. Augusti 1641. declarasse non licere Parocho accipere vnum scutum vltra quartam funeralem ab illis, qui eligunt sepulturam in Ecclesiis Regularium.] Similiter Sanctiss. D. N. Vrbanus litteris datis in forma Breuis 11. Martij 1638. apud Peyrinis, *in Additamētis Constitut.* 20. Ordinariis locorum commisit, vt prouiderent, & decernerent, *ne parochi plus percipere possint in sepulturis, quæ fiunt in Ecclesiis regularium, quàm in eis, quæ fiunt in propriis, seu aliorum Clericorum.* [Nota hic obiter ex declaratione Sacræ Congregationis Episcoporum & Regularium sub die 1. Februarij 1641. quod quando Parochi non interueniunt associationi cadaueris defuncti, qui elegit sepulturam in Ecclesia Regularium, & si possint habere emolumenta, quæ illis contingunt propter ius Parochiale, sed non illa quæ dantur propter associationem. Nota etiam eandem Sac. Congregationem eodem anno, & eodem mense Februar. sub die 22. declarasse ad instantiam Procuratoris Generalis Augustinianorum Discalceatorum, Plebanum teneri associare cadauera defunctorum vsque ad Ecclesiam Regularium, si in ea elegerint sepulturam, nisi fuerit legitimè impeditus.]

Vidi, & aliam declarationem Sacræ Congregationis, in qua ad querelam factam per quemdam Commissarium Ordinis Minorum de obseruantia contra Parochos, & Presbiteros Terræ de LeueranoDiœcesis Brundusinæ, & alios Presbyteros, sic responsum est.

Sacra Congregatio S. R. E. Cardinalium negotiis & consultationibus Episcoporum, ac Regularium præposita ad tollendas indebitas exactiones, quæ, vt proponitur in tumulandis defunctorum corporibus fieri solent, censuit iniungendum, prout tenore præsentis decreti iniungit Archiepiscopo Brundusino, cæterisque locorum Ordinariis ne permittant, vt Parochi, aliique de Clero sæculari maiorem posthac eleemosynam sibi attribui faciant ab hæredibus defunctorum, qui in Ecclesiis Regularium prædictorum sepulturam sibi elegerunt, quam percipere possent, si in Parochiali seu alia ipsius Cleri sæcularis Ecclesia sepeliri voluissent, contrariis quibuscunque non obstantibus. Romæ hac die 7. *Decembris* 1640.

Pertinet quoque ad libertatem sepulturæ id, quod *cap.* 1. *de sepultur. in* 6. à Bonifacio VIII. his verbis statuitur. *Vniuersis Religiosis, & sæcularibus Clericis cuiuscunque status, vel conditionis existant, in virtute Sanctæ obedientiæ, ac sub interminatione maledictionis æternæ, districtissimè prohibemus, ne aliquos ad vouendum, iurandum, vel fide interposita, seu aliàs promittendum inducant, vt apud eorum Ecclesias sepulturam eligant, vel iam electam vlterius non immutent. Nos enim si secus actum fuerit, electionem talem decernimus nullius penitus existere firmitatis. Statuentes, vt hi qui sic elegerint, nec apud sic electas Ecclesias vllatenus sepeliri, nec alibi, ne contra votum, iuramentum, aut promissum huiusmodi à se factū materiā habeant veniendi, possint eligere sepulturam. Sed cōtradictione quacunq; cessante, sepeliātur omnino apud* 6

illas Ecclesias, apud quas sepeliendi de iure fuissent, si alias, sepultura non electa, forsitan decessissent. Si verò iidem Religiosi, vel Clerici, prædictos in suis Ecclesiis, vel Cœmeteriis, præsumpserint sepelire, ad restitutionem tam sepultorum corporum, si petantur, quàm etiam omnium, quæ occasione sepulturæ illorum peruenerint quomodolibet ad eosdem, intra decendium integraliter faciendam, ipsos obligatos esse censemus. Quam nisi fecerint Ecclesiæ ipsæ, apud quas sepulti fuerint, necnon, & Cœmeteria eadem, ex tunc eo ipso sint, & tandiu maneant Ecclesiastico supposita interdicto, donec ab eis facta fuerit restitutio plena omnium prædictorum.

7 Circa quàm constitutionem nota primo, eam confirmatam fuisse in Clement. *Cupientes de pœnis*, & additam esse contra temerarios violatores ipsius sententiam excommunicationis Papæ reseruatam. De qua dixi *tom.* 1. *cap.* 9. *num.* 25. Rodriguez *tom.* 3. *quæst. Regul. quæst.* 85. *art.* 7. Suarez *tom.* 5. *in* 3. *part. disput.* 22. *sect.* 4. *num.* 25. Bonacina *de Censuris extra Bullam disput.* 2. *quæst.* 5. *punct.* 4. Barbosa *supra numero* 25. & Pasqualigus *decis.* 373. Nota secundò quod, iuxta ibidem dicta, simpliciter ad prædicta inducentes non incurrunt prædictas pœnas, quia Constitutio solùm loquitur de inducentibus ad *vouendum, iurandum*, seu *promittendum*, &c. Suarez *supra*. Rodriguez *in* 4. *tomo Summæ cap.* 103. *conclus.* 10. Portell. *supra dict. verbo Sepultura num.* 3. & Pasqualigus *supra*. Nec qui inducunt ad eligendam sepulturam in testamento, seu codicillo, quia hoc non est votum, aut iuramentum Thesaur. *in praxi part.* 2. *verbo sepultura cap.* 3. ex aliis. Idem dicit Pasqualigus *supra* de inducentibus ad electionem sepulturæ cum obligatione non irreuocabili. Nec qui inducunt, etiam medio voto, aut iuramento, ad eligendum sepulturam in Ecclesiis alienis, quia Pontifex solùm loquitur de propriis. Rodriguez *sup. conclus.* 6. Portell. *n.* 5. Bonacina *supra* Pasqualigus *supra*. Incurrunt autem illas inducentes prædicto modo, etiam non secuto effectu sepulturæ, secuto tamen voto, iuramento, vel promissione. Rodrig. *dicto art.* 7. Portell. *sup. num.* 4. Barbosa *supra num.* 26. Thesaur. *supra*. Alia verò circa hanc Constitut. apud relatos Authores, & Filliucium *Tract.* 15. *c.* 7. *quæst.* 3. Maximè verò præfatum Pasqualigum *Decis.* 374. 375. *& sequentib.*

8 Præcipuè tamen nota pro praxi Regularium, quòd si vnus Religiosus nomine suo inducat aliquem dicto modo ad eligendum sepulturam in sua Ecclesia, quamuis ipse peccauerit, tamen non propterea alij Religiosi, aut totus Conuentus incidet in prædictas pœnas nisi ipse sit Prælatus, aut alius nomine Communitatis, quia solùm isti possunt aliis, aut Communitati præiudicare. Rodriguez *d. art.* 7. Portellus *supra num.* 4. Licet oppositum tueatur Pasqualigus *sup. decis.* 380. Vide Angelum *supra num.* 33. & Syluestrum *supra quæst.* 11. Alia apud prædictum Rodriguez *ibid.*

9 Nota etiam, Ecclesiam, in qua de iure quis sepeliri debet, & de qua fit mentio in dicto *cap.* 1. *de sepultur.* esse illam, apud quam sunt maiorum suorum sepulchra *c. Hebron. cap. placuit* 13. *quæst.* 2. *cap. fraternitatem de sepult. cap. ij qui eodem tit. in* 6. Glossa *in dicto cap.* 1. *ver. apud quas.* Vgolinus *de Officio, & potestate Episcopi cap.* 17. *num.* 3. *in fine*. Barbosa *sup. num.* 31. Et habetur ex declaratione Sac. Congregat. refert idem Barbosa *in Collectan. Bullar. verbo Sepultura.* Qui verò sint isti maiores, aut quid si contingat illos in diuersis locis sepultos esse, agunt Lauorius *in variis lucubrat. tit.* 2. *capit.* 11. Villalobos *in Summ. tom.* 2. *tr.* 31. *diff.* 2. & ex illis Diana 5. *p. Tract.* 3. *resol.* 108. Quòd si nullam sepulturam maiores sui habebant, sepultura, quæ illi competit, est in Parochia. *cap. ex par. cap. in nostra de sepultura* Layman *l.* 3. *sect.* 5. *Tract.* 5. *cap.* 12. *num.* 8. Barbosa *supra num.* 33. *&* 34. ex aliis. [Quoad Regulares specialiter declaratum video à Sacra Congregatione Episcoporum & Regularium 3. Maij 1641. quod cadauera illorũ, qui sunt sui Iuris, & non sibi elegerunt sepulturam, sepeliri debeant in sepultura suorum maiorum etiam si sit in Ecclesiis Regularium, sine præiudicio tamen Iuris Parochialis & monito primum Parocho defuncti; si tamen non obstet consuetudo contraria legitimè præscripta. Imò etiam 9. Nouemb. 1640. declarauit eum qui habet sepulturam suæ familiæ in Ecclesiis Regularium, in eis sepeliendum esse, quando sine electione sepulturæ moritur, & non in Ecclesia Parochiali. Consule circa hoc Portellum *dicto casu* 68.

Generaliter etiam liberam esse debere electionem sepulturæ clarè habetur ex *cap. ex parte*, & *ex cap. cum liberum de sepultur.* Riccius *in Praxi. Resolut.* 563. *in* 2. *edit.* Belletus *Disquisit. cleric. p.* 1. *tit. de Cleric. debitore.* §. 3. Vnde si Parochus, dum vadit ad infirmum communicandum, ipsum interrogat non in generé, in qua Ecclesia vult sepeliri, sed in specie, dicendo vis sepeliri in Parochia, vel in alia Ecclesia, ipsam specialiter nominando, non valet hæc electio tanquam facta ad sugestionem; debet enim in genere interrogare. Genuensis *supra cap.* 61. *num.* 3. Barbosa *num.* 38. ex Riccio, & aliis. Similiter Parochus violenter rapiens, vel spolians funus antequam veniat ad manus eorum, quibus debetur, perdit ius quod habet, & quartam canonicam, teneturque restituere cum corpore quidquid accepit. Portell. *sup. verbo Canonica portio num.* 6. Barbosa *supra num.* 27. ex vtroque Rodriguez. De quo etiam Angelus, & Syluester *supra* ex aliis. [Et consonat. S. Congregatio Episcoporum & Regularium quæ 20. Martij 1643. iussit cuidam Parocho, vt restitueret ceram quam abstulerat, cum quidam defunctus deferretur sepeliendus ad Ecclesiam quandam Regularem. Pariter etiam si Parochus nollet associare defunctum quando defertur ad Ecclesiam Regularem, prout contigisse refert Portellus *in Responsionib. moral. tom.* 2. *casu* 66. non solùm grauissimè peccaret peccato scandali, sed etiam contra libertatem sepulturæ, priuilegia Religionum, & declarationes Sacræ Congregationis, quarum aliquas inferiùs afferimus, & vnam quam refert idem Portellus missam fuisse in Hispaniam ad Dominum Nuncium Apostolicum Hispaniarum anno 1627. Fauent quæ adduximus *sup. verbo Defunctus*, præsertim *num.* 7. ex variis decretis S. Congregationis Rituum ab Auditore Cameræ authenticatis.] 10

Electio autem sepulturæ probatur per testamentum, vel per duos testes, qui in qualibet causa probant. Diana *supra resolut.* 106. Peyrinis *tom.* 3. *priuilegiorum Minimorum cap.* 4. *num.* 52. ex Barbosa. Electio etiam sepulturæ probatur per testes singulares. Lauorius *supra* Genuensis *supra cap.* 61. *num.* 8. Addens, quòd Neapoli statur dicto Confessarij. Molfessius *in Summ. to.* 2. *Tract.* 13. *cap.* 8. *num.* 32. Pasqualigus *sup. Decis.* 404. *&* 406. Quid verò agendum quando testes sunt diuersi, agunt Lauorius *sup. n.* 20. & Peyrinis *etiam supra*. Apud quem etiam *ibid. numero* 53. declaratio S. Congregationis circa sepulturam in domibus Regularium, eorum, quos solùm per testes constat ibi spulturam elegisse. 11

Pertinet etiam ad libertatem sepulturæ in Ecclesiis Regula- 12

Regularium, quod concessit Minoribus Clem. IV. videlicet, vt nulli Religiosi, vel sæculares præsumant sine assensu, & voluntate fratrum Minorum aliquorum defunctorum corpora in suis Cœmeteriis sepelire, nec etiam in Ecclesiis prædictorum Fratrum (ipsis inuitis) audeant Missarum solemnia, vel exequias pro animabus eorum, qui ad huiusmodi loca tumulandi deferuntur, celebrare. Cassarubius *supra num.*4. Rodriguez *supra artic.*4. Quod maximè confirmatur ex Decreto authentico Sac. Congregat. apud Peyrinis *in Additamentis decreto* 9. Cum enim quæsitum fuisset ab ipsa, an Rectores Parochialium Ecclesiarum loci de Baraxas habeant, aut prætendere possint ius sepeliendi cadauera defunctorum in Ecclesiis Conuentus Conceptionis dicti loci absque vlla desuper licentia Superioris Conuentus. Respondit Sac. Congregatio. *Non licere Curatis sepelire cadauera Defunctorum, nec Officia facere in Ecclesiis Regularium absque expressa licentia Guardiani, aut Superioris Ecclesiarum ipsarum Regularium, non obstante contraria consuetudine.*

13 Pertinet quoque ad libertatem sepulturæ, quòd, vt constat ex declaratione S. Congregat. apud Barbosam *supra in Collectan.* ea retardari, aut impediri non debet sub quouis prætextu compositionis quarta funeralis. Item, quòd Parochi non possint cadauer exhumatum retinere, propter ius sepulturæ non solutum. Ex declarat. etiam Sacr. Congregat. apud eumdem Barbosam loco relato *de Iure Ecclesiastic. n.*55. Ex aliis quoque declarationibus apud eumdem *n.*83. *&* 85. habetur non debere Parochos plus recipere pro sepeliendis exteris quam ciuibus & pauperum cadauera gratis sepelienda esse. Quod sepultura impediri non possit propter debita defuncti, neque propter aliam causam, agit Naldus *in Summa verbo Sepultura num.*11. ex aliis Doctoribus. De quo etiam Angelus, Syluester, & alij Summistæ. Maximè etiam spectat ad libertatem sepulturæ, quod à S. Congregat. declaratum est, & à Sanctiss. Dom. Nost. confirmatum Litteris in forma Breuis datis 25. Iulij 1633. apud Peyrinis 3. *tomo Priuilegior. Minimor. cap.*12. *in Constitut.*20. *aliàs* 30. *Vrbani*, videlicet, Regulares non posse prohiberi associare corpora defunctorum, & quod Curati non possint cogere hæredes defunctorum, celebrari facere Missas in suis Ecclesiis Parochialibus.

14 Circa quæstionem illam an sepultura, saltim quoad honoratiorem locum Ecclesiæ, vendi possit sine labe simoniæ, aliqua dicenda sunt. Primò ergo dico, quòd locus, in quo nullus est sepultus, nec deputatus est per Episcopum ad sepulturas, nec aliàs est benedictus, sed tantùm deputandus est ad sepulturas, est omninò prophanus, & potest vendi, sicut, & terra, in qua Ecclesia erigenda est, vendi, potest. Ratio est quia, iuxta dicta *supra num.*3. etsi secundum ius ciuile locus in quo aliquis est sepultus sit religiosus, at secundum ius canonicum non est talis, nec inuendibilis, nisi quando auctoritate Episcopi deputatus est ad fidelium sepulturas, etiamsi nullus ibi sepultus sit. Sanchez *tom.*1. *Consil. moral. lib.*2. *cap.*3. *dub.*14. *num.*1. Bonacina *de Simon. quæstione* 4. §. 6. *num.*1. Ioann. de Cruce *in Director. pracept.*7. *quæst.*4. *dub.*9. Secundò dico, quòd talis locus sepulturæ si ratione consecrationis vendatur, aut pluris vendatur, esset simonia iure naturali, & diuino. Est enim venditio rei omnino spiritualis pro temporali. Sanchez *supra num.*2. & Doctores communiter. Si verò ratione terræ vendatur, quidam dicunt non esse simoniam; quod intelligendum est de iure naturali, & diuino. Sicut enim stando in iure naturali, & diuino non est simonia vendere rem sacram, v. g. Calicem ratione materiæ; sic nec vendere sepulturam. Bonacina, & Sanchez *supra.* Est tamen simonia de iure Ecclesiastico, quia id prohibetur *cap. abolendæ de sepult. & cap. non satis. & cap. audiuimus de simon.* Bonacina, & Sanchez *supra.* Layman. *l.*4. *Tract.*10. *cap. vlt.* §. 4. *num.*36. & alij communiter. At licitum est accipere consueta stipendia pro tali loco sepulturæ. Primò, si id recipiatur non vt sepulturæ pretium, sed ad fabricam Ecclesiæ. Decens enim est, vt defuncti, qui Templum inhabitant contribuant ad eius Templi reparationem. Sachez *supra.* Secundò, si id accipiatur pro sustentatione Ministrorum Ecclesiæ, sicut datur eleemosyna pro Missis celebrandis. Portellus *supra num.*10. ex Rodriguez, Barbosa *supra num.*16. ex Suarez, Villalobos & aliis. Tertiò dico, quòd licitum est accipere pretium pro loco honoratiori sepulturæ. Ratio est, quia venditur quid temporale, scilicet honor, vt pendet ex hominum æstimatione, & per accidens rei spirituali coniungitur. Sanchez *supra num.*3. Naldus *in Summ. verb. Sepultura num.*8. Ioannes de Cruce *supra.* Diana *part.*2. *Tract.*15. *Resolut.*57. Barbosa *supra num.*16. ex aliis contra Suarez, Reginaldum, Filliucium, & alios. Limitant id satis probabiliter Bonacina *supra num.*4. & Barbosa *num.*18. vt solum sit verum, quando locus est honoratior ob respectum aliquem temporalem, non verò si est propter respectum spiritualem, v. g quia est propinquior Altari, Sanctissimo Sacramento, &c. Licet Sanchez, Diana, & alij nihil in hoc distinguant. Item licitum est pretium recipere pro perpetuo iure sepulchri, id est pro obligatione, vt in tali loco nullus præter emptorem, & successores sepeliatur. Quia hæc obligatio est quid temporale, & per accidens adiungitur rei spirituali. Sanchez *supra.* Suarez *tom.*1. *de Relig. lib.*4. *de Simonia cap.*14. Ioannes de Cruce *supra.* Licet aliqui oppositum teneant. Vltimò dico, quod laicus nequit habere sepulturæ dominium, quia loca religiosa nequeunt esse in alicuius dominio *l. quæ de tota ff. de rei vendit.* Lambertinus *de Iure patronatus l.*3. *quæst.*9. *artic.*9. At potest habere tale ius quoad vsum pro se, & suis successoribus, ita vt nullus possit eis inuitis ibi sepeliri, licet eo mortuo, & familia illius, possit aliis concedi vsus illius sepulturæ, iuxta dicta *tom.*1. *p.*2. *cap.*11. *num.*26. Quia mortuo habente vsum, vsus redit ad proprietarium. Sanchez *supra num.*4. Addit Barbosa *supra* ex Suarez, quòd si quis habeat sepulchrum proprium suis sumptibus emptum, vel ædificatum pro se, aut suis, non est materia simoniæ si vendatur quoad proprietatem iuxta valorem fundi, & respectu habito ad solas expensas in eo ædificando factas, quia ibi non venditur benedictio, nec proprium ius sepulturæ, sed materiale illud ad quod alia sequuntur. Vnde similia loca iure hæreditario transferri solent à parentibus ad filios ratione temporalitatis, quæ in eis est.

Circa Capellas autem, quæ in Ecclesiis, præsertim Regularium, dari solent sæcularibus pro vsu sepulturæ, idem proportionaliter dicendum, ac de sepulturis, vt notat Sanchez *supra num.*4. Adde, quòd casu, quo illæ vendi possent, id non fit sine licentia Sedis Apostolicæ, iuxta dicta *tom.*1. *p.*2. *cap.*19. *num.*56 quia sunt bona immobilia Ecclesiastica. Non posse insignia fundatoris, vel Patroni in ea posita auferri, constat ex dictis ea 2. *part. cap.*11. *numero* 23. Nec etiam in casu quo illi, vt proditores è Ciuitate fuerint expulsi *l. qui liberal. & l. opus nonum ff. de oper. publ.* tenet Romanus *singular.* 480. *&* 673. & Peyrinis *tom.*1 *priuileg. Minim. in constit.*26. *Leo X. num.*24. Alia etiam circa huiusmodi arma non auferenda, & qui 15

qui ex hæredibus in dictis Capellis, seu sepulchris sepeliri possint, habes apud Lambertinum *supra quæst.5.art.4.& lib.1.part.1.quæst.11.art.13.* & Lauorium *Variarum tom.1.tit.2.cap.10.* Non posse alios ibi sepeliri nisi postquam tota ipsorum progenies extincta, dixi eodem *n.23.* De quo etiam Lambertinus *supra dicto art.4.* Peyrinis *loco relato ex tom.3.priuil. Minim. num.49.* & Portellus *in Responsionibus Moralibus part.2. casu 20.num.1.* de Cappella vni concessa an alij postea dari possit loquens. Addunt alij, etiam posse alios ibi sepeliri, si iusta aliqua adsit causa, puta, si sepeliendus non haberet propriam sepulturam, vel non esset in Ecclesia, vel Cœmeterio sepultura communis, quia hoc est facere eleemosynam extremè indigenti, quæ potest fieri de bonis alterius inuito Domino. Ita Archidiac. *in cap.præcipiendum 13. quæst.2.* Romanus *singul.692.* Panorm. *in cap.abolendæ de sepult. num.5.* Peyrin. *tom.1.priuileg.Minimor. in Constit.26. Leon. X. num.22.* & indicat Sanchez *supra.* Nota etiam, quòd ad construendam sepulturam, vel Capellam in Ecclesia patronata, seu quæ fundatorem habet, non requiritur consensus fundatoris, imò eo inuito construi potest, quia Patrono nullum ex hoc infertur præiudicium, & Ecclesiæ beneficium affertur. Vnde Patronus, qui Ecclesiæ beneficium procurare tenetur est irrationabiliter inuitus. Quare eius contradictio nihil obstat. Lambertinus *supra l.1.p.1. quæst.3. art.17.* Lauorius *loco citato cap.9. num.83.* Peyrinis *loco relato ex 1.tom.num.50.* Pro quo maximè notandum, mortale peccatum esse, si quis fidelium corpora sepelire negligat, cum nullus alius adest qui id officium præstet, quia opera charitatis, ac misericordiæ in casu eiusmodi necessitatis obligatoria fiunt. Layman. loco relato *ex l.3. dicto cap.12. num.12.* post Bañez, Valentiam, & Sà. Nota præterea, quòd concessa Capella non intelligitur ius funerandi, nisi expresè fuerit concessum. Archid. *in cap.1. de pactis in 6.* Bonif. *in Clem. Dudum §. huiusmodi num.11.de sepult.* Genuensis *dicto cap.33.num.17.& cap.61.num.7.*

16 Circa Religiosorum sepulturam dixi *tom.1.p.1. cap.9.num.10.* eos non posse sibi eligere sepulturas, nisi à propriis Monasteriis adeo sint remoti, quòd ad ea cum moriuntur non possint commodè portari. Vbi etiam quid de Prælatis dicendum. De quo etiam Layman. *dicto cap.12.num.7.* Pasqualigus *supra decis.382.* Quòd si moriantur remoti à Monasterio non electa sepultura, sepeliẽdi sunt in Ecclesia Parochiali, in qua decesserunt, instar sæcularium in itinere morientium. Sanchez *lib.5.in Decal.cap.14.num.4.* Diana *5.part. Tract.3 resolut.110.* ex aliis. Quod intellige, nisi in eo loco sit Monasterium sui Ordinis. Sanchez *supra.* Layman. *supra num.6.* Pasqualigus *supra decis.383.* Tenetur autem Monasterium expensas factas pro Religiosorum sepultura soluere. *l. si quis sepulchrum ff. de Religiosis, & sumptibus funerum.* Rodriguez *tom.3. quæst. Regular. quæst.60. artic.3.* Sanchez *suprà num.5.* Quod intelligunt, nisi Religiosi habeant beneficium, etiam manuale, quia tunc expensis illius sunt sepeliendi. Regulariter autem loquendo Religiosi sepeliendi sunt in propriis Monasteriis. *cap.vlt.de sepult.in 6.* Rodriguez *supra art.1. & 2.* Riccius *in Praxi rerum fori Ecclesi. p.4. resolut.393. num.39.* Etiamsi extra claustra decedant, quia tunc etiam Parochis inconsultis, ad eorum Ecclesias deferri debent, vt censuit S.Congregatio, iuxta dicta *tom.1.p.1.cap.12.num.41.* De quo etiam Diana *supra* & Archangelus Romanus *de Priuileg.l.3.verb. Sepelitio.* De Nouitiorum sepultura dixi *supra verbo Nouitij num.41.* De Tertiariorum sepultura dixi *tom.1.p.2.cap.14.num.33.* Pro quo vide declarationem S. Congregationis apud Peyrinis loco relato *ex 3.tom. Priuileg. num.53.* De Oblatorum sepultura *supra verbo Oblati num.10.* De familiarium, seu famulorum Religiosorum sepultura dixi *tom.1. part.2. cap.16. num.32.* De Confratrum verò sepultura agit Genuensis *supra cap.61.num.6.* [Nota etiam Sacram Congregationem Episcoporum & Regularium declarasse 24.Nouembris 1634. & 24.Septembris 1636. Clerum sæcularem nihil posse prætendere propter exequias, aut sepulturam Monachorum defunctorum, aut Fratrum morientium extra claustra.]

Pro iis verò, qui habitu Religionum induti sepeliri volunt, & Indulgentiis, quas lucrantur plura dixi *supra verbo Habitus Regularis.* Nota tamen declarationem S. Congregationis circa hoc apud Barbosam *supra num.73.* truncatè referri. Fideliter autem à Peyrinis *d.num.53.* Cum enim à S.Congregatione postularetur à fratribus Minoribus, an in eorum Ecclesiis sepelienda sint cadauera eorum, qui dicti Ordinis habitu induti ex hac vita migrarunt. Respondit id fieri debere, si tamen *à Guardiano domus loci, in quo tales accedere contigerit, aut ab alio Superiori, vel altero, cui id Superior committendum duxerit, habitum receperint, ac prædicti Guardianus, vel alius Superior habitum huiusmodi suscipientes præmonuerit, eorum cadauera propter habitus concessionem, ac receptionem penes ipsos Fratres quorum habitum gestant esse sepelienda.* 17

18 Qualiter etiam defunctorum corpora cum in Ecclesiis Regularium sepeliuntur ad eas recto tramite deferri debeant, constat ex dictis *supra verbo Defunctus num.3.& 7.* ex Constitutione Pij V. *Romanus Pontifex* apud Rodriguez *in Bullario Pij V. num.2.* & ex declaratione S. Congregationis apud Peyrinis *supra dicto num.53.* Refert etiam *ibidem num.51.* aliam declarationem S. Congregationis, ex qua habetur, quòd quando cadauera sepeliuntur apud Regulares, ad ipsos spectet declarare, an per Ciuitatem, an per aliam viam sint asportanda. Cuius contrarium habetur ex aliis declarationibus, quas retuli *dicto verbo Defunctus num.4.* Propterea ergo consuetudini legitimæ, vel authenticæ declarationi eiusdem Sacræ Congregationis standum est. [Illud tamen de cadaueribus defunctorum qui sibi sepulturam elegerunt in Ecclesiis Regularium deferri debere ad illas recto tramite, declaratum etiam est à Sacr. Congregatione Regularium 22.Februarij 1631.] Alia spectantia ad Parochos Regulares circa cadauerum sepulturam habet Barbosa *supra num.76.& 77.* Quia tamen nouissimè vidi aliquas declarationes authenticas S. Congregationis in vna Camerinensi, eas placuit hic adiungere. Quæsitum autem est. Primò. An possint hæredes defunctorum vocare numerum Religiosorum sibi bene visum in deferendis cadaueribus ad Ecclesias. Secundò. An cadauera efferri, seu tolli possint ab aliis etiam Regularibus, & quibuscumque, non vocato, nec expectato Parocho, nisi ipse Parochus, aliud permiserit, vel adesse recusauerit. Tertiò. An cadauera quotiescunque ad Ecclesias Fratrum Mendicantium, aliorumque Regularium deferuntur, Officia mortuorum, & reliqua munia, quæ in huiusmodi ministerio adhiberi solent, fieri debeant à Canonicis, & Clero, vel ab ipsismet Regularibus ipsius Ecclesiæ vbi cadauer sepelitur. Quartò. An Crux Parochialis deferri etiam debeat, quando cadauer defertur ad Ecclesiam Regularem, attenta consuetudine, qua semper delata fuit tantùm vna Crux illius Ecclesiæ, ad quam corpora fuerint delata. Ad quæ sic respondit Ad primum, *Posse hæredes defunctorum vocare*

numerum

numerum Religiosorum sibi beneuisum. Ad secundum. *Negatiuè.* Ad tertium, *Non à Canonicis, nec aliis, sed ab ipsismet Regularibus in propriis eorum Ecclesiis Officia super cadaueribus peragi debere.* Ad quartum *Vnicam tantum Cruce in cadaueribus efferendis esse deferendam, & illam esse debere illius Ecclesiæ, ad quam corpus defuncti defertur.* [Similiter in alia Lateranensi declarauit Sacra Congregatio Episcoporum & Regularium 21. Martij 1642. Primò esse in arbitrio hæredum defuncti vocare ad funus numerum Sacerdotum tam Regularium, quam sæcularium sibi benè visum. Secundò, non posse obligari ad maiorem eleemosynam quando sepultura fuerit electa in Ecclesiis Regularium. Tertiò, quod in tali casu non teneantur soluere aliquid vltra quartam funeralem.

19 Valdè etiam notandum, Leonem X. Adrianum VI. concessisse omnibus, & singulis Christi fidelibus in Regnis Castellæ, Leonis, & Granatæ existentibus, qui deuotionis feruore ducti in habitu Sanctissimæ Trinitatis decesserunt, aut eorum corpora, seu cadauera dum ab hoc sæculo migrauerint in Ecclesiis Monasteriorum Ordinis prædicti sepeliri ordinauerint, omnes, & singulas Indulgentias, & peccatorum remissiones Fratribus prædicti Ordinis concessas. Cassarubius *supra num.* 21. Hanc vero gratiam communicari aliis Religiosis habentibus generalem communicationem priuilegiorum aliorum ordinum, quales sunt Carmelitæ, dixi *supra verbo Habitus Regularis num.* 9. Non verò esse reuocatam constat ex dictis etiam *supra verbo Indulgentiæ quoad Regulares num.* 12.

20 Quoad modum sepulturæ attendendum est ad Constitutionem Pij V. *Cum primum*, in qua decernitur, vt cadauera defunctorum non ponantur super terram, sed infra ipsam in tumbis profundis. Naldus *in Summ. verbo Sepultura num.* 12. Item declaratum est à S. Congregat neminem sepeliendum esse propè altare, seu sub bradellis, & quòd si contra huiusmodi prohibitionem sepulturæ ibi reperiantur constructæ, non deberi in eo Altari celebrari, donec corpora aliò transferantur, Naldus *supra & verbo Missa num.* 33. Barbosa *supra num.* 10. Vide dicta *supra verbo Altare num.* 17. & circa sepulchra eorum, qui cum opinione sanctitatis vixerunt, & è vita decesserunt, dicta *tom.* 1. *p.* 1. *cap.* 12. *num.* 39. & *supra verbo Sanctorum cultus num.* 11.

21 Corpora defunctorum non possunt exhumari, aut transferri de loco in locum sine Episcopi licentia. *c. corpora Sanctorum de consecrat. dist.* 1 *l. nemo humanum C. de Relig. & sumptibus funer.* Diana *p.* 2. *tract.* 2. *Resolut.* 120. Thesaurus *supra cap.* 2. *in fine.* [Vnde S. Congregatio Episcoporum & Regularium 11. Septembris 1643. ordinauit Episcopo Placentino vt reprehenderet quosdam Regulares, qui permiserant exhumari cadauer vnius defuncti, vt recognosceretur à Curia sæculari, sine consensu Episcopi.] Intelligendum id est de corporibus perpetuæ sepulturæ traditis, non de iis, quæ per modum depositi in aliqua Ecclesia, vel Capella posita sunt. Hieronymus Rodrig. *in Compend. quæst Regular. resolut.* 227. *num.* 25. Villalobos *in Summ. tom.* 2. *tract.* 31. *diff.* 6. *num.* 4. Rursus intelligendum quando non adest necessitas, vt puta Ecclesiæ, vel Capellæ renouatio. Thesaurus *supra.* Refertur etiam priuilegium Leonis X. pro Minoribus, quo illis concessit, quòd Prælati ipsorum possint in suis Ecclesiis, & Capellis exhumare corpora defunctorum, & ad aliàs sepulturas in eisdem Ecclesiis suis transferre, de consensu tamen illorum, quorum interest. Cassarub. *in Compend. supra n.* 20. Villalobos *supra num.* 5. Portellus *loco relato de Dub. Regular. in addition. num.* 1. Nota tamen hoc priuilegium nisi de nouo confirmatum fuerit, nihil valere, cum sit viuæ vocis oraculum. Vide dicta *supra verbo Oracula viuæ vocis num.* 6. 7. & 8. Notat etiam Diana *supra*, quòd quando corpus defuncti fuit Regularibus datum, vt ponerent illud vbicunque voluerint, possunt illud sine vllo priuilegio, aut licentia Episcopi, vel consanguinei, exhumare, & ad alium locum eiusdem Ecclesiæ transferre. Sed hoc non facilè admittendum, propter iura relata, nisi ex rationabili causa. De quo Peyrinis *loco relato ex* 3. *tom. Priuilegior. Minimor. numero quadragesimonono.* Nota etiam quòd exenterantes, concidentes, aut elixantes cadauera defunctorum, vt ea ad alium locum transferantur, incidunt in excommunicationem Papæ reseruatam, & cadauer sic inhumaniter tractatum Ecclesiastica sepultura carere debet. Ita enim habetur in Extrauag. 1. *de sepultur.* De quo Toletus *lib.* 1. *cap.* 36. §. *septimò.* Suarez *de Censur. disputatione* 22. *section.* 5. Thesaurus *dicto cap.* 2.

Sepulchra violantes, scilicet frangentes illa, siue deformantes, aut mortuos spoliantes infamiam incurrunt, & consequenter irregularitatem. *c. infames* 6. *q.* 1. *& ff. de sepulchr. violat.* De quo Turrecremata *in d. cap. infames.* Syluester *supra quæst.* 13. Thesaurus *supra cap.* 1. post Sayrum, Vgolinum, & alios. Quid verò dicendum de violatoribus sepulchrorum, vbi Sancti requiescunt, habes ex dictis *supra verbo Furtum num.* 4. & 5. & *supra verbo Reliquiæ Sanctorum num.* 5. & 6. 22

Valde quoque notandum, plura esse genera personarum, quibus in loco Sacro, Ecclesia videlicet, vel Cœmeterio, sepultura dari non potest. Primò, omnis non baptizatus, Paganus, vel Iudæus. *c. Ecclesiam de consecrat. dist.* 1. Idem etiam dicendum, de pueris non baptizatis, etiam filiis fidelium, iuxta dicta *supra verbo Ecclesia num.* 12. Secus dicendum de infantibus mortuis in vtero matris defunctæ, & ibi existentibus, quia tales non censentur moraliter personæ à matre defuncta distinctæ. Secus etiam dicendum de pueris, de quibus dubitatur an sint, vel non, baptizati, eò quod baptismo dubio in forma, vel materia baptizati fuerunt. Homobonus *volum.* 2. *part.* 7. *respons.* 67. Diana 4. *part. tract.* 3. *resol.* 69. Secus similiter dicendum de Catechumenis, illi enim pro fidelibus habentur, & sunt baptizati in voto. Secundò, omnis hæreticus, etiamsi post mortem appareat de hæresi. 24. *q.* 2. *c. sanè.* Idem dico de credentibus, receptatoribus, defensoribus, & fauoribus hæreticorum. *ex cap. excommunicamus de hæretic.* §. *sanè. & cap.* 2. *de hæretic. in* 6. Vbi variæ pœnæ imponuntur contra dantes ipsis Ecclesiasticam sepulturam. Tertiò, moriens in torneamento. *cap.* 1. & 2. *de torneamentis.* Idem dicendum de morientibus in duello, iuxta dicta *supra verbo Duellum num.* 14. Quartò, raptores, seu violatores Ecclesiarum, iuxta *cap.* 2. *de raptoribus.* Quintò, ij, qui se occidunt ex industria. *c. placuit* 23. *q.* 5. Sextò, qui semel in anno proprio Sacerdoti confiteri, & Eucharistiæ Sacramentum in Paschate sumere notoriè, & absque probabili excusatione intermittunt. *cap. omnis de pœnit. & remiss.* Septimò, vsurarij manifesti. *cap. quia de vsuris. cap. quamquam eod. tit. in* 6. Octauò, blasphemi, iuxta *cap.* 2. *de maledicis.* Nonò, non restituentes Ecclesiæ decimas. *cap. prohibemus de decimis.* Decimò, Religiosi inuenti proprietarij in morte. *capit. super quodam de stat. Monach.* Vndecimò, omnis peccator mortalis, ac notorius, si absque pœnitentia præsumitur decessisse. *cap. quibus, & sequentibus* 13. *q.* 2. Inter quos recensetur Clericus notoriè concubina- 23

concubinarius, sic perseuerans vsque ad mortem. Peccatores autem, seu illi, qui existimantur in peccato mortali decessisse, dummodo non constet impœnitentes mortuos esse, quales sunt, qui moriuntur in cornibus taurorum, & adulteri deprehensi in adulterio, & idcirco interfecti à marito, quamuis nulla signa contritionis dederint, in loco Sacro sepeliri debent. Ioannes Sancius *in Selectis disput.36. num.3.& 4.* Duodecimò, quòd excommunicati priuentur sepultura, Ecclesiastica habes ex dictis *supra verbo Excommunicatio quoad Regulares num.53.* Decimotertiò, quod etiam Interdicti sepultura priuentur, habes etiam ex dictis eodem *supra verbo Interdictum quoad Regulares num.33.34.& 36.* De his omnibus Summistæ *verbo Sepultura*, specialiter Angelus *num.39.* Syluester *quæst.9.* Vgolinus *de officio Episcopi cap.17.* Layman. *d.cap.12. num.10.11. & 12.* Barbosa *supra num.40. & seq.* Thesaur. *supra verbo Sepultura*, & specialiter loquens de pœnis prædictorum delictorum.

24 Circa prædicta autem nota, quod Parochi, vel Religiosi sepelientes aliquos iure sepulturæ priuatos peccant mortaliter, quia faciunt in re graui contra Ecclesiæ prohibitionem. Syluest. *supra quæst.11.* Incurrunt etiam pœnas impositas contra sic facientes in Iuribus relatis. Imò etiam tenentur restituere corpus, & quidquid ratione illius perceperunt. Angelus *supra n.32.* Syluester *supra.* Barbosa *supra num.53.* per text. *in cap. cum liberum de sepultur.* referens Suarez, & vtrumque Rodriguez. Similiter si quis prædictorum de facto in loco Sacro contra Sacros Canones fuerit sepultus, si discerni possit ab aliis fidelibus exhumandus est, aliàs non, iuxta *cap. Sacris de sepultur. & cap. Ecclesiam 1.& 2. dist 4. de Consecrat.* & Ecclesia, vel Cœmeterium reconcilianda, si in eis fuerit sepultus excommunicatus vitandus, iuxta dicta *supra verbo Ecclesia n.12.* Imò si talis sepultus fuerit infidelis, debent etiam tigna, & parietes radi, iuxta *ibid.* dicta Summistæ *supra.* Layman. *supra §. Porrò.* Si tamen de cadauere dubitaretur, vtrum sit fidelis, vel infidelis, in meliorem partem interpretandum erit, nisi aliqua probabilitas appareat de opposito. Syluester *supra quæst.9.*

25 Notandum etiam, quòd si illi, qui se ipsos occiderunt, aut non confessi, vel communicati in Pascha fuerunt, aut peccatores notorij sunt, ante mortem Ecclesiæ conciliari, vel eos signum pœnitentiæ dedisse ex vnius saltem testimonio probari potest, sepulturæ tradi debent. Syluester *supra.* Nauarrus *l.3. consil. tit. de sepultur. cons.6.* Portellus *supra num.1.* Layman. *supra num.11.* Naldus *in Summa verbo Sepultura n.6. & 7.* [Vnde Sacra Congregatio Episcoporum & Regularium 16. Nouembris 1635. quendam Presbyterum excommunicatum, qui ante mortem signa contritionis dedit, quod ipsius cadauer absolueretur, & sepeliretur ordinauit.] Publici autem vsurarij non ante sepeliendi sunt, quam vsurarum restitutio facta sit, vel de facienda cautio detur. *cap. quamquam de vsur. in 6.* Layman *supr.* Thesaur. *supr. verbo Vsurariorum pœna c.1.* Imò etiam qui in torneamentis moriuntur, etiam si pœniteant, Ecclesiastica sepultura carere debent *c.1. de torneamentis*, Syluester *supra q.9.* Naldus *supra num.7.* De raptoribus autem, seu violatoribus Ecclesiarum, qui in morte pœnitent, sed satisfacere non possunt, statuitur *in c.2. de Raptorib.* quòd Clerici non intersint eorum sepulturæ. Glossa *ibid. verbo Sepultura*, Nald. *supra n.7.* Ex quo inferunt Cœmeterium non eis denegari.

26 Specialiter circa id, quod dixi de Religiosis proprietariis, quod sint priuandi sepultura Sacra, nota id esse intelligendum quando admoniti sunt à suo Prælato, ne essent proprietarij. Etenim *cap. super quodam de stat. Monach.* relatum solùm loquitur de Religioso commonito à suo Priore. Portellus *supra numero 11.* Villalobos *in Summ. tom.2. tract.31. diffic.3. num.6.* Diana *4.p. Tract.4. Resol.23.* Id etiam intelligendum est, quando certò constat de proprietate Religiosi, non verò quando habere potuit aliquam probabilem excusationem, vt puta, quòd pecunia non esset sua, quòd haberet licentiam à Superiori ad illam tenendam, &c. Portellus, Villalobos, & Diana *supra* ex vtroque Rodriguez. Addit Portellus id etiam esse intelligendum, quando casus est publicus, non quando est occultus.

Nota tandem cadauera suspensorum, seu ad mortem damnatorum, si pœnitentes decesserunt, non priuari Ecclesiastica sepultura. Abbas *in cap. ex p. num.4. de sepultur.* Layman. *supra num.10.* Interdum tamen in criminis pœnam, & aliorum exemplum, ipsa priuantur. Quo casu non videtur mortale si ad vitandam talem infamiam consanguinei ipsorum eos sepeliri clam faciant. Portellus *supra numero 12.* ex Rodriguez. 27

Hic places apponere dubium mihi ab aliquot annis propositum de infirmis, qui moriuntur in quodam Monasterio nostro, cum eius resolutione, quæ talis est. 28

Infirmi qui curantur in Monasterio Sancti Angeli de concordia Congregationis Mantuanæ Ordinis Carmelitarum, si è viuis decedant, sepeliri debent in Ecclesia, seu Cœmeterio eiusdem Monasterij. 29

Primò, ex generalissima exemptione, qua fruitur Religio Carmelitarum non solùm quoad personas Religiosorum, sed etiam quoad loca, & personas alias degentes, seu commorantes cum ipsis Religiosis. Ad quod specialiter deseruit priuilegium Ioannis XXII. in eorum Mari-magno, vbi sic: *Deuotionis vestræ precibus fauorabiliter annuentes, vos, & prædictum Ordinem personas, & Ecclesias, Oratoria, domos, res alias, & loca vestra ac spectantia ad eadem, in quibus inhabitatis ad præsens, vel inhabitabitis in futurum cum omnibus iuribus, & pertinentiis suis, ac personis degentibus in eisdem in ius & proprietatem Beati Petri, & Apostolicæ Sedis assumimus, illaque à cuiuscunque Diœcesani, & cuiuslibet alterius potestate, iurisdictione, & dominio omnimodè in perpetuum prorsus eximimus.* Vbi expendendum quod Pontifex non solùm concedit hanc exemptionem Religiosis notatis per verba illa, *Vos & personas*, sed etiam omnibus aliis cum ipsis commorantibus notatis verbis illis, *ac personis degentibus in eisdem.* Vnde vt notaui *5. tom. Summ. circa hunc locum Maris-magni §.5. numero 20.* in facti contingentia cum quidam secularis hic Romæ infirmaretur, & deuotionis causa ad se curandum in quoddam Monasterium nostrum venisset, ex vi huius priuilegij Sacramenta Eucharistiæ, & extremæ vnctionis à fratribus ipsi ministrata fuerunt. 30 31 32 33

Sufficiebat autem ad id faciendum exemptio locorum Ordini concessa ab hoc Pontifice. Certi enim iuris videtur, quod Monasteria & loca exempta omnia Regularium æquiparantur totaliter locis positis extra Diœcesim: vnde quemadmodum Parochus nullum ius haberet in eo qui decederet ex hac vita extra Parochiam suam; neque Diœcesanus in eo qui moreretur extra suam Diœcesim, ita nullus eorum in eo qui decedit in Monasterio exempto quale est præfatum Monasterium. Peyrinis *tom.1. priu. Minim. in Const.1. Iulij II. n.94.* referens Rodrig. Graffium, 34 35

Graffium,& Reginaldum, Samuellius *de sepult. tr.1. controu.15.n.4.* Ex quo proinde sequitur sepeliri debere dictos infirmos in eo loco. Bordonus *tom.2. resol.51.n.168.* ex iure etiam communi id probans.

36 Accedit secundò, quod quilibet Catholicus est liber ad sepulturam sibi eligendam quando est sibi compos. *c.Licet de sepultur.in 6.c.Cum liberum & c.1. de sepult.* Et quando non est sibi compos vt impubes, & similes, talis libertas residet penes eos qui super ipsos potestatem habent, vel ipsos gubernant. *cap.4. de sepult.in 6.* vbi Glossa *not.1.* rectè aduertit consuetudinem quandoque alteri potestatem præstare pro altero sepulturam eligere. Tales ergo infirmi ad præfatum Monasterium accedentes cum quandoque habeant liberum vsum rationis, quia sunt haben-
37 tes lucida interualla,vel etiamsi non habeant,cum eo accedant ex ductu, & voluntate eorum qui ipsos gubernant,censeri debent elegisse sibi sepulturam in dicta Ecclesia ex propria voluntate, vel saltem eorum qui ipsos gubernant; ac per consequens ibi tumulari debere. Eo præsertim; quia eo ipso quod vel nutu proprio, vel eorum à quibus reguntur ad d.Monaste-
38 rium accedunt, censentur mutasse domicilium, & esse sub ditione Superioris eius loci, & subiici illi quoad Sacramenta recipienda, & sepulturam,si decesserint. Samuellius *sup. n.45.* Eo quoque quod Mendicantes liberam habeant sepulturam, prout dixi *tom.2.Summ. c.1.n.31.* ex priuilegiis Summorum Pontificum præsertim Sixti IV.& Pij V.& *sup.verb.Sepultura quoad Regulares n.4.* ex Innocent IV.Clemente IV.Bonifacio V. apud Cassarub. *in Compend.priuileg. Mendic. verb.Sepelitio & Sepultura num.1.3.& 8.* & Benedicto II pro Seruitis in Annalibus huius Ordinis *lib.6. c.3.* & fauet ius commune *c. Super Cathedram de sepult.in 6. & c. Inter cunctas de priuileg. etiam in 6. ac c.Dudum de sepult. etiam in 6.& c.1.de sepult.*

39 Tertiò, & ad intentum sunt innumera priuilegia Mendicantibus concessa circa sepulturæ exhibitionem suis familiaribus commensalibus, quorum plura adduxi *tom.1.p.2.c.16.n.22.* conformiter etiam ad doctrinam Rodriguez & Portelli *ibid.* relatorum,quos & alios plures refert & sequitur Samuellius *sup.n.83.*
40 Tales autem infirmi nomine familiarium veniunt, cum verè sint de familia talium Religiosorum, eorum potestati subiecti, ipsorum expensis aliti, & commensales. *c. vlt. de verb. signif. in 6.* Rota Roman. *diu.p.2. dec.303. num.2.* Mascardus *de probat. concl.755.* Quinimò vt familiares dicerentur sufficeret quod sub eorum potestate, & correctione viuerent, *l.1. C. si Rector Prouinciæ, l.1. C. si quacunque præditus pot.* Marc.Anton. *resol.75.num.3.* Barbosa *de Offic. & potest. Episcop. alleg.107.num.10.* Et quod ipsis obsequerentur,prout constat ex priuilegio Innocentij VIII.apud d.Samuellium *n.52.* vbi hanc facultatem extendit ad personas obsequia impendentes Religiosis. Et,quod magis est,etiamsi nihil horum facerent,solum, quia commorarentur cum dictis Reli-
41 giosis. Sic enim constat ex Bulla Nicolai V.apud eundem Samuellium *n.50.* vbi priuilegium à variis Summis Pontificibus concessum fratribus Prædicatoribus præbendi Sacramenta & sepulturam *singulis personis, quæ in eorum obsequiis morarentur*, extendit idem Pontifex ad personas cum eis commorantes, etiamsi in eorum seruitiis non insistant. Dicit enim Pontifex: *Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, persæpe in diuersis domibus, siue Conuentibus dicti Ordinis*
42 *contingat nonnullos Christi fideles ob deuotionis causam infra septa domorum huiusmodi & clausuram cohabitare, quibus dari debent huiusmodi Sacramenta: Nos nostrorum Prædecessorum in hac parte vestigiis inhærentes ipsorum Magistri & Procuratoris supplicationibus inclinati, Magistro, Prioribus & fratribus præfatis vbilibet constitutis, omnibus & singulis personis infra septa & clausuram prædictam pro tempore commorantibus quoties opus fuerit Sacramenta Eucharistiæ liberè & licitè sicut illis qui in eorum seruitiis insistunt ministrandi, & eas post earum decessum in eorum Cœmeteriis sepeliendi, Diœcesani loci, aut alterius cuiuscunque licentia super hoc minimè requisita, plenam & liberam concedimus, tenore præsentium, auctoritate Apostolica, facultatem.* Ex quibus 43
omnibus infertur prædictos infirmos gaudere hoc priuilegio sepulturæ in dicta Ecclesia pluribus titulis adductis, scilicet familiarium, subiectorum, Commensalium,domesticorum,&c. Bordonus latè *tom.1. resol.36.num.63.*

Nec obstat quod Concilium Tridentinum *sess.24.* 44
c.11. hæc & similia priuilegia moderetur, itavt solum intelligi valeant de habentibus tres conditiones,scilicet *actu seruire* Religiosis, & intra eorum septa, ac domos *residere*, ac sub eorum obedientia *viuere*: ex quibus prima scilicet actu seruire Religiosis non subsistit in hoc casu, cum potius ipsi Religiosi seruiant dictis infirmis. Nam præterquam quod vt dixi *tom.1.p.2.c.16.n.14.* Concilium tantum videtur 45
loqui de priuilegiis, quæ *perturbationem in Episcoporum iurisdictione excitare & exemptis occasionem laxioris vitæ præbere cognoscuntur.* Quod non verificatur in præsenti. Vlterius manifestè constat etiam verificari dictam conditionem, siquidem esto quod Religiosi inseruiant ipsis infirmis in eorum actuali curatione, nihilominus vicissim ipsi infirmi eisdem Religiosis 46
deseruiunt, tum quando lucida interualla patiuntur, tum etiam quando non illa patiuntur,sed sunt mente & ratione priuati, cum euidenti experientia constet huiusmodi mente captos etsi in aliquibus materiis tales sint,in aliis tamen se gerere,ac si rationis compotes sint; tum denique quomodocunque sint obediendo dictis Religiosis in obsequiis vilibus, & seruilibus Monasterij hospitalis, & aliorum infirmorum.

Tollitur autem omnis difficultas in hoc casu ex 47
eo quod vt refertur, Religiosi dicti Conuentus consuetudinem habent administrandi dictis infirmis Sacramenta Eucharistiæ, & extremæ vnctionis. Ex hoc enim manifestè deducitur ipsis posse tribuere sepulturam cum decedunt. Ius enim sepulturæ pendet ab administratione Sacramentorũ. Gratian. *discept.forens. c.94.n.74.* Sanchez *de matrim.lib.3.disp.23.num.17.* Barbosa *de Offic. & potest. Parochi p.3.c.26. num.34.* Vnde in iure vtrumque munus administrandi Sacramenta & concedendi sepulturam eidem conceditur. *c. Ex parte & c. In nostra de sepult.* & docent Glossa *c. Vbicunque init.13. quæst.2.* Archid. *c.1. de sepult. in 6. num.1.* & ibi Domin. *§. statuentes num.4. vers. sed dubium est.* Abbas *c.1. de sepult.num.4.* Syluest. *verb. Sepultura quæst.8. dic.2.* Quare de iure 48
Canonico certissimum esse quod quis humari debet vbi Sacramenta recipit sine electione sepulturæ. Firmat Samuellius *sup. n.55.* ex Glossa *c. Dudum de sepult.in 6.* Et ratio id suadet, quia vt habetur in Re- 49
gul.Iur.in *6. Cui licet quod est plus,licitum quoque est quod est minus.* Minus autem est cadauer sepelire, quàm Sacramenta administrare, cum istud sit exercere iurisdictionem super totum hominem animatum illud vero solum super putridum eius corpus. Fauet etiam & alia Iuris regula *Dignius trahit ad se minus dignum:* quam etiam ad hoc intentum affert Peyrin. 50
sup.n.93. Et ita *in Clem.Religiosi de priuil.* Cum plura Summus Pontifex prohibuisset Religiosis,nihilominus in fauorem administrationis Sacramentorum hæc subiungit

subiungit in fine: *Sanè Religiosis illis quibus est ab Apostolica Sede concessum, vt familiaribus suis domesticis, aut pauperibus in hospitalibus suis degentibus Sacramenta possint Ecclesiastica ministrare, nullum ex præmissis volumus quoad hoc præiudicium generari.*

51 Maximè etiam roboratur intentum ex eo quod Hospitalia Religiosa gaudent tot tantisque priuilegiis, vt prorsus à ratione & iure exorbitet dicere non gaudere isto de sepultura pro infirmis, qui in eo curantur. Primò enim gaudent priuilegio Ecclesiarum,
52 & earum emolumentis quod declarat Felynus *in cap. de quarta colum.* 1. *num.* 3. *de præscript.* Mascardus *de probat. vol.* 2. *concl.* 869. *num.* 9. Secundò, gaudent priuilegio restitutionis in integrum, sicut Ecclesia, vt ex Ioanne Andrea, Romano, Abbate, Felyno & aliis affert idem Mascardus *n.* 10. qui *in seqq.* quomodo pluribus aliis priuilegiis potiantur. Hinc quoque variis nominibus appellabantur à Græcis *Nozocomia, Orphanotrophia, Bephotrophia, Ptochotrophia, Gerontocomia, Xenodochia*, quorum locorum mentio habetur apud Iustinianum *in l. Sancimus* 2. *de Sacros. Eccles.* & 23. *quæst.* 8. *cap. In qualibet* §. *Sancimus, & l. Illud C. de Sacros. Eccles.* Eorum etiam meminit Theodor. *lib.* 5. *Eccles. hist. c.* 18. Sozomen. *lib.* 6. *Eccles. histor. cap.* 29.

53 Mirabile ergo prorsus videtur præfatis consideratis dubitari de hoc priuilegio talis Monasterij, cum eiusdem inclytæ Ciuitatis Venetiarum exemplo constet Hospitalia omnia hoc ius habere, nec Parochos se ingerere in illo, provt etiam exemplo aliorum Hospitalium Vrbis & Orbis Christiani id roborari potest.

54 Nec obstat prætensa consuetudo in contrarium de humandis cadaueribus infirmorum d. Hospitalis, & Monasterij per Parochum, seu Plebanum; nam præterquam quod ea non est continua, sed interrupta per actum vltimum, vt ex facto constat: sanè præfatus vsus quatenus esset, abusus potius quàm consuetudo appellari posset, provt dicta corroborant. Deinde
55 Regularium priuilegia non amitti per non vsum, seu vsum contrarium expresse habet Samuellius supra relatus *in apparat. prælud.* 2. quod probat ex eo quod Regulares, neque illis renunciare, neque per contrarios actus valent eis præiudicium inferre, penes ea, quæ à Panormitano notantur *in c. Accessisset de Const. in fine*, vbi inquit, *quod quando vnus vtitur & non alter priuilegio amborum vniuersitati concesso, tunc non vtens vtenti non præiudicat.* Casu etiam dato quod dictum priuilegium (quod potius ius commune appellari posset) amitti posset à fratribus d. Monasterij permittentibus dictos infirmos sepeliri à Parocho, ad id requirebatur quod haberent scientiam priuilegio-
56 rum ad non id faciendum; provt ex Corduba, Suarez, Portello, Naldo, Bonacina, Tamburino & aliis dixi *tom.* 4. *Summ. verbo Priuilegia Regular. num.* 15. Talis autem scientia sine dubio non fuit in id per-
57 mittentibus, aliàs stolidi essent in permittendo. Præterea siue talis scientia esset, siue non esset, extat priuilegium Eugenij IV. quod retuli eo loco *n.* 17. & affert Samuellius loco proximè *cit. n.* 4. ex quo habetur, regularia priuilegia non amitti per contrauentionem factam *ex negligentia, vel ignorantia, aut alia quauis causa.*

58 Nec obuiat diploma Sixti IV. in fauorem Parochorum Ciuitatis Venetiarum, in quo reuocat priuilegia Ordinibus Mendicantibus concessa per eorum Maremagnum. Primò, quia hoc diploma non potest derogare Marimagno Carmelitarum, quod fuit concessum post dictum diploma. Etenim diploma datum
59 est Romæ sub Annulo Piscatoris die 18. Mart. 1476. Pontificatus eiusdem Sixti anno 5. at verò Mare-magnum Carmelitarum concessum est eodem anno 1476. sub 4. Kalend. Decembris Pontificatus eiusdem Sixti anno 6. Fuit ergo Maré-magnum Carmelitarum post illud diploma Sixti IV. ac per consequens nullatenus ab ipso derogatum; cum certi iuris sit legem posteriorem non derogari per anteriorem. 60
Imò potius dicendum Mare-magnum Carmelitarum derogasse dicto diplomati, cum contineat amplissimas & vniuersalissimas derogationes anteriorum Bullarum. Secundò, dato quod Bulla ista derogaret Marimagno Carmelitarum, solum esset provt in ea dicitur *quoad funeralia & Sacramentorum administrationes*, 61
non quoad sepulturam, de quo nulla ibi mentio. Nomine autem funeralium non venit sepultura, sed quæ ratione ipsius obueniunt. *cap. Cum liberum, c. nostra de sepultur.* Alberic. *in l. seruo alieno* 16. §. *ineptas n.* 13. *ff. de legat.* 1. Riccius *in prax. rer. for. Eccles. dec.* 670. *num.* 4. *aliàs resolut.* 571. *num.* 4. *in* 2. *edit. & part.* 4. *resolut.* 300. Barbosa *de Offic. & potest. Paroch. part.* 3. *c.* 25. *n.* 37. Tertiò, cum non obstante dicta Sixtina, 62
consuetudine receptum sit, vt fratres præfati Monasterij administrent Sacramenta etiam Eucharistiæ, & extremæ vnctionis dictis infirmis, proculdubio etiam non obstante illa poterunt concedere sepulturam eisdem. Quartò, cum non obstantibus huiusmodi & aliis Parochorum priuilegiis, Concilium Tri- 63
dentinum statuerit quod priuilegia Regularium maneant in sua vi quantum ad familiares, positis tamen tribus illis conditionibus assignatis; siquidem hæ conditiones subsistunt, & prædicti infirmi nomine familiarium venire debent, prorsus sequitur Concilium derogasse dictæ Sixtinæ, quatenus aliquid valere posset ad intentum. Quintò, quia esto 64
illa aliquid ponderis haberet, solum esset respectu omnium secularium communiter, & genericè, non specificè & indiuidualiter de illis infirmis, qui quandiu detinentur in Hospitali Religiosorum reputantur, ac si essent Religiosi quoad fauorabilia, & cum Religiosis adhæreant Religiosi censendi sunt. *argum.* 1. *quæ Relig. ff. de rei vendit.* Bordonus *resolut.* 36. *numero sexagesimotertio.* Quæ doctrina ex 65
eo etiam firmatur quod generi per speciem derogatur in omni materia. *l. In toto iure* 91. *ff. de regul. Iur. l. Sanctio* 41. *ff. de pœn. capit.* 1. *cap. Pastoralis* §. *quoniam de rescript. cap.* 1. *de regul. Iur. lib.* 6. Castrens. *cons.* 476. *lib.* 2. Tuschus *litt. G. conclus.* 16.

66 Diploma aliud Pauli Papæ, quod etiam Parochi Venetiarum præ se afferunt ex dictis corruit: nullum enim verbum est in ipso de sepulturæ concessione, nec de speciali casu præsenti, scilicet infirmorum commorantium cum Religiosis in Hospitali, & quibus administrant Sacramenta: sed generaliter de administratione Sacramentorum omnibus fidelibus, ac perinde sine causa adducitur ad intentum.

SIMONIA QVOAD Regulares.

SVMMARIVM.

De simonia remissiuè. num. 1.
Simoniæ diffinitio. num. 2.
Diuisio. num. 3.
Alia iure diuino, alia solùm iure Ecclesiastico prohibita. num. 4.

Qualiter

1 QVAMVIS hæc materia latissima sit, restringenda, tamen in præsenti est ad ea, quæ magis communiter inter Regulares contingere possunt, præsuppositis tamen aliquibus principiis ipsius.

2 Primò ergo quoad nominis ethymologiam, simonia à Simone Mago originem traxit, qui Act.8. Dei donum emere volebat. S.Tho. 2.2. *quæst.*100. *art.*1. & alibi. Summistæ communiter *verbo Simonia in principio.* Definitur autem sic. *Est Sacrilegium consistens in studiosa voluntate emendi, vendendi, seu commutandi rem Sacram, seu spiritualem, vel spirituali annexam pro temporali, vt pretio.* Ita fere S.Tho. *sup.* & communiter Doctores, specialiter ex nostris Ioann. Beets *de decem præcept. Decal. circa 7. præcept. exposit.2.c.6.* Dicitur *Sacrilegium* tum loco generis, tum, vt indicetur virtus cui simoniæ vitium aduersatur. Hæc autem virtus est Religio, cui opponitur Simonia æstimando res Sacras tanquam prophanas, illasque in contractum deducendo. Lessius *de Iustitia, & iure lib.2.c.35.dubit.1.num.2.* Bonacina *de Simonia num.2.* Dicitur *in studiosa voluntate*, tum quia simonia, sicut & alia omnia peccata, voluntatis deliberationem exigit; tum quia ad essentialem malitiam huius peccati non requitur vt pactum, mutuo consensu, vel re ipsa perficiatur, sed sufficit affectio vnius simoniaca cum opere subsecuto. Suarez *to.1. de Relig.lib.4.c.1.* Reginaldus *lib.23.c.11. quæst.1.* Layman. *l.4.Tract.10.c.8.§.1.num.1.* Dicitur *emendi, aut vendendi, aut commutandi, &c.* ad denotandum, quòd simonia committitur per contractum quemcunque onerosum, seu non gratuitum, siue sit emptio, siue venditio, siue locatio, siue permutatio, seu alius quicunque. Syluester *in Summa verbo Simonia quæst.1.* Azor. 3.*tom. Institut. moral.l.12.c.1. quæst.1.* Toletus *in Summa l.5.c.84.n.1.* Circa illud *rem Sacram, seu spiritualem, &c.* nota, quòd nomine rei spiritualis, quæ est obiectum simoniæ, intelliguntur ea, quæ à Deo, vt est Author supernaturalis, id est, vt est hominum, & Angelorum Saluator, & glorificator procedunt, vel ad illum vt sic ordinantur. Et est quadruplex genus spiritualium. Quoddam est spirituale per essentiam, vt virtutes supernaturales, & dona supernaturalia, & gratiæ gratis datæ. Quædam verò causaliter, quia scilicet sunt causæ rerum prædictarum, vt Sacramenta, ad quæ reducuntur Sacramentalia, vt aqua benedicta, Catechismus, Exorcismus, Chrismatis confectio, &c. Aliæ sunt res spirituales effectualiter, quia scilicet sunt operationes ex aliqua potestate spirituali procedentes, vel operationes ad Deum ordinatæ, vt dispensare in voto, Matrimonio, absoluere ab excommunicatione, communicari, cantare in choro, sepelire mortuos. Tandem, quædam sunt res spirituales ex annexione, quæ sunt in duplici differentia, quædam, quæ ad officium spirituale ordinantur, vel ex spirituali Ordine pendent, vt sunt omnia Beneficia Ecclesiastica. Ius enim percipiendi fructus Beneficij est annexum Ordini Clericali, & ad Officium diuinum ordinatur. Quædam, quæ præparatoriæ sunt ad spiritualia, vt vasa Sacra, vestes Sacræ, candelæ benedictæ, campanæ benedictæ, templa, ius patronatus, quod ordinatur ad præsentandum Clericos ad Beneficia, &c. Et hæc omnia intelliguntur nomine rei spiritualis. De quibus omnibus latiùs Doctores in materia de simonia, specialiter noster Michael de Bononia *in 4.dist.24.quæst.vnic.* Syluest. *supra* ex Sancto Thoma, Richardo, & Panormitano, Ioannes Beetz *supra.* Toletus *suprà num.2.* Sanchez *l.2. Concilior. moral.c.3. dub.1.num.2.* Dicitur *pro re temporali*, vt ostendatur simoniam regulariter non committi dum res spiritualis commutatur cum alia re spirituali, sed dum res spiritualis commutatur cum re temporali pretio æstimabili, vt equo, veste, & similibus, Lessius *supra num.3.* Bonacina *supra num.6.* Dicitur, *vt pretio*, quia malitia simoniæ in eo consistit, vt res vilis, qualis est temporalis, tradatur vt pretium rei tantæ, qualis est spiritualis. Vnde quamuis aliquis det, vel accipiat aliquid pro re spirituali nisi id sit vt pretium, non committitur Simonia. Nauarrus *in Man.c.23.n.102.* Toletus, & Bonacina *supra.* Quod clarè, & pro multis casibus conscientiæ valde vtiliter explicat Sanchez *suprà dub.11. num.9.* has duas regulas statuendo. Prima est. *Quòd cum multis titulis possit temporale dari, dum spirituale recipitur, scilicet per modum sustentationis, vel liberalis doni ad gratiam referendam, vel ineundam, vel per modum eleemosynæ, vel per modum reuerentiæ, & honestatis, idest, ob reuerentiam Sacramenti, vel pro solutione obligationis legis, vel consuetudinis, nullus horum cõstituit simoniam, sed tantum quando datur temporale pro spirituali, vt pretium.* Altera est, *Quòd si ministrans spiritualia accipiat temporale non detorquendo intentionem, id est, non cum intentione emendi, vel vendendi, sed dicendo, accipio hoc sicut solent communiter Clerici probi accipere, non est simonia.* His fermè similia habet Nauarrus *supra num.103. §. quarto quod non, & §. decimo.* Solet autem à Doctorib. ex *c.Saluator 1.q.3.* & D.Greg. *hom.4. in Euang.* huiusmodi pretium *munus* appellari, & distingui in pretium, seu munus à *manu*, *à lingua*, & *ab obsequio.* Per primum intelligitur pecunia, equus, bos vestis, & similia vendi consueta. Per secundum laus, & vituperatio, patrocinium Aduocati, commendatio apud Principem. Hoc enim officium est pretio æstimabile. Per tertium ministerium aliquod in rebus temporalibus, vt est famuli, œcono

œconomi,&c. Ioannes Beetz *ſupra cap.9*. Michael de Bononia *ſuprà*. Sotus *l.9. de Iuſtit.q.7*. Toletus *ſuprà num.3*. Leſſius *num.4*. Layman *ſupr.§.3*.

3 Simonia eſt triplex: mentalis, conuentionalis, & realis. Mentalis communiter accipitur primò pro nudo propoſito, ſeu deſiderio committendi ſimoniam. Hæc enim ſola mente concipitur, & nulla ratione cum externo actu coniungitur, vt ſi Religioſus intentionem habeat dandi aliquid, pecuniam v.g. pro aliqua Prælatura; ſed poſtea pœnitentia ductus, vel alia ratione impeditus, intentionem ſuam opere non compleat, nec vllam de hac re conuentionem faciat. Secundò ſumitur pro illa actione externa, quæ fit mente ſimoniaca, ſed ex ſe, & ex circumſtantiis ſimoniam non præfert, vt ſi Religioſus pecuniam, vel aliquid det, vel accipiat pro obtinenda, vel danda Prælatura, quod tamen nec implicitè, nec explicitè ſignificatur externè eſſe pretium. Conuentionalis conſiſtit in pacto, ſeu conuentione expreſſa, vel tacita dandi, vel recipiendi temporale pro ſpirituali. Vnde hæc ſimonia diſtinguitur à mentali ob conuentionem externam, quam non includit mentalis, diſtinguitur verò à reali, quia non habet adiunctam rei traditionem. Realis enim eſt illa, qua res temporalis verè traditur, vel accipitur pro ſpirituali. Nauarrus *ſupra num.103*. Toletus *ſuprà cap.86*. Bonacina *ſupra qu.2*. Layman. *ſupra §.6.num.67*. Candidus *tom.4. diſquiſ.4.ar.19. dubit.4*.

4 Rurſus ſimonia eſt duplex; alia iure diuino, ſeu naturali prohibita, quæ ſolet dici prohibita quia mala, alia ſolo iure Eccleſiaſtico prohibita, quæ ſolet dici mala quia prohibita. Prioris generis eſt illa, quæ committitur in emptione, venditione, &c. rerum Sacrarum, ſiue ſint Sacræ ex natura ſua, vt Sacramenta, &c. ſiue ex benedictione Eccleſiæ, vt Ara, Calix, &c. Poſterioris verò eſt illa, quæ verſatur circa permutationem, vel reſignationem Beneficiorum, aut circa emptionem, vel venditionem aliquorum officiorum temporalium Eccleſiæ, verb. grat. Oeconomi, Sacriſtæ, Procuratoris, &c. quæ ab Eccleſia prohibita eſt. *cap. Saluator. 1. qu. 3*. Ioannes Beetz *ſupr. d. capite 6*. Nauarrus *ſupra numero 100*. Azor. *ſupra qu.2*. Suarez *ſupra cap.2*. Sanchez *ſuprà dub.2*.

5 Hæc ergo Regularibus applicando, primò dicendum, quod, iuxta dicta *tom.1 cap.24. num.30. 31.32. & cap.25.n.5*. ſimoniacum eſt aliquid dare, vel accipere, vt pretium pro receptione alicuius, ſiue viri, ſiue fœminæ ad Religionem, quia eſt vendere rem ſpiritualem pro temporali. Non tamen erit ſimonia aliquid accipere ad ſuſtentanda onera temporalia, quæ Religio ſuſcipit cum aliqua perſona, neque pro ſuſtentatione, aut dote ipſius, iuxta ibidem dicta, & *ſupra* verbo *Dos Monialium*, ac ſupra verbo *Moniales num.7*. De quo etiam Suarez *cap.54.n.4*. Portellus *in Dub. Regular. verbo Simonia n.3. & 4*. & Candidus *tom.4. diſquiſ. diſquiſ.4. art.19. dubit. 31. & 32*. Licet autem ſimonia ſit dare aliquid alicui, vt fiat Religioſus, vel Religioſa, vel illud accipere, vt pretium, quia fieri Religioſam aliquam perſonam eſt aliquid Sacrum, & ſpirituale, ac per conſequens dandum gratis ſine vllo pretio (Suarez *ſupra*. Filliucius *tractat.45. cap.12. quæſit.8. num. 16*.) licitum tamen erit, & abſque labe ſimoniæ, ſi aliquid detur tali perſonæ alliciendo ipſam ad Religionem, & cum ſpe quòd Religionem ingrediatur, etiam ſi talis ſpes manifeſtetur, cum adhuc tunc non detur res illa tanquam pretium. Bonacina *ſupra qu.4. punct. 7. in fine*. Nota autem quòd in caſibus, in quibus ſimonia committitur dando aliquid vel recipiendo pro ingreſſu in Religionem, committitur etiam à cooperantibus, v.g. dantibus ſuffragium pro receptione talium, &c. Suarez *ſupr. qu. 5. num. 7*. De pœnis autem huius ſimoniæ infra dicetur. An verò poſſit aliquis dare aliquid gratis Prælatis Religionum ad facilius impetrandum ſuam receptionem in illis, agit Diana *3. part. Tract. 2. Reſolut. 64*. ex Vechio, & aliis.

Simoniam etiam committunt Religioſi aliquid dando, vel accipiendo vt pretium, pro Sacramentis, aut adminiſtratione illorum, iuxta dicta de Sacramento Pœnitentiæ *tom.1. cap.19. num.40*. Sunt 6
enim illa res valde Sacræ, & ita decernitur *cap. cum in Eccleſiæ de ſimon*. Toletus *ſupra cap. 88*. Sanchez *ſupra dub. 7*. Idem dico de labore intrinſeco, ſeu concomitante ipſorum adminiſtrationem, quia talis labor eſt pars neceſſaria ipſius, & nullo modo ſeparabilis ab ipſa. Toletus *ſuprà*. Sanchez *ſupra Dub.10*. Poſſunt tamen pro Sacramentorum adminiſtratione, & labore etiam intrinſeco ipſius aliquid accipere modis aſſignatis *ſupra num. 2*. Excipi tamen debet Sacramentum Ordinis, etſi enim ſtando in iure naturali, & diuino, poſſet pro ipſius collatione aliquid accipi, ſaltem pro Epiſcopi ſuſtentatione, iure tamen Eccleſiaſtico Concilij Trident. *ſeſſ.21. cap.1. de Reform*. & conformiter ad alia iura antiqua, *Nihil pro collatione quorumcunque Ordinum, etiam Clericalis Tonſuræ, nec pro litteris dimiſſoriis, aut teſtimonialibus, nec pro ſigillo, nec alia quacunque de cauſa etiam ſponte oblatum*, ab Epiſcopis, aut aliis miniſtris accipi poteſt. Sanchez *ſup. dub.19*. Bonacina *ſupr.§.3*. Pro labore autem extrinſeco, ſeu antecedenti, quia non eſt per ſe coniunctus cum Sacramenti adminiſtratione, vt ſi quis Religioſus ad audiendam alicuius confeſſionem duo, aut tria miliaria conficiat, aut aliquas expenſas faciat, poteſt aliquid recipere, etiam per modum pretij. Ille enim eſt omnino temporalis, & non niſi per accidens coniunctus cum re ſpirituali. Leſſius *ſupra dub. 8*. Toletus & Sanchez *ſupra*. Ioannes de Cruce *Director. præcept.7. cap.4. dub.5*. ex Medina. Adde, poſſe exigi pretium pro obligatione qua ſe obligaret Religioſus ad Sacramentorum adminiſtrationẽ. V.g. ſi quis ſe obliget per vnum annum, vel duos ad Sacramenta miniſtrandum, ſeu celebrandum, pretium exigere pro tali obligatione poteſt abſque ſimonia. Ratio eſt, quia hic non vendit rem ſpiritualem, ſed ſuam libertatem. Leſſius, Toletus, Sanchez & Ioannes de Cruce *ſupr*. Caſu etiam quo Sacramentorum miniſter nolit illa adminiſtrare niſi data pecunia, licet plurium ſententia ſit dari non poſſe, nihilominus probabilior eſt contraria, ſaltem pro caſu grauis neceſſitatis recipiendi illa, cum tunc ſolùm detur talis pecunia, non pro ipſa adminiſtratione Sacramentorum, ſed ad redimendam iniuſtam vexationem, vel tollendum impedimentum auaritiæ iniqui miniſtri nolentis illa adminiſtrare gratis. Leſſius *ſupr. dub.7*. Suarez *ſup. c.12*. Filliucius *ſupr. c.3. quæſit.5*.

Idem quod dixi de Sacramentis, ſcilicet ſimoniam committere Religioſos aliquid dando, vel recipiendo tanquam pretium pro ipſis, aut ipſorum adminiſtratione aut labore intrinſeco ipſius, benè tamen modis, aut titulis aſſignatis *ſupra numero 2*. imò etiam, vt pretium pro labore extrinſeco, aut obligatione illa adminiſtrandi, dicendum eſt de exercitio, ſeu adminiſtratione Sacramentalium, qualia ſunt Exorciſmi, Catechiſmi Conſecrationes, Benedictionet, &c. cum etiam ſint res ſpirituales, 7

à

à potestate spirituali procedentes, & ad finem spiritualem ordinatæ. Syluester *suprà quæst*.8.*dicto* 6.Suarez *supra c*.14.Sanchez *supra dub*.15.Bonacina *dicta quæst*.4. §.2. *&* 4. post alios. Idem etiam dicendum de functionibus Ordinum, qualia sunt cantare Euangelium, vel Epistolam, seruire Missæ, aut exercere munus Acolythi, Exorcistæ, &c. Propter eamdem rationem. Suarez *suprà c*.13. Filiuccius *supra c*.4. Bonacina *supra* §.4. Idem, & propter eamdem rationem dicendum de diuinis Officiis, qualia sunt celebratio Missæ, Horæ canonicæ, Exequiæ, Processiones, Orationes publicæ, &c. Michael de Bononia *supra*. Syluester *supra quæst*.9. *dicto* 3. Suarez *supra c*.15. Bonacina *supra* §.5. Idem quoque dicendum de orationibus priuatis, quia etiam quatenus impetratoriæ, satisfactoriæ, vel meritoriæ de congruo, sunt res spirituales; & ad finem spiritualem ordinatæ. Suarez *dicto c*.15.*num*.9. Bonacina *supra*, Layman. *supra* §.4.*num*.38. Idem similiter dicendum, & propter eamdem rationem, de actibus iurisdictionis spiritualis, quales sunt non solùm absolutiones à censuris, dispensationes, &c. sed visitationes, correctiones, &c. sed, &, iuxta dicta *suprà verbo Concionator num*.3.ipsæ Conciones. Vbi etiam *num*.12. quid dicendum de mercede, aut salario, quod Concinatoribus dari solet. Sanchez *supra dub*.17. Ioannes de Cruce *supra dub*.6. Laymanus *supra* §.4. *num*.40. An verò idem dici debeat de omissione actus spiritualis, qualis est non absoluere, non dicere Missam, non excommunicare, non eligere, &c. tractant Lessius *supra dub*.11. Layman. *supra num*.43.Bonacina *supra* §. 9. ex aliis.De quo etiam aliqua ad intentum Regularium dixi *tom*. 1. *part*.1.*c*.15.*num*.30.*&* 31.

8 Simoniacum etiam est dare, vel accipere aliquid vt pretium pro rebus Sacris permanentibus, puta vestibus, vasis & ornamentis Sacris, & similibus. Etsi enim ista ratione materiæ, quæ quid temporale est, vendi possint, non tamen ratione consecrationis, aut plus ratione ipsius quia etsi illarum consecratio ab Ecclesia dependeat, ea tamen posita, sunt res Sacræ, & ad finem spiritualem animæ ordinatæ. Toletus *supra c*.89. Suarez *supra c*.14. *num*.6. Sanchez *supra dub*.15. Vbi etiam §.*Tertio dico*. Idem dicit de Oleo Sacro, & Chrismate, quod tamen negant Angelus *in Summa verbo Simonia* 2. *num*.24. & Syluester *supra* 8. *dicto* ex Panormitano. De Reliquiis Sanctorum iam dixi *supr.verbo Reliquiæ Sanctorum num*.3. eas vendere, aut emere esse simoniam. Quid de Agnis Dei sentiendum dixi *supra verbo Agnus Dei cerei numero* 3.*&* 4. De quo etiam Suarez *supra c*.14.*num*.10. Quid verò dicendum de sepultura habes ex dictis supra verbo *Sepultura quoad Regulares num*.14.

9 Circa quæstionem autem illam, an liceat aliquid dare, vel accipere pro faciendo aliquo bono opere, v.g. ieiunando, audiendo Sacrum, intrando in Religionem, suscipienda fide Catholica, vel desistendo ab aliquo peccato, v.g. fornicatione, furto, &c. certum est licere gratis offerre aliquid alicui per beneuoviam dispositionis ad reddendum eum beneuolum, vt hæc velit facere. Syluester *supra quæst*.8. *dicto* 3. Lessius *supra dub*.12. Sanchez *supra dub*.16. Bonacina *supra* §.7.*vers.ex dictis*. Nota autem, quòd donatio hæc simplex est, nec onus, nec obligationem faciendi inducens. Quare si alter non faciat non tenetur restituere. Sicut licitum est munera offerre alicui ad habendum ipsum beneuolum, vt mihi mutuet, alter tamen acceptis muneribus licitè potest id nolle. Similiter, si alias quis affectus sit ad talia opera, & impediatur paupertatis timore, vt si renuit baptizari, quia cogetur restituere vsuras; vel non ingreditur Religionem, quia astrictus est ære alieno, fas est pecunias offerre ad auferendum obstaculum illud, quia hoc non est emere spiritualia, sed impedimenta remouere. Angelus *verbo Simonia* 2. *num*.13. Syluester, & Sanchez *supra*. Licet autem valde dubium sit an liceat offerre munera ex pacto hæc faciendi, ita vt alter accepto munere ad id maneat obligatus; inter varias tamen Theologorum opiniones, & distinctiones, de quibus Suarez *supra c*.16. & Bonacina *supra* §. 7. verius est absolutè, & generaliter, licere, etiam si detur ex pacto, & cum obligatione faciendi, modò non detur in pretium, vt dare munera, vel nubere infideli hac lege, vt fiat Christiana, & donare vitam infideli damnato ad mortem, aut illi concedere libertatem, si conuertatur, & filiis vestes & equos, si frequenter confiteantur, aut se communicent, vel legare alicui, aut dare ipsi munera, si fiat Religiosus, si ista omnia non offerantur in pretium. Ita Sanchez *supra* cui fauet Lessius *supra*. Illud certiùs, quòd quando promittitur, vel datur aliquid alteri non sub obligatione faciendi prædicta, sed sub conditione illa faciendi, non committitur simonia, tum quia id non datur, aut promittitur vt pretium, tum quia adhuc ille cui res datur, vel promittitur manet liber ad faciendum, vel non faciendum ea. Suarez, & Bonacina relati, & alij. Idem proportionaliter dici debet de recipientibus, si id non recipiant vt pretium.

Licitum etiam est Religiosis, & absque labe simoniæ, aliquid dare, vel accipere, etiam vt pretium, pro actibus, seu exercitiis scientiarum, vel artium naturalium, quæ humano labore comparantur, videlicet Logicæ, Philosophiæ, Iuris prudentiæ, Theologiæ, &c. Ratio est, quia quamuis ista sint spiritualia, tamen quia non sunt Sacra, aut supernaturalia, sed naturalia, ideo illa vendere, aut emere, non opponitur Religionis virtuti, ac per consequens nec sunt materia simoniæ, quæ, vt dixi, est Sacrilegium contra virtutem Religionis S.Tho.*sup. art*.3.Expositores *ibid*.Nauarrus *supra num*.110. §.*ex qua definitione*. Toletus *supra c*.88.Vnde possunt docere dictas artes, vel scientias, respondere ad casus conscientiæ, vel dare, aut scribere consilia de ipsis, etiam propter pretium. Nauarrus *supra*. Sanchez *supra dub*.5. Layman. *supra num*.30. Bonacina *supra* §.10. Nota tamen id esse intelligendum de huiusmodi actibus quatenus sunt præcisè per modum doctrinæ, aut instructionis intellectus. Si enim considerentur quatenus referuntur ad animæ salutem, vel ad actus supernaturales eliciendos, seu per modum exhortationis, censentur res Sacræ, & supernaturales, & ita pro ipsis nihil dari, aut accipi potest vt pretium. Suarez *supra c*.18.*à num*.19. Lessius *supra dubit*.13.*num*.78. Sanchez *supra*. Idem dicunt Lessius, & Sanchez de illis quatenus ordinantur ad pacandas conscientias. Licet oppositum asserat Bonacina *supra num*.7. Vide tamen Suarez *supra*. De actu verò docendi doctrinam Christianam, quamuis Lessius, & Sanchez dicant nihil dari aut accipi pro illo posse vt pretium, meliùs tamen Suarez *supra n*.24. & Bonacina *supra n*.9. dicunt id solùm esse verum si sit modo persuasiuo, aut per modum concionis, seu persuasionis ad rectè operandum; non si sit per modum doctrinæ ad instruendum intellectum, vel iuuandam, aut exercendam memoriam. Ex quo patet, quid dicendum sit de Catechismo, aut actu Catechizandi, de quo Authores relati. 10

Ex dictis autem infertur licentiam docendi quam- 11

cunque artem, vel scientiam, etiam Theologiam, seu, prout in Religionibus contingit, esse lectorem artium, vel Theologiæ, aut etiam gradus Baccalaureatus, & Magisterij, seu Doctoratus, de quibus egi *supra verbo Gradu, & Graduati*, non esse materiam simoniæ, ac per consequens, quantum est ex parte illorum posse dari, & accipi pretium pro ipsis. Tum quia non ordinantur ad actum Sacrum, aut supernaturalem, sed ad naturalem, scilicet docendum, tum quia in Vniuersitatibus videntur dari propter pretium, tum denique quia dari possunt à potestate laica. Lessius *supra num.*83. Filliuccius *d. Tract.* 45. *quæsit.* 8. Layman. *supra num.*31. Dixi quantum est ex parte illorum; quia quod attinet ad Regulares, cum prædicta dentur ipsis à Prælatis ex vi iurisdictionis spiritualis, quam habent in subditos, ideo pro illis sunt materia simoniæ, & per consequens nihil dari, aut accipi pro ipsis potest, etiam si in se sint res naturales. Ad modum quo, licet facultas medicandi concessa medico presbytero sit quid naturale si tamen pretio obtineatur, simoniaca erit, quia procedit ex potestate spirituali Prælati dispensantis. Suar. *sup. n.*14. *&* 15. Sanch. *d. dub.* 5. Idque videtur valde consonum *c.*1. 2. *&* 3. *de Magistris*. Layman. *supra*.

12 Simoniacum etiam erit dare aliquid, vel accipere inter Religiosos pro licentia confessiones audiendi, Prædicandi, Ordines recipiendi, à casibus reseruatis absoluendi, & similia. Sunt enim spiritualia, Sacra, & ad animarum salutem ordinata. Suarez *sup. c.*54. *num.*3. *ad finem*. Peyrinis *tom.*1. *de Subdito quæst.*1. *c.*31. §. 9.

13 Maximè notandum etiam pro Regularibus, quòd, cum, iuxta dicta *supra num.*2. in definitione simoniæ, materia ipsius non solùm sit quid spirituale, sed etiam id quod est annexum rei spirituali, ideo Beneficia Ecclesiastica, cum sint annexa rebus spiritualibus, nam sunt annexa Ordini Sacro, & ordinantur ad Officia diuina peragenda, sunt materia simoniæ, ac proinde pro ipsis pretium dari, aut accipi non potest sine labe simoniæ, prout communiter Doctores supponunt. Quod non solùm intelligendum est de Beneficiis Regularibus, quæ important curam animarum sæcularium, de quibus dixi *tom.*1. *part.*2. *c.*18. *& suprà verbo Beneficium, & Beneficiati*, sed etiam de Prælatiis Regularium, quæ important solùm curam animarum ipsorum; Generalatu videlicet, Prouincialatu, Prioratu, &c. Ratio est, quia licet illa, iuxta dicta *tom.*1. *p.*1. *c.*15. *n.*22. & loco relato ex *to.*3. *num.*3. non sint propriè Beneficia quoad vtilitatem temporalem percipiendi fructus, seu redditus; sunt tamen Beneficia quoad iurisdictionem spiritualem, & curam animarum quam important, ac proinde proportionaliter dicendum de illis est, ac de aliis Beneficiis. Suarez *supra c.*54. *num.*3. *ad finem*. Filliuccius *suprà c.*12. *quæsito*.8. Sanchez *supra dub.*104. *num.*5. *&* 11. Peyrinis *supra*. Layman. *supra* §. 7. *num.*72. Bonacina *supra quæst.* 5. *num.*7. Nouarius *in Lucern. Regular. verbo Simonia num.*9. An verò propterea incurrantur pœnæ simoniacorum in Beneficio dicetur infra *num.*29.

14 Quemadmodum ergo simonia iure Ecclesiastico introducta committitur permutando, seu commutando Beneficia Ecclesiastica, si priuata authoritate, & non Superioris fiat, ex variis textibus relatis *tom.*1. *p.*1. *c.*15. *num.*32. de quo non solùm Suarez ibi relatus, sed etiam Sotus *d. lib.*9. *quæst.*7. *art.*2. Azor. *supra c.*12. Toletus *supra c.*91. & alij. Sic etiam dicendum de prædictis Prælatiis Religionum, iuxta ibidem dicta. Nota autem primò, huiusmodi commutationem solum esse simoniacam in Beneficiis propter textus relatos. Vnde commutare alias res spirituales inter se, nec est simonia, cum simonia solum sit commutare spirituale pro temporali, non spirituale pro spirituali, nec vllo modo prohibitum, cum quotidiana experientia constet etiam inter timoratos, quòd vnus cum alio commutet Missas, spirituales functiones, aut exercitia circa animarum curam. Sotus *sup. quæst.* 5. *art.*2. Suarez *supra c.*30. *num.*5. Bonacina *supra* §. 12. Diana 4. *part. Tract.*4. *Resolut.*150. Nota secundò, Superiorem illum, cuius auctoritate potest fieri hæc commutatio esse illum, qui Beneficium ipsum potest conferre. Toletus *supra*. Vnde ad propositum Prælatorum Religionum, erit Generalis, vel Prouincialis, aut Superior, ad quem spectat illa conferre. Sanchez *supra dub.*38. *num.*4. Nota tertio, quod si, vel minimum pretij, aut commodi temporalis in tali commutatione intercedat, fore simoniacam, quia iam erit commutatio rei spiritualis pro temporali. Toletus *supra*.

Quemadmodum etiam renunciatio, seu resignatio Beneficiorum, si pura, & absoluta sit, non est simoniaca, sed licita, cum nihil detur, aut recipiatur pro illa, & alias fiat coram legitimo Superiori; ita etiam de renunciatione, seu resignatione prædictarum Prælatiarum dicendum est, iuxta dicta *suprà verbo Abbas n.*18. & *verbo Beneficium, & Beneficiati n.*16. Vbi etiam huiusmodi Prælatiarum resignationes fieri possint in fauorem tertij, vel designando personam, cui conferri debeant. De quo præter authores ibi relatos vide etiam Sanchez *supra dubio* 36. *numero* 23. 15

Simoniam etiam committunt Regulares aliquid temporale dando, vel accipiendo pro officiis Ecclesiasticis suarum Religionum, qualia sunt Officia Procuratoris Ordinis, Sacristæ, & similia. Ita enim habetur expresè *c. Saluator* 1. *quæst.*3 ex Concil. Chalcedonensi, Suarez *sup. c.*54. *num.*3. Peyrinis *supra*. Bonacina *dicta quæst.*5. *num* 7. Nouarius *supra num.*9. Hæc verò officia Ecclesiastica, quantum ex dicto *c. Saluator*. colligi potest, sunt illa, quæ habent administrationem rerum Ecclesiasticarum. Quare alia officia, quæ non important talem administrationem qualia sunt ianitoris, & similia, etiam si pretium pro illis detur, vel accipiatur à Regularibus quamuis illicitum válde sit, non tamen credo erit simoniacum; cum in se merè temporalia sint, nec adsit specialis prohibitio Ecclesiæ circa illa. 16

In casibus autem, in quibus simonia committitur dando, vel accipiendo aliquid temporale pro Prælatiis, vel officiis Ecclesiasticis Religionum, etiam erit simonia si illud temporale detur, vel accipiatur ab intercessoribus, seu mediatoribus. *c. præsentium* 1. *q.*5. Sotus *sup. q.*7. *art.*3. Sanchez *supra dub.*26. *num.*2. ex aliis. Notat autem *num.*3. hoc intelligi si illud datur pro mediatione, seu intercessione, non si pro sollicitatione. Aduertit etiam Portellus *in Dub. Regular. verbo Simonia num.* 2. ex Rodriguez ab ipso relato, simoniam esse aliquid dare, vel recipere pro informando Prælato de qualitatibus prætendentis, vel procurantis officium, vel Beneficium. 17

Est etiam materia simoniæ Ius Patronatus, iuxta dicta *tom.*1. *p.*2. *c.*11. *num.*7. *& sequentibus* ac per consequens propter illud dari, aut accipi aliquid temporale non potest. De quo, præter Authores eo loco relatos, latè Sanchez *supra dubio* 48. & sequentibus. 18

De

19 De simonia confidentiali agere, quia raro inter Regulares contingere solet, ad alium locum remittendum. Quia tamen inter casus, à quibus ex Decreto S. Congregationis sub Clem. VIII. quod retuli *to.1.p.1.cap.19.num.15.* prohibentur Confessarij Regulares per vniuersam Italiam extra Vrbem absoluere virtute suorum priuilegiorum, vnus est iste; ideò solùm modo dicendum huiusmodi simoniam confidentialem consistere in resignatione, collatione, electione, vel præsentatione Beneficiorum hoc animo, vt ipsa, vel fructus ipsorum, vel in partem restituantur, vel reseruentur ipsi resignanti, conferenti, eligenti, vel præsentanti, aut alteri iuxta ipsius electionem. De qua Nauarrus *supra num.110.& lib.consil.tit.de renunciat.consil.5.& lib.5. tit.3.de Simonia consil.48.& 76.* Quaranta *in Summa Bullar. verbo Simonia* Rodrig. *2.tom. Summ. cap.56.* Sanchez *supra dub.34.* & Bonacina *supra quæst.7.§.1.* Stratius noster *in Instruct pro Carmelitis c.7.* De ea, quæ committitur in pensionibus, quia inter Regulares rarius contingere solet, pro nunc nihil agendum. De ea tamen communiter Authores.

20 De simonia, quam committere possunt Regulares in electionibus dixi dicto *cap.15.num.28.& sequentibus.* Maximè verò licet, iuxta dicta eo loco *num.29.* committant simoniam Religiosi in electionibus si conuentionem, vel pactum faciant, quòd vnus suffragetur vni in vna electione, & alter suffragetur in alia. Vt si dicant: Si dederis mihi vel aliis tuum votum, ego dabo tibi meum, vel amico tuo. (De quo præter Authores ibi relatos Tamburinus *de Iure Abbatum tom.1. disputat.10. quæsit.3. num.3.* & Pasqualigus infra referendus.) Excusare tamen illos videtur à simonia Portellus *supra num.*1.ex Rodriguez & consonat idem Pasqualigus, si in hoc non fiat pactum, & conuentio clara, sed solum detur demonstratio spei futuræ. Vt si dicatur: Da tu suffragium, & de tuo honore curabitur, sicut congruum fuerit, vel quid simile. Tunc enim si amore amicitiæ detur tale promissum, absque animo se colligandi per contractum, non videtur interuenire pactum. Secus si dicatur clarè: Si dederis pro me suffragium, ego etiam dabo, alias non dabo. Hic enim clarè interuenit pactum, & contractus simoniacus. Vnde immeritò Sanchez *supra dub. 44. num.4.* dicit excusari à simonia Monachos sic conuenientes inter se. Elige me in Prouincialem, & te eligam in Priorem, quia inquit, licet hæc officia sint spiritualia, at non sunt beneficia. Quod probabile esse docet Diana *4.part. Tract.4. Resolut.150.* Nam ipse Sanchez *ibid.dub.104.num.11.& dub.107. num.3.* Et idem Diana eadem *4.part.Tract.4.Res.156.* prædictas Prælatias Religionum vocant Beneficia, Esto autem probabile sit Beneficia non esse quantum ad pœnalia quando non habent aliquam præbendam, vel commoditatem redituum adiunctam, iuxta dicenda infra *num.29.* nihilominus valde damnabilia sunt, & simoniaca in Religionibus talia pacta, non solùm propter iura adducta eo *num.29.* & quia talia officia sunt spiritualia, sed etiam quia tales conuentiones sunt virtuales quædam subornationes omni iure prohibito in electionibus. Villalobos *in Summa tom.1. tract.27. diffic.24. num.1.* Hieronymus Rodrig. *in Compend. Quæst. Regular. Resol.129.n.3.* & Diana *tum dicta Resol.150.to.3.p. tract.2.Resol.125.* Pasqualigus *in decis. moral. decis. 224.* Addit tamen *decis. 226.* excusari proferentes talia verba, si ea dicantur non-paciscendo, sed declarando mentem suam.

21 Adde etiam, simoniam committi in electionibus Regularium, si aliquis pecunia, vel aliquo dono temporali conueniat cum aliquo, ne concurrat cum ipso ad electionem alicuius Prælatiæ. Ita enim aliquo modo colligitur ex *cap. Matthæus de Simonia*, & etiam quia talis sic faciendo sibi parat electionem media illa pecunia, aut dono temporali, quod est virtualis quædam emptio Prælatiæ, aut electionis ad ipsam. Maiolus *lib.5.de Irregularitate cap.45.num.3.* Prosper de Augustino *in Additionibus ad Quarantam verbo Simonia.* Vgolinus *de Officio Episc.cap.50. §.9. num.1.* & ex illis Barbosa *de Offic.& potest. Episc. allegat.60. num.54.* Idem refert ex Sanchez, Paulo, Lessio, & Basilio Pontio Pasqualigus *supra decis.248.* Licet ipse in partem contrariam inclinet. Similiter simoniam committent Regulares si in electionibus vnus faciat hoc pactum cum alio scilicet, *non concurras mecum in hac electione, & ego non concurram tecum in alia.* Tum propter dicta; tum etiam quia obligatio non concurrendi in electione sequenti est res pretio æstimabilis, & per illam parat sibi ille viam ad electionem, seu Prælatiam, quæ est res spiritualis, Sanchez *suprà dict.lib.2.cap.3.dub.30.* Licet præfatus Pasqualigus in hoc non conueniat *decis.249.* Consequenter etiam ad dicta *tom. 1. part.1.cap.15.num.30.* simoniam committerent Regulares, qui in electionibus darent, vel promitterent pecuniam, vel quid simile, aliis ne exponerent contra ipsos defectus quos patiuntur, & propter quos excludi deberent ab electionibus, prout tenent non solùm Graffius, & Peyrinis eo loco relati, sed etiam Vgolinus, Nauarrus, Palaus, Barbosa, & Sanchez, quos, refert Pasqualigus *supra decis.247.* Etiam si ipse similiter dissentiat. Idem quoque dicendum, si aliquis det pecuniam, vel quid simile alicui vt metum incutiat competitori, vt desistat à concursu ad electionem. Ita enim colligitur ex fundamentis adductis, & tenent Barbosa *supra num.56.* ex Vgolino, contradicens quoque Pasqualigo *decis.250.*

Circa pœnas simoniæ, præter dicta eo *cap. 15. num 33.* specialiter dicendum primò, nullam simoniam inducere pœnas iuris ipso facto, nisi in ingressu Religionis, Ordine, & Beneficiis. Lessius *supra dub.23.num.1.* Layman. *supra §.7.num.69.* Diana *4.par.Tract.4.Resol.157.* post Syluestrum, Caietanum, & Nauarrum. Vnde si quis in aliis Sacramentis conferendis, vel accipiendis, in Consecrationibus, Benedictionibus, dispensationibus, vel similibus, simoniam committat, etsi peccet, non tamen contrahet Iuris pœnas. Lessius *supra.* 22

Secundò, nullam pœnam Iuris incurri propter simoniam mentalem, etiam illam, quæ in actum extraneum profluit. Sic enim colligitur ex *cap. vlt. de Simon.* Toletus *supra cap.93.* ex Panormitano, Syluestro, & Caietano. Lessius *supra dubit. 23. num.130.* Suarez *supra cap.55.num.10.* Imò aliqui arbitrantur non posse puniri, quia licet à simonia mentali tale opus externum imperetur, tamen in eo simoniaca labes non satis proditur, vt de illa Ecclesia iudicare queat. Layman. *sup. num.68.* Tertiò dicendum, propter simoniam purè conuentionalem, quæ in sola conuentione sistit, nullam quoque pœnam, & censuram Iuris incurri. Cum enim Canones simoniacis censuras ingerunt: non meram conuentionem, sed dationem, acceptionem, ordinationem aliamve realem executionem, exprimunt, sicuti videre est in Extrauag.1.& 2. *de Simon.* aliisque iuribus. Nauarrus *d.cap.23.num.104.* Lessius *suprà dub.27.num. 149.* Suarez *supra num.12.* Sanchez *suprà dub.106.* Excipitur simonia confidentialis, ea enim 23

enim subiecta est pœnis, licet non sit completa. Sanchez *eo dub.* 106 *num.* 5. Layman *supra.* Tannerus 2.2. *disp.* 5 *q.* 8. *num.* 99. Quartò, non subiacere dictis pœnis eam simoniam, quæ tantùm est completa traditione rei temporalis, Toletus *sup.* ex Caietano, & Soto. De altera verò, quæ completa est traditione rei spiritualis, quamuis nondum soluto pretio, quòd per eam omnes pœnæ Iuris incurrantur, perinde ac si vtrinque completa esset, satis probabiliter existimant Sotus *supra. q.* 8. *a.* 1. Toletus *suprà* & Garzias *p.* 8. *de Benefic. cap.* 1. *num.* 20. afferens *à num.* 32. plures Rotæ decisiones ad intentum. Nihilominus probabilis etiam est sententia contraria, quam defendunt, Nauarrus *cap. fin. de Simon. & in Man. cap.* 23. *à num.* 103. Lessius *supra dub.* 27. Sanchez *d. dub.* 106. *num.* 4. Ioannes de Cruce *de Simonia dub.* 17. *concl.* 4. Nam, quidquid sit de rigore iuris, talis videtur esse stylus Curiæ, & cum fundamento, quia pœnæ, præsertim tam graues, strictæ interpretationis esse debent, vt cum decernunt propter aliquem actum peccaminosum intelligantur de actu omnino completo. Layman. *suprà.* Vnde quintò notandum, prædictas pœnas certò incurri per simoniam realem, & completam, quæ contingit traditione rei spiritualis, & temporalis pro ipsa. Suarez *suprà num.* 17. Sanchez *suprà*, & alij communiter. Apud quos etiam, an quando simonia conuentionalis fiat realis, retrotrahatur ad tempus pactionis. Nota sextò, quod pretium, seu res temporalis data simoniacè in Ordine, Beneficio, & ingressu Religionis, restitui debet *cap. de hoc de Simon.* Extrauag. 2. *de Simon. cap. veniens de Simon.* S. Thom. *d. q.* 100. *art.* 6. Expositores *ibid.* Etiam ante Iudicis sententiam, & in foro conscientiæ, saltem quando id datum fuit pro Beneficio. Suarez *suprà cap.* 60. *num.* 3. Thesaur. *in Praxi p.* 2. *verbo Simonia cap.* 2. *num.* 4. Tannerus *suprà.* Quamuis autem plures idem dicant de pretio recepto pro quacumque alia re spirituali probabilius tamen esse contrarium, cum nullo iure id habeatur, tenet Sanchez *supra dub.* 113. referens Sotum, Henriquez, Rodriquez, & alios. Addit tamen, in venditione Iuris patronatus pretium esse restituendum. Pretium porrò istud simoniacè datum restitui debet, iuxta varias opiniones Doctorum, vel danti illud, vel pauperibus, vel (quod probabilius, est saltem inter Regulares, si talis simonia inter eos contingat) Ecclesiæ, vel Monasterio. *cap. de hoc, & cap. audiuimus de Simonia.* Suarez *supra num.* 8. post Syluestrum, Nauarrum, & alios. Quomodo autem res ipsa spiritualis pro pretio recepta restitui debeat, agunt relati Authores, & Layman. *supra* §. 9. *num.* 85. & aliquo modo constabit ex dicendis.

24 Secundò dicendum, quòd dantes aliquid, siue recipientes pro ingressu in Religionem, siue virorum, siue mulierum, sunt excommunicati excommunicatione Papæ reseruata in Extrauag. *de Simonia cap.* 1. Nota autem primò, huiusmodi excommunicationem solùm incurri contra præsumentes id facere, quia id colligitur ex textu. Nauarrus *in Man. cap.* 27. *num.* 106. Sanchez *supra dub.* 104. *num.* 50. Bonacina *suprà q.* 7. §. 4. *num.* 2. Nota secundò, non incurri ab his, qui sponte aliquid tribuunt Suarez *supra cap.* 57. *n.* 56. *n.* 7. & Bonacina *supra.* Tertiò, neque incurri quando ingrediens aliquid exigit à Monasterio vt ingrediatur, etiam si in hoc simoniam committi contingat, quia de hoc modo simoniæ nulla ibi mentio fit, & lex pœnalis non extenditur vltra casum expressum. Suarez *supra.* Nota quartò, censuram hanc incurri non solum si tempore professionis simonia committitur, sed etiam in ipso ingressu, & receptione ad habitum, quia textus absolutè loquitur de volentibus ingredi. Filliuccius *d. Tract.* 45. *cap.* 13. *num.* 11. Thesaur. *in Praxi part.* 2. *verbo Simonia cap.* 10. Probabile autem est, quòd licet culpa simoniæ in receptione ad habitum pro pretio committatur, nihilominus, quia receptio ad Religiosum statum, & traditio rei spiritualis, quæ ibi præcipuè emitur, non consummatur vsque ad professionem, non incurri hanc censuram vsque ad ipsam professionem. Ita vt licet receptio ad habitum fuerit simoniaca, si postea factum retractetur, & pecunia vel non accipiatur, vel reddatur, & professio merè gratis admittatur, non incurratur hæc excommunicatio. Suarez *sup.* Laym *sup. n.* 70. Bon. *sup. n.* 11. E conuerso autem, licet receptio ad habitum gratis facta fuerit, si tamen tempore professionis simonia committatur, illud sufficiet pro hac censura incurrenda, quia ibi actus plenè consummatur. Suarez *suprà* Indicant etiam aliqui cum Lessio *sup. num.* 131. hanc Extrauagantem non esse vsu receptam, sed contrarium supponunt communiter Doctores. Vide alia ad intentum *supra verbo. Dos Monialium,* & *suprà verbo. Moniales,* & *verbo Nouitij, & Nouitiæ,* & circa legatum relictum Monialibus sub onere recipiendi aliquam in Monialem dicta *supra verbo. Legata Regularibus relicta num.* 22.

Statuitur etiam in eadem Extrauaganti pœna suspensionis contra Conuentum, seu Capitulum aliquid dans, vel recipiens pro dicto ingressu in Religionem. Hæc verò suspensio, licet, iuxta dicta *suprà verbo Capitulum num.* 10. sit totalis, idest ab Officio, & Beneficio; probabiliter tamen limitatur solùm quoad actus Capitulares pertinentes ad iurisdictionem, vel administrationem Ecclesiasticam Lessius *sup. n.* 8. Thesaur. *sup.* §. *limita tertio* ex Alterio Filiuccio, & Barbosa. Vide pro hac suspensione, quæ dixi eo *num.* 10. 25

Similiter, si quis simoniacè receptus fuerit ad professionem, quamuis eius professio valida fuerit, iuxta dicta *tom.* 1. *p.* 1. *c.* 2. *n.* 15. vt supponunt Authores infra referendi, nihilominus, si professionem emisit simonia scienter contracta, tam recipiens, quam receptus de Monasterio sine spe restitutionis, expellendus est, & in locum arctioris Regulæ ad pœnitentiam perpetuam detrudendus. *c. quoniam de Simon.* Syluestr. *sup. dub.* 15. *dicto* 8. Sanchez *sup. dub.* 104. *num.* 51. Thesaur. *suprà* §. 2. Si autem ignorante ipso recepto, seu professo, simonia sit contracta cum recipiente, debet receptus renunciare illi loco, & postea poterit de nouo recipi ibidem, si absque scandalo ibi possit permanere, aliàs ponendus in alio loco eiusdem Ordinis. *cap. de Regularibus de simonia.* Syluester, Sanchez, & Thesaur. relati, ac Sotus *sup. quæst.* 8. *artic.* 1. *ad* 3. Quamuis autem aliqui dicant hanc pœnam esse latè sententiæ, & procedere etiam in casu occulto, etiam pro foro conscientiæ; prout putat Syluester, & alij; sed contrarium est verum, scilicet esse pœnam sententiæ ferendæ, neque obligare ante sententiam, maximè cum pœna sit grauissima. Lessius *suprà n.* 132. Sanchez, & Thesaurus relati, ac Layman. *supra* §. 7. *n.* 70. Talem verò professum simoniacè non adquirere ius ad sustentationem ex redditibus Monasterij, neque ad vocem actiuam, aut passiuam tenent Nauarrus *Comment.* 4. *de Regular. n.* 25. & Lessius *supra.* Sed melius Layman. *suprà* post Suarez oppositum tenet. 26

Tales etiam simoniaci sunt infames, prout colligitur ex Extrauag. 1. *de simonia* §. *Cæterum.* Licet 27

videatur

videatur requiri adhuc notorietas. iuxta dicta *supra* verbo *Infamia num.* 3. Thesaur. *supr.* §.3. Consequenter etiam erunt irregulares, iuxta dicta *ibid. num.* 15.

28 De pœnis autem simoniacorum in Ordine recipiendo, seu conferendo, iam dixi *tom.*1.*p.*1.*c.*4.*n.*23. esse suspensionem, depositionem, & excommunicationem. De quibus, præter Authores ibi relatos, agunt Sanchez *dicto dub.* 104. *à num.* 19. Bonacina *supr.q.*7.§.6.*&* 7. Cornexo *tom.*2. *in* 3.*part.Tract.* 5. *de suspens. disput.*4. *Dub.* 1.*cas.* 2. Layman. *supra num.*71. Ioannes de Cruce *supr. dub.* 16. Thesaurus *supr.cap.*9. Adde, tales esse etiam infames. Sanchez *supra* post alios. Quod intellige, dum fuerint notorij, iuxta dicta loco relato ex 3. *tom.* eo *n.* 3. Vnde consequenter erunt irregulares, iuxta dicta eo *numero* 15. Quo sensu accipiendi Sylvester, Sotus, & alij qui prædictos vocant irregulares. Henriquez *lib.*14.*de Irregularit.cap.*6. *num.*7.*& in comment.littera V.* Sanchez *supr. à num.*25. Nota autem, probabilius esse ordinatum simoniacè ignoranter; v. g. quia alius eo nesciente contulit pecunias ordinanti, nisi forsan talis ignorantia sit crassa, vel supina, non incurrere dictas censuras. Ita enim colligitur ex *cap.*2. *de Constitut.in* 6. Nauarrus *in Man. cap.* 25. *num.*68. Henriquez *de Excommunicat.lib.*13.*cap.*57. *num.*4. *& lib.* 14. *de Irregularit. cap.*6. *num.*7. Sanchez *supr. num.* 33. Layman. *supr.* De quo etiam Cornexo *supr.* Incurrunt tamen illas dantes seu recipientes aliquid pro litteris dimissoriis, aut testimonialibus, aut pro sigillo Ordinum, & non tantum Collatores Ordinum, sed etiam eorum ministri, licet sponte oblatum recipiant. Quia Trident. *sess.*21.*cap.*1. *de Reformat. in fine.* decernit, quod hi omnes incurrant ipso facto pœnas à iure inflictas. Rodriguez 2. *tom. Summæ cap.*56. *num.*6. Sanchez *supr.n.*21.

29 De pœnis autem simoniacorum in Beneficiis iam dixi *tom.*1. *cap*15. *num.* 32. *&* 33. esse irritationem talis prouisionis, ita vt Beneficium sic receptum teneatur statim renunciari, excommunicationem Papæ reseruatam, priuationem dignitatum quas quis obtinet, inhabilitatem ad ipsas & alias, & infamiam. De quo etiam Sorbus in *Addit. ad Compend.priuil. Mendicant.verbo Simonia.* Maximè tamen notandum, quòd licèt iuxta ibidem dicta, prædictæ pœnæ etiam incurrantur propter simoniam, quæ incurritur circa officia Religionum, quæ sunt Beneficia, vel quasi Beneficia, qualia sunt Prælatiæ, &c. prout tenent non solùm Rodriguez & Suarez eo loco relati, sed etiam Caietanus *in Summa verb.Excommunicatio cap.*72. Reginaldus *in Praxi lib.* 23.*num.* 182. Sorbus *supr.* Sanchez *dicto dub.* 104. *num.* 11.*& dub.* 107. *num.* 3. & Thesaur. *supr. cap.* 2.§. *Amplia prædictas pœnas* ex decisione Rotæ. Nihilominus oppositum videtur probabile, tum quia licet prædicta officia, sint aliquo modo Beneficia Regularia, & officia, Ecclesiastica, quia tamen ea non sunt propriè, aut simpliciter Beneficia, cum non sint perpetua, nec habeant redditus Ecclesiasticos, & quia sumus in materia odiosa, & pœnali, ideo prædictę pœnæ non videntur extendendæ ad illa. Tum etiam, quia non satis exprimuntur in Extrauaganti *Cum detestabile secunda de Simon.* nec in Constitutione Pij V. eo loco relata. Etsi enim in ea Extrauaganti sit sermo de dignitatibus, personalibus, officiis, & Beneficiis Ecclesiasticis in Ecclesiis, & Monasteriis, & in d. Constitut Pij V. generaliter sit sermo de omnibus dignitatibus, officiis, seu Beneficiis Ecclesiasticis, quæ etiam comprehendunt dictas Prælatias, videtur tamen id limitandum ad ea solùm, quæ habent aliquos redditus; seu præbendam, vt contingit inter Monachales, prout colligi videtur ex dicta Extrauaganti. Nauar. & Azor. eo loco relati. Filliucius *d. Tract.* 45 *c.* 7. *n.*23. Lessius *supr.n.* 137. Peyrin. *tom.* 1. *de Subdito q.*1. *capit.* 31.§. 9. *conclus.* 21. Bonacina *dicta q.*7. §. 2. *numero* 4. & Bordonus *Resolut.* 26. *numero* 33. *&* 34.

Circa absolutionem tamen à prædictis pœnis, vel dispensationem in illis, vide dicta non solùm eo *num.*33. sed etiam eodem *tom.*1.*cap.*18. *num.*39. De quo etiam Suarez *supr.cap.*61. Peyrin. *supr.concl.*25. *&* 26. Qui etiam refert Scortiam, Sigismundum, & Vecchium. 30

Pro quiete tandem Religiosorum nota, quòd si forsan in eorum Religionibus per vsum, vel potius abusum, aliquando contigerit ipsos dare, vel accipere aliquod munus in prouisione officiorum Ordinis, etsi propterea peccent, vel contra Constitutionem Clementis VIII. *de Largitione munerum*, de qua egi *supra* verbo *Dare*, *seu Donare*, vel contra constitutiones particulares Religionum, non tamen idcirco censeri debent simoniam commisisse, si tale munus non dant, aut accipiunt in pretium talium officiorum, quia iuxta d. *supr.n.*2. multi tituli honesti, etiam gratitudinis, assignari possunt, propter quos tradens, vel accipiens temporale pro spirituali à labe simoniæ liberetur. De quibus Caietanus *verbo Simonia.* Suarez *supra cap.*45.*&* 46. Lessius *supra dub.*8. Filliucius *supra cap.* 10. Bonacina *supr qu.* 6. Diana 2 *part. Tract.* 16. *Resolut.*37. & alij. [Non tamen quod licet eo *cap.* 18. *num.* 39. dixerim Simoniacos in Ordinum receptione non posse absolui à Prælatis Religionum propter ipsarum priuilegia, eo quod Clemens VIII. in Bulla *Romanum Pontificem in* 3.*tomo Bullar. numero* 40. abrogauerit omnia & quæcumque priuilegia ad absoluendum Simoniacè ordinantes, & ordinatos, quod etiam tenent Suarez & Peyrinis eo *num.* 39. relati, nihilominus Portellus *in Responsionib.moral. tom.*2. *casu* 41. dicit, id posse fieri propter innouationem priuilegiorum Minorum factam ab eodem Clemente VIII. & Paulo V. quod an sit probabile in praxi alij viderint.] 31

SOLLICITANTES IN Confessione.

De hac materia sufficienter dixi *tom.*1.*p.*1.*c.*19. *à numero* 33. & *supra* verbo *Denunciatio*, *& Denunciare num.* 5.*& sequent.* Ideo pro nunc ab ea suspendendum.

SPOLIA REGULARIUM.

SUMMARIUM.

*Spolia Regularium, quæ sint. num.*1.

*Bona Religiosi ex illicita negotiatione, aut contra sacros Canones adquisita, spolia sunt. num.*2.

*Quid de bonis Beneficiati Regularis.num.*3.

*Quæ bona spoliorum nomine veniant. num.*4.

*An spolia Regularium pertineant ad Conuentus vbi morantur tempore mortis, an vbi professionem emisere. num.*5.

Seruari debent Constitutiones, & consuetudines Religionum. num. 6.

Spectat ad Superiores inter mendicantes determinare hoc. num. 7.
Quidquid Monachus acquirit, Monasterio acquirit. num. 8.
*Quando non adest lex, aut consuetudo videtur iudicandum pro conuentu, in quo Religiosi morantur tempore mortis. num.*9.
Quia ad illum spectat sustentare ipsos. numero 10.
Qui sentit onus, sentire debet commodum. numero 11.
*Commodum eius esset debet, cuius est incommodum. num.*12.
*Bona lapsorum Clericorum traduntur Monasteriis quibus ipsi ad pœnitentiam peragendam sunt traditi. num.*13.
*Fauet Concilium Tridentinum. num.*14.
*Decreta Clementis, & Vrbani. num.*15.
Conuentus, qui prouident Religiosis in suis necessitatibus. num. 16.
*Bona huius defuncti spectant ad Conuentum, in quo diem clausit. num.*17.
*Quia erant acquisita illi. num.*18.
*Ius quæsitum per acquisitionem fortius est, quam Ius quærendum. num.*19.
*Non refert constitutio huius Religionis. num.*20.
*Generalis, qui est vir doctus applicauit spolia Monasterio, vbi obiit. num.*21.
*Potuit id facere. num.*22.
Dicto nisi *ponit exceptionem. num.*23.
Constitutio loquitur pro casu particulari. num. 24.
*Casus omissus à lege habetur pro omisso. num.*25.
*Constitutio quomodo intelligenda. num.*26.
Ad instar peculij adquisiti à seruo communi. numero 27.
Ratio huius limitationis. num. 28.
Generalis videtur habuisse ius commune pro se. numero 29.

1 POLIA Regularium, seu quod idem est ea bona, quæ ipsis post mortem supersunt (Filliucius *Tract.* 43. *de Spoliis c.*1.*quæst.*1. ex Rodoano, Azorio, & Nauarro) de iure communi ad Monasteria ipsorum spectant, cum ipsi nihil habeant proprij, & omnia, quæ ipsorum sunt, ad Monasteria eorumdem pertineant, iuxta dicta *tom.*1. *cap.*6.*& tom.*1. *c.* 19. De quo Azorius *tom.*2. *Instit. Moral. lib.*8. *cap.*3. *quæst.* 10. Nihilominus de Iure Pontificio, si ipsi extra Claustra suorum Monasteriorum decedant, eorum bona ad Cameram Apostolicam spectant, propter Constitutionem Gregorij XIII. in Bulla *Officij nostri* quam retuli *tom.* 1. *cap.*16.*num.*20.*&* 31. vbi etiam specialiter *num.*21. quòd bona apostatarum, seu fugitiuorum etiam pertineant ad Cameram Apostolicam, si in apostasia, vel fuga decesserint ibi etiam dixi, quòd si in vita illa Religioni dederunt, non videri pertinere ad dictam Cameram, nisi ipsa petat. Ad quæ etiam deseruiunt, quæ ex priuilegio Pij V. pro Mendicantibus dixi *tom.*1.*p.*2.*c.*1.*n.*40. Nota autem, quòd si prædicti in Romana Curia, vel eius districtu intra decem militaria, non tamen extra debitam residentiam, decesserint, ipsorum bona ad eorum hæredes, scilicet Monasteria, pertineant. Propter Constitutionem Pauli V. *In eminenti in* 3. *tom. Bullar. num.*18 Filliucius *supra cap.*6.*qu.*6.

2 Qualiter etiam bona Religiosi ex illicita negotiatione, aut contra sacros Canones adquisita, pertineant ad Cameram Apostolicam tanquam spolia ipsius, constat ex dictis *tom.*1.*cap.*10.*num.*5.*& c.*16. *num.* 21. *&* 22. & *in hoc* 4. *tomo* verbo *Negotiatio quoad Regulares num.* 10. Vbi etiam alia ad intentum, præsertim, quæ sint talia bona ex illicita negotiatione acquisita, & an debeant dari in conscientiæ foro prædictæ Cameræ ante quamcumque sententiam. Quæ verò sint contra Canones adquisita, habent Azorius *supr.cap.*2. *quæst.*6. & Filliucius *suprà cap.*8.*quæst.*10.

Specialiter etiam, licet, iuxta dicta *tom.*1.*p*2.*c.*18. *num.*15. bona beneficiarij Regularis, quando acquisita sunt intuitu Religionis, ad illam pertineant, & iure antiquo ad Monasterium pertinerent post mortem. *cap.cum olim* 2. *de priuilegiis Authentic.ingressi de Sacrosan. Eccles.* nihilominus ex Constit. Pij IV. *Decens* in Bullar.*num.*19. pertinet ad Cameram Apostolicam. Filliucius *suprà cap.* 6. *qu.* 1. Nota autem primò, id intelligi solùm de Beneficiariis Regularibus, qui viuunt separati ab obedientia Superiorum Religionis, habentes liberam administrationem bonorum, non de illis qui sub eorum obedientia viuunt non habentes illam. Nauarrus *in Comment. de spoliis* §. 1. *num.* 33. Filliucius *supra.* Bonacina *de Clausura q.* 2. *punct.*9.§.4. *difficultat.*2. *num.* 17. Lugo *de Iust.& iure tom.*1. *disp.*10. *n.* 234. Nota etiam videri excipiendos esse Beneficiarios Regulares decedentes in Curia, iuxta dicta *supra num.* 1. ex Constitutione Pauli V. Filliucius *supra.* 3

4 Quæ verò sint bona, quæ nomine spoliorum veniunt, habetur ex Constitut. Pij V. quæ incipit *Romani Pontificis* in Bullar. *num.* 42. & ex Constitut. Sixti V. *In conferendis* in Bullar. *num.*100. vbi colliguntur fere omnia ad hanc materiam spectantia, quæ omitto, quia illa magna ex parte ad forum contentiosum spectant, & de illis relati Authores, & Quaranta, cum eius Additionatore Prospero Augustino *in Summ. Bullar. verb. Spolia Clericor.* ac Tamburinus *de Iure Abbat.tom.*3.*disp.*16.*per totam.* Pro pœnis autem occupantium, vel detinentium dicta spolia, præter relatos Authores vide Thesaur. *in Praxi part.*2.*verbo Vacantia.*

5 Ad dubium quo quæritur, an spolia Religiosorum Mendicantium, seu illa bona, quæ habebant in vita, pertineant ad Monasterium, in quo morabantur tempore mortis, an verò ad illud, in quo emiserant suam professionem. Respondeo primò, seruari in hoc debere Constitutionis, & statuta, aut etiam consuetudines Religionum. Cum enim regulariter loquendo mendicantes non emittant suam professionem alicui conuentui seu Monasterij determinatis, quemadmodum Monachi plures facere solent, sed toti Religioni, seu Generali ipsius, ideo ad eandem vel ipsius superiores spectat determinare conuentum ad quem spolia Religiosi decedentis venire debeant. Ita supponunt communiter Doctores specialiter Nauarrus *comment.* 2. *de Regularibus num.*5. Sanchez *lib.*7. *in decal.cap.* 32.*num.*54. alios ad intentum referens; Cardinalis de Lugo. *tomo* 1. *de Iust.disput.*3.*sect.*11.*num.*226. Tamburinus *de iur. Abbat.tom.*3.*disput.*11.*quæsit.*4.*num.*6. Maximè, quia cum certum sit quod quidquid Monachus adquirit Monasterio adquirit. *argument.l.placet de acquirend. hæredit. c. in præsentia de probat. Authentic.ingressi* vbi DD. *C.de sacros. Eccles.* Rota *decis.*705.*n.*3. *p.*1.*diuersor.* Et coram Cancellario *decis.*606.*num.*1. oportet quod per statuta, aut consuetudines Religionum determinatum sit quodnam debeat esse hoc Monasterium, quod succedat in spolia Religiosorum è vita decedentium. 6 7 8

9 Casu tamen quod nec lege, nec consuetudine determinatum

determinatum sit in aliqua Religione Monaste-
rium, ad quod pertineant talia spolia, dicendum est
esse illud, in quo Religiosi morantur vt Cōuentua-
les tēpore mortis. Moueor primò, quia ad tales con-
10 uentus spectat sustentare dictos Religiosos, & pro-
uidere illis in suis necessitatibus. Ergo etiam specta-
bit succedere in bona ipsorum; iuxta regulam iuris
11 in 6. *Qui sentit onus, sentire debet commodum*, quæ
desumitur, *ex l. secundum naturam. ff. de Regul. iuris*,
& ibi DD. & iuxta illud axioma commodum eius
12 esse debet, cuius est periculum, & incommodum;
quod etiam est desumptum ex *d. l. secundū naturam*;
& adstipulantur *l. fin. §. sed cū C. de furtis, l. superua-
cuam C. de temp. in integr. restitut. l. Iulianus §. ex ven-
dito ff. de actionib. empti.* & alia iura, ac DD. Vnde *in
c. de lapsis 16. q. 6.* statuitur bona lapsorum Clerico-
13 rum tradi debere Monasteriis quibus ipsi ad pœni-
tentiam peragendam traduntur, *quatenus ipsi ex
rebus illorum subsidium habeant, qui de correctione
eorum sollicitudinem gerunt.* Quæ ratio adamussim
quadrat præsenti intento. & fauet. *c. si quis rapuerit
27. q. 1.* Moueor secundo, ex Concil. Trident. *sess. 25.
de Reg. c. 2.* ibi, *Quouis modo ab eis adquisita & statim
ea superiori tradantur, Conuentuique incorporentur*:
14 & ex Decretis Clement. VIII. & Vrban. VIII. *pro re-
format. Regul.* ibi, *Ea omnia statim Superiori, tradan-
tur, & conuentui incorporentur, atque cum cæteris il-
15 lius bonis, redditibus, pecunijs, ac prouentibus cōfundan-
tur, quo communis inde victus, & vestitus omnibus sup-
peditari possit.* His enim decretis statuitur, quod quę-
cunque bona à Religiosis adquisita, adquiruntur, &
incorporantur, imò & confunduntur cum aliis bo-
nis Monasterij, à quo aluntur, sustentantur, & pro-
uidentur in suis necessitatibus. Cum autem Con-
uentus, in quibus Religiosi manent Conuentuales,
& de familia, sint illi, qui prouident illis in suis ne-
16 cessitatibus quoad victum, vestitum, &c. non autem
Conuentus, in quibus professionem emiserunt, aut
quorum sunt filij, vt suppono ex vsu, & praxi Reli-
gionum Mendicantium, vtique necessario videtur
dicendum quod illis sint adquisita, incorporata, &
confusa talia bona, Ac perinde, quod post Religio-
sorum obitum non possint vt spolia applicari aliis
Conuentibus *c. statutum 18. q. 1.* Rota relata coram
Cauallerio *n. 5. & 14. ex d. can. statutum est.*

17 Et quo ad casum præsentis dubij, quod est de
quodam Religioso, qui cum in quadam Religione
Mendicantium fuisset filius cuiusdam Conuentus,
postea nihilominus per tempus scilicet 30. anno-
rum moratus est in alio Conuentu, & ibi superioris
officium exercuit, ac tandem in eo obiit. Dicendum
enim videtur eius bona post mortem relicta specta-
re ad hunc Conuentum, in quo diem clausit. Ratio
18 est ex dictis, quia scilicet illa bona adquisita iam
erant dicto Monasterio, imo incorporata, & confu-
sa cum aliis bonis ipsius: Nullo ergo iure priuari
ipsis potest. Siquidem pro certo habetur, quod ius
quæsitum, quod habetur per adquisitionem fortius
19 est quam ius quærendum, *l. si ita script. §. 1. l. si ita
scripsisset ff. de legat. 2.* Et tam forte & nec Papa præ-
sumatur agere velle contra illud, *c. super eo de offic. de-
legat. & aliis iuribus.* Gonzalez *sup. regul. 8. Cancellar.
gloss. 15. §. 1. n. 75.* Et saltem facilius impeditur ius
quærendum, quam quod tollatur ius quæsitum.
Barbosa *axiom. 135. n. 2.* ex aliis.

20 Nec refert constitutio, seu statutum huius Reli-
gionis, vbi dicitur quod spolia fratrum defuncto-
rum sint incorporata conuentibus, quorum sunt fi-
lij. Etenim primò dici potest, Generalem huius Reli-
gionis, qui aliàs est vir doctus, ac per cōsequens pro
quo extat præsumptio, quod rectè gesserit, vt in si-
mili dixit Rota relata coram Cauallerio *num. 12.*
ex Menochio *præsumpt. 53. num. 3. lib. 3.* applicauit
dicta spolia, pecuniam videlicet, & mobilia Mona- 21
sterio in quo ille Religiosus obiit in beneficium
Ecclesiæ ipsius: & quod id facere potuerit colligitur
ex ipsis constitutionibus, seu statutis, vbi *cap. 16.
fol. 115.* sic dicitur: *Bona autem è vita decedentium,* 22
*si qua habere contigerit, cœnobio adquirantur, in quo
eos professionem emisisse contigerit, nisi aliud de bonis
eorum Generalis minister cum discretorum consilio du-
xerit statuendum.* Dictio enim illa *nisi* ponit exce-
ptionem à regula, vt per *Decis. in l. 1. §. fin. num. 7.* 23
ff. de officio eius, Gratian. *discept. forens. cap. 9. num. 26.*
& modificatiua, limitatiua, & exclusiua est Barbosa *in
Tract. de dictionib. dict. 217. num. 11. & 12.* ex aliis.
Secundò etiam videtur dicendum quod Constitutio
applicans dicta spolia Conuentui, in quo Religio- 24
sus professionem emisit, videtur solum loqui pro
casu particulari, quando scilicet ratione senectutis,
infirmitatis incurabilis, vel alterius similis causæ ad
eum mittitur, non in casu huius dubij, in quo nihil
horum contigit. Casus autem omissus à lege habetur
pro omisso, *l. commodissime ff. de liber. & posthum.* 25
cap. inter. corporalia de translat. Episcop. Et rema-
net in dispositione iuris communis. Rota *in Flo-
rentin. Cappellæ 1617.* coram Pirouano apud Bar-
bosam *in axiom. axiom. 39. n. 8.*

Maximè vero videtur dicendum Constitutionem 26
præfatam solum intelligi posse, & debere de bo-
nis adquisitis à præfato Religioso intuitu personæ
illius, qualia essent bona hæreditaria, aut legata-
ria, siue etiam quæ ex propria industria, prædica-
tione videlicet, lectura, &c. adquisisset, non de illis,
quæ adquisiuit intuitu Monasterij, in quo viuebat
per 30. circiter annos in quo bonorum administra-
tionem exercuit. Priora enim bona quia videntur
sequi personam, ideo congruum videtur quòd ap-
plicentur Monasterio, cuius est filius: posteriora
vero, quia ex opposito videntur sequi Conuen-
tum in quo obiit, ita etiam æquum est quod illi
applicentur. Ad instar sanè peculij quæsiti à com- 27
muni seruo duorum dominorum, quod cedit ad
commodum illius domini, cuius bonorum admi-
nistrationem gerebat. Bartholus *in l. communis seruus
num. 6. ff. de stipulat. seru.* Ad instar etiam Regula-
ris facti Episcopi, vel beneficiati, qui iuxta plu-
rium DD. sententiam ea quæ adquirit intuitu per-
sonæ pertinent ac Religionem, ex qua fuit assum-
ptus, & quæ adquirit intuitu Ecclesiæ spectant
ad illam quam administrat. Sic colligo ex Nauarro
comment. 2. de Regular. num. 6. & 7. Rodriguez
tom. 3. quæst. Regular. qu. 5. artic. 5. & Franciscus
Marth. *in decis. Delphinat. decis. 104.*


Ratio autem huius limitationis est in promptu; 28
quia scilicet cum adquirere Religiosum Conuen-
tui, in quo viuit conforme sit iuri communi, præ-
sertim desumpto ex Concilio Tridentino, iuxta di-
cta superius, omnis alia constitutio, aut statutum
in contrarium limitari debet, & interpretationem
ab eo accipere, *l. 2. C. de noxalibus.* vbi Glossa, &
alij. *cap. cum dilectus*, iuncta Glossa *verbo iure com-
muni de consuetudine*, Romanus, Aymon, Cassiodo-
rus, & Rota ac Gonzalez cum illis *sup. Regula 8.
Cancellar. in proœm. §. 7. num. 139.* Ita vt propterea
Generalis, qui concessit talem facultatem appli-
candi spolia eius Religiosi defuncti Monasterio, in
quo obierat, cum habeat ius commune pro se, tutus 29
dicetur; quandiu aliqua exceptione contraria ex
aduerso, plenè probanda non excluditur. Barthol.
in

in l. admonendi numero 50. Ripa numero 112. ff. de iure iurand. Gonzalez supra gloss. 9. §. 1. numero 22.

STATVTA.

SVMMARIVM.

Quid illa importent apud Regulares. num. 1.
De statutis Religionum. num. 2.
An obligentur Regulares ad statuta laicalia. num. 3.
Ad quæ ex ipsis obligari possint. num. 4.
De aliis statutis laicalibus. num. 5.
Sacræ Congregationis declaratio. num. 6
Quid in dubio an sint contra immunitatem Ecclesiasticam. num. 7.
De pœnis contra facientes statuta contraria libertati Ecclesiasticæ. num. 8.
Resolutio cuiusdam dubij circa quoddam statutum num. 9.
Tale statutum videtur licitum, & honestum. n. 10.
Ordinatur ad maiorem decorem Ecclesiæ. n. 11.
An obstet quod factum sit per sæculares. n. 12.
Est propter bonum publicum. num. 13.
Statutum laicorum præscribens formam in funere defunctorum an sustineatur. num. 14.
An priuilegiatiuum, & fauorabile respectu Ecclesiasticorum. num. 15.
Ordinare quod clerici non vtantur vtensilibus Ecclesiæ nisi certis diebus an debeat sustineri. num. 16.
Ille Camerarius est veluti Oeconomus bonorum illius Ecclesiæ. num. 17.
Fauet valdè Bulla Martini V. n. 18.
Bulla Clementis VII. num. 19.
Talis Camerarius est administrator illorum bonorum num. 20.
Verba Martini V. num. 21.
Verba Clementis. n. 22.
Administratores vniuersitatum habent administrationem cum libera. num. 23.
Hoc declaratur in Bulla Martini. num. 24.
Pro administratione præsumitur. num. 25.
Videtur habere iurisdictionem delegatam. n. 26.
An dici possit Papam non potuisse id facere. n. 27.
Facultas contenta in Martiniani. num. 28.
Quid Prædecessores egerint. num. 29.
Videtur cessare scupulus peccati, & censuræ. n. 30.

1 Æc materia, prout specialiter ad Regulares spectat, duo præcipuè importat, alterum de obligatione ipsorum ad obseruantiam, statutorum Religionis, alterum verò de obligatione ad obseruandum statuta laicalia.

2 Et quoad primum, ex dictis tom. 1. cap. 8. constat quæ, quanta, & qualis sit obligatio Regularium ad Constitutiones, seu Statuta Religionum, an obligent in conscientia, de quibus rebus esse debeant, & à quibus fieri possint. Item supra verbo Leges Regularium plura dixi de eadem materia, præsertim circa promulgationem, interpretationem, & cessationem ipsorum. Alia quoque sparsim per totam hanc Summam.

3 Circa secundum verò de obligatione Regularium ad obseruanda statuta laicalia, seu leges ciuiles, constat ex dictis tom. 1. cap. 11. num. 16. quòd quamuis Religiosi immunes, & exempti non sint à legibus ciuilibus, seu statutis laicalibus, quæ non sunt contra libertatem Ecclesiasticam, sed pro bona Reipublicæ administratione instituta, immunes tamen, & exempti sint ab illis legibus ciuilibus, seu statutis laicalibus, quæ Ecclesiasticæ libertati ipsorum contrariantur. Constat etiam ex dictis eodem loco generaliter loquendo eas leges ciuiles, seu statuta laicalia dici contraria libertati Ecclesiasticæ, quæ Ecclesiasticis, siue Regularibus tollunt ea, quæ iure naturali, diuino, canonico, aut imperiali maiori, sunt illis concessa. Pro quibus vide Victoriam, Molinam, Sotum, & Rodrig. eo loco relatos, & Doctores communiter in cap. Ecclesia Sancta Mariæ de Constit. cap. cum terra de elect. & cap. fin. de immun. Eccles. in 6. ac plures Rotæ decisiones apud Dianam 5. part. Tractat. 1. Resolut. 8. Similiter generaliter loquendo ea statuta laicalia sunt contra libertatem Ecclesiasticam, per quæ Regulares, seu Ecclesiasticæ personæ efficiuntur deterioris conditionis, quam laici, aut timidiores in suis priuilegiis, prout probant Barbosa de Iure Ecclesiastico l. 2. capite 3. num. 193. Diana 4. part. Tractat. 1. Resolut. 55. & Bonacina de Censur. in Bulla Cœnæ contentis disputat. 1. q. 16. sectione 2. punct. 2. num. 4. & 6. Item ea, quibus eorum priuilegia restringuntur, Bonacina, & Barbosa supr. ex aliis.

Specialiter autem, quæ sint in particulari materia huiusmodi leges ciuiles, aut statuta laicalia, quæ Religiosis, aut Ecclesiasticis tollunt ea, quæ iure naturali, diuino, canonico, aut imperiali superiori ipsis competunt, quia res est longissima, & multis difficultatibus implicata, solùm tangam, quæ propriora sunt ipsis Regularibus, & magis communiter à Doctoribus sustinentur, non tam pro nunc resoluendo, quam eorum sententias solùm referendo, copiosiorem disputationem de ipsis ad alium locum remittens. 4

Inter hæc ergo primum locum tenere videtur statutum, quo Principes prohiberent laicis ne vendant aliquid Ecclesiis, aut Regularibus, aut ne molant, aut coquant panem, vel ne exhibeant ipsis aliqua obsequia, & seruitia necessaria. Ita enim habetur cap. eos de immunit. Eccles. in 6. Suarez de Cens. supr. disput. 21. sect. 2. num. 93. Filliucius Tract. 16. cap. 10. num. 271. Bonacina supr. num. 4. Diana ex ipsis & aliis part. 1. tract. 2. resolut. 54. contra Caietan. Nauarrum, & alios. Secundò, statutum, quo prohiberetur sæculares contractus inire cum Regularibus, vel Ecclesiasticis. Barbosa supr. num. 194. & 195. Duardus in Bull. Cœnæ cas. 15. q. 19. Bonacina supra num. 5. Terriò, statutum excludens Religiosos à Collegio Doctorum. Bonacina supra ex aliis. Quartò, statutum, quo prohiberetur alienatio bonorum immobilium in Regulares, quia tale statutum prohiberet Regularibus non solum id quod iure naturali præmissum est, sed etiam quod iure humano est concessum, l. generali, & l. iubemus de Sacrosanct. Eccles. & cap. eos relato, ac decisione Pauli V. circa hanc rem. Filliucius d. cap. 10. n. 272. Reginaldus in Praxi tom. 1. l. 9. cap. 23. num. 359. noster Episcopus Bouius in Respons. p. 3. quos & alio sre fert, & sequitur Diana loco relato ex 1. p. resol. 58. & 4. p. Tract. 1. Resol. 13. & 70. maximè vero 6. part. Tractat. 3. Apolog. de hac re. Iunge Barbosam supra n. 216. contra Molinam, Anguianum, Graffium, & alios. Quintò, statutum, quo decerneretur, quòd Regulares non fruantur priuilegiis aliorum ciuium, quia etiam tale statutum tolleret Regularibus id, quòd iure communi ipsis competit. cap. constit. de restit. in integrum, Suarez contra Regem Angliæ, l. 4. cap. 22. n. 19. Diana loco relato ex part. 1. resol. 61. 5

&

& 4. part. Tract. 1. *Resol.* 15. contra alios. Qui etiam eo loco ex 1. *part. resol.* 64. *& 6. part. Tract.* 3. *resol.* 10. ex Hostiense, Archidiacono, & aliis idem refert de statuto mandante, vt bona Ecclesiæ relicta intra certum tempus vendantur, quod etiam tenet Bonacina *supra num.* 18. Idem dicens *num.* 19. de statuto quo decerneretur, vt de re ad pias causas relicta aliquid soluatur fisco. Idem dicit Diana *Resolut.* 69. *& 6. part. tract.* 8. *resolut.* 4. de statuto prohibente Regularibus extractionem, vel introductionem annonæ videlicet vini, frumenti, &c. Quamuis in hoc varietas magna sit inter Doctores. Sextò, statutum quo decerneretur ne aliqui cum Monialibus loquantur. Bonacina *supra num.* 27. Septimò, statutum disponens ingredientem Monasterium non succedere in hæreditatem prout ex Rotæ decisione, & variis Doctoribus habet idem Diana 6. *parte Tractat.* 3. *Resol.* 8. & specialiter Sanchez *l.* 7. *in Decalog. cap.* 12. *num.* 18. Barbosa *suprà num.* 198. Octauò, statutum, quo decerneretur, quòd pecora, seu animalia etiam Regularium damna agris, vel fructibus inferentia, capiantur. Hoc enim statutum videtur esse contra immunitatem Ecclesiasticam pluribus iuribus introductam. Barbosa *in Collectan. tom.* 1. *l.* 1. *tit.* 2. *cap.* 10. *num.* 6. Diana *supra resolut.* 101. Notans tamen multos docere contrariam sententiam. Nonò, statutum, siue lex inualidans donationem bonorum factam Regularibus, saltem si id non fuit in fraudem tributorum Principum, propter idem fundamentum. Diana *part.* 3. *tract.* 1. *Resolut.* 3. contra Vasquez, & alios oppositum tenentes. Decimò, statutum, quo puniventur pœna aliqua propterea quòd transgressi fuerint pretia taxata. Et si enim, iuxta dicta eo *capit.* 11. *num.* 17. stare debeant Religiosi legibus taxantibus pretia rerum, cum sint membra Reipublicæ sicut alij ciues, non tamen propterea puniri debent pœnis contra transgressores à laicis inflictis, sed à suis Prælatis iuxta grauitatem transgressionis, & scandali inde sequuti, iuxta dicta eodem loco. De quo etiam, præter Authores relatos, Villalobos *in Summa tom.* 1 *tractat.* 2. *difficult.* 31. Squillante *de priuileg. Cleric. or. c.* 8. *n.* 89. & Salas *de Legibus disp.* 14. *sect.* 8. *n.* 104. De statuto laicorum prohibente impressionem librorum sine ipsorum licentia, dixi supra verbo *Libri num.* 10. De statuto etiam laicorum, quo prohiberetur constructio Monasteriorum sine ipsorum licētia dixi etiam *supra* verbo *Monasteria Regularium. num* 29. De statuto quoque eorumdem laicorum, quo prohiberetur immunitas Ecclesiarum quoad reorum receptionem, dixi eodem verbo *num.* 25. *&* 26.

6 Specialiter etiam quòd statuta laicorum non comprehendant Regulares, aut alios Ecclesiasticos (intellige quando sunt contra immunitatem Ecclesiasticam) constat ex declaratione S. Congregationis Immunitatis, quam refert relatus Diana 5. *part. inter Declarationes Sacrarum Congregationum n.* 42. *&* 48. vbi habetur laicos publicantes Edicta generalia cogi posse ad declarandum sub ipsis non comprehendi Ecclesiam, neque Clericos. Vnde etiam ibidem declaratur Ecclesiæ molendina non comprehendi sub prohibitione facta à laicis ne asportetur frumentum ad molendina.

7 Maximè etiam circa huiusmodi statuta sæcularia notandum, quòd in dubio an sint contra immunitatem Ecclesiasticam debemus fauere opinioni affirmatiuæ. Et ratio est, quia in dubio tenenda est opinio, quæ fauet Ecclesiæ, vt patet ex *cap. fin. de sent. & re iudicata, & ex l. sunt personæ ff. de Relig. & sumpt. funer.* Idem docet Diana dicto *Tractat.* 2. *ex prima part. Resolut.* 66. ex Felyno, Iasone, Deciano, Belleto, & aliis. Nota etiam statutum dici contra immunitatem Ecclesiasticam, siue indirectè, siue directè id habeat, ex *cap. statutum de hæreticis in* 6. siue expressè, siue tacitè, ex *cap. Clericis §. Nos igitur de immunitate Eccles. in* 6. Etiam si non loquatur de ipsis personis Ecclesiasticis. Duardus *supra.* Bonacina *supra numero* 32. Diana 4. *part. dicto Tractat.* 1. *Resolut.* 52. ex aliis. [Quia tamen dubitari potest quòd statutum sit indirectè contra immunitatem Ecclesiasticam, ideo in præsenti afferre placuit diuersas sententias circa explicationem illius particulæ *indirectè* vt ex ipsis simul, vel illarum aliquibus huius dubij decisio habeatur. Primò ergo Sanchez *lib.* 6. *in Decalog. capite* 18. *numero* 23. explicans verbum *indirectè* quod habetur in quodam voto Patrum Iesuitarum, quo promittunt se nihil acturos neque indirectè vt aliquam Prælationem obtineant dicit, quòd particula illa nihil diuersum importat, sed poni ad maiorem ponderationem. Secundò idem Sanchez *ibidem num.* 42. cui fauent Sossa in explicatione Bullæ Clementis VIII. *de largitione munerum num.* 73. & Sorbus *in Compendio priuilegiorum Mendicantium part.* 1. *verbo Dare in expositione eiusdem Bullæ §. Tertia generalitas* dicit idem esse *indirectè* ac simulatè, tacitè, seú palliatè. Tertiò Suarez *lib.* 4. *contra Regem Angliæ. cap.* 33. *num.* 5. *&* 6. explicat terminum illum *indirectè* vt idem sit quòd fieri cum talibus circumstantiis ex quibus colligatur per circuitum aliquem id de quo dicitur. Quartò Cardinalis Lugo *tom.* 2. *de instit. & iure disput.* 36. *sect* 9. *num.* 136. dicit idem quod Suarez. Vnde ad intentum nostrum, quid scilicet intelligatur per illud *indirectè* esse contra immunitatem Ecclesiasticam, dicit, quod indirectè in hac materia intelligitur quando lex non tendit directè verbis suis grauare Ecclesiasticos; nihil enim eis præcipit, vel ab eis exigit; ab aliis tamen subditis exigit, vel eis præcipit aliquid, specie quidem externa subditos solùm grauando, vel eis præcipiendo, sed in tali materia vel talibus circumstantiis quæ ostendunt id præcipi vel exigi ad finem grauandi per circuitum illum Ecclesiasticos, quibus directè præcipi non poterat. Directè ergo læditur immunitas Ecclesiastica quando imponitur gabella soluenda ab omnibus etiam Ecclesiasticis: tunc enim directè, & immediatè grauatur ipse Ecclesiasticus, non mediante vllo alio ex cuius grauamine resultet grauamen Ecclesiastici: indirectè vero quando præceptum vel onus imponitur laico ea intentione, vt consequenter grauetur Clericus. Vt si laicis prohibeatur ne vendant vel laborent nisi cum licentia speciali Magistratus ea intentione vt non detur licentia vendendi vel laborandi pro Ecclesiasticis: quæ prohibitio directè tendit ad laicos, sed indirectè ad Ecclesiasticos. Vnde infert cum Suarez *tom.* 3. *in* 3. *p. disp.* 21. *sect.* 2. *n.* 78. in hac materia læsionis indirectè multum attendendum esse ad intentionem statuentis: quia & si intentio sola non sufficiat, quando tamen actio externa est capax iudicandi talem intentionem; ex ista posset illa colligi.

Aduerte tamen non esse indirectè contra immunitatem Ecclesiasticam lex illa quæ solùm remotissimè tangeret Ecclesiasticos, qualis esset illa, quam mercatores laici in ingressu ciuitatis cogerentur soluere tributum ex mercibus quas portant vendendas, etiamsi inde sequatur quod eas vendant cariùs Ecclesiasticis. Tum quia aliàs nullum esset Statutum laicis impositum, quod aliquo modo non tangeret Ecclesiasticos. Tum etiam quia communis sententia 8

tentia DD. tenet quod ea quæ solùm remotè Ecclesiasticos lædere possunt, non sunt contra eorum immunitatem. De quo Enriquez *lib.*10.*cap.*15.*num.*5. Rodriguez *tom.*3.*quæst.Regular.quæst.*74.*art.*7.Azor. *tom.*3.*lib.*5.*cap.*20.*q.*2. Sanchez *dub.*55.*n.*40. Lugo *dicta sect.*9. *num.*123. alios referentes.]

8 Nota tandem contra facientes statuta, quibus Ecclesiastica libertas tollitur, læditur, reprimitur, vel restringitur, esse inflictam excommunicationem latæ sententiæ in Bulla Cœnæ verbis relatis *supr.* verbo *Bulla Cœna n.*40. De qua Suarez 5.*tom.in* 3.*part. disp.*21.*sect.*2. *à num.*79. Toletus *in Summa l.*1.*c.*37. Filliucius, Duardus, & Bonacina relati. De aliis etiam pœnis contra illos, Barbosa *supra numero* 192.

9 Facit ad intentum resolutio cuiusdam casus mihi propositi circa quoddam statutum factum per quosdam sæculares. Resolutio autem talis est.

10 Decretum, seu statutũ factũ per Camerarium & super stantes fabricę Ecclesiæ Vrbeuetanę, quod videlicet ornamenta, seu paramenta legata dictæ Ecclesiæ, & calix quidã conseruentur, & custodiantur in quodam loco vbi conseruantur res aliæ pretiosæ, nempe mitræ Episcopales, Candelabra & Lampades argenteæ, gemmæ & monilia quibus ornari solet Imago Beatissimæ Virginis Mariæ, quando processionaliter defertur in die ipsius sanctissimæ Assumptionis; & quod dicta ornamenta, paramenta, seu vestimenta sacra non dentur ad vsum Ecclesiæ, nisi in aliquibus diebus solemnioribus, videtur licitum & honestum, ac proinde posse sustineri sine vllo scrupulo peccati aut censuræ.

11 Ratio principalis est, quia hoc totum ordinatur & dirigitur ad maiorem decorem d. Ecclesiæ, & conseruationem dd. ornamentorum, vestimentorum & vasorum sacrorum, quod est euidens redundare in incrementum & augmentum eiusdem Ecclesiæ. Quæ omnia cum cedant in Dei cultum & reuerentiam negari non potest, quin bona sint, licita & honesta, prout latè S.Tho.2.2.*q.*84.& 85.& ibi DD.cum ipso.

12 Nec refert quod ea sancita & determinata sint per decretum seu statutum factum per dictos Camerarium & superstantes. Etsi enim regulariter loquendo statuta laicorum non obligent Ecclesiasticos, nec illi possint ea facere hoc modo. *c.statutum de hæret.in* 6. 6.& *c.Quanto de priuil.* Etiamsi talia non statuta tangant expresse, sed solùm tacitè personas Ecclesiasticas. *cap. Clericis* §. *Nos igitur de immun. Eccles.in* 6. Surdus *cons.*301.*num.*77. Marta *de iurisdic.p.*4.*Centur.*1.*cas.*62. Durandus *in Bullam Cœnæ lib.*2.*can.*15. *q.*19. Maximè si per illa prohibeantur, vel impediantur vti rebus, aut facultatibus à iure communi sibi concessis, vt docent Felynus *in cap.Ecclesia S.Mariæ de constit.n.*111.& ibi Imola & Butrius. Primò,

13 quia id limitandum est, quando talia statuta feruntur propter bonum publicum, quale est hoc de quo in præsenti. Thomas del Bene *de Immun.Eccles.p.*1. *cap.*8.*dub.*14 *sect.*3.*num.*3. Ioannes Lacuna *in allegat.* edita Matriti die 16. Maij anno 1638.

14 Secundo quando talia statuta cedunt in vtilitatem Ecclesiasticorum, Sic enim quia statutum laicorum præscribens modum & pompam in funere defunctorum, & quod cedat in vtilitatem Clericorum sustinetur vt validum & honestum; prout tuentur Caietan.*in sum verb. Excommunic.c.*31. Laym.*lib.*4. *tract.*9.*c.*9.*n.*3. Filliucius *tom.*1. *tract.*16.*c.*10.*n.*273. & plures alij, quos refert & sequitur Thomas del Bene *supr.cap.*8.*dub.*4. Pariter ergo hoc statutum seu decretum præscribens modum vtendi dictis vestibus seu paramentis cum respiciat bonum commune illius Ecclesiæ, ipsiusque vtilitatem vt licitum & validum sustineri debet.

Tertiò, quia statutum laicorum priuilegiatiuum & fauorabile respectu Ecclesiasticorum omnino sustinetur vt licitum & validum, eo quod concedere priuilegium actus pietatis est, non iurisdictionis, & esto iurisdictionis esset est iurisdictionis priuilegiatiuæ & voluntariæ Abbas *cap. Ecclesia S. Mariæ de Constit.* ex *cap.nouit de Iudic.* Et quia Clerici quoad priuilegia & statuta fauorabilia reputantur vt subditi. Abbas & Felynus *in d.cap.Ecclesia S.Mariæ*, Suarez *de legib.lib.*8.*c.*9.*n.*4. Laym. *lib.*1.*tract.*4. *cap.*23. *in quæstionibus de priuil.n.*15. Ordinare autem quod Clerici non vtantur vtensilibus Ecclesiæ, & ornamentis nisi certis diebus & occasionibus, ad hoc vt diutius durent & conseruentur, fauor est & priuilegium Ecclesiæ, tum quia cedit in ipsius vtilitatem; tum quia propter hanc causam sæpius Ecclesiæ, maximè Regulares obtinere solent Breuia Pontificia ad hoc intentum. Rectè ergo ordinari hoc potuit à prædictis Camerario & superstantibus, qui sunt veluti administratores bonorum dictæ Ecclesiæ. 15 16

Eo etiam quarto, quia præfatus Camerarius est veluti bonorum illius Ecclesiæ Oeconomus, seu quod idem est, administrator, imò Procurator, iuxta *c.vnic.de Syndic.& can. Saluator.* ex Concilio Chalcedonensi, vbi Glossa 1.*q.*3. Oeconomus autem, & Procurator rerum Ecclesiasticarum sunt personæ Ecclesiasticæ, vel ad instar ipsarum, vt de Procuratore constat ex *d.can.saluator*, & Chalcedonensi Synodo; ac de Oeconomo ex *cap. Quia in quibusdam, cap.indicatum* 89.*dist.c.in noua* 16.*q.*7.*c.cum simus* 9. *q.*3. *cap.cum vos de offic. Ordin.* & aliis iuribus. Non ergo miserunt falcem in messem alienam, dum de vtensilibus illius Ecclesiæ, & pro ipsorum conseruatione disposuerunt per tale decretum. 17

Quæ omnia quinto & clarius innotescunt ex Bulla Martini V. Pontificatus sui anno 3. in qua narrans quod *nonnulli Clerici se in huiusmodi fabricæ eiusque redituum & prouentuum receptione & administratione contra veterem obseruantiam, & consuetudinem miscere, seu intromittere sub certis titulis & coloribus præsumpserunt*; pro maiori ipsius augmento & conseruatione conseruatoribus & communi ciuitatis Vrbeuetanæ concedit ista: *Vt duo vel tres seu plures ciues Vrbeuetanos laicos fide, bonitate & idoneitate conspicuos & præclaros quatenus pro tempore duxeritis in superstites dictæ fabricæ nominandos eligere, ipsosque ad tempus, de quo vobis videbitur super introitibus, prouentibus, oblationibus, obuentionibus relictis & legatis reparationem & fabricam d. Ecclesiæ conuertendis, & etiam exponendis authoritate nostra constituere & ordinare & etiam deputare vsque ad nostrum & Sedis Apostolicæ beneplacitum libere & licite valeatis auctoritate Apostolica concedimus per præsentes, volentes ac etiam statuentes quod Episcopus Vrbeuetanus pro tempore existens, & dilecti filij clerus ciuitatis eiusdem de ipsa fabrica, eiusque redditutum & prouentuum administratione huiusmodi durante beneplacito se nullatenus intromittere debeant quoquo modo.* Post alia hæc etiam subiungens: *Nos enim eisdem ciuibus per vos in superstites dictæ fabricæ, eiusque conseruationis vt præmittitur eligendis & deutandis omnia & singula introitus, prouentus, obuentiones, relicta, legata & bona ad d. Ecclesiam ratione dictæ fabricæ prouentura, vel prouenire debentia quouis modo à quibusuis illorum debitoribus cuiuscumque status, gradus, ordinis, præeminentiæ vel conditioni extiterint, petendi, exigendi, & de receptis soluentes finiendi, quietandi & liberandi, & alia in præmissis* 18

faciendi

faciendi, disponendi, mandandi, & exequendi, quæ superstites dictæ fabricæ qui fuerunt pro tempore facere consueuerunt de consuetudine, vel de iure, & quæ præfati ciues pro augmento diuini cultus, ac ampliatione & incremento Ecclesiæ prælibatæ expedire cognouerint eadem auctoritate plenam & liberam tenore præsentium licentiam elargimur, non obstantibus quibuscunque.
19 Quæ omnia Clemens VII. in alia Bulla de anno 1528. supponens & virtualiter confirmans solum adiunxit quod deinceps vnus Camerarius per vnum annum duntaxat duraturus dictæ fabricæ præesset, iuramentum de bene administrando suo munere faceret, & in fine sui officij rationem redderet coram quibusdam reuisoribus ab eodẽ Pontifice designatis & alia concernentia.

20 Ex his enim deducitur talem Camerarium & superstantes administratores esse bonorum & reddituum dictæ fabricæ. Propterea enim in Bulla Martini dicitur,
21 quod nonnulli Clerici *in huiusmodi fabrica eiusque reddituum & prouentuum receptione & administratione &c. se intromittere præsumpserunt.* Propterea etiam statuit quòd Episcopus & Clerus Ciuitatis *de ipsa fabrica, eiusque reddituum & prouentuum administratione se nullatenus intromittere debeant quoquo modo.* Et in Bulla Clementis dicitur *cuius fabricæ administratio,*&c. *& administretur.* Et
22 infrà: *Fideliter administrando ratione administrationis,&c.* Ac infrà: *Si quid doli, vel fraudis in administratione,&c.* Si autem administratores sunt, rectè sequitur potuisse statuere circa illa vtensilia Ecclesiæ
23 ea quæ fecerunt. Etenim administratores vniuersitatum censentur habere administrationem cum libera, vt dicit Barthol. *in l. Præses num.4. C. de transact.* quod etiam tenent Dec. *conf.*204.*num.*5.& Cardinal. Tuschus *tom.*5. *litt.M. concl.*45. *num.*25. & Barbosa *de offic. & potest. Episcopi alleg.*133.*num.*26. Si etiam est cum *libera* intelligitur quoad omnia, Crauetta *conf.*122.*num.*5. Alexand. *conf.*96. *lib.*5. totalitatem enim importat. Menoch. *consil.*1. *num.*13. *& consil.*633.*num.*14. Præsertim cum hoc expresè declare-
24 tur in eadem Bulla Martini, ibi: *Eadem auctoritate plenam & liberam tenore præsentium licentiam elargimur.* Maximè etiam quia dictio *plenam*, adeo est vniuersalis, vt omnia comprehendat, nec recipiat diminutionem, aut egeat additione, quia nihil potest addi, aut ab ea aliquid minui. *cap. Bene quidem* 96. *d. cap. Apostolica de præben. in* 6. Baldus & alij Doctores apud Barbosam *in tract. de dict. dict.*261. *n.*2.
25 & 3. Et præsumendum est animo administrandi id fecisse, sicut de administratore præsumitur, *l. Cum quidam quando ex fac. tut. l. Cum post,* §.1.& ibi Barth. *in* 1.*col. in fin. ff. de administr. tut.* Bald. *in l. fin. in* 3.*col. C. de dot. promiss.* Bertachinus *in Repert. p.*1. *verb. Administrator & administratio.*

26 Quia etiam in dicta Bulla Martini dicitur de huiusmodi administratoribus eos designari *auctoritate nostra*, & rursus *auctoritate Apostolica.* Et inferius *eadem auctoritate:* cum hæc clausula denotet iurisdictionem delegatam, vt resoluunt Menochius *de præsumpt. libro* 2. *præsumpt.*16. *numero vigesimooctauo.* Marchesanus *de Commiss. part.*1. *pag.*64. *& pag.*802. *& pag.*416. *in vltim. impres.* & Moneta *de commut. vltim. vol. cap.*7. *numero* 141. velut Iudices delegatos à Sede Apostolica id fecisse existimari debet.

27 Nec dicatur, Papam non potuisse subiicere Clericos & bona Ecclesiastica personis laicis. Oppositum enim est verissimum pro certis casibus, provt ex pluribus Iuribus & DD. satis probat Iulius Cartarius almæ Vrbis Senator *in disp. de foro compet.* ab Illustrissimo Carolo Cartario eius filio typis tradita *num.*138.*&* 139.

Nec omittendum, quod cum in dicta Martiniana amplissima facultas prædictis concedatur d. auctoritate Apostolica inter alia dicitur concedi illis licentiam *petendi & exigendi & de receptis soluentes finiendi, quietandi & liberandi, & alia in præmissis faciendi, disponendi, mandandi, & exequendi, quæ superstites dictæ fabricæ qui fuerunt pro tempore facere consueuerunt de consuetudine, vel de iure, & quæ præfati ciues pro augmento diuini cultus, ac ampliatione & incremento Ecclesiæ prælibatæ expedire cognouerint.* Si enim anteriores superstantes, 28
seu ciues Vrbeuetani simile aliquid temporibus ante actis fecerunt (provt credibile est fecisse, quia vt notatur in d. Bulla, videntur fuisse patroni dictæ Ecclesiæ, eam fundando, construendo & dotando) proculdubio idem etiam potuerunt facere dicti Camerarius & socij. 29

Cessat igitur ex dictis scrupulus peccati aut censuræ incursæ in d. decreto, seu statuto, cum innitatur auctoritati Apostolicæ concessæ dictis administratoribus. Etenim iuris communis, Summorum Pontificum, & Bullæ Cœnæ decreta prohibentia similem subiectionem personarum, seu bonorum Ecclesiæ laicis intelligenda sunt, iuxta communem DD. nisi aliter Sedes Apostolica pro casibus particularibus decreuisset, provt in casu præsenti contigisse videtur. 30

SVFFRAGIA.

SVMMARIVM.

*Suffragium quot modis sumatur. num.*1.
*Suffragium pro adiutorio spirituali tribus modis contingit. num.*2.
*Suffragium ex opere operantis duobus modis. num.*3.
*Fideles in hac vita possunt se inuicem adiuuare. n.*4.
*Item defunctos in Purgatorio existentes. num.*5.
*Qualiter Regulares teneantur suffragia offerre pro benefactoribus. num.*6.
*An perdant ipsorum opera de suo valore si aliis applicentur. num.*7.
*Qui fructus applicatur à Summis Pontificibus aliquando. num.*8.
*De suffragiis sumptis pro votis, seu vocibus Capitularium. num.*9.
*An semper dignioribus dari debeant. num.*10.
*An possit aliquis duo suffragia in electione aliqua habere. num.*11.


CVM suffragium à suffragando, seu auxiliando dicatur, provt ex S. Thoma *in* 4. *dist.*45. habet Syluest. *in Summ. v. Suffragium n.*1. ideo id, quo aliquis aliquo modo adiuuatur, suffragium dici potest. Ad rem autem nostram, suffragium duo importare potest: primò auxilium, seu adiutorium spirituale, quo vnus fidelis alterum adiuuat ad obtinendum à Deo remissionem pœnæ temporalis, vel aliud simile. Secundò, votum, seu vocem in electionibus. De quibus sigillatim agendum, quatenus propriùs ad Regulares spectat. 1

Et quidem suffragium priori modo tribus modis potest contingere; scilicet primò, ex opere operato per Sacramenta, & sacrificium Missæ. Secundò, per Indulgentias. Tertiò, ex opere operantis. Suarez *in* 3. *part. tom.*4. *disp.*48. *in princip.* De suffragio primo modo plura dixi *supra verbo Missa.* De suffragio secundo 2

ſecundo modo *ſuprà verbo Indulgentia quoad Regulares*. Solùm ergo eſt modo loquendum de ſuffragio tertio modo.

3 Pro quo ſuppono, huiuſmodi ſuffragium ex opere operantis duobus modis contingere poſſe, ſcilicet per modum ſatisfactionis, quatenus ſcilicet vnus offert pro alio valorem ſatisfactionis, qui eſt in operibus bonis ad ſatisfaciendum pro pœna temporali. Secundò, per modum impetrationis, aut meriti de congruo quatenus ſcilicet vnus ſuis precibus, aut orationibus impetrat à Deo, vt alteri concedat auxilium ad faciendum bonum opus, per quod remittatur illi culpa, aut pœna temporalis, cuius eſt debitor. S.Thom. *in 4.diſt.*45.*q.*2.*art.*1. Syluest. *ſupra verbo Participatio*. Sorbus *in Additionibus ad Compend. priuileg. Mendicant. verbo Indulgentia quoad Seculares*.4. Peyrinis *tomo* 2. *de Prælato q.*3.*c.*6. Apud quos etiam de iis, in quibus conueniunt, & in quibus differunt hi duo modi ſuffragij.

4 His poſitis, certum eſt omnes fideles in hac vita degentes poſſe ſe inuicem adiuuare prædictis duobus modis. Colligitur ex *Communione Sanctorum*, quæ eſt articulus fidei in Symbolo poſitus. Ea enim non ſolùm denotatur omnes fideles communicare in vno capite Chriſto, vno Baptiſmate, & aliis Sacramentis, ſed etiam quod mutuò ſe poſſunt adiuuare per ſatisfactiones, & merita de congruo ad remiſſionem pœnæ temporalis, vel alterius boni ſpiritualis conſecutionem. Colligitur etiam ex Sacra Scriptura Pſalm.18. *Particeps ego ſum omnium timentium te, & cuſtodientium mandata tua*. Et ad Rom.15. *Obſecro vos, &c. vt adiuuetis me in orationibus veſtris pro me ad Deum* S.Thom. *in 4.diſt.*20.*q.*1. Suarez *ſupra ſect.*1.*&* 2. Bonacina *de Sacram. diſp.*6. *q.*2.*punct.*1.

5 Certum etiam eſt, poſſe fideles viuentes eodem modo adiuuare defunctos in Purgatorio exiſtentes, tum ex illo 2.*Machab.*12. *Sancta ergo, & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis ſoluantur*. Tum ex pluribus Conciliis, Eccleſiæ traditione, & conſuetudine. Vualdenſis noſter *tom.*3.*tit.*11.*c.*107. noſter Hieronymus Gratianus *de Iubileo p.*1.*cap.*15. Sotus *in 4.diſtinct.*19.*q.*3.*art.*1.*& diſt.*45.*q.*2.*art.*2. Suarez *ſupra ſect.*4. Lugo *de Sacram. Pœnit. diſp.*26. *ſect.*2.*num.*17. poſt alios.

6 His poſitis, ad Regulares deueniendo, certum eſt illos, qui ex eleemoſynis fidelium, vel etiam ex reditibus ab illis relictis viuunt, teneri ipſorum bona ſatisfactoria, ſeu impetratoria pro ipſis applicare. Ratio eſt, quia tales eleemoſynæ, ſeu redditus conceduntur ipſis à fidelibus ſpe participandi eorum bona opera, & illorum intuitu, iuxta dicta *tom.*1.*p.*1.*cap.*6.*n.*43. Vnde hoc fine, & ſpe defraudant illos, ſi talia opera pro ipſis non applicent. Sanchez *l.*7.*in Decalog.c.*24. *num.*8. poſt D.Thom. Caietanum, Ledeſmam, Angles, & Valentiam, quos refert. Hoc autem peccatum regulariter eſt contra virtutem gratitudinis, quia accipere debent prædictas eleemoſynas animo gratificandi benefactoribus, ſaltem in ſpiritualibus, faciendo ſcilicet illos bonorum ſuorum operum participes. Licet autem regulariter ſolùm ſit veniale, poterit tamen eſſe mortale quando Religioſus fere nunquam benefactorum Ordinis memor eſſet, & notabiliter negligens in operibus bonis pro illis applicandis. Valentia 2.2.*diſp.*10.*q.*5. *puncto* 3. Licet Sanchez *ſupra num.*9. ſolùm venialem culpam in hac ingratitudine agnoſcat. Adde, quod ſi Religioſus à prædictis actibus deſiſtat ex formali beneficij eleemoſynarum contemptu, vel in actibus ad mortale obligantibus, peccatum mortale erit talis ingratitudo. Caietanus 2.2. *quæſt.*187.*art.*4.*dub.*2. Cordub. *in Regulam D. Franciſci cap.*6. *quæſt.*13. Valentia *ſupra*. Quando autem ex pacto, vel promiſſione tenentur Religioſi ad prædicta opera pro benefactoribus facienda, tunc peccabunt contra iuſtitiam non ſic faciendo. Ratio eſt, quia ex pacto, & promiſſione accepta oritur obligatio iuſtitiæ, prout ſupponunt Sanchez *num.*10. ex Caietano, Valentia, & Angles. Imò tale peccatum erit mortale, quando materia grauis fuerit, & obligans ad reſtitutionem, iuxta communes regulas materiæ de iuſtitia. Vide dicta *ſupra verbo Legata Regularibus*, & *verbo Miſſa*.

Nec credant Regulares propter applicationem ſuorum bonorum operum pro benefactoribus perdere ipſorum fructum. Licet enim ea, quatenus ſatiſfactoria ſunt pro pœna temporali, & meritoria de congruo, ſeu impetratoria, ſolum deſeruiant illis pro quibus applicantur, deſeruiunt tamen ipſis applicantibus, quatenus meritoria de condigno gratiæ, & gloriæ cum iuxta dicta *ſupra verbo Bona Regularium numero* 3. ſecundùm iſtam rationem ſint perſonalia, & inapplicabilia pro aliis. Imò, ſi ex motiuo charitatis pro prædictis applicentur, erunt magis meritoria de condigno, ſicut generaliter, iuxta doctrinam Theologorum in materia de merito, opera bona facta à iuſto ex motiuo charitatis ſunt magis meritoria quam facta ex motiuo alterius virtutis. Angelus *in Summ.v.Suffrag.n.*2. Syluest. *ſupra v.Suffragia q.*3.*&* 4. Ludou. à Cruce *de Expoſit.Bull.Cruc. diſp.*1.*cap.*8.*d.*15.*n.*10. 7

Is porrò fructus ſatisfactorius pro pœna temporali, & meriti de congruo, ſeu impetrationis bonorum ſpiritualium eſt, quem Summi Pontifices applicare ſolent ob ſpeciales rationes aliquibus fidelibus, vt patet in Bulla Cruciatæ, iuxta dicta *ſupra verbo Bulla Cruc.n.*17. & in Bulla Clem. VII. pro Confratribus Carmelitarum explicat noſter Reuerendiſſ. Stratius *in Inſtruct. pro Fratribus Carmelitis c.*22. Hic quoque fructus eſt ille, quem Prælati regulares applicant de bonis ſpiritualibus ſuorum ſubditorum cum benefactoribus ſuis litteras Confraternitatis concedunt. De quo latè dixi *ſupra verbo Bona Regul. num.*2.*& ſeqq.* Quibus addendum, quòd licet tales litteræ ſolùm benefactoribus concedi ſoleant poſſunt nihilominus etiam non benefactoribus concedi, ex charitate, aut ſpeciali amicitia, Sorbus *ſupra §.quare dicitur*. Peyrinis *d. c.*6.*num.*13. Ludouicus à Cruce *ſupra num.*17. ex Cord. & Rodrig. Quando autem conceduntur alicui titulo benefactoris, ſi talis cauſa non ſubſiſtat, non valeret talis communicatio bonorum, quia deficiente cauſa, fine, ſeu conditione conceſſionis deficit ipſa conceſſio. Sorbus *ſupra*. Ludouicus de Cruce *ſupra num.*16. Peyrin. *ſupra*. Addit idem Peyrin. *in Formul.litt.P.c.*1.*num.*1. non debere concedi niſi verè benefactoribus, & quòd participationes factæ à Superioribus non valeant poſtquam ſuum officium finierunt. Quod poſterius non videtur admittendum, quia iuxta dicta *ſupra verbo Gratia pro Regularibus n.*8. gratia facta non ceſſat poſt mortem, vel ceſſationem officij illam concedentis. 8

Circa ſecundam acceptationem ſuffragij, ſcilicet pro votis, ſeu vocibus in electionibus, plura dixi in præcedentibus, quæ ſufficient ad intentum, ſi ſolùm remiſſiuè referantur. Primò enim qualiter vota, ſeu ſuffragia inhabilium vitant electiones, dixi *tom.*1.*p.*1. *c.*15.*n.*6.*&* 7.*& tom.*1.*p.*2.*c.*12.*n.*29. & *ſupra verbo Excommunic.n.*31. Similiter, quòd ſuffragia in electionibus debeant eſſe abſoluta, & non cõditionata, certa, & non indeterminata, dixi eodem *c.*15.*n.*16. Quod debeant eſſe ſecreta, ita vt nunquam publicentur 9

dixi

dixi *ibid.n.*17. & *supra verbo Electio inter Regulares num.*11. vbi etiam quid si vel vnum tantum votum publicetur, & quid de votis aliquo patenti signo denotatis,vt cognoscantur qui ea dederunt,& alia ad intentum. De quibus nouissimè Zacharias Pasqualigus *in Decis. moralib. decis.*261. *& seqq.* Maximè *ibi n.*7. an suffragia dari possint per Procuratores. Debere esse libera prædicta suffragia dixi *eo cap.*15. *num.*21. & loco relato ex *num.*12. Suffragia semel data an reuocari possint, dixi eo *c.*15. & loco relato ex 3. *tomo d.num.*12.Qualiter pro ipsis suffragiis fieri non possit pactum,seu conuentio *ibid.num.*29.30.*&* 31. ac *supra verbo Simonia quoad Regulares.* Alia etiam ad intentum *supra verbo Prælatus Regularis*,& *verbo Præses Capitulorum.*

10 Maximè tamen,quòd suffragia in electionibus dari debeant dignioribus, constat, ex dictis eo *cap.*15. *numero* 12. & *tom.*1.*p.*2. *cap.*11. *numero* 20. & *supra verbo Beneficium num.*13. Quod etiam tenent, præter Auctores ibi relatos, Portellus *in Dub. Regular. verbo Electio numero* 6.Turrianus *tom.*2.*in* 2.2.*dub.*4. *num.*1. An verò in aliquo casu liceat eligere dignum relicto digniori consule Reginaldum *tom.*2. *lib.*3. *Tract.*3.*n.*199.ipsum Portellum *sup.n.*20.& *in addit. ad dictum verbum Electio n.*10.Ioannem Valerum *in different. vtriusque fori v.Electio different.*1 *n.*1.Dianam 2.*p.tract.*15.*Resol.*61.maximè verò 3.*p.Tract.*5. *Resol.*110.& Pasqualigum *dec.*256.*& seqq.*post alios, quos referunt.Vnde autem pensari debeat hæc maior dignitas,dixi dicto *verbo Beneficium num.*13.De quo etiam Comitolus *lib.*1. *Respons. moral.* & Portellus *d.v. Electio n.*21. *& in addit.n.*10. Quo etiam sensu accipiendum est, quod in Decretis Clem. VIII. & SS.D.N.Vrbani quæ retuli eo *c.*15.*n.*13. dicitur,*electores debere in electionibus iurare se electuros probiores,& magis idoneos.* De quo iuramento, & eius Decreti intelligentia, Sigismundus de Bononia *de elect. dub.*26. Lauorius *de elect. c.*19. Peyrin. *in Formul. litt.E,c.*2.& Bordonus *Resolut.*26.*num.*28.

11 Posse autem aliquem duo suffragia in electione aliqua habere, vnum ratione sui,& alterum vt procuratorem alterius absentis, tenere videtur idem Portellus *supra in addit. ad addit. numero* 2. eo quòd ius commune illud permittat, nec Concil. Trident. *sessione* 25.*cap.*6. contradicat. Sed esto ita sit in iure communi stando, id tamen meritò ab vsu, & praxi Religionum relegatum est, propter ambitionem, & alia inconuenientia. [Nota suffragia in electionibus maximè Prælatorum non posse fieri per calculos, lupinos, fabas, &c. sed solùm per schedulas: quia alia non essent certa aut determinata,nec isto modo manifestarent electores personam electi. Miranda *in Manuali tom.*2.*q.*23.*art.*17.*concl.*3. Sigismundus de Bononia *de elect. dub.*27. post Tabienam, Syluestrum, & alios.

SVPERIOR REGVLARIS.

VIde dicta *supra verbo Prælatus Regularis*,& aliquas declarationes ad intentum apud Barbosam *in Collectan. Bullar. hoc eodem verbo.*

SVSPENSIO QVOAD REGVLARES.

SVMMARIVM.

*Suspensio quid sit. num.*1.
*Quotuplex sit. num.*2.
*De causis ipsius. num.*3.
*De effectibus ipsius. num.*4.
*De suspensione ab officio simpliciter. num.*5.
*De suspensione ab officio in Religionibus. num.*6.
*De suspensione ab Ordine. num.*7.
*De suspensione à Beneficio. num.*8.
*De suspensione à Iurisdictione. num.*9.
*De suspensione à diuinis. num.*10.
*De suspensione à iurisdictione temporali. num.*11.
*De suspensione ab ingressu Ecclesiæ. num.*12.
*De violante suspensionem. num.*13.
*An actus prohibiti suspenso validè fiant. num.*14.
*Suspensum an vitare teneamur. num.*15.
*Suspensiones impositæ contra Regulares. num.*16.
*Aliæ suspensiones. num.*17.
*Suspensio quot modis tollatur. num.*18.

SVspensio est *Censura Ecclesiastica, qua Minister Ecclesiæ, seu Ecclesiastica persona, impeditur ne functiones exerceat sui officij, Beneficij, vel Ordinis.* Nauarr. *in Manual. cap.*27. *num.*151. Suarez *tomo* 5.*in* 3.*part. disp.*25. *sect.*1. Sayrus *de Censur. lib.*4.*cap.*1. Ioannes de Cruce *in Direct.Tract.de Censuris art.*3. Filliucius *Tract.*17.*c.*1.*q.*2. Cornexo *tom.*2. *in* 3.*p. Tract.*5. *de Susp. disp.*1. *dub.*1. & alij communiter,licet diuersis verbis.Dicitur *Censura Ecclesiastica* loco generis. Hoc enim est commune ipsi cum excommunicatione, & interdicto, iuxta dicta *supra verbo Censura Ecclesiastica num.*1 Toletus *in Summa lib.*1.*c.*42. *n.*1. Bonacina *de Censuris disp.*3. *punct.*1. *n.*1. Excluditur per dictam particulam peccatum mortale, quod, quamuis priuet vsu Ordinis Sacri, hoc tamen non est tantum iure Ecclesiastico, sed iure naturali,aut diuino,propterea quòd tale peccatum habens indignus redditur vsu talis Ordinis. Suarez, & Cornexo *supra.* Excluditur etiam per dictam particulam irregularitas, quia illa non est censura, sed impedimentum quoddam, iuxta dicta loco relato ex 3.*tom.* Suarez *supra.* Item prohibitio celebrandi imposita à Confessario suo pœnitenti in foro pœnitentiali. Cum enim imposita non sit pro foro externo,non est censura,nec vera suspensio.Cornexo, & Bonacina *supra.* Idem ad intentum Regularium dicendum de suspensione facta Clerico ab Abbatissa, propter dicta *supra verbo Abbatissa n.*16. Quod & notat Layman *lib.*1.*tract.*5.*part.*3.*c.*1.*num.*1.Scilicet, quòd Abbatissa,cum non sit capax iurisdictionis spiritualis,non potest ferre censuras. Excluduntur etiam generaliter loquendo omnes aliæ suspensiones impositæ vt pœnæ purè vindicatiuæ, seu punitiuæ peccati præteriti,non per modum pœnæ medicinalis præseruatiuæ à peccato futuro, qualis est censura. Suarez & Cornexo *supr.*Bonac.*supr.n.*2.Dicitur *qua minister Ecclesiæ, seu Ecclesiastica persona*, ad denotandum subiectum huius censuræ non esse laicos, sed solùm Ecclesiasticos. Nauar.*supra n.*153.Bonac.*supr.*Dicitur etiam *ne functiones exerceat*, ad ostendendum huius censuræ effectum, qui non est auferre officium, aut Beneficium quoad titulum, quemadmodum aufertur per degradationem, aut depositionem, sed solum quoad vsum,iuxta dicta *supra verbo Depositio num.*1. Toletus,& Cornexo *supra num.*4. 1

Suspensio multiplex est, quædam enim est suspensio ab *officio*,siue officium sit ordinis, siue iurisdictionis,& quædā à *Beneficio Ecclesiastico*,quædā etiā est ab *officio*,*& Beneficio* simul.Secundò,ea quæ est ab *officio* tantùm aliquando est,à toto officio,aliquando à parte.A toto officio,quando priuat vsu ordinis cuiusque,& simul vsu iurisdictionis. A parte verò, quando solùm priuat alicuius ordinis, seu iurisdictionis vsu 2

vsu non aliis, verbi gratia, ab audiendo confessiones, celebrando, &c. Tertiò, similiter, ea, quæ est à Beneficio, aliquando est etiam à toto, aliquando à parte sola, vt à fructibus percipiendis, vel aliquo alio ad ipsum pertinente. Quartò, diuiditur ratione temporum, nam aliquando est ab officio, vel Beneficio, vel vtroque ad aliquod tempus maius, vel minus, provt determinatum fuerit à iure, vel ab homine. Aliquando est à parte aliqua prædictorum, aut ad tempus aliquod, aut in perpetuum. Quintò, rursus diuiditur, nam quædam est à iure, quædam est ab homine, sicut de censuris in communi dixi *supra verbo Censura Ecclesiastica numero* 1. De his diuisionibus communiter Summistæ, & Doctores. Licet Suarez *supra sectione* 1. *numero* 3. & Cornexo *supra dub.*2. dicant suspensionem latam ad determinatum tempus non esse propriè censuram. Quod tamen non admittunt communiter Doctores, vt notat Tannerus *tom.*4. *disp.*6. *q.*10. *dub.*7. *num.*130. & *num.*132. Alias autem diuisiones suspensionis, quas antiquiores afferunt, reiiciunt Suarez *supra sect.*2. Sayrus *supra*. Filliucius *supra q.*3. Henriquez *lib.*13. *cap.*31. & alij.

3 Quoad causas suspensionis, loquendo de finali, certum est, eam esse correctionem delinquentis. Toletus *supra cap.*44. *in fine*. Quoad efficientem, regula generalis est, omnem & solum illum, qui potest excommunicare posse etiam suspendere, quia vtrumque pertinet ad vnam, & eamdem potestatem iurisdictionis. Angelus, Syluester, & alij Summistæ *verbo Suspensio* Toletus *supra cap.*44. Sayrus *supra cap.*2. Vnde id etiam competit Prælatis Regularibus, iuxta dicta *tom.*1. *p.*1. *c.*18. *n.*22. & *supra verbo Censura Ecclesiastica n.*2. Quomodo autem poni debeat, habes ex dictis eo *n.*22. & ex *verb. Censura Ecclesiast. num.*6. De quo etiam Peyr *in Formul. litt. C. c.*5. Causa verò materialis remota, seu is, qui suspendi potest, iam dixi *supra n.*1. esse solam personam Ecclesiasticam, seu ministrum Ecclesiasticum. Vnde ad propositum Regularium, Religiosus, qui non est ad minus prima Tonsura initiatus suspendi non potest. Sayrus *supra cap.*1. *num.*17. Thesaurus *in praxi p.*2. *verbo Monialis c.*2. Vnde etiam suspensio, quam ponit Concilium Tridentinum *sess.*25. *c.*17. contra Præfectam Monasterij, quæ non monet Episcopum ante professionem Nouitiæ, non est propriè censura, propter rationē assignatam. Thesaurus *in Prax. part.*2. *verbo Monialis cap.*2. Addens tamen, esse similem suspensioni, quæ est censura, & ferri ad modum ipsius, ac per consequens incurri in conscientia ante omnem declarationem. Nomine autem personæ Ecclesiasticæ, quæ potest suspendi, venit etiam Capitulum, iuxta dicta *supra verbo Capitulum*. Suarez *supra disputatione* 28. *sect.*3. Cornexo *supra dub.*1. Layman *supra cap.*2. Pro causa verò materiali proxima, seu peccato, pro quo quis potest suspendi, consule dicta eo *verbo Censura Ecclesiastica num.*10. Vbi habes debere esse peccatum mortale, externum, & consummatum, imò & proprium. Quando autem suspensio non fertur directè in personam, sed contra Communitatem, vel Capitulum, tunc potest contrahi propter peccatum alienum. Corn. *supr. dub.*2. post D. Thom. Syluestrum, & alios. Similiter suspensio leuis, qualis est suspensio ab vno actu eligendi, à distributionibus vnius horæ, &c. potest incurri pro sola culpa veniali. Caietanus *in Summa verbo Suspensio*. Toletus, Cornexo, & Laymanus *supra*, & Diana 5. *part. Tract.*10. *Resol.*19. Tale porrò peccatum, pro quo imponi potest censura suspensionis, debet esse aliquo modo futurum, iuxta dicta eo *num.*10. Licet suspensio, quæ tantùm est pœna, possit poni propter peccatum purè præteritum, iuxta dicta *ibidem* & *supra num.*2. Formalis autem causa suspensionis, seu forma ipsius non est determinata in iure, ac proinde sufficiet ea, qua sufficienter significetur modus, species, seu effectus illius. Nauarrus *supra num.*161. Toletus *supra*. Suarez *supra sect.*5. Alia, quæ pertinent ad suspensionem, habes ex dictis generaliter de censuris *supra* eo *verbo Censura Ecclesiastica*.

Quod attinet autem ad effectus suspensionis, ea applicando specialiter ad Regulares, dicendum primò, Religiosum suspensum suspensione absolutè lata sine vlla limitatione tacita, vel expressa, censeri suspensum ab omnibus, scilicet ab Ordine, Officio, Beneficio, &c. Quia verba accipienda sunt, provt sonant, & cum sint generalia, generaliter accipi debent. Syluester *verbo Suspensio quæst.*5. Toletus *supra cap.*43. *n.*5. Bonacina *supra punct.*2. *num.*2. Diana 5. *p. Tract.*10. *Resolut.*14. ex aliis. 4

Secundò, Religiosus suspensus ab officio generaliter, & sine vlla restrictione, est priuatus omni vsu Ordinis, & iurisdictionis, hæc enim omnia importat nomen officij in præsenti. Suarez *supra disp.*26. *sect.*1. Cornexo *supra disp.*2. *dub.*1. Layman *supr. c.*1. *num.*2. §. *Suspensio totalis*. Qui verò sint actus Ordinis, iurisdictionis, & muneris Ecclesiastici, ex dicendis constabit. Similiter quid dicendum de suspenso non generaliter ab officio, sed tantùm ab officio, seu officiis Religionis, infra dicetur. Non tamen propterea talis suspensus generaliter, & sine restrictione ab officio, censetur suspensus à beneficio, seu fructibus ipsius. Quia cum aliquando imponatur suspensio ab officio, & beneficio sub his terminis, cum id non fit non debet nomen officij ad beneficium extendi in materia odiosa, qualis est censura. Nauarrus *supra num.*160. Suarez *supra sect.*3. Sayrus *supra cap.*5. Cornexo *d. dub.*1. Diana *supra Resolut.*1. Verum, suspensum ab officio debere per alium supplere onera sui beneficij, quæ per se non potest exercere, alioquin non posse fructus beneficij percipere, cum illi dentur propter officium, quod talis non potest exercere, tenet Bonacina *supra punct.*2. *num.*10. ex Henriquez, Reginaldo, Filliucio, Suarez, & aliis. Taliter etiam suspensus ab officio non potest eligi ad aliquam Prælaturam Religionis. Propter regulam generalem *cap. fin. de Cleric. excommunic. ministr.* quòd quoties aliquis priuatur aliquo munere, vel actu, etiam est priuatus receptione eorum, quæ ad talem actum, vel munus ordinantur, suspensus autem ab officio priuatus manet actibus Ordinis, & iurisdictionis, ad quos ordinantur dictæ Prælatiæ, Suarez *supra sect.*3. *num.*6. Cornexo *supra d. dub.*1. Qui addunt, talem promotionem non esse irritam, sed potius irritandam. Oppositum tamen colligitur ex his, quæ dixi *supra verbo Beneficium, & Beneficiati num.*6. ac tenent Bonacina *supra num.*11. & Peyrinis *tom.*2. *de Prælato quæst.*2. *cap.*5. §.1. *num.*29. post plures alios. Non posse etiam sic suspensum ab officio habere votum in electionibus, dixi *tomo* 1. *part.*1. *c.*15. ex *c. cum dilectus de consuet.* & tenent Filliucius *supra c.*2. *num.*25. & Peyrinis *supra num.*32. post alios. Potest nihilominus taliter suspensus ab officio sacris Officiis interesse, Missæ deseruire, in necessitate baptizare, Epistolam sine vestibus in Choro canere, & generaliter ea omnia facere, quæ alicuius Ecclesiastici officij exercitium non sint. Filliucius *supra c.*2. *n.*22. & 25. Auila *p.*3. *disput.*2. *dub.*1. *concl.*1. Coninch *de Censur. disp.*5. *dub.*2. *concl.*1. Cornexo *supra* post Nauarrum, Sotum, & alios. 5

Tertiò specialiter, Religiosus suspensus non ab officio 6

officio ſimpliciter, ſed ſolùm ab officio aliquo ſuæ Religionis, verbi gratia, Prioratu, Prouincialatu,&c. ſolùm priuatur vſu, & exercitio talis officij, pro tempore in lege deſtinato. Suſpenſio enim ab officio non eſt priuatio officij. Portellus *in Dubiis Regularium verbo ſuſpenſio num.*2. Durante verò tempore ſuſpenſionis, peccat mortaliter, ſi ſe ingerat officio ſibi prohibito. Contrariatur enim per hoc tali legi directè id prohibenti,& in materia graui.Portellus *ſupra.* Nota autem huiuſmodi ſuſpenſionem regulariter loquendo non eſſe propriè cenſuram in Religionibus,ſiquidem in ſtatutis ipſarum, vt patet in noſtra *p.*5. *Conſtitut. cap.*9. *num.*4. non incurritur niſi poſt declarationem, quod eſt contra rationem cenſuræ,quæ ſemper incurritur ante declarationem, iuxta dicta *tom.*1. *p.*1.*cap.*10.*num.*29. Solùm ergo erit pœna purè vindicatiua,& non præſeruatiua, præſertim,cum imponi ſoleat propter delictum præteritum, & ſine præmiſſa monitione, quod non competit cenſuræ propriæ. Suarez *ſupra diſp.*25. *ſect.*1. *num.*2. *&* 3. *& ſect.*2. *num.*3. Cornexo *ſupra diſp.*1. *dub.*1. *&* 2. Bonacina *ſupra num.*2.

7 Quartò, Religioſus ſuſpenſus ſimpliciter ab Ordine priuatur omni actu Ordinis maioris, & minoris; quia nomen *Ordo* abſolutè prolatum dicitur de quolibet Ordine tam maiori quam minori. Cornexo *ſupra diſp.*2. *dub.*2. Bonacina *dict. punct.*2. *num.*8. Peyrinis *ſupra num.*28. Qui verò ſint actus Ordinis maioris, ſeù minoris,habes ex dictis *ſupra verbo Excommunicationem num.*13. & *verbo Irregularitas num.*5.*&* 6. Qui ſuſpenſus eſt ab Ordine inferiori, verbi gratia, Diaconatu, priuatur etiam vſu Ordinis Superioris, ſcilicet Preſbyteratus, &c. niſi ſuſpenſio expreſſis verbis referatur ad inferiorem tantùm. Ratio eſt, quia cui non licet minus, nec ei licere debet quod eſt maius, *argument. cap. cum illorum de ſentent.excommunicat.& leg.relegatorum* §.*vltim. Digeſt. de interdicto.* Ioannes de Cruce *ſupra* §. *nota quod.* Naldus *in Summa verbo Suſpenſio num.*6. Cornexo *ſupra.* Quod tamen probabiliter limitatur ſolùm ad actus inter ſe connexos, ita vt in exercitio Ordinis Superioris contineatur exercitium Ordinis inferioris, à quo quis eſt ſuſpenſus. Vt ſi verbi gratia,Preſbyter ſit ſuſpenſus ab exercitio Diaconatus, conſequenter etiam à Sacrificando, cum Sacrificium non fiat ſine Euangelio, non tamen ab aliis functionibus Sacerdotis, puta audire confeſſionem ſolemniter baptizare, benedicere, &c. cum iſta non contineant exercitium Diaconatus. Cornexo *ſupra* §. *limitari ſolent*,Layman.*ſupra num.*6. poſt Sayrum,Sà,Coninch. & alios. Illud certius, quòd ſuſpenſus ab Ordine Superiori,verbi gratia, Sacerdotio,non impediatur exercere inferiorem.Ioannes de Cruce,Naldus, Cornexo, Layman. & alij communiter. Illud quoque certius, quòd ſuſpenſus ab Ordine non eſt priuatus actibus iuriſdictionis, qui non ſunt connexi cum exercitio Ordinis.

8 Quintò,Religioſus ſuſpenſus à beneficio non priuatur vſu officij, quia in rigore nomine beneficij non ſignificatur officium. Vnde poteſt, & debet officio ſuo ſatisfacere, & iuriſdictionem, vel adminiſtrationem ratione officij exercere. Solùm ergo priuatur perceptione fructuum, ac per conſequens aliquibus actionibus, quæ ad talem perceptionem ordinantur, vt ſunt locatio, venditio, &c. Imò poteſt fructus aliquos recipere proportionatos arbitrio prudentis exercitio ſui officij, &, ſi fuerit pauper, neceſſarios ad ſui ſuſtentationem. De quibus Doctores communiter, ſpecialiter Sayrus *ſupra capit.*6. Suarez *tota diſp* 27. Sanchez *tom.*1.*Conſil. moral. lib.*2. *c.*2. *dub.*15. Cornexo *ſupra dub.*4. Layman.*ſupra num.*4. Bonacina *ſupra num.*12. poſt Vgolinum, Auilam, Henriquez,Filliucium,& alios.Apud quos plura,quæ tamen omitto, quia rarò inter Regulares hæc ſuſpenſio locum habet, & vt credo probabile valdè ſit quòd Prælaturæ Religionis quoad hæc odioſa nomine beneficij non veniant, iuxta dicta *ſupra verbo Simonia num.*20. Licet oppoſitum tenere videatur Peyrinis *ſupra.*

Sextò, Religioſus ſuſpenſus à iuriſdictione ſolùm priuatur actibus iuriſdictionis, quales ſunt imponere cenſuras, abſoluere ab illis, conferre beneficia, vel Prælatias,iudicare,&c. Imò,quando ſuſpenſio non fertur ſimpliciter, ſed cum determinatione certi actus,verbi gratia,conferendi beneficia,ſolùm illo priuatur. Priuatur etiam actibus Ordinis, qui requirunt iuriſdictionem, qualis eſt adminiſtratio Pœnitentiæ. Alios autem actus Ordinis iuriſdictionem non importantes, vt ſunt dicere Miſſam, eſſe Hebdomadarium,&c. exercere poteſt. Suarez *dicta ſect.*4.*à n.*16. Filliucius *Tract.*17.*c.*1. Cornexo *ſupra dub.*3. Layman.*ſupra n.*5. poſt Caietanum,Nauarrum,Sayrum, Auilam, & alios. 9

Septimò, Religioſus ſuſpenſus à diuinis (quod genus ſuſpenſionis ſæpius contra Religioſos ponitur in Decretis Pontificiis, & Sacrarum Congregationum) non poteſt diuina Officia perſoluere ex officio, bene tamen, vt priuata perſona, ſeu tanquam laicus. Vnde licet non poſſit officium Hebdomadarij exercere, nec canere in choro tanquam Clericus, poteſt tamen,imò tenetur, dicere priuatim Officium Canonicum.Poteſt etiam in choro cantare tanquam laicus. Similiter poteſt facere totum, quod laicus, nempe confiteri ſua peccata, audire Miſſam, communicari, &c.Naldus *ſupra num.*11. Filliucius *ſupra à num.*33. Bonacina *ſupra num.*16.Portellus *ſupra n.*5. Priuatur etiam exercitio Ordinum, etiam minorum, quos habet,ita vt nec Miſſam,aut Euangelium dicere,vel confeſſiones audire poſſit, licet poſſit cantare Epiſtolam abſque veſtibus in choro,& ſine ſolemnitate,ſicut faciunt non ordinati,& ſeruire Miſſis,provt faciunt ſæculares. Nauarrus *ſupra num.*163. *&* 244. Bonacina *ſupra.* Sorbus *in annotationib.ad Comp. priu. Mendic. verbo Ingredi Monaſteria Monialium* §.9. Non tamen priuatur iure eligendi, cùm conſtet Moniales, quæ neque Ordinis, neque officij Eccleſiaſtici ſunt capaces poſſe eligere, & ita declarauit S.Congr. apud Peyr. *ſupra num.*36. Barboſam *in Collectaneis Bullarij verbo Suſpenſus.* 10

Octauò, Religioſus ſuſpenſus à iuriſdictione temporali non poteſt temporalia bona adminiſtrare. Poteſt tamen iuriſdictionem ſpiritualem, & quodcunque aliud officium ſpirituale exercere,cum ab iis non ſit ſuſpenſus. Pyrinis *ſupra num.*37. 11

Quid prohibeatur ſuſpenſo ab ingreſſu Eccleſiæ, conſtat ex dictis *ſupra verbo Interdictum quoad Regulares. num.*36. Parum enim, vel nihil, differt hæc cenſura ab interdicto ab ingreſſu Eccleſiæ, Filliucius *ſupra num.*32. An verò gaudeat immunitate Eccleſiaſtica, agit Diana 6.*part. Tract.*1. *reſolut.*26. Quid etiam prohibeatur ſuſpenſo per ſuſpenſiones partiales, quibus ſolùm exprimitur aliquis actus in particulari, conſtat ex dictis ſolùm eſſe illum actum particularem, provt ex communi Doctorum tenent Nauar.*ſupra n.*166. Bonacina *ſupra n.*2.& Tannerus *ſupra num.*133. 12

Circa quæ nota primò, Religioſum ſuſpenſum exercentem eos actus, à quibus eſt ſuſpenſus, peccare mortaliter ex ſuo genere. *argum. cap.*2.*de maior.* Nauarrus *ſupra num.*163. Toletus *d. cap.*45.*num.*1. Cornexo 13

Cornexo *d. disp.*2. *dub.*1. Diana *supra Resolut.*9. & alij communiter. Dixi *ex suo genere*, quia aliquando tale peccatum erit solùm veniale, vel ex defectu plenæ aduertentiæ, vel propter leuitatem materiæ, præsertim in suspensione leui, iuxta dicta *supra num.*3. Imò etiam aliquando nullum peccatum, iuxta dicta *supra v. Censura Ecclesiastica num.*11. Violans autem suspensionem exercendo aliquem actum peculiarem alicuius Ordinis, siue maioris, siue minoris, nisi excusetur ratione necessitatis, vel scandali vitandi, ignorantiæ, inaduertentiæ, vel obliuionis, incurrit irregularitatem, iuxta dicta *supra Irregularitas n.*55. De quo etiam *d. n.*163. Toletus *supra num.*2. Corn. *supra dicta disp.*2. *dub.*1. & alij communiter. Notat autem Nauarrus, quòd illa dicuntur actus Ordinis, quorum faciendorum specialis potestas traditur in ordinatione, vt in Presbyteratu potestas consecrandi, baptizandi solemniter, dicendi collectas in choro, in Diaconatu potestas canendi Euangelium, in Subdiaconatu canendi solemniter Epistolam, & Acolytatu ferendi cereos, &c. Vnde cum prædicare non sit actus alicuius Ordinis, iuxta dicta *supra verbo Concionari, & Concionator num.*4. & *verbo Excommunicatio quoad Regulares num.*17. ideo Religiosus suspensus ab officio prædicandi non incurrit irregularitatem si prædicet, etiamsi grauiter peccet. Tannerus *supra num.*137. Diana *supra Resol.*10. post Syluestrum, Armillam, Medinam, & Henriquez. Licet Toletus *supra §. quinto suspensus* dicat, secus esse si solemniter, ac ex suo officio prædicaret. Exercens autem actus iurisdictionis, vel alterius ministerij, in quibus est suspensus, si in eis non includatur exercitium alicuius Ordinis, nullam incurrit pœnam in iure positam, sed ex solo Iudicis arbitrio puniendus erit, Cornexo *supra*, Diana 4. *p. Tract.*2. *Resol.*92.

14 Nota secundò, actus Ordinis prohibitos suspenso, excepta absolutione Sacramentali, validos esse, at verò actus qui iurisdictionem postulant (ad quos reducitur actus eligendi) per se inualidos esse, cum suspensus sit priuatus actuali iurisdictione, & iura non minus de suspensione quam de excommunicatione id statuant, Nihilominus, si suspensus sit occultus, & ab Ecclesia communiter toleratus, acta eius valent, quia Ecclesia supplet defectum. Imò, si suspensus non sit specialiter denunciatus, quamuis quoad se sit prohibitus ne in officio ministret, ideoque peccet, si id ex se, ac sua sponte faciat, tamen quoad alios non est priuatus iurisdictione, iuxta dicta à simili de excommunicatione *supra verbo Excommunic. quoad Regul. num.*33. 34. & 35. Suarez *disp.*26. *sect.*2. *n.*2. Cornexo *d. disp.*2. *dub.*1. Tannerus *supra num.*138. Diana *supra Resol.*11.

15 Nota tertiò, neminem teneri ex vi præcepti Ecclesiastici vitare suspensum, aut non communicare, aut loqui cum ipso, quia nullibi reperitur tale præceptum prohibens communicare cum suspensis, sicut datur præceptum prohibens communicare cum excommunicatis. Henriquez *lib.*13. *cap.*5. §.5. & *cap.*33. §.3. Auila *de Censur.*3. *part. disp.*2. *dub.*4. Suarez *dicta disp.*26. *sect.*2. *num.*7. Cornexo *dub.*1. Diana *supra Resolut.*20. Vnde, secluso scandalo, non erit peccatum etiam veniale communicare cum suspenso, etiam in actibus à quibus suspensus est, nisi quando talis communicatio fuerit quædam cooperatio cum illo in delicto, & malo vsu ministerij, nam tunc erit peccatum contra legem naturalem, & diuinam, siquidem cooperari peccato alterius intrinsecè malum est. Suarez, & Cornexo *supra*. Tannerus *supra num.*139. Tunc autem dicitur quis cooperari peccato suspensi, quando suspensum non toleratum extra casum necessitatis extremæ inducit ad vsum actus prohibiti, aut si toleratus sit, tamen sine vlla prorsus necessitate, aut vtilitate, cum aliàs non esset paratus, neque ex officio, aut dignitate obligatus, prouocat illum ad talem vsum, vel ei ad exercitium actus prohibiti inseruit. Vnde per solam assistentiam, quæ est quædam pura communicatio, non peccabit, atque ita si suspensus ab ingressu Ecclesiæ illam ingrediatur, vt diuina Officia audiat, non tenetur exire. Cornexo *suprà*. Addens ex Sayro *supra c.*11. quòd si suspensus ab Ordine licet denunciatus Missam celebraret, poterit illam alius audire licitè, modo Altari non ministret. Quòd tamen negat Bonacina *supra punct.*4. *num.*4. ex Nauarro *supra num.*163. Sed ipsi contradicit Diana *supra Resol.*20. Refertur etiam Suarez, & Auila. Illud certius, quòd quamuis quis cooperetur peccato suspensi, non propterea incurrit aliquam pœnam iure latam, nec vllam censuram excommunicationis, aut suspensionis minoris; quia nullo iure talis pœna exprimitur, sicut imponitur contra communicantes cum excommunicatis. Suarez *supra n.*8. Cornexo *supra*.

Nota quartò, plures suspensiones positas esse in Iure, & Constitutionibus Pontificiis contra Regulares. 16
Prima est ex *cap. vltimo de Apostat.* contra Religiosos, qui in Apostasia perseuerantes Ordinem sacrum suscipiunt. De qua dixi *tom.*1. *p.*1. *cap.*16. *num.*12. Secunda ex *cap. non solum*, & *cap. Constitutionem de Regularibus in* 6. contra Mendicantes Religiosos admittentes aliquem ad professionem ante completum probationis annum. Tertia ex Clem. I. *de reb. Eccles. non alienandis*, contra Præsidentes Monasteriorum, qui iura, redditus, aut possessiones alicui concedunt. De qua dixi *supra verbo Alienatio, & alienare n.*15. Quarta ex Clem. I. *de Decimis* contra Religiosos sibi applicantes, vel defraudantes decimas. De quo aliqua dixi *tom.*1. *p.*1. *c.*9. *num.*23. Quinta ex Clem. I. §. *si quis autem de stat. Monachor.* contra Monachos non vtentes habitu ad formam ibi præscriptam, vel venationibus, aut aucupationibus clamorosis, &c. vacantes. Sexta ex Clem. I. §. *quibus de priuileg.* contra Prælatos Religionum, qui occasione quorundam excessuum suorum Religiosorum ibi prohibitorum, Ecclesiis, aut personis læsis, intra mensem non satisfecerint. De qua dixi *supra verbo Legata Regularibus relicta num.*28. Septima ex Clem. *Cupientes de pœnis* contra confessarios Religiosos, qui scienter omittunt conscientiam facere suis pœnitentibus de soluendis decimis. De qua dixi *tom.*1. *p.*1. *c.*9. *n.*26. & *supra verbo Decima quoad Regulares num.*12. Octaua ex Extrauag. *sanè de simonia* contra capitula, vel conuentus aliquid accipientes pro receptione alicuius in religionem. De qua dixi *supra verbo Simonia num.*25. Nona, ex Pio V. contra Religiosos, qui ad Ordines sacros nondum facta professione promouentur, non seruato decreto Concilij. De qua dixi *tom.*1. *p.*1. *c.*14. *n.*20. & *supra verbo Ordines sacri n.*17. Decima ex eodem Pio V. contra Religiosos admittentes fœminas in sua Monasteria. De qua dixi eodem *tom.*1. *p.*1. *c.*10. *n.*13. Vndecima ex Concil. Trident. *sess.*23. *c.*10. contra Abbates, & exemptos, qui litteras dimissorias, aliis, quam suis subditis Regularibus concedunt. De quo dixi *tom.*1. *part.*1. *c.*14. *n.*13. & *c.*18. *n.*64. & 65. De his etiam præter Summistas *verbo Suspensio*, Rodriguez *tom.*3. *quæst. Regul. q.*65. *art.*2. Sayrus *supra c.*13. Suar. *supra disp.*31. *sect.*6. Filliucius *supra c.*9. Portellus *sup. n.*3. Bonac. *sup. disp.*3. *punct.*5. §.4.

Sunt etiam aliæ suspensiones (de quibus etiam 17
auctores relati) impositæ in Iure, Conciliis, & Bullis Pontificiis contra diuersas communitates, & personas, ex quis aliquæ immeritò inter irregularitates numerantur

numerantur, cum tamen non sint nisi suspensiones, quas omitto, quia non sunt specialiter positæ pro Religiosis. Idem dico de illis, quæ specialiter impositæ sunt pro Clericis. Circa quas nota id quod dixi *tom.1.p.1.cap.11. num.21.* ex Suarez, & Cornexo, scilicet, quòd suspensio generaliter lata in Clericos comprehendat etiam Religiosos, nisi ex verbis, aut aliis circunstantiis, oppositum colligatur. Adde tamen, quod quando res fuerit dubia, satis probabile est nomine Clerici in huiusmodi odiosis non venire Religiosos, iuxta d. *supra* verbo *Clericus num.1.* Eò quòd odia restringenda sint, *c. odia, & c. in pœnis de Reg. iuris*, & ita in materia censurarum id tenent expressè Nald. *in Summa v. Clericus num.1.* Bonac. *supra d.* §.4. *num.1.* ex Vgolino, Sayro, & aliis.

Nota quintò, suspensionem multis modis tolli posse. Primò enim si fuerit suspensio, quæ est pura pœna vindicatiua, & non propriè censura, tollitur per dispensationem, aut relaxationem. De quo, prout attinet ad Prælatos Regulares dixi *tom.1.p.1.c.18. num.46.* Pro quo vide etiam *d. supra verb. Pœna Ecclesiastica.* Deinde, quæcunque suspensio solùm ad tempus determinatum lata, tollitur absque alia absolutione, eo tempore lapso, sicut enim prohibitio non operatur vltra intentionem prohibentis ita suspensio ex prohibentis intentione procedens solùm ad certum tempus, cessabit eo tempore lapso. Deinde, suspensio, quæ est censura, tollitur per absolutionem, iuxta *d. supra verb. Censura Ecclesiastica num.12.* Quis verò absoluere possit ab illa, collige ex dictis eo *num.12. & 13.* & specialiter, quòd attinet ad Prælatos Regulares, ex dictis *tom.1.p.1.cap.18. num.36.* De iis autem Nauarrus *supra num. 161.* Toletus *supra c.46.* Sayrus *supra cap.17.* Henriquez *lib.3. cap.35.* Suarez *supra disp.29.* Filliucius *supra cap.4.quæst.6.7.& 8.* Cornexo *supra disp.5.* Layman. *supra cap.4.* Diana *sup.Resol.23.24.& 25.* Thesaurus *in praxi p.1.cap.24.25.& 26.* & alij.

TERTIARII, ET *Tertiariæ.*

SVMMARIVM.

De illis remissiuè. num.1.
An potiantur priuilegiis Religionum. num.2.
Quid cira sepulturam. num.3.
Eligere illam quomodo expediat. num.4.
An possint accipere Sacramenta à Regularibus suæ Religionis.num.5.
Quid circa reseruationem casuum. num.6.
Quid cira lucrandas Indulgentias. num.7.
Quid de priuilegio Bullæ Cruciatæ. num.8.
Exploranda ne sit voluntas Tertiariorum ab Episcopis. num.9.
Alia remissiuè. num.10.

1 DE iis ad sufficientiam, vt credo, dixi *tom.1. p.2.cap.14.* per totum, quia tamen postea alij de isdem scripserunt, aliqua addenda pro maiori materiæ notitia.

Et quidem constat ex dictis eo *c.14. num.27. 28. & 29.* propter Bullas Leonis X. & declarationes Sacr. Congregationis, quas ibi retuli ex Sossa, Peyrinis, Cochiero, & Barbosa, & postea retulerunt noster Reuerendiss. Theodorus Stratius *in Opuscul. de Tertiariis c.9.* ac Nouarius *in Lucerna Regularium verbo Tertiariis*, Tertiarios viros potiri priuilegiis suarum Religionum, si collegialiter viuant, aut cum claustralibus habitent. Tertiarias verò fœminas, si virginalem, cælibem, aut castam vidualem expresso voto, & sub habitu religionum, vitam traduxerint, etiamsi in domibus consanguineorum, affiniu, aut etiam propriis morentur. Quamuis vt in Decreto eo *num.29.* adducto habetur, præcipiatur ipsis nè cohabitent cum aliis viris, quàm cum consanguineis, & affinibus in primo tantùm gradu sibi coniunctis. Constat etiam ex dictis eo *num. 29.* ex declaratione Sacr. Congregationis ibi relata, & postea ab Authoribus adductis, quod decedentes sine electione sepulturæ, in Ecclesiis Ordinum sui habitus sepeliri possint, si communis sepultura pro ipsis in eis reperiatur, alias in Parochia. [Vnde eadem Sacra Congregatio 25. Ianuarij 1641. idem declarando præcepit, vt cadauer cuiusdam tertiariæ restitueretur quibusdam Regularibus, propterea, vt credo, quod illi haberent communem sepulturam pro tertiariis, & illa tertiaria sine electione sepulturæ decessisset è vita. Vide aliam declarationem eiusdem Sacræ Congregationis 3. Octobris 1642.] Similiter dixi eo *cap. num. 33.* propter declarationem Sacr. Congregationis ibi ex Barbosa *Collectan. Bullar.* relatam, posse Regulares in eorum Ecclesiis sepelire absque Parochi interuentu tertiarios collegialiter viuentes, aut cum claustralibus habitantes, nec non mulieres virginalem, aut cælibem, aut castam vidualem, expresso voto, & sub dicto habitu, vitam ducentes.

Quia tamen his non obstantibus diligentissimus Author Pater Diana *6. part. Tractat.8. Resolution.30.* refert quamdam Epistolam Sacr. Congregationis Episcoporum, & Regularium ad Episcopum Modenæ (Mutinæ forsan) directam, in qua eadem Sacr. Congregatio reprobat factum quorundam Religiosorum Sancti Augustini, qui tertiariam quamdam sui Ordinis post Eucharistiam pro Viatico, & extremam Vnctionem illi administratam, sepeliri curarunt sine interuentu, vel licentia Parochi cum tamen hæc omnia fieri posse videretur à dictis Religiosis ex vi præfatarum declarationum. Ideo sub eiusdem Sacr. Congregationis censura dicerem, hãc Epistolam ad prædictum Episcopum scriptam fuisse, eo quod præfatæ tertiariæ deerant aliqua, vel aliquæ ex conditionibus ad potiendum priuilegiis suæ Religionis ex Bullis Leonis X. & Decretis Sac. Congregationis adductis requisitæ, videlicet, quia, vel non obseruabat virginalem, cælibem, aut, castam vitam, vel quia non ex voto expresso; & quoad sepulturam, quia forsan in Conuentu dictorum Religiosorum non erat sepultura communis pro tertiariis. Video enim eamdem Sacr. Congregationem de anno 1615. declaratione, quæ videtur authentica (& de qua Peyrinis *to.3. priuileg. minim. c.4.n.53.*) ad dubium, quo quærebatur an cadauera Tertiariorum Ordinis Minorum de Obseruantia sepelienda essent in eorum Ecclesiis, sic respondisse. *Tertiarios huiusmodi, si qualitatibus in Bulla fel. recordat. Leonis Papæ X. præscriptis sint præditi, videlicet, si viri collegialiter, aut claustraliter viuant, mulieres verò virginalem, aut cælibem, aut castam vidualem sub expresso voto, & Tertiariorum habitu vitam ducant, posse, & debere, etiam inuito, ac minimè requisito Parocho, in supradictis Fratrum Ecclesiis sepeliri. Secus verò si supradictis qualitatibus careant.* Cui declarationi etiam consonat Priuilegium Sixti IV. in Mari Magno Carmelitarum vbi concedit ipsis, Pinzocheras, & mantellatas personas eorumdem Ordinis sepeliri posse in Ecclesiis ipsorum, etiam sine licentia Parocho

Parochorum. Stratius *supra* §. *6. quoad sepulturam.* Pro hoc tamen, & aliis priuilegiis Tertiariarum personarum standum est legitimæ consuetudini, iuxta dicenda infra ex eodem Statio.

4 Circa electionem tamen sepulturæ prædictarum Tertiariarum, & ad omnem litis, & scandali materiam auferendam, notat idem Stratius *supra* Fratres Superiores nostri Ordinis procurare debere, vt personæ quæ habitum nostri tertij Ordinis suscipere voluerint, aut per instrumentum publici notarij, aut coram duobus, vel tribus testibus, declarent se in Ecclesiis nostris sepulturam eligere, & in ipsis post mortem sepeliri velle. An verò hoc sit contrarium statuto Bonifac. VIII. *cap.* 1. *de sepultur. in* 6. consule dicta supra verbo *Sepultura quoad Regulares num.* 6. *&* 7. Vide etiam alias declarationes ad intentum sepulturæ Tertiariorum apud Lauorium *in suis Elucrubationibus titul.* 2. *cap.* 11. *num.* 102. *&* 103.

5 An prædicti Tertiarij, & Tertiariæ habentes conditiones à Leone X. & Congregatione requisitas, possint accipere Sacramenta à Regularibus suæ religionis dixi eo *cap.* 14. *num.* 34. & tenuit postea Reuerendissimus Stratius *dict. cap.* 9. An gaudeant priuilegio fori, dixi eo *cap.* 14. *num.* 35. Quod etiam sequitur idem Reuerendissimus loco relato. An gaudeant priuilegio Canonis dixi *ibid. num.* 39. & secutus est idem Stratius, nec reprobat Diana *supra*, Clariùs id tenet, Bordonus *Resolut.* 28. *num.* 19. referens Bonacinam, Megalam, & alios.

6 Addit idem Reuerendiss. Stratius eodem *cap.* 9. (quod ex ipso refert, nec reprobat idem Diana *supra*) quòd cum prædictæ personæ Tertiariæ, habentes videlicet conditiones à Leone X. & Sacr. Congregatione requisitas, subditæ sint Prælatis suarum Religionum, & exemptæ à iuridictione Ordinariorum, posse Prælatos Religionum reseruare casus aliquos pro ipsis, nec astringi reseruatione casuum ab Ordinariis facta. Posse etiam Prælatos Religionum ipsarum eas absoluere à casibus, in quibus possunt Fratres absoluere, & dispensare cum ipsis, sicut dispensant cum Fratribus, earumque vota commutare, & dispensare, sicut, & vota Fratrum. Notat tamen prudenter pro prædictis idem Stratius *d. cap.* 9. *in fine* ex declaratione Sac. Congregation. Concilij ea omnia intelligenda esse spectatis priuilegiis. Si enim Ordinarij, vel Parochi maiorem supra Tertiarias iurisdictionem adquisiuerunt, consuetudini standum esse. Addo & ego, standum etiam esse declarationibus Sac. Congregationis authenticis, si circa id fuerint.

7 Posse etiam Tertiarias nostri Ordinis lucrari omnes Indulgentias, quas Fratres lucrantur, de quibus dixi *tom.* 1. *p.* 1. *cap.* 3. *num.* 19. & *supra verbo Indulgentia quoad Regulares num.* 9. ex Bulla Pauli V. ibi relata, tenent idem Stratius *sup.* eò quòd Sixtus IV. eisdem concessit frui Indulgentiis omnibus concessis, & concedendis Fratribus, vt patet ex verbis Bullæ, quæ retuli dicto *cap.* 14. *num.* 6. Quod etiam, vt ibidem dixi, concessum est Tertiariis aliorum Ordinum, & id non est reuocatum, neque à Leone X. nec à Sacr. Congregatione. Pro quo vide dict. *supra* eo verbo *Indulgentia quoad Regulares num.* 16.

8 Posse autem prædictas personas Tertiarias vti priuilegio Bullæ Cruciatæ quantùm ad absolutionem à casibus reseruatis tenet Bordonus *resolut.* 34. *num.* 44. & meritò sanè, quia licet Regularibus id sit prohibitum, iuxta dicta *supra verbo Bulla Cruciatæ num.* 29. prædictæ autem personæ non communicant in huiusmodi odiosis cum Fratribus, sed solùm in fauorabilibus.

9 Pariter etiamquamuis exploratio voluntatis puellarum Deo dicandarum facienda sit ab Episcopo, &c. iuxta Decretum Concilij Trident. *sess.* 25. *cap.* 17. de quo sæpius dixi, id tamen non procedit circa Tertiarias in propriis domibus degentes, etiam si votum cælibatus emittant, iuxta declarationem Sac. Congregationis, quam referunt Sellius *in Selectis canonicis cap.* 35. *num.* 20. & Nouarius *in Lucerna Regularium verbo Exploratio num.* 7. *&* *verbo Tertiarij num.* 8.

Alia circa ipsas vide dicto *cap.* 14. & Cassarubium *in Compend. Priuileg. Mendicantium verbo Tertiarij*, Cordubam, & Sorbum ibi, Portellum *in Dub. Regul. eodem verb. Tertiarij*, Stratium nostrum *in dicto Opusculo de Tertiariis*, ac Bordonum *in suis Resolutionibus*. 10

TESTAMENTVM QVOAD Regulares.

SVMMARIVM.

De hac materia remissiuè. num. 1.
An possint Regulares testamentum à se factum ante professionem interpretari. num. 2.
An illud reuocare. ibidem.
An donare causa mortis. ibid.
An exercere munus executoris testamentarij. numero 3.
Quid de fratribus Minoribus. num. 4.
Non possunt cum adsunt confessionibus testamentorum retrahere à restitutionibus, legatis, &c. num. 5.
Nec inducere ad vouendum, vel promittendum electionem sepulturæ. num. 6.

Circa hanc materiam iam dixi *tom.* 1. *p.* 1. *cap.* 9. *num.* 19. ac supra verbo *Legata Regularibus relicta num.* 4. quòd, etsi Regulares possint facere aliquam schedulam, qua rogent Prælatum, vt aliqua, quæ ipsi habent ad vsum, aliis concedat, non propterea possunt testamentum facere, aut legare aliis. Quod etiam extenditur ad Prælatos ipsorum Regularium, iuxta dicta *tom.* 1. *p.* 2. *capit.* 3. *num.* 54. An autem extendatur ad Regulares Militares, consule dicta eo *to.* 1. *p.* 2. *cap.* 5. *num.* 33. *&* 34. De militibus autem Sancti Ioannis Hierosolymitani id affirmat Rota apud Farinacium *dec.* 76. *num.* 1. *part.* 2. *recent.* De quo etiam Sanchez *lib.* 7. *in Decalog. cap.* 8. *numero* 36. Riccius *in Decis. Cur. Archiepiscop.* 321. *p.* 3. Porrò Regulares professos testari non posse habetur etiam ex declarat. Sacr. Congregat. vt refert Nouarius *in Lucerna Regularium verbo Testamentum n.* 1. ex aliis. Quod extenditur etiam pro casu, quo Regularis tempore professionis sibi reseruasset facultatem testandi de suo patrimonio. Sanchez *supra n.* 19. Nouarius *supra num.* 3. Etsi talem professionem validam esse declarauerit Sacr. Congregatio, testibus Barbosa *de Iure Ecclesiastic. lib.* 1. *capit.* 42. *num.* 207. & Nouario *supra num.* 3. Consonantque dicta *tom.* 1. *p.* 1. *cap.* 2. *num.* 16. *& c.* 6. *num.* 29. Amplia, prædictam resolutionem procedere, etiam si Regulares ad pias causas testari velint. Rodriguez *tom.* 3. *quæst. regular. quæst.* 69. *artic.* 2. Sanchez *supra num.* 3. Barbosa *supra num.* 108. post alios. Amplia, etiam si Prælati cuiuscunque Summo Pontifice inferioris accedat licentia. Rodriguez *supra* Sanchez *supra num.* 5. Lugo *de iust. & iure tomo primo disputat.* 3. *sect.* 6 *num.* 109. Posse autem id fieri ex licentia Summi Pontificis 1

Pontificis dixi eo *cap. num.* 19. Qualis autem debeat esse hæc licentia, & quomodo intelligenda, & quantum duratura, ac de aliis conditionibus ipsius, consule Sanchez *supra num.* 46. *& sequentibus*. Hieronymum Rodriguez *in Compend. Quæst. Regul. resolut.* 135. & Barbosam *supra num.* 215. *& sequentibus* post alios, quos referunt. An autem Religiosus, factus Episcopus, Cardinalis, &c. testari possit, dixi *tom.* 1. *p.* 1. *cap.* 17. *num.* 5. An Nouitij, dixi *eod. to.* 1. *cap.* 24. *num.* 35. Quæ autem dicta sunt de testamento etiam intelligenda de codicillo. *leg. Diui* 6. §. *penul. fin. & l. si quis* 3. *& l. reg.* 6. *tit.* 12. *p.* 6. Nauarrus *Comment.* 2. *de Regularib. num.* 43. *&* 44. *& in Man. cap.* 27. *num.* 270. Sanchez *supra num.* 9. Bartholomæus à S. Fausto *in Thesaur. Relig. lib.* 8. *quæstion.* 71. Nota pro appendice huius doctrinæ resolutionem cuiusdam casus quem refert Portellus *in Respons. moral. tom.* 2. *casu* 85. Quidam Prælatus concessit cuidam Moniali, vt res aliquæ mobiles, & æstimabiles, quibus in vita vtebatur, post mortem ipsius venderentur, & pretium ipsarũ, applicaretur pro Missis celebrandis pro anima ipsius Monialis. Dubitatum autem fuit an hæc licentia valida fuerit, eo quod videretur esse licentia testandi. Et quamuis aliqui existimauerint ita esse: nihilominus credo præfatam licentiam validam fuisse, nec eam fuisse licentiam testandi. Ratio est non solùm quia talis donatio, aut dispensatio talium rerum mobilium non est facta coram testibus, Notario, &c. quòd pertinet ad formam veri testamenti; sed etiam quia illa non habet vim ex voluntate defuncti, quod etiam requiritur ad testamentum, sed ex voluntate solùm modò Prælati concedentis talem licentiam, qui semper illam reuocare potuit etiam post mortem Monialis. Et confirmatur, quia quemadmodum Prælatus potuit applicare illa bona alteri personæ post mortem illius Monialis, ita etiam ea applicare potuit in vtilitatem ipsius Monialis. Portellus *supra* conformiter ad doctrinam Sanchez.

Nota etiam posse Religiosum in morte declarare se debere aliquid tali personæ, ac proinde saltem in foro conscientiæ obligari Prælatos ad talem solutionem ex bonis quæ religiosus habebat ad vsum, & si in foro externo ad id non obligentur, vt habet Lugo *dicta sect.* 6. *num.* 122. Addo tamen nec in conscientia esse obligatos Prælatos, seu Monasterium ad solutionem talis debiti, nisi illud contractum sit ex licentia tacita, vel expressa Superiorum, aut res illa propter quam contractum est debitum vtilis fuerit Monasterio, iuxta dicta *tomo* 1. *capit.* 2. *numero* 18. Et constat ex similitudine serui, aut filij familias, ad quorum debita non tenentur pater aut dominus, nisi de eorum consensu contracta fuerint, aut ipsis vtilia. *l.* 1. §. *Si cum impubere ff. de peculio*. Sanchez *lib.* 7. *in Decal. cap.* 31. *num.* 9.]

2 Posse autem Regulares testamentum à se factum ante professionem interpretari, & declarare, si declaratione, aut interpretatione egeat, quia hoc non est disponere de aliquibus bonis, sed declarare dispositionem à se factam quando poterant illam facere, dixi eo *capit.* 9. *numero* 19. quod latè persequitur Nouarius *supra à num.* 7. & tenet Portellus *in Dub. Regular. verbo Testamentum. numero* 2. Circa quæstionem autem illam, an saltem Regulares possint testamentum à se factum ante professionem post illam reuocare, inter varias sententias probabiles quarum vna absolutè affirmat, alia id solùm concedit in fauorem filiorum, aut Monasterij, non in fauorem extraneorum, & alia quæ absolute id negat; hæc posterior probabilior videtur. Primò, quia eadem potestas exigitur in actu dissoluendo, quæ in ipso constituendo. *leg. si vt proponis* 7. *in fine Codic. de nuptiis*, atque ideo ad eum solùm spectat reuocare testamentum, qui potest ipsum condere, sed professus nequit condere testamentum, ergo neque priùs conditum reuocare. Secundò, quia per professionem ita moritur mundo, vt nihil proprium habere possit, nec deinceps de bonis ante habitis quidquam disponere. Authent. *ingressi Cod. de Sacrosanct. Eccles.* Ergo nequit testamentum reuocare. Ita Sanchez *supra cap.* 11. *num.* 5. post Molinam, Azorium, Rodriguez, & plures alios DD & Summistas. Quibus ad de Portellum *sup.* [Et nouissimè *in* 2. *tomo Responsion. Moral. casu* 38. vbi etiam cum Bonacina disputat, an si Religiosus qui testamentum fecit in sæculo transferatur ad statum in quo habeat facultatem disponendi de bonis suis, possit reuocare tale testamentum.] Similiter testamentum professi de rebus alienis non valere, etiam ex domini consensu, eò quòd testamentum sit nomine proprio, & est proprium personæ testantis, tenet Nauarrus *dicto Commentario secundo de Regularibus num.* 57. & sequitur Sanch. *dicto cap.* 8. *num.* 6. Qui *ibidem numero* 11. dicit posse Regularem ex Superioris licentia donare causa mortis aliquid moderatum, sicut ex eadem licentia potest donare inter viuos, eò quòd iura solùm prohibeant Regularibus testari, non autem donare causa mortis. Licet oppositum teneant Nauarrus *lib.* 3. *Consil. in prima editione litt. de donationib. consilio* 6. *num.* 3. *& in* 2. *edit. lib.* 2. *titul. de præsumptionib. consilio* 2. *numero* 3. *& dicto Commentar.* 2. *de Regularib. num.* 43. *&* 44. *& in Manuali cap.* 27. *num.* 270. Rodriguez *tom.* 2. *quæst. Regular. quæst.* 47. *art.* 7. Graffius 1. *part. Decis. libro* 3. *cap.* 5. *num.* 58. *&* 2. *part. lib.* 3. *cap.* 19. & Lugo *supra*. Posse autem Regularem, de his, quæ ipsi donata sunt cum facultate disponendi de ipsis, tempore mortis disponere, dixi supra verbo *Legata Regularibus num.* 4. De quo etiam Lugo *supra num.* 111.

Regulares etiam non posse esse executores testamentorum, siue testamentarios, siue ad causas pias, siue prophanas, sine licentia sui Superioris, dixi *tomo* 1. *p.* 1. *capit.* 9. *num.* 9. *& supra verbo Legata Regularibus relicta num.* 39. & declaratum esse à Sacr. Congregatione refert Nouarius *supra verbo Testamenti executor. num.* 1. Qualis autem debeat esse hæc licentia, & à quo Superiori concedenda, dixi eo *num.* 9. De quo etiam Barbosa *supra cap.* 43. *num.* 66. *& sequent.* Vbi etiam post Sanchez, & alios, non sufficere licentiam obtineri post susceptum executoris officium, sed ad illud acceptandum prærequiri. Nota autem, ipsosmet Ordinum Superiores executores testamentorum esse posse: ob generalem regulam, quòd facultatibus, quas Prælatus Monasterij subditis concedere potest, eisdem ipsemet vti non prohibeatur, nisi à Superiori ipsi interdictum sit, vel oppositum Statuto Ordinis decretum. Layman. *lib.* 3. *tractat.* 5. *sect.* 5. *cap.* 11. *num* 4. Quid etiam dicendum, quoad hoc de Religiosis extra claustra degentibus, vt Beneficiis deseruiant, habet idem Barbosa *ibidem num.* 69. ex Rotæ decisione, Sanchez, & aliis, ac Layman. *supra*. 3

Quomodo autem Fratres Minores, etiam obtenta suorum Superiorum licentia, non possint prædictum munus exercere, constat ex dictis eodem *numero* 9. De quo pluribus aliis ad Minoritas in hac materia spectantibus, Portellus *supra num.* 5. *& sequentibus*. An verò executio testamenti à Regularibus facta sine prædicta licentia Superioris sit omnino irrita, & inualida, an vero solùm illicita, & peccaminosa, 4

minosa, probabilius est hoc secundum: quia licet in textu eo *num.9.* relato sit verbum *non potest*, quod solet denotare actus irritationem, nihilominus, quia cum ponitur solùm ob honestatem personæ, & perfectionem status non inducit illam, iuxta dicta *supra* verbo *Clausula n.47.* ideò videtur dicendum in præsenti solùm importare, quòd actus ille fiat illicitè à Religioso, eò quòd nec velle, nec nolle habeat. Azor. *tom.1.institut.moral.lib.12.cap.11. quæst.* 1. Sanchez *supra capit.11.num.* 44. Barbosa *supra numero* 65. Layman. *supra numero quinto.* Quòd prædicti Regulares executores testamentorum teneantur reddere rationem Episcopis, dixi eodem *num.9.* ex Concilio Trident. ibidem relato, & habet Layman. *eod.num.4.* ex Clemen. *vnic.de testam.*

5 Qualiter autem Religiosis prohibeatur ex Clem. I. *de priuilegiis* dum adsunt confectionibus testamentorũ retrahere testatores à restitutionibus debitis, aut legatis, vel ea sibi applicare, habes ex dictis *supra* verbo *Legata Regularibus relicta num.28.*

6 Qualiter etiam in Clem. *cupientes de pœnis* prohibeantur iidem Religiosi sub excommunicatione ipso facto incurrenda, & Papæ reseruata, aliquos, ad vouendum, seu aliàs promittendum, inducere, vt sepultura apud eorum Ecclesias eligant, vel iam electas non mutent, constat ex dictis *tom.1.p.1.cap.9. num.25.* & supra verbo *Sepultura quoad Regulares num.6.* & 7. Quæ ideo hic annotari volui, quia talis inductio sæpiùs contingere solet, cùm adsunt confectionibus testamentorum sæcularium.

TESTIS REGVLARIS.

SVMMARIVM.

De hac materia remissiuè. num.1.
Casus, in quibus Religiosi tenentur esse testes. numero 2.
An teneantur manifestare ea quæ faciunt pro aduersario. num.3.
Testes falsarij ad quid teneantur. num.4.
De numero testium. num.5.
De qualitate testium. num.6.
Regulares pro testibus à S. Officio examinati molestari non possunt à Prælatis. num.7.
Alia remissiuè. num. 8.

1 CIrca hanc materiam iam dixi *tom.1. p.1. c.9. num.16.* non esse prohibitum Regularibus testes esse tam iudiciales quàm cuiuscumque instrumenti, vel testamenti, supposita tamen licentia Superioris, & quòd, etsi non adsit talis licentia, testimonium nihilominus eorum valeat, prout etiam determinatum à Sacr. Congregatione refert Nouarius *in Lucerna Regularium verbo Testis num.2.* Obiter tamen animaduerte, non facilè Prælatos Regulares debere hanc licentiam suis subditis concedere, nisi in causis alioquin piis, & quæ sic vni faueant, vt in alterius detrimentum non cedant, prout habent Sanchez *lib. 6. in Decalog. cap.13.num.104.* & Peyrinis 3. *tom. Priuileg. Minim. cap.3.num.* 35. Quòd autem Prælati, qui hanc licentiam concedere possunt, non solùm sint supremi, videlicet Generales, aut Prouinciales, sed etiam immediati, scilicet Priores, Guardiani, &c. dixi *supra* verbo *Iuramentum quoad Regulares numero* 7. vbi etiam alia ad intentum. Non posse etiam Regulares compelli ad testimonium ferendum in causis ciuilibus, nisi quando veritas aliter haberi non potest, dixi *eodem tomo primo cap.11. num.* 24. Quod intellige, in causis grauibus, vel quando testificari necessarium sit ad subueniendum proximo, iuxta dicta eo verbo *Iuramentum quoad Regulares numero* 8. Vbi etiam *numero* 9. quòd in talibus casibus non debent fictè iurare. Et *num.10.* quòd à Iudicibus, vel Principibus sæcularibus cogi non possint ad id faciendum. Adde, quòd si id faciant, incurrere excommunicationem Bullæ Cœnæ tenet Peyrinis *in Formular. littera T. cap.1. num.5.* ex aliis. Maximè si id sit in causa sanguinis ad condemnandum, iuxta dicta eo *capit.11. numero* 24. & loco relato *ex 3. tomo num.11.* Vbi etiam quomodo se debeant gerere casu, quo cogerentur iurare ad testificandum. An verò possint aliquando esse testes ad condemnandum in causa sanguinis sine periculo irregularitatis, dixi etiam *supra* verbo *irregularitas num.30.* Quid verò si testificarent ad liberandum aliquem, ex quo sequeretur mors accusatoris, agit Peyrinis *supra* & Diana 4.*part.Tract.2.resolut.96.* post alios. Testes Regulares in ipsorum causis quomodo interrogandi, dixi etiam dicto *tomo primo p.1.cap.17. num.11.* Vbi etiam qualiter interrogati debeant veritatem dicere, dum tamen non eam sciant per Sacramentalem confessionem, aut sub secreto naturali, nisi in hoc casu secreti naturalis, quando id cedit in damnum aliorum; nec posse vnquam mentiri, aut teneri dicere ea, quæ à non fide digno, aut appassionato audierunt, aut testificari cum suo notabili damno. Quinam verò sint testes oculares, aut contestes, aut omni exceptione maiores, aut singulares, vel non exceptione maiores, dixi eodem *cap.27. num.15.* An excommunicatus possit esse testis, dixi *supra* verbo *Excommunicatio num.38.* Alia tamen in præsenti addenda, quæ etsi communia sint tam Regularibus, quam aliis, sæpius tamen inter Regulares practicabilia sunt.

Primò, esse aliquos casus, in quibus Religiosi teneantur testificari, seu esse testes in causis Regularibus, Primus, quando id præcipitur ipsis à suis Prælatis seu, quòd idem est, quando interrogantur ab illis in iudicio. Quia tale præceptum est iustum, & per consequens subditi tenentur obedire. S.Thom. 2.2. *quæst.70. artic.1.* Caietan. & Expositores *ibidem* ac Sanchez *tom. 2. Consil. moral lib.6. capit.5. dub.1.* Quod intellige, quando iuridicè interrogantur, idest ab habente potestatem, & præcedente infamia, semiplena probatione, se notitia delicti, iuxta dicta *tomo primo cap.27. numero* 11. Secundus est, quando testimonium eorum est necessarium ad liberandum proximum ab iniusta læsione. Tunc enim, etiamsi à Superiori non interrogentur, tenentur se ad id offerre, quia ex lege charitatis tenetur quisque proximum ab iniusto damno liberare. S.Thom. Caietanus, Sanchez *supra* Fagundez *in 8. præcept. dicalog. lib.8. capit.42. num. 6.* Tertius est, quando accusator non sponte, sed ex obligatione aliquem accusauit: tunc enim tenentur testes se offerre ad testificandum, si videant illum deficere in probatione. Propter eamdem rationem. Sanchez *supra* post alios. In quibus casibus est talis obligatio sub morali. In primo quidem, propter præceptum obedientiæ, & materiæ grauitatem; in secundo autem, & tertio, quia sub mortali tenemur liberare proximum à periculo patiendi iniustè graue, & notabile damnum, quando id facere possumus sine damno proprio, aut alterius. Sotus *lib.5. de iustit quæst.7 articulo primo & lib. de Secret. membr. 2. q.7.* Corduba *in Summ.quæst.157. punct.3.* Sanchez *supra dub.2.* Religiosi autem vocati à 2

ti à suis Prælatis ad testificandum, si non iustificantur, & exinde sequatur damnum alicui, tenentur eidem restituere illud damnum. Eò quòd sic facientes peccant contra iustitiam, cum ex illa tenerentur obedire superiori. Sotus *supra* Nau. *in man. c.* 25. *n.* 44. & 6. *inter verba corol.* 63. Sanchez *sup. dub.* 3. Portell. *in Dub. Regul. verb. Testis n.* 7. Qui secus dicunt, quando non sunt vocati à Iudice. Vide Naldum *Summ. verb. Testis num.* 2. Spatharium *in pract. Regul. Trac.* 7. *c.* 11. *n.* 7. Fagund. *supra à n.* 9. Dianam *p.* 3. *tract.* 5. *resol.* 101. & Lugo *de Contract. disp.* 39. *sect.* 1.

3 Secundò, Religiosos vocatos, vt testimonium in aliqua causa ferant, teneri etiam manifestare, quæ pro aduersario faciunt, & si illa taceant, teneri ad restitutionem damni sequuti ex taciturnitate. Ratio est, quia sunt causa talis damni, & tenebantur euitare illud ex iustitia. Nauarrus *d. cap.* 25. *num.* 40. Sanchez *supra dub.* 7.

4 Tertiò, testes, qui falsum deposuerunt, præter pœnas periurij, quas incurrunt, de quibus dixi *tom.* 1. *cap.* 9. *num.* 42. & *supra* verbo *iuramentum quoad Regulares n.* 14. tenentur etiam ad restitutionem damni indè sequuti, propter iniustitiam commissam. Vel totalis damni, si id fecerunt scienter, vel ex notabili negligentia; vel saltem partis, iuxta modum culpæ, si id fecerunt scienter, nec ex lata culpa, sed tantùm ex leui. Sotus *d. quæst.* 7. *articulo* 4. Nauarrus *d. numero* 40. Sanchez *sup. dub.* 21. Fagundez *sup. n.* 1. Limitant id aliqui pro casu quo reus non erat per alios testes conuictus, nec iudex determinatus ad illum puniendum. Fagundez *supra num.* 3. Diana *supra Resolut.* 105. Qui autem præter intentionem, adhibita mediocri diligentia, falsum dixerunt, non tenentur ex iustitia ad restitutionem damni illati, cum verè iniustitiam non commiserint. Diana *supra* post alios. Sed solùm tenentur ex charitate retractare id, quod dixerant, eo modo quo poterunt. Caietanus 2. 2. *quæst.* 70. *art.* 4. Corduba *memb.* 2. *de Secret. quæst.* 7. Nauarrus, & Sanchez *sup.* Vide Dianam 4. *p. tract.* 4. *resolut.* 99. & Fagundez *supra numero* 5.

5 Quartò, circa numerum testium nota, quòd licet iure antiquo *c. Præsul.* 2. *q.* 5. contra Præsulem Ecclesiæ Rom. requireretur numerus 72. testium, contra Presbyterum Cardinalem 44. (aliàs 64.) contra Diaconum Cardinalem 27. & contra Subdiaconum, Acolythum, Exorcistam, Lectorem, & Ostiarium 7. (Lessius *de iust. lib.* 2. *c.* 30. *dub.* 4. *n.* 27. Sanch. *supra dub.* 9.) consuetudine tamen obtentum est, vt ad condemnandum quemcunque Regularem, etiam Sacerdotem, sufficiant duo testes præter actorem, si idonei sunt, & omni exceptione maiores, hoc enim est conforme iuri diuino *Deuteron.* 17. & 19. & *Matth.* 18. & in iure humano *c. quod verò* 2. *q.* 5. & *c. omni negotio*, & *c. licet de testib.* & *l. vbi numerus ff. de testib.* Alderete *de Relig. discipl. l.* 2. *cap.* 3. *n.* 5. Laym. *l.* 3. *sect.* 5. *Tract.* 6. *c.* 4. *n.* 3. Peyrin. *in formular. littera T. c.* 3. *n.* 10. ex Syluestr. Couarub. Farinacio, & aliis. Nunquam tamen ad condemnationem alicuius sufficit vnius priuati testimonium. Lessius *sup. n.* 24. Alderete *sup. n.* 4. Qui addit, etiamsi talis sit grauissimus, & in dignitate constitutus. Sed hoc limitat Sanchez *supra dub.* 10. in Summo Pontifice, cuius testimonium facit probationem. Limitat etiam cum Syluest. *in Summa ver. Testis quæst.* 5. in Cardinali, in multis casibus de consuetudine Curiæ.

6 Quintò, circa qualitates testium nota, quod in causis criminalibus Regularium non sunt testes legitimi sæculares, vt constat ex *cap. de cætero de testib.* præsertim cum ipsi soleant esse Religiosis infesti. Alderete *sup. num.* 14. ex Mascardo, Farinacio, & aliis. Nisi quando crimen est occultum, vel aliter probari non possit. Alderete, & Layman. *supra* Alias eorum depositio solum facit indicium. Alderete *ibidem*.

Sextò nota, quòd Regulares examinati pro testibus à Sancto Officio non possunt à suis Prælatis per quinquennium continuum à die depositionis molestari, vel ex quacunque causa, aut prætextu prætenso puniri, inconsultis DD. Cardinalibus. Ita enim habetur ex decreto Pij V. in Sacr. Congregatione, quod refert Nouarius *in Lucerna Regular. verbo Testis n.* 3. 7

Alia quæ spectant ad examen testium Regularium, præter dicta *tom.* 1. *p.* 1. *cap.* 27. habes apud nostrum Thomam de Iesu *de Visitat. Regular. tract.* 3. *cap.* 7. Ghislerium *de iudic. Regular. cap.* 17. Spatharium *de modo corrigendi Regular. tract.* 7. *cap.* 6. & Peyrinis *supra cap.* 3. cum aliis, quos referunt. Plura etiam ad testes spectantia, præter relatos authores afferunt nouissimè Pasqualigus *in Decis. moral. decis.* 211. & *sequentib.* & Eminentiss. Lugo *de Contractib. disp.* 37. *sect.* 14. & *disp.* 39. *per totam*. 8

TORTVRA REGVLARIVM.

SVMMARIVM.

Quando aut quomodo torqueri possint Regulares. n. 1.
Quæ indicia sufficiant ad torturam. num. 2.
Non statim applicanda est. num. 3.
Priuilegiati non torquendi. num. 4.
Quando tortura applicari non debet. num. 5.
Quid quando pœna delicti est æqualis, vel minor tortura num. 6.
An reus semel tortus iterum torqueri possit. num. 7.

EX dictis *tom.* 1. *p.* 1. *c.* 18. *num.* 17. & *c.* 27. *n.* 16. constat posse Prælatos Regulares subditos non plenè conuictos de aliquo crimine atrociori, & grauiori, cogere per torturam ad illud fatendum. Vbi etiam de modo talis torturæ. Esse autem mitiùs torquendum Religiosum quam sæcularem dixi etiam *supra verbo Index*, & *Indicium Regularium num.* 14. Vbi etiam de ministris, per quos torqueri debent Religiosi, & quibus tormentis. Appellationem quoque à sententia torturæ esse suspensiuam dixi eodem loco, & *verbo Appellare*, & *appellatio num.* 17. An etiam & quando reus cogi possit per torturam ad respondendum, dixi *supra verbo Reus Regularis num.* 3. Nunc alia addenda ad intentum inter Regulares practicabilia. 1

Primò, quod licet Iudicis arbitrio relinquatur an indicia, quæ sunt de crimine ab aliquo commisso sint sufficientia ad torturam, vt habent Angelus, Syluester, Armilla, & Tabiena *in Summa verbo Indicium*, & Sanchez *tomo* 2. *Consil. moral. lib.* 6. *c.* 3. *dub.* 14. *num.* 6. Nihilominus regulariter loquendo non quoduis indicium sufficit, sed debet esse graue, quod legitimè, videlicet per duos testes, comprobetur. Farinacius *in Practic. criminal. quæst.* 37. *num.* 7. & 13. Layman. *l.* 3. *sect.* 5. *Tract.* 6. *c.* 5. *q.* 9. Vnus tamen testis exceptione maior, qui testatur de delicto viso, sufficiet. Angelus, Sylvester, Armilla, Tabiena *supra*. Lessius 2. *de iustit. c.* 29. *dub.* 17. *numero* 153. & Layman. *supra*. Excipe, nisi reus esset bonæ famæ. Si enim talis esset, necesse est, vt alia indicia afferantur. Sanchez *supra num.* 3. ex Simancas, & aliis. Vnde Sanctus Ludouicus Galliarum Rex, vt habet 2

Boerius *decis.*103. & ex eo Alderete *de Discipl. Regular. l.*1. *cap.*17.*num.*11. statuit nullum virum honestum, vel integræ famæ ad vnius depositionem posse torqueri. Potest tamen esse vnum indicium tam vehemens, vt illud solùm sufficiat, vt si Religiosus iuuenis inuentus esset cum fœmina in loco secreto apto ad peccandum. Sanchez *supra num.*5. ex prædictis Summistis, & Dom. Lugo *de Contractib.disp.*37. *sect.*13.*num.*154. In specie autem de huiusmodi indiciis, quæ sint sufficientia ad torturam, agit Alderete *supra*. Lessius *supra lib.*2.*c.*8.*num.*156.*& sequentibus.* Sanchez *supra num.*7. Portellus *in Dub. Regul.verbo Tortura.*

3 Secundò, non statim ac sunt sufficientia indicia ad torturam veniendum esse ad illam, maximè inter Regulares, inter quos benigniùs agendum, sed dandam esse copiam ipsorum reo, & dilationem, vt se defendat. Si tamen in defensione defecerit, damnandus erit tormento, & sententia ipsi intimanda. Quòd si ab ea non appellat, vel casu quo appellet, appellatio censetur friuola, torquendus est. Sanchez *supra num.*4. Portellus *supra num.*11.

4 Tertiò, quòd cum in Iure sint multi priuilegiati, qui torqueri non possunt, nisi in criminibus exceptis, scilicet hæresis, læsæ Maiestatis, proditionis, &c. quales sunt minores quatuordecim annis, senes, milites, decuriones, nobiles, & mulieres prægnantes, de quibus communiter Doctores, specialiter ex relatis Lessius *supra à n.*154. Sanchez *supra num.*12. Fagundez *l.*8. *in Decalog.c.*21.*num.*14. Layman. *supra n.*12. Lugo *supra à num.*155. post Clarum, Gomez, & alios, & inter eos recenseantur etiam Doctores, & constituti in magna dignitate, ideo Magistri Religionum, cum sint Doctores, & Generales, aut Prouinciales, quia sunt constituti in magna dignitate, hoc priuilegio potiri possunt præsertim in materia fauorabili. Portellus *supra num.*12.

5 Quartò, tortura applicari non debet quando crimen est plenè probatum, vel quando alia via veritas haberi potest, quamuis reus illud neget. Tortura enim solùm adinuenta est in subsidium veritatis cognoscendæ: quando ergo veritas est cognita non debet applicari tortura, maximè inter Regulares, cum apud illos rarissimus esse debeat illius vsus. Alderete *dicto c.*17. *num.*8. Portellus *supra num.*4. Excipe duos casus, prior est, quando reus malitiosè appellat ad Superiorem, vt executionem iustæ sententiæ impediat, vel quando putatur habuisse socios, vel commisisse alia crimina. Lessius *supra n.*152. ex Nauarro, & Claro.

6 Quintò, tortura non est applicanda quando pœna imponenda pro delicto est æqualis, vel minor ipsa tortura, sed quando est maior. Iniustissimum namque est, vt pro delicto pro quo Religioso imponenda est pœna aliqua ieiunij, mortificationis, &c. aut etiam priuatio officij, &c. enormissima torturæ pœna ei applicetur. Alderete *dict. c.*17. *numero* 8. Portellus *supra n.*2. [Adde quod iuxta dicta *tom.*1.*p.*1. *c.*27. *n.*12. nomina testium non debent manifestari reo, eo quod & si talis manifestatio sit conformis iuri communi, *c.fin.de hæres.in* 6.*& c.Qualiter, & quando de accusat.* Nihilominus quia est vsus S. Inquisitionis, & quia ex hoc oriri possint plura damna contra charitatem, quæ maximè impediri debent inter Regulares, ideo inter ipsos non debet admitti talis testium manifestatio. Lugo *tom.*2. *de iustit. & iur. disp.*37.*sect.*14.*n.*168. post Suarez, & Sanchez. Huiusmodi autem defectus manifestationis testium in tribunali Religiosorum suppletur primo ex eo quod in illo mitius, & benignius contra reum proceditur, quam in aliis tribunalibus. Tum etiam ex eo quod minori pœna punitur; & præsertim, quia Iudex Regularis ante rei condemnationem eum interrogare debet an habeat aliquem sibi peculiariter infensum, vel suspicetur de aliquo sibi falsum crimen impositurum. Lugo *supra*.]

An reus semel tortus iterum torqueri possit, & 7
quando, habent Lessius *d.dub.*17.*n.*168. & Layman. *supra n.*10. ex aliis. Nota tamen, quòd inter Religiosos hoc non est laudabile. Portellus *supra n.*8. ex Rodriguez. Apud quos etiam alia ad intentum, maximè, prout ad Religiosos spectat, apud Alderete locis relatis. Vide etiam Dianam 4.*part. tract.*6. *per totum* dum loquitur de tortura in Sancto Officio.

TRANSEVNTES REGVLARES.

SVMMARIVM.

*Quibus conditionibus permittatur transitus vnius Religionis ad aliam. num.*1.
*Transitus non debet esse ex animi perturbatione, ira, odio, &c. num.*2.
*Nec cum iactura Religionis, quæ deseritur. num.*3.
*Nec sine licentia Superioris. num.*4.
*Religio ad quam fit transitus debet esse perfectior. num.*5.
Nomine perfectioris Religionis quæ intelligatur. numero 6.
*Quid attendendum ad iudicandum de tali perfectione. num.*7.
*Quid ad iudicandum, quæ Religio sit strictior, aut asperior. num.*8.
*Regulares transeuntes non debent à Sede Apostolica habere prohibitionem. num.*9.
*Qui Religiosi interdicti sint transire ad alias Religiones. num.*10.
*Qui possint dare licentiam ad transeundum de vna Religione ad aliam. num.*11.
*Per Regulares quibus permittitur transitus, qui intelligantur. num.*12.
An transeuntes teneantur facere Nouitiatum. numero 13.
*De loco, quem habent Religiosi translati. num.*14.
An vota prioris Religionis obligent transeuntes. ibidem.
Maximè propter Constitutionem Sanctiss. D. N. Vrbani. ibid.
De aliis ad ipsos spectantibus. ibidem.
*An Choristæ transeant ad Conuersos, seu Conuersi ad Choristas. num.*15.
Casus propositus de Prælato potente concedere facultatem transeundi ad laxiorem Religionem. numero 16.
*In triplici sensu tractatur. num.*17.
*Quid de iure communi. num.*18.
*Auctoritas hæc est necessaria pro bono regimine Religionis. num.*19.
*Sententia hæc est valde probabilis, propter multitudinem DD. qui illam tenent. num.*20.
*Qui sunt hi DD. num.*21.
*Non potest non esse probabilis tot fautoribus. num.*22.
*Non obstat Concil. Trident. num.*23.
Nec Extrauagans viam ambitiosæ. *num.*24.
*Nec Constitutio Pij V. num.*25.
*Quomodo ea intelligenda. num.*26.
*Nec Bulla Sixti V. num.*27.
*Nihil ibi dicitur de Prælatis Regularibus. num.*28.

De

De conſuetudine, & praxi Curiæ. num. 29.
An ſit talis conſuetudo, & praxis. num. 30.
Quid de iure ſpeciali Bullæ Sixti V. num. 31.
Verba ipſius. num. 32.
Expenduntur illa ſine expreſſo conſenſu. *num.* 33.
Dictio ſine *quantum valeat. num.* 34.
Verba illa ſine conſenſu *ad quæ referenda. num.* 35.
Bulla illa eſt fauorabilis. num. 36.
Quomodo ſit procedẽdũ iuxta conſiliũ Authoris. n. 37.

1 TRANSITVM Regularium ex vna religione ad aliam licitum eſſe quibuſdam conditionibus ſeruatis, dixi *tom.* 1. *cap.* 22. per totum. Nunc verò prædictæ conditiones expendendæ ſunt, & materia ipſa amplianda.

2 Et primò, ex dictis eo *cap.* 22. *num.* 3. conſtat, quòd ad hoc quòd iſte tranſitus ſit licitus, requiritur primò, quòd non fiat temeritate, leuitate, odio, ira, contemptu, vel alia qualibet animi perturbatione, ſed ſtudio vitæ perfectioris. De quo etiam Bonacina *de Clauſura q.* 1. *punct.* 9. §. 3. *diff.* 2. *num.* 1. Portellus *in Dub. regular. verb. Religionis tranſitus num.* 6. Dixi etiam *ibidem num.* 7. defectum huius conditionis non irritare tranſitum ex vna Religione ad aliam. Tum quia, vt ibi dixi, iura, quæ de huiuſmodi tranſitu loquuntur, & talem conditionem appo- nunt, nullo modo aſſerunt propter ipſius defectum irritari. Tum etiam, quia malus finis profeſſionis, ſi non eſt contra ſubſtantiam ipſius, eam non irritat, vt dixi eodem *tom.* 1. *cap.* 2. *num.* 15. Leuitas autem, odium, ira, contemptus, vel animi perturbatio non ſunt contraria ſubſtantiæ profeſſionis. Bonacina *ſupra diff.* 1. *num.* 7. Bordonus *reſolut.* 29. *num.* 47. Licèt oppoſitum teneat Theſaur. *in Praxi part.* 2. *verbo Religioſus. cap.* 4. *num.* 2.

3 Requiritur ſecundò, quòd is tranſitus non fiat cum iactura, & detrimento Religionis à qua diſcedit ur, iuxta dicta *eo num.* 7. Vnde ſi volens tranſire ſit perſona inſignis, valde doctus, aut in aliqua re magnæ æſtimationis, non videtur poſſe licitè tranſire, quia talis tranſitus magnam afferret iacturam Religioni derelictæ. Portellus *ſupra.* Defectus etiam huius conditionis non irritat tranſitum, vt ibi etiam dixi. Quod etiam tenent Bonacina *ſupra diffic.* 2. *num.* 4. & Bordonus *ſupr. num.* 48. Quo tamen non obſtante, prior Religio habet ius repetendi Religioſum, qui cum notabili ipſius iactura ad aliam tranſiit. Tum quia id colligitur ex *cap. licet de Regularibus.* Tum quia Religioni competit ius petendæ reſtitutionis in integrum, cum læſa fuit. *cap.* 1. *de in integr. reſtit.* Sanchez *lib.* 6. *in Decalog. cap.* 7. *num.* 11. & 92. Bonacina *ſupr.* poſt D. Antonin. Angelum, Syluestrum, Tabienam, & alios. Quod tamen limitandum eſt, ſi forſan Religionis deſertæ Religioſi fuerint peruerſorum morum, vt propterea cauſa fuerint talis tranſitus, tunc enim tale damnum ipſis imputari debet. Sanchez *eo num.* 11. ex aliis.

4 Tertiò requiritur, iuxta dicta eo *cap.* 22. *num.* 4. petitio licentiæ à Superiori. Quibus fauet declaratio Sacr. Congregationis, quam refert Barboſa *de iure Eccleſiaſtic. lib.* 1. *cap.* 42. *num.* 43. Licet defectus huius conditionis non irritet tranſitum, vt dixi *ibid. num.* 7. Quod tenent etiam Sanctarellus *de Apoſtaſia cap.* 8. *dub. vnico num.* 6. Bonacina *ſupra diffic.* 1. *num.* 7. contra Sanchez, & alios. Adde, ex declaratione Sacr. Congregationis, quam referunt Rodriguez *tom.* 3. *qu. Regularium q.* 52. *art.* 20. Quarant. *in Summa Bullar. verb. Monaſteria, & Conuentus verb. Quoad tranſitus,* & Barboſa *in Collectan. Bullar. verbo Tranſitus Religioſus,* tranſitus ad parem, vel arctiorem Religionem, non fieri niſi cauſa cognita, & vitæ, ac morum ratione, idque ex approbatione Capituli Generalis. Oppoſitum tamen, vt credo, practicatur in Religionibus, quod attinet ad approbanem Capituli Generalis.

5 Quartò requiritur ad hoc vt tranſitus ab vna ad aliam Religionem fieri poſſet, quòd religio, ad quam ſit tranſitus, ſit perfectior, iuxta dicta eo *c.* 22. *num.* 5. Dixi autem eo loco *num.* 7. defectum huius conditionis reddere nullum tranſitum, & irritare profeſſionem factam in alia religione. Excipe niſi adſit legitima diſpenſatio potentis illam concedere ad tranſeundum ad æquè ſtrictam, aut laxiorem religionem, iuxta dicta eo *cap.* 22. *à n.* 8. quia nullo iure tranſitus ad non perfectiorem religionem permittitur, nec religioſus ſui iuris eſt, vt validè poſſit in prioris profeſſionis, & iuris per illam priori religioni comparati præiudicium, profiteri in altera Religione æquè ſtricta, aut laxiori. Sanchez *ſupra num.* 23. Quæ autem religio ſit dicenda perfectior in præſenti, habes ex dictis *eo num.* 5. Nota tamen, quòd quamuis ibi dixerim in quæſtione illa quid intelligatur nomine religionis perfectioris probabiliter dicere aliquos eam eſſe perfectiorem non quæ fuerit arctior, aſperior, & rigoroſior, ſed quæ habuerit perfectiorem finem, & media ad illum proportionata; nihilominus video ſententiam aliam, quam ibi etiam ſatis probabilem dixi, ſcilicet eam dici perfectiorem, quæ fuerit arctior, durior, & aſperior, communiorem eſſe, vt patet ex multis Authoribus, quos Sanchez *ſupr. num.* 21. adducit. Quibus iunge Sanctarellum *ſupr. cap.* 8. *num.* 30. Bonacina *ſupra difficult.* 3. *num.* 2. Fagundez *in* 2. *Eccleſ. pracept. lib.* 8. *cap.* 5. *num.* 6. Tamburinum *de iure Abbat. tom.* 3. *diſp.* 7 *quæſit.* 1. *num.* 18. & Bordonum *ſupra num.* 21. Et ratio eſt, tum quia tranſitus ad aliam Religionem concedi videtur, vt ſalus Religioſi ad aliam Religionem tranſmigrantis in ſtatu magis tuto collocetur, in ſtatu autem magis tuto collocatur amplectendo Religionem arctiorem, & duriorem, quàm aliam perfectiorem, & fructuoſiorem per ordinem ad finem, & ſalutem animarum. Non leue enim periculum ſubit, qui curam aliorum gerit. Confirmatur, tum quia in *cap. licet* citato mentio fit arctioris, & aſperioris vitæ. Tum quia in omnibus priuilegiis, in quibus interdicitur tranſitus ab vna religione ad aliam, excipitur Carthuſia, ſed hæc non eſt perfectior quoad finem (Carthuſiani enim aliorum ſaluti non vacant) eſt tamen arctior, & aſperior ratione abſtinentiæ à carnibus, ſilentij, perpetuæ clauſulæ, & aliarum perpetuarum pœnitentiarum. Ergo illa religio perfectior in hac parte vocatur, quæ durior fuerit, & aſperior.

Etſi autem in hac parte nomine perfectioris Religionis intelligatur auſterior, abſolutè tamen loquendo aliud eſt Religionem eſſe perfectiorem, aliud verò eſſe ſtrictiorem, ſeu rigidiorem. Religionis enim perfectio ſumitur à meliori, ac perfectiori fine, contemplatiuæ ſcilicet vitæ, vel actiuæ, per exercitium virtutum perfectiorum. At religionis ſtrictio, & aſperitas ſumitur ex aſperioribus, & ſtrictioribus actionibus vitæ, & corporis, in quibus Religioſi exercentur. Vt à maiori ieiunio, ſilentio, ciliciis, &c. Vnde poterit contingere vt vna Religio ſit ſtrictior, & aſperior altera, ſed altera minus ſtricta ſit nihilominus perfectior quia habet meliorem, ac perfectiorem finem, & exercitium virtutum perfectiorum. Portellus *ſupr. n.* 1. ex D. Bonauentura. 6

7 Dixi etiam eo *num.* 5. quod ad iudicandum quæ Religio sit perfectior (idem dico de strictiori) non tam attendendum sit ad primam Institutionem, & Regulam, quàm ad præsentem obseruantiam, & modum, quo in tali religione viuitur. Quod non solùm tenent, Azor. & Lessius eo loco relati, sed Sanchez *supr. num.* 24. post plures alios. Quibus iunguntur Bonacina *supra num.* 3. Peyrinis *tom.* 1. *de Subdito qu.* 1. *cap.* 24. §. *nota tamen*, & Bordonus *supra num.* 15.

8 In iudicando etiam, quæ Religio sit strictior, aut asperior, non solùm inspicienda est externa corporis asperitas, aut votorum multitudo, verum etiam alia vitæ ratio, vt est exacta paupertas, stricta propriæ voluntatis abnegatio, & similia, quæ corporis austeritates valdè superant. Vnde meritò Summi Pontifices aliquando interdixerunt quibusdam Religiosis ne Fratres Minores, aut alios strictioris Regulæ in suam religionem admitterent prætextu quarti voti, quod in ea emittitur, Sanchez, & Bonacina *supra*. Vnde etiam cessant quæstiones aliquorum, qui propterea solùm aliquas religiones strictiores appellant, & ad eas transire posse alios quoscunque, etiam Carthusianos, contendunt, quia in eis est quartum votum aliquod.

9 Quintò, iuxta dicta eo *cap.* 22. *num.* 6. requiritur, vt Religiosus possit ex vna Religione ad aliam transire, quòd illi non sit à Sede Apostolica talis transitus interdictus. Huiusmodi etiam conditionem aliquando irritare transitum, & professionem de nouo in alia Religione factam, quando scilicet in tali prohibitione Pontificia clausula irritans apponatur; secus verò quando non, dixi eo *cap.* 22. *n.* 7. Pro quo video notabile priuilegium Innoc. VII. pro Patribus Seruitis *in Annalibus huius Ordinis Centur.* 2. *lib.* 2. *cap.* 5. Quomodo autem intelligenda sint similia priuilegia interdicentia talem transitum, & an illis non obstantibus permitti possit, agunt Sanchez *supr. num.* 10. Vechius *in Praxi Nouit. disp.* 15. *dub.* 3. & Barbosa loco relato *de iure Ecclesiast. num.* 51.

10 Religiosi porrò, quibus interdictus est transitus ad aliam Religionem sunt primò, Mendicantes, nisi solùm ad Carthusiam, iuxta dicta *ibidem num.* 6. Secundò, Cistercienses, iuxta dicta *ibidem*. Tertiò, Iesuitæ, & Carmelitæ nostri discalceati, prout ibidem dixi. Item Clerici Regulares Ministrantes infirmis, qui etiam ad Carthusianos transire non permittuntur, vt ibidem quoque dictum est. Deinde prout habet Sorbus *in Additionibus ad Compendium priuil. Mendicantium verbo Recipere*, Capuccinis prohibitum est à Pio V. Gregor. XIII. ac Sacr. Congregat. transire ad Minimos Sancti Francisci de Paula, vbi etiam alia ad intentum. Discalceati etiam S. Augustini ad calciatos eiusdem ordinis, siue ad quemcunque alium ordinem laxiorem sine speciali Sedis Apostolicæ licentia transire prohibentur, ex Clement. VIII. Barbosa *in Collectan. Bullar. verbo Transitus Religionis*. Similiter Trinitarij discalceati nequeunt transire ad aliam quamcunque Religionem, Carthusiana excepta, ex SS. D. N. Vrbano VIII. Peyrinis *tom.* 3. *priuil. Minimor. cap.* 12. *in Constitutione* 11. *vel* 21. *Vrbani VIII*. Insuper Fratres Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede prohibentur transire ad Mendicantes ex Calixto III. Bordonus *supra num.* 38. Discalceati etiam huius Ordinis prohibentur à Sanctiss. D. N. Vrbano transire ad calciatos, Barbosa *supra*. De aliis, quibus similiter id est prohibitum, latè Barbosa loco relato *de iure Ecclesiastico à num.* 52. Tamburinus *supr. quæs.* 2. Thesaurus *supr. num.* 4. Bordonus *supra num.* 27. & sequentibus. Nouarius *in Lucerna Regul. verbo Translatio num.* 9. & *seqq.*

Qui possint dare licentiam ad transitum ad Religionem æquè strictam, seu strictiorem, constat ex dictis eo *cap.* 22. *num.* 8. 9. & 10. Vide tamen priuilegia particularia Religionum, specialiter Benedictinorum, & Hieronymianorum apud Rodriguez *tom.* 3. *quæst. Regular. qu.* 52. *art.* 10. & Portellum *supr. num.* 10. & 11. Quomodo peccet Prælatus non concedens licentiam subdito ad transeundum ad strictiorem religionem dixi *ibidem num.* 13. De quo etiam Vechius *d. disput.* 15. *dub.* 2. & Barbosa *supra à num.* 69. Qui verò dent illam ad laxiorem, aut minus strictam, dixi *ibidem num.* 11. Vbi primò notanda declaratio S. Congregationis, quam referunt Quaranta *supra* & Barbosa *in Collectan. Bullar. verbo Claustrales*, ex qua habetur, Religiosis claustralibus non licere transire ad non claustrales, quales sunt Militares, & Hospitalarij per licentias, quæ conceduntur claustralibus ingrediendi quamcunque Religionem. Maximè notandum secundò, quòd, cum iuxta dicta eo *numero* 11. probabile sit apud multos Doctores posse Prælatos Papa inferiores videlicet Regulares supremos, ex legitima causa dispensare cum suis Regularibus ad transeundum ad laxiorem religionem, prout tenent Nauarrus, Sanchez, & Lessius eo loco relati, Sanctarellus, Vechius, & Faustus, quos refert, & sequitur Nouarius *supra num.* 6. & 7. Fagundez *supr. num.* 10. Tamburinus *supra quæsit.* 5. *num.* 7. & alij plures apud Sanchez *supra à num.* 54. Barbosam *supra à num.* 78. & Peyrinis etiam loco relato eo *tom.* 1. *de Subdito.* §. *dico sexto*. Nihilominus probabilitas huius sententiæ solùm videtur practicabilis quando adest certa, & indubitata causa talis dispensationis, & tantùm pro foro interno, non pro externo, propter decretum Concilij Trident. eo loco adductum, & alia quæ affert Peyrinis *supra* §. *dixi*, & §. *cæterum*. Pro foro ergo externo semper Sedes Apostolica consulenda est, prout laudabiliter satis, etiam quando transitus est ad strictiorem Religionem fieret solet. Vt testatur Erasmus Cochier. *de iurisdictione Ordinarij in Exemptos p.* 4. *qu.* 12. *in fine*. Addit Sanchez *supra num.* 70. ad id quoque requiri consensum Conuentus, eò quòd cum agitur de maioribus negotiis Monasterij, talis consensus requiritur, & in præsenti talis sit iste casus, quia in eo agitur de alienatione Religiosi. Attendendus tamen est, vt credo, quoad hoc vsus, & stylus Religionis. Quæ verò sint causæ talis dispensationis dixi in eo loco *num.* 12. ex Azorio, Suarez, Sanchez, & Diana. De illis etiam Barbosa *supr. num.* 82. Fagundez, & Nouarius *supr.* ex Sanctarello, Vechio & Fausto. Quomodo autem non possit concedi licentia ad transitum, nisi concedenti illam constet, Religionem ad quam fit transitus, paratam esse ad recipiendum talem religiosum, constat ex dictis ex Decreto Sacr. Congregationis eo *cap.* 22. *num.* 15. De quo etiam Vechius *supr. dub.* 2. *num.* 9. Bordonus *supra num.* 3.

Per regulares autem, quibus permittitur transitus ad alias religiones seruatis seruandis, intelliguntur etiam Episcopi regulares, iuxta dicta *cap.* 22. *numero* 28. Item Militares. Adeo, vt tales in claustris vitam communem non degentes, etiam absque licentia suorum Superiorum possint transire ad Claustrales, vt fuit resolutum à Rota in vna Bononiensi *professionis* 14. Maij 1622. coram Domino Merlino, quam citant Vecchius *supr. dub.* 2. *n.* 14. & Barb. *supr. num.* 64.

num.64.Possunt etiam id facere Moniales, iuxta dicta *tom.1.c.25.n.41.*& *supr.*verb.*Clausura n.14.*Quibus etiam locis plura dixi ad intentum.Pro foro tamen externo,vt credo,S.Congregat.non semel censuit ad eam in similibus casibus esse recurrendum,& signanter in quadam Nanneten. & Redonen. Ex quibus colligitur, illam, similes licentias,concedere non consueuisse nisi quatuor conditionibus. Prima est,vt antequam à primo Monasterio Monialis egrediatur, aliud sit paratum, & quòd beneuolas habeat receptrices, quodque in eo capitulariter per secreta suffragia recipiatur. Secunda est, vt dotem à cæteris Monialibus præstari solitam, persoluatur. Tertia, vt spes illi auferatur ad primum Monasterium redeundi. Quarta, vt translatio fiat comitantibus matronis consanguineis grauibus ab vno ad aliud monasterium recta via absque diuerticulo, ac nullibi pernoctetur, nisi causa hospitij,idque nõ nisi apud honestas personas.Barbosa *supr.n.45 & 46.*Pro huiusmodi etiam transitu monialium vide Portellum *suprà n.8.& 9.* An verò tunc debeant secum suam dotem deferre, consule dicta *supr.* verbo *Dos Monialium n.6.* & Eminentiss. Ioannem de Lugo *de iust. & iure tom.1.disp.3.sect.11.n.229.*Item Tertiarij,seu Tertię, cum illi non sint veri religiosi,ad quamcunque veram religionem transire possunt. Item Oblati, seu Donati iuxta dicta *tom.2.c.8. num. 21.*De quo etiam Bordonus *supr.n.54.*ex aliis.Idem dicendum de toto Conuentu, seu Monasterio, iuxta dicta eo *cap.22. num.27.* De quo etiam Bordonus *supr. num.79.*

13 Translatos de vna Religione in alteram teneri facere nouitiatum vnius anni, & de nouo profiteri, constat ex dictis eo *c.22.n.16.* Vbi etiam dixi id esse necessarium, quando est transitus ab vna familia in aliam eiusdem Ordinis,vt si à Discalceatis Carmelitarum ad Obseruantes eiusdem Ordinis, vel à Conuentualibus ad Obseruantes,vel Capuccinos in Ordine Minorum,vel è contra fiat transitus,quia,vt ibi dixi, istæ religiones habent diuersas austeritates, diuersosque modos viuendi, & propterea necessaria est probatio Religiosorum in ipsis. Et ideo Rota apud Farin.*decis.115.num.7.p.2.recent.*censuit quòd Monialis vnius Monasterij vbi ad aliud transfertur,si non emittit professionem in secundò Monasterio non fit Monialis illius.Et *num.8.*tenet sufficere professionem emissam in primo monasterio, quando fit translatio de vno monasterio ad aliud eiusdem regulæ.Barbosa *supr.num.87.*Fratres tamen discalceati Sanctissimæ Trinitatis,ex declaratione S.Congregationis,quando transeunt ad calceatos non tenentur emittere nouam professionem, licet debeant facere annum probationis Barbosa *supr.n.86.*Nouarius *supra n.25.*

14 De loco,quem habent Religiosi translati ad aliam Religionem dixi eo *c.22.n.17.*De quo etiam,præter authores ibi relatos.Barbosa *supr.n.88.& 89.*Similiter de obligationibus sic translatorum dixi eodem *cap.22.n.19.*De quo etiam Barbosa *supr. num.90.* ex aliis. Pro quo valde notanda Constitutio SS. D. N. Vrbani VIII. data anno 1635. die 2.Maij;in qua statuitur, quod Regulares, qui ex suo instituto votum habent,seu iuramentum de non procuranda, vel acceptanda extra eorum Religionem,dignitate,aut superioritate, transeuntes ad aliam Religionem etiam cum licentia Papæ, aut dimissi, seu eiecti,remaneant astricti dicto voto,aut iuramento. Vnde esto, quòd prædicti iuxta dicta eo *n.19.* non tenerẽtur dicto voto,seu iuramẽto,quia illa,vel similia cẽsentur annexa,& veluti accessoria priori professioni, hoc tamen nouo iure SS. D. N. Vrbani inducta est præsumptio iuris, quod ea censeantur principaliter facta in cultum Dei; & non vt adnexa priori professioni Thesaur.*supr.n.13.* Nota tamen, quòd quamuis ipse ex Lessio, & Sanchez, quos refert, putet hoc votum de iure communi Papæ reseruatum non esse; nihilominus ex nouissima Constitutione Sanctissimi D. N. Vrbani sub die 26. Februarij præsentis anni 1643. declaratum est ab eodem Sanctissimo Motu proprio prædictum votum dispensari,aut relaxari non posse, aut aduersus illud aliquam licentiam,indultum,vel præceptum concedi, nisi solùm à Romano Pontifice pro tempore existenti.sublata facultate id faciendi omnibus,& quibuscunque Superioribus,Nunciis Apostolicis,Legatis,etiam de latere,sublatis quoque quibuscunque priuilegiis, indultis, & facultatibus in contrarium. An translati volentes redire ante non emissam professionem sint admittendi in prima Religione, dixi *ibid. n.18.* De quo etiam Bordonus *supr. n. 57. & seqq.* Vel etiam de loco, quem talibus debet tribuere Religio, & an debeant facere nouum nouitiatum. De iis,quibus priuantur transeuntes de vna ad aliam Religionem,dixi *ibid. n.20. & 21.* De bonis autem prælatorum translatorum ad quam Religionem pertinent,dixi *ibid. n.5.* De quo Portellus *supr.verb.Bona transeuntium n.1.*Barbosa *supr. à n.91.* Bordonus *supr. à n. 88.* De egrediente Religionem animo transeundi ad aliam post aliquod tempus dixi *n.26* Similiter de pœnis transeuntium illegitimè ex vna Religione ad aliam dixi *ibid. n.22. & 24.* De quo etiam Thesaur.*d. c.4.* De obligatione sic translatorum ad manendum in claustris propter decretum Concilij Tridentin. dixi *num. 29.* Nota autem Sacr.Congregationem declarasse apud Armendariz *in Additionibus ad recopilat. legum Nauarræ lib.2. tit. 18. l. 7. de Religion. num.69.* & Barbosam *supra num. 103.* posse Prælatum prædictis translatis licentiam concedere standi ad modicum tempus extra monasteria, causa prædicationis, vel audiendi confessiones.

15 Quomodo, & quando Religiosi Choristæ transferri possint ad statum laicorum, seu Conuersorum, dixi eo *cap.22.num.25.*Quomodo verò è contra non debeant Conuersi, seu laici permitti ad Ordines Sacros promoueri,habes ex dictis *to. 1.p.2. cap.2. num.22.*

16 Consequenter ad dicta *n.11* ad quendam casum mihi propositum, ex parte Maioris seu generalis S. Ordinis Camaldulensis, an videlicet posset suis subditis facultatem transeundi ad laxiorem Religionem concedere, iusta & rationabili subsistente causa sic respondi.

RESPONSIO.

17 Possumus loqui in hoc dubio vel de iure communi; vel de speciali Sixti V. in Bulla *Ea est*, Romæ apud S. Petrum die 9. Iulij 1586. pro his Patribus data; vel etiam de stylo,& praxi Rom. Curiæ.

18 Et loquendo de iure communi, satis probabile est, & in praxi secura sententia affirmans posse prædictum Maiorem sicut & quemlibet alium Generalem Religionum concedere licentiam prædictam suis subditis iuxta dicta à me *tom.1. sum.c.22. n.11.* Ratio est, quia authoritas cõcedendi hanc licentiam ferè necessaria est pro bono regimine Religionis; cũ sepius expediat, posita tali rationabili & iusta causa aliquem ab onere talis Religionis liberare. Pertinet etiam ad perfectam subiectionem subditorum erga Prælatos; magis enim ipsis subiecti erunt si ab illis possint hanc licentiam obtinere.
19 Ergò credendum iure commui habere illam dictos Prælatos Religionum

gionum erga suos subditos, præsertim cum circa il-
los habeant iurisdictionem quasi Episcopalem, &
omnino similem Episcopis, maximè in iis quæ ad
salutem animarum & conscientiæ quietem spe-
ctant, qualis est hæc facultas.

20 Esse autem hanc sententiam satis probabilem suf-
ficienter probatur ex innumeris ferè Doctoribus,
Iuristis & Theologis, qui illam vel absolutè tenent,
docentes Prælatum Papa inferiorem posse hanc li-
centiam concedere; vel id expressè affirmant de
Abbatibus, aut Prælatis supremis Ordinum; vel ad
minus, id esse probabile iudicat. Hi sunt Speculator
tit. de dispensat. §. nunc. de Episcoporum numero 3.
21 *vers.*20. Archidiaconus *cap. quam sit num.*6.18.*q.* 2.
& cap. si Religiosus in fin. de elect. in 6. Innocentius
cap. Dilectus num. 3. *ad fin. de tempor. ordin. & cap.
fin. num.* 1. *de renunc.* & ibi Hostiensis *num.* 3. *&
cap. non est in fin. de regular. num.* 2. Ioan. Andreas
n. 7. & in addit. ad Speculat. *tit. de dispensat.* §. *sunt
quoque num.* 6. *littera* Q. *& cap. non est in fin. de re-
gular.* Abbas *num.* 2. *& cap. significatum in fin. & d.
cap. non est num.* 6. Rosella *verb. Abbas num.*3. Pa-
ludanus *in* 4. *dist.* 38. *q.* 4. *art.* 4. *num.* 43. D. Antoni-
nus 2. *part. tit.* 11. *cap.* 2 §. 9. *vers. hoc autem videtur,*
Maior *in* 4. *dist.* 38. *q.* 21. *concl.* 5. Angelus in Summa
verb. Religiosus num. 34. Syluester *verb. votum* 4 *q.* 3.
dict. 6. *& verb. Religio* 4. *q.* 2. Tabiena *verb. Religio
q.* 23. *num.* 24. Gregorius Lopez *lib.* 9. *verb. Illas fuer-
tes tit.* 7. *part.* 1. Nauarrus *cons.* 56. *de Regul. & c. sta-
tuimus q.* 3. Rodrig *tom.* 3. *qq. reg. q.* 52. *art.* 9. *&* 2. *tom.
sum. c.* 6. *n.* 8. Lessius 2. *de iust. c.* 41. *dub.* 13. *num.* 102.
& 103. Azor *tom.* 1. *inst. mor. lib.* 12. *c.* 15. *q.* 1. Miranda
in Manual. Præl. tom. 1. *q.* 31. *art.* 5. *&* 6. Suarez 4. *tom.
de Relig. tract.* 8. *lib.* 3. *c.* 11. *n.* 20. Sanchez *lib.* 6. *in De-
cal. c.* 7. *n.* 53. *&* 68. Sanctarellus *de Apostasia c.* 8. *n.* 7.
Bartholomæus à S. Fausto *lib.* 5. *q.* 345. Bartholomæus
de Vechis *in prax. disp.* 12. *dub.* 5. Barbosa *de Iur. Ec-
cles. lib.* 1. *cap.* 42. *n.* 78. Diana *part.* 3. *tract.* 2. *dub.* 43.
Peyrinis *tom.* 1. *de subd. q.* 1. *c.* 24. §. *dico sexto.* Fagun-
dez *in* 2. *Eccles. prax. lib.* 8. *c.* 5. *n.* 10. Layman *de stat.
Relig. tract.* 5. *c.* 6. *n.* 9. Thesaur. *in prax. p.* 2. *verb. Relig.
c.* 4. *n.* 1. Ioannes Maria Nouarius *in Lucerna Regul.*
22 *verb. Translatio n.* 6. & alij. Quis autem dicat senten-
tiam quam tot tantique Doctores docent, aut pro-
babilem esse censent probabilem non esse, aut non
in praxi securam.

23 Nec obstat si contra illam dicatur, Concil. Trident.
sess. 25. *c.* 19. dixisse, *nemo etiam Regularis cuiuscunque
facultatis vigore transferatur ad laxiorem Religionem.*
Mens enim Cōcilij fuit ne fieret talis transitus abs-
que iusta, & rationabili causa, aut prætermissa ipsius
exacta cognitione, sed solum ad arbitrium Prælato-
rum, vt olim fiebat. Sic enim vt dixi *eo cap.* 22. *n.* 11.
exponunt mentem Concilij Nauarrus, & Lessius eo
loco relati, quibus addo Azorium, Rodrig. Sanchez,
Bartholomæum de Vechis, & Barbosam etiā relatos.

24 Nec etiam obstat extrauagans *viam ambitiosæ de
Regularibus*, vbi decernitur ne Mendicantes possint
ad aliam Religionem, præter Carthusianam, transire
absque Pontificis licentia, & aliter fore excommu-
nicatos tam recipientes quàm receptos, quo suppo-
nere videtur nullum Regularem posse sine tali Papæ
licentia ad laxiorem Ordinem transire. Nam præter-
quamquod hæc Extrauagans solùm loquitur de
Mendicantibus, ea intelligitur sicut & Concilium
Tridentinum de transeuntibus absque legitima, &
rationabili causa, prout dicto loco retuli ex Lessio &
Sanchez quibus adde Barbosam supra ex aliis.

25 Similiter nec obstat Constitutio Pij V. *Quæcun-
que Sacrarum* 1569. edita, qua statuit non posse re-
cipi, nec retineri ab vlla Religione fratres alterius
Ordinis, sed debere remitti ad proprios. Quia, vt
aiunt Nauarrus *lib.* 3. *consil. tit. de Regular. in* 2. *edit.* 26
cons. 88. *n.* 1. & Sanchez *d. c.* 7. *n.* 2. ibi non est sermo
de transeuntibus virtute licentiæ iure communi
concessæ, sed virtute facultatum, seu priuilegiorum
aliquibus particularibus Religiosis concessorum, vt
constat illis verbis *vigore huiusmodi priuilegiorum,
&c.* Addit Rodriguez 2. *tom. sum. c.* 6. *n.* 7 eam. con-
stitutionem non esse receptam, & *tom.* 3. *qq. regular.
q.* 52. *art.* 8. ait intelligi de iis qui transeunt ad aliam
Religionem non petita licentia.

Pariter etiam nec obstat Bulla Sixti V. *Immensa* 27
æterni, an. 1587. 11. Kal. Febr. edita *in* 2. *tom. Bullarij*
Laertij, inter Constitutiones huius Pontificis *n.* 74.
vbi Pontifex instituens Congregationem Eminen-
tissimorum Cardinalium super negotiis Episcopo-
rum & Regularium concedit illis facultatem dandi
licentiam dictis Regularibus vt transeant solum ad
arctiorem Religionem, quo supponit Pontifex tran-
situm ad laxiorem solum concedi posse à Summo
Pontifice. Facile enim responderi potest, quod cum
ibi nihil dicatur de Prælatis Regularibus, nihil inde 28
sequi posse ad intentum. Potuit autem iure optimo
Pontifex decernere vt præfati Domini Cardinales
solum concederent Regularibus licētiam transeun-
di ad arctiorem Religionem, relinquendo sibi, siue
Datariæ, aut sacræ Pœnitentiariæ, vt per Bullam Bre-
ue, aut alio modo facultatem transeundi ad laxiorem
concedere possent, maximè pro foro externo, & iu-
stificatione causæ.

Multo minus obstat quod aliqui obiiciunt, scili- 29
cet quod consuetudine & praxi Romanæ Curię ha-
beatur quod talis licentia transeundi ad laxiorem
Religionem solum à Sede Apostolica concedi so-
leat. Negatur enim talis praxis, aut consuetudo si in-
telligatur vniuersaliter; etsi verum sit plures pro ta- 30
li dispensatione ad Sedem Apostolicam recurrere
solitos, tum propter maiorem quietem conscientia-
rum; tum propter dubietatem & incertitudinem suf-
ficientiæ causæ, quæ dubietas tollitur per dispensa-
tionem à Papa factam; tum præcipuè propter forum
externum, quia qui à Papa talem facultatem obtinēt
certi sunt, quod non possint molestari, aut cogi ad
propriam Religionem, vnde digressi sunt, redire.

Loquendo autem de iure speciali Bullæ Sixti V. 31
concessæ in fauorem dictorum PP. Eremitarum Ca-
maldulensium de qua supra, satis etiam probabile est
per eam confirmari authoritatem, quam iure cōmuni
dixi habere Reuerendissimum Maiorem huius Reli-
gionis. Dicit enim Pontifex: *Omnibus & singulis ere-* 32
*mitis præfatæ Congregationis nunc & pro tempore exi-
stentibus, & cuilibet eorum, in virtute sanctæ obedientiæ,
ac sub excommunicationis maioris eo ipso incurrendæ, à
qua nullus præter Romanum Pontificem pro tempore
existentem, præterquam in mortis articulo absolutionis
beneficium impendere possit, aliisque Ecclesiasticis sen-
tentiis, censuris, ac pœnis, nec non apostasiæ reatus sus-
pensionis à diuinis, aliisque arbitrio Maioris eiusdem
Congregationis pro tempore existentis moderandis, in-
gendis & declarandis pœnis; ne ad alios quoscunque
Ordines, nec etiam ad Sacram Eremum eiusdem
Camaldulensis Ordinis Aretinæ Diœcesis, sine expresso
consensu & licentia ab eodem Maiore pro tempore
existente supradictæ Congregationis in scriptis peti-
ta, & obtenta transire & transmeare audeant vel
audeat eisdem authoritate, & tenore interduci-
mus, & prohibemus.* Verba enim illa *sine ex-
presso consensu & licentia, &c.* hunc viden- 33
tur habere sensum vel ex illorum proprietate,
vel

vel saltem à contrario sensu, quod scilicet, habito tali consensu & licentia transire possint, prout notat Nauarrus relatis *d.cons.*56. ex *Can. statuimus* 19. q.3.& colligitur ex Bartholo *in l.actione n.*1.*vers. Et per hoc respondetur*, & ibi Decio *num.*5. *c. de transact.* Alexandro *cons.*83.*n.*3.*lib.*1.ex aliis.Vnde Naldus *in Summ.verb.Mulier n.*7. ex Alexandro & aliis in *d.l. Actione* dicit dictionem *sine* inducere permissionem in casu sequenti.Et sanè talis videtur esse communis intelligentia inter Regulares dictæ dictionis *sine*, quotiescunque enim in legibus, statutis, vel constitutionibus ipsorum dicitur aliquid fieri non posse sine licentia, sine consensu, &c. Prælatorum, intelligunt accedente eorum consensu,vel licentia id fieri posse.

35 Nec obstat, si dicatur quod illa verba *sine consensu*, & licentia, &c. solum referri videantur ad illa immediata *ad sacram eremum eiusdem Camaldulensis Ordinis, &c.* non ad illa *ad alios quoscunque Ordines*. Cum enim posita sint sub vna oratione, versu & capitulo, & clausula in fine posita debeat ad omnia præcedentia referri, saltem, si salua recta ratione ad illa referri possit, vt dico *tom.*3. *Summa verb.*
36 *Clausula num.* 3. probabile etiam est ad illa omnia referri. Maximè cum ea Bulla fauorabilis sit dictæ Religioni, & Reuerendissimo Maiori ipsius; fauores autem ampliari debeant, vt vulgata iura clamant.

37 Quamuis autem hæc ita sint; nihilominus pro quiete conscientiarum conseruanda; scandalo pusillorum vitando; & pro iustificatione causæ; ac maximè pro foro externo, consulerem ne Reuerendissimus Maior præfata facultate vtatur,nisi quando omnino certus est de sufficientia causæ & Papa commodè adiri non potest, propter periculum in mora,vt consulunt Angelus,& Tabiena relati.

TRIREMIVM POENA.

SVMMARIVM.

*De hac materia remissiuè,num.*1.
*Hæc pœna an noua vel antiqua, num.*2.
*An digna quòd imponatur Religiosis. num.*3.
*Quando possit illis imponi, num.*4.
An damnati ad triremes habitu spoliari debeant, numero 5.
*Quibus adquirant tales damnati, num.*6.
Propter quæ delicta S. Officium hanc pœnam imponere soleat.

1 HAc pœna mulctari posse Regulares propter grauia delicta ab ipsis commissa, & quæ aliter castigari non possunt, dixi *tom.* 1. *cap.* 16. *num.* 32. Vbi etiam, qualiter triremium ministri non incidant in excommunicationem Canonis eos verberantes, nisi modum excedant. Insuper, vt *ibidem*, & *supra* verbo *Infamia num.* 7. dixi, illi qui fuerint ad triremes damnati, sunt irregulares, vt potè infames infamia Iuris. Quod intellige, iuxta dicta eo *num.* 7. quando sunt damnati ad talem pœnam ob causam famosam. De quo Thesaurus *in Praxi p.*1. *cap.*33. *§. talis est, & part.* 2. *verbo Missa cap.*5. *§. item si esset.* Vbi quòd tales, etiam à triremibus liberati sint infames, & irregulares *l.ad tempus C. ex quibus cau. infam. irroget.* A quibus autem dispensari possint in dicta irregularitate infamiæ, dixi eodem *numero* 32. De quo etiam Thesaurus eo *§.Item si esset.* An verò tales dum sunt in triremib. teneantur ad Officium diuinum persoluendum, si sint in Sacris,dixi eodem *tom.*1.*c.*12.*num.*7. De quo etiam Bordonus *Resol.*30.*n.*13. An licitè possint ex triremibus fugere,collige ex dictis *tom.*1.*c.*16.*n.*10. De quo nouissimè Eminentiss. Lugo *de Contractibus disp.*40.*sect.*4.*n.*54.Alia ergo in præsenti addenda.

Primò, quòd licet huiusmodi pœna sit omnino noua, cum non reperiatur quòd antiqui religionum Fundatores ea vsi fuerint ad puniendum suos religiosos, sed solùm disciplinis, mortificationibus, carceribus, &c. (Nauarrus *Comment.*3. *de Regular. num.*52. Peyrinis *tom.* 1. *de Subdito q.*1. *cap.*27.) ea tamen successit in locum antiquæ pœnæ deportationis,vel damnationis ad opus publicum. Thesaur. *supr.* ex Claro,Farinacio,& aliis. 2

Secundò, quòd licet huiusmodi pœna indigna valde sit quòd religiosis imponatur, cum per illam inter nefarios homines collocentur. (Nauarrus *supra num.*5. Iulius Clarus *in pract. lib.*5.*§.finali.* Diaz *in pract.cap.*143.) vt propterea rectè à SS. D. N. Vrbano VIII. prouisum sit, vt tali pœna digni mittantur in carcerem quemdam ab eo designatum, & *Ergastulum* vocatum, nihilominus, quia non extat prohibitio in contrarium, & vsus Religionum ita obtinuit; sintque aliqua priuilegia quoad hoc aliquibus Religionibus concessa; videlicet Hieronymianis Hispaniæ à Pio V. & Minimis à Clement.VII.& præsertim quia experientia compertum est criminosos aliquos religiosos alio modo puniri non posse, ideo prædicta pœna corrigi debent.Rodriguez *tom.*2.*quæst. Regul. qu.*24. *alias* 25. *artic.* 1. Alderete *de Disciplin. Relig.l.*2.*cap.*27.*n.*16. *&* 17. Peyrinis *supra.* Vbi etiam de modo, quo Prælati Regulares in tali pœna infligenda procedere debent. 3

Tertiò, non debere hanc pœnam infligi Regularibus nisi quando aliter castigari non possunt. Est enim terribilissima, & infamissima, & periculosissima spirituali saluti, propter societatem flagitiosissimorum hominum, etiam infidelium, qui in triremibus versantur, plurimorum,spurcissimorumque peccatorum participationem, quæ ibi committuntur Diaz, & Peyrinis *supra.* Vide plura ad intentum apud Viualdum *in Tract. de depos.& degradat. sub num.*38. 4

Quartò, decens satis esse, vt prædicti Religiosi ad triremes damnati, finito tempore, habitu remanerent spoliati. Tum quia indecens est tam infami pœna punitos habitu Sancto, & religioso vestiri. Tum quia propter pessimam societatem hominum, qui in triremibus morantur, pessimos quoque mores imbibere solent, vt propterea à consortio religiosorum iure arceri deberent, Rodriguez *supr. art.* 2. Peyrinis *supra.* Hinc audiui sæpiùs, referente Eminentissimo, & Reuerendissimo Cardinali Ginetto nostri ordinis Protectore, SS. D.N. Vrbanum velle, vt religiosi non damnentur ad triremes ad tempus, sed in perpetuum, quòd tamen non video executioni mandari. Nec quando reuertuntur habitu priuantur, præsertim propter Decretum Sacr. Congregat. *de Apostatis, & eiectis* eiusdem Sanctissimi mandato editum de non eiiciendo aliquem à religione, nisi seruatis multis conditionibus, quæ sæpius non reperiuntur in istis ad triremes damnatis.Illud certius,ipsos dum in triremibus morantur, vel ad illos mittuntur, habitu religioso priuari debere,Bord.*resol.*35.*n.*29.Casu verò quod ad religionem reuertantur non amittunt primogenituram Peyrinis *sup.*referens Syluestrum,& Nauarrum. 5

Qui etiam addit, Capitaneos triremium non recipientes religiosos ad ipsas damnatos, vel eos receptos dimittentes, non consentiente religione, peccare mortaliter. Quod limitat *tom.3. priuil. Minim. cap.6. num.5.* nisi ipsis constet tales religiosos iniustè esse damnatos ad talem pœnam.

6 Quintò, quòd licet varie loquantur Authores de illo cui adquirunt isti damnati ad triremes ea quæ adquirunt, mihi tamen videtur dicendum, quòd siue sint damnati ad tempus, siue in perpetuum, semper adquirunt religioni, prout in simili dixi de electis *tom. 1. cap.23. num.15.* propter rationem ibi assignatam, quia scilicet tales non sunt omnino à religione derelicti, sed solùm separati, cuius signum est, quòd ex rationabili causa potest illos reuocare. Tamen, si in eo statu eos mori contigerit, tunc credo ipsorum bona pertinere ad Cameram Apostolicam, propter dicta eo loco *numero 16.* & *supra* verbo *Spolia numero* 1. ex Constitutione Gregorij XIII.

7 De casibus, in quibus à Sancto Officio Inquisitionis hæc pœna infligi solet, plura habes apud Dianam *4. part. Tract.7.* & Carenam *de Offic. S. Inquisitionis p.3. tit.13. §.3.*

TVTELA REGVLARIVM

SVMMARIVM.

Regulares quando tutelam suscipere possint. num. 1.
An tunc negotiari possint, ibidem.
An possint suscipere tutelam honorariam, num. 2.
An esse tutores miserabilium personarum, num. 3.

1 RELIGIOSOS suscipere non posse tutelam alicuius personæ, testamentariam videlicet, & datiuam, benè tamen legitimam, de licentia Prælatorum, constat ex dictis *tom.1. cap.9. num.17.* De quo etiam Barbosa *de iure Ecclesiast. l.1. cap. 40. numero 113.* ex multis aliis. Quamuis Molina *tom. 1. de iust. disp. 221.* Sanchez *lib.6. in Decal. c.14. n.25.* Peyrin. *tom.2. de Prælato qu.3. cap.5. num.26.* & alij id negent. Vnde pater professus fieri potest tutor, aut curator filij. Bordonus *Resol.14. n.79.* ex Nauarro, Syluest. & Graffio. In casu etiam quo Clerici (idem dico de Religiosis) de iure possint esse tutores, res pupillorum negotiari valent, non tamen turpis lucri gratia. Ex declaratione S. Congregationis apud Barbosam *supra & cap.9. §.5. n.74* Non posse autem Regulares cogi ad munus tutoris suscipiendum, & cogentes in excommunicationem incidere, dixi *supra* verbo *Immunitas Ecclesiastica Regularium num.9.*

2 Videtur etiam Regulares suscipere posse tutelam honorariam aliquorum. Dicitur autem tutor honorarius, qui datur, vt pupillus sit magis honoratus eius auctoritate, & protectione, non autem, vt sæcularibus negotiis se immiscere debeat. Barbosa *supra num. 76.* ex aliis.

3 An autem Religiosi possint esse tutores miserabilium personarum agunt Graffius *eo num.17.* à me relatus, & Sanchez *supra num.26.* Barbosa *sup. c.43. num.57.* Nouarius *in tract. de priuil. miserab. personarum priuil. 86.* & Peyrinis etiam *supr. num. 26.* ex aliis. Quæ verò spectent ad officium tutoris, & quid teneatur facere, vide Summistas *verbo Tutela*, specialiter Angelum ibi à *num.2.* & Syluestrum *à qu. 4.*

VASA SACRA.

SVMMARIVM.

Vasa Sacra, quæ dicantur, num.1.
De Calice, & Patena, num. 2.
De Pixide, seu ciborio, num.3.
De lunula, quæ Sacram hostiam tangit, num.4.
De vasis, seu thecis Reliquiarum, num.5.
Vasorum Sacrorum conditiones, & qualitates, num.6.
An alienari, confringi, vel conflari possint, ibidem.

VASA Sacra generaliter dici possunt quæcunque vasa ad ministerium Eucharistiæ, eiusque, & sacrarum vnctionum, imò etiam Reliquiarum custodiam, deseruientia. Barbosa *de iure Ecclesiastico l.3. c.2. n.1.* Specialiter autem hoc nomen tribuitur Calici, & Patenæ. Graffius *in decis. aureis p.2. l.2. cap 14. num.8.* Sanchez *tom.1. in Decalog. l.2. cap.43. num.26.* Barbosa *supra.* 1

Porrò Calicem, & Patenam non debere esse de ligno, ære, aurichalco, aut cupro, lapide, vitro, vel chrystallo, sed de auro, argento, vel ob magnam paupertatem, & stanno dixi *supra* verbo *Calix n.1.* Debere esse consecrata, ac Chrysmate peruncta, *ibidem num. 2.* A quo debeant consecrari, *ibidem numero 3. & 4.* An reddantur consecrata eo solùm quòd cum illis celebretur, *ibidem num.8.* Quando execrentur, seu amittant consecrationem, *ibidem n.5.6. & 7.* Non posse tangi à laicis absque peccato, *ibidem num. 9.* Quod intelligi, etiam si vacua sint, nec contineant Corpus, aut Sanguinem Christi, *capite in Sancta dist. 1. de consecrat. cap. Sacratas, aliisque iuribus dist. 23.* Layman. *lib. 5. tractat. 5. capite 6. num. 19.* Quando autem Corpus, aut Sanguinem Christi continent, sine culpa graui tangi non possunt, nisi solùm à Sacerdote, vel Diacono, iuxta dicta *tom. 1. p.2. c.2. n.34.* ex *c. non oportet. d.23.* Paludano, & Suarez ibi relatis. Quibus iunge Syluestrum *in Summa verbo Eucharistia 3. q.4* & Laym. *supr. num.18.* in casu autem vrgentis necessitatis, & causa rationabili suadente, nullum erit peccatum prædicta tangi, etiam à laicis, iuxta dicta eo *num.34.* & à simili *supra* verbo *Agnus Dei num. 7.* An verò prædicta quando non continent Corpus, aut Sanguinem Christi possint tangi sine peccato ab Acholithis, & inferioribus Clericis, etiam extra necessitatem, affirmare videtur Suarez *tom. 3. in 3. part. disp. 8. sect. 8.* sed communior opinio, & conformior vsui Ecclesiæ Romanæ id negat. Azor. *tom. 1. Instit. Moral. l.9. cap.9. q.6.* Layman. *supra n.19. §. dico tertiò* post alios. Excipe, nisi adsit priuilegium Sedis Apostolicæ, iuxta *cap. 8. num. 33.* De quo etiam Azor. & Layman. *supr.* ac Fagundez *de 1. Eccles. precept. l.3. cap.21. num.27 & 29.* 2

De Pixide etiam, seu ciborio, quod est vas, in quo conseruatur Corpus Christi, idem proportionaliter dicendum, ac de Calice, & Patena, prout supponunt Authores communiter, specialiter Layman *d. n. 18.* An verò necesse sit quòd consecretur, vel sufficiat, quòd benedicatur, & à quo danda sit talis consecratio, seu benedictio, habes ex dictis *supra* verbo *Benedictio*, & *Benedicere num. 11.* De quo vide Cardin. Lugo *de Sacram. Eucharist. disp.20. sect.4. num.96. & 97.* Idem etiam videtur dicendum de vase, in quo Eucharistia ministratur fidelibus. Ioannes de Cruce *in Director. conscientiæ de Sacrificio Missæ qu.3. dub.3.* 3

Cæterum

4 Cæterum, de lunula illa, quæ Sacram Hostiam immediatè tangit, quamuis non videatur consuetudine receptum quòd consecretur, valde decens tamen est, vt saltem benedicatur. Durandus *l.1.de ritibus Ecclesiæ c.16.* Suarez *supra sect.7.* Ioannes de Cruce *supra.* Potest nihilominus tangi si consecrata non est, etiam à laicis, non solùm antequam ad Corporis Christi contactum adhibeatur; sed etiam postquam illud contigit, & iam non continet Corpus Christi. Layman. *supra num.22.*

5 De vasis autem, seu thecis Reliquiarum, in quibus ipsæ conseruantur, cum nec consecrata, nec benedicta esse soleant, dicendum, quod tangi possunt reuerenter etiam à laicis sine peccato. Sanchez *supra.* Ea tamen publicè in processionibus gestare, solùm ad Clericos spectare videtur. Layman. *supra num.21.* ex aliis.

6 Generaliter etiam Regularibus maximè notandum primò, vasa Sacra honesta esse debere, & proportionata ministerio, ad quod accommodantur. Angelus *in summa verbo Vasa num.1.* Secundò, nitida asseruari debere. *c. relinqui de custodia Eucharistiæ,* iuxta dicta *suprà verbo Paramenta Sacra num.2.* Barbosa *supra num.41.* Tertiò, ad vsus prophanos applicari non posse absque sacrilegio, *c. quæ semel 18. quæst.3. Regul. semel de Reg. iuris in 6.* iuxta dicta etiam eo verbo *Paramenta Sacra, num.3.* Fagund. *supra c.21. num.18.* Barbosa *suprà num. 45.* Quod intellige, etiam postquam formam, seu consecrationem amiserunt, propter idem fundamentum, & iuxta ibidem dicta. Licet Diana *6.p.tract.13.resolut.76.* id excuset à peccato mortali. Quartò vendi non posse, aut etiam pignorari absque sacrilegio, nisi propter necessitatem magnam Ecclesiæ, pauperum, captiuorum redemptionem, &c. *c. aurum 12. quæst.2.* & tunc non nisi aliis Ecclesiis, vel si laicis, non ad vsus prophanos, sed ad Sacros, & pios, iuxta dicta eo verbo *Paramenta Sacra d. num. 3.* Azor. Nauarrus, & Fagundez ibi relati, ac Sanchez *tom.1. Consil. Moral. lib. 2. c. 7. dub. 15. §. quartò dico, & §. vltimò dico.* Vide etiam Couarrubiam *lib. 2. c.16.* Imò, iuxta dicta etiam eodem verbo *Paramenta Sacra eo num.3.* ex aliis locis nostræ Summæ, si prædicta vasa Sacra fuerint pretiosa alienari non poterunt sine Sedis Apostolicæ licentia. Addit Sanchez *supra eo §. Quartò dico,* posse pro prædicta necessitate vendi vasa Sacra etiam ad vsum prophanum, ita tamen, vt prius confringantur, & conflentur præmissa prius oratione ad Deum. Sed quod attinet ad necessitatem ad id faciendum, ea debet esse non quælibet, etiam magna, sed summa, vt idem Sanchez §. *sequenti* ex Couarrubia approbare videtur. Quoad conflationem, licet ita fieri deberet in rigore iuris propter dictum *c. aurum,* & sic etiam tenet Barbosa *supra num.48.* ex Galeto; iuxta dicta tamen *supra verbo Calix num.10.* ex Naldo, praxi obseruatur, quòd sufficiat frangi talia vasa, sic enim sufficienter deperditur forma consecrationis ipsius, qui est finis talis ceremoniæ. Fagundez *supra num.19.* Illud autem de oratione præmittenda satis laudabile est. Nota quintò, quòd si prædicta vasa Sacra à degradatis ministris, vel aliàs indignis in ministerio contrectentur non ideo perdent benedictionem. *c. à nobis de Sacrament. non iterand.* Barbosa *supra num.41.* Casu autem quo prædicta vendantur ratione materiæ, non incurri simoniam, constat ex dictis eo *verbo Paramenta Sacra,* & *supra verbo Simonia quoad Regulares.*

VELVM MONIALIVM.

SVMMARIVM.

Velari fœminas vnde sumpsit exordium. num.1.
Sex vela, seu velamina Monialium. num.2.
De velo probationis, & professionis. num.3.
De velo consecrationis. num.4.
De velo ordinationis. num.5.
De velo Prælationis. num.6.
De velo continentiæ. num.7.

Foeminas velare caput suum, maximè in Ecclesia, ortum habere videtur ex illo Pauli *1. Corinth.11. Omnis autem mulier orans, aut Prophetans, non velato capite, deturpat caput suum.* Et ex eo quòd Linus Papa primus post S. Petrum sanciuit ne qua mulier nisi velato capite in Ecclesiam introiret. Barbosa *de iure Ecclesiastico l.1.c.44. num.14.* ex variis iuribus. Hinc etiam consuetudo velandi, vel Deo consecrandi Virgines, antiquissima est, etiam à tempore Apostolorum, cum constet Sanctum Petrum velasse Petronillam, S. Paulum Theclam, S. Matthæum Iphigeniam, S. Clementem, Flauiam Domitillam, & Liberium Papam Marcellinam Sancti Ambrosij sororem. De quo ex variis historiis Tamburin. *de iure Abbat. disp.27. quæsit.1.* & nos in nostris Annalibus. 1

Sex autem sunt vela, seu velamina, quæ religiosis fæminis, seu Monialibus ex vsu Ecclesiæ concedi sunt solita. Primum vocatur *probationis,* seu *receptionis,* quod datur nouitiis ante professionem, in ipsa receptione, seu prima tonsione, & communiter solet esse album. Secundum *professionis,* quod datur professionis tempore, & communiter solet esse nigrum, licet aliquando sit album, & antiquitus fuerit purpureum. Tertium *consecrationis,* quod scilicet aliquando, & aliquibus Monialibus datur à Prælato in pompa solemni descripta in Pontificali Romano. Quartum vocatur *ordinationis,* quo scilicet olim Diaconissæ ordinabantur, sed hodie cum velo consecrationis confertur. Quintum *Prælationis,* quo Prælatissæ, vel Abbatissæ constituuntur. Sextum *continentiæ,* quod dari solet Monialibus viduis. De iis ex variis iuribus Miranda *de Sacris Monialibus quæst.7 art.8.* Portellus *in dub. regul. verbo Velum Monialium num. 1.* Sanchez *lib.5. in Decalog. c.5. num.22.* Suarez *de Relig. to.4. tract.9. l.1. c.11.* Barbosa *supra à num.15.* Tamburinus *supra quæsit.2.* Nouarius *in Lucerna regular. verbo Velamen, seu Velum.* Addit Maiolus *l.1. de Irregularit. c.29.* septimum, velum scilicet *pœnitentiæ,* quod fæminis conuertitis dari solet. Quod tamen prætermittimus, quia parum conducens ad nostrum intentum. 2

Et quidem ex iis velis, seu velaminibus, primum, scilicet *probationis* seu *receptionis* datur ea ætate, in qua fœmina recipere potest habitum nouitiæ, de qua dixi *tom.1.p.1.c.25.n.11.* Barbosa *supra num.15.* Secundum, scilicet *professionis,* datur omnibus Monialibus professionem emittentibus, postquam probationis tempus expleuerint, siue virgines sint, siue non, iuxta dicta *eo c.25. num.10.* post completum 16. annum, iuxta dicta ibidem *num.11.* & in ipsius susceptione capilli abscinduntur, iuxta ritum Ecclesiæ. Barbosa *supra* Tamburinus *d. quæsit.2. §. ad ad tertium respondeo.* 3

Tertium, scilicet *consecrationis,* iuxta dicta eo *num.10.* solùm datur virginibus, non viduis, aut cor- 4

ruptis. Miranda & Sanchez *supra* ex S. Antonino, Paludano, & Nauarro. Et solùm ab Episcopo, iuxta ibidem dicta. Licet ex priuilegio id competere aliquibus Abbatibus, & Prælatis teneant Benedictus Bomartius, & Tamburinus à me relati *supra verbo Benedictio, & benedicere num.*2. Diebus tamen, & temporib. à iure statutis, *c.de vot.c.virgines* 20.*quæst.* 1. iuxta dicta eodem *num.*10.Barbosa *supra num.*17. Virgines autem hoc velum *consecrationis* recepturas debere esse in ætate 25. annorum dixi eodem *nu.*10. ex declaratione Sacræ Congregationis, quam etiam vel similem refert Armendariz *in Addit.ad recopilat. leg.Nauarræ l.*1.*de ætatibus num.*2.& constat ex Pontificali Romano.Barbosa *num.*19.Tamburinus *supra §.hodie ergo.* Nota tamen, quòd quamuis,iuxta dicta eo *num.*10. ex declaratione Sacræ Congregationis ibi adducta, tollenda sit huiusmodi consecratio Monialium maximè inter Mendicantes, nihilominus quia teste Piasecho *in Praxi Episcopor. p.*1. *c.*2. & Barbosa *supra num.* 21. eadem Sacra Congregatio respondit Patriarchæ Veneto obseruandam esse si alicubi adhuc vigeret, ideo sic faciendum. Quomodo autem se gerere debeat Monialis occultè corrupta, sed cum fama virginitatis, in casu, quo velum hoc consecrationis suscipere debeat, dixi eo *num.*10. De quo etiam latè Tamburinus *supra quæsito* 4. & Portellus *supra num.*2. Pro conditionibus etiam Monialium sic consecrandarum Maiolus *supra*, Tamburinus *suprà quæsito* 3. post Syluestrum, Tabienam, & alios Summistas *verbo Consecratio Virginis.*

5 Circa quartum velum, scilicet *ordinationis*, nota per illud solùm concedi Monialibus facultatẽ Officium inchoandi in Choro, vel Homilias legendi. Quod quidem non est aliquis Ordo Ecclesiasticus, cum fœminæ illius sint incapaces, sed genus quoddam nudi Officij, quod per benedictionem, & Breuiarij traditionem ipsis confertur. Maiolus *supra.* Tamburinus *supra §. ad quintum.*

6 De quinto autem velo, scilicet *Prælationis*, qua ætate Monialibus concedendum sit, & de aliis ad ipsum requisitis, lege dicta *tom.*1.*p.*1.*c.*26.*& supra verbo Abbatissa, seu Priorissa.*

7 De vltimo velo, scilicet *continentiæ*, nota, quòd licet illud viduis concedatur. *c. vidua* 27. *quæst.*1. poterit tamen dari virginibus, licet non è contra velum virginum dari possit viduis. Suarez *suprà.* Barbosa *supra n.*20.Tamburinus *supra §.ad Octauum* ex variis iuribus. De hoc etiam velo,& aliis ad illum spectantibus Miranda *dicto art.*8.

VENEFICIA.

SVMMARIVM.

*Casus reseruabilis inter Regulares. num.*1.
*Veneficia, incantationes, & sortilegia quomodo differant. num.*2.
*Quando reseruata fuerint quomodo intelligenda. num.*3.
An illis comprehendantur omnes species superstitionum, numero 4.
*Superstitio quid, & quotuplex. num.*5.
*Quando Regulares in hunc casum incidant, num.*6.
*Quando in incantationem. num.*7.
*De signis, vel verbis, quæ per veneficia, vel incantationes applicantur. num.*8.
*De sortilegio, & sortibus, num.*9.
*Quando in hunc casum incidant Regulares. num.*10.
Quid de illis, qui Ensalmadores, *seu* Saluatores *vocantur. num.*11.
*In huiusmodi peccatis an detur prauitas materiæ. num.*12.

Inter casus, quos, iuxta dicta *tom.*1. *c.*18. *num.*20. *& suprà verbo Casus reseruati regularium.*32. Clemens VIII. permisit Regularibus reseruari posse, primum est *Veneficia, incantationes, & sortilegia*, ideo opere pretium erit aliquid in præsenti de ipso dicere. 1

Et primò nota, *Veneficia, incantationes, & sortilegia* non differre specie, sed solùm ex parte materiæ, seu modi quo fiunt. Conueniunt enim in formali malitia, quæ est fieri instigante, vel paciscente Diabolo & solùm differunt, quia veneficium fit applicando res naturales inefficaces ad aliquem effectum non vtendo aliquibus verbis neque cæremoniis. Incantatio, dicendo verba inutilia, vel inefficacia ad talem effectum, non apponendo res naturales, sed sola verba. Sortilegimm verò, mittendo sortes, vel quid æquiualens, ad cognoscendum secretum præteritum vel futurum, ita vt semper in his tribus concurrat Diabolus. Portellus *in Dub. Regul. verbo Veneficia num.*1. Graffius *de Casibus reseruatis super hunc casum.* Bordonus *in suis resolutionibus Resol.*40.*num.*11.13.*&* 14. 2

Secundo nota, præsenti casui, quando reseruatus fuerit, applicari debere generalem doctrinam, quam pro casibus reseruatis assignaui *sup.*dicto verb. *Casus reseruati Regularium.* Primò, iuxta dicta eo loco *n.*9. nullum peccatum merè internum censeri debere saltem de facto (quidquid sit de possibili) reseruatum. Secundò, iuxta dicta *ibidem num.* 10. peccata venialia de facto (quidquid etiam sit de possibili) non deberi censeri reseruata. Tertiò, iuxta dicta *eodem num.*10. probabile esse, quòd peccatum, de quo dubitatur an sit mortale, vel veniale reseruari saltem non debere. Quartò, prout etiam eo loco dixi, quòd quando actus externus non est peccatum mortale, etiamsi internus mortale sit, non censeri debeat reseruatus. Quintò, iuxta dicta *ibid. num.*11. non cadere sub reseruatione mortalia alias confessa. Sexto, prout ibidem *num.*12. nec peccata mortalia censeri debere reseruata, nisi sint completa, & consummata, aut nisi ipsa attentatio criminis reseruetur. Septimò tandem, iuxta dicta *ibid. num.*13.*&* 14. quòd reseruatio casuum debeat restringi, & quòd in dubiis non debeat censeri aliquis in eos incurrisse, exceptis aliquibus casibus. De Prælatis porrò, qui possunt casus reseruare, & qui, & quomodo ab illis absoluere, quando cesset ipsorum reseruatio, & qualiter pœnitens, qui illos habet se gerere debeat ad petendum absolutionem ab ipsis, ac de aliis concernentibus, latè eo *verbo Casus reseruati Regularium* dixi. 9

Specialiter tertiò, quòd in his tribus superstitionum speciebus, notant Graffius, Coriolanus, & Longus *in Tract. de casibus reseruatis super hunc casum*, Portellus *supra num.*23. Molfessius *tom.*1. *Summæ tractatu* 7. *c.*20.*num.*25. & Peyrinis *tom.*2.*de Prælato quæst.*3.*c.*2.*§.*1.*num.*38. Eo quod iuxta doctrinam Iasonis in *Authentic. quas actiones num.*25.*Cod. de Sacrosf. Eccles.* quando agitur de salute animæ, & de vitando peccato debet ius etiam pœnale extendi, adeo, vt potiùs dicatur inclusio similium peccatorum, quam extensio. Ego tamen probabilius censeo contrarium, quia, iuxta dicta *supra verbo Casus reseruati Regularium num.*13. *&* 14. reseruatio casuum, 4

cum

cum sit odiosa, & pœnalis, restringenda est, & non extendenda ad alios casus, etiam similes, vel maiores, nisi illi exprimantur. Cum ergo in hoc casu solùm exprimat Clemens VIII. tres has species superstitionis, scilicet *veneficia, incantationes*, & *sortilegia*, non est admittenda extensio ad alias, Bordonus *supra num.*1.

5 Pro quo etiam notandum quartò, quòd superstitio est vana, seu falsa Religio, aut cultus alicui indebitè concessus. Nauarrus *in Manual.c.*11.*num.*22. Toletus *in Summ.lib.*4.*c.*14.*n.*1. Lessius *de Iustit.& iure lib.*2. *c.*43. *dub.*1. & alij communiter. Eius autem sunt quatuor species. Prima est, indebitus cultus Deo vero tributus. Secunda, idololatria. Tertia, diuinatio. Quarta, obseruatio vana. Nauarrus *supra num.*23. Sayrus *in Claui regia lib.*4.*c.*4. Bordonus *supra num.*2. Cum autem vana obseruatio sit procuratio alicuius effectus adhibitis mediis inutilibus, & à Deo minimè constitutis, ope Dæmonis tacitè, vel expressè inuocati, prout ex S.Thom.2.2.*q* 96.*art.*1. *&* 2. eliciunt communiter Doctores, specialiter Toletus *supra c.*16. Sanchez *lib.*2.*in Decalog.c.*40.ideo ex tribus prædictis veluti speciebus superstitionis, duæ, scilicet veneficium, & incantatio, solùm ad quartam speciem ipsius, quæ vana obseruatio nuncupatur reducuntur. Tertia verò, quæ est sortilegium, etiam ad tertiam speciem superstitionis, quæ est diuinatio, reduci potest. Bordonus *supra num.*11. 12.13.& 14.

Ex quo patet, quando regulares in prædictum casum cum reseruatus fuerit incidisse censendi sint. Primò enim quoad veneficia, tunc Regulares censeri debent in hunc casum incidisse, cum maleficium aliquod fecerint, siue ad inferendum, siue ad tollendum morbum, vel aliàs damnificandum aliquem, vel aliquos, in personis, vel in rebus. Similiter quando, licet maleficium non fecerint, vel etiam nesciunt facere, eo tamen à maleficis fabricato siue ad soluendum, siue ad ligandum vtantur. Fagundez in 2.*pracept.Eccles.l.*8.*c.*4 *num.*7.& 8.Peyrinis *supra*. Consulentes autem veneficas, seu sagas, aut consulentes, vt consulantur, si illarum remediis non vtantur, non comprehenduntur casu reseruato. Portell. *supra num.*30.Fagundez *supra num.*9.Peyrinis *supra*. Qui duo etiam addunt, idem esse dicendum, etiam si ex consilio sagæ ad maleficia componenda colligant ossa mortuorum, aut alias res sacras, vel prophanas, quia maleficium per hoc non faciunt, nec eo vtuntur, licet materiam præparent. Grauissimè autem in eo peccare non est dubium. Fagundez *suprà*.

7 Similiter circa incantationem, si ea Regularibus sit casus reseruatus, tunc in eum incidisse censendi sunt cum aliquibus verbis, vel signis inutilibus, vel inefficacibus ad aliquem effectum consequendum vtantur, vt si v.g. ignotis litteris, figuris, signis, caracteribus, aut nominibus, etiam Angelorum, aut aliarum rerum prolatis intendant sanitatem alicui dare, aut aliquam rem improportionatam efficere. Caietanus *in Summa verbo Incantatio*. Nauarrus *supra num.*25. Portellus *supra num.*10.Fagundez *supra num.*12. Idem est dicendum, etiam si talia verba sint Sacra, v.g. ex Euangeliis aut Sacra Scriptura deprompta; si cum illis adhibeatur aliqua vana, & inutilis circumstantia, vt quòd proferantur tali die, tali hora, cum tali situ corporis, aut tali voce, aut quòd sint scripta tali modo, aut tali charta. Nauarr. Portel. & Fagund. *supra*. Aut si talia verba sint falsa. v.g. quòd Christus habuit febres, aut quòd Beatiss. Virgo habuit dolores in partu. Fagundez *sup.* referens Nauarrum. Idem dicendum, si effectus secutus ex tali bus verbis sit vanus, & inutilis, vt si ex illorum prolatione moueatur annulus, vel cribrum, vel quid simile. Iidem Nauarrus, Portell. & Fagund. Addit Port. etiam si id fiat ex ioco. Addit etiam Fagund. *sup.n.*10. quod & sequitur Peyrin. *sup.* idem dicendum de iis, qui pactum implicitè, vel explicitè cum Dæmone ineunt, auxilium ab eo expectando vel ipsum colendo. Sed licet hoc sit grauissimum peccatum, & grauissimis pœnis dignum, quia tamen non est formaliter incantatio, quæ, vt dixi, solùm consistit in vsu verborum, signorum, & c inutilium ad aliquem effectum consequendum, ideo, vt credo, non comprehenditur hoc casu.

Circa prædicta autem verba, signa, vel quælibet alia, quæ per veneficia, vel incantationes applicantur ad effectus improportionatos, maximè pro foro externo notanda est regula, quam ex D.Thom. Gersone, & aliis colligunt communiter DD. quod quoties res aliquæ, siue verba, &c. applicantur ad aliquem effectum, ad quem producendum non habent virtutem naturalem, nec ex S.Scriptura, vel reuelatione constat eisdem esse tributam virtutem aliquam supernaturalem ad talem effectum, semper haberi debere vt suspecta de pacto cum Diabolo inito expressè, vel tacitè. Portellus *sup. num.*12. Qui tamen ex Victoria, & Delrio benè animaduertit non semper effectus, qui nobis videntur mirabiles procedere à Diabolo, nam possunt procedere à causa naturali nobis incognita, maximè per Magiam naturalem, quæ, cognitis secretis virtutibus rerum naturalium, illasque miscendo, producit effectus, naturales quidem, sed vulgo incognitos, quia ignorantur communiter rerum illarum particulares virtutes. De quo etiam Sanchez *supra cap.*40. *num.*32. Vbi etiam *num.*44 quid sentiendum quando res est dubia. 8

Vt autem sciatur, quando regulares in casum prædictum denotatum per particulam illam *Sortilegium* incidant, præmittendum est D.Th. ab omnibus recepto 22.*quæst.*95.*a.*8. sortes propriè esse, cum aliquid fit, vt eius euentu considerato aliquid fiat aut innotescat. Et eas esse triplices, quædam sunt *diuisoriæ*, vt sciant sortientes quid cuique tribuendum in electionibus, controuersiis, &c. Aliæ sunt *consultatoriæ*; quibus diuina voluntas exquiritur, vt sciatur, quid in aliquo negotio faciendum, cauendumve sit. Aliæ *diuinatoriæ*, quibus aliqui vtuntur ad occulta cognoscenda, vt si sic, vel aliter, taxilli, chartæ, &c. decidant, coniecturatur prosper, vel aduersus casus; vel cum diuersa nomina collocantur in vrna, vt coniecturetur furtum esse apud eum cuius nomen educitur. Ex quibus sortibus, illæ, quæ sunt *diuisoria* licitæ sunt iure naturæ, vt in sortibus, quæ mittuntur ad dirimendas controuersias inter hæredes, & legatarios ad aliqua bona obtinenda, & in electionibus ad officia sæcularia, & aliis casibus similibus. *Consultatoriæ* autem raró sunt licitæ; cum Deus non velit suam voluntatem sortibus indagari, sed Ecclesiæ, & Sanctorum doctrinis, ac petito à viris prudentibus consilio. Licet possint esse licitæ aliquibus conditionibus concurrentibus. *Diuinatoriæ* autem sortes sunt omnino illicitæ, & superstitiosæ, quia cum illæ sint medium improportionatum ad talia occulta cognoscenda, proculdubio sunt vanæ, & suspectæ de Dæmonis saltem tacita inuocatione. Quare Ius Canonicum eas interdicit *can. si quis Episcopus, & can.sequenti* 26. *quæst.*5. De illis noster Ioannes Beetz *in præcept. Decal.circa* 1.*præc.exposit.* 4.*c.*6. Sayrus *sup.c.*5. *à num.*15. Sanchez *sup.c.*38. *à num.*56. & alij communiter. 9

Ergò

10 Ergo ad intentum, tunc Regulares incidisse credi debent in prædictum casum reseruatum per illam particulam *sortilegium*, quando præiactis sortibus, aliquid occultum, siue præteritum, vel futurum noscere vellent. Graffius *supra num.16.* Portellus *sup.num.21.* Peyrinis *supra.* Bordonus *supra num.11.* Omnem etiam diuinationem per medium impertinens spectare ad hunc casum tenent Graffius, & Longus *in explicatione huius casus*, Portellus *supra num.23.* Peyrinis, & Bordonus *supra.* Quia tamen, vt dixi, cum reseruatio casuum non sit amplianda, sed potius restringenda, ideo cum sortilegium solùm importet diuinationem per sortes, non video cur extendi debeat ad aliàs diuinationes. Quòd si opposita sententia aliquibus placeat cum communis sit, pro huiusmodi diuinationis speciebus cognoscendis adeat Ioannem Beetz *supra exposit.4.c.3.4.& 5.* Delrium *lib.4.Disquis.Magic.c.2.quæst.6.& 7.* Toletum *sup.c.15.* Sanchez *d.c.38.à num.13.* Sayrum *d.c.5.à n.5.* Lessius *sup. dub.5.* & alios.

11 Ex dictis autem patet, quando Regulares exercentes ea, quæ aliquæ personæ vulgò vocatæ *Ensalmadores*, seu *Saluatores* exercent, in prædictum casum incidant. De illis autem specialiter agunt Lessius *sup. dub.10.* Sanchez *d.c.40.n.39.45.& sequentib.* Fagundez *sup.num.16.* Portellus *sup.num.6.& 8.* & alij apud ipsos.

12 Nota etiam, quòd in huiusmodi peccatis veneficij, incantationis, & sortilegij non potest dari paruitas materiæ, cum fundentur, vt dictum est, in tacita, vel expressa Dæmonis inuocatione, in qua non datur. Lessius *sup.c.4.num.26.* Sanchez *sup.c.38.n.18.* post Valentiam, & Delrium. Diana *5. part.Tract.5. Resol.39.* post Castrum Palaum, & alios.

VESTES SACRÆ.

SVMMARIVM.

Vestium Sacrarum institutio, & necessitas. num.1.
Quot sint. num.2.
Qualitas ipsarum. num.3.
Debent esse benedictæ. num.4.
Quando cesset earum benedictio. num.5.
Quid de alba si reficiatur. num.6.
Quid quando vetustate consumptæ fuerint. num.7.
An fieri possint ex materia alias prophana. num.8.
An vendi vel alienari. num.9.
De vestimentis Episcoporum. num.10.

1 ESTES Sacras, quibus Sacerdotes, & Ministri in Sacrificio Missæ peragendo vtuntur, rationabiliter institutas esse ab Ecclesia, constat ex eiusdem Ecclesiæ traditione, vsu veteris legis *Exod.28. ex cap. vestimenta de consecration. distinct.1.* Concil. Tridentin. *sess.22. cap.5.* & aliis iuribus, & Authoribus. Noster Vualdensis *tom.1. doctrin.fid. lib.2. artic.3. cap.58.* Henriquez *lib.9. de Missa cap.29.* Suarez *tom.3. in 3.part. disput.82. sect.2.* Vnde cum vestibus prophanis celebrare nunquam licet, nisi forsan in casu grauissimæ, & rarissimæ necessitatis (quæ vix accidere potest) in quo immineret periculum mortis Sacerdoti, si id non faceret, & id non peteretur ab ipso in odium fidei neque esset scandalum. Layman. *lib.5. Tract.5. numero 17.*

2 Sunt autem huiusmodi vestes, quibus Sacerdotes vtuntur, sex, scilicet, *amictus, alba, cingulum, manipulus, stola*, quæ etiam *orarium* dicitur, *planeta*, siue *casula*. Diaconi autem, & Subdiaconi vlterius vtuntur dalmaticis, quæ olim dicebantur *colobia*, ad instar *ephod*, cuius vsus erat in veteri lege. Henriquez *supra.* Fagundez *de præceptis Ecclesiæ circa 1. præcept. lib.3. cap.23.* Cardin. Lugo *de Eucharist. disp.20. sect.4. num.98.* De mystica verò earum significatione, siue ad Christi passionem, siue ad virtutes, aut mores referantur, latè prædicti Authores. Gabriel *sect.11. in Canon.* Durandus *in Rationalibus diuin. offic. lib.5.* Graffius *part.1. decis. aurear. lib.2. cap.41.* Toletus *in Summ. lib.2. cap.2. à num.3* Layman. *supra num.14.* Bonacina *de Sacram. disp.8. quæst.vnic.punct.5.à num.44* & alij. De earum etiam figura Tamburin. *de Iure Abbat.tom.1.disp.22. quæsit.4.*

Circa eas verò nota primò, debere esse honestas, & proportionatas vsui, ad quem deseruiunt, iuxta dicta *supra verbo Vasa Sacra num.6.* Quod etiam habetur ex *cap. vestimenta de consecrat.dist.1.* Secundò, nitidas, & mundas asseruari debere, iuxta dicta etiam *ibidem.* Ita, vt iuxta eo loco dicta ex *cap. relinqui de custodia Eucharistiæ*, (vbi Innocentius tertius vocat *absurdum in sacris sordes negligere*) peccatum mortale plerumque sit vestibus notabiliter immundis celebrare. De quo, præter Authores ibi relatos, Syluester *in Summa verbo missa 1. quæst.2. dicto tertio.* Sà *in Summa verbo Missa num.15.* Notat autem Laymanus *supra num.15.* (quod pro praxi Regularium deseruire potest) quòd si Sacerdos subditus monuerit suum Prælatum, vt vestes, vel vasa Sacristiæ, mundari iubeat, isque negligat facere, excusari talem Sacerdotem celebrando cum illis immundis, propter necessitatem celebrandi. Tertiò, debere esse integras, non notabiliter dilaceratas, Toletus *supra num.2.* Quartò, quoad materiam istarum vestium, quòd licet amictus, & alba linea esse debeant, aliæ verò vestes possunt esse ex quacunque materia honesta, scilicet, serico, lana, &c. Suarez *supra §.secundo obseruandum.* Fagundez *supra num.7.* Qui etiam notant, quoad colorem vtendum esse eo, qui pro variis temporibus, & festiuitatibus ab Ecclesia institutus est. Quintò, quòd illis, aliis in vsibus quam in Ecclesiasticis, nullus vti potest. *cap. vestimenta* relatum, *& cap. ad nuptiarum ibid.* Barbosa *de Iure Ecclesiastico l.3. c.2. n.34.* Sextò, quòd non debent tangi quando benedicta sunt nisi à sacratis hominibus. *cap.vestimenta,* &c. *ad nuptiarum* relatis, Angelus *in Summa verbo Vestis num.1.* Licet oppositum teneant Ioannes de Cruce *de Sacrificio Missæ quæst.3. dub.4. conclus.3.* Layman. *supra num.20.* Quod tamen intelligunt de vestibus Sacerdotalibus, quæ non tangunt immediatè Eucharistiam, aut non sunt Chrismate Sacro perunctæ. Quia ergo Corporalia immediatè tangunt Corpus Christi, ideo si sint sordida, sunt priùs, sub peccato (saltem veniali) à Sacerdote, aut Diacono lauanda, & lotio mittenda in piscinam. *c. nemo de consecr. dist.1.* Post primam tamen lotionem licitè traduntur Corporalia, & Purificatoria mulieribus maximè Religiosis iterum lauanda. Ita Caietanus *verbo Mulierum peccata*, Ledesma *in Summa cap.20.* Ioannes de Cruce *supra concl.1.* 3

Maximè septimò nota, vestes Sacras debere esse benedictas. Ita enim colligitur ex *d.cap.vestimenta*, antiqua Ecclesiæ consuetudine, & benedictionibus pro hac re contentis in Cæremoniali Romano. Sotus *in 4. dist.3 quæst.2.* Henriquez *supra cap.26.* Suarez *supra sect.2.* Vnde sine aliquâ ex his vestibus benedictis,

benedictis, aut cum aliqua non benedicta celebrare, regulariter est peccatum mortale, quia est contra Ecclesiæ præceptum & consuetudinem in re graui. Suarez *supra*.Fagundez *supra num*.15. ex aliis. Dixi *regulariter*, quia in casu necessitatis grauis ad vitandum periculum mortis id liceret, cessante scandalo, & fidei contemptu, quia præcepta humana non obligant cum tanto rigore. Henriquez *supra* Fagundez *suprà num*.17. Dixi etiam *regulariter*, quia celebrare sine aliqua veste ex minoribus v. g. cingulo, non benedicto, in casu alicuius necessitatis, solùm videtur veniale, vti graues Doctores censent. Suarez *supra* §. *secundo dicendum*, Additionator Toleti *ad dictum c*.2. Ioannes de Cruce *suprà conclus*.2. Lugo *supra*. Imò celebrare sine cingulo benedicto nullum erit peccatum in illis partibus, in quibus consuetudo est illud non benedicendi. Talis enim consuetudo legem contrariam abrogasse censeri debet, Syluester *supra dicto secundo*. Nauarrus *in Man. c*.25. *num*.84. ex Ricardo, & Scoto. Casu autem quo cingulum benedictum non habeatur, potest Sacerdos pro illo vti stola, sicut etiam stola pro manipulo, & manipulo, si oblongum fuerit pro stola. Syluester *sup. verbo Benedictio quæst*.6. Nauarrus *supra* post Paludanum, Azor. *to*.1. *Instit. mor. l*.10.*c*.28.*q*.9. Quando autem vna vestis benedicta pro alia deseruit, necesse non est, quod iterum benedicatur. Syluester *supra*. Layman. *supra num*.17. A quo autem dari possit hæc benedictio, præcipuè an à Prælatis Regularibus habes ex dictis *supra verbo Benedictio, & Benedicere num*.5. & sequentibus.

5 Octauò, circa cessationem huius benedictionis dicendum consequenter ad dicta *supra verbo Paramenta Sacra num*.3. quòd vestes Sacræ execrantur, vel amittunt benedictionem, ita vt noua indigeant, quando ita rumpuntur, vt aptæ non sint ad vsum, ad quem fuerant destinatæ, aut non amplius priorem retinent figuram, prout ibidem ex Armilla, Angelo Barbosa, & aliis retuli. Quibus adde Card. Lugo *sup. num*.99. & Tamburinum *dict. quæsit*.4.*n*.1. Quando autem vestis Sacra censeri debeat ita rupta, vt apta non sit ad finem, ad quem fuerat destinata, vel quando amittat priorem figuram, iudicio boni viri standum erit. Syluester *dicto verbo Benedictio quæst*.6. Qui specialiter quoad cingulum fractum dicit, quòd quandiu altera pars tanta remanet, quòd sufficiat ad honestè ex more cingendum, liceat cum eo celebrare, maximè in necessitate, quia videtur esse corpus vniforme, cuius scilicet quælibet pars est eiusdem rationis, vel qualitatis cum alia, vel cum toto, licet non eiusdem quantitatis & quòd multo melius id liceat, si antequam fractura compleatur, fortificetur nodo, vel grupo. Ita etiam Fagundez *sup. num*.14. ex Henriquez, & aliis.

6 Ex quo collige, albam non indigere noua benedictione, si ad eam reficiendam aliqua adiungantur, quorum additione remanet adhuc prior figura etiam si quæ adduntur non sint benedicta. Accessorium enim sequitur principale. E contra verò desinit esse benedicta, si ex ipsa abscindatur manica, quamuis illi postea eadem manica assuatur, nam per abscissionem manicæ ita perfringitur, vt non sit apta ad vsum, ad quem fuerat destinata, nec amplius retinet priorem figuram. Angelus *in Summa verbo Benedictio num*.3. Bartholomeus ab Angelis *dialogo* 5. §.265. Barbosa *supra num*.37. Et ob hanc rationem stola facta de planeta benedicta debet iterum benedici, non solùm quia ad ipsam est data particularis benedictio, sed quia est mutata forma, quam, habebat, & quæ dabat esse rei. Vgolinus *de potest. Episcopi c*.32. §.1. *num*.36. Barbosa *supra num*.38. Tamburinus *supra*. Quòd si huiusmodi vestes breuiores factæ sint, modò formam non mutent, benedicendæ iterum non sunt. Tamburinus *supra* ex Vgolino, & Barbosa. Quòd si de stola fiat manipulus vel de manipulo stola, non debent iterum benedici, quia non differunt in figura, nisi solùm quòd vnum est breuius altero. Angelus, & Tamburinus *supra*.

Consequenter etiam ad dicta eo verbo *Paramenta Sacra*, quando huiusmodi vestes vetustate consumptæ fuerint, ita vt ampliùs deseruire non possint, incendio dari debent, & cineres in Baptisterio, vel alio loco abdito, condi, nullatenus tamen in vsus prophanos conuerti possunt, prout, præter Authores eo loco relatos, tenet Laymanus *supra num*.20. & Tamburinus *supra num*.2. ante illos ex antiquioribus noster Bacco *in* 4. *dist*.11. *q*.1. *art* 5. 7

E contra tamen, consequenter etiam ad dicta eodem verbo *Paramenta Sacra*, huiusmodi vestes Sacræ fieri possunt ex materia aliàs prophana, etiam ex fœminarum vestibus, propter dicta eo loco; quod etiam tenent Angelus *sup. verb. Vestis n*.1. Syluester *sup. verb. Vestis*. Fagundez *sup. n*.23. Licet oppositum teneat Bacco *sup*. quem alij sequuntur. 8

Qualiter autem prædicta vendi, aut alienari non possint, nisi cum quibusdam circumstantiis, collige à simili ex dictis eo verbo *Paramenta Sacra num*.5. vbi etiam alia ad intentum. 9

De vestimentis Episcoporum, dum in Pontificalibus celebrant, tractat Durandus *l*. 2. *de ritibus Ecclesiasticis c*.9. De Superpelliceo, Dalmatica, & Tunicella Fagundez *sup. num*.24. & 25. & Tamburinus *sup. à n*.14. 10

VICARII RELIGIONVM.

SVMMARIVM.

Vicarij qui dicantur. num.1.
Alij sunt veri Prælati alij non. num.2.
De Vicariis Generalibus. num.3.
De aliis Vicariis Generalibus. num.4.
Quæ obseruanda in ipsorum institutione. num.5.
De Vicariis Prouincialibus. num.6.
De Vicariis Conuentualibus. num.7.
De aliis Vicariis Conuentualibus. num.8.
De Vicariis Monialium. num.9.
De Vicariis Episcoporum. num.10.
Alia remissiuè. num.11.
Curandum vt Vicarij non desint suæ residentiæ num.12.
Dubium de quodam Vicario Episcopali. num.13.
Primicerius *quod officium importet. num*.14.
Docet Diaconos, & alios Clericos cantum. num.15.
Habet gradum, & locum honorificum. num.16.
Si curam animarum exercet, non potest ab illa extrahi num.17.
Ex declaratione S. Congregat. num.18.
Ex strictissima obligatione Parochi ad residendum num.19.
Si non habet curam animarum an impediri possit n.20.
Ex cap. de cætero de cleric. non resid. *num*.21.
An derogatum per Concilium. num.22.
Non ex cap. ad audientiam de cleric. non resid. *n*.23.
An ex quibusdam declarationib. S. Congregat. num.24.
Quatenus primicerius non potest extrahi. num.25.
Propter residentiam beneficiatorum. num.26.

Ex

1 VICARII ethymologia sumitur à vice quam gerit. Syluester *in Summa verbo Vicarius in princip.* Generaliter etiam loquendo Vicarius est ille, qui vices gerit alterius, siue in officio contentioso, siue non contentioso. *De officio Vicarij* per totum, *& C. de offic. eius, qui vices alterius gerit* etiam per totum. Angelus *in Summa verbo Vicarius in princip.* Syluester *supra* & alij Summistæ communiter. Ad intentum ergo Regularium, illi dicentur Vicarij in Religionibus, qui vices Superiorum gerunt.

2 Isti autem Vicarij in Religionibus, consequenter ad dicta *tom.* 1. *c.* 18. *num.* 3. *& tom.* 1. *p.* 2. *c.* 13. *n.* 39. 40. *&* 41. alij sunt veri Prælati, illi scilicet, qui in eo munere, quod gerunt, non habent Superiores, alij vero non Prælati, illi videlicet, qui solùm instituti sunt, vt adiuuent Prælatos. Quod ex modo electionis ipsorum, statutis, & consuetudine Religionum, desumendum est. De quibus non solùm Suarez, Rodriguez, & Portell. eo loco relati, sed etiam Cassarub. *in Compend. Priuil. Mendicant. verb. Vicarius* Corduba *ibid.* & Bordonus *Resol.* 2. *num.* 8. Similiter, consequenter ad dicta eo *cap.* 13. *num.* 39. *&* 41. huiusmodi Vicarij, alij sunt *Generales*, sic dicti, vel quia à Generalibus sunt constituti, vel quia pro tota Religione, vel saltem Congregatione aliqua ipsius; alij *Prouinciales*, sic etiam dicti, vel quia à Prouincialibus constituuntur, vel quia pro tota Prouincia; alij denique *Conuentuales*, sic quoque appellati, vel quia solùm à Prælatis immediatis, videlicet Prioribus, Guardianis, &c. nominati sunt, vel quia solùm pro vno Conuentu, seu Monasterio sunt designati. Qui aliquando *Vicarij in capite* nominantur, aliquando verò *Superiores, Vicarij Chori*, &c. Alij etiam sunt Vicarij Monialium. De quibus omnibus sigillatim dicendum.

3 Et quidem loquendo de Vicariis Generalibus, qui iuxta iura Ordinis, vel per electionem à particularibus Congregationibus electi sunt, quales sunt Vicarius Generalis Congregationis Mantuanæ in Ordine nostro, & alij in aliis Religionibus, iurisdictionem ordinariam habent aliis delegabilem, iuxta dicta eo *cap.* 13. *num.* 17. Et ita declarauit Sacr. Congregatio de ann. 1626. pro Vicario Generali Augustinianorum Discalceatorum Italiæ, teste Nouario *in Lucerna Regularium verbo Vicarius n.* 4. Gaudent etiam prædicti Vicarij Generales priuilegiis concessis Generalibus earundem Religionum. Tum quia in re sunt ipsi Generales, cum nullum habeant supra se in Religione superiorem, quod est proprium Generalium, tum quia priuilegium non solùm censetur concessum personis, quæ in illo exprimuntur, sed etiam illis quæ propter vocis significationem ipso comprehenduntur, iuxta dicta *supra* verbo *Priuilegia Regularium num.* 5. Præsertim quia, vt ibi dixi ex *l. vlt. ff. de cond. Princ. & cap. cum olim de verbor. signific.* Principis beneficium latè explicari debet. Pro quo faciunt quæ dixi *tom.* 1. *c.* 18. *num.* 3. ex Suarez, & Rodriguez ibi relatis, & quæ affert Portellus *in Dub. Regularium verbo Vicarius in capite num.* 3.

Loquendo autem de aliis Vicariis Generalibus, qui non iure Ordinis, aut per electionem fiunt, sed solum per nominationem Generalium, tales quidem à Generalibus constitui posse, constat, tum ex iure communi *cap. pastoralis de offic. Iudic. Ordinar. cap. cum Episcopus de Offic. Ordinar. in* 6. & ex aliis iuribus, tum ex vsu Religionum, tum etiam ex declaratione Sacr. Congregationis pro Ordine Minimorum, quam refert Peyrinis *tomo* 1. *Priuileg. Minimor. Constit.* 14. *Leonis X. num.* 4. Tales autem, iuxta dicta eodem *num.* 17. solùm habent iurisdictionem delegatam amouibilem à Generalibus, nec eam possunt subdelegare, nisi pro casu quo ipsis id esset commissum, aut pro causa aliqua determinata, si ipsi essent delegati ad vniuersitatem causarum, iuxta dicta eo *cap.* 13. *num.* 16. Cum autem isti Vicarij Generales sint veluti Commissarij, ideo, quæ diximus *supra* verbo *Commissio, & Commissarius Regularis*, & *supra verb. Mandatum*, ipsis applicari potest. [Maximè quòd non se debeant ingerere in iurisdictionem ordinariam Prælatorum, nisi in casu appellationis, dixi ex declarationibus Sacræ Congregationis eo *cap.* 13. *num.* 16.] Adde, huiusmodi Vicarios missos à Generalibus honorari debere, etsi non tantum quantùm ipsi Generales, prout ex S. Antonino, Nauarro, & Rodriguez probat Peyrinis *tom.* 1. *de Subdito quæst.* 1. *cap.* 28. *concl.* 2. & constat à simili ex declaratione Sacr. Congregationis, quas refert Barbosa *in Collectan. Bullar. verbo Vicarius Generalis Episcopi* 2. in quibus dicitur, Vicario Generali deberi reuerentiam, & honorem, non tamen sicut Episcopo. 4

Circa ipsorum autem institutionem obseruari debent non solùm, quæ in particularibus Constitutionibus Religionum statuuntur, sed etiam alia, quæ iure communi videntur necessaria. Ex quibus vnum videtur esse, quòd Generales tales Vicarios Generales constituentes, debeant esse vero, & legitimo impedimento detenti, aut ita impediti, vt non possint per se tale munus exercere. Peyrinis *in Formular. littera V. cap.* 6. *num.* 6. Notans etiam in sequentibus, quòd in litteris patentibus talis Vicariatus debeat exprimi tale impedimentum. Quod communiter practicari credo in Religionibus. Deinde requiritur, quòd iurisdictio talium Generalium Vicarios constituentium impedita, aut suspensa non sit per excommunicationem, aut aliam censuram, propter dicta *supr. verb. Commissio, & Commissarius Regularis n.* 7. & *verbo Excommunicatio quoad Regulares n.* 33. Vbi etiam *num.* 34. an talis delegatio iurisdictionis, quando delegans est excommunicatus toleratus valida sit. Vnde si Generales ipsos constituentes in excommunicationem incidant postquam illos constituerunt, cum per talem excommunicationem suspendatur Generalium iurisdictio, sic etiam, & Vicariorum, cùm ista pendat ab illa, iuxta dicta eodem *verbo Commissio, & Commissarius Regularis numero* 5. Vbi etiam alia ad hoc intentum, præsertim, quomodo debeat hoc intelligi re integra manente, id est antequam ipsi Vicarij inceperint exercere suum munus, & quia ad hoc requiratur. 5

requiratur. Tertiò requiritur, quòd tales in Vicarios Generales constituti, excommunicatione (idem dico de alia censura) affecti non sint. Excommunicatus enim incapax est iurisdictionis suscipiendæ, qualis datur per Vicariatum. Peyrinis *supra num.* 12. Quartò, illegitimos non posse eligi in Vicarios Generales constat ex dictis *to.* 1. *p.* 1. *cap.* 13. *num.* 50. Quoad locum verò, seu præcedentiam, quam tales Vicarij tenere debent, quidquid sit de statutis particularium Religionum, stando in Iure communi videtur dicendum, debere præcedere omnibus illis, quibus præcedunt Generales, qui eos in Vicarios constituerunt, cum gerant vices illorum. *cap. Pastoralis §. Præterea de offic. Ordinarij cap. sane el. secundo de officio iudic. deleg.* Peyrinis *supra cap.* 5. *num.* 4. Secus dicens, quando tales Vicarij non sunt constituti nisi pro aliquo casu emergenti, quia tunc non debent præcedere prædictis, nisi quando actualiter exercent suum munus. Vide declarationes Sacr. Congregationis circa Vicarios Episcopales apud Barbosam *supra verbo Vicarij Generalis præcedentia, & locus* 3.

6 De Vicariis quoque Prouincialibus tam illis, qui iure Religionum per constitutiones, aut veram electionem electi sunt, quàm de aliis, qui solùm per nominationem à Prouincialibus factam constituti sunt, eodem modo respectiuè philosophandum est, ac de Vicariis Generalibus, iuxta dicta similiter *to.* 1. *part.* 2. *cap.* 13. *num.* 22.

7 Pariter etiam de Vicariis localibus Conuentuum, aut Monasteriorum philosophandum est respectiuè ac de Vicariis Generalibus, ac Prouincialibus. Vnde illi, qui vocantur, & sunt Vicarij in capite, cum sint veri Prælati illorum Conuentuum, seu Monasteriorum, gaudent iisdem Priuilegiis, quibus dicti Priores, Guardiani, &c. iuxta dicta *tomo* 1. *part.* 1. *capit.* 18. *numero tertio.* Vnde specialiter habere facultatem eligendi sibi Confessarium, tenet Bordonus *Resol.* 34. *numero* 29. ex Suarez, Rodriguez, & aliis. Similiter, iuxta dicta eo *capit.* 13. *numero* 39. poterunt facere omnia, quæ alij Prælati immediati Conuentus. De illis etiam specialiter quoad Ordinem Minorum agit Cassarubius *supra num.* 5.

8 Cæterum loquendo de Vicariis Conuentuum, qui in ipsis Conuentibus Superiorem agnoscunt, & ipsi non sunt veri Prælati, quales in nostro Ordine *Superiores* vocantur, & in aliis Religionibus *Vicarij Conuentus*, seu *Vicarij Chori*, iam dixi eo *capit.* 13. *num.* 40. non debere dici habere dignitatem Ecclesiasticam, sed vel personatum vel præcedentiam, iuxta diuersorum Ordinum statuta. Cum autem, non sint veri Prælati non possant vti priuilegiis Prælatorum, provt in specie de facultate eligendi sibi Confessarium tenent Diana 6. *p. Tract.* 8. *Resol.* 15. & Bordon. *supra numero* 30. An verò id facere possint saltem in absentia Prælatorum immediatorum, consule dicta eo *capit.* 13. *num.* 41. Dianam *supra & p.* 3. *Tract.* 2. *Resol.* 1. Megalam *lib.* 1. *de Pœnit. capit.* 10. *numero* 4. & Bordon. *supra.* An possint, cum Prælati immediati per vnum diem verb. gr. absunt à Conuentibus, absoluere ab his casibus reseruatis à quibus soli dicti Prælati absoluere possunt, consule Peyrinis *tom.* 1. *Priuileg. Minim. in Constit.* 4. *Sixti IV. num.* 26. & Dianam *eo Tract.* 2. *Resol.* 28. De talibus etiam Vicariis Religiosorum declarauit Sac. Congregatio apud Sellium *in Select. cap.* 18. *num.* 43. & Tamburinum *de Iure Abbatissar. disp.* 25. *quæst.* 4. *num.* 7. alloqui non posse Moniales, nisi vices Priorum subeant.

Loquendo etiam de Vicariis Monialium, iam dixi 9
tom. 1. *part.* 1. *cap.* 25. *numero* 2. eos non esse veros Prælatos ipsarum esto super illas habeant aliquam superintendentiam. Casu verò quo fuerint ipsarum Prælati, provt Cassarubius *supra* & Portellus *in Dub. Regular. verbo Vicarius in capite* de Ordine Minorum tenent, poterunt ea facere, quæ veri Prælati faciunt. An verò possint benedicere corporalia, & paramenta pro ipsis Monialibus, consule Portellum *supra* & ea quæ dixi *supra* verbo *Benedictio, & Benedicere* præsertim *num.* 8.

De Vicariis Episcoporum agere, quia res est non 10
directè pertinens ad Regulares, vide Sbrozzam *de offic. Vicarij*, Rebuffum *in Tract. portionis benefic. Vicar.* Campanile *in Diuers. iuris rubric.* 7. *capit.* 6. *à numero* 113. *& rubric.* 11. *capit.* 23. *à numero* 148. Naldum *in Summ. verbo Vicarius*, & Barbosam *de Iure Ecclesiastic. libro primo capit.* 15 *& de offic. & potestat. Episcop. Allegat.* 54. post alios, quos referunt. Nota tamen, quòd, iuxta dicta *tom.* 1. *cap.* 9. *numero* 14. possant Regulares saltem ex vi iuris communis, munus Vicariorum Episcopalium exercere cum licentia Superiorum, & vtilitate Monasterij. Quod non solùm tenet Azor. & Rodriguez eo loco relati, sed etiam plures, quos refert Nouarius *supra numero secundo.* Quamuis *numero primo.* referat declaratioñe quamdam S. Congregationis in contrarium, quam tamen non constat esse authenticã.

Vide dicta *supra* verbo *Commissio, & Commissa-* 11
rius, ac supra verbo *Mandatum*, & dicenda infra verbo *Visitator Regularis.*

His quoque addendum, quod in electione, seu 12
designatione huiusmodi Vicariorum cautè curandum, vt quantum fieri potest, nec obstent Ordinum statuta à Sede Apostolica approbata, hi Vicarij sic instituendi, vt si alias Prælati fuerint non desint residentiæ pro Prælatis necessariæ, iuxta dicta *tom.* 1. *part.* 1. *capit* 18. *numero duodecimo.* Ad quod deser-
uit saltem à simili, resolutio à me data in casu quo- 13
dam in quo quærebatur, an Episcopus possit instituere Vicarium Generalem sui Episcopatus quendam Primicerium Ecclesiæ cuiusdam Collegialis suæ Diœcesis. Ad quod sic respondi.

RESPONSIO.

Suppono quod *Primicerius* est idem quod *primus* 14
Cantor, seu *primus ratione cantus*, quia eius munus est docere quid sit canendum in choro. *capit. Perlectis* 25. *dist.* Lælius Zechius *de Republ. Christ. tit.* 24. *à num.* 16. Petrus Gregorius *in Syntagm Iur. lib.* 15. *capit.* 22 Barbosa *de Iur. Eccles. lib.* 1. *cap.* 28.
Imò etiam ad illum spectat docere Diaconos & re- 15
liquos Clericos de cantandi forma & aliis spectantibus ad diuinum Officium. *cap. Vnico de offic. Primicerij*, Gloss. *in d. cap. vnic.* Zechius *supra.* Barbosa *num.* 6. post alios. Vnde habet gradum & locum honorificum inter vel iuxta Canonicos secundum locorum consuetudinem, & in processionibus potest ca-
pere pluuiale, sicut Dignitates, & non planetam sicut 16
Canonici, iuxta quandam declarationem S. Congregationis Rituum, quam refert Barbosa *supra num.* 9. Quia tamen contingere potest vt aliquando sit etiam Canonicus, aliquando vlterius exerceat curam animarum, ideo sub distinctione respondendum.

Primò enim, si Curam aliquam animarum exer- 17
ceat, omnino dicendum non posse ab illa extrahi ad munus Vicarij Generalis Episcopalis, sic colligo
ex declaratione S. Congregationis Concilij quam 18
referunt

referunt Gonzal. *super Regul.* 8. *Cancel. glos.* 6. *nu-*
mero 258. & 259. reprehendens Nauarrum quod
oppositum dixerit *cons.* 25. *de Cleric. non resi.* Gar-
zia *de benefi. p.* 3. *cap.* 2. *num.* 42. Sà *in Summ. verb.*
Residentia numero 1. Sanctarellus *p.* 1. *var. quæst.* 3.
numero 49. & plures alij. Et ita tenent Vgolinus,
& Piasecus, quos refert Garzia *supra numero* 40. Ar-
mendariz, Zerola, Quaranta, & Posseuinus quos af-
19 fert Sanctarellus. Quorum omnium ratio est de-
sumpta ex strictissima obligatione, quam habet Pa-
rochus ad residendum in sua Parochia, à qua non
excusatur etiam si sit Inquisitor, Auditor Rotæ, Se-
cretarius Sedis Apostolicæ aut etiam Cardinalis,
secundum Doctores quos allegat relatus Sancta-
rellus.

20 Si autem dictus Primicerius est Canonicus dicen-
dum, ex parte quidem Canonicatus non impediri,
quominus possit ab Episcopo assumi ad Officium
Vicariatus. Ratio desumitur *ex cap. de cætero de Cle-*
ric. non resid. vbi Alexand. III. cuidam Episcopo
concedit, vt Canonicis quandiù fuerint in seruitio
ipsius, nihil subtrahatur de fructibus sui beneficij.
21 Cum enim Papa non loquatur determinate de Ca-
nonicis Cathedralis Ecclesiæ, sed indefinite de Ca-
nonicis, extendi etiam videtur concessio ad Cano-
nicos Ecclesiæ Collegialis, qualis est iste de quo in
casu; ac perinde quod quantum est ex parte Cano-
nicatus non sit impeditus vt assumatur ad Officium
Vicarij: siquidem Vicarius etiam est in seruitio
Episcopi, ad quod attendere voluit Pontifex. Mone-
ta *de distribut. quotid. p.* 2. *quæst.* 8. *num.* 6. Barbosa
in collect. ad d. cap. de Cætero num. 4. Non esse au-
22 tem derogatum istud *cap. de Cætero* per Concilium
Tridentinum latè ostendit ex iuribus & Doctoribus
Garzia *supra num.* 346. Idem etiam colligi videtur
ex *cap. Ad audientiam de Cler. non resid.* vbi Ho-
norius tertius Meldensi Episcopo etiam concedit,
23 *vt duo ex Canonicis Ecclesiæ memoratæ in suo seruitio*
existentes, suarum fructus integre percipiant præben-
darum. Cœterum cum Pontifex ibi loquatur solum
de Canonicis Ecclesiæ Cathedralis, scilicet Mel-
densis, de qua ibi erat sermo, & de qua erat Postula-
tus; ideo concessio hæc non videtur extendi ad ca-
sum præsentem, cum iste de quo est sermo, non sit
beneficiatus Ecclesiæ Cathedralis, aut eius Ciuita-
tis, in qua residet Episcopus; sed Ecclesiæ cuius-
dam Collegialis extra dictam Ciuitatem. Moneta
supra num. 7. & Barbosa etiam supra & *in Collect.*
ad hoc cap. Ad audientiam num. 5. Idem quoque
colligi videtur ex aliquibus declarationibus S. Con-
gregationis quas refert Garzia *supra numero* 347.
24 Etsi non multum vrgeant ad intentum, quia vi-
dentur intelligi de Canonicis Ecclesiæ Cathe-
dralis, non Collegialis sitæ in alio loco extra Ciui-
tatem in qua est Episcopus, prout est sermo in
præsenti.

25 Siue autem iste de quo agitur sit vel non sit Ca-
nonicus d. Ecclesiæ Collegialis consideratus præcise,
vt est Primicerius talis Ecclesiæ videtur, nullo modo
assumi posse ab Episcopo ad officium Vicarij extra
locum suæ residentiæ. Ratio sumitur primo ex ge-
26 neralibus iuribus circa residentiam Clericorum be-
neficiatorum, quæ conformia esse tum iuri diuino,
27 tum naturali, alibi ostenditur. Secundò, ex mune-
re Primicerij, qui cum debeat vt dixi *supra*, regere
Chorum, & ordinare de cantandis, seu psallendis,
aliisque spectantibus ad Officium diuinum, procul-
dubio valde interest Ecclesiæ ne amoueatur à sua re-
sidentia. Tertiò, quia iura relata solum loquitur de
Canonicis, quorum nomine non comprehendun-
tur Primicerij, aut alij Clerici, maximè in mate- 28
ria exorbitante à iure Communi; & quæ videtur
odiosa, cum agatur in illa de cultu diuino dimi-
nuendo. Sanctarellus *supra à numero* 39. Quaranta
in summ. Bullar. verb. Residentia §. *in quæstione* illa.
Quartò quia id habetur ex magna parte Doctorum,
specialiter Rebuffo *de Vicar. Episcop. numero quinto.* 29
Moneta *supra numero octauo.* & pluribus aliis, qui
aiunt *dd. capit. de Cœtero* & *ad Audientiam* non
extendi ad alios quàm ad Canonicos. Quales sunt
Sanctarellus *supra num.* 38. fauet Cenedo *practic. &*
Canon. quæstionum lib. 1. *quæst.* 1. *num.* 35. cui ad-
hæret Barbosa *in Collect. ad d. cap. de Cœtero nu-*
mero 3. Alij autem DD. qui loquuntur de Canoni-
cis Ecclesiæ Cathedralis non possunt trahi ad inten- 30
tum de beneficiato Ecclesiæ Collegialis, nam Ca-
nonici Ecclesiæ Cathedralis in Ciuitate Episcopali
existentes possunt dici habere residentiam, & si non
interessentiam, quæ inter se differunt, vt notant DD.
in capit. licet vobis de præb. Gemin. *in cap. Vnico* §.
fin. numero 1. *de Cler. non resid. in* 6. post Glos. sin-
gul. ibi *verb. Adfuerint.* Ex his & aliis Gonzal. *ad*
Regul. 8. *Cancel. glos.* 43. *numero* 50. At vero be-
neficiatus Ecclesiæ Collegialis Diœcesis si resideat
in Ciuitat. Episcopali munus Vicarij exercens non
poterit dici quod habeat neque interessentiam ne-
que residentiam in sua Ecclesia.

Eo autem magis hæc procedunt, quod vt notat 31
Stephanus Gratianus *discept. forens. cap.* 166. *nu-*
mero 20. quam aduertentiam vocat *piam* Barbosa
d. numero 3. hodie Episcopi iam non poterunt ex-
trahere Canonicos ab Ecclesia iuxta *d. cap. de Cœ-*
tero pro suo seruitio, inspecta vbertate redditum
Episcopalium, ratione quorum poterunt habere
alios pro suo seruitio quàm Canonicos.

Nihilominus, non videtur improbabile, posse 32
Episcopum extrahere dictum Primicerium à sua
Ecclesia Collegiali oppidi alicuius suæ Diœcesis, &
illum instituere Vicarium Generalem cum residen-
tia in Ciuitate vbi est Ecclesia Cathedralis, & per-
ceptione fructuum Primiceriatus, concurrente ta-
men Episcopi dispensatione & Eccesiæ necessitate,
vel magna vtilitate. Colligo primo à simili ex *d. cap.* 33
de Cœtero. si enim pro conseruando Episcopi serui-
tio Ecclesia liberaliter ipsi concedit vt possit reti-
nere apud se Canonicos non determinando an illi
esse debeant Ecclesiæ Cathedralis, aut etiam Colle-
gialis alicuius Oppidi Diœcesis; neque etiam nu-
merum Canonicorum, quæ duo limitantur in *cap.*
Ad audientiam, vt dictum est, probabile videtur
id posse à simili dici de Primicerio Ecclesiæ Colle-
gialis Diœcesis, & ad Officium Vicariatus; cum
Vicarius dicatur esse in seruitio Episcopi, vt ait 34
Rota inferius referenda, & ex alia parte non sit ma-
gna differentia inter Canonicum & Primicerium,
vt propter illam credi possit id concessum fuisse
pro Canonico, non pro Primicerio, concurrentibus
dictis conditionibus. Accedit secundo, quod Vica- 35
rius electus à Capitulo sede vacante facit fructus
suos non residendo, sed officium Vicarij exercen-
do, Rota in vna Calaguritana *fructuum* 18. Mar-
tij 1588. coram Bubalo quæ est decisio 222. *p.* 2.
diuers. cum Pauino *de offic. & potest. cap. sed. vac.*
2. *p. quæstione* 10. *numero quinto.* & Rebuffo *in prax.*
titu. de Vicar. numero quarto. Iure idem dici pote-
rit de Primicerio. Quia videtur in vtroque casu
eadem ratio procedere. Nam ratio quare id conce-
ditur tali Vicario Capituli est quia seruiens Ca-
pitulo

pitulo seruit Ecclesiæ, vt notat Pauinus, & ex eo Garzia *supra numero* 358. quæ etiam ratio procedit in præsenti; quia similiter seruiens Episco-
36 po, Ecclesiæ quoque seruit, quia Episcopus est est in Ecclesia, & Ecclesia in Episcopo, *cap. scire debes* 7.*q*.1.Gonzal *sup.n*.155.Barbosa *in collect. D D. ad d. cap. Ad audientiam n*.6. Eo magis, quod talis Vicarius Capituli non residendo non solum percipit fructus, sed etiam distributiones, vt ait Garzia *sup. d. num*.358. contra Monetam. Præsertim tertiò id col-
37 ligitur ex eo quod qui abest pro seruitio & euidenti Ecclesiæ vtilitate, de iure percipit non solum fructus *cap. ex parte* 2. *de Cler. non resid.* Sed etiam distributiones quotidianas, si est præsens in loco vbi est Ecclesia. *Cap. vnico de Cler. non resid. in* 6. Couarub. Ocon, Gutierez, Zerola, & alij, quos refert & sequitur idem Garzia *num*.259. Quamuis ergo Primicerius iste non fruatur distributionibus, quia non erit præsens in loco vbi est sua Ecclesia, poterit tamen frui fructibus, si pro euidenti Ecclesiæ vtilitate & dispensatione Episcopi ad munus Vicarij Episco-
38 pi assumptus fuerit. Tandem quarto, quia ita videntur sentire plures DD. qui etsi non loquantur expresse in terminis huius casus, nihilominus trahi possunt ad illum, quatenus generaliter concedunt non solum Canonicos, sed etiam alios beneficiatos dum sunt in seruitio Episcopi posse percipere in absentia fructus suos, dummodo concurrat dispensatio Episcopi. Hi sunt Ioannes Andreas *in d. cap. Ad audientiam vers. dici potest*, quem ibi sequitur Butrius *n*.9.
39 Cardin. *quæst*. 4. Imola *n*. 13. Anania in princ. Ancharanus *notab*. 3. Et concurrente Episcopi dispensatione & necessitate seu magna Ecclesiæ vtilitate, Abbas *in d. cap. Ad audientiam n*.8. Ioannes Selua *de benef*.4.*p.q*.6.*num*.33. Gonzal. *sup. n*.262. Garzia *sup. n*.369. Barbosa *in collect. ad d. cap. de cætero n*.4. Quaranta *in summ. Bullar. verb. Residentia* §. *In quæstione illa* & Nauarrus *in Man. cap*.25. *n*.121. Maxime Rota relata, vbi propterea fuit resolutum, quod
40 Episcopus Calaguritanus non potuit extrahere quendam portionarium Ecclesiæ Cathedralis non Capitularem, vt exerceret Officium Vicarij generalis in eadem Diœcesi, eò quod illud non redundabat in vtilitatem Ecclesiæ. Fauet etiam alia Rota apud Puteum *lib*. 3. *decis*. 293. *in fin.*
41 Adderem tamen non posse Episcopum facere id quod petitur in casu, nisi diligenter prius prouiderit, vt absentia talis Primicerij non sit damnosa cultui diuino, qui in tali Ecclesia exercetur, eo quod
42 hoc munus exerceri possit per alium loco dicti Primicerij absentis.

VISITATOR Regularis.

SVMMARIVM.

Visitator qui dicatur. num.1.
Visitare competit habenti iurisdictionem Ordinariam in aliquos. num.2.
De obligatione prælatorum Regularium ad visitandum. num.3.
Tempore visitationis ad quem pertineat regimen Conuentus, vel prouinciæ. num.4.
De modo procedendi in visitatione. num.5.
De modo procedendi per inquisitionem generalem. numero 6.
De modo pecedendi per inquisitionem specialem. numero 7.
De criminibus propter quæ formari debet processus. numero 8.
Qualiter teneantur Regulares in visitationibus denunciare defectus aliorum. num. 9.
Qui eo tempore id non faciunt postea audiri non debent. num. 10.
Visitatores qualiter abstinere debent à munerum receptione. num. 11.
An in eodem anno possit bis visitari Prouincia, seu Conuentus. num. 12.
Visitator an recusari possit. num. 13.
An ipse, vel ipsius socius eligi in Prælatum locorum, quæ visitant. num. 14.
Cæcus an eligi possit in Visitatorem. num. 15.
De absolutionibus, seu dispensationibus dari solitis tempore visitationis. num. 16.
De casibus, in quibus Episcopi visitare possunt Monasteria Regularium. num. 17.
De Visitatoribus Monialium. num. 18.

VISITATOR dicitur ille, qui de regimine locorum, & vita aliquarum personarum indagationem facit. Syluester *in Summa verbo Visitatio in princip.* Vnde ad intentum nostrum ille dicetur Visitator Regularis, qui de regimine Monasteriorum, & vita personarum Regularium dictam indagationem facit. 1

Cum autem visitationem facere competat cuicunque habenti iurisdictionem ordinariam in aliquos, vt patet de Archiepiscopo *capit. Romana, & capit. perpetuo de censibus in* 6. de Episcopo *capit. conquerente de offic. ordinar.* de Archidiacono, & Decano *capit. cum Apostolus de censibus, & capit. mandamus de offic. Archidiac.* ideo certum est ad Abbates, & Prælatos Regulares, præsertim Generales, & Prouinciales, spectare visitationem suorum Monasteriorum & Religiosorum in eis existentium. *de stat. Monach. capit. penult. & vltim.* Angelus *in Summa verbo visitatio numero primo* Syluester *supra quæstione* 1. & Summistæ communiter, ac noster Thom. de Iesu *de Visitat. Regularium Tract*. 1. *cap*. 1. 2

Hinc, iuxta dicta *tomo primo part*. 1. *capit*. 18. *numero* 68. tenentur iure naturali, & diuino Prælati Regulares, scilicet Generales, & Prouinciales, visitare Monasteria sibi subiecta. Rodriguez *in Tractu de Ordine iudiciar. capit*. 1. *numero secundo*. Fagundez *in* 8. *præcept. Decal. libro octauo capit*. 45. *numero quinto & sexto*. Per seipsos quidem, si impediti non fuerint: alioquin per alios, iuxta dicta eo *capit*. 18. *numero* 92. Idque colligitur ex *capit. Episcopum* 10. *quæstione* 1. & *capit. pastoralis, & cap. inter cætera de Offic. Ordin.* & *cap. cum Episcopus eodem tit. in* 6. Maximè ex regula illa iuris *in* 6. *Potest quis per alium quod potest facere per seipsum.* Omittere autem personalem visitationem ex otiositate, aut negligẽcia, videtur peccatum mortale, quia est grauis transgressio præcepti Concilij Generalis, scilicet Tridentini *sess*.24. *capit*. 3. & *sess*.25. *capit*.1 Peyrinis *in Formular. littera P. capit*. 9. *numero* 15. Tenetur etiam visitare Conuentus, in quibus resident, cum, quantumuis vigilent supra eorum obseruantia, nihilominus plura ipsis absconduntur, quæ solùm præcepto quod in visitatione ponitur ipsis manifestantur. Peyrinis *supra num*. 11. ex Piasieco, Gauanto, & aliis. Dixi etiam eo *num*.92. destinandos à Generalibus, vel Prouincialibus pro Visitatoribus debere esse Religiosos eiusdem Ordinis non extra 3

extraneos, vel sæculares. Visitationem quoque præscribi non posse probat Barbosa *de Offic. & potest. Episcopi Allegat.* 129. *num.* 11. ex Rotæ decisione,& aliis Doctoribus. Quando autem Visitatores Regularium sint Iudices Ordinarij, & quando solùm delegati, quando etiam possint delegare suam authoritatem, & quando non possint similiter quando expiret eorum auctoritas, & quandiu duret, constat ex dictis *tom.* 1. *p.* 2. *eo cap.* 13.& *supra* verbo *Commissio, & Commissarius*, & hoc *tom. supra* verbo *mandatum*, & verbo *Vicarus Religionum*. An gesta ab illis rescindi possint, & quos processus fabricare queant, dixi eodem *cap.* 13. *num.* 33.& 34.

4 Maximè etiam quòd tempore actualis visitationis totum regimen externum contentiosum Prouinciæ, vel Conuentuũ, qui visitantur, pertineat ad Visitatorem,& non ad Prælatos Prouinciæ,vel conuentuum, constat ex dictis eo *capit.* 13. *num.* 28. & 29. Non tamen propterea Prælati qui visitantur sunt pro eo tempore suspensi à suis officiis, suspensione, quæ est censura, sed tantum impediti ne illa exerceant. Portellus *in Dub. Regular. verbo Prouincialis in addit. ad addit. num.* 2. Imò etiam, iuxta ibidem dicta, possunt dicti Prælati exercere circa suos subditos omnem iurisdictionem, quam vocant *voluntariam*, seu non contentiosam, dummodo id non perturbet, aut impediat officium Visitatoris. Generaliter etiam loquendo poterunt prædicti Prælati facere ea omnia, quæ prohibita sunt Visitatori secundum statuta Ordinis. Eo enim ipso quo sunt illi prohibita, sunt concessa Prælatis Ordinariis. Portellus *supra numero tertio*. Similiter poterunt facere ea omnia, ad quæ non se extendit commissio Visitatoris, si ille sit Visitator delegatus, propter eamdem rationem.

5 Circa modum procedendi Visitatorum Regularium in suis visitationibus, generaliter loquendo, dicendum est consequenter ad dicta *tom.* 1. *part.* 1. *c.* 27. *numero primo vsq.ad* 9. dupliciter procedere posse. Primò, per modum inquisitionis generalis. Secundò, per modum inquisitionis specialis. Primò modo procedere debent in visitationibus generalibus, & ordinariis, quando visitant Prouincias, seu Conuentus ex officio, & non ad instantiam alicuius. Secundò autem modo, quando vel ex inquisitione generali constat illis aliquod crimen commissum esse ab aliquo Religioso,vel est aliquis qui accuset,vel denunciet tale delictum commissum fuisse, vel ad id vocantur à Conuentu, vel Prouincia.

6 Et quidem, cum primo modo procedunt,iam dixi eo *cap.* 27. *num.* 2. ad prædictam inquisitionem generalem non requiri quòd præcedat aliqua infamia,accusatio, aut denunciatio delictorum, nec etiam requiri petitionem iuramenti, stando in iure communi, esto particulares Religiones particularia etiam statuta habeant, sicut eo loco dixi de nostra. Similiter, cum iuxta dicta eo loco,finis visitationum generalium, & communium, sit inquirere de vitiis, & virtutibus Religiosorum,ideo cum ita procedunt Visitatores non solùm de vitiis, aut defectibus, sed etiam de illorum virtutibus, & scientiis inquirere debent. Quia in omni bene ordinata Republica specialis prouidentia Gubernatoris est pœna afficere malos, & præmio bonos. Tum quia aliquando vitia compensari possunt, & debent virtutibus, vt dicunt communiter Iuristæ. Ad quæ omnia necesse est Visitatores tam de virtutibus, & meritis, quàm de vitiis, & defectibus Religiosorum inquirere, Naldus *in summ. verbo Visitare num.* 11. Peyrinis *d. capit.* 9. *numero* 15. Qualiter autem cum proceditur via inquisitionis generalis crimina occulta interrogari, aut patefieri non debeant,& an de hoc debeant admoneri subditi à Visitatoribus, & de aliis concernentibus, dixi loco relato *num.* 2.& 3. & *supra verbo Iudex, & iudicium Regularium n.* 5. De quibus etiam Nauarrus *in Rub. de iudic.num.* 79. & Portellus *in Responsionib. moral. p.* 1. *casu* 20.

Cum verò visitatores procedunt contra aliquem Religiosum per inquisitionem specialem, iam constat ex dictis eo *cap.* 27. *num.* 6. & eo verbo *iudex, & iudicium Regularium num.* 6. requiri ad hunc modum procedendi quòd præcedat infamia, clamorosa insinuatio, indicia manifesta, aut semiplena probatio de delicto, aut delinquente. Quod intellige,iuxta dicta eo *capit.* 27. *numero* 10. cum procedunt ad punienda delicta, cum enim non procedunt ad punitionem, sed ad habendum notitiam alicuius personæ, quia scilicet est eligenda in Prælatum, tunc possunt Visitatores de vitiis alicuius particularis inquirere, etiam non præmissa infamia, &c. Suarez, & Aretinus eo loco relati. Tamburinus *de iure Abbatissar. disput.* 14. *quæsit.* 7. *num.* 8. Quia tamen sæpiùs dicti Visitatores procedere solent ad inquisitionem specialẽ ex eo quòd per ea quæ audierunt à Religiosis in inquisitione generali constat illis aliquem Religiosum esse diffamatum de aliquo delicto, & ita volunt contra ipsum speciali inquisitione procedere, ideo notandum, quòd licet in rigore priuilegij Bonifac. VIII. quod retuli *tom.* 1. *cap.* 18. *num.* 16. & *cap.* 27. *num.* 26. quo concessit Ordini Prædicatorum quòd possent Prælati ipsius in causis religiosorum procedere apicibus Iuris postpositis, intellige, summariè, de plano; & sola rei veritate perspecta. (prout in aliis priuilegiis Religionum habetur, possent Visitatores Religionum habentium talia priuilegia propter illos solùm testes, vel denunciatores, per quos in inquisitione generali audierunt aliquem Religiosum commisisse aliquod delictũ,illos sic diffamatos citare, eisque exhibere articulos culparum, & auditos condemnare absque eo quòd testes eas culpas denunciantes seu testificantes de nouo vocentur, & ratificentur, quia id videtur esse conforme dictis priuilegiis, & modo procedendi religiosorum, in quo, quantum fieri potest à fabricatione processuum abstinendum est, prout etiam tenet Portellus *d. casu* 20. ex Iosepho de S. Maria, Paulino Betto, & aliis. Nihilominus oppositum obseruari debet in causis grauioribus, ad euitandas appellationes inter Regulares fieri solitas, in eis præfertim Religionibus, in quibus (proh dolor) apices Iuris obseruantur. Nauarrus *supra num.* 85. & *lib.* 5. *consil.tit. de accusat. inquisit. & denunciat. consil.* 3. *num.* 4. Portellus *d.cap.* 20. *num.* 8. 7

Circa crimina porro propter quæ Visitatores regulares debent formare processus, præter dicta eo *c.* 27. & *supra* eo verbo *iudex,& iudicium Regularium numero* 5. nota, inter ipsa numerari debere etiam crimina à multis annis commissa, præsertim, si, qui ea commiserunt non se emendarunt, & ea sunt in damnum Communitatis. Delicta enim non debent præscribere. Rodriguez *tom.* 2. *quæst. Regul. quæst.* 5. *artic.* 11. Spartharius *Tract.* 3. *capit.* 15. Peyrinis *tom.* 1. *de subdito quæst.* 1. *cap.* 16. §. 4. Subiungens tamen ex eisdem, & aliis Authoribus, cauendum esse prædictis visitatoribus, ne propterea delicta iam mortua, & consopita Religiosorum (intellige sine vrgenti causa) reuiuiscere faciant,& quòd potest fieri in religionibus statutum quo ordinetur, vt certo tempore elapso delicta non processentur. 8

Qualiter Regulares teneantur in visitationibus 9

denun

denunciare crimina, seu defectus aliorum, constat ex dictis non solùm eo *cap.*28. *num.*3. sed etiam *supra* verbo *Accusatio, & accusare à num.*9. & verbo *Denunciatio, & denunciare pro Regularibus.* Nota tamen, quòd licet, iuxta dicta eo verbo *Denunciatio, &c. num.* 8. si quis non denunciauit intra terminum præfixum, teneatur ipso transacto denunciare; hoc tamen fallit in visitationibus communibus, quia præceptum denunciandi impositum à Visitatoribus solùm videtur obligare pro tempore, quo durat visitatio, nisi aliud exprimant. Fagundez *in* 8. *præcept. Decalogi lib.*8. *cap.*52. *num.*12.

10 Circa eos autem qui tempore visitationis tacent aliquorum delicta, & postea eos manifestant, nota eos debere ab accusatione, denunciatione, seu etiam testimonio ferendo veluti suspectos repelli, eo quòd tempore debito id non fecerunt. Quod intellige, nisi constet rationabili causa, aut impedimento vrgente, id tunc non fecisse. Peyrinis *supra* Consonantque aliquæ constitutiones religionum circa hoc.

11 Nota etiam, quòd licet, iuxta dicta *tom.*1. *p.* 1. *eo cap.*18. *num.* 68. & *supra* verbo *iudex, & iudicium Regularium num.* 16. Visitatores, aut Iudices Regulares abstinere omnino debeant à munerum receptione etiam liberaliter concessorum, ita vt ad restitutionem ipsorum teneantur (de quo præter Authores ibid relatos Saytus *in Claui Regia lib.*3. *cap.*9. *n.*31.) nihilominus possunt taxas à constitutionibus particularibus Religionum designatas recipere, & à Conuentibus tempore visitationis de esu, & potu, ac aliis necessariis prouideri, ita tamen, vt subditos non grauent expensis, aut cibis, & potubus delicatis, & exquisitis. De quibus omnibus ex variis Authoribus. Peyrinis *tom.* 1. *Priuilegiorum Minimorum in Constitutione* 10. *Leonis X. num.*6.8.9. *&* 10. & loco relato ex *Formulario num.* 9.

12 Præsertim circa fermè quotidianum dubium, an scilicet cum Generalis, vel Visitator Generalis, Prouinciam, vel Conuentum visitauit, possit postea eodem anno eandem Prouinciam, vel Conuentum visitare Prouincialis: maximè standum censeo statutis Religionum, quæ si nihil circa hoc decernant, credo posse id fieri. Ratio est, quia Prouincialis est Iudex Ordinarius, cuius iurisdictio impediri non potest sine rationabili causa. Peyrinis *tom.*3. *priuilegiorum Minimorum c.*4. *num.*9. An verò idem dici debeat quando talis visitator fuit à Papa destinatus, agit post alios Barbosa *de Officio, & potest. Episc. allegat. vlt. num* 30. *& sequentibus.*

13 Visitatorem Regularem procedere volentem solùm per inquisitionem generalem, non verò per particularem, recusari non posse, constat ex dictis *supra verbo Recusatio Iudicis Regularis num.* 7. Nota autem idem debere dici de appellatione, ita scilicet, vt ab ipso cum procedit solùm per inquisitionem generalem, & non per particularem, appellari non possit. Ratio est, quia finis inquisitionis generalis solùm est morum correctio, & impositio pœnitentiarum salutarium, non verò punitio, propter quam, quando in ea certò exceditur, aut fit cum euidenti grauamine, admitti potest appellatio inrer Regulares. Fauet Naldus *supra num.*5.

14 Non conuenit Visitatores, aut eius socios eligi in Prælatos Prouinciarum, seu Conuentuum quæ visitant. Nam propter authoritatem eorum timeri potest tales electiones liberas non esse, sed coactas. Castellinus *de Electione Prælat. capit.*13. *à num.*28. dicens *numero* 33. ita statutum esse in Ordine Prædicatorum. Fauet Miranda *in Man. tom.*2. *quæst.*22. *art.* 7. Vide quæ dixi *tom.* 1. *part.*2. *cap.*12. *n.*37.

Non posse cæcum eligi in Visitatorem, aut munus visitatoris continuare, etiam cum socio sano, meritò tenent Megala *variar. resolut. to.*2. *resolut.*183. & Diana 5. *part. tract.*6. *resolut.*20. Plura enim spectant ad visitatorem, de quibus si visu careat, iudicare non potest. 15

De absolutionibus, seu dispensationibus, quas dare solent visitatores Regularium in suis visitationibus, quantùm valeant, & ad quas personas extendantur, dixi *to.*1. *p.*1. *cap.*18. *num.*93. & *supra* verbo *Absolutio num.*16. 16

Demum pro complemento materiæ notandi sunt saltem remissiuè casus, in quibus Episcopi, vel Ordinarij visitare possunt Ecclesias seu Monasteria regularium. Et quidem primò, si tales Regulares subditi sint Episcopis, nec ab illis exempti, cum ipsorum Prælati sint, poterunt ipsos visitare quando, & quomodo Prælati Regulares, iuxta dicta tamen *supra* verbo *Episcopus quoad Regulares num.* 2. Si autem Regulares sint exempti à Iurisdictione Episcoporum, quales communiter sunt ferè omnes Religiosi, tunc, etsi non possint eos regulariter vt ipsorum Prælati visitare, nihilominus, iuxta dicta *tom.*1. *p.*1. *cap.*11. *num.*7. *&* 9. *& tom.*1. *p.*2. *cap.*5. *n.*49. visitare possunt Ecclesias Regularium, quibus imminet cura animarum sæcularium, imò & Regulares ipsos, qui talem curam exercent, in iis, quæ ad dictam curam, & administrationem Sacramentorum spectant. Item iuxta dicta eodem *to.*1. *p.*2. *cap.*15. *num.*27. visitant Episcopi Confraternitates laicorum erectas in Ecclesiis regularium, non obstante quacunque contraria consuetudine. Quod intellige quoad ea tantùm, quæ ad Confratres spectant. Prout declarauit S. Congregatio, teste Barb. *de Iure Ecclesiastic. lib.*1. *c.*14. *num.*30. & Nouario *in Lucern. Regul. ver. visitare num.*2. Similiter, iuxta dicta eodem *n.* 27. visitare etiam possunt Altaria, & Capellas confraternitatum in eisdem Regularium Ecclesiis existentes, in his tamen, quæ confratrum administrationem respiciunt, propter declarationem etiam S. Congreg. apud eumdem Barbosam *supra* Nouarium etiam *sup. n.*4. *&* 8. Pro quibus etiam vide Aldanam *in Compend. Canonic. resol. lib.*1. *tit.*7. Item Ecclesias Parochiales canonicorum Regularium monasterio vnitas, ita declarante Sac. Congregatione. Armendariz *in Addit. ad recopilat. leg. Nau. lib.*1. *tit.*6. Nouarius *sup. n.*14. Item Regulares simplicibus beneficiis seruientes. Ex declarat. etiam S. Congregat. Sellius *in Select. can. c.*6. *num.*28. Nouarius *supra num.*15. 17

Hæc porrò omnia respectiuè applicari possunt visitatoribus Monialium. Imò ipsarum monasteria singulis annis visitari debent. Clement. *Attendentes de stat. Monach.* Portellus *in Responsionib. p.*1. *cas.*21. *num.*1. Portellus *de Iur. Abbatissar. disp.*14. *quæst.*3. *n.*2. Moniales etiam Sedi Apostolicæ immediatè subiectæ visitantur ab Episcopis tanquam eiusdem Sedis delegatis. Concil. Trident. *sess.*25. *c.*9. Nouarius *supra* post Leiuam, Armendar. & Barbosam. Item quantumuis subditæ regularibus possunt visitari ab Episcopis in eis, quæ spectant ad clausuram, iuxta dicta *to.*1. *part.*1. *c.*25. *num.*49. & *supra* verbo *Episcopus quoad Regulares n.*13. Quomodo autem, & de quibus rebus interrogari debent in visitationibus, habes apud Gauantum *in tract. de Visitat.* & Tamburin. *supra quæsit.*6. Impedientes Visitatores Monialium in iis quæ pertinent ad munus visitationis earumdem, esse excommunicatos ipso facto dixi eo *c.*25. *n.*47. & constat ex d. Clement. *Attendentes.* De quo agũt Angelus *in Sum. verbo Excommunicatio cas.*39. Syluest. *in sum. verbo Excommunicatio* 9. *n.*39. Nauarr. 18

Nauarr. *in manual. c.* 27 *num.* 140. Suarez *de Censuris disp.* 23. *sect.* 5. Saytus *lib.* 3. *cap.* 35. & alij plures. [Adde visitatores tum Prouinciarum, tum Conuentuum tempore quo manent in illis teneri conformari legibus, & consuetudinibus illorum, tum vt conformentur subditis, tum propter bonum exemplum illis tribuendum: tum quia aliàs credenti subdit velle dictos Superiores abrogare dictas leges aut consuetudines Suarez *de legibus lib.* 3. *cap.* 35. *n.* 14. Salas *de legibus disp.* 14. *sect.* 2. *num.* 23. Tambur. *de iure Abbat. tom.* 3. *disp.* 3. *quæst.* 4.

VNCTIO SACRA.

DE hac materia prout ad Regulares spectat sufficienter dixi *supra* verbo *Extrema vnctio.*

VOTVM PRO REGVLARIBVS.

SVMMARIVM.

De hac materia remissiuè. num. 1.
De votis essentialibus. num. 2.
Tam solemnibus, quam simplicibus. ibid.
De votis specialibus aliquarum Religionum. num. 3.
De voto Religiosorum Sanctæ Mariæ de Mercede. numero 4.
De voto Minimorum. num. 5.
Aliqua illorum sunt solemnia, & alia simplicia. numero 6.
An obligent solùm quando Religiosi permanent in prædictis Religionibus. ibid.
Vota Regularium quæ irritari possint à suis superioribus. num. 7.
Quid de votis Nouitiorum. num. 8.
De commutatione votorum Regularium. num. 9.
De dispensatione ipsorum. num. 10.
Vota Papæ reseruata quæ, & qualia. ibid.
An, & quando censeatur concessa licentia pro illis dispensandis, vel commutandis. num. 11.
In quibus casibus dispensari possunt ab Episcopis. numero 12.
Alij casus. num. 13.
An aliquando in voto religionis. num. 14.
An in voto castitatis. num. 15.
Notanda circa vota visitationis Romæ, & Compostellæ. num. 16.
De voto transeundi ad strictiorem Religionem. n. 17.
Dispensatio in votis quomodo danda. num. 18.
Confessarij an irritent vota. num. 19.
An illa commutent. num. 20.
Quid ex priuilegiis Regularium. num. 21.
An dispensent in illis saltem propter priuilegia. numero 22.
Respectu quorum competit facultas commutandi, & dispensandi Confessariis regularibus. num. 23.
Qualiter possint vti illa. num. 24.
An dispensent cum coniugibus qui voto facto de castitate contraxerunt ad petitionem debiti. num. 25.
Quæ vota possint Regulares emittere. num. 26.
Quæ vota ipsorum censeri debent valida. num. 27.
Quid de votis realibus Regularium. num. 28.
Quid de votis non petendi irritationem, commutationem, seu dispensationem votorum. num. 29.

1 DE hac etiam materia, prout specialiter ad Regulares spectat plura dixi per totam hanc Summam. Etenim *tom.* 1. *p.* 1. *cap.* 2. de illis quatenus ad professionem Religiosorum spectant latè dixi. Deinde eod. 1. *tom. capit.* 4. latè etiam de voto obedientiæ. Item *c.* 5. de voto Castitatis, & *c.* 6. de voto paupertatis. De Prælatis autem Religiosorum, quæ, & qualia vota suorum subditorum irritare, commutare, & dispensare possint, dixi eod. *tom.* 1. *p.* 1. *c.* 18. *n.* 47. *& seqq.* An Abbatissæ, seu Priorissæ Monialium ipsarum vota irritare, commutare, aut dispensare possint, dixi eod. *tom.* 1. *p.* 1. *c.* 26. *n.* 15. De Confessariis etiam Regularibus quæ vota commutare, aut dispensare possint, dixi eod. *tom.* 1. *p.* 1. *c.* 19. *à num.* 22. & *supra* verbo *Confessarius Regularis num.* 13. 14. *&* 15. Ad quæ etiam deseruiunt quæ dixi etiam *supra* verbo *Iuramentum quoad Regulares.* Alia ergo in præsenti addenda, & aliqua ex prædictis pro materiæ necessitate amplianda.

Et primò, ex dictis *tom.* 1. *p.* 1. *cap.* 2. *n.* 1. constat ad substantiam, & essentiam Religionis requiri tria vota, videlicet obedientiæ, paupertatis, & castitatis, & quòd per illa cõstituatur vouens sub iurisdictione, & potestate Superioris, seu Prælati. Vnde etiam ibi *n.* 2. & *tom.* 1. *p.* 2. *c.* 5. *num.* 5. *&* 6. dixi tria vota, quæ emittunt Milites non solùm Sancti Ioannis, sed aliorum Ordinum Militarium, eos constituere veros Religiosos. Idem etiam dixi *eo cap.* 2. *num.* 3. de votis simplicibus, quæ emittunt Patres Iesuitæ post biennium, propter declarationem maximè Gregorij XIII. Secus verò dicendum de aliis votis simplicibus quæcunque illa sint, & à quibuscunque emissa. Ea enim non sufficiunt ad veram Religionẽ. In quo autem differant votum solemne, & simplex, res valde controuersa est. Quædam enim sententia tenet votum solemne differre à simplici, quòd simplex est quædam mera, & sola promissio, solemne verò vltra promissionem addit etiam traditionem vouentis, prout docent Sotus *in* 4. *dist.* 38. *q.* 2. *art.* 5. Valentia *in* 2. 2. *disp.* 6. *q.* 6. *punct.* 5. & alij. Vnde consequenter dicunt votum solemne dirimere Matrimonium subsequens etiam iure naturali, & diuino. Quod etiam tenet Cornexo noster *tom.* 2. *in* 3. *p. tr.* 6. *de impedimen. Matrim. disp.* 7. *dub.* 9. Quædam verò nullam aliam differentiam cognoscit inter votum simplex, & solemne, nisi quòd ex decreto Ecclesiæ, traditio, quæ est in voto solemni, fit etiam in manu Prælati, non verò ea, quæ est in voto simplici, prout tenent Lessius *de iust. l.* 2. *c.* 40. *dub.* 19. Sanchez *l.* 7. *de matrim. disp.* 25. Portellus *in dub. Regul. verb. Voti solemnitas num.* 22. & Bonacina *de matrim. q.* 3. *puncto* 4. *num.* 3. post Reginaldum, Bellarminum, & alios, quos refert. Vnde consequenter ad istam sententiam dicitur votum solemne solùm iure Ecclesiastico dirimere subsequens Matrimonium. Pro qua etiam Cornexo *supra* plures alios refert. Quidquid autem sit de huiusmodi controuersia (de qua alibi) pro nunc sufficiat dicere votum solemne esse illud, quod fit in professione Religionis approbatæ, vel sacrorum Ordinum susceptione, simplex verò quodcunque aliud, siue publicum, siue occultum. Nauarrus *in Man. capit.* 12. *num.* 32. & alij communiter.

Præter huiusmodi autem tria vota substantialia, & essentialia Religionis, quam cuncti Regulares in professione emittunt, aliqui illorum alia etiam faciunt, iuxta dicta *tom.* 1. *part.* 2. *capit.* 4. *num.* 9. Etenim professi Societatis Iesu plura alia vota emittunt. Videlicet, obedientiæ specialis erga Summum Pontificem, non permittendæ relaxationis paupertatis, non prætendendi directè, vel indirectè dignitatem, vel Prælationem in Societate, non procurandi dignitatem extra Societatem, denunciandi ambientes, & audiendi

audiendi consilium Generalis, vel alterius ad id deputati, si in Episcopos, vel Præsides alicuius Ecclesiæ eligantur. Clerici etiam Regulares Minores quartum votum emittunt (vt dicitur) de non petendo Prælaturam extra Religionem. Clerici autem Regulares ministrantes infirmis plura etiam vota, & inter ea vnum præcipuum, emittunt, de perenni ministerio ægrotantibus exhibendo. Religiosi item S. Mariæ de Mercede votum quartum emittunt de redemptione captiuorum. Prout colligo ex SS. D. N. Vrbano in Bulla *Ex Clementi* inter Bullas ipsius *tom*.4. *Bull.num*.94. Minimi etiam votum vitæ quadragesimalis faciunt, provt constat ex Scriptoribus huius Religionis, specialiter ex Peyrinis *tom.1.de Subdito quæst*.4. Moniales etiam S. Claræ votum clausuræ emittunt, provt habet Suarez *tom. 4. de Religione tract.8. lib.2. cap.12.num.39*. Insuper nostri Patres Discalceati Carmelitarum, & Discalceati S. Augustini votum quoque faciunt de non procurando, nec acceptando aliquam dignitatem, vel Prælaturam extra Religionem, provt constat ex nouissimis litteris SS. D. N. Vrb. in forma Breuis datis die 26. Febr. currentis ann. 1643. Et quidem de votis PP. Iesuitarum, Clericorum Minorum, ac Clericorum ministrantium infirmis aliqua dixi eo *capitulo quarto*. Nunc verò agendum de votis etiam aliarum Religionum.

4 Et quod attinet ad votum Religiosorum S. Mariæ de Mercede, provt colligitur ex Constitutione relata SS. D. N. Vrbani, & Constitutionibus huius Ordidinis *cap.52. 1.dist.* sub his verbis emittitur. *Et in Saracenorum potestate in pignus si necesse fuerit ad redemptionem Christi fidelium detentus manebo.* Quibus verbis, etsi expressè non contineatur votum de procuranda redemptione captiuorum Christianorum apud Infideles existentium, aut vacandi huic muneri, sufficienter tamen id intelligitur, tum ex titulo eius Religionis, qui etiam in professione exprimitur, scilicet *Redemptionis Captiuorum*; siue ipsius, qui, vt habetur *in Scholiis dictarum Constitutionum ad locum relatum*, est in fauorem fidelium Christianorum, & ad redimendos eos à potestate infidelium, ac ex praxi eiusdem. Quomodo autem obliget huiusmodi votum sic habetur *in prædictis Scholiis. Idcirco Fratres nostri dum fidem, Religionemque Christianam apud quosdam inter miseros captiuos periclitari cernunt, ne aduersarij Crucis Christi lætabundi insultent, trophæum se reportare credentes de recessu quorundam Christianorum Christi Crucem profligantium, se in pretium, & redemptionem eorum, de quibus rationabiliter timetur ne Christum deserant, & in pignus liberationis, & redemptionis ipsorum tenetur donare.* Nota tamen SS.D.N. Vrbanum litteris datis in forma Breuis 15. Febr. 1640. decreuisse quòd ministerium redemptionis captiuorum in omnibus spectet ad Fratres Calceatos istius Ordinis dumtaxat, & nullatenus ad Discalceatos.

5 Quod attinet etiam ad votum Minimorum de vita quadragesimali seruanda, dicendum illud esse essentiale Religioni Minimorum, ita vt eo sublato talis Religio non subsistat. Passarellus *in notab.priuileg. notab.*25. Peyrinis *d.q.4.c.1.* Quod idem videtur dicendum de voto Religiosorum S. Mariæ de Mercede, & similibus, propter eandem rationem. An verò talia vota maneant in sua vi, etiam in casu, quo illa emittentes ad Episcopatum assumantur, constabit ex dicendis *num.sequenti*. Alia etiam ad hoc votum pertinentia habes apud prædictum Peyrinis *d. quæst.4. & tom.3. priuileg. Minim.c.14.*

6 Generaliter etiam circa prædicta, & similia vota nota primò, aliqua ipsorum videri solum simplicia, & non solemnia, vel quia sunt simplices promissiones non includentes traditionem, vel quia ab Ecclesia non admittuntur vt solemnia, sed solùm vt simplicia, accedente præsertim intentione vouentium, & Prælatorum illa acceptantium. Et ita specialiter de votis illis Patrum Iesuitarum supra relatis, (eo excepto quod est de obedientia præstanda Summo Pontifici tenent Suarez *4.tom. de Relig.tract.10.libro 6. c.11.*& Sanchez *l.4. in Decal.c.33.num.5.& cap.18. num.1. & 7.* Vota autem illa Religiosorum Sanctæ Mariæ de Mercede, & Minimorum censentur solemnia, propter oppositam rationem. Peyrinis *d.quæst.4. cap.1.§.nota primò,& §.notandum secundò.* Vota etiam illa nostrorum Patrum Discalceatorum Carmelitarum, ac Patrum Discalceatorum S. Augustini de non procurando, nec acceptando aliquam Prælaturam extra Religionem, etsi simplicia censeantur; nihilominus solemnia esse, vel saltem efficaciam voti solemnis habere, dicitur in litteris Sanctiss. D.N. Vrbani, de quibus *supra num.3.* Secundò nota, quòd licet huiusmodi vota annexa sint, & quasi accessoria tribus aliis votis Religionis, & pro illa Religione, in qua emittuntur, ita vt valde probabile sit quòd quoties qui ea emisit eximitur ab obligatione votorum in illa Religione per assumptionem ad Episcopatum, vel per transitum ad aliam Religionem, vel per electionem ab illa, amplius non teneatur ad ipsa, iuxta dicta *tom.1. p.1. cap.17. num.10.& cap.22. num.19. & cap.23. numero 17.* quod etiam tenent Fagundez *in 4. Eccles. præcept. lib.1.cap.6.num.6.in fin.* Barbosa *de iure Ecclesiastico lib.1. cap.42. num.90.* Tamburinus *de iure Abbat. tom.3. disputatione 7. quæsito 6. num.6.* & Zacharias Pasqualigus *in Decis. Moral. decis.266. 272. 273. & 274.* Nihilominus propter dicta *supra verbo Transeuntes Regulares numero decimoquarto*, ratione Constitutionis Sanctissimi Domini Nostri Vrbani, quam ibi retuli, Regulares quicunque, qui ex suo instituto votum habent, seu iuramentum annexum de non procuranda, vel acceptanda extra eorum Religionem dignitate, aut superioritate, transeuntes ad aliam Religionem, etiam cum licentia Papæ, aut à Religione sua dimissi, vel reiecti, remanent adstricti voto, seu iuramento prædicto, propter præsumptionem Iuris, vt eo loco dixi per dictam Constitutionem inductam, quod scilicet dicta vota censeantur principaliter ob cultum Dei, & absolutè emissa, & non restricta ad præsentem statum Religionis, in qua professio facta fuit. Thesaur. *in Praxi part.2.verbo Religiosi cap.4.§.nota circa.* Tertiò nota, quòd licet Religio habens quartum votum cæteris paribus strictior sit dicenda aliis Religionibus illud non habentibus, provt specialiter de prædicta Religione S. Mariæ de Mercede declarauit Calixtus III. in Bulla *Super gregem in 1.tomo Bullarij* in hoc Pontifice *num.3.*& de Religione Minimorum declararunt Iulius II. & Leo X. apud Peyrinis *supra quæst.1.cap.24.§.1.* Nihilominus quoad praxim, transitus aliarum Religionum ad istas attendendum est non solùm ad priuilegia, quibus multæ Religiones fruuntur, de quibus *supra verbo Transeuntes Regulares num.10.* sed etiam, & maximè id quòd dixi eodem *verbo Transeuntes Regular. num.8.* & declarauit Clemens VIII. in Constit. *Nuper ad not. 3.tomo Bullar.* inter Constitutiones ipsius *num.46.* vbi non solùm prohibet quòd Religiosi S. Mariæ de Mercede non possint recipere quemcunque Religiosum Ordinis Fratrum Minorum de Obseruantia, aut alicuius strictioris Regulæ, quàm sit Regula dictorum Religiosorum Beatæ Mariæ de Mercede, sed etiam subiungit

subiungit Pontifex *Declarantes Regulam strictiorem esse iudicandam alia ratione, quàm respectu quarti voti.* Quod maximè, vt dixi, notandum credo pro huiusmodi transitu.

7 Vota Regularium irritari posse à suis Superioribus non solùm indirectè, & ex parte materiæ, immutando illam, præcipiendo scilicet, vel prohibendo oppositum, sed etiam directè, tollendo obligationem, etiam sine mutatione materiæ, & etiamsi votum sit de re, quæ nullum præiudicium inferat religioni, constat ex dictis *tomo primo capit.* 18. *numero* 47. vbi etiam quòd hæc potestas extenditur ad ea vota quæ sunt circa materiam præceptorum, & ad illa etiam, quæ facta sunt auctoritate ipsorum, & ab ipsis confirmata. Non extendi autem hanc potestatem ad votum transeundi ad strictiorem religionem, eo quòd quoad hoc votum inferior non dependeat à Superiori, dixi *ibidem* ex Nauarro. Nota etiam hanc facultatem non extendi ad tria vota substantialia religionis, vt omnes communiter supponunt. Neque etiam ad illa vota, quæ, vt dixi, vltra tria religionis substantialia emittuntur in aliquibus religionibus, iuxta eorum Constitutiones à Sede Apostolica approbatas. Quia in his omnibus, & materia ipsa, & actus vouendi sunt omnino extra Superioris dominium, cum iuxta Constitutiones à Pontifice approbatas, ea vota sint annexa ei statui religioso. Sanchez loco relato ex *libro* 4. *in Decalog.* Portellus *in Dub. Regularium verbo Voti irritatio in additionibus num.* 68. Fagundez *in* 2. *præcept. Decalogi libro* 2. *cap.* 34. *numero* 6. Diana 6. *part. tract.* 8. *resolut.* 34. Bordonus *resolut.* 14. *num.* 24. Extenditur tamen hæc potestas irritandi vota subditorum ad vota quæcunque peregrinationis, verbi gratia, in Hierosolymam, Romam, aut S. Iacobum de Compostella. Ratio est, quia etiam in his votis procedunt rationes communes, propter quas Prælati Regulares possunt Religiosorum subditorum vota irritare, scilicet, quia Religiosi non sunt amplius sui iuris, sed sunt traditi Religioni, & constituti in potestate Superioris, & quia ius Ecclesiasticum hanc tacitam conditionem votis Religiosorum inesse voluit, *nisi Prælatus aliquando contradixerit.* Hanc autem conditionem votis inesse ex iuris Ecclesiastici dispositione, communis Religiosorum vsus, & praxis sufficienter indicat. Lessius *de iust. lib.* 2. *cap.* 40. *num.* 75. Sanchez *supra cap.* 24. *num.* 30. Vasquez 1. 2. *disp.* 165. *cap.* 4. *num.* 29. & Bonacina *de voto disp.* 4. *quæst.* 2. *punct.* 7. §. 2. *num.* 26. Vnde hæc vota peregrinationis irritari posse à Prælatis expressè tenent Fagundez *supra n.* 13. Peyrinis *tom.* 2. *de Prælato q.* 3. *c.* 3. *num.* 27. Portellus *supra verbo Voti commutatio in additione num.* 42. & *verb. Voti dispensatio n.* 76. & Bordonus *supra n.* 23. post Sanchez, & Mirandam.

8 Vota porrò Nouitiorum irritari etiam posse à Prælatis Regularium, constat ex dictis *supra verbo Nouitij, & Nouitiæ Religionum numero* 37. vbi etiam de modo quo id facere possunt, & an Magistri Nouitiorum possint id facere. Vota etiam Monialium irritari posse ab ipsarum Abbatissis, dixi *tom.* 1. *part.* 1. *c.* 26. *num.* 15.

9 Vota similiter Regularium commutari posse ab eorum Superioribus, constat ex dictis *tomo primo cap.* 18. *num.* 48. Vbi etiam qualiter ad commutationem voti in meliùs quando constat de excessu, non requiratur auctoritas Superioris, secus verò ad commutationem voti in æquale, vel minus bonum; tunc enim non solùm auctoritas Superioris, sed etiam causa proportionata requiruntur. De quibus, & aliis concernentibus, præter auctores ibi relatos. Lessius *supra dub.* 16. Sanchez *supra cap.* 49. Bonacina *supra* §. 3. Quæ verò sint hæc vota quæ à Prælatis Regularibus commutari possint constabit ex dicendis de dispensatione. Certa enim regula est, quòd qui habet facultatem ad dispensandum aliqua vota, habet etiam facultatem ad illa commutanda, quia cui licet maius licet minus *Regula cui licet* 53. *de Regular. iuris in* 6. quando minus continetur in maiori tanquam pars in toto, vel species in suo genere; commutatio autem quid minus est contentum in potestate dispensandi; dispensatio enim remittit totaliter vinculum voti, commutatio verò solùm partim remittit, vt scilicet non impleatur in materia promissa. Quæ quidem regula pro habentibus facultatem ordinariam ad dispensandum communis est inter Doctores. De quo Syluester *in Summa verbo Votum quarto quæst.* 3. *d.* 2. Toletus *in Summa lib.* 4. *cap.* 18. *num. vltim.* Suarez *tom.* 2. *de relig. tract.* 8. *de Voto lib.* 6. *cap.* 12. *num.* 4. Ledesma 2. *tom. Summæ tract.* 10. *cap.* 8. & alij. Et loquendo de habentibus facultatem solùm delegatam magis probabiliter tenent Sayrus *in Claui Regia lib.* 6. *cap.* 11. *à num.* 116. *& cap.* 12. *num.* 15. Suarez *supra à numero* 10. Bonacina *supra dict.* §. 3. *num.* 10. contra Nauarrum, Azorium, & alios, quos sequitur Sanchez *supra cap.* 53. *num.* 4. Hac porrò facultate commutandi vota carere Abbatissas respectu Monialium, sicut etiam facultate dispensandi in illis, dixi *tom.* 1. *part.* 1. *cap.* 26. *num.* 15. An verò illa gaudeant Prælati regulares respectu Nouitiorum dixi *supra verbo Nouitij, & Nouitiæ Religionum num.* 38. Alia etiam quæ spectant ad huiusmodi commutationem votorum habes ex dictis *supra verbo Cruciata num.* 34. 35. *&* 36. & *verbo Iubileum num.* 18. Vide etiam pro votis iuratis dicta etiam *supra verbo Iuramentum quoad Regulares.*

Similiter Prælatos Regulares dispensare non posse cum suis subditis in votis substantialibus Religionis, neque in votis specialibus, quæ, vt vidimus, in aliquibus Religionibus emittuntur, dixi *tom.* 1. *p.* 1. *cap.* 18. *num.* 54. De quo etiam Diana 6. *part. tract.* 8. *resol.* 3. ex Suarez, Laymano, Palao, Portello, & Bordono. Quod, prout attinet ad votum de non procurando dignitatem, vel Prælaturam extra Ordinem declaratum est à SS. D. N. Vrbano in litteris supra relatis, vbi motu proprio declarat tale votum dispensari, aut relaxari non posse nisi solùm à Summo Pontifice, omnibus, & quibuscunque aliis priuilegiis, aut Indultis omnino exclusis, iuxta dicta *supra verbo Transeuntes Regulares num.* 14. Nihilominus dispensare posse dictos Prælatos regulares in votis suorum subditorum, in quibus dispensant Episcopi cum suis subditis, non verò in votis reseruatis Papæ, constat ex dictis eo *cap.* 18. *num.* 49. Pro quo notandum, vota reseruata Papæ esse primò votum Religionis; secundò votum castitatis; tertiò, votum peregrinationis ad limina Apostolorum D. Petri, & D. Pauli; quartò, peregrinationis Hierosolymitanæ (quod vocatur vltramarinum) quintò, peregrinationis Compostellanæ ad D. Iacobum. Ita enim habetur ex Extrauag. *Etsi Dominici* 2. *de pœnit. & remissionib.* Sotus 7. *de iustit. quæst.* 4. *art.* 3. Nauarr. *in Manual. cap.* 12. *numero* 75. Sayrus *dicto lib.* 6. *cap.* 11. *num.* 35. & alij communiter. Pro praxi autem Cur. Rom. circa huiusmodi vota vide Thesaurum *in Praxi p.* 2. *verbo Votum cap.* 1. Nota etiam prædictis quinque votis aliquos cum Nauarro *Commentar.* 1. *de regularib. num.* 21. addere etiam votum peregrinationis in Templum B. Mariæ Lauretanæ. Sed id iure communi non habetur, & de particulari priuilegio, si id habeatur, mihi non constat. De quo Azor. *tom.* 1. *Institut. Moral. lib.* 12. *c.* 18. *quæst.* 4. *&* *cap.* 19. *quæst.* 3. Sanchez *supra cap.* 40. *num.*

*num.*10.Portellus *in Dub.Regular.verbo Voti dispensatio in addit.num.*76.Nec obstat,quòd ex Breui Gregorij XIII. quod refert Naldus *in Summa verbo Votum numero trigesimotertio*, habeatur ipsum Gregorium concessisse Confessariis Congregationis Oratorij de Vrbe, seu *Vallicellæ* commutationem votorum, excepto prædicto Lauretano, & aliis quinque solitis, hoc enim non arguit reseruationem generalem talis voti pro tota Ecclesia, sed solùm pro illis Confessariis. Et ita in praxi obseruari tenet idem Naldus *ibid.* ex Azorio.

11 Circa prædicta autem quinque vota nota, ipsa à Papa dispensari posse, prout supponunt communiter Doctores, specialiter ex nostris antiquioribus Ioannes de Baccone *in* 4. *distinct.*3. & Michaël de Bononia ibi *distinct.*42. *q.vnic.* Nota secundò, adeo censeri Papæ reseruata, vt nunquam sub concessione generali votorum censeantur comprehensa, nisi exprimantur. Prout de commutatione dixi *supra verbo Iubilæum num.*18. & de dispensatione colligitur ex generali illa Regula Iuris, quòd scilicet *In generali concessione non veniant ea, quæ non esset quis verisimiliter concessurus.* Suarez *supra libro* 6.*c.*25 *num.*4. Sanchez *supra num.*16. Bonacina *de Legib. disp.*4. *quæst.*2. *punct.*7. §.4.*num.*12. Quòd si vota reseruata absque aliqua restrictione, vel declaratione, alicui concedantur ad dispensationem, vel commutationem, claudentur in ipsis prædicta quinque, quia satis exprimuntur sub nomine reseruatorum. Suarez *supra num.* 15. Sanchez *supra num.*17. Pontifice etiam concedente omnia vota, præter votum castitatis, & Religionis, censentur quoque concessa vota triplicis peregrinationis reseruatæ, vel quia tunc procedit Regula illa *Exceptio regulæ firmat eam in contrarium*,quæ desumitur ex *cap.Dominus* 32.*quæstione* 7. *& ex cap.*2. *de coniugio leprosorum*, prout tenet Suarez *supra num.*7. vel quia ita habetur ex communi vsu, & consensu Doctorum, prout tenent Sanchez *supra num.*19 & Bonacina *supra.* De quo etiam Diana 5.*part. Tract.*12.*resolut.*58. Apud quos & alia ad intentum.

12 Quamuis autem prædicta quinque vota reseruata sint semper Papæ, nihilominus sunt aliqui casus, in quibus Episcopi in ipsis dispensare possunt. Primus est, quoties de voti valore fuerit morale dubium, siue sit dubium Iuris,siue facti, siue sit negatiuum propter coniecturas, quæ non sufficiunt ad determinandum iudicium, siue sit positiuum ex opinionibus probabilibus contrariis. Et hoc est verum,quamuis id dubium non sufficiat ad excusandum vouentem à voti obligatione. Ratio est, quia cum dispensationis reseruatio sit odiosa, est restringenda ad casus certos. Dubij ergo casus non comprehenduntur sub reseruatione. Suarez *supra cap.*26.*num.*6. Sanchez *supra num.*26. Card.Lugo *de Sacram.Pœnit.disp.*20.*sect.*2. *num.*22. Addens ex Sanchez, etiam comperta postea voti certitudine, non esse necessarium recurrere ad Papam pro dispensatione, quia iam est obtenta legitima dispensatio. Secundus, quoties illa emissa sunt metu etiam cui per iniuriam incusso ad extorquendum illa. Tum ex *c. veniens qui Clerici, vel vouentes.* Tum quia id inuoluntarium secundùm quid repertum in talibus votis, non quomodocunque, sed per iniuriam, minuit notabiliter rationem voluntarij, ac voti, ac proinde non censetur Pontifex velle quasi iniuriam illam fouens, reseruare huiusmodi vota. Angelus *in Summa verbo Votum* 4.*num.*9. Henriquez *lib.*11. *de Matrimon. cap.*15. *num.*8. Lessius *de Iustit.cap.*40. *in edit.vltima dub.*18. *num.*127. Sanchez *supra num.*31. Diana *d. tract.*12. *Resolut.*61. Tertius est specialiter pro voto Religionis, & Castitatis, in casu quo imminet magnum incontinentiæ periculum, neque est facilis aditus ad Pontificem, vel Legatum præ paupertate, vel alia causa; quia iure optimo credi potest non esse Pontificis mentem velle in tali casu reseruare sibi hæc vota; nec est verisimile velle eum, vt animæ laqueis interitæ versentur in tanto periculo. Nauarrus *in Manual. cap.*12. *numero* 76. Ledesma 2.*tom. Summæ tract.*10. 1. *cap.*8. Suarez *dict. cap.*26. *à numero* 9. Lessius *supra numero* 125. 126. *&* 127. Fagundez *in* 2. *præceptum Decalog. lib.*2. *cap.*42. *num.*28. Diana 6. *part. tractat.*6. *resolut.*50. Limitatur tamen,vt dispensatio hæc concessa ab Episcopo solùm sit quatenus, illud periculum postulat,& ipso durante,quia solùm ipsi est concessa pro tali necessitate. Quare tales cum quibus ob dictas rationes Episcopus in voto continentiæ dispensauit, vt vel Matrimonium contrahere, vel contracto vti possent, contra votum peccabunt, si extra Matrimonium fornicentur, vel eo soluto, ad aliud sine noua Pontificis dispensatione transeant. Layman. *lib.*4.*tract.*4.*cap.*8. *num.*16. post Suarez,& Sanchez, Bonacina *supra num.*25. post Syluest. Nauarrum,Reginaldum,& alios. Eadem doctrina extendi debet ad triplicem peregrinationem Pontifici reseruatam, in casu quo vrgeret necessitas dispensationis, nec præ paupertate,aut alia causa adiri posset Pontifex,vel Legatus ipsius. Ledesma *supra.* Sanchez *supra num.*11. Idem quoque dicendum est si esset periculum alicuius magni scandali, vel damni tertiæ personæ. Sanchez *supra n.*36. post Syluest, Henriquez, & Suarez, Diana etiam *supra.*

Quartus casus, & valde generalis, quando materia horum votorum deficit à natura materiæ reseruatæ, tunc enim Episcopus in illis dispensare potest. 13
Contingit autem hoc multipliciter. Primò, quando tota materia, quæ promissa est per votum, non est reseruata, vt si quis faciat votum disiunctiuum, verbi gratia,castitatis,aut ieiunij. Quia cum in alternatiuis electio sit debitoris, satisfaciatque quamcumque disiunctionis partem præstando, iuxta Regulam. *In alternatiuis de Regulis iuris in* 6. ideo tale votum non obligat præcisè ad rem reseruatam, & subinde reseruatum non est. Sayrus *supra cap.*11. *num.*62. Azor. *tom.*1.*Institut.Moral.lib.*11.*cap.*19.*quæst.*10.Secundò,quando animus vouentis dum vota illa emisit, solum fuit obligandi se sub veniali, vel sub nulla obligatione. Talia enim vota non sunt perfecta, sed imperfecta, ac per consequens reseruata non debent censeri.Sanchez *supra num.*47.Bonacina *supra n.*21. Candidus *tom.*2. *Disquisit.moral.disquisit.*25.*artic.*8. *dub.*1.Tertiò,quando illa non sunt absoluta,sed conditionalia conditione de futuro (modò conditio non sit adimpleta) quale est votum sic dicentis: *Si ex morbo conualuero voueo me Religiosum fore.* Quia vota,quæ Papæ reseruantur, sunt vota perfecta,cum reseruatio sit odiosa, ac per consequens non extendenda ad votum imperfectum, quale est votum nondum impleta conditione, cum ante illius euentum non obliget. Aragon.2.2. *quæst.*88. *artic.*12. Toletus *in Summa lib.*4.*cap.*18.Sayrus *supra num.*77. Candidus *supra artic.*7. *dub.*1. Dixi *conditione de futuro*, quia in voto facto sub conditione de præsenti, aut præterito, non potest Episcopus dispensare, cum huiusmodi conditio non suspendat consensum, nec efficiat votum conditionale. *l.cum ad præsens ff. si certum petatur.* Suarez *supra cap.*23. Sanchez *supra num.*88. Bonacina *supra num.*17. Candidus *supra.* Dixi etiam *modò conditio sit adimpleta*,nam adimpleta conditione votum censetur absolutum,& non minus obligat, quàm

quàm si factum fuisset sine illa. Reginaldus *libro* 18. *num.*336. Sayrus *supra*. Suarez *supra c.*22.*à num.*23. & alij plures contra Sanchez *supra num.*99. *& lib.*8. *de matrim. disp.*10. *num.*13. Dianam 3.*p.tract.*5.*resolut.*25. & alios. Quartò, quando talia vota sunt pœnalia, quale est hoc: *Si fornicatus fuero voueo in pœnam me Religionem ingressurum.* Ratio est, quia cum reseruatio sit odiosa, ac nimis restringenda, vota hæc tunc reseruata censeri debent, quando sunt simpliciter rei reseruatæ, vt Religionis, &c. At vota pœnalia non sunt huiusmodi. Cum enim votum sit actus Religionis, quo quis rem sibi gratam, & acceptam offert Deo in eius cultum, id simpliciter & perfectè dicetur tale, quòd ex vera, & directa rei promissæ voluntate oritur. At in votis pœnalibus conditionalibus nullus est affectus, nullaque voluntas directa rei promissæ in pœnam, sed potius hanc sibi proponit voluntas tanquam odiosam, & non vult eam, imò potius propositum habet cauendæ eius obligationis. Aragon. *supra*. Medina *in instructorio Confessar. capit.*14. §.6. Sayrus *supra numero* 72. *&* 73. Reginaldus *supra num.*337. Ledesma *supra capit.*8. Qui omnes loquuntur etiam in casu quo sit commissa talis culpa, ideoque contracta obligatio pœnæ. De quo etiam Sanchez *supra num.*91. Quintò, quando prædicta vota non sunt principalia, sed accessoria, provt contingit in eo, qui emisit votum suscipiendi Sacros Ordines, quibus est annexum votum castitatis. Aragon. *supra*. Sayrus *supra num.*60. Azor. *supra c.*19. *dub.*9. Lessius *supra num.*124. Candidus *supra art.*8. *dub.*13.

14 Specialiter etiam circa votum Religionis id continget primò, quando fuerit votum Religionis non approbatæ, quia Religio non approbata non est Religio. Lessius *dicta dub.*18.*num.*123. Sanchez *supra num.*71. Reginaldus *supra num.*331. Secundò, quando fuerit votum solùm paupertatis, seu obedientiæ, siue in sæculo, siue in Religione, propter eamdem rationem. Lessius *supra*. Sanchez *supra num.*72. Tertiò, in voto assumendi habitum Tertiariarum, propter eamdem rationem. Aragon. *supra*. Sayrus *supra num.*64. Sanchez *supra num.*71. Quartò, in voto non nubendi, vel non fornicandi, hoc enim non est votum Religionis, vel castitatis perfectæ, sed tantummodo partis. Nauar. *supra*. Reginaldus *supra n.*332. *&* 334. Bonacina *supra n.*21. post alios. Quid verò dicendum de voto assumendi habitum Equitum Ordinum Militarium constat ex iis, quæ dixi *tom.*1.*p.*2. *c.*5. Qui enim dixerint tales Ordines verè Religiones esse (provt saltem de Militari S. Ioannis negari non potest) consequenter dicere debent, votum ingrediendi illos Papæ reseruatum esse. De quo etiam Sanchez *supra num.*37.

15 Similiter specialiter loquendo de voto castitatis id continget primò, in voto castitatis temporalis, quia solùm votum castitatis perpetuæ, quòd est simpliciter tale, censetur reseruatum. Azor. *supra quæstione* 6. Sayrus *supra num.*48. Ledesma *supra*. Fagundez *in* 2. *præcept. Decalog. lib.*2. *cap.*27. *numero* 11. Naldus *in Summ. verbo Votum num.*28. Candidus *supra artic.*8. *dub* 4. & alij communiter. Secundò, in voto castitatis coniugalis seruandæ; quia non est votum totius castitatis, sed solùm partis. Sanchez *supra numero* 50. Layman. *supra num.*8. Candidus *supra art.*9. *dub.*3. Tertiò, in voto, quo alter coniux absque alterius licentia, siue cum illa, promisit se non petiturum debitum. Et idem quando vterque coniux ex licentia alterius, siue absque illa, eo voto se ligauit. Sanchez *supra num.*51. *& sequentibus*. Layman. *supr.* Candidus *supra dub.*2.

Similiter, & specialiter quoad duo vota illa visitationis Romanæ, & Compostellanæ, idem continget, ita vt Episcopus in illis dispensare possit primò, quando animus expressus vouentis non est ad inuisenda, seu visitanda talia loca, sed ad alium finem, etiam pium, vt si quis vouet venire Romam ad osculandos pedes Papæ, vel visitandam Imaginem aliquam, verbi gratia, Beatæ Virginis, quia Extrauagans illa *Etsi Dominici* solùm reseruat Papæ illa vota, quando fiunt ad visitanda limina Apostolorum Romæ, & S. Iacobi in Compostella. Sanchez *supra num.*77. Idem quoque dicit *ibidem* de alio voto Terræ Sanctæ. Sed oppositum credo verius, quia in d. Extrauaganti diuerso modo loquitur Pontifex de hoc voto, ac de aliis duobus, illud enim vocat peregrinationis, & ista duo visitationis. Vnde votum peregrinandi in Terram Sanctam, etiamsi non sit ad visitandum aliquem locum in particulari ipsius, credo reseruatum Papæ. Secundò, in qualitatibus, vel conditionibus prædictis tribus votis adiunctis, vt si quis promiserit se iturum pedibus, mendicando, &c. ad illa loca. Quia hoc non est dispensare in illis, sed in qualitatibus ipsis adiunctis, Reginaldus *supra num.*332. Sanchez *supra num.*78. Bonacina *supra num.*21. Nota tamen circa hæc, quòd quamuis aliquorum sententia sit hæc tria vota non esse reseruata Papæ, nisi quando fiunt causa subsidij, non verò deuotionis, oppositum tamen est verissimum, quia ita tenet praxis, & stylus Curiæ, ac Sac. Pœnitentiariæ, ad quam quotidie recurritur pro dispensatione in illis, etiamsi causa deuotionis facta fuerint. Lessius *supra num.*122. Suarez *supra c.*21. *num.*5. Thesaurus *in Praxi part.*2. *verbo Vota* §. *sed tenendum.* 16

Cum autem votum transeundi ad strictiorem Religionem non includatur in voto Religionis, quòd Papæ est reseruatum, sed possit Episcopus in illo dispensare, provt ex Antonio, Paludano, Syluestro, Aragon. & aliis tenet Sayrus *supra num.*63. & Rodrignez, Henriquez, Ledesma, Azorio, & aliis tenet Sanchez *supra num.*75. ideo merito dixi *tom.*1.*p.*1.*eo cap.*18. *num.*50. posse etiam Prælatos Religionis in tali voto dispensare. 17

Qualiter huiusmodi dispensatio in votis non debeat fieri inuito vouente, neque sine causa legitima, & qui sint Prælati, qui eam dare possunt, habes ex dictis eo *c.*18.*num.*51. *&* 52. De aliis verò spectantibus ad hanc dispensationem, consule dicta *supra verbo Dispensatio, & dispensare inter Regulares.* Pro causis etiam legitimis ad dispensandum vide Suarez *supra libro* 6. *c.*17. & Portellum *supra verbo Voti commutatio, & dispensatio erga subditos num.*55. *ac verbo Voti dispensatio in addit. num.*84. *&* 85. Vbi etiam ex Azorio, Sayro, & aliis; quòd sanum consilium sit maioris securitatis gratia in huiusmodi dispensationibus, admiscere aliquam commutationem, iniungendo videlicet aliquod pium opus exequendum à dispensato. Insuper pro facultate, quam habent Prælati ad dispensandum vota Nouitiorum, seu eorum, qui volunt ingredi eorum Religionem vide dicta *supra verbo Nouitij, & Nouitiæ Religionum, n.*37.38. *&* 39. & Sorbum *in Annotat. ad Compend. priuileg. Mendicant. verb Votum.* 18

Loquendo autem de Confessariis Regularibus in ordine ad vota suorum pœnitentium, certum est eos non posse propriè loquendo irritare illa. Neque enim (quòd viderim) extat aliquod priuilegium quo hoc ipsis concedatur, & ex alia parte irritatio spectat ad potestatem dominatiuam, quam non habent Confessarij super suos pœnitentes. Dixi propriè loquendo quia rationabili subsistente causa, quando scilicet ita 19

ita conueniens saluti pœnitentium fuerit, poterunt illa ad tempus suspendere, quòd vocari solet irritatio impropriè.

20 Cæterum quoad facultatem commutandi vota notandum est, Sixtum IV. in dicta Extrauaganti *Etsi Dominici 2. de pœnit. & remiss.* prohibuisse ne aliqui Confessarij virtute priuilegiorum commutare possent dicta quinque vota Papæ reseruata, sub pœna nullitatis talis communicationis, & excommunicationis maioris latæ sententiæ Summo Pontifici reseruatæ. Nauarrus *dicto c.12.num.75.& c.27. numero* 105.post Angelum, Syluestrum, & alios Summistas. Notat autem idem Nauarrus *eo num.75.* ex eisdem Angelo & Syluestro, hanc excommunicationem solùm incurri ab illis Confessariis, qui talia vota commutauerint virtute priuilegiorum ab eodem Sixto IV. concessorum, quia solùm de ipsis loquitur. Vnde si ex vi alterius priuilegij, vel etiam nullius priuilegij id fecerint, etsi grauissimè peccent, non propterea incident in dictam censuram. Sayrus *supra numero* 138.Suarez *de Censur. disputatione* 22. *sectione* 5.*numero* 28.Sanchez *supra num.*40.Quamuis autem plures Auctores extendant dictam excommunicationem ad dispensantes talia vota, quia tamen Extrauagans solùm loquitur de commutantibus, & pœnalia non sint extendenda, ideo solùm incurretur à commutantibus. Sayrus *supra num.*39.& 40. Sanchez *supra.*

21 Nihilominus Confessarij Regulares habentes priuilegiorum communicationem cum Benedictinis, & Iesuitis, possunt omnia vota (illis quinque exceptis) suorum pœnitentium commutare, iuxta dicta *tomo* 1. *part.1.c.19.num.*23.propter priuilegium Eugenij IV. pro Benedictinis Italiæ, & Pauli III. pro Iesuitis, quæ ibidem retuli. Quibus adde etiam priuilegium eiusdem Eugenij IV. pro Benedictinis Vallisoletanis de quo infra. Imò etiam, iuxta dicta *ibidem numero* 24. possunt etiam commutare prædicta quinque vota in casibus in quibus ea non sunt reseruata Papæ, sed Episcopis; eo quòd vel sint imperfecta, pœnalia, conditionata, partialia, &c. iuxta dicta *supra num.*13. *& sequentibus.* Non tamen propterea possunt dicti Confessarij prædicta vota commutare in casibus, in quibus solùm per accidens ea pertinent ad Episcopum, videlicet ob vrgentem necessitatem, & moralem impotentiam adeundi Papam, vel Legatum, iuxta dicta *supra verbo Bulla Cruciatæ num.39. & supra num.12.* Portellus *supra verbo Voti commutatio, & dispensatio erga subditos num.*64. Layman. *supra numero* 17. §. *quarto obseruandum,* post Rodriguez, Mirandam, Sanchez, Henriquez, & Suarez, An verò possint prædicti Confessarij commutare vota iurata, habes ex dictis *supra verbo Bulla Cruciatæ numero* 35. *verbo Confessarius Regularis num.*15. & *verbo Iubilæum num.*18. Similiter an hæc facultas extendatur ad vota facta in vtilitatem tertij, constat ex dictis *tomo 1.part.1. cap.19. num.23. & supra verbo Bulla Cruciatæ num.*34. & *eo verbo Confessarius Regularis num.*15. Pro modo autem quo se gerere debeant Confessarij in commutatione votorum notandum id quòd dixi dicto *tom.1.p.1.c.18.num.*48. quòd scilicet ad commutationem voti in melius bonum non requiritur aliqua auctoritas Superioris, si euidenter constet de excessu: ad commutationem verò in æquale bonum requiri aliqualem causam, & auctoritatem Superioris; ad commutationem autem in minus bonum multò maiorem causam, & auctoritatem Superioris requiri. De quibus non solùm Nauarrus Corduba, & Suarez eo loco relati, sed etiam Lessius *supra cap.40. dubit* 16. *in posteriori editione.* Sayrus *supra cap.*12. Sanchez *supra cap.*49. Layman. *supra numero decimonono, & sequentibus,* Bonacina *supra* §.3. Candidus *supra artic.*3. Bordonus *Resolut.* 14. *à num.*7. Maximè verò pro praxi seruanda à Regularibus in votorum commutatione vide Sanchez *supra c.*16. Portellum *supra num.*43. & Naldum *supra numero* 46.& 47.

Loquendo autem de facultate dispensandi in vo- 22
tis, constat ex dictis eo *c.19.num.*22 plura ex priuilegiis, quæ referri solent ab aliquibus Auctoribus, maximè Sayro *supra à num.*95. pro Confessariis Regularibus, non esse solida, vel quia obscura, vel quia viuæ vocis oraculo concessa fuerunt, nisi postea per Bullam confirmata reperiantur, iuxta dicta *supra verbo Oracula viuæ vocis num.*7. Excipe tamen concessionem illam Eugenij IV. pro Benedictinis Vallisoletanis. Etsi enim eo *num.*22. dubitauerim, an fuerit viuæ vocis oraculum, postea tamen iuxta dicta *supra verbo Dispensare, & dispensatio pro Regularibus num.*7. comperi non esse viuæ vocis oraculum, sed Rescriptum quoddam à Papa signatum, ac per consequens validum his temporibus, tam pro prædictis Benedictinis Vallisoletanis quam pro aliis quibuscunque Regularibus habentibus communicationem priuilegiorum cum illis. Nota tamen plures limitationes in prædicta concessione apponi, quibus non obseruatis omnino inualida erit, scilicet, quòd tales Confessarij sint in numero determinato designati à Prælato Monasterij, & ad ipsius nutum reuocandi, & quòd id fiat in eorum Ecclesiis, & quandiu fuerint in Obseruantia Regulari. Ita enim constat ex dicta concessione. Cassarubius *in Compend. priuileg. Mendicant. verbo Absolutio quoad sæculares.2.numero* 16. Addens *num.*17. extensam esse à Pio II. ad omnia Monasteria Ordinis, etsi cum quibusdam limitationibus. Quia tamen vtilis erit tam pro isto casu, quàm pro aliis, ideo eam ad verbum hic placuit referre, prout apud Rodriguez *in Bullario in Eugenio IV. Bulla* 25. habetur. *Beatissime Pater. Cum ad Ecclesiam, & Monasterium Sancti Benedicti Vallisoleti Ordinis eiusdem Valentin. diœces. ad quod etiam Illustrissimus Princeps Dominus Ioannes Castellæ, & Legionis Rex specialem gerit affectionem, nonnulli nobiles, & alij quamplures de Regno, ac loco Vallisoleti prædicto, necnon de diuersis mundi partibus singularis causa deuotionis Christi fideles ad dictum Monasterium confluant, propter Monachorum illius Regularem obseruantiã, & inclusionem, desiderentque illis sua peccata cõfiteri, & ab eis spiritualiter consolari, vt igitur, Pater Beatissime, fidelium ipsorum animabus sanctitatis vestræ ministerio salubrius consulatur, supplicatur Sanctitati vestræ pro parte Prioris, & Conuentus dicti Monasterij, quatenus eis, vt Prior, siue præsidens dicti Monasterij pro tempore existens, vt tres, vel quatuor idonei Presbyteri Monachi per prædictum Priorem, siue præsidentem ad hoc pro tempore deputandi, & ad ipsius Prioris, siue præsidentis nutum reuocandi, quorumque vtriusque sexus fidelium ad dictum Monasterium, seu ipsius Ecclesiam, aut in ipsis quacunque ex causa pro tempore confluentium, commorantium, siue existentium, cuiuscumque gradus existant, confessiones diligenter audire, necnon ipsos à quibuscumque peccatis, criminibus, excessibus, & delictis suis in omnibus & singulis casibus etiam Episcopo reseruatis, absoluere, necnon ab omnibus, & singulis Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, fulminationibus excommunicationum, suspensionum, & interdicti à iure, vel ab homine prolatis, contractis in genere tantum, satisfactione, vel mandato de satisfaciendo si persona huiusmodi ad id habiles fuerint, præmissis,* etiam

etiam absoluere, ac eos habilitare in prædictis casibus, pœnitentiasque eis salutares iniungere, Eucharistiæ Sacramentum conferre, ac cum eis, & eorum quolibet dispensare super votis etiam Episcopo reseruatis, & ea commutare in alia pietatis opera toties quoties deuotioni prædictorum videbitur expedire, auctoritate Apostolica liberè, & licitè possint, & valeant, Parochialis Presbyteri, & alterius cuiuscumque Episcopi, vel Superioris, super præmissis omnibus, & singulis, vel eorum aliquo, licentia, vel assensu nullatenus requisitis, & quòd huiusmodi gratia sit perpetua, concedere, & indulgere misericorditer dignemini de gratia speciali. Constitutionibus Apostolicis, cæterisque in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque, & cum clausulis opportunis. Concessum, vt petitur de omnibus, quamdiu fuerint in Obseruantia Regulari, in præsentia D. N. Papæ C. Ariminens. Et si placeat vestræ Sanctitati sola signatura huiusmodi concessionis sufficiat eis sine confectione aliarum litterar. Apostolicarum. Concessum. C. Ariminen. Datum Ferrariæ tertio Nonas Ianuarij, Anno VIII. Ex quibus collige primò, posse dictos confessarios ex vi dicti priuilegij, & iuxta tenorem ipsius dispensare cum iis, qui votum strictioris Religionis emiserunt, vt possint in suam, vel aliam minus strictam Religionem intrare, vt enim dixi *supra num.17.* votum strictioris Religionis non est Papæ reseruatum, sed Episcopi in illo dispensare possunt. Sanchez *supra c.43. num.19. & sequentibus.* Peyrinis *tom.1. de Subdito quæst.1. c.21. §.1. §. Item possunt.* Collige secundò, posse etiam dispensare ad petitionem debiti cum illis coniugibus, qui de eo non petendo votum fecerunt, propter idem fundamentum, & dicta *supra n.15.* Suarez *supra lib.6. c.26. num.27.* Sanchez *supra n.7.*

23 Hæc porrò facultas commutandi, & dispensandi vota competit prædictis Confessariis Regularibus non solum respectu subditorum illius Diœcesis, vbi ipsi sunt Confessarij, sed etiam aliorum quorumcunque illuc ad eos venientium. Prout colligitur ex priuilegiis relatis, & ex alio Nicolai III. apud Cassarubium *supra verbo Absolutio quoad sæculares num.7.* Sorbus *in annotat. ad Compend. priuileg. Mendicant. verbo Absolutio quoad Fratres, & sæculares concl.10.* Sanchez *supra cap.43. num.15. & cap.54. num.60.* Peyrinis *supra c.21. §.1. concl.5.* Diana 3 *part. tract.5. Resolut.26.*

24 Nota etiam posse vti prædicta facultate commutandi, & dispensandi in votis etiam extra Sacramentum Pœnitentiæ, iuxta dicta *supra verbo Bulla Cruciatæ num.24.* Eo quòd talia priuilegia non limitant prædictam facultatem solùm pro confessione. Sanchez *d. cap.54. num.16.* Henriquez *libro 7. de Indulgent. cap.30. num.6.* Sancius *in Select. disput.14. num.2.* & aliis, quos refert, & sequitur Diana *supra tract.2. Resol.9. & tract.5. resolut.25. & 4. p. tract.4. resolut.8.*

25 Quamuis autē, iuxta dicta eo *c.19. n.26.* multi dicant posse aliquos Confessores Regulares dispensare cum illis, qui voto facto de castitate, contraxerunt, ad petitionem debiti, propter viuæ vocis oraculum Pij V. quod referunt Rodriguez *tom.1. quæstione 36. artic.2.* Miranda *in Manual. tom.1. quæst.7. articulo 2.* Henriquez *lib.12. de Matrimon. cap.2.* Viualdus *in Candelabro aureo de Sacrament. Matrim. num.141.* Quia tamen huiusmodi viuæ vocis oracula his temporibus abrogata sunt, non possunt Confessarij vti prædicta concessione, nisi ea sit confirmata per Bullam; iuxta dicta *supra verbo Oracula viuæ vocis numero 7.* [Consule Portellum, qui nouissimè *in Respons. Moral. tom.2. casu 34.* vbi post multa concludit se non inuenire aliquid per quod attendi possit clarè Religiosos Confessarios posse vti dicta concessione. Addit tamen quod si Episcopi possunt dispensare in tali voto etiam id poterunt facere Confessarij Regulares. Sed hoc intelligi debet iuxta limitationem à nobis traditam *supra n.21.*]

Generaliter etiam circa hanc materiam voti pro Regularibus notandum primò, eos posse validè, & licitè vouere ea omnia opera bona, quæ nec Regula, nec Constitutionibus, aut præceptis Superioris sunt illis interdicta, nec eos à debito ipsorum obsequio retrahunt, etiam sine licentia illorum. Vnde possunt vouere non fracturos ieiunium Religionis, & similia. Nam in huiusmodi operibus Prælato non præiudicant, & illa sunt in vouentium potestate. Syluester *in Summa verbo Votum 3. quæst.3.* Caietanus 2. 2. *quæst.88. artic.8. dub.5.* Nauarrus *supra cap.12. numero 67.* & alij communiter. Idem dicendum de aliis operibus bonis, quæ in Regula neque prohibentur, neque præcipiuntur. Quamuis enim hæc vota semper habeant annexam conditionem: *Si Prælatus non repugnet:* quia tamen in se sunt rei bonæ, & licitæ, & neque Prælato, neque Ordini præiudicant, ideo valent donec à Prælato prohibeantur; sicut valerent vota serui, aut filij familias in simili materia, & cum eisdem circumstantiis. Portellus *supra Vota professorum simplicia num.27.* Sanchez *dicto lib.4. c.15. num.6.* post plures alios. 26

Vota autem Religiosorum, quæ sunt de rebus illis prohibitis in suis Constitutionibus, aut præcepto Prælatorum, non sunt statim valida, nec obligantia, donec Superior consensum præstiterit. Quia in huiusmodi votis includitur conditio affirmatiua. *Si Superior consenserit.* Verbi gratia, Religiosus vouit peregrinationem, quam sine licentia Superioris facere non potest, cum sine illa è claustro egredi nequeat, aut vouit aliqua abstinentiæ opera, quæ fieri inconsulto Superiore Regula vetat; ea vota non obligant donec Superior facultatem concedat. Ratio est, quia cum res illæ sint prohibitæ non sunt apta voti materia donec accedat Superioris licentia, per quam redduntur licitæ, ac per consequens ex tunc solùm obligare poterunt talia vota. Bacconius *in 4. dist. quæst.3. art.2.* Nauarrus *supra.* Azor. *d. lib.11. c.16. quæst.6.* Sotus 7. *de iustit. quæst.3. articulo 1. dub.3.* Fagundez *dicto c.34. num.14.* Nota etiam, quòd vota Religiosorum facta contra præceptum Superiorum præcipientium ne fiant absque ipsorum licentia (supponimus enim posse Prælatum prohibere subdito ne votum aliquod faciat absque sua licentia; quia hoc non est prohibere bonum perfectius, sed velle quòd in eo faciendo seruet modum ex obedientia debitum qualiter in Religionibus prohibetur ne fiant tales & tales pœnitentiæ) etsi illicitè fiant, vtpotè contra obedientiam, obligant tamen subditos, nam multa fieri prohibentur, quæ tamen facta valent, vt sæpiùs vidimus. At in duobus casibus talia vota non valebunt. Primò, si Prælatus dicat in prohibitione, quòd aliàs facta sint irrita, tunc enim clausula illa apposita irritabit ipsa, cum Prælatus possit id facere. Secundò, si Prælatus prius irritet, vel prohibeat materiam ipsius voti, vt si dicat præcipio quòd nemo rem talem faciat, vel quod non fiat talis pœnitentia, vel quid simile. Tunc enim illa res prohibita à Prælato iam non est materia voti, cum sit res illicita, & proinde votum emissum circa illam, erit nullum, cum sit de re illicita, donec accedat, vt dictum est, consensus Superioris. Portell. *supra verbo Vota professorum simplicia num.31. & verbo de natura, ac materia voti in addit. num.11.* Nota etiam, quòd vota de immoderatis 27

maceratio

macerationibus corporis, quæ impediunt religiosos, ne possint suo munere fungi, regulariter sunt inualida, quia vel sunt de re illicita, vel saltem sunt contra voluntatem Superiorum emissa. Michaël de Bononia *in 4. dist.41.q. vnica §.dico quartò*. Bonacina *supra q.2.puncto 4.§.1.num.5.* ex aliis. Pro quo vide dicta *supra verbo Homicidium num.5.*

28 Maximè nota circa vota realia Religiosorum, verbi gratia, dandi aliquam eleemosynam, quod si illi habeant administrationem bonorum, vt habent Prælati Religionis, compertum est votum illorum de eleemosyna eroganda esse validum, nec includere conditionem affirmatiuam, si Superior consenserit, sed solam negatiuam, nisi Superior contradixerit. Si autem eleemosyna excesserit facultatem, quam habent, valebit quidem votum, dummodo Superior consentiat, sicut contingit in aliis votis de rebus prohibitis. Suarez *d.tract. de voto l.3.c.7.num.3.* Sanchez *supra num.13.* Similiter, si Religiosi sic vouentes nullam habeant administrationem, & voueant de rebus sibi ad vsum à Superioribus concessis; volentes parciùs illis vti, vt eleemosynam largiantur, valebit etiam votum, si Superior licentiam concesserit, quia talis eleemosyna non dedecet statum Religiosum, nec est de re illicita, sed licita quidem sub conditione tacita, quæ ibi includitur; si Superior consenserit. Suarez *supra num.5.* Sanchez *n.14.* Quando verò votum talis eleemosynæ est de rebus Monasterij, quamuis absolutè non obliget vouentem, cum sit de re non sua, aut quæ subsit ipsius potestati, obligat tamen illum ad rogandum Superiorem pro obtinenda licentia, ad dandam dictam eleemosynam. Sanchez *supra numero 16.*

29 Demum pro Religiosis scrupulosioribus notandum, quòd licet ipsi aliquando emiserint votum de non petenda irritatione, commutatione, seu dispensatione alicuius voti à se emissi, potest nihilominus vtrumque votum tam priùs, quam posterius, irritari, commutari, & dispensari à Superioribus. Quod quidem, quod attinet ad irritationem, constat ex dictis *tom.1.p.1. cap.18. num.37.* Si enim, vt ibi diximus Prælati propter auctoritatem dominatiuam, quam habent in subditos, possunt ipsorum vota irritare, adhuc ipsis inuitis, poterunt procuIdubio vtrumque illud votum irritare, posterius quidem, cum quoad illud irritandum nullum sit impedimentum, prius verò, cum subditus non potuerit in hoc manus suorum Superiorum ligare. De dispensatione autem, & commutatione id etiam constat, si fiat modo de quo infra, & etiam si fiat non petente ipso vouente talem dispensationem, aut commutationem, sed solùm proponente ipsius Prælato statum suæ conscientiæ, & Prælato iudicante facere talem dispensationem, aut commutationem. Generaliter etiam talia vota de non petenda irritatione, commutatione, aut dispensatione valida non esse pro casibus, in quibus petere illam expediens fuerit, saluti vouentis, vel bono communi, probabilissima tenent Sotus *lib.8. de iust. q.1.art.9.colum.penult.§.est autem.* Sayrus *supra c.11. num.67.* Sanchez *dicto lib.4.c.8.num.21. & seqq.* & Naldus *supra num.66.* Adde tamen, tutius esse, quòd in casibus, in quibus obligat tale votum non petendæ dispensationis, irritationis, commutationis voti, aut iuramenti Deo præstiti, aut cuiusuis præcepti, aut illis impetratis non vtendi, ex eo quòd id non est conueniens saluti spirituali vouentis, aut bono communi, primò petatur, & impetretur huius voti dispensatio, irritatio, aut commutatio, & tunc manebit priùs principale votum, vel iuramentum subiectum capax irritationis, commutationis, aut dispensationis, ac si illud posterius emissum non esset. Et ita omnis scrupulus cessabit, cum vouens non petiturum prædicta non se obligauerit voto ad non petenda hæc circa votum quo ad ea non petenda se astrinxerat. Quòd si etiam vouisset nec huius se petiturum, potest petere huius vltimi, & ita in infinitum, & deinceps reliquorum. Sanchez *supra num.29. & seqq.* Nota etiam, quòd votum de non petenda dispensatione, commutatione, &c. alicuius voti ex reseruatis Papæ, non esse similiter Papæ reseruatum, cum solùm illa quinque superiùs relata sint ipsi reseruata. Candidus *supra art.8.dub.3.* post Sayrum, & Sanchez.

VOX ACTIVA, ET PASSIVA.

QVid importent vox actiua, & passiua constat ex dictis *supra verbo Pœna Ecclesiastica num.10. & 11.* Vbi etiam an illatum priuatio incurratur in conscientia, & ipso facto ante omnem declarationem, & quid, quando pro vna vice solum est imposita, & an supponat peccatum mortale, & quid nomine priuationis vocis intelligatur, si in Lege, vel Constitutione non determinetur ad vocem actiuam, vel passiuam. Vbi etiam alia, quæ sufficere possunt ad intentum.

De iis, qui vocem actiuam, & passiuam habere possunt in electionibus, quamuis plura dicta sint in præcedentibus, præsertim *tom.1.p.1. c.15.* & *tom.1.p.2. c.12.& 13.* & *supra verbo Electio*, & in variis consultis circa materiam electionis à me scriptis: cæterum, quia circa Socios Priorum, Guardianorum, vel aliorum Superiorum Conuentuum, seu Monasteriorum, an videlicet habere possint, & debeant in Capitulo vocem, sunt varia placita Doctorum locis me remittendo, solùm in præsenti notari debet decretum Sacræ Congregationis, quod retuli *supra verbo Electio quoad Regulares*, vbi tales socij admittuntur pro Fratribus Minoribus.

Hæc de hac IV. parte, & tota Summa Quæstionum Regularium ad laudem Dei Omnipotentis Patris, Filij, & Spiritus Sancti, & Dei Genitricis Mariæ, Patriarchæ Eliæ, & aliorum Sanctorum.

RELECTIO

Circa controuersiam Romæ acriter agitatam de validitate cuiusdam Capituli Prouincialis, & electionum in ipso factarum. In qua multa ad materiam de electione Prælatorum Regularium spectantia.

SVMMARIVM.

CASVS.



CASVS.

1 Vallisoleti in Hiſpania de anno 1642. celebratum fuit Capitulum Prouinciale Carmelitarum quietè, & pacificè, nemine reclamante, aut contradicente. Poſtea verò, ſex, vel ſeptem circiter menſibus tranſactis, PP. aliquot graues eiuſdem Prouinciæ obedientiam negarunt Prouinciali, & Priori Matritenſi, prætendentes ipſos non eſſe legitimos Prælatos, ac propterea abſtinere debere ab exercitio ſuorum officiorum. Cum autem ipſi contradicerent, & contra illos veluti rebelles procederent, eos etiam à Prouincia auctoritate Illuſtriſſ. Nuncij eiicientes, Romam idcircò venerunt, plures nullitates contra præfatum Capitulum, & electiones opponentes, primò coram Generali, deinde coram Sanctiſſ. & ipſius delegatione, coram Eminentiſſ. & Reuerendiſſ. Domino Cardinali Ginetto Ordinis Protectore, à quo cum Reuerendiſſ. aliis coniudicibus in duabus Congregationibus in ipſius Palatio habitis, lis, & controuerſia deciſa fuit. Quia tamen circa ipſam multa, grauiaque dubia diſcuſſa fuerunt, ideo hic proponenda. Primum eſt, an contra Capitulum præfatum, & eius electiones aliqua opponi poſſent. Secundum, dato quòd poſſent opponi, an Patres prædicti legitimi oppoſitores eſſent. Tertium, an in eo caſu contra inauditam partem Capituli aliquid decidi poſſet. Quartum, quod mandatum, vel procuratio requireretur, vt aliquis eſſet legitimus Procurator Romæ pro Capituli defenſione. Quintum, an prædictũ Capitulum, & eius electiones nullæ, & irritæ cenſeri deberent, eo quòd ſocij Conuentuum, qui in illo erant Gremiales, non eſſent electi ab omnibus Religioſis Conuentuum in Sacris conſtitutis. Sextum, an rectè impugnaretur prædictum Capitulum propter vota quædam in ipſo adiuncta. Septimum, an propter non ſeruatam formam *c. Quia propter de electione* quoad numerum Scrutatorum. Octauum, an electiones Priorum factæ in ipſo Capitulo, & non in Conuentibus validæ eſſent. De quibus omnibus ſigillatim agendum; Notando primò, quòd quamuis cognitio ſupra nullitate prædicti Capituli pertineret ad Reuerend. Gener. Ordinis, & non ad Eminent. Protect. prout in ſimili declarauit Sac. Congregatio Epiſc. & Regular. 17. Auguſti 1640. in cauſa, & pro Patribus Auguſtinianis: nihilominus hæc lis, & controuerſia ſpecialiter pertinebat ad Eminentiſſ. ex delegatione SS.

Dvbivm Primvm.

An prædictum Capitulum, & electiones in ipſo factæ impugnari poſſint.

2 Reſpondeo tam prædictum Capitulum, & electiones in ipſo factas, quam omnia, & quæcunque Capitula, cum electionibus ipſorum, impugnari poſſe ab iis, ad quos intereſt, ſeruatis tamen conditionibus, de quibus infra. Ita enim colligitur ex toto ferè titulo *de elect. in primo, & ſexto Decretalium*, vbi id ſupponitur, & conſtabit ex Iuribus inferius referendis. Accedit, quòd ſi impugnatio electionis de aliquo Officiali ad inſeruiendum Reipubl. competit cuilibet de populo, vt per Auendaño *de Exequendis mandatis p. 1. cap. 19. num. 27.* Azeuedo *l. 1. num. 6. tit. 4. l. 5. nouæ recop.* Burgo de Pace *conſ. 10. n. 20.* Matienzo *l. 1. Gloſſ. 8. tit. 14. l. 5. nouæ recop.* Bobadilla *in ſua politica l. 3. c. 8. n. 17.* Cabedo *p. 1. dec. 112. & p. 2. dec. 84. n. 16. cum ſeqq.* tenet Barboſa *in c. vt circa de elect. in 6. num. 12.* multo magis impugnatio cuiuſlibet Capituli, ſeu electionis competet cuilibet Religioſo, cum ad illum ſpectet, vt Prælatus vel Officialis ſuæ Religionis ſit talis qualis decet, Layman. *in quæſtionib. Canonic. de Prælator. elect. cap. 11. q. 115.*

Adde, etiam contra electionem confirmatam fieri poſſe obiectionem, ſeruatis etiam conditionibus ſeruandis. Quia ſi electio eſt inualida, confirmatio ſubſequens non dat illi validitatem. Abbas *in cap. accedens de accuſat.* Petrus Biaxius *in Direct. elect. p. 3. c. 45. n. 2. & 3.* Sigiſmundus de Bononia *de Elect. Prælat. p. 1. c. 7. dub. 44. num. 19.* Quare quod idem Abbas *in c. fin. qui matri accuſ. & in c. cum olim de cauſ. poſſeſſ.* & idem Biaxius *ibid.* dicunt, neminem eſſe audiendum poſt confirmationem factam, intelligi debet iuxta dicenda, & formam *cap. fin. de elect. in 6.* quando præceſſit oppoſitor, & non comparuit termino præfixo ad opponendum. Sigiſmundus de Bononia *ſup. dub. 46. n. 3.* 3

Dixi autem ſupra, ab iis, *ad quos intereſt*, quia alij non intereſſe habentes non poſſunt ſe opponere, niſi nomine Eccleſiæ, ſeu eorum, ad quos id ſpectat. *c. cum inter 1. de elect. l. 1. ff. de appellat.* Caſtellinus *de elect. canon. cap. 16. num. 4.* Layman. *ſupra* ex Innocentio, & Abbate. Adde Iulium Lauorium *de Elect. tit. 4. c. 19. num. 119.* 4

Dixi etiam *ſeruatis tamen conditionibus, &c.* quia aliquæ ſunt ad id faciendum neceſſariæ. Prima, quòd ſubſit magna, & notabilis cauſa. Tum quia Ius Canonicum maximè auerſatur huiuſmodi oppoſitiones *cap. finem de dolo, & contumac.* Layman. *ſupra quæſtione 117.* Tum etiam, quia cum litium introductio criminum occaſionem, & magna alia detrimenta præbeat, quæ videri poſſunt apud Tiraq. *de Retractu lig. §. 8. gloſſ. 7. à num. 20.* Rebuffus *in Procem. concordatæ verbo ſumptib. pag. 511. & in l. litis nomen 36. ff. de verb. ſignific.* Gonzalez *ad reg. 8. Cancell. §. 7. Procem. num. 12. cum ſeqq.* Barboſam *de Offic. & poteſt. Epiſc. alleg. 79. à num. 10. & in dict. c. finem n. 2.* quæ maximè procedunt in Religioſis, qui omnino ab huiuſmodi forenſibus negotiis abſtinere debeant; proculdubiò non ſine magna cauſa huiuſmodi oppoſitiones, ſeu impugnationes electionum fieri debent. 5

Secunda eſt, quòd non conſenſerint tales oppoſitores in dictum Capitulum, & eius electiones. Quia ſi conſenſerunt, repelluntur ab oppoſitione, ſeu impugnatione illorum. Etenim, vt habetur ex Regul. Iuris *in 6. num. 21.* & ſumitur ex *l. ſicut C. de actionib. & obligat. Quod ſemel placuit amplius, diſplicere non potuit.* quod Gloſſa *ibidem* intelligit etiam in electo, iuxta can. *dilectiſſimi 8. q. 2.* Idemque confirmat Regula alia etiam Iuris *in 6. n. 33.* quæ deſumitur ex *l. nemo poteſt mutare ff. hoc titulo*, ſcilicet, *mutare conſilium quis non poteſt in alterius detrimentum.* Quam Regulam procedere etiam in electione probat Barboſa *ibid.* ex Iuribus, & Doctoribus. Fauet etiam Regula illa generalis, ſcilicet, *nullus poteſt venire contra factum ſuum* Argument. *c. diuerſis fallaciis de Cleric. coniugat. & cap. propoſuit. de fil. Preſbyt.* Gloſſa *in d. Regul. quod ſemel.* Layman. *ſupra q. 116. in margine.* Conſonat etiam *c. concertationis de appell. in 6.* vbi appellanti ab electione præſcribitur ſpatium dierum decem, & iis tranſactis ſolum conceditur vti Iuris remediis, ſi tamen electioni non conſenſerit. Ita colligunt ex textu 6

textu Lapus, Abbas, Archidiaconus, & alij DD. quos ibi refert, & sequitur Barbosa. Pro quo maximè facit declaratio quædam nouissima Sacr. Congregationis Episcop. & Regularium die 2. Decembris 1643. vbi sic. *Proposita fuit causa Prouinciæ Apuliæ, inter PP. electores eiusdem Prouinc. necnon Patrem Thomam à Grumo electum, & P. Magistrum Felicianum à Rolignano eius Procurat. ex vna & P. Magistr. Gregor. Capullum, &c. & DD. negotio maturè discusso, fuerunt in voto, institutionem P. Capulli non posse, nec deberi ab eis impugnari, cum semel in eam consenserint, nec obstare Constitutiones, &c.* Facit etiam quòd cum Eminentiss. & Reuerendiss. D. Cardinalis Ginettus Ordinis nostri Protector sciuisset quemdam Religiosum, qui ex vi Breuis SS. D. N. Vrbani institutus fuerat Prouincialis cuiusdam Prouinciæ, consensisse in electionem alterius, hunc, & non illum, vt legitimum Prouincialem hoc anno 1643. declarauit.

7 Tertia est, & veluti limitatio præcedentis, videlicet, quòd, iuxta dicta *tom. 1. p. 1. cap. 15. num. 37.* eligentes, aliquem, vel consentientes ipsius electioni, non possunt illi se opponere, nisi ex causis postea emergentibus, vel propter defectus electi priùs ignoratos. Ita enim habetur expressè *cap. nulli licere de elect. in 6.* vbi Doctores communiter. Quibus iunguntur Iulius Lauorius *supra dicto c. 19. num. 115.* Sigismundus de Bonon. *supra dub. 46. n. 6.* Peyrinis eo loco à me relatus, & Barbosa *super hoc c.* Consonat etiam specialiter pro Ordine nostro, quòd in Formula celebrandi Capitula Prouincialia à Reuerendissimo Theodoro Stratio Generali edita, & typis mandata Neopoli 1635. & quæ mitti solet ad Præsides Capitulorum Prouincialium, vt iuxta ipsam ea celebrari faciant, sic dicitur §. 21. *Qui in electionem expresè, vel tacitè, consenserint, illam postea secundum Sacros Canones impugnare nequeunt, si ex noua causa, vel veteri, sed nouiter eis pandita, & manifesta.* In margine autem notatur dictum caput *Nulli.*

8 Quarta est, quando talis oppositio, vel impugnatio electionis fit per modum appellationis, tunc enim, vt dixi *supra num. 6.* ex *c. concertationi de appellat.* solùm admittitur talis appellatio intra decem dies, nec post illos vllo modo permittitur. Verum quidem est, quòd ex *cap. statuimus de elect. in 6.* & *cap. cupientes eod. tit.* extendi id potest ad vnum mensem. De quo Doctores *ibidem* & Sigismundus *supra num. 22.* & Castellinus *supra num. 5. 6. & 9.* ac Iulius Lauorius *supra n. 122.*

9 Quinta est conformiter ad dicta *tom. 1. p. 1. cap. 15. num. 37.* circa formam seruandam in oppositione, seu appellatione contra electionem. Taliter enim appellantes tenentur exprimere in instrumento publico coram personis authenticis, quæ super hoc testimonium perhibeant, omnia, & singula, quæ obiiciunt, & simul iurare quòd credunt ea esse vera, & se posse illa probare, alioquin non possunt alia obiicere, nisi, iuxta dicta *supra n. 7.* ex *cap. nulli de elect. in 6.* forsan essent aliqua de nouo emersa, vel quæ verisimiliter ignorare potuissent. Ita enim habetur expressè *in cap. vt circa de elect. in 6.* tradunt ibi communiter Doctores. Quibus iunge Peyrinis eo loco à me relatum, Castellinum *supra num. 2. 13. 14. 15. & 16.* & Sigismundum *supra dub. 46. num. 11.* Notans *num. 12.* hanc formam esse ad vnguem obseruandam, ita vt sine illa opponens audiri non debeat. Nota tamen aliquo modo limitatam esse per Clement. *Constitutionem de elect. in 6.* quando quæ opponuntur directè respiciunt ius Ecclesiæ, vel opponentes. De quo Doctores *ibidem* maximè idem Sigismundus *supra* plura afferens ad intentum *num. 18. & sequent.*

10 Sexta, & veluti explicatio præcedentis, est, quòd, qui se opponit alicui electioni, & ad Sedem Apostolicam appellat, ita debet iurare, quòd omnia, quæ opponit, credit esse vera, & se posse illa probare, vt non sufficiat iurare se credere esse vera, & posse probare ea quæ de ipsis deberent sufficere. Ita enim expresè habetur *in cap. is qui contra de elect. in 6.* vbi Doctores communiter, & Sigismundus *supra dub. 46. n. 12.* Addens *n. 14.* id etiam esse verum in Procuratore appellantis ab electione. Maximè etiam addendum, in d. Clement. *Constitutionem §. cæterum* sic haberi. *Cæterum cum circa crimina, vel defectus debitam circumstantiarum specificationem prædictus omittit appellans, non est postmodum in prosecutione negotij super his audiendus, etiamsi circunstantias huiusmodi, vel probationes earum per iuramentum asserat ad se peruenisse de nouo.* De quo DD. *supra d. Clementinam*, & Sigismundus *supra num. 15.*

Nota autem, quòd impugnata electione ante confirmationem, si contra formam sit oppositum, electus tenetur probare se ritè electum: si autem post confirmationem contra formam opponatur, opponens probare tenetur: si verò oppositum sit contra personam, semper onus probandi incumbit opponenti. *cap. 1. de elect. in 6. & c. si compromissarius.* Thesaurus *in praxi p. 2. verbo Electio cap. 4. §. nota 2.* ex Butrio, Innocent. Compostell. & Mascardo. 11

Adde etiam, quòd quando id quod opponitur post confirmationem, ante illam propositum, & discussum fuit, ac super eo pronunciatum, non debet admitti talis oppositio, quia iam taliter discussum, & pronunciatum transit in rem iudicatam. Cuchus *Instit. maior. titul. de confirm. potest. num. 4.* Biaxius *supra cap. 45.* Sigismundus *supra dub. 46. num. 5.* 12

Quando verò oppositio est non contra electionem, sed contra electum, obseruandum est quòd habetur *in cap. si fortè elect. in 6.* videlicet, *si fortè inter cætera, quæ obiiciuntur electo, aut postulato, seu aliàs promouendo ad aliquam dignitatem, euidentem scientiæ, vel alium personæ defectum opponi contingat, in discussione obiectorum, illum statuimus ordinem incommutabiliter obseruandum, vt promouendus super defectu ipso ante omnia subiiciatur examini, cuius euentus examinandus, aliis, aut dabit initium, aut negabit. Cæterum, si præmissi examinis exitus huiusmodi oppositiones docuerit veritate destitui, opponentes omnino à prosecutione causæ, in qua talia obiecerunt, excludimus, & proinde puniri decernimus, ac si penitus in probatione omnium, quæ obiecerunt, defecissent.* Castellinus *supra num. 8.* Et quod magis est, non esse locum pœnitentiæ oppositori falso, *in cap. ab eo. de elect. in 6.* sic decernitur: *Ab eo, qui contra electum, vel postulatum, seu promouendum ad aliquam dignitatem, inter cætera quæ obiicit, euidentem, notorium, seu manifestum scientiæ, vel alium personæ defectum opponit: ipsius defectus oppositio, vel eius qualitas nequeunt postea reuocari. Cum enim opponens, si quid de defectu opposuit huiusmodi, destitui veritate contingat, à prosecutione causæ debeat omnino excludi, & puniri perinde ac si in probatione omnium, quæ obiecerat, defecisset; iustum est, vt postquam ad oppositionem eamdem procedit nequeat in præiudicium eius, contra quem opposuit, vlterius pœnitere.* Doctores *ibidem*, & Sigismundus *supra num. 8. 9. & 10.* [Pro huiusmodi etiam oppositionibus contra electiones factas, quòd illis non obstantibus electiones validæ censeantur, extant aliquæ declarationes Sacræ Congregationis Episcoporum & Regularium, specialiter vna pro Minoribus Conuentualibus 7. Maij 1636. 13

DVBIVM

Dubium Secundum.

An prædicti Patres legitimi fuerint oppositores contra electiones factas in prædicto Capitulo.

14 Respondendum est negatiuè, prout manifestè colligitur ex adductis in dubio præcedenti. Primò quidem, quia ea, quæ contra præfatas electiones opposuerunt, non sunt magni, aut notabilis momenti, prout constabit dubiis sequentibus ea euacuando. Nec talia credi possent, cum præfatum Capitulum, eiusque electiones celebratæ fuerint à Religiosis grauibus, & valdè doctis, Doctoribus, & publicis lectoribus in Sacra Theologia in clarioribus Vniuersitatibus Hispaniæ, ac Sancti Tribunalis Inquisitionis Censoribus, & Consultoribus sub Præside Magistro Ioanne de Orbea viro nedum nobilissimo, & magnæ auctoritatis, sed & magnæ quoque experientiæ in agendis, qui quinquies idem munus exercuit, & de quo proinde bona præsumptio semper haberi debeat. Cum pro iudice semper iura præsumant. *l. vir bonus ff. iudicatum solui l. fin. Cod. ad l. Iul. repet.*

15 Secundò, quia prædicti Patres oppositores consenserunt in dictum Capitulum, eiusque electiones, non repugnantes, contradicentes, reclamantes, aut aliquid contra ipsum, vel ipsas protestantes, quin imò, vt in Actis authenticis Capituli §. *tam ergo* habetur, *acceptata fuit electio Prouincialis nemine reclamante*, & infra: *tandem solitam obedientiam nouo Prouinciali electo omnes Gremiales exhibent.* Eamdemque obedientiam præstiterunt Diffinitoribus, & Patribus tunc electis, à mense Maij, quo celebratum est dictum Capitulum vsque ad mensem Decembris, quo insurgere cœperunt contra Prouincialem, & & Priorem Matritensem. Vnde propter regulas, & textus, de quibus *supra dub. 1. num. 6.* manifestè excluduntur prædicti Patres à munere oppositorum, seu impugnatorum talium electionum.

16 Idem porrò, quæ dico de prædictis Patribus oppositoribus, qui fuerunt Gremiales ipsius Capituli, intelligendum etiam est de quodam alio Religioso, qui cum de gremio Capituli non fuerit, nihilominus etiam illud, & electiones in ipso factas impugnauit, & de quibusdam aliis eiusdem Prouinciæ alumnis. Illi enim omnes à mense Maij vsque ad mensem Decembris, Prouinciali, Diffinitoribus, & Prioribus, obedientiam, & summissionem debitam multis actibus positiuis hinc, indeque, præstiterunt, quo gratum, & ratum habuisse comprobantur præfatum Capitulum cum gestis in ipso. Regula enim Iuris, quæ est 10. videlicet, *Ratihabitionem retrotrahi & comparari mandato* in omni actu obtinet, vt notat Glossa *ibi*, & maximè Glossa *in cap. auditis de elect. vers. ex postfacto*, vbi inquit, *ratihabitionem habere etiam locum in electionibus.*

17 Nec obstat si contra dicta obiiciatur, quòd ex dicto *cap. auditis de elect.* electio inualida non ratificetur per subsequentem consensum. Ibi enim manifestè est sermo de electione facta per minorem partem Capituli, electiones verò, de quibus in præsenti, factæ fuerunt concorditer, vt ex ipsis Capituli Actis authenticis constat.

18 Tertiò, & maximè repelluntur dicti Patres à munere oppositorum, seu impugnatorum Capituli, & electionum in ipso factarum, quia scilicet causæ, quas contra ipsa obiiciebant, non fuerunt de nouo emergentes, aut de nouo panditæ, aut cognitæ, sed antiquæ, & tempore celebrationis Capituli ipsis manifestæ, & euidenter notæ. Clarè enim, & manifestè videbant, & sciebant quando Capitulum celebrabatur, quòd admittebantur vt legitimi suffragatores Socij Conuentuum, qui solùm ab habentibus viginti annos in professione erant electi, & aliqui de nouo adiuncti, & quòd erat sufficiens numerus scrutatorum, ac tandem, quòd Priores Conuentuum eligebantur in Diffinitorio ipsius Capituli, non in ipsis Conuentibus, quæ sunt causæ propter quas contendebant de nullitate Capituli, & electionum. Ex hoc autem manifestè infertur eos non potuisse admitti, vt oppositores, seu impugnatores illius, propter dicta *supra dub. 1. num. 7.* ex *cap. nulli licere de elect. in 6.* & ex decreto Reuerendissimi Generalis Stratij ibi relato.

Similiter quartò, expelli debuerunt à tali munere oppositorum, seu impugnatorum Capituli per modum appellationis, cum constet non solùm post decem dies, aut vnum mensem à celebratione Capituli, sed post sex, & amplius menses, eam appellationem fecisse. Ex hoc enim constat repellendos necessariò fuisse, cum ex *concertatione de appellat. supra dub. 1. num. 8.* relato manifestè habeatur solum intra decem dies admitti posse appellationem ab electione. Et ex *cap. statuimus de elect. in 6. & c. cupientes eod. tit.* id extendatur ad vnum mensem. Nec illis suffragari potuit, quòd dicerent se non fuisse appellantes, sed merè ad Sedem Apostolicam recurrentes. Oppositum enim constat tum ex Memorialibus ab ipsis porrectis, tum ex responsione ad Decretum Illustrissimi Hispaniarum Nuncij, nunc Eminentiss. D. Cardinalis Panzirolæ, vbi sæpiùs se appellantes ad Sedem Apostolicam vocant. 19

Quintò etiam, repelli debuerunt à dicto munere ob non seruatam formam præscriptam *in c. vt circa de elect. in 6.* quam retulimus *supra dub. 1. n. 9.* Constat enim ex prædictis Memorialibus, & aliis scriptis, in quibus suam oppositionem manifestarunt, non seruasse dictam formam, nec id fecisse instrumento publico coram authenticis personis, nec sub iuramento eo loco præscripto. 20

Idem dico propter defectum sextæ conditionis pro oppositoribus contra electionem requisitæ, de qua *supra dub. 1. numero decimo*, ex *cap. is qui contra de elect. in 6.* Constat enim prædictos Patres oppositores variasse in oppositione causarum contra validitatem Capituli, & electionum ipsius. Siquidem in scripto oblato Matriti die 4. Decembris 1642. Prouinciali dictæ Prouinciæ Castellæ solùm obiecerunt, quòd Socij Priorum non fuerunt legitimi, eo quòd electi non fuerint nisi solùm ab habentibus 20. annos in professione. In memoriali autem postea ab ipsis porrecto Reuerendissimo Patri Ordinis quando Romam venerunt, non solum prædictam causam nullitatis, sed plures etiam alias obiecerunt. In memoriali verò postea Eminentissimo D. Cardinali Protectori oblato vlteriùs addiderunt aliam causam nullitatis Capituli, & electionum ipsius, videlicet quod pro illis fuerint adiũcti aliqui suffragatores, qui de iure tales nõ erãt. Ac demum postea post duos circiter menses opponere cœperunt, defecisse tres scrutatores in dicto Capitulo, & ipsius electionibus. Ex quo manifestè elicitur ipsos varios in opponendo extitisse, ac propterea repelli debuisse: tum ex dicto *c. is qui contra*, tum ex communi dicterio de teste, scilicet *testis varius, testis falsus.* Quòd etiam opposito 21

oppositori, seu impugnatori electionis applicari potest.

22 Repelli etiam debuerunt prædicti Patres oppositores, iuxta dicta *supra dub.* 1. *num.* 12. à munere impugnatorum, propterea quòd cum ante confirmationem Capituli à Generali per litteras postulasset ne illud confirmaret, ipseque Generalis rem maturè discussisset, causasque, propter quas confirmationem negandam esse dicebant, considerasset, nihilominus ipsum confirmauit litteris datis eodem anno 1642. die 15. mensis Nouembris. Ex quibus omnibus liquidò patet præfatos PP. legitimos oppositores non fuisse in causa præsenti.

DVBIVM TERTIVM.

An in casu quo prædicti Patres legitimi oppositores Capituli essent potuisset decidi causa non citata, vel audita parte Capituli.

23 Respondeo id nullo modo fieri posse. Primò ex *cap.* 1. *de causa possess.* vbi Gregorius Papa dicit, *nec Nos contra inauditam partem aliquid possumus definire.* Vbi verbum (*potest*) negatione præposita, importat necessitatem, vt ibi Panormit. *numero* 4. & Iason. *l. Gallus ff. de liber. & posthum. numero decimoseptimo.* Glossa *capit.* 1. *de regul. Iuris in* 6. *versic. non potest.* De quo DD. *in d. capit.* 1. specialiter Ioann. Andr. Innocent. Imola, Hostiensis, & Ancharanus. Secundò, ex *cap.* 1. *de feudis sine culp. non amit.* vbi dicitur, *non debet quis priuari feudo etiam per Principem antequam de culpa sit conuictus.* & Clement. *pastoralis de sentent. & re ind. versic. nec prædicta suppletio*, vbi dicitur. *Imperatorem non posse supplere citationem, quia est de iure naturali*, & 2. *quæst.* 1. *cap. Deus*, vbi dicitur, *Deum noluisse punire peccata Sodomorum, nisi descenderet, & videret, nec Adam, nisi prius eo vocato, & eius defensione audita.* Et *cap. caueant, & cap. omnia* 3. *quæst.* 9. vbi habetur, *sententiam absque citatione nullam esse.* Tertiò, ratione, quia citatio partis vt se defendat, est radix, & initium omnium litium. *Institut. de pœn. tem. litig. §. finali, & part.* 3. *tit.* 7. *initio.* Ergo velle sententiam ferre contra partem inauditam, est fundamentum totius processus iudicialis euertere. Quartò, quia citare partem vt se defendat est de iure naturæ, quòd dictat, vnicuique locum se tuendi concedendum esse. Item ius naturæ dictat ante sententiam esse plenè, & perfectè cognoscendam culpam, quod effici non potest nisi pars citetur, & audiatur, an aliquid habeat quo à culpa purgetur. Sed Princeps immutare nequit ius naturæ, ergo non potest contra inauditam partem procedere. Hanc proinde conclusionem tenet Gloss. *Extrauag.* 1. *de dolo, & contum. verbo Non obstantibus*, vbi dicit, *partis citationem esse de iure naturæ, contra quam nullus Princeps procedere potest.* Panormit. *capit.* 1. *de causa possess. numero quarto & quinto*, vbi hæc dicit: *Etiam Princeps non potest supplere defectum citationis, nec valeat sententia per Principem sine citatione lata, quia est contra ius naturæ non citare partem, & citatione præcedente, & causa cognitione præsumendum est pro Principe, & non aliter.* Hæc Panormitan. Qui & refert Cardin. Et idem Panormitanus, *capitul. inter quatuor. de maior. & obedient. numero primo*, vbi inquit: *De absoluta potestate potest Princeps procedere absque citatione in iis, quæ sunt in potestate ipsius Principis, secus, in quibus non habet plenam dispositionem, quia tollere citationem est tollere defensionem, quæ est de iure naturæ.* Et Iason. *dicta l. Gallus numero decimooctauo*, vbi dicit: *Nec Papam posse de plenitudine potestatis omittere citationem, quia est contra ius naturæ.* Idem Angel. *l. si accusatorib. Cod. de accus.* & Glossa *l. fin. Cod. de legib. vers. quò minus*, & ibi Bald. *numero primo, & l. cum Fratrem Cod. de iis quibus, vt indig.* Couarr. *quæstione pract. cap.* 23. *numero sexto.* Rebuffus *repetition. capit.* 1. *de possess. versic. sextò nota.* Pinellus plures referens *Codic. de rescind. vendit.* 11. *p. rubrica cap.* 2. *num.* 11. Alexand. *cons.* 5. *volum.* 2. *num.* 2. Oldradus, Maranta, Aretinus, Felynus, & alij Iuristæ. Quibus iunge ex Theologis Sotum *lib.* 5. *de iust. quæst.* 3. *art.* 3. *ad* 1. *versic. at vero vtrum*, vbi inquit *si Princeps citra iudicij formam, & ordinem aliquid imperet, nefas est, nec parendum est illi, quia Princeps tenetur ordine iudiciario.* Caiet. *verbo Homicidium*, Mirandam *de Ordine iudiciar. quæst.* 14. & alios.

24 Specialiter in materia electionis quòd ea non possit cassari nisi citatis, & auditis electis, habetur ex *cap. vltim. de elect. in* 6. vbi Doctores communiter. Viuianus *de Iure patronat. lib.* 9. *capit.* 1. *numero vigesimoquarto*, maximè Rota in vna Illerdensi *electionis Abbat.* coram D. Roxas 2. Iunij 1636. ex Caualer. *decis.* 376. *num.* 1. De quo etiam Rotæ decisio in *recent. decis.* 139. *num.* 7. *part.* 7. & Portell. *in Respons. part.* 2. *cas.* 4. *num.* 3. Ad minus id est clarissimum quando electio est in conformitate facta, confirmata, & in possessione posita, ac reclamantibus electis, provt erat in præsenti.

25 Nec obstat, Panormitan. *cap. cum olim de sentent. & re iudicat. numero vigesimo, & cap. causam de rescript. numero* 3. Rebuffum *vbi supra*, Felynum *dicto cap. cum olim numero vndecimo.* Marantam *de Ordine iudic.* 6. *p. verbo Caietano num.* 3. & quosdam alios, quos retuli, & ex parte secutus sum *supra Summ. verb. Iudex, & iudicium Regular. numero* 17. dixisse, posse aliquando Iudicem contra partem non citatam, nec auditam procedere. Nam, vt ipsos legenti constabit, loquuntur in casu, quo crimen est notorium, & liquidò, ac certò constat nullam defensionem esse reo, quòd non procedit in proposito, vt euidenter constabit, euacuando ea, quæ Patres oppositores Capituli obiiciebant.

26 Quare audiri non meruerunt aliqui insinuantes potuisse Eminentissimum D. Cardinalem Protectorem huius causæ, Iudicem, vel etiam Reuerendissimum Generalem, electiones in dicto Capitulo factas extraiudicialiter, & sine strepitu iudicij, non auditis electis irritare, & cassare. Id enim contra Ius naturale, diuinum, & humanum esset. Cum enim tales electiones non solùm in concordia factæ fuissent, sed etiam à Superiori confirmatæ essent, & per confirmationem adquisiuerint electi Ius in officiis, ad quæ fuerunt electi, & in ipsorum possessione per multos menses fuerint, & contradicerent tali causæ discussioni ipsis non citatis, aut non auditis, proculdubio nihil potuit in causæ decisione agi sine ipsorum citatione. *c. nostri, & c. qualiter de elect. & cap. dudum de præbend. cap. fin. de elect. l.* 6. Petrus Gregorius *in partit. Iuris cap. non tract. de elect. num.* 4. Portellus *supra.*

DVBIVM QVARTVM.

Quod mandatum, vel procuratio requirebatur, vt aliquis esset legitimus procurator Romæ pro Capituli defensione.

27 SVppono, causas electionis agitari posse per procuratores tam partis impugnantis, quam defendentis. Ita enim habetur ex *cap.1. de elect. in 6.* vbi etiam terminis illis præfigitur ad prosequendam appellationem. Doctores communiter ibi. Layman *supra quæst.117. & quæst.118.*

28 Quo posito ad dubium propositum respondeo, procurationem, seu mandatum, quod requirebatur, vt aliquis esset legitimus procurator Romæ pro dicti Capituli defensione debere esse ab omnibus electis in ipso ad aliquod officium, videlicet Prouinciali, quatuor Diffinitoribus, Prioribus, &c. vel saltem ab iis, qui repræsentant totam prouinciam, scilicet Diffinitorio ipsius, quod conflatur ex prouinciali, quatuor Diffinitoribus, & Socio, seu Secretario.

29 Ratio primæ partis est, quia procurator legitimus est ille, qui à parte principali interesse habente accepit mandatum. Etenim iuxta Vlpianum *in leg.1. ff. de procurat.* procurator est, *qui aliena negotia mandato domini administrat.* Et infrà: *Qui rebus suis ipsi superesse, vel nolunt, vel non possunt, per alios possunt, vel agere, vel conueniri.* Certum autem est principalem partem interesse habentem in dicto Capitulo fuisse electos in illo ad aliquod officium. Ergo. Confirmatur ex Regula illa 29. inter Regulas iuris, quæ sumitur ex *l.1. & vlt. C. de auth. præst. & ex l. per fundũ 11. ff. de seruit. rustic. præd.* videlicet, *Quod, omnes tangit debet ab omnibus approbari.* Constat autem negotium illius Capituli tangere omnes illos, qui in eo electi fuerunt ad aliquod officium in Religione, ac proinde procuratorem legitimum in hac causa illum fuisse, qui ab illis habuisset mandatum, seu procurationem.

30 Ratio etiam secundæ est, quòd idem, quod fit à principali, fieri etiam potest ab eo, qui ipsum repræsentat, vt patet in Vicario, Delegato Commissario, Procuratore, &c. Cum autem Diffinitorium repræsentet totam Prouinciam, vt colligitur ex nostris Constitutionibus *part.4. c.19. num.1.2.11.13. & 14.* ac *cap.20.* præsertim *n.4.* ideo habens procurationem, seu mandatum à dicto Diffinitorio censeri debuit habere illud à tota Prouincia, ac per consequens ab Officialibus in dicto Capitulo electis.

31 Videtur autem necessarium fuisse in tali casu quòd omnes Gremiales Diffinitorij, Prouinciales scilicet, & Diffinitores conuenirent in designatione procuratoris; nec sufficere quòd maior pars ipsorum id faceret. Ratio est, quia, licet ad statuendum ea, quæ pertinent ad omnes vt vniuersos, vel in communi, sufficiat consensus maioris partis *capit. cum in cunctis de iis quæ fiunt à maiori parte Capituli & c. auditis de elect.* nihilominus ad statuendum ea, quæ spectant ad omnes & singulos, seu in particulari, quale est in hoc casu constitutio procuratoris; siquidem omnes de Gremio Diffinitorij sunt electi in tali Capitulo, requiritur consensus singulorum, ita vt in his habeat veram Regulam iur. *in 6.* adductam: *Quod omnes tangit debet ab omnibus approbari. cap. cum omnes de constit. l. per fundum ff. de seruit. rustic.* Glossa *in d. cap. cum omnes verbo Constitutum*, Angelus, Syluester, & alij Summistæ *verbo Capitulum*, & DD. communiter, quos refert Barbosa *in d. cap. cum omnes & super d. Regulam quod omnes tangit.*

Imò etiam videtur necessarium fuisse ad designationem talis procuratoris, quòd fieret à dicto Diffinitorio per modum Diffinitorij, congregato, scilicet ad sonitum campanellæ, loco, & aliis circunstantiis, quæ secundùm consuetudinem Religionis obseruantur ad actiones Diffinitoriales. Hoc enim commune est omnibus, quæ fiunt à Collegio, Capitulo, Diffinitorio, &c. vt talibus. [Vbi enim actus expediendus est de consensu alicuius Collegij, seu Communitatis, non sufficit illos de Collegio separatim consentire, sed necessariò requiritur vt in vnum congregati collegialiter consentiant, alias actus est nullus, *cap. In Genes. elect. & lib.1. Cod. de decim. lib.10.* Panormitan. *cum Ecclesia. numero decimoquarto de caus. possess. cap. Eccles. 1. numero 2. de sortileg. cap. Quia propter num.12. de elect. & c. Cum omnes num.5. de constit.* vbi latè Felyn. *num.24.* Gonzalez *super Regul.8. Cancellar. gloss.47. num.64.* Sigismundus de Bononia *de elect. dub.111. num.3.* ex Rotæ decisione, & aliis Auctoribus. Quod etiam ex eisdem fundamentis sequitur Tamburinus *de Iure Abbatum tom.3. disp.1. quæsit.3. num.7.*] 32

Illud certius, procuratorem taliter constitutum potuisse renuere acceptare talem procurationem, & illam recusare. Ratio est, quia mandatum est contractus à mandatore, & mandatario sponte initus, & nemo inuitus cogitur ad procurandum pro alio. *lege 1. ff. de mandat. l. inuitus Cod. de Procuratorib.* Azor. *tom.3. Institut. moral. libro 9. cap.5.* Bonacina *de Contractibus disputatione prima, quæstione secunda punct.6. numero vndecimo.* Layman. *libro tertio sectione quinta, tractatu quarto, capit.26. numero nono.* Barbosa *de Offic. & potest. Episcop. Allegat.79. numero trigesimoquinto*, post alios, quos refert. Credo nihilominus, quòd si talis procurator esset eiusdem Religionis posset cogi à Superiori ipsius ad acceptandum tale mandatum, eo quòd, iuxta dicta *tom.1. n.1. cap.4.* ex vi voti obedientiæ obligatur Religiosus ad obediendum in rebus licitis, & honestis, & quæ concernunt Regulam, quale est hoc, vt munus procuratoris gereret pro defensione Capituli suæ Religionis. 33

Credo etiam Procuratorem Generalem nostri Ordinis potuisse suscipere talis causæ defensionem, tum ex vi sui muneris, quòd est defendere Religionem, tum propter priuilegium Bonifacij noni pro Prædicatoribus, quod retuli *supra verbo Procuratores Religionum numero 4.* in quo Procuratoribus Generalibus conceditur facultas assumendi quascunque causas Ordinis, etiam in iis, in quibus requiritur speciale mandatum, perinde ac si ab iis, ad quos interest, data esset omnimoda potestas. Idque supponitur à Rota in vna Theatina *Iurisdictionis* coram D. Coccino anno 1614. vbi habetur, Procuratores Generales Religionum communicantium in priuilegiis cum Dominicanis posse vti concessione Bonifacij IX. relata. Oporteret tamen rectè instructum esse in causa ipsa, alias non posset nec licitè nec validè eam assumere. 34

Dubium Quintum.

An prædictum Capitulum, & eius electiones annullari deberent, eò quòd Socij Conuentuum, qui in eis vocem habuerunt, non fuissent electi ab omnibus in Sacris constitutis.

35 Svppono ex dictis *tomo primo parte prima cap.15. numero quarto*, ad electiones, quæ fiunt inter Regulares, admitti vt electores Clericos omnes in Sacris constitutos, provt ex *cap. ex eo de elect. in 6.* & Clement. *Vt ij de ætat. & qualit.* ac Concil. Trident. *sessione 22. cap.4.* dixi eo loco. Id etiam videtur esse de iure communi Religionis. Nam *parte 4. cap.24. numero primo*, dicitur excludendos esse ab electionibus professos qui in Sacris non existunt. Ex quo denotatur quòd omnes in Sacris existentes admitti debeant.

36 Nihilominus dicendum, propter ius particulare illius Prouinciæ non potuisse, nec debuisse ad electionem Sociorum Priorum iturorum ad capitulum Prouinciale admitti omnes in Sacris constitutos, sed solùm illos, qui viginti annos in professione habebant, ac proinde non propterea Capitulum Prouinciale prædictum, aut electiones in ipso factas impugnari posse.

37 Et primò, antequam id probetur, nullatenus audiendos fuisse prædictos Patres oppositores in hoc, non solùm liquidò habetur ex dictis toto dubio primo & secundo; sed specialiter ex eo quòd in Actis prædicti capituli in authentica forma ad Generalem Romam trasmissis §. *Tunc Reuerendiss. Pater* sic habetur. *Et statim rationem posuit* (scilicet Præsidens) *cum Sociis Conuentuum, & ipsi litteras, in quibus status eorum, & bonorum eorumdem continebantur, exhibuerunt, quibus iam examinatis interrogauit: An quis esset qui impedimento aliquo Canonico, voce actiua, aut passiua esset priuatus & nemine reclamante omnes habiles inuenti sunt, & vt tales reputati à R. P. Præside.* Nullo ergo iure dicti Patres oppositores dicere potuerunt præfatos Socios Priorum illegitimos suffragatores fuisse, siquidem expresse, vel tacitè, ipsi, qui erant Gremiales Capituli, eos in eodem Capitulo *nemine reclamante* habiles inuenerunt. Procedunt enim contra illos adducta *supra dub. primo, & secundo*, & præsertim Regulæ illæ Iuris: *Quod semel placuit amplius displicere non potuit.* & illa *Mutare consilium quis non potest in alterius detrimentum*, ac illa *Nullus potest venire contra factum suum.*

38 Deinde planè conuincitur, quòd hic modus eligendi Socios debuerit omnino obseruari in Prouincia Castellæ. Cum enim prius diuisa esset in duas Prouincias, quarum vna Castellæ nouæ & altera Castellæ veteris vocabatur, vnitæ fuerunt auctoritate Pontificia, Regia, & ordinaria Generalis in vnam Prouinciam Castellæ cum certis pactis, & conditionibus, quarum vna fuit *numero 13.* quòd solùm haberent vocem in electione sociorum Priorum iturorum ad Capitulum Prouinciale illi, qui habuissent viginti annos in professione, & quòd si alio modo fieret talis electio esset irrita, & omnino nulla ipso facto. Hæc autem conditio habebat robur, & firmitatem, primo, quia facta est à Commissariis vtriusque Prouinciæ nomine Religiosorum ipsius, qui proinde cesserunt iuri suo, si quod habebant, ad oppositum. Secundò, quia facta est auctoritate ordinaria Generalis, qui, iuxta Constit. Ordinis *part.2. cap.1. num.9. & 11.* non solùm habet facultatem dispensandi in Constitutionibus Ordinis ex legitima causa; sed etiam (quod est maximè notandum) habet totam auctoritatem, quam habet Capitulum Generale, præter quam in tribus casibus, in quibus non includitur iste. Constat autem euidenter potuisse Capitulum Generale facere prædictam conditionem pro bono regimine Religionis. Tertiò, & præcipuè, ex eò quòd prædicta conditio facta fuit ex vi Breuis Sanctissimi Domini Nostri Vrbani 30. Augusti 1636. in quo conceditur auctoritas dicto Theodoro generali eligendi aliquem Religiosum in Vicarium Generalem cum auctoritate Prouincialis vtriusque prædictæ Prouinciæ absoluendi à suis Prouincialatus Officiis, si illa sponte renuntiare *recusauerint, dictasque duas Prouincias in vnam Castellæ Prouinciam vnire cum illis pactis, & conditionibus, in quibus Fratres vnius, & alterius Prouinciæ Castellæ conuenerint.* Et postea in fine additur: *Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, dictique Ordinis, &c. statutis & consuetudinibus, &c.* Quartò, quia huiusmodi conditio cum aliis recepta, & approbata fuit à Gremialibus vtriusque Prouinciæ Congregatis in Capitulo prouinciali Matriti celebrato 17. Octobris 1638. instrumento etiam facto coram Illustrissimo Domino Nuncio Hispaniarum tunc temporis Domino Campeggio, & eius Notariis. Gremialem autem Prouinciæ omnes Fratres ipsius repræsentant, ac per consequens potuerunt recipere, & approbare prædictam conditionem cum aliis. Denique quintò, quia Magister Michaël Nauarrus eo tempore Prouincialis curare debebat prædictam conditionem simul cum aliis seruari ex vi iuramenti præstiti in Capitulo Prouinciali Matritensi anni 1638. in quo fuerat electus. Vt enim constat ex Actis authenticis eiusdem Capit. §. *Deinde* post suam in Prouincialem electionem genuflexus in conspectu omnium Capitularium fecit iuramentum iuxta formam præscriptam in pactis, & conditionibus vnionis seruandi inuiolabiliter in vtroque foro prædicta pacta, & conditiones, inter quas erat ista.

Etsi autem confirmatione à generali non egeret, vtpote, quia facta fuit auctoritate Apostolica Papæ, auctoritate etiam ordinaria generalis, auctoritate insuper Vicarij Apostolici, & Generalis, consentientibus, & approbantibus gremialibus vtriusque Prouinciæ, qui illam totam repræsentant, vt præmissum est; nihilominus ab eodem generali confirmata fuit Litteris patentibus datis 8. Ianuarij 1639. Constat enim ex Actis authenticis Capituli intermedij eiusdem Prouinciæ celebrati in Conuentu Vallis-morensi 28. Aprilis 1340. §. *Deinde.* Prouincialem exhibuisse Diffinitorio litteras eiusdem generalis continentes confirmationem vnionis inter vtramque Castellam, & confirmationem legum, & conditionum sub quibus facta fuit vnio. Cui consonant Epistolæ eiusdem generalis ad Prouincialem eiusdem Prouinciæ, & ad Magistrum Orbeam Præsidem Capituli, de quo est controuersia, & ipsorum ad generalem, quæ partim apud illos, partim in Registris litterarum pro Hispania cernuntur; ex quibus habetur hanc conditionem confirmatam fuisse cum cæteris à prædicto Reuerendissimo, simulque voluisse, vt ea executioni mandaretur. Idem etiam corroborat quòd huiusmodi etiam conditio innouata fuit in Capitulo Prouinciali, de quo est controuersia §. *tertia conditio,* 39

conditio, quòd nullatenus fieret, si ea à præfato generali reprobata fuisset, vel non confirmata. Imò cum innouatio dictæ conditionis facta sit annuentibus, consentientibus, & subscribentibus dictis PP. oppositoribus, vt patet ex actis dicti capituli, ideo nullatenus audiri poterant contra ipsam, propter dicta *supra dub.* 1. *&* 2.

40 Nec obstat, quòd obiiciebant Patres oppositores contra præfatam, & alias conditiones vnionis, esse videlicet contra præfatum Breue Sanctissimi; eo quòd in ipso Papa concedat facultatē Vicario generali à generali deputato vniendi dictas Prouincias, & conuocandi ad Capitulum Prouinciale *pro noui Prouincialis electione, aliisque omnibus, & singulis faciendis, quæ in Capitulis Prouincialibus dicti Ordinis iuxta illius Cōstitutiones Apostolica auctoritate confirmata fieri solent.* Ex eo inferentes hanc conditionem inualidam esse, eò quòd contraria sit constitutionibus Ordinis. Sed futilem fuisse hanc obiectionem constat primò, quia, vt manifestè liquet ex ipso Breui ibi solùm loquitur Pontifex de Capitulo Prouinciali celebrato anno 1638. in quo completa fuit vnio Prouinciarum, non de capitulo celebrato anno 1642. de quo modo est controuersia. Secundò, quia ibi nihil præcipit, aut disponit, sed solùm refert, quæ fieri solent in capitulis Prouincialibus; nec in verbis adductis dicitur *fieri debent*, sed *fieri solent*. Vnde argumentum ex prædicto Breui SS. sumptum, nullius momenti esse comprobatur.

41 Nec etiam obstant adducta in principio huius dubij ex Iure communi, & constitutionibus nostræ Religionis; non solùm, quia ibi, maximè in Iuribus relatis ex Iure communi, solùm videtur permitti, aut concedi quod omnes Clerici adsint electionibus, non verò præcipi, sed etiam, & præcipuè, ex eo quòd, vt patet ex Breui Sanctissimi adducto *supra num.* 38. idem Sanctissimus concedit facultatem reuniendi dictas Prouincias in vnam, cum illis pactis, & conditionibus, *in quibus Fratres vnius, & alterius Prouinciæ conuenerint*: addendo in fine, *non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, dictique ordinis statutis, & consuetudinibus.* Per hæc enim satis denotatur ex vi authoritatis à Papa concessæ potuisse dictos Religiosos statuere hanc conditionem pro vnione Prouinciarum, non obstantibus Iure communi, aut constitutionibus Ordinis.

Dvbivm Sextvm.

An prædictum Capitulum, & eius electiones inualidæ fuerint propter vota quædam in illo adiuncta.

42 Extollebant præterea Patres oppositores obiectionem aliam contra validitatem capituli, videlicet quòd, vt constat ex Actis ipsius, in eo numerantur quinquaginta Gremiales: cum tamen, iuxta ipsorum computationem, tot nequiuerint esse. Vnde dicebant suppletum fuisse numerum aliquorum absentium contra Concilium Tridentinum *sessione* 25. *capite* 6. *de Regularibus*, ac per consequens electiones inualidas fuisse, & suffragatores adiunctos inhabiles postea ad omnia officia Ordinis. Dicit enim Concilium. *Nec in posterum liceat Prouinciales, aut Abbates, Priores, aut alios quoscunque titulares ad effectum electionis faciendæ constituere, aut voces, & suffragia absentium supplere. Si verò contra huius decreti Constitut. aliquis electus fuerit, electio irrita sit; & is, qui ad hunc effectum se in Prouincialem, Abbatem, aut Priorem creari permiserit, deinceps ad omnia officia in Religione obtinenda inhabilis existat, facultatesque super his concessæ eo ipso abrogatæ censeantur, & si in posterum aliæ concedantur, tanquam subreptitiæ habeantur.*

Hanc tamen obiectionem nullius momenti esse liquido suadetur. Et primò quidem, cum nihil constaret de eo quòd opponebatur, nec per testes idoneos, instrumenta authentica, aut processum formatum, proculdubio Patribus oppositoribus credendum non erat. Sed si circa id fuisset aliquod dubium, citanda, & audienda esset pars capituli, provt Iuris est, iuxta dicta *supra dubio* 3. Interim tamen secundò, audiri non debuisse præfatos Patres, conuincitur, tum propter superius dicta *dub.* 2. tum specialiter, quia ipsimet personaliter assistentes electioni Prouincialis, in qua vocem habuerunt prædicti quinquaginta suffragatores, eam, vt legitimam, & Canonicam (idem dico de electione Diffinitorum) acceptarunt, & approbarunt. Vt enim constat ex verbis dictorum Actorum authenticorum capituli §. *iam ergo*, facta electione Prouincialis, *acceptatur* electio à R. P. *Præside*, *nemine reclamante*, *&*, *vt canonica est habita.* Subditur postea, *& tandem solitam obedientiam nouo prouinciali electo omnes Gremiales exhibent.* Quam etiam exhibuerunt per sex menses post capitulum celebratum. Et sanè tertio, cum, iuxta Iura, & antiquam Ordinis consuetudinem, provt colligitur ex Formula celebrandi Capitula Prouincialia §. 21. & 26. quam retuli *supra num.* 7. finito scrutinio pro electione Prouincialis, & diffinitorum, Præsidens Capituli interroget gremiales an habeant illam electionem, vt legitimam, & prædicti Patres, qui gremiales etiam erant, nihil dixerint, quin potiùs prædictas electiones acceptauerint, & approbauerint, proculdubio signum euidens est nullum illegitimum suffragatorem ad præfatas electiones admissum fuisse. 43

Ad maiorem etiam abundantiam, & tollendum omnem scrupulum, dico, potuisse Patres illius capituli ex vi vnius conditionis præfatæ vnionis *num.* 9 (quæ erat quòd, vt in capitulis Prouincialibus essent semper paria vota vtriusque Prouinciæ vnitæ, scilicet, Castellæ nouæ, & veteris, possent Patres illius partis Prouinciæ, quæ habebat minora vota eligere sibi tot suffragatores, quot essent necessarij ad adæquandum vota, seu suffragatores alterius partis) eligere, seu creare aliquot suffragatores. Quod fecerunt vtentes iure præfatæ conditionis factæ authoritate Apostolica Papæ, ordinaria Generalis, & delegata Vicarij Generalis Apostolici, consentientibus non solùm Commissariis vtriusque Prouinciæ, sed etiam Gremialibus illius totam Prouinciam repræsentantibus, vt dictum est *supra dub.* 5. *num.* 38. Hoc autem licitum esse constat ex declaratione quadam Sacræ Congregationis, quæ habetur simul cum aliis in Codice antiquo in Bibliotheca Traspontinæ de Vrbe reseruato, vbi sic: *Cum Fratres Sancti Augustini postulassent declarari an institutio vocum, quæ non fit per creationem nouorum titularium, neque per supplementum vocum absentium, sed per habilitationem eorum, qui cum non essent vocales efficerentur vocales, sit contra Concilium; Congregatio inclinauit non esse contra Concilium.* 44

Quod ergo dicebant huiusmodi adiunctionem votorum 45

votorum esse suppletionem votorum absentium sine ratione dicebatur, cum pariter dicere possent factam fuisse ad supplenda vota eorum, qui è vita discesserant. Non enim talis electio, seu institutio illorum suffragatorum fuit ad supplendum vota absentium (quod prohibet Concilium, & non ignorabant docti illi Patres Capitulares) nec ad supplendum vota defunctorum, sed præcisè, solùm, & formaliter ad adæquandum vota vnius partis Prouinciæ cum votis alterius, prout poterant, & debebant facere, ex vi præfatæ conditionis.

46 Nec obstat si dicatur hanc conditionem non fuisse confirmatam à Generali Stratio, quin potius fuisse ab eo reprobatam, quia videbatur contraria Concilio Tridentino. Respondeo enim non constasse de tali non confirmatione, seu reprobatione; & dato quòd de illa constasset, adhuc executioni mandari potuisset. Tum quia cum illa facta fuerit ex vi Breuis Sanctissimi, de quo supra, authoritate etiam generalis, & Vicarij generalis ab ipso instituti, ac acceptata & recepta à toto gremio capituli, non videbatur necessaria confirmatio generalis, cum nullo Iure id probetur; & dato quòd ab ipso reprobata fuisset, solùm censeri debebat reprobata, quatenus contraria præsumebatur esse Concilio Tridentino, videlicet, si per illam intenderentur supplere voces absentium, non alio modo. Quare, cum prædicta votorum adiunctio facta non fuerit ad supplendas voces absentium, cessaret præsumptio generalis reprobantis illam, ac per consequens executioni mandari posset. Vt enim dixi *supra verbo Leges Regularium numero* 61. quando lex fundatur in præsumptione alicuius facti, vel defectus, seu delicti, si præsumptio cessat, eo quòd de contraria veritate constat, cessat etiam obligatio legis.

47 Addendum ad maiorem etiam abundantiam, quòd casu dato, & non concesso, quòd Patres illi capitulares supplerent votum alicuius absentis, cum id non fecerint propria authoritate, sed legitimè & ex vi præfatæ conditionis, authoritate Pontificia, ordinaria, & delegata, vt præmissum est, nihil omnino contra mentem Concilij fecissent. Concilij enim intentio, dum negat vota absentium suppleri posse, solùm est, ne id fiat illegitimè, & authoritate solius Præsidentis Capituli, prout habent Rodriguez *tom.* 2. *quæst. Regul. qu.* 51. *art.* 6. Miranda 2. *tom. Man. prælator. qu.* 23. *art.* 7. Iulius Laurorius *cap.* 17. *num.* 33. Franciscus Bordonus *Resolut.* 26. *num.* 6. Thesaurus *in Praxi part.* 2. *cap.* 11. §. *nota tertio.* Referam autem Rodriguez, & Mirandæ verba, quos alij sequuntur. Rodriguez ergo sic habet: *Concilium enim solùm tollit consuetudinem quamdam antiquam, quæ in aliquibus Religionibus præsidentes in Capitulo vota absentium propria authoritate supplebant, dicendo, hic loco talis prouincialis substituatur, & hic loco alterius, ad effectum electionis faciendæ, quod in magnum Religionis vertebatur detrimentum; cum hoc modo electiones non secundum Deum fieri contingeret.* Miranda verò sic: *Mens ergo, atque intentio supradicti Concilij loco præallegato tantum fuit tollere, ac penitus amouere deprauatam quamdam antiquam consuetudinem, quam habebant Superiores, & Præsidentes in Capitulis ad effectum suarum faciendarum electionum, absentium vota supplendi, & votum, & vocem cui volebant tribuendi propria sua authoritate dicendo illi; Tu esto Prouincialis talis Prouinciæ loco absentis, nam ego te substituo, & sic de aliis, &c. Quod quidem vergebat in magnam electionum fraudem, atque Religionum omnium detrimentum Hoc itaque tantummodo fuit vetitum, atque prohibitum per supradictum Concil. Trid.*

Adde tamen, etiam ad maiorem abundantiam, prædictam adiunctionem votorum licitam, & legitimam fuisse. Quod probatur ex Reg. quadam à Doctoribus recepta ex *cap. vnico de sponsat. impuber. in* 6. scilicet, quòd *quando actus non valet eo modo, quo fit, valet eo modo, quo valere potest.* Propterea enim ibi deciditur Matrimonium impuberum, quod ratione ætatis non valet, valere vt sponsalia: quia hoc modo valere potest. Vbi Glossa *ibidem versicul. Matrimonium* ait, *si non valet vt ago, valet vt valere potest.* Et ita hanc Regulam vt certam supponit Sanchez *lib.* 5. *in Decalog. cap.* 4. *num.* 104. *&* 105. ex aliis, & ex ea deduxi *tom.* 1. *part.* 1. *cap.* 2. *num.* 28. professionem nullam ex defectu facultatis in acceptante illam, vel propter seruitutem, aut similes causas, saltem valere, vt votum simplex. Quod si professio ob defectum ætatis, aut anni nouitiatus nulla, non valet, neque, vt votum simplex, ideo est, quia Concilium Trident. ita disposuit, iuxta dicta eo loco; si enim ita non disposuisset, valeret vtique ex vi dictæ Regulæ. Ex ea autem ad propositum efficaciter sic argumentari licet. Admisso, & non concesso illam adiunctionem votorum non valuisse præcisè, vt talem, nec ex vi conditionis factæ in vnione Prouinciarum, nihilominus quia facta est à toto gremio Capituli, nemine reclamante, aut contradicente, proculdubio valere debuit propter Regulam adductam in quantum valere potuit. Potuit tamen valere in ratione institutionis, seu creationis nouorum votorum, ergo valuit hoc modo. Potuisse autem valere dictam adiunctionem votorum in ratione creationis, seu institutionis nouorum votorum, constat non solum ex declaratione Sacr. Congregationis relatis *supra num.* 44. vbi id clare habetur, sed etiam, quia iuxta communem doctrinam quam tradidi *tom.* 1. *part.* 1. *cap.* 15. *num.* 20. omnes vnanimiter de Capitulo nemine discrepante possunt admittere extraneum ad eligendum cum eis: prout tenent Panormitanus *in cap. scriptum de elect. num.* 3. *& in cap. cum Vintoniensis eodem numero & titulo.* Nauarrus *lib.* 5. *Consilior. de Simonia Consil.* 9. Passarellus *in Scholiis de elect. dub.* 6. & Peyrinis *tom.* 1. *de Subdit quæst.* 1. *cap.* 31. §. 8. *conclus.* Et ratio est, quia sicut omnes vnanimiter de Capitulo possunt totam potestatem eligendi in compromissarios transferre, iuxta dicta eo *cap.* 15. *num.* 11. ex *cap. Quia propter de elect.* multò magis poterunt communicare aliis, vt cum eis coëligant. Valuit ergo prædicta adiunctio votorum saltem isto modo, ac per consequens oppositio ex hoc capite petita nulla censeri debuit. 48

DVBIVM SEPTIMVM.

An tale Capitulum, & electiones in ipso factæ annullari deberent ob non seruatam formam Capitis, Quia propter, de elect. maximè quoad numerum Scrutatorum.

SVppono ex dictis *tom.* 1. *cap.* 15. *num.* 11. & *tom.* 2. *cap.* 12. *num.* 25. & præsertim *tom.* 3. *verbo Electio inter Regulares num.* 2. in electionibus Prælatorum Regularium obseruari debere formam præscriptam in *cap. Quia propter de elect.* Videlicet, de tribus Scrutatoribus assumendis pro ipsis, qui singulorum eligentium 49

eligentium vota exquirerent, & postea publicarent, propter plures Sac. Rotæ decisiones eo loco relatas, vbi etiam, & eodem *supra verbo Capitulum num.4.* qualiter nullum capitulum possit alterare, immutare, aut supplere dictam formam eo *c. Quia propter* designatam.

50 Ex quo magnum sibi argumentum contra validitatem capituli, de quo modo agitur, & electionum in ipso factarum, desumere videbantur Patres oppositores. Credebant enim tantùm in eo fuisse vnum Scrutatorem designatum, & non tres, eo quòd in Actis Capituli ipsius §. *Sabbato adueniente*, dicatur, cum esset sermo de electione Diffinitorum. *Et statim ad ipsam proceditur per suffragia secreta, instituto iam scrutatore R. P. M. Ioanne de Erias ad ipsa suffragia regulanda.*

51 Hanc verò prætensam nullitatem multa eneruant. Primum quidem, quia ibi non dicitur hunc tantum Scrutatorem institutum esse, sed illum fuisse institutum ad *Suffragia regulanda*, quo denotatur institutos esse alios duos scrutatores simul cum ipso, sed huic soli commissum fuisse, vt potè viro ætate, grauitate, & morum probitate claro, regulare suffragia, id est: vel scribere in cartula nomina eorum, qui eligebantur, vt postea constaret quinam haberet plura vota, vel extrahere vota ex vrna, numerare, & euoluere, quòd vni ex Scrutatoribus committitur in Formula celebrandi capitula, de qua *supra num.7.* §.19. esto alij Scrutatores cum ipso vota suffragantium exquirerent, viderent, & in scriptis redacta publicarent, quæ sunt duo munia Scrutatorum ex eodem *cap. Quia propter.*

52 Redigere autem vota in scriptis, seu scribere nomina eorum, qui eliguntur, quòd potest dici, illa regulare, per vnum ex scrutatoribus fieri debet, vt aduertunt Abbas *in d. c. Quia propter num.9.* & Sigismund. de Bonon. *supra dub.21. num.16.* Non explicatur autem hoc in prædictis Actis capituli, quia in ipsis non referuntur per extensum, & ad longum gesta in ipso, solùm strictè, summariè, & imperfectè. Constat enim ex ipsis ea non esse perfecta, & completa, sed manca, mutila, & imperfecta (in quo sanè reprehensione digni, qui in causa fuerunt quòd sic fierent.) Secundo, quia, cum Patres illius capituli in celebratione ipsius obseruauerint formulam dictam celebrandi capitulum Prouinciale à Generali Stratio illis traditam, proculdubio designarunt tres Scrutatores pro electionibus, quia ita præscribitur in dicta formula §. 16.

53 Tertiò, quia cum electiones factæ in dicto capitulo celebratæ fuissent de consensu omnium eligentium, nemine reclamante, contradicente, aut protestante in contrarium, quin potius cunctis verbo, & opere acceptantibus, & recipientibus electiones, & electos per ipsas, non solum tempore capituli, sed multo etiam post illud, euidenter etiam denotatur non contigisse hunc errorem in electionibus ipsius, aliàs Patres aduersarij, nisi cæci essent, reclamassent, vel monuissent Præsidem, ne committeretur tam grandis error, quòd nullatenus fecerunt, nisi solummodo Romæ existentes, & nouas oppositiones contra Capitulum quæritantes.

54 Quartò, quia id quod dicitur de vno Scrutatore designato in prædictis actis Capituli solùm est pro electione Diffinitorum, non pro electione Prouincialis, aut aliorum Prælatorum: quia pro horum electione in dictis Actis, vt potè imperfectis, & mutilis (vt dictum est) nihil habetur erga numerum Scrutatorum. Formam autem iure communi præscriptam *cap. Quia propter* relato solùm esse attendendam in electione Prælatorum, non in electione Diffinitorum, Sociorum, Discretorum, &c. colligitur ex ipso capite *Quia propter*, quia ibi solum est sermo de electione eorum, quorum defectu Ecclesiæ manent viduatæ, quod solùm competit Prælatis quia sunt sponsi ipsarum. Fauet *cap. Ne pro defectu eodem titul. de elect.* Glossa *in dicto capite Quia propter, verbo Ecclesiis viduatis.* Glossa *in capite Sicut de elect. in 6.* post alios, Syluest. *in Summa verbo Electio 2. quæstione 1.* Layman. *supra cap. 7. qu. 78.* Item Iulius Lauorius *supra cap. 19. num. 7.* & Barbosa *de Iure Ecclesiastic. lib. 1. cap. 19. num. 154.* expressè asserentes formam dicti *cap. Quia propter* non esse attendendam in electione Diffinitorum. Vnde infertur, quòd hæc nullitas à præfatis Patribus prætensa ob defectum Scrutatorum nullatenus ipsis fauere poterat, si quidem in Actis capituli solùm id habetur pro electione Diffinitorum, pro quibus ipsi non sunt ex iure communi necessarij.

Quamuis autem ex dictis sufficienter euacuata fuerit obiectio à præfatis PP. oppositoribus facta contra electiones dicti capituli ob defectum Scrutatorum: nihilominus ad maiorem abundantiam, & pro veritatis explicatione addendum, quòd, quamuis formula illa celebrandi Capitula Prouincialia à Reuerendiss. Generali Stratio pro celebratione illorum facta, iure obseruari debuerit in præfato capitulo, & in aliis, si tamen non obseruaretur eo modo quo ab ipso præscripta fuit, vel in posterum non obseruetur (eo quòd cum fuerit solùm decreto ipsius facta per illius mortem iam cessauerit eius obligatio) nihilominus electiones validæ essent, & in posterum validæ erunt, si Præsidens in ipsis simul cum duobus antiquioribus Gremialibus exerceant munus Scrutatorum, vota suffragatorum exquirendo, & postea publicando. Ratio est, quia iste modus celebrandi electiones antiquissimus est in religione, & consuetudine receptus. Tum quia est introductus authoritate Apostolica Clementis VII. in Bulla *Cum acceperimus* per modum Breuis data Romæ 2. Aprilis 1524. in qua in virtute Sanctæ obedientiæ præcepit motu proprio, & ex certa scientia Generali, ac Diffinitoribus Capituli Generalis Venetiis eo anno celebrandi, vt ad Reformationem vniuersalem Religionis, tam quoad mores, quam quoad Ordinis instituta procedere deberent, dando illis omnimodam potestatem ad ea, ipsaque authoritate Apostolica confirmando, & roborando. Ex vi cuius facultatis prædicti Generalis, & Diffinitores Constitutiones antiquas Ordinis per q. Reuerendissimum Generalem Ioannem Soreth, & Diffinitores Capituli Generalis Bruxellis celebrati anno 1466. approbatas, & publicatas de nouo correxerunt, & emendarunt, atque ad meliorem, & probatiorem formam redegerunt, ipsasque toti Ordini obseruandas tradiderunt, vt patet ex *cap. vnico de Reformatione*, quod est in prædictis Constitutionibus in principio. In prædictis autem Constitutionibus Ioannis Soreth approbatis, & confirmatis à dicto Clemente VII. ex vi prædicti Breuis; imò ex vi eiusdem receptis *part.5. de elect. Capituli prouincialis cap.6* sic dicitur: *Electio autem prouincialis fiat modo, & forma, quibus electio prioris Generalis fit: De qua supra capitul. 1. & diligenter obseruentur omnia illa, quæ ibi ponuntur, excepto quòd Prouincialis est per Priorem Generalem confirmandus antequam Officium exequatur.* Quia ergo cum agitur de electione Prioris Generalis in eisdem Constitutionibus sic dicitur. *Electio autem eius fiat hoc modo. Præsidens*

55

Præsidens in Capitulo iuxta declarata cum duobus Definitoribus primarum Prouinciarum conscribat voces singulorum Gremialium, ita quòd ipse qui præsidet primò vocem suam aliis nescientibus scribat; Deinde secundus solo Præsidente audiente; postmodum tertius audientibus duobus primis. Deinde singuli aliorum coram illis tribus; ideo, vt dixi hæc forma celebrandi Capitula, ita vt prædicti Præses, & duo antiquiores Capituli Patres gerant munus Scrutatorum, seruari potuit in Capitulo Prouinciali, de quo est controuersia, & in aliis sequentibus totius Religionis.

56 Nec obstat Reuerendissimum Stratium in dicta formula celebrandi Capitula §.16. statuisse, vt Præsidens de assensu Diffinitorum assumere deberet tres ex Gremialibus Capituli ad Scrutatorum munus exequendum, quo visus est supponere ipsum Præsidem, & duos antiquiores Patres Gremij non debuisse exercere hoc munus.

57 Respondeo enim (quod bona venia Reuerendissimi Generalis, & doctissimi viri dictum sit) ipsum non potuisse alterare, aut immutare modum præscriptum in præfatis Constitutionibus Ioannis Soreth authoritate Apostolica, vt visum est approbatum. Ratio est, quia iuxta dicta à me *to.1.p.1.c.8.n.22.* ex doctrina Nauarri ibi adducta, Constitutiones, seu statuta Religionum authoritate Papæ confirmata, quando id fuit per modum decreti, mandati, aut ordinationis, non possunt, etiam à Capitulis Religionum mutari. Quod multo magis procedit in Generali. Prædictam autem Constitutionem, & omnes alias dicti Reuerendissimi Soreth hoc modo confirmatas fuisse à Clemente VII. constat ex verbis ipsius Breuis, quod habetur ante dictas Constitutiones, & alias Reuerendissimi Generalis Audeth, quæ talia sunt: *Motu proprio, & ex certa nostra scientia vobis in virtute Sanctæ obedientiæ iniungimus, & mandamus, vt ad reformationem vniuersalem dictæ Religionis tam quoad mores quàm quoad reliqua dicti Ordinis instituta procedere velitis, & debeatis. Dantes vobis facultatem, & omnimodam potestatem reformandi omnia, & singula, quæ vobis ratione praua in dicta Religione indigere reformatione videbuntur. Quæ omnia ex nunc, prout ex tunc, & è conuerso authoritate Apostolica confirmamus, & roboramus.* Ex quo habetur prædictam Constitutionem, & aliàs eiusdem Soreth approbatas, & confirmatas fuisse per modum decreti, mandati, & ordinationis authoritate Apostolica; ac proinde non potuisse alterari, aut immutari sola authoritate Religionis.

58 Ex quo etiam cessat obiectio, quam aliqui facere possent, videlicet: prædictam Constitutionem Ioannis Soreth reuocatam fuisse per posteriores Constitutiones, quales sunt Reuerendissimi Baptistæ Caffardi de Senis, & Capituli Generalis Romani de anno 1580. iussu editæ, *part.4. cap.6. num.3. & cap.15. num.4.* aliæ etiam nouissimæ Reuerendissimi Gregorij Canalis, ac Capituli Generalis Romani de anno 1625. *part.4. cap. 6. num.3. & cap.15. num.4.* In eis enim omnibus Constitutionibus nulla fit mentio de prædictis tribus Præside & duobus primis Diffinitoribus, sed solùm habetur quòd datis suffragiis per schedas, *vnus de præcipuis Gremialibus ad nutum Præsidentis; singulatim dictas schedas extrahat, & euoluat, & alius audiente toto Gremio, vota singulorum eligentium legat, & pronunciet.* Additurque in omnibus illis *part.5. cap. vlt. Quæcumque autem Statuta prædictis Statutis contraria, aut Regulæ nostræ dissonantia, in quibuscumque Capitulis præteritis edita, penitus reuocamus, & præsentia Statuta cōfirmamus. Prioribus prouincialibus præcipientes per salutarem obedientiam, quatenus in singulis Conuentibus suarum prouinciarum istas Constitutiones diligenter faciam custodiri omnibus aliis reuocatis.*

Respondeo enim, nullatenus per prædictas constitutiones posteriores censeri debere reuocatas priores illas Ioannis Soreth. Tum quia, vt dixi, id fieri non poterat sine authoritate Apostolica cum priores illæ Ioannis Soreth Apostolica authoritate per modum mandati, & ordinationis editæ, & confirmatæ fuerint. Tum quia non sunt contrariæ ipsis, sed quod in prioribus illis Ioannis Soreth non exprimebatur de duobus illis, quorum vnus extraheret, & euolueret vota, & alius ea legeret aut pronunciaret, exprimitur in posterioribus Baptistæ Caffardi, & Gregorij Canalis. Cuius signum est, quòd, secundum consuetudinem etiam immemorabilem religionis id soleant facere, vel ipse præsidens, vel antiquiores Patres, seu Diffinitores, qui munus Scrutatorum exercent iuxta præscriptum dictæ Constitutionis Soreth.

Maximè videtur obstare contra prædictam Constitutionem Soreth, quòd videatur reuocata per Concilium Trident. *sess. 25. de regularib. cap. 6.* vbi decernitur, electiones omnes inter regulares debere fieri *per vota secreta, ita vt singulorum eligentium nomina nunquam publicentur.* In præfata autem constitutione oppositum habeatur, videlicet; *Præsidens in Capitulo iuxta declarata cum duobus Diffinitoribus primarum prouinciarum conscribat voces singulorum Gremialium, ita quòd ipse qui præsidet primò vocem suam aliis nescientibus scribat. Deinde secundus solo præsidente audiente, postmodum tertius audientibus duobus primis. Deinde singuli aliorum coram illis tribus.* Et inferius in decreto electionis sic habetur: *Ego talis nomine meo, & nomine aliorum mecum in nominatione, & publicatione vocum in talem Fratrem concordantium eligo, & denuncio talem Fratrem esse priorem Generalem Ordinis nostri, in quem tales, & tales consentiunt.* 60

61 Respondeo enim, quòd, etsi prædicta Constitutio Ioannis Soreth censeri debeat reuocata à Concilio quantum adhoc vltimum, videlicet, quòd ille qui facit Decretum electionis dicat Generalem, vel Prouincialem electum fuisse illum *in quem tales, & tales consentiunt*, illos notando, quia hoc est expressè contra concilium, & propterea sublatum in posterioribus constitutionibus Ioannis Caffardi, & Gregorij Canalis: nihilominus non est reuocata quantum ad primum, videlicet, quòd Scrutatores audiant, vel sciant illum cui Gremiales suffragatores præbent suum votum, seu suffragium viua voce: Concilium enim solùm præcipit quòd electiones fiant per vota secreta, *ita vt eligentium nomina nunquam publicentur.* Vnde non prohibet quòd Scrutatores sciant, vel audiant nomina eligentium, seu illum quem eligunt electores viua voce; cum adhuc id censeatur secretum, cum paucis sit cognitum, nec possint illud postea manifestare, imò ad id secretum astringi debeant iuramento, prout habetur in dicta Formula celebrandi Capitula §. 16. & consultum ac consuetum esse tenet Layman. *de elect. cap.7. qu.72.* ex Rodriguez *to.2.q.Regul.q.52.art.2.* Consonant quæ dixi *supra verbo Electio quoad Regulares num. 11. in fine* ex declarationibus S. Congregationis, & ex Garzia, & Castellino, & *verbo Abbatissa, seu Priorissa, n.3.* ex declaratione etiam Sac. Congregationis apud Naldum, & Barbosam eo loco relatos. Maximeque consonat, quod habet Rota in Metensi *Monasterij* 5. Iulij 1621. coram D. Coccino §. vlt. alllegans Rodriq.

Rodriq. Zerol. & Azorium, asserendo, scilicet, dispositionem *cap. Quia propter de election.* non esse sublatam per Concilium Trident. *vbi supra.* dum petit electiones fore secretas. Fulcitur etiam ab eodem Concilio *cap. 7.* vbi decernitur, vt ille, qui electioni Abbatissarum, &c. præest, *vota singulorum audiat, vel recipiat.* Super quem locum Concilij S. Congregatio sic censuit, teste relato Garzia *de Benefic. part. 5. cap. 4. num. 190.* & Barbosa *ibid. Superior, qui electioni Abbatissarum praeest, potest vna cum Vicario, vel Secretario, vel alio ab Episcopo assumpto vota singularum Monialium oretenus audire.* Item *super cap. 6. eiusdem Concilij*, eodem Garzia *ibid. num. 189.* & Barbosa *super illud cap.* testantibus, sic habet eadem S. Congregatio *Si electi fuerint à Superioribus aliqui, vt puta quatuor, qui vota omnium recipiant electio reputabitur Canonica, & secreta.* Et iterum eisdem Authoribus testibus, *In electionibus Abbatissarum vota oretenus accipi possunt à suis Superioribus, licet quatuor aut quinque ea sciant*, provt Garzia *num. 190.* refert, vel, provt Barbosa *ibid. cum duobus testibus.* Vnde non obstante Concilio Trident. posse fieri electiones per vota, viua voce data Scrutatoribus, tenent Garzia relatus. Suarez *4. tom. de Relig. tr. 8. l. 2. c. 5. num. 10.* afferens etiam aliquas ex declarationibus relatis. Sigismundus de Bononia *supra dub. 26. num. 11. & 12.* referens vlterius aliam Decisionem Rotæ in vna Treuereñ. coram D. Coccino, & Tamburinus *de iure Abbat. tom. 1. disput. 5. quæst. 6. num. 10.*

62 Quamuis autem hæc ita sint, tutius tamen, & securius est, vt suffragia, seu vota per schedulas scriptas, & clausulas Scrutatoribus tradantur, ita vt nec ipsis notum sit, quisnam à suffragatoribus eligatur. Tum quia iste modus approbatissimus, & receptissimus est in Religionibus, vt Authores relati testantur. Tum quia conformior videtur secreto requisito *in cap. Quia propter*, & maximè in Concilio Trid. relatis, adeo, vt aliqui Authores, videlicet Miranda *in Man. prælat. to. 2. quæst. 23. art. 15. concl. 2. & art. 29. §. 7.* quem sequitur Peyrin. *tom. 1. de Subdito quæst. 1. cap. 31. §. Nota sexto.* dicant dictum *cap. Quia propter* derogatum esse per Concilium Trident. Tum quia declarationes Sac. Congregationis, & decisiones Rotæ præcipuè videntur loqui de electionibus inter Moniales, eo quod inter ipsas, vt notaui *supra verbo Abbatissa num. 3.* aliquæ Moniales scribere nesciant, ac per consequens nec votum dare possint, nisi oretenus. Idque, maximè obseruari debet, in Ordine nostro propter Constitutiones Caffardi, & Gregor. Canalis dicta *part. 4. cap. 6. num. 3.* dictamque Formulam Stratij §. 14. & 17. Vnde propter idem secretum exactiùs seruandum, quamuis in dictis Constitutionibus Caffardi statutum esset, vt scriba à præside Capituli designatus ea vota scriberet, cautiùs tamen, & prudentiùs in Constitutionibus Canalis, & dicta Formula Stratij statuitur, vt vnusquisque propria manu votum suum scribat.

63 Præcipuè etiam videtur contra dictam Constitutionem Sorethi obstare quòd illa contraria appareat dicto *cap. Quia propter.* si quidem in illo statuitur, quòd tres dicti Scrutatores *assumantur de Collegio fide digni*, quo denotari videtur solùm ab ipso Collegio posse assumi dictos Scrutatores, & illos, qui sunt de Collegio, & in eo præsentibus committi examen & cognitionem de tali qualitate Scrutatorum; ac per consequens quod non possint esse antea assumpti, seu electi, etiam ex vi alicuius constitutionis, cuius contrarium habetur ex dicta constitutione Sorethi. Respondeo enim, iuxta dicta *tom. 1. p. 2. cap. 12. num. 28.* & praxim multorum, talem designationem Scrutatorum per legem, seu constitutionem factam & non ab ipsis, qui sunt præsentes in capitulo non censeri contrariam dicto *cap. Quia propter.* Quia *persona designata per legem præsumuntur esse fide digna; ordinariè enim designari solent, quæ ratione muneris, vel antiquitatis digniores censentur, vel certè quia nunquam excluditur consensus tacitus, vel expressus præsentium in tali Congregatione, quia illis non negatur ius suspicionem obiiciendi, si talem personam non reputent fide dignam.* Ita bene Suarez *supra dicto cap. 5. num. 7.* quæ procedunt in præsenti, & maximè deseruiunt ad intentum nostrum. Fauet etiam Panormitanus in dictum *cap. Quia propter.* Quem etiam sequuntur Tamburinus *d. quæsit. 6. num. 6.* & Layman. *de elect. cap. 7. quæst. 72.* asserens quòd si tres aliqui inciperent seruari, aliis videntibus, & tacentibus, electio valida esset, aliis seruatis, quia cum agatur de re meritoria, & concupiscibili sicut est, vt per canonicam electionem Ecclesiæ viduatæ de Pastore prouideatur, tacentes habentur pro consentientibus non item in re onerosa, vel odiosa, tunc enim requiritur consensus expressus, vt in simili notant Gloss. *in cap. Sicut eodem tit. in 6. annot.* Inno. *in cap. in Genesi de elect.* & præfati Layman. & Tamburinus. Quæ doctrina probabilis est, quamuis Suarez supra de ea dubitet. Cessat præterea omnis difficultas in præsenti, cum præfata Constitutio Sorethi facta sit, & confirmata authoritate Apostolica Clem. VII. qui potuit hoc modo explicare mentem dicti *cap. Quia propter.*

Sed ad maiorem abundantiam supposito quòd verum esset id, quod Patres oppositores capituli opponebant, scilicet tantùm fuisse vnum Scrutatorem in electionibus ipsius, quod tamen falsum esse diximus, adhuc tamen probabile est, sustineri posse prædictas electiones, si cum dicto vno Scrutatore duo alij testes assisterent, qui viderent vota, ne fieret aliqua fraus. Primò ex declaratione Sac. Congregationis, quam refert Barbosa *cap. 6. sess. 25. de Regularibus* videlicet, *in electione Abbatissarum vota oretenus accipi possunt à Superioribus cum duobus testibus.* Per quod denotatur numerum Scrutatorum suppleri posse per testes. Nec obstat alia declaratio eiusdem S. Congregationis huic contraria, quam refert Garzia *supra num. 191* quia, vt ipse Gazia testatur, procedit solùm quando testes adhiberentur per quos posset publicari electio. Secundò id colligo ex alia declaratione S. Congregationis, quam refert Peyrin. *in Formul. littera E. cap. 3. num. 2.* vbi consuetudinem suæ Religionis, quòd in electionibus solum sit vnus scrutator, dicit approbatam esse à S. Congregat. respondente, quòd Religio continuaret in dicto modo eligendi. Tertiò, quia opinio est aliquorum, scilicet Vincentij Tancredi, Abbatis antiqu. *num. 17.* Mandagor. *de elect. cap. 23. verbo Irritari.* Asserentium substantialia formæ *cap. Quia propter.* non incipere à verbis illis, *assumantur tres de Collegio*, sed à verbis immediate sequentibus, *qui vota cunctorum, secretò, & sigillatim diligenter exquirant, &c.* Ex hac enim opinione sequitur, quod etiam si vnus tantum Scrutator in electionibus fuerit, maximè si fuerint etiam duo alij testes, vt dictum est, non propterea irritæ sint. Quartò, id expresè tenet ipse Peyrinis ibi, & fauet Portellus *in Dub. Regular. verbo Electio num. 14.* dicens non esse de substantia electionis, quòd Scrutatores sint tres, dummodò adsint, qui sufficiant ad fraudem impediendam. Quintò, ratione, quia, iuxta dicta *tom. 4. verbo Leges Regularium num. 36.* in legis interpreta-

tione attendendum est ad mentem, seu intentionem legislatoris, ea enim est veluti anima legis, provt ibi ex variis testibus ostendi. Cum autem intentio Ecclesiæ in dicto *cap. Quia propter* in designandis tribus scrutatoribus solùm fuerit, vt negotium electionis fideliter, & facilius perageretur, provt tenet Sigismund. *supra dub.* 19. *num.* 1. Barbosa *in Collect. DD. in d. cap. Quia propter num.* 13. ex Hostiensi, Petro Biaxio, Butrio, & Bertrando, idque saluetur cum vno scrutatore, & duobus testibus, qui videant ne fiat aliqua fraus, ideò hoc videtur sufficere.

65 Dixi autem solùm probabile id esse, quia in praxi tenenda est communis sententia docens tres Scrutatores, & non pauciores, adhiberi debere in electionibus Regularium, Provt tenent Panormitanus, Imola, Baldus, Ioannes Andreas, Buttius, Hostiensis, Cardinalis, Ancharanus, Gofredus, Hostiensis, Petrus Biaxius, Bertrandus, Rebuffus, Angelus, Syluester, Tabiena, Rosella, Azor. Rodriguez, & alij, quos referunt, & sequuntur Sigismundus *dic. dub.* 19. *num.* 1. Tamburin. *d. quæst.* 6. & Barbosa *supra.*

66 Idem porrò quod dixi de vno scrutatore (seu etiam de duobus tantùm) intelligi etiam debet de pluribus quam tres, ita scilicet, vt quamuis communis opinio quòd tantùm in electionibus futuri sint tres scrutatores, provt Authores relati supra tenent, cui fauent plures Sacræ Rotæ decisiones, in praxi tenenda sit; nihilominus tamen probabile videtur, conformiter ad dicta *tom.* 1. *part.* 2. *cap.* 12. *numer.* 28. quòd si quatuor Scrutatores fuerint non propterea electiones irritæ erunt. Primò, propter declarationes Sac. Congregationis, quas ex Suarez eo loco adduximus, quæ videntur eædem, vel similes cum illis, quas *supra num.* 61. retulimus. Secundò, propropter doctrinam Glossæ in dicto *cap. Quia propter verbo Sanior* quæ talis est. *Quòd tres tantùm debeant esse Inquisitores, non credo esse de substantia, dummodo tot sint Inquisitores quod fraus fieri non possit. Argum. supra eodem cum dilecti. Quia qui plus facit non videtur facere contra. ff. de ser. Vrb. prædi. Si arborem. Et superflua non vitiant, necessaria vero prætermissa diminuunt contractum. Codic. de testament. lib. testamentum, & ff. de sup. leg. legatus in princip. & l. Labeo.* Hæc Glossa. Tertiò, quia, vt habet Laymanus *dict. quæst.* 72. referens Abbatem, probabile est, & vsu receptum, quod Capitulum communi consensu alios viros idoneos præter dictos tres scrutatores ad prædictum scrutinium faciendum adhibere possit. Quartò, quia, vt dicitur, in Curia confirmata fuit electio Abbatis Tullensis, licet in ea fuissent electi sex scrutatores, provt ex Mandagoto, Boerio, Menochio, & Cardinali, referunt Sigismundus *d. dub.* 19. *num.* 8. & Barbosa *num.* 15. Non constat autem an talis electio approbata fuerit ex benignitate Apostolica, an quia de iure posset sustineri. Quod magis sustineri potest, si electiones fiant per schedulas scriptas, ita vt nec nomina eligentium pateant Scrutatoribus, provt diximus supra fieri debere, saltem, vt tutius, & securius. Tunc enim nec contra secretum electionum, nec contra earum fidelitatem, quod est intentum *cap. Quia propter*, aliquid fiet.

67 Id quoque vltimò addendum, quòd licet dispositio *cap. Quia propter* seruanda sit in omnibus electionibus Prælatorum Regularium, etiam Conuentualium, iuxta dicta *supra verbo Electio inter Regulares num.* 2. nihilominus tamen, ad intentum nostræ Religionis, iuxta dicta *supra verbo Prælatus Regularis num.* 2 quando priores Conuentuales eliguntur non à Conuentibus ipsis, sed solùm à Diffinitorio in capitulo Prouinciali, non videtur necessaria talis forma, eò quòd tunc non eliguntur dicti Priores ab Ecclesiis Viduatis, seu à Collegiis ipsarum, de quibus solùm loquitur *cap. Quia propter*, sed à Præside Capituli, & Prouinciali electo cum suis Assistentibus, scilicet Diffinitoribus. Præsertim, quia dispositionem prædicti *cap. Quia propter* non procedere quando Electores sunt pauci, provt contingit in præsenti, quia illi solùm sunt quinque, aut sex, tenent non solùm Layman. eo loco relatus ex Gotfrido, & Abbate, sed etiam Tamburinus *d. quæst.* 6. *num.* 8. post Innocent. Angelum, & Syluestrum.

Dvbivm Octavvm.

An electiones Priorum factæ in dicto Capitulo, & non in Conuentibus validæ fuerint.

Obiiciebant maximè prædicti Patres oppositores contra præfatum Capitulum, quòd in Diffinitorio ipsius, quod vt dixi *supra dub. præced. num. vlt.* constat ex Præside Capituli, Prouinciali electo, & quatuor Diffinitoribus, factæ fuissent electiones Priorum Conuentuum, ex quo illas irritas, & nullas esse existimabant, quia dicebant solùm in Conuentibus, & à Fratribus ipsorum fieri posse. 68

Sed primò quidem, etsi admitteretur (quod omnino negamus) tales electiones inualidas esse, non propterea inde sequeretur Capitulum ipsum in quo factæ sunt, irritum esse, aut inualidum. Tales enim electiones solùm sunt actiones quædam Capitulares particulares. Deinde, legitimas omnino, & validas esse ex eo colligitur, quòd factæ fuerint iuxta Constitutionem antiquam Ordinis approbatam à Clemente septimo, imò iussu ipsius factam, correctam, seu emendatam inter alias Ioannis Sorethi per Nicolaum Audeth, & Diffinitores Capituli generalis Venetiis celebrati iuxta dicta *supra dub. præced. num.* 55. In prædictis enim Constitutionibus 5. *part.* dum agitur de electione Prouincialis cap. 10. (quod est de processu Capituli Prouincialis, & terminatione eiusdem) sic habetur. *Volumus quòd Prouincialis cum Diffinitoribus liberè possint absoluere Priores locales, & cæteros officiales, quorum institutio ex consuetudine, aut aliàs ad Prouinciale spectat Capitulum, seruato illæso indulto Apostolico in fauorem obseruantiæ dato, quia Fratribus in obseruantia efficaciter viuere studentibus non poterunt Priorem dare alium ab eo, quem elegerunt, sed habebunt confirmare. In cæteris autem poterunt ipsos Priores instituere, provt eis videbitur expedire.* His enim posterioribus verbis manifestè conceditur Prouinciali, & Diffinitoribus, seu (quod idem est) diffinitorio, posse instituere Priores in aliis Conuentibus præter illos, de quibus loquitur Indultum Apostolicum, ac per consequens infertur Diffinitorium præfati Capituli validè, & licitè potuisse eligere Priores Conuentuum. Indultum autem Apostolicum, de quo est sermo in dicta Constitutione, non comprehendere conuentus Prouinciæ Castellæ, in qua celebratum fuit præfatum Capitulum, constabit ex dicendis infra. 69

Nec obstat si dicatur, quòd in Constitutionibus posterioribus Ioannis Caffardi de Senis *part.* 4. *c.* 19. *num.* 1. videatur correcta præfata Constitutio. Dicitur. n. ibi. *Volumus quòd Prouincialis cum diffinitoribus liberè possint absoluere priores locales, & cæteros officiales, quorum institutio ex consuetudine, aut aliàs ad* 70

prouinciale

prouinciale spectat capitulum; seruato illæso indulto Apostolico in fauorem regularis obseruantiæ dato, vt in conuentibus scilicet, in quibus extat vetusta, & laudabilis consuetudo quòd priores ab eorum Gremialibus eligantur, non alius instituatur prior sed illum, quem ipsi Gremiales elegerint prouinciales, & diffinitores habeant confirmare. Tum propter dicta *sup. dub. preced. num.* 57. scilicet, quòd, cum prædicta constitutio Ioannis Soreth facta sit ex mandato Sedis Apostolicæ, corrigi, aut abrogari non potuit ex sola authoritate religionis. Tum etiam, quia ex eo quòd ibi dicatur quòd *absoluere possint priores, quorum institutio spectat ad capitulum, non autem illos qui ex consuetudine ab eorum Gremialibus eligi solent*, colligitur in præfato capitulo potuisse Diffinitorium ipsius eligere præfatos Priores; ex eo videlicet quòd in dicta prouincia fuerit talis consuetudo. Exstare autem illam testantur patres ipsius Prouinciæ in Actis authenticis præfati capituli §. *Sancitum est*. Item patres compromissarij, seu commissarij pro conditionibus vnionis Prouinciarum Castellæ nouæ, & veteris in vnam Prouinciam Castellæ, de quibus *sup. dub.* 5. *num.* 38. In eis enim *cap.* 2. *num.* 1. expresè asseritur fuisse antiquam consuetudinem Prouinciarum faciendi Priores in Diffinitorio Capituli Prouincialis. Item Illustrissimus, & Reuerendissimus Dominus Hieronym. Dommim Episcopus Caetanus, qui in litteris testimonialibus ad Eminentiss. Cardinalem Protectorem missis, etiam sub iuramento attestatur, qualiter in Ordine nostro (ex quo ad Episcopatum fuit assumptus,) tam in partibus Hispaniæ, quam in aliis, in quibus diuersa munia pro religione egerat, semper viderit, & audierit, electiones Priorum fieri in Diffinitoriis Capitulorum Prouincialium, etiam post Constitutionem editam anno 1626. Quod etiam in Prouinciis Italiæ, & aliis Religionis contingere testantur per litteras testimoniales eidem Eminentissimo porrectas, Reuerendissimus Vicarius Generalis Apostolicus, & Reuerendus admodum Sebastianus Massius Prouincialis Romæ, ac Reuerendi admod. Magistri eiusdem Prouinciæ ex prouinciali, Ioannes Antonius Philippinus, & Gregorius de Marchis.

71 Secundò, validas fuisse prædictas electiones Priorum constat ex eo quòd factæ fuerunt ex vi Constitutionis, seu Statuti à Reuerendissimo Generali Chizzola edito auctoritate Apostolica Clemen. VIII. in Breui *Cum tu prope diem*; vbi facultatem ipsi concessit faciendi quascunque constitutiones. Constitutio autem, prout habetur in c. 10. dictarum Constitutionum talis est. *Priorum electiones deinceps non fiunt nisi à Capitulo Prouinciali. Ita enim existimamus Fratres nostros maiori cum quiete Domino seruire, & à multis molestiis, & iniuriis liberari, quibus, & verbo, & facto aliqui Priores indiscreti afficere solent eos, quos in prædicta electione sibi suffragia non dedisse, vel leuiter suspicantur, vtque omnia subornationis occasio tollatur, & tumultus, & factiones, & fraudes, & alia, quæ in eiusmodi electionibus solent euenire plerumque, quæ maximam pariunt perturbationem, penitus extinguatur.*

72 Tertiò, ex nouissima Formula celebrandi Capitula Prouincialia, de qua *supra num.* 7. quam Reuerendiss. Generalis Stratius typis edi curauit Neapoli 1635. & quæ mittitur ad Præsides Capitulorum, vt iuxta eam Capitula celebrari faciant, & de qua ipse Generalis Theodorus in ipsa Formula dicit: *Necessarium duximus breuem hanc* tradere methodum à nostris Præsidentibus in celebrandis capitulis obseruandam; quamque Reuerendissimus Generalis Massarius litteris testimonialibus datis 17. Iunij 1643. etiam sub iuramento testatus est esse vniuersalem formulam in tota religione obseruandam. In ea autem §. 15: 39. 40. 43. & 44. manifestè præscribitur, & supponitur electiones Priorum fieri debere in Diffinitorio Capituli.

Nec obstat primum caput Regulæ nostræ, in quo dicitur, *Vnum ex vobis Priorem habeatis qui ex vnanimi omnium assensu ad hoc officium eligatur*. Euidens enim est loqui ibi Regulam, de electione Prioris Generalis, tum quia Beatus Brocardus, cui Regula data est, vt patet *cap.* 17. ipsius illis verbis: *Tu autem Frater Brocarde*. Prior Generalis totius Ordinis fuit, vt nostri Ordinis Historici communiter tenent, specialiter Ioannes Paleonydorus *lib.* 3. *cap.* 2. Didacus Coria Maldonatus *in Chronicis Carmelitarum lib.* 10. *c.* 3. Michael Muñozius *in propugnaculo Eliæ lib.* 2. *tit.* 3. *cap.* 1. *art.* 2. Tum quia id colligitur ex ipso *cap.* 1. Regulæ, etenim post illa verba, *ad hoc officium eligatur*, subiungitur, *cui obedientiam promittat quilibet aliorum, &c.* Constat autem certò religiosos nostros nunquam promittere obedientiam Priori locali, sed solùm Priori Generali, vt patet ex verbis professionis illorum. Tum denique, quia hic est vsus, praxis, consuetudo, acceptatio, & stylus totius religionis, vt Priores Generales semper eligantur à Fratribus, locales verò, vel ab ipso Generali solo, vel à Diffinitoribus in Capitulo Prouinciali. Quod saltem de Conuentibus paruis, & non habentibus octo voces admittebant aduersarij Patres, & Constitutiones, quas ipsi afferebant; cùm tamen verba Regulæ ad omnes Conuentus extendi deberent, si de electione Priorum localium in illis esset sermo. Consuetudinem autem, seu acceptationem Religionis attendendam esse ad obligationem Regularum, sicut ad obligationem aliarum legum Ecclesiasticarum, habetur ex Abbate *cap. nam concupiscentiam numero* 4. *de Constitut. & Rubric. de obseruat. ieiun. in fine, & capit. relatum numero* 6. *ne Clerici, vel Monachi*, ex Syluestro *in Summa verbo Religio parte quæstion. octaua in fine, &c.* Sanchez *lib.* 6. *in Decalog. cap.* 4. *num.* 23. & 27. 73

Idem dicendum ad Ius commune, quod iidem Patres afferebant, eo quòd ex illo haberi videatur electionem Abbatis ad Monasterium pertinere. Esto enim ita sit, iuxta dicenda infra *num.* 86. consuetudo tamen nostræ, & aliarum Religionum, quæ est optima legum interpres. *cap. cum dilectus de consuetudine lib. si de interpretat. ff. de legib.* accedentibus Constitutionibus authoritate Apostolica factis, & Decreto Reuerendissimi Generalis Stratij *num.* 72. relatis, prædicto Iuri communi sufficienter derogarunt. 74

Explodenda pariter est obiectio alia, quam Patres aduersarij sumebant ex Breui Calixti tertij, in quo dicitur, Conuentus reformatos eligere sibi debere Priores. Nam, vt constat ex ipso Breui, quod, etsi non extet, refertur tamen in alio Pauli secundi, quod habetur in Marimagno Ordinis, & ipsum Maremagnum extat apud Rodriguez *in Bullario tom.* 1. *Bulla* 37. tam ipse Calixtus, quam Pius II. & Paulus II. ibi relati, loquuntur de Conuentibus strictioris & specialissimæ Obseruantiæ, ac Reformationis, quales sunt aliqui Prouinciæ Bœticæ, & Lusitaniæ in Hispania, plures etiam in Prouinciis Italiæ, Galliæ, & Flandriæ, non autem in Prouincia Castellæ, prout Reuerendissimus Generalis Massarius declarauit Eminentissimo Domino Cardinali Protectori. Idque luce clariùs colligitur ex dicto Breui. Loquitur enim de illis Conuentibus Reforma- 75

Reformatis, qui non possunt per Vicarium Prouincialem visitari, sed personaliter per ipsum Prouincialem, & de Conuentibus, in quibus Priores dum eliguntur promittunt tam confirmanti, quam Conuentibus ipsis, fideliter obseruare, & obseruari facere Regulam Ordinis, quæ omnino inaudita sunt in Prouinciæ Castellæ conuentibus.

76 Aliam quoque obiectionem ex nouissimis Constitutionibus Gregorij Canalis *part.4. cap.19. num.1. & part.2. cap.2. num.4.* vbi habetur electiones Priorum conuentuum maiorum, in quibus scilicet de familia fuerint vltra Priorem octo Fratres vocem, & locum habentes, debere fieri ab ipsis conuentibus, quam Patres oppositores afferebant contra electiones Priorum in Diffinitorio, prorsus inanem esse facilè ostenditur. Primò quidem, quia ea Constitutio, vt potè, noua, & non facta in Capitulo generali, ad quod solùm pertinet condere leges generales, non fuit recepta in Religione, vt constat euidenter in Prouinciis Italiæ, & aliarum Nationum. Esto autem quòd in Prouinciis Hispaniæ aliquando executioni mandata fuerit, non tamen semper, ac proinde non fuit in viridi obseruantia. Constitutionem autem, seu legem humanam non acceptatam generaliter non obligare, saltem ex eo quòd legislator humanus esto possit, non tamen præsumitur velle obligare populum resistentem suæ legi, colligitur ex *cap. in istis distinct.4.& ex l. de quibus ff. de leg.* De quo Nauarrus *l.1. Consilior. tit. de constitut. cons.1. quæst.5. & in Man. cap.23. num.41.* Rodriguez *tom.1. quæstionum Regular. quæst.6. art.10.* Toletus *lib.8. cap.18.* Azor. *tom.1. Instit. lib.5. cap.4. quæst.1.* Valentia *1.2. disp.7. quæst.5. punct.5.* Naldus *in Summa verbo Lex num.5.* Sanchez *lib.3. de Matrimon. disput.18. num.1.* & alij plures, quos sequutus sum *4. tom. meæ Summæ verbo Leges Regularium num.16. & 17.*

77 Secundò, infirma est prædicta Constitutio, eo quòd, dato quod recepta esset, ea non potuit abolere consuetudinem immemorialem, quæ semper fuit, etiam in Prouinciis Hispaniæ, ante annum 1626. quo facta fuit, faciendi electiones Priorum in Diffinitorio Capituli, & non in conuentibus. Etenim, iuxta verissimam doctrinam Doctorum, consuetudo immemorabilis, cum sit priuilegiatissima, tantæ firmitatis, & roboris est, vt nullo modo abrogetur per legem contrariam, nisi id exprimatur in ipsa; quod nullatenus fit in præfata Constitutione. Couarrubias *lib.3. variar. resolution. cap.13. num.5.* Naldus *supra verbo Consuetudo numer.22.* & alij plures. Fuisse autem talem consuetudinem in Prouincia Castellæ constat ex dictis *supra numero 70.*

78 Tertiò, quia esto quòd talis constitutio recepta esset, & posset abrogare consuetudinem immemorialem in contrarium, non tamen posset abrogare constitut. illas antiquiores Ioan. Soreth, & Generalis Chizzolæ, de quibus *supra num.69.& 71.* Tum quia eæ fuerunt authoritate Apost. factæ, ac per consequens maioris roboris, & firmitatis, quàm quòd possent à lege ordinaria authoritate, & extra Capitulum Generale facta abrogari. Quia, vt dixi *4. tom. verbo Leges Regul. num.35.* lex generalis non extenditur ad ea quæ specialiter prouisa sunt. Sanchez *lib.2. de Matr. disp.24. num.6. & lib.7. in Decal. cap.7. num.34.* Naldus *in Summ. verb. Lex num.18.* Thesaur. *in Praxi part.2. verbo Munera cap.10. num.6.*

79 Quartò, quia etiam dato, quòd præfata constitutio nullum ex prædictis defectibus haberet, adhuc tamen non propterea sequeretur electiones prædictas Priorum factas contra eam fuisse irritas, aut nullas. Etenim in d. Const. nulla est clausula irritans, aut cassans electiones aliter factas, nec in ea traditur forma substantialis talis electionis, nec apponitur pœna irritationis, aut cassationis, aut alia quantumuis minima contra transgressores ipsius, quod est signum solùm esse legem simpliciter præceptiuam, nullo autem modo irritatiuam actus contrarij. Imò si rectè expendatur, neque lex præceptiua videtur, sed solùm permissiua, solùm enim in ea dicitur posse conuentus primarios sibi eligere Priores. Legem autem simpliciter permittentem, aut prohibentem actum, nec præscribentem formam substantialem illius, non irritare ipsum, dixi dicto *verbo Leges Regul. num.45.* ex trito illo, *Multa fieri prohibentur, quæ tamen facta tenent.* Glossa *in cap. penult. de sponsat. impuber.* Suarez *de legib. l.5. cap.29. num.1.* Portellus *in Dub. Regul. verbo Lex num.9.*

Denique quintò, quia Constitutio illa si quomodolibet obligare poterat, dispensata fuit, tum per Illustrissim. Dom. Nuncium Hispaniarum, nunc Eminentissim. Dom. Cardin. Fachinettum, tum etiam ad maiorem abundantiam per Reuerend. Generalem Stratium, provt constat ex litteris ab ipso missis ad Magist. Orbeam Præsidem Capituli, & Magistrum Nauarrum Prouincialem, quas apud se habent, & quarum copia in Registro litterarum pro Hispania habetur, quòd esse authenticum agnouit Reuerend. Generalis Massarius. 80

Nec obuiat, quod Patres aduersarij dicebant, videlicet, Generalem non potuisse dispensare in dicta Constitut. per litteras missiuas, aut familiares, sed tantùm per litteras patentes. Vt enim Reuerendissimus Generalis Massarius & R. Adm. Magister Franciscus Montius Prouincialis Saxoniæ, & Secretarius Ordinis, ac R. Ioannes de Colonia Secretariæ Coadiutor, & Amanuensis, testantur in litteris testimonialibus perillustri Domino Ludouico de Gratia Eminentiss. D. Protectoris Auditori ostensis, Reuerendiss. Generales Ordinis, iuxta stylum, & praxim Ordinis (quæ proculdubio legem faciunt) soliti sunt, iuxta temporis, locorum, & negotiorum indigentiam super Constitut. dispensare, non solùm per litteras patentes, verum etiam per litteras familiares, & missiuas, & quòd talibus dispensationibus per prædictas litteras missiuas, & familiares factis, fides adhiberi soleat à nostri Ordinis Religiosis, sicut si per litt. Patentes datæ essent. 81

Minus etiam obstat, quod Aduersarij obiiciebant, scilicet talem dispensationem exhibitam non esse in Capitulo Prouinciali. Etenim sine fundamento id asserebatur; cum Magister Orbea Præsidens Capituli, & Magister Nauarrus ex Prouincialis, qui eam habebant, eam propalauerint non solum aliis Patribus Diffinitorij, ad quos ex consuetudine Prouinciæ, Constitutionibus authoritate Apostolica factis, & formula celebrandi Capitula Prouincialia à Reuerendiss. Generali edita, vt præmissum est, id spectabat, sed etiam Conuentibus ipsis, ad quos Magister Nauarrus Prouincialis in Litteris vocatoriis ad Capitulum scripsit ne procederent ad electiones Priorum, quia faciendæ erant in Diffinitorio. Vltra quòd præsumitur quòd fuerint productæ Litteræ talis dispensationis, dum nullibi probatur talis negatiua non productionis, ex quo enim facta fuit electio, & acceptata ab omnibus, præsumitur omnia præcessisse, quæ requiruntur pro validitate electionis, vt latissimè firmat 82

firmat Rot. *in Recent. dec.289. num.26. part.6.* & in Toletana *Canonicatus Pœnitentiariæ* 25. Iunij 1640. coram D. Coccino. Casu autem dato, & non concesso, quòd prædictam dispensationem conuentibus præfati Patres magistri non ostendissent, cum conuentus, eisdem, vt par erat fidem in hoc adhibuerint, proculdubio cesserunt iuri suo, si quod habebant, eligendi sibi Priores, maximè cum non reclamauerint, contradixerint, aut aliquid protestati fuerint. Ex quo proinde talium Priorum electio ad Capitulum Prouinciale, seu Diffinitorium, iure deuoluta fuit.

83 Infirmum valde quoque erat id, quod dicti PP. aduersarij obiiciebant, scilicet, necessarium fuisse, quod in electione talium Priorum declararetur eam fieri in vim talis dispensationis. Primò, quia non constat id omissum fuisse, etsi in Actis Capituli Romam missis, quia non omnia in Capitulo gesta in illis referuntur, nihil de hoc habeatur. Et sanè, si id necessarium fuit, à viris illis doctis prætermissum non credendum, vel saltem interrogandi erant, quo titulo id fecerint, & ipsis credendum, quia vbi ille qui est causa efficiens, & formalis interpretatur seipsum, non est opus extraneo interprete, seu extrinseco intellectu. *l. cum de indebito §. fin. ff. de probat. l. ex facto, ff. de vulgari. cap. inter alia, de senten. excom.* Baldus *cons. 458. num. 2. vol. 3. & in authent. nisi rogatus num. 9. C. ad Trebell.* Bart. *in l. pro hærede num. 3. ff. de acquir. hæred.* Tiber. Decian. *cons. 7. à num. 100. volum. 1.* Idem Bald. *cons. 313. num. 1. vers. de animo autem suo interrogari quis potest, & statur eius responsioni volum. 3.* Barbosa *in Votis decisiuis Canonicis lib. 1. voto 4. num. 2. & 3.* Secundò, quia cum electio talium Priorum de iure Ordinis pertineret ad Diffinitorium, propter consuetudinem Prouinciæ, Const. authoritate Apostolica factas, & Formulam celebrandi Capitula Prouincialia, de quibus supra, absque dubio necessarium non erat dicere electiones talium Priorum fieri in vim talis dispensationis.

84 Pariter etiam est valde debile, quod aduersæ partis Patroni obiiciebant, scilicet dictam dispensationem à Generali dari non potuisse, eo quod electio Priorum per Conuentum sit præscripta in Regula, in qua Generalis dispensare non potest, cum sit à Summis Pontificibus confirmata. Iam enim probaui *supra num. 73.* Regulam solùm loqui de electione Prioris Generalis, non verò Prioris localis. Addo, communissimum, & certum esse inter Doctores, posse etiam Prælatos dispensare in Regula, saltem pro particularibus casibus. Angelus *in Summa verb. Dispensatio num. 8.* Syluest. *in Summ. verb. Dispens. quæst. 14.* Suarez *4. tom. de Relig. Tract. 8. l. 2. c. 12. à num. 25.* & alij communiter.

85 Talis porrò dispensatio, etsi necessaria non esset propter dicta, postulata tamen meritò est, & concessa à Generali, tum quia aliqui ex ignorantia credere poterant talem Constitutionem, etsi non legitimam, cum aliis tamen legitimis insertam, obligare. Tum ad pacandas conscientias scrupulosorum, & obstruendum ora inquietorum, & ad maiorem, & abundantiorem cautelam quæ nulli nocere potest, & qua prudentiores Prælati vti solent. Cui consonat praxis, & stylus Curiæ, sæpè enim videmus à Summo Pontifice, & Sacris Congregationibus peti, & concedi solitas dispensationes, facultates, & licentias in casibus non necessariis, ad obuiandum ignorantiæ, scrupulis, vel malignitati aliquorum. Et quo cessat obiectio, quam aduersarij afferebant ex ista dispensatione petita, & obtenta.

Obiectio etiam alia, quam præfati Patres non omittebant, scilicet, quod electiones prædictæ Priorum debebant fieri à Conuentibus, & non à Diffinitorio Capituli, inspecto iure communi, iam est reiecta *supra num. 74.* Etsi enim id verum sit propter *cap. primum de electione, & cap. congregatio 15. quæst. vlt.* & alia Iura, ac Doctores, quorum plures refert Barbosa *in Collectan. Doctorum in d. cap. 1. de elect.* nihilominus iuxta dicta *supra num. 74* consuetudine, vsu, & praxi nostræ Religionis (sicut & plurium aliarum Religionum) Constitutionibus authoritate Apostolica factis, & aliis relatis, oppositum habetur. Idque esse rationi magis conforme propter magna inconuenientia, quæ ex electionibus ab ipsis Fratribus factis oriuntur, tenent doctiss. Nauarrus *Commentario 3. de Regularibus num. 3. §. septimò confirmatur.* Perez *in Regulam S. Benedicti cap. 64.* Suarez *tom. 4. de Religione tract. 8. lib. 2. cap. 7. num. 8. & tractatu 10. lib. 10. cap. 3. à num. 5.* vbi non sine peculiari Dei prouidentia, & Spiritus Sancti inspiratione, hunc modum prouidendi Prælatos in Societatem Iesu, ait esse introductum. Quibus fauent ex Patribus Basilius, Chrysostomus, & Gregorius ab eodem Suar. relati. Iniurij ergo sunt tum prædictis Patribus, tum toti Religioni nostræ, in qua est more introductum, vt Priores locales aliter quam à Fratribus Conuentuum eligantur, ij, qui solùm volunt à Conuentibus eligi debere Priores, parum curantes de magnis incommodis, quæ ex eo oriri, vel ipsi testari possunt. Vnde Commissarij Apostolici (inter quos erat Generalis Stratius) deputati pro examine Statutorum Prouinciæ Turoniæ, quam perfectè reformatam innuit totus Ordo, limitarunt articulum, in quo dicta Prouincia statuerat electiones Priorum fieri debere à Conuentibus, ita scilicet, vt posset diffinitorium Capituli Prouincialis legitima de causa non confirmare Priorem electum à Conuentu, & tunc subrogandus in locum non confirmati eligeretur à Capitulo Prouinciali. Et licet pauci quidam contra dictam Prouinciam id humiliter acceptantem, litem excitassent, contendentes huiusmodi electiones remitti debere ad Conuentus; sententia tamen in iudicio contradictorio data per Reuerendissimum Generalem Massarium pronunciatum fuit, eas, non Conuentibus remittendas, sed à Capitulo Prouinciali faciendas. Quæ quidem sententia vt æquissima fuit ab Eminentiss. Domino Protectore, & postea à S. Apostolica, confirmata die 2. Iun. 1643. 86

Adiungebant etiam Patres aduersarij electionem Priorum per Conuentus esse vnam ex conditionibus vnionis Prouinciarum, de quibus *supra num. 38.* Nam *cap. 2.* prædictarum conditionum *num. 1.* dicitur, quòd Constitutio generalis, scilicet, loquens de electione Priorum per Conuentus, relinquatur in suo vigore in posterum. Sed hoc nihil ipsis suffragabatur, non solùm quia id non statuitur ibi per modum conditionis, sed solùm per modum permissionis, seu tolerantiæ dictæ Constitutionis, si, & in quantum valere posset. Sed etiam, quia ibi expressè dicitur, relinquendam esse dictam Constitutionem quoad dispensationem faciendam in ipsa ab habente legitimam potestatem ad id faciendum. Cum ergo dicta Constitutio (qualiscumque vigoris sit) dispensata fuerit pro Capitulo, de quo est controuersia à Domino Nuncio, & P. Generali Ordinis, vt dictum est superiùs, sine fundamento talem conditionem pro sua parte adducebant. 87

Expendebant quoque, quòd tam in dicta conditione, quam in aliis dispensationibus super præfata Constitutione datis dicatur id fieri *pro vna vice*; ex quo 88

quo validum sibi argumentum desumere credebant, vt probarent legitimam esse. Sed & hoc infirmum est. Nam cum ea Constitutio, esto inualida sit, & incerta, cum tamen reperiatur cum aliis legitimis Constitutionibus, ideo prudenter, modestè, & Religiosè, vt veri obedientes, solùm pro illa vice dispensationem postulare debebant, & Superiores, propter eamdem rationem, solùm pro singulis vicibus eam concedere, ne se faciles ostenderent in dispensatione legis quantumuis dubiæ. Præsertim, quòd isto modo, inferiores maiorem subordinationem ad Superiores suos haberent, nec præcluderetur aditus ad ipsos, & ad Curiam pro aliis occasionibus.

Decretum Eminentiss. Cardinalis Protectoris.

89 Rebus ergo diligenter, maturéque discussis Eminentiss. ipse Cardinalis cum Reuerendissimis aliquot Generalibus, virisque grauissimis die 18. Decembris præsens Decretum, ac definitiuam sententiam in hac causa promulgauit in Capituli, & electionum in ipso factarum fauorem.

Die 18. Decembris 1633.

In Congregatione habita coram Eminentissimo, & Reuerendissimo Domino Cardinali Ginetto Sanctiss. Dom. N. Vrbani Papæ VIII. Vicario, ac Religionis Carmelitanæ Protectore in qua interuenerunt:

R.P. Magister Ioannes Baptista Berardus Generalis Fratrum Minorum Sancti Francisci.

R.P. Magister Hippolitus de Monte Generalis Religionis Sancti Augustini.

R.P. Magister Leo Bonfiliolus Vicarius Generalis Carmelitanorum.

P. Magister Dominicus Campanella Procurator Generalis eorumdem Carmelitanorum.

P. Ioseph à Matre Dei Procurator Generalis Discalceatorum Carmelitanorum Congregationis Hispaniæ, & D. Ludouicus Gratia ab Eminentia sua deputati ad dandum eorum votum super nullitatibus oppositis contra electiones, Prouincialis, Diffinitorum, & Priorum Carmelitani Ordinis factas in Capitulo Prouinciali, eiusque Diffinitorio de mense Maij 1642. in Ciuitate Vallisoletana Prouinciæ Castellæ, rebusque aliis, &c. super quibus pluries auditis, ac informantibus etiam in scriptis, Patribus Magistris Laurentio de Ossorio, & Celedonio de Aguero, nec non R. P. Magistro Ioanne Baptista de Lezana Socio, & Assistente dicti R. P. Vicarij Generalis, ac dicti Capituli defensore, illisque maturè discussis, omnes fuerunt concordes in voto, dictas electiones impugnari non posse, & super dictis nullitatibus illarum oppositoribus perpetuum imponendum esse silentium.

M. Cardinalis Ginettus Protector.

Loco ✝ Sigilli. Felix de Luco Secretarius.

Motiua verò, seu causæ, aut rationes, quibus permotus Eminentissimus, cum Reuerendissimis aliis, 90
& grauissimis Consultoribus præfatum Decretum edidit, non solùm fuit, quòd nullitates contra præfatum Capitulum, & eius electiones prætensæ, sufficienter ex dictis euacuabantur, sed etiam doctrina celeberrimi Doctoris Nauarr. *qui lib. 5. Consil. de Iudæis consil. 1. num. 6.* dum quærit, quæ probatio sit necessaria ad excludendum aliquem ab aliqua electione hæc habet. *Respondeo, quod ad impediendam electionem videtur sufficere semiplena probatio arg. text. sing. in c. præterea il 2. de spons. qui probat propter dictum vnius testis, & semiplenam probationem impedimenti affinitatis, impediendum esse matrimonium nondum contractum, ne contrahatur, si autem est iam electus, & confirmatus, requiritur plena probatio ad reiiciendum, & exauctorandum. arg. c. super his de accusat. & pro vtroque d. facit c. quemadmodum de iure iur. quatenus probat, quòd turpius eijcitur quàm non admittitur hospes.* Quam etiam doctrinam recipit Iulius Lauorius *sup. d. c. 19. n. 121.* & fauet Rodrig. *tom. 1. Quæst. Reg. q. 14. art. 3.* Accedebant etiam plurimæ tum Iuris, tum Iuristarum Regulæ. Primò illa, *Reus in dubio est absoluendus l. Arrianus ff. de art. & obligat. c. ex litt. de probatio l. qui accusare C. de eden.* Secundò illa, *Reus est absoluendus cum actor minus probauit. §. commodum Instit. de interdict. cap. ex litteris de probat. l. qui accusare C. de eden.* Tertiò illa, *In dubio de validitate actus debet interpretari quod valeat. ff. de iniur. l. apud Labeonem §. si communem ff. de ser. cor. l. si quis seruum in fin.* Bart. post Glos. *in l. non solùm §. sed vt probari, in 1. column. in fin. ff. de ope. no. num.* Bald. *in Rubric. C. de fid. instrum. 4. col. in verb. iuxta hoc quæritur.* Quartò illa, *Dubia in meliorem partem interpretanda.* Bertach. *in Repert. 2. pa. verbo Dubium.* Quintò illa, *Possessoris conditio melior est in pari causa. c. in par. de Regul. iuris,* vbi Dynus, & alij. Sextò illa, *Possessor etiam iniustus debet citari quando est expellendus. lib. 1. in fin. & ibi* Bart. *in 1. not. Cod. si propter pub. penult. l. fin.* & ibi Bald. *Cod. si per vim, vel alio modo. leg. meminerit.* Septimò illa. *Cum iura partium sunt obscura pro possessore iudicandum est. l. 2. C. de prob. l. fin. C. de rei ven. c. inter dilectos. de fide Instrumentor.*

INDEX



INDEX RERUM MAGIS NOTABILIUM,

Quæ in Tertia, & Quarta Parte huius Summæ continentur.

Num. 3. Tertiam, num. 4. Quartam Partem; p. vero littera paginam denotat.

A

3 Affinitas

B

C

Quæ

F

H

I

reseruabilis

de

4 Lunula,

3 Nouitij

de

Q

INDEX.

R

4 Regimen

4 Scrupuli

T

4 Veneficia

FINIS.


BUS



R. P. M. IO. BAPTISTÆ
DELEZANA,
HISP. MATRITENSIS,

SOCII GENERALIS CARMELITARVM.

S. CONGREGATIONIS INDICIS CONSVLTORIS,
Beneficiorum Examinatoris, ac in Romana Sapientia Publici Lectoris.

SVMMA QVÆSTIONVM REGVLARIVM,

SEV

DE CASIBVS CONSCIENTIÆ

Ad Regulares vtriusque sexus valdè spectantibus.

Juxta noua Decreta, Constitutiones, & Declarationes Summorum Pontificum, & sacrarum Congregationum, ac sacræ Rotæ Romanæ Decisiones, ipsorumq; Regularium Priuilegia; Ex tota fermè Theologia Morali deprompta.

TOMVS TERTIVS duobus Partibus comprehensus.

Super Mare Magnum Ordinum Prædicatorum, Minorum, Eremitarum S. Augustini, Carmelitarum cum ipsorum Regula, Seruitarum, Minimorum, Ordinis SS. Trinitatis, & S. Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum.

EDITIO NOVISSIMA, ET AVCTIOR.



LVGDVNI,
Sumpt. PHILIPPI BORDE, LAVR. ARNAVD, & CLAVD. RIGAVD.
M. DC. LVI.
CVM SVPERIORVM PERMISSV.



EMINENTISSIMO PRINCIPI, *ET REVERENDISSSIMO DOMINO,* D. CARDINALI CORRADO SS.D.N. ALEXAND.VII. DATARIO DIGNISSIMO.

Fr. IOANNES BAPTISTA DE LEZANA *Carmelita humilis cliens.*

PIETATEM *ad omnia vtilem* esse Apostolico Pauli præconio docetur Ecclesia. Et iure sanè cum ea virtus secundùm Chrysostomum *rectissimæ viæ norma* sit, & *conuersationis optimæ disciplina.* Colludit namque cum sancto Dei Timore, qui omnium charismatum apex veluti est. Idcirco enim 70. illi seniores, *Interpretes* vulgò nuncupati *pietatem* & Dei *timorem* sic consociant, vt vnum pro alio Iob 28. & Prouerb.9. vertendum arbitrentur. *Pietas* verò *cum sufficientia* copulata *Quæstus magnus* ab eodem Apostolo in eadem Epistola prædicatur. *Quæ Tibi*, EMINENTISSIME PRINCEPS, concinnè aptari, nullus qui *Te* nouit nescire poterit. Pietas etenim animo *Tuo* ab incunabulis penè insita omnibus *Te* amabilem, venerabilem etiam, ne admirabilem dicam, meritò exhibuit; quo *Tibi* aditus ad summa Ecclesiæ fastigia conscendenda patefactus est. Hæc enim ad S.Rotæ subsellia meritis coruscantem, & vtriusque Iuris litteratura exuberantem, Vrbano VIII. summo Hierarcha auspicante, ex Ferrariæ inclyta vrbe, vbi sapientiæ radiis collucebas, condignè prouexit. Rapuit & Innocentij X. Vrbani successoris mentem, sola Dei obstetricante gratia, vt Cardinalitia dignitate decoraret, quem tot charismatum dona, non mundi lenocinia, aut aliqua humanitatis scintillula, promouendum vrgebant. Etenim (vt cum Tullio dicam) *Suis Te oportet illecebris ipsa virtus trahat ad verum decus.* Obstrinxit & Sanctum SS. Alexandr. VII.

✠ 2 fœli

fœliciter nunc regnantis zelum, vt *Te* etiam Datarij munere cohonestaret. Quò sic *Te* geris; solerti ingenio, pia industria, & diligentia, vt æquitatis, & iustitiæ speculum, quin & idea conspiciaris. Etsi enim Romanæ Curiæ virtutum omnium satellitio stipatus illuceas; Astræa tamen illa è cælo demissa *Tibi* præ oculis semper adest: quæ radiis suis omnia illustrans in Ecclesiarum muniis distribuendis, quid in vnoquoque solidum, quid sincerum, & quid fucatum sit agnoscit; & sic vnicuique suum, omnibus pondus, & mensuram constituit. Optatum sanè illud Senecæ in *Te* idcirco completum cernitur, *In eo statu sis, quo semper beneficia distribuas, nunquam desideres.*

Porrò, si *pietatis* nomine eo loco Pauli cum Ambrosio, & aliis misericordiam, & beneficentiam capiamus, *Tibi* etiam aptari, quod *pietas ad omnia vtilis* sit, in propatulo est; cum, præter singularem illam, & benignam comitatem, qua cunctos audis, neminem respuis, omnes sed recipis, quæstuosissima illa omnium ars eleemosyna Antistitum corona, sic tuam Purpuram cohonestas vtveluti sydus fulgentissimum in S. Ecclesiæ firmamento collucere faciat. Experta loquitur S. Mariæ Transpontinæ *Tibi* Titulari optimo Ecclesia concredita, in qua huius tuæ munificentissimæ virtutis pretiosa signa resplendent: loquuntur & plures egeni, quorum indigentiis subueniendis, boni & sancti Episcopi partes exequendo, compatiens opitulator adfuisti.

Hæc igitur, PRINCEPS EMINENTISSIME, annexa quoque singulari in me beneuolentiæ, qua meis precibus sæpius inclinatus, postulata elargiendo, benignè annuisti, *Tibi* bonarum litterarum Asylo, has meas lucubrationes sacrandas coëgerunt; eo vel etiam, quod in eis plura sunt ex Pontificiis & Imperatoriis iuribus excerpta, quæ in *Tui* pectoris scrinio, veluti ditissimo gazophilatio recondita seruantur. Excipe iam eas benignitate qua soles, & qui cuncta ingenij præstantia despicis, ne despicias, sed tui nominis splendore vt Orbi clarescant, illustrari patiaris. Foue, & protege.

Fr. LEO

Q

Laus Deo, & B. Virginis Carmelitarum Patronæ.



Capsa 85: tomo 3.

Cason 85: tomo 3.

R. P. M. IO. BAPTISTÆ
DE LEZANA,
HISP. MATRITENSIS,

SOCII GENERALIS CARMELITARVM, S. CONGR. INDICIS CONSVLTORIS, BENEFICIORVM Examinatoris, ac in Sapientia Romana Publici Lectoris.

CONSVLTA VARIA THEOLOGICA, Iuridica & Regularia,

Pro Conscientiarum instructione circa Controuersias in Alma Vrbe, etiam apud sacra Tribunalia agitatas; duabus Partibus distincta: Quarum Pars posterior nunc primum in lucem prodit.

Quorum vltimum pro coronide prioris Partis est de singularissimo D. Petri Papatu in Ecclesiam; D. Paulo Apostolo etiam excluso:

Conformiter ad mentem, Decreta, Declarationes & Decisiones S. Sedis Apostolicæ, & SS. Congregationum.

Omnium Operum Tomus Quartus.



LVGDVNI.
Sumpt. PHILIP. BORDE, LAVR. ARNAVD, & CL. RIGAVD.
M. DC. LVI.
CVM SVPERIORVM PERMISSV.

Del Conv.to de Sevilla del Horden de Nra Sra
de la Mrd R.on de Caut.s

Fr. Navarro domarte



EMINENTISSIMO PRINCIPI, ET REVERENDISSIMO DOMINO CARDINALI DE LVGO,

Fr. JOANNES BAPTISTA DE LEZANA Carmelita, F. P.



DEstinatvm diu, Tibique addictum, opus, demum iam sistitur, prompto animi affectu, *Cardinalis Amplissime*, Promiseram supplex, patrocinium quærens; reddo cliens Patronum inueniens: omni sanè iure debitum. Cui etenim Consulta *Theologica*, *Iuridica*, & *Regularia* pro conscientiarum quiete exarata, nuncupari debeant, nisi illi, qui in similis, & Eminentioris Hierarchiæ præstandis consiliis ad Theologicam œconomiam, Iuridicam lancem, & Asceticam disciplinam spectantibus, vt sydus in Alma Vrbe præfulget? Tibi, inquam, in quo veluti in Sacrarum Litterarum penu tot scientiarum peritia reconditur. Tibi equidem, qui sapientia, & prudentia pollens, Apostolicæ Sedis gloriæ amplificandæ sedulò studes: solicitus de ipsa tuenda apud Orthodoxos, & apud Acatholicos propaganda. Hoc in te æternæ memoriæ Vrbanus VIII. Pontifex agnoscens, talem Consultorem sacris Purpuratorum Patrum congressibus dignum diiudicans, Cardinalitia infula, nihil de tanto honore præ molestia, & religiosa humilitate, cogitantem, prouidè, nec sine speciali Numinis flatu, decorauit. Vt iure Tibi illud Cypriani *lib.* 4. *ep.* 2. adaptari videatur, dum de Cornelio Papa ageret. *Episcopatum ipsum nec postulauit, nec voluit, nec vt cæteri, quos arrogantiæ, & superbiæ suæ tumor inflat, inuasit, sed quietus, & modestus, & quales esse consueuerunt, qui ad hunc locum diuinitus eliguntur, pro pudore virginalis conscientiæ suæ, & pro humilitate ingenitæ sibi, & custoditæ verecundiæ, non, vt quidam, vim fecit, vt Episcopus* (Cardinalis) *fieret: sed ipse vim passus est, vt Episcopatum susciperet.* Equidem, vt singulari doctrina, ex iugi studio mentis acie, ac quotidiana praxi adepta, communia S.R.E. negotia dispiceret, dispiciendo iuuaret, iuuando ad debitum finem, maiorem Dei videlicet gloriam (quod in votis semper veræ sapientiæ cultoribus est) promoueret. Consultè quoque in tuis pono manibus mea *Consulta*, quia tua alioquin sunt, conformia quidem sanæ illi doctrinæ, quam in Hispania (quæ Te protulisse meruit) primum; Romæ deinde in Lycæo Romano, toti Orbi postea voluminibus non paucis editis euulgasti. Memor vtique illius Syracidis gnome cap. 20. *Sapientia absconsa, & thesaurus inuisus, quæ vtilitas in vtrisque?* ac Gregoriani alterius 1. Pastor. cap. 9.

Pecuniam in sudario ligare est percepta dona sub otio lenti torporis abscondere. Toceant ergo qui sub humilitatis (vtilitatis forsan) pallio segnitiem celant, nec audiunt sponsum cœlestem dicentem: *Amici auscultant, fac me audire vocem tuam.* Non sic primi Monastici germinis frutices (Essenos Alexandræos dico) à Philone commemorati; non sic Anachoretæ, & Eremitæ vetusti, prout in libris *Vit. Patr.* legitur; non sic Monachi S. Martini Turonensis comites, Seuero teste: hi namque omnes libris pro communi vtilitate conscribendis, & si mundo altiores, & Deo ecstatici, diligenter vacabant. Idem obseruatum in Monasteriis S. Epiphaniis, & Venerabilis Bedæ, prout ipsorum Acta referunt. Monachorum ergo propria librorum scriptio.

Nec titulus *Regularia*, quem Consulta hæc præseferunt præsentiam tuam abhorret, iure quin potissimo Te tutelarem efflagitat, qui ab incunabulis pubertatis asceticam, & regularem vitam sub toti Orbi celeberrimæ Societatis ferula peregisti, & nunc extra claustrum australiter (qua decet) viuens religiosa parsimonia collætariis. Quidni ergo ex asceteriis nisi tam conspicuus pro Ecclesia Doctor, & virtutis merito Purpuratus euaseris? Vnde enim Hieronymus, Augustinus, & Gregorius ex quatuor Ecclesiæ columnis, nisi è cœnobiis prodierunt? Vnde Aquinas Angelicus, & Bonauentura Seraphicus? Vnde Cyrillus, nisi ex Elię Carmelo? Vnde Basilius, Nazianzenus, Chrysostomus, Epiphanius, & vnde Scriptorum ac Doctorum myriades nisi ex Monachis, & Monasteriis? Quis Hispaniæ nostræ Isidorum, Leandrum, Illefonsum, ac plerosque alios, nisi Monachismus peperit? Quis Galliæ Hilarios, Martinos, Lerinenses, & innumeram Sacrorum Doctorum progeniem nisi Monastica conuersatio dare potuit? Taceo Italiæ Orbis Reginæ, Asiæ, Africæ, Græciæ Germaniæ, & Angliæ Sapientissimorum Virorum cohortem ex Monachis progenitam; dum tamen taceant ij, qui hęc ob oculos cunctis opposita obliuisci videntur.

Singularia porrò à Te mihi exhibita beneficia, quę in mente sunt, & semper erunt, leuidense hoc munusculum in grati animi obsequium postulabat; quod eo gratius pręsto, cum sciam Te facilem aditu, comitate affabilem, humanitate benignum esse, nec humilia solitum fastu respuere, sed cunctos amplecti, qui protectionis vmbram quęrunt. Charitas enim *multitudinem operit.* At quia omni laude superiora hęc sunt & sic Tu in eis enites, vt explicare nequeam, cohibenda est oratio, ne grauitas epistolaris in panegyrim diffluat, reddaturque tuis auribus eò molestior, quò huiusmodi pręconiis audiendis ad fastidium vsque peruenerunt; mea que simplicitas, qua nulli mortali assentari, nihil terrenum appetere, sed soli Deo placere quęro, extra metas prosiliisse videatur. Haud tamen temperare me possum, quin cum Te in S. Inquisitionis Tribunali cum primis aliis Ecclesię Proceribus coram Patre Patrum Iudicem agere conspiciam, quo Catholici gloriam, & Hęretici confusionem exhauriunt, illud accinam quod olim Paulinus Augustino ep. 31. *O lucerna dignè super Ecclesiæ candelabrum posita, quæ latè Catholicis de septiformi lychno pastum oleo lætitiæ lumen effundens, densas licet Hæreticorum caligines discutis, & lucem veritatis è confusione tenebrarum, splendore clarifici luminis enubilas.* Deumque optimum maximum oro, & obtestor, vt, quò facilius quę agis agere possis, ac semper de sacris studiis, & studiosis benè merearis, firmam corporis valetudinem, & vitam longęuam largiatur, ac postea ęternam, iuxta illud à Daniele promissum: *Qui docti fuerint fulgebunt tamquam splendor firmamamenti, & qui ad iustitiam erudiunt multos quasi stellæ in perpetuas æternitates.* Hoc & mihi ipsi, modulum iuxta meum, etiam exopto; & non terrenum aliud, ad pedes Eminentissimę Reuerendissimę tuę dignitatis. Amen.

ADMO



ADMONITIO AVTHORIS ad Lectorem.



ONENDVS, Mi Lector, *quod etsi aliqua ex his Consultis scripta à me sint, occasione litium, seu Controuersiarum, quæ in Vrbe, apud Sacra etiam Tribunalia, agitabantur; partibus etiam, vel aliis interesse habentibus id postulantibus: nihilominus absit vt credas, me Aduocatum, Causidicum, aut Patronum harum forensium causarum agere voluisse. Memor etenim sum eorum, quæ* cap. 1. & 2. de postulando *ex Concilio Lateranensi, & Innocentio III.* & cap. multa, & cap. non magnoperè, Ne Clerici vel Monachi. *ex Concilio Moguntino, & Alexandro III. ac aliis iuribus statuta fuerunt contra personas Ecclesiasticas huiuscemodi fori externi causarum patrocinium assumentes. Ergo pro* veritate, conscientię foro, *&* conscientiarum instructione *à me dictata existimes: quod Religiosis extraneum munus non esse prudens nemo refragabitur.*



APPROBATIONES.



IVssv Reuerendissimi Patris Magistri Ioannis Antonij Philippini nostri S. Carmelitarum Ordinis Generalis, librum qui titulus *Consulta Varia, &c.* à nostro Reu. Adm. P. Magistro Ioanne Baptista de Lezana compositum, qua potui diligentia euolui, ac perlegi, in quò cùm nihil, quod orthodoxæ, catholicæque fidei, ac moribus Christianis obesse, bene tamen quod vtrique plurimùm prodesse potest, repererim, opus dignum censeo, quod typis mandetur vt vel sic faciliori negotio quod doctissimus, piissimusque Author theoricam iam in lucem editam ad praxim trahens, Theologicæque ius vtrumque mirabiliter connectens sapientissimè pro omnium vtilitate docet, ad omnium manus deueniat. Dat. Romæ in nostro Conuentu Sanctæ Mariæ Transpontinæ die 3. Augusti 1650.

Fr. Vincentius Iustus Carmelita.



Nos Fr. Io. Antonius Philippinus Magister Generalis Ordinis Carmelitarum antiquæ Obseruantiæ Regularis.

AVctoritate nostra tenore præsentium, Tibi dilecto Nobis in Christo Adm. R. P. Mag. Ioanni Baptistæ de Lezana nostræ Prouinciæ Castellæ professo Sacerdoti, licentiam impertimur, quantum ad Nos spectat, typis mandandi librum, cui titulus est *Consulta Varia*, à Magistris Theologis nostri Ordinis, quibus id commisimus, perlectum, & approbatum. In fidem, &c. Dat. Romæ die 22. Iulij 1650.

Fr. Io. Antonius Philippinus Generalis Carmelitarum.


Fr. Gauinus Cattayna Secretarius.

Imprimatur si videbitur Reuerendissimo D. Sac. Pal. Apost. Magistro.

Ascanius Riualdus Vicesgerens.

Imprimatur.

Fr. Vincentius Candidus Sacri Pal. Apost. Mag. Ord. Prædic.



EX commiſſione Reuerendiſſimi Patris Magiſtri Marij Venturini totius noſtri ſacri Ordinis Carmelitici Generalis, vidi, & magna animi propenſione, ac mentis attentione perlegi *Noua Conſulta cæteris variis*, Theologicis, *Iuridicis*, *& Regularibus editis addenda* ab admodum Reuerendo Io. Baptiſta Lezana elucubrata, & reperi non ſolum fidei orthodoxæ, Chriſtianiſque moribus conſona eſſe, verum in his, ſicut in prioribus Auctorem ſolita ſua pietate, & eximia doctrina veri Conſiliarij munus exactè adimpleuiſſe; Ita enim per diſquiſitionum diſcuſſionem occulta ſcrutatur, obſcura elucidat, ac dubia examinat, & firmat (quæ videntur boni, & ſani conſilij partes) vt quid amplectendum, quidque omninò faciendum ſit, ab his, qui ipſum adeunt, & pro conſcientia intentant clariſſimè, & ſapientiſſimè doceat; & oſtendat, ideò publici iuris fieri cenſeo. Romæ in Conuentu S. Mariæ Tranſpontinæ die 22. Februarij 1656.

Fr. Hieronymus Ari Carmelita, in Vrbe Sancti Officij Qualificator.



Frater Marius Venturinus S. Theolog. Mag. ac humilis Prior Generalis Ord. Carmelitarum antiq. Obſeruantiæ Regulans.

AVctoritate noſtra, & harum ſerie facultatem concedimus admodum R. P. Mag. Ioanni Baptiſtæ de Lezana noſtri Ordinis Profeſſo Sacerdoti, Prouinciali Terræ Sanctæ &c. typis mandandi additiones quaſdam ad Tomum Conſultorum ab ipſo aliàs editum; de ordine noſtro viſas, & approbatas: Seruatis tamen aliàs ſeruan. In quorum fidem pręſentes dari iuſſimus Romæ apud Tranſpontinam 16. Martij 1656.

Fr. Marius Venturinus, Generalis Carmelit.

Imprimatur ſi videtur Reuerendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Palatij Apoſtolici.

M. A. Oddus, Viceſg.


Imprimatur.
Fr. Georgius Rainoldi Magiſter & R. P. Sac. Apoſt. Pal. Mag. Socius.

INDEX

INDEX CONSVLTORVM, QVÆ IN PRIORE HVIVS OPERIS parte continentur.

De

INDEX.




SYNOPSIS

CONTENTORVM IN PARTE POSTERIORI nunc primùm in lucem edita.



CONSVLTA



CONSVLTA VARIA THEOLOGICA, IVRIDICA, ET REGVLARIA.

PER

P. M. IOAN. BAPTISTAM DE LEZANA.

CONSVLTVM PRIMVM.

De conditionibus requisitis ad Canonizationem, seu Beatificationem Sanctorum eorum præsertim, qui Religiosi fuerunt, maximè propter decreta fælic. recordat. Vrbani VIII.

SVMMARIVM.

IESVS MARIA

Casus, seu Factum.



1 ONTIGIT sæpius,vt Serui, vel Ancillæ Dei, Religiosæ etiam vel Religiosi,cum opinione Sanctitatis (accedentibus etiam signis, vel miraculis) è vita decedant,& à Sede Apostolica pro ipsorum,vel ipsarum Canonizatione,seu Beatificatione postuletur,ac proindè inquiratur de conditionibus requisitis pro tali Canonizatione,vel Beatificatione,& in processibus formatis,multæ, ipsæque grauissimæ occurrant difficultates,idcircò hoc consultum,de cuius materia sæpius interrogatus fui, primò discutiendum est; ea tamen protestatione præmissa, vt omnia subdita sunto Sedis Apostolicæ, & Sac. Congregationis Rituum sapientissimæ, & prudentissimæ censuræ.

Responsio.

2 PRimò negotium Canonizationis,seu Beatificationis seruorum Dei spectat hoc tempore ad Sedem Apostolicam. Ita enim habetur ex Alexandro III.*in cap.Audiuimus,* & Innocentio III. *cap.Cùm ex eo de reliq.& venerat. Sanct.* vbi Innocentius,Ioannes Andreas,Hostiensis,& alij Canonistæ, Summistæ, *verbo Canonizatio,*& alij Doctores communiter. Id etiam supponitur ab Vrbano VIII.in Bulla seu Breui *Cœlestis Hierusalem* anno 1634. Vnde ad Episcopos nullatenus
3 id spectat.Iacobus Castellan.*de Canonizat. Sanct. q.3.art.1.* Felix Contilorius cum ipso *n.17.*Troilus Maluetius *de Canonizat.Sanctor.dub.2 n.1.& seqq.*Augustinus Triumphus *de potest. Eccles.qu. 14.n.2.*& alij communiter. Neque etiam ad Legatum de latere Castellanus *d.q.3.art.2.n.3.* Illustrissimus, & Reuerendissimus Episcopus Vgentinus Barbosa *in Collect. Doct.in d.ca. Au-*
4 *diuimus de reliquiis n.7.* Et quod maius est, nec etiam ex commissione Pontificis, vt tenent Al-
5 phonsus de Castro *de iust.hæret punit. l.1.c.6.col. 4.vers.Rursus,* Contelorius *in addit.ad Iacob.Castellan.d.qu.3.art.2.n.4.* Probatur quia Papa non potest delegare potestatem definiendi res fidei
6 alteri.Aragon. *in 2.2.q.1.art.10.in tract.de Concil. vers.Tertia conclusio in fin.& vers. ad primum argumentum.*Bannez etiam *in 2.2.q.1.art.10. dub.4. vers. Quapropter.* Et quod etiam Concilium vniuersale non possit per se solùm Sanctos Canonizare,nisi interueniente Romani Pontificis auctoritate,resoluunt Iacob.Castellan.*d. qu. 3. art.5. à*
7 *princ.*vbi Contelor.*à n.10.*Angelus Rocca *de Ca-*
8 *noniz.Sanct.c.4.vers.Quod ad solum.* Dixi autem *hoc tempore*; quia antiquitus canonizare seruos Dei, saltem Canonizatione particulari, pro vna scilicet Prouincia,natione, vel Regno spectabat ad Episcopos,prout ex nostro Thoma Vualdensi *tom.3.de Sacrament.tit.14.c.122.*eliciunt Bellarm. *tom.2.l.1.de Beatitud.& Canon. Sanc.c.8.* Laym. *l.4.tr.7.c.5.n.1.* Baldellus *tom.2.l.3. disp.12.n.2.* & alij plures, qui id maximè colligunt ex eo quod D.Cypr.Carthag.Episcopus *l.3.ep.6.*præcipit, vt sibi scribatur si quis martyr de nouo occumbat,vt eius memoria celebretur.

Ratio porrò cur Canonizatio,seu Beatificatio 9
ad Sedem Apostolicam dumtaxat spectet ea est; quod sit publicum Ecclesiæ testimonium de vera sanctitate,& gloria alicuius iam defuncti, & simul iudicium,ac sententia, qua ei decernuntur honores illi, qui debentur sanctis cum Deo regnantibus Bellar.*supr.c.7.*Fort.Scacc.*de cult.& vener.seru.Dei l.1.sec.1.c.8.*Bald.*supr.*Ex hoc autem sequitur solùm spectare hoc negotium ad Summum Pontificem,cùm ipse solus sit caput, & supremus Iudex in Ecclesia, & is ad quem spectat tales honores decernere,& tale testimoniũ dare.

Secundò ad Canonizationem, seu Beatifica- 10
tionem requiruntur communiter in canonizando,seu beatificando vitæ sanctitas, & miracula. Ita.n.expressè Greg.IX.in Can.S.Antonij de Padua in sua Constitut.quæ incipit:*Cùm dicat Dominus,* (& refert Cherubin.*to.1.Bul.in const. eius 4.in cuius §.3.*) ait: *Nos attendentes quod licet ad* 11
*hoc,vt aliquis sanctus sit apud Dominum in Ecclesia triumphante, sola sufficit finalis perseuerantia iuxta illud: esto fidelis vsque ad mortem,& dabo tibi coronam vitæ. Ad hoc tamen,vt Sanctus habeatur apud homines in Ecclesia militante duo sunt necessaria.Virtus morum,& veritas signorum, merita videlicet,& miracula,vt hæc & illa sibi ad inuicem contestentur,cùm nec merita sine miraculis,nec miracula sine meritis plenè sufficiant ad perhibendum inter homines testimonium sanctitatis.*Sicque tenent communiter DD.Mascardus *de probat. volum. 1. conclus.260.* Contilorius *de Canon. SS. c.19.ex aliis,* Carena *in tr.de offic.S.Inquis.p.2.tr.17.§.12.n.42.*

Requiruntur autem vltra bonam vitam mira- 12
cula ad Canonizationem, seu beatificationem, quia licèt vt dixit Gregorius IX.*supra bona vita sufficiat ad sanctitatem erga Deum,*seu pro Ecclesia triumphante,non tamen ad sanctitatem erga homines, & Ecclesiam militantem. Et quia potest contingere quod ij qui secundum apparentiam vitam gerunt bonam,in occulto tamen improbi sint.Innocentius *in cap. Audiuimus de reliquiis,& veneratione,n.1.in fin.*Peirinis *tom.1.Priuileg.Minim.in Constit.16.Leon.X.n.8.*

Dixi autem *communiter* requiri miracula ad 13
Canonizationem &c.quia absolutè,& de potentia veluti absoluta Papæ potest canonizari aliquis ex sola Sanctitate vitæ,& finali perseuerantia benè constita. Sic enim colligitur ex Leone X. in Canonizatione S. Brunonis, vt refert Surius *in vita ipsius,*& Sixt.IV.in Bulla Canonizationis S. Bonauenturæ.Triumphus *supra q.15.art.2.*Contelorius *de Canoniz.sanct.c.19.*Baldellus *sup. n.13.* Molfesius infra referendus *n.59.*

Miracula porrò ista, quæ requiruntur,debent 14
esse post mortem patrata;nam quæ solùm in vita gesta sunt non plenè conuincunt. Constat enim plures improbos dum viuerent mirabilia patrasse,vel ex dono, & gratia gratis data, quæ potest haberi etiam sine charitate, prout colligi videtur ex illis reprobis,qui,vt dicitur Matth. 7. dicturi sunt in die iudicij: *Domine in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus.*Et tamen, vt benè notat S.August.*in Ps.103.vers.Qui tegis.*

Et

Et habetur *cap. Prophetauit* 1.*q*.1. non illis dicetur *mentimini*, sed dicetur, *non noui vos.* Quia scilicet potuit contingere quod illa patrauerint opera dæmonum, vt Magi Pharaonis, Simon Magus, & alij. S. Thom. 2.2.*q*.178.*art*.2. Contilorus *supr. c*.20. Baldellus *supr. disp*.14.*n*.2. Castellinus *de Dilation. Canonizat. pag*.134.

15 Miracula etiam, quæ requiruntur ad Canonizationem, vel beatificationem quatuor conditiones debent habere. Prima quod ex Deo, non ex aliqua arte contingant, nec ex diabolo. Nam miracula fiunt quandoque, vt diximus, per malos, *cap. teneamus* 1.*q*.1. & *cap. Prophetauit* 2.*q*.7.§. *item Balaam.* Secundò quod sint supra naturam, id est, supra facultatem omnium causarum naturalium. S. Thom. 1.*p.q*.110.*art*.4. *&* 2.2.*q*.178.*a*.2. Theologi, & Canonistæ communiter. Talia sunt resuscitatio mortui, restitutio visus cæcinati, & similia. De quo vlterius *num*.101.*& seqq.* dicetur. Tertiò quod non ex vi verborum, sed hominis meritò contingant: nam panis, & vinum virtute verborum miraculosè transubstantiantur, in corpus & sanguinem, vt in *cap. quia corpus de consecr. dist*.2. Quartò secundum plures quod sint ad corroborationem fidei. Hostiensis *in Summa tit. de relig. & vener. Sanct. lib*.3.*n*.3. Peirinis *sup. num*.-. Mascardus *sup. à n*.23. Licet alij id negent, quos sequitur Molfesius *tom*. 2. *Addit. ad qq. vsual. cons*. 46. *num*. 85. Vide Castellinum *de Dilatione Canoniz. pag*.55.

16 Pro Martyribus autem non esse necessariam miraculorum comprobationem tenent Augustin. Triumphus *q*.16.*art*.3. Angelus Rocca *de Canonizat. Sanct. c*.35. Baldellus *supr. disp*.14.*n*.4. *&* 14. afferens decisionem Rotæ, stylum Curiæ in pluribus Canonizationibus, & plura alia fundamenta, Flauius Cherubinus *in compend. Bullar. schol*.2. *ad Constit*.4. *Alexandri* 3. *& schol*.1. *ad Constit*.11. *Innocentij* 4. & Carena *in tract. de offi. S. Inquisit. part*.2.*tract*.17.§.12.*num*.42. Requiritur tamen probatio causæ propter quam passi sunt. Quia causa non pœna facit martyrem, vt inquit S. August. *Epist*.61. *&* 166. Quæ quidem causa debet esse defensio, seu confessio fidei Christianæ prout regulariter contingit. Vel etiã eorum quæ fidei annectuntur, siquidem constat S. Ioannem Baptistam pro Martyre haberi, eo quod occisus fuerit ab Herode ob reprehensionem adulterij. Augustinus Triumphus, Rocca,

17 Cherubinus, & Carena relati. Modus enim, seu causa patiendi diligenter inuestigari debent, prout ijdem Triumphus, Rocca, & Cherubinus. Maximè Mascardus *de probationibus volum*.1. *conclus*.261.*n*.10. vbi sic rectè: *Non est respiciendum ad supplicij genus, vel tormentorum asperitatem nisi causa, propter quam quis patitur à Sancta Romana Ecclesia approbata, & confirmata sit. Quot enim hisce nostris felicissimis, ac deplorandis temporibus blanditiis, falsisque hæreticorum doctrinis in fraudem pellecti, & seducti, laqueisque diabolicis irretiti, quoduis etiam crudelissimum genus mortis perpeti non dubitarunt, quam vel latum quidem vnguem à peruersa sua hæretica scabie discedere.*

18 Quod probat exemplis Georgij Cella Nouariensis, cuiusdam alterius Angelici, & aliorum hæreticorum (etiam fœminarum) qui pertinacissimè vitam pro sua secta exposuerunt. Casu autem quod causa martyrij non constet sufficien-

19 ter, tunc videntur necessaria miracula, prout probat Baldellus *d. disp*.14. *n*.15.

Quia etiam veneratio Sanctis exhibita vnà est de maioribus Ecclesiæ causis, ideò ante beatificanem, ac maximè ante Canonizationem requirunt pontifices præter vitæ sanctitatem, ac miracula, multiplicatas preces magnatorum intercedentium, cõstantem famam de sanctitate, conti- 20
nuationem miraculorum, & plura alia, de quibus Canonistæ *in c*.1. *&* 2. *de reliq. & vener. Sanct.* Iacobus Castellanus, Troylus, Rocca, & alij in libris *de Canoniz. Sanctorum.* ac Peña *in vita S. Didaci, & in vita S. Ranmundi*, ac ita supponitur in decretis *pro Canoniz. & beatificatione Sanctorum*; iussu Vrb. VIII. editis, de quibus modò dicetur. Nota tamen, quòd licet regulariter requirantur Principum, & Magnatum preces, sufficere tamen possunt ea quæ fiunt ab Episcopis, vel Prælatis Religionum, vt probat Molfesius *eo consil*.46. *num*. 78. Panuino.

Extant etiam plura, & varia decreta Sacrarum 21
Congregationum Sanctissimæ Inquisitionis, & Rituum iussu, vel approbatione fel. rec. Vrbani VIII. edita circa cultũ, aut venerationem defunctorum, *qui cum sanctitatis, vel martyrij fama, vel opinione decesserunt*, & circa processus in causis Canonizationis, vel beatificationis Sanctorum, & modum procedendi in illis, ac circa alia concernentia, quorum notitia maximè necessaria est pro dictis causis Canonizationis, vel beatificationis. Animaduertendo primò, Molfesium *supra cons*. 45. plura doctè dicere de huiusmodi viris sanctitate insignibus debito, quæ tamen moderanda sunt ad mentem horum decretorum, quæ ipse videre non potuit.

Primò ergo ex decreto Sac. Congregationis 22
Sanctissimæ Inquisitionis iussu eiusdem Vrbani die 13. Martij 1625 edito præcipitur. *ne quorumuis hominum cum sanctitatis, seu martyrij fama (quantacunque illa sit) defunctorum Imagines cum laureolis, aut radiis, seu splendoribus, & quodcunque aliud, venerationem, & cultum præseferens, & indicans in Oratoriis, aut locis publicis seu priuatis, vel Ecclesiis tam secularibus, quàm Regularibus cuiuscunque Religionis, Ordinis, Instituti, Congregationis, aut Societatis apponantur, antequam ab Apostolica Sede Canonizentur, aut Beati declarentur, & (si quæ appositæ sunt) amoueantur, prout eas statim amoueri mandauit.* De cuius decreti 23
materia dixi *tom*.4. *verb. Sanctorum cultus num*.7. & de ipso Carena *supra num*.49. *&* 50. Baldellus etiam *suprà num*.27. *& disputat*.13. *num*.1. Additur autem in aliis decretis de anno 1642. editis non posse apponi tales imagines, neque in altari priuato, aut quocunque alio loco.

Habentur etiam in eodem decreto sequentia. *Ac pariter imprimi de cœtero inhibuit libros, eorundem hominum, qui sanctitatis, siue martyrij fama, vel opinione (vt præfertur) celebres è vita mi-* 24
grauerint, gesta, miracula, vel relationes, seu quacunque beneficia tanquam eorum intercessionibus à Deo accepta continentes, sine recognitione, atque approbatione ordinarij, qui in [illegible] recognoscendis, Theologos, aliosque pios, ac doctos viros in consilium adhibeat, & ne deinde fraus aut error, aut aliquid nouum, ac inordinatum in retam graui committatur, negotium instructum ad Sedem Apostolicam transmittat, eiusque responsum expectet. Reuelationes verò, & miracula aliaque beneficia supradicta, quæ in libris horum hominum vitam, & gesta continentibus hactenus sine recognitione, atque approbatione huiusmodi impressa sunt nullo modo approbata cen- 25

fieri vult mandatque sua Sanctitas. Additur etiam in aliis decretis de anno 1642. Responsum quod à Sede Apostolica in vim prædictorum decretorum expectare debent ordinarij &c. non detur nisi cum infrascriptis protestationibus in dictis libris, & historiis referendis. Declarando expressè quod tales libri, seu historiæ, licet ab ordinariis reuisæ, & post Sedis Apostolicæ responsum approbatæ, non faciant maiorem gradum probationis in ordine ad Canonizationem, seu beatificationem quàm quæ alias absque tali approbatione de iure fecissent, non obstante quocunque longissimi temporis cursu. Has verò protestationes habet Rector in nostro 4. *tom. Summæ verbo Sanctorum cultus num.* 9. *&* 10.

Non obstante autem huiusmodi decretis extat iuridica declaratio eiusdem Vrbani in generali Congregatione Sacræ Romanæ, & vniuersalis Inquisitionis Romæ habita in Palatio Apostolico Montis Quirinalis die 5. Iunij anno 1631. coram Eminentissimis ac Reuerendissimis Cardinalibus Inquisitoribus, &c. Cum enim Vicarius Generalis Capuccinorum, nomine totius Definitionis generalis per memoriale exhibitum Sanctitati suæ exponeret, *quod in Annalibus dictæ Religionis iuxta communem modum, atque vsum loquendi, & scribendi, plures dicuntur, & narrentur fuisse viri sancti & perfecti, & sanctæ vitæ, & sanctarum operationum, & plura gessisse, quæ videntur miracula; absque eo tamen, quod illi pronuncientur, & declarentur absolutè Sancti, & hæc pronuncientur, & declarentur absolutè miracula, sed omnia solùm referantur, vt habita à personis fide dignis, & ex fama, & dictis multorum, & super his omnibus idem Vicarius Generalis humiliter supplicaret, vt Sanctissimus dignaretur declarare mentem sui decreti, & Bullæ super his editæ.* Idem Sanctissimus dicto memoriali audito declarauit non debere admitti elogio Sancti, aut Beati absolutè, & quæ cadant super personam; benè tamen posse admitti per Magistrum S. Palatij ea, quæ cadunt supra mores, & opinionem (eorum videlicet, cum protestatione in principio, quod iis nulla adsit authoritas ab Ecclesia Romana, sed fides sit tantùm penes authorem. Sic refert Baldell. *sup. disp.* 13. *num.* 21. qui etiam addit in vim huius declarationis fuisse posteà à PP. Iesuitis Romæ sæpius impressas litteras Indicas super martyrio aliquorum, cum sola protestatione, quòd non intenderent vllam authoritatem, aut fidem illis præbere, nisi purè humanam. Et quod iterum de anno 1640. vi eiusdem declarationis obtenta sit facultas ab eodem Vrbano VIII. & Congregatione Rituum imprimendi Cathalogum scriptorum Societatis, præmissa dicta protestatione. Ex quo etiam infert hoc modo non esse dicendum prohiberi miracula contra antiquissimum Ecclesiæ vsum, & voluntatem Dei volentis, vt sciantur; & prudentissimè caueri ne maior fides illis adhibeatur, quàm debeat, & ne paulatim per ea irrepat cultus publicus sine authoritate Ecclesiæ. Quare decreta relata intelligi videntur tum generaliter de omnibus Ordinariis, non verò de Magistro S. Palatij de quo specialiter est sermo in declaratione illa eiusdem Vrbani pro Patribus Capuccinis, tum quando non adsunt limitationes in ea declaratione positæ. Adde quòd hoc modo videntur practicata præfata decreta in aliquot libris impressis, præsertim extra Vrbem.

26 (margin, beside "rali Congregatione Sacræ Romanæ")
27 (margin, beside "re mentem sui decreti")
28 (margin, beside "VIII. & Congregatione Rituum")

Habentur etiam in eodem decreto sequentia: *Ad horum hominum sepulchra vetuit etiam ac inhibuit tabellas, atque imagines ex cera, aut argento, seù ex alia quacunque materia tam pictas, quàm fictas, atque exculptas appendi, seu affigi, & lampades, seù alia quacunque lumina accendi sine recognitione ab Ordinario, omnino, prout suprafacienda, Sedique Apostolicæ referenda, ac probanda.* De cuius etiam decreti materia Carena *supra num.* 50. dicens cauendum esse ab Andrea Molfessio *cons.* 45. *num.* 33. *& seqq.* vbi voluit ad sepulchra & imagines non Canonizatorum posse deferri tabellas, & alia dona receptarum gratiarum inditia. Dixi etiam de eadem materia *eo verbo Sanctorum cultus num.* 12. Et quod attinet ad prohibitionem lampadum Baldellus *sup. disp.* 13. *n.* 22. latè.

Postea verò die 2. Octobris eiusdem anni 1625. ab eodem Vrbano in eadem S. Congregatione statutum est, *vt quoties ad aliquam Ecclesiam, aut Oratorium, locumve alium publicum secularem, seu regularem tabellas, & imagines, aliudve simile quispiam detulerit ac intercessione hominum inter Sanctos, vel Beatos non ascriptorum, quamuis cum martyrij, vel Sanctitatis fama demortuorum. optata sese impetrauisse dixerint, liceat Ecclesiasticis personis Ecclesiarum, locorumve prædictorum cura Præpositis, tabellas, & imagines siue pictas, siue ex quauis materia fictas, atque alia quæcunque collatæ gratiæ fidem facientia simul cum deferentis, aliorumque qui conscij fuerint attestationibus recipere, atque, approbantibus Ordinariis, ad quos referre statim omnia teneantur, in secreto aliquo seorsum ab Ecclesia loco custodire, ibidemque amota collocare, & asseruare, vt si quando Dominus talium virorum merita Beatificationis, seu Canonizationis honore in terris decorare voluerit; extent huiusmodi sanctitatis qualescunque probationes, Apostolicæ Sedis iudicio tunc examinandæ, contrariis quibuscunque non obstantibus.*

Nota autem quod quamuis in hoc decreto præcipiatur, quod si prædictæ tabellæ, imagines, &c. deferantur, custodiri debeant in secreto aliquo seorsim ab Ecclesia loco; nihilominus in nouissimis decretis de anno 1642. permittuntur custodiri in Sacrario secreto tamen, & eo modo, quo cultum, & venerationem non præseferant.

Præterea idem Vrbanus in litteris sub forma Breuis datis die 5. Iulij 1634. quæ incipiunt: *Cælestis Hierusalem,* pro obseruantia horum Decretorum, hæc habet: *Demùm verò, vt eiusmodi decreta obseruarentur indubiè, ac omnimodam sortirentur executionem, cum eisdem Cardinalibus re pariter communicata, deque eorundem consilio, præmissis addidimus, statuimus, decreuimus, atque declarauimus, ne ex tunc deinceps quispiam Ordinariorum, aut ab Apostolica Sede ad hoc specialiter delegatorum super alicuius vtriusque sexus cum sanctitatis, aut martyrij fama vel opinione defuncti miraculis, reuelationibus, aliisve eiusmodi sanctitatem redolentibus ex integro informationes quoquomodo reciperet, aut processum instrueret, vel hucusque receptas informationes, instructumque processum vlterius prosequeretur, nisi postulator prius per legitimas iuridicè susceptas probationes circa personam eius, de cuius miraculis, reuelationibus, aliisque rebus gestis sanctitatem præseferentibus ageretur, præscriptam*

in

in præfato nostro decreto formam omninò seruatam extitisse docuerit, & nisi postea successiuè idem Ordinarius, aut ab Apostolica Sede ad hoc specialiter delegatus diligenti prehabita disquisitione circa eandem personam supracitato decreto nullatenus contrauentum esse ritè pronunciauerit. Vtque id inuiolabiliter obseruetur statuimus insuper, & decreuimus ne transmissi ad Vrbem vndecumque huiusmodi processus à Congregationis Sacrorum Rituum Secretario, minusue à Sanctæ fidei Promotore (imò etiam *à Prothonotario Apostolico, vel quocunque alio deputato*, prout additur in decretis de anno 1642.) *quomodolibet aperiantur, nisi prius in ipsa Sacrorum Rituum Congregatione alio seiunctim oblato authentico processu, ex eo Ordinarium, aut ab Apostolica Sede specialiter delegatum ritè, ac rectè, vt præmittitur cognouisse, ac pronunciasse prælibato decreto nequaquam contraitum esse plenè constiterit, ac deinde à nobis iudicialiter aperiendi eos processus facultas indulta fuisset.* Declaratum autem etiam est in posterioribus decretis de anno
34 1642. huiusmodi processum super cultu non adhibito faciendum etiam esse *quando aliquis postulator allegaret* se versari in vno ex casibus exceptuatis; nempe *quod cultus fuerit adhibitus ex indulto Summorum Pontificum, vel permissione Sacræ Congregationis, vel per communem Ecclesiæ consensum, vel per immemorabilem temporis cursum, aut per Patrum, virorumque Sanctorum scripta, vel longissimi temporis scientia, atque tolerantia Sedis Apostolicæ, vel Ordinarij*, vt semper appareat in primis fuisse satisfactum supradictis decretis.

35 Quia autem idem Vrbanus in præfatis decretis de die 13. Martij 1625. declarauit, quod *per suprascripta præiudicare in aliquo non vult, neque intendit iis, qui aut per communem Ecclesiæ consensum, vel immemorabilem temporis cursum, aut per Patrum, virorumque Sanctorum scripta, vel longissimi temporis scientia, ac tolerantia Sedis Apostolicæ, vel Ordinarij coluntur*, ex eo sanè quia hæc æquiualent, vel æquipollent Canonizationi, vel beatificationi, vt notant Sanchez *l.2. in Decalog. c.43. n.11.* Bonacina *in primum præcept. Decalog.*
36 *disp.3. q.1. punct.2. n.3.* Baldellus *sup. disp.12. n.26. & disp.13. n.4.* ideo ad huius decreti explicationem posteà declarauit, prout habetur in dictis litteris sub forma Breuis de die 5. Iulij 1634. *tale longissimum tempus, illiusue immemorabilem cursum de quo in prædicto decreto, esse tempus centum annorum metam excedens.* Quare huiusmodi declaratione supposita non potest sustineri sententia Bonacinæ *supra §. Excipiendum tamen in impressione Lugdun.* dicentis tempus 30. aut 40. annorum ad id sufficere. Baldellus supr. *eo n.4.*

Ex quo obiter dicendum videtur ea quæ in huiusmodi decretis, & aliis infra referendis con-
37 tinentur suppleri posse per æquipollentia. Siquidem Æquipollentium eadem est disciplina. *l. si mater* cum Glossa, & Bartolo, *C. de inst. & subst. sub cond. fact.* Bertachinus in Repertor. Quod tamen limitandum, vt non intelligatur de iis, quæ pro forma in ipsis statuuntur: forma namque, cùm sit de genere indiuisibilium *l. si veritas, C. de fideico.* Tiraquellus *de iur. mar. glos.6. num.4.* Gonzalez *ad reg.8. Cancell. glos.18. num.76.* non potest suppleri per æquipollentia *l.3. §. fin. l. qui per salutem ff. de iureiur.* Surdus *cons.318. n.10.* Scaccia *de conuent. glos.5. num.22. & §.1. qu.1. nu.151.* Boërius *decis. 1. n.45.* Nisi forsan quando forma respicit certum effectum, qui per æquipollens potest effectualiter consequi. Scaccia *supr. n.152.* Barbosa *in axio. iur. axiom.100. n.16.* Quæ valdè pro praxi dictorum decretorum obseruari debent. De quibus vlterius infrà *n.128.*

In causis Canonizationum, & Beatificationum propter earum grauitatem solet Sedes Apostolica procedere cum magna maturitate. Ita in decretis de anno 1642. Et merito sanè, quia circa maiora maius periculum versatur, ideo cautius est agendum, diuturna tarditate, & considerata maturitate. *c. quiescamus 40. dist. cap. miramur 61. dist. ca. nuper 7. q.2. c. vbi periculum in principio de elect. in 6. & in l.1. § Sed etsi quis ff. de carbon. edit.* Mascardus *de probat. vol.1. concl.261. n.61.* Rocca *supr. c.31.* Pasqualigus *in qq. moral. Canonic. centur. 1. q. 69. n.10.* Canonizationis autem, seu Beatificationis negotium est de maioribus Ecclesiæ causis, vt habet Glossa *cap. vnico verbo Sedis Apostolicæ de reliq. & vener. Sanct. in 6.* & communiter Doctores. Propterea, vt habetur in eisdem decretis Vrbanus 8. præcepit S. Rituum Congregationi ne deinceps procedat in præfatis causis *nisi lapsis quinquaginta annis ab obitu*, & tunc *nisi habita prius, & expressè obtenta licentia à Sanctitate sua, vel eius successoribus.* Lucas etiam Castellinus librum scripsit *de dilatione Canonizationis Sanctorum.* vbi ex professo de hac maturitate maximè à pag.30. 38

Propterea etiam in causis Canonizationis, vel Beatificationis requiruntur certæ, & euidentes probationes, nec sufficiunt præsumptiuæ, & coniecturales, quia hæ non sunt veræ probationes. *l. Lucius ff. de condit. & demonstr.* vbi Bartolus, & Imola Romanus *l.1. C. de test. milit.* Ruinus *cons.128. n.2. lib.4.* Natta *cons.29. n.5. & cons.581. n.9.* Baldus *cap.1. §. cum autem de controu. inuestit.* Pasqualigus *supr. n.1.* Etiam si simus in antiquis; propter grauitatem materiæ, quæ pertinet ad regimen vniuersalis Ecclesiæ. Petrus, Gallesinus *p.3. de Canonizat. S. Didaci c.6. § cuius singularis, & c.8.10. & seqq.* Iacobus Castellinus *de Canonizat. SS. q.7. §. quæro qualiter*, Troylus *de Canoniz. c.1. n.15. & c.4. n.64.* Castellinus *supr. à pag.86.* 39

Fama regulariter, & communiter non sufficit pro probatione in huiusmodi causis, quia non facit plenam probationem. *l.3. § eiusdem quoque ff. de testib.* Accursius *verb. confirmat.* Bartolus *ibid.* Cardinalis Alban. *n.2.* Decius *c.1. de probat.* Castellinus *supr. à pag. 101.* Maximè si agatur de probandis miraculis, quia circa ipsa debet fieri diligens & exacta inquisitio, itaut de singulis circumstantiis innotescat, de quibus *in c. Causam de testib.* vt notat, & firmat Bart. *tr. de testib. §. qualitas sine substantia, n.56.* Et proinde debent testes interrogari vnus seorsim ab alio, vt notat Ioannes Andreas *cap. venerabili, verb. singillatim de testib.* Troylus Maluetius *tr. de Canoniz. Sanc. § Aggredior, n.54.* Mascardus *sup. n.41. & 42.* Pasqualigus *sup. n.14.* Castellinus *sup.* multa habens de huiusmodi testibus *pagin. 87.94.96. & seqq.* Molfesius *eo cons.46. à n.62.* plura de his testibus congerens. 40 41

Nihilominus quando fama miraculorum est notoria, & probabilibus coniecturis, aut verisimilibus argumentis innititur, præstat indicium efficacissimũ ad effectũ beatificationis, seu Canonizationis Sanctorum. Hoc enim colligitur ex Bullis, seu diplomatibus Summorum Pontifi- 42

cum pro Canonizatione, vel Beatificatione; vt patet in litteris *Dominum excelsum* Paschalis II. pro Beatificatione Petri Episcopi Ananiensis, Alexandri III. in litteris *Redolet Anglia* pro Canonizatione S. Thomæ Cantuariensis; Gregorij IX. in litteris *Mira circa nos* pro Canonizatione S. Francisci; Honorij III. in litteris pro Canonizatione S. Laurentij Episcopi Dublinensis, quas, & alias refert ad intentum hoc Fortunatus Scacchus *de cultu, & veneratione Sanctorum lib. 1. sect. 9. cap. 7.* Quod idem patet in nouissimis Canonizationibus, & Beatificationibus, vt patet in Instrumentis Canonizationis S. Andreæ Corsini, & litteris Beatificationis B. Mariæ Magdalenæ de Pazzi, & aliis similibus. Vide infra *n.* 126.

43 Nec etiam sufficiunt scripturæ priuatæ, vel tabellæ etiam in publico expositæ ad probandam sanctitatem alicuius, seu miracula; quia cùm non sint authoritate publica confectæ, non excludunt terminos scripturæ priuatæ secundum doctrinam Innocentij *cap. 1. de fid. Instrum.* Vnde de se nullam fidem faciunt, iuxta ea, quæ tradunt communiter Doctores *in Authent. At sit contractus c. de fid. Instrum. & in l. scripturas C. qui potior. in pign. habean.* & per adducta à Maranta *p. 6. speculi, vers. Et producuntur scripturæ, & num. 34.*

44 Quod verum est etiam si scripturæ in aliquo archiuio reperiantur, nam tunc solùm scripturis in Archiuio repertis fides adhibetur, quando archiuium est publicum, in quo solùm scripturæ publicæ, & authenticæ recondi soleant. *cap. Ad audientiam de præscriptionib. & l. Census,* vbi Gloss. *ff. de prob.* & notat Bart. *l. 1. ff. si certum petatur.* Corneus *cons. 333. n. 7. volum. 1.* cum Glossa *cap. peruenit verb. Archiuiis 30. qu. 1. ex Authent. Ad*

45 *hæc. C. de fide Instr.* Imò etiam si in Archiuio quo solùm scripturæ authenticæ seruari solent reperiretur aliqua scriptura narrans alicuius sanctitatem, aut miracula, non sufficeret in ordine ad Canonizationem, aut Beatificationem, nisi simul exprimeretur, quod sanctitas, & miracula illa auctoritatiuè & eo modo, quo debent examinari, fuissent examinata, aut approbata; aut nisi per modum processus exprimerentur omnia necessaria pro iuridica examinatione, itaut posset procedi ad examinandum: quia cùm talis scriptura se habeat vt purum testimonium testificans de sanctitate & miraculis, nisi sufficienter testificetur pro examine instruendo, vt insufficiens reiiciendum est, sicut reiicerentur processus insufficientes. Ita Pasqualigus *supra num.*

46 15. Idem subiungens *num.* 16. pro casu quo alicuius vitæ sanctitas, vel miracula in lapidibus in publico expositis incisa essent, nisi authenticè & authoritatiuè id factum comprobaretur, prout ex iuribus, & Doctoribus comprobat. Quid verò dicendum de historiis, de quibus videtur ratio esse diuersa, cum sint scripturæ publicæ, dicetur infra *num.* 135. Maximè si sint antiquæ, propter eandem rationem, iuxta dicenda *ibidem.*

47 Statuitur etiam in eisdem decretis de anno 1642. editis, quot Congregationes fieri debeant pro huiusmodi causis tractandis; quinam eisdem assistant; qui modus in eis seruandus; & quod iuramentum præstari solitum in Congregatione SS. Inquisitionis sub pœna excommunicationis latæ sententiæ Papæ reseruata præstetur etiam in huiusmodi causis de non reuelandis &c. quod ab hac excommunicatione nullus, nec etiam summus Pœnitentiarius, absoluere possit; quæ forma commissionis generalis seruanda; quibus committendæ litteræ Remissoriales; quæ sit forma ipsarum; & quomodo formandi processus.

Extat etiam sequens decretum circa prohibitionem capiendi informationes super sanctitate, aut miraculis alicuius defuncti. *Cum in tota Ecclesiæ gubernatione nihil maius, nihil sit augustius Beatificatione, & Canonizatione Sanctorum, vtpote homines iam demortuos etiam cum fama sanctitatis, ac miraculorum declarare pro sanctis, eosque vti tales colendos, & venerandos decernere. Sacra Rituum Congregatio, vt res hæc planè amplissima atque grauissima ritè, sanctèque conficiatur, prohibet omnibus, & singulis personis Ecclesiasticis tam secularibus, quàm Regularibus etiam Sancti Ioannis Hierosolymitani, Societatis Iesu, vel aliorum quantumuis speciali nota dignorum, ne audeant ipsi per se, aut per alios capere informationes super sanctitate, aut miraculis alicuius defuncti, neque vllo modo exquirere, aut obtinere ad hunc effectum extraiudiciales testificationes, aut subscriptiones sub pœnis arbitrio S. Congregationis infligendis. Quod si superiori, Sacristæ, seu alteri officiali illius Ecclesiæ, in qua requiescit corpus ipsiusmet defuncti, vel alterius etiā Ecclesiæ, fuerint reuelata aliqua miracula, seu prophetiæ dona, possint ea recipere sub sigillo secreti ab ipsis tantùm relatoribus, in quorum gratiam contigisse narrabitur; teneantur tamen quamprimùm commodè poterunt, eadem deferre, vel obsignata transmittere Episcopo loci cum expressa declaratione, quod reuelationes sic, vt supra receptæ, non faciant aliquem probationis gradum, etiam cuiusuis longissimi temporis cursu.* Vnde infertur quod superiores Religionum nullam habent facultatem ad fabricandum processus super sanctitate vitæ, aut miraculis alicuius Religiosi, nec talibus processibus fidem aliquam adhiberi debere. Quod etiam habetur ex Rota *in relatione S. Hiacinthi fol. 37.* & notat Contelorius *de Canonizatione cap. 4. num 24.* 48

Meritò etiam in his & aliis decretis indiscriminatim, & indistinctim fit sermo de Canonizatione, & Beatificatione, quia quamuis secundum Fortunatum Scacchum supra *sect. 1. c. 8.* Canonizatio essentialiter distinguatur à Beatificatione in eo quod in Canonizatione Papa procedit vt Iudex vniuersalis Ecclesiæ, & per sententiam diffinitiuam decernens alicui cultum deberi in Ecclesia militanti; in Beatificatione autem non procedit vt Iudex, neque definiendo, sed vt Princeps in Ecclesia priuilegium concedendo huic vel illi Ecclesiæ, Regioni, vel Religioni, vt absque incursu pœnarum latarum contra superstitiosos, & eos qui absque licentia Sedis Apostolicæ alicui præstant cultum, liceat illis talem, vel talem cultu Sanctorum venerari. Nihilominus communior sententia est non differre essentialiter, cùm ordinentur ad cultum, & venerationem sanctis exhibenda, quod videtur essentialis ratio ipsarum, sed solùm accidentaliter, in quantum Beatificatio est quædam veluti via ad Canonizationem; prior illa, minus solemnis, & magis particularis; ac veluti pars ipsius. Canonizatio verò sit posterior, generalior, solemnior, & veluti totum quoddam. Vnde beatificatio vocatur *particularis Canonizatio*; immò ab aliquibus vocatur *semicanonizatio*, seu *Canonizatio secundum quid*, & ab aliis videlicet à 49 50

Carena

Carena *in tract. de offit. Sanc. Inquisit. par. 2. tit. 17. §. 12. num. 51.* species veræ Canonizationis. De quibus Angelus Rocca *de Canonizat. cap. 38.* Peyrinis *supr. in constit. illa 16. Leonis X. num. 1.* Contilorius *de Canonizat. cap. 2. num. 4. & seqq.* ex Peña Tuscho, & aliis Baldellus *d. disp. 12. n. 8.* Castrus Palaus *p. 1. oper. moral. tract. 4. disp. 1. punct. 5. §. 5.* Secundò quia cultus omnes qui Canonizatis deferuntur, vt in plurimum, & magna ex parte etiam deferri possunt beatificatis,
51 vt probat Baldell. *supr. nu. 19.* & colligitur ex Castro Palao *supra.* Tertiò, quia probabile est eadem certitudine tenendum esse Pontificem errare non posse in beatificatione Sanctorum, sicut
52 neque in Canonizatione: Tum quia Doctores antiqui loquentes de Canonizatione quantum ad hoc nullam distinctionem inter ipsam & beatificationem fecerunt: Tum quia eo ipso quod Pontifex beatificans aliquem Missæ sacrificium in illius honorem celebrari concedit, cùm Missa nomine totius Ecclesiæ offeratur, ipsique tota Ecclesia medio Sacerdote veluti assistat, proponitur toti Ecclesiæ vt Sanctus venerandus.
53 Castrus Palaus *sup. n. 4.* Ludouicus Caspensis *in cursu Theologic. tomo poster. tract. 15. disp. 2. sect. 8. num. 82. & 83.* Castellinus supra à pag. 114. aliis inhærens. Quartò, quia beatificator respicit futuram Canonizationem, & habet connexionem cum illa, & ad illam dirigitur à Papa, vt patet in Bullis Beatificationis tam antiquis, quàm modernis, præsertim B. Petri Anagni edita à Paschali II. B. Philippi Benitis à Leon. X. quas refert Fortunatus Scacchus *supra sect. 1. ca. 8.* & B. Mariæ Magdalenæ de Pazzi Carmelitæ, vbi dicitur: *Vt donec Canonizationis honor dicta ancilla Dei Maria Magdalena ob eius excellentia merita, diuina inspirante gratia, ab Apostolica Sede decernatur, eadem ancilla Dei Maria Magdalena Beata nuncupari, atque officium, & Missa de ea, vt infra, recitari, & celebrari possit.* Pro aliis differentiis Canonizationis, & Beatificationis legendus Lucas Castellinus *supra pagina 10. & seqq.*

54 Hinc tam pro beatificandis, quàm pro Canonizandis requiruntur virtutes non communes, & ordinariæ; sed illæ, quæ à Theologis appellantur *heroicæ*, seu in gradu heroico, veluti diuinæ, & super humanæ, per quas, quantum fieri potest homo coniungitur Deo. De quibus Aristoteles *lib. 7. moral. c. 1.* S. Th. *ibi*, Bonauentura *in 3. dist. 34. q. 1.* Gerson. *4. part.* Piccolomineus *in lib. de moribus gradu 6. c. 1. 2. & 3.* Fortunatus relatus *sect. 2. cap. 4.* exemplis explicans aliquas actiones Sanctorum in quibus hæ virtutes heroicæ reluxerunt.

55 Specialiter tamen pro Canonizatione, seu beatificatione alicuius personæ Regularis, seu Religiosæ præter miracula, virtutes etiam in gradu heroico, & alia relata, requiritur quoque exactissima, & vigilantissima obseruantia, & custodia illorum omnium, quæ ad statum Religiosum spectant, scilicet votorum Regulæ, & statu-
56 torum, seu Constitutionum sui Ordinis. Primò quidem, quia qui ab Ecclesia beatificantur, seu Canonizantur proponuntur fidelibus imitandi, vt norma morum, & virtutum, ac per consequens vt exacti & perfecti obseruatores suarum obligationum, quales requirit Christus suos speciales discipulos, dum dicit Matth. 5. *Estote perfecti sicut & pater vester cælestis perfectus est.* Molfesius *tom. 2. Add. ad qq. vsual. conf. 46. num. 5. & 6.* ex Patribus, & Doctoribus. Secun- 57
dò, quia heroicitas virtutum pro illis requisita stare non potest sine ista rigorosa obseruantia suarum obligationum. Tertiò, quia ita est stylus Summorum Pontificum in Bullis Canonizationis, prout ex Innocentio IV. pro S. Pe- 58
tro martyre, Eugenio IV. pro S. Nicolao Tolentino, Sixto V. pro S. Didaco, & Clemente VIII. pro SS. Hyacinto, & Raymundo affert Fortunatus non solùm *sectio. 6. cap. 3.* sed maximè *cap. 4.* Non tamen pro illis requiruntur illa opera, quæ illis competere non possunt, vt sunt, v.g. peregrinationes respectu Monialium, largitiones eleemosynarum respectu paupertatem profitentium, & similia. Non enim requiritur aliud exercitium virtutum, nisi illud quod ipsi secundum suum gradum competere potest. Contelorius *supra cap. 15. num. 10.* ex variis Rotæ relationibus pro Sanctis.

Illud præterea notandum, quod licèt iuxta di- 59
cta in superioribus ex Castro Palao, & Ludouico Caspensi, (quod etiam Doctissimis viris Vrbis arridet) videlicet, quod probabile sit eadem certitudine tenendum esse Papam non posse errare in Beatificatione Sanctorum sicut neque in eorum Canonizatione, ac proinde quod vtrunque sit de fide, nihilominus multo maior, & exactior diligentia fieri debet pro Canonizatione alicuius Sancti, quàm pro ipsius Beatificatione. Primò, quia siue dicamus Cano- 60
nizationem, & beatificationem essentia iter differre iuxta opinionem Fortunati Scacchi superius relatam, siue non differre, iuxta communiorem aliorum, vt superiùs etiam diximus, nihilominus negari non potest, Papam diuerso modo procedere in Canonizatione, quàm in Beatificatione Sanctorum: nam in Beatificatione non procedit vt Iudex strictè loquendo) definiendo, aut decernendo, sed vt Princeps concedendo facultatem, indultum, seu priuilegium alicui Ecclesiæ, Prouinciæ &c. particulari, vt possit facere officium &c. de tali Sancto, &c. At verò in Canonizatione Papa procedit vt Iudex vniuersalis Ecclesiæ per definitiuam sententiam statuendo, vel determinando, quod de tali Sancto fiat officium, Missa, &c. in vniuersali Ecclesia &c. Dicit enim in Bullis Canonizationis, vt patet in Instrumento Canonizationis S. Andreæ Corsini *Decernimus, & diffinimus bonæ memoriæ Andream &c. Sanctum esse, ac Sanctorum Catalo-* 61
go adscribendum, ipsumque Sanctorum Catalogo ascribimus, statuentes, vt ab vniuersali Ecclesia anno quolibet in die obitus ipsius festum deuotè, & solemniter celebretur. In Bullis autem Beatificationis solum dicit, vt patet in Bulla Beatificationis B. M. Magdalenæ de Pazzi; *vt ipsa ancilla Dei* 62
Beata nuncupari, officiumque, & Missa de ea, &c. in tali, vel tali loco, *recitari, & celebrari possit concedimus, & indulgemus.* Notat hanc differentiam inter Canonizationem, & Beatificationem Fortunatus Scacchus *sup. lib. 1. sect. 1. c. 8. §. nec aliquem* ex ea inferens, quod cum iuxta Iurisperitorum sententiam. *Vnusquisque possit renunciare priuilegio sibi concesso*, ideò illa Religio, Ecclesia, vel Prouincia, cui concessum fuerit de ali- 63
quo Beatificato officium facere, potest id omittere, indicans oppositum de Sancto Canonizato, quia scilicet Sancto Canonizato officium, & cultus præscribuntur ex necessitate. Ex eo autem

sequitur

sequitur ad intentum quod multò maior, & exactior diligentia fieri debet pro Canonizatione,
64 ne,quàm pro Beatificatione. Secundò ad idem: Nam in Canonizatione procedit Pontifex cultum præscribendo Sancto Canonizato per modum legis vniuersalis;in Beatificatione verò per modū concessionis indulti,& priuilegij particularis. Certum autē est, quod exactior diligentia requiritur in Principe pro concedenda lege vniuersali, quàm pro concedendo speciali priuilegio: quia in primò attenditur ad bonum commune, in secundò autem ad bonum particulare.
65 *l.1.ff.de legib.cap. Abbate de verb.signif.* DD.*ibid.* Tertiò,ex nomine ipso *Canonizatio*,quod ortum habet à voce græca *Canon*, idest *Regula*; nam Sanctus Canonizatus est ad totius perfectionis regulam examinatus,atque probatus, ac ex omni parte perfectus, & verè Sanctus inuentus. Angelus Rocca *de Canonizat.Sanct.c.2.* Quæ sine dubio maiorem indaginem indigitant necessariam pro Canonizatione, quàm pro Beatifica-
66 tione. Quartò, quia Canonizatio est quædam protestatio fidei prout habet idem Rocca *supr. c.4.* Et colligitur ex D. Thoma *quodlibet.9. art. vlt.* & Bannez 2.2.*q.1.art.*10.*dub.*7. quemadmodum ergo pro definitione alicuius propositionis de fide requiritur exactissima diligentia; sic &
67 pro Canonizatione. Præsertim quia ex eo videtur, quod Canonizatio sit fidei protestatio, quia quemadmodum fides habet pro obiecto immediato Deum; sic Canonizatio respicit *Deos*, id est *Sanctos*, quos Ioann.10. Christus vocauit *Deos*, id est, specialissimè participantes Dei bonitatem Vnde Canonizatio vocatur à Græcis *Apotheosis*,latinè, *Deificatio*, & ipsi Sancti vocantur *Diui*, & *Indigetes*,quasi in Diis agentes, vel nullius rei indigentes.D.Augustin.*l.9.de Ciu.*
68 *Dei c.20.* Rocca *supr. c. 2.* Quintò, quia in decreto Canonizationis, quod extat *in libro Cæremoniarum*, dicit Pontifex se in Canonizatione talis Sancti procedere. *De venerabilium fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium, omniumque Patriarcharum, Archiepiscoporum, & Episcoporum in Romana Curia existentium consilio,& vnanimi consensu,matura deliberatione præhabita,summaque diligentia ex maiorum institutis, etiam abundantius adhibita.* Et infra: *De cuius puritate fidei,excellentia vitæ,& miraculorum in vita,& morte factorum claritate nobis plenissimè constat.* Quæ omnia denotant exactissimam diligentiam pro Canonizatione requisitam, supra eam quæ adhibita est
69 in Beatificatione. Demum sextò & principaliter, quia Sanctus qui Canonizatur ab Ecclesia non quomodolibet declaratur Sanctus, sed specialiori, & singulari modo proponitur toti Ecclesiæ,vt verum sanctitatis exemplum cunctis imi-
70 tandum. Vnde in nouissima Canonizatione S. Andreæ Corsini Pontifex in Oratione,seu Collecta dixit: *Deus, qui in Ecclesia tua noua semper instauras exempla virtutum,da populo tuo, &c.* Et in oratione S. Catharinæ Senensis: *Tantæ virtutis proficiamus exemplo. In aliis autem orationibus: Per eius ad te exempla gradiamur.* Quo sensu in decreto Canonizationis dicit Pontifex se Sanctum illum Canonizare *ad exaltationem fidei Catholicæ, & Christianæ Religionis augmentum.* Quæ omnia cùm non procedant in Beatificatione Sanctorum,manifestant maiorem,& magis exquisitam diligentiam adhibendam esse in Canonizatione,quàm in Beatificatione. De quo quo etiam Contelorius *d.cap.2.n.5. & sequentib.* conformiter ad doctrinam Peñæ, Maluetij, & aliorum.

Ne tamen curiosus lector desideret aliqua, 71
quæ iuxta ritum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ fieri solent in Canonizatione Sanctorum,ideo aliqua hic apponenda ex iis quæ ex sacris cæremonialibus scripsit Angelus Rocca superius relatus, & verbis ipsius. Præmittendo prius hanc formam antiquitus variam fuisse, prout ostendit Contelorius relatus *c.3.num.5.* ex testimonio Magistri cæremoniarum tempore Leonis X. *Fiunt tria consistoria. In primò, quod secretum vocant, vnus ex tribus Cardinalibus delegatis Iudicibus in Congregatione, antiquior, siue primarius, orationem habet, in qua de viri Canonizandi vitæ sanctitate, fideique integritate (quæ inre totius negotij summa consistit)necnon de laudabili eiusdem obitu, deque miraculis siue in vita,siue in morte factis verba facit: Iis omnibus recitatis,Cardinales sententias rogantur num in iis, quæ ad Canonizationem pertinent, sit vlterius progrediendum. Postremo iuxta Cardinalium consilium, & assensum,quid hac in re faciendum sit,decerni solet. In secundo consistorio, quod publicum appellatur, Aduocatus Consistorialis orationem habet,in qua vel alicuius Regis aut Principis,qui virum illum Canonizandum curat,ardentissimum, ac perpetuum desiderium cum Christiano zelo coniunctum egregiè commendatur,eiusdem viri Canonizandi sanctimonia,admirabilis virtutum progressionis,& miracula præsertim insignia enarrantur. In peroratione autem vel Regis,ac Regni,seu Principis ac Prouinciæ,necnon Ciuitatis nomine postulatur, vt vir ille,tantopere in sanctitate vitæ laudatus, in sanctorum numerum referatur.Tum demum Secretarius Apostolicus ex præscripto Summi Pontificis respondet, Christianamque postulantis pietatem, diuturnamque rei tam piæ postulationem laudat,ac tandem propensam Papæ in eo Canonizando voluntatem declarat: Sed huius generis negotium tam graue,tamque arduum,cuiusmodi est sancti alicuius Canonizatio,maturius ac diligentius considerandum esse ostendit. Hinc sacrum denique Cardinalium Collegium,Patriarchas,item Archiepiscopos, & Abbates hortatur, vt in eam tanti ponderis rem pro suffragiis ferendis toto mentis conatu incumbant, ac Deum in primis orent,vt sanctitatis suæ mentem lumine diuino illustret quo rectius actionem tantam dirigat,tum ad ipsius Dei gloriam,tum etiam ad Ecclesiæ Sanctæ amplitudinem Christianæque pietatis fructus vberrimos. In tertiò Consistorio,quod semipublicum nuncupatur,suffragia feruntur,num ille,de quo agitur,in sanctorum numerum sit referendus. Ad hoc Consistorium non solum S.R.E. Cardinales; Verum etiam Patriarchæ,Archiepiscopi, Episcopi,& Abbates pro suffragiis ferendis acciti conueniunt. Pronotarij Apostolici eidem Consistorio intersunt,ad fidem circa ea,quæ ibi decernuntur,exhibendam. Auditores autem Rotæ,& præsertim illi,quibus curam iudicandi processum in rem tantam præstitum demandata fuit ad idem Consistorium admittuntur, vt, si in processu aliqua oriretur controuersia vel difficultas, eam explicent,ac declarent. Antea verò quam suffragia ferantur,Summus Pontifex è solio suo habet orationem,in qua de re ad tam grauem,tamque arduam actionem pertinente,verba facit: deinde pro Sancto Canonizando sententias dici iubet; tum suo quique statim ordine sententias dicunt.* Hæc Angelus Rocca supra *cap. 37.* Subiungens postea qualiter sententiis, seu suffragiis auditis, Pontifex diem Canonizationis

Canonizationis faciendæ, ac locum in quo facienda est, denunciat.

72 Forma autem decreti pro Canonizatione Sancti Confessoris, prout Rocca relatus ex Sacrarum cæremoniarum libris refert, talis est. *Ad honorem sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis, gaudium, & exultationem supernæ ac triumphantis Hierusalem matris nostræ, & exaltationem fidei catholicæ, & christianæ Religionis augmentum, auctoritate eiusdem sanctæ Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritus Sancti; Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, ac nostra, de Venerabilium fratrum nostrorum S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, omniumque Patriarcharum, Archiepiscoporum, & Episcoporum in Romana Curia existentium consilio, & vnanimi consensu, matura deliberatione præhabita, summaque diligentia ex maiorum institutis, etiam abundantiùs adhibita, Beatum N.N. (de cuius puritate fidei, excellentia vitæ, & miraculorum in vita, & in morte factorum claritate, nobis plenissimè constat decernimus sanctorum confessorum catalogo adscribendum, prout nunc adscribimus, eumque sanctum à fidelibus venerandum esse mandamus, statuentes, vt ab vniuersali Ecclesia, anno quolibet, in die N. festum ipsius, & officium sicuti pro vno sancto confessore tantùm deuotè, & solemniter celebrentur; vtque in eius honorem Ecclesiæ, & Altaria, in quibus Deo sacrificia offerantur, erigi, & fundari possint.*

73 Aliam etiam formam canonizationis breuiorem ex Codice Rituali cæremoniarum Sacrarij Pontificij extractam, quæ est huius tenoris, sic damus. *Ad honorem sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis, & exaltationem fidei Catholicæ, ac Christianæ Religionis augmentum, authoritate eiusdem Dei omnipotentis, Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, & Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, & nostra, de fratrum nostrorum consilio decernimus, & definimus, bonæ memoriæ N.N. sanctum esse, & sanctorum Catalogo adscribendum, ipsumque Catalogo huiusmodi adscribimus, statuentes, vt ab vniuersali Ecclesia anno quolibet in die N. festum ipsius, & officium sicut pro vno confessore* (si sit confessor) *vel martyre* (si sit Martyr) *deuotè, & solemniter celebrentur.* De iis quoque Troilus Maluitius *in tract. de Canon. Sanct.* & Mascardus *de probat. vol. 1. concl.* 261.

74 Ex his porrò Sanctorum canonizationis sacris, & Apostolicis formis, adiunctis decretis Pontificis, & Sacrarum Congregationum, de quibus suprà, elici potest enodatio quorumdam dubiorum, quæ in formatione processuum pro iisdem Sanctis canonizandis emergere solent; maximè pro Regularibus, qui in hoc negotium quàm sæpiùs incumbunt. Etenim, in huiusmodi causis procedit Ecclesia ordine iudiciario, prout, & B. Augustino *in libell. de pœnitent. Medicina cap.* 3. elicitur, & constat ex praxi S. Congregat.

75 Rituum, vt videre est in Augustino Triumpho *qu.* 16. *art.* 1. Angelo Rocca *de Canoniz. Sanctor. c.* 34. & aliis. Hac enim de causa Pontifex in forma canonizationis dicit: *De cuius* (scilicet canonizandi) *puritate fidei, excellentia vitæ, & miraculorum in vita, & in morte factorum claritate, nobis plenissimè constat*; declarans etiam se procede-

76 re, *matura deliberatione præhabita, summaque diligentia ex maiorum institutis, etiam abundantius adhibita.* Et meritò sanè, quia si in omnibus rebus ordo seruari debet, iuxta Aristotelem *l.* 2. *Metaph.* Diu. Ambrosium relatum à Baldo *in prohæmio Digestorum*, & totum titulum de *Ordine cognitionum lib.* 2. *decretal.* multo magis in re arduissima, & grauissima. Idcirco pro SS. Canonizatione obseruanda sunt, quæ ad ordinem iudiciarium sunt necessaria.

Vnde primò Iudex coram quo formantur processus debet esse legitimus, id est, habere veram, & legitimam iurisdictionem. 77 Tum quia hoc est de ratione, & essentia ordinis iudiciarij, seu iudicij, quod est iuxta S. Thom. 2. 2. *qu.* 60 *art.* 1. & Expositores ibidem, *Actus iudicis in quantum iudex est.* Tum quia Iudex est idem, quòd ius dicens, & iudicium est iurisdictio. *ca. forus de verbor. significat.* & Doctores *ibid.* Tum quia iudicium vbi adest Iudex incompetens, seu non habens iurisdictionem est nullum. *cap. At si Clerici de iudiciis.* Et dicitur vsurpatum. *De pœnitentia dist.* 6. §. *fin.* Sylu. *in Summa verbo iudicium qu.* 3. & 4. 78
& talis nullitas adeò exosa regibus est, vt quamuis aliquis iurasset non oppositurum de nullitate, nihilominùs hanc nullitatem de defectu iurisdictionis opponere posset. Crauetus *consil.* 383. *num.* 16. ex Felino, Ruino, & aliis. Imò talis nullitas est insanabilis. Verallus *decis.* 38. *num.* 2. *lib.* 3. Thomas Triuisanus *Venet. decis.* 11. *n.* 2. *lib.* 2. Barbosa *in collectan. DD. in d. cap. At Clerico de iudiciis*, plura ad intentum afferens. Accedit quod, & communiter dicitur, ad hoc, quod Iudex 79
sit verus, quatuor debet habere, scilicet potestatem, veritatem, formam, & vim executionis. Toletus *in Summ. lib.* 5. *c.* 56. ex S. Th. 2. 2. *q.* 60. *art.* 2.

Specialiter etiam id constat ex Decretis, & forma conficiendi processus pro causis beatificationis, & Canonizationis Sanctorum iussu Vrbani VIII. anno 1642. editis. Ibi enim in petitione 80
facta Papæ pro Remissorialibus concedendis petitur ab ipso, vt hanc causam committat aliquibus Episcopis cum *facultatibus opportunis* ad faciendum in genere inquisitionem *de fama, miraculis*, &c. & etiam in specie ad *inquisitionem specialem*, &c. & in Remissorialibus ipsis datur talis commissio per verba *committimus, & mandamus*, & cum clausulis *decernentes irritum, & inane*, &c. & aliis similibus, quæ secundum iura, & Doctores important iurisdictionem. In litteris quoque ad Nuncios, & ad Patriarchas, Archiepiscopos, & Episcopos, quarum forma habetur inter prædicta decreta idem supponitur. Vnde Fortunatus Scacchus *de cultu, & veneratione seruor. Dei lib.* 1. *cap.* 5. *sect.* 11. §. *in quo tria* ad solemnitatem, seu essentiam processuum in hac materia primò requirit, quod sint fabricati à Iudice competenti

Colligitur id etiam ex eo, quod tales commissiones præsentantur illis, ad quos diriguntur, & 81
mox ab illis acceptantur, quod est signum formatæ iurisdictionis. *cap. preterea, cap. quamuis de offic. delegat.* Abbas *in cap. venerabilis nu.* 2. *de testibus.* Gabr. *de execut. rei iudic. concl.* 3. *in princip.* Rota coram Coccino *in relatione ad Vrb. VIII. pro Canon. B. Philippi.* Ex hoc porrò infertur hoc Iudices commissarios necessario debere habere iurisdictionem.

Si autem, prout contingere solet, S. Congregatio Papæ nomine designet tres Episcopos pro 82
processibus, & informationibus conficiendis, videlicet Episcopum A. Episcopū B. & Episcopum C. & quia Episcopi B. & C. sunt impediti, eorum loco deputet, & subroget Episcopos D. & E. in tali casu dicti Episcopi B. & C. non sunt legitimi

Iudices

Iudices iam in talibus causis. *cap. ex litteris de offic. & potest. iudic. deleg. §. si verò constiterit* Rota *decis.* 8. *eod. tit. in antiquis.* Nam rescriptum secundum prioris reuocatorium reddit illud nul-
83 lum. Innocentius *in d. cap. ex litteris verbo reuocatas,* Hostiensis *col. vlt. num.* 6. *in verbo per secundas, & num.* 7. & alij, quos refert, & sequitur Rendina *in promptuar. recept. sentent. tit.* 103. *num.* 3. Et per subrogationem censetur reuocata commissio illorum, in quorum locum subrogantur. Eo quod talis subrogatio est in plenum ius, & subrogatum sapit naturam eius, in cuius locum subrogatur. *l. eum qui ita §. qui iniuriarum ff. si quis caution.* vbi Iason *num.* 4. Ancharanus *cons.*
84 110. *num.* 3. Cardin. Thuscus *practicar. concl. tom.* 7. *littera S. concl.* 757. *num.* 54. Imo ipsa subrogatio videtur noua commissio, quia est deputatio cum eisdem facultatibus. Ita enim declarari solet à Sac. Congregatione in similibus causis. Quæ maximè procedunt quando subrogatum habet easdem qualitates, quas habet is in cuius locum subrogatur. Menoch. *cons.* 784. *num.* 12. Barbosa *in Axiom. iur. axiom.* 213. *num.* 1. & 2. Quod contingit in præsenti, siquidem subrogati sunt etiam Episcopi, sicut, & illi, in quorum locum sunt subrogati. Et (quod valdè notandum) non subrogantur quasi conditionatè, & dum durauerit impedimentum aliorum Episcoporum; sed absolutè, & simpliciter, eo quod S. Congregationi compertum est, tales Episcopos habere illud impedimentum.

Secundò debet constare pro legitimatione processuum, seu informationum de legitimatio-
85 ne etiam Actoris in huiusmodi causis. Certum enim est, quod ad essentiam Ordinis iudiciarij, seu iudicis requiratur legitimus actor. S. Thom. 2. 2. qu. 67. artic. 3. & alij Theologi. Vnde, quando actor est minor, & agit sine licentia curatorum, vel est seruus, vel Monachus, excommunicatus, &c. quia isti agere non possunt, iudicium est nullum. *C. de iudic. l. properandum, & C. qui leg.*
86 *person. in iudic. l.* 1. Syluester *ver. iudicium q.* 4. Specialiter de huiusmodi iudiciis, in quibus agitur de canonizatione, seu beatificatione Sanctorum id probatur, quia in illis petitur, seu postulatur ab Ecclesia cultus aliquis, seu veneratio pro aliquo, ergo necessariò debet interuenire Actor. Patet hæc consequentia, quia Actor est qui agit, & pulsat rem aliquem à Iudice petens in iudicio. *l. in tribus ff. de indic. l. indicium. ff. si regum.* Syluest. *supra verbo actio, actor, & actu.* Tertiò etiam specialissimè, nam, vt constat ex præfatis decretis Romæ impressis anno 1642. ad huiusmodi processus formandos non solùm remotè requiruntur preces Regum, Principium,
87 & aliarum grauium personarum, qui Actores remoti dici possunt, sed etiam proximè. Nam in libello supplici ad Papam porrecto pro concedendis Remissorialibus siue in genere, siue in specie, fit mentio Procuratoris; & in ipsis litteris Remissorialibus dicitur; *Quamobrem pro parte N. de N. Procuratoris in huiusmodi causa deputati, prout de eius legitimo mandato docuit*; & infra: *A personis legitima mandata Procuræ habentibus recipiatis.* Inferius etiam in alio decreto dicitur: *Positione, & articulos infrascriptos dat, exhibet, & producit Procurator, & cet.* Procurator autem est Actor, vel gerit vices Actoris.

88 Maximè etiam tertio pro legitimatione talium processuum debet etiam constare de legitima citatione Promotoris, seu subpromotoris fidei; Promotoris quidem si fiant in Curia, subpromotoris verò, si fiant in partibus. Quod probatur ratione generalissima S. Thom. 2. 2. *qu.* 67. *art.* 3. quam prosequuntur Caietanus *ibid.* Sotus *lib.* 5. *de iustitia qu.* 4. *art.* 3. Nam in omni iudicio requiruntur tria. Primò, quidem Iudex, quia ab 89
ipso petitur iustitia, & ipse est iustitia quædam animata; deinde, quia iustitia est inter duos, intercedere debet is qui petit, scilicet Actor, & is à quo petitur, scilicet Reus in criminalibus, in ciuilibus verò pars aduersa. Promotor autem fidei, seu Subpromotor gerit vicem partis aduersæ, quia est contradictor legitimus, & Procurator, & defensor Ecclesiæ à qua petitur cultus, 90
vel veneratio pro Sancto canonizando. Necessario ergo debet citari, sicut in iudiciis aliis Reus, vel pars contraria citari debet. Id etiam supponitur, & præcipitur in relatis decretis de anno 1642 Romæ editis. Nam in libello supplici ad Sanctissimum porrecto dicitur procedendum in his causis *citato, & audito fidei Promotore*; & infra: *audito R. P. D. fidei Promotore*; & inferius: *audito pariter, & citato Domino Promotore fidei.* Clarius inferius *Præuia citatione, & cum interuentu D. Promotoris, vel eius Subpromotoris.* Vnde postea adiungitur hoc decretum: *Aduertendum est, quod, in omnibus actis citari debet in Vrbe Promotor fidei, iuxta formam Breuis à Sanctissimo D. N. eidem concessi, & extra Vrbem Subpromotor, &c.* [illegible] in litteris Remissorialibus siue in genere, [illegible]e in specie, in quibus conceditur facultas fabricandi huiusmodi processus dicitur: *Citato in omnibus actis D. N. Subpromotore fidei per Promotorem in Curia nominato, & non aliàs, aliter, nec alio modo.* Quod etiam inculcatur postea in aliis decretis. Clausula autem ista *non aliàs, aliter, nec alio modo* indicat præcisam necessitatem, vt censuit Rota apud Cencium *post tractatum de Censibus decis.* 113. *num.* 4. & necessitatem facit, vt dixit etiam Rota in Bononiensi *bonorum de Borriis* coram Millino 20 Februarij 1598. & inducit formam. Boërius *decis.* 243. *num.* 11. *post medium,* Cenedus *singular.* 65. *num.* 1. & actus contra eam factus ipso iure est nullus, ac si nihil actum fuisset. Iaso. *in l. fin. C. de iure emphyteut. num.* 142. Rolandus *consil.* 42. *num.* 12. *lib.* 2. Menoch. *de arbitr. cas.* 237. *num.* 34. & plures alij apud Barbosam *de clausul. clausula* 81. *num.* 9. *& seqq.* Quorum omnium ratio est, quia 91
Promotor, seu Subpromotor fidei est constitutus à Sede Apostolica in huiusmodi causis, veluti pars interesse habens in illis, ac proindè ipso non citato, nihil decidi potest; cùm citatio partis, vt se defendat omni iure in causis controuersis necessaria sit. *cap.* 1. *de caus. possess.* Panormit. *ibid. num.* 4. Ioan. Andreas, Innocent. Imola, Hostiens. & alij *ibid.* Clementina Pastoralis *de sent. & re iudic. & 2. quæst.* 1. *Can. Deus, & Can. caueant. & Can. omnia* 3. *qu.* 9. Cum innumeris aliis Iuribus, & Doctoribus. Audio tamen Dom. Contelorium virum doctissimum contendere non esse ita necessariam huiusmodi citationem Promotoris, vel Subpromotoris, vt ea non præmissa processus sit nullus, conformiter ad ea, quæ ipse scribit in d. Tractatu de Canonizat. *cap.* 25. *num.* 40. *& seqq.* Cæterum esto de iure communi id dici possit, post publicationem tamen talium decretorum, & in vim illorum oppositum est asserendum.

Præsertim

92 Præsertim quoque in dictorum processuum formatione obseruandum est, vt testes omnes pro illis inducti examinentur. Ita enim supponitur tum in d. Memoriali relato, tum in dictis litteris Remissorialibus ibi: Omnes, & singulos testes. Etenim clausula *Omnia*, *& singula*, seu *omnes & singuli* ita geminata, includit prorsus omnia, & omnes absque vlla limitatione Glossa *verb. omnia, & singula in cap. vt circa de elect. lib. 6.* Marius Alterius *de censur. tom. 1. disput. 15. lib. 5. c. 1. litt. C. & disp. 5. cap. 2. litt. D.* Et operatur, quod omnia simul singulariter censeantur comprehensa, prout ex Baldo, Deciano, & Oldrado concludit Cardinal. Thuscus *pract. conclus. tom. 1.*
93 *litt. C. concl. 296. num. 1.* Imò sigillatim esse examinandos non solùm colligitur ex prædictis decretis, sed etiam ex *cap. venerabilis de testibus*, Gotfredus *in Sum. de Reliquiis, & venerat. Sanctor.* Franciscus Curtius *in tractat. de testib. conclus. 37. num. 80.* quos cum aliis in hac causa Canonizationis affert Mascardus *de probationib. volum. 1. conclus. 261. num. 39.* Quorum omnium ratio desumitur non solùm ex arduitate, & grauitate causæ istius, sed etiam, quia si omnes testes semel producti aut inducti non examinentur timeri potest hoc ita contingere, quia timet actor, quod sint vacillaturi aut destructuri sua, vel aliorum dicta, & sic veritatem patefacturi. Quæ omni conatu indaganda est in causa Canonizationis. Aretinus *cons. 140. n. 2.* Aymon *de antiq. temp. par. 1. §. quæritur.* Baptista de Toro *in Compend. decis. Neapol. par. 1. verb. testes citati.*

94 Propter eandem etiam causam est quoque necessarium, vt dicti testes *per extensum* examinentur super articulos contentos in litteris Remissorialibus. Ita enim habetur in formula dd. Litterarum, ibi: *Super quibus examinabuntur primò iuxta dicta interrogatoria, & deinde super positionibus, & articulis prædictis per extensum coram vobis.* Et infrà; *Vt iidem testes quæcumque habent, explanatè, & per extensum deponant, nec se referant ad attestationes aliàs redditas, neque eis recitentur, quæ aliàs ipsi deposuerunt.* Colligitur etiam ex *cap. Per tuas de testib.* vbi Honorius III. definit testes non esse repetendos, nisi à principio non fuerint interrogati super omnibus Capitulis. Ex quo elicitur testes de omnibus, & singulis Capitulis interrogandos esse. Contilorus *de Canon. cap. 25. n. 81.* Caualcant. *de testib. part. 5. n. 132.* Quorum etiam ratio est tum arduitas, & grauitas huius causæ, tum quia Pontifex in forma decreti Canonizationis dicit eam decernere *summa diligentia etiam abundantius adhibita*, & constare de sanctitate vitæ, & miraculorum talis Canonizandi *plenissimè.*

95 Præ omnibus etiam, & generaliter obseruandum est, quòd cum Iudices deputati pro fabricatione processuum sint delegati, & Commissarij Sedis Apostolicæ debent adamussim, & ad vnguem obseruare omnia, quæ in litteris dimissorialibus illis præscribuntur. Quia ea omnia habentur pro forma, & forma consistit in indiuisibili, & ad vnguem est obseruanda, iuxta commune placitum DD *in cap. cum dilecta de rescript. cap. venerabili de offic. delegati, & in l. cum hi §. Prætor. ff. de transact.* Et vnusquisque tenetur seruare for-
96 mam suæ commissionis. Rota *dec. 39. num. 1.* apud Farinacium *part. 1. recent.* Caputaquensis *dec. 152. num. 2. p. 1. & decis. 250. num. 4. p. 2.* Et si non seruat, corruit actus. Felinus *in ca cum dilecta relatum num. 6. circa medium.* Tuschus *practicar. conclus. tom. 3. litt. F. concl. 415.* Rota apud Farinac. *decis. 671. num. 2. tom. 2. par. 1.* Etiamsi in minimis deficiat, saltem loquendo de substantialibus, nam de accidentalibus infra dicetur *num. 127. & sequentibus.* Rota apud eundem Farinacium *decis. 345. num. 1. part. 2. recent.* Caputaquensis *decis. 143. num. 5. par. 3.* Tiraquell. *de retract. lignag. §. 1. glos. 21. num. 11.* Vnde quemadmodum procurator excedens formam mandati non obligat principalem *lib. 3. ff. mandati.* Angelus *consil. 388.* Tuschus *practicar. conclus. tom. 5. littera M. concl. 39. num. 55.* sic Iudices isti deputati pro processibus formandis in causis Canonizationis si excedant formam mandati, non obligant Papam, seu Sedem Apostolicam ad Canonizationem faciendam. Vide quæ dixi *tom. 4. Summæ verbo mandatum quoad Regulares.* Et pro dictis de formatione processuum Contelor. *sup. c. 23. 24. & 25.*

Nec præterea prætermittendum, quod cùm in huiusmodi processibus sæpissimè de miraculorum comprobatione agatur, maximè noscendam esse naturam miraculi, & conditionum, quæ pro verò miraculo requiruntur. Est autem miraculum, *pignus quoddam omnipotentiæ Dei*, vt dixit Chrysostomus *homil. 14. in Matth.* quia est proprium opus eius, iuxta illud Psalm. 71. & 135. *Qui facit mirabilia magna solus.* Ratio est, quia de ratione miraculi est, vt sit opus extraordinarium, & rarum præter legem ordinariam Dei, & supra omnem virtutem causarum naturalium, vt sumitur ex D. Thom. *1. par. qu. 105. art. 7. & 8. & lib. 3. contra Gentil. cap. 101.* & ex August. *libr. 3. de Trinit. cap. 4. & 5. & lib. 26. contr. Faustum cap. 3. & seqq. & lib. 6. de Genes. ad lit. cap. 13.* Vnde ipse August. *tom. 6. lib. de vtilitate credendi cap. 16.* *Miraculum*, inquit *voco quidquid arduum, aut insolitum supra spem, vel facultatem mirantis apparet.* Quod amplius declarans S. Thom. *1. par. qu. 105. art. 7.* ait, quòd *nomen miraculi ab admiratione sumitur.* Et infra: *Miraculum autem dicitur quasi admiratione plenum, quod scilicet habet causam simpliciter, & omnibus occultam. Hæc autem est Deus. Vnde illa, quæ à Deo fiunt præter causas naturales nobis notas, miracula dicuntur.* Vnde patratio miraculorum virtutem infinitam requirit. De quo Delrius *Disquis. Magicar. lib. 2. q. 7.* Binsfeldius *de confess. Magor. & Sagar. prim. par. fol. 157.* cum aliis. Hinc miracula merito dicuntur *quædam Dei locutio.* Ideò enim Paulus ad Hebr. 2. miracula dixit esse quandam Dei locutionem: *Contestante*, inquit, *Deo signis, & portentis*: vbi Theodoretus ait, *Deum per miracula ferre prædicationis testimonium.* Sunt ergo miracula ipsa aliquo modo vox Dei; vnde Augustin. *Epist. 49. qu. 6.* absolutè dixit, *Deus mirabilibus operibus loquitur*, & D. Thom. *2. 2. qu. 178. art. 2. ad 3.* inquit, *quod semper miracula sunt vera testimonia eius, ad quod inducuntur.* Imò dici possunt *sigillum diuinum*, quo Deus confirmat, vel sigillat aliquam doctrinam, prout ex illo ad Hebr. 2. *Contestante* 100
Deo signis, & portentis, & Marci vlt. *Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis*, colligit D. Cardinalis Lugo *de virt. fid. disput. 2. sect. 1. num. 20.*

Ex quibus omnibus infertur aliquas esse notas, seu conditiones ad verum miraculum requisitas. Prima est esse effectum supernaturalem quoad substantiam, vel saltem quoad modum, quia

quia cum proprium miraculum sit illud, quod superat facultatem naturæ eo ipso est illi indebitum, ac proinde supernaturale. Ita enim colligitur ex D. Augustino, & S. Thoma, quos Theologi communiter sequuntur. Erit autem supernaturale quoad substantiam, si effectus sit secundum suam substantiam supernaturalis, vt si daretur substantia supernaturalis, prout secundum aliquos Theologos dari potest; vel si duo corpora ponerentur in eodem loco, aut
102 corpus mortale fieret impassibile, & immortale, prout continget in gloria. Erit verò supernaturalis quoad modum, si secundum suam substantiam, & entitatem naturalis est, & solum ex parte eius, in quo efficitur est supernaturalis, prout est suscitatio mortui, restitutio visus cæco nato, & similia. Vel quia modus in se supernaturalis est, vt subitanea immutatio aëris, pluuia,
103 &c. S. Thom. 1. p. q. 105. art. 8. Vnde illa, quæ Magi Pharaonis gesserunt *Exod.* 7. & quæ alij Magi, seu Incantatores suis Magicis artibus efficiunt, non sunt vera miracula, cùm sint effectus naturales, & non excedant facultatem naturalem hominis, vel Angeli. Etsi quia magna celeritate, vel modo extraordinario fiunt sint res mirabiles. De quibus infra etiam dicetur. Et dicunt aliqui de columba in aëra volante, quæ dicitur fabricata ab Archita Tarentino, & de serpentibus æneis sibilantibus, & auibus garrientibus fabricatis à Bohetio Philosopho. Troylus *de Canoniz. Sanct. dub.* 3. *n.* 39. Contelorius *de Canonizat. cap.* 17. *n.* 1. Molfesius *d. consf.* 46. *n.* 5.

104 Secunda nota, seu conditio miraculi est, quod sit effectus rarus, & insolitus, prout ex D. Augustino, & D. Thoma relatis elicitur. Immò propterea miraculum dicitur tale ab *admiratione*, vt inquit S. Thomas; nam id quod est rarum, & insolitum sui admirationem generat. Vnde præsentia Christi Domini in Eucharistia, etiamsi
105 supernaturalissima sit, nihilominus propriè, & rigorosè loquendo miraculosa non est, quia non est rara, seu insolita, sed quotidie contingens. Similiter iustificatio peccatoris, seu remissio peccatorum, quamuis sit etiam supernaturalissima, nihilominus, quia non est rara, & insolita, sed consueta, ideo propriè, & rigorosè miraculosa non est. Sotus *in* 4. *dist.* 34. *qu. vnic. art.* 3. *col.* 6. *versic. vnum autem*, Sanchez *l.* 7. *de matrim. disp.* 93. *n.* 8. Iacobus Granados *in* 1. 2. *controu.* 8. *sect.* 7. *nu.* 57. Addunt alij non esse ista miracula, quia non fiunt intercessione Sanctorum, aut ex merito operantium, sed ex opere operato. Iacobus Castellanus *de Canonizat. Sanctor. qu.* 6. *in princip.* Troylus *sup. n.* 41. Contelor. *c.* 7. *num.* 3. De quo etiam dixi *sup. n.* 15.

106 Specialiter etiam signa, seu effectus mirabiles facta à viris sanctis his notis distinguuntur à factis à peccatoribus. Primò, quia, vt inquit August. *lib.* 83. *quæst. qu.* 79. *Magi mira faciunt per priuata commercia cum dæmone. Sancti verò ea faciunt publica administratione, & iussu eius cui omnis creatura subiecta est. Magi ergo per priuatos contractus; Sancti verò per publicam iustitiam hæc*
107 *operantur.* Secundò, quia quæ faciunt Magi, seu peccatores sæpè sunt tantùm phantastica, & simulata, ideoque non sunt diuturna, sed mox detegitur eorum falsitas, & vanitas, prout contigit in illis signis, quæ Magi Pharaonis fecerunt in Ægypto *Exod.* 7. & notat Theodoret. *ibid.* vel sunt planè inutilia, immò etiam perniciosa. At verò, quæ fiunt à viris sanctis sunt opera vera, solida, & vtilia hominibus, nec nisi magna quapiam vtilitate, aut necessitate facta. Tertiò 108
Magi, seu peccatores in huiusmodi effectibus vtuntur multis præstigiis, mendaciis, ludificationibus hominum, variisque signis, & figuris v. g. litteris, & verbis, vel nihil, vel absurda significantibus, aliisque superstitiosis cæremoniis, miscentque sacra profanis, itaque ea profanant, & contaminant: nihil tale faciunt Sancti, sed per preces, signum Crucis, aliasque res sacras miracula operantur. Quartò Magi, & peccatores mira faciunt malo fine, puta ob lucrum, vanam 109
ostentationem, gloriam, vel honorem, vt diuinum nomen, & cultum sibi concilient, vel vt peruertant veram fidem, falsamque hominibus persuadeant, vel ad patranda maleficia, & scelera, vti sunt furta, adulteria, neces hominum, & animalium. Sancti verò ea faciunt, vt Deum honorent, & glorificent; vtque Sanctam Ecclesiam ædificent, & illustrent, atque homines tum in corpore, tum magis in animo, & spiritu adiuuent. *Magi*, inquit S. Augustinus supra, *faciunt, quæ videntur miracula quærentes gloriam suam. Sancti verò faciunt miracula quærentes gloriam Dei.* De his Cornel. à Lapide *in locum Exodi relatum.*

Quia tamen circa huiusmodi processus pro 110
Canonizatione Sanctorum fabricatos sæpissimè, Sanctissimo etiam præcipienti, præter validitatem ipsorum, quæ desumitur ex iurisdictione Iudicis, legitimatione actoris, legitima citatione Illustrissimi Promotoris, vel Subpromotoris, & ex obseruantia solemnitatem à iure, vel decretis Summorum Pontificum, præsertim Vrbani VIII. requisitarum, agitur etiam de releuantia ipsorum: ideo notandum processuum huiusmodi releuantiam ex multis probari. Primò, quidem ex certa probatione contentorum 111
in talibus processibus. Certa enim res est, quod probatio dubia, & incerta non releuat probantem iuxta text. *in cap. In præsentia de probationib. & l. neque tales, C. de probat.* Ægidius *consf.* 2. *num.* 37. Ioannes de Imola *consf.* 96. *per totum.* Hippolytus *consf.* 20. *num.* 8. & Rota coram Seraphino *decis.* 1103. *num.* 2. Secundò si testes, qui suum 112
testimonium proferunt in dictis processibus sint idonei, & concludentes. Tales enim testes habent eandem vim, quam instrumenta legitima, *l. in exercendis, C. de fid. instrum. C. cum Ioannes eod. tit.* Alexander *consf.* 64. *vers. corroborantur libro* 2. Mascardus *de probat. in procemio qu.* 6. *concl.* 1095. *num.* 3. Tuschus *tom.* 6. *litt. P. conclus.* 771. Tertiò, 113
si sint in numero copioso, quia *integrum est iudicium, quod plurimorum sententiis comprobatur.* Iuxta *cap. prudentiam, de off. deleg. Clem.* 1. *de sent. excommunic. cap. de quib.* 20. *dist.* & *per plures homines perfectissima veritas reuelatur, l. fin. C. de fideicomm.* & Prouerb. 4. *ibi salus, vbi multa consilia*, & 15. *dissipantur cogitationes, vbi non est consilium, & vbi plures sunt consiliarij, confirmantur.* Quartò, 114
quoad miracula, si ea probentur facta à Deo, non quomodolibet, sed propter intercessionem seruorum Dei, de quorum sanctitate agitur in dictis processibus, & propter ipsorum bonitatem. Non solùm, quia miracula aliquando fiunt 115
per malos, & peccatores arte quadam magica, & diabolica. *Can. teneamus* 1. *qu.* 1. *cap. nec mirum in* 2. *columna* 26. *quæst.* 5. Inter quos numeratur 116
Apollonius Tyanæus, qui plurima prædixit futura, quæ ita vt prædixit euenerunt, qui cæcos, claudos

claudos atque ab immundis spiritibus vexato quibusdam præstigiis sanauit. Hic Ephesum vrbem graui peste laborantem liberauit. Hic cum in Palatio publicè custodiretur apud Domitianum accusatus, ab eis conspectu euanuit, atque Puteolis eo die inuentus est, quo Comitem præmiserat, atque vt illic se expectaret, mandarat. Hic etiam imperante Nerone, cùm in Tiglini manu libellus esset, in quo eius accusatio contitinebatur, prodigiosè effecit, vt apertus liber nulla in parte scriptus inueniretur. Fulgos. *lib.* 8. *cap.* 2. Philostratus *in vita Apollonij lib.* 13. *cap.* 4. Huiusmodi fuerunt etiam Arphaxat, & Zoroes Magi, qui se pro Diis venditarant in Nadauer vrbe Æthiopiæ fictis miraculis clari. Mascardus *de probat. conclus.* 261. *n.* 25. *& seqq.* ex Troylo,
117 & aliis. Non inquam solum propter hoc, sed etiam, quia etsi mali homines operentur miracula vera, nihilominùs hoc fit à Deo propter fidem Ecclesiæ confortandam, quo sensu D. Thomas 1. *part quæst.* 110. *art.* 4. *ad* 2. inquit: *Mali autem Christiani faciunt miracula per signa publicæ iustitiæ*, & 2. 2. *quæst.* 178. *artic.* 2. inquiens: quod *ad veritatis prædicatæ confirmationem miracula possunt fieri per quemcumque, qui veram fidem prædicat, & nomen Christi inuocat, quod etiam interdum per malos fit. Et secundum hunc modum etiam mali possunt miracula facere. Vnde super illud Matth.* 7. *Nonne in nomine tuo prophetauimus, &c. dicit Hieron. Prophetare, vel virtutes facere, & dæmonia eiicere interdum non est eius meriti, qui operatur. Sed inuocatio nominis Christi hoc agit, vt homines Deum honorem ad cuius inuocationem fiunt tanta miracula.* Item Albertus Magnus *in Summa part.* 2. *tract.* 8. *qu.* 30. *& in* 2. *dist.* 18. *artic.* 1. inquiens, quod mali homines operantur miracula *in sanctitate Ecclesiæ, non in sanctitate personæ.*
118 Ex quibus colligitur, quod ad releuantiam processuum huiusmodi requiratur, quod miracula in illis comprobata facta fuerint intuitu bonitatis, & sanctitatis seruorum Dei. Quia vt inquit S. Thomas relatus *hoc modo non fiunt miracula nisi à Sanctis, ad quorum sanctitatem denunciandam miracula fiunt, vel in vita eorum, vel etiam post*
119 *mortem.* Quintò si probentur facta non solùm in vita, sed etiam post mortem. Prout ex Troylo, Hostiensi, Ioanne Andrea, & aliis probat Mascardus *supr. num.* 43. Immò quamuis plures Canonistæ æquè videantur requirere pro Canonizatione miracula pro vita, & morte; nihilominus verior est sententia asserens sufficere sola miracula post mortem iuxta dicta *supr. num.* 14. Ita enim colligitur ex verbis relatis S. Thomæ: *Miracula fiunt vel in vita eorum, vel etiam post mortem.* Cassanæus *in Catalog. Glor. Mund. p.* 3. *consider.* 49. *in princip.* Troylus *de Canoniz. Sanct. dub.* 3. *num.* 73. & patet ex diplomate Canonizationis S. Homoboni ibi: *Duo tamen, &c. Opera scilicet pietatis in vita, & miraculorum signa post mortem, vt quis reputetur Sanctus in militari Ecclesia requiruntur.* Pro quo plures affert Rotæ decisiones in relationibus pro Canonizationibus Sanctorum
120 Contelorius *de Canoniz. Sanct. cap.* 20. *num.* 2. Et ratio omnium est, quia miracula post mortem sunt certa, & indubitata signa sanctitatis, vt colligitur ex Sancto Thoma *supra art.* 1. & habet Contelorius *supra nu.* 3. Miracula autem in vita non hoc habent, quia potuit qui ea fecit mori in peccato, & damnari, Troylus *loc. rel.* Contelor. *sup. num.* 8. Castellinus *supr. pag.* 134. ex pluribus

Rotæ relationibus, & Doctoribus. Sextò, &
maximè si talia miracula fuerint plura, itaut 121
qui ea patrauerint in multis fuerint gloriosi. Tunc enim releuatur causa pro ipsorum Canonizatione, iuxta illud Ecclesiast. 44. *Laudemus viros gloriosos, &c.* adiuncto eo quod subiungitur veluti pro causa: *multam gloriam fecit Dominus magnificentia sua à seculo, &c. Homines magni virtute.* De quo Mascardus *supr. num.* 45. Troylus *num.* 6. Contelorius *cap.* 20. *num.* 9. ex relationibus Rotæ pro Sanctis Hiacintho, & Andrea Corsino.

Maximè septimò colligitur releuantia ex di- 122
ctis processibus, quatenus ex illis habetur publica vox, & fama de Sanctitate, & in virtutibus in gradu heroico, iuxta *ca. si testes* 4. *q.* 2. *&* 3. ac maximè iuxta Bullas Canonizationis S. Homoboni, & S. Antonij Patauini. Et quia actus Canonizationis fundatur in excellenti Sanctitate illius, qui debet Canonizari, prout *ex cap. Venerabili de testib.* Butrio, Aretino, & pluribus aliis affert Contelorius *supr. cap.* 14. *à num.* 2. Vide dicenda *n.* 126. De quo etiam Fortunatus Scacchus *lib.* 1. *de notis, & signis Sanctitatis sect.* 9. *c.* 5.

Item octauò ex cultu, & veneratione talibus 123
Dei seruis exhibitis à populo Christiano, lampadibus, & cereis accensis ad eorum sepulchra, & imagines, votis, & tabellis appensis ex argento, ligno, cera, &c. ad sepulchrum, si ad ascensu Sedis Apostolicæ fiant, & publicè, id est publicitate loci, & personæ illa admittentis nomine Ecclesiæ, seu Ecclesiæ illa instituentis, vt benè Contelor. *de Canoniz. Sanct. cap.* 22. *num.* 7. & Fortunatus Scacchus *lib.* 1. *de not. & sign. Sanct. sect.* 10. *c.* 1. Quia tunc sunt quædam publica veneratio, prout colligitur ex Rota *in relatione S. Caroli in* 2 *p. arg.* 14. Hæc enim omnia præsertim in magno numero arguunt tum famam Sanctitatis, tum miraculorum, seu gratiarum intercessione eorum obtentarum, propter quæ populus Christianus veluti dicet illud Euangelij: *Nemo potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo.* Ita enim habetur ex illo Psalm. 38. *Nimis honorificati sunt amici tui Deus*, vbi Hieronymus. *Quàm honorabiles facti sunt amici tui.* Quia scilicet honor iste solum amicis Dei est debitus, & proportionatus. Item ex decretis Vrb. VIII. *de Canoniz. Sanct.* vbi talis cultus solùm conceditur Canonizatis, vel Beatificis. Item ex verbis S. Thomæ *quodlib.* 9. *qu.* 7. *art.* 16. videlicet; *Honor quem Sanctis exhibemus quædam professio fidei est, qua Sanctorum gloriam credimus.* Ex tali ergo honore rectè infertur Sanctitas ipsorum, siquidem ille, vt inquit S. Thomas est *professio fidei*, cui non potest subesse falsum. Ita etiam colligitur ex Rot. *in relat. S. Hiacynthi* §. *istis miraculis, & in relat. S. Ignatij de temperantia* §. *quinto continuata.* Contelor. *sup. cap.* 14. *nu.* 41. Videndus Baldellus *sup. disp.* 13. *num.* 11. *&* 12. vbi plura de huiusmodi tabellis appensis in cultum, & honorem Sanctorum.

Nono etiam ex deuotione populi circa reli- 124
quias ipsorum. Hoc enim etiam arguit genus quoddam cultus, & venerationis illorum. Prout colligitur *ex cap. Audiuimus de reliq. & vener. SS. & cap. non oportet de consecrat. dist.* 1. Peña *in vit. S. Didaci lib.* 2. *cap.* 5. *&* 6. Molfesius *in addit. ad qq. vsual. tom.* 2. *consil.* 45. *num.* 10. *& seqq.* ac maximè Rota *in relat. B. Thomæ de Villanoua* §. *qui quidem honor.* Dummodò tamen id fiat de Sedis

Apostolicæ, vel Ordinarij legitimo consensu, aliàs non; cùm constet aliquando vel ex malitia, vel simplicitate quorundam venerationem habuisse corpora, & reliquias etiam hæreticorum, scilicet cuiusdam Petri Ioannis Ordinis N. de quo *in 2. p. direct. Inquis. comm.* 51. & Guidon. de Luca, de quo Scacchus *supr.* ex Prateolo.

125 Præcipuè verò decimò huiusmodi processuum releuantia probatur ex cultu publico, & anniuersario festiuo, & solemni cum officio, & Missa, ac concursu populi in illis diebus tales serui Dei ex hac vita ad cælestem migrarunt. Hic enim est maximus cultus, qui ab Ecclesia illis tribui potest, & per quem veluti constituuntur in vltima, seu proxima dispositione ad Canonizationem. Et ita colligitur ex praxi Ecclesiæ apud Clementem *lib.* 8. *Constitut. Apostolic.* Tertullianum *in libr. de corona militis*, & Cyprianum *Epist.* 37. & ex Leone X. pro B. Philippo Benitio, & Paulo V. pro Sancta Francisca Romana, quibus innititur Fortunatus Scacchus *supr. sect.* 10. *cap.* 2. ac ex relationibus Rotæ pro S. Hyacintho; Sancto Raymundo; S. Andrea Corsino; S. Carolo; Sancto Ignatio; S. Isidoro Matritensi, quibus etiam innititur Contilor. *d. c.* 14. *n.* 40.

126 Attenditur etiam pro releuantia processuum ad publicam, & constantem vocem, & famam Canonizandi. Primò quidem, quia, iuxta illud Prouerb. 10. *Memoria iusti cum laudibus, & nomen impiorum putrescet.* Seu vt 70. Interpretes legunt: *Memoria iusti cum encomio, nomen verò iniusti extinguitur.* Id est, memoria iusti est constans, perpetua, & æterna; memoria autem peccatoris labilis, fragilis, corruptibilis, &c. Cùm ergo per Canonizationem serui Dei declarentur iusti ab Ecclesia, oportet, quod constet de publica, constante, & perpetua fama eius sanctitatis, & quod non fuerit solùm ad tempus. Secundò ad idem, quia cùm iuxta illud Psalm. 111. *In memoria æterna erit iustus, ab auditione mala non timebit*, & è contra Psal. 9. dicatur de peccatoribus: *Periit memoria eorum cum sonitu*, vt Ecclesia aliquem æstimet iustum necesse est cognoscat an fama illius sanctitatis sit perpetua constans, & immutabilis; an vero perierit, aut desierit esse. Tertiò, quia *consentiens fama confirmat rei, de qua quæritur, fidem*, prout ex rescripto Hadriani ad Valerium *l.* 22. *digest. tit. de testib l. testium fides* affert ad hoc intentum Fortunatus Scacchus *l.* 1. *de notis, & signis sanctitatis sect.* 9. *cap.* 5. Quartò, quia talis fama est tantæ efficaciæ, vt expurget omnem suspicionem contrariam. Crauetus *cons.* 145. *in fin.* quem referunt Cardin. Tuschus *practicar. concl. tom.* 3. *littera F. concl.* 69. *num.* 17. & Barbosa *in Axiomatib. Axiomate* 95. Quintò, quia famæ probatio cum adminiculis sufficit pro iustificatione. Prout habetur ex Rota in Clusina *Pensionis* 28. Ianuar. 1575. coram Blanchetto, & in Neritonensi *Pensionis* 24. Nouembris 1606. coram Gregor. XV. inter eius decisiones *n.* 277. Quæ maximè procedunt quando talis fama est notoria notorietate facti, quia tunc ex ea sumitur efficacissimum probationis argumentum, & nulla alia indiget probatione. Surdus *decis.* 259 *nu.* 14. & *decis.* 326. *num.* 82. Farinac. *in praxi crimin. part.* 1. *q.* 21 *à num.* 80. Scacchus *supra eo c.* 5. §. *Sed longè* Maximè Castellinus *supra pag.* 104. vbi multa ad intentum.

127 Non videtur autem derogari validitati, seu releuantiæ dictorum processuum, quod in illis sit aliquis defectus quoad res minimas non substantiales, sed accidentales. Nam minima non sunt in consideratione, siue de minimis non curat Prætor *l. Scio ff. de in integr. restit. l.* 4. *in fin. ff. de ædilit. edic.* Iason *in l. sciendum num.* 7. *cum seqq. ff. qui satisd. cog.* Bald. *in cap. Cum adeo num.* 3. *cum seqq. de rescript.* latè Crauet. *cons.* 182. *num.* 14. & 15. *cum seqq.* Etiamsi illa minima sint data pro forma, quia talis defectus in minimo formæ non vitiat actum. Angelus Aretinus *cons.* 68. *num.* 6. §. *Quinimò.* Barbosa *in Axiom. iur. Axiom.* 150. *n.* 3. Multo magis quando illud minimum pertinet ad solemnitatem Lancellot. *lib.* 2. *num.* 2. Aretinus, & Barbosa *supra.* Fauet etiam illud aliud axioma iuris. Modica non nocent, *cap. Si preponente* 42. vbi *gloss.* 1. *de rescript.* Tiraquellus *in l. si vnquam, verb. donatione largitus num.* 107. *C. de reuocand. donat.* & *in tract. de iudicio in reb. exig. vers.* 29. quia de modico non est curandum; *l. si oleum*, §. *fin. cum l. seq. ff. de dolo l. in rebus*, §. *possunt, ff. commodati*, Thomas de Thomassettis *in florib. leg. reg.* 422. Quod benè limitat nisi modica essent essentialia, Bertazolus *in repet. l. si quis maior, Cod. de transact. n.* 422. Aloysius Riccius *in prax. rerum fori Ecclesiast. decis.* 39. *n.* 3. *in* 1. *edit.* aliàs *resolut.* 36. *in* 2. *edit.*

Nec etiam derogatur d. validitati, seu releuantiæ si defectus illi circa minima suppleantur per æquipollentia, quia nihil refert aliquid ex æquipollentibus fieri, dum adimpletur factum, & conditio, *vulg. l. fin. vbi glos. fin. C. de donat. quæ sub mod. l. si mater, vbi glos. in verb. sua causa C. de instit. glos. in l. Gallus*, §. *Et quid si tantum in verb. Emancipatus ff. de liber. & posthum.* vbi Bartolus, & alij communiter, & est regula vulgata. Et terminis Canonizationis Sanctorum, & processuum pro illa efformatorum Andreas Molfesius *in Addit. ad qq. vsual. tom.* 2. *cons.* 46. *num.* 37. Quod etiam est verum pro casu, quo aliqui esset faciendum in forma specifica; itaut sufficiat fieri per æquipollens. Quia ita credi debet de intentione talia præcipientis, seu Summi Pontificis. Andreas *in cap. Imperialem sub n.* 11. *vers. Semper enim fit, ac proh. feud. aliena. per Federic.* vbi Camerar. *fol.* 52. *littera K. aliàs fol.* 76. *litt. P.* de Ponte *cons.* 37. *vol.* 1. *num.* 27. vbi *num.* 29. rationem assignat, quia in his magis sensum, quàm verba spectare debemus, iuxta Glos. communiter receptam *in l. sed, & Celsus*, §. *in emptis, ff. de contrahend. empt.* cum vulgatis aliis, de quibus Molfesius *sup. num.* 39. 128

Similiter non derogatur tali validitati, vel releuantiæ si defectus isti sint in rebus minimis, quæ valdè difficile obseruari possint. Quoniam secundum iura valdè difficile æquiparatur impossibili *l. nepos procul. ff. de verb. signif. l. si seruus ff. de noual. l. diuortio ff. negot. gest.* Albericus *in l. qui ex liberis ff. de bon. poss.* Baldus *cons.* 101. *lib.* 1. Decian. *cons.* 39. *num.* 125. & *seqq. lib.* 2. Sebastianus Medices *de casib. fortuit.* 1. *part. q.* 4. *n.* 13. Farinac. *Frag. criminal. par.* 2. *litt. E. n.* 143. Impossibilium enim, & valdè difficilium idem est iudicium, *l. apud Iulianum* §. *constat ff. de legat.* 1. Lucas Castellinus *de dilatione Canon. Sanct. pag.* 50. 129

Vnde etiam non derogatur d. validitati, & releuantiæ, quod Ordo præscriptus in Remissorialibus non obseruetur ad vnguem in prædictis rebus minimis. Sic colligitur ex Hostiensi, Ioanne Andrea, Cardinali, & aliis *in cap.* 1. *de reliq. & vener.* 130

vener. Sanctor. & ex Panuino in Relatione Canonizat. S. Bonauent. p. 2. art. 7. circa fin. quos refert, & sequitur Molfesius sup. num. 21. Extat autem hæc relatio inter opera eiusdem Sancti in fine quarti tomi.

131 Multo magis hæc procedunt, quando Canonizandus nunquam laborauit infamia, sed semper notoriè bonus fuit bonum testimonium populi semper habens. Hæc enim notitia excludit necessitatem tam exacti, & rigorosi examinis processuum pro ipsius Canonizatio. Qui enim notus est non examinatur, sed sine probatione recipitur. *Can. valdè, distin. 94. cap. Ad Apostolica de regular.* Panuinus *in d. Relat. Canoniz. S. Bonauenturæ par. 1. art. 9.* Molfesius *supra num. 30. & 41.*

132 Pariter hæc omnia dici debent in casu quo dd. processibus adiuncta sit aliqua superflua, seu non necessaria in rebus modicis, & non magni momenti. Etsi enim superfluitas semper euitanda sit, vt per Cardinalem Thuscum *pract. conclus. tom. 7. litt. S. conclus. 895. n. 36.* Menochium *cons. 81. num. 32.* & alios habetur; nihilominus potiùs toleratur superfluitas, quàm quod quis damnum indebitè patiatur. Thuscus *ibid. n. 56.* Surdus *dec. 36. num. 19. & 20.* Gonzales *ad regul. 8. Cancell glos. 6. num. 32.* Præsertim quia hic intrat axioma illud commune: vtile per inutile non vitiatur *l. 1. §. Item quæritur, ff. de aqua quotidiana, & æstiua*, & communiter apud Iuristas.

133 Quorum omnium ratio est, quia ad alicuius serui Dei Canonizationem duo tantùm sunt substantialiter necessaria, scilicet Sanctitas ipsius, ac miracula per ipsum patrata. *Can. teneamus 1. quæst. 1.* Troylus *de Canoniz. Sanct. dub. 3. num. 73.* Panuinus *supra* relatus. Cùm hæc ergo duo consistere possint sine dd. minimarum circunstantiarum obseruantia, vtique defectus illarum non irritabit validitatem, seu releuantiam processuum. Cuius signum est sæpissimè Summos Pontifices ad Canonizationem Sanctorum processisse sine prædictis minimis, & etiam maximis circumstantiis obseruatis. Vt probat Molfesius *supr. à num. 22.* in Leone III. quoad Canonizationem Sanctis Suisberti, Gregor. IV. in Canonizatione Solæ Abbatis, Adriano II. in Canonizatione S. Vualburgis, Alexandro III. in Canonizatione S Eduardi Regis, Ioanne XV. in Canonizatione S. Vdalrici. Et fuit obseruatum in Canonizatione S. Bonauenturæ, vt dicit Panuinus in relatione de hac re *par. 2. art. 7. præcipuè circa fin. §. Hic autem Ordo.*

134 Est etiam notandum, quod in dubio facti, an sint vel non sint obseruatæ omnes circunstantiæ etiam minimæ pro fabricatione processuum, stat præsumptio pro parte Commissariorum, qui illum fabricarunt. Non solùm propter vulgarissimum principium iuris, quod in dubio de validitate actus iudicari debeat pro ipsas, sed specialiter, quia *in ca. bona memoria de elect.* expresè habetur: *Pro his, quæ à Iudice sunt acta, præsumitur.* Vnde *pro Iudice semper iura præsumunt*, vt per Marantam *de ordin. iudic. 2. p. 6. princip. tit. 9. num. 21.* Menoch. *cons. 100. nu. 1. & seqq. & de præsumptionibus lib. 2. præsumpt. 67.* & alios plures. Quod maximè procedit in Iudice qualificato, qualis est Episcopus, cui regulariter demandari solet hoc negotium.

135 Quia etiam pro qualificatione processuum formatorum pro seruorum Dei Canonizatione postulari solet à Summo Pontifice *releuantia historiarum*, ideo notandum eam probari. Primò ex eo, quod authores ipsarum veridici existimentur. Etenim *quicquid verè, & grauiter explicatur historia dici potest.* Budeus *in Commentar. linguæ Græcæ.* Anima namque omnis historiæ est veritas. Vnde rectè Strabo *libr. 1. Geographiæ: Historiæ finis est veritas, nec ostentationi, sed fidei veritatique componitur. Ergo historia*, inquit ille, *non debet egredi veritatem: & honestè factis veritas sufficit.* Et Polyb. *lib. 1. histor. Perinde ac si quis oculos animantis effoderit, quicquid superest corporis inutile fit: ita dempta ex historia veritate, narratio omnis inutilis est.* Fortunatus Scacchus *de not. & sign. Sanctit. lib. 1. sect. 11. cap. 6.* Secundò ex eo, quod Authores illarum sint noti, & certi; nec ignorentur ipsorum nomina. Ita enim colligitur ex decreto Concilij Trident *sess. 4.* vbi prohibentur libri incerti authoris, Et *cap. Sancta Romana Ecclesia, dist. 15.* quod est Gelasij primi Et decreto Concilij 70. Episcoporum Romæ habiti, in quo cùm ageretur de gestis aliquorum Sanctorum Martyrum acta, quæ de ipsis loquebantur reiecta fuerunt eo quod, vt ibidem dicitur: *Quia eorum, qui conscripsere nomina penitus ignorantur.* Fortunatus etsi nec hoc admittatur ab omnibus, prout colligitur ex Ioanne Andrea *in cap. vltim. sub num. 12. de regul. iur. in 6.* Felinus *in cap. 2. num. 49. in fin. de rescriptis* Et in terminis Chronicæ S. Francisci ex Panuino *in relat. S. Bonauenturæ part. 2. cap. 18.* ac ex Bellarmino *tom. 1. lib. 1. cap. 2. de libris Apochriph.* Tertiò, si à maioribus fides illis adhibita fuerit. Bart. *in l. 1. num. 22. ff. si cert. petat.* Felinus *in cap. 2. num. 49. de rescript.* Cassaneus *in Catalog. gloriæ mundi par. 10. considerat. 45.* Rota *decis. 718. num. 2. par. 4. diuers. & decis. 353. num. 27. part. 5. recent.* Quartò, si tales historiæ communi applausu receptæ fuerint. *cap. cum causam de probat.* Abbas *ibi in principio.* Pannuinus *in Relatione S. Bonauenturæ par. 2. art. 8.* Contilorus *cap. 14. num. 11.* & Rota *dicta decis. 353. num. 28. & 80.* Quintò, si tales historiæ scriptæ sint ab eis, qui res in eis narratas videre, vel audire potuerunt. Iuxta illud Christi Ioann. 18. *Interroga eos, qui audierunt.* Et quia testes de visu, & auditu sint maximè idonei. Fortunatus *supr.* Idque colligitur ex *l. qui testamento §. fin.* vbi latè Bartholus, & Doctores *ff. de testament.* Mascardo *de probation. conclus. 656. num. 2.* & aliis. Sextò, si longissimo tempore fuerint approbatæ. Felinus *cap. ex parte num. 146. ff. de rescriptis, & cap. Inter dilectos de fid. instrum. num. 12.* Mascardus *de probat. conclus. 287. n. 10.* post Bartholum, & Romanum. Multò magis si fuerint solemniter receptæ, aut in iudicio pro legitimis habitæ. Rota *decis. 101. num. 1. & decis. 146. num. 2. par. 7. & decis. 403. numer. 1. & decis. 496. num. 1. p. 4. tom. 2. Recent.* Mascardus *supra concl. 1294.* Quod ampliandum itaut Chronicarum, & historiarum exemplum intellige, si habeant conditiones assignatas) etiam fidem faciat. Bartholus, & Alexander *in l. 1. ff. si certum pet.* per *text. in cap. Cum causam de probat.* Mascard. *dicta concl. 287. num. 1.* ex pluribus aliis. Qui etiam *num. 2.* ampliat hoc procedere etiamsi author huiusmodi historiarum ex aliorum sententia loquatur. Soccin. *in l. 1. ff. si cert. pet.* & ibi Purpurat. *num. 156.* affatim. Felinus *in cap. cum causam col. 1. num. 1. sub fin. extra de probat.* Septimò generaliter, si tales historiæ antiquæ fuerint, id est excedentes spatium centum annorum.

norum, tunc enim ratione antiquitatis venerabiles sunt; inducentes præsumptionem; exacta, & plena probatione non egentes; coniecturis, & adminiculis sufficienter suffultæ; & cum debita solemnitate factæ existimandæ. Prout ex pluribus iuribus, & Doctoribus probat Mascardus *de probationib. concl. 103.104.105. & sequentibus.*

136 Nec obstat historiarum releuantiæ, quod in ipsis aliqui errores reperiantur, & quia, vt habet Parisius *conf. 23. numer. 253. lib. 1. Historicus in vno falsus in reliquis reputatur falsus.* Hoc enim solum tenet verum quando est error in parte substantiali, prout loquitur Parisius relatus, vel quando est error ex malitia non de erroribus accidentalibus ob inaduertentiam incursis. Aliàs nulla humana historia etiam à Sanctis Patribus, & Doctoribus antiquis scripta fidem mereretur, cùm plus æquo constet historias omnes legentibus nullam omninò esse, præter Sacras, & Canonicas, in quibus non vnus, sed plures errores per incuriam irrepserint. Vnde Baronius *in not. ad Martyrolog. die 9. Octobris*, inquit: *Quod si ob vnum errorem, vel alterum in vitis sanctorum inuentum, cætera quæ remanent fide carere dixerimus, profectò omnes ferè Sanctorum Vitas in maximum discrimen inducimus, cùm penè in omnibus aliquid notari possit, quod corrigendum videatur; sitque Canonicarum tantum scripturarum singularis prærogatiua, vt in eis cuncta vera, inconcussaque narrentur, & præsertim quando in reliquis aliis habeant Adstipulatores.*

137 Nec etiam obstat, quod sola antiquitas non præbeat plenam fidem scripturis. Hoc enim solùm est verum de historiis antiquis non authenticis, neque adminiculatis, non verò de illis, ad quarum authenticationem non solùm concurrunt superiùs adducta, sed vlteriùs, quòd Sancti, de quibus in illis est sermo publico, & continuo cultu, veneratione, celebratione festi, electione Cappellarum, & Altarium, approbatione Sedis Apostolicæ coluntur, eorumque historia multorum scriptorum sequela comprobatur. Mascardus *de probat. conclus.* 287. Gratianus *discept. forens. cap.* 893. *numero* 7. Rota *decis.* 718. *num. 1. par. 4. diu. & decis. 353. num. 11. par. 5. recent.*

138 Nec etiam tollet releuantiam harum historiarum, quod quandoque illarum authores sint de hæresi, vel simili macula suspecti. Si enim hoc esset, profectò corruet authoritas historiarum Origen. Tertulliani, Eusebij Cæsariensis, Ruffini, Palladij, Socratis, Sozomeni, Cassiani, & aliorum; siquidem Origenes, & Tertullianus inter hæreticos censentur; Eusebius creditur Arrianus; Ruffinus, & Palladius suspecti sunt de Origenismo; Socrates, & Sozomenus existimantur Nouatiani; & Cassianus Pelagianus. Nihilominus Ecclesia non reiicit historias, & vitas Sanctorum, quas scribunt, sed illis vtitur etiam in Breuiariis, Martyrologiis, Menologiis, & aliis Tabulis communibus.

139 Casu etiam dato, quod in formatione processus pro Canonizatione alicuius serui Dei aliqui defectus reperti fuerint, potest peti, & concedi noua Remissoria pro supplendis talibus defectibus. Primò generalissimè, quia Ecclesia procedit in huiusmodi causis ordine iudiciario, pro-
140 vt ex D. Augustino *in libello de pœnit. medicin.* elicit Angelus Rocca *de Canoniz. Sanct. cap.* 34. & constat ex praxi, & stylo Sac. Congregationis Rituum; Ordo autem Iudicialis postulat vt parti concedantur probationes, quando eas postulauerit, & fuerint necessariæ ad ostensionem suæ iustitiæ. Prout ex multis quæ affert Farinacius *in prax. q. 77. cap...* elicitur. Ex eo etiam quia aliàs veritas occultaretur. Secundò, & generaliter, 141
quia ista causa Canonizationis comparatur causæ ciuili, licet in ea cautissimè procedatur. Maluetius *de Canoniz. dub. 3. numer.* 65. Panuinus *in relat. S. Bonauenturæ p. 2. art.* 4. Contelorius *de Canoniz. c. 18. num.* 25. In causis autem ciuilibus concedendas esse Remissorias pro examine testium tam absentium, quàm præsentium habet latissimè idem Farinacius *supra.* Addens *ibid. num.* 142
4. quod à negatione talis Remissoriæ, si eam Iudex in causa ciuili denegauerit, detur appellatio. Et *n. 22.* quod Remissoria est concedenda, quando petitur ex iusta causa, iuxta *l. Indices*, vbi DD. *C. de fide Instrument.* Tertiò, & specialiter, 143
quia in causa Canonizationis non agitur de præiudicio alicuius personæ, animæ, vel fidei, sed potius è contrario de augmento deuotionis, fidei, &c. Maluetius *supr. num.* 68. Contelorius *supr. num.* 26. Quartò, quia testis, qui nulliter est exa- 144
minatus potest repeti, vt habent Felinus *in cap. per tuas* 48. *num. 2. in fin. de testib.* Butr. *ibid. numero* 9. Imola *num.* 3. & Rota *dec. 720. num. 1. & fin. par. 2. recent.* Similiter quando examinatus est sine 145
interrogatorio, permittitur parti petere, quod repetatur, vt habent Speculator *de testib. §. 6. num. 21. part. 1.* Innocentius, Bellamera, Franciscus, & multi alij apud Contelorium *supr. cap. 25. num.* 84. Multo ergo magis in causa pia, qualis est ista, repeti etiam possunt iidem testes ad supplendum defectus, si qui fuerunt in primo processu, & dari Remissoria ad illum de nouo formandum.

Consequenter etiam quando iura vigore pri- 146
mæ Compulsationis, seu priorum litterarum Compulsoralium extracta, non fuerunt legitimè compulsata, concedi debet noua Compulsoria, seu nouæ litteræ Compulsoriales. Ita enim expresse Rota coram Buratto *dec.* 555. in Sa- 147
lernitana *prætensæ contributionis.* Quia, vt ibi dicitur, & applicari potest ad causas Canonizationis Sanctorum *iniquum prorsus esset Moniales succumbere ob defectum non iuris, sed compulsationis non benè factæ.* Excipit tamen Rota casum, in quo esset vehemens suspicio, seu præsumptio de malo iure. Sed specialiter concedendam esse nouam Compulsoriam, quando testes sunt nulliter examinati affert ex Boccacio, Farinacio, & aliis Rotæ decisionibus.

Pro quorum intelligentia nota, quod hoc 148
nomen *Compulsatio* deriuatur à verbo *Compulso* quod, iuxta Calepinum significat *vrtare vna cosa con l'altra.* Vnde secundum vsum Curiæ sumitur pro extractione, seu exemplatione Iurium, Instrumentorum, seu scripturarum ad causam pertinentium. Et processus compulsorialis est ille, qui datur ad effectum compulsandi, & exemplandi omnes, & quascunque scriptu- 149
ras, documenta, & iura ad causam facientia. Contelorius *de Canoniz. Sanct. cap. 24. in princ.* Atque ita litteræ Compulsoriales solent dari quando concurrunt hæc duo, videlicet existentia Iurium extrahendorum, & releuantia eorum, prout habet Rota supra relata coram Buratto. Hinc etiam clausula *Iuribus compulsatis* denotat 150
Iura,

Iura, Instrumenta, scripturas, seu documenta ad causam spectantia extracta esse, exemplata, & verificata. Ita colligo ex Rotæ decisione coram Coccino in Compostellanen. *Thesaurariæ* de ann. 1608. inter decisiones Coccini *dec.*404. *num.*2. & ex alia Burgensi *Beneficij* coram Coccino de ann. 1605. *num.*1. inter decisiones ipsius *dec.* 162. ac ex alia Perusina *Beneficij* coram Remboldo de ann. 1619.

151 Quia tamen plura ex his, quæ à nobis dicta sunt, plura quoque alia perutilia ad intentum continentur in grauissima, & omni eruditione plena S. Rotæ Romanæ relatione ad Summum Pontificem Paulum V. facta pro Canonizatione nostri S. Andreæ Corsini, quam ad litteram refert Abraham Bzouius *tom.*14. *Annal. circa ann. Christi* 1375. *num.*9. Ideo operepretium, & pro studiosis vtilissimum iudicaui, dictam relationem hic apponere. Quæ talis est.

RELATIO S. ROTÆ,

Quam Paulo V. Pontifici Maximo dederunt tres Rotæ Auditores deputati, videlicet Franciscus Sacratus Archiepiscopus Damascenus, Ioannes Baptista Coccinus Decanus, Alphonsus Mançanedo. Super Processu Canonizationis B. Andreæ Corsini Episcopi Fesulani.

152 Beatissime Pater. Relaturi S. V. vt ea nobis mandauit per suum rescriptum, quid gestum, quidque probatum sit in causa Canonizationis bon. mem. Serui Dei Andreæ Corsini Episcopi Fesulani, animaduertimus sæpè euenire in huiusmodi relationibus, vt vna eademque propositio pluribus locis vsurpetur repetitis rationibus, & argumentis quibus ea confirmetur, quem laborem aut fastidium, vt nos euitaremus expedire visum est præmittere generalia quædam principia huius materiæ, quæ verè totam Canonizationis rationem, in eo quod ad praxim spectat constituunt, quibus semel adductis, ac probatis vteremur deinde quoties opus esset, & suo loco exhiberemus quasi regula quadam, & lapide lydio ad discernenda omnia quæ nobis oblata sunt circa vitam, & miracula præclari huius famuli Dei, quo S.V. distinctiùs, & faciliùs rem totam cognoscere, & quid sibi super Canonizationes viri istius statuendum sit deliberare possit. Erunt igitur sex partes relationis nostræ. In prima agemus de Sanctitate Canonizandorum. In secunda de eorum miraculis. In tertia de modo probandi vtrumque. In quarta de Sanctitate B. Andreæ. In quinta de eius miraculis. In sexta de actis huius causæ, & legitima illorum confectione.

PRIMA PARS.

De Sanctitate Canonizandorum.

153 Vt quis pro Sancto Canonizari possit sanctum fuisse oportere indubitatum videtur, quandoquidem Canonizatio non dat Sanctitatem, sed illam tantùm, quæ prius fuit in Canonizando declarat, & facit obseruari, qua ratione, vt ad Canonizationem deueniri possit probandam esse in primis sanctitatem concludunt omnes *in cap.*1. *de reliq. & vener. Sanct. in cap. Venerabilis de test. & in cap. nec mirum* 26. *quæst.*5. Videndum igitur quod primo loco se offert quid sit ista sanctitas, in quo consistat, & quanta requirantur ad effectum, vt sit locus Canonizationi.

Sanctitas tam quoad comprehensionem, quàm quoad intensionem siue excellentiam largè, & & strictè accipitur; Etenim quoad comprehensionem sanctitatis aliquando importat virtutem generalem continentem omnes virtutes S. Aug. *lib. de doctrin. Christ.* S. Thom. 2. 2. *quæst.*81. *art.*8. vbi latè Caietan. *in Comment.* aliquando refertur ad solam charitatem. S. August. *lib.*1. *de doctrin. Christ. cap.*27. ibi *ille sancta viuit, qui ordinatam habet charitatem, &c.* Aliquando ad solam iustitiam, idem S. August. *lib. de salut. docum.* ibi: *Sanctitas consistit in operibus iustitiæ.* Aliquando ad solam munditiam, & temperantiam à sordibus carnis. S. Thom. *d. quæst.*81. *art.*8. Aliquando videtur consistere in renunciatione bonorum temporalium, & distributione illorum inter pauperes. Matth. cap. 19. *Si vis esse perfectus vade, & vende omnia, &c.* Aliquando denique distinguitur inter sanctitatem animæ, & sanctitatem corporis. S. August. *lib. de salut. docum. cap.*9. *Sanctitas*, inquit, *corporis est castitas, animæ verò charitas, & humilitas.* 154 155

156 Quo autem ad intensionem siue excellentiam sanctitatis aliquando capitur ita strictè, vt solus Deus Sanctus dici possit, iuxta illud quod canit Ecclesia: *Quoniam tu solus Sanctus: Tu solus Dominus: Tu solus altissimus Iesu Christe.* Aliquando 157 verò ita largè, vt quilibet iustus Sanctus dicatur. Psalm. 17. ibi *cum Sancto Sanctus eris.*

Quod spectat ad rem nostram Canonistæ locis 158 supra citatis capiunt sanctitatem largè quoad *comprehensionem*, vt scilicet canonizandus fuisse debeat præditus omnibus virtutibus, & strictè quoad *excellentiam*, vt scilicet in illis fuerit valdè 159 excellens. Fundant autem eorum intentionem præcipuè Hostiens. Innoc. Ioan. Andr. & Butr. *in d. cap.*1. *de reliq. & vener. Sanct.* in illo Ecclesiast. cap. 44. *Laudemus viros gloriosos, & parentes nostros in generatione sua, multam gloriam fecit Dominus magnificentia sua à seculo. Dominantes in potestatibus suis homines magni virtute, & prudentia sua præditi, &c. Laudemus viros*, ecce Canonizatio 160 Sanctorum, quam facit Ecclesia, quia non iubet Spiritus Sanctus laudari mortuos ad finem humanum. *Parentes nostros*, ecce quod soli fideles canonizantur, quia paucissimis exceptis, soli parentes Hebræorum tunc fuerant fideles. *Multam gloriam*, ecce excellentiam canonizandorum, quos non sufficit esse simpliciter gloriosos, id est bonos, sed debent esse multum gloriosi, id est plusquam boni. *Fecit Dominus*, Ecce, quod bonitas, & 161 excellentia debet esse à Domino, hoc est circa virtutes infusas, nec sufficiunt merè naturales, aut habituales. *Magnificentia sua*, Ecce necessitas gratiæ plusquam sufficientis, & particularis electionis, quia alias Dominus cum eis magnificè non egisset, sed secundum suam ordinariam bonitatem. *A sæculo*, quod exponunt, id est ab initio eorum conuersionis vsque ad finem, ecce necessitas perseuerantiæ. *Homines magna virtute, & prudentia sua præditi*, ecce multiplicitas virtutum.

Rursus quod Canonizandus pro Sancto debeat fuisse præditus omnibus virtutibus, & in 162 gradu excellenti quoad omnes virtutes, sic probatur,

batur, Sancti sunt membra Christi, S. Hyeronymus *relat. in cap. Si quis hominem* 11. *quaest.* 13. membra verò debent esse benè ordinata erga suum corpus, aliàs esset monstrum, iuxta illud *Humano capiti ceruicem pictor equinam iungere si*
163 *velit*, &c. vt quis autem dicatur benè ordinatus erga Christi tanquam suum corpus debet non solum esse benè ordinatus erga illum immediatè, sed etiam mediatè, nempè erga proximum, & erga seipsum propter Deum, vt patet ex praeceptis Decalogi quorum aliqua ducunt hominem immediatè ad Deum, vt illud: *Non habebis Deos alienos coram me, &c.* aliqua verò ad proximum, *vt*
164 *non furtum facies*, &c. aliqua demum ordinant illum erga se ipsum siue in se ipso tantum, vt *non concupisces*, &c. Sola enim concupiscentia non nocet proximo, sed ipsum tantum concupiscentem inordinat. Erga Deum immediatè ordinamur per virtutes Theologicas, quae propter hoc à verbo θεὸς, Theologales dicuntur, erga proximum autem, & nosmetipsos per morales, quae, & Cardinales, id est principales vocantur, quarum vna praecipuè respicit proximum, quae est iustitia, aliae duae nosmetipsos, nempè fortitudo, & temperantia, quarta tanquam moderatrix, & electiua medij in quo consistit virtus, vt per Philosoph. 2. Ethic. cap. 6. respicit omnes tres. Quin etiam ipsismet Theologalibus famulatur, nam circa fidem possumus errare, porrigendo imprudenter aures falsis magistris, & sophisticis eorum argumentis; circa spem praesumendo de bonitate Dei plusquam conuenit, puta quod nec etiam perseuerantes in peccato sit puniturus; circa charitatem per Zelum indiscretum, velut si quis priuatus existimaret se licitè posse occidere blasphemantem Sanctissimum Christi nomen, vel posse cum vno peccato etiam veniali conuertere ad fidem christianam totum mundum.

165 Rursus etiam tertiò probatur necessitas omnium virtutum, quia virtutes sunt arma, quibus armamur contra tela hostis generis humani. S. Paulus XIII. ad Rom. *Induamur arma lucis*, & 6. ad Ephes. *Induite in loricam sumentes scutum fidei.* Latius D. Hyeronymus relat. *cap. nisi* 23. *quaest.* 5. Coeterum, quia tela hostis generis humani non
166 sunt omnia vnius naturae, sed septemplicis, singulae enim virtutes habent sua vitia opposita, vt docet S. Anton. *in sum. part. tit.* 1. *cap.* 1. ideo sunt necessariae omnes virtutes, quibus aduersus singula vitia nosmetipsos tueamur, quia aliàs sicut vulnus illatum ab vno telo occidit totum corpus, ita per lapsum in vno vitio omnium rei essemus, iuxta illud S. Iacob. relat. *in cap. Consideret, d.* 5.

167 Vnde vnam virtutem sine aliis esse non posse, concludit S. Thom. 1. 2. *quaest.* 65. *art.* 1. & hunc sensum habuerunt maiores nostri in relatione S. Franciscae *in fin.* 1. *art. part.* 2. vbi concluserunt, illum verè sanctum dici posse, qui omnium virtutum generibus decoratur.

168 Quod autem praemisimus de necessitate omnium virtutum explicauimus solum in Theologicis, & moralibus, nam virtutes merè intellectuales, vt sapientia scientia, & similes impropriè, & largo modo dicuntur virtutes, cum non perficiant hominem quoad voluntatem, in quo consistit vera virtus, & sanctitas, sed tantùm quoad intellectum vnde illas habentes possunt esse mali, vt latè explicat S. Anton. *in sua sum. p.* 4. *in princ.*

Illud etiam non praetereundum existimamus
169 circa necessitatem omnium virtutum, nempe, quod circa Theologicas quisque Christianus nedum Sancti, est obligatus operari, ex quo nunquam defuit obiectum hoc est ipse Deus, circa verò morales distinguendum est inter abstinentiam, & operationem in quibus consistunt iste virtutes iuxta illud Psalm 33. *Diuerte à malo, &* 170
fac bonum. Circa abstinentiam quisque est obligatus semper, & in omnibus esse virtute praeditus, hoc est nunquam cogitatione, verbo, vel opere declinare in aliquod, quod sit vni ex praedictis virtutibus contrarium, aliàs omnium reus esset, per ea, quae diximus supra. Circa operationem, subdistinguendum est, quia ad aliquas operationes tenemur sub poena peccati puta ex praecepto Ecclesiae, officio assumpto, necessitate proximi, & similibus, & tunc non solum perfecti, sed quilibet 171
Christianus tenetur operari, alias diuinam gratiam, & inde habitum virtutis amittit, aliquae verò operationes non sunt nobis iniunctae sub poena peccati, & tunc abstinendo ab illis non amittimus habitum virtutis, sed benè deficimus in excellentia, quae requirit bonam operationem quotiescumque se offert occasio, vt mox dicetur.

Circa excellentiam in virtutibus non est du- 172
bium singulas virtutes habere suos gradus, itaut in illa vnus dicatur excellentior altero, quin vna, & eadem persona potest in dies proficere in eadem virtute, vt latè per S. Anton *in sum. p.* 4. *tit.* 1. *cap.* 4. & habetur *in cap. Cum Sanctam d.* 1.

Quod autem pro sanctis non debeant canoni- 173
zari nisi perfecti, & excellentes in virtutibus apparet, quia Canonizatio fit vel immediatè ob gloriam Dei, iuxta illud Psalm. 67. *Mirabilis in Sanctis suis*, vel mediatè, nempe vt illos inuocemus pro nostris mediatoribus apud Deum, vel vt imitemur eorum virtutes non diffidentes posse homines ope diuina ad perfectionis gradus peruenire, vel denique propter retributionem, nempe in praemium, & retributionem ipsorummet Canonizandorum, quae omnia tandem resultant in gloriam Dei, & haec singula requirunt excellentiam in virtutibus, & speciale meritum, quia aliàs in simplici virtute, & ordinario merito Deus non esset admirabilis plusquam sit in numero infinito Beatorum, quos certi scimus esse in Coelis, iuxta illud Ioan. in Apoc. cap. 7. *Post haec vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat.* Nec isti essent meliores intercessores, quàm illi, aut magis imitabiles, vel merentur istam particularem gloriam.

Remanet igitur difficultas, vt videatur in quo 174
consistat ista excellentia. Et certum est illam consistere in charitate, quia *vinculum perfectionis est charitas*, vt dicit S. Paulus III. ad Coloss. quod repetit Sanctus Gregorius *lib.* 7. *mor.* & alibi dicit idem D. Paulus finem praecepti charitatis esse verum, quia in hac Ecclesia militanti sunt necessariae operationes Iacob. cap. 2. & latè prosequitur Sotus 2. *de nat. & grat. à cap.* 3. *vsque ad* 8. & *de occultis non iudicat nostra Ecclesia cap.* 1. *de clan-* 175
destinis despons. Rom. *consil.* 106. *num.* 11. Ideò illum dicemus habere maiorem charitatem, atque inde perfectionem, qui meliores operationes facit, quam praxim nos docuit Christus magister in Euangelio Matth. cap. 7. *Ex fructibus eorum cognoscetis eos.* Illas verò dicemus esse meliores operationes, quae nobis minus sunt communes cum ethnicis, vt nos docuit idem Magister noster apud Matth. cap. 5. ibi: *Nam, & hoc ethnici faciunt.*

Istae

Istæ autem, quæ nobis minimè sunt communes ethnicis, erunt in primis omnes operationes, quæ
176 spectant ad virtutes Theologicas, quarum peritiam minimè habent ethnici, & inter morales etiam sunt nonnullæ species, seu gradus virtutum ad quos non peruenerunt ethnici. Dominus apud Matth. cap. 5. ibi: *Ego autem dico vobis diligite, &c.* Item profunda humilitas, quæ virtus fuit ignota ethnicis, vt docet Caietan. super D. Thom. 2. 2. *quæst.* 161. *art.* 1. *in solut.* 1. & S. August. *de Virgin. cap.* 31. dicit solùm Christum fuisse illius magistrum, & doctorem. Item Virginitas virtus christiana appellari potest, quandoquidem non modo apud Ethnicos minimè fuit in pretio, sed neque apud Hebræos, vt docet S. Thom. 3. *p. q.* 8. *art.* 4. per illud Exod. 23. *non erit infæcunda, nec sterilis in terra tua.* Et Deuteron. *Non erit*
177 *apud te sterilis vtriusque sexus.* Item maceratio carnis, & castigatio proprij corporis sunt virtutes, quas non habuerunt ethnici, & signanter perseuerantia, & quod quis fuerit in omnibus sui similis est proprium virtutis christianæ; nam infidelis homo benè potest viribus naturalibus facere aliquos actus virtutis, & etiam acquirere habitum in aliqua specie virtutis, sed non semper, & in omnibus, vt docet S. Anton. *in sua Sum. p.* 4. *tit.* 1. *c.* 1. §. De quo latè per eum.

Rursus quod diximus de necessitate omnium virtutum, & perseuerantia in illis intelligimus quoad illos, qui post suam conuersionem habue-
178 runt tempus operandi; nam certum est multos ob vnum actum perfectissimæ charitatis in hora mortis fuisse canonizatos, vt de bono latrone, Sancto Maximo, & Ianitore 40. Coronatorum, & aliis qui eodem tempore fuerunt conuersi ad fidem Christianam, & passi martyrium legimus in martyrologio.

179 Adest alia species sanctitatis illorum scilicet, qui nullum omninò actum virtutis operati sunt, sed adhuc infantes propter Christum passi fuerunt martyrium, prout S. Innocentes, qui sub Herode passi sunt, de quibus per S. August. *lib. serm. de Sanct. serm.* 8. *cum tribus seqq.* & de causa illorum venerationis, Specul. *in rational. diuin. lib.* 7. *cap.* 42. super quibus non insistimus, cùm non faciant ad casum nostrum, sed iam ad miracula properamus.

PARS SECVNDA.

De miraculis Canonizandorum.

180 VLtra excellentiam in virtutibus requiri etiam quod canonizandus fecerit miracula concludunt omnes *in d. cap.* 1. *de reliq. & vener. Sanctor. & in cap. venerab. de testib.* vbi satis hoc indicat littera in verbo *miracula*, & ibi etiam not.
181 glos. cuius rei duplex assignari potest ratio. Prima est, quod multi in hac vita incedunt, induti pellibus ouium, cùm tamen intus sint lupi rapaces. Matth. 7. adeo vt nec martyrium sub prætextu Christi nominis supportatum sit concludens argumentum sanctitatis, cùm & hoc posse fieri ob vanam gloriam indicet S. Paulus relatus *in cap. Vide* 1. *quæst.* 1. vbi glos. Et proinde vbi magis est periculum deceptionis euidentiora argumen-
182 ta requirunt. *cap. vbi periculum de elect. in* 6. *cap. num.* 7. *quæst.* 2. *cap. quiescamus* 42. *d.* Secunda ratio est, quia etiam supposita sanctitate non omnes sanctos vult Deus in hoc seculo canonizari, id est nominatim coli pro sanctis, fortè ne cultus, qui per homines debetur Sanctis multitudine Sanctorum, & assiduitate exercitij vilescat, iuxta not. *in cap. Epis.* 80. *d. & in cap. legimus ad finem* 93. Hostiens. *in d. cap.* 1. *num.* 10. *de reliq. & vener. Sanctor.* glos. *in cap. vnic. verb. Sedis, vers.* 5. *ne in infinitum, eod. tit. in* 6. Vnde infinitorum martyrum, & aliorum Sanctorum nomina sunt nobis adhuc incognita.

Nec propterea tales sancti non canonizati desinunt habere suam mercedem in cœlis, iuxta Augustinum relatum *in cap. teneamus* 1. *quæst.* 1.
Erant quidam Christiani, &c. Expectandum igi- 183
tur est, vt Deus suis signis ostendat, & quis verè fuerit sanctus, & quem velit pro tali in hac sua Ecclesia militanti nominatim coli.

Miraculum alij aliter diffiniere, nos autem diffinimus, vt sit *factum insolitum supra vires, vel præter ordinem totius naturæ creatæ.* Diximus *factum* ad exclusionem nonnullarum illusionum, per quas Dæmones, ac etiam homines vafri faciunt nobis videri factum, quod verè non est factum, de
quo per S. Thom. 2. 2. *quæst.* 128. *art.* 2. *& in lib.* 3. 184
contra Gentil. cap. 103. *&* 104. *Insolitum*, quia solita nec re, nec nomine conueniunt miraculo. Non re, quia miracula præcipuè fiunt ad duplicem effectum, nempe vel ad confirmationem prædicationis verbi Dei, iuxta illud Matth. cap. 16. *Illi autem profecti prædicauerunt vbique Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis.* Vel fiunt ad denunciandam facientis sanctitatem, vt infra dicetur; solita autem neutrum operantur, nam ex apparentia solitorum neque confirmare-
tur sermo verbi Dei; nec ostenderetur sanctitas 185
facientis, vt de se patet. Non etiam conueniunt nomine, quia miracula dicuntur ab admiratione, quam secum afferunt, vt per Archid *in d. cap. Nec mirum num.* 6. 26. *quæst.* 5. Bartol. *tract. de testib. vers. qualitas siue substantia num.* 57. solita autem non mouent admirationem, vnde S. Augustinus *lib.* 10. *de Ciuit. Dei* dicit *miracula visibilium naturarum licet maiora sint iis, quæ rarò fiunt, attamen propter illorum assiduitatem non mouere admirationem. Supra* non contra, vt dicit glos. *in cap. vnic. verb. Sedis Apostolicæ vers. secundo, quòd sit contra naturam de reliq. & vener. Sanct. in* 6. *cum concord.* quia miracula fiunt à solo Deo, vt infra dicetur. Natura autem non contrariatur suo creatori, sed cum illo est in ordine obedientiali, & illi libenter cedit, *cap. Cum Martæ §. requisisti* ibi, cedit natura miraculo *de celebr. Miss.* not. specie S. Thom. *p.* 1. *q.* 110. *art.* 2. S. August. *lib.* 3. *de Trinit. cap.* 8. Archid. *in cap. nec mirum num.* 6. *vers.* Et dicitur miraculum Bellam. *num.* 3. 26. *quæst.* 5. Ioan. Andr. *in cap.* 1. *num.* 4. Butr. *num.* 7. *de reliq. & vener. Sanct.* Ioan. Monach. *in cap.* 1. *num.* 11. *de Confess. in* 6. Castellin. *in Tract. de Canoniz. Sanct. quæst.* 6.
princ. vers. secundum quod sit, Simonett. *in relat.* 186
S. Francisci de Paula §. Illud tamen. Vires quia nihil est, quod possit facere natura, quod miraculum dici possit, siue hoc procedat ex singulari artificio hominis, prout de columba lignea volanti Architæ, & æneis serpentibus sibilantibus Boëtij, legitur apud Gellium *lib.* 10. *cap.* 12. Cassad. *lib.* 1. *variar. epist.* 45. siue hoc fiat ex veloce operatione facta per dæmonem applicando actiua passiuis, de quo per S. Thom. *p.* 1. *quæst.* 114. *art.* 4. *ad* 2. *Præter ordinem*, nam multa sunt miracula, quæ propriè non possunt dici supra vires naturæ, sed

tantum

batur, Sancti sunt membra Christi, S. Hyeronymus *relat. in cap. Si quis hominem* 11. *quæst.* 13. membra verò debent esse benè ordinata erga suum corpus, aliàs esset monstrum, iuxta illud *Humano capiti ceruicem pictor æquinam iungere si*
163 *velit*, &c. vt quis autem dicatur benè ordinatus erga Christi tanquam suum corpus debet non solum esse benè ordinatus erga illum immediatè, sed etiam mediatè, nempè erga proximum, & erga seipsum propter Deum, vt patet ex præceptis Decalogi quorum aliqua ducunt hominem immediatè ad Deum, vt illud: *Non habebis Deos alienos coram me, &c.* aliqua verò ad proximum, *vt*
164 *non furtum facies*, &c. aliqua demum ordinant illum erga se ipsum siue in se ipso tantum, vt *non concupisces*, &c. Sola enim concupiscentia non nocet proximo, sed ipsum tantum concupiscentem inordinat. Erga Deum immediatè ordinamur per virtutes Theologicas, quæ propter hoc à verbo θεος, Theologales dicuntur, erga proximum autem, & nosmetipsos per morales, quæ, & Cardinales, id est principales vocantur, quarum vna præcipuè respicit proximum, quæ est iustitia, aliæ duæ nosmetipsos, nempè fortitudo, & temperantia, quarta tanquam moderatrix, & electiua medij in quo consistit virtus, vt per Philosoph. 2. Ethic. cap 6. respicit omnes tres. Quin etiam ipsismet Theologalibus famulatur, nam circa fidem possumus errare, porrigendo imprudenter aures falsis magistris, & sophisticis eorum argumentis; circa spem præsumendo de bonitate Dei plusquam conuenit, puta quod nec etiam perseuerantes in peccato sit puniturus; circa charitatem per Zelum indiscretum, velut si quis priuatus existimaret se licitè posse occidere blasphemantem Sanctissimum Christi nomen, vel posse cum vno peccato etiam veniali conuertere ad fidem christianam totum mundum.

165 Rursus etiam tertiò probatur necessitas omnium virtutum, quia virtutes sunt arma, quibus armamur contra tela hostis generis humani. S. Paulus XIII. ad Rom. *Induamur arma lucis*, & 6. ad Ephes. *Induite in loricam sumentes scutum fidei.* Latius D. Hyeronymus relat. *cap. nisi* 23. *quæst.* 5. Cœterum, quia tela hostis generis humani non
166 sunt omnia vnius naturæ, sed septemplicis, singulæ enim virtutes habent sua vitia opposita, vt docet S. Anton. *in sum. part. tit.* 1. *cap.* 1. ideo sunt necessariæ omnes virtutes, quibus aduersus singula vitia nosmetipsos tueamur, quia aliàs sicut vulnus illatum ab vno telo occidit totum corpus, ita per lapsum in vno vitio omnium rei essemus, iuxta illud S. Iacob. relat. *in cap. Consideret, d.* 5.

167 Vnde vnam virtutem sine aliis esse non posse, concludit S. Thom. 1. 2. *quæst.* 65. *art.* 1. & hunc sensum habuerunt maiores nostri in relatione S. Franciscæ *in fin.* 1. *art. part.* 2. vbi concluserunt, illum verè sanctum dici posse, qui omnium virtutum generibus decoratur.

168 Quod autem præmisimus de necessitate omnium virtutum explicauimus solum in Theologicis, & moralibus, nam virtutes merè intellectuales, vt sapientia scientia, & similes impropriè, & largo modo dicuntur virtutes, cum non perficiant hominem quoad voluntatem, in quo consistit vera virtus, & sanctitas, sed tantùm quoad intellectum vnde illas habentes possunt esse mali, vt latè explicat S. Anton. *in sua sum. p.* 4. *in princ.*

169 Illud etiam non prætereundum existimamus circa necessitatem omnium virtutum, nempè, quod circa Theologicas quisque Christianus nedum Sancti, est obligatus operari, ex quo nunquam defuit obiectum hoc est ipse Deus, circa verò morales distinguendum est inter abstinentiam, & operationem in quibus consistunt istæ virtutes iuxta illud Psalm 33. *Diuerte à malo, &* 170
fac bonum. Circa abstinentiam quisque est obligatus semper, & in omnibus esse virtute præditus, hoc est nunquam cogitatione, verbo, vel opere declinare in aliquod, quod sit vni ex prædictis virtutibus contrarium, aliàs omnium reus esset, per ea, quæ diximus supra. Circa operationem, subdistinguendum est, quia ad aliquas operationes tenemur sub pœna peccati puta ex præcepto Ecclesiæ, officio assumpto, necessitate proximi, & similibus, & tunc non solum perfecti, sed quilibet 171
Christianus tenetur operari, alias diuinam gratiam, & inde habitum virtutis amittit, aliquæ verò operationes non sunt nobis iniunctæ sub pœna peccati, & tunc abstinendo ab illis non amittimus habitum virtutis, sed benè deficimus in excellentia, quæ requirit bonam operationem quotiescumque se offert occasio, vt mox dicetur.

Circa excellentiam in virtutibus non est du- 172
bium singulas virtutes habere suos gradus, itaut in illa vnus dicatur excellentior altero, quin vna, & eadem persona potest in dies proficere in eadem virtute, vt latè per S. Anton *in sum. p.* 4. *tit.* 1. *cap.* 4. & habetur *in cap. Cum Sanctam d.* 2.

Quod autem pro sanctis non debeant canoni- 173
zari nisi perfecti, & excellentes in virtutibus apparet, quia Canonizatio fit vel immediatè ob gloriam Dei, iuxta illud Psalm. 67. *Mirabilis in Sanctis suis*, vel mediatè, nempe vt illos inuocemus pro nostris mediatoribus apud Deum, vel vt imitemur eorum virtutes non diffidentes posse homines ope diuina ad perfectionis gradus peruenire, vel denique propter retributionem, nempe in præmium, & retributionem ipsorummet Canonizandorum, quæ omnia tandem resultant in gloriam Dei, & hæc singula requirunt excellentiam in virtutibus, & speciale meritum, quia aliàs in simplici virtute, & ordinario merito Deus non esset admirabilis plusquam sit in numero infinito Beatorum, quos certi scimus esse in Cœlis, iuxta illud Ioan. in Apoc. cap. 7. *Post hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat.* Nec isti essent meliores intercessores, quàm illi, aut magis imitabiles, vel merentur istam particularem gloriam.

Remanet igitur difficultas, vt videatur in quo 174
consistat ista excellentia. Et certum est illam consistere in charitate, quia *vinculum perfectionis est charitas*, vt dicit S. Paulus III. ad Coloss. quod repetit Sanctus Gregorius *lib.* 7. *mor.* & alibi dicit idem D. Paulus finem præcepti charitatis esse verum, quia in hac Ecclesia militanti sunt necessariæ operationes Iacob. cap. 2. & latè prosequitur Sotus 2. *de nat. & grat. à cap.* 3. *vsque ad* 8. &
de occultis non iudicat nostra Ecclesia cap. 1. *de clan-* 175
destinis despons. Rom. *consil.* 106. *num.* 11. Ideò illum dicemus habere maiorem charitatem, atque inde perfectionem, qui meliores operationes facit, quam praxim nos docuit Christus magister in Euangelio Matth. cap. 7. *Ex fructibus eorum cognoscetis eos.* Illas verò dicemus esse meliores operationes, quæ nobis minus sunt communes cum ethnicis, vt nos docuit idem Magister noster apud Matth. cap. 5. ibi: *Nam, & hoc ethnici faciunt.*
Iste

Istæ autem, quæ nobis minimè sunt communes ethnicis, erunt in primis omnes operationes, quæ
176 spectant ad virtutes Theologicas, quarum peritiam minimè habent ethnici, & inter morales etiam sunt nonnullæ species, seu gradus virtutum ad quos non peruenerunt ethnici. Dominus apud Matth. cap. 5. ibi: *Ego autem dico vobis diligite, &c.* Item profunda humilitas, quæ virtus fuit ignota ethnicis, vt docet Caietan. super D. Thom. 2. 2. *quæst.* 161. *art.* 1. *in solut.* 1. & S. August. *de Virgin. cap.* 31. dicit solùm Christum fuisse illius magistrum, & doctorem. Item Virginitas virtus christiana appellari potest, quandoquidem non modo apud Ethnicos minimè fuit in pretio, sed neque apud Hebræos, vt docet S. Thom. 3. *p. q.* 8. *art.* 4. per illud Exod. 23. *non erit infæcunda, nec sterilis in terra tua.* Et Deuteron. *Non erit*
177 *apud te sterilis vtriusque sexus.* Item maceratio carnis, & castigatio proprij corporis sunt virtutes, quas non habuerunt ethnici, & signanter perseuerantia, & quod quis fuerit in omnibus sui similis est proprium virtutis christianæ; nam infidelis homo benè potest viribus naturalibus facere aliquos actus virtutis, & etiam acquirere habitum in aliqua specie virtutis, sed non semper, & in omnibus, vt docet S. Anton. *in sua Sum. p.* 4. *tit.* 1. *c.* 1. §. De quo latè per eum.

Rursus quod diximus de necessitate omnium virtutum, & perseuerantia in illis intelligimus quoad illos, qui post suam conuersionem habue-
178 runt tempus operandi; nam certum est multos ob vnum actum perfectissimæ charitatis in hora mortis fuisse canonizatos, vt de bono latrone, Sancto Maximo, & Ianitore 40. Coronatorum, & aliis qui eodem tempore fuerunt conuersi ad fidem Christianam, & passi martyrium legimus in martyrologio.

179 Adest alia species sanctitatis illorum scilicet, qui nullum omninò actum virtutis operati sunt, sed adhuc infantes propter Christum passi fuerunt martyrium, prout S. Innocentes, qui sub Herode passi sunt, de quibus per S. August. *lib. serm. de Sanct. serm.* 8. *cum tribus seqq.* & de causa illorum venerationis, Specul. *in rational. diuin. lib.* 7. *cap.* 42. super quibus non insistimus, cùm non faciant ad casum nostrum, sed iam ad miracula properamus.

PARS SECVNDA.

De miraculis Canonizandorum.

180 VLtra excellentiam in virtutibus requiri etiam quod canonizandus fecerit miracula concludunt omnes *in d. cap.* 1. *de reliq. & vener. Sanctor. & in cap. venerab. de testib.* vbi satis hoc indicat littera in verbo *miracula,* & ibi etiam not.
181 glos. cuius rei duplex assignari potest ratio. Prima est, quod multi in hac vita incedunt, induti pellibus ouium, cùm tamen intus sint lupi rapaces. Matth. 7. adeo vt nec martyrium sub prætextu Christi nominis supportatum sit concludens argumentum sanctitatis, cùm & hoc posse fieri ob vanam gloriam indicet S. Paulus relatus *in cap. Vide* 1. *quæst.* 1. vbi glos. Et proinde vbi magis est periculum deceptionis euidentiora argumen-
182 ta requirunt. *cap. vbi periculum de elect. in* 6. *cap. num.* 7. *quæst.* 2. *cap. quiescamus* 42. *d.* Secunda ratio est, quia etiam supposita sanctitate non omnes sanctos vult Deus in hoc seculo canonizari, id est nominatim coli pro sanctis, fortè ne cultus, qui per homines debetur Sanctis multitudine Sanctorum, & assiduitate exercitij vilescat, iuxta not. *in cap. Epis.* 80. *d. & in cap. legimus ad finem* 93. Hostiens. *in d. cap.* 1. *num.* 10. *de reliq. & vener. Sanctor.* glos. *in cap. vnic. verb. Sedis, vers.* 5. *ne in infinitum, eod. tit. in* 6. Vnde infinitorum martyrum, & aliorum Sanctorum nomina sunt nobis adhuc incognita.

Nec propterea tales sancti non canonizati desinunt habere suam mercedem in cœlis, iuxta Augustinum relatum *in cap. teneamus* 1. *quæst.* 1. *Erant quidam Christiani,* &c. Expectandum igitur est, vt Deus suis signis ostendat, & quis verè 183
fuerit sanctus, & quem velit pro tali in hac sua Ecclesia militanti nominatim coli.

Miraculum alij aliter diffiniere, nos autem diffinimus, vt sit *factum insolitum supra vires, vel præter ordinem totius naturæ creatæ.* Diximus *factum* ad exclusionem nonnullarum illusionum, per quas Dæmones, ac etiam homines vafri faciunt nobis videri factum, quod verè non est factum, de 184
quo per S. Thom. 2. 2. *quæst.* 118. *art.* 2. *& in lib.* 3. *contra Gentil. cap.* 103. *&* 104. *Insolitum,* quia solita nec re, nec nomine conueniunt miraculo. Non re, quia miracula præcipuè fiunt ad duplicem effectum, nempe vel ad confirmationem prædicationis verbi Dei, iuxta illud Matth. cap. 16. *Illi autem profecti prædicauerunt vbique Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis.* Vel fiunt ad denunciandam facientis sanctitatem, vt infra dicetur; solita autem neutrum operantur, nam ex apparentia solitorum neque confirmaretur sermo verbi Dei; nec ostenderetur sanctitas 185
facientis, vt de se patet. Non etiam conueniunt nomine, quia miracula dicuntur ab admiratione, quam secum afferunt, vt per Archid *in d. cap. Nec mirum num.* 6. 26. *quæst.* 5. Bartol. *tract. de testib. vers. qualitas siue substantia num.* 57. solita autem non mouent admirationem, vnde S. Augustinus *lib.* 10. *de Ciuit. Dei* dicit *miracula visibilium naturarum licet maiora sint iis, quæ rarò fiunt, attamen propter illorum assiduitatem non mouere admirationem. Supra* non contra, vt dicit glos. *in cap. vnic. verb. Sedis Apostolicæ vers. secundo, quòd sit contra naturam de reliq. & vener. Sanct. in* 6. *cum concord.* quia miracula fiunt à solo Deo, vt infra dicetur. Natura autem non contrariatur suo creatori, sed cum illo est in ordine obedientiali, & illi libenter cedit, *cap. Cum Martæ* §. *requisisti* ibi, cedit natura miraculo *de celebr. Miss.* not. specie S. Thom. *p.* 1. *q.* 110. *art.* 2. S. August. *lib.* 3. *de Trinit. cap.* 8. Archid. *in cap. nec mirum num.* 6. *vers.* Et dicitur miraculum Bellam. *num.* 3. 26. *quæst.* 5. Ioan. Andr. *in cap.* 1. *num.* 4. Butr. *num.* 7. *de reliq. & vener. Sanct.* Ioan. Monach. *in cap.* 1. *num.* 11. *de Confess. in* 6. Castellin. *in Tract. de Canoniz. Sanct. quæst.* 6. *princ. vers. secundum quod sit,* Simonett. *in relat.* 186
S. Francisci de Paula §. *Illud tamen. Vires* quia nihil est, quod possit facere natura, quod miraculum dici possit, siue hoc procedat ex singulari artificio hominis, prout de columba lignea volanti Architæ, & æneis serpentibus sibilantibus Boëtij, legitur apud Gellium *lib.* 10. *cap.* 12. Cassad. *lib.* 1. *variar. epist.* 45 siue hoc fiat ex veloce operatione facta per dæmonem applicando actiua passiuis, de quo per S. Thom. *p.* 1. *quæst.* 114. *art.* 4. *ad* 2. *Præter ordinem,* nam multa sunt miracula, quæ propriè non possunt dici supra vires naturæ, sed

tantum

tantum præter ordinem, nam natura in dies illud, facit, sed non eo ordine: exemplum est in febricitante in instanti sanato, quo pro miraculo est canonizatum, & in socru Petri, de quo Luc. 4. & in
187 multis modernis canonizationibus. Natura enim in dies pellit febrim, sed non illo ordine, hoc est in instanti, de quo infra in gradibus miraculorum agetur. *Totius naturæ*, quia multa præter ordinem vnius naturæ contingunt, quæ non sunt miracula, cùm sint secundum ordinem alterius naturæ, vnde non fuit miraculum eleuatio Simonis Magi per aëra, de quo per Egesip. *lib. 3. de excid. Hierosolym. cap. 2.* Sur. *de vita Sanct. de vita Sanct. Petri*, neque minus corporalis transpor-
188 tatio strigarum, de quo latè per bon. memor. Peniam collegam nostrum *in Direct. p. 2. comm 68. litt. R.* nam licet hoc sit præter, vel super naturam humanam, non est tamen præter, vel supra naturam dæmonis, qui hoc operatur. *Creatæ*, quia nihil est supra vires naturæ increatæ, id est Dei omnipotentis, vnde respectu illius nihil potest dici miraculum, vt concludunt S. Thom. *part. 1. quæst. 105. art. 8.* Castell. *de Canoniz. Sanct. qu. 6. vers. interdum in fin.* & maiores nostri *in relatione super processu S. Raymundi art. 6. vers. Alterum p. 2.* Item diximus *creatæ*, quia non est dubium, quod Deus potest errare nouas naturas, iuxta illud Augustini *lib. 21. de Ciuit. Dei: Sicut non fuit Deo impossibile, quas voluit naturas instituere, ita ei non est impossibile,* inquit, *quod voluerit, quas instituit mutare.* Hæc ille. Vnde infertur, quod licet quando Dominus noster Iesus Christus instituit Sanctissimum Sacramentum Eucharistiæ, Baptismi, & aliorum fecerit maximum miraculum, dando illam admirabilem naturam siue vim illis, *Hoc est corpus meum*, & illis *Ego te baptizo*, & aliis quæ in confectione Sacramentorum, quasi non possunt dici nouum miraculum, quia sunt effectus resultantes ex antiqua institutione illius Sanctissimi Sacramenti.

189 Ex quibus posset resolui quæstio, quæ aliàs occurrit de facto, nempe an ebullitio sanguinis S. Ianuarij in Ciuitate Neapolitana, vel fluxio mannæ ex sepulchro S. Nicolai Baren, vel excrescens vnguis S. Catharinæ Bono. seu mirabilis incorruptio, & suauis odor, qui ex corpore plurimorum Sanctorum in dies emanat possit dici vnum miraculum, vel plura.

190 Item per præfata includuntur omnia requisita ad miraculum, de quibus Gloss. *in cap. 1. de reliq. & venerat. Sanct.* Hostiens. & Goffr. *in Summ. d. tit. num. 3.* Bellam. *in cap. Venerabilis de testib. num. 3.* Cassan. *in Cathal. gloriæ mundi p. 3. consid. 49.* Nam primum, quod sit *ex Deo* resultat eo ipso, quod est verum miraculum, quia solus Deus potest facere miracula, vt supra dictum est. Secundum requisitum, quod sit *supra vires naturæ* comdum requisitum, quod sit *supra vires naturæ* comprehenditur in verbis nostræ diffinitionis. Tertium, quod non *ex vi verborum* includitur per illud, quod iam diximus super verbo *creatæ*; Quartum, quod ad corroborationem fidei veræ non videretur necessarium, cùm possit dari casus, quod miracula fiant ad alium finem, nempe ad denunciandam intercedentis sanctitatem. Beda relat. *in cap. Quærendum de pœnit. dist. 2.* S. Thom. *2. 2. quæst. 178. art. 2.* Bellam. *in cap. nec mirum 26. q. 5. num. 10.* qualia videntur esse miracula, quæ in dies fiunt inter Catholicos, quorum respectu miracula non essent necessaria, iuxta illud Isidor.
191 *lib. 1. de summo bono, miracula,* inquit ille, *in signum sunt non fidelibus, sed infidelibus, quia signum fidelibus non est necessarium, qui iam crediderunt, sed infidelibus, vt conuertantur, vnde Paulus pro non credentium infidelitate patrem Publij de Infirmitate febris curat; infirmantem verò Timothæum fidelem non oratione sed medicinaliter curat, vt noueris miracula pro incredulis non pro fidelibus fieri.* Hæc ille.

Controuersia est inter Doctores, an de sub- 192
stantia miraculi sit quod fiat in instanti, de quo per Archid. *in cap. nec mirum, num. 8. vers. sed quæro an sit necesse.* Bellam. *num. 5. quæst. 5.* Gemin. *in cap. vnic. num. 17. de reliq. & vener. Sanct. in 6.* Troil. Maluet. *tract. de Canon Sanct. dub. 3. num. 51.* latè Castell. *eod. tract. quæst. 6. vers. quæro an sit necesse.* Nos fœdere distinctionis opiniones con- 193
ciliari posse existimamus, nempe quod aut natura cum processu temporis poterat causare illud factum, de quo quæritur, an sit miraculum, puta sanare infirmitatem], & tunc de substantia miraculi est, quod fiat continuo, ac statim, aliàs non erit miraculum, cùm possit esse, quod sanatio processerit ex operatione naturæ. Ex qua possibilitate excluditur miraculum saltem quoad probationem *ad l. non hoc C. vnde legit. cum concordant.* vltra quod in isto modo operandi non concurrit *insolitum*, quod est vnum ex requisitis pro miraculis, vt supra demonstratum est. Quod tamen diximus necessarium esse, quod fiat illico, intelligendum est cum temperamento, nempe sufficere, quod incontinenti recedat morbus principalis, 194
licet remaneat consequentia morbi, puta lassitudo, cicatrix, & similia, vt fuit ponderatum in pluribus relationibus in hac materia factis, & signanter *in relatione S. Raymundi part. 2. art. 5. vers. quod si quandoque*, aut verò factum non erat tale, quod posset per naturam ex interuallo temporis contingere, puta illuminatio cæci à natiuitate, resurrectio mortui, & similia, & tunc, etiamsi intercedat interuallum temporis, non videtur cessare vis miraculi, quia qualitas corporis cùm minimè conferat ad actum nullius est considerationis, iuxta not. per Abb. *in cap. Ad aures num. 2.* Dec. *num. 3. de rescript.* Calder. *cons. 10. eod. tit.*

Et eadem distinctione solui potest alia quæ- 195
stio: An de substantia miraculi sit, quod nullum remedium humanum omnino fuerit adhibitum, nempè, vt inspiciatur an illud remedium esset aliquo modo proportionabile ad producendum illum effectum, quod si non est, minimè tollit vim miraculi, & proindè nec puluis, qua vsus fuit Dominus noster in illuminatione cæci, de qua per Ioan. *cap. 9.* necnon pallium quo vsus fuit S. Franciscus de Paula, & S. Raymundus in transfretando mari, sustulerunt miraculi vim, quia nullam habebant proportionem ad illa facta, & multo minùs tollent vim miraculi remedia adhibita post substantiam facti ad tollendum reliquias morbi, de quo per Maluet. *tract. de Canon. Sanct. 3. dub. num. 92.*

Similiter occurrit dubitare, an dolor, qui ple- 196
rumque interuenit in miraculosa sanatione, vt euenisse in modernis processibus, in hac materia factis passim legitur tollat vim miraculi, & pro affirmatiua allegatur, quod Deus, qui solus facit miracula non habet opus seruare modum, quo natura plerumque vtitur in expulsionis morborum, vt scilicet fiant cum dolore, vt ad propositum animaduertit Troyll. *tract. de Canoniz. Sanct. dub. 3.*